Op. th.
f.
40
11.

CRETSERI
OPERA OMNIA
TOM. XI.

C. XIII. 28.

Op. th.
f
40.
11

JACOBI
GRETSERI
SOCIETATIS JESU
THEOLOGI
OPERA OMNIA

ANTEHAC

AB IPSOMET AUCTORE ACCURATE RECOGNITA,
OPUSCULIS MULTIS, NOTIS, ET PARALIPOMENIS PLURIBUS,
PROPRIIS LOCIS IN HAC EDITIONE INSERTIS

AUCTA ET ILLUSTRATA

NUNC

SELECTO ORDINE AD CERTOS TITULOS REVOCATA.

Ad Bibliothecam *Nunc Soc. Jesu Colleg. Ingolst. Bibliothecae Universitatis Bavaricae propriae Bibliothecam.*

TOMUS XI.

DEFENSIO

SOCIETATIS JESU.

Cum Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis, & Facultate Superiorum.

RATISBONÆ,
SUMPTIBUS JOANNIS CONRADI PEEZ, ET FELICIS BADER,
SOCIORUM.
Ad Pedem Pontis Typis MARIÆ APOLLONIÆ HANCKIN, Anno M. DCC. XXXVIII.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

Cùm Domini Joannes Conradus Peez, & Felix Bader, Cives & Bibliopolæ Ratisbonenſes, P. Jacobi Gretſeri Opera omnia, quæ ſeptendecim Tomos conficiunt, typis vulgare deſiderent: Ego JOSEPHUS MAYR, Societatis Jeſu, per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab admodum R. P. FRANCISCO RETZ, Societatis noſtræ Præpoſito Generali, mihi conceſſa, eisdem ad hanc editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dicta Opera aut omnia, aut aliqua, aut etiam unum ex illis, citra Conſenſum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii & Hæreditarias S.C.M. Provincias inferre præſumant. In cujus Confirmationem has Litteras, Chirographo meo, & conſueto officii mei Sigillo munitas dedi Straubingæ 21. Novembris 1732.

L.S.

Joſephus Mayr.

INDEX LIBRORUM
TOMI XI.

I. Plena, & integra refutatio Hiſtoriæ Ordinis Jeſuitici, ab Elia Haſenmillero conſcriptæ, & Polycarpo Leyſero editæ, cum appendice ex S. Thoma, & S. Bonaventura contra Religioſorum calumniatores.

II. Honorarium Polycarpo Lauſero Prædicanti Lutherano ob Hiſtoriam Jeſuiticam denuo editam gratæ mentis ergò datum, & oblatum unà cum Hiſtoria Parallela vitæ Doctoris Martini Lutheri: & D. Martini Epiſcopi Turonenſis, conſcripta ab Elia Haſenmillero Hiſtoriæ Ordinis Jeſuitici Auctore.

III. Apologia Franciſci Montani pro Societate JEſu in Gallia contra Antonii Arnaldi Advocati Pariſienſis Philippicam ex Gallico in Latinum translata. Acceſſit Interpretis appendix contra Anonymi cujusdam Calviniſtæ criminationes.

IV. Apologia Societatis JESU in Gallia ad Chriſtianiſſimum Galliæ, & Navarræ Regem Henricum IV. latinè reddita. Acceſſit Interpretis Appendix Apologetica adversùs Lutherani cujusdam Rabulæ convitia, & mendacia.

V. Defenſio Apologiæ Gallicanæ ad Chriſtianiſſimum Galliæ, & Navarræ Re-

gem, &c. adversùs Lithi Miseni Calviniani calumnias.

VI. Consolatio brevis, sed efficax pro Litho Miseno Calvinista ob Jesuitas Galliæ publico Christianissimi Regis Henrici IV. Edicto vel firmatos vel redditos.

VII. Epistolæ græcæ Misenicæ ad Jacobum Gretserum Analysis in sua elementa cum pharmacis, ob Jesuitarum in Gallias revocationem irato, & meticuloso Miseno curando idoneis. Accessit admonitio brevis de miraculosis in Venerabili Eucharistiæ Sacramento Apparitionibus, quas malè tornatis versibus insulsus Poëtaster Lithus infectatus est, unà cum Monstrantiis Lutheranis.

VIII. Paracletus Lutheranus ad Lithum Misenum Calvinistam ob Jesuitas in Galliam revocatos insolabiliter mœrentem, amicitiæ, levaminis, & medicaminis causâ allegatus, unà cum duabus Monstrantiis, & Ludo Misenico.

IX. Panegyricus Miseno Triumphatori dictus ob triumphatum Gretserum.

X. Stigma effronti Lithi Miseni Calvinistæ fronti inustum propter horribilia mendacia, quibus Jesuitas, quasi nuperæ in Anglia conspirationis aut Socii, aut Conscii fuissent, impudentissimè infectatus est.

XI. Lithi Miseni Calvinistæ Satyra Palinodica, Commentario illustrata.

XII. Apologeticus adversùs librum, qui *Introductio in artem Jesuiticam* inscribitur, contra Gabrielem Lermæum Calvinistam.

XIII. De Modo agendi Jesuitarum cum Summo Pontifice, aliisque Principibus Ecclesiasticis, & Politicis, atque adeò inter se mutuò, libri duo contra Anonymi cujusdam hæretici criminationes.

XIV. Relatio de Studiis Jesuitarum abstrusioribus, in gratiam Prædicantium Augustanorum ad Lydium veritatis lapidem admota, & probata, contra Joannem Cambilhon. Accessit breve examen libri, qui *Speculum Doctrinæ Jesuiticæ* inscribitur.

XV. Furiæ Prædicantium Augustanorum ob refutatam Relationem Cambilhonicam.

XVI. Repetitæ Furiæ Prædicantium Augustanorum ob Relationem Cambilhonicam, denuo castigatæ.

XVII. Vespertilio Hæretico-politicus, sub Bononiensis Epistolæ Italo-latinæ velo; *de perfectione, & excellentia Jesuitici Ordinis*, antea delitescens, jam in lucem extractus.

XVIII. Lixivium pro abluendo malè sano capite Anonymi cujusdam fabulatoris, &, ùt vocant, *Novellantis*, qui cædem Christianissimi Galliæ, & Navarræ Regis Henrici IV. in Jesuitas partim apertè, partim tacitè confert.

XIX. Relegatio Lutheranorum, & Calvinianorum Prædicantium ex Sacro Romano Imperio, ex Relegatione Jesuitica Andreæ Lonneri Lutherano-Calvinistæ verbatim confecta.

XX. Libelli Famosi, quô vix post hominum memoriam impudentior, & flagitiosior prodiit adversùs Robertum Bellarminum S. R. E. Cardinalem, castigatio.

XXI. Destructio Dormitorii Apostatarum.

XXII. Contra famosum libellum, cujus inscriptio est: *Monita privata Societatis JEsu.* Libri tres Apologetici.

HISTO-

HISTORIA
ORDINIS JESUITICI,
DE
SOCIETATIS JESUITARUM
AUCTORE, NOMINE, GRADIBUS, INCREMENTO, VITA, VOTIS, PRIVILEGIIS, MIRACULIS, DOCTRINA, MORTE.
CONSCRIPTA
AB
ELIA HASENMILLERO,
ET NUPER EDITA
A
POLYCARPO LEYSERO,
Nunc verò
IN GRATIAM LECTORIS VERITATIS STUDIOSI CORRECTA ET REFUTATA
A
JACOBO GRETSERO,
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

Psalmo V.

Domine deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu viam meam.
Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, Linguis suis dolosè agebant; judica illos Deus.

INDEX

INDEX CAPITUM HISTORIÆ ORDINIS JESUITICI, QUÆ IN HOC LIBRO REFUTANTUR.

Proœmium

CAP. I.

De Jesuitarum Auctore.

CAP. II.

De nomine Jesuitarum.

CAP. III.

De variis Jesuitarum generibus & incremento.

I. *De Jesuitarum Generali.*
II. *De Jesuitarum Assistentibus.*
III. *De Jesuitarum Professis.*
IV. *De Jesuitarum devotoriis servis.*
V. *De Novitiis Jesuitarum.*
VI. *De Jesuitarum servis temporalibus seu coadjutoribus formatis.*
VII. *De Servis Jesuitarum spiritualibus.*
VIII. *De præceptoribus Jesuitarum.*
IX. *De spiritualibus Jesuitarum præfectis.*
X. *De Jesuitarum Concionatoribus.*
XI. *De Jesuitarum Confessariis.*
XII. *De Jesuitarum pœnitentiariis.*
XIII. *De Jesuitarum Sacerdotibus.*
XIV. *De Jesuitarum Rectoribus & Regentibus.*
XV. *De Jesuitarum Ministris & Oeconomis.*

CAP. IV.

De Jesuitarum vita publica.

CAP. V.

De vita Jesuitarum privata seu domestica.

CAP. VI.

De votis Jesuitarum.

I. *De paupertate.*
II. *De castitate.*
III. *De obedientia.*
IV. *De quarto voto, quod est Jesuitarum Professorum.*

CAP. VII.

De Jesuitarum privilegiis.

Ex summorum Pontificum bulla.

Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.
Septima.
Octava.
Nona.
Decima.
Undecima.
Duodecima.
Decima tertia.
Decima quarta.
Decima quinta.
Decima sexta.
Decima septima.
Decima octava.
Detima nona.

CAP. VIII.

De Miraculis Jesuitarum.

CAP. IX.

De doctrina Jesuitarum.

I. *De Scriptura sacra.*
II. *De persona & officio Christi.*
III. *De Spiritu sancto.*
IV. *De Angelis.*
V. *De imagine Dei in homine.*
VI. *De providentia Dei.*
VII. *De arbitrio hominis post lapsum.*
VIII. *De peccato.*
IX. *De Decalogo seu legibus divinis.*
X. *De Evangelio.*
XI. *De Christi regno & sacerdotio.*
XII. *De justificatione hominis.*
XIII. *De fide Jesuitica.*
XIV. *De bonis operibus.*
XV. *De pœnitentia.*
XVI. *De ministerio Evangelii & hujus Ministris.*
XVII. *De septem Jesuitarum Sacramentis.*
XVIII. *De Ecclesia.*

CAP. X.

De Jesuitarum Patre, qui est Papa; & matre, quæ est Roma.

CAP. XI.

De morte Jesuitarum.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM,
IN
QUA GENERATIM AGITUR
DE
HISTORIA
ORDINIS JESUITICI,
QUALIS SIT, ET QUA FIDE CONSCRIPTA, ET DE MODO REFUTATIONIS.

CUM superiori anno, amice Lector, historiam Ordinis Jesuitici ab Helia Hasenmillero olim inchoatam, ab aliis posteà, collatis symbolis, auctam, & tandem à Polycarpo Leysero Prædicante solis flagitiis noto, in vulgus editam pænè ad verbum refutâssem, jámque opus typis maturum, Typographo dare constituissem, incidi in Reverendi & clarissimi Viri D. Petri Stevartii, SS. Theologiæ in Academia Ingolstadiensi Professoris pro Societate nostra Apologiam, quam simul atque percurri, stylum verti, omnémque de editione confutationis cogitationem posui, ratus supervacaneum fore, quidquid præter id, quod à D. Stevartio responsum est, convitiatoribus illis responderetur, idque publicè testatus sum * Epistola ad D. Stevartium missa, & Dilingæ excusa.

Cæterùm cùm postea & literis & sermone multorum accepissemus, non paucos Catholicorum veritatísque amantium rationibus meis, propter quas editione supersedendum arbitrabar, non acquiescere, sed cupidè optare, ut plena confutatio vanissimi libri sine mora prodeat, ne fautores & Lectores illius historiæ triumphum (qui istorum mos est) non modò ante victoriam, sed & sine victoria canere incipiant, quasi omnibus Jesuitis silentium imposuissent, neque

* Hæc epistola denuo excusa non est; quia eadem continet, quæ isthæc Præfatio.

neque cuiquam illorum quicquam ſuppeteret, quod Hiſtoriæ Helianæ opponeret; lucubrationes meas, quibus reſponſum continebatur, denuò in manus ſumpſi & recognovi, magno ſanè tædio. Quis enim tam firmi ſit pectoris & animi, qui ſine ingenti moleſtia excutere & examinare poſſit librum, in quo, præter mendacia & convitia plus quàm diabolica, aliud ferè nihil occurrit? Sed hoc, quicquid erat faſtidii devorandum fuit, tum ut Catholicorum deſiderio fieret ſatis, tum ut gloriandi via præcluderetur adverſariis, quibus ſolenne, ubi vel generatim contra noſtrum Ordinem, vel nominatim contra Theologum aliquem ex Societate tractatulum mendaciis & calumniis confertiſſimum procuderunt, inſolentiſſimè jactare, ſi non derepentè refutatio ſubſequatur, *Jeſuitas piſce magis mutos effectos, & ne apice quidem ab omnibus Jeſuitis reſponſum eſſe.* Non enim contenti ſunt tacita mendaciorum conſcientia, ſed volunt, mirabili conſilio, ut ſtatim in medium procedant, qui ipſorum mendacia, ſuopte lumine clara, adhuc illuſtriora mundo reddant. Nam cùm veritate & eruditione nomen ſuum celebrare nequeant, mentiendi ſaltem & convitiandi ſtudio famam ſibi apud poſteros conficere nituntur. Hinc quò quisque eſt obſcurior & ignobilior Prædicans, eò fidentiùs & audentiùs & majori mendaciorum choro comitatus, Jeſuitas provocat, ut ſaltem Antagoniſtarum celebri fama, nominis aliquid ſibi pariat.

Samuel Huob. de purgat. contra Bellar.

Quando igitur & Catholicorum voluntas, & Adverſariorum conditio & importunitas, ita exigit, agedum, exeat in lucem hoc minúmque conſpectum Apologeticus iſte, & ùt jure appellari poteſt, Index turpiſſimarum & mendaciſſimarum criminationum, quibus Polycarpus Lauſer, infamis Prædicans, non modò Societatem noſtram, ſed & omnes Catholicæ Religionis Ordines, & præſertim Germanos, veteris fidei ſectatores, improbiſſimè & flagitioſiſſimè traducere conatus eſt. Neque verò Societatis tantùm noſtræ, ſed & communiter omnium Catholicæ Profeſſionis Ordinum patrocinium ſuſcipio, dum peſtilentem hunc & prorſus nemini parcentem librum refello. Nam ſi quis attentiùs rem conſideret, & quid Leyſeriana Hiſtoria complectatur, propiùs inſpiciat, facilè ſibi perſuadebit, Polycarpum ejúsque adjutores, non tam in Jeſuitas, quàm in omnes Catholicæ Religionis ſtatus communem Satyram dictare & evulgare voluiſſe (majora enim & atrociora objiciunt illi ſtatibus Catholicis, quàm Jeſuitis) noménque Jeſuitarum tantummodò tegumenti cauſa præſcripſiſſe, ne ſcilicet, ſi apertè profeſſi eſſent, quos exagitandos ſuſcepiſſent, periculum capitis ſibi crearent. Hinc ùt olim veteris Comœdiæ Poëtæ, cùm Magiſtratus ſuos in Scena traducerent, perſonam quampiam inferioris ſortis, & à qua nihil mali ſibi imminere cenſebant, plerumque ſcommatis & ſarcaſmis inceſſebant; ita iſti Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Religioſos, & omnes Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus: itémque Imperatorem, Archiduces Auſtriæ, Duces Bavariæ, alióſque Sacri Romani Imperii Principes, civitates, Reſpublicas & Ordines Illuſtres convitiis onerare cupientes, Jeſuitas in Theatrum produxerunt, ut ſub hoc quaſi velo latitantes, liberiùs & ſecuriùs in omnes Orthodoxos Proceres graſſari, & canina ſua maledicentia, ſævire liceret. Quamvis, qua ſunt inſcitia & incogitantia, non occultè tantummodò, & per cuniculos & flexus, ſed palàm quoque diſertísque verbis in omnes prædictos maledicam linguam & calamum ſtringant. Hinc Sycophantis iſtis Pontifex Romanus nihil aliud eſt, quàm *Diaboli Cancellarius*, *Antichriſtus Romanus*, *Cham*, *Meretrix magica*, *Beſtia ſeu Meretrix Romana*, *ſceleſtiſſimus & immundiſſimus Diabolorum Diabolus Sathanæ Vica-*

Pag. 160. 145. 142. 141. 144. 136. 312.

Vicarius, Pontifex optimus in nequitia invenienda; maximus in Tyrannide exercenda, Diabolorum omnium in terris Vicarius, Deus terrenus & Dominus hujus ſæculi, ſtrenuus Diaboli miles, Chriſti adverſarius, filius perditionis & ſceleratus: diabolicum, hæreticum, idololatricum, meretricium, adulterum, ſacrilegum, ſuperbum, aſtutum, ſeditioſum, rabioſum, ſanguinarium, ac ſtolidum Eccleſiæ Romanæ caput, quod verbum Dei corrumpit, meritum Chriſti negat, Magiſtratum politicum contemnit & pedibus calcat. Piget reliqua Epitheta commemorare, quæ ſi Turcarum Regi, aut Tartarorum Chamo tribuerentur, non niſi ab inſano cerebro profecta jure videri poſſent. Nunc cùm in Pontificem Romanum conjiciantur, in illum, inquam, cujus præter cætera innumera in Germaniam promerita, hoc ipſo tempore, quo cervicibus noſtris Turcicum jugum impendet, inſignis liberalitas, non parùm ad felices Pannonici belli ſucceſſus confert, quis patiens & cõmodus tantam linguæ præcidendæ procacitatem ferat? Et ſi tale caput eſt Romanus Pontifex, quid aliud ſequitur, quàm membra cum hoc capite conjuncta, id eſt, Cardinales, Epiſcopos, Imperatorem, Principes, & reliquos omnes antiquæ fidei profeſſores, ſacri Romani Imperii Ordines, aliud nihil eſſe, quàm *diabolicos, hæreticos, rabioſos, ſanguinarios, adulteros, ſeditioſos, ſtolidos & ſceleratos.* Vetus verbum eſt: *qualis Rex, talis grex;* Et, *quale caput, talia membra.*

Jam verò convitia in Cardinales & Epiſcopos, Sacerdotes & Monachos propriè jacta, quis ſine horrore enumeret? *Eccleſiæ Pontificiæ*, inquit mendaciſſimus nugator, *non præſident Epiſcopi unius Uxoris Viri, ſed Scortatores, Adulteri, Sodomitæ, maſculorum Concubitores, & ipſius Romanæ beſtiæ amatores & negotiatores, Viri multarum fæminarum, quæ omnem pudicitiam amiſerunt, quorum nonnulli magis mularum, aſinorum, caprarum & maſculorum, quàm fæminarum conſuetudine, delectentur.* Cardinales, Epiſcopi, Prælati, Abbates, Canonici, Monachi appellantur ab iſtis, *Diaboli Vicarii, perdita Pontificiorum turba, Filii Belial, Servi Antichriſti, ſalaces hirci, & ſpurci Epicuri de grege porci: Illorum raſura* (nos tonſuram nominamus) *eſt ſtultitia, quæ illos, ùt ſtultum cuculla ornet.* Hæc & id genus millena alia probri & dedecoris plena cognomenta quos petunt? quos feriunt? Profectò non ſolos Epiſcopos, Cardinales, Italos, Gallos, Hiſpanos, & reliquos extra Germaniam, ſed ipſos Imperii Romani Summates; quorum nonnulli Cardinales, plurimi Archiepiſcopi & Epiſcopi, aliarúmque Eccleſiaſticarum dignitatum titulis inſigniti, quos iſti homines nauci & ex fæce vulgi, contra jus & fas, contra pacta & conventa, tanto omnium Ordinum conſenſu comprobata, tam infandis injuriis afficiunt. Neque verò Principes politicos immunes à calumniis & intactos abire ſinunt: *Papa Romanus*, ajunt, *revera nihil aliud eſt, quàm vitulus illé idololatricus, coram quo mundi potentes ſaltant, & cum quo ſpiritualiter fornicantur & negotiantur.* Ergo Auguſtiſſimi Imperatores Romani, & Sereniſſimi Archiduces Auſtriæ, Duces Bavariæ, & tot Illuſtriſſimi Principes, Illuſtres Comites, Generoſíque Barones, & cæteri Catholicæ fidei Ordines, nihil aliud ſunt, judicio veſtro, quàm ſaltatores, & circulatores, & fornicatores, & negotiatores Idololatrici, quorum Deus non in cœlo, ſed Romæ? Nam omnes iſti Pontificem Romanum Chriſti in terris Vicarium, & D. Petri ſucceſſorem eſſe confitentur, eíque libentiſſimè reverentiam, debitúmque honorem exhibent. Quid hac criminatione majus excogitari queat, equidem non video: quæ tantò gravior, quò à vilioribus & contemptioribus in majores jacitur, ùt & illa; cùm Imperatorem & Principes, omnésque Ordines Catholicos *Pontificiæ Idolomaniæ* Sectatores nominant.

Pag. 108. Pag. 98. Pag. 293. 303. Pag. 302. Pag. 196. Pag. 125.

PRÆTEREA, Parentes, qui filios ſuos literis, bonísque moribus nobis inſtituendos committunt, vociferantur eſſe ſimiles, *ſtolidis illis Parentibus, qui olim filios ſuos ſacrificaverunt idolo Moloch.* Stolidi igitur erunt & mancipia Molochi (ut de Germanis tantùm loquar) Archiduces Auſtriæ, Duces Bavariæ, tot Principes, tot Comites, Baro-nes, tot nobilitate juxtà & prudentia præſtantes Germani, qui jam à Societatis noſtræ in Germaniam adventu, Liberos ſuos, Nepotes, Conſanguineos, Cognatos ac Agnatos libentiſſimè & ſumma voluntate, fidei & diſciplinæ noſtræ crediderunt.

Ad hæc cùm Polycarpus & Socii ejus, Societatem noſtram nihil aliud eſſe ſcribant, quàm *ſentinam tetrorum dæmoniorum, Homicidarum, crudelium hypocritarum, ſuperſtitioſorum Phariſæorum, circumforaneorum, Meretricis magicæ amatorum, Epicuri de grege porcorum, Legis Divinæ perturbatorum, conſcientiarum Carnificum, Cardinalium Lictorum, Epiſcoporum adulatorum, Chriſtum de novo crucifigentium, Evangelii corruptorum, atrociſſimorum DEI hoſtium, pertinacium & obſtinatarum beſtiarum, peſtium Germaniæ*, &c. neceſſariò efficitur, ut, qui nos fovent, nobísque favent, extructísque Collegiis ſuis in urbibus collocant, ſint, & jure vocentur, Receptatores, Fautores & Promotores tetrorum *Dæmoniorum, homicidarum, crudelium hypocritarum:* At Invictiſſimi Imperatores Societatis noſtræ Pragæ, & Viennæ, & Oeniponti; & Sereniſſimi Archiduces Auſtriæ, & Duces Bavariæ, Græcii, Ingolſtadii, Monachii, Ratisbonæ; & alii Principes, florentésque Civitates & Reſpublicæ alibi Collegia exædificârunt: Polycarpus igitur, quæ, his poſitis, Conclusio ſeu Collectio ſequatur, videat & erubeſcat, ſi quid adhuc pudoris reliquum habet.

Pag. 142. & paſſim alibi.

Dicent fortaſſis, excuſari Principes ignorantia. At craſſam & valdè culpabilem oporteret eam eſſe ignorantiam, quæ tam manifeſtos *Latrones, Fures*, &c. tandem non deprehenderet. Et quo ſtupore audent Prædicantes Principibus prudentiſſimis, & ex alto omnia pericula Reipublicæ imminentia perſpicientibus, tantam cæcitatem adſcribere, ut in mediis latrociniis, latronem nullum, & in mediis flammis, incendium nullum videant? Scilicet Polycarpus & ſimiles talpæ, in tenebricoſis ſuis latibulis, perpetuò deliteſcentes, acutiùs & clariùs, quid Reipublicæ ſalutare, quidque damnoſum futurum ſit, prævident, quàm illi, qui ad Reipublicæ gubernacula ex inſtituto ſedent. Deinde meminerit, oro, Polycarpus illorum verbo-

Pag. 129. rum: *Quidam Principes Germani non unum aut alterum, ſed jam ultra mille Jeſuitas, intra ſuos terminos ferunt; quin etiamſi videant damna, quæ Reipublicæ, Eccleſiæ & Oeconomiæ inferunt, non tamen moventur, ſeriùs, quàm par ſit, evigilaturi, ſeptáque, quod dicitur, clauſuri, ubi gregem lupus diſſipârit & devorârit.* Scientes igitur & volentes, Polycarpi quoque judicio, ſuis in Provinciis retinent; quid retinent? imò benevolentia & amore ſingulari proſequuntur, privilegiísque & immunitatibus

Pag. 24. augent & cohoneſtant Principes; *Rubenitas, thorum Dei, hoc eſt, verbum ejus commaculantes, Pharaonitas, Ranas, Muſcas, Locuſtas effundentes, Impios, Labem Eccleſiæ, Peſtem pietatis, extremam mundi fæcem, Lupos*

Pag. 199. *rapaces, Fures & Latrones, Magos, Sortilegos, Superſtitioſos, Ethnicis, Turcis, Judæis deteriores, Sophiſtas impios, pertinaces, phanaticos, perjuros, pacta jurata, fidem & inducias non ſervantes*, &c.

Pag. 177. Verùm, ne Polycarpus tantæ ſtultitiæ & amentiæ Principes condemnare exiſtimetur, en quale effugium adferat. *Rationem*, inquit, *hujus*

hujus (felicis progreſſus Jeſuitarum) *eſſe puto; quòd pleræque aulæ plures Achitopheles & Zibas, quàm Joſephos & Naamanas alunt, dúmque illi, neſcio quibus modis corrupti Jeſuitas commendant, fit, ut longè latéque graſſentur.* Res igitur, quantum video, eò tandem redit, ut Principes malè quidem agant, dum Jeſuitarum Societatem amplificant; ſed decepti & in fraudem impulſi à malis Conſiliariis. Cæterùm Polycarpus, hoc emplaſtro, nihilo meliorem reddit cauſam ſuam, neque ſe ſe expedit, quò minùs in Principum majeſtatem, noménque & honorem prædo nefarius involâſſe videatur. Quanta enim noxa, quàm culpabilis & pernicioſa eſt, Principem, in re tanti ponderis, duci & regi non ſuo, ſed Conſiliariorum parùm fidelium ductu & auſpicio; neque aliorum blandimentis & decipulis excæcatum, animadvertere, quæ qualísve peſtis, & quàm certa intra Reipublicæ viſcera lateat. Senſit hoc, ùt opinor, Polycarpus. Quamobrem, miſſis verborum involucris, audaciſſimè in hæc verba prorumpit: *optandum foret, ut pleríque Principes, in admittendis hiſce oculis* (Jeſuitis) *attentiores eſſent. Nunc verò dum pleríque connivent, aut etiam ſtertunt, fit, ut, antequam ipſi id obſervent, extrema hæc malorum lerna ac peſtilentialis gangræna longè latéque ſerpat.* Ecce quàm honorificè de Principibus, S. R. Imperii Columnis ac firmamentis obſcurus Prædicans ſcribat & loquatur. Sed quid mirum? Didicit id à Parente ſuo Luthero, qui quibus titulis ipſum invictiſſimum Imperatorem, præcipuósque Germanicæ nationis Principes cohoneſtaverit, notum eſt, multíque jam dudum omnibus in unum collectis, ut uno intuitu aſpici poſſint, ſatis ſupérque demonſtrârunt.

Pag. 177.

Vide libr. de Motivis Illuſtriſſimi Jacobi Marchionis, motivo 3. pag. 199. & ſeq.

Ex his igitur, quæ exempli tantùm cauſa adduxi, aliísque infinitis, quæ ſilentio præterii, & poſtea ſuis quæque locis occurrent, clarè eluceſcit, hiſtoriæ hujus Auctoribus, nihil aliud propoſitum fuiſſe, quàm ſub titulo Hiſtoriæ Ordinis Jeſuitici Menippeam quandam Satyram in lucem extrudere, quæ omnes Catholicos communiter, non obiter perſtringeret, ſed immaniſſimis convitiis impotenter & impudenter proſcinderet; ut nos quidem, qui Societati nomina dedimus, minùs miremur Polycarpi & ſimilium hiſtrionum in nos maledicentiam & acerbitatem, cùm tantis viris, ſummis Reipublicæ Chriſtianæ Monarchis & Principibus ob magnitudinem odii in avitam Religionem, minimè pepercerint. Scripſerunt quidem antehac non pauci, cùm alibi, tum in Germania, contra noſtram Societatem; ſed nemo petulantiùs, nemo minore veritatis & ſinceritatis ſtudio, nemo cum majore, non Societatis, ſed ipſius Lutheranæ aut Calvinianæ Sectæ dedecore, quàm Helias Haſenmüller & Polycarpus, qui congeſtis in unum cumulum, quidquid olim *(a)* Kemnitius, *(b)* Rodingus Heidelbergenſis; Apoſtata *(c)* Chriſtianus Francken, *(d)* Boquinus Biturix: *(e)* Eques Polonus, & *(f)* Donatus Gotuiſus, vel potiùs Narbachius Argentoratenſis & ἀνόσιος ille *(g)* Hoſiander de Jeſuitis temerè effutiverant; quidquid Sacramentarius Sceleſti Apiarii ſeu Alvearii Auctor paſſim de Jeſuitis mentitus fuerat; quidquid fama in Scurrarum circulis & conventibus, in tonſtrinis, macellis, in foro, inter ſcyphos & aleas ſparſerat; quidquid Lutherani & Calviniani in ſuis libris, librorúmque præfationibus Scriptum reliquerant; quidquid Pictores & Fictores olim pinxerant & finxerant, congeſtis, inquam, his omnibus in unum cumulum, & infinitis mendaciis, convitiis, criminationibus, calumniis & infandis ſcommatis & ſarcaſmis adjunctis, ſine methodo, & nullo, niſi paginarum ſeſe mutuò ſubſequentium, ordine, repetitíſque identidem non bis, ter, quater, ſed decies, vicies, & ſæpiùs iiſdem næniis, monſtrum libri, non librum, in apertum extulerunt, quo certius & evidentius teſtimonium

(a) lib. de Theol. Jeſuit. & paſſim in examine.
(b) Orat. contra Scholas Jeſuit.
(c) In colloquio Jeſuitico.
(d) In aſſert. veteris ac novi Chriſtianiſmi.
(e) In Actione contra Jeſuitas.
(f) lib. de fide Jeſu & Jeſuitarum.
(g) In admonit. de pictura Pragenſi, & lib. contra P. Scherer & Roſenbuſch.

impudentiæ, & malitiæ diabolicæ adverſariorum noſtrorum, ne optare quidem poteramus, etiamſi optandi nobis copia fuiſſet facta; Bona interim ſpe ſumus, fore, ut, ſicut hactenus DEUS omnes hæreticorum in Societatem maledictiones clementer in benedictiones convertit: ita & nunc idem omnes execrationes & diras, quibus nos devovet Polycarpus unà cum ſuis ſodalibus, fauſto eventu donet. Ex quo enim tempore hæreticorum furoribus Societas exagitari cœpit, commemorabili incremento, non modò Collegiorum, ſed & hominum paſſim adaucta eſt: ita ut, cùm pauca admodum per Germaniam anteà domicilia haberemus, nunc multis in Civitatibus, magno cum emolumento rei Catholicæ, & præſertim Juventutis, parique hæreſum detrimento, florentia Collegia viſantur: Tantùm videlicet officiunt Societati noſtræ, inſanis ſuis clamoribus Prædicantes, qui velint, nolint, dum obeſſe volunt, proſunt. Aut enim excitant Orthodoxos, ut ardentiore affectu nos complectantur; aut certè faciunt, ut ad nos quoque pertinere arbitremur promiſſionem illam Chriſti Domini, plenam ſolatio, cùm ait: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

Matth. 5.

Nam quæ cauſa eſt, cur Polycarpus, & cæteri de genere eodem, tam malè nos oderint, funditúsque exciſos, & deletos percupiant? Diu multúmque cogitanti alia non occurrit, quàm qualiscunque antiquæ, & à majoribus acceptæ fidei contra Sectariorum *novellitatem* propugnatio: qua Societas hæc, jam à primo ſuo ortu, Eccleſiæ laboranti opem ferre ſtudet. Nam quòd dictitant nos *improbos*, *ſceleratos*, *flagitioſos*, *hypocritas*, & neſcio quid aliud, ac proinde communi odio dignos, faciamus id ita eſſe, in gratiam iſtorum Prænum; an verò nos ſoli improbi, ſcelerati, flagitioſi, hypocritæ? an non alii, grandi numero, iſtorum ſaltem opinione, iisdem ſceleribus implicantur? Audiamus Polycarpum mentientem: *Pontificiis*, inquit, *turpiſſimis ſceleribus & flagitiis ſeſe contaminare communiſſimum eſt: qualia ſunt; concubinatus, adulteria, ſtupra, fornicationes, maſculorum concubitus, Sodomia, & Idololatria.* Si igitur, ùt mentiuntur Prædicantes, crimina hæc, & probra enormia, tam familiaria ſunt Catholicis, quî fit, quòd in nos potiſſimùm inſurgunt, nósque ante omnes lingua & ſtylo petunt, perditósque & ferro flammísque exterminatos volunt? Quos eadem jungunt peccata, illos pari odio proſequi par eſt. Verumenimverò non ſcelera, non flagitia, vel noſtra, vel Orthodoxorum, ſed fides antiqua, ejúsque conſtans defenſio Prædicantes in nos exulcerat, & tabifico vulnere fauciat. Vident enim, ſalvis Jeſuitis, nunquam futurum, ut, quod reliquum eſt gregis Dominici in Germania, ipſi lupi rapaces faucibus cruentis devorent, & ad tartara ſemper duratura ſupplicio cruciandas animas Chriſti ſanguine reſperſas detrudant. Hæc princeps, & capitalis odii in Jeſuitas cauſa: hæc origo, & ipſiſſimum cubile.

Pag. 308.

Qua unica etiam cauſa moti olim Ariani Prædicantes, Magnum illum, & ob fidei Catholicæ contra hæreticam perfidiam, propugnationem, toto terrarum orbe celeberrimum Alexandriæ Patriarcham Athanaſium graviſſimis criminationibus inceſſere nunquam deſtiterunt, licèt ſæpiùs confuſi, & mendacii apertiſſimè convicti eſſent, etiam ab ipſis Imperatoribus. Et certè cùm rem attentiùs perpendo, & ea, quæ in ſuis Apologiis, memoriæ prodidit D. Athanaſius, percurro, clarè video, eodem modo & ſpiritu hodie cum Jeſuitis agere hæreticos Prædicantes, quo tunc Ariani præcones cum Athanaſio:

nam

nam cùm Athanaſium trucidare, ùt optabant, non liceret, invidiam illi omnium gentium & populorum conciliare totis viribus elaborârunt, fictis per ſummam contumeliam variis criminibus & flagitiis. Primùm enim objecerunt viro beatiſſimo conſpirationes & ſeditiones, quaſi Conſtantem ad bellum Conſtantio Fratri Orientis Domino inferendum incitâſſet. Hac techna cùm parùm profeciſſent, ecce tibi aliam, longéque graviorem. Spargunt non modò apud imperitam multitudinem, ſed & apud ipſum Conſtantium Cæſarem, Tyrannum Magnentium, qui Conſtantem peremerat, ab Athanaſio literis fuiſſe ſolicitatum, ut armis Conſtantium Orientis Imperio exueret, & quò major veriſimilitudo criminationibus adderetur, gloriabantur, ſe ejus rei epiſtolam, ab Athanaſio ad Magnentium datam, apud ſe habere. Apolog. ad Conſtantium. Ibid.

An non in iſto prototypo noſtros Calumniatores expreſſos videre licet? Quoties enim in hoc libro objiciunt nobis Polycarpus & Helias, conſpirationes & coitiones in perniciem Sacri Romani Imperii, totiúsque Germaniæ initas? Quoties Principes & Status Imperii monent, diligenter ut videant, quas peſtes & clades intra Reipublicæ viſcera alant. An non optant venire, qui nos in publicum proferre cogant literas & ſecreta neſcio quæ? Non enim eò impudentiæ proceſſerunt iſti Hiſtorici, ut dicerent, ſe conſpirationis literas domi ſuæ habere, quod improbiſſimè de Athanaſio dictitabant Ariani, & ante paucos annos de Jeſuitis publico ſcripto ſparſit Prædicans minimè ſanctus Oſiander. Pag. 83. & alibi paſſim. Pag. 127. In ſcriptis contra P. Sherer & P. Roſenbuſch.

Secundò calumniati ſunt Ariani & Meletiani Prædicantes, *frumentum navésque ab Athanaſio detentas, eúmque gloriatum eſſe dixerunt, quòd frumenti deportationem ex Alexandria Conſtantinopolim impedire poſſet. Hîc cùm Athanaſius ad tantas calumnias ingemiſceret, affirmarétque eas eſſe falſas, nec fieri poſſe, ut homo privatus & pauper tantum virium haberet, Euſebius ne publicè quidem detrectans Calumniatoris munus, dejeravit, Athanaſium perquam opulentum eſſe, & ſatis virium & auctoritatis ad iſta omnia patranda habere, ut ita veriſimilior calumnia videretur.* Apolog. ſecunda in epiſt. Synodi Alexandrinæ.

An non eodem modo cum Jeſuitis novi Criminatores agunt, dum calumniantur, omnes Principes Orthodoxos in Jeſuitarum poteſtate eſſe, nihil nobis nolentibus fieri poſſe, nos cuivis Crœſo opibus præſtare, denique totum mundum Catholicum imperio & nutu noſtro gubernari? Pag. 207. Pag. 89. & ſeq.

Tertiò objecerunt Ariani Prædicantes ſanctiſſimo Epiſcopo cædes & homicidia, præſertim Arſenii, qui tum maximè vivebat, quando Calumniatores Athanaſii publicè & privatim Arſenium ab Athanaſio interfectum eſſe, impudenter clamitabant. Eandem calumniam conjiciunt in nos noſtri hæretici, dum præter alias cædes, quarum auctores nos paſſim faciunt, profligatiſſimè mentiuntur, nos occidere ſolitos ex Fratribus noſtris, quos Coadjutores appellamus, eos, qui durioris & præfractioris ſint animi & ingenii. Ibid. Pag. 44.

Quartò objecerunt Ariani Prædicantes Athanaſio libidinem & impudicitiam, muliere impudica ſubornata, & in publicum Tyri conventum contra Athanaſium introducta. *Ibi introducunt Ariani*, inquit Theodoretus, *mulierculam impuræ vitæ, ea clamabat ſibi virginitatem profeſſæ, ab hoſpite Athanaſio per vim vitium oblatum eſſe. Hæc cùm illa diceret, ingreditur reus comitatus laudabili Presbytero Timotheo. Jubentibus autem Judicibus, ut defenſione uteretur Athanaſius, tacuit ille, quaſi Athanaſius non eſſet. Timotheus verò converſus ad mulierem: egóne, inquit, mulier unquam tecum conſuevi, aut introii in domum tuam? At illa impudentiore cum clamore adorta Timotheum, manúque prolata digito eum deſignabat: Tu, inquiens, virgi-* Lib. 1. hiſt. cap. 30.

virginitatem mihi eripuisti : tu me castitate spoliâsti, quæque alia solent effutire magnitudine impuritatis profligati pudoris fæminæ. Atque ita cum summa infamia eorum, qui fabulam composuerant, erubescentibus Judicibus, quot quot conscii erant, dimissa est muliercula.

Pag. 98. Hoc flagitio toto pectore annititur flagitiosus Apostata dehonestare nostram Societatem, ùt & alii Lutherani verbi ministri. Sed eodem hactenus, Dei clementia, successu, quo Ariani ministri crimen hoc objectabant Athanasio, nempe non cum nostro dedecore, sed cum sua, suorúmque ignominia & macula, ùt posteà suis locis constabit, quando singulas hujus generis calumnias excutiemus.

In Apolog. secunda. Pag. 206. Quintò objiciebant Ariani, homines planè impii & athei, Athanasio impietatem, quasi poculum mysticum, hoc est, calicem, ex quo sanguis Domini dispensabatur, confregisset. Hîc quidem Calumniatores nostri, quod ad Calices sacros attinet, silent, probè sibi conscii, quot Calices in frusta minuta conciderint, sed alio calumniæ genere nos appetunt, quasi Monasteriis immineamus, Monachósque avitis suis possessionibus depellere conemur. At quod Synodus Alexandrina pro Athanasio respondit, id pro nobis quoque Calumniatoribus istis respondere licet. Loc. cit. *Quæ cura*, inquit Synodus illa, *mystici poculi ab illis expectanda est? Aut unde impietatis in Christum antesignanis ulla de mystico poculo religio? Aut unde illi, qui Christum non cognoscunt, poculum Christi cognitum habent? Aut cur Domini Calicem se in reverentia habere simulant, qui Christum Dominum contumelia afficiunt? Aut quonam pacto calicem deplorant, qui Episcopum mysteria, sacráque in eo facientem occidere satagunt, & quantum in ipsis est, jam occiderunt?* Pari modo dicam ego: Quæ cura Monasteriorum & Monachorum ab istis hæreticis expectanda est, qui tot Monasteria religione & opibus tam florentia diripuerunt, & in profanos usus jam dudum converterunt, Monachósque aut malè mulctatos in exilium ejecerunt, aut diris̃imis suppliciis ex hac vita exterminârunt? Scilicet tangit istos Monasteriorum & Monachorum conservandorum cura. Talis nimirum, qualis cura tangit lupum, ut conservetur ovis, quò sibi cedat in prædam. Sed de hac criminatione plura suo loco.

Sextò impudentissimè mentiebantur Ariani Spermologi, Athanasium à paucis & in loco obscuro post obitum Alexandri ad Episcopalem dignitatem evectum, cùm tamen præter plurimos Episcopos totus populus Catholicæ Ecclesiæ in unum coactus, *quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus*, vociferationibúsque postulaverit, Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis à Christo expetiêrit. Eodem modo effundunt Historici nostri in hoc suo libro plurima passim mendacia, quorum contrarium totis civitatibus & provinciis accuratè exploratum est, ùt passim videbimus in Confutationis decursu.

Passim hoc apparet in utraque Apologia & in aliis D. Athanasii scriptis. Septimò Ariani Prædicantes nunquam fatigabantur calumniando & mentiendo. Hinc consumptis & ab Athanasio aliísque veritatis amatoribus confutatis prioribus calumniis & mendacissimis criminationibus, statim novas texebant, recentésque mendaciorum campum ingressi, furiosissimè in Athanasium debacchabantur. Idem genius & spiritus nostros Calumniatores exagitat. Nunquam destituuntur calumniandi & mentiendi materia. Veteribus calumniis partim à nobis, partim ab aliis Catholicis solidè & verè refutatis, novas semper promunt, homines tam duri oris & ferreæ frontis, ut, licèt sæpissimè, toto mundo testante, mendaciorum atrocissimorum palàm sint convicti, à mentiendi tamen & calumniandi incœpto non desistant.

Plura

Plura adducere poſſem, in quibus Ariani & Lutherani Calumniatores propè ſunt gemelli, ſed ex his prudens Lector nullo labore intelliget, hæreticos noſtros mutuari & quaſi hæreditario jure accipere à priorum ætatum hæreticis, majoribus ſuis, calumniandi, criminandi, convitiandi, & ex corroborato habitu ſuaviter & delectabiliter mentiendi, & quidvis comminiſcendi, veſanam libidinem, projectámque audaciam, Catholicos verò ab Anteceſſoribus ſuis Catholicis & Orthodoxis mutuari & accipere, in veræ fidei defenſione, conſtantiam, & in perſecutionibus injuriísque perferendis tolerantiam.

Sed regredior ad Polycarpum, qui in ſua impudentiſſima Epiſtola, qua R. P. N. Generali Claudio Aquavivæ commentitiam Hiſtoriam inſcribit; ait: *ſe librum ab Helia compoſitum, eo conſilio edidiſſe, ne periret labor, quem in rebus Ignatii, noſtræque Societatis poſteritati commendandis, Sycophanta ille inſumpſerit.* At verò neque egemus, neque etiam Polycarpi, ejúsque ſimilium Calumniatorum operam, ad optimi Parentis noſtri, rerúmque à Societate hactenus geſtarum memoriam conſervandam, deſideramus. Neque etiam Joannes Petrus Maffejus, cùm ſcripſit vitam & res geſtas Ignatii, ejuſmodi eſſe, ut dignæ ſint, in quibus immortalitati commendandis, omnium Scriptorum certet induſtria, tales Hiſtoricos animo & cogitatione informavit, qualis Polycarpus, Helias & ſimiles, quibus mentiri, & quidem petulantiſſimè mentiri, merus jocus & ludus eſt; ſed veritatis ſtudioſos & amantes ad hoc hiſtoriæ edendæ munus accendere voluit, qualis neque Polycarpus eſt, neque Helias fuit, neque etiam illi ſunt, qui Polycarpo materiam hiſtoriæ augendæ, &, ùt ipſe loquitur, *typis plenè adornandæ*, ſuppeditârunt: quibus omnibus, ùt ille ait, mos eſt, *nihil veri ſaníve profari;* quippe compoſitis ex mendacio & calumnia, tanquam ex duobus eſſentialibus principiis. Præfat. in vitam P. Ignatii.

At par erat, inquit Polycarpus, *ut tandem extaret Hiſtoria, qua multorum Jeſuitarum ſodalitatem, ritus, mores, & inſtituta cognoſcere aventium, ardens deſiderium expleretur.* An verò non extabant tres libri Maffeii de vita Ignatii Loiolæ, ejus, qui primus Societatem JESU fundavit? An non extabant de eodem argumento libri quinque Petri Ribadeneiræ? An non idem Ribadeneira antè in Germanicam linguam translatus fuerat, quàm mendax hæc Hiſtoria typis excuſa? Itaque ſi Helias & Polycarpus, ejúsque adjutores res Ignatii & Societatis verè, perſpicuè & ſolidè, ùt in titulo mendaciter pollicentur, narrare, & non potiùs calumniari & convitiari volebant, nihil omnino cauſæ erat, cur actum agerent, & poſt Homerum Iliadem, hoc eſt, poſt Maffeium & Ribadeneiram vitam Ignatii & Societatis primordia literis mandarent. Jam enim Lectori etiam curioſo, abundantiſſimè & copioſiſſimè ſatisfactum erat, præſertim à Ribadeneira, qui Societatis ortum, progreſſum, ſtatum, gradus, mores & conſuetudines accuratiſſimè perſequitur. Sed dicet fortaſſis Polycarpus, qua eſt in Jure peritia, *teſtes domeſticos non eſſe audiendos.* Primùm, ſi diſplicebant Maffeius & Ribadeneira, Hiſtorici ex Societate noſtra, poterant iſti adire Didacum Payvam Luſitanum, inſignem Theologum; qui lib. 1. Orthodox. Explicationum contra Kemnitium, Societatis initia & Ignatii converſionem multò veriùs & elegantiùs exponit, quàm Polycarpus Leiſerus, cui ùt mentiri, ita Solœciſmos committere ab ineunte ætate ſolenne eſt & uſitatiſſimum, teſtibus ipſis etiam Auguſtanæ confeſſionis non paucis ſectatoribus, qui jam pridem Prædicantem iſtum, ob ſingularem inſcitiam, In novis novorum.

ſtu-

ſtuporémque nimium toti Germaniæ ſalſis carminibus & epiſtolis ridendum & exſibilandum propinârunt. Poterant inſuper adire Laurentii Surii rerum in orbe geſtarum commentarium: & inde etiam, ſiti ſuæ, ſi quam habebant, ſatiandæ, materiam petere. His adjungere licebat orationes ternas doctiſſimorum & eloquentiſſimorum hominum contra fictitium & larvatum illum Equitem Polonum: quæ omnes in lucem priùs exiêrunt, quàm liber Polycarpi publicaretur; ut taceam reliqua doctorum monumenta; quorum non pauca, pro Societate & Latina & Germanica lingua, omnium manibus teruntur.

ff. de teſtibus. L. Teſtes.

Deinde conſideret, quæſo, Polycarpus verba Juriſperiti: *Teſtes*, inquit, *eos, quos Accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit.* Nos Maffeium & Ribadeneiram non producimus, tanquam accuſatores, ſed ut à falſis accuſationibus & criminationibus veſtris, nos, Parentémque noſtrum Ignatium defendamus, patrocinium Hiſtoricorum illorum imploramus. Præterea ut maximè in teſtes advocemus modò nominatos Auctores, nihil contra jus & æquitatem peccamus. An neſcit indoctus Criminator, in cauſis Collegii & Univerſitatis conſortes, rectè in teſtes adhiberi, ídque eo Jure, quod licèt Lutherus publicè flammis exuſſerit, non ita tamen aſpernantur plerique Lutherani Jureconſulti, ut dedignentur appellationem ab eo petere, dum ſe *Juris utriusque Doctores*, & dici & haberi volunt. Accedit, quòd ſi teſti de domo fides omnis abneganda eſt, primò omnium omnis fides deneganda ſit Heliæ Haſenmillero. Unde enim prodiit? Unde profugit? Nónne ex domo noſtra? Cur igitur Lutherani teſti domeſtico credunt? Adde, quòd pleráque, quæ de nobis narrat, teſtimoniis noſtrorum, in his non rarò Ribadeneiræ, quamvis fide & fronte ſolita, id eſt, mendaciſſimè, confirmat. Imperitè ergo faciunt Lutherani, ſi Haſenmillero fidem ullam adhibendam putent: tum quia Jeſuitarum, teſtium ex domo, teſtimoniis ferè utitur in ſua hiſtoria: tum quia illa ipſa teſtimonia vaniſſima ſunt, & non à noſtris data; ſed ab ipſo perfuga per ſummam injuriam conficta. Quamobrem ſi Haſenmillerum inimicum ac fugitivum contra omnes æquitatis leges, noſtros contra nos producentem, audiendum cenſent, non video, qua ratione attentionem & benevolentiam nobis denegent, dum nos noſtros pro nobis producimus, maximè cùm omnes illi, quibus hucuſque lucis uſura obtigit, & quos Helias teſtes laudat, uno ore fateantur; Heliam, ut Sycophantæ perſonam egregiè ſuſtineret, non quæ ipſi dixerint, ſed quæ ipſemet finxerit, chartis ſuis intexuiſſe.

Vide extra de Jurejur. c. etſi Chriſtus, & de teſt. c. inſuper. c. cùm nuntius. & c. tertio loco, de probationib.

Deinde quæro, quo nomine, ſive, ut ita loquar, titulo fidem habere velint Polycarpo aut Heliæ? An ùt Hiſtorico? Atqui Hiſtoricum, poſita in hanc illámve partem voluntatis inclinatione, nihil præter ſolam nudámque veritatem ſpectare oportet, quam ipſe toto ſuo libro ne à limine quidem ſalutavit, ita ab illa averſus, ut, ſi quando quidpiam veri protulit, veritas non niſi invito & reluctanti exciderit: quod ipſe Polycarpus animadvertit in hiſtoriæ titulo, eam non veram, ſed *veritatis inquirendæ cauſa*, ad Generalem Jeſuitarum Præpoſitum Claudium Aquavivam miſſam, pronuncians. Si non invenerant veritatem, mortalium miſerrimi, cur ergo ad Hiſtoriam ſcribendam acceſſerunt? An non priùs veritatem repertam oportuit, cùm prima Hiſtoriæ lex ſit *veritas*? Sed bene habet: reperta eſt veritas, quæ clara voce in totius Germaniæ Theatro Sycophantas iſtos temeritatis, falſitatis, & infinitorum mendaciorum redarguit, dignósque declarat eo ſupplicio, quod jam dudum ab Imperatoribus decretum eſt illis, qui libellos famoſos edunt, & ex alieni nominis ruina,

C. De famoſis libellis.

vel

vel nomen, vel voluptatem ſibi quærunt. Et quæ hæc pœna? Audiamus Imperatorum Edictum: *Si quis famoſum libellum, ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit: aut corrumpat priùs, quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non ſtatim eaſdem chartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit: Sciat, ſe quaſi auctorem hujuſmodi delicti, capitali ſententiæ ſubjugandum.* Hæc illi. Dicet fortaſſis Polycarpus, Hiſtoriam ſuam, cùm nomen Auctoris adſcriptum ſit, inter libellos famoſos minimè habendam. At verò cujus nomen adſcriptum eſt? Mortui videlicet, qui, ſi ex inferis ad vivos reverteret, bonam illius libri partem negaret eſſe ſuam, ſed vel Polycarpi, vel ſimilium Veſpertilionum. Atqui perinde eſt, ſive nullum, ſive mortui nomen ſcriptis, quibus aliena fama proſcinditur, præfigatur: Ut enim ignotus & incertus auctor cogi nequit, ut probet, quæ ſcripſit: ita neque is, qui è vita deceſſit. Cùm igitur Polycarpus apud ſe depoſitas infames chartas ejus Hiſtoriæ, quæ nemini prorſus parcit, ſed aculeatiſſimis maledictis omnes Catholicæ Profeſſionis Ordines inceſſit: non tantùm non *corruperit*, *ignéve conſumpſerit*, ùt lex Imperatorum mandat, ſed vim earum toti mundo *manifeſtaverit*, nihil ſupereſt, quàm ut legis pœnam exſpectet, & debitum admiſſi facinoris ſupplicium luat. Sed progrediamur.

An quiſpiam credet Heliæ, tanquam flagitiorum à Jeſuitis perpetratorum teſti aut accuſatori in judicio totius Germaniæ? Atqui teſtem omni infamia carere oportet, præſertim Juris: Sed Apoſtatæ & Transfugæ *ipſo jure* perpetua infamia notantur: Non erit igitur idoneum ipſorum teſtimonium, præſertim ſi illi Ordini diem dicant, à quo flagitiosè deſciverunt. Quis enim deſertor laudavit unquam Ordinem, quem deſeruit? C. de Hæret. Manich. & Samar.

Jubet præterea Jurisconſultus, teſtium fidem diligenter examinare, ideóque, *In perſona eorum*, inquit, *exploranda erit inprimis conditio cujuſque: utrum quis Decurio an plebeius ſit; & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an verò notatus quis & reprehenſibilis: an locuples, vel egenus ſit, ut lucri cauſa quid facilè admittat: vel an inimicus ei ſit, adverſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei, pro quo teſtimonium dat.* Hac æquiſſima conditione, quam Jus ipſum & æquitas à teſtibus requirit, quis damnari metuat, Haſenmillero, Polycarpo, & aliis hujus claſſis teſtibus, quibus nihil vilius, nihil abjectius & contemptius? qui odium in Jeſuitas non premunt alto pectore, ſed in propatulo omnibus exponunt, & quidem odium non vulgare, ſed inexſaturabile, & fermè majus, quàm hominis in hominem eſſe queat. Vicero, quocunque Judice cum his teſtibus contendero, maximè cùm ad inimicitias ſumma quoque levitas & inconſtantia in verbis eorum & ſcriptis accedat. Nam *teſtes, qui adverſus fidem teſtationis ſuæ vacillant, audiendi non ſunt*, inquit Jurisperitus. Quid autem Hiſtoricis noſtris mobilius, & mutabilius, & in contradictionibus multiplicandis & cumulandis inconſideratius, ſibíque minùs conſentiens? quos à ferendo teſtimonio furor itidem & amentia excludit. Explorati enim & conſtituti juris eſt, eos, quibus mens mota loco, pro teſtimonio dicere non poſſe. At Polycarpo, Haſenmillero, aliíſque, quorum ſtudio & opera liber deterrimus lucem aſpexit, quid amentius & inſanius? qui quaſi furiarum ardentibus tædis agitarentur, tot tantíſque convitiis totam hiſtoriam inferſerunt, ut nihil aliud eſſe videatur, quàm continuus quidam & nuſquam interruptus furor; qui, ùt rectè quidam dixit, *ſceleris & audaciæ comes eſt.* ff. de teſtibus L. Teſtium.

18

Fórtaſſis Accuſatorum nomine ſeſe túeri volent. Sed quàm multa eſſe oporteat in iis, qui alterum, non dicam totam multorum millium Societatem accuſant, minùs fortaſſis perpendit Polycarpus. Marcus Tullius exigit primò omnium integritatem, atque innocentiam ſingularem. *Nihil eſt enim*, inquit, *quod minùs ferendum ſit, quàm ratio-*
Divinat. in Verrem. *nem vitæ ab altero repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere.* Deinde, inquit M. Tullius, *accuſatorem, firmum verúmque eſſe oportere.* An has notas in his Jeſuitarum accuſatoribus animadvertere licet, an potiùs ne umbra quidem earum in illis eluceſcit? Quales enim immaniſſimorum ſcelerum accuſant Jeſuitas, & ſub Jeſuitarum integumento omnes S. R. Imperii Proceres, qui majorum ſuorum veſtigia ſecuti ad Lutheranam Synagogam non tranſiêrunt? Hæretici videlicet, Prædicantes, fugitivi, Apoſtatæ, perfugæ, jurati & capitales veritatis & æquitatis hoſtes, livore, præcipitíque audacia cæci, adeóque demen-tes, ut odium, mentiendíque ſtudium, quo inflammati ad accuſandum acceſſerunt, ne erumperet, continere minimè potuerint; quo ipſo, omnem auctoritatem, omnem boni & probi, veracíſque viri exiſtimationem penitus ſibi detraxerunt, calumniatorúmque & effrontium convitiatorum nomen meritiſſimò ſubiêrunt.

Orat. pro Deiotaro. Narrat M. Tullius, Cneum Domitium; cùm Tribunusplebis M. Scaurum in judicium populi vocâſſet, Scauríque ſervus ad eum clam domum veniſſet, & crimina in Dominum delaturum ſe eſſe dixiſſet, comprehendi hominem juſſiſſe, ad Scaurúmque deduci. Quantum, bone Deus, diſcriminis inter Domitium Ethnicum & Leyſerum Chriſtianum, &, ſi Superis placet, *Theologiæ Doctorem*, ſincerique verbi Miniſtrum. Ille ſervum ad ſuum Herum retrahi, pœnas promeritas attentati ſceleris luiturum, mandavit: Polycarpus verò, cùm à deſertore, & apoſtata noſtræ Societatis, chartas infamiæ & dedecoris plenas accepiſſet; eas non tantùm diligenter cuſtodiit, ſed & auctas poſtmodum, & magna acceſſione partim à ſe, partim à neſcio quibus noctuis locupletatas, cum toto mundo communicavit; Divinis, humanísque legibus reclamantibus, defuncto jam & ad inferos avocato apoſtata; cui abjectus Præco parentat quoque funebri Encomio: *Feliciter*, inquit, *ex hac ærumnoſa vita ad cæleſtem Eccleſiam emigravit.* Rectiùs dixerit: *ad ſceleſtam Eccleſiam.* Nam quis alius locus debebatur Apoſtatæ tam turpi & flagitioſo? neque etiam placidè, ùt iſte mendaciter inſinuat, ſed, ùt ex fide dignis accepimus, vocibus horrificis & blaſphemis in cælum Deúmque ejectis, & facie, præter morientium conſuetudinem, in nigrorem, futuri domicilii indicem, commutata, ex hac vita ab ærumnis ad ærumnas multò maximas, æternúmque duraturas diſceſſit infelix Magiſtelus: quem neque ad Catholicæ fidei profeſſionem, neque ad Societatem noſtram, ullis blandimentis, ùt ipſe mentitur, invitavimus.

Pag. 318. Ultrò enim à nemine vocatus anno 1582. ad Collegium Ingolſtadienſe, noſtris planè incognitus, ſqualore pannísque obſitus venit. A Collegii Rectore interrogatus, quid eum permoviſſet, ut Lutheraniſmum deſereret; reſpondit, à tribus Prædicantibus ſe Scripturæ cujuſdam ſenſum percontatum, pugnantia planè à ſingulis accepiſſe reſponſa: in quibus contrariis explicationibus, veritas atque unitas Religionis eſſe non poſſet. Religionis igitur Catholicæ documentis & myſteriis inſtrui ſupplex petiit. Exauditus eſt, dati ſunt libri eam ad rem idonei, attributi Magiſtri, quibuscum de dubiis conferret. Re diu multúmque conſiderata, cauſísque converſionis ſcripto, bene longo, conſignatis, hæreſin abjuravit, fictè an ſeriò, Deus novit. Tunc certè nulla vel minima fictionis veſtigia notari poterant. In-

Interea creſcebat, ùt videbatur, religione & ſpiritu; in Societatem noſtram cooptari multis precibus contendit. Noſtri, quibus ex Conſtitutionum præſcripto mos eſt, neminem, niſi diuturnis experimentis probatum, in Societatem allegere; jubent, ut rem Deo diligenter commendet, ne quid temerè & præcipitanter decernat, etiam atque etiam monent. Ille inſtare nihilo ſecius, & perpetuò urgere Superiores. Tandem aliquot menſibus conſtantiæ periculo facto, Landſpergam, ut iſthic Religioſæ vitæ Tyrocinium poneret, miſſus eſt: inde Romam, Româ denuò Landſpergam; unde etiam, tempore probationis nondum exacto, ſeſe proripuit, arrepta fuga, imò arreptis etiam, parùm bona fide, nonnullis libris & pecuniis, ne vacuus reverteretur ad ſuos. Auguſtæ à ſuo Cognomine & Gentili Millero humaniter acceptus, &, ne inveniretur, occultatus eſt, editis priùs publicè in fæminas obvias iis argumentis, quæ, quàm ſanctè & caſtè in poſterum victurus eſſet, ſatis ſupérque demonſtrabant. Et cùm jam memoria ipſius fermè intercidiſſet; ecce tibi, nono à defectione anno, prodit Hiſtoria Ordinis Jeſuitici, cœpta quidem ab Helia, ſed aucta à Polycarpo, aliísque, non nemini notis.

Neque verò eam ob cauſam plus auctoritatis & ponderis habere debet narratio Heliæ, quòd in Societate Tyro ſeſquiannum vixerit: non enim ea, quæ vidit; ſed quæ ipſe improbiſſimè confinxit, literis commendavit: Et cùm alii nonnulli pluribus annis nobiſcum verſati, tandem relicta Societate, ad Lutheri & Calvini caſtra ſeſe tranſtulerint, nulli tamen hactenus extiterunt, qui talia nobis crimina & flagitia adſcriberent, qualia Haſenmillerus, procul dubio non tacituri, ſi tantarum labium nota Societatem verè adſpergere potuiſſent: non enim magis amabant nos & noſtra, quàm ſoleant Apoſtatæ amare Ordines, quos deſeruerunt. Verùm Helias cum Polycarpo, reliquis omnibus longè impudentior & ſceleratior; perfecit tandem, quod nemo illorum tentare auſus fuit, ut toti mundo patefaceret, quanto ad mentiendum, calumniandum & conviciandum ingenio polleret. Deinde cùm quis ſe profitetur Apoſtatam Religioſi Ordinis, eo ipſo omnem illi fidem ademptam oportet. Nam quis unquam ab ulla DEO dicatorum hominum familia deſcivit ad adverſarios, qui flagitiis ſuis velandis, non ſtatim ſexcenta ſcelera, quibus innocentes oneraret, fæcundo mendaciorum pectore deprompſerit? Neque aliter facere tranſfugæ poſſunt, niſi ipſi ſe condemnare, & proprio gladio jugulare velint: quod eveniret, ſi Ordinem, ex quo ſeſe turpi fuga proripuerunt, laudarent, & non potiùs ſummo conatu vituperarent.

At Hiſtoricus non tantùm ſæpiùs in ipſo progreſſu, ſed & initio Hiſtoriæ pollicetur *ſummam fidem*, eandémque ſe præſtitiſſe, ſub finem libri gloriatur, dum gravi (ſcilicet) Epilogo perorat. Quem quæſo prudentem moveant obteſtationes & teſtificationes ejuſmodi hominum, quos, cùm fidem & modeſtiam promittunt, jure cenſeas, non ſeriò, ſed ironicè loqui. Itaque cùm ſpondent fidem, perfidiam: cùm modeſtiam, calumniam: cùm veritatem, falſitatem expectare debemus. Quòd cùm aliis omnibus Hæreticis familiare eſt, tum Heliæ & Polycarpo in hac Hiſtoria familiariſſimum, ac pænè proprium, cujus in ſingulis ferè periodis ſuæ Hiſtoriæ documenta edunt.

Cæterùm, quòd criminatores iſti tot calumniis vitam noſtram onerârint, id non tam mirum mihi accidit, quàm quòd de doctrina, noſtrorúmque in rebus Theologicis ſententiis tam effusè auſi fuerint mentiri, longiſſimo ea de re capite contexto ex Kemnitio & Donato Gotuiſo, de Scriptura, de perſona & officio Chriſti, de Spiritu ſancto, de Angelis, de Imagine Dei in homine, de providentia Dei, &c. (ita enim

enim inepti & indocti ſunt iſti, ut, niſi à Kemnitio, aliísque doctrinam noſtram, vel potiùs omnium Orthodoxorum communem, calumniis inſectandi materiam emendicâſſent, liber illorum haud paulò minor in lucem exîſſet) Nam vita & mores, non incurrunt in omnium oculos: Quare non valde arduum eſt, aliquid comminiſci, cui, ſi non ab omnibus, ſaltem ab aliquibus, plus nimio credulis, fides adhibeatur. Verùm de illorum doctrina adeò projectè & audacter mentiri, qui non in angulis, ſed in præcipuis totius Germaniæ Academiis, publicè docent, quorum ſcripta & dictata tot Diſcipuli quotidiè excipiunt; quorum libri typis excúſi omnium manibus teruntur, præcipuè Bellarmini & Gregorii de Valentia: Ex quorum Academiis, Ingolſtadienſi præſertim, Dilingana, Herbipolenſi, Moguntina, Trevirenſi & Græcenſi, tot Diſputationes de omnibus fidei controverſiis huc uſque prodiêrunt, & adhuc quotidiè prodeunt, cujus oris & pectoris ſit, prudentem Lectorem arbitrari volo. Et tamen effrontes iſti ſcurræ & Thraſones tam ſplendidè de doctrina noſtra mentiuntur & fabulantur, ac ſi æquè arcana & ab hominum notitia remota eſſet, atque olim ſacra Cereris, & myſteria Pythagorica. Licuerit olim Kemnitio, circa annum 1560. quidvis comminiſci de Jeſuitarum doctrina; tum videlicet, cùm Societas vix in Germania cognita eſſet, paucósque libellos potiùs, quàm libros publicâſſet: Sed jam tot voluminibus de omnibus fidei noſtræ capitibus in lucem emiſſis, effrontem prorſus & proſtituti pudoris eum eſſe oportet, qui tam liberaliter & ſplendidè de noſtra doctrina mentiatur, maximè cùm hominum Societatis proprium ſit in libris edendis, quoad ſententias, tritas præſertim & in ſcholis approbatas, ſeſe mutuò conformare. Nam in quæſtionibus, quas fide tenemus, non modò nos, ſed & omnes Catholici concordibus animis conveniunt.

Itaque quicquid iſti opinionis nobis affingant de ſacra Scriptura, de Angelis, de Eccleſia, Sacramentis, &c. appello & provoco Lectorem mendaciorum hoſtem & veritatis amatorem, ad Tomos & libros Gregorii de Valentia, Bellarmini, Ludovici Molinæ, in primam partem D. Thomæ, Franciſci Soarez in tertiam partem ejusdem D. Thomæ, Franciſci Turriani, Petri Caniſii, Theodori Peltani, Joannis Duræi, Edmundi Campiani, Petri Thyræi, Joannis Buſæi, Nicolai Serarii contra novum Hæreticum Filidinum, Petri Scargæ, Laurentii Arturi, Benedicti Pererii, Franciſci Riberæ, Antonii Poſſevini, Hieronymi Torrenſis, Joannis Haii contra Nemauſenſes Miniſtros, Petri Michaëlis Colonienſis, Henrici Blyſſemii, Franciſci Coſteri, Georgii Schererii, ut alios prætéream. Provoco ad Diſputationes & prælectiones Profeſſorum in ſupradictis Academiis, quæ à tot Diſcipulis quotidie audiuntur & excipiuntur. Niſi Lector ex hoc ſolo capite, horum Sycophantarum, multas centurias mendaciorum annotandi uberem materiam habuerit, non abnuam, quò minùs ego mendax & vaniſſimus Sycophanta ab omnibus habear. Non diſputo jam, utrum Societatis noſtræ doctrina ſit vera, an falſa; hoc in præſenti minimè agimus (quanquam cùm non ſit alia, quàm doctrina Eccleſiæ, ſine dubio veriſſima eſt) tantùm contendo, Hiſtoricos iſtos infideliter, aut potiùs perfidiſſimè & falſiſſimè noſtras de præcipuis fidei noſtræ articulis ſententias expoſuiſſe. Hoc, collatis & comparatis Theologorum noſtrorum libris cum Polycarpi & Heliæ calumniis, quivis, cuicunque ſectæ ſit addictus, deprehendere poterit, dummodò velit: & ut velit, non à me, ſed ab ipſa veritate exorari ſe facilè patietur, niſi veritati penitùs valedixerit, id eſt, ùt ego interpretor, omnem rationem, & ratiocinandi facultatem

tem funditus exuerit & amiſerit. Nec refert, quòd Polycarpus & Helias, teſtes earum opinionum, quas narrant, citent interdum nominatim quoſdam ex Noſtris. Nam quæ Jeſuitarum doctrina ſit; non ex obſcuris ſermunculis, ſed ex ipſorum libris, qui jam DEI munere, magno numero extant, judicandum eſt: quorum lectione diſcet Lector, magna figmenta ea eſſe, quæ ſeſe ex hoc vel illo Jeſuita, in neſcio quibus angulis, de hoc vel illo fidei articulo inaudiſſe mentiuntur. Non enim aliter loquimur de quæſtionibus Theologicis privatim, quàm loquamur & diſputemus publicè in Academiis, ſcribamúsque in libris, qui typis excuſi ad poſteritatem tranſmittuntur. Et ſi Impoſtores iſti tam ſine fronte & pudore mentiuntur, quod ad doctrinam attinet, de Gregorio Valentiano, de Controverſiſta Romano (ita enim appellat Helias Bellarminum) de Turriano, de Cenſura Colonienſi, ſive ea à noſtris ſit compoſita, ùt volunt Hæretici, ſive ab aliis Theologis: Si, inquam, de his, quorum libri toto terrarum orbe notiſſimi & clariſſimi, tanto cum fructu ab omnibus evolvuntur, tam abſurda & abſona comminiſcuntur, quid mirum, ſi eadem licentia, fingendíque immenſa cupiditate, infamare conentur falſarum opinionum impoſitione, illos, qui nulla ingenii ſui monumenta reliquerunt? Pag. 275.

Porrò cùm benevolus Lector Heliam & Polycarpum in hoc de doctrina noſtra capite, tot támque manifeſtis mendaciis penitus conſtrictos, ne ulla ratione elabi poſſint, tenebit; ecquonam modo animum inducet, ut illis credat in reliquis hiſtoriæ partibus? An, qui tam projectè & craſsè mentiuntur de doctrina, quæ per totum mundum diſſeminata cognoſci poteſt à quovis, qui literis vel modicè tinctus ſit, abſterrebuntur ullo timore aut pudore, quò minùs in vitam & mores, qui minùs in hominum ſenſus incurrunt, mendaciis & calumniis petulantiſſimè graſſentur?

Quamobrem ùt olim Lacones Regis cuiuſdam petitionem unico negationis verbulo, *Non*, rejecerunt: ita eadem vocula longiſſimam criminatorum iſtorum loquacitatem, & accuſationis ſeriem jure optimo repellere poſſemus. Nec timendum nobis eſſet, ne apud æquos rerum æſtimatores minus ponderis & momenti haberet noſtra inficiatio, quàm ejuſmodi hominum tanta infamia laborantium inconſtans, & mendaciis, calumniis & contradictionibus ſcatens accuſatio.

Narrat Valerius Maximus, M. Scaurum cùm à Vario Sucronenſi homine nihili accuſaretur, quòd à Rege Mithridate ob Rempublicam prodendam pecuniam accepiſſet: non alia, quàm hac defenſione uſum: *Varius Sucronenſis Æmylium Scaurum regia mercede corruptum, Imperium populi Romani prodidiſſe ait: Æmylius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat: utri creditis?* communibúsque populi ſuffragiis abſolutum eſſe. Pari modo ſi hac ſola defenſione uterer: *Polycarpus Prædicans & Helias Apoſtata accuſant Jeſuitas immaniſſimorum criminum: Jeſuitæ negant, ſe illis criminibus eſſe affines: quibus creditis Germani?* Non dubito, quin ex ipſis quoque Proteſtantibus prudentioribus & cordatioribus nonnullos reperirem, qui conſtanti clamore ab hac *dementiſſima actione* Polycarpum depellerent, Et verò cur hanc defenſionem aliquando non adhibeam, cauſæ nihil video. Affirmat Helias, Jeſuitas hoc vel illud ſcelus commiſiſſe, affirmat, inquam, tantùm, neque probat. Cur mihi & aliis, quos tantis criminibus onerat, non liceat totam accuſationem unica negatione diluere? Nullo enim jure jubemur plus facere, quàm negare id, quod objicitur, donec Adverſarii probatione aliqua probabili, accuſationi ſuæ fidem faciant, niſi fortè expectant Prædicantes, ut ex ſacra Scriptura demonſtrem, Jeſuitas hos aut illos, qui in Polycarpi libro nominatim variorum criminum in- Lib. 3. cap. 7.

ſimulantur, nihil eorum, quæ objiciuntur, admiſiſſe, ita, ut poſthac non modò controverſias fidei ineptè ſolis ſacris literis, ſed & quæſtiones de facto particulari, quod, judicio ipſorum, nudius tertius acciderit, terminare velint.

At Hiſtoricus noſter non ſemper dicit tantùm, ſed & probat interdum, quæ dicit, maximè noſtrorum hominum, & aliquando aliorum etiam teſtimonio. Primùm, ſi quos alios teſtes producit, eos non niſi ſui ſimiles producit, id eſt, hæreticos & Prædicantes, capitales Jeſuitarum hoſtes, qui tam idonei ſunt ad teſtimonium contra Jeſuitas ferendum, quàm illi, quos Phariſæi produxerunt in domo Caiphæ contra JESUM. Deinde, ſi quos noſtros hoc aut illud dixiſſe aut feciſſe Noſtrorum auctoritate confirmare conatur, id non niſi mendaciter facit, cum pleriſque enim, quos in hac Hiſtoria Helias præcipuos teſtes laudat, egi, & num hoc aut illud ita ſe haberet, ùt Hiſtoricus iſte refert, ſciſcitatus ſum. Omnes auctoritatem defugiunt. Omnes Heliam & Polycarpum impudentiſſimorum mendaciorum reos clamant. Cur igitur non negem, quod objicit Hiſtoricus, cùm conſtanter id negent illi, quos ipſe tanquam cauſæ ſuæ patronos & Advocatos adducit? Quòd ſi quid aut de P.N. Ignatio, aut de doctrina & inſtituto noſtro fabulatur, illud refellere nihil fuerit negotii, cùm ex Auctoribus, qui res à P. Ignatio geſtas, memoriæ mandârunt, tum etiam ex Regulis & Conſtitutionibus, & Theologorum noſtrorum libris.

Difficilior & laborioſior reddi videtur defenſio, cùm de facto particulari, Scriptorum monumentis non conſignato, quæſtio exiſtit. Sed tamen qua facilitate crimen alicui objicitur, eadem quoque apud æquos Judices repellitur, donec accuſatores accuſationem ſuam veriſimilibus ſaltem argumentis muniant.

Nihilominus ſi genus hoc defenſionis Polycarpo, ejúsque ſociis, aut aliis quibuscunque Helianæ Hiſtoriæ Lectoribus & fautoribus, non ſatisfacit, ecce aliud offerimus. Perſtringuntur, variiſque injuriis onerantur in hoc libro ex illis, qui adhuc inter vivos degunt, præcipuè *R. P. Paulus Hoffæus*, *P. Gregorius Roſephius*, Concionator Auguſtanus. *P. Georgius Baderus*, Provincialis ſuperioris Germaniæ eo tempore, quo Helias Landſpergæ mali novitii perſonam egregiè ſuſtinebat. *P. Bonaventura Paradinas* Rector Ingolſtadii, cùm Helias miſer & lacer Ingolſtadium venit. *P. Richardus Haller* Heliæ inſtructor & Confeſſarius, & tunc Philoſophiæ Profeſſor. P. Jacobus Cruſius, ſub cujus Magiſterio Hiſtoricus noſter Landſpergæ peſſimus Tyro meruit. P. Gregorius de Valentia. P. Julius Priſcianenſis. P. Matthias Mayrhofer. P. Jacobus Lucius. P. Conradus Vetter. P. Joannes Völkius & alii. Iſti omnes una voce negant, ſe ea aut dixiſſe, aut feciſſe, quæ Helias commemorat. Si negatio hæc objectionum omni probatione carentium Polycarpo, ejúsque Sociis, & Leiſerianæ Hiſtoriæ patronis, ad fidem faciendam non ſufficit, agedum, prodeat, ſi audet, Polycarpus, aut alius quicunque Polycarpo ſimilis Criminator, litem conteſtetur, diem dicat, dicámque ſcribat, aut omnibus aut ſingulis ex ſuprà nominatis, aut toti, ſi placet, Societati in ſuperiori Germania; ad legitimum ſive Eccleſiaſticum ſive Imperialem Magiſtratum cauſæ hujus & criminum objectorum cognitionem juridicè deferat, videamus, quibuſnam calculo ſuo ſuffragatura ſit incorrupta Juſtitia, Jeſuitíſne an Prædicantibus. Huc enim niſi controverſia omnis revocetur, quis, quæſo, calumniandi, convitiandi, inſontéſque falſis criminationibus opprimendi finis aut modus erit, cùm facile ſit

libris

libris quidvis innectere, ſive ſit ad rem, ſive extra rem, ſive verum, ſive falſum, dummodò chartæ impleantur, & imperito vulgo verba dentur. At ſi cujus garrulitas intra legitimi Judicii cancellos & terminos coërceatur, ſtatim eluceſcit, utrum quis Demonſtratoris, an verò Calumniatoris & Impoſtoris nomen mereatur. Hanc æquiſſimam conditionem repudiare non poterunt Adverſarii noſtri, ſi quid bonitatis & Germanæ honeſtatis reliquum habent, & ſi, quod verbis profitentur, re ipſa verò negant, veritatem quærunt.

Interea quoad Polycarpus & alii hujus famoſi libri Auctores, fautores & patroni, nos in jus vocaverint, legitimísque probationibus criminum objectorum reos demonſtraverint, Jure RETORSIONIS à lege naturali & civili, injuria affectis conceſſo, uti, & ab omnibus cujuſcunque ſectæ hominibus meritò poſtulare, &, ſi jus fásque amant, impetrare poſſumus; ùt Polycarpus & ſimiles pro infamibus Sycophantis, calumniatoribus, & profligatiſſimis alieni nominis vaſtatoribus ubique habeantur.

Hæc te, benevole Lector, de ipſa Hiſtoria, quam confutare ingredior, generatim præmonere volui, ut ad ſequentia inſtructior & paratior accederes. Alloquor autem oratione mea modò Heliam, modò Polycarpum, modò utrumque, interdum alios: cùm enim liber hic diverſos parentes habuerit, nihil mirum erit, ſi orationem quoque ad diverſos convertam. Ordinem & methodum, non eſt, quòd à me expectes, ſequar ipſius Hiſtoriæ ordinem, qui non alius eſt, quàm paginarum & capitum ſeſe mutuò ſubſequentium. Hinc quia impoſtores iſti Ubiquiſtici quidvis quovis loco imperitiſſimè effutiunt, ad quidvis etiam quovis loco reſpondere cogor; nam ùt ebriorum & inſanorum oratio non magis cohæret, quàm ægri ſomnium: ita & hæc Hiſtoria, ut nihil penitus dubitem, eam ab ebriis & inſanis compoſitam, quibus tu, amice Lector, bonam mentem & veritatis amantem mecum ut preceris, etiam atque etiam rogo.

REFUTATIO
PROOEMII.

A UT Hiſtoricus noſter initio ſtatim Hiſtoriæ, Lectoris benevolentiam & attentionem ſibi conciliet, promittit *ſummam in referendis certis & veris fidem, ſtudiúmque modeſtiæ, quantum argumenti ratio ferat.* Pag. 11. Pulchra certè & laude digna pollicitatio, ſi ſeria & non ironica eſſet. Jam enim ſuprà in Præfatione diximus, Heliam, cùm fidem aut modeſtiam pollicetur, per Antiphraſin loqui cenſendum eſſe. Quod cùm ex toto libro clarum planúmque fit, tum ex hoc ipſo loco, quo ſuæ veritatis & modeſtiæ pollicitationi nonnulla luculenta mendacia & inſignia convitia præponit. Credo, ut Lectoribus futuræ fidei & moderationis guſtum præberet: nam guſtus invitat emptorem.

B Omiſſis convitiis mendacia videamus. Ait, *gloriari nos, ordinem noſtrum à DEO inſtitutum, non, ùt reliquos, Eccleſiæ ab hominibus obtruſum:* mentitur; nam quis ex noſtris aut dixit, aut ſcripſit unquam, reliquos ordines fuiſſe Eccleſiæ obtruſos ab hominibus, aut aliter ab hominibus inſtitutos, quàm noſtrum? aut non æquè, atque noſtrum, habere illos Deum auctorem? Scimus, ô Calumniator, Religioſarum familiarum primarium auctorem Deum eſſe, hunc, quando commodum videtur, pro ſua in Eccleſiam benignitate deligere ſibi certos quoſdam famulos, quorum miniſterio congregentur in unam ſodalitatem, quotquot perfectioris vitæ deſiderio tenentur. Ita inchoatum eſſe Ordinem divi Benedicti, D. Dominici, D. Franciſci, noſtrum, & alios omnes ab Eccleſia probatos, clara voce teſtamur, & publicè profitemur. Si enim neque cogitari quidem aliquid boni, niſi auctore DEO, poteſt, ùt affirmat Apoſtolus: quantò magis DEO auctori acceptum referri debet Religioſæ vitæ inſtitutum, quod D. Auguſt. non ſolùm bonum, ſed & ſanctum appellare non dubitavit, quódque etiam D. Chryſoſt. non aliud, quàm Philoſophiam ab ipſo Chriſto introductam eſſe, cenſuit. C

2. Cor. 3.

Lib. de opere Monach. c. 28. Hom. 17. ad populum Antioch.

Nec minùs mendacium eſt, cùm ſcribit Hiſtoricus, primam latinam Regulam affirmare, *Ordinem noſtrum in hoc introductum, ut hæreſibus, cùm omnibus, tum maximè Lutheranæ reſiſteret.* Omnino enim neque Lutheri, D

A theri neque Lutheranæ hæresis, neque Lutheranorum ulla mentio fit, aut in prima noſtra Regula, quæ nihil aliud eſt, quàm reliquarum quaſi quoddam proœmium, aut in ſecunda, quæ ſic habet: *Finis hujus Societatis eſt, non ſolùm ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.* Neque hîc ſolùm ulla Lutheranorum eſt mentio, ſed neque in ſummaria totius noſtri inſtituti formula P. noſter Ignatius memoria ulla Lutherum dignatus eſt, tametſi in ea dicatur, Societatem noſtram inter cætera ad fidei Catholicæ propagationem eſſe inſtitutam. Ex quo quidem conſequens eſt, ut etiam noſtri Ordinis ſit, quoſcunque hæreticos Catholicæ Religioni adverſantes pro viribus oppugnare. Ne ſint igitur Lutherani hæretici, & neque re, neque nomine, neque directè, neque indirectè, illos pro noſtris & fidei Catholicæ adverſariis habebimus.

Mentitur præterea, *nos gloriari*, neſcio de
B quibus *cæleſtibus Extaſibus, nec non divinis & Angelicis ſomniis & colloquiis.* Nullum, opinor, unquam audivit iſte, qui ſe, non dicam cum Paulo ad tertium, ſed ne ad primum quidem cœlum raptum, aut cum Angelis collocutum dixerit. De viſis P. Ignatii divinitus objectis meritò gloriamur, ſed in Domino, quod nemo nobis vitio vertet, qui accuratiùs perpenderit ea, quæ ſcribunt Ribadeneira & Maffejus. Vos Lutheri aſſeclæ de apparitionibus Luthero veſtro factis gloriemini, quantum placuerit, non invidebimus. Nôrunt omnes, cum quibus Angelis ſuaviter ſermocinari ſolitus fuerit. His tribus mendaciis cum non paucis calumniis præmiſſis, quonam ore promittere audet Hiſtoricus ſtudium veritatis & modeſtiæ? Sed ignoſcendum illi eſſet, ſi tribus his contentus veritatem poſthac ſibi ſequendam putaret. Cæterùm nihil minùs facit, quin potiùs perruptis omnibus modeſtiæ & veritatis repagulis, impudentiſſimè quidvis ſumma temeritate & ſine ulla fronte effutit, & chartis ſuis Voluſianis illinit.

Lib. 1. cap. 1. 2. 3. & lib. 2. cap. 11. & 12. lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 5.

Cum Diabolo, ipſomet Luthero teſte, lib. de Miſſa privata.

REFUTATIO CAPITIS I.
DE
PRIMO JESUITARUM AUCTORE.

D *VITAM* Ignatii literis mandârunt duo ex noſtra Societate Presbyteri, Petrus Ribadeneira libris quinque, & Joan. Petrus Maffejus libris tribus, qui ſæpius jam excuſi in publicum prodiêrunt; Et Ribadeneiræ quidem libri etiam in Germanicam, Italicam, & Hiſpanicam linguam translati omnium teruntur manibus; Ex quibus Lector veritatis amans, verè cognoſcere poterit, quis qualisque Ignatius, & ante & poſt converſionem ſuam fuerit, & qua occaſione ad meliorem vitam, & demum ad hanc So- E
cietatem inchoandam, certisque legibus conſtituendam excitatus ſit; ut proinde mirari ſubeat, qua conſcientia iſti & alii paſſim Hæretici, tam impudenter de auctore, & initio Societatis noſtræ mentiantur, quaſi nemo ſuperſit, qui vaniſſimas calumnias profligare & redarguere poſſit.

Militem vocat Hiſtoricus *Ignatium*, & qui- F
dem *profanum*, & præterea *homicidam.* Pag. 12.
Magnum profectò crimen militem fuiſſe, & dignum, quod in prima acie collocetur. Ergóne vobis Prædicantibus reprehendendi videntur tanquam homicidæ, omnes, qui aliquando militârunt? Omnésne profanos & homicidas appellabitis? Profanus ergo & homicida D. Martinus; profanus & homicida D. Mauritius cum tota ſua Legione. Profanus & homicida D. Sebaſtianus. Profani & homicidæ tot Martyres armis olim inclyti. Profani & homicidæ tot Imperatores, Reges, Principes. Profani & homicidæ omnes illi, qui hodie ſanguine ſuo à cervicibus noſtris, jugum Turcicum & hæreticum repellunt. Miror ſanè, cur Hæretici militiam adeò vitio vertant Ignatio, cùm per ſe non magis ſit culpanda, imò multò magis laudanda, quàm ars piſcatoria, quam factitârunt ante Apoſtolatum præcipui Apoſtoli.

Atrox, inquit, *erat Ignatius & truculentus,* G
ſævus, durus, cædibus perpetrandis addictus, concupiſcentiæ, ſuperbiæ, ac reliquis corporis voluptatibus deditiſſimus. Quàm verò tragicè! mitiùs, oro, paululùm & clementiùs Polycarpe, (te enim loco Hiſtorici alloqui lubet) ne tanta ſtrage in ipſo ſtatim libri tui limine Lectorem abſterreas. Mirabilis Rhetor es, ſi benevolentiam cædibus captas; ſed munit ſe Hiſtoricus auctoritate Bobadillæ, ex quo iſthæc audiverit; At P. Bobadilla ſi viveret, mentiri calumniatorem diceret. Audi quomodo mores Ignatii, quando adhuc miles erat, depingat Maffejus. *In tanta*, inquit, *licentia militari, támque corruptis hominum moribus, quamvis animo conſternatus eſſet interdum, & multis undique cinctus angustiis, nulla tamen ipſius atrocior unquam audita vox, quales multæ à nefariis hominibus in* DEUM *ac Dei providentiam vulgò jactantur; nec ſolùm ab omni verborum impietate ſemper abhorruit, ſed etiam ſacra omnia, ſacrorum Antiſtites naturæ perpetuo inſtinctu, admodum religiosè reveritus eſt. Erat præterea ab avaritiæ ſordibus, & à lucri cupiditate vehementer alienus, &c.* Et paulò pòſt: *Quæ ipſius altitudo animi in privatis quoque diſſidiis & ſimultatibus eminebat, ut ſi quando ex certamine dignitatis, ùt fit, ad manus pugnámque veniſſet, ſi locus reconciliationi daretur, illico unà cum armis odium omne deponeret, & cum inimicis in gratiam planè bona rediret fide.* Lib. 1. cap. 1.

Deinde fuerit talis, qualem iſte nobis re- H
præſentat, an excidit illud: *Eratis enim ali-* Eph. 5.
quando tenebræ, nunc autem Lux in Domino?

Sed

A *Sed*, inquit, *hanc ferinam feritatem etiam post institutam Jesuitarum Sectam non deposuit. Hinc quosdam fratres flagellis & disciplinis ita confecit, ut præmatura morte interierint, teste Hoffæo Romæ in domo professa Assistente.* Mendacium luculentissimum, cùm in ipsum P. Ignatium, à cujus paterno & in suos humanissimo pectore longissimè hæc crudelitas abfuit, ùt quivis ex quinto libro Ribadeneiræ, & ex 3. Maffeii intelliget; tum in P. Paulum Hoffæum, qui Ingolstadii superiori anno vixit, & viventi Ignatio familiaris fuit; negat enim sibi unquam quidpiam tale in mentem venisse; Cui igitur credemus? Apostatæne flagitioso, an viro religiosissimo & fide dignissimo? Jam verò quod sequitur, cu-

B jusmodi tandem est? *Propria*, inquit, *conscientia Ignatio dictavit, qualis fuerit, quæ eum adegit, ut sub finem vitæ ipse seipsum detestabilem dixerit, & professus fuerit se indignum, qui honestè sepeliretur, teste Ribadeneira.* O summam calumniandi insaniam! siccíne iste, quæ viri sancti ex Christiana quadam humilitate & animi submissione de se sentiebant, desperationi adscribet, & gravi suâ, scilicet, censura notabit? Quid igitur D. Paulo faciet,

1. Cor. 15. 1. Timoth. 1. qui se indignum æstimat Apostoli nomine, nedum loco & honore? quíque se primum peccatorum profitetur. Sed modestè lo-

C qui, & non magni sese æstimare insolitum videtur Prædicantibus, quibus omnis humilitas & modestia incognita est. Taceo, quòd Historicus hîc more suo, non satis bona fide agit: hæc enim sunt Ribadeneiræ verba lib. 5. cap. 3. *Mihi aliquando dixit* (Ignatius) *illud sibi à DEO petendum esse, ut ipsius mortui cadaver volucribus & feris laniandum abjiceretur; Nam cùm ego*, inquit, *sterquilinium & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam?* Quid igitur miser hîc de fine vitæ nugatur, quasi tunc verba hujuscemodi ex desperatione quadam, & timore futuri Judicii Ignatius effuderit? aliud est desperatio, aliud Christiana humilitas, alia hujus, alia illius oratio.

D Quamobrem insulsè sermone ad Lectorem converso: *Ehem*, ait, *bone Lector, quid tibi jam de hoc primo agminis istius ductore & inventore videtur?* Quantò rectiùs ego, Eheu, bone Lector, quid tibi de putidissimo isto calumniatore, dum adhuc inter principia versamur, videtur? Anne illum à Deo, an verò à Diabolo ad hæc mendacia & convitia excitatum putas? Certè eadem argumentandi forma, qua nostro Ignatio omnem fidem abrogare, omnémque boni viri existimationem detrahere conatur, probare poterit, D. Paulum hominem nauci & nihili fuisse: *Saulus enim spirans minarum & cædis* (en atrocitatem & funestam crudelitatem)

Act. 9. *in discipulos Domini, vinctos Hierosolymam perducere volebat Christianos, seu viri seu mulieres essent. Fuit ille idem consentiens neci Stephani, ita ut testes deponerent vestimenta*

sua secus pedes Adolescentis Sauli, Multa mala Christianis intulit, ita ut Ananias diceret: Act. 8. *Audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem. Imò ego quidem* Act. 26. *existimaveram*, ait ipsemet Paulus, *me adversus nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, & cùm occiderentur, detuli sententiam, & per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, & amplius insaniens in eos, persequebar, usque in exteras civitates.* Hæc ipse Paulus de se. Ehem, bone Lector, ecquid tibi de isto Apostolo videtur? Quid de illius Epistolis? quid de concionibùs? quid de doctrina? A Deóne, an à Diabolo impulsum credis ad Evangelium toto terrarum orbe disseminandum? Discat ergo calumniator in Christianis non tam initia, quàm finem spectari, ùt verè dixit S. Hieronymus. *Et hæc quidem* (nempe fures, avari, ebriosi, maledici,) *fuistis*, ait Apostolus Corinthiis, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri JESU Christi.* 1. Cor. 6.

E Deinde nónne Lutherus vester Monachus fuit? nónne Missas celebravit? nónne horas canonicas recitavit? nónne genua sua collúmque torosum imaginibus inflexit? quæ omnia apud vos sunt enormia crimina. Quid ergo vobis videtur de Luthero? A Deóne an à Diabolo excitatum censetis ad novum Evangelium promulgandum, ad tollendas omnes sanctitatis, & religionis antiquæ cæremonias? Respondebitis, non referre, qualis fuerit; cogitandum potiùs, qualis factus sit. Si vos hac ratione malam causam & Apostasiam flagitiosi vestri Monachi defenditis, liceat, oro, nobis eadem defensione uti in re bona & laudabili, cujusmodi est regressio à vita militiæ mundanæ & castris addicta, ad vitam religiosam, & militiam, cujus arma spiritualia.

F Pergit deinceps Historicus narrare progressum conversionis Ignatii, sed admixtis

G mendaciis & fraudibus, ùt, cùm fingit, *Ignatium ideo de novo ordine instituendo deliberare cœpisse, quòd claudicans ex accepto vulnere ludibrio esset nobilibus, tanquam ineptus ad militiam*, quod inferiùs repetit, confirmatque ad libri marginem testimonio *Jesuitæ*, ùt ait, *Richardi Ingolstadiensis, & Bonaventuræ Rectoris.* Sed mentitur turpiter & multipliciter. Nam de novo Ordine fundando non nisi post multos à conversione sua annos cogitavit. Deinde tam parùm ex vulnere claudicabat, ut vix à curiosis notaretur, quod præter scriptores rerum ab illo gestarum testantur, qui cum Ignatio multos annos familiariter vixerunt, & adhuc supersunt. Quî igitur ineptus erat ad arma, si id vitæ genus porrò persequi voluisset? Nec juvat Historicum P. Richardus Haller, & P. Bo-

Pag. 13.

Pag. 15. & Pag. 317.

H

Vide Ribad. lib. 2. c. 13.

Ribad. lib. 4. c. 18.

A naventura Paradinas. uterque etiamnum vivit. uterque sibi injuriam fieri queritur à mendacibus istis blateronibus. uterque miratur, extitisse, qui & hoc & alia infinita, omnis probabilitatis & verisimilitudinis expertia mendacia vulgo obtruserint post Hasenmilleri infaustam mortem. Verùm mendax hujus libri genius id unum agit, ut hominibus persuadeat, Ignatium non amore Dei & cura salutis incitatum, sed necessitate coactum, de mutatione vitæ & tandem de Societate constituenda consilium suscepisse. Sed amantiores veritatis futuros spero Lectores, quàm ut his fabulatoribus credant, quibus mentiri unica voluptas est, maximè cùm præter auctores suprà nominatos habeant quoque Didacum Payvam, qui
B libro primo Orthodoxarum explicationum contra Kemnitium, à capite commemorat Societatis nostræ primordia, ùt & Laurentius Surius in Commentario rerum in orbe gestarum. Quare non multùm moramur etiam, quid isti sentiant de visis & apparitionibus Patri Ignatio nostro divinitus patefactis, cùm homines increduli ne ipsis quidem sacris literis plus credant, quàm velint & libeat. Et quis Sanctorum à calumniatoribus istis tutus est, cujus res gestas non collocent inter fabulas, & deliramenta anilia?

C Sed jam classicum canere incipit Historicus; oblitus sui muneris. Tympana tenta sonant. Adeste igitur. *Quales & quantas*, Pag. 14. 15. & 83. ait, *conspirationes, cædes, homicidia, latrocinia & insidias Jesuitæ struant Evangelicis in ipsorum pernitiem, multa regna, plures provinciæ, & innumeræ propemodum urbes sentiunt.* Dic, oro te Polycarpe, ubi sunt ista regna, ubi istæ provinciæ, ubi Urbes? fortè in Utopia aut certè in Insula Virginea: nam provinciis, quæ nunc turbantur religionis gratia, satis compertum est, quinam tragœdiarum & seditionum auctores fuerint. Sed vobis, ô homines pacis amantissimi, suave & jucundum est insontes apud imperitam multitudinem traducere. Lupus supernè bibens semper causatur præterfluentem sibi turbari ab ovicula inferiùs bibente. Similem calumniam intulit superioribus annis Societati Lucas Hosiander, cujus impudentiam satis superque coërcuerunt duo ex Societate nostra Theologi, Christophorus Rosenbuschius & Georgius Scherer, quorum libros germanicè editos, cupio, ut lector consulat, quotiescunque mendax hic Historicus classicum canit, id quod toties facit, quoties impotentia animi & odium in Jesuitas id suggerit, ubique videlicet sine ullo ordine, ut sycophantam Ubiquistam facilè agnoscas.

Vide etiam cap. 4. Apologiæ D. Stevartii.

D Sed videamus, quàm verè prosequatur initia Societatis Historicus; nam tot mendacia profert, quot propemodum verba. Mendacium est, Ignatium, *cùm adhuc in Gallia* E *esset, Missas gratis celebrâsse*, nam neque gratis, neque non gratis Missas celebrare potuit in Gallia, cùm in Gallia agens nondum esset Sacerdos. Pag. 16.

Mendacium est impudentissimum, *nostros non tam proprias regulas scripsisse, quàm* F *scriptas jam à Cardinale Caraffa sibi applicâsse.* Hoc mendacium ex ipso Constitutionum nostrarum autographo & diversitate regularum nostrarum à regulis Theatinorum, ex quorum Ordine Caraffa fuit, & testibus omni exceptione majoribus, qui Ignatium noverunt, refelli potest. Sed vetus est Hæreticorum Kemnitii, Lucianici auctoris Apiarii, & Rodingi mendacium, Caraffam esse auctorem Societatis & regularum nostrarum. Hinc frustra nugatur Historicus infrà, nos à Petro Joanne Caraffa Episcopo à Quiete potiùs appellandos fuisse *Joannitas* aut *Petrinos* aut *Caraffitas*, aut *Quietinos*. Vide Rib. lib. 4. c. 2. Lib. de Theol. Jesuit. In orat. de Scholis Jesuit. Pag. 134.

G Mendacium est, *primos nostros Patres fuisse Romæ pauperes sine defectu*; quantâ enim inopia rerum omnium laboraverint, docebit quemlibet historia Ribadeneiræ & Maffeij. Mendacium est, *fuisse humiles sine despectu.* nam quid Christi gratia pertulerint, iidem Historici abundè testantur. Mendacium est, *Ignatium visionem illam, qua ei Romam eunti, Christus cum cruce apparuit, finxisse tantùm & simulâsse.* Unde, obsecro, scit Historicus, Ignatium cœlestem illam speciem dolo malo excogitâsse? An fortè habuit hac de re peculiarem revelationem? Mendacium est, cùm scribit, *Bartholomæum Guidiccionium* Pag. 17. *Cardinalem noluisse, ut miles adeò impius & profanus novum ordinem inchoaret.* licèt enim Societatis institutioni resisteret iste Cardinalis, Ignatium tamen non habebat pro milite *impio & profano*, ùt mentitur impostor. Et cur tacet, quomodo hic Cardinalis consilia in melius retulerit, & ex improbatore approbator Societatis effectus dixerit: *Novas religiones non probo, hanc tamen non probare non audeo.* Vide Ribadeneiram lib. 2. cap. 17. Mendacium est, Ignatium *de reliquorum Clericorum* negligentia in obsequio Pontifici præstando conquestum, ac propterea absolutam in omnibus obedientiam pollicitum esse. Non enim negligentia reliquorum; sed observantia erga Sedem Apostolicam causa fuit, cur Ignatius cum suis proprio obedientiæ voto Christi in terris Vicario sese obstringeret.

H Vides, mi lector, os & frontem hujus hominis: sed fessus mentiendo, scurrilitate animum paulisper relaxat. festivus enim etymologus etymologias *Ignatii* & *Lojolæ*, affert adeò insulsas & ineptas, ut jam nihil causæ sit, cur isti Catholicontis, Mammatrecti, Græcistæ, Alexandri, Britonis & similium notationes rideant. Ait, *ab igne derivant nonnulli Ignatii nomen.* Rectè, at Pag. 17. non eam ob causam, quam iste fingit, sed quia

A quia Ignatius cum ſua Societate Polycarpum & ejus ſimiles urit. Hinc illæ lachrymæ.
Lucæ 4. Hinc illæ voces: *Quid tibi & nobis? Veniſti perdere nos. Ego quoque*, addit gravis hic auctor, *hinc ipſi hoc nomen inditum arbitror, quòd ad æternum ignem natus ſit:* aſſentior, ſed tamen non ad illum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus, & vobis Hæreticis, niſi vela
Hebr. 12. detis retrorſum: Sed ad illum, de quo ſacræ literæ: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Sed audire juvat, quod ſequitur: *Lojolam*, inquit, *appellatum puto, quia leo ſævus in bello, & durus tyrannus in Chriſtianum ordinem eſt factus.*
B *Alii Lojolam dictum volunt, quaſi* Lügen voll, *vel* Lügen *ollam, hoc eſt, mendaciorum ollam.*
Pag. 18. Riſum teneatis amici, ad tam heteroclitas ſcuticáque plectendas nominum notationes admiſſi. Jam non miror extitiſſe, qui nomen *Benjamin* à græco verbo εἰμὶ deducerent; ει, dicebant, in *Ben*, & μι in *Jamin*, & habes *Benjamin*, Poly in *ne*, & *Carpus* in *quam*, & exibit Polycarpus *nequam*. Sed procul ô procul eſte profani mortalium cum veſtris non veriloquiis, ſed falſiloquiis. Ignatius de Lojola, eſt *ignis à Deo illatus*, de quo extat elegans Poëtæ Chriſtiani anagrammatiſmus, &c.

C *Ne miſera horrendam paterentur ſæcula noctem,*
Et fœdus obcæcet nigror:
Inſignem virtute virum, & præſtantibus auſis
E bellicoſa Iberia
Extulit; hic dudum ſopitos ſuſcitat ignes,
Et nomen eventu probat.
Námque putem inſtinctu Superûm monitúque parentes
Nomen dediſſe IGNATIO:
Ut priùs æſtifera conceptum mente vaporem
Luménque terris dividat
Magnáque de tenui veniant incendia flamma;
Ac multa inardeſcant face.
Eóq; marì Heſperio rubicundi ſolis ad ortum
Lucémque & ignem differant.
O magnum decus hoc ævi. Tu IGNATIUS
ille es
ILLATUS IGNIS A DEO.

D Expeditis originationibus redit hiſtoricus ad calumnias & mendacia & ad tubam; *Lojolitas vel Ignatianos nos potiùs quàm Jeſuitas ap-*
Pag. 18. *pellandos vociferatur, cùm ab Ignatio Lojola Originem ducamus.* Sed ſapientium eſt rebus nomina imponere, in quorum Catalogum cùm necdum relati ſitis, veſtrum erit nomina jam rebus indita uſurpare, non de novis fabricandis cogitare. *At doctrina veſtra*, inquit, *non convenit cum doctrina JEſu, cur ergo Jeſuitas vos à nomine JEſu nominatis?* Cæterùm cur iſte hoc nomen nobis hîc adimere conatur, cùm capite ſequenti contendat, nullum, quòd mores & ſtudia noſtra aptiùs exprimeret, nobis dari potuiſſe? Scitum eſt mendacem, addo ego & calumniatorem, oportere præſentem ſemper habere memoriam, ne ſecum ipſe pugnet, & ex eo- E
dem ore calidum & frigidum efflet, quod huic ob maledicendi libidinem, immane quoties acciderit. Utrum autem doctrina noſtra doctrinæ Chriſti ſit conſentanea, facilè judicabit Lector ex noſtrorum Theologorum libris.

F Adde, quòd Jeſuitarum nomen vulgus, non Ignatius nobis tribuit. Si Polycarpo diſplicet hæc vulgi licentia, corrigat ipſe inveteratam conſuetudinem, efficiátque, ut Clerici aut Religioſi Societatis ab omnibus appellemur, magnámque à nobis inibit gratiam. Sed nunc rurſus in arma ruit Hiſtoricus, & ſignum pugnæ edit. Ait: *Jacobus*
Pag. 19. 126. 127. *Cruſius & Georgius Baderus Landſpergæ aſſeverârunt, omnes Prædicantes tollendos, in omnes irruendum, omnésque, qui Pontifici Romano repugnent, ferro & igne exterminandos eſſe.* Nemo unquam, qui duos illos Patres noverit, in animum inducet credere, eos quieti & tranquillitati communis patriæ tam inimica verba protuliſſe. Heliæ & ſimilium Prædicantium hæc commenta ſunt, quibus mos eſt, quod ipſi animo agitant, quódque, ſi qua daretur occaſio, re ipſa exequerentur, invidiosè in alios derivare, quaſi ipſi in ſinu pacis & nati & educati eſſent, neque quidquam turbarum unquam in Germania excitâſſent.

G Gravior adhuc & inſolentior calumnia eſt, cùm hîc effrontes iſti Hiſtorici ſcribunt, noſtrorum inſtinctu Prædicantes Auguſtâ eſſe ejectos, quaſi toti Germaniæ notiſſimum non ſit, quam ob cauſam, primò quidem Millerus, poſtea verò commilitones illius, ſolum vertere ſint juſſi: Ampliſſimus enim *Auguſtanæ urbis Senatus* libro contra turbulentum illum & tragicum Molitorem edito, ſatis demonſtravit cauſas, propter quas miniſtros verbi Lutherani, Milleriana mancipia, relegaverit, aliis in exulum locum ſubſtitutis. Idem vobis reſponſum de Vienna, idem de Græcio habetote. Mirum profectò eſt, cauſam & culpam ſemper in Jeſuitas conjici, quandocunque & ubicunque Prædicantes refractarii, cerebroſi, & imperata Magiſtratuum aut Principum facere detrectantes, meritis pœnis afficiuntur. Fortè etiam Prædicantes Ratisbona expulimus non ante multos annos. Fortè Schmidelinus, qui (ut cuneus cuneos extruderet) ſeminiverbios illos Ratisbona ejecit, nos etiam in partem glorioſi illius facti venire voluit. Fortè ipſum Schmidelinum Wittenbergâ & ex tota Saxonia, & Samuelem Huberum Bernâ, & ex tota Helvetia migrare juſſimus. Miror, quòd Polycarpus non conqueratur, ſe à nobis Wittenberga & aliis ex locis exterminatum eſſe.

H Interim non diffiteor vobis, nos omnem cogitationem, & induſtriam noſtram eò conferre, quomodo tandem Germaniam à

A Prædicantium impoſturis liberemus. At non ferro, non igne, non ſclopis & bombardis, ùt vos calumniamini, ſed *armatura*
Epheſ. 6. *Dei, ſuccincti veritate, induti lorica juſtitiæ, ſumptóque ſcuto fidei, & galea ſalutis & gladio*
2. Cor. 10. *ſpiritus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia DEO ad deſtructionem munitionum.* Tympana, tubas, haſtas, contos, gladios, bombardas relinquimus vobis, *quibus haud præſtantior ullus ære ciere viros Martémque accendere cantu.*

REFUTATIO CAPITIS II.

DE

NOMINE JESUITARUM.

B Continet caput hoc mera mendacia & calumnias. Mendacium eſt, *Religioſos ordinis D. Franciſci & D. Dominici*
Pag. 20. *hominibus contemptui eſſe, quòd Franciſcani & Dominicani appellentur, nomine à parente & fundatore ſuo petito.* Qui enim, exceptis hæreticis, Patres illos propterea ſpernunt? quamvis neque D. Franciſcus, neque D. Dominicus hæc nomina filiis ſuis dederint, ſed alter quidem ſuos ſive fratres ſive filios, Fratres Minores; alter verò Fratres Prædicatores appellavit.

Mendacium ſecundum eſt, *Ignatium nominâſſe nos Jeſuitas;* neque enim nos Jeſuitas aut vocavit ipſe, aut ab aliis vocari, ſed congregationem ſuam nomine JESU inſigniri voluit, ut Societas JESU, vel nominis JESU diceretur. Quod jam dudum Calvinano Witackero reſpondit Joannes Duræus, in defenſione decimæ rationis Campiani.

C Tertium Mendacium eſt, *Pontificem Paulum III. audita apparitione, Ignatio Romam pe-*
tenti facta, exclamâſſe: Verè digitus DEI hic eſt, nomenque Jeſuitarum idcirco approbâſſe. Aliter rem narrat Ribadeneira lib. 2. cap. 17.

Quartum Mendacium eſt, *Chriſtum in apparitione illa mandâſſe Ignatio, ut ordo noſter diceretur Societas JEſu.* Non eſt ita; quamvis Ignatius hac viſione permotus familiæ ſuæ nomen JESU impoſuerit, ùt videre licet apud Ribad.

D Quintum Mendacium eſt, *Theatinos ſub Patre Jacobo Lainez Præpoſito noſtro Generali, nobiſcum conjungi; & in unam Societatem convenire voluiſſe.* Id enim non eſt factum hoc Præpoſito, ſed Patre Ignatio adhuc vivente; Pontifice Paulo. IV. Theatini olim Ordinis, ſi non auctore; at certè primario viro.

Sextum Mendacium eſt. *Theatinos tuliſſe repulſam, quòd eſſent immorigeri, &, ùt Hoſfæus ait, ſuffeni & ſuperbi.* Minimè verò, ſed quia conſultum videbatur, ut, in qua
1. Cor. 7. quis vocatione vocatus erat, in illa permaneret, ùt monet Apoſtolus, & ut Eccleſia illo quoque Theatinorum Ordine tanquam diſtincto famulorum Dei manipulo ornaretur. Quòd autem Patrem Hoffæum E teſtem citat, antiquum obtinet; ex quo cùm ſciſcitarer, utrum Theatinos nominâſſet *ſuffenos*, ridens ille; ego verò, reſpondit, quid ſit *ſuffenus*, me penitus ignorare fateor.

Septimum Mendacium eſt, nos in con- F ſtitutionibus & regulis noſtris hæc nobis
Pag. 21. nomina tribuere: *Venerabilis & laudabilis Jeſuitarum Societas.* Proferat calumniator vel unum locum ex regulis & conſtitutionibus, ubi Pater Ignatius Societatem appellet, *Laudabilem vel Venerabilem*, aut ſe turpiter mentitum fateatur. *Minimam Societatem* parens noſter Ordinem noſtrum nominavit, húncque titulum ſervamus, ſempérque, volente Deo, ſervabimus. Quòd autem aliquando Pontifices in ſuis Diplomatis & alii Catholici Societatem noſtram titulis illis cohoneſtant, id nos prohibere minimè poſſumus. Non enim vetatur, ut nos laudet os alienum, ſed ut ne noſtrum.

Octavum Mendacium eſt, *quòd vulgus in* G *Bavaria nominet nos Jeſuweitter, quòd procul à JESU doctrina poſiti ſimus.* Sorex indicio ſuo ſe prodit. Nam nomenclatura hæc ex veſtra officina, & ex Lucianico Apiario prodiit, ùt & aliæ, quas hîc nugator adducit.

Nonum Mendacium eſt, *Monachos Fran-* H *ciſcanos Ingolſtadii & in Monte di Viaſcon conqueri, Jeſuitas ipſis eſſe Harpyias & Lamias, bona ipſorum paulatim deprædantes.* Quæ, oro, bona, cùm nulla habeant, quippe eleemoſynis piorúmque liberalitate victitantes? Quantò rectiùs de vobis Prædicantibus conqueruntur religioſi illi Patres, qui tot locis, tot Monaſteria Ordinis D. Franciſci occupâſtis, contaminâſtis & profanâſtis, veriſſimæ Harpyiæ, *quibus triſtius haud ullum monſtrum, nec ſævior ulla peſtis & ira Deûm ſtygiis ſeſe extulit undis.* An non ſatis mendaciorum, benevole Lector, in uno capite? Pergit tamen adhuc mentiri, ſed priùs varias calumnias affert de nomine Jeſuitarum, eásque Latinas & Germanicas deſumptas ex Kemnitio, Apiario, Rodingo Heidelbergenſi, & ex aliis rabulis ſcurrarúmque circulis, quas libens prætereo, quamvis facile eſſet eas ad ſuos Auctores remittere, & prætera de Prædicantium nomine varias notationes & Etymologias afferre, ſed relinquamus ſcurris ſcurrilitatis palmam. *Dicunt*, inquit Hi-
Pag. 33. ſtoricus, *eos, qui ipſorum Religionem ingrediuntur, Chriſti fratres efficí.* Jure dixerim, hoc decimum eſſe mendacium. Puto enim, hunc ex nullo unquam hoc audiviſſe. Sed eſto, dixerit id is ipſe, quem ad marginem citat. P. Chriſtophorus Zieglerus, cujus nunc memoria in benedictione eſt. An neſcit illud? *Quicunque fecerit voluntatem pa-*
Matth. 12. *tris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quid vult amplius calum-

A calumniator? Quod addit, dicere nos, *eodem jure nostros, quo Christum, regnum cælorum possidere;* mendacium est impietate juxtà & impudentia pleniſſimum. Scimus, ô Hiſtorici, Chriſtum filium Dei naturalem & unigenitum, nos verò tantùm adoptivos eſſe filios & per gratiam: Quomodo igitur idem nobis jus cum Chriſto ad cœleſtem hæreditatem arrogamus? Nec plura de hoc capite dicam, nam quæ deinceps ſequuntur, ea mera ſunt convitia, ex cæca maledicendi libidine nata; quæ ipſis quoque prudentioribus Lutheranis diſplicere, nihil penitus dubito. Quis enim prudens, etiamſi Ethnicus eſſet, convitia tam impotenter effuſa probare poſſet?

REFUTATIO CAPITIS III.

DE

VARIIS JESUITARUM GENERIBUS ET INCREMENTO.

B Pag. 25. CAput hoc hydram quandam meritò dixerim, cujus convitia & mendacia ſi amputes, derepentè ſuccreſcunt alia, æquè ùt priora horribilia & deteſtanda; ſed congrediendum eſt cum immanibus iſtis monſtris, ne perverſa, qua in omnes graſſantur, convitiandi & mentiendi libidine, mentes ſimpliciorum pervertant.

C Primò omnium vitio nobis dat calumniator, *quòd omnis generis homines in Societatem cooptamus, Hiſpanos, Gallos, Italos, Alemannos, Thraces, Indos, Turcas, Arabes.* At quale quæſo crimen, etiamſi ex omnibus hiſce nationibus Chriſtiani homines in Societatem noſtram cooptarentur? An non in ipſam Eccleſiam recipiuntur omnium nationum homines? An non ipſo cœli honore dignatur DEUS omnes illos, qui hoc honore, cum gratia DEI, ſe ſe dignos efficiunt? *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum,* Rom. 10. niſi fortè Lutherani Ubiquiſtæ ſe ſolos nunc in Eccleſia militante eſſe putant, & poſtea in triumphante futuros ſperant.

D Gregorius XIII. inquit Hiſtoricus, *Legens Jeſuitarum annales, dixit; Tot ſunt mihi millia clericorum, ſed ſoli Jeſuitæ omnes ſuperant in regno noſtro ſtabiliendo.* Aderat proculdubio Haſenmillerus, cùm ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex annales noſtros legeret, & fortaſſis in horto Papæ poſt carecta latebat, aliàs haud potuiſſet verba Pontificis tam accuratè notare. At quis illi præter Polycarpum Lauſerum & alias hujusmodi noctuas credat? Jam dudum omnem ſibi abrogavit fidem. Ait: *Pontifex Jeſuitis totam Inſulam tribuit.* Quam Inſulam? Cyprum an Cretam? ſed ſcio, quid velit, verè hoc ſcripſerit, falsò illud; *Quod contra ſenatus decreta*; quis enim ſenatus in urbe Romana obrogare poteſt Pontifici in re præſertim honeſta & licita? Falſum eſt & illud, *Quod expulſis viduis;* E nam quorum ædes à Pontifice emptæ, iis pretio juſto ſatisfactum eſt; & quî ſcit omnes illos incolas, qui aliò migrârunt, fuiſſe viduos & viduas? Magna vos Prædicantes viduarum cura ſemper tenet. Addit, *idem factum Ingolſtadii & Auguſtæ,* ſed mendacium mendacio cumulat: Nam ex omnibus familiis, quæ ob ædificationem Collegii Auguſtani ſedem mutare debuerunt, nulla fuit, cujus domus, quam deſerebant, eſſet propria. Illud quoque mendacium eſt; *Collegium Romanum multorum Regum palatia magnificentia & ſplendore ſuperare.* Fatemur, Gymnaſium eſſe magnificum & tanto Pontifice dignum. De Collegio, quod morte Gregorii imperfectum manſit, quàm mentiatur, facilè judicabunt, qui illud viderunt, & cum palatiis, quæ paſſim in urbe, & in tota Italia occurrunt, comparârunt. Abeat F igitur, quò dignus eſt Hiſtoricus, *cum ſuis viginti quinque auri tonnis, quas Papam ad hujus Collegii ædificationem donâſſe blaterat;* neque hoc ex ullo unquam Jeſuita audivit, ùt ſe audiſſe mentitur; Pergit. *In hoc Collegio Pontifex vult alere quingentos Jeſuitas.* Dixiſſem ſexcentos, ſi fuiſſem loco Hiſtorici, vel ob commune proverbium. Videtur unus ex illis, *qui*, ùt Poëta ait, *ſciunt, quæ neque futura, neque facta ſunt. Quod quisquam in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt;* qua quidem fatali felicitate, ſcit etiam illud, quod P. N. Generalis Claudius Aquaviva neque ſcripſit, neque dixit unquam, ut ſcilicet *Provinciales & Rectores multos recipiant juvenes bonæ ſpei & indolis, quos Romam mittant ad S. Andream, ut ibi in regulis Jeſuitarum inſtituantur.* Neque dubito amplius, quin itidem ſciat, *id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit.*

G Quòd autem hîc attexit, neſcio quid de tendiculis & blanditiis, quibus juvenes ineſcemus, inferiùs ipſum mendacii redarguam, interea patienter expectet. Cap. ult.

H Digreditur deinde contra omnes Methodi & ordinis leges ad obedientiam noſtræ Pag. 26. Societatis exagitandam. Habemus quandam regulam, qua jubemur, *ſuperiores loco DEI colere & integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita ſine excuſationibus & obmurmurationibus obedire, licèt difficilia & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia jubeantur, & præterea conari interiùs reſignationem & veram abnegationem propriæ voluntatis habere.* Hæc regula iſtis tam mira videtur, quàm corvus albus, aut cygnus niger: Hinc Polycarpus, ſeu quis alius ad libri oram hoc ſcholium adſcripſit: *Jeſuitæ partim ſunt Stoici, partim Pythagorici, partim ἀναίσθητοι.* Pag. 27. Quàm verè dixit Apoſtolus, *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt DEI; ſtultitia enim eſt illi,* 1. Cor. 2. *& non poteſt intelligere.* Ergóne vobis Stoici & ſtipites illi ſunt, qui illis Chriſti monitis obtemperant; *Qui vos audit, me audit, & qui* Lucæ 10. *vos*

A vos ſpernit, me ſpernit? Et præcepto Apoſtoli; *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Hebr. 13. Audite quæſo & erubeſcite, quid de veterum Monachorum & Religioſorum obedientia, ſcribat D. Caſſianus. *Poſthæc*, inquit, *tantâ obſervantiâ regula obedientiæ cuſtoditur, ut juniores abſque Præpoſiti ſui ſcientia vel permiſſu, non ſolùm non audeant cella progredi, ſed ne ipſi quidem communi ac naturali neceſſitati ſatisfacere ſua auctoritate præſumant, ſicque univerſa complere, quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam ſi à Deo ſint cœlo edita, ſine ulla diſcuſſione, feſtinant, ut nonnunquam etiam impoſſibilia ſibimet imperata, ea fide ac devotione ſuſcipiant, ut tota virtute ac ſine ulla cordis hæſitatione perficere ea, aut conſummare nitantur; & ne impoſſibilitatem quidem præcepti pro ſenioris ſui reverentia metiantur.* Hæc Caſſianus. Lib. 4. Inſtit. cap. 10. Quid vobis jam videtur Prædicantes, num & iſti Stoici fuerunt & trunci & blenni? Sed rara avis apud Prædicantes eſt obedientia; Cyclopicam enim anarchiam ſecuti; *Qui pote plus urget;* nam *hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes,* ùt B. Judas in ſua epiſtola loquitur, neque ullo obedientiæ jugo copulari queunt.

B. Mentitur porrò Sycophanta, cùm ait, *præcepta hæc obediendi novellis tantùm Jeſuitis præſcribi.* Omnibus præſcribuntur, ab omnibus ſanctè & ſeverè exiguntur: Illud itidem mendacium eſt, *Superiores nihil aliud quærere hac regula, niſi ut abolito nomine JESU, ſemet ipſos in locum ejus ſubſtituant;* nihil minùs. *Cur ergo*, ait, *loco Chriſti ſibi obedientiam præſtari volunt?* Examines, ſi placet, Apoſtolum, qui præcipit, ut ſuperioribus, etiam ſæcularibus Ethnicísque pareamus ùt Chriſto, ex quo omnis poteſtas benè inſtituta deſcendit: ſic enim ſcribit ille ad Epheſios: *Servi obedite Dominis carnalibus* (quantò magis filii patribus, qui nos in Domino genuerunt) *cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto.* Cap. 6.

C Cæterùm ſi vos rerum ſpiritualium capaces & dociles arbitrarer, ſuaderem, ut legeretis Hieronymum Platum de bono ſtatus religioſi lib. 2. cap. 5. in quo multa & præclara de dignitate religioſæ obedientiæ diſſeruntur. Sed eſtis ad hæc ἀναίσθητοι & ὄνοι ad tibiam, utpote ex Luthero monacho inobedientiſſimo, omine malo, prognati.

I. De Jeſuitarum Generali.

D *ANte omnia*, ait, *caput quoddam & Principem habent, quem vocant Generalem, analogia à Pontificis regno petita.* Pag. 28. Omiſſa verborum calumnia, non video quid criminis ſit habere caput; ſed vobis hominibus acephalis nihil videtur pulchrum, niſi capite careat, ſicut & ſtrumoſis, nihil niſi ſtruma turgeat. Diſplicet Hiſtorico nomen Generalis; *ùt enim*, inquit, *Phocas Papæ nomen univerſalis & generalis Epiſcopi tribuit, ita Ignatius ſibi & ſuis ſucceſſoribus, nomen Generalis Præpoſiti.* Quæſo te, Polycarpe, ſi quid eruditionis habes, quod quàm ſit exiguum, ipſe, prô dolor, ſentis; exprome id, & quæ Bellarminus, de hoc veſtro Phoca, & de tam ſolemni ac millies repetito mendacio diſputavit, refuta. Quod ad Ignatium attinet, is neque nomen, neque officium Generalis ſibi ſumpſit, ſed à Societate legitimis ſuffragiis utrumque oblatum acceptavit, ùt ſucceſſores illius hactenus fecerunt. Dicitur autem *Generalis Præpoſitus,* quòd generalem & univerſalem totius Societatis, omnium Collegiorum, Domorum, & perſonarum curam gerat. Illud verò quàm ineptum, quòd ex nomine Generalis augurium captat vanus augur, *tempus aliquando affore, cùm Jeſuitæ Papam de ſolio præcipitent, ſéque in ejus locum ſufficiant.* Perinde ſanè ac ſi quis ex Generalis gubernatoris aut capitanei nomine colligeret, fore, ut gubernator aut capitaneus Regem Principémve ſuum ex regno ejiceret. Nónne Lutherani Generales Superintendentes habent? Forſan & ipſi in locum Papæ ſeſe ſubſtituere cogitant. Sed ſuſpicioni ſuæ firmandæ præter nomen Generalis, affert duo alia illuſtria argumenta; *quia paſſim*, inquit, *Jeſuitæ maximos honores aucupantur, & Generalis nuſpiam niſi Romæ habitat, ut ſic Jeſuitica ſedes, in Pontificiam commodiùs transferri & transformari poſſit.* Vigilátne Hiſtoricus, an ſomniat? ludit, an ſeriò loquitur? ſi ludit, næ valdè ineptus & abſonus ludio eſt, ſi ſeriò loquitur, ecquem ſibi crediturum putat? nam quos honores & quàm certos expeditósque ad ſummum Pontificatum aucupemur, omnes nôrunt, præter vos Prædicantes, malitia, odio, & invidia excæcatos; Generalis verò noſter Romæ ideo reſidet, quia ex nullo loco totam Societatem commodiùs gubernare poteſt, quàm ex illa urbe, ad quam, *propter principalitatem*, ùt veteres loquuntur, neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire. Sequitur: *Quod Romanæ Eccleſiæ eſt Papa, id Jeſuitis eſt Generalis.* Mendacium, ut paucis me expediam, ſicut & illud; *quòd noſter Generalis ſemper à latere & ſecretis Pontificis ſedeat. Eſt autem modernus,* ùt dicit iſte, *Generalis Claudius Aquaviva, olim, princeps & Papæ cubicularius, à quo,* inquit, *Claudio literas commendatitias accepi, quas vocant credentias;* Mendacium; *patentes* enim appellamus illas litteras, quas Superiores dant aliò profecturis, ut, qui ſint, quò eant, aut unde veniant, docere poſſint, ſi ita neceſſitas exigat; tu tibi tuas habe *credentias.* Quàm verò ſplendidè mentitur, cùm Claudium Aquavivam Ducatum ſuum filio tradidiſſe, & ultra quinquaginta millia ducatorum in Societatem intuliſſe fabulatur: nam filium neque habet, neque habuit unquam

E Lib. 2. de Pontif. cap. 17.

Vide Rib. lib. 3. cap. 1.

F

G

H

Vide Rib. cap. 15. lib. 3.

Pag. 29.

P.

A P. Claudius Aquaviva. Sed video, quid Hiſtoricum deceperit; audiêrat aliquid ſimile de Franciſco Borgia Duce Gandiæ, tertio noſtro Generali, qui mortua conjuge Deo in Societate ſeſe conſecravit, id nunc, qua ſolet fide, tribuit P. Claudio. Scire tamen velim ex hujus libri Rhapſodis, ecquisnam Principum *aliquando ſit factus prædicans*? Quòd dicit, *Jeſuitas ex ſuis ſemper eum eligere Generalem, qui in ſæculo principem virum egerit*; tam verum eſt, quàm cætera, quæ hactenus attulit. B Eligitur enim ille, qui judicatur omnium aptiſſimus, maximéque præditus illis donis & virtutibus, quas Conſtitutiones noſtræ, à Generali requirunt, quocunque tandem genere & loco natus ſit. Parte 9. cap. 2. At quod repetit, *nos, quia graduum & officiorum diſtinctionem conſtituimus, ſedem Pontificiam affectare*; vana calumnia eſt, & ſine ullo ingenio ficta; Nam ſi graduum apud nos diſtinctio argumentum eſt affectati ſummi Pontificatus, pari ratione concludere licebit, omnem civitatem officiorum & dignitatum gradibus diſcretam affectare culmen & thronum Romani Imperii. Magnum autem crimen nobis objicit, cùm ſcribit, *quicquid Generalis ordinat, id Jeſuitas ceu oracula divina ſuſcipere*; quidni? Hæc vis eſt obedientiæ, meminerit illius: *Qui vos audit, me audit*. Lucæ 10. Quamvis injuriam Generali & veritati faciat, cùm Generalem *in eodem honore cum Papa à nobis haberi ſine fronte fingit*. C Et quando mentiri deſinet de Generali? necdum, ùt video, finis: *Ad Generalem*, inquit, *quicquid Jeſuitæ per totum orbem efficiunt, ipſi diligenter ſingulis menſibus perſcribunt*. Et quomodo ſingulis menſibus ex India, Japonia, Braſilia, aliisque remotiſſimis locis, literæ perferri poterunt? Verum eſt, Provinciales Europæ jubentur ad Generalem quovis menſe literas dare. Sed cui hoc diſpliceat, niſi Lutheranis, quibus omnis bona adminiſtrationis forma, & membrorum cum capite uno conjunctio & conſociatio diſplicet? Mentitur autem, cùm omnia & ſingula, quæ ex literis didicit, Pontifici narrare nugatur Generalem, præſertim *ſi quædam*, inquit, *facinora in Lutheranos aut Hugonottas perpetrârunt*, Pag. 30. Tantúmne otii & temporis à rebus gravioribus Pontifici ſupereſſe putatis, ut audire vacet, quicquid à noſtris Romam ſcribitur? Utinam verò inſignem & commemorabilem aliquam Lutheranorum & Hugonottarum converſionem, & ad Eccleſiam Catholicam regreſſionem, Romam perſcribere liceret, neque chartæ neque labori parceremus; neque etiam ob id honoribus augeri, & opibus à Pontifice ditari cuperemus, ùt iſte hîc cavillatur. Ipſa veſtra ſalus nobis merces eſſet longè pulcherrima, & honos multò maximus.

D At quàm impudens mendacium eſt, *P. Generalem ad omnes Reges terræ mittere, & per ſuos legatos circuire, donec ſuis ampla collegia, regios reditus, omnisque generis abundantiam comparet*. E Mendacium eſt, ut denuo repetam. Nam multi magni nominis tam Eccleſiaſtici, quàm aliorum ſtatuum, multæ civitates & Reſpublicæ, ſæpenumero repulſam tulerunt, cùm Collegia peterent, quantumvis licèt amplis in ſingulos annos oblatis proventibus. Et nimiùm ſanè fallitur, qui magis ſollicitum putat P. Generalem, ut Societatis fines latiùs proferat, quàm ut prolatos jam divina benignitate conſervet & tueatur, ut hæc qualis qualis Religioſorum familia in ſanctitate & juſtitia creatori ſuo ſemper ſerviat.

II. De Jeſuitarum Aſſiſtentibus.

F Aſſiſtentes appellantur apud nos quatuor illi Patres, qui Generali Præpoſito in Univerſali Societatis cura & gubernatione conſilio & auxilio ſemper adſunt. Pag. 30. De his multa effundit Hiſtoricus mendacia, quorum nonnulla ordine enumerabimus.

G Primum eſt, *Aſſiſtentium officium eſſe, non modò Societatis, ſed & ſecretioribus Papæ deliberationibus aſſidere*. Parte 9. cap. 6. In Conſtitutionibus noſtris, ubi officium Aſſiſtentium deſcribitur, planè non mandatur, ut Pontificem ſuis conſiliis juvent, ſed ut Generalem; & vulgo etiam notum eſt, Pontificem Conſiliarios habere Cardinales, non Jeſuitas.

Alterum mendacium eſt, *Aſſiſtentes ſemper excubias agere ad internecionem Lutheranorum*. Patres illi advigilant cum Generali, ut, quod DEUS per Ignatium operari dignatus eſt, id confirmetur, & ut Societas hæc virtutibus, cœleſtiúmque chariſmatum donis indies magis atque magis perficiatur. Si hoc eſt ad Lutheranorum internecionem curam & cogitationem convertere, tum non nego id, quod Helias objicit.

Tertium mendacium eſt, *Aſſiſtentes ſolè Generali obedire debere*: nam & Superiori domus Romanæ ſeu Vicepræpoſito, non minùs quàm alii obtemperant. H

Quartum mendacium eſt, *ad hos ſcribi à Provincialibus, Viſitatoribus, Rectoribus, Regentibus, & ſpiritualibus Præfectis ſingula & omnia, quæcunque in mundo Jeſuitæ reliquè agunt*. Pag. 31. Nam omnes literæ deſtinantur ad ipſum Patrem Generalem, etſi, quæ in iis continentur, Generalis quandoque conſilii cauſa communicet cum Aſſiſtentibus. Et nimis profectò hyperbolicus eſt, cùm omnia & ſingula, quæ ubique terrarum à noſtris geruntur, tam accuratè Romam perferri narrat. Sed audiamus harum literarum periochas, interprete Hiſtorico: *Primò omnium agunt*, inquit, *in his literis, quis ſit Regum & Principum erga Societatem affectus, & qui eos clementer excipiant*. Jure hoc quintum mendacium dixerim. Nam ſta-

tum

A tum Collegiorum & Perſonarum, Rectores, ſtatúmque Provinciarum Provinciales primùm omnium P. Generali ſignificant. Deinde ſi Benefactorum quoque beneficia & Amicorum benevolentiam literis prædicant, quo alio, quàm grati hominis, officio funguntur?

Sextum mendacium eſt, *nos mirificè Papæ commendare Principes nobis benevolos.* Men-
B dacium hoc non modò nos ferit, ſed & omnes Catholicos Principes, quaſi tam humilis ſint conditionis, ut noſtra apud Pontificem commendatione egeant. Et quinam ſunt illi Principes, qui Jeſuitas in Lutherano perniciem armant? Arma noſtra ſunt pietas & eruditio, his, non aliis, armati oppugnatum, & ſi Deo placet, expugnatum Lutheranos ibimus. Gladios, haſtas, & bombardas ſemper relinquemus bellicoſis Prædicantibus.

Septimum mendacium eſt, *nos propter rerum feliciter geſtarum commemorationem à Papa in omnibus, quibuscunque poteſt, rebus evehi, immunitatibus ornari, & dignitatibus augeri.*

Octavum mendacium eſt, *in literis, quæ*
C *Romam ſcribuntur, accuratè in omnia, præſertim Germanorum Principum, conſilia & acta inquiri, cunctáque ſive vera, ſive falſa, Romam transcribi.* Solenne veſtrum tenetis, ô Prædicantes. Calumniamini audacter, ut, qua ſitis origine nati, manifeſta documenta detis. Ut autem videatis, quid Superiores Romam ſcribant, non erit abs re, adſcribere hic ipſam ſcribendi formulam, quæ Superioribus præſcribitur. Sic autem habet: *Superiores Domorum & Collegiorum, & Magiſtri Novitiorum ſcribant ad Generalem, quæ. alicujus momenti fuerint, etiamſi approbante Provinciali fiant. Illa verò potiſſimùm ſcribant, in quibus Provincialis admonitus, vel non providet, vel providere nequit, vel poſtquam Provincialis cum illis tractaverit, ipſi ab ejus judicio diſſentiunt: Sed tunc quidem addant, quid Provincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant, interim tamen ei per omnia obediant.*

D *Cùm Provinciales ſcribent Generali, curabunt, ut ſtatum Domorum & Collegiorum ſuorum, ac totius Provinciæ benè explicent, & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod ſuperiores Domorum & Collegiorum minùs declaraverint, & in univerſum ita ſcribere debent, ut Generalis omnium rerum, omniúmque perſonarum, ac Provinciarum ſtatum, quoad ejus fieri poſſit, ante oculos habeat?* Ubi hîc ulla Principum mentio?

Nonum mendacium eſt, *nos nonnunquam Germaniam peragrare, rerum explorandarum gratia, mutato habitu inſtar proditorum, maximè in Auſtria, Suevia & Bavaria.* Dicat, quæſo, quis habitum mutaverit in Suevia & Bavaria? in Auſtria, ſi quis id fecit, non fecit hoc ùt proditor, ſed ut ne veſtri E
Evangelii hoſpitalitatem, & in peregrinis Jeſuitis excipiendis caritatem fraternam experiretur; indies enim magis magísque diſcimus veſtram plebísque veſtra opera ſeductæ in nos incredibilem benevolentiam. Deinde omnísne ille, qui legitimas ob cauſas veſtes mutat, proditor cenſendus erit? Quare deſinat inſultare ſanctiſſimo & innocentiſſimo Martyri Edmundo Campiano, quem iſte imperitè, Elianum vocat: Major eſt illius laus & martyrii gloria, major virtus & in perferendis graviſſimis pro fide Catholica tormentis, conſtantia, quàm ut à vobis ullis verborum tenebris inobſcurari poſſit. F

Decimum mendacium eſt, *noſtros pro rebus bene geſtis indulgentiam & opem ab Aſſiſtentibus petere.*

Undecimum mendacium, *Aſſiſtentes plauſtra indulgentiis onuſta nobis remittere.*

Duodecimum, *nos Germanis has indulgentias auro vendere.* Non immoror refutandis his tam craſſis mendaciis. Sciunt ſycophantæ Lutheranis Indulgentiæ nomen inviſum. Hinc cùm mendacibus fabellis ſuos oblectare volunt, de indulgentiis aliquid ingerunt, adeò, ut vix Prædicantem invenias, qui, ſi tria verba de Indulgentiis proferat, non totidem mendacia admiſceat.

Decimum tertium mendacium, *Aſſiſtentes per totam Societatem Viſitatores, Inſpectores, Rectores, Regentes, Concionatores, ſpirituales Præfectos & Inquiſitores conſtituere.* Mendacium multiplex. nam Viſitatores & Rectores ſolus Generalis creat. Inſpectores & Inquiſitores nullos in Societate novimus. Regentes, Concionatores, ſpirituales Præfectos, & alios Officiales conſtituit Provincialis, vel Rectores conſenſu Provincialium. At conqueritur calumniator, *ſemper eos aliis præfici, qui Catholicæ Religioni valde ſunt addicti;* cuperet ſcilicet, ut Polycarpus Lauſerus, aut Millerus olim Auguſtanus, aut alius quiſpiam de hoc grege Collegiis præficeretur. Sed beatus, qui quàm maximè procul ab his Prædicantibus vivit: ùt priſca gens mortalium. Pag. 32. 156.

III. De Jeſuitarum Profeſſis.

NOn tantùm mendaciter, ſed & impe- H
ritè de Jeſuitis ſcribit. Itaque pa- Pag. 32.
tiatur, antequam porrò pergimus, ſe inſtrui. Apud nos aliud ſtatus eſt, aliud officium: Statu continentur, primò Profeſſi tam quatuor, quàm trium votorum; Secundò, Coadjutores formati ſpirituales & temporales: Tertiò, Scholaſtici & Coadjutores temporales, nondum formati: Quartò, ſi ita placet, Novitii; nam & iſti ad Societatem aliquo modo pertinent. Officiorum nomina ſunt, Generalis, Aſſiſtentes, Provinciales, Viſitatores, Rectores, Regen-

A Regentes, Confessarii, Concionatores, Professores, Præceptores, &c. Quæ iste distinguere debuisset, si fideliter & sincerè de his scribere instituisset. Sed omnia miscet & turbat, perpetuò occupatus in explicandis Jesuitarum generibus, quasi totis generibus simus diversi. Sed audiamus, quid de Professis quatuor votorum afferat; condonabo tamen ipsi nonnulla mendacia, sannásque scurriles, quibus se & otiosum suum Lectorem oblectat, commemorandis Professorum experimentis & probationibus.
Pag. 33. *Horum*, inquit, *professorum Roma alit ultra ducentos*, Mendacium, ùt & illud, *quòd*
B *amplissimum habeant Collegium.* Nam, ut omittam distingui apud nos domos & collegia, & Professorum habitationem Romæ non collegium sed domum esse; quàm domus Romana magnifica sit & splendida, vel potiùs quàm misera & malè materiata, intelligere poterunt Prædicantes ex multis Germanis, qui eam & extra & intra perlustrârunt. *Lautè*, ait, *& splendidè sumptibus Papæ & Cardinalium & Episcoporum aluntur.* Quæso, quando hunc tandem mendaciorum pudebit aut pigebit? Lauta videlicet & opipara illa vita est, quæ quotidianis eleemosynis toleratur. At domos nostras profes-
C sas precariò victitare, sine ullis certis & statis proventibus, intelliget lector veritatis amans, ex formula nostri instituti, quæ extat apud Ribad. lib. 3. cap. 21. Quòd autem hic Alexandrum Farnesium Cardinalem, memoriæ nunquam intermorituræ, Patrem egenorum præsidiúmque, & omnium eruditorum Mæcenatem ac fautorem munificum, venenata sua lingua *truculentam*
Pag. 304. *bestiam*, & infrà, *senem libidinosum*, appellat, luet aliquando vel potiùs jam luit hujus suæ nefariæ maledicentiæ promeritas pœnas. Quamquam horum abjectissimorum hominum maledicta, quid sunt nisi benedicta, & virtutis illustria testimonia, haud enim quemquam bonum vituperarent, nisi eum sui dissimillimum esse cernerent.
D Professos nostros nominat Historicus, *aliorum Jesuitarum Episcopos.* Sed calumniatur; Nihil enim minùs apud nos sunt, quàm Episcopi, neque ex illis duntaxat Rectores & Superiores, sed & ex aliis eliguntur; At neque ex his neque ex aliis creantur Inquisitores, quos hîc denuo ingerit, probè sciens nomen hoc, suis Lutheranis esse invisum & ad invidiam Jesuitis comparandam aptissimum. Unde etiam Medicus Lutheranus, nescio quis, qui se Orientem propè totum peragrâsse in suo Itinerario refert, cùm multa alia de Catholica religione parùm verè effutivisset, tandem etiam in gratiam Jesuitarum narrat, *se voluisse in Indiam Orientalem navigare, sed absterritum, quòd audivisset, Jesuitas inquisitores Goæ acerrimè & diligentissimè inquirere in omnes illos, qui cum Romana Ecclesia non consentirent.* Ita scilicet mendaciis & fabellis vulgo

E gratis, multitudinis animos à nobis abducitis. Sed veniet aliquando dies, cùm omnes istæ vestræ nebulæ evanescent.

F Verùm enimverò licèt hactenus tam multa támque grandia & manifesta hominis hujus mendacia patefecerim, id tamen, quod sequitur, non in postremis numerandum arbitror. Ait, *Germanis non præficiunt Germanum Rectorem, sed vel Italum vel Hispanum,* Pag. 33. 149. 150. *aut si nobilior ex Germanis constituitur, habet tamen Hispanum, qui eum observet, ne quid præter morem Hispanicum agat.* Quæso te, mi lector, quisquis es, cujuscunque sectæ vel conditionis, poterísne in animum inducere tuum, ut, si vel micam prudentiæ habes, huic Historico in tam claro, certo & patenti mendacio deprehenso, quicquam in posterum credas? Numeramus in hac Provincia Collegia undecim & duas Residentias, omnes Rectores, excepto unico, Germani sunt, neque plures, quàm tres in tota Provincia Hispani nobiscum vivunt, quorum unus Superior, reliqui duo privati studiis vacant, procul ab omni gubernationis cura. Et tamen iste tam projectè & profligatè mentiri audet, ut Lutheranorum animos, quibus ob Catholicam religionem nomen Hispanum parùm gratè ad aures accidit, in nos inflammet.

G In formula nostri instituti mandatur, ut Professi promptè & alacriter obtemperent Pag. 34. Pontifici, tum quoad omnia alia, tum quoad missiones, sive ad Turcas, sive aliò eos mittere velit. Hîc iste; *Sedulò*, inquit, *cavere videntur, ne mittantur ad Turcas.* Utinam Historicum vel semel respiceret veritas; nam quoties nostri in Ægyptum, quoties in Syriam & ad Maronitas per summa pericula profecti sunt? & vix credo, vos Lu- Vide Georg. Scherer in Catholica glossa. theranos Constantinopoli bene notos, præsertim in aula Patriarchæ Oecumenici & sanctissimi (refero quæ Schismatico tribuistis epitheta) nihil audivisse de nostrorum hominum Constantinopolim missione.

H Quod sequitur mendacium, dubito, num notare debeam; *Professi*, ait, *vicem Cardinalium & Episcoporum subeunt, quorum Papa, Generalis;* clarius enim est, quàm ut quemquam fugiat. At quòd nobis vitio vertit perfectam obedientiæ observationem, & præsertim illam membrorum cum capite mutuam connexionem, &, ùt loquimur, dependentiam & subordinationem, quam sub finem epistolæ de virtute obedientiæ, gravissimis verbis filiis suis Pater Ignatius commendat; id adeò parùm moramur, ut continuis precibus nihil aliud à Deo flagitemus, quàm ut hanc obedientiam, & partium hujus religiosæ familiæ cum capite consensionem & harmoniam perpetuam & indissolubilem esse jubeat, & in id omnes vires, tanquam à quo salus Societatis pendeat, meritò intendimus. Sed antequam finem dicendi,

A an mentiendi de Professis Agyrta facit, arma expedit, & tubam bellicam rursus inflat, & denuo quiritatur, *Millerum, nostrorum*
Cap. 1. *impulsu, in exilium ejectum, Augustámque domesticis militibus obsessam, idque Patris Baderi & Patris Bonaventuræ testimonio & confessione confirmat.* Sed suprà dixi, hac calumnia satis supérque liberari nostros, libro, quem Amplissimus Urbis Augustanæ Senatus in Millerum proscriptum publicavit; inde enim, qui tumultuum civilium auctores fuerint, clarè liquet. Tu verò, quis es, qui prudentissimum Reipub. Augustanæ Senatum insectéris, quòd necessaria militum manu quieti & securitati urbis prospexerit? Sed nemo à labiis vestris, sub quibus virus aspidum latitat, immunis abit.

IV. De Jesuitarum devotoriis servis, &c.

B Pag. 35. HÆsi hîc diu, quosnam devotum hoc caput novo & monstroso nomine *servos devotorios* nominaret. Tandem vidi, ipsum hoc nomine omnes intelligere, qui tria religionis vota Deo nuncupaverunt: Ubi perquam ignoranter de votis nostris differit. Nam tria vota simplicia, eósque, qui hæc vota ritè susceperunt, confundit cum votis solennibus, triúmque solennium votorum Professis; neque enim Professi vel sunt vel habentur, qui simplicibus tantùm votis, quorum iste formulam Italicè & Latinè recitat, Deo & Societati sese
C obligârunt. Mentitur autem, cùm ait, *illiteratos uno vel dimidio anno absoluto ad hæc vota admitti, literatos non nisi biennio probationis exacto;* nam nemo omnino admittitur, nisi probatione, quæ biennium durat, finita: Sic quidem, ut per illa ad aliquem Societatis gradum recipiatur, & desinat jam esse Novitius: quamvis interdum Superiores ad majorem consolationem quibusdam permittant, ut ea vota ante hoc tempus sua sponte Deo offerant. Verùm hac in parte non habetur ratio doctrinæ, sed pietatis, neque propterea Novitii, desinunt esse Novitii.

D Pag. 36. Asserit deinde, vota hæc esse impia, falsa, injusta, naturæ corruptæ impossibilia, & quid non? Sed probet, quæ dicit; nam vociferanti tantùm nihil credemus, *probavit id,* inquit, *Lutherus in libro de captivitate Babylonica;* sed quomodo & quid probavit? facto, opinor, & ipso exemplo, non rationibus, se noluisse, non autem non potuisse servare vota Deo promissa. Hoc vobis probavit parens vester, in quo vos, vera carnis & sanguinis mancipia, impigros sectatores habet. Sed nec tempus nec locus est disputandi nunc de votis, fecit id copiosissimè Bellarminus tomo primo controversiarum, & olim etiam propriis de hac materia libris Franciscus Turrianus, quos,
Controvers. 5. lib. 1. de Clericis. & lib. 2. de Monachis.
velim, Prædicantes legant; ex brutis homines fierent, si attentè evolverent.

Pergit insanire. *Hi trium votorum professi proximi sunt iis, qui ad quartum votum admittuntur.* Addere debebat; si sint trium votorum solemnium Professi. Sed cùm Historico trium votorum Professi omnes illi sint, qui simplicia vota ediderunt, nemo non videt, illum antiquum obtinere, id est, mendacem esse. E

Recitat porrò viginti quatuor articulos, in quos Professi isti jurare debeant, eos à nobis *Canones professionis* dici, sibíque scripto traditos à P. Christophoro Zieglero Stutgardiano affirmat. Sed mera sunt mendacia; nam hos canones omnibus Jesuitis ignotos consarcinavit ipsemet calumniator, partim ex professione fidei à Pio IV. præscripta, partim ex Catholicorum libris, additis subinde nonnullis fraudibus, dum quosdam adeò lubricè, imò & ridiculè proponit, ut, nisi valdè clementer accipiantur, multísque distinctionibus muniantur, nullo modo veri sint, vel certè inepti, qualis septimus, his conceptus verbis: *Christo Domino nostro & in aliis, & in eo etiam, quo se Deum esse testatur, propterea credo, quia Deus illum misit lumen ad revelationem gentium.* Et decimus: *Prophetas prædixisse illa, quæ de Christo Domino sub eorum nomine prædicta leguntur, ideo credo, quia non solùm Christianus orbis, sed etiam ipsi Hæretici, Mahometani, & Judæi Christianorum inimici eadem fatentur eos prædixisse, quæ cum Gentium & Sibyllinis oraculis conveniunt.* Quamobrem summam injuriam facit calumniator mortuo jam P. Zieglero, dum ipsi Jesuitis omnibus incognitos *professionis articulos* affingit: Nos enim fidem nostram testamur illa verborum formula, quam Pius IV. præscripsit, quotiescunque vel Superiorum voluntas, vel muneris obeundi ratio id postulat. F Pag. 36. & 37. G

Posthæc commendat Historicus Kemnitium *ipsis,* ùt ait, *Jesuitis formidabilem, sic enim mihi dixit Gregorius de Valentia, se nullum Lutheranorum, nisi Kemnitium metuere.* Itáne verò Nanum hunc timuerit ille invictus pugil? atqui sæpissimè audivi ex ore Gregorii de Valentia, nullum Hæreticum Kemnitio esse futiliorem, nullum pleniorem fraudibus, impostúris, depravationibus, mendaciis, contradictionibus, inanissima & plus quàm muliebri garrulitate, & id genus aliis phaleris: quod de Kemnitio Judicium non modò Gregorii nostri est, sed ipsius etiam Wittebergensis Academiæ, cujus olim Kemnitius alumnus fuit. *Si eximas,* inquiunt Theologi Wittenbergenses, *ex libro Kemnitii pauculas res Philippicas, cætera non emerem vitiosa nuce, sunt enim partim inanes, partim impiæ argutiæ, malè detortis patrum sententiis obrutæ.* Et: *Allegat patrum sententias sine judicio, sine ulla cura, & sæpè mala fide, nec per-* H Pag. 38. In lib. de persona & Incarnat. Christi anno 1571.

A *perfectè.* Et: *Sæpè vel truncat, vel imperfectè citat Patres, alieno sensu contra propriam ipsorum mentem, vi & obtorto collo eos adducens, & sine discrimine sæpè eos extra propositum accumulat.* Et: *Multa nova & peregrina comminiscitur ex melancholico suo cerebro, quæ neque ex scriptura, neque ex communi orthodoxæ Ecclesiæ consensu probare potest: Et tamen videri vult, quasi Patres & Scripturam à sua parte habeat.* Tandem appellant illum, *Calumniatorem, Sycophantam, fratrem Judæ, pectus amarulentum & virulentum, falsarium, clamatorem & rabulam.*

B Ecce Polycarpe Academiæ Wittenbergensis de tuo Kemnitio judicium & Senatusconsultum, & scribere audes, eum, quem ipsi primarii Lutherani in Cathedra Lutheri & Philippi sedentes, meritissimò despiciunt, Jesuitis terrori & pavori esse? Non magis illius scripta metuunt, quàm te & tua, quod declarant tot libri Gregorii de Valentia, Bellarmini & aliorum, qui cum Thrasone isto Brunschvvicensi in arenam descenderunt, summámque & orationis & rerum vanitatem luculenter coarguerunt.

C Magnum verò crimen objicit nobis Historicus, cùm scribit, *nos juxta decretum Concilii Tridentini fidem priùs profiteri, quàm gradibus Magisterii & Doctoratus insigniamur.* Si vobis una fidei formula esset, non quivis Magistellus aut Doctorculus novam sibi fidem fabricaret. At quod addit, se *formulam illam fidei, bona fide descripturum Lectorique repræsentaturum,* puto eum loqui per antiphrasin. Nam hujus suæ bonæ fidei statim documentum præbet, dum totum Symbolum Apostolicum formulæ insertum omittit, dúmque sub finem verba illa Pontificis: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis infringere,* attexit, quasi & ipsa ad fidei testandæ formulam pertinerent. Adhæc, qua fide totam hanc periodum in suo libro depravat, hanc, inquam? *Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem. N. spondeo, voveo ac juro.* Videant Lectores Lutherani, in libro Historici, quàm hîc fideliter egerit.

D Cæterùm frustra nos hîc ad disputationem Herbrandi de nova Religione seu fide ablegat Historicus; nam mendacia, calumnias, stultitias, ineptias, & insanias ipsemet nobis cumulatissimè suppeditat, ut minimè sit necessarium, nos propterea adire vietum illum senem, vel etiam Marbachium Argentoratensem, qui ad finem libri de fide JESU & Jesuitarum formulam fidei eadem ferè, qua Historicus fide recitat, & ineptissimè refutare conatur. E

V. De Novitiis Jesuitarum.

F QUæ de Novitiorum exercitationibus hoc loco Historicus scribit, adeò non Pag. 40. obsunt nobis, ut sperem, nullum fore lectorem, dummodò vel primis labris Spiritum Dei gustârit, qui eâ non vehementer probet demptis tamen calumniis, & mendaciis, cujusmodi est, *Novitios instar stultorum vexari, exercitationes religiosas ab illis non alio fine, quàm ad sanctitatis famam colligendam suscipi, eos meditationibus quibusdam, cujuslibet arbitratu compositis vacare;* non enim ùt stulti vexantur, sed ad futura in spirituali vita certamina, ùt tyrones accuratè præcoluntur, & ut de se omnibúsque suis hostibus victoriam referant, & spolia ampla reportent, nulli labori parcunt. Vacant porrò meditationibus aut à Magistro suo præscriptis, aut à Patre Ignatio in libro spiritualium exercitiorum traditis. Verùm ùt olim Judæis *Christus crucifixus erat scandalum, & gentibus stultitia,* ita vobis Prædicantibus hæc & similia vitæ religiosæ exercitamenta scandalum simul & stultitia sunt, quippe non alia sapientia præditis quàm carnali hujus mundi, quæ, ùt D. Jacobus verè dixit, *terrena est, animalis & Diabolica.* Quam sapientiam vobis nequaquam invidemus; scimus enim, quòd, *quæ stulta sunt hujus mundi, elegit DEUS, ut confundat,* vos sapientes, quibus in carne sine carne vivere incredibile videtur. 1. Cor. 1. Cap. 3.

G Alioquin minimè miraretur Historicus hîc & infrà, P. Bonaventuram Novitios vocâsse *Angelos terrestres,* quod elogium omnibus religiosis sanctè & castè viventibus meritò tribuitur. Miretur D. Chrysostomum, cujus libro tertio adversùs vituperatores vitæ Monasticæ (id est, adversus hæreticos hujus ætatis) hæc est oratio: *Soli* (de religiosis loquitur) *in tranquillo & portu & summa securitate residentes, veluti ex cælo ipso cæterorum naufragia prospectant; namque conversationem planè cælestem elegerunt, nihilque deterius Angelis affecti sunt,* quod multis deinceps ostendere pergit D. Chrysostomus. Miretur D. Bernardum, *quid castitate,* inquit, *decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit.* Pag. 41. 99. 285.

H *Quæ non nubunt neque nubentur,* ait D. Ambrosius de virginibus, *erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur* (attendite Prædicantes) *quæ Angelorum Domino copulantur. Hi profectò, qui continentiam servant,* ait D. Basilius, *Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili immortalium vitam illustrando tuentur.* Et D. Augustinus, *Virginalis integritas,* inquit, *& per piam continentiam ab omni concubitu immu-* Epist. 42. Lib. 2. de Virginitate. Lib. de Virg. Lib. de S. Virg. cap. 12.

A *immunitas; Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Plura hujus generis inveniet Polycarpus cum
Lib. 2. c. 4. sociis apud Hieronymum Platum, ne Patrum monumenta evolvendo fatigetur.

Sed alia videamus; Habemus regulam quandam his conceptam verbis; *Nemo eorum, qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discat aut scribere, aut si aliquid scit, plus literarum addiscat, nec quisquam eum doceat, sine Præpositi Generalis facultate, sed satis ei erit, sancta cum simplicitate & humilitate Christo Domino nostro servire.*
Pag. 42. Hanc regulam exagitat hîc festivus scurra, miris facetiis & scommatis, *fratres ignorantiæ, asinos, salsos versiculos, & rythmos germanicos,* Lutherana levitate & dicacitate re-
B fertos ingeminat, historiam cujusdam Ulmensis, qui literas discere volens, prohibitus sit, non sine mendaciis narrat; Sed non est his opus, ô calumniator, paucis
1. Cor. 12. respondeo cum Apostolo: *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* Societas nostra, ùt & alii Ordines, corpus quoddam est, *Quod si omnia essent unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*
Sap. 10. Neque apud nos habentur ignorantes, quibus Deus dedit *scientiam sanctorum,* quæ est scire JEsum *Christum, & hunc crucifixum,* eo fine, ut & ipsi *carnem suam*
Gal. 6. *crucifigant cum vitiis & concupiscentiis.* Utinam vos Prædicantes in hac tam excellenti scientia paulò meliùs versati essetis.

C Deinde quænam injuria illi fit, si in Societate à studiis arceatur, qui extra Societatem opificio suo contentus, ne Alphabetum quidem unquam didicisset, aut si aliquid didicerat, nunquam tamen in studiis progressus, aut inutiliter progressus fuisset? scilicet tam destituti sumus eruditis, & in omni genere disciplinarum excultis hominibus, ut necesse habeamus suscipere, qui ab infimis puerorum rudimentis cursum literarium auspicentur. Accedit, quòd omnibus, antequam in Societatem cooptantur, regula prædicta prælegatur; si contentos se fore dicant, admittuntur; sin minùs, rejiciuntur; & si tuus ille Ulmensis examinatus, ingenuè fassus fuisset, se studiorum gratia nobiscum vivere velle, sanctè tibi affirmo, nunquam futurum fuisse, ut ad probationem admitteretur. Quocirca jure optimo postea, cùm suum hoc propositum aperuit, & pueriliter exequi statuit, eò, unde venerat, remissus est.

D ## *VI. De Jesuitarum servis temporalibus, seu coadjutoribus formatis.*

Pag. 43. TU tuos tibi habe servos calumniator, coadjutores non sunt nostri servi, & multò minùs, ùt tu mentiris, *sclavi.* Chariſſimi in Christo fratres nostri sunt, & *membra unius ejusdémque corporis, quibus, quò* E *videntur vobis ignobiliora, eò honorem abundantiorem circumdamus.* Abi ergo miser cum Pag. 44.
tuis *asinis, equis* & *caballis,* cum illo autem enormi, & quod capitali supplicio mulctetur, dignissimo mendacio, quo ais, *nos coadjutoribus inobedientibus, & immorigeris nosse præsentanea coquere venena, quibus è medio tollantur,* abi non jam ad corvos, sed ad tartara, neque poterit aliquid, quod minus sit ipso igne infernali, mendacium hoc eluere aut diluere unquam. Audi tu Polycarpe vósque cæteri, quorum opera liber hic editus, si Jesuitæ jure vobiscum agerent coram legitimo tribunali, possetísne probare hoc tam atrox facinus? Erubescetis simul & conticescetis ad hanc quæstionem, satis scio, F
si vobis vel una pudoris micula supereſt: Cur ergo & hoc & alia plurima evulgâstis, quæ, rumpamini licèt, nunquam in omnem æternitatem vel in speciem probabili argumento confirmabitis: sed imitari placuit vobis sceleratos Arianos, & Meletianos, qui beatissimo Athanasio objiciebant, quòd Arsenium occidisset, qui tamen maximè vivebat, quando Athanasius à flagitiosis nebulonibus homicidii maximè accusabatur. Aliam, ô boni viri, habemus rationem, si qui desperati, & corrigi nescii videantur, dimittimus illos, & liberos à Societate abire jubemus.

Vide Theodor. lib. 1. hist. cap. 30. Et D. Athanas. Apolog.

Quæ porrò horum Coadjutorum sint partes & quæ munera, multò meliùs discet Lector ex verbis Constitutionum nostrarum, quàm ex fabulis calumniatorum. Ita igitur G
P. N. Ignatius in examine: *Coadjutorum temporalium magis est proprium, ut in ministeriis omnibus inferioribus & humilioribus, quæ ipsis injungentur, se exerceant, persuasi, quòd Societatem juvando, quò meliùs illa saluti animarum vacare possit, eidem omnium Domino servient; quandoquidem propter divinum ipsius amorem ac reverentiam id faciunt.* Est autem vanissima calumnia, *nos ideo in domesticis quibusdam negotiis expediendis, externorum subterfugere operam, ne doli & malæ artes nostræ manifestentur:* nam qui simus, quæ nostra sit vivendi ratio, quis modus, nôrunt, qui nobiscum quotidie agunt, quorum non unus aut alter, sed integræ regiones: non enim versamur in solitudine & eremo, sed in oculis conspectúque hominum. Quare si dolis malis nos & res nostras sustentaremus, crassos profectò oporteret esse prudentissimos, & doctissimos homines, nobis familiarissimos, qui nostras fraudes, imò ipsa cubilia fraudis tandem non deprehenderent.
Cap. 6.

H Addit; *saltem ob avaritiam nos id facere, ne quis fructus ad cives, inter quos vivimus, redeat,* sed injuriosus est, quia hîc non habetur pecuniæ, sed decentiæ & religiosæ disciplinæ ratio. Nam ut sæculares omni re-

li-

A ligione liberi, verſentur inter Religioſos (quod vitari non poteſt, niſi ex ipſo Ordine ſint, qui quotidiana miniſteria obeant) quivis prudens, ſine meo admonitu, intelligit, quàm ſit indecorum; ut taceam, quanta incommoda inde naſci ſoleant; neque ullam nobis incolæ, in quorum urbibus domicilia poſuimus, propterea litem intendunt, vos ſoli Prædicantes eſtis, qui inſanis veſtris clamoribus omnium animos in nos accendere contenditis.

B Reliqua, quæ de obedientia Coadjutorum erga ſuos Superiores recenſet Hiſtoricus, nemo nobis vitio, ſed potiùs laudi dabit. Interim tamen ſciat, non modò Coadjutores, ſed & alios omnes, cujuſcunque gradus & officii, diligenter & promptè, & alacriter in omnibus, in quibus peccatum nullum ineſt, Superiori ſuo obſecundare; Hæc eſt enim vis obedientiæ.

Mentitur autem, cùm dicit, *ſalutatum ab externo ſine ſuperioris permiſſu, ne gratias quidem pro ſalutatione agere poſſe, rogatúmve, ne verbum loqui audere;* nam regula id minimè prohibet, ſed colloquia cum externis non impetrata facultate vetat.

C Declamat deinde in nos, *quaſi impios, quòd parentes deſeramus, omnémque erga illos amorem exuamus;* ſed declamet in Chriſtum, cujus hæc perpendat velim verba, *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus;* Ex quo Domini dicto ſumpta eſt illa regula, quæ præcipit, *ut omnem carnis affectum erga ſanguine junctos exuamus, & in ſpiritualem convertamus, eósque diligamus eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit.* Itaque vides, à nobis non deponi omnem parentum amorem: Et hunc amorem ſignificavit Dominus, nomine *odii*, quia vobis carni & ſanguini addictis, odiſſe videmur, quos ita amamus. At *crudele eſt parentum convictu ſeſe abdicare.* Audire debes D. Hieronymum, velis, nolis: *Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat, licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad crucis vexillum evola, ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* I nunc, & noſtram in parentes crudelitatem jactita. Neque eſt, quòd formidetis, Prædicantes, ne quid hîc peccati admittamus; ſcimus probè, quando & quatenus invitis & reluctantibus parentibus liceat Religionem ingredi, & ingredi volentes recipere.

Pag. 45.

Lucæ 14.

Epiſt. ad Heliod.

D

VII. De ſervis Jeſuitarum ſpiritualibus.

Pag. 46.

JAM dixi, nos nullos habere aut agnoſcere ſervos, ipſimet omnes ſervi Chriſti; Coadjutores ſpirituales appellantur, non ſervi, & ſunt ſacerdotes, qui poſt legitima & ſufficientia virtutis & conſtantiæ ſuæ experimenta, tria ſimplicia vota, ſed tamen publica, Deo nuncupant; *Eorum munus eſt,* ùt P. Ignatius in Examine explicat, *Societatem in audiendis confeſſionibus, in exhortationibus, in Doctrina Chriſtiana, & aliis literis edocendis juvare.* His verbis disjiciuntur omnia mendacia, quibus inſectatur Hiſtoricus Coadjutores ſpirituales, ùt *quòd Principibus conſilia, quibus Lutheranos deleant, ſubminiſtrent, quòd Sacramenta ceu rem profanam & inutilem rideant, oppugnent, blaſphement, proculcent,* ſed miſer hic fidem mereretur, ſi de Prædicantibus talia ſcriberet. Nam quod ad Sacramenta attinet, ſatis conſtat, ea à noſtris magìs coli & prædicari, quàm Prædicantes velint.

E

F

VIII. De Præceptoribus Jeſuitarum.

Pag. 47.

DE Præceptoribus paulò meliori fide agit, quàm de Coadjutoribus ſpiritualibus, ſed tamen ne à ſe degeneret, mox ſubjicit, *Gregorium de Valentia Ingolſtadii, & Patrem Julium Priſcianenſem Dilingæ, publicos Profeſſores eſſe, non Theologiæ, ſed ſomniorum Thomæ de Aquino.* Optaret videlicet, ut deſerto D. Thoma Hæreticorum omnium triumphatore invicto, Herbrandi compendium, aut Philippi examen, aut Evangelium ſancti Joannis Græcè & Grammaticè per themata auditoribus noſtris interpretaremur, non tantùm ex primariis, quas nos, iſte homo infimi ſubſellii, ubique affectare nugatur, ſed ex ſecundariis etiam cathedris.

G

Pag. 48.

H

Cap. ult.

De Præfectis alumnorum, quos iſte ignota nobis appellatione *Præceptores beneficiariorum*, nominat, non eſt, quòd multis & multa dicam; inſtruunt enim ſuæ curæ commiſſos, qua poſſunt ratione, in Catholica fide, & adversùs veſtras vulpinas technas muniunt, neminem tamen dolo malo, ùt calumniatur impoſtor, ad noſtrum vel alium Ordinem pelliciunt: Sed ſi quem à Deo vocari animadvertunt, eum opera & conſilio juvant, ut cymbam ſuam ad portum ſalutis appellat, & plenis velis oſtia religionis ſubeat. Qua de re infrà denuò dabitur dicendi locus. Nam Battus hic eandem cantilenam ſæpius, imò uſque ad nauſeam repetit. Facilè porrò ignoſcimus Hiſtorico, cùm nos hîc *Juventutis perditos corruptores & ſpirituales lupos,* iracundè pronunciat. Meminimus, qui, de quo, & quam ob cauſam verba illa protulerint. *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus?*

Pag. 49.

Matth. 27.

Matth. 10.

XI. De Spiritualibus Jesuitarum præfectis.

Pag. 49. VIdetur Historicus noster satis scilicet profeciſſe sub præfecti Spiritualis Magisterio; recitat enim admodum artificiosè & graphicè, quibus quemque vertibis vel in officio retineat, vel ad officium inciter. Cæterùm illud offendit, quòd sic falsis vera remiscet, & ludicra seriis, ut satis indicet, sibi nunquam fuisse propositum quicquam sincerè de nostris rebus scribendi. Nam nemo nostrûm, *Evangelicum illud centuplum* promissum omnibus, explanat *de amicitia Papæ, Cardinalium, Episcoporum & multorum Principum*, ùt iste scurriliter cavillatur, neque de Virginibus Deo dicatis, quasi in locum naturalium sororum nostrarum succedant; Lutherana hæc sunt scommata; Quanquam non dubito, minimum Religiosum Pontifici, Cardinalibus & Principibus Ecclesiasticis & politicis longè chariorem & acceptiorem esse, quàm omnes Prædicantes, quotquot sunt, fuerunt, aut aliis erunt in annis. Quî ergo interpretamur illud centuplum? eo modo, quo D. Bernardus, Cassianus, Beda, Augustinus, & alii, quorum explicationes inveniet lector apud Platum de bono statu religiosi.

Matth. 19.

Lib. 3. cap. 13.

C At quòd senibus iisque conjugatis, ùt iste dicit, aditum ad Societatem præcludimus, in causa illud est; *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Sed objicit Historicus, *Pontificios docere, conjugatos rectiùs Deo servire, si soluto Matrimonii vinculo monasteria ingrediantur, quàm si in conjugio vivant.* Sed dicat, quinam sunt isti Pontificii hujus doctrinæ assertores: aut si nullos monstrare poterit, ùt sanè non poterit, mendacem se fateatur oportet: Docemus quidem, Matrimonium ratum, non tamen consummatum solvi religionis ingressu. Sed de consummato nemo id docet. Docemus præterea, ex mutuo consensu Matrimonium quoad cohabitationem solvi, atque adeò alterum vel utrumque conjugum Deo sese dicare posse; non tamen docemus, conjuges id facere debere, vel ad hoc consiliis & monitis inducendos esse, ne quid per imprudentiam committatur, cujus postmodum pœnitentia, sera licèt, subeat.

1. Cor. 7.

Pag. 50.

D Jam verò ut præfectos rerum spiritualium oculis intueamur, ipsos nobis depingit. *In incessu*, inquit, *sermone, & moribus insignes sunt hypocritæ, jurares ipsos Angelos esse: quàm primùm verò os aperiunt, colligitur eos esse Sathanæ servos.* Quæso, dic Polycarpe, quandoquidem Historico non licet, dic tu, inquam, quomodo duo hæc cohæreant: *sermone & moribus jurares ipsos esse Angelos.* Et: *Quamprimum os aperiunt, videas esse Sathanæ ministros.* Cernis, opinor, mendacii constantiam.

Pag. 51.

X. De Jesuitarum Concionatoribus.

E PAucis verbis non pauca mendacia profert Historicus de Concionatoribus. Mendacium est, *Concionatores illos esse, qui vices Parochorum in concionandi munere subeant.* Nam licèt in quibusdam locis nostri loco Parochorum concionentur, multis tamen aliis concionamur in nostris templis & in illis civitatibus, ubi concionatoris officium à Parochi officio distinguitur.

Pag. 52.

Mendacium itidem est, *Parochos nostros melius missare* (verba profani nugatoris refero) *quàm concionari* nôsse; reperiuntur enim in Catholica Ecclesia non pauci, omnibus Prædicantibus longè superiores, sive gravitatem sermonis, sive copiam dicendi spectes, ut de eruditione taceam. Insignem namque injuriam Orthodoxis Ecclesiastis irrogarem, si illos quoad doctrinam cum Lutheranis rabulis conferre vellem.

F

Tertium mendacium est, *Parochos non audere ob metum Pontificis & ob nostra privilegia facultatem concionandi nobis denegare*; nam privilegia nostra nemini eripiunt libertatem.

Quartum mendacium est, *Concionatores nostros non informare suas conciones ad normam verbi DEI.* Quid enim populo explicant, nisi Evangelium & verbum Dei?

G Quintum mendacium est, *optimos à nobis censeri concionatores, qui verbosas & atroces in Lutheranos invectivas instituant, populúmque ad indignationem contra Lutheranos inflamment, quique risum auditoribus narrandis fabulis excutiant.* Audite Prædicantes, optimi nobis illi concionatores sunt, *qui sine affectatione verborúmque lenociniis ea populo graviter proponunt, quæ ad captum & utilitatem auditorum accommodata judicantur, iisque insistunt, quæ ad Christianam institutionem & ad extirpanda vitia & virtutes inserendas valent.* Ita in regulis concionatorum describitur à P. Ignatio concionator. Nolim tamen vobis mirum videri, si in Germania, aliisque hæresi infectis regionibus concionatores nostri auditores suos aliquando commonefaciant, qui qualésve sitis cum vestra doctrina, sine maledictis tamen & convitiis, quæ vobis relinquimus, in quibus adeò exercitati estis, ut multi vestrûm parùm temporis dent parandis concionibus. Nam maledicere Pontifici, Cardinalibus & statibus Ecclesiasticis, ridere Missam, & sacras cæremonias, diuturno usu jam memoriter scitis.

XI. De Jesuitarum Confessariis.

H Pag. 52.

COnfessarii sunt, qui Confessionibus audiendis & sacramento pœnitentiæ peccatoribus impartiendo vacant, non tantùm *quatuor jejuniorum temporibus*, ùt nugatur calumniator, sed quovis die, imò quavis hora totius anni, quotiescunque necessitas exigit. Sed, oro, videat lector

Pag. 53.

A lector & rideat modum, quo pœnitentes à confessariis examinari scribit. *Examinant*, inquit, *confitentem, primò de peccatis occultis, & cogitationum erratis. Secundò de verbis. Tertiò de factis. Quartò de omissis. Quintò de scriptis. Sextò de venialibus, actualibus, & tandem de mortalibus.* Nihil restabat, quàm ut octavum membrum, *de Originali peccato* adderet. Quid est nugari, si hoc non est? nam si quis ipse, ùt decet, peccata sua enumeret, nunquam examinatur, sed instruitur, & ad vitam meliorem, peccatorúmque detestationem pia cohortatione accenditur. Quòd si examine opus vi-
B deatur, non semper retinetur idem modus, sed pro confessarii prudentia, ipsiúsque pœnitentis conditione & affectione commutatur. Quamvis communis sit ille, quo primò cogitationum, secundò verborum: tertiò operis: quartò omissionis peccata discutiuntur. Sed si Polycarpus tanto teneatur desiderio cognoscendi modum, quem nostri observant in absolutione peccatorum, conferat se ad proximum Brunsvigæ Collegium (quanquam audio, illum jam Witebergam, ad antiquum suum nidulum revertisse) totiúsque vitæ generalem confessionem faciat. At fortè casuum reservatorum sibi conscius, metuit, ne suspendatur.

XII. De Jesuitarum Pœnitentiariis.

C Ita appellantur Patres, qui Romæ apud sanctum Petrum confitentibus operam navant, quos calumniator à suis mendaciis abire immunes non voluit, ex quibus hoc non minimum. *Si quos*, ait, *in confessione cognoscunt, aut hospitia Lutheranis præbere, aut consortia cum illis inire, eos excommunicant, & Magistratui ceu proditorum receptores puniendos offerunt, non obstantibus decretis, quæ præcipiunt, arcana confessionis nulli esse revelanda.* Pag. 53. Mentitur homo profligatissimus, dignúsque, cui, si viveret, lingua & manus præciderentur, ut reliqui ad tam infamia mendacia spargenda, typísque evulganda cautiores efficerentur. Scimus, ô Prædicantes, quæ confessionis sit sanctitas, & quàm inviolabile sigillum. Quare si ejus rei essemus criminis, quod vos ex mero odio nobis objicitis, equidem nullam pœnam à sacris Canonibus hujusmodi facinori decretam, deprecaremur. Et cur, quæso, Historicus solos Lutheranos, quasi Jesuitis invisos, semper in ore habet? An Calvinianos, Zvvinglianos, Anabaptistas, & cæteros sectarios, nobis magis gratos existimat? Sed video, quò tendat. Lutheranus Lutheranis has scribebat fabulas: hinc solos passim inculcat Lutheranos, ut duplici nomine invidiam nobis creet, tum quasi Calvinianis, quos & ipsi oderunt, faveremus: tum quasi solis Lutheranis malè cuperemus.

Pag. 54. Quod sequitur non unum mendacium,
D sed ex multis portentosis mendaciis conglobatum est. *Finis Pœnitentiariorum non est*, E inquit, *Christi gloria, nec proximi salus, sed quæstus, Inquisitio in fidem Christianam, exploratio arcanorum, proditio Evangelicorum; nummus confessionalis, conscientiarum carnificina, & dubitatio de fide.* Non habeo, quod dicam, nisi tot esse mendacia crassa, lucu-lenta & evidentia, quot verba; Nam quod ad nummum attinet (ut atrociora illa omittam) quis nescit, præter istos, qui nihil sciunt, nisi mentiri & calumniari, ne unum quidem nummum ad Pontificem, vel ad Pœnitentiarios redire ex tantis laboribus, quos perpetuò suscipiunt Confessionibus audiendis, & peccatoribus ad meliorem frugem revocandis. Nam quòd Hæretici *Taxas* Pœnitentiariæ & Cancellariæ Apostolicæ semper nobis objiciunt; imperitè simul & malitiosè agunt; cùm *taxæ* illæ non pertineant ad forum internum, sed ad externum, ubi non agitur de absolutione à peccatis, sed, præter cætera, de removendis F impedimentis, quæ hominem, vel ad matrimonium, vel ad sacros Ordines, vel ad beneficia Ecclesiastica, vel ad alia obtinenda inhabilem efficiunt. Quare impudenter mentiuntur, cùm scribunt, ipsi certorum quorundam peccatorum remissioni certum pretium statutum esse; absque quo illa non remittantur. Non est ita, sed si quis super hoc aut illo impedimento dispensationem impetrare velit; aut ab his illísve censuris expediri, ita, ut in foro quoque externo liber sit ab omni nocumento, quod inde enasci posset, tunc pecunia persolvenda est eo modo, quo in omnibus Cancellariis etiam Politicis, pro negotiis expediendis pecunia numerari solet & debet.

Quàm multi verò Evangelicorum quoti- G die Romam veniunt noti & agniti non paucis, quos, si os compescant, & intempestivè pseudoevangelizare nolint, salvos in Germaniam regredi videmus, quorum unus fuit seu filius seu nepos, (non enim satis memini) Cæcilii Cancellarii Anglicani, de Catholicis pessimè meriti. Is, licèt agnitus à Cardinale Alano, Personio & aliis Anglis, damni nihil accepit, imò Pontifex, re intellecta, juvenem benè & humaniter haberi, & securè in patriam remitti mandavit. Velim autem, dicat Historicus, quanam ratione Pœnitentiarii pseudoevangelicorum proditores & ad Inquisitionem traditores esse possint. Nam, qui ad Pœnitentiarios H adit, is ad Catholicam fidem proculdubio reverti cupit. Si ita est, absolvitur, & sine noxa dimittitur, quippe jam Catholicus, & Ecclesiæ reconciliatus. Si verò hæresi valedicere non statuit, equidem persuadere mihi nequeo, eum Pœnitentiarios aditurum; Si tamen aliquando, maximè sub Paschæ ferias, adire cogatur, hypocritam aget. Simulabit & dissimulabit. Ovem se men-

Vide lib. Andreæ Philop. contra duo edicta Reg. Angliæ Latinè & Germanicè editum.

A mentietur lupus, more veſtro. Nam cùm de pelle, ùt dici ſolet, agitur, plerique veſtrûm ſcenæ ſervire & hiſtrionicam præclarè factitare nôrunt.

XIII. De Jeſuitarum Sacerdotibus.

B Pag. 54. PRæter *cætera officia*, ait Hiſtoricus, *ſacerdotum eſſe, in eos, quì ſacerdotes non ſunt, animadvertere, & delinquentes paternè admonere.* Sed mendacii arguitur à trigeſima prima regula noſtra inter communes, quæ ſic habet: *Nemo præter eos, quibus per ſuperiorem licet, quidquam aliis jubeat, aliósve reprehendat.* At omnibus ſacerdotibus Superioris permiſſu licere, ut alios reprehendant, inauditum eſt apud nos, multò igitur minùs, ut in alios animadvertant. Ejusdem farinæ eſt, quod ſubdit, *Sacerdotum eſſe ad juniores ſeu Novitios ſingulis diebus Veneris inſtituere exhortationes;* Nam primò non omnes Sacerdotes has habent exhortationes, ſed vel ipſe Superior, vel ad hoc à Superiore deſtinati. Secundò, non habentur exhortationes ad ſolos Novitios, ſed ad omnes omnino, quotquot in Collegio habitant, ſive docti ſint, ſive indocti, ſive Sacerdotes, ſive non, ídque vel quavis hebdomade, vel decimo quarto quoque die, arbitratu Superioris.

C Pag. 55. 65. Cæterùm ut Hiſtoricus ſpecimen det ſuæ diligentiæ & attentionis in exhortationibus, recitat nobis fragmentum exhortationis cujusdam Landſpergenſis in illa verba Apoſtoli: *Spectaculum factì ſumus Deo & Angelis.* 1. Cor. 4. Sed Pater Joannes Völkius, qui exhortationem habuit, & alii, qui adfuerunt, dicunt plagiarium iſtum peſſima egiſſe fide, cùm hiſtoriam profeſſus, exhortationem, addendo, demendo, fingendo, refingendo, dicaces ſales jocósque ſcurriles aſpergendo, mendaciter & poëticè recitet, & ita diſtorqueat & diducat, ut nec pes nec caput uni reddatur formæ, *amphora cæpit inſtitui, currente rota tandem urceus exit.* Qualia enim ſunt, quæ de ſtatua Regis Nabuchodonoſoris fabulatur, & ad noſtram Societatem transfert? An

D non ſtultiſſimos eſſe oportet, qui quempiam Jeſuitam tam ſtultè ad noſtros verba facere credunt? Itaque hanc veſtram, non noſtram, exhortationem, vobis, ô Prædicantes habetote, nobísque noſtras integras & incorruptas relinquite, ſi poteſtis, quanquam vix poteſtis, docti à Parente veſtro Luthero Religioſas exhortationes mendaciis veſtris contaminare. Nam & ipſe Lutherus ſermonem quendam cujusdam Dominicani ad neſcio quas ſanctimoniales edidit, in illa verba: *Offerantur Regi Virgines poſt eam;* ſed ipſum Thema ridiculè propoſitum & expoſitum, & multò magis totius orationis contextus clamat, exhortationem illam non ex Catholici Sacerdotis, ſed ex petulantis Lutheri officina prodiiſſe.

Extat Tom. 2. Operum Lutheri.

XIV. De Jeſuitarum Rectoribus & Regentibus.

E PO*teſtas Rectoris*, inquit Calumniator, *in Collegio libera eſt & abſoluta.* Mentitur; nam poteſtatem habet dependentem à Provinciali & Generali, quibus etiam adminiſtrationis ſuæ præſtitutis temporibus rationem reddit. Pag. 59. *Nemo*, ait, *ipſi contradicere audet;* & meritò quidem. Nam *qui vos ſpernit, me ſpernit.* At quòd *ſtricto & rigido jure in delinquentes Rectorem procedere ſcribit*, falſa ſcribit. Nam Rector Pater eſt, hinc paternè in ſuos tanquam filios, & non rigidè & ſtrictè, tanquam Dominus in ſervos, animadvertit, ſi quando animadverſione opus eſt; hinc ſpiritu amoris & non affectu timoris ducimur & regimur. Qui

F verò ſunt illi theſauri, quos in Muſæo Rectoris, *cùm privilegiis, literis & arcanis Societatis, reconditos aſſervari narrat* Hiſtoricus? equidem ſcio, nullos eſſe, & audet tamen homo audaciſſimus affirmare, *claves ad hos theſauros ſeu ad pecuniæ arcam à tribus, quos Generalis conſtituat, cuſtodiri.* Miror, cur non dixerit, theſauro huic cuſtodiendo pervigilem Draconem, ùt olim Phrixeo velleri & hortis Heſperidum, adjungi. *Fit hoc*, inquit, *quòd antehac nonnulli Rectores multis auri ponderibus collectis, Societate* relicta, *ſibi ſuisque ablata pecunia, proſpicere conati fuerint.* Sed qui & ubi fuerunt iſti Rectores, qui mala fide tantam vim auri averterint? fortè quod Apoſtatæ parentes veſtri ex opulentis monaſteriis elapſi facere ſolebant, id noſtros etiam transfugas feciſſe putatis. Sed ut animus non defuerit, aurum profectò, quod

G clepererent, defuit. Nam Collegiorum Rectores adeò colligendis theſauris non ſunt intenti, ut feliciter nobiſcum agi putent, ſi ea ſuppetat pecunia, qua neceſſaria ad quotidianos uſus, & ad Bibliothecam ſupellectilémque ſacram & domeſticam inſtruendam, comparent. Quid amplius? *Habet etiam Rector in mandatis, ut ſingulis menſibus ſingulorum mores & progreſſus Provin-* Pag. 60. *ciali, & hic Generali ſignificet.* Imo verò ſingulis hebdomadibus jubentur Rectores ad Provinciales de ſtatu collegiorum ſcribere. Quid hîc habes, quod culpes, præter obedientiæ & ſubordinationis accuratam obſervationem? Sed pulchrum probrum nobis objicis, dum hoc objicis.

H Pag. 60. Narrationem de Rectoribus terminat tandem mendacio. *Cavent*, inquit, *ne ulla de hæreticis, id eſt, Lutheranis habeantur inter ſubditos colloquia.* Mendacium planum & clarum. Nam de veſtris miſeriis, de veſtra in diſputando & ſcribendo infantia, inſcitia, levitate & maledicentia, de veſtris technis, fraudibus & mendaciis in ſeducendis ſimpliciorum animis, ſæpiſſimè non ſine intima quadam commiſeratione loquimur, miramúrque, ullum reperiri, qui ſe à tam

im-

improbis & indoctis hominibus in salutis sempiternum exitium præcipitari sinat.

A

XV. De Jesuitarum Ministris seu Oeconomis.

Pag. 60. OEconomum habeant sibi Lutherani, nobis Ministrum relinquant, de quo, *hic*, inquit Historicus, *singulis diebus sabbati à Rectore accipit, quomodo, quantum & qualiter, res pecuniarias & ad victum spectantes per septimanam dispensare debeat.* Non est verum. nam Minister non præest rei pecuniariæ, sed Procurator: Faciamus tamen verum esse, nihil aliud hinc elucet, quàm ordo & legitima gubernatio.

B Perorat deinde Historicus, & narrationem de statibus & officiis nostris finire volens, *hanc*, inquit, *divisionem Jesuitarum non modò ex aliis audivi & legi, sed ipse eam vidi, & qualis est, talem descripsi.* Sed utrum hoc verum sit, judicabunt Lectores, qui hoc meum responsum legerint. Nam præter infinita mendacia, totidémque calumnias, status ab officiis nunquam distinxit, Coadjutores temporales non formatos cum formatis, ùt cocus malus jura confudit. Qui sint spirituales coadjutores, penitus nescivit. Quo scholastici approbati differant à Professis trium solemnium votorum, funditus ignoravit. Quid multa? quàm in hac Repub. hospes sit & advena, abundè declaravit.

C Cæterùm, quod ait, *morem vivendi nostrum in communi, non mediocriter Pythagoreorum & Anabaptistarum institutis respondere*; videat, ne ipsum Christum & Apostolos omnésque primitivæ Ecclesiæ cives Pythagoreos
Act. 2. & Anabaptistas faciat, de quibus hæc D. Lucas: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Et:
Cap. 4. *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Satis quoque constat in Christi Domini collegio unum fuisse, *qui loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat*, cæteris om-
Joan. 12. & 13. nibus hac cura solutis. Certè D. Chrysostomo hoc vivendi genus adeò non videtur Pythagoricum aut Anabaptisticum, ut
Liber 3. adverf. vituperat. illud etiam vocet Angelicum. *Ut enim illis* (Angelis) inquit, *nulla inest inæqualitas, nec alii successibus secundisque rebus elati gloriantur: alii extremis malis & incommodis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio & quiete summáque illa & cælesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicias in Monasteriis; nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus divitiis honestior est. Inde id, quod omnia pervertit & perturbat*, MEUM ET TUUM *penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, &c.*

D Quid verò Cassianus? *In aliis quoque Monasteriis*, inquit, *in quibus aliqua remissius in-*
Lib. 4. Instit. cap. 13. *dulgentur, hanc regulam videamus strictissimè* E *nunc usque servari, ut ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnúmque sit crimen ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, próque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.*

Habemus regulam quandam, quæ ita ha- F bet: *Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas ullas, quibus Missæ vel Confessiones, vel Prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur.* Hanc regulam insectatur calumniator multis convitiis, & objicit: *Augustæ pro Concionibus* Pag. 61. 62. & Pag. 135. *in præcipuo urbis templo nostris quotannis dari quingentos florenos.* Sed num mercedis nomine? Num etiam nomine eleemosynæ, qua conciones illæ compensentur? An non hoc expressè regula vetat? Accipiuntur ergo titulo eleemosynæ sive donationis absolutè, & sine ullo ad concionandi munus respectu; Nam sive darentur, sive non darentur, æquè concionibus operam daturi essemus, neque ullis unquam, ob non persolutam pecuniam, litem intenderemus. Neque repugnat hoc dicto Christi Domini: *Gratis accepistis, gratis* Matth. 10. Lucæ 8. Joan. 2. *date.* Nam & ipse pecunias, quæ ad suam suorúmque sustentationem mittebantur, accipiebat, ùt Evangelistæ docent, & tamen operam laborémque suum vel discipulorum minimè venalem exponebat. Quòd si Reverendi & Nobilis Augustani Capituli pia in nos munificentia Polycarpo displicet, intercedat ipse, & ne posthac fiat, obstet; Et re ipsa experietur, utrum Concionator noster eam ob causam à concionandi munere desistere velit.

Sed ait, *unde ergo tot Collegia, unde tot reditus, si nihil accipitis?* Paucis respondeo, ex G liberali fundatorum benefactorúmque munificentia: non enim prohibuit P. Ignatius, ne accipiamus à fundatoribus perpetuos & stabiles reditus; sed ut ne fundatis jam Collegiis operam nostram vendamus illis, qui ea uti cupiunt. Quòd autem in P. Gregorium Rosephium, qui tot annis, tanta cum omnium, etiam multorum Pseudoevangelicorum, approbatione munus Concionatoris Augustæ obit, maledicam linguam exerit, parùm moramur, cùm ne ipsis quidem præcipuis urbis illius Senatoribus & incolis parcat, quos hic pro inveterata sua modestia *Pontificiæ Idolomaniæ addictos* appellat.

Sed necdum mendaciis modum ponit; H ait: P. Joannem Völkium à filiis Confessionis, Rectore inscio, pecuniam accipere solitum, ídque se ex ipso in itinere Augusta Landspergam versus intellexisse. Sed Pater

A ille non modò ipsum factum constanter negat, sed & sanctè affirmat, se nunquam cum Helia iter ullum feciſſe, & vix hominem de facie noviſſe. Et certè melior est Religiosus & regularum observantior, quàm ut tale flagitium in se concipiat. Audi Polycarpe regulam. *Nemo pecuniam apud se habeat, apud alium verò nec pecuniam nec quicquam aliud.* Sanctè tibi affirmo, monstri simile futurum, si quisquam in Societate reperiretur, qui peculium sibi construeret. Quod si mihi Confessionis Augustanæ Patroni non credunt, interrogent Catholicos Augustanos, qui Patre illo, Augustæ bene noto, utebantur Confessario, num aliquando vel
B obolum ab illis acceperit. Placet tamen, quòd mendacio saltem aliquid, quo nostri commendentur, Historicus adjungit, nempe inscio Rectore id factum, patrémque, ne Rector resciſceret, metu pœnitentiæ, silentium indixiſſe: fatetur ergo, hujusmodi crimina, si contingerent apud nos, non remanere impunita: Ex quo necessariò sequitur, talia si committerentur, non Ordinis, sed certorum quorundam Societatis legibus minùs convenienter viventium, vitia futura esse.

REFUTATIO CAPITIS IV.

DE

JESUITARUM VITA PUBLICA.

C Pag. 63. CAput hoc à calumniis cœptum, calumniis quoque terminatur, ut respondeat principio exitus, & hic, illi. Ait, *vitam nostram externam & publicam esse Phariſæorum & Anabaptiſtarum ſimilem.* Sed quod ad Phariſæos attinet, demonstrare debebat Historicus bona fide, Jesuitas iis notis insignitos esse, quas Christus Dominus gra-
Matt. 6. & 23. viſſimè exprobrat Phariſæis, maximè illa, quæ est omnem cogitationem & actionem ad auram popularem famámque sanctitatis colligendam, referre. Nam quòd hoc tanquam per se notum, aut ab aliis demonstratum supponit Historicus, nimis multum insipienter sibi sumit. Edidit quidem Humfredus Minister Anglicanus concionem de fermento Phariſæorum & Jesuitarum, sed tam illepidam, tam plenam ruris & infacetiarum, ut annales Voluſii, quos tantoperè ridet Poëta Veronensis, cum ea comparatos, plenos elegantiæ fuiſſe mihi persuadeam. Quàm verò argutè nos Anabaptiſtarum si-
D miles facit? *Anabaptiſtæ*, inquit, *non portant gladios, non inebriantur, non helluantur; non blaſphemant: Idem faciunt Jeſuitæ, ſunt igitur Anabaptiſtis ſimiles.* Præclarè. Judicio ergo vestro ut quis Anabaptiſtis sit dissimilis, necesse est, ut armis bene tectus incedat, ut inebrietur, ut helluetur, ut blaſphemet; soli ergo vos Prædicantes dissimiles eritis, qui hæc & alia gnaviter præstatis: reliqui omnes atque adeò Christus ipse & Apostoli, erunt Anabaptiſtis ſimiles; Non enim legimus, illos, milites ebrioſos, helluones & blaſphemos extitiſſe.

E Pergit deinde vitam morésque nostros satis graphicè depingere, nisi quòd passim mendacia intexit; Ex quibus unum est, *nos ùt Inquiſitores & corycæos Papæ in publicis proceſſio-* Pag. 65. *nibus obſervare Laicos & Sacerdotes, utrum Romano more ſe gerant, Lutheranósque deprehenſos Magiſtratui deferre.* Ridiculus profectò est calumniator, & nimiùm suspicioſus. Pueri in ludis vestris trivialibus omnia plena corycæis suspicantur, idque quia vel malè sibi conscii sunt, vel quia malè agere volunt. Hos pueros imitamini vos centum annorum pueri, cum vestris corycæis & inanibus suspicionibus: sed mala conscientia nusquam tuta est, semper sese observari putat, etiam nemine quicquam cogitante. Addit Historicus. *Si quando à Superioribus mittuntur per loca hæretica, veſtes mutant in aliquo Collegio Evangelicis maximè vicino.* F Jam suprà dixi, si vestes mutamus, nos id Cap. 3. facere propter vestram in nos benevolentiam; mutate vos animum erga nos, & nos vestes consuetas retinebimus, quamvis hoc rariſſimè fiat, & non nisi in longinquioribus peregrinationibus. Nam in hac nostra superioris Germaniæ Provincia neminem vidi unquam, qui vestem mutaverit, aut armis munitus iter fecerit. Imus & redimus ad extimos usque Helvetios, peragramus totam Sueviam, & Palatinatus non exiguam partem, iis, quibus domi utimur, vestibus.

G Intolerabilem porrò injuriam nobis irrogat Sycophanta; cùm mentitur, *nos ad con-* Pag. 66. *ventus & nuptias Principum vel Nobilium, habitu nobilium explorandi gratia venire.* Quid nobis cum nuptiis & conventibus? crede mihi, non sumus tam curioſi videndarum nuptiarum atque vos Prædicantes. At quòd hìc denuo ad Edmundum Campianum, aliósque Martyres Anglicanos convitiis lacerandos maledicus homo revertitur, facit, quod calumniatorem decet, sed crede mihi Polycarpe, convitia improborum non obscurant, sed illustrant Martyres. Et quid tu de Campiano verè & sincerè narrares, qui ne nomen hominis nôsti, *Elianum* eum vocitans. Neque ex Bavaria vel ipse vel alius, ùt fingit Historicus, sed Roma in Angliam missus est. *Iverunt*, inquit, *in Angliam habitu equeſtri inſignes, aureis catenis ornati, generoſis in equis vecti, mollibus veſtimentis induti, omnibúsque ornamentis, quibus potentes in hoc mundo ac nobiles uti ſolent, ſuperbi.* Dic, oro, vidiſtíne euntes in Angliam? suspicari quis posset, te vidisse, nisi quis esses, jam dudum constaret; sed fortè non descripsisti Campianum in Angliam ad Martyrium, sed Polycarpum ad nuptias, sponsámque suam proficiscentem. Vide Nova Novorum. H

Ait ad extremum calumniator, *audiunt Je-* Pag. 63. *suitæ malè à reliquis clericis, præsertim Monachis,*

A *chis; quòd tanta habitus varietate utantur;* Mendacem memorem esse oportet, ne sibi contradicat. Suprà dixerat, nos uti habitu simili habitui reliquorum Clericorum sæcularium; si id ita est, quomodo malè audimus apud clericos de tanta habitus varietate? sed non est novum, ut iste in se ipsum puget.

REFUTATIO CAPITIS V.
DE
VITA JESUITARUM PRIVATA SEU DOMESTICA.

B Pag. 67. QUæ hoc capite criticus hic de vita nostra privata, regulis & exercitiis quotidianis, tam spiritualibus quàm corporalibus refert, ea demptis calumniis, convitiis, sycophantiis & mendaciis, ejusmodi sunt, ut causam nullam videam, cur calumniator, probri loco, ea nobis objicere voluerit. Etsi verò mendacia, quæ passim admiscet, tam clara sunt, ut neminem vel mediocriter prudentem latere possint: proderit tamen, ut breviter indicentur & refellantur, ne saltem imprudentibus ansam errandi præbeant. Ait ergo; *si quis in regulas delinquit, is gravius peccâsse dicitur, ac si in Dei mandata peccâsset.* Mendacium. Nam regulæ nostræ ad nullum peccatum
C obligant, præterquam in iis rebus, in quas delinquere, etiam sine regulis peccatum est, quia prohibentur præcepto vel divino, vel Ecclesiastico, vel naturali. Quare mendacium mendacio probat, cùm id P. Jacobum Crusium in explicatione regularum asseruisse scribit. Verum est, Superiores locum Dei obtinentes, posse aliquid præcipere vel agendum vel fugiendum, contra quod si agas, peccatum admittas; sed cùm patres sint, hac sua potestate, non nisi rarissimè & cautissimè utuntur, cùm scilicet morbo levioribus medicamentis incurabili, acrior medicina facienda est. Irascitur autem Zelotes hic, quòd P. Crusius dixerit, regulas nostras (idem intelligi volens de regulis omnium aliorum Ordinum) præstantiores esse, ipso Decalogo, quatenus Evangelica consilia continent, cùm Decalogus tantùm mandata complectatur: sed succenseat, si velit, ipsi Christo, qui Evangelica consilia sectantes, perfectiores pronunciavit illis, qui
D sola mandatorum observatione contenti vivunt, Matth. 19. *si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende, quæ habes, & veni, sequere me.* Juvenis hic decalogum servaverat exactè, sed tamen Christus invitat eum ad majorem perfectionem, nempe ad voluntariam paupertatem, castitatem & obedientiam. Ex quo planum relinquitur, consilia Evangelica, & omne illud, in quo consilia Evangelica includuntur, tantò esse præstantiora & perfectiora, quantò perfectior est lex Evangelica, lege antiqua. Valde verò optandum esset, ut isti Prædicantes paulò meliùs in Bellarmino, & in Hieronymo Plato studerent, non dubito, quin, quæ sunt verissima & certissima, mirari desinerent tanquam vana, insolita, Pharisaica, & ex traditionibus humanis nata. E

Sed hæc fortassis lectoribus nimiùm seria visum iri, minúsque ad risum apta putavit Historicus. Quocirca ut benevolos lectores retineat, ad jocosas scurrilitates orationem convertit. Explicat enim, quæ pœnitentiæ imponantur regularum transgressoribus, utinam sincerè & sine levitate Lutherana. Et quia nusquam vixit, nisi in domo probationis Landspergæ, & uno aut altero mense Romæ, ideo quæ de exercitiis, déque actionibus totius diei narrat, ferè apud tyrones in usu sunt. *Est*, inquit, *Jesuitis regula, ut manè diebus æstivis hora quarta, hyemalibus hora quinta statim ad signum Campanæ è lecto surgant.* Mendacium est, nullam ejusmodi novimus regulam; hora quarta hyeme & æstate surgimus omnes in Germania, nisi quibusdam vel valetudinis vel ætatis gratia, aliud à Superioribus concedatur. Hoc mendacio, tan- G quam instrumento, lectorum benevolentia captata, pergit Apostata; *si qui aliquando diutiùs stertunt, & à visitatore in lecto deprehenduntur, his datur pœnitentia;* Et meritò sanè, cùm ob pigritiam, tum ob inobedientiam. At videat, ne dum nos reprehendere vult, quàm maximè commendet. Si enim tam leve erratum, quale hoc, non relinquitur impunitum, quæ pœna tandem illi decerneretur, qui in gravioribus flagitiis, qualia passim nobis in hoc libro objectantur, deprehenderetur? An putatis, nos excolare culicem & deglutire camelum? Absit. Porrò cùm librum suum calumniator inscripserit Historiam, par erat, ut pœnitentias nostras fideliter commemoraret. Nam quòd ait, *mitti aliquando fratres, qui* H *in triclinio voces cuculi imitentur*, id mihi Pag. 70. quidem non in triclinio nostro audîsse, sed ab Aristophanicis servis, sui similibus cuculis didicisse videtur, ut scurris ilia risu distenderet: neque injunguntur istæ pœnitentiæ, ut alii interea sese exhilarandi materiam habeant, eóque suaviùs epulentur, ùt Historicus, vera Judæ soboles, fabulatur, sed imponuntur, ut defectus deponamus, ut humilitatem addiscamus, ut nos indies magis atque magis vincamus, denique ut pœnæ hujus, qualis qualis memores, cautiores inposterum fiamus, ne in eundem scopulum denuò impingamus; neque novum, neque insuetum est religiosis familiis, ut errata talibus pœnitentiis corrigantur; cujus rei en tibi Polycarpe, aliquot exempla. Tu, si quid tibi frontis, quod quàm parùm sit, video & doleo, supereſt, erubesce: *Si quis*, inquit Cassianus, de monachis & monasteriis suæ ætatis, *gillonem fi-*

A Lib.4. Instit. cap. 16. *Etilem, queni baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam, quàm publica diluet pœnitentia, cunctisque in synaxi fratribus congregatis tamdiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solennitas, impetraturus eam, cùm jussus fuerit Abbatis judicio, de solo surgere; Eodem modo satisfaciet, quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardiùs occurrerit, aut si decantans psalmum, vel modicum titubaverit; Similiter si superfluè, si duriùs, si contumaciùs responderit, si negligentiùs obsequia injuncta compleverit, si vel leviter murmuraverit, si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segniùs fuerit executus, si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinaverit, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis uspiam secesserit, si alterius tenuerit manum, si cum illo, qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit, si oraverit cum illo, qui est ab oratione suspensus, si parentum quempiam vel amicorum secularium viderit, vel collocutus eis sine suo fuerit seniore, si epistolam cujuscunque suscipere, si rescribere sine Abbate suo tentaverit. Huc usque & in hujusmodi ac similibus admissis procedit animadversio spiritualis.* Idem Cassianus alibi ita scribit. B Lib.3. Instit. cap. 7. *Is verò, qui in tertia, sexta vel nona priusquam psalmus cœptus finiatur ad orationem non occurrerit, ulteriùs oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus, sed Congregationis Missam stans pro foribus præstolatur, donec egredientibus cunctis submissa in terram pœnitentia negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam, sciens, nequaquam se posse desidiæ suæ noxam aliter expiare.* Sanctus quoque Hieronymus de sancta Paula, Virginúmque, cui præerat, monasterio. In epitaph. S. Paulæ. C *Quam, inquit, linguosam, garrulam, ac procacem rixisque perspexerat delectari, & sæpiùs commonitam nolle converti, inter ultimas & extra conventum sororum ad fores triclinii orare faciebat, & separatim cibum capere; ut, quam objurgatio non correxerat, emendaret pudor.* Sanctus quoque Augustinus clericos suos ob certum delicti genus similibus mulctis puniebat: *Cum ipso semper Clerici, una etiam domo ac mensa sumptibúsque communibus alebantur & vestiebantur. Et ne quisquam facili juratione etiam ad perjurium decidisset, & in Ecclesia prædicabat; & suos instituerat, ne quis juraret, nec ad modicum quidem. Quòd si prolapsus fuisset, unam de statutis perdebat potionem. Numerus enim erat suis secum commorantibus & convivantibus poculorum præfixus.* D Hæc Possidius in vita D. Augustini cap. 25. Et quia calumniator miratur & ridet, nos interdum ea munia obire, quæ liberalem & ingenuum hominem, judicio Prædicantium, dedeceant, audiat Polycarpus, quid Joannes Patriarcha Hierosolymitanus literis prodiderit de D. Joanne Damasceno, quem isti non negabunt, ùt arbitror, liberalem & ingenuum fuisse. Narrans enim, quomodo Damascenus Seniori cuidam Monasterii in disciplinam traditus sit, hæc scribit. *Deinde senex, ut Athletam majoribus obedientiæ certaminibus exerceret, tale quiddam excogitavit. Multos corbes comportavit, quos labore manuum suarum Monachi paraverant, & sumpta inde probandi occasione, sic ait ad Joannem: Fili, ùt scis, pluribus nobis opus est, & quia accepimus, Damasci corbes pluris venundari, quàm in Palæstinæ regionibus, tolle illos omnes, & vade illuc, quàm velociter potes. Verùm non aliter neque minoris illas vendes, quàm tibi præcipio; definiebat autem pretium ultra duplum, quàm erat. Non contradicebat Joannes, neque sermonem imperantis judicabat, obedire usque ad mortem paratus, sed sublato in humeros onere, quasi alatus obedientia Damascum profiscitur, in qua pridem spectabilis, nunc viliter vestitus, pallidus & obsoletus obambulabat foro, sportulas vendere cupiens. Verùm cùm nimio pretio sua æstimaret, ab omnibus ridiculus est habitus, & nihil præter injurias & convitia accepit, donec tandem unus ex his, qui eì olim ministrârant, faciem ejus diligentiùs intuens agnosceret, quis esset, & qualis olim fuisset ille, qui jam tam malè vestitus, tam demissus, tam contrito corde erat. Is quasi nihil conscius rei, rogabat pretium sportularum, statimque, quantum indicabatur, dinumeravit. Joannes autem accepta pecunia ad suos regressus, & adversario, qui vanæ gloriæ parens est, in pulverem projecto, domum pervenit victor.* Idem senex eundem Joannem, cùm hymnum in sua cella absque facultate decantâsset, ex cella ejecit, & tandem magnis aliorum fratrum precibus eundem denuò admisit hac pœnitentia & conditione, *Si velit*, inquiebat Senior, *hanc inobedientiam sibi dimitti, id mandati faciat oportet, ut transiens per circuitum nostræ Labræ, id est monasterii, per se ipsum in singulis Monachorum cellis sordium domunculas & latrinas expurget. Qua sententia Joannes valdè lætatus dixit, id mihi facile erit, atque adeò voluptati summæ. Igitur è vestigio abit, & conquisitis acceptisque scopis, nec non aliis purgatoriis instrumentis, cellam ejus, qui propiùs senem habitabat, accedit, eámque ingressus manus illas inquinare cœpit, quæ multis antea aromaticis odoribus fragrabant.* Verùm enimverò hanc philosophiam vos superbia & animi fastu elati non capitis; *qui enim secundùm carnem sunt* (ùt vos Prædicantes estis) *quæ carnis sunt, sapiunt, qui verò secundùm spiritum sunt* (ùt omnes boni Religiosi) *quæ sunt spiritus, sentiunt.* Quare meritò harum quoque pœnitentiarum, ùt & omnium aliarum actionum ex charitate gestarum mercedem à Deo exspectant, quicquid vos contra vociferemini. *Tanta fide*, inquit Cassianus de antiquis Monachis, *universa procurant atque dispensant, ut etiam ea, quæ deste-*

E In vita Damasc. videetiam Cass. lib. 4. Instit cap. 31.

F

G

H

Rom. 6.

A *despectui habentur, parvâque reputantur ac vilia, si vel loco moverint, vel competentius collocaverint, si gillonem aqua impleverint, si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, si tenuem festucam de oratorio cellâve submoverint, mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant.* Lib. 4. Instit. cap. 20.

B Vehementer autem miror, ne examen quidem conscientiæ ab hujus procacitate intactum permansisse. Quid enim vel Ethnico in sui crebra discussione displiceat? *Vir bonus & sapiens*, ait ille: Pag. 70. 71.

Auson. Idyll. 16.

Non priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei,
Quæ prætergressus; quid gestum in tempore; quid non,
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

C Quamobrem cùm isti examen factorum, dictorum, cogitatorúmque totius diei tantopere horreant, satis ostendunt, se ne moraliter quidem bonos esse viros, nedum Christianè; Neque finis hujus examinis est, *ut Rector omnia arcana suorum subditorum detecta habeat*, ùt iste mentitur, sed conscientiæ puritas, vitiorúmque extirpatio, & ad confessionem sacramentalem, præstitutis diebus rectiùs & expeditiùs obeundam præparatio, in qua cur non detegeremus Confessario omnia nostra errata? nam hujus rei gratia ad Confessionem accedimus. Sed vobis aliud in ore, aliud clausum in pectore habere solitis, insolens est hæc religiosa consuetudo: Nobis verò adeò usitata, ut etiam extra Confessionis sigillum, occulta pectoris nostri libenter cum Superioribus communicemus, quò ab ipsis dirigamur, & ad hostium impressiones fortiter sustinendas & excipiendas erudiamur. *Instituuntur*, inquit Cassianus de tyronibus, *nullas penitus cogitationes prurientes in corde, pernitiosa confusione celare; sed confestim, ut exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori, &c.* Sed nunc ad Historicum revertamur; *Graviter*, ait, *in eos animadvertunt, quos deprehendunt conscientiæ examen negligenter feciſſe, vel aliqua in confessione reticuisse, imò tales excommunicant.* Primùm, quid in Confessione dicatur, aut non dicatur, nemini, præterquam confitenti & Confessario, constare potest, cùm sit summa apud nos, sicut & apud fideles omnes religio sigilli Confessionis. Deinde alia errata non puniuntur apud nos, nisi juxta mensuram discretionis. Nam Patres habemus, paternè nos, cùm erramus, castigant. De excommunicatione quod additur, merum est mendacium. Lib. 4. Instit. cap. 9. Pag. 73.

D At dum mendacium redarguo, non unum, sed plurima in unum locum congesta, ultro sese ingerunt redarguenda. Mendacia undique & undique, neque modus neque finis ullus. Narrat occasione examinis fabulam de Magistro Melchiore Schedlero, qui superioribus annis Dilingæ diem extremum clausit, &, uti insignis optimi juvenis probitas sperare nos jubet, ad meliorem E vitam migravit. Ait, *natione fuisse Gallum*; atqui Galliam nunquam, nisi fortè pictam in mappa, vidit, in Germania natus & educatus. Addit, *clàm fuisse Calvinistam*; Mentitur impudentissimè; Fuit enim, si ullus alius pietatis, & Catholicæ religionis ab ineunte ætate studiosissimus; Cujus rei testes esse possunt plerique ex Societate hujus Provinciæ, qui hominem familiariter noverunt, & plurimi ipsius, dum in Academia Dilingana doceret, discipuli. *Hunc nimis severa pœnitentia ob neglectum conscientiæ examen exasperatum*, refert impostor, dixisse; *Examen nihil esse, quàm carnificinam conscientiæ, materiam desperationis, & officinam proditionis.* F Incredibile est, quidquam horum ab illo prolatum: Nebulonis hæc sunt figmenta. Quò minùs credamus, obstant mendacia huic narrationi præposita & postposita. Obstat bonitas & verè religiosa, qua semper excelluit, M. Melchioris simplicitas. Sed audiamus catastrophen: *Huic* (ob prædicta verba) *præter cæteras pœnas est impositum, ut se in prandio ad tertium usque ferculum flagellaret.* Quæso te, si pudoris eges, mutuum saltem sume; ab ortu Societatis nunquam auditum est, cuiquam, etiam ob gravius delictum tam grandem & enormem pœnitentiam fuisse impositam. Si mentiri libet, saltem mentiamini verisimiliùs & ingeniosiùs, non adeò crassè & stolidè, ita, ut cæcus, nihil alioqui videns, hæc vestra mendacia sine ulla difficultate videat.

Repetit porrò hic insulsus cuculus, coc- Pag. 74.
cysmos suos, & quas pœnitentias initio G
prandii & cœnæ vel jussi vel sponte nostra suscipiamus, enumerat: sæpè enim cramben bis, imò ter, quater, & sæpius coctam nobis apponet, dum inani battologia mendacia & scurrilitates identidem reponit; Novam tamen hîc de simulato hinnitu equorum, festivus scurra excogitat tam scilicet veram, quàm erat illa superior de cuculis. Sed jam suprà de his pœnitentiis actum & ostensum est, quàm usitatum fuerit Religiosis errata hujusmodi, pœnitentiis expiare. *Culpam* inquit Cassianus, *nisi in unum cunctis fratribus congregatis publica diluerint pœnitentia, orationi fratrum nullus eorum interesse permittitur.* Et cap. 16. *Sanè si quis pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo prorsus orandi habet licentiam, antequam summissa in terra pœnitentia, reconciliatio ejus, & admissi venia, coram fratribus cunctis publicè fuerit ab Abbate concessa.* Sed surdis cano cum Cassiano fabulam; nam Prædicantes non magis moventur ad hæc, quàm dura cautes. Lib. 2. Instit. cap. 15.

Triclinio egressus, exponit nugator, quid pag. 75.
proximè à prandio ea hora fiat, qua mutuis H
colloquiis & recreationi opera datur. Monui autem suprà, hæc omnia potissimùm de

A Novitiis intelligenda esse, cum quibus iste duntaxat ùt alter Judas vixit. Ait, *in recreatione narrari fabulas* (historias debebat dicere) *de sanctis, & præsertim de D. Virgine, petitas ex Discipulo.* Quid hîc criminis? Maluisset fortassis ex Æsopo, aut Marcolpho sermones institui, quod satis indicat, cùm subdit; *si quis sales spargit, aut jocos interserit, mulctatur.* Nam qui jocos misceant spiritualibus illis collocutionibus, præter Molitorem istum, nullos aut esse aut fuisse

B arbitror. At quòd Polycarpus Lauserus, seu quis alius de numero sycophantarum hoc scholium ad oram libri attexuit; *turpissima plerumque de B. Maria referunt, quæ verecundus juvenis vix auderet petere à lena, quæque me pudet hîc inferere;* Mentitur, ùt nebulones solent, impudentissimè, & multò adhuc magis, cùm insanire pergens: *Alii,* inquit, *ùt conservatricem concubinarum; alii ùt furum adjutricem; Veneris promotricem; alii ùt furum adjutricem; alii ùt lenam introducunt. Summa, plerasque sunt impia & blasphema.* Putásne Polycarpe, ullum fore, cui hæc calumnia videatur probabilis? Nos de D. Virgine non aliter loquimur privatim, quàm publicè & loquamur & scribamus. Quid autem publicè lo-

C quamur & scribamus, novit populus, quocum vivimus, ex concionibus, & totus mundus ex Nostrorum libris, præsertim Petri Canisii & Francisci Costeri. Ex his, ùt etiam ex antiquis Patribus, ex prato spirituali, ex sacris collationibus Bredenbachii, depromimus argumentum loquendi de D. Virginis miraculis & præclaris virtutibus; Quòd si ideo tibi videtur D. Virgo effici lena, aut conservatrix meretricum, furúmque adjutrix, quòd historiarum monumentis proditum sit, eam lenis, meretricibus, furibúsque ex cœno peccatorum, cùm præteritæ vitæ salutari detestatione exire volentibus, præsto fuisse, maternámque manum porrexisse, vide, ne Christum lenonem facias, quia mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, à se non repulit, ùt nec mulierem in adulterio deprehensam, nec Samaritanam. Vide, ne facias illum peccatorem & publicanum, quia cum his versabatur & manducabat. Vide, ne facias latronem, quia latroni in cruce viscera suæ misericordiæ explicavit. Sed cogit me Polycarpi & sociorum insolens impudentia, ut unico saltem exemplo demonstrem, quàm ipsi de D. Virgine aliisque Cœlitibus hono-

D rificè, sanctè & castè loquantur. Joannes igitur Agricola Lutheranus Prædicans, in illa verba D. Lucæ cap. 2. *Et ingressus Angelus dixit Ave, &c.* ita blasphemo calamo scribit; *Ingressus cubiculum puellæ Gabriel adolescentis forma amatorium quiddam, & nuptiale orditur. Virginem, ùt apparet, pellecturus ad concubitum: Ave,* inquit, κεχαριτωμένη *gratiosa, cujus convictum & consuetudinem plerique omnes ambiunt, ob vitæ modestiam, &c.* Et paulò pòst: *Novo salutandi genere offensa Virgo, ut, quia mos gentis fuit, pacem nuntiare, hic gratiam optet, satagit rerum suarum, nondum intelligens, quid sibi velit stupenda hæc salutatio; periclitatur ejus pudicitia & castitas, &c. Turbatam porrò dicit duplici de causa, & quòd viderit Juvenem eleganti forma ad se ingressum, & solam existentem blanditer salutantem. Meditetur apud animum suum quò volet pia curiositate, quid sit videre comatulum adolescentem solum cum puella, clauso cubiculi ostio, dulciter alloquentem Virginem, quam se ambire nihil obscurè & gestu & oratione declaret.* Hæc agrestis ille & ter execrandus Agricola, cui si quis Jesuitarum aliquando dixerit, aut scripserit similia, non invitus concedam Polycarpo, talem non alio, quàm lenæ loco D. Virginem habere. *In his recreationis horis,* ait Historicus, *recitant etiam litteras, quas de suorum operibus & factis acceperunt, quibus ad zelum & constantiam suos exhortari conantur;* magnum crimen, & dignum, quod ab isto ludibrii gratia in scenam protrahatur; Neque tamen nostra duntaxat, sed & aliena narramus, si quæ ad gloriam Dei, Catholicæque fidei defensionem alicubi gesta scribuntur; Quare non est, quòd miretur, Landspergenses Deo egisse gratias, cùm Colonienſem Archiepiscopatum Catholici recuperârunt, aut cùm Augustæ Prædicantium tumultuantium propter novum Calendarium, pertinaciam Amplissimus Urbis illius Senatus fortiter & constanter fregit, scilicet plorare debebant, & ob adversam vestram fortunam mœrori sese dedere. Quæ verò de Principibus subjungit, mera sunt mendacia; nam quibus conviviis, spectaculis, ludísque, animi gratia, aut jam vacent, aut olim in comitiis Augustanis vacaverint, parùm moramur: Multa enim illis permissa sunt & licita, quæ Religiosus nunquam licitè appetit, semper licitè contemnit.

E

F

Pag. 5. a 76.

Pag. 77.

Hactenus quid usque ad meridiem; Nunc quæ à meridie nostra sint studia, exponit, *Et quidem bona,* ùt ait, *fide;* sed mentitur. Dudum enim omnem bonam fidem, id est, humanam & divinam, miser hic amisit, & qua fide dicit, *moris esse apud nos, ùt priusquam cubitum imus, à cellario* (sic enim nostrum Dispensatorem nominat) *recreationem sumamus.* Tot annos nunc in Societate dego, neque hanc consuetudinem vidi unquam, cùm interdiu extra tempora consueta, id est, extra prandium & cœnam, nemini, ne aquam quidem, bibere liceat, sine Superioris permissu.

G

Pag. 78.

Hoc loco Historicus in declamatorem conversus tragicè verbísque sesquipedalibus in Jesuitas declamitat, similiter ac si furiis afflatus, agitaretur, materia maledicendi petita ex Colloquio Jesuitico, Basileæ 1580. impresso. Ait, *nos Tundis, nescio quibus Japonicis, & Bontiis esse simillimos.* Sed cui fidem faciet, qui, quæ Bontiorum, quæque nostra

H

Lucæ 7. Joan. 8. Joan. 4. Matth. 9. Lucæ 23.

Annot. super Evang. Lucam, Norimbergæ 1525. apud Joan. Petrejum.

A noſtra ſit vita, noverit? Majorem fidem mereretur, ſi Prædicantes Bontiis quàm ſimillimos, ac pœne gemellos diceret. Nam ùt Bontii noſtros in Japonia & China peſſimè oderunt, funditúsque extinctos cupiunt: ita vos Prædicantes inſanis veſtris contra nos clamoribus, nihil aliud efficere contenditis, quàm ut ex Germania ejiciamur, & in ex-
B tremas orbis partes ablegemur. Et quemadmodum Bontii variis calumniis & mendaciis noſtros apud Japonios onerant, ùt, quòd humanis veſcantur carnibus, &c. ita vos Prædicantes Societatem JEſu immaniſſimorum criminum, repugnantibus licèt conſcientiis veſtris inſimulatis, ut, quos ſemel in hæreſin præcipitâſtis, obſequentes retineatis. Denique qui Bontiis magis ſint affines, noſtri, qui illorum delubra evertunt, ritus & ſuperſtitiones excindunt, an Prædicantes Lutherani, quibus Chriſtus eſt in ore & longè à corde, judicium penes prudentem & in Japonicis hiſtoriis verſatum lectorem eſto.

C Quàm porrò multa, & quàm craſſa men-
Pag. 80. dacia huic ſuæ declamationi intexit. Ait, *nos roſaria, lapides, vitra, ligna, grana & imagines pro auro & argento Germanis vendere, & literas indulgentiales in infinitos annos pro amplis, iisque auratis eleemoſynis venales exponere, tantæ efficacitatis, ut etiam ſi quis Dei genitricem violâſſet, earum virtute vitam æternam conſequeretur.* Mendacia hæc enumerare, eſt confutare; nam teſtes innocentiæ habemus omnes Catholicos Germaniæ, qui nobiſcum vel agunt, vel unquam antè actis temporibus egerunt. Et tu Polycarpe, ſi quam ſcintillam probi viri habes, nomina vel unum ex tota Germania, imò ex toto terrarum orbe, cui Indulgentias aut hujusmodi literas vendiderimus. An non hîc labia doloſa muta fient? Pudeat vos tantorum & tam immanium mendaciorum.

D At quæ de aſtorgia & noſtra in parentes crudelitate fabulatur, nihil niſi convitia ſunt, ſpiritu apoſtatico & Lutheri apoſtatæ filio digniſſima, ſuperiùs ſuo loco jam refutata;
Cap. 3. Et ſi rabulæ iſti, D. Chryſoſtomum adverſus Monaſticæ vitæ vituperatores D. Caſſianum in Inſtitutionibus ſacrísque collationibus, D. Hieronymum cùm alibi, tum in epiſtolis, & ex recentioribus Hieronymum Platum in libris de Bono ſtatus religioſi, & Bellarminum tom. 1. lib. 2. de Monachis, legerent, fortè parciùs maledicerent nobis, & omnibus illis, qui, ut Chriſto ſerviant, deſertis, imò aliquando invitis parentibus, Religionem ingrediuntur; *ſi quis*, inquit D. Hieronymus, in epiſt. de ſuſpect. contuber. *te corripit, quòd ſis Chriſtiana, quòd ſis virgo, non cures, quòd matrem deſerueris, ut in monaſterio inter virgines viveres; talis detractio laus tua eſt. Item crudelitas iſta pietas eſt; illum enim præfers matri, quem præferri juberis & animæ tuæ.* Itaque religionem profitendo minimè odimus parentes, ſed eos juxta Domini mandatum eo amore diligimus, quem ordinata charitas exigit, niſi ipſe etiam Chriſtus aſtorgiam præceperit, cùm patrem ſuum ſepelire volenti, reſpondit, ſine mortuos ſepelire ſuos mortuos. Luc. 9.

E

Caput hoc terminat Hiſtoricus claſſico, F & inani ſua loquacitate, nos nihil niſi cædes Lutheranorum, & bella & arma in Evangelicos parare fingit: nam quicquid uſquam bellorum geſtum eſt, id conſiliis Jeſuitarum geſtum ſcribit, *non ſine Jeſuitarum conſilio*, ait, *hactenus tam copioſus Chriſtianorum ſanguis in Gallia effuſus eſt.* Mirum eſt, cur non etiam Jeſuitarum conſilio bellum Ruſticum & Schmalcaldicum ſuſceptum dicat. Atqui, mî homo, notius eſt, qui in Gallia funeſtas illas tragœdias excitârint, quàm ut illarum origo tuis calumniis in Societatem noſtram derivari queat; Fuit enim Hæreſis & Hæreticorum improbitas origo omnium illarum calamitatum, & cauſa principalis. Idem reſponſum habeto de Belgio, aliísque provinciis inquieto veſtro Evangelio turbatis. Videntur mihi Prædicantes iſti ſimiles nonnullis incendiariis, qui illatis aliquò flammis ingentes clamores tollunt, incendium eſſe reſtinguendum, auctores quàm primùm quærendos & trucidandos, diligenter advigilandum, ne elabantur ex manibus, quos ſi quis excitati incendii fortaſſis vel leviter arguat, injuriam ſibi fieri conqueruntur, ſuam innocentiam & benè de Republica merendi voluntatem, & inſitam propenſionem longo ſermone demonſtrant. Quid multa? nî fraudem & do- G
lum nôſſes, quovis Sancto ſanctiores jurares. Ejuſdem omnino indolis & genii ſunt noſtri Prædicantes; quæ cauſa eſt, cur Hiſtoricus hoc loco tam graviter ſuccenſeat clariſſimo viro Andreæ Fabricio auctori Harmoniæ confeſſionis Auguſtanæ, quòd in præfatione ad Sereniſſimos Bavariæ Duces ſcripſerit, hæreticorum furorem & audaciam ſeveritate coërcendam eſſe, cùm lenitate nihil hactenus ſit effectum, *ſic nimirum*, inquit Calumniator, *pacis & religionis inducias ſervari cupiunt: ſic ſuos ad ſervandam fidem datam hortantur.* Sed, qui inducias religionis rumpant, docet bellum Colonienſe & Argentoratenſe. Scilicet Catholici, vobis Epiſcopatus & omnia bona Eccleſiaſtica invadentibus, & viſcoſis manibus veſtris diripientibus tragœdiæ tam lepidæ otioſi ſpectatores eſſe deberent. Addit; *certo certius eſt, ne unum quidem eſſe Jeſuitam, quin toto pectore exoptet, manus ſuas in Proteſtantium & Concordiſtarum ſanguine lavare.* At ego dico, certo certius eſſe, Præ- H
dicantes his tam atrocibus mendaciis & injuriis, nihil aliud quærere & exoptare, quàm ut in ſanguine noſtro ſanguinarias ſuas manus abluere poſſint. Ita enim apud ſeduc-

Pag. 83. & ſeq.

Pag. 85. 123. 151.

A ctam multitudinem nos depingunt, ut mirum non esset, etiamsi plebs furens, ferro & igne armata, impetum in nos faceret; Quod quidem, Dei clementia, vociferando hactenus non sunt consecuti: quia vident Germani pro sua prudentia & judicandi sinceritate clamores istos ex mero in Jesuitas odio proficisci. Quis enim credat, nos, vel Pontificem Romanum, interitum Germaniæ moliri, cùm plerique nostrûm, qui in Germania degimus, Germani simus? An patriam nostram æquè nobis, ô Prædicantes, charam atque vobis, in extremam pernitiem præcipitabimus? Quàm etiam summus Pontifex Germaniæ malè velit, declarant cùm alia ejus infinita in Germaniam promerita, tum quòd hoc tempore & prece & sumptu non exiguo Turcarum copias cervicibus nostris imminentes à Germanorum finibus tam sollicitè arceri curat.

B At confirmat Historicus sanguinarium nostrum animum dictis & scriptis P. Theodori Peltani,& P. Antonii Possevini. Peltanum enim dixisse, se suadere, ut Catholici Augustani, omnes Lutheranos, & summos & infimos occiderent. Cæterùm cùm homo hic toties jam in mendaciis sit deprehensus, non est, quòd speret, se ulli facturum fidem, & P. Peltanus, si viveret, sanctè juraret,tam inhumana verba sibi nunquam excidisse. Neque dubito, quin ex altissimo cœli domicilio, Molitorem istum, in stagnum picis ardentis & sulphuris jam dudum dejectum, hujus tam nefarii mendacii coarguat. Et ipse Historicus satis indicat, se more solito mentiri, cùm scribit, P. Peltanum dixisse, *delere Lutheranos non adeò fore difficile Catholicis, cùm eorum major sit copia, quàm Lutheranorum.* Quæso,quis non apertè cernit mendacium? Anne cuiquam ignotum est, Augustæ multis partibus esse majorem copiam Evangelicorum, quàm Catholicorum? Et certè id ignorare non poterat Peltanus, quippe vetus incola Augustæ & Lutheranis probè notus.

C De P. Possevino quæ narrat, ipsa sibi fi-
Pag.85.124. dem abrogant mendaciis & calumniis undique scatentia. Vocat illum *Provincialem Germaniæ & Inquisitorem.* Neutrum verum est. Nam Provincialis nunquam fuit, neque hujus neque alterius in Germania Provinciæ: neque etiam visitator, si fortè Inquisitori nomine Historicus visitatores nostros intelligi cupit; multò minùs Inquisitor fuit eo sensu, quo hæreticis omnibus Inquisitoris nomen, & multò magis officium valde molestum est. Adde, quòd ex libris ipsius Possevini satis constat, qua de causa sæpius in Germaniam à Pontifice Gregorio XIII. missus venerit.

D Sed ex tabulis agit nobiscum Historicus contra Possevinum; Profert enim libellum quendam patris illius Italicum, inscriptum E
Il soldato Christiano smiles Christianus, in quo libro monet Possevinus milites à Pio V. in Galliam ad Carolum IX. Francorum Regem missos, ut fortiter Ecclesiam Catholicam defendant, Hæreticorum licentiæ viriliter & animo imperterrito obviam eant, sævitiam Hugonotticam in omnes crudeliter grassantem coërceant, aliàs de regno illo florentissimo, omnibúsque Catholicæ religionis propugnatoribus, eorúmque fortunis actum esse. Hîc calumniator omnia F
hæc contra Evangelicos Protestantes seu confessionistas dicta & scripta esse vociferatur. Sed dic, quæso, tu Polycarpe, quandoquidem Historico tantum à tormentis inferis non est otii, dic, inquam, erántne protestantes, qui tum Galliam immanissimè vastabant, & Regem ipsum Carolum, totámque domum regiam ad cædem quærebant, eáque passim edebant facinora, quália nulli Turcæ, nulli Hunni, nulli Gotti, nulli Vandali, aliíve Barbari unquam ediderunt? An non erant Calvinistæ hostes vestri non minùs atque nostri? Cur tu igitur omnia illa, quæ à Possevino in Calvinistas jam contra regem suum armatos sceptróque Christianissimo inhiantes, scripta sunt, interpretaris de Lutheranis Germanis, domi suæ quietè & pacificè remanentibus? Estne hoc candidi & Germani pectoris & non potiùs rabidi & lividi, & ad quidvis comminiscendum parati? Si autem Calvinistæ Protestantes sunt, & in partem pulchræ illius confessionis Augustanæ admissi, dicite,quando & ubi Societas hæc sit inita? quando & ubi dextras junxeritis? Certè in ultimo col- G
loquio Mompelgartensi, mons Schmidelinus cum monte Beza misceri, & in unum coalescere non potuit, & in digressu, ne amicitiæ quidem dextras, nedum fraternitatis, jungere voluerunt. Et vestri Tubingenses non minùs Calvinistas passim in suis libris & disputationibus impietatis accusant, atque Pontificios. Vide ergo Polycarpe, si quos habes oculos, quàm ad calumniandum projecti sitis. Deinde Possevinus non est cohortatus illos milites ad invasionem, sed ad defensionem. Quid autem culpæ H
committit ille, qui alios monet, ut latronibus jam armatis, omniáque ferro & igne depopulantibus, fortiter obsistant? Si enim defensio, quæ suscipitur contra invasores, jure naturali, divino & humano concessa & honesta est, cur non licita quoque & permissa esset cohortatio ad hujusmodi defensionem suscipiendam, præsertim ubi non tantùm de unius aut alterius hominis, sed de salute & incolumitate maximi & amplissimi Regni agitur? Si Calvinistæ arma nunquam sumpsissent, nulla omnino ad resistendum ipsorum furoribus cohortatione opus fuisset. Quare futilis planè est & inanis

A nis tragica declamatio, qua caput hoc Hiſtoricus finit. Accipite rem totam pauçis. Cupimus, & quidem toto pectore cupimus hæreſes omnes & ſectas extinctas, & eò, unde venerunt, remiſſas, ac non armis, non ferro, non bello, ùt vobis mentiri lubet, ſed gladio ſpiritus, armatura fidei, & reliqua panoplia, quam ſuprà ex Apoſtolo ad Epheſios vobis depinxi. Hæc noſtra mens, hic animus, hic ſenſus noſter eſt, hunc omnibus noſtris miniſteriis præ nobis ferimus. Itaque vociferemini ad ravim uſque, nos *ſeditioſos*, nos *belli tubas*, nos *ſanguinarios & incendiarios* eſſe, parùm morabimur, freti conſcientia, quæ cùm vicem mille teſtium ſubeat, facilè ſeſe tuebitur contra centum millia Prædicantium inſanientium, & quidvis furioſorum inſtar commiſcentium.

REFUTATIO CAPITIS VI,
DE
VOTIS JESUITARUM, ET
PRIMUM DE PAUPERTATE.

B EXagitat calumniator tres potiſſimùm regulas noſtras de paupertate, quas hîc adſcribere placet. *Paupertas, ùt murus religionis firmus, diligenda & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum, divina gratia aſpirante, fieri poterit.*

Pag. 88.

C *Diligant omnes paupertatem, ùt matrem, & juxta menſuram ſanctæ diſcretionis ſuis temporibus ejus effectus aliquos experiantur. Nullâque re tanquam propria utantur: paratique ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget.*

D *Victus, veſtitus & lecti ratio erit ùt pauperibus accommodata: & unuſquiſque ſibi perſuadeat, quòd quæ viliſſima erunt ex iis, quæ domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius majorem abnegationem & ſpiritualem profectum. Bene*, inquit, *paupertatem murum religionis vocant, quia peperit illis altos muros, pulchras domos, ampla Collegia & magnos reditus.* Nihil tam ſanctè & ſeriò dicitur, quod Lucianus, Eraſmus, aut ſcurra Lutheranus in riſum & fabulam non vertat. Non eſt hæc cauſa, ô calumniator, cur paupertas dicatur *religionis murus*, ſed quia philargyria & amor pecuniæ, rerúmque temporalium cupiditas, religiones diſſolvit, quas ùt firmiſſimum propugnaculum defendit, illæsásque conſervat paupertas tam illa, qua nihil nec communiter nec privatim poſſidetur, qualis fratrum Franciſcanorum de obſervantia & Capuccinorum, & domorum Profeſſarum Societatis noſtræ, quàm illa, qua in communi quidem reditus neceſſarii poſſidentur, ſed nihil privatim. Qualem paupertatem profitentur Patres Ordinis D. Benedicti, Ciſtertienſes, Carthuſiani, & nos in Collegiis noſtris & domibus probationum. Cùm igitur Pater Ignatius *Paupertatem murum religionis* appellat, loquitur partim de paupertate prioris generis, quatenus ea ad domos Profeſſas pertinet, partim de paupertate poſterioris generis, quatenus pertinet ad Collegia.

Vide Platum lib. 2. cap. 3.

E

F Quàm verò religioſis familiis pernitioſum ſit & damnoſum violare paupertatem, dum quilibet rem pro ſe facit, & ſuum peculium curat, non eget longa oratione, nimis id conſtat: quare meritò diligens datur opera, ne quis privatim quid poſſideat, habeátve, cui tanquam ſuo & proprio adhæreſcat. Nam porta patens aperietur omnis generis hoſtibus Religionem illam devaſtandi.

G At offendunt Phariſæos iſtos Collegia & proventus noſtri. Reſpondeo, aliquid poſſidere in communi nihil officere paupertati, ùt præter D. Thomam 2. 2. q. 118. a. 7. tota Theologorum ſchola tradit, & quotidiana experientia id ipſum apud Religioſos, qui vocâtionis ſuæ memores ſunt, abundè teſtatur: nullam enim rem tanquam propriam uſurpare poſſunt, nihil alteri vel donare, vel ſibi oblatum ab altero accipere niſi permiſſu & conſenſu Superiorum. Neque tamen quiſquam eſt, qui etiam cum ſuperioris facultate rem oblatam ſibi putet eſſe oblatam, ſed communitati. Quare nullus reperitur, qui vel minimum libellum dicat eſſe ſuum, quoad Dominium & proprietatem; ne ipſum quidem Breviarium aut Roſarium, quorum utroque ad quotidianas preces utimur. Hinc æquo animo quiſque fert, quotieſcunque jubetur libros, quos habebat, vel alias res Superiori aut alteri ex Superioris præſcripto tradere. Neque quisquam eſt, qui in ſua poteſtate aliquid habeat. Pro minimis etiam rebus, ùt pro calamis & papyro, ad Superiores eundum eſt, ut de veſtibus, aliſque ad vitam neceſſariis nihil dicam. Jam verò cùm ad Superiores ventum eſt, contentus quisque abire debet, ſive impetret, quod petiit, ſive non impetret, ſive placeat, quod datur, ſive diſpliceat: Et illa ipſa, quæ alicui conceduntur, non niſi tenuia, & religioſæ paupertatis Profeſſoribus accommodata eſſe debent, procul ab omni ſpecie luxus & ſuperfluitatis remota. Neque poteſt quis, ſalva conſcientia, importunè inſtare & urgere, & multò minùs auxilium externorum implorare, etiamſi ſint parentes, fratres, ſorores, aut alterius generis cognati & propinqui, ut ab ipſis obtineat, quod à Superiore obtinere non potuit. Cùm ergo hæc ita ſeſe habeant, quæro ex Prædicantibus & ex Calumniatoribus noſtris, utrum ipſi hoc paupertatis ſive jugum, ſive onus ſubire & ferre poſſent. Satis ſcio, nullum repertum iri, cui tolerandis hujus paupertatis incommodis ſatis animi & virium ſuppeteret, licèt jam ingenti clamore hanc religio-

H

ligiosam paupertatem tanquam suavissimam & omnibus delitiis affluentem apud suos diffament.

A Multò minùs durissima illa, ùt ipsis videtur, conditione sese onerarent, cui olim antiqui Monachi humeros alacriter suppoSuerunt, & quam nobis quoque proposuit noster Pater Ignatius, & quæ illa? Audiamus D. Cassianum. *Antequam vel postquam legitimam communémque refectionem percipiant, summæ cautione servatur, ne extra mensam quicquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat, ut incedentibus per hortos & pomœria, cùm passim blandéque per arbores poma pendentia non solùm objiciant se pectoribus transeuntium, verùm etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, atque ad colligendum parata facilè ad consensum concupiscentiæ illicere valeant intuentes, & opportunitate vel copia, quamvis districtos & abstinentissimos ad sui desiderium provocare, sacrilegium ducatur, non modò quicquam ex his degustare, verùm etiam manu contingere, absque eo, quod palàm cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum œconomi dispensatione per fratrum obsequia publicè ministratur.* Et lib. 5. capite 20. ita scribit. *Monachus ad pugnas interiorum certaminum cupiens pervenire, hanc inprimis cautionem sibi indicat, ut non potus quidquam, non esus ulla oblectatione devictus ante stationem legitimam, communémque refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat.*

Reg. 16. inter communes. lib. 4. Instit. cap. 18.

B Si igitur Prædicantibus Meribibulis non modò vinum extra prandium & cœnam, sed ne aquam quidem bibere liceret, nisi à Superiore ejus rei potestas ipsis esset facta, an non in intolerabile pistrinum, aut in metalli fodinas sese detrusos, & mortalium omnium pauperrimos esse existimarent?

C Sed ut maximè intelligerent isti, non parùm difficultatis inesse in illa etiam paupertate, quæ proventibus in communi gaudet, semper tamen offenduntur, séque offendi passim prædicant Collegiorum nostrorum magnificentia & redituum, etiam in communi, magnitudine. Quæ offensio & querela Hæreticis cum nonnullis Orthodoxis communis est, cùm tamen utraque, id est, tam Collegiorum magnificentia, quàm redituum immensitas non tam sit in re, quàm in istorum Phantasia & existimatione.

D Sunt quædam genera conspiciliorum, quæ si oculis obtendantur, omnia repræsentant multò majora, quàm reipsa sint. Talia conspicilia non immeritò dixeris usurpare istos, quibus omnia nostra, quæ aspiciunt, magnificentiora & splendidiora æquo apparent. Cujus rei aliam causam non possumus afferre, quàm odium & invidiam. Posito enim, quòd Franciscanorum & Capuccinorum instar ostiatim victum quæritaremus, & non in Collegiis novis, &, ùt isti dicunt, *magnificis* & *splendidis*, sed in tuguriolis, quorum congestum cespite culmen, habitaremus, num propterea isti nos magis amarent? nihil minus. æquè illis inviси essemus atque nunc. Quòd si fallor, confutent me non verbis, sed re ipsa Prædicantes, & ædificent in Saxonia aut alibi terrarum Lutheranarum Professis nostris, qui precariò victitant, domum non valdè sumptuosam & magnificam, aut desertum aliquod Monasterium incolendum attribuant, videamus, utrum majori benevolentia egenos illos Jesuitas sint complexuri, atque nos, qui in Collegiis degimus, & reditus in communi possidemus.

E

F Deinde quî fit, quòd isti ad nova & elegantia Collegia semper oculos apertos afferunt, clausos verò ad ruinosa, & malè materiata? An verò nusquam videre licet Jesuitas in antiquis ædibus habitantes? Quòd si Ingolstadii, Monachii, Augustæ, & aliis quibusdam in locis Collegia visuntur utcunque ampla, & ornatiora, quàm adversariis placeat, qui tandem sunt isti lividi calumniatores, qui Catholicorum Principum, Illustrium Virorum, & Rerumpublicarum liberalitati, modum præscribere audeant? cùm optimè nôrint, sine hujusmodi admonitoribus, quæ Collegia & quo sumptu exædificare debeant. Et quos clamores sustulissent obtrectatores isti, si vixissent olim, cùm à Germanis splendidissima & amplissima Monasteria passim ædificarentur, arcésque & reditus Comitum & Baronum in Monasteria converterentur? Sed cùm hæreticis solenne sit domicilia Religiosorum hominum destruere, non exstruere, hinc haud patienter ferre queunt, hoc etiam tempore multos reperiri sibi dissimiles, id est, tales, qui non destruendis, sed exstruendis Deo dicatarum familiarum domiciliis diligentem operam navent. Accedit, quòd ædificia nova, ipsa novitate sua semper aliquid elegantiæ præ cæteris intuentium oculis objiciunt; donec progressu temporis à vetustate, abolita novitatis specie, cum reliquis æquantur. Et si isti post aliquot annos viderent Collegia, quorum splendore nunc propemodum excæcantur, forsan intelligerent, splendorem illum non tam in ædificio fuisse, quàm in ejus novitate.

G

H Præterea quamprimùm isti ædificia nostra contemplantur, statim sine ulteriore disquisitione totam illam machinam pro Jesuitis conditam credunt & mirantur. Atqui tantum abest, ut hoc sit verum, ut potiùs minima ædificiorum pars nostris usibus cedat. Cui enim servit scholarum structura? Nobísne, an illis, quorum liberos instituimus, & ipsi Juventuti? Certè quod ad nos attinet, scholis non indigemus, sed hac in parte solius Juventutis, & quod hinc consequens,

quens, Reipublicæ, cujus Juventus ſeminarium eſt, rationem habemus.

A Rurſus templa non nobis, ſed inprimis Deo Opt. Max. deinde in gratiam eorum, quibuscum vivimus, excitamus, ut eò commodiùs & rectiùs ſpiritualia emolumenta proximi, partim Sacramentorum adminiſtratione, partim divini verbi doctrina procurare liceat. Nos ſacellis privatis & domeſticis contenti eſſemus, ſi privatæ duntaxat & non publicæ utilitatis cura tangeremur. Jam verò Collegia Convictorum cum Collegiis noſtris aliquibus in locis conjuncta, nobis nihil niſi labores & moleſtias pariunt, quidquid commodi inde percipitur, id totum redundat partim ad ipſos Con-

B victores, partim ad Convictorum parentes & patronos. Si igitur quis Jeſuiticis ædificiis detrahat templa, ſcholas, ædes Convictorum, quanta pars ſupererit noſtris uſibus propriè deſtinata? Multis in locis Germaniæ degunt. 30. 40. 60. & plures de Societate in una domo; Si hanc incolarum multitudinem noſtri Adverſarii conſiderarent, fortè æquiores ſeſe nobis præberent, præſertim ſi & illud perpenderent, aliam eſſe rationem Religioſorum, aliam Sæcularium. Nam horum plures ſimul in uno loco interdiu & noctu habitare à vitæ illius inſtituto minimè abhorret; at ut plures Religioſi ſimul verſentur, & in idem conclave conjiciantur, non patitur Religioſæ diſciplinæ ratio, quæ & pro ſtudiis, & pro precibus aliiſque ſpiritualibus exercitamentis ſolitudinem requirit.

C Cæterùm quibus noſtrorum redituum & divitiarum magnitudo, ùt ipſi dicunt, oculos perſtringit, illi, etiam atque etiam oro, videant, ne & ſe & alios vociferationibus ſuis fallant. Eſtne ullum Collegium in tota Germania, quod quoad proventuum magnitudinem comparari poſſit cum Monaſteriis quibusdam Germaniæ, ad quorum nonnulla viginti, ad alia triginta, ad quædam ſexaginta aut ſeptuaginta millia aureorum ex annuis reditibus redeunt, & nónne ipſi Lutherani hujus generis aliquot Monaſteria occupârunt? Quos igitur, bone Deus, hæretici, & partim alii lividi clamores tollerent, ſi ullum Collegium tam munificè dotatum in Germania cernerent, cùm tanta contentione nos traducant, & opes noſtras opibus

D Crœſi & Midæ præferant, quando multis in Collegiis non tot centenos aureos quot annis percipimus, quot perſonæ in Collegio degunt? Et quis hoc tempore aut Sacerdotum, aut Profeſſorum Academicorum centum florenis omnia ad victum veſtitúmque neceſſaria ſibi parare poteſt? Multis in locis videre eſt Eccleſiaſticos aut Academicos, quorum quilibet quadringentos, aut ſexcentos, aut mille, aut plures ex beneficio vel ſalario capiat aureos; & nobis tantopere inſultabunt Adverſarii, ſi uno in Collegio quindecim perſonæ habeant reditus mille E quingentorum florenorum, aut ſi ſexaginta incolis totidem aureorum centenarii ſint à fundatoribus decreti, præſertim cùm apud ipſos quoque Lutheranos vix ullus ſit tam abjectæ conditionis Prædicans, qui non fruatur in ſingulos annos centum florenorum vectigali? Taceo, multa Collegia reperiri, ubi cuivis incolæ centum floreni minimè reſpondeant. Quòd ſi à fundatoribus accepta non diſſipamus inutiliter, ſed pro rebus neceſſariis, maximè pro libris & ſupellectili ſacra ſimul & domeſtica fructuosè expendimus, operámque damus, ut omnia domi noſtræ non quidem ſint lauta, ſed munda, quis hoc niſi invidus culpare poteſt?

Cùm verò pleríque ideo nos maximis di- F vitiis abundare exiſtiment, quòd, quæ emimus, plerúmque præſenti pecunia ſolvimus, & ære alieno minimè nos gravamus; videant, ne hoc non ſit argumentum divitiarum, ſed bonæ œconomiæ & adminiſtrationis, evidénsque documentum, nos exiguos etiam reditus pro multitudine incolarum & caritate omnium rerum, ita tractare & expendere, ùt decet Religioſos. Et ſi omnibus aliis, cujuscunque conditionis & ſtatus, hominibus, rei familiaris cura, & alieni æris fuga, vivendíque frugalitas laudi; negligentia verò & prodigalitas & facta nomina vitio dantur; cur ſolis Jeſuitis adeò quidam iniqui ſunt, ut, quod eſt curæ & ſolertiæ, id adſcribant opum magnitudini & immenſitati? Sed regredior ad Hiſtoricum.

Monemur in Regula, ut paupertatem in G ſua puritate conſervemus, hoc eſt, ne quis unquam reperiatur, qui privatim aliquid poſſideat, quidquid tandem illud ſit; Hîc iſte puritatem paupertatis in hoc conſiſtere nugatur, *ut omnem apparatum quàm inſtructiſſimum habeamus, ita ut etiam Crœſum, ſi non ſuperare, æquare tamen videri poſſimus.* Si tibi & tuo Hiſtorico, Polycarpe, credi volebas, ſuperſedendum erat hiſce hyperbolis & Superlativis; quis enim te non videat mentiri? Nam ubi vidiſti in noſtra ſupellectili domeſtica (ſacram excipio) vaſa aurea & argentea? ubi gazam illam, quam tu ſomnias, Perſicam, & montes plus quàm aureos?

Mentitur autem cùm ait, *nos eleemoſynas* H *petere ſolitos tales, quæ millenarium aureorum numerum excedant.* Ipſemet paulò inferiùs mendacium hoc refellit, cùm ſcribit, noſtros in peregrinationibus *ultra florenum non accipere ſolitos.*

Mandat regula: *ut omnes paupertatem tanquam matrem amemus.* Hîc iſte, *& hoc bene,* inquit, *Eſt enim illis indulgentiſſima mater, quæ eos tenerè & molliter fovet & alit.* Nugatur. Ejusmodi nobis paupertas mater eſt, qualem nobis depinxit Chriſtus. *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æter-* Matth. 19.

A *nam possidebit.* Talis paupertas mater est. Quid vult amplius Historicus? Addidit tamen Dominus; *cum persecutionibus*; quia sciebat, exorituros vos, vestríque similes Hæreticos, qui paupertatis alumnis omnia mala

Marci 10. & dicerent, & data occasione facerent. *Scimus*, ùt Apostolus dicebat, *abundare & penuriam pati*, utrumque à paupertate edocti, in utroque æquè prompti ac hilares. *Ego*

Phil. 4. *enim didici*, ait Apostolus, *in quibus sum, sufficiens esse.* Hoc quivis genuinus paupertatis alumnus de se quoque verè affirmat.

Pag. 90. B Monet P. Ignatius, *ut paupertatis experimenta metiamur mensura sanctæ discretionis.* Hîc iste cavillatur, nescio quid de hac discretione & moderatione, parùm profectò moderatè & discretè, imò parùm verè, ùt, cùm ait: *Regulam mandare, ut paupertas nostra sit pura, munda, ne quod fastidium vel tædium centonibus & laceris vestibus præbeamus.* Quam tu nobis novam regulam fabricas? Equidem nos nullam talem novimus. Illud verò regulæ: *Suis temporibus effectus ejus aliquos experiantur*; ita tractat, ut morionem & sannionem facilè agnoscas. Ridet enim illos, qui humilitatis & paupertatis itidem degustandæ gratia cibum potúmque in triclinio ab aliis mensæ assidentibus, precariò petunt, habitu nonnunquam pauperum, non tamen seminudi, ùt iste mentitur: sed rideat, quantum libuerit. *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

Psal. 93. An nescis, Polycarpe, pugiles non prodire in palæstram publicam, nisi priùs intra privatos parietes sæpius sese exercendo artem gymnasticam probè didicerint?

C Moris est in Societate, ut Novitii probationis gratia mensem unum, vel quamdiu Superiori placet, mittantur aliquò peregrinatum sine ullo viatico, stipem ostiatim colligentes instar aliorum pauperum. Hîc

Pag. 90. nugator, *Jucundum*, inquit, *& suave istud est otiosis & delicatis hominibus exercitium.* Si de jucunditate mentis & spiritus loquitur Historicus, verum, tandem aliquando, post tot mendacia, dicit. Si loquitur de jucunditate corporis, mentitur more suo. Nam, ut alia taceam, quî quæso otiosis, & delicatis hominibus, ùt iste appellat, jucundum esse potest iter pedibus perpetuò facere, cœlo seu sereno seu pluvio, sine ullo

D subsidio, quo viatores sublevari solent? *In istis*, inquit, *peregrinationibus nullum paupertatis actum experiuntur, quin magnam pecuniæ vim domum redeuntes referunt, licèt Rector exeuntibus mandet, ne plus quàm florenum unum à ditioribus accipiant.* Multa sanè mendacia. Nam sæpissime (quod expertus testor) toto die præter panem mucidum & aquam, neque quod edant, neque quod bibant, habent, sæpe noctu, quamvis magnis precibus, vix impetrant, & præsertim ab Evangelicis, ut in stabulo, fæno & stramine tecti somnum capiant, fessi de via & crebrò toto corpore, ex pluviis diurnis madidi, neque ullam pecuniam domum referunt, neque à quoquam florenum (nedum majorem summam) accipiunt, nisi interdum ab amicis nonnullis vi adigantur. Quare turpiter rursus mentitur, cùm scribit, *Novitios ideo has peregrinationes appetere, quòd sciant, eas nihil aliud esse, quàm recreationem & summam voluptatem.* Oro, obtestórque vos Prædicantes, ut, quoniam omne genus hilaritatum & voluptatum studiosè conquiritis, hoc itidem experiamini, si vobis tam suave, & delectabile videtur. Ju- Pag. 91.

bet regula: *ut nulla re tanquam propria utamur.* Hîc iste, *Anabaptisticam communitatem denuo nobis objicit.* Sed respondimus jam suprà. Certè sanctus Basilius in Constit. Mo- Vide Bell. lib. 2. de Monach. cap. 20.

nast. capite ultimo, adeò pro Anabaptistis non habet illos Religiosos, qui nihil privatim possident, *ut dicat etiam, Monachum salutem animæ perdere, & furem atque alterum Judam esse, si quid privati possideat.*

F Præcipit Regula: *ut parati simus ad mendicandum ostiatim*, quando vel obedientia vel necessitas id exiget. Ait Historicus, *præcipi hoc, quando hominibus nimis divites facti videmur, ut hoc quasi paupertatis pallio divitias nostras tegamus.* Nihil minùs; nam cur mendicent, qui in domibus Professis habitant, satis constat, cùm solis eleemosynis sese sustentent. In Collegiis si quis mittatur aliquando collectum stipem, id fit, ut qua quis humilitate suíque abnegatione præditus sit, periculum sumatur, si alioqui rerum penuria non urgeat: Neque enim omnia Collegia tam liberaliter fundata & dotata sunt, ut piorum clementia subinde non egeant.

G *Victus, vestitus, lecti ratio erit, ùt pauperibus accommodata*, inquit P. Ignatius. Hîc sycophanta denuo luxum & delicias & vestium nostrarum elegantiam in scenam producit. *Omnia*, inquit, *mundissima sunt & tenerrima.* quod ad munditiam attinet, non nego, curamus & amamus illam in omnibus nostris rebus, non tamen nimiam & muliebrem, sed Religiosis consentaneam, & quæ ad ædificationem hominum conferat: Mollitiem & teneritudinem vestium & lectorum nostrorum, si Prædicantes experirentur, fortè lectos & culcitras suas nostris præferrent.

H *Emptor regulam habet*, inquit Historicus, *ut non vilia vel mediocria, sed optima & pretiosa quæq; emat.* Mendacium insigne. Regula hæc est. *Emat res bonas, & quàm commodissimo pretio poterit, licèt longiùs sint petendæ.* Pag. 91.

Nec pilei quadrati seu Sacerdotales ab istius calumniis intacti manent: *Solvunt*, inquit, *pro qualibet Bareta*, (sic enim ineptus appellat) *si non ipsi eas faciant, coronatum.* Mendacium illustre, quod tum Prædican- Pag. 92. 93.

dicantes agnoscent, si pileos nostros coram intueri velint.

A Quia verò hi Pilei formam crucis præ se ferunt, multa nugatur hic de cultu crucis ex Auctore Apiarii; tam enim ineptus fuit iste, ut etiam ab aliis ineptias & insciticias mutuari an furari? debuerit. Videbat enim suum fundum tam esse sterilem, ut non satis multas ferret. Sed, ut breviter me expediam, signum crucis veneramur & religiosè exosculamur, &, si ita vis, latria etiam colimus, eo modo, quo id à Catholicis Doctoribus, præsertim à divo Thoma docetur & explicatur, ob eam solam causam, quòd Christus in Cruce pependerit. *Sed hac ratione*, inquit Historicus, *licebit etiam*
B *adorare virgines, quòd virgo Christum peperit, licebit adorare præsepe, quia in præsepi Christus positus erat, &c.* Hîc, ùt video, ex Historico derepentè factus est Helias disputator. Sed, quod ad præsepe ipsum Christi Domini attinet, & ad fascias, quibus ipse involutus est, & ad fœnum, in quo jacuit, & ad illam navis partem, quam sanctissimo suo tactu sanctificavit, liberè & clara voce profitemur, omnia hæc tanquam pretiosissimas reliquias colenda esse, & eodem quidem cum Christo honore, quamvis non eodem modo; latria enim tribuitur Christo absolutè ùt Deo sine ullo respectu: Reliquiis verò Christi non nisi analogicè & per habitudinem ad eum, cujus sunt Reliquiæ, nempe ad Christum. Si autem disputator velit, omnia omnino præsepia, & omnes fascias, & omne fœnum, & om-
C nem navem, eadem adoratione cum Christo adorari debere, eò quòd quoddam præsepe & quasdam fascias, &c. ipse sanctificaverit, id nullo modo à nobis obtinebit: non enim sequitur, si omnes cruces honoramus, oportere etiam nos honorare omnia præsepia, omnes fascias; nam ùt Bellarminus Tom. 1. lib. 2. de imag. cap. 30. rectè docet, *omnes cruces adoramus, quia omnes sunt imagines veræ crucis, in qua Dominus pependit; & præterea etiam ipsius Christi Crucifixi. At præsepia, spineta, lanceæ, & similia non sunt imagines Christi, nec etiam præsepii, spinarum, lanceæ & similium, quæ Christum tetigerunt. Ad imaginem enim non sufficit similitudo, sed requiri-*
D *tur, ut unum exprimatur ex alio. Quare frater non dicitur imago fratris, licèt similes sint, quia unus non est ab alio. Filius autem, quia non solùm est similis Patri, sed etiam ab eo prodiit, idcirco verè dicitur, & est imago patris. Jam cruces omnes fiunt ad exprimendam illam primam, & sic imagines ejus sunt; at præsepia, lanceæ & similia non fiunt ad illa exprimenda, sed ad alios usus, & ideo nec imagines sunt.* Hanc Bellarmini doctrinam refutare debuisset Polycarpus, si quid cordis & oris habuisset, antequam tam leves hujus homuncionis objectiunculas in vulgus spar-

geret. De virginibus pari ferè modo re- E
spondeo; nam cùm ne ipsam quidem D. Virginem adoremus latriâ, quæ tamen Christum concepit, peperit, & sanctis suis manibus toties tetigit, cur alias Virgines honore latriæ honoraremus, cùm nec Christi, nec Deiparæ Virginis imagines sint, nec ad repræsentandum institutæ. Asinum, cui Christus insedit, vobis colendum relinquimus, ut saltem aliquas reliquias habeatis, nos ab Ecclesia edocti, scimus illa tantùm honoranda, & in reliquiis habenda esse, quorum cultus nullam fœditatem vel absurditatem præ se ferre solet.

Vide D. Thom. loc. cit. a. 5.

Deus, inquit Historicus, *nulla imagine* F
aut alia creatura extra se posita honorari vult, ùt lex Dei & sancti Patres Ambrosius, Augustinus, Lactantius, Origenes, Athanasius & Clemens Alexandrinus apertè docuerunt. Bona verba, quæso, & nos legem Dei & Patres, cùm prædictos tum alios multos legimus jam olim, & quotidie adhuc terimus, neque tamen hujusmodi interdictum reperire possumus. Oro te, Polycarpe, si vir es, refuta, quæ hac de re disputavit Bellarminus in libris de Imaginibus; sed scio tarditatem & stuporem ingenii tui; calumniari, mentiri & præfationes barbaras in alienos libros scribere nôsti, & præterea nihil. Sed mitto te, ad calumniatorem redeo, qui Apiario magnas gratias debet. Nam sine ipso nullam hic calumniandi occasionem habuisset.

Parte 4. cap. 3.

Signum crucis, inquit, *faciunt Sacramen-* G
tum. Sed omnes Catholicorum & Jesuitarum Catechismi refellunt hoc mendacium; septem enim numeramus Sacramenta. Quærite, Prædicantes, utrum in hoc numero signum sanctæ crucis reperire possitis. Quòd si qui signum crucis Sacramentum nominant, faciunt id non propria notione, sed ea, qua Sacramentum pro omni signo rei sacræ, qualiscunque illa sit, accipitur. His non contentus, addit Historicus: *In honorem hujus ligni singulis annis celebrant stata festa, Inventionem Crucis, Rogationum, Exaltationem Crucis, &c.* Obsecro te, celebrantne soli Jesuitæ Inventionem & Exaltationem sanctæ Crucis? An non id cum tota Ecclesia Dei faciunt? Rogationes verò non H
in honorem Crucis, sed pro communi totius Ecclesiæ necessitate instituuntur. Sed fortè decepit Historicum, quòd in annuis illis supplicationibus viderit cruces religiosè præportari. Verùm aliud est præferre cruces, aliud diem festum in honorem Crucis agere. Cæterùm sicut ipsum honorem non absolutè & ultimatè cruci tribuimus, ita etiam honos, quo crucem celebratione festorum dierum afficimus, ad Christum ipsum, velut ad ultimum terminum, refertur. Pari modo non cruci, sed Christo Crucifixo sacrificium in Missa Crucis offe-

A rimus, & in Officio Crucis non imploramus gratiam ipſius Crucis, ſed Chriſti in ea Crucifixi. Quare mandacium eſt, *nos omnia, quæ Chriſtus paſſus eſt, & fecit, in Crucem transferre.* Nam quis crucem pro nobis *natam, circumciſam, flagellatam & mortuam* dixit? Quòd ſi quædam tribuuntur cruci, cujusmodi ſunt, *fugare dæmonia, morbos ſanare, dare captivis libertatem*, ea non aliter tribuuntur illi, quàm ùt inſtrumento crucifixi; notum eſt enim, effectum cauſæ principalis certo quodam modo etiam inſtrumenti proprium eſſe. Sed plura de cruce cum inimicis crucis non puto operæ pretium hîc agere. Legant Bellarminum lib. 2. de Imag. cap. 26. & ſequent.

B A pileo venit calumniator ad reliquum veſtitum noſtrum. *Palliis*, ait, *induuntur*
Pag. 94. *oblongis, ſub his tuniculas habent uſque ad plantam pedis ferme dependentes, quas Canabe Holoſerica ſtringunt.* Mendacium ſcurrile; nam cingulum holoſericum nullum, opinor, vidiſti apud Jeſuitas. Canabem tibi tuóque atheo Buccanano relinquimus, ea vel fauces vel lumbos veſtros ſtringere poteritis, parùm morabimur. *Thoraces & reliqua noſtra veſtimenta, ait, eſſe de optimo pannorum*
Pag. 95. *genere, quo etiam, dum ſeculares erant, utebantur.* Inconſtantiſſime nugator, nónne paulò pòſt hæc habes verba? *Si nobiles illorum Societatem ingrediantur, & habitu veniant ſplendido ac pretioſo, permittunt, ut triduum eum reſervent, quo elapſo, eum ſeponere, alteri dare & Societatis habitum induere jubentur.* Si igitur tertio die, ùt ait iſte, jubentur veſtes ſuas pretioſas, & de optimo panno exuere, quomodo geſtant in Societate thoraces, caligas & tibialia de optimo pannorum genere, quo etiam, dum ſeculares erant, utebantur? Vides Polycarpe, quàm ſibi conſentiat Hiſtoricus.

C Quod ad ſupellectilem ſacram veſtésque ſacras attinet, non negamus, nos dare operam, ut ſint quàm ornatiſſimæ & pulcherrimæ, neque quicquam moramur ſolemne illud veſtrum: *ut quid perditio hæc?* probè ſcientes, quo animo id dicatis; nam nihil minùs poteſtis tolerare, quàm ut res divina magnificè & cum ornamentis debitis peragatur.

D Ridet deinde pœnitentias noſtras, quas propter errata ſubimus in triclinio; ridet pias meditationes & precationes, quibus nonnulli, dum ſe induunt vel exuunt, utuntur: Ridet paupertatem noſtram, ſed de his omnibus
Cap. 5. jam ſuprà dictum eſt. Et quis viciſſim non rideat calumniatorem impudenter ſcribentem, *paupertatem noſtram eſſe regiam & cum principum ſplendore comparandam, qua divitem epulonem, Cræſum & Craſſum æquare & referre ſoleamus.* Quàm hoc verum ſit, nôrunt non modò, qui res noſtras propiùs nôrunt, ſed & alii facilè intelligent, quicunque inanes iſtas exaggerationes legerint: ſtatim mendacium, indicio ſuo, ſoricis inſtar, ſeſe patefaciens, deprehendent, ùt & illud, cùm ait; *nos Bombardas & gladios argentatos nobilium, ſi qui Societatem ingrediantur, in Collegio aſſervare.* Quid nobis cum Bombardis & gladiis? bombardæ & gladii noſtri, libri ſunt & preces, his inſtructi, tuti ſatis à veſtra omniúmque inimicorum impreſſione erimus. Quanquam res, quas attulerunt Novitii, ipſis quidem, dum Novitii ſunt, aſſervantur, ut reſtituantur illis, ſi intra tempus probationis diſcedant. Quod ipſum olim apud veteres eremi & Monaſteriorum cultores & indigenas in uſu fuit: *Illa, quæ depoſuit veſtimenta* (inquit D. Caſſianus de Novitio loquens) *œconomo conſignata tamdiu reſervantur, donec profectus & converſationis ejus ac tolerantiæ virtutem diverſis tentationibus ac probationibus evidenter agnoſcant. Et ſi quidem poſſe eum inibi perdurare tempore procedente perſpexerint, & in eodem, quo cœpit, fervore perſiſtere, indigentibus eadem largiuntur: ſin verò quoddam ex eo murmurationis vitium, vel parvæ cujuslibet inobedientiæ culpam proceſſiſſe deprehenderint, exuentes eum Monaſterii, quibus indutus fuerat, veſtimentis, & antiquis reveſtitum, quæ fuerant ſequeſtrata, depellunt.* Narrat Maffejus lib. 2. vitæ Ignatii cap. 3. de quodam ex decem primis Ignatii ſociis hujusmodi factum.

Ravennæ quidam ex iis, cùm hoſpitalis lecti ſordes, ac manantia tabe ſtragula nauſeabundus vitâſſet; quæ prima deinde occaſio data eſt, ſuimet puniendi non prætermiſit. In pago, neſcio quo, pauper Phthiriaſi conſumptus è vita migraverat. Cùm in eum pagum noſtri veniſſent, diſtributisque cubilibus nullum jam ſupereſſet, niſi quod Phthiriacum foverat, Pater ille amiſſam nuper palmam recuperare vehementer exoptans, nudus illico per ſummum animi ardorem eosdem ſubiit Lodices, ibique ſeſe identidem verſans, cùm ingentes animalium greges ea tota paviſſet nocte, ad ſudorem uſque defatigatus, non leves ab ſe prioris faſtidii ac deliciarum pœnas exegit. Hîc ſcurra, *ô lepidum*, inquit, Pag. 96. *caput, dignum, cui fuſte pediculi decuſſi fuiſſent.* Quis miretur in poſterum, à ſycophanta iſto Jeſuitas adeò acerbè traduci, cùm ne hoc quidem hujus Patris tam præclarum & ſui vincendi tam egregium facinus ſcurrilium ſcommatum voluerit eſſe expers? Sed mortificare membra, quæ ſunt ſuper terram, & reſiſtere concupiſcentiis, quæ militant in membris, iísque è diametro interdum repu- Jacob. 4. gnare; non docet carnale Lutheri Evangelium, ſed potiùs laxas immittere habenas: Hinc ſi quid in Sanctorum Hiſtoriis occurrat, quod iſtorum Evangelicorum molliſſimis placitis adverſetur, cachinnos tollunt, vitámque talium hominum æſtimant inſaniam; cujus rei non paucà, eáque luculenta exempla ſuppeditat nobis noſter Hiſtoricus, & Polycarpus, & alii paſſim ſectarii, qui *velut ir-* 2. Petri 2.

Lib. 4. Inſtit. cap. 6.

A *ut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in his, quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt;* niſi maturè reſipiſcant. Regula noſtra 26. ita habet. *Intelligant omnes, quòd mutuo dare vel accipere vel diſpenſare quidquam de iis, quæ domi ſunt, minimè poſſunt, niſi ſuperior conſcius conſenſum præſtiterit.* Hanc regulam explicat calumniator, quaſi de minoribus tantùm & inferioribus loqueretur; Atqui regula generatim de omnibus loquitur, qualescunque illi ſint, ſive juvenes ſive ſenes, ſive docti ſive indocti; neque hîc tantùm, ſed & aliâs ſæpe inſinuat calumniator, quaſi Sacerdotes & Seniores nonnullis privilegiis præ aliis fruerentur. Quod minimè verum eſt.

Pag. 97.

B Porrò cùm tandem ad fundum calumniarum, quod ad paupertatem attinet, perveniſſet, addit, *nos in Rectoris opulentia omnia poſſidere, ùt filios divitum, antequam in paternorum bonorum hæreditatem veniant.* At diſpar eſt ratio, mi homo. Nam primò Rector nullam opulentiam habet, ſed vix neceſſaria ad ſuorum ſuſtentationem. Deinde Rector bonorum Collegii dominium non habet, ſed adminiſtrationem. Tertiò ſubditi nunquam in hanc hæreditatem, etiam mortuo Rectore, ſuccedunt, neque ullum jus acquirunt, cùm filii parentibus defunctis hæreditatem legitimè adeant, & paternarum facultatum Domini fiant. Quòd autem à Rectore ex bonis communibus neceſſaria ſuppeditantur, id paupertati nihil officit; nam pauperes erant illi, de quibus D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. *Et tamen non licebat*, ût inquit, *cuiquam dicere, tunicam, & ſagum textáque juncis ſtrata non habeo; ille* (qui præeſt) *ita univerſa moderatur, ut nemo quid poſtulet, nemo non habeat.* Malè tandem habet ſycophantam Societati Auguſtæ liberalitate & munificentia Illuſtrium DD. Fuggerorum Collegium exædificatum eſſe, approbante id etiam ampliſſimo Urbis illius *Senatu.* Sed ut tibi Polycarpe tuíque ſimilibus Collegium illud diſpliceat, Catholicis certè, qui ſectæ veſtræ non omnia licere volunt, gratiſſimum ſemper fuit. Inſignem verò calumniatorem ſeſe præſtat, cùm Collegium Auguſtanum conſtructum fabulatur, *ut Jeſuitis eò commodiùs in Chriſtianos ſævire, & illorum bona rapere, corrumpere, & animas*

C *veneno pontificio perdere liceat.* Quæ eſt iſta criminandi licentia Polycarpe, qua non tantùm audaciſſimè in Jeſuitas, ſed & in Illuſtres Dominos Fuggeros, imò in tantum tantæ civitatis Magiſtratum inveheris? Nam ſi eo, quo tu dicis, conſilio, Collegium illud conditum eſt, certè non ſoli Jeſuitæ; ſed & omnes, qui id approbârunt, meritò tam immanium criminum rei cenſebuntur. Sed is eſt Evangelii quinti genius, NEMINI *parcere; maledicere liberè & ex plauſtro; quocunque maledicta ferantur, ſive in privatas, ſive in Illuſtres & publicæ auctoritatis perſonas, nihil penſi habere:* Mendaciorum ſuorum teſtes quòsvis adſciſcere, etiam illos, quibus nihil eorum, quæ iſti aſſerunt, unquam in mentem venit; quod hoc ipſo loco, ne longè abeam, facit Hiſtoricus, cùm ait, *nos, referente Gregorio Roſephio, civitatis Auguſtanæ jura & Privilegia, opibus Fuggerorum, emiſſe.* cùm Polycarpus Auguſtam venerit; ſuper hac re adire poterit P. Gregorium, ut, utrum res ita ſe ſe habeat, intelligat; aut, ſi cum Jeſuita colloqui piget, ſciſcitetur ex aliquo de Senatu, num verum ſit, quod Hiſtoricus hîc literis mandavit, & ipſe in lucem extruſit.

E

De ſecundo Jeſuitarum Voto, quod eſt Caſtitatis perpetuæ.

F TOta de Caſtitate hujus Fabulatoris narratio conſtat partim ſpurcitiis, quas iſte ex abundantia cordis ſui eructavit, partim calumniis & mandaciis injuriosiſſimis & contumelioſiſſimis, non modò in Societatem, ſed in omnes quoque Eccleſiaſtici Ordinis ſtatus. Et quod ad nos quidem attinet, nihil intentatum & inauſum relinquit Convitiator, quò ſaltem aliqua impuritatis labe nos aſpergat, imitatus Majores ſuos Arianos, qui præter cætera facinora Epiſcopis rectè ſentientibus libidinis flagitium per ſummam contumeliam objectabant. Hinc in conventu Tyrio meretricem ſubornârunt, quæ in illo Concilio Athanaſium accuſaret, quaſi ab ipſo per vim fuiſſet compreſſa. Hinc cùm aliud non

G invenirent, quo famam duorum Catholicorum Epiſcoporum, qui ad Conſtantium Imperatorem mittebantur à Conſtante, vel, ût alii volunt, à Sardicenſi Concilio, commacularent, noctu in cubiculum, ubi ſancti Epiſcopi dormiebant, meretricem introduxerunt, ut calumniandi materiam ſibi compararent. Horum veſtigia inſiſtentes Calumniatores noſtri, benignámque materiam mentiendi & convitiandi nacti, accumulant, quicquid criminationum de Jeſuitis ab impuris ganeonibus & lenonibus unquam confictum, & in vulgus ditum fuit, non ſine mendaciorum & calumniarum inſigni auctuario: ût paſſim aliâs. Neque enim religioni habuerunt, quò minùs effuſiſſimè nova mendacia comminiſcerentur, qui vetera tam diligenter corraſerunt, & ex variis libellis, tractatulis, ipsóque vulgi levis rumore in has ſuas infelices & rogo digniſſimas chartas tranſtulerunt. Cauſam

H porrò omnium iſtarum calumniarum, primámque originem, ſi quis inveſtigare velit, haud aliam inveniet, quàm paradoxum quoddam Lutherani Evangelii, pluſquam Stoicum, vel potiùs Epicureum, quo ſibi Prædicantes perſuadent, fieri non poſſe, ut quis abſque mulierum conſuetudine vitam caſtam, & ab omni carnis contagione remotam exigat. Quamobrem de Caſtita-

Theodoretus lib. 1. Hiſt. cap. 30. & lib. 2. cap. 9. vide ſuprà in præf.

ris

A tis Professoribus semper malè suspicantur, cúmque ipsi, quia nolunt, casti esse nequeant, alios itidem pede & modo suo metiuntur, & ex proprio ingenio æstimant. Et quia in animo suspicionibus siniſtris pleno, quodvis figmentum facilè insidet: seu, ut veriùs dicam, quia ex animo suspicioso, odiíque flammis accenso, quævis figmenta & commenta nullo negotio nascuntur & proseminantur, ideo & ipsi libentissimè venerea probra & dedecora de Religiosis, & præsertim de Jesuitis comminiscuntur; & ab aliis mala fide excogitata, pronis auribus & mentibus accipiunt, acceptáque nova accessione augent, & tandem aucta, liberis mandant, ut non ipsi soli, sed & horum similia labra, his mendaciorum, ut sic loquar, ferculis, epulísque suaviter pascantur. Hoc artificio concinnârunt isti fraudum & impostturarum Architecti longos flaB gitiorum Catalogos, quibus non modò nos, sed & omnium aliorum Ordinum viros Religiosos improbissimè & contumeliosissimè traduxerunt. Neque satis constitutum apud animum meum habeo, utrum horum mendacissimorum fabulatorum gravissimæ criminationes magis nos feriant, quàm quosvis alios, qui Catholico nomine censentur: ùt suprà de toto libro me dicere memini. Nam quid de Pontifice, Cardinalibus, Episcopis & reliquis Ecclesiasticis hominibus scripserint, planum clarúmque est ex illis, quæ antè commemoravimus, & ex his: *Ego verè & sanctè testari possum*, inquit mendax Helias, *me in Italia & Germania inter centum non quinque reperisse Sacrifi*C *culos, qui se ab impuro meretricum tactu continuerint. Taceo in Italia plerosque Sacrificulos, addo etiam nonnullos Episcopos ex meretricibus esse natos; & Ecclesiæ Pontificiæ non præsidere unius uxoris viros; sed scortatores, adulteros, Sodomitas, masculorum Concubitores, & ipsius Romanæ bestiæ amatores & negotiatores.* Et alio loco, quod & superiùs alia occasione recensuimus, & hîc iterandum est, ait os immundum: Catholicos rectè appellari posse *Catholicissimos. Nam Pontificiis*, inquit, *turpissimis sceleribus & flagitiis se contaminare communissimum est: qualia sunt concubinatus,* D *adulteria, stupra, fornicationes, masculorum concubitus, Sodomia & idololatria.* Quod ipsum etiam longè anteà de Catholicis pronunciaverat Philippus Melanchthon: *Venter*, inquit, *pectúsque muliebre significat corpus Papæ, videlicet Cardinales, Episcopos, Sacrificulos, Monachos, cæterósque spirituales sacrosanctos Martyres, & id genus similes lenones, & bene saginatos Epicuri de grege porcos, qui nihil in vita pensi habent, quàm cibo, potu, libidinum fomentis, voluptatibus & deliciis omnis generis, omnisque sexus affluere ac redundare, idque impunè & infinita licentia atque privilegiis muniti.* Hæc Elogia coguntur audire ab ignobilibus & obscuris Prædicantibus omnes Catholici Principes, imò E omnes homines cujuscunque dignitatis & conditionis. Et mirum cuiquam videatur, si nostræ Societati eas labes & maculas objiciant?

In præfation.

Pag. 108.

In exposit. Papatelli tomo 2. Oper. Lutheri.

Cæterùm quàm meritò hæc & similia, F quæ jacta in Catholicos convitia sunt, regerere possemus in adversarios, ita, ut desinerent esse convitia, perspicuum fit, tum ex communi doctrina Lutheranorum, tum ex axiomatis nostri Historici. Docent Sectarii hujus ætatis passim in suis scriptis, *Castitatem servatu esse impossibilem & cælibem pugnare gigantum instar cum Diis.* Hinc suillum illud Lutheri pronunciatum, quod parùm Græcè doctus, Græcè tamen protulit. Credo, quòd puderet quantumvis licèt impudentem, tam brutam sententiam lingua vulgo nota proferre; ἄγαμος ἀδύνατα τηρεῖ, καὶ ὅλως θεομαχεῖ, *Cælebs impossibilia servat, & planè cum Deo pugnat.*

Epist. ad Wolffgan. Reisembusch.

At Helias in hæc verba scribit: *Jesuitæ* G *hoc suo voto Castitatis cum ipsa natura pugnant: dum id, quod naturâ immutabile, expetibile, & (ut ita loquar) naturalissimum est: in rem naturæ repugnantem, odibilem & mutabilem transformare & transsubstantiare conantur*, Φυσιόμαχοι καὶ θεόμαχοι. Si igitur castitatem nullus servare potest, quid, oro, faciunt isti, antequam ducant uxores? Qua via & ratione carnis motus edomant? ùt & tunc, cùm uxor ægrotat, cùm moritur, cùm procul absunt ab uxoribus. Si in his casibus castitatem servare queunt, mentiuntur ergo, cùm docent, Castitatem esse impossibilem. Si non servant castitatem, antequam matrimonium ineunt, aut cùm absunt ab uxoribus, condemnant ergo & se & filios & filias suas turpissimorum flagitiorum, neque filias Virgines, sed meretrices in matrimonio collocant; non enim arbitror, Lutheranos Prædicantes, quàm primùm pubescunt, ducere uxores, aut filias suas statim, ubi duodecimum annum attigerint, nuptui tradere. Ex quo sequitur, ut usque ad matrimonium aut castè vivendum, aut nefariis sceleribus indulgendum sit. Prius concedere nequeunt Adversarii convenienter suæ doctrinæ. Dare igitur debent posterius, cum perpetua nominis sui infamia. Sed hæc obiter, tantùm enim ostendere volui, nos nullam penitus Lutheranis præconibus irrogare injuriam, si pessima quæque de ipsis in hoc genere suspicemur, etiamsi sint conjugati. Nam cùm ex doctrina sua profiteantur carnem & sanguinem, Deus novit, qua ratione utantur, vel potiùs abutantur matrimonio. Nunc ad Historicum venio.

Pag. 107.

Esauitæ, inquit, *longè præferunt conjugali* H *castitati impurum sacrificulorum concubinatum.* Mendacium. Nam Sacerdotum flagitiosum concubinatum detestamur & execramur, tan-

A tantum abeſt, ut illum conjugii toro immaculato præponamus. Sed probat mendacium mendacio: *Hoffæus*, inquit, *Romæ Aſſiſtens, & Pontificis conſiliarius, dixit pro exhortatione de Virginitate, minùs peccare Sacerdotem adulterando, quàm conjugem ducendo.* Primò, P. Hoffæus neque eſt, neque fuit Pontificis conſiliarius. Alios Pontifex conſiliarios habet, noſtráque opera ſuis in conſiliis minimè eget. Secúndò, negat P. Hoffæus, id ſe dixiſſe unquam, ſed nihil mirum, hunc toties jam, & tam turpiter mentitum, hoc quoque mendacium effutiviſſe. Tertiò, ut maximè id dixiſſet, num adeò paradoxum & incredibile hoc tibi videtur Polycarpe? Neſcis, peccatum unum altero gravius eſſe poſſe diverſa conſideratione? B Hinc licèt adulterium duplici nomine vel potiùs triplici, cùm à Sacerdote committitur, graviſſimum ſit, ſacrilegæ tamen & commentitiæ Sacerdotum nuptiæ, aliquibus ſaltem ex capitibus adulterium magnitudine ſceleris ſuperant, tum ratione publici ſcandali, tum quia palàm Eccleſiæ, cui ſe penitùs conſecrârunt ſolemni caſtitatis voto, nuncium tunc remittunt; tum quia tales plerúmque obſtinatiùs & impudentiùs peccant, putantes ſibi licitum, quod minimè eſt licitum, conjugiúmque vocant, & hoc nomine culpam prætexunt. At, qui adulterium perpetrat, ſaltem, quoad fieri poteſt, flagitium celat, & conſcientiæ exagitatur ſtimulis, quaſi alieni tori injuſtus invaſor & violator. Has & alias ob cauſas veriſſimè etiam ſcripſit Franciſcus Coſterus noſter in ſuo controverſiarum Enchir. Sacerdotem ſi fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametſi gravi ſacrilegio ſeſe obſtringat, graviùs tamen peccare, ſi contrahat matrimonium, quia etiamſi Sacerdos nuptias celebret, nuptiæ tamen nullæ ſunt, neque uxor illa, legitima fit uxor, ſed ſcortum manet, cùm Sacerdos ad matrimonii contractum ſit inhabilis. Quare nihil cum nuptiis illis efficit, niſi quòd jam inverecundiùs & obſtinatiùs ſcortatur cum ea, quam pro ſua uxore haberi cupit: Sed Tubingenſis, neſcio quis de trivio ſcurra, dictum hoc Coſteri & aliorum Catholicorum ita ſuis proponit, quaſi revera nuptiæ illæ Sacerdotum ſint veræ nuptiæ & legitimæ, eísque Coſterus concubinatum & ſcortationes, quoad ſceleris parvitatem, præferat. Eodem ſenſu etiam hîc Hiſtoricus noſter dictum, quod P. Hoffæo mendaciter affingit, recitat: Sed non eſt ita: ſciunt enim omnes Catholici, nuptias à legitimis perſonis contractas, bonas eſſe & laudabiles, at Sacerdotum nuptias æquivocè ita dictas, nôrunt eſſe nullas, ac proinde ipſis adulteriis, & ſcortationibus aliqua ex parte deteriores.

Cap. 5. propoſit. 9.

C

Auctor libri, qui inſcribitur: Mus exenteratus.

D Pergit Hiſtoricus. *Videntur*, inquit, *Jeſuitæ præ cæteris Monachis & Clericis averſari ſexum fæmineum.* Cur igitur paulò pòſt tam atrocia & mulieroſa flagitia nobis objicis? Si fæminas odimus, quomodo probra illa admittemus? Sed hæc eſt libri hujus à pluribus eodem mendaci Spiritu conſarcinati conſtantia. Pergit. *Licèt nonnulli Pontificiorum, Cardinalium, Epiſcoporum, & Clericorum magìs mularum, aſinorum, Caprarum, & Maſculorum conſuetudine delectentur.* Nec vidi, nec audivi calumniatorem impudentiorem, omníſque frontis magìs expertem, & tamen calumnias has non modò ſæpius iſte in hoc libro repetit, ſed & easdem alii ſectarii, homines in reprobum ſenſum dati, paſſim impudentiſſimè ingerunt, alios ſuo, ùt arbitror, ingenio & pede metientes. *Hæc omnia*, ait Calumniator, *Jeſuitæ in iſtis hominum monſtris probant, defendunt, commendant, modò ſacri conjugii legibus non ſubjiciantur.* Mentitur profligatiſſimè. Abſit à nobis, ut in quoquam mortalium tam nefanda flagitia defendamus; hoc dicimus, etiamſi quis tale flagitium admitteret, non tamen ob unius alteriúſve, vel etiam plurium deteſtabilem incontinentiam, Sacerdotibus ad nuptias aditum patefaciendum eſſe; quia, qui peccant, propria ſua culpa peccant, & non quòd caſtitatem, divina adjuti gratia, inviolatam conſervare nequeant. Quanquam hæc omnia immaniſſima crimina, quid ſunt aliud, niſi Sleidani, Balæi, Vergerii, Hoſiandri, Herbrandi, & ſimilium hiſtrionum figmenta, Catholicis ex ſolo odio & mentiendi impotentia per ſummam injuriam impoſita?

E

F

Nunc denuò audiamus Hiſtoricum: *Eſt*, inquit, *Jeſuitis regula, ne permittant, ut fæmina aliqua ipſorum domus vel Collegia ingrediatur.* Quid tum? Semper hoc in omnibus Religioſorum familiis obſervatum eſt: meritò igitur à nobis itidem obſervatur. Addit; *Si quædam ingreſſa ſit incuria janitoris, mox pulverem ejiciunt, ne illius tactu coinquinentur.* Mendacium inſigne, ſed ejusmodi tamen, ut, ſi vel maximè verum eſſet, nemo non videat, valere potiùs ad laudem, quàm ad vituperationem.

G

Tale quoque mendacium eſt, cùm dicit, *Confeſſario in templo Confeſſiones mulierum audiente, ſemper eminus ſtare fratrem, qui, quid faciant, obſervet.* Non eſt ita. Sed quando quis à Superiore mittitur ad Confeſſiones fæminarum extra templum audiendas, vel etiam cùm alia de cauſa fæminæ adeundæ ſunt, tunc præcipit regula decima octava Sacerdotum, ut ſocius à Superiore deſignatus, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquitur, in eo loco ſit, unde videre eos, ſed non quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit. Cujus regulæ, præter cæteras, hanc etiam cauſam afferimus, ut ne malevolis ſermonem & calumniandi occaſionem demus. Si enim tot cautionibus adhibitis, non poſſumus effugere, quin

H

A à vobis traducamur, quid tandem futurum eſſet, ſi ſublatis hujusmodi cautelis, liberè cum mulieribus verſaremur? Quocirca calumnia eſt, cùm ait: *tantæ ſunt Jeſuitæ puritatis & caſtitatis, ut in templo etiam publico Jeſuita non auſit ſibi ſuavé carni confidere, ut ſolus mulieris confeſſionem excipiat.* Mendacium hoc ex dictis evaneſcit. Neque verò tantum periculi exiſtit, ſi Jeſuita agat cum muliere, ſive in templo ſive extra, quantum ſi quis de grege Prædicantium, qui palàm profitentur, *caſtitatem ſervatu eſſe impoſſibilem*, ac proinde ſeſe inſtar equorum & mulorum chamo & fræno coërceri debere, cùm ratione motus libidinis reprimere nequeant. Quanquam quid tu ſollicitudinem ſervandæ caſtitatis nobis exprobras? An neſcis illud? *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne*

1. Cor. 10. *cadat. Monachus*, inquit D. Hieronymus,

Contra Vigil. *ſciens imbecillitatem ſuam & vas fragile, quod*

B *portat, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur, unde & mulierum, maximè adoleſcentularum vitat aſpectum, & in tantum caſtigator ſui eſt, ut etiam, quæ tuta ſunt, pertimeſcat. Solus cum ſola*, ait idem ſanctus Pater ad Nepotianum, *ſecreto & absque arbitro vel teſte non ſede, & caveto omnes ſuſpiciones & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne ſinatur, antè devita.* Audi quid de D. Auguſtino ſcribat Poſſidius in ejus vita,

Cap. 26. *Fæminarum intra domum ejus nulla unquam converſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana Soror. Sed neque patruì ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſerviebant; Dicebat verò, quia etſi de Sorore & neptibus ſecum*

C *commorantibus nulla naſci poſſit mala ſuſpicio, tamen quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis ſecúmque manentibus fœminis eſſe non poſſent, & quod ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de iis poſſe offendiculum aut ſcandalum infirmioribus naſci, & illos, qui cum Epiſcopo vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum perſonis unà commorantibus aut adventantibus, tentationibus humanis poſſe perire, aut certè malis hominum ſuſpicionibus peſſimè diffamari: Ob hoc ergo dicebat nunquam debere fœminas cum ſervis Dei, etiam caſtiſſimis in una domo manere, ne, ùt dictum eſt, aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus; Et ſi fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur vel ſalutaretur, rogabatur, nunquam ſine clericis teſtibus ad eas intrabat, vel ſolus cum ſolis unquam eſt locutus, niſi ſecretorum aliquid intereſſet.*

Narrat deinceps Hiſtoricus nonnullas hiſtorias; ſed ùt araneus ex odoriferis floribus

D venenum & non mel legit, ita iſte ex rectè etiam & laudabiliter factis convitia, criminationes, & mendacia, ut ſic dixerim, ſugit. Pater quidam à muliere ad flagitium ſollicitatus & in eas anguſtias, in quas olim caſtus Joſephus conjectus, ut fœminæ impudicæ inſidias evaderet, ſimulans, quaſi priùs naturæ opus perficiendum eſſet, propriis retrimentis faciem ſuam illevit, ut fæ- E
minæ furenti horrorem incuteret. Hæc breviter Hiſtoria eſt, quam hîc narrat Helias, de cujus veritate nolim cum ipſo contendere. Hoc ſcio, hunc more ſuo multa admiſcere mendacia. Ait, *hoc accidiſſe Monachii in aula Principis Bavariæ.* Mendacium; Neque ex P. Zieglero id audivit. Et qua fronte aulam tanti Principis infamat infamis Prædicans? Poſtea vitio Patri vertit, *quòd non potiùs pallium, ùt Joſeph, reliquerit.* Sed quæ hæc calumniandi inſania, culpare id, quo ſolo Pater ille tunc effugere potuit inſidias, tam ſine ſua, quàm ſine fœminæ nota. Mulieris enim honori & exiſtimationi conſultum volens non aufugit, F
inſtar illius Joſephi, ne amore inflammata clamores tolleret, totíque ſuæ familiæ perpetuam maculam inureret: tutiorem ergo Pater & ſuæ caſtitatis, & famæ mulieris conſervandæ rationem inivit. Ait, *neque Patrem nominare, neque nomen Baroniſſæ indicare poſſunt.* Poſſumus, ô Calumniator, & Patrem, de quo id fertur, novimus, & ubi fœmina vixerit, ſcimus; quæ tamen neque Baroniſſa, neque in Bavaria fuit, ùt tu nimis impudenter & temerè aſſeverâſti. Sed neceſſarium non eſt, ut mulierem infamemus; majorem rationem boni nominis, etiam alieni, habemus, quàm vos Prædicantes, qui non veris, ſed confictis, iisque atrociſſimis criminibus proximi veſtri exiſtimationem totis viribus labefactare, pro G
nihilo ducitis. Reprehendit autem Calumniator hoc factum; neque mirum; Cui enim ex iſtiuſmodi Prædicantibus placere poſſet? Neque puto, ullum in tota Germania Evangelicum miniſtrum reperiri, qui tam præclaram libidinis explendæ occaſionem neglexiſſet. Cur verò non meminerunt iſti, minimè defuiſſe ex Sanctis, qui, cùm nihil aliud ſuppeteret, quo mulieres impudicas repellerent, ipſas quoque linguas dentibus præciſas, in meretricum vultus expuerint.

Cæterùm duo hîc velim Lector conſideret; Primum eſt, quàm importuni ſint Calumniatores noſtri, qui ſive hoc ſive illud H
fiat, ſemper paratam criminandi materiam inveniunt. Nam ſi Pater flagitium, ad quod invitabatur, perpetrâſſet, quos clamores Hiſtoricus in hac ſua Hiſtoria non edidiſſet, cùm jam Patre tantum ſcelus detrectante, non defuerit fœcundo criminationum pectori, quod probri loco objectaret. Alterum eſt, Utrum apud prudentes ea crimina, quæ de noſtris commemorat, ſpeciem aliquam probabilitatis habere poſſint, ſi, ùt ipſe Hiſtoricus narrat, Sacerdos iſte noſter tam conſtanter refugit ſcelus, quod parietibus tectum in vulgus nunquam manâſſet. Certè ſi tam ſcelerati & libidinoſi eſſent Jeſuitæ, quàm contendit Calumniator, debebat Sacerdos iſte contrarium potiùs ei, quod fecit, facere.

In cibis, ait Hiſtoricus, *& potu utuntur Jeſuitæ*

A *ſuitæ variis herbis & pharmacis, quibus naturæ vim enervant, & ſobolem intra viſcera propria occidunt.* Mentitur impudentiſſimè; nam primò pharmacis nullis omnino utimur in cibo & potu; herbas eas adhibemus, quas paſſim moris eſt eſculentis adhibere. Illud verò quale eſt, cùm ait, *nos ſobolem intra viſcera noſtra occidere?* Ergo homicidæ ſunt, quicunque caſtitatis amore liberos procreare nolunt? Ergo hoc ipſo capitali ſupplicio digni erunt? Quippe homicidæ, ùt iſte dicit, & hoſtes ordinatæ propagationis à DEO. Sed vide, oro, ne Chriſtum ipſum, ne ipſius Apoſtolos, homicidas, hominum oſores, & humanæ propagationis hoſtes facias: aut doce, ſi potes, Apoſtolos, poſtquam Chriſtum ſecuti ſunt, generationi vacâſſe. Sed apage cum his, non hominum, ſed pecudum vocibus, quid enim aliud loquerentur, ſi loqui poſſent, quàm quod tu hîc, & paſſim aliàs blateras?

Pag. 99.

B *Si qui fratres*, inquit Calumniator, *in Confeſſionibus conqueruntur de carnis infirmitate, illis ordinant vigilias, jejunia, flagella, cilicia.* Quidni? Scis Polycarpe, cujus hæc ſit oratio?

1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Certè corpus non aliter, quàm jejuniorum, vigiliarum, ciliciorum, & aliarum aſperitatum laboribus caſtigatur. Colaphizabatur D. Paulus ab Angelo Sathanæ, & tamen de matrimonio nihil penitus, ſed de vigiliis & laboribus, & continuis orationibus cogitabat. Licèt caro repugnaret: Sed Prædicantes luxuriantis carnis concupiſcentias coërcent cum ſuo: Creſcite & Multiplicamini,

C id quod etiam magiſter illorum Vigilantius olim factitabat, *Libidini*, ùt inquit divus

Contra Vigil. Hieronymus, *fræna permittens, & naturalem carnis ardorem, qui & in adoleſcentia plerúmque ferveſcit, ſuis hortatibus duplicans, imò extinguens coitu fœminarum, ut non ſit, quo diſtemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus ſcriptum eſt: equi inſanientes in fœminas facti ſunt mihi.*

D *Caſtitas*, inquit Hiſtoricus, *non eſt Domini conſilium:* Sed veritate id dicit Lutherana,

Pag. 99. 100. quæ eſt grande mendacium apud Catholicos in Germania, & in tota rerum natura. Audiamus tamen probationem: *Chriſtus adeò non conſuluit caſtitatem, ut potiùs deterruerit, dum dicit, qui poteſt capere capiat.*

Matth. 19. *Quis adeò inſanit, ut non intelligat, verba hæc potiùs eſſe avocantis & deterrentis, quàm invitantis aut conſulentis?* Quantò rectiùs ego: quis adeò inſanit, ut non intelligat, verba hæc potiùs eſſe invitantis & conſulentis, quàm avocantis & deterrentis? Conſideret, qui volet, finem & ſcopum totius illius ſermonis Domini, nihil niſi adhortationem inveniet. Quorſum enim facta eſt mentio Eunuchorum, *qui ſe caſtraverunt propter regnum DEI*, id eſt, qui ſe non naturæ vitio, ſed virtutis & cæli amore continuerunt à licitis etiam conjugii voluptatibus?

An non, ut, qui eos imitari vellet, ſpe tanti præmii invitaretur? Hinc ſtatim ſubjunxit Dominus. *Qui poteſt capere, capiat.* E Quaſi diceret, nemini præcipitur, ſi vis iſtos Eunuchos imitari, facias licet. De quibus ita ſcribit divus Epiphanius Hæreſi quinquageſima octava: *Quinam*, inquit, *hi fuerunt, qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum, quàm generoſi Apoſtoli, ac Monaſticam vitam degentes, & deinceps Virgines?* Et infrà; *poſt ipſos verò*, Apoſtolos, *quot millia in mundo ſolitariam vitam agentes, & à monaſteriis & virgineis conventibus hujus certaminis gloriam abſtulerunt?* Conſule Bellarminum de Monachis libro ſecundo capite vigeſimo tertio.

Subjungit Hiſtoricus: *Licèt D. Paulus dicat; Conſilium do, tamen mox addit; Hoc dico propter inſtantem neceſſitatem.* F Pag. 100. Quid ergo facit D. Paulus, ſi non dat conſilium caſtitatis 1. Cor. 7. ſervandæ? En ejus verba: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc* (nempe Virginem ſeu caſtum eſſe) *bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt, hominem ſic eſſe*, & per inſtantem neceſſitatem tantum abeſt, ut nos à caſtitatis propoſito dehortetur, ut potiùs ſummoperè cohortetur; nam per iſtam inſtantem neceſſitatem, ob quam bonum eſt extra matrimonium vivere, nihil aliud intelligit, niſi tribulationem carnis, in quam Virginem nubentem incidere docet Apoſtolus, & præterea vitæ brevitatem, & alia multa incommoda, quæ conjugii ſtatus ſecum affert. Eſt porrò non hujus tantummodo, ſed etiam G omnium hæreticorum planè intolerabilis impudentia & deploranda cæcitas, cùm contra ipſa D. Pauli plana, clara, & dilucida verba clamitant, D. Paulum ad caſtitatem neminem conſilio ſuo adhortari, ſed potiùs dehortari; principio enim expreſsè dicit, *conſilium do; Secundùm meum conſilium, puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* Deinde commoda caſtitatis multa & magna proponit, eo fine, ut iis perſpectis, eò alacriùs caſtitatem amplectamur. *Bonum eſt homini ſic* (nempe caſtum) *eſſe. Beatìor erit, ſi ſic* (nempe extra matrimonium) *permanſerit. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Mulier innupta & Virgo cogitat, quæ Dominì ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* H *Qui non jungit* (Virginem ſuam matrimonio) *meliùs facit.* De conjugatis ita loquitur: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. Tempus breve eſt, reliquum eſt, ut &, qui uxores habent, tanquam non habentes ſint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Qui cum uxore eſt, ſollìcitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Quæ nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Nónne igitur effron-

effrontes penitus illos esse oportet, qui D. Paulum dicunt, adeò ad castitatem non invitare, ut potiùs absterreat? Nec obstant illa: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Neque illa: *hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam;* nihil enim aliud significat Apostolus, quàm castitatis professionem liberam cuique relinqui, & liberè à quovis suscipi, susceptam tamen sanctè & integrè præstandam esse. Hinc cùm ait: *Si acceperis uxorem, non peccâsti, &, si nupserit virgo, non peccavit;* non loquitur de iis, inquit Theodoretus, *qui vitæ semel renunciârunt, sed de iis, qui nondum neque hoc neque illud elegerunt, sed stant in confinio matrimonii & cælibatus.* Neque se excusare possunt, quasi castitatis donum non habeant; nam qui, *sapientia* (castitate) *indiget, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, quique fidelis est, & non patitur supra id, quod potest, tentari.* Et ille, qui sciebat, *quia nemo potest esse continens, nisi* Deus *det*, adiit Dominum, & deprecatus est illum ex totis præcordiis suis.

In Comēnt. hujus loci.

Jacobi 1.

1. Cor. 10. Sap. 8.

Cæterùm postquam Historicus malum egit scripturæ interpretem, ad calumnias & mendacia revertitur, ut hac vicissitudine se & suos lectores recreet. *Jesuitæ*, inquit, *aliud non intelligunt per consulere, quàm ante votum quidem blandis sermonibus invitare, exhortari, persuadere, & tantùm non cogere, ad votum cælibatus.* Mentiris. Jam perge. *Post votum verò cogere etiam invitum & non valentem castitatis votum incautè susceptum præstare.* *Vovete*, ait Scriptura, *& reddite.* Quare, qui nolunt, meritò coguntur, & omnes valent, si velint, & gratiæ Dei cooperentur, quia *Deus semper facit cum tentatione proventum.* Addit. *Deinde, consulere, ipsis est abstterrere à conjugio, ceu à re carnali & impura.* Mendacium. *Honorabile conjugium & torum immaculatum* agnoscimus, ab eo non aliter quenquam dehortamur, quàm fecerit Apostolus, proponendo scilicet commoda castitatis, & incommoda conjugii, libera cuivis potestate relicta, ut vel illam excellentiorem, vel hanc minùs excellentem viam ineat.

B

Pag. 100.

Psal. 75.

C

1. Cor. 10.

Hebr. 13.

D

Sed cogimur hîc audire Lutherum ab Historico adductum. *Si cælibatus est consilium Evangelicum, quæ est ergo vestra vovendi insania, ut ultra Evangelium è consilio faciatis rigidissimum præceptum? Habetisne vos Jesuitæ*, ait Historicus, *quod hic respondeatis?* Habemus multa, sed uno responso contentus esto; Consilium seu potiùs consilii opus liberum est, quatenus liberè suscipitur, & in hoc ab opere præcepto differt; non est autem liberum factu vel non factu, postquam jam semel liberè Deo promissum est, & in hoc cum præcepto convenit; nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

Lucæ 9.

Est nobis regula his concepta verbis. *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm constet, quàm sit perfectè observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari, & corporis & mentis nostræ munditia.* E F

Hîc iste, *non sufficit*, inquit, *Ignatio in suis eam esse puritatem, quæ in hujus vitæ imbecillitate in hominem cadere potest, sed exigit Angelicam, ut liquidò demonstret, se hac sua hyperbole majora viribus requirere, & impossibilia suis imponere.* Ergo impossibilia nobis imposuit Christus, cùm hoc mandatum dedit: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et ipse Deus: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum.* Quomodo, quæso, homines infirmi & fragiles ad misericordiam & sanctitatem Dei infinitam aspirabunt? Si igitur hac infirmitate non obstante, imitatione saltem ad misericordiæ & sanctitatis Dei similitudinem quandam pervenire possumus, cur non ad Angelicam puritatem eniti juberemur?

Levit 11.

Lucæ 6.

G

Sed nullam castitatem, nedum Angelicam, servare nos, probat Calumniator; *Quia omnis generis libidines*, inquit, *imò etiam Sodomiam, muta peccata, ac nefandas & onanisticas tum suorum tum aliorum clericorum pollutiones (de quibus Thomas de Aquino disputat, & illorum confessarii multum sermocinantur) defendunt, & casto conjugio præferunt.* Quot verba, tot mendacia, non sanè muta, sed vocalia, quorum sonus, nihil dubito, ad ipsum usque thronum Dei ascendit, ut à justo Judice tantarum & tam atrocium criminationum vindictam exposcat. Quod ad D. Thomam & confessarios attinet, disputant de istis flagitiis, non sanè ut perpetrentur, sed ut perspecta eorum pravitate, pœnitentes eò meliùs dirigere, & ad vitam rectè instituendam rectiùs informare queant. Disputat Medicus de veneno, non ut veneno, vel ad suam vel ad aliorum perniciem abutatur, sed ut natura veneni perspecta, eò certiùs nôrit, quo antidoto occurrendum sit, si fortè quis venenum imprudens hauserit. Disputat Jurisperitus de furtis, rapinis, cædibus, imò etiam de Sodomiis & id genus aliis flagitiis, non quòd calculo suo detestanda hæc facinora comprobet, sed ut scelerum gravitate comperta statuat, quibus suppliciis afficere oporteat, qui his criminibus sunt affines.

Verùm enimverò ut lividus hic Impostor impuritatis aliqua macula Societatem nostram infamet, corradit, miserisque suis chartis innectit, quidquid unquam fabellarum impudicarum in ganeonum circulis de Jesuitis confictum est. Semper enim laborârunt hæretici, aliique adversarii, ut Societatem Jesu impuritatis cœno dehonestarent, sed eo semper exitu, quo cùm ante aliquot annos finxissent puerum nescio quem à Jesuitis Monacensibus castratum:

H

Vide libel. literar. & testim. Regis Stephani, Episcopi, Senatus, & Capitanei Cracovienfis, editum

Item

A Item duos trésve Jesuitas Cracoviæ, aut non procul Cracovia ob malefacta in rotam actos esse: An non publicis Principum & Civitatum testimoniis compressa est impudentissima adversariorum mentiendi & calumniandi audacia?

Latinè & Germanicè 1586. Moguntiæ & Ingolstadii.

B Verùm antequam sigillatim ad objecta probra respondeo, rogo Lectorem, ut meminisse velit eorum, quæ de toto genere hujus refutationis initio libri præfatus sum. Deinde etiam atque etiam Lectorem obtestor, ut, quæ dico, non tanquam ab homine Societatis profecta, sed velut ex ipsius veritatis adytis deprompta accipiat, *Extensa enim manu* (ut formula D. Athanasii utar, qua se apud Constantium Imperatorem purgavit, cùm gravissimis calumniis urgeretur ab Arianis) *manu*, inquam, *extensa, quod didici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testor, & jusjurandum concipio, & ùt scribitur in libris Regum, testis sit Dominus, & testis sit Christus ejus*, nullius rei haberi majorem in Societate curam, quàm castitatis & puritatis. Quo fit, ut, si quis in hoc flagitium incideret, non nisi perpetua ex Societate ejectione id expiare liceret, etiamsi doctissimus & nobilissimus esset, aut si ob editam professionem Societate omnino pelli non posset, tunc vel ad alium Ordinem transferretur, vel in perpetua apud nos custodia ita acciperetur, ut flagitiosam illam voluptatem magno redemptam cuperet. Quamobrem quicquid, sive rerum, sive verborum castimoniæ vel in speciem adversari videtur, id nullo modo in Societate toleratur, sed summa diligentia, & si necesse sit, summa etiam severitate funditus extirpatur. Et si quis reperiatur, non dicam,

Apolog. ad Constantium.

C flagitiosus, sed moribus & lingua liberior & solutior, is, si spem emendationis nullam præ se ferat, exauctoratur, & ex Societate dimittitur, qualiscunque sit; neque enim genus, ingenium, aut dotes ullæ, vel naturæ, vel fortunæ, honestati & castitati unquam præferuntur. Hæc ita sese habere, nôrunt, qui res nostras propiùs perspectas habent: illis verò, ad quos nomen Jesuitarum duntaxat pervenit, quibúsque Polycarpus, & similes hæretici Ministri, viam ad inferos præeunt, testor ego coram DEO, in cujus conspectu omnes stamus, rem ita sese, ùt narravi, habere, & si (quod DEUS pro sua clementia avertere dignetur) à Societate Jesu deficerem, & in eandem quoque cum Helia perfidiam lapsus, contra-

D rium de Societate aut dicerem, aut scriberem, mentirer impudentissimè, neque hominum Societatis probra & dedecora, sed figmenta & mendacia mea literis consignarem, ùt & quivis Apostata alius, aut alioquin ex Societate dimissus. Quocirca nullus unquam, tam effrons & audax extitit, qui talia de nobis, qualia Helias, spargeret, solus hic impudens Magistellus vix sesquiannum per insignem hypocrisin in domo probationis versatus, ubi summa disciplina viget, ea vidit & audivit, quæ nemo nostrúm, qui Dei gratia complures jam annos in Societate degimus, vidit vel audivit unquam, ùt nec quisquam aliorum, qui post aliquot in Societate consumptos annos eò, unde venerant, reversi sunt. E

Sed tempus est, ut videamus, quid calumniarum, Criminator afferat. *Experientia testatur*, inquit, *quanta puritate & perfectione Castitatis votum observent, dum neque* Pag. 101. *castè, neque cautè id, quod voverunt, præstant. Nota est enim P. Christophori impuritas, qui Monachii primas in Confessionibus mulierc ularum excipiendis, tenet.* Sed quis est iste P. Christophorus, Heliæ notus, nobis autem, & omnibus Monacensibus ignotus? An forsan, impetu mentiendi, Sycophanta abreptus, erravit in nomine? Nam Christophorum, qui Monachii in Confessionibus audiendis primas obtineat, nos certè novimus nullum. Quòd si in nomine hallucinatus, alium quempiam Patrem infamare voluit Criminator, appello ad Sereniissimos Bavariæ Duces, & ad cives Monacenses, qui, quo sunt erga veritatem amore, & in Deum religione, libenter innocentiæ nostræ, contra Polycarpi vesanas contumelias, testimonium dabunt. *Nota est*, inquit, *illorum impuritas, quibus cives Dilingani pallia surripuerunt.* Sed quando, & ubi? & quibus? Dicite, si potestis, Prædicantes, aut si vos omnium mortalium mendaciissimos pronunciavero, nullam vobis injuriam fecero. Nam quòd Helias testem nobis defert Societatis quendam defertorem, qui istud narraverit, inanem laborem capit, tantum enim fidei meretur ille, quantum ipse Historicus, etiamsi ex ore miseri illius fabellam hanc audivisset. Ut enim alia quædam vicini Prædicantes, de Dilinganis Jesuitis, more & modo suo, per summam injuriam jam dudum commenti sunt, ita & hoc strategema, pro sua in nos benevolentia impudenti, & planè cynico ore confinxerunt, & per Ganeonum, helluonúmque lustra & popinas disperserunt. Cujus rei defero lectori testes, non ex fæce vulgi, quisquilias & peripsemata mundi, Scurras & Ganeones, sed ipsam Dilinganam civitatem, & tot Studiosos Adolescentes generis & eruditionis laude claros, qui Academiam Dilinganam bonarum disciplinarum gratia frequentant, qui omnes concordibus suffragiis, Polycarpum, & socios ejus, tanquam mendaces & barbaros, alieni nominis depopulatores, condemnabunt. F G

Nota est, inquit, *Landspergensium Cælibatus, in quo coquas, habitu Jesuitico indutas, extra jejuniorum tempora habent.* Si tu, Polycarpe, mendaciis abstinere non potes, ab- H

A ſtine ſaltem Solœciſmis, niſi fortè in Grammatica Schmidelini, quam Polycarpus ſequitur, *Cælibatus* ſit Generis Fœminini, ſicut *Epitome* generis neutri. Sed ad rem, quomodo, quæſo, hoc, quod narrat, verisimile eſt, cùm ſuprà iſte confeſſus fuerit, *ne patere quidem unquam fœminis ad noſtra Collegia ullum ingreſſum, nósque, ſi fœmina fortaſſis incuria janitoris ingreſſa ſit, pulverem quoque, quem calcaverit, diligenter expurgare.* Quàm difficile eſt diu mentiri ſine contradictione? Adhæc nónne ſuperiùs multa de ſeveritate & aſperitate vitæ Landſpergenſium ſcripſit Hiſtoricus? Præterea inferiùs varia commemorat de odio Jeſuitarum Landſpergenſium in mulieres.

Vide Nova Novorum.

Pag. 99.

Pag. 104.

B *In hujus Voti explicatione*, inquit, *tum in ſanctum à Deo ipſo inſtitutum conjugium, tum in ſexum fœmineum, quaſi mulieres ex beſtiis eſſent prognatæ, & à DEO damnatæ, contumeliosè ac blaſphemè invehi ſolent. Nonnullos novi, qui nihil voluerunt edere, quod à muliere coctum ſciebant. Alios dicentes audivi, quoties de fœmina cogito, toties ſtomachus meus & bilis commoventur & conturbantur. Alius dicebat; tædet, pudétque me, quòd à muliere ſum in hanc lucem editus. Alii nihil prorſus boni in tota mulieris ſubſtantia eſſe dicunt. Sique ex illis quidam cæteros in harum calumniarum paleſtra vincere conantur, illi ad mentionem mulieris expuunt, & in tabula maledicos, & in ſexum fœmineum contumelioſos Mantuani verſus (quos tamen is, non niſi de malis cecinit) deſcriptos ob oculos ponunt, ut ſic in ſe ipſis majus in mulieres odium excitent.* Si hæc ita ſe habent, ùt recitat Hiſtoricus, & ſi ne guſtare quidem volunt, quod mulier coxit, mentitur ergo, ſuúmque mendacium ipſemet Hiſtoricus evertit, cùm ſcribit, *Jeſuitas Landſpergenſes loco coquorum habere coquas.*

C *Nota eſt*, inquit Calumniator, *Auguſtanorum Jeſuitarum virginitas, inter quos Jeſuitica infantem lactare viſa eſt.* Etiámne hanc fabellam huic contumeliarum corpori aſſuis? quis vidit illam? quando? nominetur, prodeat, intueamur os & vultum hominis: Quid cunctamini Prædicantes? Probate crimen hoc legitimis probationibus coram ampliſſimo urbis Auguſtanæ Senatu, aut coram Reverendiſſimo Ordinario; neque ullam pœnam tanto ſceleri debitam deprecabimur. Sed addendum fuit hoc figmentum, ut ſuam quoque Symbolam ad hanc calumniarum & mendaciorum Pandoram contribuerent illi, qui librum hunc Auguſtæ antè legerunt, quàm typis impreſſus in lucem exiret.

D Subjungit: *Nota eſt coci Jeſuitici Landſpergenſis continentia.* Quod ad iſtum attinet, fatemur omnino, hominem fuiſſe parùm Religioſum, eáque cauſa etiam in flagitioſum ſcelus præcipitatum. Sed num impunè hoc tulit? An non ſimul atque crimen innotuit, expulſus eſt, ſine ulla ſpe veniæ conſequendæ? Quam ſempiternæ ex Societate ejectionis pœnam ſubire debuiſſet, licèt non cocus & homo illiteratus, ſed omnium mortalium eruditiſſimus extitiſſet. Nullis enim precibus, nullísque lachrymis & ſatisfactionibus veniam tanto ſceleri unquam obtinuiſſet. Nam quòd mendax nugator ait, *hunc hominem ex Bavaria in Auſtriam miſſum, hac impoſita pœna, ut in toto itinere, nullam prorſus alloqueretur fœminam;* Mentitur quidem, ùt ſolet: ſtatim namque patefacto crimine ex Collegio, irrevocabili ſententia, expulſus eſt; ſed tamen hoc ipſo mendacio inſinuat Hiſtoricus quiddam, quod verum eſt, nempe talia dedecora & probra apud nos non tolerari, nec impunita relinqui, cùm nihilominus per ſummam orationis & mentis inconſtantiam paſſim in ſua Hiſtoria, id unum agat, ut Lutheranis ſuis perſuadeat, flagitiis venereis apud nos ſummam impunitatem eſſe propoſitam; ſed homini iſti in ſe ipſum pugnare, & propria vincta cædere, non eſt inſolens, cùm aliàs in ſingulis totius Hiſtoriæ pagellis, tum in hac de Caſtitatis voto fabula.

E

Pag. 103.

F Cæterùm ùt hîc ingenuè, quod res eſt, confeſſus ſum: ita & in cæteris ſibi perſuadeant velim Adverſarii noſtri, me non minùs ceſſurum fuiſſe veritati, ſi, quæ Hiſtoricus narrat, in hoc genere vera eſſent. Imò ſanctè affirmo, me ipſum, ſi talis eſſet Societas, qualis ab Helia deſcribitur; & ſi talia ſcelera, qualia iſte nobis affingit, patrari viderem; hac ipſa hora perpetuum Vale Ordini huic dicturum eſſe. Sed ſatis hæc de hoc; & de Polycarpi & ſimilium calumnia, qui, ùt D. Auguſt. veriſſimè ſcripſit: *Ad quid aliud ſedent iſti, quid aliud captant? niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus (vel Jeſuita) vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari. Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Perinde ac ſi colligerent, omnes Apoſtolos fuiſſe proditores, eò quòd unus ex illis hoc immani crimine ſeſe obſtrinxerit. Pro certo autem habeant Adverſarii noſtri, libidinoſos non magis nobiſcum manere poſſe, quàm Judam cum Chriſto, cúmque ſuis Collegis Apoſtolis. Quamprimùm enim Diabolus talia in cor alicujus mittit, tunc vel ultrò à nobis diſcedit turpis Apoſtata factus, vel certè detectis flagitiis ejicitur. Et quid mirum, inter tot támque varii ingenii repertum perfidum, qui oblitus vocationis ſuæ retrò reſpiceret? Nam nullus ager tam ferax eſt, qui non aliquando lolium, filices & Zizania

G

H

Epiſt. 137. Vide D. Stevartii Apologiam pag. 72. & ſeq.

A nia ferat, ſed ſtudio & diligentia extirpandum eſt, ſi quid frugibus damnoſum enaſcitur; neque ego contendo, nullum ex noſtris labi poſſe, ſi ſibi, & gratiæ Dei deeſſe velit: Hoc contendo, hujusmodi lapſus in Societate neque communes eſſe, neque ullo modo tolerari.

B *Jam verò, quæ de Fulda, de Spira, de Vienna, de meretrice ex effracto dolii fundo elapſa recenſes*, antiquæ ſunt fabulæ, pleræque jam dudum decantari à tuis ſimilibus ſolitæ, & ab impuris nebulonibus Societatis traducendæ gratia confictæ, à quibus Prædicantes, tanquam à ſuis contribulibus, avidè, quidquid poſſunt, arripiunt, ut ſcribendi, & ex ſuperiori loco ad cæcam multitudinem garriendi, uberem materiam habeant. Hoc reſponſum cùm olim Hiſtorico dederit P. Bonaventura Paradinas, & P. Gregorius de Valentia, debebat Sycophanta vel acquieſcere, vel contrarium luculentis teſtimoniis demonſtrare, & non denuò ipſa falſitate jam contritas cantilenas occinere; nam ut C de poſtrema duntaxat criminatione dicam, quis fraudem & calumniam non animadvertat, cùm ne de loco quidem, ubi meretrix ex perrupto dolio exciderit, calumniatores noſtri ſibi conſtent. Alii enim id accidiſſe dicunt Pragæ. Helias in Bavaria, ſatis generaliter, ne, nominando unum locum, citiùs mendacium pateret. Olim opifices Auguſtani pſeudoevangelici pro certo affirmabant, Auguſtæ eo tempore, quo Collegium ædificabatur, caſu tam gravi ſcortum cervicem fregiſſe. Fortaſſis exiſtet aliquando alius, qui aliam civitatem afferat: nam mendacibus perinde eſt, ubi aliquid factum ſcribant; ſive enim hoc in loco, ſive alibi contigiſſe narrent, à mendacio minimè aberrant.

Pag. 102.

D Quod autem addit, Bonaventuram dixiſſe, *nos, ſi votum hoc non ſervemus caſtè, facere tamen illud cautè, neque ita publicè, ùt reliquos clericos;* mendacium eſt prorſus incredibile iis omnibus, qui pietatem, prudentiam & gravitatem P. Bonaventuræ vel tenuiter cognoverunt, & illud; *ſi non caſtè, at cautè*, non noſtrum dictum, ſed Prædicantium, & inprimis Lucianici Apiarii ſcomma eſt in cælibatum. Reliqua verò, quæ hîc impurus nebulo per ſummum mendacium de nobis jactat, tam turpia ſunt, ut mihi perſuadeam, eum tormenta Inferni, non parùm ſibi vel ob has ſolas tam atroces calumnias adauxiſſe. Oſtendunt iſti, ùt de ſimilibus verè ſcripſit D. Hieronymus, *quàm ſanctè vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur.* Quid enim ipſe de aliorum *nocturnis pollutionibus* (refero impuri nebulonis verba) *quid de Onanitica ſpermatis projectione, quid de pravis concupiſcentiis aut ſcivit, aut ſcire potuit*; niſi quòd alios iniquiſſimè, Prædicantium more, ex ſuo ingenio æſtimavit, & quæ ipſe facere & pati ſolitus erat, ea ſimiliter alios facere & pati ſuſpicatus eſt.

Mendacia item omnia illa ſunt, cùm fingit, *nos nullam fœminam ſalutare, pulverem, quem eundo fœmina tetigit, excutere, fœminas ceu creaturas à Deo reprobatas verbis contemnere, pœnitentias imponi hac verborum forma: oculos in fœminas direxi, flammas impuras ſenſi; impuros ſermones audivi, amatoriam cantilenam cecini;* & multò magis mendacium eſt, pœnitentiæ loco ejusmodi cantilenam in triclinio reperi. Hæc apud nos nullus unquam neque audivit, neque vidit. Mentiuntur & calumniantur Hæretici, ſe ſuósque, non nos, & noſtros mores deſcribunt. Inauditum eſt, colloquia prava & ſcurrilia, quando convenimus, inſtitui, & ſiquis talis reperiretur, locum nullum haberet in Societate. *Aperta*, inquit Caſſianus, *convitia, manifeſti contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrenata proceſſio, familiaritas apud fœminas, iræ, rixæ, ſimultates & jurgia, operis peculiaris præſumptio, philargyriæ contagio, affectus ac poſſeſſio rerum ſuperfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiva cibi refectio, & his ſimilia non illa increpatione, quam diximus ſpiritali, ſed vel plagis emendantur, vel expulſione purgantur.* Idem jure etiam de Societate dixerim; talia enim flagitia, & præſertim quæ ad carnem & ſanguinem pertinent, non toleramus, ſed miſſione & ejectione, ſi opus eſſet, purgaremus, ne pars ſincera traheretur.

E

F

Lib. 4. Inſtit. cap. 16.

At verò, quæ de Patre Julio Romano commemorat, ecquem tandem, niſi Prædicantes offendant? diſciplina ſeu flagello in ſeſe tamdiu animadvertit quoad carnis tentationem vinceret, multo per tergum ſanguine manante. An neſcis, quid de D. Benedicto narret D. Gregorius, & de D. Hilarione D. Hieronymus? *Cogebatur*, inquit, *tirunculus Chriſti cogitare, quod neſciebat, & ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans, quaſi cogitationes cæde manus poſſet excludere: ego*, inquit, *aſelle, faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis. Fame te conficiam & ſiti, gravi onerabo pondere, per æſtus indagabo & frigora, ut cibum potiùs, quàm laſciviam cogites.* Sed hæc & ſimilia Prædicantibus ſunt inimitabilia, faciliora largitur ipſis Evangelium Lutheranum libidinis extinguendæ remedia. Hanc H ipſam tamen de P. Julio hiſtoriam mendaciis paſſim aſpergit ſycophanta. Ait, *nationе fuiſſe Turcam.* Mendacium: ùt affirmant, qui P. Julium noverunt. Ait, *quaſi pro divo à noſtris habitum.* Nimiùm hyperbolicus es, pro bono & religioſo viro dicere debebas. Ait, *illi coronam cælitus allatam pro præmio victoriæ.* Verum ſit hoc; ſæpius id factum, ùt produnt antiquæ hiſtoriæ. Legitimè certanti-

G

Pag. 103.

In vita D. Benedicti.

In vita S. Hilarionis.

A tantibus debetur corona: Hanc coronam, addit, *fuisse impositam aliis fratribus, si qui majores carnis stimulos sentirent.* Mendacium hoc esse, liberè pronuncio. Egi cum P. Hoffæo, qui eodem anno, quo Historicus hæc gesta narrat, nempe 1583. & ante & longo pòst tempore Romæ vixit; Affirmavit is, se nihil eorum, quæ Apostata refert, vel vidisse vel audivisse; ut vehemens suspicio subeat, non modò id, quod de corona commemorat, sed & totam de P. Julio narrationem fictitiam, & ex mendacis Molitoris cerebro exsculptam esse. Quomodo enim ad P. Hoffæum, unum ex præcipius patribus, de re tam celebri nihil perveniisset?

B Sed pergit mentiri. *Sæpius audivi*, inquit, *nonnullos in Societate esse, qui seipsos castraverint.* Mentitur nebulo: nam mutilationem sui neque licitam, neque Deo gratam, neque ad castitatem conservandam necessariam esse, certò scimus, & publicè privatimque docemus. *In sexum fæmineum*, ait, Pag. 104. *contumeliosè & blasphemè invehi solent, quasi mulieres ex bestiis essent prognatæ.* Hæc & similia, quæ hîc habet Historicus, edidit, opinor, Polycarpus cum sociis suis, ut gratiam iniret à mulieribus, cui sexui se suásque fabulas præcones isti & histriones cumprimis probare student. Velim tamen consideren t, utrum hæ calumniæ veræ esse possint, cùm etiam in publicis solemnibúsque precibus, sexum fæmineum, *devotum*, cum Ecclesia appellemus. Quòd autem familiaritates fæminarum non necessarias, & allocutiones vitamus, facimus id, quod religiosos decet, quibus perpetuò moris fuit,

C generatim omnes fæminas Deo commendare, & in specie cum nullis, nisi necessitas cogeret, colloquia instituere: sicut vicissim ipsæ quoque virgines Deo dicatæ agere solent, de quibus D. Augustinus libro de moribus Ecclesiæ. *Hæc est etiam vita fæmina-* Cap. 31. *rum Deo sollicitè castéque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris, quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate junguntur, & imitatione virtutis; ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent gratia.* Neque necesse est, plura hac de re dicere. Dissimulare tamen nequeo impudens mendacium cùm ait:

D *Publica scorta apud ipsos in majori honore habentur, quàm castæ uxores & virgines.* Mendacium hoc, non nisi repugnante & obluctante conscientia, Historico excidere potuit; nam contrarium adeò clarum & testatum est, ut neminem in tota Germania repertum iri arbitrer, qui, quod impostor scribit, creditur us videatur, ùt nec illud; *quòd Ignatius extruxerit xenodochium meretricibus illis, quæ vel propter morbum Gallicum, vel ob ætatem, Veneris castra amplius sequi non possent.* Quid non est omnia rectè dicta & facta nequiter pervertere, si hoc non est? Cœnobium quoddam D. Marthæ, piorum liberalitate, ædificari curavit Ignatius, ut in id reciperentur illæ mulierculæ, quæ turpissimorum flagitiorum pertæsæ, cum Deo & pudicitia in gratiam redire vellent; experientia enim discebat Ignatius, multas de vitiis relinquendis cogitationem nullam suscipere, quòd nescirent, unde posteà se alerent. Et quid hîc peccati? Adeat Lector super hac re Riba- Lib. 3. cap. 9. deneiram.

Sed ait calumniator, *nos tantùm ore odisse* F *mulieres, non corde, id liquere ex suprà memo-* Pag. 105. *ratis historiis.* Sed quomodo liqueat, jam satis liquidum arbitror. Ex ejusmodi mendaciis, nihil nisi mendacium colligitur, quorum tandem aliquando cuperem esse finem, sed frustra cupio. Jam primùm mendaciis indulget, quasi hactenus veritati semper studuisset. Ait, *P. Melchiorem Stör* Pag. 105. *amatoriis literis à quadam Abbatissa monitum & rogatum, ne Societatem ingrederetur, sed potiùs monasterii præsulem ageret, se enim sine illo vivere non posse. Quid hæc sibi velint*, subjungit impudens detractor, *divinate vos Jesuitæ.* Ecce, candide lector, quo pacto undique calumniandi materiam isti conquirant, & obtorto etiam collo attrahant, ut meritò usurpare liceat Evangelicum illud: *Et non erant convenientia eorum testimonia.* Marci 14. Scripsit Abbatissa ad P. Melchiorem eo modo, affectu, & animo, quo cognatæ & consanguineæ interdum scribere solent ad junctos sibi sanguine, cùm audiunt, eos de

G religione complectenda cogitare, mallent videlicet sæpenumero, eos potiùs in seculo opimis sacerdotiis ditari, aut certè in illos Ordines sua nomina dare, ubi aliquando ad dignitates, & honores, ut ita dicam, opulentos, pateret aditus. Hic literarum Abbatissæ illius finis, hic scopus fuit, & non ille, quem impurus impostor, per summam impudentiam fingit. Quale verò Pag. 106. quantumque mendacium est, quod effundit de Friderico Sommerman, Collegii Germanici in Urbe quondam alumno, eum videlicet occasione & prætextu Dæmonis expellendi, prægnantem feciss e Monialem, in

H Monasterio prope Lucernam Helvetiorum. Sed credat mihi, prudens Lector, si maculam hanc sacrilegam in se suscepisset ille Fridericus, non tot annos posteà apud nos retentus esset; Sed statim perpetua ex Societate ablegatione pœnas luisset, non secus atque cocus Landspergensis: Nam quod aliquoties jam dixi, id hîc repeto: Nemini, nemini inquam, qualiscunque sit, qui hoc flagitio sese contaminaret, ignosceret Societas, nedum illi, qui sacrilega libidine Virginem Deo dicatam funestâsset. At quòd Historicus hanc fabulam testimonio nostrorum Landspergensium confirmat, antiquum obtinet,

obtinet, eósque pro se testes citat, à quibus ùt effrons calumniator conjunctis animis & vocibus condemnatur.

A Addit Historicus, *Confessarios nostros in Bavaria per Paronomasiam appellari Germanicè* Bauchvätter, nit Beichtvätter, id est, *patres non confessionis, sed ventris.* Credo equidem, eos ita vocari, sed à te tuíque similibus, quorum, Dei benignitate, exiguus est in Bavaria numerus: quos, si, ùt tu dicis, confessionistæ sint, nihil mirum est, à sacris & concionibus nostris abstinere, & ne filiæ nostris confiteantur, cavere; cùm non tam nos quàm sacra omnia Catholica pessimè oderint.

B Perorat tandem convitiator non sine insignibus mendaciis. *In his, quæ hîc refero,* inquit, *nihil ex vano rumore depromo, nihil ex odio ipsis affingo, sed ea commemoro, quæ & ipse meis oculis vidi, & in illorum literis legi, & ex ipsorum Jesuitarum ore audivi, & ex relatione fide dignissimorum hominum percepi.* Vetus dictum est: *malus cùm se simulat bonum, pessimus est.* Pari modo, mendax cùm se simulat veracem, mendacissimus est.

C Túne nihil ex vano & falso rumore collectum affers? Unde ergo illa, de Spira, Vienna, Fulda, Dilinga, Augusta habes? Tu nihil ex odio? atqui ne ipsum quidem odium plura & deteriora de Jesuitis confingere potuisset, quàm tu passim in hoc tuo libro finxeris: Túne, quæ commemorâsti, partim tuis oculis vidisti, partim ex nostro ore audivisti? atqui non tantùm lingua, quæ hoc dicit, sed & manus, quæ talia scripsit, digniſſima est, quam corvi absumant cum ipsis oculis. Si quid nostris in Collegiis simile vidisses & præsertim Landspergæ, alios clamores tolleres, non vanis suspicionibus & flagitiis à Prædicantibus patrari solitis, & in nos per calumniam derivatis, ageres. Tui verò fide digniſſimi homines, qui sint, ignoro, præter Lucianicos auctores Apiarii, scurras, rabulas, sanniones, lixas, Prædicantes, Histriones, Mimos, pantomimos, fartores, sartores, sutores, Hæreticos & reliquam mundi fæcem; ab his enim, bonam partem, putidas tuas fabellas mutuatus es. Sed ais: *Hæc & alia ne ipsi quidem Jesuitæ verè negare poterunt, qua de re ipsorum conscientias appello.* Atqui tantum abest, ut ad tribunal conscientiarum nostrarum appellans, victoriam adepturus sis, ut omnium conscientiæ, quotquot in Societate degunt, te & Polycarpum, & omnes Prædicantes vestri similes, tanquam barbaros & mendacissimos calumniatores, & convitiatores condemnaturæ sint, atque utinam in pectora nostra oculos inferere posseris, ut intueremini, utrum horum criminum conscientia nos accuset & condemnet.

D Sed veniet aliquando dies, quo ad supremum summi Judicis tribunal nobiscum sta-

E bitis, ibi eluceſcet veritas cum sempiterna vestra ignominia & pernicie. Interea clamate & vociferamini contra Societatem, ùt libet, nos per bonam famam & infamiam, ad propositum vocationis nostræ bravium alacriter tendemus. Neque video, quid immanibus vestris mendaciis efficiatis, quàm quòd plerísque acrius & vehementius amandi & complectendi nos & res nostras desiderium injicitis; postquam enim Societas vestris furiis & insanis concionibus, libris & scriptis Prædicantium exagitari cœpit, non parvo incremento passim adaucta est, quantumvis licèt vobis gementibus & frementibus.

F Finis faciendus erat de hac materia, sed Historicus calumniandi æstu abreptus, denuo declamat in votum castitatis, adeò insulsè, imperitè, profanè, &, ut sic dixerim, bestialiter, ut putem, Asinam Balaam non aliter de castitate locuturam fuisse, si loquendi facultatem diutiùs habuisset. *Quæ cùm ita sint*, ait nefarius Agyrta, *Jesuitarum cælibatum, seu votum castitatis impium, immundum, injustum, inhonestum, difficile, impossibile, & Antichristianum esse pronuncio.* Quid huic homini facias, qui omnem rationem adeò amisit, ut in hæc tam Epicurea & porcina verba prorumperet? *Neque Christus*, inquit, *neque Paulus hujusmodi coactionis votum præceperunt.* Audi quæso; votum liberum est non coactum, quia liberè suscipitur, liberè vovetur, quippe consilium, non præceptum, semel tamen susceptum & legitimè nuncupatum, exigi potest, etiam à nolente, etiam vi, qua de re suprà satis. *At doctrinam prohibentium nubere, appellavit Apostolus doctrinam dæmoniorum.* Respondeo, Apostolum loqui de illis, qui nuptias ùt malas, & à Diabolo inventas execrabantur. Ita Theodoretus & alii in illum locum. Id nos non facimus, sed matrimonium etiam plusquam vos honoramus, cùm illud inter Ecclesiæ Sacramenta, & præcipua gratiæ conferendæ instrumenta numeremus. At docere nuptias esse impermissas & illicitas illi, qui se semel Deo per votum castitatis consecravit, id nunquam asseruit D. Paulus dæmoniorum doctrinam esse, sed potiùs contrarium, quod vos docetis. *Quisquis*, inquit D. Fulgentius de fide ad Petrum, *se ipsum castraverit propter regnum cælorum, & in corde suo continentiam Deo voverit, non solùm si mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam si aut vir uxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundùm Apostoli sententiam, damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.*

G

Pag. 106.

1. Tim. 4.

Cap. 36.

H Sed pergit; *Regula*, inquit, *Jesuitarum pugnat cum lege & ordinatione divina, qua in gratiam eorum, qui donum continentiæ non habent, conjugium est institutum.* Donum castitatis omnibus & nunc datur, & olim da-

I tum

A tum est, qui volunt, & id à Deo precibus petunt. *Quibus enim non est datum*, inquit D. Augustinus, *aut nolunt, aut non implent, quod volunt, quibus autem datum est, sic volunt, ut impleant, quod volunt.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.

B Novum verò cælibatum votúmque castitatis omnibus seculis inauditum introducit iste, cùm ait, *castitatem esse cum propria conjuge consuetudinem habere*: Licèt enim conjugio sua quædam sit castitas, nemo tamen hactenus repertus est, qui in matrimonio castitatem, quam Christus, D. Paulus & tot millia Sanctorum ab ipsa Christianæ religionis origine & verbis & factis suaserunt, collocaret; cùm castitas hæc & matrimonium ex diametro sibi mutuò adversentur. De Paphnutio, quem hîc nugator citat, videat Lector Bellarminum, libro primo de clericis capite vigesimo primo.

C Cæterùm ùt ebrii & insani idem decies repetunt, ita & hic insulsus Battus chorda semper oberrat eadem, & rursus *votum castitatis nullius ponderis & momenti esse debere, contra expressum Dei verbum & divinam institutionem clamitat.* Sed ubi hoc Dei verbum expressum extet, non facilè, arbitror, monstrabunt Lutherani, etiamsi Biblia millies versent & reversent. Pulchra verò est, quæ sequitur oratio, & digna cynico, *pugnant*, inquit, *Jesuitæ cum hoc suo voto cum ipsa natura, dum id, quod naturâ incommutabile, expetibile & naturalissimum est, in rem naturæ repugnantem, odibilem & mutabilem transformare & transsubstantiare conantur* Φυσιόμαχοι καὶ Θεόμαχοι. O porcum bipedem! quid enim aliud amica luto sus diceret, si conscenso Lutherano ambone verba ad hos tam benevolos & humanos auditores faceret. D. ergo Paulus physiomachus & Theomachus erat, & omnes tales esse volebat, cùm dixit; *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*, quia utique ipse ab omni concubitu continebat, inquit D. Augustinus. Sed nimis fortè multa cum hoc stulto de cælibatu disseruimus, cùm omnes has & alias infinitas hæreticorum nænias contra cælibatum Bellarminus partim lib. 1. de Clericis, partim lib. 2. de Monachis fusissimè & accuratissimè profligaverit, ùt & Gregorius de Valentia in libro suo de cælibatu. Ex quibus clarè constabit, quàm verè dicat iste; *Cælibatus Professores Nicolaitas esse, Manichæos, Tatianos, Encratitas, Montanistas, monstra diabolica & Antichristiana:* sic enim insanus vociferatur; nam *quidquid amens loquitur, vociferatio & clamor est appellandum*, ùt de Vigilantio dixit D. Hieronymus. Fessus autem maledicendo Jesuitis, calumnias jacere incipit in alios Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotes: *Ego*, inquit, *sanctè & verè testari possum, me in Italia & Germania ex centum, non quinque reperisse Sacrificulos, qui sese ab impuro meretricum tactu continuerint.* Mentiris nebulo audacter, & ùt scurram decet; licèt enim reperiantur, qui statui suo consentaneam non ducant vitam, tam raros tamen inveniri, qui Ordinis sui memores, vitam castè & sine labe transigant, vestrum est Polycarpe mendacium, qui carni & sanguini vos penitus consecrâstis. Longè verius arbitror illud, quod ab Helia scriptum est in Historia parallela Martini Islebiensis, & D. Martini Turonensis, nempè, *Prædicantes etiam si proprias habeant uxores, quotidianas tamen nuptias celebrare cum alienis.*

1. Cor. 7.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.

Pag. 197.

Pag. 108.

E

De Tertio Jesuitarum voto, quod est obedientia.

F DE obedientia superiùs multa jam diximus, ad refellendas detractoris hujus calumnias. Rogo autem lectorem, ut apud Ribadeneiram (qui latinè & germanicè extat) & apud Maffeium videat, quid noster P. Ignatius de obedientia senserit, & quomodo nos Superioribus nostris obedire voluerit; clarè enim hinc elucescet, quàm parùm isti de spiritu DEI habeant, qui tam insulsè & impiè de obedientia loquuntur & scribunt. *Præpositum monasterii*, inquit D. Hieronymus, *timeas ùt Dominum, diligas ùt parentem. Credas tibi salutare, quidquid ille præceperit: nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire & implere, quæ jussa sunt, dicente Moyse: audi Israël & tace.* Quod D. Hieronymi G præceptum observare quàm diligentissimè conamur, quotquot in Societate vivimus; nam cujusvis congregationis salus præcipuè pendet ab obedientia. Sed ait iste, *Jesuitam nihil aliud præcipere quàm peccata*, hoc ut probet, regulas quasdam nostras breviter percurrit, vel potiùs corrumpit. *In prima*, inquit, *regula præcipit Jesuita, ut omnes Pontificem Romanum pro Vicario Christi agnoscant.* Magnum sanè peccatum, & cujus meritò nos pudeat, non potuit tamen moris sui oblivisci, mentiri debuit; nam in regula non præcipitur, ut Romanum Pontificem pro Christi vicario agnoscamus & colamus, id enim fides tradit & præcipit, sed absolutè nominatur Pontifex in illa Regula *Christi Vicarius.* Neque Canisius initio minoris Catechismi, quem ad marginem citat, dixit eo loco, Pontifici in omnibus obediendum esse, etiam verbo Dei non expressis, sed dicit fidem esse donum, quo homo confirmatus, omnibus firmiter assentiatur, quæ nobis ab Ecclesia proponuntur, sive illa scripta sint, sive non sint. Adeò isti nostra nunquam sincerè & absque mendaciis commemorant.

Cap. 3.

Lib. 5. cap. 4.

Lib. 3. cap. 7.

Epist. ad Rust.

Pag. 112.

In secunda Regula, inquit, *suos socios Christos, id est, Salvatores hominum constituit.* H Pag. 113.

Mendacium. Recitavimus Regulam suprà in refutatione Proœmii; Regrediatur eò Lector, & mendacium deprehender.

In

A *In tertia*, inquit, *Regula facit illos circumforaneos, vagantes, seu exploratores, aut potiùs omnium proditores.* Mendacium. Regula ita habet: *Nostræ vocationis est diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium speratur.* Fortè ipsi Apostoli sunt istis itidem circumforanei; Nam dictum est illis; *Ite in orbem universum.* Marci 16.

B *In quarta*, inquit, *habitum & conversationem Pharisaicam illis præscribit, & vitam sine pœnitentiis otiosam, ac Epicuream.* Regula ita loquitur: *Ratio vivendi in exterioribus, justas ob causas, majus Dei obsequium semper intuendo communis est; nec ullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet; sed illas assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur, cum approbatione superioris, ad majorem sui spiritus profectum convenire, & quas propter eundem finem superiores eis poterunt imponere.* Quàm verò vita nostra otio dedita sit, omnes nôrunt, & clarum fit ex regula 44. cujus hæc sunt verba: *Omnes, quamdiu corpore benè valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur, ne otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri possit, domi nostræ locum habeat.* Ibid.

C *In quinta Regula*, inquit, *obtrudit Jesuita auricularem & confessionem generalem, maximam & detestabilissimam conscientiarum carnificinam.* At nobis & omnibus Catholicis, peccatorum ab ineunte vita repetitorum confessio, secunda est post naufragium tabula, & causa summæ quietis & tranquillitatis.

In sexta, inquit Regula, *Sacerdotes* πορνοκλέπτας *facit, & quicunque non sunt Sacerdotes, eos à sanguine Jesu Christi, grandi sacrilegio repellit.* Mendacium multiplex. Nam regula nihil aliud præcipit, quàm ut, qui Sacerdotes non sunt, confiteantur; & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant octavo quoque die.

In septima, inquit, *impossibilem omnium peccatorum enumerationem imponit.* Mendacium. Ecclesia nos illa peccata confiteri jubet, quorum diligenti adhibito examine recordamur. Hæc enumeratio nemini est impossibilis.

D *In octava & nona*, inquit, *omnes suos Neophytos impietatem erga parentes docet.* Mendacium. Nihil aliud docet, quàm quod Christus docuit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* De hoc odio diximus jam suprà. Audi nunc Polycarpe D. Augustinum. *Quod alio*, inquit, *loco de anima idem Dominus dicit; in parentes quoque potest congruentissimè convenire: Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam. Dicat etiam fidenter: Qui amat parentes suos,* Lucæ 14. Ref. cap. 5. Epist. 38. ad Lætum. Joan. 12.

perdet eos. Vide Polycarpe, quæ sequuntur in illa epist. & erubesce.

E *In decima*, inquit, *& undecima fraternam tollit charitatem, dum capitula etiam Monachis consueta corycæos, lupos, inquisitores in Evangelicos ordinat.* Mendacium. Regulæ enim tantùm jubent quemlibet contentum esse, ut omnes errores & defectus ipsius & res quæcunque, quæ in eo notatæ & observatæ fuerint, Superiori per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur, & ut boni consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare. Estne hoc, ô nugator, contra fraternam charitatem? Ergo & Christus fraternam charitatem sustulit? *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Et paulò pòst: *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Matth. 18.

F Deinde quos tu hîc *corycæos*, quos *lupos*, quos *inquisitores* Evangelicorum somnias? Apud nos nulli sunt Evangelici, id est, Lutherani; aut si qui fraudulenter & per hypocrisin irrepant, non diu manent; quia ùt nullum violentum, ita nullum simulatum est perpetuum.

In duodecima, inquit, *regula, Anabaptistarum communitatem confirmat.* Mendacium. Nihil nobis cum Anabaptistis commune; de quo jam suprà. Adde, quòd in regula citata, nulla omnino communitatis fit mentio, tantùm mandatur, *ut quisque quærat majorem in Domino sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.* Multò minùs verum est, quòd in hac vel ulla alia regula *odium in sæculares præcipiatur.* Refut. cap. 4.

G *In decima tertia*, inquit, *multas & varias hypocriticas & pharisaicas pœnitentias probat.* Mendacium. Regula his verbis constat: *In exercendis officiis abjectis & humilibus promptiùs ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit, si quidem injunctum fuerit, ut in eis se exerceant.*

In decima quarta, inquit, *sensibus repugnantia & sanitatem corporis lædentia præcipit.* Prius verum est, posterius mendacium; nam sanitatis curam minimè in postremis habendam esse, verbis & exemplo suo docuit nos P. Ignatius. Ecce, quàm bona fide, circa quatuordecim ex nostris regulis, versatus sit Historicus; non pauciora videlicet, quàm viginti mendacia proferens. Et audet adhuc in titulo libri promittere, se Rempublicam Jesuitarum perspicuè & solidè descripturum?

H *Jesuitæ*, inquit, *splendidè nugantur regulas suas à sancto Spiritu Ignatio inspiratas.* Quidquid bonum, quidquid rectum & sanctum est, id à Spiritu sancto, omnis boni & veri auctore profectum dicitur. Tu doce, Constitutiones nostras carere bonitate & veritate, & tum conclude, eas non à Deo, sed à Dæmone Ignatio inspiratas. Videat Pag. 113.

A Lectorem Ribadeneiram, ut hujus calumniatoris fraudes eò faciliùs animadvertat. Immane verò facinus, scilicet, patravit P. Crusius, cùm regulas nostras *Decalogum nomi-*
Lib. 4. c. 2. *navit;* Nescis decalogi nomen Metaphoricè omnibus illis tribui, quæ morum conformandorum, & vitæ instituendæ aliquo modo normam præscribunt?

B *Suam*, inquit, *Societatem arcæ Noë, fiscellæ Moysis*, agro, vineæ, grano sinapis, luci,
Pag. 114. soli, equo Trojano, horto Alcinoi, & Paradiso terrestri comparare solent. Suspicor, te de tuo *Trojanum equum* & *hortos Alcinoi*, addidisse. Sed ut ut sit, non modò nostram, ùt tu fingis, sed & alios quorumcunque religiosorum hominum ab Ecclesia approbatos Ordines, cum prædictis rebus multas ob causas meritissimò comparamus; qui præter cætera innumerabilia commoda, hoc etiam homini præstant, *quòd*, ùt D. Bernardus sapienter scripsit, *homo in religione vivit puriùs, cadit rariùs, resurgit citiùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, præmiatur copiosiùs.*

C Sed ait, *gloriantur Jesuitæ, quòd serviant hominibus concionando, confessiones audiendo,*
Ibid. *juventutem litteras docendo, & ægrotos visitando: At res ipsa loquitur, ipsos omnes alios homines servorum & mancipiorum loco habere.* Geminum mendacium. Nam si quid in gratiam proximi præstamus, non gloriamur, sed id, quod facere debuimus, nos fecisse profitemur. Alterum verò mendacium, mirer, si cuiquam persuaderi potest. Qui enim nos sumus, ut totum mundum pro mancipio nostro habeamus? Cæterùm, quid Historicus & Prædicantes de nostra opera, quam proximo navamus, sentiant, parùm vel potiùs nihil omnino moramur: nam labores nostros Catholicæ Ecclesiæ non prorsus esse inutiles, testantur cùm alia non obscurè, tum omnium Prædicantium inexplebile in nos odium, cujus profectò aliam non invenio causam, quàm quòd hanc minimam Societatem sibi suisque luminibus officere vident.

D Quod autem hîc iste affirmat, *secundùm nostram doctrinam, si quis in legem Dei peccet, nihil delinquere, aut certè peccatum ejus veniale esse: sin verò peccet in regulas Jesuitarum, crimen mortale committere;* Mendacium est, superiùs jam refutatum. Sed si iste non repeteret mendacia, hîc libri terminus esset. Verùm insano juvat indulgere labori, & mentiendi vesaniæ; quocirca commemorat hic fragmentum cujusdam exhortationis in Collegio Albertino olim habitæ, nempe anno 1584. in Paraseeve. At qua fronte mentitur, *se interfuisse huic exhortationi*, cùm eo die, quo exhortationem habitam dicit, non minùs quindecim milliaribus Ingolstadio abfuerit, id quod certissimò scio; erat enim tum transfuga iste Landspergæ in No- E
vitiatu, & præcedenti anno 1583. in Paraseeve vel Landspergæ quoque, vel in itinere versus Romam. Sed non est huic novum petulantissimè in hoc genere mendaciis indulgere; nam & infrà dicit, Gregorium de Valentia anno 1582. 6. Aprilis, Landsper-
gæ cuidam Lutherano, id est, sibi dixisse: Pag. 147.
Tu si vis egregius esse Catholicus, ne occuperis esse biblicus, cùm tamen Helias eo tempore neque Landspergæ neque in Societate fuerit: Missus est enim Landspergam anno 1582. in Autumno. Et pag. 148. ait, P. Julium in explicatione Catechismi Canisiani Landspergæ dixisse: *Tutò potest & debet quis confidere Ecclesiæ decretis; quia in ipsis loquentem audit Pontificem Romanum, qui extra omnem erroris aleam est positus;* cùm tamen P. Julius Prisciaenensis sanctè testetur, se Landspergæ catechismum nunquam explicâsse, id quod per se notum est apud nos, cùm nunquam Landspergæ habitaverit Professor Dilinganus multos jam annos.

Deinde ecquis erit tam obesæ naris, qui F
non odoretur, ex qua officina prodierint illæ loquendi formulæ: *Libenter audire concliones multas, & libenter ac sæpius legere sacram Scripturam, id profectò non est signum boni Catholici, sed potiùs hæretici. Verus Catholicus non multùm delectatur concionibus, quæ citò ceu ventus transeunt, neque lectione capitur scripturæ, sed unica hujus voluptas est, audire multas missas, & sæpius confiteri.* Ex cantu cognoscitur avis. Hæc scilicet nobis, vos concionatorii & Biblici homines affingere soletis, quasi apud vos solos concio & lectio sacrorum voluminum usitata esset. Crede mihi, valde desipis, si te putas tam turpiter mentiendo latere posse, ne à lectoribus deprehendaris.

Quamquam verissimè dici potest, signum G
boni Catholici non esse libenter conciones vestras audire, & sacras literas more vestro legere & non intelligere; verus enim Catholicus non delectatur vestris concionibus, quæ instar inanis cujusdam soni, velocissimè transeunt, sine ullo auditorum commodo, neque lectione scripturæ vestræ capitur, probè sciens, nimis magnam licentiam sibi sumere illum, qui divinos libros, Ecclesiæ & veterum interpretatione relicta, secundùm malè sani cerebri somnia explanat. Sed ulteriùs progrediendum est.

Superiùs, cùm de vita nostra privata & do- H
mestica ageret Historicus, pœnitentias, quas Cap. 5.
propter errata subimus, suaviter ridebat, id hîc denuo facit; nam ùt sæpe jam monui, si nugas & calumnias non repeteret, jam du- Pag. 116.
dum exhaustus esset. Utinam verò candidè & sine scurrilitate Lutherana, facetiisque Erasmicis & Lucianicis, pœnitentias nostras referret, non esset, cur Polycarpus putaret, se malam à nobis gratiam iniisse. Nunc cùm non ùt Historici, sed mimorum instar

isti

A iſti res noſtras commemorent, mirum non eſt, ſi religioſæ vitæ exercitamenta appareant ridicula: Nam quidquid mimus vel ſcurra dicit aut ſcribit, id totum largam riſus materiam ſubminiſtrat. Sed prudens Lector ipſemet, ſine meo admonitu, mendacia & ſcurriles levitates obſervabit; nam quis credat, præfractos & immorigeros ad triclinium mitti, *ut ibi horrendum videntes* (nam ita loquitur Hiſtoricus) *vocéque utentes Stentorea & pedibus quatientes* (humum, opinor, addere volebat) *dicant: Nolo hoc facere: Non veni, ut cloacas expurgem, &c.* Non opus eſt iſtis, habemus alias, & Religioſis magis conſentaneas rationes puniendi inobedientiam. Quia verò huic homini mirificiſſimum, & quovis ingenuo indigniſſimum videtur, ut humiliora & in ſpeciem abjectiora officia ſubeamus juſſi, vel ultrò etiam appetamus, rogo, ut Polycarpus redeat ad ea, quæ ſuperiùs de D. Joanne Damaſceno ex ejus vita retuli, ut videat, quanto intervallo cum ſociis ſuis à ſpiritu veterum patrum, & quod hinc ſequitur, à ſpiritu Dei, veræque humilitatis diſtet, nec mirabitur Ludovicum Granatenſem, cujus laus eſt per omnes Eccleſias, cùm P. Ignatium fortè fortuna hujusmodi miniſteriis occupatum reperiſſet, factum id tanquam inſigne excellentis humilitatis teſtimonium, cum admiratione approbâſſe. Audire, oro, Prædicantes, quid de Pynufii viri ſanctiſſimi humilitate, & in hujusmodi officiis obeundis alacritate memoriæ prodiderit D. Caſſianus. Cùm Caſſianus narrâſſet, quomodo in monaſterium cooptato horti cura demandata fuiſſet, ſubdit: *Quam ſub alio fratre juniore, qui eum ſibi creditum retinebat, exercens, ſic eidem ſubdebatur, tantáque obedientia deſideratam humilitatis excolebat virtutem, ut non ſolùm ea, quæ ad horti curam diligentiámque pertinebant, verùm etiam univerſa officia, quæ cunctis erant aſpera vel indigna, atque ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie ſedulitate compleret. Complura etiam nocte conſurgens ita furtim nullo teſte vel conſcio, tenebris occulentibus, efficiebat, ut penitus auctorem operis nemo deprehenderet.* Et paulò pòſt. *Nam ſarculo deorſum incurvus laxabat oleribus terram, deinde ſtercus humeris ſuis advectans, eorum radicibus ingerebat.*

Refut. cap. 5.

Pag. 117.

B

C

Lib. 4. Inſtit. cap. 30.

D

Vertit etiam nobis vitio, quòd in omnibus noſtris actionibus, omniúmque rerum intuitu, certas quasdam conſiderationes & meditationes uſurpemus: Sed in quo nos videri vult ridiculos, in eo oſtendit ſe profanum & modicè pium. An non ſatius eſt, mentem perpetuò ſanctarum rerum contemplatione occupatam eſſe, quàm liberam, quocunque libet, exſpatiari & evagari, non ſine religioſæ vitæ diſpendio? Didicimus hoc genus ſpiritualis exercitationis à P. noſtro Ignatio, quem ex tenuiſſimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus eſt, aſcende-

Pag. 118. 119.

Vide Ribad. lib. 5. cap. 1.

re, & ſupra cœlos ſeſe attollere, ſolitum ferunt. Et hæc de voto obedientiæ. E

De quarto Jeſuitarum voto, quod Profeſſorum eſt.

PRofeſſi quatuor votorum illi dicuntur apud nos, qui præter tria religionis ſolemnia vota, promittunt ſpecialem obedientiam ſummo Pontifici circa miſſiones. De his multa jam ſuperiùs effutivit Hiſtoricus mendacia; verùm hoc loco recens & planè alacer mendaciorum campum denuo ingreditur, in quo ita exſpatiatur, ut ad veritatem vix reverti poſſit. Ait, *cauſam hujus quarti voti fuiſſe, quòd ex Clericorum & Monachorum agmine, pauci Lutheranis reſiſterent.* Mendacium; non enim paucitas propugnatorum, ùt iſte invidiosè criminatur, huic voto cauſam dedit, (ſemper enim extiterunt omnium Ordinum doctiſſimi viri, qui perditis veſtris conatibus reſiſterent) ſed adjectum eſt reliquis tribus votis ob devotionem majorem & obſervantiam Sedis Apoſtolicæ, majorémque voluntatum noſtrarum abnegationem & certiorem ſancti Spiritus directionem, ùt in formulâ Inſtituti noſtri dicitur. Quare mendacium itidem eſt, *primos P. Ignatii ſocios hoc voto fuiſſe obſtrictos, ne fortaſſis ſcientia inflati, & rerum novarum ſtudioſi, aliquid novè machinarentur, vel Lutherì doctrinæ ſubſcriberent.* Crede mihi, etiam ſine voto hoc nunquam ſectæ veſtræ ſubſcripſiſſent, viri humiles, & docti & caſti; quis enim niſi arrogans & ignorans & carni addictus Prædicantium gregi ſeſe addixit?

Cap. 3.

Pag. 121.

F

Pag. 122.

Ex primis decem Patribus unus fuit Nicolaus Bobadilla; *hunc ait, ſe Romæ vidiſſe in aſino circumduci, album panem, quem Deum putabat, manibus ferentem, populóque ſigno crucis plenarias indulgentias elargientem.* Mendacium blaſphemum; nam Bobadilla SS. Euchariſtiam (quam iſte ſacrilegus *album panem*, nominat) non circumtulit, & multò minùs, ùt iſte impiè jocatur, ad majorem ſanctiſſimo Sacramento contemptum creandum, in aſino. Populo benedicere ſolebat; quia colebatur ab omnibus ùt pater, tum propter ſanctitatis & eruditionis exiſtimationem, tum propter venerandam caniciem, non tamen plenarias, ùt Hiſtoricus mentitur, indulgentias largiebatur. His mendaciis in ipſo veſtibulo narrationis de quarto voto fundamenti loco, præmiſſis, totus effunditur Hiſtoricus in calumnias & convitia; vocat enim Profeſſos *Pontificis Romani canes venaticos, exploratores & proditores totius Germaniæ, ejusmodi homines, quæ conſpirantes & juratos Germanorum Principum hoſtes juvent, & qui manus Pontificis Romanæ ad ſanguinem innocentem effundendum paratas reddant.* Sed his aliísque de genere eodem criminationibus, nihil aliud oppono, quàm

G

H

A dictum illud Domini: *Beati estis, cùm maledixerint vobis* (hæretici) *& persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos*
Matth. 5. *mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*, id est, sic omnes hæretici fictis criminibus onerârunt & traduxerunt omnes illos Orthodoxos, qui arrepto scuto fidei fortiter sese pro veritatis defensione contra falsitatem oppossuerunt; Ita olim Ariani
In Apolog. ad Constantium. Prædicantes, criminati sunt sanctum Athanasium apud Imperatorem Constantium, quasi cum Magnentio Tyranno conspirâsset, eúmque ad Constantium exterminandum sollicitâsset, ùt diximus suprà in præfatione. Dignum porrò observatione arbitror, primam cálumniam, qua Judæi Pilati animum in Christum accendere conati sunt, fuisse hanc de conspirationibus initis, déque seditionibus contra Rempublicam & Roma-
Lucæ 23. num Imperatorem excitatis. *Hunc invenimus*, dicebant, *subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse.* Et: *Commovit populum docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.* Si ergo caput nostrum his criminationibus improbi Judæi petiêrunt, quid mirum, si capitis hujus membris minimè parcant jam Hæretici Prædicantes, Judæorum in calumniando & mentiendo successores?

B Ait Historicus, *à Professis nostris initum & conflatum fœdus Gallicanum* (ipse conspirationem vocat) *duce Guisio.* Cæterùm à quipag. 123. bus & quo consilio sacrum illud in Gallia fœdus (*Ligam* vulgo nominant) ictum sit, toti terrarum orbi notissimum est, & quivis cùm ex aliis historiis, tum præsertim ex libro de justa abdicatione Henrici III. Lugduni impresso, & ex Gulielmo Rossæo de Rerumpublicarum supra Reges auctoritate, intelligere poterit.

C Recitat autem calumniator confœderatio-
Pag. 123 124. nis illius articulos; & suspicari quis posset, illum *sacræ Ligæ* fuisse Notarium, si capita fœderis vera & germana fideliter retulisset. Nunc cùm eos afferat articulos, qui & mendaciis & calumniis passim scatent, facilè quivis animadvertit, eos non à Principibus Galliæ, sed à seditiosis Prædicantibus, fortè in Polycarpi Musæo conditos, & in scriptum hoc relatos esse, id quod planum fit, cùm ex aliis omnibus, tum ex sexto, septimo & decimo articulo, quorum hæc sunt verba: *Helvetii Catholici pro viribus bellum contra confœderatos Luheranos gerant, ne possint vicinis laborantibus opem ferre.*

D *Eodem etiam tempore Guisiani in regno Galliæ Lutheranos trucident, & stirpem regiam Borbonicæ familiæ extinguant.*

Guisiani & Sabaudus in Germaniam deinde irrumpant, & Episcoporum & Principum Catholicorum auxiliis adjuti, Protestantes Principes & civitates evertant. Hactenus articuli. E

Porrò cùm Prædicantes isti tantos Principes Ecclesiasticos & Politicos civitatésque & liberas Respublicas tam atrocibus & quovis supplicio mulctandis injuriis afficiant, minùs mirandum est, cur maledicas linguas adeò impotenter in hanc Societatem stringant; qui enim in his fictitiis articulis non onerantur intolerandis injuriis? An non Principes Galli Catholici? An non Germani? An non Helvetii, quasi contra vicinos suos, rupto fœdere & violato omni fidei Sacramento, arma capere voluerint. Et quàm nequiter Lutheranos & Protestantes semper ingerunt? Dicite, quæso, súntne illi, con- F tra quos hactenus in Gallia pugnatum est, Lutherani & Protestantes? Helvetii item, qui se à Catholica Ecclesia abjunxerunt, súntne Lutherani & Protestantes? Cur ergo damnantur tanquam hæretici à Tubingensibus aliísque confessionistis, & scriptis aculeatissimis & maledicentissimis sine ulla intermissione confutantur, sicut & ipsi Tubingenses aliíque Protestantes à Calvinistis Galliæ & Helvetiæ? Qua igitur fronte asseritis fœdus Gallicum contra Lutheranos fuisse initum, & Principes Galliæ, opera Germanorum Principum, qui avitam sequuntur religionem, Lutheranos opprimere velle? Quis non videt, vos omnem vestram G operam & cogitationem eò referre, ut non tantùm Jesuitis, sed & ipsis Catholicis Principibus tam Germanis quàm exteris apud Imperii ordines invidiam & odium, vestris mendaciis & diabolicis fraudibus creetis, animósque, quamvis in religione dissentientes, hactenus dulci pacis vinculo colligatos, dissocietis? Quòd si Principes Guisii, aliíque Catholici Galli, Germanos Protestantes Galliam perditum euntes, sæpiùs non admodum hospitaliter exceperunt, non est, quòd mirentur Prædicantes. Nam jus militiæ hîc quæritur, non jus hospitii, & tales hospites non merebantur humaniorem tractationem; venerunt enim invocati, vel certè non à legitimo Galliæ Magistratu vocati.

Subit autem multos justissima admiratio, H cur Lutherani toties magna manu Calvinistis ferro & igne evangelizantibus opem tulerint; & etiamnum, quando felices Calvinisticæ sectæ progressus & successus nunciantur, pleni omnibus lætitiis incedant, triumphum agant, Papistísque petulantes insultent, cùm tamen Calviniстæ Lutheranos, & vice versa, hi illos, cane pejùs & angue oderint, iísque verborum contumeliis sese mutuò lacerent & lancinent, ut vix sit ullum convitium aut scomma, quo sibi abstinendum putent, cùm contra sese maledicum stylum acuunt. Et ne laborandum esset colligendis Epithetis, quibus Lutheranos

A ranos Calviniſtæ exornant, bonam profectò operam navârunt Tubingenſes, cùm præcipua ſaltem in unum locum congeſſêre, ut uno intuitu aſpici poſſent. Sic igitur Tubingenſes, Eccleſiarum noſtrarum Doctores appellant Calviniſtæ, *homines ſtolidiſſimos, fanaticos, Φιλάυτους, Theologaſtros, Mataeologos, Sophiſtas nequiſſimos, Sycophantas, Theoſophiſtas, Corporaliſtas, Moroſos, Ambitioſos, Proſcriptores Pontificios inauditorum, homines Principum animos ſuis calumniis in ignorantia detinentes, genitores Pandoræ, percitos furore, oblitos omnis modeſtiæ & pudoris, ſuperbos, feroces, flagitioſos dominatores fidei, Neſtorianos, Eutychianos, Patronos Mahumetiſmi, contumaces, invectores paradoxorum & ſcandalorum, inhumanos, odio & ambitione faſcinatos, pendentibus in cruce acetum felle mixtum porrigentes, Patres Ubiquitatis, novos Dogmatiſtas, Dipnoſophiſtas, Logodædalos, homines præter omnem modum contentioſos & pertinaces, recentes Capernaitas, malignos Veteratores, flagitioſè & impiiſſimè leves, Ubiquiſtas conjuratos, malevolos & conjuratos veritatis hoſtes, impudentiſſimos cavillatores, Acephalorum & Eutychianæ hæreſis renovatores, phantaſmaticos veræ incarnationis Chriſti irriſores, conſpiratam ſchiſmaticorum factionem, Artolatriæ inſtauratores, deliros Sacramentarios, inſtar Piratarum per Eccleſiam navigantium ſuper ambitione & opinionibus, veritatem cum pace depradantes, homines odio & invidia excæcatos, Sophiſtas nequiſſimos, novæ fidei magiſtros, præſtigiatores, veritatis & pacis hoſtes, conjuratam factionem Ubiquiſtarum, hoſtes conjuratos in oppreſſionem veritatis, impudentiſſimos cavillatores, rerum flagitioſè ignaros, manifeſtos hoſtes & inficiatores omnipotentiæ Dei, Pſeudolutheranos, &* In præfat. Refut. conſenſus Calviniſtici, ſub finem.

B

Flaccianam factionem, ἀνθρωποφάγους, κρεοφάγους, σαρκοφάγες, carnivoros. Doctrinam verò Eccleſiarum noſtrarum, *flagitioſiſſimum errorem, fatum infelicem, Pandoram, phantaſma & ſpectrum, larvam ſcenicam, abſurdiſſimam impietatem, putidiſſimam & Sophiſticam vanitatem, Hæreſin mixtam ex Eutychiana & Neſtoriana, imaginationes phantaſticas, inſaniſſimam ſententiam, execrandam blaſphemiam, ludibrioſum commentum, ſacrilegam impanationem, corporalis præſentiæ idolum & commentum, Doctrinam impoſtoribus, non Theologis dignam, nugatorium commentum, execrandam Theologiam, Neſtorianiſmum, Antichriſtianum cultum, idololatricum dogma, & ſimilia.*

C

D

Quòd ſi quis colligere vellet convitia, quibus Calviniſtæ privatim quosdam, & præcipuè Schmidelinum, Concordiſtarum Ubiquiſticorum fulcimentum unicum, inſectati ſunt, integer Calepinus confici poſſet. Etenim Ambroſio Wolffio Schmidelinus eſt *homo monſtroſiſſimè audax, impudentiſſimè ambitioſus, & infeliciſſimo Germaniæ fato Theologus factus.* Marco Bemlero Sacramentario Tigurino, redolet Schmidelinus, *equiſonis potiùs levitatem, quàm Theologi gravitatem, qui majorem temporis partem in equili, quàm in Muſæo conſumit, & accuratiori ſtudio equos alit, quàm ſacras literas tractat & evolvit; qui temerè garriendo, duriter loquendo, ſeſe Thraſonicè jactando magnas tempeſtates concitat; qui tanquam furiis agitatus, impudica impudicitia & effrænato ore in optimum quemque graſſatur; qui ipſo Patæcione maledicentior eſt; qui temerè & impotenti animo ſpicula linguæ ſuæ venenatæ contorquet & ceu fulmina brutus fulminaſter emittit; cujus inutilis fulminaſtri fulmina bruta & quovis folio leviora contemni debent; qui in tota vita ſua, etiam in manifeſtiſſima fraude deprehenſus, nunquam erubuit;* & quid verbis eſt opus? totus Bemleri liber nihil aliud eſt, quàm ſcomma & ſarcaſmus in Schmidelinum, & Ubiquiſtas Confeſſioniſtas.

E

Neque Lutherani obliviſcuntur ingenii & moris ſui. Religioni enim haberent, ſi ſeſe in convitiandi palæſtra vinci paterentur à Calviniſtis. Hinc Lutherus, quo nemo mortalium in maledicendo exercitatior fuit, appellat Sacramentarios, *porcos, canes, ſvvermeros*, brutos aſinos, *nimis protervè*, inquit Ambroſius Wolffius, *& animo prorſus non Chriſtiano.*

F

Magiſtri noſtri Tubingenſes nominant Calvinianos & Zvvinglianos, *vanos, ſupra modum aſtutos, malitioſos, blaſphemos, lucifugas, veſpertiliones, & ejus ſpiritus, quem nullius vanitatis, Sophiſtices, depravationis & manifeſti criminis falſi pudet. Spiritu tenebrarum occupatos, & ſibi peſſimè conſcios, à maligno ſpiritu obſeſſos, à quorum doctrina ad Arianiſmum & Mahumetiſmum per gradus perveniatur.* Dogma ipſum Calvinianum vocant iſti, *falſum, impium, & blaſphemum*, per quod Calviniſtæ non minori blaſphemia Chriſtum afficiant, quàm ipſi Judæi & Mahumetani. Vulgus Calvinianorum & Zvvinglianorum dicitur ab iſtis *ſæviens, & malè inſtitutum. Quàm malè*, inquiunt, *inſtitutum & ſæviens vulgus ſit Calvinianorum, aliquot Regna propemodum cum extrema pernicie experta ſunt, quod eo loco Eccleſiarum reformationem tanto furore & bipenni inſtituit, in quo nullum jus Imperii habent, à ſeditioſis & turbulentis concionatoribus, & illorum clamoribus excitatum. De quo Calviniani Doctores quandóque DEO duriſſimam rationem ſunt reddituri. Et qui hujus Tragœdiæ auctores ſint, minimè etiam ignotum eſt. Niſi enim Zvvingliani & Calviniani Doctores ſua perverſa doctrina Eccleſiam perturbâſſent, non modò Evangelium longiùs propagari potuiſſet, ſed major quoque pax & tranquillitas paſſim in exteris regnis eſſet, in quibus nunc omnia ſunt perturbatiſſima.* Et Schmidelinus in admonitione de Synopſi orationis Grynæi: *non minor*, inquit, *rabies & crudelitas â Calvinianis nobis expectanda eſſet, quàm à Pontificiis experti ſumus; Spiritus enim Calvinianorum mendax eſt & homicida.* In quam ſen-

G

Lib. cit. pag. 45.

In præfat. & paſſim in Refut. conſenſus Calviniſtici.

Pag. 679.

H

In lib. de fundamentis Lutheranæ doctrinæ. pag 9. In Apologia contra Schmidel.

Pag. 22.

Loc. cit.

ten-

A tentiam alii quoque Tubingenſes ſcribunt; *non levis*, inquiunt, *aliqua conjectura, ſed certiſſimum argumentum eſt, ſi, quod quærunt* (Caliniſtæ) *obtinerent, majorem Eccleſiis tyrannidem ab illis metuendam eſſe, aut ſaltem non minorem, quàm in Pontificio regno experti ſumus.* Hæc iſti. Quid quòd nuper Hunnius Lutheranus, Calvinum Judæum, & quod hinc ſequitur, Calviniſtas Judæos eſſe demonſtrare conatus eſt; libro proprio, quem inſcripſit, *Calvinus Judaizans.*

B Cùm igitur Lutherani tam atrociter à Calviniſtis excipiantur, & viciſſim Calviniſtæ à Lutheranis, jure mirari poſſumus, Lutheranos, procùl dubio inſtinctu ſuorum Prædicantium, toties ſuppetias tuliſſe & ſubſidio veniſſe Calviniſtis, hoſtibus ſuis acerrimis, & etiamnum incredibili voluptate perfundi, cùm audiunt, Calviniſtas oppreſſis Papiſtis felici rerum curſu florere, cùm Lutherus optare fuerit ſolitus, *omnes Sacramentarios adhuc Papiſtas eſſe*, ſic enim fore, ut longè faciliùs in viam revocarentur: cúmque ſcribant Tubingenſes, *vehementer errare illos, qui Eccleſiis ſtatim per omnia conſultum exiſtimant, ſi Papatus Idolomania gladio vel bipenni abrogetur; neque privatorum manus adverſus ordinarium Magiſtratum in Gallia & Belgio armandas fuiſſe; quos Miniſtri Calviniani, majorum ſuorum exemplo, ad Martyria ſuſtinenda, non ad ſanguinem perſecutorum effundendum, ex verbo Domini, hortari debuiſſent.* Sed hæc occaſione calumniarum Polycarpi, obiter & per digreſſionem. Nunc ad inſticutum revertamur, videamúsque, quo mendacio aggrediatur Sycophanta ſereniſſimum Bavariæ Ducem Ferdinandum.

Teſtibus Tubing. refut. conſenſus pag. 678.
Pag. 43.
Pag. 45.

C *Dum Ferdinandus*, inquit, *Coloniam cum ſuis peteret, Jeſuitæ exploratores egerunt, ne vel Ferdinandus vel ipſius panoplia intercipi poſſet.* Mendacium maximum: nec minor in tantum Principem cum inſigni contemptu injuria. Sed bene habet, cùm de magnis Principibus Prædicantes mendacia ſpargunt, refelli enim poſſunt non noſtris modò dictis, ſed & ipſorum Principum graviſſima auctoritate; quam, nemo eſt, qui non pluris æſtimet, quàm omnes Prædicantes, quotquot ad hunc diem infelici ſidere extiterunt, aut ſequentibus erunt in annis.

Pag. 123.

D Quanquam quid mirum, ab effronte iſto hæretico Principem Ferdinandum tanta injuria onerari, cùm ipſi Imperatori Romano non parcat; Non enim ſatis habens, quòd ſacram Cæſaream Majeſtatem Pontificiæ Idolomaniæ ſectatoribus adnumerâſſet; addit;

Pag. 125. *nos ſollicitare Imperatorem & reliquos Pontificiæ Idolomaniæ Sectatores, ut arma capiant, & Chriſtianos*, id eſt, Lutheranos, *extinguant.* Sed cùm ipſe auguſtiſſimus Imperator, Principes & Ordines Catholici certò ſciant, nos huic culpæ non eſſe affines; minùs moramur hanc Polycarpi veſanam contumeliam, præſertim cùm non tam nos, quàm Chriſtiani orbis Monarcham ſummósque Principes petat.

E Pergit Hiſtoricus inflare tubam; *Multas*, inquit, *tribunitias & Catilinarias conciones in Italia & Bavaria à Jeſuitis audivi.* Mentiris; nam concionatores noſtri veſtros errores, ſi quando ſeſe offert occaſio, modeſtè & graviter, ùt decet Religioſos, de loco ſuperiori refellunt, ab illis ut ſibi caveant, auditores ſeriò monent, arma & tubas vobis Martialibus Præconibus relinquunt. Id facere P. Gregorium Roſephium Auguſtæ, P. Conradum Vetter olim Monachii & nunc Ratisbonæ, P. Jacobum Lucium Landſpergæ, & P. Georgium Scherer Viennæ, non tantùm Catholici, ſed & multi Evangelici teſtari poterunt. Et putásne, P. Roſephio Auguſtæ aliquid loci relictum iri, ſi ſignum ad turbas & ſeditiones ex Cathedra ederet? Falleris profectò; vigilantior eſt ampliſſimus urbis illius Senatus, quàm ut ſeditioſos concionatores in Republica ſua ferat. Quare & P. Gregorio & ipſis Generoſis Dominis Fuggeris, luculentam facit injuriam Impoſtor, *dum eum in aulis Fuggerorum, Papicolarum animos contra Evangelicos Chriſtianos* (Luthericolas dicere debebat) *inflammare mentitur.* Si Polycarpus cum ſuis ſociis ab Illuſtribus *Dominis Fuggeris*, vocaretur ad legitimum judicem, poſſétne hoc verè & ſolidè & juridicè probare? Sed quidquid à concionatoribus & Theologis noſtris vel dicitur, vel ſcribitur, id ſcilicet omne, ad bella, ad arma, ad Germaniæ interitum ſpectat.

F

G Soli Lutherani verbis & ſcriptis pacem colunt & tuentur, homines in ipſo pacis gremio educati, adeò ut noſter hic Hiſtoricus ipſos etiam Calviniſtas *homines innocentes, pietatis & pacis ſtudioſiſſimos* appellet, quos tamen Schmidelinus & Tubingenſes longè alio, ùt vidimus, penicillo depingunt. Necdum ullus mendaciorum finis apparet: Ait, *docere nos, Lutheranis hæreticis nullam ſervandam eſſe fidem, ſed ad ignem eſſe rapiendos, illorum bona vel confiſcanda, vel ſpiritualibus voto paupertatis obſtrictis diſtribuenda.* Sed dicite, ubi & in qua cathedra, in qua Academia, ſchola, vel templo noſtri docuerint, pacta legitimè cum Hæreticis inita, non eſſe ſervanda, aut ſi non poteſtis auctorem hujus doctrinæ & locum demonſtrare, profligatiſſimos calumniatores vos eſſe fateamini, qui nos apud Lutheranam plebeculam tantis mendaciis traducere conemini; nam de prudentioribus Lutheranis nihil dubito, quin veſtras calumnias & fraudes, non dico, videant, ſed & lugeant. Quamobrem *judicent, qui vel micam prudentiæ habent, utrum æquum ſit hos calumniatores & Sycophantas, haſce furias & ſeditionum motuúmque publicorum faces in medio Germaniæ ferre? Reipublicæ & Eccleſiæ intereſt,*

Pag. 124.
Pag. 126.

H
Pag. 126.

A *est, ne improbi, scelerati, Diaboli legati, & seditionum auctores impunè bellum civile concitare, Ecclesiam filii Dei turbare, viduarum domos devorare, & Imperii ordines inter se committere, publicam pacem & tranquillitatem perturbare, patriámque dulcissimam prodere, omnia interturbare & evertere conentur. Cavete, cavete ô Illustrissimi ac optimi totius Germaniæ Heroës, ne commune patriæ nostræ navigium, quo omnes vehimur, ab istis proditoribus Prædicantibus perforetur, aut evertatur, sicque omnes, cujuscunque sint ordinis, si Prædicantium consiliis obsecundent, pessum eant.* Habes Polycarpe tuam & Molitoris tui ad Principes apostrophen; Tui judicii esto, utrum ita, nonnihil immutata, non sit verior & aptior.

B Hîc mihi in mentem venit, Prædicantes istos, calumniatores nostros non modò veteribus Arianis in calumniando similes esse, In præfat. ùt suo loco ostendimus, sed etiam ipsis Judæis; etsi enim neminem nostrûm cum D. Stephano comparatum velim, liberè tamen & sine ulla arrogantia dico, eodem prorsus modo, quòd ad calumnias attinet, cum Societate JESU istos agere, quo Judæi cum Act. 6. D. Stephano: *Stephanus enim plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.* Quod cùm Christiani nominis osores ferre non possent, statim *surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, &c. disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.*

C Pari modo exorta præter omnium Lutheranorum expectationem nostra Societate, & longè latéque diffusa, non modò in regionibus Catholicis, sed & in illis, quas Lutherana pestis corripuit, patratísque à Societate non paucis, quæ ipsis quoque Lutheranis miraculi speciem habere visa sunt, surrexerunt quidam de Synagoga Libertinorum Lutheranorum disputantes cum Jesuitis Colonienſibus & Ingolstadienſibus, cum Canisio, cum Hieronymo Torrensi & aliis ex antiquioribus nostris in Germania Theologis. Postea verò cum Gregorio de Valentia, cum Bellarmino, & cum aliis plurimis, nec potuerunt resistere sapientiæ, & eruditioni, & spiritui, qui loquebatur. Ut igitur olim Judæi apellæ, ita & isti baptismate tincti Judæi aliò sese converterunt, aliásque machinas adornârunt. *Tunc submiserunt*, inquit S. Lucas, *viros, qui dicerent se audivisse eum* (Stephanum) *dicentem verba blasphemiæ in Moysem & Deum. Commoverunt itaque plebem, & seniores, & scribas, &c. & statuerunt falsos testes, qui dicerent, homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem, &c.*

Kemnit. contra Colon. Schmid. contra Ingolstad. Hæretici passim contra Canisium. Wilhelm. Bidenbach contra Torrensem.

D Eodem spiritu impulsi Prædicantes cùm disputando contra Societatem nihil efficerent, cœperunt totis viribus, vitam & mores nostros, vivendíque institutum oppugnare, & totam Germaniam insanis vociferationibus in nos tanquam in *blasphemos, flagitiosos, libidinosos, sanguinarios, patriæ proditores, & diabolos incarnatos* concitare, & falsos etiam testes producere, qui objectione immanissimorum criminum Germanos à nobis abalienarent, affirmaréntque, se audivisse JESUITAS, dicentes; Quoniam Societas JESU destruet locum istum (Germaniam) & ferro & igne & Germanorum cruore mutabit traditiones, quas tradidit nobis Lutherus. In quorum testium numero si primas concedamus huic Heliæ, nullam, opinor, injuriam faciemus Osiandro, etiamsi sit Doctor, & Helias tantùm Magister, qui simile testimonium scriptis libris ante aliquot annos contra nos deposuit. Quid enim aliud est totus Heliæ liber, quàm falsum quoddam testimonium, non unius facinorosi Polycarpi, sed multorum Prædicantium hortatu & suasu contra JESUITAS dictum & scriptum, tanto videlicet cum ipsorum honore, quantum quondam Judæi contra D. Stephanum falsò testificati retulerunt. E

F Porro cùm D. Stephanus sese à calumniis Judæorum longa & spiritu divino plenissimâ oratione & disputatione defenderet, Judæi Act. 7. *exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.* An non imitatores veros Judæorum hac etiam in parte sese demonstrant nostri Prædicantes? Nam quicquid pro defensione innocentiæ nostræ vel ab aliis privatis hominibus, vel à Principibus & Rebuspub. vel etiam à nostris dicatur & scribatur, isti obsurdescunt, neque ad aures, nedum ad mentem, ullum patrocinium admittere volunt, in id unum intenti, ut data occasione impetum unanimiter in nos faciant, ejectósque extra civitatem aut lapidibus obruant, aut laqueo, aut gladio, aut alio necis genere ex viventium numero exterminent. Neque dubito, quin isti carnificum nos trucidantium vestimenta libentissimè & diligentissimè cum Saulo interea custodirent. Quam certè voluptatem illis contingere optarem, dummodo sanguine & precibus nostris ex *Saulis*, id est, ex hæreticis Prædicantibus, *Pauli*, id est, Catholici fierent, miserámque plebem seducere, & in exitium præcipitare desinerent. G

Quæ porrò hîc calumniator repetit de P. Badero, P. Crusio, & de tumultu Augustano, ea jam suprà refutata sunt. Verè Pro- H Cap. 1. pheta de hujusmodi hominibus: *Impii in circuitu ambulant:* ùt enim ambulantem in orbe vel circulo, necesse est sæpius ad eandem partem redire, ita diu multúmque mentientem & calumniantem, necesse est sæpius ad eadem mendacia calumniásque reverti, id quod cùm in aliis omnibus Hæreticis, tum potissimùm in hoc Historico cernere licet, Psalm. 11.

licet, qui cùm passim jam multa declamitaverit in nos quasi seditiosos, hîc tamen de integro novos clamores tollit.

Optat venire, *qui Jesuitas Augustanos & Colonienses & Bavaricos cogat in apertum producere literas & consilia, quibus hisce superioribus annis classicum in Christianos Augustæ, Coloniæ & in Bavaria degentes cecinerint.* Ac veniat, qui volet, quærat, indaget hujusmodi conspirationum arcana; nihil invenient præter vestra de his arcanis mendacia pudenda & publica. De seditionibus Augustanis jam sæpius responsum est. Quis turbas Colonienses excitaverit, novit uterque Polus. In Bavaria, nescio, de quibus iste tumultibus loquatur. Vivit, Dei beneficio, Bavaria in summa pace, quæ eò erit stabilior & diuturnior, quò à Prædicantibus remotior. Sed malè habet Historicum, *quòd, cùm nunciatur victoria alicubi à Catholicis de Sectariis relata,* Deo gaudentes agamus gratias. Dixi jam suprà nullam esse causam, cur ploremus, propter victoriam ipsam, quamvis alio quodam ex capite quævis etiam victoria uberem materiam luctus suppediteret, dum tot innocentes à Prædicantibus seducti in exitium sempiternum præcipites ruunt. Addit tamen invidiosè: *Deo nos agere gratias, cùm multi Lutheranorum occumbunt.* Sed quandiu Jesuitæ in Germania versantur, nullum novimus à Lutheranis in Germania cum Catholicis bellum gestum; nam qui Galliam & Flandriam turbant, Coloniensémque Archiepiscopatum, & Episcopatum Argentoratensem diripuerunt, ii ferè Calviniстæ fuerunt; siqui Protestantes se adjungunt, meritas temeritatis luunt pœnas. Cur domi sese non continent? Nemo certè quietem securam & otium ipsis invideret, vel eripere tentaret. Quæ verò hîc de Ducatu Wirtenbergensi à Catholicis post mortem Ducis Ludovici occupando commemorat, quasi ex P. Zieglero audita; ea quàm vera sint, exitus ipse nunc probat, defuncto jam illo Principe. Pergit Calumniator;

Ipsi Jesuitæ, in Italia & Hispania, inquit, *ne unum quidem ferunt Christianum Evangelicum, sed mox ad domum Inquisitionis detrudunt.* Mendacium ingens; quàm multi enim Italiam quotidie percurrunt, multis benenoti, quos tamen patriam sine ulla noxa revisere, jam suprà diximus; & vos ipsi nostis; quòd si qui deprehensi, *in curru igneo,* ùt P. Hoffæum dixisse scribit Impostor, ad inferos descendunt, non Jesuitis, sed suæ temeritati id adscribant, cùm intempestivis disputationibus & importuno zelo animarum se se patefaciant, & eò conferant, ubi hujusmodi Evangelicis præconibus, nihil penitus loci relinquitur.

Ex Græcensibus, inquit, *& multis civibus Monacensibus, ex Augustanis item sæpius hæc verba audivi: utinam nunquam Jesuitas intromisissemus, satius fuisset nobis pro uno Jesuita centum alere Monachos.* Siqui apud Historicum has querelas deposuerunt, eos, qui fuerint, nullius laboris est agnoscere. Ululat videlicet lupus cum lupo, & corvus cum corvo crocitat. Quàm verò hujusmodi Evangelici viri Monachos valde ament, satis supérque non semel declarârunt; & est certè, quòd Religiosi illi Patres magnas istis pro benevolentia & singulari humanitate gratias agant.

Recitat deinceps Historicus formulam nostri instituti, quæ licèt extet apud Ribadeneiram in Bulla Julii III. eam tamen hîc adscribere placet, ut eò commodiùs à calumniatoris mendaciis & depravationibus vindicetur. Ad verbum ita habet:

Quicunque in Societate nostra, quam JESU nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo DEO militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ ipsius sponsæ, sub Romano Pontifice, Christi in terris vicario servire, post solemne perpetuæ Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimùm institutæ, ut ad fidei defensionem & propagationem, & profectum animarum in vita & doctrina christiana, per publicas prædicationes, lectiones & aliud quodcunque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia puerorum ac rudium in christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac cæteris Sacramentis administrandis, spiritualem consolationem præcipuè intendat: & nihilominus ad dissidentium reconciliationem & eorum, qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem & ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda, gratis omnino & nullo, pro suo in prædictis omnibus labore, stipendio accepto, se utilem exhibeat: curétque primò Deum, deinde hujus sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi, unusquisque tamen secundùm gratiam sibi à Spiritu sancto subministratam & vocationis suæ proprium gradum. Ideóque ne quis fortè zelo utatur, sed non secundùm scientiam, proprii cujusque gradus judicium, & officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Præpositi Generalis seu Prælati, per nos quocunque tempore eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum autoritate substituerit, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem Præpositus de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem hujus propositæ nobis finis conducentes, condendi, majorum suffragiorum parte semper statuendi jus habente, & quæ dubia esse poterunt in nostro instituto hac formula comprehenso, declarandi autoritatem habeat. Consilium verò necessariò convocan-

A vocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones & alia graviora, ùt alienare, vel dissolvere domos, ac collegia semel erecta, intelligatur esse major pars totius professæ Societatis, (juxta Constitutionum nostrarum declarationem) quæ sine magno incommodo potest à Præposito Generali convocari. In aliis, quæ non ita magni momenti sunt, idem Præpositus adjutus, quatenus ipse opportunum judicabit, fratrum suorum consilio, per se ipsum ordinandi & jubendi, quæ ad Dei gloriam & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, jus totum habeat, prout in Constitutionibus eisdem explicabitur. Quicunque autem in hac Societate professionem emiserint, non solùm in primis profes-
B sionis suæ foribus intelligant, sed quoad vixerint, memores sint, Societatem hanc universam, & singulos, qui in ea profitentur, sub sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ III. & aliorum Romanorum Pontificum successorum ejus fideli obedientia Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, & fide Orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus, omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam capiti ac Jesu Christi Vicario subesse, ob devotionem tamen majorem ad obedientiam sedis Apostolicæ, & majorem voluntatum nostrarum abnegationem & certiorem sancti Spiritus directionem summopere conducere judicavimus, singulos nos, & quicunque eandem in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum speciali ad hoc voto astringi, ut quidquid Modernus, & alii Romani Pontifices pro
C tempore existentes jusserint ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quascunque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione, aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit (sive nos ad Turcas sive ad quoscunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, sive ad quoscunque Hæreticos, Schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles mittendos censuerint) exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multúmque meditentur, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta consilium Dominicum possint consummare, hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo
D adjuvante, se laturos sperent; & postquam, Domino inspirante, huic JEsu Christi militiæ nomen dederint, die noctúque succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt. Ne qua autem possit esse inter nos missionum aut Provinciarum hujusmodi ambitio, vel detrectatio: intelligant singuli, sibi per se, vel alium, de hujusmodi missionibus quidquam cum Romano Pontifice non esse curandum, sed omnem hanc curam Deo & ipsi Pontifici tanquam ejus vicario, & Societatis Præposito dimittendam: cui quidem (sicut cæteris) de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice curandum non erit. Voveant etiam singuli, se in omnibus, quæ ad regulæ hujus nostræ observationem faciunt, Societatis Præposito (qui ad hoc munus quàm fieri possit idoneus ad plura vota, prout in Constitutionibus declarabitur, eligetur) obedientes fore. Ille autem omnem eam autoritatem & potestatem habeat supra Societatem, quæ ad bonam ejusdem Societatis administrationem, correctionem & gubernationem utilis erit. Jubeat autem ea, quæ ad constructionem propositi sibi à Deo, & à Societate finis cognoverit esse opportuna, & in prælatione sua benignitatis, ac mansuetudinis, caritatisque Christi, Petri Paulique formulæ semper sit memor: & tam ipse quàm consilium prædictum ad normam hanc assiduè spectent. Singuli verò subditorum, tum propter ingentes ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solùm Præposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur: sed in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantum decet, venerentur. Cùm autem experti fuerimus jucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam, ab omni avaritiæ contagione quàm remotissimam & Evangelicæ paupertati quàm simillimam; cúmque sciamus Dominum nostrum JEsum Christum servis suis regnum Dei solum inquirentibus necessaria ad victum, & vestitum esse subministraturum, sic voveant singuli, & universi perpetuam paupertatem, ut non solùm privatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel ulla eorum domus, aut Ecclesia ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia (præter ea, quæ opportuna erunt, ad usum proprium & habitationem) retinenda jus aliquod civile acquirere, rebus sibi ex caritate donatis ad necessarium vitæ usum contenti. Quia tamen Domus, quas dominus dederit, ad operandum in vinea ipsius, & non ad scholastica studia exercenda destinandæ erunt: cùm valde opportunum fore alioquì videatur, ut ex juvenibus ad pietatem propensis, & ad literarum studia tractanda idoneis operarii eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis nostræ, etiam professæ, velut quoddam Seminarium existant, possit professa Societas ad studiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia; ubicunque ad ea construenda & dotanda ex devotione aliqui movebuntur: quæ simul atque constructa, & dotata fuerint (non tamen ex bonis, quorum collatio ad sedem Apostolicam pertinet) ex nunc autoritate Apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi: quæ collegia possint habere reditus, census, seu possessiones, usibus, & necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Præpositum vel Societatem omnimoda gubernatione, seu Superintendentia super dicta Collegia & prædictos Studentes, quoad Rectorum seu Gubernatorum ac Studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, & circa Studentium institutionem, eruditionem, ædificationem ac correctionem victus vestitúsque, & aliarum rerum necessariarum eis ministrandarum modum, E F G H

A *atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, ut neque Studentes dictis bonis abuti, neque Societas profe-ſa in proprios uſus convertere poſſit, ſed Studentium neceſſitati ſubvenire. Qui quidem Studentes ingenii & morum indole tales eſſe debebunt, ut meritò ſperetur, poſt abſoluta ſtudia ad Societatis functiones idoneos fore; & ſic demum poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem in Societatem noſtram admitti poſſint. Socii autem omnes cùm Presbyteri eſſe debeant, ad dicendum officium ſecundùm communem Eccleſiæ ritum, ſed privatim & non communiter, vel in Choro, teneantur; & in iis, quæ ad vi-*

B *ctum, & veſtitum, & cætera exteriora pertinent, honeſtorum ſacerdotum communem & approbatum uſum ſequentur; ut quod inde pro cujusque neceſſitate, vel ſpiritualis profectus deſiderio ſubtractum fuerit, ex devotione, & non ex obligatione, rationabile obſequium corporis Deo, prout expediet, offeratur. Hæc ſunt, quæ ſub præfati Domini noſtri Pauli & ſedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtra profeſſione, typo quodam explicare potuimus; quod nunc fecimus, ut ſummatim informaremus, tum illos, qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos Deo volente, imitatores unquam habebimus hujus viæ: quam cùm multas, magnásque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum judicavimus etiam ſtatuere, ne quis ad profeſſionem in hac Societate emittendam, niſi diuturnis & diligentiſſimis probationibus (prout in Conſtitutionibus declarabitur) ejus vita, & doctrina ex-*

C *plorata fuerit, recipiatur: quia revera, hoc inſtitutum omnino humiles & prudentes in Chriſto & Chriſtianæ vitæ puritate, ac literis conſpicuos exigit. Imò & ii, qui in Coadjutores tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorum utrique poſt ſufficientes probationes, & tempus in Conſtitutionibus expreſſum, vota ſua, ad devotionem & meritum majus non quidem ſolemnia, (præter aliquos, qui de licentia Præpoſiti Generalis, propter ipſorum devotionem & perſonarum qualitatem, tria vota hujusmodi ſolemnia facere poterunt) ſed quibus teneantur, quandiu Præpoſitus Generalis in Societate eos retinendos eſſe cenſuerit, emittere debeant, prout in Conſtitutionibus latiùs explicabitur, non niſi diligenter examinati, & idonei reperti ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc Jeſu Chriſti militiam, qui tenuibus cœptis noſtris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus, & honor in ſecula Amen.* Hactenus inſtituti noſtri formula.

D Ad illa verba: *Voveant ſinguli & univerſi perpetuam paupertatem;* addidit, neſcio quis in ora libri: *Hæc antiquata ſunt à Jeſuitis Auguſtanis*, ſed mentitur, quiſquis veſpertilionum ſcholii illius auctor fuit. Nam formula loquitur de domibus profeſſis. At Auguſtæ Collegium eſt, non domus profeſſa; E Quare licèt reditus habeat in communi, ùt & alia Collegia, nihil tamen in formulam delinquit; cùm proximè ſequentibus verbis concedatur Collegiis uſus & facultas bonorum ſtabilium.

Porrò totam ſupradictam inſtituti noſtri formulam invertit hoc loco Hiſtoricus; & F ſcurrili quadam loquacitate & garrulitate multas paginas complet rebus ſæpè jam refutatis. Quamobrem operæ pretium non arbitror, in vaniloquentia hominis iſtius, qua uſque ad finem hujus capitis utitur, immorari. Tantùm notari volo à Lectore unum mendacium ex craſſioribus: ait, *ſe Romæ inter amphitheatri rudera, cùm nimii ſolis vitandi cauſa ſeceſſiſſet, formulam iſtam invertiſſe.* At hoc mendacium eſſe ex duobus clarè colligitur; Primum eſt: quòd formula ab iſto ficta per inverſionem, longior ſit, quàm ut unius, aut alterius horulæ ſpacio, quot ſcilicet deambulationibus conceduntur, conſcribi potuerit; nam tempus & lucernam, & accuratam maledicendi operam olet: Alterum eſt; quòd noſtris inuſitatum ſit, ſine ſociis & arbitris quoquam G ire. Quomodo igitur ipſe ſolus ſub amphitheatri ruinis latitans, formulam ſuam nugacem, tótque refertam convitiis compoſuit? In hac ſua formula nihil penitus adducit, quàm nos eſſe *Papæ mancipia, corruptores juventuis, hoſtes Evangelii & Evangelicorum, defenſores cœlibatus, auricularis confeſſionis advocatos, Pontificiarum idolomaniarum patronos, indulgentiarum nundinatores.* Et alia hujus generis; Neque puduit impudentem Calumniatorem affirmare, ſe formulam à ſe paraphraſticè redditam vel potiùs corruptam, Romæ legendam obtuliſſe P. Franciſco Turriano.

Pag. 133. 134. & ſeq.

REFUTATIO CAPITIS VII.

DE *JESUITARUM PRIVILEGIIS TUM PRIVATIS TUM PUBLICIS.*

HActenus calumniis & mendaciis exa- H
gitavit Hiſtoricus noſtra vota; nunc Pag. 161.
iiſdem armis oppugnare aggreditur literas Apoſtolicas (ipſe ineptè vocat epiſtolas) quibus inſtitutio, confirmatio, & varia Societatis noſtræ privilegia continentur; Pag. 162.
Has Bullas, ait Hiſtoricus, *omnes, qui literas noverunt, meditari, legere & aliis proponere quater in anno, quoties ſcilicet vota renovantur.* Sed duplex mendacium commitit; quia non quater, ſed bis quotannis vota renovamus. Deinde inauditum eſt, ut omnibus in communi diplomata iſta Pontificia legenda & meditanda dentur eo tempore, quo vota de more inſtaurantur. Quare inanis prorſus calumnia eſt, cùm nugatur nos,

A nos, *si qui vacillent & pedem referre velint, eos his diplomatis propositis confirmare, ut in officio retineantur;* nam quos amor Dei, cura salutis, virtutisque studium in Societate non retinet; hos *nullæ bullæ*, nulláque privilegia retinebunt. Recitat autem Historicus non ipsas integras Bullas, sed ex singulis fragmenta nonnulla decerpit, quæ calumniis visa sunt magis idonea. Sed ut in superioribus capitibus, ita & hîc breviter calumnias & mendacia illius in gratiam Lectoris indicabimus.

Refutatio calumniarum in primam Bullam.

B Prima Bulla est Pauli III. primam Societatis nostræ approbationem complectens cum restrictione numeri ad sexaginta duntaxat. Cujus Bullæ summa con-
Lib. 3. cap. 21. tinetur in literis Julii III. apud Ribadeneiram. Ut verò Historicus feliciter historiam
Pag. 163. auspicetur, nominat primò omnium Paulum III. *hominem impium, injustum & libidinosum;* credo, ut eò minor postea nos capiat admiratio, cùm pleno ore convitia & maledicta in Jesuitas evomet. Sed quis Paulus hoc nomine Tertius fuerit, meliùs, opinor, docebit nos Onuphrius quàm hic hæ-
In vita Pauli III. reticus. Ita igitur ille præter cætera: *Fuit hic Pontifex multis insignibus virtutibus clarus, humanitate, affabilitate, clementia, comitate, præcipuè verò prudentia singulari, per sexaginta ferè annos, quibus publica munera obiit feliciter collecta, hisce virtutibus adjunctam habuit bonarum artium literarúmque egregiam scientiam.* Hæc Onuphrius. Nunc progrediamur.

C Dolet hæreticus à Pontifice nostris primis Patribus regulas & Constitutiones con-
Ibid. dendi potestatem factam. *Quid opus est*, inquit, *ad Christianæ vitæ perfectionem tot regulis?* Proponat, si placet, quæstionem hanc D. Augustino, D. Basilio, D. Benedicto, aliísque sanctissimis viris, qui suæ familiæ hominibus regulas, quæ adhuc extant, præscripserunt. Respondebunt, omnino opus esse certis legibus, quibus quisque convenienter suo Instituto & vivat &
D agat. *Unica nostra*, inquit Historicus, *regula & via ad salutem est Christus.* Rectè sanè, sed regulæ, quas Religionum Fundatores suis tradunt, ab hac prima regula non discrepant, imò in ipsis & per ipsas loquitur nobis Christus, sicut & per quosvis Superiores, juxta illud: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Christus, inquit Calumniator, *in decalogo & Evangelio plenè nobis præscripsit, qualiter vitam debeamus instituere, si perfecti esse velimus.* Omnino, & utinam vos Prædicantes ad Decalogi & Evangelii præcepta vitam vestram conformaretis. Interim tamen nôsse debet hæreticus, hoc ipso, quòd Christus & Apostoli obediendum esse docuerunt magistratui E
& superioribus, tanquam rationem reddi- Hebr. 13.
turis pro animabus nostris, simul etiam docuisse, ut vocem eorum sive per leges, sive sine legibus loquentium, nobisque imperantium, non secus audiamus atque vocem Dei, si perfecti & salvi esse velimus. Itaque omnia, quæ ad perfectionem nostram pertinent, continentur in Scriptura vel mediatè vel immediatè, explicitè vel implicitè; omnia enim, quæ ad majorem perfectionem juxta instituti sui peculiarem rationem quivis fundator præscribit, derivantur ex Evangelio & sacris literis, tanquam ex primo omnis boni fonte.

Sed ait Historicus, *nostras regulas nimis esse multas, frustra iis animas onerari & conscientias vexari.* Verùm his, qui cum inferno pactum iniêrunt, etiam id, quod parùm est, nimis multum est. Decem Præcepta incluśit Deus decalogo, quæ tamen Prædicantibus nimis multa sunt, quippe, ùt ajunt, *servatu impossibilia*, at nos de multitudine adjumentorum, quibus ad perfectionem enitamur, minimè conquerimur, imò Deo, quas possumus, pro regulis nostris gratias libenter agimus, tantum abest, ut iis conscientias vel gravari vel cruciari putemus. F

Mentitur autem, cùm scribit, nos dicere G
solitos, *regulas nostras eandem cum Scriptura sacra habere auctoritatem.* Non id nostrum dictum, sed miseri hujus commentum est, qui se suósque perpetuis mendaciis pascit: licèt enim, ùt in prima regula habemus, Christi Domini Vicarius Romanus Pontifex mandârit, ut regulæ conscriberentur à P. Ignatio, minimè tamen sequitur, eas propterea Catholicæ fidei auctoritate præditas esse. Non enim quicquid Pontifex scribi jubet, cum Scriptura sacra exæquamus, ùt istis calumniari prisci jam moris est. Sed objicit: *Priùs dicebant regulas suas à Spiritu sancto traditas, jam dicunt Papæ jussu introductas.* Ostendi suo loco, qua ratione omne, quod bonum, & ad vitam sanctè instituendam aptum est, à Spiritu sancto traditum & inspiratum dici possit; id ipsum verò mandari quoque à summo Pontifice nihil repugnat, quandoquidem Pontificis ministerio potissimùm inducit Spiritus sanctus homines in omnem veritatem.

De numero porrò nostrorum sexagesimo H
mentitur, cùm ait: *Societatem hoc numero* Pag. 164.
fuisse definitam, quòd Monachi metuerent, ne illorum bona & monasteria ab his sociis occuparentur. Non est ita: Nam alii Ordines non Jesuitas, sed Lutheranos aliósque hæreticos prædones timent. Causa numeri illius fuit probatio quædam prudentissimo consilio à Pontifice inventa, ut toti Ecclesiæ constaret in re tanti momenti, nihil inconsideratè actum esse. Addit Historicus: *Pontificem in hac epistola minari anathemata illis,*

A *qui Societatem hanc juvare renuant, & hæc anathemata non paucos Episcopos per Germaniam expertos esse, cùm Residentias, domos, collegia, scholas & templa pro arbitrio nobis tribuere nollent.* Sed hæc nihil aliud sunt, quàm mendacia; nam neminem unquam coëgit Pontifex, ut nobis Collegium exædificaret, neque fuit, nec jam opus est ulla vi, satis multi quotidie existunt, qui nostram, qualem qualem operam ardenter expetant oblatis liberaliter omnibus, quæ ad victum cultúmque spectant.

Refutatio calumniarum in secundam Bullam.

B IN hac Bulla datur facultas à Paulo III. quosvis idoneos ad Societatem admittendi, sine ulla restrictione numeri; eam, ùt & alias, solis convitiis exagitat Hæreticus. *Idonei*, inquit, *sunt non pii, non parentibus morigeri, non honesto & casto conjugio* Pag. 164. *nati, sed fax hominum impiorum, filii inobedientes, leves, dissoluti.* Nihil, ùt vides Lector, sanum est in hoc homine, totus conviciator est, & quidem inconstans; nam sæpè jam dixit, nobiles, doctrina item & eruditione in sæculo viros & juvenes præstantes, adscisci in nostram Societatem, & tamen hìc in eandem nihil nisi hominum quandam colluvionem recipi parùm sui memor affirmat.

C Illud autem de non honesto & casto conjugio impudens mendacium est; nam aut nulli, aut certè paucissimi, quíque insigni indolis bonitate natalium notam compensent, in Societatem cooptantur, & hoc ipsum rarissimè fieri, omnes nôrunt, & prima ferè quæstio est, quæ Societatem petenti proponitur, an sit ex legitimo matrimonio prognatus.

D Initio Bullæ hæc habet Pontifex verba: *Injunctum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium dignè peragere credimus, si ad ea solitæ benignitatis extendimus affectum, per quæ religionis succrescat incrementum, fideique Orthodoxæ dilatatio, ad divini nominis laudem subsequi speretur.* Pag. 165. Hìc Calumniator solitos clamores tollit, *nostrorum opera religionem non dilatari, neque felicibus incrementis succrescere, sed potiùs Evangelium ubique locorum opprimi & obscurari, nos non esse fideles, sed infideles, passimque non fidem, sed dubitationem Pontificiam introducere.* Agnoscimus Kemnitii aliorúmque Prædicantium millies repetitas calumnias; etenim quia vanissimam illam & stultissimam de *speciali fide justificante* persuasionem explodimus, idcirco scilicet loco fidei dubitationem in mundum introducimus, semper instabiles, semper fluctuantes. Sed calumnias has abundè refutârunt Gregorius de Valentia & Bellarminus. Mentitur autem, mentémque Pontifi- Tomo 2. Tomo 3.

E cis depravat Impostor, cùm, *Tertiò*, inquit, *tribuit illis eadem epistola divini nominis laudem, quòd sint in Theologia exercitati, Lutetiæ Graduati, à Spiritu sancto afflati:* nam Pontifex generali usus exordio, ait par esse, ut præcipuè sit intentus ad ea, per quæ religionis succrescat augmentum, fideique orthodoxæ dilatatio ad divini nominis laudem subsequi speretur; qui longè alius sensus est, quàm quem affert mendax Historicus. Præterea Pontifex non dicit, omnes Jesuitas esse in Theologia exercitatos, & multò minùs Parisiis *Graduatos*, sed id tantùm de primis decem patribus, de quibus in illa Bulla sermo est, pronunciat. Verùm Calumniator omnia depravat, ut calumniis materiam conquirat; quem parùm moramur, quid de nostra Theologia censeat, & multò minùs curamus, cùm nos insulsè ad Christi tribunal vocat, audituros sententiam illam F terribilem, *Ite maledicti in ignem æternum.* Mera sunt isthæc verba, quibus isti, cùm rebus & solidis argumentis destituuntur, vacui vulgi aures implent. Utinam verò non audiremus aliquando Prædicantes cum seductis suis manipulis miserabiliter cantillantes threnodiam illam: *Ergo erravimus à via* Sapient. 5. *veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

Refutatio calumniarum in tertiam Bullam.

G IN tertia Bulla concedit Paulus III. Societati facultatem concionandi, confessiones audiendi, absolvendi, & vota com- Pag. 167. mutandi: hanc Bullam, ait Historicus, *datam à Paulo III. anno 1555. 3. Junii. Pontificatus anno 2.* Sed deceptus est nimio mentiendi & calumniandi studio; nam Paulus III. jam aliquot annis ante annum prædictum obiêrat. In hac Bulla datur nobis facultas concionandi, confessiones audiendi & vota commutandi, &c. *quibus verbis*, inquit Impostor, *Jesuitarum vocatio & officium describitur.* Non totum officium, bone vir, sed aliqua ex parte; nam plura in Societate ministeria obimus, quàm in Bulla exprimantur. Hìc in convitia effusus vocationem & conciones nostrorum infectatur notis & solitis mendaciis, quibus ne H verbum quidem reposuerim. Sed gratiæ Deo, quòd vocationis & ordinationis nostræ longè meliùs & expeditiùs rationem rogati reddere possumus, quàm Lutherus & omnes Prædicantes Lutherani. Quæ verò concionatores nostri auditoribus suis explicent, nôrunt integræ civitates, imò regiones, quibus etiam compertum est, mendacium esse, quod iste ait: *In Schola Ingolstadiana tacere Christum, silere Evangeli-* Pag. 169. *stas, obmutescere Paulum, mutos esse omnes Prophetas & Apostolos.* Mendacium luculentum in celeberrimam Academiam; nam licèt

A cèt Theologi noſtri Lutheranorum Grammaticorum more, Evangelium, ſcrutando themata, & vetus teſtamentum Hebraicè rimando radices, non explanent, non deeſt tamen ratio & methodus explicandi Theologiam, qua ſolidam divinorum voluminum ſcientiam auditores noſtri adipiſcantur.

B De Confeſſione non pauciora, quàm quatuor effundit mendacia; Primum, *Confeſſionem inſtitutam ob quæſtum;* nam quo quæſtu rei familiaris & nos & alii confitentibus operam navemus, Catholicis omnibus notum eſt. Secundum; *licere pœnitentias injunctas pecunia redimere.* Id neque fit, neque factum eſt, neque fiet unquam apud Catholicos. Tertium; *Confeſſionem conducere ad proditionem & arcanorum revelationem.* Mendacium inſigne; nam ex ſacris Canonibus & ex communi omnium Theologorum ſententia exploratum & conſtitutum eſt, quæ & quanta pœna debeatur illi, qui vel minimum quid ex confeſſione enunciaverit. Quartum, *Confeſſionis occaſione multos in Bavaria & Auguſtæ patefactos, qui fuga ſibi ſalutem quærere coacti ſint.* Mendacium inexpiabile, non tantùm in Jeſuitas, ſed etiam in Sereniſſimos Bavariæ Duces, & in ampliſſimum urbis Auguſtanæ Senatum, quaſi ipſi ſumma injuria & ſcelere maximo proditos detectósque in exilium ejecerint, cùm potiùs è contrario ſumma ſeveritate in hujusmodi proditores animadvertere debuerint.

Ibid.

C Jam verò quàm perfidè facultatem vota commutandi interpretatur: *Voverunt,* inquit, *Jeſuitæ paupertatem, caſtitatem & obedientiam, ſi ergo premuntur aliqua rerum inopia, paupertatis voto ſepoſito, opes corradunt: Idem in caſtitate & obedientia faciunt.* Non eſt iſta, ô impoſtor, facultas commutandorum votorum, quam nobis Pontifex tribuit: Nam vota, quæ Deo in religione vovimus, neque poſſumus, neque volumus unquam commutare. Sed adſcriptis Pontificis verbis evaneſcet nebulæ inſtar calumnia nebulonis: *Facultatem concedimus vota quæcunque per eos* (Societatis homines) *pro tempore emiſſa (ultramarinis, viſitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de urbe, ac S. Jacobi in Compoſtella, nec non Religionis & Caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.*

Pag. 170.

D Miratur porrò, noſtros initio Bullæ appellari à Pontifice *dilectos filios.* Quaſi verò non uſitata ſit hæc formula, jam ab antiquo tempore Pontificibus, cùm ad unum, pluréſve dant literas. Nihil hîc ſubeſt myſterii, ùt iſte ſuſpicatur. Ridet etiam *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem* more hæreticorum, qui nolunt benedictionem, & elongabitur ab eis. Ridet præterea, quòd Pontifex obvios benedictione proſequitur; *Manu ſua dextera,* inquit, *quaſi athleta aërem verberans ſignum crucis ſupra procidentes format.* Sed iſte proculdubio riſiſſet ipſum quoque Chriſtum, quando *elevatis manibus ferebatur in cælum, diſcipulisque benedicebat.* Luc. 24. Riſiſſet etiam, ſi vidiſſet Patriarcham Jacob, *quando benedictionis dandæ gratia extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim, & ſiniſtram ſuper caput Manaſſe.* Geneſ. 48.

E

F Multa verò hic ſcurriliter commemorat de noſtro in Pontificem ſtudio, quæ quia ſponte ſua corruunt, nihil attinet refutare. Illud præterire non poſſum; *Gregorius,* inquit, *Jeſuita Auguſtæ dixit, quamdiu inter Societatem noſtram & Pontificem Romanum pax atque concordia fuerit conſervata, tamdiu cathedra Petri & ſedes Apoſtolica erecta, noſtræ verò Sodalitates ſalvæ manebunt. Diſſenſione verò oborta utraque concident.* Ingens hoc eſt mendacium, quod P. Gregorio Roſephio nunquam in mentem venit: Licèt enim ſalus & felicitas noſtra (ſicut & omnium aliorum hominum) pendeat à communione & concordia cum Sede Apoſtolica, ipſius tamen cathedræ Petri conſervatio à nobis minimè pendet. Quomodo enim defectione noſtra deficeret ſedes & fides Petri, adverſus quam ne *ipſas quidem inferorum portas prævalituras,* ipſa veritas pronunciavit? Apage igitur cum impudenti tuo mendacio, & fac tandem finem invidia, falsísque criminibus nos onerandi. Sed optare licet, impetrare non licet. Non enim tantùm Jeſuitas, ſed & ipſum Sereniſſimum Bavariæ Ducem GULIELMUM maledicus iſte atrociſſimis criminationibus inceſſere incipit. Matth. 16.

G *Jeſuitæ,* inquit, *Principem iſtum cæteroquin probum, ita dementârunt, ut ipſe temporibus peregrinationis & Jejuniorum devotionis ergò, pedes peregrè incedere ſoleat, Jeſuitis interim vel curribus, vel equis inſidentibus, vel ad latus adequitantibus.* Bene profectò & prudenter factum, quòd Brunſvvicenſis Thraſo Polycarpus librum hunc cum præfatione auctorísque commendatione, &, ùt ſuſpicor, cum non modico etiam auctario in lucem ediderit. Nam ſi viciniores Bavariæ, qui librum adhuc manuſcriptum legerunt & auxerunt, tam infames chartas ſuo nomine ſparſiſſent, non injuria turrim Monacenſem, cui à Falcone nomen, timuiſſent. Sed nunquam, ubicunque locorum degas, tutum eſt Principum famam lacerare, eísque dementiæ notam inurere. Facilem enim & expeditam ſui honoris tuendi rationem inveniunt, ſi velint. Legerat fortè ſycophanta in præfatione operis Mariani P. Caniſii, Sereniſſimum Principem GULIELMUM peditem baculóque innixum, aliquando templa religione populíque accurſu celebria & frequentia petiiſſe. Hanc fabulator nactus occaſionem, aſſuit more ſuo de Jeſuitis mendacium, cui, quod

Pag. 172.

H

ſequi-

A sequitur, facilè primas præripit. *Vidi ego ipse*, inquit, *in Quadrageſima ejus Celſitudinem coram ſepulchro Chriſti ſe ipſum ad ſanguinem ferè uſque flagellantem, Jeſuitis intra parietes ſuaviter ridentibus, & de hujusmodi factis gloriantibus.* Mendacium immane, & dignum non tantùm publicis ad ſanguinem uſque in foro virgis, ſed laqueo; quo præmio quia cohoneſtari hiſtoricus ampliùs non poteſt, cùm jam mendaciorum ſuorum copioſa mercede donatus ſit, ſupereſt, ut Polycarpus cum ſociis ſuis Monachium veniat, & hoc honorarium à Sereniſſimo Bavariæ Duce accipiat. Et certè ſi præmium iſtud uni aut alteri horum mendaciſſimorum ſycophantarum decerneretur, reliqui tardiores efficerentur ad tam probroſos, calumniiſque refertos libros in vulgus ſpargendos.

B Cæterùm ut alias circumſtantias, ex quibus Hiſtoricus luculenter mendacii redarguitur, præteream, qua fronte ſcribit, ſe ipſum id, quod narrat, vidiſſe, cùm nunquam fuerit Monachii eo tempore, quo ſepulchrum Chriſti mortui excitari ſolet. Nam anno 1582. in Paraſceve, Lutheranus adhuc erat, & nondum in Bavariam venerat; & fortè cum nullo unquam Jeſuita locutus fuerat. At anno 1583. in Paraſceve vel Landſpergæ fuit, vel in itinere Romano. Anno autem 1584. in Paraſceve Landſpergæ etiam erat in Novitiatu. Quomodo igitur id, quod commemorat, vidit? Verùm eadem agit hîc fide, quamvis in re majori & graviori, qua ſuperiùs, cùm dixit, ſe anno 1584. in Paraſceve audiviſſe Ingolſtadii, neſcio quam exhortationem. Deinde Monachii eo tempore, de quo loquitur Sycophanta, carebamus proprio templo, & cenotaphium Chriſti Domini exſtrui ſolebat in aula Gymnaſii, quod Gymnaſium à Collegio platea interjecta dirimebatur, neque ullus locus erat, ex quo, quid in aula ſcholarum fieret, ſpeculari liceret. Quomodo ergo Jeſuitæ intra parietes ſpectatores pugnæ illius ſuaviter ridebant, dum Princeps id faceret, quod alioqui Catholicis religionis cauſa facere, non eſt tam inſolens, quàm Prædicantibus.

C Sed pergit mentiri. *Baderus*, inquit, *gloriatus eſt, ſe non dubitare, quin prænominatus Dux ſit ſuum Filium Societati immolaturus.* Mendacium; neque dixit, neque id ſperavit unquam Baderus, aut quisquam alius de Societate. Vivit adhuc Pater ille, qui ſuper hac re rogatus, omni aſſeveratione teſtabitur libri hujus auctores & editores, tanquam improbiſſimos calumniatores mentiri. Etſi non dubito, quin multò libentiùs Sereniſſ. Princeps filium ſuum videret Jeſuitam, quàm Prædicantem, ejusmodi genus hominum, cui etiam honeſtiores civium haud patienter filios ſuos aggregari ſinunt.

D Ut verò omnia in hoc libro mendaciis & calumniis undique ſcateant, hæc adduntur in margine verba: *Hic eſt vulgaris & quotidianus Bavarorum ſermo, dolendum eſſe, tam generoſum Principem ab abjectis iſtis hominibus ſeduci;* laudas & mordes. Generoſus tibi Princeps eſt, ſed *ſeductus;* imò imprudens & non multi cerebri, quippè qui ſe tam facilè in fraudem impelli patiatur. Sed abi cum tuis mendaciis, quò dignus es; neque hos ſimilésve ſermones à Catholicis Bavaris, ſed vel à noctuis quibusdam accepiſti, vel ipſemet tui, tuorúmque oblectandorum gratia commentus es. Nam Catholici Bavari Catholicum Principem ſuum minimè pro *ſeducto* habent, ipſimet ſeducti appellandi, ſi hoc ſuo Principi nomen tribuerent. E

F Quæ porrò de Nicodemis in Bavaria latitantibus garrit, meræ ineptiæ ſunt. Si Prædicantes noctu in Bavariam ſe ſe non inſinuent, & quos decipiant, ultrò non quærant, paucos omnino futuros arbitror, qui ad ipſos Prædicantes noctu & in tenebris acceſſuri ſint, non Nicodemi ſi id faciant; (nam Nicodemus ad Chriſtum adiit veritatis diſcendæ cauſa) ſed potiùs Judæ, qui ad Principes Sacerdotum noctu acceſſit, ut JEſum ipſis proderet.

G De Gracenſibus quæ hîc repetit, ſuprà refutavimus. Eſt autem mirandum, quàm artificiosè iſti, ubi ſeditiones & tumultus excitârunt, cauſas in alios transferre queant. Ipſi enim nihil aliud quàm Evangelium, felicésque Evangelii progreſſus quærunt: hac tamen lege, ut ne quid quærentibus obſtet, ne ipſe quidem legitimus Magiſtratus & Princeps, haud tutus futurus, niſi Evangelicæ licentiæ liberas & laxiſſimas habenas relinquat, aliâs ad arma convolatur, & ſaxa facésque volant, ſatis Evangelicè, ſi quem hujusmodi Evangelia oblectare poſſunt. Refut. cap. 1.

H Sed reliqua Hiſtorici excutiamus. *Facultatem*, inquit, *tribuit Papa Jeſuitis officium Romanum novum non ex præcepto, ſed ex libertate dicendi;* Mendacium. Obligamur enim ad horas Canonicas non ſecus atque alii Sacerdotes, neque liberum eſt nobis, illas vel dicere vel omittere, ùt Calumniator fingit. Præterea quos *Cardinales* conſtituit Pontifex, ut *Jeſuitis rebelles* tollant? In toto diplomate nulla penitus fit mentio Cardinalium, tantùm monet Pontifex locorum Ordinarios, eorúmque Vicarios, & alios Superiores, ut quietè nos conceſſis privilegiis frui patiantur, quod plerunque omnibus edictis Pontificiis apponitur. Addit deinceps: *Multum ponderis & valoris tribuunt Jeſuitæ Bullæ Cœnæ Domini.* Et meritò ſanè; nam ab eo proficiſcitur, cui Dominus ſolvendi & ligandi poteſtatem dedit. Mentitur autem, cùm ait, *Bullam hanc nos magni facere, quòd ab ejus excommunicationibus nominatim exempti ſimus, Lutherani verò ſtatim in limine ipſius, tanquam hæreſiarchæ damnentur.* Videat Lector, utrum Jeſuitæ nomi- Pag. 173. Pag. 174. Matth. 16.

A nominatim in illa Bulla excipiantur ab Excommunicatione. Sed ideò fortè nos exceptos putat, quia nihil eorum perpetramus, quæ in illa Bulla prohibentur. Verùm hac ratione, non tantùm nos excipimur, sed simpliciter omnes omnino boni viri & Catholici, & vos quoque excipiemini, si desinatis esse hæretici. Neque damnantur omnes Lutherani in illa Bulla tanquam *hæresiarchæ*; non enim omnes sunt hæresiarchæ; Lutherus, Melanchthon, Schmidelinus, Brentius, & id genus alii Hæresiarcharum nomine, si nescis, significantur.

B *Refutatio calumniarum in quartam Bullam.*

IN hac Bulla concedit Pontifex Societati facultatem admittendi coadjutores tam spirituales quàm temporales. De quorum officiis satis supérque jam suo loco diximus. Hîc tantùm à Lectore nonnulla mendacia obsérvari velim; ex quibus pri-
Pag. 175. mum, coadjutores temporales vocari à nobis *seculares, quòd tantùm in temporalibus occupentur*, commentum hoc est Historici; nam temporales coadjutores nostri non sunt seculares, sed verè & propriè Religiosi, ideò neque à nobis, neque ab aliis appellantur *seculares*.

C Alterum mendacium est, dari nobis à Pontifice facultatem, hos temporales coadjutores promovendi ad sacros Ordines. Nihil minùs concedit Pontifex; loquitur enim non de temporalibus, sed de spiritualibus coadjutoribus sacris Ordinibus initiandis; & tam hos quàm illos omnium meritorum bonorúmque operum, quæ in Societate fiunt, participes reddit. Ridet Historicus hanc omnium meritorum communionem & participationem. Sed eadem opera ridere poterit articulum illum symboli: *Sanctorum communionem* & Davidem canentem:
Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Neque arbitror operæ pretium plura de hac Bulla dicere. Nam figmentum illud cùm blaterat, *nos omnia præter Christum habere communia*, per se concidit, nam una fides, unum baptisma, unus Deus & unus Christus est, non modò nobis omnibus, sed & omnibus omnino verè Christianis.

D *Refutatio calumniarum in Bullam quintam.*

IN hac Bulla concedit Paulus III. nostris varia privilegia ad Societatis regimen & ministeria. Historicus inanissimè & vanissimè in nos & in Pontificem declamat,
quòd Papa Jesuitas oculos mentis suæ nominet.
Pag. 176. Sed vix mihi persuadere possum, miserum hunc legisse Bullam sobrium; nam ebrius non fuerit vino, ebrius certè fuit livore &

E maledicendi libidine. Verba Pontificis hæc sunt: *Licèt debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis & laudabilibus institutis conserventur & augeantur, nos reddat favorabiles & benignos: ad Societatem verò de Jesu, per nos institutam & approbatam, cujus specimen, veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad summi Regis laudem & fidei incrementum attulit, & adfert quotidie verbo & exemplo in populo Christiano, dirigentes præcipuè, velut pius Pater, oculos mentis nostræ, dignum censemus, ut ipsam Societatem ejúsque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas specialibus favoribus prosequamur.* An
F non vides, benevole Lector, quanta sit horum Prædicantium audacter calumniandi petulantia, cùm nihil minùs quàm *oculos mentis suæ* Pontifex nos appellet? Et audet tamen nugator iste, nescio quid, de oculis Pontificiis, ejúsque triplici corona garrire. Sed parùm prudentem eum esse oportet, qui tam inani & mendaci garrulitati vel parùm fidei commodet.

Addit calumniator, vocari nos à Pontifice G
pios Patres, sed per antiphrasin. Quid-quæ- Pag. 177.
so est calumniari, si hoc non est? non enim invenio alia verba, præter illa, quæ jam millies usurpavi, cùm præter calumnias & mendacia nihil omnino aliud in hoc libro occurrat. Ergóne Pontifex nos *pios Patres* nominat? Quæso, ubi frons tua, ubi pudor tuus? Nónne Pontifex de se loquitur? nónne se suúmque officium pastorale decere ait, ut tanquam *pius Pater* oculos mentis suæ dirigat ad Societatem Jesu, quam ait *populo Christiano uberes adferre fructus?* Exclamat iste, has laudes nullas esse, quippe ab illaudato profectas, nósque non fructus ferre, sed Zizania. Verùm quibus illaudatus sit Pontifex, nullos scimus præter hæreticos, quorum laudes ipse non appetit. Quem enim laudent hæretici nisi sui similem? De Societatis verò utili in Ecclesiam Dei opera, vos ipsi, quamvis tacente Pontifice, testimonium dicitis, hoc ipso, quòd capitali odio nos odistis; alia enim hujus odii non est causa, nisi quia Evangelio vestro multis in locis Jesuitarum studio aditum intercludi videtis & doletis.

Quod ad mutationes personarum & ma-
ximè concionatorum attinet, instituuntur H
illæ eo consilio, ut, cujus labores in uno loco fortè minùs fructuosi sunt & necessarii, in aliis utiliores existant, & ad plurium emolumentum redundent. Neque enim temerè suscipiuntur hujusmodi mutationes, sed deliberatè, sempérque majori Dei spectata gloria. Mentitur ergo Historicus, cùm scri- Pag. 179.
bit, *concionatores sæpe aliò ablegari, vel ob doctrinam Lutheranam, cui faveant, vel ob turpem vitam.* Nam hujusmodi homines, Dei beneficio, in Societate nullos scimus, &

A siqui essent, non transferrentur ad alia Collegia, sed ex Societate cum dedecore ejicerentur. Quamvis cur tu hîc verba facerentur. Quamvis cur tu hîc verba fecerris de concionatorum mutationibus, non satis dispiciam, cùm concionatores, qui in hoc libro passim à te nominantur, uno in loco multis annis populo salutarem Christi doctrinam tradiderint. Nónne P. Gregorius Rosephius viginti quinque & amplius annis Augustanam Cathedram in templo primario tenet? Quot annos Viennæ concionatus sit P. Scherer, nôrunt multi Prædicantes. P. Lucius jam 12. vel 13. annos continuos apud Landspergenses Ecclesiastæ munere fungitur. P. Conradus Vetter totidem fermè annis Monachii conciones habuit, & alii in aliis locis non exiguo tempore.

B Cæterùm quoniam in hac Bulla Pontifex vult & statuit, ne Præpositus absque Societatis, & aliquis ex Sociis absque dicti Præpositi consensu & expressa licentia electioni seu provisioni de illius persona in Episcopum, Archiepiscopum aut aliam quamcunque dignitatem consentire possit, ideo Historicus veteres hîc repetit calumnias, nos scilicet non inferiores Pontificiorum honores, sed summum affectare gradum, *nam*
C *in illorum Societate, Rex*, inquit, *vel Papa est Generalis, hujus Assistentes Cardinalium: Visitatores Episcoporum: Provinciales Decanorum: Rectores Consiliariorum: Ministri Sacerdotum vicem obtinent: Reliqui Fratres majores & minores sunt inter se Canonici, Presbyteri, &c.* Vanissime nugator, si hac ratione probare velis, nos summum Pontificatum affectare, nihil negotii erit ostendere, cives cujuscunque Reip. vel paululùm ordinatæ & in certas classes distinctæ aspirare ad sceptrum thronúmque Cæsareum. Sed calumniam hanc jam suprà dissolvimus.

Refut. cap. 3.

D Addit; *In hac Epistola nihil obstante voto Papa concedit, quòd Jesuitæ possint, sed volentibus Papa & Generali, consequi dignitates, quales sunt Episcopatus & Archiepiscopatus;*

Pag. 180. Hallucinatur & calumniatur miser, quia nullum ex tribus votis, imò nec quartum impedit, quò minùs jubente Pontifice nostri prædictas dignitates suscipere possint. Si enim aliorum Ordinum Religiosi non obstante solenni professione, Episcopi, Archiepiscopi & Cardinales creantur, certè neque nostris votorum religio obsisteret. Solent quidem Professi nostri ultra solennia vota unum adhuc simplex edere, quod ad dignitates Ecclesiasticas attinet, sed cum certa clausula & conditione in hæc verba: *Promitto præterea, nunquam me curaturum prætensurúmve extra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactus obedientia ejus, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.* Tantum igitur abest, ut vota obstent, ut potiùs obedientia mandet jubeátque dignitatibus illis humeros supponere, si Christi Domini Vicarius simpliciter & absolutè velit. Sed tamen ne velit, & ne quid simile unquam nostris imperet, sedula semper data est, & in posterum quoque dabitur opera; nam quos P. ipse Ignatius labores susceperit, ne nostri ad hujusmodi honores Ecclesiasticos proveherentur, abundè cognoscet lector ex Ribadeneira & Maffeio, & Constitutiones nostræ expressè præcipiunt, ut Generalis nunquam in suam vel in alterius de Societate electionem consentiat, nisi compulerit talis obedientia summi Pontificis, quæ ad peccatum obligare posset. E

Lib. 3. cap. 15. Parte 9.

F Ait Historicus: *Pontifex concedit Generali, quòd possit absolvere omnes hæreticos confitentes, cum Irregularibus dispensare, absolutos, nisi Societatem ingredi & vota emittere velint, retrahere: cogere suos, ut vel ipsi vel ab ipso ordinato confiteantur.* Nihil narrat fideliter, adeò inveterata mentiendi consuetudine tenetur; nam Pontifex in hac Bulla non dat potestatem omnes omnino homines, sed nostros absolvendi, & dispensandi circa irregulares, nisi sint casus enormes juxta Bullam Sixti IV. quam *Mare magnum* vocant; Si qui verò ita absoluti Societatem deinceps ingredi & vota emittere nollent, hos eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos *totaliter absolvi contigerit, relabi & reincidere*, Pontifex pronunciat. Prohibet etiam, ne quis votis nuncupatis ex Societate egressus in ullum alium Ordinem cooptari, aut cooptatus retineri possit sine consensu Generalis, excepto Ordine Carthusianorum. Decernit quoque in Apostatas, rebelles & contradicentes legitimas & meritas pœnas; excommunicationis videlicet, custodiæ seu carceris, aliarúmque, arbitratu Superiorum. Hîc iste in margine libri: *Væ mihi, si me deprehenderint, si autem dominus pro me, quis contra me?* Respondet Polycarpus consolatoriis verbis: *Esto bono animo, jam tutus es, quia mortuus es.* Utinam verò bono animo Historicus esset, vereor sanè, ne unquam & animo & loco deteriori fuerit, conjectus in illum carcerem, unde negant redire quenquam; tum quia turpiter ex Societate profugit, tum quia fidem Catholicam turpiùs abnegavit, tum quia innocentes, & in his non tantùm nos, sed & summos Catholicæ Religionis Principes & Antistites gravissimis contumeliis hoc suo infami libro affecit. Deprehensus es miser, sed bono esto animo, veniet dies, cùm consolatorem tuum Polycarpum, socium pœnæ & miseriæ habebis, nisi resipueris, cùm habeas illum nunc gnavum malitiæ & impudentiæ socium; sed non erat, cur sibi transfuga hic tantopere metueret; nam prædictæ pœnæ statuuntur in eos, qui votis sese Deo obligârunt, non in novitios, qualis iste Hypocrita fuit, cùm fugam arripuit. Hinc ille Viennensis, nescio quis flagitiosus Apo-

G

H

stata

ſtata, meritas perfidiæ luit pœnas, ſi quas luit.

A Sed ait de ſe Hiſtoricus: *Poſtquam Italia relicta in Germaniam eram reverſus, mihique ob adverſam valetudinem aliquandiu inter ipſos hærendum eſſet, poſtea cùm diſceſſum peterem, illi omnibus modis mihi inſidiati ſunt.* Mendacium duplex, nunquam malè valuit, & integrum fermè annum ex urbe reverſus Landſpergæ manſit, nec miſſionem petiit, quam non gravatè impetrâſſet, ſed clàm, omnibus inſciis, libris & regulis noſtris & pecunia onuſtus aufugit, ùt ſolent nebulones. Miſſi ſunt, qui fugitivum quærerent, résque ablatas repeterent, non ut caperent. Quid enim nobis cum deſertore novitio, ſi ſine noſtris rebus abiiſſet? Quare calumnia eſt, quòd Vulcanum, quem ſcurriliter *fortiſſimum Deum noſtrum* appellat, effugerit. Pag. 181. Utinam verò Vulcanum tartareum & rogum, qui nunquàm extinguitur, tam certò effugere potuiſſes, quàm ſecurus eras à rogo noſtro; non enim, ùt tu invidiosè criminaris, quempiam Apoſtatam ad rogum abducimus, ſed ſi fieri poteſt, ad pœnitentiam & ad meliorem mentem.

B Pergit mentiri: *Multi ſunt*, inquit, *qui neſcio qua ſpe ducti, illorum Societatem ingrediuntur, qui deinde, ubi illorum dolos, carnificinas, proditiones in Germaniam, ut cætera nefanda, eáque turpiſſimè facta taceam, animadvertunt*, libenter *quidem diſcederent, at non poſſunt.* Si quis alia ſpe & conſilio, quàm Deo ſerviendi & placendi ad Societatem venit, ille fallitur, neque ulla alia ſpes vel mens quempiam ad nos, vel ad aliam Religionem adducere debet; At qui ſunt iſti *multi*, de quibus hîc fabularis? ſi qui retro reſpiciant, id non fit, quòd parùm honeſta apud nos diſcant, aut videant, ſed quia ipſi parùm honeſtè vivere, & ad carnis libertatem con-
C volare optant. Crede mihi, pauci vel potiùs nulli, redeunt ex Religione ad ſeculum deſiderio ſanctioris vitæ. Omnes ſe, & quæ ſua ſunt, quærunt, & inter hæc primò omnium ventrem & abdomen. Quòd autem tales à nobis *rota, vel igni, vel aqua, vel fune, vel veneno tolli* ſcribis, mendacium eſt digniſſimum omnibus his, quæ commemorâſti, ſuppliciis.

D Facit præterea Pontifex noſtris in hac Bulla poteſtatem *altarium portatilium* pro ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio. Hîc excubitor iſte monet Magiſtratus Evangelicos, ut advigilent, *nos enim ſæpius clam intra privatos parietes in medio Evangelicorum ſacra noſtra per-*
Pag 182. *agere. Id Campianum feciſſe in Anglia, id facere etiamnum Jeſuitas in Helvetia & Bavaria.* De Martyre Campiano jam diximus alibi. Quoad alios, ſi quando Catholicorum, qui veſtro imperio premuntur, neceſſitas id exigeret, liberè fateor, nullum ex noſtris futurum, qui etiam cum periculo non libenter & promptè pio Catholicorum E deſiderio ſubveniret. Utrum verò id aliquando factum ſit, maximè in vicinis Bavariæ locis, & in Helvetia, ego quidem neſcio, tu factum affirmas ipſis Jeſuitis teſtibus. Sed quia ſuſpicor, te tibi conſueta fide uti, non facilè adducar, ut credam, ùt nec hoc, quod ſequitur: *Præter hæc omnia*, ait Impoſtor, *non ſolùm ipſos aut illorum bona, ſed etiam regulas ipſorum vult ab omnium Prælatorum cenſura eſſe alienas. Sic enim rudit Bulla: Nulli Prælatorum, excepto Papa, licere vel conceſſum eſſe Conſtitutiones Jeſuitarum ſub cenſuram ſumere, aut ſumentem nihil efficere, illiúsque conatum eſſe nullius roboris.* At quod iniF quæ mentis aſellus hîc rudit, ipſis Papæ verbis adſcriptis, impudentis mendacii ſatis ſupérque redarguetur. *Nec ullis Prælatis*, inquit Pontifex, *contra aliquem de prædicta Societate, vel contra alios eorum cauſa, aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdictæ ſententiam contra ejusdem Societatis privilegia per nos conceſſa (quorum interpretationem nobis & Apoſtolicæ ſedi reſervamus) ferre liceat, & ſi tulerint, eo ipſo irrita nulliúsque roboris vel momenti ſit & eſſe cenſeatur.* Quid tu igitur G inſulſe de regulis noſtris, earúmque examine hîc blateras & furiosè declamitas, cùm de Regulis ne verbum quidem hoc loco Pontifex fecerit. Sed niſi has & ſimiles nænias: *Regulæ Jeſuitarum ſunt traditiones humanæ: repugnant verbo Dei, ciſternæ non valentes continere aquam, fovent omnem idolomaniam Pontificiam, Chriſtum, non regulas Jeſuitarum, jubemur audire; qui diligit me, ſervat ſermonem meum, lex Domini ſemper ſit in ore tuo, quid igitur opus eſt Jeſuitarum regulis?* Niſi, inquam, has & ſimiles lyras ad nauſeam uſque iſti lectoribus obtruderent, jam dudum obmutuiſſent.

Præter hactenus commemorata privilegia H concedit etiam Pontifex omnibus Chriſti fidelibus facultatem confitendi noſtris, eorúmque conciones & ſacra audiendi. *Hæc libertas*, inquit Calumniator, *Jeſuitarum* Pag. 184. *quæſtui inſervit*; nam *nummus confeſſionalis, qui antea Parochis ceſſerat, nunc Jeſuitis cedit.* Mendacium hoc tot teſtibus refellitur, quot noſtris peccata confitentur; ſunt autem innumeri. Grandius adhuc & intolerabilius Pag. 185. illud eſt: *In templo*, inquit, *dum ſedent, propter confeſſionem nihil exigunt; ſi quis autem pecuniam ſuper altare ponit, tacent, eámque hominibus abſentibus auferunt.* Mentitur Hiſtoricus, & quotquot Hiſtorici mendacium in vulgus extruſerunt: ſed necdum mentiendi finis: *Si quis in illorum manus*, inquit, *vult mittere confeſſionis ſortem, eam recipere nolunt, dicunt autem, ſi quid nobis communicare vultis, illud ad portas collegii portetis.* Mendacium eſt Prædicantium quidvis arbitratu ſuo fingentium; cujus mendacii Prædicantes condemnantur à tot millibus Germanorum, qui noſtrorum opera in ſacris confeſſionibus uti

A ſolent. Et certè eſt, quòd gaudeamus, Prædicantes iſtos tam manifeſta & perſpicua mendacia de nobis effutiviſſe; Nam ex his, quorum falſitas omnibus Catholicis Germanis patet, facilè judicabunt, quid de aliis minùs patentibus ſit ſentiendum.

B Refut. cap. 3. De P. Gregorio Roſephio reſpondi jam ſuprà, nolo cum Batto hoc eadem millies repetere. Conſecutiones illæ: *Non recipio mercedem, ergo debes mihi tot florenorum eleemoſynam. Gratis tibi laboravi, ergo debes mihi hoc vel illud loco eleemoſynæ*, non ſunt noſtræ, ſed veſtræ ô Impoſtores perfidi & deceptores ſacrilegi. Quomodo tam atrocium mendaciorum rationem reddetis Deo judici juſto?

C Pag. 186. De P. Zieglero quæ narrat, fabulæ ſunt pluſquam Æſopicæ. Illéne ſe, acceptis tribus taleris, *opimam, pinguem, talericam*, non *cupream* Miſſam celebrâſſe dixerit? Agnoſcimus phraſim & ſtylum. Hujuſmodi floſculi prodeunt ex Lutheranorum dicacium officina; vix duas toto hoc libro veritates protulit mendaciſſimus Hiſtoricus, & quiſquam eſt, qui eum de P. Zieglero non ex proprio cerebro hoc effinxiſſe exiſtimet, ùt & illa, quæ de Monachorum in nos odio nugatur, maximè PP. Franciſcanorum & Benedictinorum apud D. Udalricum Auguſtæ, quos quis credat dixiſſe; ſperare Jeſuitas, *ſe aliquando monaſterio D. Udalrici potituros.* Multóque minùs credibile eſt optâſſe illos, ut *Diabolus Jeſuitas ex Germania abripiat.* Imprecationes iſtæ olent pectus Lutheranum, non Catholicum & religioſum. Taceo, ipſam experientiam contra mendacem Hiſtoricum pro Patrum illorum innocentia teſtimonium dicere; cùm omni genere benevolentiæ & officiorum nos proſequi non deſinant.

Pag. 184.

D Pag. 186. Dat præterea Pontifex Facultatem, *ut noſtri ſacris ordinibus initientur, à quibuſcunque Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habentibus.* Hic iſte: *Sacri iſtorum*, inquit, *ordines ſunt Oſtiarium agere, quem noſtri mendicorum præfectum & canum expulſorem dicunt. Lectorem eſſe, quales ſunt pueri in ſcholis trivialibus, Acoluthum præſtare, ùt ſunt ſervi, quì veſtigia Dominorum ſuorum ſequuntur. Exorciſtam agere, quales ſunt Magi & Venefici.* Sacrilegæ hæc ſunt calumniæ hujusmodi canicidis, canúmque verberonibus, & ex trivio arreptis Magiſtellis digniſſimæ; neque in nos tantùm, ſed & in Epiſcopos Germaniæ, Principes Imperii, & in alios infinitos nobilitate & eruditione præſtantiſſimos Germanos, injurioſæ. Quia verò Bellarminus noſter de numero, antiquitate & horum & aliorum ordinum, officiíſque Miniſtrorum, accuratiſſimè diſputavit, verbum non addam, donec Polycarpus ſolidè doctéque diſputationem Bellarmini refutaverit, quod fiet ad Græcas calendas, cùm tam indoctus ſit Prædicans, ut hactenus præter putidas quaſdam præfationes in libros alienos, nihil, quod equidem ſciam, ediderit, vir inter ipſos Lutheranos obſcuriſſimus, & ſi quid nunc nominis acquirit, id totum acquirit maleficiis, flagitiis, maledicendi libertate, & alienam famam lacerandi libidine, non alio titulo apud poſteros notus futurus, quàm titulo Sycophantæ, calumniatoris, detractoris & ſacrilegi rerum divinarum humanarúmque contemptoris.

E

F

Lib. de clericis, tomo 1.

Sed redeo ad Hiſtoricum. *Jeſuiticos Sacerdotes*, inquit, *non uſque adeò libenter ungunt Epiſcopi, quia nihil pecuniæ illis, ùt reliqui, quì per Simoniam unguntur, annumerant, ſed tamen detrectare hanc provinciam non audent, quia Papa id præcepit.* Multiplex mendacium non modò in nos, ſed & in Epiſcopos Germaniæ, Principes Imperii, quos iſte inſimulat, quaſi pecunia ſacros Ordines flagitiosè vendant, eóſque, qui pretium non offerunt, ægrè admittant: quod mendacium exſibilare poterunt, omnes illi, qui ſacris Ordinibus in Germania aliquando ſunt initiati. Quòd autem Pontifex in hac ipſa Bulla noſtris largitur poteſtatem in Excommunicatorum & Hæreticorum vel Schiſmaticorum terris libetè commorandi, & cum eiſdem converſandi & neceſſaria ab eiſdem petendi, id Hiſtoricus *proditionis gratia fieri clamat*, & neceſſaria, quæ petamus, interpretatur, *non pauca bona, quibus natura contenta eſt, ſed Collegia, & domos, & cenſus, &c.* Sed ſolito more calumniatur; nam Pontifex privilegium hoc ideo conceſſit, ut noſtri *exhortationis pio ſtudio bonos ad potiora dirigant, & errantes ad rectitudinis ſemitam laudabiliter revocare procurent.* Nomine autem *neceſſariorum* intelligit ea, quæ ad cultum victúmque pertinent, cùm alioqui ſine majorum permiſſu, cum excommunicatis ne colloqui quidem liceat, nedum negotiari & communi convictu uti. Committit porro arbitrio Generalis, ut ipſe ad Hæreticorum terras mittat, quos omnium aptiſſimos judicaverit, ídque non immeritò; nam inter Lupos non quivis ſecurè degit. Mentitur autem Hiſtoricus, cùm ſcribit; *Germanos, ſi non in omnibus Papæ obediant, à Jeſuitis ceu hæreticos comburendos accuſari.* Semper iſti Prædicantes ignem & rogum in ore & calamis habent, ideo, opinor, quia hæreſeos ſibi ſunt conſcii. Sed pergit; *commorari ubique magni privilegii loco cenſendum eſt. Reliqui enim Clerici & Monachi, ſi cum Lutheranis converſentur, vel eos juvent & hoſpitio excipiant, excommunicantur, quaſi Hæretici, à Bulla Cœnæ Domini.* Mendacium; nam licèt cum excommunicatis communicare abſolutè prohibitum ſit; in Germania tamen aliísque locis hæreſi infectis, ipſa Sectariorum multitudo & neceſſitas communicandi & negotiandi, facit licitum, quod

Pag. 187.

G

H

A quod aliàs non essèt licitum, ùt nominatim
Num. 35. docet Navarrus in manuali capite 27. cur ergo Pontifex, inquies, peculiari privilegio hanc vobis fecit gratiam? In promptu est responsio, ut non tantùm in Germania; sed & ubivis Gentium liberè cum quibusvis Excommunicatis & Schismaticis agere & versari possimus.

B Liberat nos hæc eadem Bulla à cura Mo-
Pag. 188. nialium & quarumlibet Religiosarum personarum. Hîc nugatur iste nescio quid de
Lib. 3. cap. 14. cura P. Ignatii erga Moniales. Sed Lector Ribadeneiram & Maffejum adeat, & evanescent figmenta Sycophantæ; neque etiam curam cœnobii D. Marthæ susceptt Ignatius,
Lib. 3. cap. 9. quamvis ipsius maximè hortatu extructum esset, ùt apud Ribadeneiram videre licet.

C Liberat insuper Pontifex in hac Bulla fortunas Societatis ab omni exactionum genere; quod Historico plusquam mirandum accidit; quamobrem in convitia totus resolvitur, nósque Pontificis *Corvos & adulatores* nominat; sed rumpatur & ringatur licet. Nam Pontifex impertiit hæc privilegia Societati sine ulla cujusquam jactura, imò cum omnium bonorum approbatione. Addit
Pag. 189. Calumniator: *Ne desint homines, qui Jesuitas in mysterio iniquitatis promovendo adjuvent, dat illis facultatem, quoscunque volunt irregulares & seculares recipere.* Depravas mentem Pontificis; non enim dat facultatem admittendi irregulares & ineptos, quos neque ut admittere possimus, desideramus, sed omnes illos, qui ad hanc nostram Societatem idonei judicabuntur. Mentitur autem impudentissimè, cùm ait, Rectorem Landspergensem affirmâsse, auctoritate Pontificia nobis permissum esse, cooptandi in So-
Pag. 189. cietatem *bonos & malos, fures & latrones, modò se Papæ & nobis subjiciant.* Nam cùm quis in familiam nostram aggregatur, maxima habetur ratio boni nominis & existimationis, & ex casibus, qui hominem à Societate omnino excludunt, secundus est in Examine *homicidium aliquo tempore perpetrâsse, vel publicè infamem propter enormia peccata fuisse.*

D Quare vanissima calumnia est, Societatem hanc *nihil aliud esse, quàm nequissimorum hominum colluviem, malorum omnium sentinam, & Latronum speluncam*, quamvis cùm non ob maleficia, sed ob Catholicam fidem, ejúsque perpetuam defensionem Prædicantes convitia hæc in Societatem conjiciant, non est, quòd doleamus, memores illius:
1. Petri 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet.* Itaque intonate *Ægyptum, Babylonem, Factionem Catilinariam, Synedrion novorum Pharisæorum*, jaceo & taceo, ùt canis ille ex Albania, dedignatus tam abjectos Calumniatores allatrare.

Inter cætera privilegia dat Pontifex in gratiam & commodum omnium Christiano-

rum etiam hoc: *Animarum profectui*, inquit E
Pontifex, *providere volentes omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, ubilibet commorantibus, verè pœnitentibus & confessis seu temporibus à jure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam Ecclesiam aut alium pium locum dictæ Societatis, semel singulis annis* (præter annum Jubilæi) *in die, per pro tempore existentem dictæ Societatis Præpositum eligendo, à primis vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei inclusivè, devotè visitaverint, & inibi orationem Dominicam ac salutationem Angelicam recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in forma Jubilæi auctoritate Apostolica tenore præsentium misericorditer concedimus & elargimur.* Quod privilegium cùm Hi- F
storicus fraudulenter & depravatè recitâsset, Pag. 189. 190.
subjunxit: *Huc, huc ergo properate omnes fures & latrones, omnes infames & perjuri. hæc enim Societas vobis asylum præbet, modò ad illorum locum accedatis, plenariam omnium peccatorum indulgentiam habebitis, non opus est vobis resipiscentia, non contritione cordis, non fide in Christum, non pœnitentiæ fructibus, sola Jesuitarum loca vos justificant, & ab omnibus peccatis absolvunt.* Ecce, mi Lector, qua fide rabulæ isti de Catholicorum indulgentiis, dictis, & sententiis scribant & loquantur. Dicítne Pontifex, ad plenariam indulgentiam consequendam nihil aliud requiri, quàm ut templum nostrum homines ingrediantur? Nónne veram pœnitentiam, peccatorum G
confessionem, devotionem & preces exigit? Cur ergo Impostor iste tam effrons est, ut tam projectè & perditè mentiendo Pontificis dicta & scripta corrumpere & pervertere audeat? Quocirca Polycarpus, vel si quis alius auctor scholii in ora libri extitit, frustra quærit, *ubi meritum? ubi mors? ubi obedientia? ubi satisfactio Christi? ubi fides? ubi gratia?* Nam nihil horum excludimus à plenaria indulgentia, ùt blasphemi isti blasphemant, quamvis meritò de his omnibus quærere videatur Polycarpus, non quòd non sint amplius apud Catholicos, sed quia jam dudum desiêrunt esse inter hæreticos, à quibus obedientia, satisfactio, fides & gratia omnis jam dudum exulat.

Nec minus mendacium est, quod subjun- H
gitur: *Tandem*, inquit, *in hac Bulla, eò quòd etiam ad Indos usque proruperunt, dat illis potestatem absolvendi etiam ab iis, quæ Papa sibi in Bulla Cœnæ reservavit, omnia, quæ sunt Episcoporum, peragere, qualia sunt ordinare, ungere, chrismare, exorcizare, confirmare, indulgentias distribuere, cum consanguineis dispensare, campanas baptizare, & alia, quæ sunt Romanorum Episcoporum propria.* Nulla in hoc homine sinceritas, nullus pudor, nullúsque amor veri inest; nam potestatem absolvendi à casibus Bullæ cœnæ non dat nisi illis, qui in Saracenorum, Paganorum, aliorúmque infidelium terris, & in remotissimis provin-

A ciis, à quibus Sedes Apoſtolica adiri non poteſt, habitant. Iiſdem etiam copiam facit veſtes ſacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cœmeteria (ſi non adſit Catholicus Epiſcopus) benedicendi, ac profanatas Eccleſias reconciliandi. De ordinibus conferendis & confirmatione, altum eſt in Bulla ſilentium, campanas addidit Hiſtoricus de ſuo, ùt & poteſtatem exorcizandi; nam cauſa nulla erat, cur hanc poteſtatem tribueret noſtris Pontifex, cùm omnibus Sacerdotibus, imò Exorciſtis ex officio conveniat.

B Pag. 191. Concludit autem Hiſtoricus mendacia circa hanc Bullam inſigni quodam mendacio, ne finis à reliquis partibus diſcrepet. *Hæc eſt*, inquit, *illa Bulla, quam Jeſuitæ mare magnum vocant.* Mendacium impudens; nam nec *parvum* nec *magnum mare* à nobis appellatur, ſed libuit nugatori nomen cujuſdam Bullæ à Sixto IV. olim editæ, ad hanc noſtram transferre, ut calumniæ ſimul & mendacii materiam haberet.

C *Refutatio calumniarum in Bullam ſextam.*

Lib. 3. cap. 21. EXtat hæc Bulla apud Ribadeneiram. In ea denuò confirmat Julius III. Societatis inſtitutum. Hiſtoricus nihil affert niſi putidas in Pontificem calumnias, petitas ex nefario auctore Apiarii, ex Kemnitio, & aliis hujus notæ convitiatoribus, jam dudum contritas, & millies à Catholicis ſolidè refutatas. Quare diu in illis refellendis immorari, non arbitror operæ pretium.

Refutatio calumniarum in Bullam ſeptimam.

D COnfirmat in hac Bulla Julius III. Pontifex privilegia à Paulo III. conceſſa, additis inſuper novis. Inter reliqua dat poteſtatem diſpenſandi cum perſonis Societatis circa jejunia & cibos prohibitos. Hîc

Pag. 194. iſte, *ſi Sacerdos*, inquit, *alius, vel Monachus, vel Secularis, abſque ſpeciali permiſſione Sacerdotis, talem poteſtatem habentis, qualiscunque ille & quomodocunque diſpoſitus eſſet, jejunii temporibus cibis prohibitis uteretur, utpote carne, lacte, &c. is excommunicaretur, vel aliqua pecuniæ ſumma mulctaretur.* Mendacium multiplex. Nam transgreſſoribus iſtis non eſt ſtatuta excommunicatio, ùt omnes nôrunt. Deinde ſi quis ob infirmitatem diſpenſatione eget, nemo prohibet, quin illam à legitimo Magiſtratu petat. Taceo, fieri poſſe, ut ipſa neceſſitas diſpenſet. Falleris autem, ſi putas, noſtros hac facultate unquam uti, extra neceſſitatis caſum, & ſine majorum conſenſu; non enim quivis, ùt tu fabularis, ſecum diſpenſat, ſed hac in re judicio Superiorum ſeſe committit, neque his inconſultis quidquam aggreditur.

E At quòd prohibere cibos, ùt eos Catholici prohibent, *doctrinam Dæmoniorum* appellat, blaſphemè & imperitè facit, quod haud gravatè, ùt arbitror, fatebitur Polycarpus, ſi legerit, quæ Bellarminus de hoc Apoſtoli loco diſputat. Tom. 3. lib. 2. de bonis operibus in particulari, cap. 8.

F Confirmat etiam Julius III. facultatem abſolvendi ab hæreſi, aliisque caſibus, conceſſam à Paulo III. Hîc iſte varia effutit mendacia: Ait, *nos ad abſolutionem hæreticorum nihil aliud requirere, quàm has tres ſyllabas, re, vo, co.* Sed mendacio hoc injuſtè nos onerari, teſtari poterunt non pauci ex ipſis hæreticis (ut de Catholicis nihil dicam) qui aliquando cum noſtris de rebus ad religionem pertinentibus conſilia ſua communicârunt, quorum paſſim non paucos reperiri certò ſcio. Deinde mendacium eſt gloriari nos, *nemini aliorum ſacerdotum poteſtatem hanc datam:* novimus enim variis in locis multos eſſe ſacerdotes, qui hanc facultatem legitimè acceperint. Neque fraudibus & blanditiis quemquam ad Catholicæ fidei profeſſionem allicimus, ſed veritatis demonſtratione, addita etiam illa, quam quivis jure deſideret, morum verborúmque humanitate & benevolentia.

G Largitur præterea Pontifex facultatem divinum officium celebrationi Miſſæ vel præponendi vel poſtponendi; ſi ita neceſſitas depoſcat. Neque hoc Hiſtorico placet. Pag. 195. *Alii*, inquit, *Sacerdotes ante Miſſam ſuas horas dicere tenentur, at Jeſuitis concedit illas etiam Miſſæ poſtponere, quo privilegio probè uti nôrunt.* Notum & tritum eſt: *Ubi nullum ſit privilegium, ibi jure communi ſtandum eſſe;* ſi cui ergo copia non eſt facta recitandi preces matutinas poſt Miſſæ ſacrificium; is procul dubio ante ſacrum eas recitare debet, cùm id lex omnibus communis præcipiat, & Eccleſiaſtica conſuetudo ita fieri velit. Quod adjungis, *nos probè nôſſe uti hoc Privilegio:* Mentiris.

H Sed libet audire cauſam, cur hoc privilegio probè ſciamus uti. *Quia plerique*, inquit, *Sacerdotum ipſorum poſt collationes ſuas in multum uſque diem ſtertentes ad ultimum uſque Miſſæ ſignum vix indui vel dignè pro more theatrico præparari poſſunt.* Mendacium repugnans iis, quæ ſuprà quodam loco ſcripſerat mendax Impoſtor, videlicet; nos hora quarta vel quinta ſurgere; Quomodo igitur in multam lucem ſtertimus? Et à quarta vel quinta ad ultimum uſque ſacrum non paucæ horæ intercurrunt: Accedit, quòd Sacerdotes noſtri pridie ſub veſperam officium matutinum recitant, neque in poſterum differunt, niſi occupationes obſtent; quare nullum eſt periculum, ne tempore ad officium ante Miſſam dicendum deſtituantur. Adhæc valdè fallitur Hiſtoricus, ſi nos ex lecto ad Miſſam currere exiſtimat; præmittuntur non modò preces horariæ, ſed & meditationes quotidianæ unius integræ horæ, Cap. 5.

&

A & alia pia exercitia, quæ quivis arbitratu ſuo poteſt ſuſcipere. Prædicantium mos eſt, dum ſunt à lecto recentes, ſuggeſtum aſcendere, & verbum ſecundùm Lutherum voce nautica deprædicare.

B Hactenus exagitavit miſer hic vitam & Inſtitutum noſtrum. Nunc etiam doctrinam conviciis inſectatur, de qua quid ipſe vel Prædicantes ſentiant, valdè parùm laboramus; nam ut non habeamur doctiſſimi, non tamen ab omni eruditione adeò imparati ſumus, ut vehementer hujuscemodi adverſarios pertimeſcamus, & ſiqui conati ſunt ex ſectariis Jeſuitarum *inſcitiam*, ùt iſte ait, demonſtrare, illi ſuam egregiè ſemper prodiderunt. Neque ob ignorantiam noſtrorum conceſſit Pontifex facultatem privatim promovendi noſtros ad quoscunque gradus ſcholaſticos, & Academicos, ùt calumniatur Sycophanta. Nam & ipſe Pontifex & noſtræ Conſtitutiones examen requirunt *rigoroſum*, ùt vocant, ſive ſit publicum ſive privatum; neque volunt quemquam ullo honore inſigniri niſi idoneum & probatum. Crede mihi, ſi in veſtris Academiis tantâ adhiberetur cautio & ſeveritas in admittendis ad honores Academicos petitoribus, non omnia apud vos redundarent indoctiſſimis Doctoribus, & tu ipſe Polycarpe, nunquam in æternum Doctor creatus fuiſſes.

C Reddit verò Pontifex etiam cauſam, quando & cur noſtri privatim poſſint promoveri: *Si*, inquit, *in Univerſitatibus idonei reperti fuerint, & Rectores Univerſitatum hujusmodi, eos gratis & amore Dei abſque aliqua pecuniarum ſolutione promovere recuſaverint.* Habes unam cauſam. Altera eſt, quia aliquando iis in locis habitant noſtri, bonásque litteras docent, ubi nulla Academia eſt, & tamen muneris, cui vacant, auditorúmque ratio Magiſterium aliúmve Academicum titulum exigit; tali caſu dat Pontifex facultatem in Collegio quosvis gradus privatim conferendi; Sæpe tamen noſtri hujusmodi gradus publicè in Academiis ſuſcipere ſolent, prout vel temporis vel loci vel etiam perſonarum circumſtantia fert, neque enim ii ſumus, qui æquis Academicorum judiciis nos committere non audeamus.

D Alia, quæ circa hanc Bullam nugator ſcribit, nihil aliud ſunt, quàm mendacia & convitia craſſiſſima, & adeò quidem impotenter convitiatur, ut non injuria de poteſtate mentis exiiſſe videri poſſit. Ait; *Deos*
Pag. 196. *multos colunt, & ex pane albo cum Thebanis Jovem & Bacchum, cum Atticis Cererem aut quodvis aliud numen faciunt.* Illorum *Mars eſt Georgius. Minerva Catharina. Priapus Papus.* Os & frontem hominis! quoties à Catholicis reſponſum eſt his calumniis? plures Deos non agnoſcimus, unum Deum veneramur, Sanctos non pro Diis, ſed pro Dei amicis & ſervis habemus, tantum abeſt, ut Catharinam in locum Minervæ, aut Georgium in locum Martis ſubſtituerimus. Refutate ô Prædicantes, ſi poteſtis, quæ de Sanctorum cultu Theologi noſtri præſertim Bellarminus & Gregorius de Valentia diſputârunt; neque perpetuò antiquas cantilenas repetite, aut ſi refutare non poteſtis, ſaltem diſcite inde, quæ ſit noſtra de Sanctis Sanctorúmque cultu ſententia, & mentiri deſinite. In venerabili Euchariſtiæ Sacramento facta conſecratione nihil ſubſtantiæ panis & vini remanere credimus, & certa fide tenemus, hinc neque ſubſtantiam panis & vini, neque ipſas remanentes ſpecies, ſed illum, qui ſub his intimè præſens eſt, pro Deo noſtro adoramus; & vetus eſt hæc Ethnicorum ob Euchariſtiam in Chriſtianos calumnia, quam vos nunc ab inferis reſuſcitatis. Abite igitur, ô Calumniatores, cum Cerere, Priapo & Baccho eò, quò meremini, vera Cereris, Bacchi & Veneris, trium maximorum apud vos Numinum, mancipia.

E In lib. de cultu Sanctorum. In lib. de Idololatria.

F Illud verò, quod ſequitur, non jam Jeſuitas, ſed ſummos Chriſtiani orbis Monarchas attingit. *Papa Romanus*, inquit, *revera nihil aliud eſt quàm vitulus ille idololatricus, coram quo mundi potentes ſaltant, & cum quo ſpiritualiter fornicantur & negotiantur.* Ergóne Imperator Romanus, & tot Principes, & tot ſtatus Imperii, ut de aliis taceam, *ſaltatores, fornicatores & negotiatores* Idololatrici erunt, quia Pontificem Romanum Chriſti in terris vicarium confitentur, ejúsque parent libenter monitis? Tempora, tempora! qualia monſtra producitis, alitis, & impunè in tantos Principes ſtylo, calamo, ore virulento & maledico graſſari ſinitis?

G Sed redit impurus nebulo ad ſuum Priapum: *Ignatius*, inquit, *eſt Jeſuitarum Priapus, Pater fœcundus, ex cujus inteſtinis hi ſocii profluxerunt.* Veſtrum Priapum Lutherum retinete vobis ô Prædicantes, vel ſi placet, Papo Argentoratenſi dono date. Si autem Calumniator Ignatium ideo Priapum noſtrum eſſe exiſtimat, quòd nos ab illo genitos gloriemur & gaudeamus, videat, ne ipſum Abrahamum *Patrem multarum gentium* Priapum faciat, aut Apoſtolum Paulum, cujus hæc ſunt verba: *Filioli, quos iterum parturio, &c.* &, *ego enim vos in Domino genui.* Cùm verò ſocios Ignatii idem nobis blaterat eſſe, *quod Afris fuit Neptunus, &c.* clarius mendacium eſt, quàm ut reſponſo dignandum ſit, quemadmodum & illud, Jeſuitas eſſe idolum Moloch, *ùt enim olim*, inquit, *parentes fatui idolo huic liberos cremandos obtulerunt, ita nunc quoque multi ſtolidi parentes filios ſuos Jeſuitis erudiendos*, id eſt, depravandos tradunt. Itáne verò Sereniſſimi Auſtriæ & Bavariæ Archiduces & Duces, vósque Illuſtres & Generoſi Comites & Barones, cæteríque per Germaniam viri nobiliſſimi, qui filios veſtros diſciplinæ noſtræ jam à primis in Germaniam adventus noſtri temporibus

poribus commisistis, stoliditatis notam ab indoctissimo & obscurissimo Prædicante vobis inuri patiemini, neque honorem vestrum, laudémque prudentiæ ab horum audacissimorum calumniatorum injuria vindicabitis?

Illud porro quale mendacium est, *nos ab imaginibus sanctorum responsa petere, ùt olim gentes à Dæmonibus?* Quis hunc sobrium scripsisse, & Polycarpum sanum hæc edidisse credat? Sed probat id testimonio P. Peltani & P. Julii Romani, quorum utrumque ait *habuisse & coluisse imagines, quarum virtute arcana & futura cognoscerent.* Liberè dico, mentiri te impudentissimè. Hæc mea vox ipsius P. Peltani vox esset, si viveret. Novimus plerique P. Peltanum, multi cum illo viximus, & de tali imagine nihil unquam audivimus: & quis sibi persuadeat, Theologum præstantem, tot libris publicatis clarum, virum moribus integerrimis tale piaculum patrâsse? Ignorabat scilicet genus hoc vaticinandi severissimè prohibitum legibus divinis & humanis. Idem tibi de P. Julio respondeo. Nullam mereris ampliùs fidem, nimis sæpe deprehensus es in mendaciis. Quæ autem convitia plena manu in nos hîc congerit Historicus, libenter prætereo, quia unica causa, cur nos iste cum suis Prædicantibus vocet *Magos, Sortilegos, superstitiosos, deteriores Turcis, Ethnicis, Judæis, simulatores, dissimulatores, Sophistas impios, perjuros, pacta & jura, fidem & inducias non servantes, reprobos, &c.* Unica, inquam, horum & similium omnium à Diabolo profectorum convitiorum causa est, noster qualis qualis labor & conatus juvandi Ecclesiam Christi, & conservandi Catholicam religionem. Quare probra hæc laudi nobis ducimus. *Nemo vestrûm*, inquit beatus Petrus, *patiatur ùt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem ùt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Itaque cùm non ob scelera, sed ob solam Catholicæ fidei defensionem hujusmodi convitiis Jesuitas insectemini, meritò sibi gaudent & gratulantur, de tam ubere patientiæ & apud Deum merendi materia, Deóque justo omnium Judici rem totam commendant, ùt monet beatus Petrus, *& hi, qui patiuntur*, inquit, *secundùm voluntatem Dei fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.* Silere tamen nequeo, quod ait, *Magistratum à Deo ordinatum à nobis contemni & blasphemari.* Mentitur luculenter. Scimus illud Apostoli; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et, *cui timorem, timorem: & cui honorem, honorem.* Utinam vos Prædicantes Magistratui vestro tam obtemperantes essetis, magno interdum labore lictores levarentur. Sed pergit. *Quoties Magistratus impiis Jesuitarum factis conatur obsistere, vocant eos Sathanam, excommunicant, proscribunt, & servis durius tractant.* Quis, quæso, Magistratus à nobis excommunicatus est, ubi & quando, monstrate locum, diem, nomina eorum, qui Magistratum illum gerebant? fac hoc Polycarpe, si vel unam micam boni viri adhuc habes: suspicor tamen, te jam dudum venisse ad fundum, tam prodigus es frontis & honoris tui.

Pag. 199.

1. Petri. 4.

Loc. cit.

Pag. 200.

Rom. 13.

Refutatio calumniarum in octavam Bullam.

COnfirmat in hac Bulla Pius IV. Societatis Institutum & privilegia, dárque facultatem erigendi Collegia seu domos, etiam intra centum quadraginta cannas aliorum Ordinum. Hanc Bullam glossat Glossator noster mendaciis. *Felix*, inquit, *Jesuitarum conditio, qui nulli hominum supplices fieri tenentur, ut recipiantur, sed ad quoscunque à Papa missi venerint, coguntur hi illos non modò hospitio excipere, gratis alere, sed & collegia, domos, scholas & templa ædificare.* Nemo, opinor, est, qui hunc non videat mentiri. Quos enim coëgit Pontifex, ut nos gratis alant exstructis Collegiis? Percurre omnia Germaniæ Collegia; ostende vel unum, quod hac violentia conditum fuerit. Grandius mendacium; *cogi à Pontifice* homines, ut propriis possessionibus cedant, nostróque dominio & usui tradant. Refellunt hoc mendacium ea ipsa Collegia, quæ tu nominas: Quem enim coëgit Pontifex, ut domum fundúmve suum offerret pro exstructione Collegii Dilingani, Augustani, Landspergensis, Monacensis, aut Ingolstadiensis? Et fundatores Augustani non alienum, sed suum fundum ædificio destinârunt. *At cedere debuerunt, qui in ædibus antiquis habitabant.* Quæso te, nónne domini jus habent, mandandi arbitratu suo, ut inquilini emigrent, aliásque sedes sibi quærant? Taceo, eam rationem initam, ut pluribus nunc, quàm antea familiis habitandi locus sit, multóque commodior, adeò nihil damni cuiquam Collegium nostrum intulit. Monachii, Ingolstadii, Landspergæ, si qui fundos & ædes suas dederunt, his justo pretio ab illorum Collegiorum fundatoribus satisfactum est, satísque prospectum, ne quid mutatione sedium detrimenti caperent.

Pag. 202.

Refutatio calumniarum in Bullam nonam.

IN hac Bulla liberat Pius IV. Societatem à qualibet decimarum & exactionum solutione, ùt priùs fecerat Paulus III. facultatémque concedit tam in Universitatibus, quàm extra illas, in quibus ordinariæ studiorum artiúmque liberalium & Theologiæ lectiones habentur, cursúsque ordinarii peraguntur, promovendi ad gradus scholasticos

A sticos præter Societatis Scholares, etiam pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, & divites quoque (si Officiales Universitatum eos promovere recusaverint) cùm per examinatores Societatis idonei fuerint inventi, solutis tamen per divites suis juribus Universitatibus. Historicus
Pag. 203. antiquum hîc obtinet, mentiendo & calumniando omnia pervertit. *His Antichristi ministris*, inquit, *cedere coguntur Rectoris & Cancellarii dignitas, adeóque omnium Universitatum jura atque privilegia.* Calumnia est; non enim nobis, sed Pontifici cedunt, si cedunt, quamvis privilegium Academiis, earúmque Professoribus, nequaquam sit fraudi, cùm Pontifex expressè mandet, ut pauperes Academicis honoribus ornemus, si eos solo inopiæ impedimento in Academia consequi non possint, divites verò ea lege admittamus, ut Academiis, quæ jure pendenda sunt, pendant. Quid hîc de utilitate vel existimatione Academiarum vel Academicorum detrahitur? ut taceam, nos his privilegiis, præsertim in Germania, vel nunquam vel rarissimè uti.

B *Refutatio calumniarum in Bullam decimam.*

BUlla hæc data est à Pio V. contra Apostatas, aliósque, qui emissis in Societate votis sive solennibus, sive simplicibus ad alios Ordines (excepto Carthusiensium Ordine) sine Superiorum licentia transeunt, cujus Bullæ alia causa non fuit, quàm ut quisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat, & ne, nulla constituta pœna, plures confectis studiis, non sine Societatis magno labore & sumptu, eruditione jam præstantes, nobis valedicerent, cùm usui esse deberent. Datur autem facultas transeundi ad Ordinem Carthusianorum, quorum vita non ideo tantùm dura & austera
Pag. 204. est, quòd *perpetuò*, ùt cavillatur iste, *piscibus vescantur*, sed alias multas ob causas, quas
C mallem Polycarpum scelerum suorum pertæsum, usu & experientia ipsa, quàm verbis meis discere. Monet porrò omnes Prædicans iste, *ut diu multúmque antè deliberent, quàm in Societatem sua dent nomina.* Agimus gratias pro admonitione, qua nemo eget; nam nos ipsi nullum Societati adscribimus, nisi sæpius monitum, & diu multúmque probatum. De Mendicantium Ordinibus, quibus Societas nostra annumeratur, & quos Historicus hoc loco perstringit, legat Polycarpus, quæ Bellarminus disputat; & si quid
Lib. 2. de Monach. cap. 45. & 46. contra habet, afferat.

Refutatio calumniarum in Bullam undecimam & duodecimam.

D BUllam undecimam, qua Pius V. confirmat Constitutiones circa contractus non capitulariter celebrandos, vix attingit Calumniator.
Pag. 205.

In duodecimam ab eodem Pio V. datam E mera mendacia & convitia evomit. In hac Bulla facit Pontifex nostris copiam legendi humaniores literas, Philosophiam & Theologiam publicè in Collegiis nostris, tam ubi sunt Universitates, quàm ubi non sunt. *Ubicunque ergo*, inquit Historicus, *ad Universitates veniunt, etiam non vocati, statim Cathedram ascendunt.* Mendacium. Nam Pontifex non dat nobis privilegium cathedras ascendendi in Academiis invitis Academicis, sed facit potestatem in nostro Collegio aperto ludo, literas docendi, etiam ibi, ubi alioqui sunt Universitates; multis enim locis non docemus in Academiis, sed in Collegiis, ita tamen, ut omnibus liber pateat aditus, etiam ex Pontificis privilegio; nam & hoc præter cætera concessit. *In scholis*, inquit Historicus, *nihil aliud legunt, quàm Ethnica, Thomistica, & Scotistica.* Mendacium hoc facilè agnoscent tot millia discipu- F lorum, quos in Germania passim habuimus, & adhuc habemus; ùt & illud: *Quòd nullius Auctoris textum integrè, vel ornatè, vel methodicè interpretemur.* Quanquam si loquatur iste de methodo interpretandi Rami, aut Philippi, fateor, nos hujuscemodi methodum non multùm curare. At quòd nobis Pag. 206. Sycophanta cum multa scurrilitate linguarum imperitiam objicit, id ex ipsius in nos odio, ùt & cætera, profectum censeri debet; Etenim sæpius jam, quàm Prædicantibus placeat, re ipsa ostendimus, & in posterum ostendemus, non solos Prædicantes linguarum cognitionem consecutos esse.

Refutatio calumniarum in Bullam decimam tertiam. G

IN hac Bulla concedit Pius V. Societati privilegia Ordinum Mendicantium, quæ omnia iste eò spectare putat, ut cutem curemus, hinc Bullam hanc joco scurrili nomi-
Pag. 207. nat (ein Freßzettel zu allen Mönchs Klöstern) diploma, quo in omnibus Monasteriis victum nobis paremus. *Nolebant*, inquit, *& adhuc renuunt Monachi, peregrinantes Jesuitas hospitio excipere, dicebant enim illis, vos ditiores estis nobis, habetis collegia & domos, ad illas divertatis, sed nunc à Papa impetrârunt, ut apud eos diversari volentes, recipere* H *cogantur.* Mendacium grande; nam primò in tota Bulla nullum est verbum, quo præcipiatur aliorum Ordinum Religiosis, ut nos peregrinantes hospitio excipiant; id enim ipsa charitatis lex scripta in singulorum cordibus præcipit, quam certè charitatem & benevolentiam aliorum Ordinum sæpissimè experti sumus, & adhuc experimur, quoties ad cœnobia divertimus, maximè in hac superioris Germaniæ Provincia, & plerique Prælati monasteriorum alumnos suos nostris Ingolstadii & Dilingæ erudiendos, bonisque literis informandos tradunt. Deinde, qui, quæso, *jubent nos ad nostra collegia*

A *divertere ?* Nam ſi quò veniamus, ubi Collegium domúmve Societas habeat, aliud hoſpitium non quærimus, imò ne quæramus, regulis noſtris interdicitur. Si autem via eò nos deferat, ubi noſtri non habitant, tunc certè ad noſtra Collegia non poſſumus ablegari. Qua ergo fronte Religioſos alioritatis nota convitiator onerat ? quem etiam ſcribere non pudet, *Bullæ hujus & privilegiorum finem alium non eſſe, quàm ut in Monachorum res & opes, vitam & doctrinam inquiramus, eósque Papæ deferamus, & aliquando bona eorum invadendi occaſionem captemus.*

B Incredibilem perverſitatem hujus hominis eſſe oportet, qui adeò nihil ſincerè unquam referat. Dat nobis Pius V. privilegia Mendicantium Ordinum. In his ſi omnia evolvantur, quotquot ſunt, nullum reperiemus, cujus præſidio alienas opes invadere liceat ; id enim non privilegium, ſed injuſta rapiendi licentia foret. At clam & quaſi per cuniculos id molimur. Sed hæc hæreticorum ſunt ſomnia & commenta. Nam ùt ſuprà dicere me memini, nôrunt Ordines nihil ſibi periculi à nobis imminere ; curate, ut à veſtra rapacitate tam immunes ſint, & vitam quietè tranſigent. Miror autem non rarò, quo ore iſti, qui tantam monaſteriis vaſtitatem & cladem paſſim intulerunt, quaſi fideliſſimi monitores &

C cuſtodes Cœnobiorum, tam ſollicitè Monachos ſemper commonefaciant, ut Jeſuitarum inſidias vitent, perinde profectò faciunt, ac ſi lupus ovi ſuaderet, ut alias oves fugeret, ni perire vellet. Notas in hanc Bullam mendacio cœptas, mendacio finit: *Jeſuitæ,* inquit, *nihil curant Monachorum ſive odium ſive amorem, velint enim, ſive nolint ; coguntur iis in omnibus omnia concedere.* Tam verum eſt hoc, quàm Polycarpum bonum & veritatis ſtudioſum eſſe virum. Amamus omnes Religioſos ùt noſtros in Chriſto fratres, & ejusdem militiæ commilitones, & viciſſim omni ope elaboramus, ut ab ipſis diligamur.

Pag. 207.

Refutatio calumniarum in Bullam decimam quartam.

D IN hac Bulla dat Gregorius XIII. Societati facultatem aſſumendi conſervatores & judices in quibuſcunque cauſis : *Hinc,* inquit Hiſtoricus, *tantis ſuperciliis, tanta licentia omnibus inſultant & impunè quidlibet agunt. Hinc proverbium inter Pontificios : ſi Jeſuita eſſes, impunè feciſſes.* Quantò ego rectiùs : *Si Diabolus ipſe eſſes,* vix deteriùs calumniari poſſes ; cui enim inſultamus privilegiorum noſtrorum fiducia ? Et qua impunitatis ſpe ea facinora deſignamus, quæ ſi alius patraret, graves pœnas lueret ? Nuſquam in omnibus Bullis dant nobis Pontifices poteſtatem quidpiam flagitiosè & licenter perpetrandi, & proverbium illud non E eſt Pontificiorum, ſed Prædicantium, ùt & alia, quæ hîc refers dicta, quod genus : *Mallem Papam ipſum, quàm Jeſuitas offendere : ſi mihi coram Papa cauſa agenda eſſet ; mallem Jeſuitas à meis partibus, quàm Chriſtum habere.* Támne hebetes Catholicos exiſtimâſti Polycarpe, ut non ſtatim odorarentur, ex qua officina ſententiæ iſtæ prodiêrint ?

Refutatio calumniarum in Bullam decimam quintam.

IN hac Bulla concedit Gregorius XIII. no- F ſtris facultatem horas extra chorum recitandi, Ordinésque ſacros ante ſolennem profeſſionem ſuſcipiendi, non obſtante Conſtitutione quadam Pii V. qua decretum Concilii Tridentini, quod incipit, *Cùm non deceat, &c.* ad Clericos Regulares non profeſſos extendit. Ait Hiſtoricus : *bene di-* Pag. 208. *cit Papa* RECITARE, *quia plerique illorum ùt pueri verba, non intellecta proferunt, & ſine mente lectionem recitant.* Potiſſima pars Breviarii, ſi neſciunt Prædicantes, ex Scriptura deſumpta eſt. Cùm igitur Scriptura tam clara ſit, ipſorum judicio, ut etiam à quovis ejus linguæ, qua ſcripta eſt, non ignaro, intelligi queat, cur, obſecro, putant nos Breviarium latinè ſcriptum non intelligere, cùm conſtet Scriptura, re clara, G facili, & ad intelligendum expedita, ùt Prædicantes opinantur ? neque enim omnem latinæ linguæ cognitionem nobis pro ſua prudentia adiment. Quod verò addit, *nos, cùm horas recitamus, canum inſtar diſcurrere,* convitium eſt Lutherano ſcurra dignum ; nam ipſa lectio & libri inſpectio, dum horas dicimus, curſum & diſcurſum prohibent. Fortè probarent hæretici preces noſtras, ſi horas ſimul in choro caneremus ? Nihil minùs. Ubicunque enim Deo perſolvantur, inviſæ ſunt hæreticis, & non Canonicæ, ſed *caninicæ ;* nam hoc nomine eas jam ſuprà appellavit caninus Hiſtoricus.

Cæterùm quòd Gregorius Pontifex ſacros H Ordines ante profeſſionem ſuſcipiendi, poteſtatem fecit, non obſtante Pii V. conſtitutione, *mirum non eſt,* ait Hiſtoricus, *poſteriores enim Pontifices plerumque præcedentis decreta tollunt.* At nôſſe debet miſer, poſteriores nunquam priorum decreta abrogare ſine gravi & legitima cauſa ; nam Pontifices ſæpè pro tempore nonnulla ſtatuunt, quorum deinceps progreſſione temporis contraria utiliora eſſe ſolent, & hominum moribus ingeniiſque convenientiora, & illi ipſi Pontifices, ſi tam diuturna lucis uſura obtigiſſet, experientia edocti, haud gravatè leges ſuas & ſanctiones reſcidiſſent.

Refu-

A *Refutatio calumniarum in Bullam decimam ſextam.*

IN hac Bulla dat Gregorius XIII. Societati varia privilegia circa uſum & lectionem librorum prohibitorum, non tamen, ùt mentitur Hiſtoricus, *bibliothecarios nos ſuos*
Pag. 208. fecit. Nam Bibliothecarius Apoſtolicus non Jeſuita, ſed unus ex Cardinalibus eſſe ſolet. Hoc primum hîc mendacium. Sequitur alterum. *Cùm Roma*, inquit, *redire vellem in Germaniam, vidi in Jeſuitarum ſtudentium collegio Romano à pariete affixum catalogum, qui nomina hæreticorum excommunicatorum & librorum non legendorum continebat. Similem vidi Senis, Landſpergæ, Auguſtæ, &c.* Extat Catalogus librorum prohibitorum juſſu Concilii Tridentini editus, & poſtea non ſemel auctus, hunc in Collegiis noſtris habe-
B mus, & ſæpius percurrimus, affixum tamen nunquam vidi in ullo Collegio. Fortè loquitur Calumniator de Bulla cœnæ Domini, quæ publico in loco toto anno proſtat, ut ſæpius à Sacerdotibus & Confeſſariis perlegi poſſit, quod ut ſuſpicer, proximè ſequentibus verbis adducor. *Hic catalogus*, inquit, *ſingulis annis renovatur, defuncti delentur, & novi hæretici inſcribuntur.* Bulla cœnæ Domini renovatur quotannis, non hæreticorum Catalogus, in hunc enim qui ſemel relati ſunt, ſemper in eo manent, cùm monumenta eorum, propter quæ catalogus conficitur, ſemper maneant. Utinam, pereuntibus auctoribus, perirent, cauſa nulla ſupereſſet, cur in hæreticorum catalogo portenta hæc retineremus, quæ apud inferos ſempiterna oblivione ſepeliri multò foret ſatius.

C Sed pergit mentiri, *Ut omnium*, inquit, *hæreticorum notitiam habeant, ad ſingulas nundinas ſocios ad hoc officium deputatos habitu ſæculari emittunt, qui libros nuper editos vel emunt, vel illorum titulos legunt, & nomi-*
Pag. 208. *na ſingulorum Scriptorum conſignant.* Mentitur impoſtor. Nam quid attinet ea de cauſa proprium hominem ad nundinas deſtinare, cùm catalogi omnium librorum, tam Catholicorum quàm Sectariorum, Latina & Germanica lingua bis in ſingulos annos ex mercatu Francofordienſi afferantur, & ultrò etiam nobis à Bibliopolis Auguſtanis offerantur? Ut taceam, noſtrum non eſſe hæreticorum catalogum novorum acceſſione locupletare.

D Dolendum verò quàm maximè, quòd in
Pag. 209. quibuſdam hæreticorum catalogis invenerit Hiſtoricus Ubiquiſticos, & (ùt à Beza honoris gratia nuncupantur) *Omnimajeſtaticos*
In reſponſo ad Acta Colloquii Mompelgart. Theologos & Myocephalos Tubingenſes, *Schmidelinum, Herbrandum, Hoſiandrum, Gerlachium, Magirum ſeu Cocum, Holderum & ſimiles Heroas.* Ex Philoſophis etiam *Schegkium & Cruſium.* Sed magis, opinor, doluiſſet, ſi in librum vitæ inſpexiſſet, neque ſuum, ulliúsve ex prædictis Prædicantibus E nomen in eo ſcriptum, notatúmque reperiſſet. Optandum certè eſſet, non modò iſtis, ſed & aliis honorificentiorem locum dari poſſe, ſed cùm hæretici ſint, & eſſe velint, non video, cur cum hæreticis numerari non debeant, juxta illud: *Similis cum ſimili, hæreticus cum hæretico.*

Landſpergæ, inquit Hiſtoricus, *in Bibliotheca vidi Chryſoſtomi & Hieronymi opera; in* F *iis voluminibus ea, quæ ipſis minùs Papiſtica videbantur, vel chartis obduxerunt, vel expunxerunt, vel atramento deleverunt.* Mentitur, nihil quod ſit Chryſoſtomi, nihil quod D. Hieronymi, ſed ſcholia & nugas Eraſmi, & in D. Chryſoſtomo nomina & præfationes, & appoſitiones quorundam malæ fidei interpretum delevimus, chartísque inductis teximus, ſalvis ubique Patrum verbis & ſententiis. Quod non tantùm in horum ſanctiſſimorum Patrum monumentis, ſed in aliis quoque facere neceſſe fuit. Nam Hæretici & Semicatholici nullum attingere poſſunt Patrem, quin gloſſas falſas & impias paſſim inſerant, inſtárque Harpyiarum contactu omnia fœdent.

Cæterùm facultas legendi hæreticos au- G ctores nequaquam omnibus promiſcuè apud nos permittitur, ſed iis, quibus judicio Superiorum concedenda videtur. Cujus hanc reddit Hiſtoricus cauſam, *quòd periculum ſit, ne qui per libros Evangelicorum convertantur, multos enim Jeſuitarum viris Evangelicis, & maximè Doctoribus favere, & illorum eruditionem & eloquentiam admirari.* Inſigne mendacium; quis enim Jeſuitarum, imò quis Catholicorum veſtræ doctrinæ favet? quæ ſanè tam eſt exigua, ut ſæpiſſimè miremur, ullos reperiri poſſe, qui vobis vel mediocrem eruditionis Theologicæ & Philoſophicæ laudem tribuant. Et ſanè quoties Schmidelinum, Herbrandum, Gerlachium, aliósque hujus notæ ſaperdas aſpicio, indignor ejuſmodi ſtipites & caudices cathedram Gabrielis aliorúmque olim doctiſſimorum virorum in Schola Tubingenſi obtinere, quorum iſti ne porcos quidem paſcere digni eſſent, homines ex mendaciis & ignorantia tanquam ex genere & differentia compoſiti, quóſque, licèt Doctorum titulo valde ſuperbiant, Gabriel & alii olim Tubingenſes Theologi, ne ad Baccalaureatum quidem Biblicum unquam admiſiſſent.

Quod attinet ad eloquentiam, nullam pe- H nitus in vobis agnoſcimus, tantum abeſt, ut vos tanquam eloquentes prædicemus, niſi inanem quandam linguæ volubilitatem, verborúmque barbaram profluentiam, eloquentiam nominare velimus.

Addit Hiſtoricus; *Si qui Apoſtatæ ad eos tranſeunt, his nullum librum Evangelicorum, nec ſacra Biblia concedunt.* Mendacium;

A nam Biblia omnibus, qui latinè nôrunt, permittuntur. Libros vestros cur omnes legerent, non sine temporis certissima jactura? & certè modica voluptas est versari in quisquiliis Lutheri, quas ne attingeremus quidem, nisi veritatis gratia, effrænis vestra petulantia aliquando coërcenda esset.

B *Illis*, inquit, *Evangelicorum librorum legendi copiam tradunt, quos sciunt, puritatis Evangelicæ prorsus ignaros esse, & Lutheri nomen toto pectore execrari.* Vestram puritatem Evangelicam vobis minimè invidemus, ea gaudeatis licet. Lutherum non modò illi, qui vestras chartas evolvunt, sed & alii tanquam flagitiosum hæresiarcham totis præcordiis abominantur. Quòd si putat Historicus, neminem nisi Lutheri amicum, & munditia Lutherana mundum, mysteria Lutheranorum intelligere posse, valde profectò fallitur.

C Pag. 210. Sed ait: *Hi quando in nostrorum libris legunt, nihil cogitant, nihil meditantur, nihil quærunt, quàm artem calumniandi, & sinistrè interpretandi.* Videtur Historicus describere, qua mente & ratione Prædicantes accedere soleant ad lectionem & examen librorum Catholicorum. Sed refellitur mendacium hoc tribus Tomis Bellarmini, & plurimis libris Gregorii de Valentia, qui nuper uno volumine excusi prodiêrunt, ut de aliis nostræ Societatis Theologis nihil dicam, quos argumenta & fundamenta Sectæ vestræ diligentiùs expendisse, & Lectori etiam fideliùs & artificiosiùs proposuisse constat, quàm vos ipsi velitis & possitis. Convitia in Gregorium de Valentia hîc jacta, mutuatus est Historicus à suo Præceptore Herbrando. Scilicet Sophista est, qui istos ad formam Syllogisticam adigit, & ratiocinari docet, omissis concionatoriis declamationibus & digressionibus.

D *Si quis*, inquit Historicus, *vel secum vel apud alium habeat aliquem librum Lutheri, & id Rector resciscat, mox audit, esse eum hæreticum, & nisi eum in præsentia aliorum comburat, Inquisitori traditur, vel excluditur, vel diris pœnitentiis affligitur.* Apud Catholicos sub excommunicatione prohibitum est, ne quis fabulas vestras sine majorum permissu legat. Decretum hoc, ùt ab aliis, ita & à nobis diligenter custoditur. Quare non patimur, ut quis injussus libros vestros vel apud se, vel apud alios habeat. Nam sermo vester serpit ùt cancer, & inficit ùt pestis. Quid hîc criminis? quid flagitii? Nónne apud vos prohibentur quoque libri Zvvinglianorum & Calvinianorum, & fortè etiam Catholicorum? Sed ajunt Tubingenses: *hæc Principum suorum pia mandata* (quibus libri Zvvingliani & Calviniani vetantur) *excusari exemplis Theodosii, Valentiniani & Martiani piissimorum Imperatorum, qui edixerunt, ne quis Nestorii, Eutychetis & Apollinistarum libros describeret aut legeret.* Rectè sanè. Sed liceat nostris quoque Principibus Ecclesiasticis & Politicis eorundem Imperatorum exemplo, interdicere lectione vestrorum quoque librorum, ô Lutherani, ac proinde ob hoc interdictum convitia jacere tandem desinite. Nam quod Theodosius, Valentinianus, & Martianus fecissent, si illorum ætate Lutherani vixissent, id faciunt nunc, eorum loco, Orthodoxi Principes, quamvis ad libros vestros prohibendos nova lege minimè sit opus, cùm antiquas contra vos quoque sanxerint veteres Imperatores, neque video, quid aliud requiratur, quàm ut in legibus illis cum Eutychianistis & Apollinaristis conjungantur nomina Lutheristarum & Ubiquistarum. Quo facto jam libri vestri nominatim proscripti erunt.

Vide L. Ariani, L. Damnato, L. Quicunque C. de Hæreticis.

E

F Mentitur porrò, cùm scribit, *vetitum esse, ne quis Lutherī mentionem faciat, vel Lutheranorum de fide colloquia in medium producat.* De quo mendacio alibi dictum est. Sequitur aliud. *Si quibus legendi nostrorum libros copia datur, prima pagina & nomen Auctoris ex libro illo expungitur.* Veniant & videant Prædicantes, si placet, mendaciúmque clarè deprehendent. Solemus quidem delere nomina & excindere, si quæ offendunt pietatem, sed in iis tantùm libris, qui alioqui boni sunt & utiles & permissi. Vestros relinquimus integros, quia emendari nequeunt, nisi à Vulcano; cui tamen correctori eos nondum committimus, ut serviant nobis ad profanas vestras novitates redarguendas, nisi ejusdem fortè libri plura, quàm velimus, suppetant exemplа, tunc enim superflua in cineres vertimus. Tempus veniet, cùm flamma vorax omnes vorabit, ùt & aliorum hæreticorum olim libros. Ubi enim jam sunt libri Fausti, Arii, Donati, & similium Prædicantium antiquorum? Requiescunt cum suis auctoribus in pice.

G Necdum finis mendaciorum. *Si quæ suis*, inquit, *ex libris Evangelicorum proponunt, vel antecedentia, vel consequentia, vel media omittunt, tantùm ea excerpentes, quæ pro ipsis facere videntur.* Mendacium. Provoco ad Tomos Bellarmini, & Gregorii de Valentia, & Turriani, & aliorum. Judicet Lector, qua fide adversariorum verba proposuerint. Et te ipsum, Polycarpe, judicem lego, num Leporini tui Molitoris sententias fideliter recitem. Utinam ipse tali sinceritate res nostras literis mandâsset; nisi fortè cupitis, ut in nostras Apologias tota volumina vestra, quanta quanta, cum omnibus ineptiis & alogiis referamus, quod nobis perquam incommodum vobísque parùm honorificum foret.

In Refut. consensus Calvinistici. pag. 14.

H Porrò etsi Historicus in hanc Bullam multa, eáque valde crassa mendacia evomuit, hoc tamen, quod subjungitur, reliquis palmam præripit: *Concedit illis Papa*, inquit Histo-

A Hiſtoricus, *facultatem emendandi ſcripta Patrum.* O ſummam impudentiam! Ubi vel unicum de hac re in tota Bulla verbulum? Patres correctione noſtra non egent. Gloſſas, annotationes, ſcholia & cenſuras veſtras, Patrum monumentis, ùt plumbum auro, ſuperadditas, tollendi & obliterandi dat Pontifex potestatem, non aliam. Quòd ſi interdum Auctores Catholici ex antiquis manuſcriptis codicibus Patrum lucubrationes ab erroribus librariorum vindicant, id multò feliciùs & ſinceriùs præſtant, quàm vos & veſtri ſimiles. Cui rei documento ſunt opera D. Auguſtini, à Lovanienſibus Theologis: & D. Hieronymi à Reatino Epiſcopo: & D. Cypriani & Tertulliani à Pamelio publicata & cum antiquis calamo exaratis exemplaribus comparata.

B Pag. 211. *Eandem,* inquit Hiſtoricus, *facit illis Papa copiam in ſcholaſticorum ſuorum libris, quos conſimili dolo & fraude corrumpunt.* In eorum, qui ſcholas noſtras adeunt, libros eam nobis dat poteſtatem, ut nomina & ſcholia hæreticorum, ſi pietati, bonísque moribus obſint, expungamus. Deinde ut ſiquid honeſtati, vitæque ſanctimoniæ minus convenienter ſcripſerunt veteres, quorum multa, præſertim in Poëtis occurrunt, id obliteremus, ne tenera ætas ſponte ſua in vitium cerea, his incitamentis magis ad flagitia inflammetur. Quod qui culpat, is hoc ipſo morum bonitatem ſibi in poſtremis eſſe, declarat; quid enim ſcelerum ex turpi lectione non imbibit & concipit juventus, ſi ſine delectu quoſvis auctores legat?

C Pag. 212. Quæ deinceps ſequuntur, mera ſunt mendaciis permixta, partim in nos, partim in Pontificem convitia, ſilentio prætereunda, neque ullo reſponſo dignanda.

Non poſſum tamen præterire inſignem Hiſtorici noſtri, vel potiùs Polycarpi in Jure Canonico peritiam, quæ ſanè tanta, ut ſuſpicer Lauſerum volumina Juris Pontificii ne vidiſſe quidem, nedum legiſſe, & ſi alvearia, vel potiùs fimeta ſceleſtiſſimi auctoris Apiarii non expilâſſet, nihil habiturum fuiſſe, quo hîc chartas repleret. Ait ergo: Parte 2. cap. 10. *Pontificem vocant ex Jure Canonico æternæ vitæ clavigerum, & cœleſtis imperii jura habentem.* Pag. 213. Magnum crimen. Nicolaus II. tribuit nomen hoc & elogium beato Petro, ùt refertur apud Gratianum d. 22. Can. *Omnes,* & non, Can. *Sacroſancta,* ùt hallucinatur Polycarpus. Non injuriâ ergo transfertur ad omnes D. Petri ſucceſſores, officio & poteſtate pares.

D *Eundem,* inquit Hiſtoricus, *vocant Caput, principium tenens Apoſtolatus, reliquis omnibus præſidentem.* Verba Anacleti Pontificis & Martyris antiquiſſimi, hæc ſunt d. 22. Can. *Sacroſancta,* & non d. 19. ùt perperam citat Polycarpus. Nam in ea diſtinctione nullus Canon ex Anacleto adducitur. *Inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio poteſtatis, & licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, Caput & principium teneret Apoſtolatus.* Multa nugantur Hæretici, & præſertim auctor Apiarii Lucianiſta, de hoc vocabulo *Cephas,* quaſi malè ab Anacleto reddatur *Caput.* Sed à plurimis jam dudum accuratè ſolidéque reſponſum eſt, præſertim à Turriano contra Magdeburgenſes. Cæterùm *ſi Petrus caput fuit aliorum, ſi principium tenuit Apoſtolatus, ſi reliquis omnibus præſedit,* ùt S. Anacletus affirmat, non video, cur de D. Petri ſucceſſoribus non verè idem affirmemus, cùm eodem jure gaudeat ſucceſſor, quo anteceſſor. Lib. 2. pro epiſt. Pontif. cap. 3.

E

F *Ajunt,* inquit Hiſtoricus, *omnes ſanctiones Pontificis, utpote Apoſtolicæ ſedis, accipiendas eſſe tanquam ipſius Petri divina voce firmatas.* Apud Gratianum d. 19. Can. *Sic omnes,* non legitur; *divina voce,* ſed divini Petri voce. Hoc primùm. Deinde, cur Prædicantibus mirum videtur, reſponſa & juſſa Pontificum firmari voce Petri, cùm firmentur illis vocibus Chriſti: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Paſce oves meas, &c.* Matth. 16. & Joan. 21.

Ajunt, inquit Hiſtoricus, *illius Juga vix ferenda, tamen ferenda, & pia devotione toleranda.* Dixit hoc non Pontifex, ſed teſtis omni exceptione major Carolus Magnus Imperator ſemper Auguſtus, & refertur d. 19. Can. *In memoriam,* quamvis Burchardus id citet ex Concilio Triburienſi Can. 30. ubi etiam extat. Clarè autem colligitur hinc, primum Germanorum Imperatorem Carolum Magnum, non fuiſſe Lutheranum, quippe qui *in memoriam B. Petri Apoſtoli* ſanctam, Romanam & Apoſtolicam Sedem adeò obſervari voluerit, ut importabilia quoque onera, ſi ab ea impoſita fuiſſent, prompto & alacri animo ferenda duxerit. Heu quantum degeneres poſteri à tanti Herois pietate deflexerunt, qui etiam æquiſſima Sedis Apoſtolicæ imperata tanta inſolentia facere detrectant.

G *Ajunt,* inquit Hiſtoricus, *quicquid ſtatuit Pontifex, quicquid ordinat, perpetuò & irrefragabiliter obſervandum eſſe.* Dixit hoc Stephanus Pontifex, & habetur apud Gratianum d. 19. Can. *Enimverò* neque ſine auctoritate Chriſti Domini id aſſeruit. Nam oves ſuum paſtorem in omnibus, quatenus paſtor eſt, audire debent.

H *Ajunt,* inquit Hiſtoricus, *Pontificem de omni Eccleſia habere fas judicandi, & jus reſolvendi, neque cuiquam licere, de ejus judicare judicio, vel ab illo appellare.* quæ ferè ſunt verba Gelaſii Pontificis, 9. q. 3. Can. *Ipſi.* Conſentit Canon, *Nemo.* Et Canon, *Patet.* Et Canon, *Aliorum.* eadem cauſa & q. Et cauſa 17. q. 4. Can. *Nemini.* Et Cap. *Solitæ,* Extra de Major. & Obedien. &

A ejusdem argumenti Bonifacii VIII. *Extravag.* Quos Canones Hæretici omnes, & præsertim Lucianicus auctor Apiarii tanquam licentiæ Pontificiæ & impunitatis testes semper in ore habent, & tam securi obtrudunt, ac si Catholici nihil unquam de ea quæstione scripsissent, qua quæritur: *Utrum summus Pontifex ab aliquo judicari possit.* Refutare debebant Polycarpus, & qui nunc scriptitare occipiunt novelli Prædicantes ea, quæ super hac re disputavit Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 26. & aliquot sequentibus, ubi omnes hæreticorum fumos & nebulas luce veritatis disjicit.

B Offenditur præterea Historicus Canone quodam à Gratiano d. 40. ex S. Bonifacio Martyre & Apostolo Germaniæ relato, his verbis: *Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis, &c. hujus culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Sed quare offenditur Hæreticus, nisi quia cum suis Lutheranis longè alio animo est in Sedem Apostolicam, quàm fuerit Bonifacius noster Apostolus, à quo profectò isti non didicerunt atrociſſimas blasphemias, quas nunc virulentis buccis in Pontificem conjiciunt.

C Addit Historicus, *profiteri nos, totóque mundo & omnium judicio neglecto sententiæ Papæ standum videri*, citátque Cap. *Significâsti.* Extra de Elect. Verùm neque in ipso Capituli textu, neque in Glossa id habetur, tantùm negat Paschalis Pontifex, Romanæ Ecclesiæ legem ulla Concilia præscripsisse, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint. Deinde fatemur, omnium, si omnes dissentiri possent, judicio neglecto, Pontificem audiendum esse in rebus fidei.

D Extat Glossa quædam in Cap. *Quanto.* Extra *de Translatione Episcopi*, in illa verba Innocentii III. *Pontifex non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris*; quam hîc propter impuri Historici & aliorum intolerabiles calumnias describere operæ pretium fuerit. Sic autem habet. *Unde dicitur habere cæleste arbitrium, C. de summa trin. l. 1. in fin. & ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii. arg. C. communia de leg. l. 2. & de nihilo potest aliquid facere, C. de rei uxo. act. l. unica. in princi. & de conse. dist. 2. revera, & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam. 3. q. 6. hæc quippe, quia in his, quæ vult, ei est pro ratione voluntas. Instit. de jure natu. §. sed quod principi, nec est, qui ei dicat, cur ita facis. de pæ. dist. 3. §. ex persona. aliàs est c. quamvis, ipse enim potest, supra jus dispensare. infra de concess. præ. c. proposuit. Idem de injustitia potest facere justitiam, corrigendo jura & mutando. infra de appella. cap. ut debitus, & infrà de consang. & affinit. cap. Non debet, & plenitudinem obtinet potestatis. 2. q. 6. c. decreto.* Hactenus Glossa. Ecquid, oro, à ratione alienum continet, si oculis sinceris, non lividis aut hæreticis aspiciatur? *Tota hæc Glossa*, inquit Additio Gregoriana, *vix aliquid explicat propriis verbis: quòd si bene intelligatur, vera astruit: nam de nihilo aliquid facere est jus novum condere: & de injustitia justitiam; intellige per constitutionem juris: & immutare substantiam rerum accipi debet in his, quæ sunt juris positivi; & ita loquuntur jura, quæ citantur.* Sed nisi isti rectè quoque dicta depravarent, & perverterent, scurrilibúsque jocis & cachinnis traducerent; utique Hæretici non essent. E

Refutatio calumniarum in Bullam decimam septimam. F

HAc Bulla concedit Societati Gregorius XIII. facultatem suis & aliorum Ordinum privilegiis suo more utendi, ac Præposito illa per se vel alios communicandi potestas datur. Historicus præter mendacia nihil omnino affert. Numerabimus illa ordine, in gratiam eorum, qui lectione Heliæ delectantur. Pag. 214.

Primum mendacium est, *quòd quocunque in regno Pontificio perveniamus, nemo dicere audeat: Quis vos vocavit? quid facitis?* G

Secundum mendacium est, *nos si quid tale audiamus, statim proferre Bullas, quarum intuitu Papicolæ terreantur, ùt leones galli cantu & fulgore ignis.*

Tertium mendacium est, *quòd Pontificii ùt Divos quosdam nos excipiant.* Nec Divi sumus, nec Divorum honores affectamus. Etsi fateor nobis à Catholicis longè plus honoris & reverentiæ deferri, quàm vobis Prædicantibus à vestris Luthericolis.

H Quartum mendacium est, *quòd nosmet ipsos vocemus viros Apostolicos & Apostolorum imitatores.* Audivítne quispiam ex ore Jesuitæ tam arrogantem titulum? conamur quidem, ùt & omnes alii Religiosi, Apostolorum imitatores esse (non enim frustrà scripsit illud D. Paulus: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi*) sed aliud est conari, aliud est insolenter prædicare, se vitam Apostolicam sectari, & Apostolorum vestigiis insistere. Quòd si in quibusdam locis, ùt in Lusitania & India, nostri Patres appellati sunt *Apostoli, & viri Apostolici*, id pio Catholicorum Zelo condonandum est, aut litem illis intendat Polycarpus, ne id faciant. Hoc certum est, neminem nostrûm hanc appellationem sibi tribuere. Unde impudenter etiam mentitur Auctor Apiarii, cùm scribit, *primos duodecim socios Ignatii*, ab ipso Ignatio appellatos esse suos Apostolos. Duplex mendacium. Non enim duodecim, sed novem tantùm primò socios habuit, 1. Cor. 11. Parte 1. cap. 2.

buit, & ipſe Ignatius decimus fuit, quos omnes, *primos decem Patres* appellare ſolemus.

A Quintum mendacium eſt, *nos dictitare ſolitos: Ego ſum Jeſuita*, id eſt, *Salvator.* Certè nomenclaturam hanc ex officinâ noſtra non prodiiſſe, facilè quivis animadvertet. Initio ſuæ Hiſtoriæ varias eásque valde ludicras notationes hujus vocis, *Jeſuita*, attulit. Nunc ſpecioſam adducit: quia eam ſentit eſſe ad calumniam magis idoneam. Cap. 2.

B Sextum mendacium eſt, *nos ad aliorum loca venientes, dicere: En nos non ſumus mortales, ſimiles vobis, ſed ſumus Domini de laudabili Societate JESU, Salvatores, Legati Pontificis Romani.* Vix impetro à me, ut credam, Hiſtoricum hæc ſcripſiſſe ſobrium: ſi non vino, minimùm certè cereviſia Saxonica bene tinctus erat. Nam quis mentis compos audeat talia mendacia, cuivis in promptu poſita, infelici papyro illigare? Pag. 215.

C Septimum mendacium eſt, *nos januam Collegii nemini aperire, niſi munera afferat, & non qualiacunque, ſed grandia, ùt tauros, vaſa argentea & aurea.* Mendacium hoc refutari poteſt à plurimis Catholicis & Lutheranis, qui quotidie Collegia noſtra ingrediuntur & egrediuntur ſine ullis muneribus; & cùm prima vice Hiſtoricus iſte in Collegium Ingolſtadienſe intromiſſus eſt, neſcio, quibus vaſis aureis & argenteis aditum impetraverit, neque tauros vidi ullos; eram enim tunc Ingolſtadii, niſi fortè Polycarpi judicio tauri ſint pediculi, quibus pannoſus Magiſtellus obſitus venit.

D Octavum mendacium eſt, *P. Jacobum Cruſium conqueſtum, quòd pro remuneratione ſtrenæ non accepiſſent Landſpergenſes à Sereniſs. Bavariæ Duce Gulielmo bovem*, ſcilicet preces cauponamur, juxta illud: *Do, ut des.* Tu verò tandem mendaciis pone modum; nam ea Sereniſſimi in Societatem noſtram, & præſertim in Collegia Bavarica, perpetua munificentia & liberalitas eſt, ut nullam noſtris precibus & officiis vicem liberaliſſimo Principi reponere poſſimus; tantum abeſt, ut conqueramur pia noſtra ſtudia dignè non compenſari. Quicquid enim agimus, minus eſt tanti Principis in nos promeritis. Idem reſponſum habete de Illuſtri Comite ab Helfenſtain, &c. Svvickhardo Ducali Præfecto Landſpergenſi, &c. Quanquam quid opus eſt refutare Hiſtoricum, & mendacium hoc à P. Cruſio amoliri, cùm id ipſemet egregiè præſtet? *Anno 1582.* inquit Helias, *cùm Landſpergenſes xenium miſiſſent, neque circa Bacchanalia remunerationem recepiſſent, ajebat Cruſius Rector: Noſtri fratres hoc anno non tam bene quàm ſuperiori ſuam locârunt ſtrenam. Nam præterito anno accepimus à Principe loco ſtrenæ bovem, quocum ſplendidè peregimus Bacchanalia. Hoc anno carere cogimur.* Qua fronte Hiſtoricus iſta ſcribit, cùm anno 1582. circa Bacchanalia, tum videlicet, cùm hæc à P. Cruſio dicta mentitur, inter ſuos Lutheranos adhuc vixerit, & necdum Ingolſtadium, nedum Landſpergam ad Novitiatum venerit, ut omittam ipſa verba, quibus Helias utitur, nihil niſi mendacium & calumniam olere. E

Nonum mendacium eſt, *Religioſorum ordines in Eccleſia propemodum eſſe innumeros.* Atqui multò citiùs eos numeraveris, quàm arenam maris aut ſtellas cœli. Pag. 216.

Decimum mendacium eſt, *Religioſorum Ordinum præcipua privilegia eſſe, otiari, vorare, potare, amare miſſare, & omnia ſcelera impunè perpetrare.* Voluit, opinor, Hiſtoricus privilegia Prædicantium nobis ob oculos ponere; omnia enim hæc, præter *Miſſare*, propria ſunt Prædicantibus *quarto modo*, ne dicam omnino eſſentialia. Hinc tam multi Catholicorum deſertores, quibus Religioſa diſciplina gravis fuit, dant nomina in Ordinem Prædicantium. Appoſitè D. Baſilius, *Si quem*, inquit, *Monachum viderint* (Prædicantes) *non omnino crudeliter corpus tractare, ſed in parte ſaltem aliqua præſentem indigentiam curare, convitiantur ac calumniantur, & helluones ac ingluvioſos appellant; contumeliam ac debacchationem contra unum in omnes extendentes; non reputantes, quòd ipſi bis, aliqui etiam ex ipſis ter in die cibum capientes & eduliis craſſiſſimis & pinguiſſimis, ingentique carnium mole ſeipſos exſatiantes, & vini immodicam copiam infundentes, ſic ad menſas hiant, velut canes poſt longam famem à vinculis emiſſi.* Hæc de Prædicantibus noſtris D. Baſilius. F In Conſtit. Monaſt. cap. 6.

Undecimum mendacium eſt, *reliquis Pontificiis ſacrificulis injunctum, ut quisque ſe intra Parochiæ ſuæ limites contineat, neque concionando, neque miſſando, neque confeſſiones excipiendo ad alias Parochias evagetur: Jeſuitis verò dari poteſtatem, ubivis locorum, quidvis faciendi.* Mendacium eſt. Nam nonnullis aliorum etiam Ordinum conceditur poteſtas verbum Dei ubique explicandi & Sacramenta adminiſtrandi. G

Duodecimum mendacium eſt, *noſtros ditioribus in confeſſione exiguas pœnitentias imponere.* Metimur mulctas delictis. Hinc cuivis indicitur pœna, quam meretur, ſive opulentus ſit, ſive inops. H

Decimum tertium mendacium eſt, *nos pueros in ſcholis & plateis nummulis donatis ad nos allicere.* Nos nec nummos nec nummulos habemus privatim, quare nullos eſcæ loco diſtribuere poſſumus, niſi fortè loquatur Hiſtoricus de æreis, iísque conſecratis numiſmatis & imagunculis, quibus pueros interdum donamus, ut ad ſtudium Chriſtianæ doctrinæ & pietatis vehementiùs incitentur.

Decimum quartum mendacium eſt, *pleroſque ſeniores Papicolas fugere Jeſuitas & ſuſpectos*

A *ſpectos habere;* quomodo enim nos ſuſpectos habent & fugiunt, cùm liberos ſuos diſciplinæ noſtræ libentiſſimè committant? Quòd ſi qui reperiuntur, nobis minùs æqui, id fit; aut quia rerum noſtrarum ſunt ignari; aut quia veſtris calumniis inducti animum à nobis abduxerunt; aut quia vanos de nobis rumores & à levi vulgo confictos nimiùm creduli & avidi aucupantur; aut quia mores ſuos non ſatis compoſitos moribus noſtris vident eſſe contrarios.

B Decimum quintum mendacium eſt, *Jeſuitas applicare ſe omnibus, cum Græcis græcizando, cum Cretenſibus mentiendo & cum lupis ululando.* Omnibus omnia fieri conamur, ſed in rebus bonis, honeſtis & licitis, vel certè in adiaphoris ad bonum finem relatis, idque exemplo Apoſtoli, qui *Judæis factus eſt Judæus, & his, qui ſine lege erant, tanquam & ipſe ſine lege eſſet,* ut omnes lucrifaceret. At græcari, mentiri, ululare cum hæreticis lupis, & ſimilia, non ſunt licita, nec honeſtari poſſunt relatione ad bonum aliquem finem: quo fit, ut non liceat ſeſe cum quoquam in his conformare.

1. Cor. 9.

Pag. 217. Decimum ſextum mendacium eſt, *nemi-nem tam eſſe audacem, qui Jeſuitas in aliorum Parochias involantes prohibeat.* Imò verò vel unus Parochus obſtare poteſt; nam Parochis invitis nunquam miniſteria noſtra exercemus; niſi id velit ille, cui Parochus proximè ſubjectus eſt: cujuſmodi eſt Vicarius, vel loci Ordinarius. Nam privilegia ubique Sacramenta diſpenſandi, & Evangelium prædicandi, ſemper clauſulam hanc adjunctam habent, *ut quoad fieri poteſt, fiat Parochis & Epiſcopis locorum benevolentibus.*

C Decimum ſeptimum mendacium eſt, *Sacerdotes concubinarios prodi à noſtris Epiſcopo, & hinc inter nos & Sacerdotes nullam amicitiam eſſe.*

Decimum octavum mendacium eſt, *nos ſi donis corrumpamur, celare tempore inquiſitionis & capitulorum flagitia Sacerdotum.* Ab hoc & priori mendacio non gravatè nos liberabunt omnium, ùt ſpero, Sacerdotum Capitula, cum quibus tam parùm negotii habemus, quàm parùm Helias & Polycarpus cum veritate, qui ejus adeò negligentes ſunt, ut eam videantur abjurâſſe, & capitali odio perſequi.

Refutatio calumniarum in Bullam decimam octavam.

D Pag. 217. UT Mendacia & calumniæ, quibus Hiſtoricus nos hîc inſectatur, omnibus innoteſcant, non erit abs re deſcribere hîc totam hanc Bullam, qua Gregorius XIII. noſtris, qui medicinæ periti ſunt, medendi facultatem tribuit, citra tamen aduſtionem & inciſionem per ſe ipſos faciendam, ſic igitur Pontifex.

Unigeniti DEI Filii, Redemptoris noſtri E
JESU CHRISTI vices, licèt immeriti, gerentes in terris, animarum ſalutem, quibus poſſumus mediis, ſedulò procuramus. Cùm itaque, ſicut experientia compertum eſt, Chriſti fideles ad Religionem & pietatem plurimùm moveantur, ſi ſpirituales & religioſas perſonas in ipſos, & alios, charitatis officia non ſolùm ad animarum, ſed etiam corporum ſalutem, exercere experiantur; In Societate autem JESU, ſicut accepimus, non deſint aliqui Religioſi, Medicinæ periti, quorum opera maximè in regionibus, Medicorum penuria laborantibus, dum ſæpè ad infirmis ſpiritualia exhibendum officia, & animas juvandas vocantur, etiam ægris corporibus curandis poſſet eſſe perutilis, & id pietatis opus in animarum quoque non modicam ædificationem, & omnipotentis DEI laudem redundaret. Ut igitur Religioſi præfati id, absque aliquarum cenſurarum ſeu pœnarum incurſu, & conſcientiæ ſcrupulo valeant exercere; Omnibus & ſingulis præfatæ Societatis JESU Religioſis, Medicinæ peritis, nunc vel in futurum pro tempore exiſtentibus, ut de ſuorum Superiorum licentia, quibuscunque perſonis infirmis, ſive illæ ejusdem Societatis Religioſi, ſive extranei & ſæculares fuerint, absque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, aut aliquarum cenſurarum & ſententiarum Eccleſiaſticarum, vel aliarum pœnarum incurſu, citra tamen aduſtionem & inciſionem per ſe ipſos faciendam, mederi liberè & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, quando tamen Medici ſeculares commodè haberi non poſſunt, indulgemus: & ad id licentiam & facultatem eis concedimus, & impartimur. Non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Societatis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Hactenus Bulla Gregorii XIII. Mentitur ergo Hiſtoricus, cùm nugatur, *nos ceu tonſores, & balneatores, & chirurgos, & medicos, adeóque circumforaneos, aliis ordinariis medicis nihil obſtantibus, liberè evagari poſſe, medendi gratia.* Iterum mentitur, cùm ſcribit: *cauſam impetrandi hujus diplomatis fuiſſe avaritiam, ne cogeremur legitimis Medicis juſtum ſolvere.* Neceſſitas partim cauſa fuit, ô Sycophanta, partim decentia, ùt in Bulla dicit Pontifex. Nam multis in locis noſtri vix, ac ne vix quidem Medicos reperire poſſunt, quantumvis magno oblato ſtipendio, præſertim inter infideles in India & Japonia. Tali Medicorum penuria æquum non erat noſtros, ſi qui artem medendi nôſſent, deeſſe noſtris & externis ægrotantibus. Quamobrem ut munus hoc ſecuriùs obirent, ſi res ita poſtularet, ſummi Pontificis accedere debuit auctoritas, quæ conſcientias perturbatione & religione ſolveret.

F

G

H

Ne-

A Nefandum porrò mendacium eſt, *nos medicos externos fugere, ne morbos nefandos revelare cogamur.* Liberi beneficio Dei à morbis nefandis hactenus fuimus, quare nihil cauſæ fuit, cur Medicorum conſpectum fugeremus. Cujus rei non unum, ſed plurimos Medicos etiam Proteſtantes, quorum operâ uſi ſumus, & quotidie adhuc utimur, teſtes laudare poſſumus; neque enim his locis ea eſt Medicorum raritas & infrequentia, ut reperiri nequeant; Quorum patroni, *non Dii*, ùt calumniatur nebulo, ſunt ſancti Coſmas & Damianus, quos ait, *Romæ Auguſtum habere templum, ad quod Jeſuitæ ſæpius peregrinentur.* Magnum ſanè crimen, Memorias Martyrum pietatis gratia adire, dignúmque, quod nobis hîc ab Hiſtorico objiciatur. Quod autem criminator ait, nos dicere ſolitos, *alterum ex prædictis Sanctis, unguenta ſuffuratum, & alterum eadem gratis aliis diſtribuiſſe*, ſcomma eſt Lucianicum, digniſſimum contemptore DEI Sanctorúmque omnium.

B *Refutatio calumniarum in Bullam decimam nonam.*

IN hac Bulla eximit Gregorius XIII. Societatem à publicis ſupplicationibus & proceſſionibus, quas funeſtus Calumniator *funeratas aſſociationes* nominat, repetens, quas ſuprà jam attulerat, nugas plus quàm aniles, videlicet, *nos Papæ coryczos & proditores eorum eſſe, qui ſe minùs decenter in ſupplicationibus gerant.* Sed ſuprà jam reſpondi, iſtos malè ſibi conſcios, ubique coryczos, lictores, inquiſitores, rotam, rogum, flammas, & ſimilia ſupplicia ſomniare, & quaſi præſentia oculis intueri, ùt matricida Oreſtes furias tædis ardentibus armatas.

Pag. 218.

Refut. cap. 4.

C Evangelicus ruſticus, qui in Parochia Landſpergenſi parùm Evangelicè ſeſe geſſerat, meritò impietatis pœnas dedit, conjectus in carcerem, pecuniáque mulctatus. Sed quî, quæſo, noſtrorum impulſu, cùm, ùt ipſe Hiſtoricus ſcribit, noſtrorum precibus vinculis ſit ſolutus, in quæ etiam antea detruſus erat, quàm noſtri ſcirent, quid in Parochia vino & Evangelio Lutherano ebrius homunculus perpetrâſſet? neque noſtris monitis hac in re Catholicus Landſpergæ Magiſtratus eget, ſcit, quæ ſuæ ſint partes, quæ munera. Sed quicquid uſquam contra Lutheranorum petulantiam geritur, id ſcilicet impulſu Jeſuitarum, judicio Prædicantium, geritur, aliàs Prædicantes mentiendi & calumniandi argumento deſtituerentur.

D Quinque reliquas Bullas (nam viginti quatuor ſe legiſſe ait) intactas præterit Hiſtrio, non malo conſilio. Nam ſi eas attigiſſet, mendacia mendaciis, & calumnias calumniis addidiſſet.

Pag. 219.

Perorat tandem Hiſtoricus, & capiti huic finem imponit; garriens neſcio quid de libertate & puritate Evangelica, Evangelicósque ad conſtantiam & ad mortem pro Evangelio intrepidè obeundam ſermone Lutheranis Prædicabilibus uſitatiſſimo cohortans: *Morti*, inquit, *propter Papæ tyrannidem & Jeſuitarum impoſturas Monachorúmque dolos & perſecutiones, velut oves mactationi deſtinatæ quotidie ſubjecti ſumus.* Ridiculè. Vósne oves? hirci eſtis, vos Prædicantes, & quidem ipſis averni faucibus graveolentiores. Ne, quæſo, blandiamini vobis ovium appellatione, pluſquam ſpecie differtis ab ovibus, adeò nihil ovinum ovillúmque in vobis apparet, omnia veſtra non tantùm interna, ſed & externa hircina ſunt. *Sed nihil novi*, inquit, *nobis accidit, ea ſors fuit Eccleſiæ in hoc mundo inde à prima rerum origine, unde & verſiculi iſti conſcripti ſunt:*

Sanguine mundata eſt Eccleſia, ſanguine cœpit,
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

E

Quàm conſolatoriè? Cuperem tamen ſcire, quorumnam Martyrum ſanguine Polycarpi & Heliæ Eccleſia cœperit & ſuccreverit? nam D. Stephanum, Laurentium, Vincentium, Babylam Antiochenum, Apolloniam, Catharinam, & ſimiles Martyres, quos hîc nominat Hiſtoricus, Lutheranos fuiſſe, aut Lutheranam Eccleſiam ſacro ſuo cruore rigâſſe, res creditu difficilior eſt, quàm ut ſine probatione cuiquam perſuaderi queat; hortus enim Lutheranus non fert Virgines, quales ferè omnes ex prædictis. Miror autem, quo auſu Hiſtoricus inter Martyres collocet D. Catharinam, & D. Apolloniam, quarum hanc impius auctor Apiarii per ſummum contemptum, quaſi tota fictitia eſſet, vocat *Abfuloniam*, illam verò Atheologi quidam Tubingenſes, Hiſtorici Præceptores ſumma obſervantia colendi, imò *colendiſſimi*, negant in rerum natura extitiſſe, quippe totam commentitiam & ex cerebro tantùm malè feriatorum hominum natam. Video tamen, quo ſenſu Evangelicæ Eccleſiæ prædicti verſiculi poſſint tribui. Sanguine mundata ſeu fundata eſt Eccleſia Lutherana, & ſanguine cœpit, nimirum in bello ruſtico, in quo præter innumeros alios, centum millia ruſticorum occubuiſſe dicuntur. En ſanguinem, quo fundata & cœpta eſt Polycarpi & Heliæ Synagoga. Sanguine ſuccrevit in bello Schmalcaldico, quando Prædicantium impulſu Principes Proteſtantes Carolo V. Cæſari, exercitu formidabili imminebant, ut ipſum cum religione Catholica præcipitem ex Germaniæ finibus ejicerent. Succrevit item ſanguine in bello Colonienſi, & nuper etiam in Argentoratenſi, ut de bellis Belgicis & Gallicis nihil dicam. Utrum ſanguine ſit futurus finis, vos Martiales Præcones, & ad arma movenda aptiſſimi, videritis.

F

G

H

A Perorationi immiſcet Hiſtoricus noſter cantionem valdè Muſicam & Harmonicam: *Animoſi*, inquit, *& fortes in Domino liberè cantemus cum Luthero:*

Si mundus hic dæmonibus
Scateret ſicut vermibus,
Nihil timeremus anxiè,
Vincemus tandem ſtrenuè.
Princeps mundi ſuperbiat,
Ringatur ac inſaniat,
Nocere neſcit nebulo
Cùm victus ſit vel verbulo.

B Elegantes profectò verſiculos & verbis & ſententia & artificio, quos ſi Monachus confidiſſet, Lutherani *indoctos aſinos* ingererent. Nunc quia à Monacho Apoſtata procul à Muſis & Apolline facti ſunt, tantùm non adorantur.

REFUTATIO CAPITIS VIII.

DE

MIRACULIS JESUITARUM.

C Præter cæteras Eccleſiæ notas, adducitur etiam à Catholicis Doctoribus *gloria miraculorum*, de qua Bellarminus & Gregorius de Valentia: hæc miracula valdè pungunt hæreticos, cùm adeò iis deſtituantur, ut ne claudum quidem canem (quod quidam dicere ſolebat) hactenus ſanare potuerint, licèt vel maximè ad miſſionem & vocationem ſuam extraordinariam demonſtrandam, fidémque doctrinæ novæ faciendam, miraculis indigeant. Quamobrem totis viribus eniti ſolent Prædicantes, ut populo perſuadeant, nulla à Catholicis miracula edi, ſed omnia decipiendi gratia fingi, aut certè non DEI, ſed dæmonis ope patrari. Ad quod unum noſter quoque Hiſtoricus hîc incumbit, *ubi miracula*, ùt ait, *Jeſuitarum* examinat. Etſi enim nos ad vocationem, miſſionémque noſtram non egeamus miraculis, cùm non novam fidem, ùt Lutherani, ſed antiquam in Catholica Eccleſia prædicemus & defendamus, ſi quid tamen interdum ſupra naturæ vires à noſtris geritur, id Prædicantes totum adſcribunt diabolo, & antiquam majorum ſuorum cantilenam occinunt: *In principe Dæmoniorum ejiciunt Dæmonia.*

Lib. 4. de notis Eccleſ. cap. 14. lib. 1. Analyſ.

Pag. 220, & ſequent.

Luc. 11.

D *Varia ſunt*, inquit Hiſtoricus, *Jeſuitarum miracula. Alia ſunt manifeſta, alia occulta,*
Pag. 222. *alia corporalia, alia ſpiritualia, alia ſimplicia, alia myſtica, alia vera, alia falſa, alia mediata, alia immediata.* Mirabilis profectò miraculorum diviſio, quam tamen ſe ex noſtris audiiſſe, & ex noſtrorum literis hauſiſſe fingit. Quis verò Jeſuitarum tam imperitè & ſtolidè miracula unquam diviſit, & quæ ſunt illa ſimplicia, quæ myſtica? Mirum, hunc non attuliſſe etiam miracula *compoſita, allegorica, anagogica*, & *literalia*, quæ myſticis opponerentur. Sed præteritis aliis artificioſæ diviſionis ſuæ partibus ultima duo membra primò definit & explicat. *Immediata*, inquit, *miracula vocant illa, quæ DEUS per Ignatium ſub initio Societatis eſt operatus, ſummúmque affirmant miraculum Ignatium Lojolam militem, &c. hominem indoctum, potuiſſe talem inſtituere Societatem, qualem antehac orbis nunquam viderit.* Primùm, Ignatius indoctus erat, ſed tunc, quando militabat. Cùm Societatem condidit, doctior fuit omnibus Prædicantibus; jam enim in Pariſienſi Academia Philoſophiæ & Theologiæ curſum confecerat. Deinde Societas noſtra, quà Religio, convenit cum aliis omnibus Ordinibus, quos ante Societatis inſtitutionem totus mundus vidit & probavit. Quoad hoc ergo nihil novi mundus vidit, cùm Societas cœpta eſt, quamvis ſi particularia nonnulla ſpectes, quibus Societas ſapienter præſenti Eccleſiæ ſtatui attemperata & accommodata eſt, fateor libenter, mundum antehac nullam ejusmodi Societatem vidiſſe. Præterea, non tantùm nos, ſed & alii plurimi pro miraculo habent, Societatem, eo ipſo tempore, quo vos Monaſteria & DEO dicatas ædes funditus evertitis, & in ſtabula commutatis, non tantùm in locis à veſtra impietate liberis, ſed & in medio hæreticorum tot domicilia collocâſſe, templa erexiſſe, ludos literarios Juventutis inſtituendæ gratia aperuiſſe, cultum divinum conſervâſſe & amplificâſſe, aliósque ad idem viriliter præſtandum excitâſſe. Certè ſi quis rem rectis oculis penitiùs intueri velit, non parùm hîc miraculi inveniet, præſertim ſi animadvertat, Societatem in Germania, aliísque hæreſi depravatis regionibus commemorabili incremento adauctam, poſtquam inſanis Prædicantium clamoribus exagitari cœpit.

E

F

Vide Rib. lib. 2. cap. 18.

G Sed ait Hiſtoricus, *palearum diſperſionem & Zizaniorum copioſum proventum veritatem Religionis non probare.* Omnino ita eſt, ùt dicit, ſed probare debet, Societatem in paleis & zizaniis numerandam eſſe, quo facto, oſtendere licebit, non ideo probandam, quòd tam citò, támque feliciter, in omnes orbis terrarum partes diffuſa ſit. Neque nos inde duntaxat veritatem doctrinæ noſtræ demonſtrare conamur. Aliæ ſuppetunt rationes, & viæ longè certiores. Quamvis hæc ipſa propagatio cum omnibus ſuis circumſtantiis conſiderata, non modico argumento ſit, Societatem hanc ùt à DEO inchoatam, ita ab eodem etiam propagatam fuiſſe, & indies magis atque magis propagari.

Pag. 223.

H Illud porro perquam jucundum eſt, cùm ad pronunciationem illius verſus Virgiliani:
Pag. 224.

Speluncam Dido dux & Trojanus eandem, &c.

Patrem Ignatium dæmonem ex muliere quadam ejeciſſe, fabulatur. Miror, quòd Poly-

A Polycarpus non ſubſtituerit illum verſum:
Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi:
Forſan dæmon fiſtulam Tityri magis exhorruiſſet. Vaniſſimi Calumniatores! Anne tam bardi & trunci eſtis, ut neminem futurum arbitremini, qui intolerabilem veſtram mentiendi libidinem notet? Scilicet Ignatius verſum illum ex 4. Æneid. parùm honeſtum & turpis congreſſus indicem protu-
Matth. 12. lit ad fugandum dæmonem. Sed *ex cordis abundantia loquitur os.* Libenter celebrant Prædicantes ejusmodi Synodos & conventus, qualis erat Æneæ & Didonis, hinc ſe continere non potuerunt, quin hîc quoque tam pudici carminis mentionem facerent.

Quàm ſplendidè verò mentitur, & quàm
B ſine fronte, cùm ait, *P. Ignatium ad dæmoniacum quendam vocatum, non quidem ipſum iviſſe, ſed fratri cuidam granum à Pio V. olim conſecratum tradidiſſe, cujus ſolius contactu energumenus, expulſo dæmone, liberatus ſit.* Quæſo te, mi Lector, quisquis es, ſeu amicus ſeu inimicus, nónne animadvertis Sycophantæ hujus projectiſſimam impudentiam? P. Ignatius obiit anno Domini M. D. LVI. ſub Paulo IV. ùt totus mundus novit, & tamen iſte ſub Pio V. eum adhuc in vivis fuiſſe, & granis à Pio V. benedictis uſum eſſe, audaciſſimè mentitur. Quid huic homini fidas, quid credas? Sed adjicit mendaPag. 225. cium aliud; *finem horum miraculorum hunc*
C *ajunt eſſe Jeſuitæ, ut ſanctitudo Lojolæ orbi terrarum patefieret, ſicq; canonizatus pro Divo ab omnibus coleretur.* Mentitur Sycophanta. Nam & ſine miraculis ſanctitatem Sanctorum longè latéque diffundi poſſe, multósque in Divorum numerum adſcriptos eſſe, qui nulla miracula patrârint, nemo ignorat, cùm rerum mirabilium effectio per ſe nullum ſanctificet, Deóve gratiorem reddat. Sed ait: *Jeſuitæ per omnia de miraculis Lojolæ ſibi ipſis non conſtant, aut conſimilia dicunt; nam Ribadeneira negat illum feciſſe miracula.* Mentitur turpiter. Ubi negat hoc Ribadeneira? Nónne inſcriptio ultimi capitis libri quinti hæc eſt: *De miraculis per eum factis?* Nónne eodem libro, capite ſexto, refert idem Ribadeneira nonnullos, qui Ignatii precibus & meritis à dæmone liberi evaſe-
D rint? Nónne Maffejus libro tertio, capite 14. multa de Ignatio mira commemorat, ut taceam alia, quæ uterque auctor paſſim in ſuis libris recenſet? Quòd autem Ribadeneiram quovis *Cretenſi mendaciorem* appellat, facit, quod convitiatoris munus poſtulat. Scilicet quidquid iſti pro ſua auctoritate credere nolunt, id totum ex mendaciis conſutum erit. Conantur paulatim præpoſteri Prædicantes, mundum eò adducere, ut nihil credat, præter Lutherana & Prædicabilia mendacia. Et hæc de *immediatis*, ùt Helias vocat, miraculis. Nunc venit ad *mediata.*

Jac. Gretſeri Operum Tom. XI.

Mediata, inquit, *miracula vocant, quæ illo-* E
rum Societas in pervertendis hominibus quotidie exercet, per ſigna crucis, characteres, &c. Dixi jam ſuprà, diſtinctionem hanc miraculorum in mediata & immediata, prout ab iſto explicatur, vanam & futilem, nobísque ignotam, & à detractoribus noſtris indoctè excogitatam eſſe, id denuò hîc repeto. Nullum audivi, nullum legi, qui miracula Societatis iſto modo divideret, & à ſe mutuò ſecerneret. *In epiſtolis Indicis*, inquit, *multa habentur miracula, quorum ego pleráque vel Sathanæ prodigia, vel mendacia ex longinquo allata arbitror.* Grave profectò arbitrium & dignum, quo valde moveamur. Hiſtoricus miracula illa exiſtimat *aut ficta aut diabolica: ergo talia ſunt.* Apage Sycophanta, non ſoli Jeſuitæ in India & Japonia F
vivunt, neque ſoli ex longinquis illis regionibus vel ſcribunt vel redeunt, alii quoque innumeri Europæi in India verſantur, & illinc revertuntur in patriam. Quî fit, quòd non deprehendunt fraudes & impoſturas in illis miraculis, quas vos in, neſcio, quo orbis obſcuro angulo tam ſagaciter non modò deprehenditis, ſed mundo etiam patefacitis ad cautelam? Quæſo te, Polycarpe, ſi tamdiu abeſſe potes ab uxore, chariſſimísque tuis pignoribus, Ulyſſiponem aut Hiſpalim proficiſcere, & ex Luſitanis Hiſpanísque ſciſcitare, num vera ſint, quæ Jeſuitæ ex Indiis perſcribunt. Moneo tamen, ne *qui genus & unde domo*, ſignifices, aliàs væ capiti tuo. Hoc niſi feceris, Polycarpe, nihil efficies inſulſis tuis vociferationibus contra Jeſuitarum miracula; Nam quæ tandem ſunt illæ conſequentiæ, quibus totum hoc caput oppletum eſt? *Mahometus finxit multa* G
miracula, ergo & Jeſuitæ fingunt miracula: Chriſtus monuit, futuros, qui grandia prodigia patrarent, quibus electi quoque in fraudem induci poſſent, pro certo igitur ſtatuendum eſt, iſtos à Domino prædictos, non eſſe alios quàm Jeſuitas cum ſuis miraculis. Multi venient in noviſſimo die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & ſigna magna fecimus? quos tamen Chriſtus non agnoſcet: Sed iſti non ſunt alii, quàm Jeſuitæ, quidquid igitur dicant, quidquid faciant, fugiendi & diris omnibus devovendi ſunt. Hæc & ſimilia, Polycarpe, non ſunt ſani hominis argumenta, ſed inſani cerebri deliramenta; nec infirmant apud prudentes miraculorum fidem, ſed potiùs roborant. Alia igitur ratio tibi ineunda erit, ſi Lectori tuo verba dare nolis.

Ait Hiſtoricus; quendam ex noſtris dice- H
re ſolitum, *majus eſſe miraculum, verè Lutheranum in Pontificiam Religionem pertrahere, quàm cæco viſum, &c. & leproſo ſanitatem reſtituere.* Quid miratur dictum hoc Hiſtoricus? Idem propemodum universè de peccatorum converſione ad meliorem frugem

A teſtatur, non levis ex imperita multitudine Prædicans, ſed Gregorius Magnus, antiquitate, eruditione & ſanctimonia clariſſimus Pontifex.

Lib. 3. Dialog. cap. 17.

B *Eos ſocios*, inquit Hiſtoricus, *qui ex Lutheranis multos ſeducebant, miniſter Jeſuitarum Ingolſtadienſis, viros Apoſtolicos nominabat, quòd Gentiles Lutherani per eos converterentur.* Mentitur inprimis, cùm P. Richardum Hallerum, quem ad marginem citat, Miniſtrum Collegii Ingolſtadienſis fuiſſe dicit. Nunquam hic fuit Miniſter. Deinde quisquis peccatoribus & hæreticis ad ſaniorem mentem revocandis operam navat, is Apoſtolorum munere fungitur. Quare mirum non erit, ſi ab iisdem quoque nominationem mutuetur; nihil enim magis eſt Apoſtolicum, quàm ſeu fide, ſeu moribus aberrantes, viæ ſalutis & honeſtatis reſtituere.

Nunc ad *ficta*, ùt vocat, miracula transit. C *Conficta*, inquit, *illorum miracula ſunt innumera.* Si nunc de confictis miraculis ſcribere incipit, ergo ea, quæ hactenus recenſuit, pro non fictis habuit. Cur igitur maledico ſtylo tantopere exagitavit? Vitio autem nobis vertit, quòd in noſtris colloquiis libenter hiſtorias & res à viris ſanctis olim geſtas ex probatis auctoribus commemoramus, & beneficium vocationis ad Religionem ſæpiùs prædicamus. Sed quid hîc culpat calumniator? An non ſatius eſt de his colloqui, quàm profanis ſermonibus tempus relaxationi conceſſum conterere? *De ſuo*, inquit, *in Societatem ingreſſu varia commini-ſcuntur. Alius ſibi dæmonem, alius Gabrielem, alius Mariam, alius Luciam, alius Lojolam, alius alium ſibi apparuiſſe dicit, & hortatum, ut Societatem ingrederetur.* Mentitur. Nam hujusmodi vocationes perquam raræ ſunt & extraordinariæ, & ſi cui talis divinitus obtigit, is eam non tam publicè enunciat, & apud multos prædicat, quàm alto quodam & grato ſilentio velat, memor *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſſe.* At quid ſibi volunt illa tam minacia in margine libri verba? *Proferant, ſi audent, ſuorum Neophytorum ſcriptas meditationes.* Duram certè imponis nobis provinciam, non quòd mala aut inhoneſta in illis meditationibus contineantur, ſed quòd infinitum eſſet, ſingula illa, quæ quivis pro ſua in DEUM pietate, & in Religioſa vita proficiendi deſiderio vel proprio ſtudio inventa, vel ab aliis rerum ſpiritualium Magiſtris accepta, notat & colligit, in publicum edere.

Pag. 226.

Mirabile verò non eſt, iſtos tam audaD cter pronunciare, omnia miracula eſſe falſa & ficta, quæcunque nunc aliquando apud Catholicos vel virtute cereæ effigiei, quam *Agnum Dei* appellamus, vel aqua luſtrali, vel granis benedictis & Roſariis, vel conſecratis imaginibus fiunt, cùm hæreticis ſolenne ſit, omnia omnino, etiam vetera miracula ridere, & ludibrio habere, tanquam commenta hominum. Sic ſacrilegus Apiarii auctor paſſim irridet & exſibilat, quicquid miraculorum continetur in Hiſtoriis Sanctorum, apud Lipomannum & Surium. Sic idem cachinnis excipit totum Concilium II. Nicænum, quod imagines, earúmque cultum contra Iconoclaſtas aſſeruit, & ex libello Sophronii ſeu Moſchi Evirati (qui pratum ſpirituale inſcribitur) miracula nonnulla per imagines facta recenſuit. Nihil iſti credunt, quod anguſtiis hæretici pectoris capere non valeant. Hinc cùm ipſi omni miraculorum operatione deſtituti ſint, adduci nequeunt, ut credant, apud alios aliquid ſupra communem & ordinarium naturæ curſum patrari. Stultè; nam faciamus, quædam miracula improbitate hominum fuiſſe conficta, quî, obſecro, credibile eſt, nulla omnino ex tot millibus eſſe vera? An non prudentiùs aget, qui ipſis acceptæ ſalutis monumentis, ínque publicis templis, Laureti, Oetingæ, aliísque piis locis, quorum meminit auctor Apiarii, ad perpetuam miraculi memoriam ſuſpenſis, fidem dabit, quàm his atheis Calumniatoribus ad mentiendum fictis & factis? Virtutes imaginis Agni cœleſtis totus Catholicus mundus experitur & admiratur, & tamen Hiſtoricus noſter cum ſuo Præceptore Lucianiſta, auctore Apiarii, vel invitis contrarium perſuadere contendit, qui planè ridiculus eſt, cùm ex Apiario Caniſianum exorciſmum Oetingæ olim inſtitutum nobis ingerit. Nam de hoc & à Martino Eiſengrinio, & ab ipſo Caniſio ſatis ſupérque contra Hæreticos, Marbachiúmque Argentoratenſem dictum & ſcriptum eſt, & ſerò nimis Hiſtoricus noſter prodiit; jam triumphatum eſt, ringamini licet & rumpamini ô impoſtores, quare nec verbum addo. Magnas certè debet Hiſtoricus Apiario gratias, quippe ex quo, ùt ſæpiùs jam monui, non pauca in ſuum librum mendacia, convitia, ſcommata, fraudes & technas transtulerit, ùt & illud figmentum de Jeſuita quodam, qui habitu dæmonis in ædibus cujusdam Fuggeri ab equite gladio ſit transfoſſus. Vetus hæc eſt fabula, & jam dudum, ùt ſolet mendacium, elanguit, & multi interea hujus fabulæ auctores & fautores ad inferos deſcenderunt, non amplius aſcenſuri, cùm Sacerdos ille, de quo id ferebatur, adhuc ſanus lætúsque inter vivos vivat.

E

parte 2. cap. 13.

F

Pag. 226.

parte 4. cap. 1.

Lib. de Miraculis veteris Oeting.

Lib. 5. operis Mariani cap. 18.

G

Nequid autem figmentorum deſit, ſublegit Lutherana fide Helias vel Polycarpus, ex eodem Apiario incendium Monacenſe, excitatum, ùt ait, à chartaceo Luthero, in Comœdia quadam combuſto. Ut vara viH biam, ita mendax hæreticus ſequitur alterum, dum mendacia, quaſi lampadem, ſibi mutuò tradunt fundenda & propaganda ulteriùs. Incendium Monachii aliquot ſeptimanis

p. 1. cap. 2. Pag. 232.

A manis post dialogum in Scenam missum, exortum est, negligentia quorundam inquilinorum, ùt omnes Monacenses nôrunt, longissimo à Collegio intervallo, adeò, ut ne suspicio quidem ulla esse potuerit ex statua Lutheri & libris hæreticis inflammatis incendium illud extitisse. Statim tamen non uno loco reperti sunt, qui privatim & publicè, voce & scriptis dictitarent, eodem die, eadem hora in ultionem tanti facinoris Lutherum ex flammis & cineribus exsurgentem pœnas sumpsisse, improviso incendio in arce à Collegio non procul dissita excitato, quo ferè tota Principis arx in cineres subsederit, ùt ait Historicus. Quæ omnia quàm vera sint, intelligere poterunt Prædicantes,
B si veritatem amant, ex civibus Monacensibus. Quid enim attinet multis verbis ea mendacia hîc refutare, quæ à totis civitatibus & Rebuspublicis gravissimè refelli & redargui possunt. Neque verò causam video ullam, cur vobis Lutheranis adeò videatur crudele & detestabile, Lutheri statuam à Scholasticis in ignem conjectam esse. An non Schmidelinus cum sociis idem fecit Melanchthoni & Calvino? Audiamus Marcum Bemlerum Sacramentarium Tigurinum, qui sic scribit: *Sed fortassis non satis vobis fuit, ante paucos annos præclara Dei organa, & magna Ecclesiæ lumina* (scilicet) *Philippum Melanchthonem & Joannem Calvinum*
In Apologia contra Schmidelinum. Pag. 35.
C *cùm Stuotgardiæ Bacchanalia celebrarentur, in Scenam introducere, miserè depingere, ac tandem igni tradere, quod triste spectaculum multi boni viri magno cum dolore spectârunt.* Hæc ille. Non dabis, Polycarpe, Studiosis Monacensibus veniam, ob exustum Lutherum, cùm Præceptoribus tuis Ubiquetariis Philippum, *communem Præceptorem*, & Calvinum rogo absumere licuerit? Certè nos non magis amamus Lutherum, quàm vos Calvinum aut Philippum. De quo sunt, qui affirment, drama etiam esse concinnatum à quodam Lutherano, in quo dramate Philippus ille virgis castigetur, ùt videre licet in Dialogo, qui inscribitur, *Calvinismus Heidelbergensis.*

D Neque ignoramus, quo pacto opifices & Ludimoderatores vestri aliquando inducant in theatrum, aut in Bacchanalibus per publicas plateas circumducant Pontifices nostros, Episcopos, Cardinales, Sacerdotes, Monachos & Jesuitas; cùm tamen hoc jure civili, jam olim gravissimè fuerit prohibitum à Justiniano, cujus hæc verba. *In universum omnibus, qui in seculari vita conversantur, & maximè his, qui in scenam prodeunt, viris juxta & mulieribus, & prostitutis etiam interdicimus, ne habitu Monachi vel Monastriæ vel Ascetriæ utantur, aut quocunque modo eum imitentur, sciturîs omnibus, qui vel talî habitu utî, vel eum imitari, vel in quemcunque Ecclesiasticum statum illudere præsumpserint, quòd & corporis supplicia sustinebunt, & in exilium*
Authent. 124.

tradentur. De Prædicantium habitu aut extra scenam aut in scena non imitando, nihil hactenus reperire potui in Jure. Si quem locum Polycarpus novit, gratum fecerit, si suggesserit.

E Cæterùm de auriga Landspergensi tot attulit mendacia, tam grandia & atrocia, ut vix sit vel una syllaba vera. Mentitur, cùm dicit, *hominem ob furta in carcerem conjectum, simulâsse insaniam & furorem, ut liberaretur periculo capitis.* Verè enim in phrenesin incidit, & non exigua afflatæ à diabolo mentis documenta dedit, cùm neque aquam benedictam (imitatus opinor Lutheranos) quamvis furenti occultè aspersam, neque cereas *Agni Dei* imagines, licèt inscio admotas toleraret. Cujus rei testes defero Polycarpo & aliis, non modò multos civium Landspergensium, sed & ipsos, qui eo tempore carceri præerant. Pag. 227, 228.

Mentitur, cùm scribit, *nostros adhibuisse* F *Exorcismos.* Nullus adhibitus exorcismus est, neque nostri primi miserum adiêre, sed Parochus. Verùm signo Crucis munire insanientem & aqua consecrata aspergere, nihil aliud est Historico, quàm exorcismos, & adjurationes dæmonis profligandi gratia adhibere.

Mentitur multipliciter, cùm nugatur, Rectorem Landspergensem *allegâsse homini à tergo Agnum Dei cum multis precibus & characteribus, & simul imperâsse, ut in nomine beatæ Mariæ dæmon egrediatur.* Quot verba, tot mendacia; neque enim aliud nomen occurrit, quo vanissimi hujus Calumniatoris dicta & scripta nominem.

Mentitur, cùm ait, dæmonem respondisse G Crusio; *non egrediar, nisi vestris precibus hominem hunc & vestris intercessionibus à fune liberaveritis: & hoc neminem, nisi Crusium audivisse.* Landspergenses, qui tum Landspergæ agebant, mendacii arguunt Historicum, & res ipsa sat manifestè prodit mendacium: tum quia miser ille laqueum non commeruerat, ùt postea compererunt Judices: tum quia dæmon cùm per obsessum loquitur, clarè & ut audiatur, loquitur: si igitur P. Crusio hoc dixit, quî quæso circumstantes auribus apertis id non audiverunt?

Mentitur, cùm blaterat, *omnes adstantes* H *audivisse dicentem: Citò sanarer, si à patibuli pœna tutus esse possem.* Appello ad Landspergenses, & ad illos ipsos, qui phreneticum tunc catenis & compedibus onustum custodiebant; Et quomodo spe liberationis à supplicio sanitatem recuperâsset, cùm jam sibi redditus, recepta mente, in tam gravem morbum inciderit, ut periculum esset, ne diem suum obiret? Quare sanus mente, & æger corpore, peccata Parocho confessus est, & accepto SS. Eucharistiæ mysterio, ad mortem, quam ægritudinis vehementia minabatur, sese comparavit.

A Mentitur, cùm dicit, *Jesuitas miſero ſecuritatem à ſupplicio pollicitos*, multóque magis mentitur, cùm ſcribere non erubuit, *captivum illum hac pollicitatione erectum, ſtatim quietum conſediſſe & riſiſſe.*

Mentitur, cùm ait, *noſtros impetrâſſe huic homini vitam, miſſo ad Principem libello ſupplici, cùm Magiſtratus ſecundùm Juris rigorem cum ipſo agere vellet*; nam ut omittam omnes Landſpergenſes nôſſe, non hoc, quod iſte fingit, ſed contrarium verum eſſe, noſtri certè moris non eſt, cùm ad hujus generis homines vocamur, anxiè inquirere, ſontésne ſint, an inſontes, totam enim hanc curam Magiſtratui commendamus, noſtrarum partium duntaxat arbitramur, efficere, ut rei animum inducant ad omne illud patienter & fortiter ferendum, quod Magiſtratus decreverit.

B Mentitur, cùm dicit, *miſerum illum vinculis ſolutum, confeſſum eſſe, ſe omnia iſta finxiſſe, tantùm quia liberationem ipſi Jeſuitæ promiſiſſent.* Impudentiſſimum mendacium; nam antè inſanire & phreneticorum inſtar furere cæpit, quàm ullum Jeſuitam viderit, ùt omnes nôrunt, primóque omnium ad furentem venit Landſpergenſis Parochus. Nec liber abire permiſſus eſt noſtrorum interceſſione, aut Magiſtratu per fraudem decepto, ſed quòd Judex rerum capitalium, tota re accuratè cognita, videret hominem nullum capitale facinus admiſiſſe.

C Mentitur, cùm ſcribit, *noſtros Landſpergenſes occaſione hujus fabulæ ingentem copiam imaguncularum cerearum Agni Dei vendidiſſe:* Ab hoc mendacio abſolvet nos tota Landſpergenſis civitas; neque enim vel unum ibi reperient Prædicantes, qui à noſtris cœleſtis Agni effigiem mercatus ſit, & ſi piget Prædicantes mihi commodare fidem, indagent ipſi veritatem. Mendax fuero & ſimilis Polycarpo, ſi vel unum invenerint, cui *Agnum Dei* vendiderimus.

Mentitur impoſtor, cùm fingit, *P. Jacobum Lucium pro exhortatione Agni cæleſtis imaginem ſupra cælos extuliſſe, omniáque ejus effecta exemplo aurigæ à Jeſuitis ſubornati probare conatum eſſe;* D mentitur, inquam; non enim, ùt ipſe P. Lucius teſtatur, aliter agnum Dei commendavit, quàm ſoleant Catholici, qui quomodo eum commendent, legere licebit Prædicantibus apud Coſterum, & in eleganti illo Andreæ Fruſii poëmate, quod Coſterus adducit.

In Inſtit.

Pag. 228. 229. Exiſtimare quis poſſet, Hiſtoricum mentiendo feſſum, jam finem mendaciis facturum; ſed nec finis, nec modus ullus eſt. Semper recens & integer ingreditur mentiendi palæſtram. Ab auriga venit ad filiam Bubulci, à dæmone *itidem agitatam*, ùt iſte ait, *eam parens*, inquit Fabulator, *offert Jeſuitis, qui pro more ſuo Pontificio, dant illi imagines benedictas, ſuſpendunt ad collum illius Evangelium S. Joannis, & Agnos iſtos cereos.* E *Verùm hæc omnia illa abjiciebat, dicens: Hæc ſunt res mortuæ, nihili, ſtultitiæ, quæ me juvare non poſſunt.* Multiplex mendacium continet hæc oratio; nam primò ipſi Landſpergenſes affirmant, neminem unquam ex noſtris cum hac perſona egiſſe præter Heliam. Secundò ſatis apparet, cujus ſint illæ phraſes de imaginibus benedictis & aliis rebus ſacris; aut enim dæmonis ſunt; aut Lutherani; aut alterius hæretici; & certè hæc verba, non ab ipſa filia, ſed ab Helia prolata, ſatis indicat Gloſſa ad marginem libri addita, his verbis: *Sæpè cum illa fui, eámque ex Dei verbo ſum conſolatus.* Dei verbum ſcilicet, quo Helias afflictæ levamenti aliquid attulit, ſunt illa de Agnis Dei, aqua benedicta, &c. Lutheranis tritiſſima: *hæc ſunt res mortuæ, nihili, &c. Nihil ſcriptum eſt in Scriptura de iſtis, impium & idololatricum eſt ſperare in iſtis, dominus ſpes noſtra & fortitudo noſtra.* Hoc eſt verbum Dei, id eſt, Lutheri, ex quo iſti paracleti mœſtos conſolari ſolent.

F Addit Hiſtoricus, Virginem illam *non Jeſuitarum exorcizationibus, ſed piorum precibus liberatam, relictis parentibus, Auguſtam petiiſſe, ſeque totam Evangelio addixiſſe.* Tam verum eſt hoc, quàm verum eſt, Heliam fuiſſe veritatis amantem: puella enim illa adhuc manet Landſpergæ, & P. Lucio confiteri ſolet.

G Præter mendacia hactenus enumerata, plurima alia huic Capiti paſſim inſpergit, Pag. 227. ùt cùm ait, ex noſtra ſententia, *Pontificis manum non minora operari miracula, quàm Chriſti digitum, eadémque Pontificatus autoritate cum Chriſto agere, & in omnibus omnia efficaciter operari.* Mendacia hæc ſunt impudentiſſima, quæ Jeſuitis nunquam venerunt in mentem; ſciunt enim, quid ſit Chriſtus, & qua poteſtate agat, quod agit, & quid ſit Pontifex, & qua poteſtate polleat, neque his aliísque figmentis ad auctoritatem Roſariis conciliandam opus habemus, ùt miſer iſte nugatur. Quis verò non rideat, cùm rogatus, cur Lutherani nulla miràcula faciant, reſpondet in hæc Pag. 231. verba: *Non eſt nobis opus miraculis, quia non afferimus novum Evangelium, aut alium Chriſtum docemus, nec novum Symbolum, &c. aut* H *nova Sacramenta, &c. ſed eadem, quæ ipſe Salvator tradidit, docemus & Eccleſiæ proponimus, quod probat teſtimonio Herbrandi, in neſcio qua de Miraculis diſputatione. At verò Jeſuitæ*, inquit, *quia nova dogmata proferunt, cujusmodi eſt, Idololatrica mortuorum invocatio, horrenda cœnæ Dominicæ profanatio, animarum ex fictitio purgatorio liberatio, &c. novis etiam & fictitiis, fallacibúsque miraculis ipſis opus eſt.* Huic orationi Hiſtorici id unum deeſt, quòd non probat, ſed pro explorato ſumit, dogmata Lutherana eſſe antiqua, & à Chriſto tradita, noſtra verò nova, Chriſtóque repugnantia. Hoc ſi perſpicuè ſolidéque demo-

demonstraret, fidem fortassis faceret; fortassis inquam: cùm enim certum sit, doctrinam, quam nunc Lutherani mundo tradunt, ignotam fuisse mundo ante Lutheri ortum, (ubi enim ante centum annos docebatur & prædicabatur fides, quæ nunc docetur & prædicatur in Pseudoevangelicis Germaniæ locis?) miraculis certè nihilominus indigeretis, cùm alias ob causas, tùm ut ostenderetis, vos revera illos esse, qui divinitus missi & excitati sint ad instaurandam collapsam & penitus extinctam doctrinam Christi; nam dum hoc non præstatis, meritò & prudenter credere possumus, doctinam Christi fuisse illam, quæ ante Lutherum natum unanimi omnium populorum consensu comprobabatur. Neque video, qua ratione hanc persuasionem sibi homines eripi prudenter patiantur, nisi rerum mirabilium effectione fidem vobis concilietis. Non enim satis est vociferari vocibus plus quàm nauticis: *Doctrina nostra est Evangelica: Patet id ad oculum, tam clarum est, quàm Solem lucere meridie, qui hoc non videt in tanta luce Evangelii; ille cæcus est. Vir Dei Doctor Martinus Lutherus, beatæ memoriæ, tenebras disjecit, & lucem mundo intulit, & tenebræ eam non comprehenderunt*: non, inquam, satis est, hæc & id genus sexcenta plenis buccis crepare, demonstretur argumentis, primò fidem & doctrinam Christi adeò fuisse collapsam & interciam, ut ne tuguriolum quidem supereset, in quo reperiretur; aut si potestis, ostendite vel unam casulam, in qua immediatè, vel etiam aliquot annorum centuriis ante Lutheri apostasiam fides vestra fuerit. Deinde demonstretur non jam ratione, sed evidenti aliquo miraculo, vos illos esse, qui ad excitandam Evangelicam doctrinam divinitus missi sitis; id enim omnino vobis restaret probandum, etiamsi ipsissimam doctrinam Christi (quod absit) prædicaretis: non enim teneremur vobis hominibus extraordinariis credere, nisi argumentis extraordinariis assensum à nobis impetraretis, & si pro aliis doctrinæ vestræ capitibus miraculis non indigeretis, certè pro Ubiquitate stabilienda non uno, sed admodum multis indigerent Tubingenses Ubiquistæ Præceptores Historici nostri: hactenus enim ne ab ipsis quidem doctioribus Lutheranis, nedum à Catholicis & Calviniistis impetrare potuerunt, ut in monstrum istud dogmatis consentirent. Quòd autem Sanctorum invocationem, SS. Missæ Sacrificium, articulum de Purgatorio, &c. dogmata nova Helias appellat, id vel impudentiæ, vel insciticæ ipsius condonandum censeo. Legat Polycarpus cum suis disputationes Bellarmini, & quàm prædicta dogmata sint nova, intelliget, si velit.

REFUTATIO CAPITIS IX. DE *DOCTRINA JESUITARUM.*

TOtum hoc caput in octodecim partes seu paragraphos distinctum, comportatum & huc translatum est ex Kemnitio, ex Donato Gotuiso, seu Marbachio Argentoratensi, additis novis nonnullis calumniis, criminationibus & contumeliis in Deum atque homines, ne convitiatores nostri hîc exhausti & ad fundum mendaciorum progressi viderentur. Qua de re cùm satis multa generatim dicta sint superiùs in Præfatione, nihil hîc addam. Tantùm Lectores moneo, calumnias Historicis nostris cum Kemnitio communes, jam pridem à Doctissimo Theologo Didaco Payva fuisse profligatas, cujus libros ut veritatis cupidus Lector adeat, rogo, aliàs non fuisset admodùm difficile ex una fidelia non modò duos parietes, seu potiùs truncos, Heliam & Polycarpum, sed & tertium, Kemnitium videlicet dealbare; si quis tamen mortalium est, qui Lutheranos istos corvos contra veritatem insulsissimè crocitantes candido colore vestire possit. Non immorabor autem refutandis blasphemiis, quas passim isti conjiciunt in Orthodoxam doctrinam, sed tantùm demonstrabo, Polycarpum & Heliam mendaciter explicare, quæ sit nostra de plerisque fidei Catholicæ capitibus sententia, remisso Lectore ad Theologorum nostrorum libros, qui typis excusi, passim extant. Pag. 254. Lib. orthodox. explicationum.

Refutatio calumniarum primæ partis, quæ est de Scriptura sacra.

INitium fabulandi ducit Historicus à sacris literis. *Biblia*, inquit, *vocant cereum nasum, materiam litis, librum Hæreticorum, literam mutam, mortuam, occidentem, ambiguam, obscuram, variam, mutabilem, insufficientem.* Tot mendacia, quot verba, non huic tantùm sed & aliis Prædicantibus familiarissima. Nam Schmidelinus, Herbrandus, Hosiander, Kemnitius, Gotuisus, & similes noctuæ, mendacium hoc iisdem pœnè verbis sæpissimè repetierunt, & usque ad nauseam inculcârunt. Dicite boni viri, quis Jesuitarum sacra Biblia his appellationibus affecit? Citat Historicus in margine Torrensem seu Turrianum, Gregorium de Valentia, Toletum. Sed libros, librorúmque locos & paginas non annotat, metuens scilicet, ne in flagranti mendacio deprehensus mendacii palàm argueretur. Uno verbo, mentimini Prædicantes, epitheta hæc absolutè & simpliciter, eóque sensu, quem nobis imponitis, Scripturæ sacræ tribuere, blasphemum arbitramur. Quòd si quando Scripturæ

turæ hujuſmodi nomina tribuimus, id non niſi certo quodam ſenſu & reſpectu veſtri facimus; nam vobis Scriptura *cereus naſus eſt*, ita enim à vobis fingitur & refingitur, ita flectitur & reflectitur, ita ducitur & circumducitur, ut à nullo figulo plaſticés-que perito ceram, aliámve materiam du-ctilem & flexilem ita fingi & refingi pu-tem: quò enim phantaſiis veſtris collibet, eò tanquam regulam Lesbiam Scrip-turam trahitis, velit, nolit, parùm ſoliciti, quid unanimis ſuperiorum ætatum con-ſenſus voluerit.

Vobis Scriptura *materia litis* eſt; nam qua de re Ubiquetarii cum non Ubiqueta-riis, & cum Calviniſtis contenditis? Nón-ne de Scriptura & Scripturæ ſenſu?

Veſtro ſcelere rectè dici poteſt Scriptu-ra *hæreticorum liber*, non quidem in ſe, & ùt in ſententia divina conſiſtit, ſed ùt à vo-bis tractatur, accipitur & explicatur; nul-lus enim hæreticus hactenus extitit, qui *Verbum Domini, Verbum Domini, Biblia, Bi-blia, Scrutamini Scripturas*, & ſimilia, mil-lies non ingeminaret, qui nequitiam ſuam ſacro Scripturæ tegumento non obvelaret, quique non quamprimùm ad Scripturam confugeret, & ad eam malè intellectam, pravísque gloſſis depravatam non provo-caret. *Utuntur planè*, inquit Vincentius Lyrinenſis, *hæretici divinæ Scripturæ teſti-moniis, & vehementer quidem: nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volu-mina: per Moyſis, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Pro-phetas. Sive enim apud ſuos, ſive alienos: ſi-ve privatim, ſive publicè: ſive in ſermonibus, ſive libris: ſive in conviviis, ſive in plateis: nihil unquam planè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarúmque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non novi aut ve-teris Teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed tantò magis cavendi & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub divinæ legis umbra-culis latitant.*

Quàm autem appoſitè Scripturam addu-cere ſoleant hæretici, libet oſtendere unico exemplo. Donatus Gotuiſus cap. 14. cùm probare vellet contra Jeſuitas, quibuſvis hominibus jus fásque eſſe inire Matrimo-nium, licèt per votum caſtitatis Deo ſeſe conſecrâſſent, præter cæteros Scripturæ lo-cos adducit etiam ad ſuæ aſſertionis proba-tionem & firmamentum iſtos: *Philippus Evangeliſta habuit quatuor filias.* Actor. 21. *Socrus autem Petri tenebatur magnis febribus.* Matth. 8. *Dicunt diſcipuli: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere, qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt.* Matth. 19. *De Virgi-nibus præceptum non habeo.* 1. Corinth. 7. *Prop-terea relinquet homo patrem & matrem, & ad-hærebit uxori ſuæ.* Geneſ. 2. Matth. 19. E-pheſ. 5. 1. Corinth. 7. Ergo Scriptura te-ſte, omnibus omnino, etiam Monachis, Sa-cerdotibus, & aliis quantumvis caſtimo-niæ voto obſtrictis ducere uxores, & nu-bere licet. An non hoc eſt efficaciſſimum ex Scriptura argumentandi genus? Sed re-vertamur ad Hiſtoricum.

Lib. de fide JEſu & Jeſuitarum.

Vobis eſt Scriptura *litera muta & mortua*, præcidiſtis enim ei linguam, imò vitam ab-ſtuliſtis, cùm ſublata Eccleſiæ interpretatio-ne, & ſanctorum Patrum Magiſterio, ip-ſam ſolam, ſepoſitis aliis omnibus, judi-cem controverſiarum & definitricem con-ſtituiſtis, inſipienti ſanè conſilio; nam ſi Scriptura eſt judex, lites definiens & ter-minans, quî fit, quòd nullus inter vos U-biquetarios & non Ubiquetarios, & inter Calviniſtas litium ſit modus & terminus? Quoties jam acceſſiſtis ad Scripturæ tribu-nal, & præſertim in Colloquio Mompel-gartenſi, & tamen ſemper re infecta, & li-te non terminata diſceſſiſtis. etenim Schmi-delinus cum Beza de Ubiquitate, de cœna Domini, & de prædeſtinatione, non di-ſputans, ſed confabulans in Scripturæ, ut ita dixerim, conſpectu & facie, audire ſibi viſus eſt cum Oſiandro aliiſque Proteſtanti-bus, Scripturam pro ſe, ſuísque beneplaci-tis ſententiam dicere: Beza contrà cum ſo-ciis nihil horum ex ore hujus judicis audi-re poterat, quamvis arrectis auribus adſta-ret, quin potiùs ſemper ſibi viſus eſt au-dire Scripturam pro ſe, ſuísque dogmati-bus gravi & ſonora voce pronunciantem, Schmidelinúmque tanquam impoſtorem & hæreticum deteſtantem, *& ſic diſceſſum eſt*, ait Schmidelinus in fine Colloquii; Lite ve-teri non tantùm non finita, ſed novis in-crementis adaucta. An non igitur vobis Scriptura muta eſt, & mortua litera? non enim plus pro vobis dicit, quoties cum adverſariis veſtris ad Solium ejus tenditis, quàm in pago quopiam ditionis Wirtem-bergicæ diceret judex mortuus, ſi ruſtici litigantes, & ebrii ad feretrum aut ſepul-chrum ejus accederent, ſententiámque con-tra partem adverſam expoſcerent. Et quàm ridiculi eſſent ebrii & inſani illi vinitores, ſi multùm gloriarentur de lata à tali judice in adverſarios ſententia, tam ridiculi eſtis vos, cùm interpretatione & ſententia Ec-cleſiæ contempta, Scripturam à vobis ſta-re, & pro vobis contra Calviniſtas loqui, gloriamini. Sed de judice controverſia-rum, quis, qualísque ſit, plura, eáque ac-curatiſſima & ad hæreticorum impuden-tiam retundendam aptiſſima reperiet Lector apud Bellarminum & apud Gregorium de Valentia.

Tom. 1. lib. 3. de verbi Dei inter-pretatione. Lib. 5. Analyſ.

Vobis hæreticis eſt etiam Scriptura *litera non vivificans*, ſed *occidens*; nam unde per-ditio

ditio veſtra, ſempiternúsque interitus? Nónne ex malè intellecta Scriptura?

A Vobis itidem eſt Scriptura *litera varia, ambigua, mutabilis;* nullus enim Proteus in tot formas vertitur, in quot Scriptura ab hæreticis. Ex Scriptura quicquid ipſis placet, adſtruunt: quicquid diſplicet, deſtruunt. Non enim ingenium ſuum Scripturæ, ſed Scripturam ingenio & ſomniis ſuis accommodant.

B Vobis Scriptura *obſcura eſt*, quantumvis eam claram, & lucidam, & indoctis etiam intellectu perquam facilem clamitetis; nam ſi id ita eſt, cur Scripturæ interpretibus operam datis? cur tot Commentariis verè commentitiis eam oneratis potiùs, quàm explicatis? cur Soli lucernam accenditis? Fatemur & nos, Scripturam eſſe obſcuram, ita tamen, ut adhibita Eccleſiæ luce, ſanctorúmque Patrum lampade ſatis cuivis pro ſuo ſtatu & conditione luceat. Sed de Scripturæ obſcuritate contra Sectarios legere poterit Lector ea, quæ jam dudum ſcripſit Gregorius de Valentia. Loco cit.

C Vobis quoque eſt Scriptura *litera inſufficiens;* nam, credite mihi, nunquam cum Bibliis veſtris ſalutem conſequemini, niſi velis retrorſum converſis hæretici eſſe deſinatis; nobis Scriptura eſt ſufficientiſſima; etſi enim in ſpecie non tradantur omnia in Scriptura, omnino tamen poſſumus ex Scriptura diſcere modum, quo oportet nos ſalvos fieri, & ipſa Scriptura docet, undénam petere debeamus ea, quæ ipſa explicitè & immediatè non tradit.

D Sed audiamus denuò mentientem Hiſtoricum. *Dicunt*, inquit, *Scripturas ſacras ad tempus adaptatas, & variè intellectas ſecundùm currentem univerſalem Eccleſiæ ritum, mutato autem ritu iterum ſententiam mutari; & mutato judicio Eccleſiæ, mutari etiam judicium Dei.* Nihil video præter mendacia craſſa & luculenta. Aliquísne Jeſuitarum ita inſaniat, qui hæc & ſimilia tam indocta & blasphema effundat? Conſtans & ſtabilis uniformísque Scripturæ, utpotè à Spiritu ſancto dictatæ, ſenſus eſt, non mutabilis & variabilis in horas. Hoc docemus, hoc profitemur, publicè, privatim, in templis & in ſcholis. Pudeat itaque vos Prædicantes tantæ impudentiæ ſimul & diabolicæ malitiæ, qua quidvis cuivis ſine ullo timore DEI imponitis. Sed quid de Scriptura ſentiamus, variis noſtrorum teſtimoniis docere incipit. Ait ergo, *Romæ quendam è noſtris dicere ſolitum, ſi quis Conciliorum & Eccleſiaſticarum controverſiarum judicem ſacra Biblia ſtatuat, eum haud aliter ineptire, quàm qui in foro judicem ſurdum & mutum conſtituat.* Ego verò nihil, quod falſum ſit in hoc dicto, animadverto, imò id longè veriſſimum eſſe, docet vos quotidiana experientia. Quas enim, oro, controverſias cum adverſariis veſtris, Scriptura judice, hactenus compoſuiſtis, E cùm de ipſius Scripturæ judicis ſenſu, mente, & ſententia totis viribus dimicetis? nam quòd Scriptura dicat, vel dixerit, ſe favere Ubiquiſtis Paniſtis contra Calviniſtas, id nunquam accidiſſe arbitror. Mentitur autem cùm ait, *Patrem illum addidiſſe, ſolùm Papam rectè Scripturam interpretari nôſſe, quippe qui ſit vivum Dei Verbum, viva lex & interpres*, etſi enim Pontifex, quà Pontifex, ſit Scripturæ interpres certiſſimus, & minimè fallax, legitimúsque omnium controverſiarum judex, alios tamen Doctores quoque Catholicæ Eccleſiæ Scripturam rectè interpretatos eſſe, & etiamnum interpretari, nemo eſt, qui neget, præter Prædicantes.

Sequitur aliud mendacium. *Gregorius de Valentia*, inquit Hiſtoricus, *Landſpergæ mecum de* CHRISTI *omnipræſentia diſputans, ait: Schmidelinus urget contra me ipſum verbum, neque negare poſſum, ipſum & reliquos Lutheranos pro ſe literam habere, ſed nos neque literam, neque literalem ſenſum, ſed ſolum Catholicum intellectum ubique requirimus, à quo cùm diſcedant Ubiquetarii iſti, nunquam conſentire poterimus.* Mentitur impudentiſſimè, ut non immeritò miretur Gregorius de Valentia, Polycarpum hoc mendacium ſpargere & publicare fuiſſe auſum, cùm ex libris Gregorii, quos contra Ubiquiſtas edidit, clariſſimè refellatur; nam quivis etiam cæcus ex illis intelligere poterit, Schmidelinum cum ſuo grege, ne in ſpeciem quidem probabile argumentum pro informi Ubiquitatis monſtro ex Scriptura attuliſſe, aut afferre potuiſſe, tantum abeſt, ut ab ipſo Scripturam in nos ſtare confiteamur. Deinde quid illud eſt, *nos Catholicum ſenſum, non literam, aut literalem habere*, quaſi ſenſus Catholicus non ſit literalis, & literalis non ſit Catholicus. Vos neque Catholicum, neque literalem ſectamini, ſed Lutheranum, id eſt, hæreticum. F Pag. 235.

Dimiſſo Gregorio, mendaciis inceſſit P. Hoffæum. *Hoffæus*, inquit Hiſtoricus, *cùm urgerem particulam univerſalem in inſtitutione cœnæ Dominicæ: Bibite ex hoc omnes, reſpondit: Non ipſum verbum, nec verborum ſenſus, ſed Eccleſiæ Romanæ mens contemplanda eſt, & quæ illa ordinat, credenda ſunt.* Mentitur Calumniator, nunquam P. Hoffæo in mentem venit, ſenſum Scripturæ à mente Eccleſiæ Catholicæ, aut hanc ab illo ſeparari, quaſi aliquando diſcrepent, aliúsque ſit ſenſus Scripturæ, & alia mens Eccleſiæ. Nemo ſanus id aſſeruit, veſtræ ſunt iſthæc calumniæ & næniæ. Nam is verus & genuinus loci illius: *Bibite ex eo omnes*, ſenſus eſt, quem Eccleſia nobis & verbo & ipſa quotidiana praxi proponit. Vide Gregorium de Valentia & Bellarminum. G

Atrocius mendacium eſt, quod ſubdit: *Turrianus*, inquit Hiſtoricus, *de juſtificatione mecum conferens, ajebat: Non Pauli verba, ſed* H Libro de legit. Euchariſtiæ uſu, cap. 3. lib. 4. de Euchar. cap. 25.

A *ſed Eccleſiæ interpretatio tenenda eſt, hæc enim eſt vivus verborum Pauli interpres, illa ſunt litera mortua.* Veritas hunc hominem penitus deſeruit. Hoccine Turrianus dixerit? nunquam in cor illius talis blaſphemia aſcendit. Quid enim? An Eccleſia, cùm Scripturæ ſenſum nobis aperit, verba Scripturæ deſerit? Minimè verò. Verba ipſa Scripturæ ponderat, perpendit, & quid ſibi velint, accuratiſſimè diſcutit, at non Grammaticè, ùt vos ſoletis, ſed Theologicè. Sed pergit.

B *Jeſuita Georgius Ingolſtadii, mecum de omnipræſentia conferens, dicebat: Quid mihi profers Scripturam, quam quilibet hæreticus pro ſe citat? Ego dico de Chriſto: Me non ſemper vobiſcum habebitis. Tu dicis: Ego Chriſtus vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Quis igitur erit judex? Reſpondebam, ipſa Scriptura. Reſpondit, abſit, mutus enim judex ſententiam ferre non poteſt.* Quæſo, quid hîc habet, quod miſer carpat? An non rectè ab illo noſtro reſponſum eſt, cùm enim de ipſa Scriptura lis & quæſtio eſſet, quomodo ad Scripturæ judicium provocare potuit Helias? Nam ubi, & quibus verbis hanc litem terminâſſet Scriptura? An his duobus locis? At de his ipſis quærebatur & litigabatur. An aliis? Sed quibus? Proferant locum, qui dicat, illum locum: *Et ecce ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi,* Matth. 28.

C intelligendum eſſe de præſentia Ubiquiſtica Chriſti ſecundùm humanam naturam, & illum: *Me non ſemper vobiſcum habebitis,* non eſſe intelligendum de abſentia, ſeu modo aliquo abſentiæ Chriſti ſecundùm humanam naturam. Certè tali caſu ad Scripturæ judicium appellare, contra omnem judicii rationem eſt; nam in quovis judicio ita fertur ſententia pro altera parte, ut pars altera evidenter ſciat & audiat, ſe amiſſâ cauſa damnatam eſſe, ùt inductione patebit omnia judiciorum genera percurrenti. At cùm ad Scripturæ tribunal cum veſtris adverſariis acceditis, nihil horum vident vel audiunt adverſarii, quin potiùs vos jugulari & cauſa cadere putant, & publicè prædicant. Sed progrediamur.

D *Colonienſes*, inquit, *vocant Scripturam verbum abbreviatum, imperfectum, doctrinam, quæ non omnia ad fidem, bonos mores, & beatam vitam conſequendam contineat, hanc traditionibus eſſe complendam.* Scriptura rectè dicitur verbum abbreviatum. Nam ſi non eſt abbreviatum verbum, cur tot Commentariis & paraphraſibus eam dilatatis & explanatis? Non eſſe imperfectam, dixi jam ſuprà: continet enim omnia ad ſalutem neceſſaria, vel immediatè, vel mediatè: explicitè vel implicitè; ipſas etiam traditiones Apoſtolicas, hoc ipſo, quòd mandat, ut 2. Theſ. 2. ſtemus & teneamus traditiones, quas didicimus ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.

Mentitur autem, ex Scriptura, Colonienſium ſententiâ, certum & ratum intellectum E
dari non poſſe; Nam neque Colonienſes, neque alii id unquam ſcripſerunt, ſed Kemnitius & ſimiles rabulæ fraudulenter ad odium Catholicis concitandum id confinxerunt.

Eſt etiam ſacra Scriptura *plumbeum inſtrumentum*, ùt ſuprà diximus de naſo cereo, non nobis, ſed vobis, quia ſi ad veſtra ſomnia eam inflectere & detorquere nequeatis, frangitis & rumpitis, ùt videre eſt in multis ſacri Canonis libris, quos cum nullis gloſſis & commentis veſtræ ſectæ aptare potuiſſetis, de medio ſuſtuliſtis, & ex numero ſacrorum voluminum exterminâſtis homines plumbei cordis & oris.

Jeſuitæ, inquit, *Italici curârunt, ne ſacra Biblia lingua Italis vernacula imprimerentur.* Unde probat Hiſtoricus hoc figmentum, ùt & illud, *quòd Novitiis Germanica Bibliorum lectione omnino interdicamus?* niſi fortè loquatur de Germanicis Bibliis Lutheri; hæc enim non modò Novitiis, ſed & aliis ab Eccleſia meritiſſimò ſunt prohibita. Hæc etiam citiùs *hæreticum Lutheranum*, quàm *Catholicum Romanum* fecerint, ùt & omnis Bibliorum lectio, ſive Latina, ſive Græca, ſive Hebraica, ſive Germanica, ſi quis ad eam illotis pedibus & manibus, veſtro more, accedat, & non tam quid Scriptura dicat, quàm quid phantaſia dictet, attendat. F Pag. 236.

In omnibus, inquit, *locis, ubi Jeſuitæ graſſantur, omnes Laici à ſacræ Scripturæ lectione arcentur.* Mentitur. Nam qui Latinè nôrunt, aut Græcè, aut Hebraicè, legunt Biblia Græcè, Latinè, aut Hebraicè. Germani utuntur Germanicis Bibliis Dietenbergeri, quæ nemini prohibentur, ſed liberè paſſim apud Catholicos imprimuntur, venduntur & leguntur. Veſtra Lutherana Biblia non toleramus, neque tolerare debent Catholici Antiſtites; qua enim fide Biblia in peregrinas linguas tranſtulerint Lutherani, ſæpè demonſtratum eſt à multis. G

Coronidem tandem mendaciis imponere H
volens: *Hæc*, inquit, *Jeſuitarum de ſacra Scriptura ſententia eſt, ex illorum ſcriptis & ore fideliter, & ipſorum quidem verbis adducta.* Rogo Lectorem, ut legat Gregorii de Valentia Analyſin, & primam controverſiam tomi primi Bellarmini, & clarè deprehendet, quàm ſplendidè hîc mentiatur Calumniator, id quod jam ex dictis quoque ſatis perſpicuum relinquitur.

Illud riſu perquam dignum eſt, cùm ait, *inter omnes fideles conſtare,* JESU *Chriſti & ejus Apoſtolorum regulam aliam nullam fuiſſe, quàm Scripturam ſacram canonicam:* Ergo Chriſtus verus DEUS & homo ſua dicta & facta ad Scripturam tanquam ad regulam quandam exigebat, & ne fortaſsè ſacris literis inconſultis à vero ſcopo aberraret, Scripturas ſcrutabatur, juxta illud veſtrum:

Scru-

A *Scrutamini Scripturas.* Fortè etiam Biblia ſecum ſub axillis circumferebat, ùt ſolent nunc Lutherani opifices. Fortè ipſum novum Teſtamentum, & Epiſtolas Pauli, quamvis nondum ſcriptas, ſæpiùs lectitabat. Inſulſe nugator. Diſce ipſum Chriſtum ſibi fuiſſe normam & canonem, neque his externis ad vitam inſtituendam alióſque erudiendos adminiculis eguiſſe. Diſce, Apoſtolos fuiſſe Apoſtolos & Apoſtolico munere diu antè functos, quàm novi Teſtamenti Scriptura conſcriberetur. Diſce, nos alióſque omnes Religioſos, qui præter ſacram Scripturam proprias Ordinis ſequimur regulas, non propterea ſacram Scripturam tanquam non ſequendam repudiare. Nam & regulæ Ordinum nihil aliud ſunt, quàm rivuli quidam, ex perenni illo ſacrarum literarum fonte deducti, in quo etiam continentur hoc ipſo, quòd in ſacris literis omne illud, quod ad vitæ perfectionem, plenámque ſui abnegationem, mediatè vel immediatè, directè vel indirectè comprehenditur. Quare nemo Religioſorum hominum unquam extitit, qui ſacram Scripturam ſummoperè non commendaret & ſuſpiceret, tanquam regulam vitæ, morúmque abſolutiſſimam, & planè divinam. Neque contrarium legit hæreticus in noſtris, aut in aliorum Religioſorum libris; nam quòd hîc denuò dicit, nos blaſphemare & calumniari Scripturam tanquam *librum imperfectum*, mendacii repetitio eſt, falsóque ad marginem citat Colonienſes, tanquam hujus dicti auctores. Etſi enim liber hic omnia in ſpecie non continet, continet tamen omnia in genere & implicitè, ùt ſuprà explicavimus, quod ſufficit ad hoc, ne Scriptura ſit manca aut imperfecta.

B *Dicunt etiam*, inquit Hiſtoricus, *Scripturam in præcipuis fidei articulis habere naſum cereum.* Adeò delectat hunc hominem mendacium, ut idem ſæpius repetere juvet, quem meritò dignum cenſeas, ob inveteratam mentiendi conſuetudinem, qui ſuſpendatur non naſo, ſed collo.
Pag. 237.

C *Dicunt etiam*, inquit Hiſtoricus, *ſacram Scripturam eſſe obſcuram & perplexam, ut ne quidem doctiſſimus planam ex ea ſententiam proferre poſſit.* Mentitur; nam licèt obſcura ſit Scriptura, poſſumus tamen ſtudio & labore, & inprimis divino auxilio adjuti, adhibita Eccleſiæ Patrúmque interpretatione ad ejus veram Germanámque intelligentiam pertingere.

D *Dicunt etiam*, inquit Hiſtoricus, *Scripturam non tantùm imperfectiorem & obſcuriorem eſſe, ſed & magis noxiam, quàm ut ab omnibus piis vel legi, vel intelligi poſſit, vel debeat.* Mentitur, non eſt hæc mens noſtra, neque oratio; hoc dicimus, plus nocere Scripturam, quàm prodeſſe, ſi legatur eo modo, quo vos eam legitis; contemptis videlicet & neglectis Patrum & Eccleſiæ interpretationibus, ita ut liberum, integrúmque cuivis ſit ſtatuere, hunc vel illum eſſe verum Scripturæ ſenſum, & Spiritui ſancto conſentaneum, etiamſi revera non ſit Scripturæ ſenſus, ſed inanis cerebri figmentum; hunc verò vel illum ſenſum Scripturæ repugnare, & à Spiritu ſancto alienum eſſe, etiamſi ipſiſſimus ſit Scripturæ ſenſus. Tali animo & libertate qui ſacros libros legit, is procul dubio plus detrimenti, quàm emolumenti inde accipit, non Scripturæ, ſed ſuo vitio. E

Congerit deinde Hiſtoricus multa Scripturæ encomia; ùt quòd ſit *lucerna pedibus, luménque ſemitis noſtris; præceptum Dominæ lucidum; illuminans oculos; pura, & quovis argento & auro mundior.* At quis negat hæc? Præconia hæc libentiſſimè Scripturæ concedimus. Eſt *lucerna pedibus noſtris, & lumen illuminans oculos*, quantum eſt ex ſe; at an tibi Polycarpe, tuísque ſociis actu lucerna ſit & lumen, de eo meritò ambigitur: nam & hic aſpectabilis Sol lucerna eſt, & lumen, ſed non cæco, non talpæ, non veſpertilioni, non noctuæ, non nycticoraci, ſed iis, qui & lucem ferre, & videndi ſenſu rectè uti queunt. Cùm igitur vos noctuæ & veſpertiliones & nycticoraces, aut cæci ſitis, aut cæcutientes, tenebrásque magis, quàm lucem ametis, meritò dubitatur, utrum lux Scripturæ vos illuminet, & an Cimmeriæ veſtræ tenebræ lucem hanc comprehendere poſſint. F

Poſt Scripturæ encomia convitiis pugnat Calumniator cum Jeſuitis, quibus omiſſis, audiamus, quàm animosè Hiſtoricus ſuos ad aſſiduam Bibliorum lectionem cohortetur; *Nullo modo*, inquit, *libertatem legendorum ſacrorum Bibliorum nobis à Chriſto Domino conceſſam Pontificum tyrannidi & Jeſuitarum libidini ſubjiciamus, ſed piè & liberè Verbum Dei legamus, ſcrutemur, meditemur, & vitam noſtram ad præſcriptum mandatorum ipſius inſtituamus.* Utinam verò id faceretis. Hæreſin hac hora abjuraretis; ſed piè & liberè & diligenter verbum Dei legere, nihil aliud eſt apud vos, quàm cum ſacris voluminibus atque adeò cum ipſo Spiritu ſancto ludere, excogitatis variis, novísque commentis, toti antiquitati incognitis. Quis enim tot opinionum portentis mundum implevit? Nónne vos Scripturæ ſcrutatores? Scrutatus eſt Brenzius cum Schmidelino Scripturam, & repererunt Ubiquitatem. Scrutati ſunt alii Lutherani & Calviniani, & ut maximè omnem induſtriam adhiberent, nullíque labori parcerent, hanc tamen Ubiquitatem reperire nequiverunt. Scrutatus eſt Illyricus Scripturam, & Oſiander ſenior, & quid invenerunt? Uterque monſtrum horrendum, quo G Pag. 239. H

A vix deformius apparuit. Scrutati sunt alii Prædicantes pari conatu, verùm nihil horum, sed quædam alia repererunt. Quid multis? Idem vobis scrutatoribus scripturæ accidit, quod aliquando iis, qui spectra vident, contingere solet; non enim omnes semper illa spectra vident, etiam eodem tempore & loco. Quid ita? Quia spectra sæpè non sunt extra, sed intra videntium capita & phantasias, quo fit, ut, cùm aliis monstrare volunt, quod ipsi in imaginatione circumferunt, meritò rideantur. Idem contingit vobis. Nam scrutando scripturam, arbitratu vestro, simulacra modis volitantia miris in cerebro efformatis, quæ in ipsa Scriptura inesse falsò creditis, lutis. Hinc cùm ea aliis ostendere vultis, ludibrio omnibus estis. Sic Schmidelinus in Colloquio Mompelgartensi monstrare volens in Scriptura Ubiquitatem, irrisus est à Beza; & vicissim Beza ludus fuit Schmidelino, cùm Calvinianam cœnam in Scriptura digito monstrare conaretur; nam Ubiquitas erat in Schmidelini, & cœna Calvi-
B niana in cerebro Bezæ, & non in Scriptura. Quomodo ergo Beza vidisset Ubiquitatem & Schmidelinus cœnam Calvinisticam? Nisi fortè Faber Tubingensis arrepta securi caput Bezæ diffindere voluisset, ùt olim Vulcanus Jovis, fortè tunc vidisset culinam, in qua cœna Genevensis coquitur. Neque verò Scriptura beatos prædicat vos Scripturæ scrutatores, sed illos, qui in lege Domini die & nocte meditantur, cum timore Dei, cum humilitate, pietatisque sensu & gustu, quales vos non esse, probat ipse exitus; non enim estis tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore, cujúsque folium non defluit, sed estis tanquam inutile lignum, cui maledixit Dominus sine foliis & fructibus virtutum, bonorúmque operum.

C ## *Refutatio calumniarum partis secundæ, quæ est de persona & officio Christi.*

DE Christi persona & officio, inquit Ubiquista Historicus, *falsa sentiunt Jesuitæ, falsa loquuntur, falsa scribunt,*
Pag. 239. *& falsa docent.* Quatuor mendacia; nunc perge mentiri. *De persona*, inquit, *Christi idem, quod olim Nestorius, & hodie Zwvingliani, sentiunt.* Zwvingliani & Calviniani Orthodoxam de persona Christi sententiam cum Catholicis retinuêre, quam cùm Helias Nestorio adscribit, mentiendi libidinem, crassámque suam insciti am prodit. Videat Lector Bellarminum & Gregorium de Valentia in libris contra Ubiquistas, ubi quæ sententia Nestorii fuerit de persona Christi, & quanto discrimine ab Orthodoxorum sententia distet, luculenter declaratur.
D *Naturas*, inquit Historicus, *unitas divellunt, & duas ex ipsis personas, seu duos Christos constituunt.* Mendacium hoc refellunt E
omnes syllabæ librorum, quos Theologi nostri, Bellarminus, Gregorius de Valentia, & Joannes Busæus contra invincibilem Ubiquetariorum ignorantiam ediderunt, & ante hos omnes Theodorus Peltanus in celebri illa disputatione Ingolstadiensi, quæ Schmidelino primò omnium cervicem fregit, & quæ ab ipsis etiam Calvinistis in gratiam Schmidelini & aliorum Ubiquistarum sæpius est recusa, ut taceam Commentarios Francisci Soarii in tertiam partem D. Thomæ, ubi ex instituto cum D. Thoma, Theologísque Scholasticis contra Nestorium disputatur, quod ab omnibus ex Societate Theologiæ Professoribus fieri solet, cùm ad quæstionem & articulos illos perveniunt. Ex quibus liquidò videbit Lector, quanta vanitate clamitent isti, nos Nestorianos esse, Christúmque *dividere & discerpere*, ùt loquitur hic Sycophan- Pag. 240.
ta, qui Lutherum *verè prædixisse* ait, in li- F
bello de Conciliis, *futuros aliquando esse in Papatu Nestorianos, præsensionem enim hanc & prædictionem jam natis Jesuitis impletam esse.* Qualis Propheta fuerit Lutherus, non multùm laboro, hoc scio, Lutheri augurium de Nestorianismo, si vanum non est, Jesuitas non implêsse. Cujus rei luculentissimum testimonium erit Caput 17. Gregorii de Valentia lib. 4. contra Ubiquistarum antesignanum Schmidelinum, qui eandem calumniam in nos conjecit, insigni impudentia, ùt & discipuli Vulcani illius Wirtembergici adhuc faciunt, quando in hoc argumentum incidunt; quod certè tam miserè & miserabiliter tractant, ut arbitrer, neminem paulò doctiorem & cordatiorem reperiri, qui ipsorum ex intimis præcordiis non misereatur, cùm iis de rebus scribant & loquantur, quas neque didicerunt unquam, neque præ stuporis magnitudine & vehementia discere possunt, quantumvis bonos & accuratos institutores jam dudum nacti. Sed venia dignandi sunt; nam quod nec est, nec esse potest, id nequit intelligi. At Brentiana ista Ubiquitas, neque est, neque esse potest, prout ab istis explicatur. Quid igitur mirum, si ne à suis quidem auctoribus intelligatur, quorum plerique eam non tam propter Christum, quàm *propter offam* defendunt, quod jam pridem communi ipsorum Lutheranorum sermone jactatum est; ex quorum numero fuit H
etiam noster hic magistellus, cujus argumentula, quæ ex Schmidelino corradit, millies jam sunt à nostris soluta, Patrúmque testimonia, quæ perperam & depravatè, more Ubiquetario, adducit, explicata. Nam quod ait, *Patres Ubiquisticam istam Christi majestatem plurimis locis agnovisse*, id purum putum mendacium est, & ubinam sunt illa Patrum testimonia? Hactenus neque Schmidelinus Ingolstadiensibus, & Gregorio

3. p. D. Thomæ q. 2. a. 2. & 3. & alibi. G

A rio de Valentia, nec Gerlachius Busæo, ea, quamvis sæpiùs moniti, adducere potuerunt; & quoties Patrum auctoritate novo opinionis portento auctoritas conciliandа est, toties adducunt nobis isti Jacobum Fabrum Stapulensem, quem tanti facimus, quanti Jacobum Fabrum Tubingensem, ejúsque in cathedra pestilentiæ successores, quippe hominem nuperrimum & semicatholicum, & Lutheri cum Erasmo prodromum; & tamen Ubiquistæ nostri verba illius ex Commentario super Caput 14. Joannis, magna cum pompa, verborúmque cæremonia proferunt, quasi nos & omnes Calvinistas unico Stapulensis auctoritatis pondere penitus depressuri & prostraturi essent, additis non semel, sed sæpius Thrasonicis istis admonitionibus ad oram libri: *Attendite Compilatores. Attendite Compilatores cum vestris Jesuitis*, perinde sanè, ac si nos ad Brentii & Schmidelini insulsos clamores & vociferationes attentos esse jubereht.

Wirtenb. in Refut. consensus Calvinist. Pag. 506.

B Sed regredior ad Historicum, qui, *quòd cælum empyreum* hîc ridet, nihil à Brentianista alienum facit. Sed oro, desinant Ubiquistæ cœlo locali, certísque spaciis circumscripto molesti esse, sive vocetur Empyreum, sive alio nomine, nullus Ubiquista eò veniet. Cœlum ipsi habent ubique, id est, etiam in ipso inferno, juxta illud: *Si descendero in infernum, ades.* Et hoc cœlum omnes Ubiquetarios tandem excipiet, nisi resipiscant. Et certè prudenti consilio posuerunt Brentius & Tubingensis Faber cœlum ubique. Quis enim aberret ab illo, quod est ubique?

C Hactenus de persona Christi, nunc de
Pag. 242. ejusdem officio mentientem audiamus. *De officio Christi*, inquit, *parùm abest, quin idem cum Judæis, Turcis & reliquis Gentibus sentiant.* Immane mendacium, cujus mirer, si Historicum in ipso inferno non pudeat. Sed probat mendacium mendacio: *Negant*, inquit, *Christum solum & unicum, propitiatorium sacrificium & Redemptionem totam & plenariam pro peccatis fuisse.* Mentitur, legat Lector librum Gregorii Valentiani de officio Christi Redemptoris & Mediatoris, & clarè perspiciet, Prædicantibus istis veritatem in postremis esse. Non enim quia cooperationem, studium & laborem no-
D strum requirimus ad Dominicæ passionis fructus percipiendos, quicquam perfectioni sacrificii illius propitiatorii detrahimus, ùt ex Gregorio de Valentia Polycarpus discere poterit; neque opera nostra passioni Christi tanquam supplementum addimus, ùt calumniatur hîc impostor, sed ea adhibemus, ut passio & mors Domini nobis salutaris sit & fructuosa. Nam ea conditione pro nobis Christus satisfecit, ut & nos operi manum admoveamus, & quæ nostrarum partium sunt, strenuè exequamur.

Sed ait Historicus: *Quæso verò, quid tandem apertissimis hisce scripturis respondebitis, quæ affirmant, quòd Christus solus torcular calcaverit, & nos redemerit ex omnibus iniquitatibus nostris, suóque sanguine nos emundârit ab omni peccato, &c. Anne eas pro Æsopi fabulis aut Marcolphi nugis habebitis?* Minimè, mi homo, sed te & Polycarpum pro Marcolpho & Æsopo habemus. Cogit autem me hujus nebulonis importunitas adscribere paucula ex Gregorio nostro de officio Chri-
E sti Redemptoris: Sic igitur ille: Offensa Cap. 2. atque indignatio Dei, quam justissimè per peccatum incurrit humanum genus, duobus quasi gradibus (licet enim docendi causa sic dicere) continebatur. Nam primùm gratia nos ille benevolentiáque sua gratuita & supernaturali destituit, æternæque damnationi addixit, quantum in peccatis nostris situm erat. Deinde firmiter etiam statuit, nobis, quicquid per nos unquam ad compensandam injuriam ipsi illatam faceremus, nunquam reconciliari.

F Ita fit, ut absoluta peccatorum remissio & liberatio à miseria & servitute peccati ac diaboli, duobus etiam quasi gradibus constet. Quorum primus est, ut Deus, quantum in ipso est, hominibus reconciliari velit, adeóque suppeditare ipsis præsidia, quibus indigent, ut in ipsius gratiam redeant, & pœnam peccatis debitam evadant, & aditum habeant ad beatitudinem æternam. Alter gradus est, ut eos tandem in gratiam suam recipiat, reatúque pœnæ solvat, júsque ipsis & aditum ad beatitudinem faciat.

G Jam Christus Dominus utrumque gradum remissionis peccatorum, liberationísque à miseria servitutis diaboli redemptionis opere cumulatissimè obtinuit nobis. Sed alio atque alio modo. Priorem quidem ita, ut sine ullo alio medio, omnes homines, hoc ipso tantùm, quòd Christus semel passus est, eum consequerentur. Hoc enim est, *delevisse ipsum*, ùt Apostolus ad Colossenses inquit, *ac sustulisse de medio* Cap. 2. *Chirographum decreti contrarium nobis, & affixisse illud cruci:* flexisse nimirum à severitate, quam peccata merebantur, ad misericordiam æternum Patrem, ut, quantum
H in ipso est, vellet jam omnibus propter Christum reconciliari, opémque ferre, ut in ejus gratiam redeant, reatúque pœnæ æternæ solvantur, habeántque jus & aditum ad beatitudinem. Posteriorem autem gradum, scilicet ut homines omnino in gratiam tandem Deus recipiat, reatúque pœnæ æternæ solvat, júsque iis conferat ad beatitudinem, ita Christus illis obtinuit, ut non nisi certa ratione & mediis, præter passionem suam ad id necessariis, illum consequerentur. Cujusmodi media sunt Fides, Baptismus, Pœnitentia, Obedientia, &c. juxta hæc Scripturæ loca: *Qui crediderit &* Marci 16. *bapti-*

A *baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et: *Ut prædicaretur in nomine ejus pœnitentia & remiſſio peccatorum.* Et: *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Ut jam alia teſtimonia prætereamus.

Lucæ 24. Hebr. 5.

B Ex his clariſſimè videt Lector, quomodo Chriſtus ſolus torcular calcaverit, & quomodo ipſe ſolus gratiam & miſericordiam à Deo mortalibus impetraverit, & qua ratione opera noſtra ad ſalutem prorſus ſine ulla meritorum & ſatisfactionis Chriſti imminutione exigantur, quandoquidem ipſe ſecundùm illum gradum non abſolutè, ſed cum noſtræ cooperationis conditione nobis obtinuit. Quare ſpectando duos illos remiſſionis gradus rectiſſimè dicitur Chriſtus ſola & totalis juſtificationis noſtræ cauſa. Spectando autem & includendo etiam noſtram cooperationem, & media, quibus ſecundum gradum obtinere debemus, tunc æquè rectè ex Chriſti meritis & noſtris, prout Domini meritis nituntur, unam totalem & adæquatam ſalutis noſtræ & liberationis à peccato cauſam conſtituimus. Quibus explicatis, evaneſcunt omnia Calumniatoris convitia.

C *Refutatio calumniarum tertiæ partis, quæ eſt de Spiritu ſancto.*

Pag. 244. *Spiritum ſanctum,* inquit Hiſtoricus, *& ejus operationes Jeſuitæ unà cum Turcis, Gentibus & Judæis reipſa negant.* Sacrilegum mendacium, dignúmque eo, unde prodiit, loco, nempe ipſo inferno. Videat Lector commentarios Gregorii de Valentia, & Ludovici Molinæ in primam partem divi Thomæ ad quæſt. 27. & reliquas de SS. Trinitate, & Bellarminum lib. 1. de Chriſto, cap. 14. & paſſim etiam lib. 2. déque ore & fronte iſtorum Prædicantium judicet.

D Sed probat, nos negare Spiritum ſanctum. *Utuntur ſæpè,* inquit, *hac loquendi forma: Spiritum habentes, in Spiritu, ſecundùm Spiritum, elaborate, ut Societatis Spiritum accipiatis.* Utimur his & ſimilibus loquendi generibus, non negamus, quid tum poſtea? *Quæſo,* inquit, *vos Jeſuitas per Deum immortalem, dicite nobis, quàm procul diſtent hæ veſtræ interpretationes ab hæreſi Macedonii, qui & ipſe Spiritum ſanctum non niſi vim, virtutem & energiam quandam in hominibus eſſe ſentit.* Nimirum tantum diſtat ſententia noſtra à Macedonii hæreſi, quantum veritas à falſitate, & Chriſtus à Belial, & lux à tenebris. Nam Macedonius volebat, Spiritum ſanctum minorem Patre & Filio, imò meram creaturam eſſe, ùt teſtatur D. Auguſtinus; num Jeſuitæ hoc docent? *At per prædictas loquendi formulas Spiritum ſanctum collocamus duntaxat in vi & operatione quadam.* Indignus eſt Calumniator reſponſo, quia ſciens, volénsque & repugnante conſcientia, hanc nobis affingit blaſphemiam, quam eodem jure tribueret Heliſæo Prophetæ, cùm duplicem Heliæ ſpiritum ſibi dari petiit, & Angelo, apud D. Lucam, qui D. Joannem Baptiſtam ſpiritu Heliæ donatum iri prædixit, & D. Paulo, qui monet, ne Spiritum extinguamus, & ut Spiritu ferventes ſimus: Scire enim debet Polycarpus & reliqui Calumniatores, Spiritum ſanctum, cùm omnia operetur in omnibus, & dividat unicuique prout vult, & quémque ad ſuum finem, metámque propoſitam dirigat, varia ſortiri nomina, licèt unus, immutabilis, & indiviſus in ſe permaneat. Dicitur enim *Spiritus Dei, Spiritus diſcretionis, Spiritus charitatis & caſtitatis, Spiritus patientiæ, Spiritus mortificationis,* quatenus à Deo procedit, hominibúsque prudentiam ſeu diſcretionem, charitatem, caſtitatem, patientiam & mortificationem largitur, eósque ad has ſimilésque virtutes divino ſuo igne accendit. Sic homo *Spiritum habens* ille dicitur, cujus in *pectore diffuſa eſt charitas per datum ſanctum Spiritum,* & Societatis Spiritu illum putamus prædituum, qui omnia ex regularum præſcripto, & ex Societatis noſtræ peculiari ratione agit. Sic F *Spiritum* Ordinis D. Franciſci, vel D. Dominici ille poſſidet, qui ad regulas à D. Franciſco, vel D. Dominico traditas, mores & actiones ſuas accuratè componit, & nihil niſi convenienter inſtituti ſui rationibus facit. *Hæc autem omnia operatur,* ùt inquit Apoſtolus, *unus atque idem Spiritus, verus Deus,* ex Patre Filióque procedens. Habes, Polycarpe, quid intelligamus per illas loquendi formulas: quòd ſi putarem, te necdum omnino deſperatum & depoſitum, mitterem te ad pulcherrimam quandam D. Cyrilli Hieroſolymitani de Spiritu ſancto, ejúsque variis in variis hominibus effectibus & appellationibus, catecheſin. Fortè exueres Spiritum mendacii & impudentiæ, veritatísque & modeſtiæ Spiritum indueres, ſi legens illam catecheſin, quid in te Dominus loqueretur, diligenter attenderes

E 4. Reg. 2. Lucæ 1. 1. Theſſal. 5. Rom. 12. I. Cor. 12.

Lib. de hæreſ. cap. 52.

G Pag. 245. Pergit Hiſtoricus mentiri: *Spiritus ſancti operationes,* inquit, *in Baptiſmo extenuant, dum Societatis ingreſſum alterum Baptiſmum definiunt.* Si propterea extenuamus operationem Spiritus ſancti in Baptiſmo, quòd Religionis ingreſſum alterum quaſi Baptiſmum nominamus, eidem culpæ affines erunt D. Hieronymus, D. Bernardus, & alii Patres apud Hieronymum Platum, quem Lector conſulat. Lib. 1. cap. 13.

H Addit: *Omnes Spiritus ſancti energias ſuis traditionibus, regulis, conſtitutionibus, &c. diſciplinis, jejuniis tribuunt. Per hæc varia dona diſtribui dicunt, ipſum verò Spiritum ſanctum excludunt.* Mentitur. Omne donum de ſurſum eſt, *deſcendens à Patre luminum.* Jacobi 1.

A *minum.* Necdum mentiendi finis. *Quid, quod Spiritui ſancto*, inquit, *alas, quantum in illis eſt, præcidunt, dum non toti Eccleſiæ, eum communem relinquunt, ſed ſolì Papæ, & Synagogæ ejus alligant.* Mendacium eſt in Spiritum ſanctum. Toti Eccleſiæ præeſſe Spiritum ſanctum, totam gubernari & ſanctificari à Spiritu ſancto, docemus & prædicamus publicè & privatim, neque contrarium audiviſtis, aut in poſterum audietis ex ullius Jeſuitæ ore.

Refutatio calumniarum quartæ partis, quæ eſt de Angelis.

B Pag. 245. *ANno M. D. XXCII. P. Mayrhofferus*, inquit Hiſtoricus, *ex Platone, Ariſtotele, Eckio, & conſimilibus Jeſuitarum Prophetis multa, ùt putabat, ſubtilia, ſed verè parùm utilia de Angelis, mente Thomæ Aquinatis, & ſenſu Scoti Lombardique diſſeruit; ùt de novem Angelorum Choris, de throno beatæ Mariæ inter illos, de illorum eſſentia.* Cuperem ſcire, ex quonam Platonis aut Ariſtotelis libro diſputaverit P. Matthias Mayrhoffer de novem Angelorum choris, & de throno ſanctiſſimæ Deiparæ. *O impudentiam*, exclamat Hiſtoricus, *Paulus in tertium cœlum raptus, ejus tamen modeſtiæ eſt, ut profiteatur, ſe audiviſſe arcana verba, quæ fas non ſit homini loqui, at iſte abſterſa omni modeſtia ita fidenter de abſconditis iſtis myſteriis agebat,* C *ut nihil ſuprà.* Diſputabat nimirum P. Mayrhoffer eo modo, quo D. Thomas, aliíque Scholaſtici, adhibita ſacra Scriptura & ratione, conſultísque veterum Patrum ſententiis diſputare ſolent non tantùm de Angelis, ſed & de aliis fidei noſtræ myſteriis, quem diſſerendi modum nemo, niſi impudens, impudentem appellaverit. Et quæ, obſecro, hæc eſt argumentandi forma? Paulus in tertium cœlum raptus nihil de Angelis diſputavit: Ergo effrons & projectè audax eſt, qui nunc de Angelis diſputat. Videat Lector Gregorium de Valentia in primam partem D. Thomæ ad quæſt. 50. & ibid. Ludovicum Molinam, judicétque, num noſtræ diſputationes de Angelorum choris, ordine & natura D. Paulo, ſacrísque literis & Patribus antiquis conſentaneæ ſint, an ſecùs.

D *Sed quid mirum*, inquit Hiſtoricus, *iſtos de Angelis diſputare, Societas hæc Angelis ſe comparat, & Angelicam ſe puritatem ſectari in regulis gloriatur.* Mentitur impudentiſſimè. Nam neque cum Angelis nos comparamus, neque gloriamur Angelicam puritatem nos ſectari, ùt ex ipſa regula de caſtitate, quam ſuo loco recitavimus, perſpicuè conſtat. Regula enim nihil aliud dicit, quàm ut enitamur Angelicam mentis & corporis puritatem imitari, quod certè non eſt, ſeſe Angelis comparare, aut de Angelica munditie gloriari, niſi fortè, quia ad Dei miſericordiam, ſanctitatem, & perfectionem ipſa DEI voce nos conformare jubemur, etiam cum DEO nos comparamus, & de perfectione divina gloriamur. Quòd autem caſtos, & in carne ſine carne viventes interdum Angelos, Angelíſve ſimiles nominamus, id à ſanctis Patribus didicimus, quorum doctrinæ modíſque loquendi longè ſatius eſt adhærere, quàm profanis Lutheranorum novitatibus. E

Tandem Hiſtoricus in rabiem converſus, inſtituta bonorum & malorum Angelorum antitheſi inſtar furioſi in nos invehitur, mille convitiis maledicentiſſimis inſtructus, quæ nullius eſſet negotii ad ſuos auctores remittere. Sed non eſt operæ, quin potiùs duplici titulo nobis gaudendum cenſeo, tum quia digni ſumus pro nomine JESU contumelias pati, tum quia nemo prudens, quantumvis de Proteſtantium numero, tantam calumniandi & maledicendi licentiam & petulantiam, ſine Heliæ & Polycarpi deteſtatione, legere & ferre poterit. F Pag. 246. 247. Act. 5.

Refutatio calumniarum partis quintæ, quæ eſt de imagine Dei in homine.

G DE Imagine Dei in homine, quæ noſtra, imò omnium Catholicorum ſit ſententia, reperiet Lector apud Gregorium de Valentia tomo 2. Commentariorum Theologicorum, & apud Bellarminum tom. 3. Videamus nunc mendacia Hiſtorici; nam ignorantiam, qua diſputat de hac imagine, quaſi in ſola accidentali perfectione, neſcio qua, conſiſtat, libens volénsque ei condonabo. *Quid Jeſuitæ*, inquit, *dicunt? imaginem Dei in homine eſſe juſtitiam, bonas inclinationes & concupiſcentias, quas homo ex infuſis qualitatibus, & puris naturalibus perfectè faciat.* Mendacium huic orationi ſubeſſe video, quid præterea ſibi velit, non ſatis diſpicio, tam intricata eſt & implicata. De mendacio, res extra dubium eſt, imaginem enim hanc collocamus in ipſius hominis natura & mente, quatenus ſecundùm eam homo intelligentia, memoria & voluntate præditus eſt, H ídque ex doctrina D. Auguſtini, quo fit, ut nullis peccatis deleri aut jam poſſit, aut olim potuerit, mens enim ſecundùm ſuam ſubſtantiam incorrupta manet, quantumvis homo flagitiis ſe cooperiat, obſcuratam tamen fuiſſe hanc imaginem per peccatum, libenter concedimus: ſicut enim accidentalis juſtitia & ſanctitas naturæ hominum initio addita divinam imaginem homini impreſſam illuſtravit, atque perfecit, quatenus homini ſuppeditabat facultatem, ut omnibus vitæ actionibus, animæque viribus juſtitiam & perfectionem Dei imitaretur: ita ejuſdem juſtitiæ & ſanctitatis amiſſio eandem imaginem obſcuravit, & quaſi caligine quadam obduxit. Hinc mentitur Hiſtoricus, cùm ſcribit, *dicere nos, imaginis hujus ſimilitudinem maximè conſpici in hominibus*

Disp. 6. q. 12. p. 1. in confut. erroris Illyrici. lib. 5. cap. 3.

Pag. 248. 249.

Lib. 14. de Trinit. cap. 3. & 8.

Refut. cap. 6.

A *nibus ſpiritualibus & devotoriis, qui mundum ſint egreſſi, & contemplativam vitam ducant.* Nam ſi eſſentiam & quaſi ſubſtantiam hujus imaginis ſpectemus, in omnibus omnino hominibus æqualiter apparet; ſi autem ornatum quoque ejus, qui eſt juſtitia & gratia, conſiderare velimus, tunc quò homo ſanctior, & gratia plenior erit, eò magis in illo imago hæc elucebit. *Suos quoque ſocios*, ait Hiſtoricus, *dicunt habere imaginem Dei.* Quid ni? Imò ut quivis in altero Deum tanquam in ſua imagine agnoſcat, & quaſi præſentem intueatur, præcipit nobis parens noſter Ignatius in quadam regula. Nam Deus generatim dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Neminem excepit. Jure ergo in quovis homine hanc Dei effigiem veneramur.

Geneſ. 1.

B *Per lapſum*, inquit Hiſtoricus, *primorum parentum eam plenè ſublatam negant.* Meritò negamus, ſempérque negabimus. Manente enim hominis mente, manet etiam imago Dei in homine, & vos, dum eam penitus obliteratam fuiſſe inſipienter contenditis, ſimul etiam hominem deſiiſſe eſſe hominem affirmare debetis.

C Addit: *Concupiſcentias malas veniales tradunt.* Mentitur. Nam concupiſcentia per ſe omnino nullum eſt peccatum, niſi conſenſus accedat. Vide Gregorium de Valentia tomo 2. commentariorum Theolog.

Diſput. 6. q. 12. p. 1. in Refutat. Sect. de peccat. origin.

Majus mendacium eſt, quod ſequitur. *Vitium*, inquit, *originis non agnoſcunt.* Inſanire oportuit hunc hominem, cùm iſta ſcripſit. Conſulat Lector Gregorium de Valentia, & Bellarminum, & Theodorum Peltanum. Subjicit: *Intellectus cæcitatem & voluntatis averſionem rectitudinem putant.* Mendacium hoc redarguunt iidem auctores iisdem locis. Sequitur aliud. *Veram Dei imaginem*, inquit, *non regeneratione per Spiritum ſanctum, ſed ingreſſu Religionis, variisque pœnitentiis, & quotidianis mortificationibus in homine recuperari nugantur.* Nugaris & mentiris. Nam id propriè recuperatur, quod amittitur, imago Dei in homine nunquam amittitur, ùt antè explicatum eſt: non ergo recuperatur. Splendor, & lux, & perfectio ejus per peccatum amiſſa recuperantur per Spiritum ſanctum in Baptiſmo, aliorúmque Sacramentorum ſuſceptione, virtutúmque exercitatione, & velis nolis, Religionis ingreſſu, ſeculi contemptu, ſui abnegatione & abdicatione, pœnitentiis ultrò etiam ſuſceptis, & quotidianis mortificationibus.

Tom. 2. diſp. 6. q. 11. & 12.
Tom. 3. lib. 4. & 5. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati.
Lib. de peccato Originis.

Refutatio calumniarum partis ſextæ, quæ eſt de providentia Dei.

D Pag. 250. *PRovidentiam*, inquit Calumniator, *tollunt Jeſuitæ & negant, dum dubitationes de promiſſionibus Dei abſolutis introducunt.* Mentitur dupliciter. Nam & providentiam Dei totis viribus aſſerimus; E Vide Gregorium de Valentia in primam partem D. Thomæ quæſt. 22. de Providentia, & ibidem Ludovicum Molinam; & dubitationes nullas de promiſſionibus Dei introducimus, quin potiùs illis firmiſſimè innitendum & ſine ulla hæſitatione fidendum eſſe ubique docemus. Itaque tertium mendacium eſt, cùm nos affirmare ait, *neminem de ſalute ſua certum eſſe poſſe*; nam licèt ſtultam illam fidem hæreticorum, quam ſpecialem nominant, de cujúsque juſtificatione tanquam ſtolidum figmentum repudiemus; moralem tamen certitudinem gratiæ & ſalutis libenter omnibus illis concedimus, qui vocationem ſuam bonis operibus, virtutúmque ſtudio certam facere conantur. Videat Lector Gregorium de Valentia tomo 2. Commentariorum Theologicorum, & Bellarminum tom. 3.

Diſp. 8. q. 4. p. 4. lib. 3. de Juſtificatione.

Quartum mendacium eſt, *nos ubi verbo Dei caremus, minimè dubitare: ubi verò promiſſiones habemus, quibus tutò credere poſſemus, ibi dubitandum eſſe cenſere.* Nihil minùs facimus. Nam quod addit de Sacrificio Miſſæ, cui tantùm tribuimus & fidimus, *ne verbum quidem in Scriptura haberi*, meritò quarto mendacio annumeratur. Conſulat Lector duos libros Gregorii de Valentia, & totidem Bellarmini de Sacrificio Miſſæ, judicétque, utrum nullum verbum de SS. Miſſæ Sacrificio in Scriptura habeatur.

F

G Quintum mendacium eſt, *nos his verbis, quæ toties in Evangelio repetuntur: Ut omnis, qui credit in Chriſtum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, nihil fidei tribuere;* Impudens profectò mendacium. Nam certiſſimè & firmiſſimè credimus, id ita eſſe, ùt divina vox teſtatum reliquit. At verò Polycarpum & ſimiles ex eorum numero re vera eſſe, qui fide viva & ſalvifica in Chriſtum credant, atque adeò perituri non ſint, id minimè credimus, neque unquam, quoad hæretici manſerint, credemus, & ſi Catholici fiant, ſperabimus quidem, nobísque perſuadebimus, eos eſſe tales, ſed cum formidine oppoſiti.

H Sextum mendacium eſt, *nos providentiam Chriſti & fidam ipſius curam pro Eccleſia ſua tollere, hoc ipſo, quòd Romanum Pontificem Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarium conſtituimus, ſanctósque in cælo regnantes invocamus.* Mendacium hoc cum inſigni blaſphemia conjunctum eſt.

Fortè etiam vos, cùm Superintendentes, &, ſi ſuperis placet, Epiſcopos conſtituitis, qui certarum Synagogarum curam gerant, Dei providentiam tollitis, eúmque in ſupremo cœlo otioſam vitam agitantem Epicureo more collocatis. Fortè etiam D. Paulus, cùm toties Chriſtianorum preces imploravit, cùm pro Regibus, omnibúsque illis, qui in ſublimitate ſunt, orationes inſtitui juſſit, dormitantem Deum, 1. Timoth. 2.

résque

résque humanas negligentem, ex profundo ſomno exſuſcitare voluit.

A Septimum mendacium eſt, *nos tollere eandem Dei providentiam, & univerſalem omnium curam, dum more Stoico Chriſtum ad Miſſam, & Spiritum ſanctum ad ſedem Catholicam alligamus.* Nos neque Chriſtum alligamus ad Miſſam, neque Spiritum ſanctum ad Eccleſiam Catholicam. Nam & Chriſtus in Euchariſtia eſt non ligatus: & Spiritus ſanctus in Eccleſia, & Spiritus ſpirat, ubi vult, & quando, & quibus vult.

Pag. 251. Octavum mendacium eſt, *nos cœlum & inferos penitus negare.* Obſecro, aſpiciant ſaltem Prædicantes Catechiſmos noſtros, videántque, utrum ex illis articulum de inferno & cœlo expunxerimus.

Nonum mendacium eſt, *non paucos Paparum de Dei providentia & immortalitate animæ prorſus dubitâſſe.* Qui ſunt iſti Papæ? Sed de hoc, capite penultimo.

B Decimum mendacium eſt, *plerosque Jeſuitarum animam agentes deſperare ſolitos:* Mentitur profligatiſſimè; nam & Joannes Kleo Lucernæ, & M. Joannes Trellius Landſpergæ, quos hîc exempli cauſa adducit Veterator, placidiſſimè diem extremum obiêrunt, ùt teſtantur adhuc, qui morientibus uſque ad ſupremum ſpiritum adſtiterunt, & tamen effrontem iſtum nebulonem dicere non pudet, ſe & literis & ſermone Jeſuitarum, imò ſuis oculis vidiſſe, ambos deſperâſſe, cùm ipſe Lucernam nunquam viderit.

Refutatio calumniarum partis ſeptimæ, quæ eſt de arbitrio hominis poſt lapſum.

C Pag. 252. MEntitur Hiſtoricus, cùm ait, *D. Bernardum ſententiam Catholicorum de libero arbitrio damnâſſe, ùt Pelagianam.* Bene fecit, quòd locum D. Bernardi non notaverit, aliàs valdè malè ſibi conſuluiſſet. Affertur quidem locus ex ſermone 81. in Cantica, ubi D. Bernardus voluntati neceſſitatem tribuere videtur primo aſpectu. Sed ille locus explicatur, & ab hæreticorum impoſturis vindicatur à Bellarmino, ad quem Lectorem remitto.

Lib. 3. de gratia & libero arbit. cap. 6.

D Addit Hiſtoricus: *Aſſerunt, liberum arbitrium, reſpectu etiam gratiæ extrinſecus advenientis & prævenientis voluntatem, non merè paſſivè, ſed activè ſeſe habere.* Etſi gratia præveniens diverſa conſideratione variis modis accipi ſoleat, ùt docet Gregorius de Valentia, hoc tamen nomen potiſſimùm meretur divina vocatio, ùt refertur tum ad juſtificationem, tum ad converſionem. Ad hanc igitur gratiam prævenientem ſeu vocantem licèt voluntas noſtra concurrat activè & elicitivè, ſecundùm probabilio-

Tom. 2. d. 8. q. 3. p. 6.

rem ſententiam (continetur enim gratia E præveniens, prout idem eſt quod vocans ſeu excitans, motibus quibusdam ab ipſa etiam voluntate, divino auxilio adjuta elicitis) non tamen liberè, atque adeò non ùt liberum arbitrium, ſed potiùs ùt natura Loc. cit. p. 3. concurrit. Vide Gregorium de Valentia.

Pergit mentiri: *aſſerunt*, inquit, *voluntatem ſeſe ad gratiam recipiendam præparare poſſe, & cauſam propriæ converſionis exiſtere conſentientem per ſe, conſenſum enim ex liberi arbitrii integritate provenire, ſeu ex ſubſtantialibus animæ potentiis & puris naturalibus, eisque hominem ſe ad gratiam præparare, ac legi Dei ſatisfacere poſſe.* Involutis his verbis & implicatis, ſi quis ea evolvere & explicare velit, non pauca mendacia tegi animadvertet; breviter me expediam. Voluntatem ſolis ſuis viribus ad gratiam recipiendam ſeſe præparare, & ex ſola arbitrii libertate divinæ vocationi conſentire poſſe, & cauſam adæquatam converſionis eſſe, nemo Jeſuitarum unquam docuit, actibus enim fidei, charitatis, pœnitentiæ, ſpei & timoris ſupernaturalibus conciliatur juſtificatio & converſio, ad quos tamen actus activè concurrimus, & non paſſivè tantùm, ùt hæretici indoctè contendunt. Qua de re legere G poterit eruditus Lector Gregorium de Va- Loc. cit. q. 5. lentia, ubi omnia hæc accuratiſſimè con- p. 4. trà ſectariorum inſcitiam explanat. Quia verò noſtram quoque voluntatem & liberum arbitrium concurrere dicimus ad juſtificationem, calumniatur hic ſycophanta, nos *Pelagianos eſſe*, ſolíque naturali induſtriæ, & conatui converſionem, & ſalutem noſtram, excluſo Spiritus ſancti auxilio & ſubſidio, adſcribere. In quo planè, ùt & alii hæretici, vel ex improbitate, vel ex inſcitia hallucinatur. Nam media & regia via incedimus cum Catholicis, & neque ſoli naturæ, excluſo Deo, neque ſoli Deo, excluſa actuali noſtra cooperatione juſtificationis opus aſſignamus, ſed utrique, & Deo, & libero arbitrio, tanquam cauſæ cuidam totali & adæquatæ. Neque verò ſententia hæc ſtudium divinæ opis implorandæ & aſſiduis precibus efflagitandæ imminuit, nihil enim poſſumus ſine Deo, & non ſumus ſufficientes quidquam cogitare ex nobis tanquam ex nobis, ſed tota ſuffi- 2. Cor. 3. cientia noſtra ex Deo eſt. Neque ulla H Scripturæ loca naturæ & virium noſtrarum imbecillitatem exaggerantia actualem voluntati concurſum adimunt, tantùm enim ſignificant, nos ſolos, non adjutos, Deíve ope ſuſtentatos & erectos, nihil penitus poſſe, quod veriſſimum eſſe, uno ore omnes confitemur. Quibus explicatis, in auctorem recidunt omnia convitia & mendacia, quæ hîc præterea effutivit.

Refutatio calumniarum partis octavæ, quæ est de Peccato.

Pag. 253. *Jesuitæ*, inquit Historicus, *quosdam originis morbo singulari privilegio eximunt, ùt beatam Mariam, & suos sanctos seu perfectos.* Sanctissimam Virginem Mariam à communi & nativa hac labe immunem extitisse, piè credimus cum majori parte Ecclesiæ, quotquot in hac Societate vivimus. Vide Gregorium de Valentia lib. de peccato Originali, & tom. 2. Comment. Theolog. (*a*), & Petrum Canisium (*b*), Turrianum (*c*), & Bellarminum (*d*), & Franciscum Soarium (*e*). Quòd alios absque hoc peccato conceptos esse doceamus, luculentum est Calumniatoris mendacium. Nam neque de ullo alio, præterquam de Diva Virgine, liberam fecit Ecclesia opinandi potestatem, sitne conceptus primævæ maculæ expers, an secus. Adjungit: *Quosdam absque peccato ex originis vitio ebullientes esse dicunt, & concupiscentiam omnem, quam homines post peccatum concipiunt, bonam esse affirmant, si tantùm illi non consentiant.* Miræ verborum ambages. Quid quæso intelligit nomine *peccati ex originis vitio ebullientis?* Num peccatum mortale, an veniale? Si illud, libenter fatemur, multos fuisse, & multos adhuc esse, qui sine mortalibus peccatis vixerint & vivant: Si hoc, mentitur impostor. Docemus enim cum Concilio Tridentino, præter B. Virginem, neminem sine peculiari privilegio & auxilio, omni peccato, tota vita sua, carere posse. Utrum autem præter D. Virginem alicui alii hæc gratia à Deo facta sit, id ipse novit, qui omnia novit. Mendacium etiam est, *nos docere, concupiscentiam in renatis esse bonam*, imò malum est, non culpæ, sed pœnæ. Mendacium item est, ex nostra opinione, *peccatum originis, tantùm abusivè & impropriè peccatum esse.* Nullo modo id docemus, propriè & univocè peccati rationem habet. Vide Gregorium de Valentia.

Cap. 3.

(*a*) Disp. 6. q. 11. p. 2.
(*b*) Lib. 1. de B. Virg. cap. 7.
(*c*) Epist. de peccat. orig.
(*d*) Tom. 3. lib. 4. de amiss. grat. cap. 15.
(*e*) Tom. 2. in 3. p. D. Thomæ.

Pag. 254.

Sess. 6. can. 23.

Tom. 2. disp. 6. q. 11. p. 1. & q. 12. punct. unic.

Negant, inquit, *omne id esse peccatum, quod legi divinæ contrariatur.* Mentitur, si, ùt videtur, loquatur de illo, quod legi divinæ repugnat cum voluntatis nostræ consensu. Nam illud, quod legi divinæ contrarium dicitur, eò quòd ad aliquid lege divina vetitum nos incitat, cujusmodi est prava concupiscentia, jam millies diximus, peccatum nullum in se, sed potiùs peccati pœnam esse. *Non concedunt*, inquit, *tantùm ex lege Dei peccata cognosci, licèt Paulus id affirmaverit.* Mentitur. Nam omnia peccata vel mediatè vel immediatè ex lege Dei cognoscuntur, hoc ipso, quòd omne peccatum est defectus voluntarius perfectionis ex divina & æterna lege, homini debitæ: Et illa etiam peccata, quæ deficiunt à regula legis naturalis & humanæ, desciscunt à lege æterna & divina hoc ipso, quòd etiam lege divina & æterna constitutum est, ut naturali legi & humanæ pareatur, cognoscitur autem peccatum per regulam, à qua deflectit. Vide Gregorium de Valentia. Nihilominus mentitur Historicus, si, ùt videtur, per legem Dei intelligat sacram Scripturam, quasi negemus, omnia peccata ex sacris literis cognosci posse. Nam licèt expressè non prohibeantur vel mandentur omnia in sacra Scriptura, implicitè tamen omnia prohibentur vel mandantur, quatenus Magistratui, legibúsque ab ipso latis obtemperare à sacra Scriptura jubemur. *Tradunt*, inquit, *ea propriè esse peccata, quæ cum Traditionibus & decretis Papæ, tacitis consuetudinibus, & receptis Romanæ Ecclesiæ moribus pugnant.* Tandem, tandem respexit hunc hominem Veritas, quem tamen non pudet, ipsam quoque veritatem calumniæ loco nobis objicere: Peccatum est non modò illud, quod à lege divina, sed & illud, quod ab humana legitimè lata & rogata discedit. Quare cùm jus leges ferendi habeat Pontifex & Ecclesia, licèt Hæretici negent, cúmque consuetudines ab omnibus receptæ vim robúrque legis obtineant, meritò dicimus, eum peccare, qui contra leges, & Ecclesiasticas consuetudines aliquid committit. *Dicunt insuper*, inquit Historicus, *ea tantummodò esse peccata, quæ homo ductu liberi arbitrii & scienter admittat.* Peccatum debet esse voluntarium, adeò, ut si voluntarium non sit, peccatum non sit. Hinc si quid voluntariè admissum non est, peccatum non est, ùt & illud, quod ignoranter perpetratum est, si quidem ea ignorantia voluntarium tollat; datur enim ignorantia, quæ non facit involuntarium, & quod hinc efficitur, à peccato non excusat. Quam rem ut Polycarpus intelligeret, libenter mitterem illum ad Gregorium de Valentia, nisi vererer, ne mitterem asinum ad lyram.

Tom. 2. d. 2. q. 1. p. 6.

In renatis, inquit Historicus, *peccati reliquias superesse negant, & eos à peccatis mundos esse affirmant, non quibus peccata non imputentur, sed quibus omnino nulla insint, id quod & Paulum & Davidem hæreseos damnare est.* De hac calumnia nec verbum dicam, tantùm oro Lectorem, ut adeat Gregorium de Valentia & Bellarminum, faciléque intelliget, utrum communis & Orthodoxa de peccatorum abolitione sententia Paulum & Davidem hæreseos damnet, an verò illa Lutheranorum de peccatorum non imputatione opinatio antiquam Procli & Messalianorum hæresin renovet. Nec mendacii insimulamus D. Joannem, dicentem: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. Nam licèt in Baptismo, & per veram, salutarémque pœnitentiam, funditus tollantur & deleantur peccata, verè tamen dicit D. Joannes, neminem esse, qui peccatum non habeat, cùm quotidie ob infirmitatem nostram inter

Tom. 2. d. 8. q. 5. p. 5.
Tom. 2. lib. de bapt. c. 13.

1. Joan. 1.

A ter tot peccati occasiones, nova committamus peccata. Nam septies in die etiam justus cadit. Quamobrem neque frustrà oramus in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* De concupiscentia, utrum peccatum sit, nec ne, jam diximus aliquoties. Qualis est autem isthæc Historici Consequentia: *Concupiscentia in renatis peccatum non est: Erit ergo per se bona, & sua natura sancta.* Minimè id sequitur; quî enim sancta est & bona, quæ ad malum inclinat, & ad id quandoque non trahit, sed rapit? Mala est concupiscentia, non malitiâ culpæ, sed pœnæ. Mala est, quia ducit ad malum; mala est, quia ex malo, id est, ex peccato venit. Sed malitia hæc concupiscentiæ nihil prorsus detrimenti renatis affert, si voluntatis consensus ad concupiscentiam, effrenésque appetitus non accedat.

Proverb. 24.

Pag. 255.

B Mentitur autem, cùm ait; *Deum, nostro judicio, concupiscentiam, etiam remota omni gratia non posse in renatis condemnare: Neque indigere illam obedientia & merito Christi, quia sua natura jam Deo placeat.* Ob concupiscentiam præcisè & sine voluntatis assensù spectatam, neminem, etiam gratiæ Dei expertem, suppliciis addicet Deus, cùm, ùt sæpè diximus, in se peccati rationem concupiscentia non habeat. Damnat tamen Deus, damnabítque concupiscentiam, quatenus inclinata ad flagitium voluntate & ratione, hominem in facinus præcipitat, quam gratia & merito Christi non indigere, ut intra limites & in officio contineatur, nemo Catholicus affirmavit unquam. Ne-

C que D. Augustinus *concupiscentiam* peccatum propriè dictum esse docuit, ùt mentitur impostor, quod ex D. Augustini verbis & sententiis contra Sectariorum impudentiam fusè & accuratè demonstrat Gregorius de Valentia. Ex quo etiam & passim aliàs in eadem disputatione discere Polycarpus poterit, quomodo opera renatorum sint vitæ æternæ meritoria, & quomodo homo conversus perpetuam & perfectam possit divinæ legi obedientiam præstare, divina tamen adjutus gratia, & quomodo homo in hac vita sine peccato vivere possit. Abundè sufficerent, amice Lector, hæc Historici de peccatis mendacia. Cæterùm necdum finis aut modus est, plura eáque multò crassiora, & improbiora nobis sunt devoranda.

Tom. 2. disp. 6. q. 12. p. 1.

D *Quid mirum*, inquit, *Jesuitas ita insanire, cùm etiam opera Gentium & incredulorum salvare dicant.* Mentitur impudentissimè. Quis Jesuitarum id unquam aut dixit aut scripsit, vel unum, Polycarpe, si potes, nomina, aut si te vanissimum & flagitiosissimum nebulonem appellavero, debito titulo te insignitum meritò arbitraberis. Nam licèt stultum vestrum paradoxum, quo asseritis, omnia opera, ex fide non profecta, peccata esse, rejiciamus: non tamen opera sine fide facta ad salutem æternam utilia esse, E docemus, ùt mentitur Historicus. Neque opinionem Lutheranorum *asperam, duram & paradoxam* ideo vocamus, quòd putent Lutherani, hæc opera nihil conducere ad vitam æternam consequendam, in hoc enim rectè sentiunt; sed quòd omnia opera infidelium in peccatis numerent. Qua de re videat Lector Gregorium de Valentia. At quòd sancti Patres & in his D. Augustinus libro 4. contra Julianum cap. 3. & alii Catholici interdum dicunt, non esse ulla bona opera in infidelibus, intelligendi sunt de operibus, quæ bona sint non quomodocunque, sed ita, ut ad salutem valeant, sic enim opera censentur à Theologis, & Patribus bona, juxta Scripturæ etiam phrasin, ùt docet Gregorius de Valentia tom. 2. d. 8. q. 1. p. 3.

Cum Zwinglio, inquit, *in hoc consentiunt*, F *qui saniores Gentiles & Philosophos justos, æquos, ac temperantes, non damnatos esse contendebat.* Quid Zwinglius senserit, parùm vel potiùs nihil omnino soliciti sumus, doctrinam hanc, cujuscunque sit, repudiamus & execramur. Quamvis ne ipsi quidem Zwingliani hanc in suo parente notam residere patiantur. Hinc Tigurinus Beumlerus ab hac opinione multis verbis Zwinglium purgare conatur, & vos potiùs Brentiani, qui cœlum & infernum ubique ponitis, simúlque confunditis, Ethnicos, imò etiam ipsos Diabolos in cœlo collocatis. Pergit mentiri Historicus. *Dicere non erubescunt, hominem infidelem vel hæreticum in peccatis mortuum suffragiis & Missis suorum ex damnatione liberari, & salvari posse.* Mendacium impudentissimum, multóque adhuc impudentius, *dum nos hac arte pecunias corradere scribit, & docere infideles ante multas annorum centurias in infidelitate mortuos salvari posse.* Os & G frontem hominis! taliáne mendacia in vulgus spargere quispiam mortalium ausus fuit, tam nota, tam ad redarguendum prompta, tam in omnium oculis posita? quis enim unquam vel in libris nostrorum, vel in Epistolis Indicis, quas ad marginem Historicus citat, sententiam hanc legit? Evolvantur omnes epistolarum Indicarum tomi, quocunque genere linguæ hactenus prodièrint, si vel unica syllaba in iis reperiatur, quibus ista tam detestanda opinio stabiliri possit, haud ullam pœnam impietati decretam deprecabimur. Addit: *Si harum impiarum absurditatum ex Jesuitis causas petas: respondent, sic volunt nostri Doctores, sic statuit Concilium Tridentinum.* Mentitur, mentitur. Nam H neque nos, neque ullum Catholicum Concilium, neque Pontifex, neque Ecclesia prædictas opiniones probat, aut tuetur. Mentimini Prædicantes, & calumniamini strenuè, ùt Diaboli filios decet. Quàm verò splendidè mentitur Historicus, cùm ait, *Justinum, Clementem Alexandrinum, & Epi-*

In Apol. contra Schmid. p. 73.

Pag. 256.

A *phanium, eadem de infidelium operibus moraliter bonis ſenſiſſe, nempe ea ad vitam æternam obtinendam valuiſſe, & Philoſophiam quosdam Græcos juſtificâſſe, idémque Græcis præſtitiſſe, quod Judæis Lex præſtiterit, & quosdam ſine gratia, lege ſolùm naturali ſalvatos eſſe.* Quam opinionem attribuit D. Epiphanio, eámque à P. Balthaſaro Frebiſio pro publica exhortatione commendatam nugatur. Sed ſecuritati ſuæ conſulens Hiſtoricus locum nullum ex prædictis Auctoribus notavit, ne mendax fraus pateſceret. Cæterùm obeſæ naris eum eſſe oporteret, qui mendacia iſta ne inſpectis quidem Auctoribus, non odoraretur. De diſtinctione peccatorum mortalium & venialium, cujus hîc meminit Hiſtoricus, legatur Gregorius de Valentia Tomo 2. diſp. 6. q. 18. p. 2.

B *Refutatio calumniarum partis nonæ, de Decalogo, ſeu legibus divinis.*

Pag. 258. BOni ominis gratia incipit Hiſtoricus hanc ſuam de Decalogo fabulam à convitiis, calumniis & mendaciis, quibus ſurda aure præteritis, ea tantùm notabimus, quæ circa doctrinam verſantur. *Sunt*, inquit, *inter illos, qui tradant, non omnia opera vel facta, quæ legi divinæ repugnant, eſſe peccata, citátque cenſuram Colonienſem.* Sed mentitur; nemo Catholicorum id docuit, ſi quidem ſermo ſit de opere aut facto, voluntate conſentiente, perpetrato.

C *Tradunt*, inquit, *concupiſcentiæ primum motum carere culpa & pœna peccati; & eſſe peccata, quæ lex arguat, ſed tamen illa hominem Deo odioſum non reddere.* De concupiſcentia ſæpius jam diximus, cogit nos inanis iſte Battus eadem crebriùs repetere. Peccata venialia vetantur, nec tamen reddunt hominem Deo inimicum. Sunt etiam nonnulla, quæ quidem expreſsè in lege Dei non prohibentur, æquè tamen in peccatis numeranda eſſe illa dicimus, ac ſi apertè in Scriptura damnarentur, cujuſmodi ſunt peccata, quæ in leges Eccleſiaſticas admittuntur; nam qui *Eccleſiam non audierit, is tibi ſit ſicut Ethnicus & Publicanus*, Matth. 18. ùt monuit ipſe Chriſtus Dominus. Quid vis ampliùs, Hiſtorice? Illud etiam pro paradoxo habet; *legi à renatis perfectè ſatisfieri poſſe;* Addimus, cum divina ope & gratia, ac ea perfectione, quæ in hanc vitæ humanæ infirmitatem cadere poteſt. Nam ſi legem perfectè obſervare nequimus, cur nobis mandatum eſt, *ut Dominum Deum noſtrum diligamus, ex tota anima noſtra, &* Luc. 10. *ex totis viribus?* An non hoc perfectionem ſignificat & exigit?

D *Ajunt*, inquit, *Chriſti meritum & obedientiam nihil aliud eſſe, quàm Fac hoc & vives.* Mendacium eſt. Non dicimus hoc. ſed hoc; merita Chriſti faciendo & operando applicari nobis, & fructuoſa effici. Hoc fac, E ajebat Chriſtus. Quid illud? Quod anteceſſerat, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut te ipſum*, & eo modo, quo Samaritanus ipſum dilexerat: Hoc ergo fac, & vives, vivimus autem meritorum Chriſti fructu; ipſe enim eſt vita & ſanctificatio noſtra. Et Pater ille familias: *voca*, dicebat Procuratori, *ope-* Matth. 20. *rarios.* Quòd autem pro abſurdo habet; charitatem, qua Deum propter ſe, & proximum propter Deum diligimus, legis plenitudinem & complementum eſſe, non jam cum Jeſuitis, ſed cum ipſo B. Paulo, cu- Rom. 13. jus planè hæc eſt ſententia, negotium habet. Illud verò quàm evidens mendacium eſt, *P. Frebiſium aſſeruiſſe, tam naturale eſſe Chriſtiano perfectè legem Dei adimplere, quàm naturale ſit illi edere, bibere, & dormire.* Mentitur Sycophanta turpiter, doctior ille erat, & peritior Theologiæ, quàm ut tam abſurdam ſententiam proferret. Et quis non F ſentiat, iſtum mala fide agere, cùm *Chriſtianum* nominat. Nam ſi quid homini naturale eſt, id convenit omni homini, non tantùm Chriſtiano: Si quid autem convenit Chriſtiano, non quà homo, ſed quà Chriſtianus, id ipſi naturale non erit, ſed adventitium & ſuperadditum. Naturaliter poteſt homo edere, bibere, dormire, & ſine ullo ſpeciali Dei concurſu. At legem Dei implere, hoc ſolo generali & communi auxilio, neque ullus poteſt, neque unquam potuit. Nihil porro cauſæ erat, cur hîc denuò P. Cruſio iraſceretur, quòd Pag. 259. dixerit, *Regulas noſtras, noſtrum eſſe Decalogum.* Suprà enim reſpondi, Decalogum metaphoricè dici omne id, quod regulam, normámque vivendi tradit. Et ſi quis Religioſus ſuas ſervet regulas, verè non damnabitur: quia ſervando Ordinis ſui regulas, ſervabit etiam præcepta legis divinæ.

Mentitur autem, cùm ait, *nos dicere ſo-* G *litos, regulas perfectiora & meliora tradere lege divina propter conſilia Evangelica.* An non ipſa etiam lex divina conſilia Evangelica tradit: etſi non præcipiendo, ſuadendo tamen & proponendo, omnésque ad tam pulchrum bravium invitando? Quantò igitur rectiùs ego, ſermone ad Chriſtum converſo, exclamavero hîc: Mendacia, calumnias, fraudes, technas, impoſturas, malitiam diabolicam, & ſimilia, *alto*

Chriſte vides cælo, proh dolor! & pateris?

Certè ſi quis (libet enim Prædicantibus H ſuam declamationem reponere) ſuperiora Polycarpi, aliorúmque Prædicantium mendacia & convitia diligentiùs expendat, rei atrocitate motus pronunciabit, ne ſtygium quidem Plutonem tentare audere, quod effrenis Prædicans audet, nec dubium mihi eſt, quin Polycarpus, ejúsque ſocii, convitiatores impudentiſſimi & audaciſſimi, niſi maturè

A turè resipuerint, cum Pharisæis Christum damnantibus inextinguibilis ignis pœnas sint subituri. Quòd si Prædicantes timorem Dei, veritatisque amorem & Decalogum sibi ob oculos ponerent, tanquam vivendi normam, non tot nefaria mendacia & convitia in insontes jacerent: non tam abominandas calumnias comminiscerentur, nec tot infamibus chartis, quovis supplicio digniſſimis, notorii essent.

Refutatio calumniarum partis decimæ, de Evangelio.

B Pag. 261. DE Evangelio mentitur Historicus Pseudoevangelico, id est, Lutherano modo. *Jesuitæ*, inquit, *nihil aliud conantur, quàm mundo & nobis Evangelium eripere, quacunque notione Evangelii vocem usurpemus. Rarò Evangelii mentionem faciunt, & si quando coguntur, verba Evangelii distinctionibus ineptis depravant; imò autumant, Evangelio opus non esse, quærunt enim salutem in lege, vel potiùs in suis Traditionibus.* Plura fermè mendacia, quàm verba, quæ abundè refutantur à libris, concionibus, & quotidianis nostrorum in scholis prælectionibus. Quanquam video, qua ratione veritas huic orationi subesse possit, si videlicet intelligatur de Evangelio secundùm Martinum Lutherum; nam hoc, quoquo modo licet, hominibus eripere conamur, hoc non pluris facimus, quàm Æsopi fabulas. Hoc, nisi interdum gratiâ refellendi errores vestros, nunquam usurpamus, quid enim nobis cum sordibus istis? Hujus ministerio & beneficio salutem consequi minimè speramus. Nulla salus Evangelio Lutherano.

C At quòd tanquam paradoxum exsibilat sententiam illam Orthodoxam, quæ vult, *legem antiquam ostendisse quidem opera, quæ essent facienda, sed non contulisse gratiam præcepta implendi, Evangelium verò, ejúsque præcepta uberem dare gratiam;* egregiè prodit hæreticam suam insciti am, qua cùm æquè laboret Polycarpus, rogo, ut legere dignetur librum Gregorii Valentiani de differentia novæ & veteris legis, & tom. 2. Comment. Theolog. Præstet se discipulum docilem, & discat; quod cùm fecerit, redeat, & tum demùm de hac materia cum ipso libenter disputabo.

Disp. 7. q. 6. p. 3.

D Pag. 262. *Sunt*, inquit, *Jesuitæ, qui tradunt, Evangelium ideo revelatum esse, ut consiliis Evangelicis, quæ præstantiora sint, quàm operæ legis, perficiamur.* Mentitur, Nemo docet, hunc fuisse primarium Evangelii revelati finem; quamvis præter cætera commoda & ornamenta, quæ Universo Evangelium attulit, consilia Evangelica, haud in postremis numeranda arbitremur. Quàm verò maligni & ad mentiendum proni ingenii argumentum est, quod hic ex communi Evangelii Etymo affert? Quia enim Evangelium generatim bonum, lætúmque nuncium rei bene gestæ, ipsúmque donum, quod nuncio rei bene gestæ datur, significat; blaterat iste, *Evangelium nobis nihil aliud esse, quàm amplas eleemosynas, aurea & argentea xenia; nuntiúmque de captis, incarceratis, trucidatisque Lutheranis.* Nugaris mendaciſſime fabulator; communem significationem Evangelio relinquimus. Interim aliam longè diviniorem & præstantiorem agnoscimus, hominibúsque proponimus, quoties occasio datur. Lutheranos vestros, si quando præcipites ruunt in perniciem, non lætitia, & jubilo, sed dolore & mœrore prosequimur; malè enim nos habet, homines ad omne pietatis, virtutisque genus natos & factos, ab improbis Prædicantibus eò adductos, ut contra avitam religionem arma sumant, & in mille hujus, alteriúsque vitæ pericula se se conjiciant. E

Tandem Historicus mendacia de Evangelio in unum colligens: *Si verò*, inquit, *paucis dicere velim, quod res est; Jesuitas dico Evangelium de Christo prorsus negare.* Macte novo mendacio: sic itur ad Orcum. Sed probat. *Primam*, inquit, *de Christo promissionem in Paradiso promulgatam corrumpunt: dum semini mulieris, quod est Christus, contritionem serpentini capitis adimunt, illámque Virgini Mariæ adscribunt.* Cæterùm an lectio illa: *Ipsa conteret caput tuum:* sit Jesuitarum, an verò sanctorum Patrum; & an illi, qui hanc lectionem sequuntur, negent, Christum contrivisse caput serpentis, intelligere poterit Lector ex tomo 1. Bellarmini. Sed eadem mendaciorum chorda oberrans: *In suis*, inquit, *concionibus non Evangelium, nec Christum, sed Tridentini Conciliabuli somnia & mendacia, suos item Divos & sua idola prædicant.* Nihil præter mendacia & calumnias video. An non omnes Concionatores Catholici Evangelium initio concionis legunt, & postea explicant? an soli Prædicantes id faciunt? Pari mentiendi vesania affirmat, *nos in scholis non explicare Prophetas & Apostolos, sed Regulas Lojolæ; somnia Thomæ, deliramenta Scoti, commenta Dormi securè, nugas Mammatrecti.* An non animadvertis, miserrime Polycarpe, te mentiendi contentione eò abreptum, ut nemo sit, qui tua mendacia non notet, etiam aliud agens? nam quis credet, nos Regulas nostras aut Mammatrectum in Academiis, publicisque scholis explanare? Sed placuit istis uxoriis *Mammatrectis*, quorum symbolis Gentilitiis meritò adscribas: *Mentire securè, calumniare audacter*, risus captandi gratia hîc

Mammatrecti, & *Dormi securè*,

mentionem facere. F Lib. 2. de verbo Dei, cap. 12. G H

A *Refutatio calumniarum undecimæ partis, quæ est de Christi Regno & Sacerdotio.*

Pag. 263. DE Christi Regno & Sacerdotio miserabiliter sanè disputat Historicus. *Per se*, inquit, *manifestum est, Jesuitas Regnum & Sacerdotium Christi dereliquisse, quia militant sub Romani Antichristi vexillis.* Necdum, Polycarpe, negotium confectum est. Proba, Pontificem Romanum Antichristum esse, & tunc collige, nos ad Christi regnum non pertinere; nam ut hoc, quod in controversia versatur, pro concesso sumas, nunquam patiemur.

B Subjungit Historicus: *Manifestum est, Christi regnum non de hoc mundo, sed spirituale esse, neque in eo necessariam esse vicariam operam.* Quando Christus Pilato dicebat; Joann. 18. Regnum suum non esse de hoc mundo, non negabat, quin regnum aliquod, etiam in hoc mundo haberet, sed tantùm occurrebat opinioni Pilati, qui suspicabatur, Christum instituturum regnum politicum, & quod Romanis fraudi esset. Itaque regnum Christi in hoc mundo est, hoc ipso, quòd Ecclesia militans in hoc mundo est, appellatúrque *spirituale*, ad distinctionem regni terreni, in quo non tam salus & spiritualis animorum profectus, quàm ratio opes augendi, terminósque Imperii proferendi quæritur & procuratur. Hoc Chri-

C sti regnum absolutè non indiget opera vicaria, sicut neque ullis aliis ministris. Cur enim Christus non posset singulorum commodis satis supérque, etiam sine ministrorum opera prospicere? indiget tamen opera vicaria tam summi Pontificis, quàm aliorum ministrorum, spectata conditione & natura mortalium, suavíque gubernatione & dispositione Dei, quæ homines humano magisterio, utpote ipsis convenienti, & consentaneo edocet, & ad cœlestia perducit. Quanquam fateor, opera Prædicantium & Lutheranorum hoc regnum Christi minimè indigere, floruit enim, quamdiu supervacaneis & supernumerariis istis adjutoribus caruit. Et utinam Deus concederet tandem illis à labore inutili, imò perniciosissimo perpetuas, & nunquam cessaturas vacationes.

D Quæ præterea de regno Christi, ejúsque Pag. 264. & sequent. & nostro Sacerdotio adjungit, mera sunt mendacia & convitia, ut ea pigeat enumerare. Hactenus enim tot mendacia certa & explorata, plana & luculenta hujus Apostatæ notavimus, ut imprudentem esse oporteat, qui illi in posterum ulla in re fidem habendam censeat. Quale enim illud, & quàm immane mendacium, *Jesuitas omnes reliquos Christianos, nisi uncti sint & rasi, pro asinis habere; Jesuitas opinari se omnia esse, se omnia posse, supremo se positos loco, sibi omnia subjici?* Hæc & id genus sexcenta mendacia non indigent indice, sed vindice, qui E tam effrontes Sycophantas pro meritis coërceat, eorúmque os impurissimum compescat.

Refutatio calumniarum partis duodecimæ, quæ est de Justificatione hominis.

DE Justificatione mentitur, more F suo, tam impudenter, ac si à Theo- Pag. 268. logis nostris nihil unquam de Justificatione dictum aut scriptum fuisset. Christianus Lector videat, quæ duo ex nostris Theologi de hac materia disputent, vi- Tom. 2. disp. 8. quæst. 5. Tom. 3. libris quinque de Justif. delicet Gregorius de Valentia, & Bellarminus. Ego propositi memor pauca de multis mendacia indicabo. Primum est, cùm ait, *nos negare, verbum justificare, esse forense, seu idem significare, quod absolvi à peccatis, & justum pronunciari.* Mentitur. Agnoscimus hanc notionem hujus verbi, sed negamus eam duntaxat huic vocabulo subesse, ùt hæretici erroris sui de imputativa justitia stabiliendi gratiâ contendunt. Consulat Lector Bellarminum libro 1. de Justificatione cap. 1.

G Secundum mendacium est, *integrum Evangelium & universam Scripturam affirmare, nos justitia fidei imputata justificari.* Quàm verum hoc sit, abundè cognoscet Lector excitatis authoribus.

Pag. 269. Tertium mendacium est, *Jesuitas velle esse justos propriis motibus, & quidem concupiscentiæ puræ & justitia Legali.* Inania hæc sunt phanatici hominis commenta.

Quartum & impudentissimum mendacium est, *nos pro Orthodoxa & Catholica justificationis sententia testem producere Jesuitam,* ùt inquit, *Emmanuelem Grammaticum.* Quæso, non pudet te tam vani mendacii, Polycarpe? Audivistíne ullum, qui ex Grammatica Emmanuelis de Justificatione disputaret? nam quod ad Aristotelem attinet, fateor, ipsum non pauca Catholicis inscitiæ vestræ arguendæ fundamenta & argumenta suppeditare.

H Quintum mendacium est, *Spiritum sanctum & D. Paulum sola fide in Christum justitiam & justificationem Christianam definivisse.* Videatur Bellarminus & Gregorius Valentianus.

Sextum mendacium est, *quosdam Jesuitarum eum in justis numerare, qui ita justè agat, ut ei motus Physicus bene faciendi sit inditus.* Mentitur homo profligatæ mentis, & conscientiæ; nominet vel unum ex nostris, qui justitiam Christianam in motibus naturalibus ad bene facta constituat.

Septimum mendacium est, *voluntatem esse nobis causam justificationis efficientem, quæ sine gratia seipsam ad gratiam præparet, & justè ex sese agat.* Omnia hæc diabolica planè sunt mendacia; non enim invenio, quo alio nomine

A minè hæc monſtra nominem. Itáne impunè mentiri & calumniari Sycophantis liceat in conſpectu totius Germaniæ, in qua publicè docemus & concionamur, quámque libris Latinè & Germanicè editis complevimus?

Octavum mendacium eſt, *alios Jeſuitarum tradere, hominem facillimè juſtificari, ſi* Pag. 270. *mundum deſerat, hoc eſt, ſi Religioſus fiat, & Ordinem aliquem Monaſticum ingrediatur.* Tom. 2. d. 8. q. 5. p. 4. Videat Lector apud Gregorium de Valentia, utrum inter animi motus, quibus oportet hominem in Deum ſeſe convertere, ut obtineat primam juſtificationem, ponat etiam ingreſſum Religionis, & de fronte iſtius Sycophantæ judicet.

B Nonum mendacium eſt, *Gregorium de* Pag. 271. *Valentia acriter contendere, nos non gratis juſtificari.* Loco. cit. Videat Lector ipſum Gregorium.

Decimum mendacium eſt, *Lutherum rectè & ſanctis Patribus convenienter addidiſſe in ſua Bibliorum verſione ad ſententiam illam Apoſtoli ad Roman. 3. Arbitramur hominem juſtificari per fidem, ſine operibus, particulam ex-* Loco cit. *cluſivam, Solam;* Adeat Lector Gregorium de Valentia. Quomodo autem Patres, cùm aliquando aſſerunt, nos ſola fide juſtificari, Lib. 1. de juſtific. cap. 25. intelligendi ſint, docet Bellarminus: non enim excludunt cæteros animi motus ad juſtificationem neceſſarios, ſed vel opera externa; vel opera cæremonialia, & legis Moſaicæ, vel aliud quid ſimile.

C Undecimum mendacium eſt, *Patres, imò ipſum Paulum & Chriſtum nobis eſſe hæreticos & Doctores aperientes feneſtram ad perpetranda peccata, cùm docent, nos ſola fide juſtificari.* Impudenter mentitur. Nam Paulus nusquam dixit, nos ſola fide juſtificari, & multò minùs Chriſtus, ſed profanus Lutherus id affirmavit, qui nec Paulus nec Chriſtus eſt. Patres, ſi quando ita loquuntur, non repudiamus, ſed explicamus eo modo & ſenſu, quo ipſi ſeſe explicarent, ſi viverent, & ab impoſturis veſtris vindicarent.

D Duodecimum mendacium eſt, *aliquos Jeſuitarum docere, noſtram juſtificationem, qua coram DEO conſiſtere poſſimus, eſſe fidem, cha-* Pag. 272. *ritatem, & reliqua opera ſimul.* Aliter, mi homo, de Juſtificatione philoſophamur. Nam primam Juſtificationem, fide, ſpe, charitate, pœnitentia & timore acquiri, docemus, ſine operibus externis, operúmque merito. Videatur Gregorius de Valentia.

Decimum tertium mendacium eſt, *Juſtificationem ſecundùm nos eſſe Dei virtutem, quâ unicuique tribuat ſecundùm id, quo quisque dignus eſt,* cui adde decimum quartum, *non gratis dari Juſtitiam primam, ſed promerendam eſſe,* & decimum quintum, *Chriſtum paſſione ſua tantùm primam gratiam promeruiſſe, qua nobis infuſa ipſi ſalutem æternam mereri poſſimus.* Nam licèt augmentum gratiæ & ipſam æternam vitam mereri poſſimus, id tamen totum meritis Chriſti in acceptis referendum eſt.

Decimum ſextum mendacium eſt, *fidem* E *tantùm monſtrare juſtificationem, opera illam conſequi,* imò verò ſecundùm nos fides ſola neque monſtrat, neque tantùm largitur juſtificationem. 1. Cor. 13. *Nam ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Decimum ſeptimum mendacium eſt, orationem hanc eſſe noſtram: *Dicere hominem, fide juſtificari, perinde eſſe, ac ſiquis di-* Pag. 273. *cat, aſinum ſuâ naturâ aſininâ eſſe hominem.* Nemo præter te, Calumniator, ita loquitur, quanquam veriſſimè dicitur, vos tam parùm ſola fide & præſertim Lutherana juſtificari, quàm parùm aſinus per ſuam aſininam naturam homo efficitur.

Sed quid, inquit Hiſtoricus, *multis opus* F *eſt? Cruſius in Regularum explicatione Landſpergæ expreſsè dixit, noſtra Juſtificatio eſt Regularum noſtrarum obſervatio.* Audi Sycophanta, duplex eſt juſtificatio, prima & ſecunda. De prima id non aſſeruit P. Cruſius; conſiſtit enim in iis rebus, de quibus antè. Secunda appellatur omne id, quo gratiam majorem promeremur, de hac locutus eſt ille Pater, tu Polycarpe, ſi quid contra habes, accingere & eſto robuſtus argumentator ſeu diſputator, non Calumniator & Convitiator.

Refutatio calumniarum partis decimæ tertiæ, quæ eſt de fide Jeſuitica.

G Fides noſtra, fides Catholica eſt, nobísque cum omnibus Orthodoxis communis, neque enim Societas JEſu novam ſibi fidem, ùt factio Lutherana, cudit. Quare neceſſe non erat, ut Hiſtoricus Pag. 273. paragraphum hunc *de fide Jeſuitica* inſcriberet, niſi undique calumniandi ignarísque imponendi occaſionem arriperet, metuens opinor, ne ſub finem libri à ſuo ingenio deſciſceret, ſi mendaciis modum aliquem poneret. Ait, *Jeſuitas Fidei donum aſpernari, ridere, calumniari, & proculcare.* Paucis verbis non pauca mendacia, etſi fateor, nos perfidam hæreticorum fidem non unius aſſis æſtimare.

Negant, inquit, *Fidem provenire ex audi-* H *tu verbi Dei.* Mentitur, quomodo enim hoc negaremus, cùm D. Paulus id diſertè affirmet, ratióque comprobet? Sed fortè loquitur de auditu verbi Lutherani. Ex quo fidem tam parùm naſci credimus, quàm ex tribulis uvas.

Quidam, inquit, *fidem Lutheranam vo-* Pag. 274. *cant feneſtram & januam ad ſcelera perpetranda.* Rectiſſimè; quàm enim latè patens janua ſit, experitur tota Germania, ut de aliis regionibus nihil dicam. *Quidam, ùt Colonienſes Jeſuitæ,* inquit, *fidem nihil aliud eſſe dicunt, quàm credere omnia vera eſſe, quæ*

Deus

A *Deus in verbo ſuo docet, imò & quæ extra Scripturam ſacram nobis ab Eccleſia credenda proponit.* Quid hîc tibi diſplicet, Polycarpe? *Hiſtorica*, ais, *hæc fides eſt, nec ad ſalutem ſufficiens, aliàs Judas & dæmones ſalvi eſſent.* Ineptè: tum quia non omne, quod credimus, hiſtoria eſt: tum quia latum datur diſcrimen inter fidem, qua hiſtoriis humanis, & qua divinis aſſentimur: tum quia fides etiam vera, ſi ſola ſit, ad ſalutem non ſufficit. Quare Judas, ut maximè fidem habuiſſet, à cœlo tamen excluſus eſſet, charitatis expers, & in dæmonibus nulla fides Theologica invenitur, ùt Polycarpum docere poteſt D. Thomas.

22. q. 5. a. 2.

B *Caniſius*, inquit Hiſtoricus, *negat, fidem eſſe fiduciam.* Meritò id negavit, ſi negavit, & ſanè fiduciam cum fide confundere, non eſt poſtremum argumentum ſapientiæ Lutheranæ. Vide Bellarminum tomo 3.

Lib. 1. de Juſtific. cap. 6. & ſeq.

C Pergit Hiſtoricus: *Ingolſtadienſes Jeſuitas hoc affirmare audivi, fidei objectum non tantùm eſſe Deum, & omne Dei verbum, verùm etiam decreta Papæ, & traditiones Patrum.* Quodnam ſit fidei objectum, docebit Polycarpum propediem Gregorius de Valentia tomo tertio Commentar. Theolog. Interim noverit objectum *formale Quod* fidei eſſe Deum ùt Deum, ſeu ſub ratione divinitatis, objectum verò *formale Quo* eſſe primam & ſummam veritatem Dei revelantis ea, quæ creduntur. Sed hæc ſunt ſupra caput & captum Prædicantium. Reliqua videamus.

Diſp. 1. q. 1. p. 1.

D *Quidam*, ait, *fidem omnino tollunt.* Mentitur, nemo fidelium, nedum Jeſuitarum id fecit. Sed citat *Romanum Controverſiſtam* (ſic enim appellat Bellarminum) ex quo iſthoc coràm audiverit. Cæterùm utrum Molitor iſte mentiatur, judicium penes Lectorem eſto, qui tomos Bellarmini legerit. Illéne fidem ſuſtulerit, qui pro vera fide tot jam annis cum gente inimica & infida bella gerit? At fiduciam Lutheranorum docebat eſſe plus quàm Luciferianam ſuperbiam & diabolicam præſumptionem. Certè non modò Bellarminus ita ſentit, ſed & omnis, qui cor & cerebrum non amiſit. Quid enim arrogantius, quàm certiſſimò & infallibiliter ſibi perſuadere, ſe amari à Deo, séque ad beatas illas cœlitum ſedes deſtinatum eſſe, perinde ac ſi hujus rei chirographum ab ipſo Deo accepiſſet, præſertim cùm eam Lutherani præcones vivant vitam, quæ non cœlum, ſed orcum juſtiſſimè mereatur? Neque tamen hæc veſtra anilia ſomnia refutantes, quenquam propterea de ſua ſalute dubitare jubemus, quod teſtabuntur diſputationes Bellarmini de fide ſpeciali Lutherana tom. 3. libro primo de Juſtificatione.

Sequitur aliud cum Solœciſmo mendacium. *Quidam Jeſuitæ*, ſicut & Ziegler meus popularis, *fidem nobis innatam & naturalitèr inſitam tradidit, quod ſcholaſtici dicunt qualitatem inhærentem & habitum infuſum.* Mentitur indoctiſſimus Solœciſta; nam neque P. Zieglero, neque ulli Catholico unquam in mentem venit, fidem eſſe aliquid naturale, aut mentibus noſtris naturaliter inſeri. Nónne cùm nuper id edito & longè ſparſo libello aſſeruiſſet, novus Pelagianus Franciſcus Puccius Filidinus, ſtatim ei reſponſum eſt eleganter & ſolidè à Nicolao Serario noſtro, Theologiæ in Academia Herbipolenſi Profeſſore? E

Lib. 1. cap. 3. 4. 5.

Sed nunc digreditur Hiſtoricus in laudes fidei, allatis verſibus de ſola fide ex neſcio quo Spalatino, quos veriſſimos eſſe arbitror, additis negationibus, eóque modo, quo hîc Polycarpe vides, inverſos. F

Pag. 276.

Sola fides hominem cœli non donat honore,
Sola Déoque nequit conciliare fides.
Sola fides hominem haud peccato liberat omni.
Et nec ſola necem diráque fata premit.
Sola fides Chriſti fratres ſociósque potentes
Non facit, & cœlo non beat una fides.
Sola fides animos tetrico mœrore jacentes
Non levat, & miſeris non grave tollit onus.
Sola fides Sathanam haud ſubigit, ſtygiásque paludes,
Sidera nec Solis, clavibus hiſce patent.
Nec vivis dat ſola fides, neque cuncta ſepultis,
Omnia ſola fides, ô bone Chriſte, nequit.

Si ita ceciniſſet Muſa Spalatini, verè, ſi non pulchrè, ceciniſſet.

Alii Jeſuitarum, inquit Hiſtoricus, *fidem veram, etiam impiis ineſſe, & in illis manere dicunt.* Si per impios intelligat Catholicos peccatis mortalibus obſtrictos, tum non unius aut quorundam ex noſtris duntaxat, ſed omnium Catholicorum hæc eſt ſententia. Vide Bellarminum tomo 3, Si autem per impios intelligat hæreticos, aliósque infideles, qui non modò morum, ſed & fidei naufragium fecerunt, mentitur, cùm id nobis affingit. At quòd Turrianus impios dixerit eſſe viva Eccleſiæ membra, id niſi demonſtret nobis Polycarpus ex libris Turriani contra Sadeelem, quos citat, non immeritò mendacii condemnabitur. Vera quidem membra ſunt improbi fideles, & hoc defendimus contra hæreticam inſcitiam, ſed aliud eſt, eſſe membrum verum, aliud eſſe vivum, niſi quis de nomine contendere velit. G

Lib. 1. de Juſtif. cap. 15.

Pag. 277.

Alii, inquit Calumniator, *formam fidei, dicunt eſſe charitatem.* Quaſi verò hoc dictum noſtrum ſit, & non potiùs omnium Orthodoxorum. Sed objicit: *non charitas fidem, ſed hæc illam informat.* Quare ergo dixit Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Potiùs ſecundùm Lutheranam Theologiam dicendum erat: Si habuero omnem charitatem, &c. fidem autem H

1. Cor. 13.

autem non habuero, nihil sum. Sed probat suum commentum. Nisi adsit fides, charitas non est sincera, sed fucata. Quasi verò in ullo viatorum reperiatur charitas, virtus Theologica, in quo non insit fides. Neque verò charitas à fide in hoc vitæ statu separata manet, sicut fides à charitate.

B Quòd autem, Polycarpe, hîc dicis, *charitatem esse potiùs effectum fidei, quàm formam;* equidem libenter scirem, ex quanam Theologia id didiceris: Saxonica fortassis & cerevisiaria; erit igitur charitas actus tantùm, non habitus; aut certè fides in intellectu existens, producet in voluntate charitatem habitum à se specie distinctum; nisi fortè fides & charitas unum & idem tibi videantur, contra expressam D. Pauli sententiam. Neque intelligitis, vos Prædicantes, quo sensu Doctores Catholici, charitatem formam fidei, reliquarúmque virtutum affirment: id enim ideo faciunt, quòd charitas faciat, ut fides & reliqua omnia, quæ homo habet, fructuosa existant, & digna cœlesti præmio. Aliam informationem non est, quòd animo & cogitatione, Polycarpe, informes. 1. Cor. 13.

C Sed novam nobis formam fidei affert. *Fides*, ait, *apprehendens JEsum Christum formata est.* Ergo apprehensio, vestro judicio, fidei forma est. Sed quid si fumos apprehendat? Quid si pro ipsa re nebulam, ùt Ixion pro Junone nubem? Sanè quàm parùm apprehendit volantes aves, qui eas citato cursu insequitur, tam parùm fide vestra apprehenditis vos Christum, etiamsi non centimani sed millemani essetis. Ut periclitantes in aqua semper prensant, neque quidquam tamen prehendunt: ita & vos.

Alii, inquit Historicus, *dicunt, fidem Catholicam niti Romanæ Ecclesiæ decretis, & sedis illius placitis.* Mentitur, ut paucis me expediam. Etsi fateor, fidem ea omnia quoque, quæ ab Ecclesia Romana & Apostolica præscribuntur, debita veneratione complecti, tantùm nego, quenquam Ecclesiæ decretis & statutis fidem circumscribere.

D Quàm splendidè verò mentitur, cùm ait, *Landspergensibus novitiis à Rectore prohibitam fuisse lectionem epistolæ D. Pauli ad Romanos, hortatu Jesuitæ Petri Hispani:* nam quis iste Petrus Hispanus fuerit, nemo novit, & illi, qui cum hoc vanissimo Molitore Landspergæ vixerunt, negant tale interdictum unquam à Rectore promulgatum. Quare infinitis aliis mendaciis hactenus effusis jure optimo hoc quoque addimus, ùt & illud, quendam de Societate Romanum dixisse, *satius esse, Ecclesiæ Romanæ Epistolas Pauli extra Ecclesiam ejicere, quàm cum sedis Apostolicæ detrimento eas legere;* Et quæ est ista mentiendi & calumniandi importunitas? Ut enim maximè aliquibus Epistolas D. Pauli, more vestro, lectitantibus & non intelligentibus nocumentum afferrent, non esset tamen idcirco opus eas ex Ecclesia exterminare, quandoquidem alii multi supersunt, qui eas maximo emolumento quotidie evolvant; & valde falluntur Lutherani, si nos D. Pauli scripta tanquam dogmatibus nostris contraria, refugere opinantur. E

Alii, inquit noster Molitor, *dicunt fidem nihil esse aliud, quàm præparationem quandam ad justificationem.* Mentitur, licèt enim fides tanquam dispositio ad justificationem requiratur, continetur tamen intra ipsum quoque justificationis ambitum, ùt ex tomo 2. Commentar. Theolog. Gregorii de Valentia Lector intelligere poterit. Addit: *Alii dicunt, fidere idem esse quod sperare.* Mentitur, si *fidem* accipiat pro *credere*. Novimus aliam virtutem esse fidem, aliam spem. Quòd si *fidere* usurpet pro fiducia, fatemur, *fidere* esse *sperare*, non quomodocunque, sed firmiter sperare, est enim fiducia spes roborata. Quale verò portentum mendacii est hoc, quod sequitur: *In Domino confido, idem ipsis est*, inquit Helias, *ac si dixisset: Dubito de Dei erga me voluntate, & illud* CHRISTI: *Confide fili, idem valet ipsis, ac si diceretur: Dubita, noli credere, noli confidere.* Proferat, oro, Polycarpus unum Jesuitam, qui hos Scripturæ locos ita interpretetur, aut turpissimorum mendaciorum patronum & promulgatorem, si non auctorem sese confiteatur oportet. F Pag. 278. Disp. 8. q. 5.

G *Alii*, inquit, *tradunt, hominem spiritualem suam vitam neque ex fide, neque ex Christi merito, sed per opera habere.* Mentitur miser. Majus adhuc mendacium est, *quosdam ex nostris omnino à justificatione fidem tollere*, non est ita, nullus Christianus id unquam asseruit. Omnia hæc sunt vestra mendacia & figmenta, nata ex vesana quadam calumniandi, insontésque traducendi impotentia, cui Deus aliquando modum & finem imponet.

Refutatio calumniarum partis decimæ quartæ, quæ est de bonis operibus.

H Conqueritur initio Historicus, injuriam fieri Lutheranis, cùm accusantur, *quasi opera bona rejiciant.* Sed utrum illis injuria fiat, judicet Lector ex illis, quæ ex Lutheri, aliorúmque sectariorum libris adducunt Bellarminus tomo 3. & Gregorius de Valentia tomo 2. *Si voles*, inquit Lutherus, in concione quadam per Martinum Bucerum Anno 1525. Latinè reddita, *à sincera fide in Christum non excidere, sed ipsum Redemptorem assequi, necesse est, ut valedicas omnibus bonis operibus, ne illis aliquid mereri præsumas. Nihil nisi offendicula sunt, quæ à Christo & Deo te alienant.* Hæc & plura alia Lutherus. Sed videamus, qua fide nostram de bonis operibus referat sententiam. *Sunt*, inquit, *qui dicant, non princi-* Pag. 279. Lib. 4. de Justif. cap. 1. Disp. 7. q. 6. p. 4.

A *principaliter operum legis, ſed conſiliorum & votorum, & traditionum obſervationem homi-nem perfectum reddere & juſtificare poſſe.* Vel-lem, aut Molitor aut Polycarpus indicâſſet, quinam ex Theologis noſtris, qui aut in ſcholis docent, aut libros publicârunt, ita ſentiant. Nam quod addit, *nos hoc tradere in Regularum noſtrarum enarratione*, falſiſſi-mum eſt, quod quidem ad primam juſtifi-cationem attinet, quæ quibus rebus con-tineatur, jam ſæpè explicatum eſt. Quòd ſi de perfectione vitæ ſermo ſit, non nos tantùm, ſed ipſemet Dominus eam perfe-ctionem in Conſiliorum Evangelicorum ob-ſervatione collocat: *Si vis*, dicebat adole-ſcenti, *perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ poſſides. Alii*, inquit, *diſputant, quodnam opus ſit maximè meritorium?* Facilis eſt re-ſponſio: illud, quod cæteris paribus ex ma-jori charitate & gratia proficiſcitur. Vide Gregorium de Valentia tomo 2.

Matth. 19.

Diſp. 8. q. 6. p. 3.

B Nam quòd ait Hiſtoricus, *noſtro judicio opus maximè meritorium eſſe cæcam obedientiam præſtare Papæ Romano, & Superioribus*: nemo non videt, id ex cæca quadam calumniandi veſania manare.

Alii, inquit, *etiam infideles, per exterio-ra honeſta legis opera, juſtificatos tradunt.* Ad hanc vaniſſimam calumniam reſpondi jam ſuprà, & certè tam aperta eſt, ut neminem, niſi odio erga Jeſuitas excæcatus ſit, latere queat.

C *Alii*, inquit, *dicunt, non omnia opera juſtificare hominem, ſed tantùm renatorum, maxi-mè autem illorum, qui in Societate vivunt.* Si quis iſtum, neque quid ſcripſerit, neque quid dixerit, intellexiſſe dicat, nullam, opinor, ei injuriam irroga-bit, tam enim malè cohærentia paſſim effundit, ut mihi quidem phanatici & phre-netici ſomnia videantur. Videat Lector Gregorium de Valentia tomo 2. Comment. Theolog. & de pectore hujus Apoſtatæ ju-dicet.

Diſp. 8. q. 5. p. 4. & ſeq.

D *Alii*, inquit, *ſunt blaſphemi, qui quidem egredientes & ingredientes ſe ſigno Crucis ſi-gnant.* Blaſphemus ergo fuit Tertullianus, & omnes ætatis illius Chriſtiani, de quibus Auctor ille ita ſcribit: *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubicula, ad ſedilia, quandocunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Sed de ſalutari ſi-gno Crucis legendus eſt Bellarminus tomo primo. Mentitur porrò, cùm ait, *nos me-rito noſtrorum operum idem adſcribere, quod merito Chriſti.* Inſigne mendacium; nam Chriſti merita ſuapte natura pretioſa fuerunt & valida: noſtra ſuum valorem à Chriſti meritis & paſſione habent, neque aliud in-veniet Polycarpus in diſputationibus Grego-rii de Valentia, quem pro ſuo mendacio citat.

Pag. 283.

Lib. de coronaMilitis.

Lib. 2. de Imag. cap. 29.

E *Quidquid*, inquit, *Jeſuitæ ex ſuarum Re-gularum præſcripto agunt, id æternæ vitæ me-ritum eſſe dicunt.* Audi Dominum. *Qui-cunque potum dederit uni ex minimis iſtis, ca-licem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam.* Quid in ſpeciem abjectius hoc opere? & ta-men digna mercede remunerabitur. Docui ſuprà ex D. Caſſiano, quàm veteres illi Aſce-tæ & Monachi, etiam ob minima quæque ex charitate facta, mercedem ſibi aliquando datum iri, ſine ulla hæſitatione ſperaverint.

Matth. 10.

Refut. cap. 5.

F Illud facetum, quòd P. Claudium Aqua-vivam, *ſecundum à Papa* nominat. Quæſo, quis credat tam impudenter mentienti, etiamſi Romam nunquam viderit? Impu-dentius mendacium eſt, quod ſequitur, *Claudium Aquavivam Jeſuitarum Generalem in feſto S. Andreæ M. D. XXCIII. pro exhorta-tione dixiſſe: Nolite eſſe ſegnes in Regularum noſtrarum obſervatione, qui factis eas implet, is in regno cælorum à latere Ignatii Lojolæ, ſicut Sol fulgebit.* O impudentiſſimum men-dacium! nam eo tempore Molitor iſte Landſpergæ in Novitiatu vivebat, quomo-do igitur audire potuit exhortationem P. noſtri Generalis? Fuiſſe autem illum tunc Landſpergæ, novimus omnes, quicunque monſtrum illud hominis novimus. Româ enim rediit in Auguſto ejusdem anni M. D. XXCIII. & Hiſtoriam ſuam paralle-lam de Martino Luthero & D. Martino Tu-ronenſi, quam nuper in gratiam Polycarpi edidimus, Landſpergæ conſcripſit & abſol-vit 22. Novemb. Anni M. D. XXCIII. ùt in ipſo Autographo manu ſua Molitor iſte pinxit. Quod autographum libentiſſimè monſtrabimus Polycarpo, aliísque Prædi-cantibus, cùm Ingolſtadium venerint. Et tamen, (os & frontem hominis!) de exhor-tatione P. Generalis ita garrit, ac ſi inter-fuiſſet, ac ea, quæ P. Claudio in mentem nunquam venerunt, coram audiviſſet, niſi fortè per Tubingenſem Ubiquitatem Romæ & Landſpergæ ſimul & eodem tempore ex-titerit, & ea, quæ nunquam dicta fuerunt, tanquam dicta audiverit.

G

H *Alii*, inquit Sycophanta, *perhibent hunc eſſe finem, ob quem bona opera ſint facienda, ut per ea vitam æternam conſequamur.* Qui ita ſentit, cur malè ſentiat, non video. Reddet enim juſtus ille judex unicuique ſe-cundùm opera ſua, vocabítque jucundiſſi-ma illa voce: *Venite benedicti Patris mei*, non otioſos, totáque die in foro ſegniter ſtantes, ſed *operarios*, eísque denarium red-det. Ex quibus operariis non poſtremi cenſentur Religioſi, qui præter communia illa Domini ſui mandata, conſilia quoque Evangelica ſibi ſequenda, legésque obſer-vandas duxerunt, quas Religioſorum Ordi-num Fundatores Evangelio & divinæ volun-tati convenienter ſanxerunt. Mendacium autem eſt, P. Ignatium appellari à nobis *Deum terreſtrem, primósque Patres abſque pecca-*

Matth. 19. Matth. 20.

Pag. 285.

A *peccato vixisse, à nobis prædicari.* Utrum peccaverint, an non, novit is, qui scrutatur corda & renes. Hoc scimus, illos omnibus Lutheranis Prædicantibus fuisse meliores & sanctiores infinitis partibus, id quod nobis sufficit. Perge nunc mentiri.

Alii, inquit, *dicunt, bona opera non esse quidem totalem justificationis & vitæ æternæ causam, aliquid tamen juvare, & causam esse sine qua non.* Mentitur impudenter; nam ad primam justificationem opera externa nulla requirimus: deinde motus internos fidei, spei, charitatis, timoris & pœnitentiæ non causam meritoriam justificationis, sed dispositiones esse affirmamus, neque ullum opus agnoscimus, quod sit meritorium primæ justificationis. Obsecro, videant Prædicantes nostrorum Theologorum libros, præsertim Bellarmini, & Gregorii Valentiani, & tandem mentiri desinant.

B *Alii*, inquit, *ùt Jesuitæ Colonienses, dicunt, opera ad primum justificationis actum esse necessaria, ad secundum verò meritoria.* Mentitur, nemo id asserit, ùt jam dixi. Verum quidem est, opera bona mereri secundam justificationem, quæ in gratiæ augmento consistit; At opera externa requiri ad primam justificationem, aut etiam motus illos animi internos ejusdem justificationis esse meritorios, id non est nostra doctrina, sed Prædicantium calumnia.

C *Alii*, inquit, *bonorum operum mercedem dicunt esse vitam æternam.* Dicimus hoc ab ipso Christo edocti. Nam cur stantes à dextris vocat ad regnum sui Patris? *Esurivi*, ait, *& dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, &c.* An non hic operibus vitam æternam reponit?

Matth. 25.

Alii, inquit, *confitentur, nostra opera quidem neminem justificare, eò quòd finiti ad infinitum nulla sit proportio, Christum autem sua passione nobis, nostrisque operibus tantam promeruisse vim, quanta ad nostram justificationem sufficiat.* Quàm ignoranter & impudenter mentitur; éstne justificatio nostra aliquid infinitum? Sed satis de bonis operibus. Piget enim tædérque cætera inanissima flagitiosi hominis mendacia persequi.

Refutatio calumniarum partis decimæ quintæ, quæ est de Pœnitentia.

D Pag. 287. DE Pœnitentia, quà virtus, & quà Sacramentum, quæ nostra & Catholicorum omnium sit sententia, intelliget Lector ex tom. 2. Bellarmini in libris de Pœnitentia. Malè autem habet Historicum, quòd Canisius Pœnitentiam definiat *secundam post naufragium tabulam; & necessarium relapsis Sacramentum, imò impium id* esse affirmat; Impii ergo fuerunt SS. Patres, qui pœnitentiæ hoc elogium tribuunt. *Extenuatur*, inquit, *hac doctrina Baptismi efficacia, quæ usque ad finem vitæ durat.* Mira inconstantia. Modò fidei Christum ap-

Vide Bellar. lib. de pœnit. cap. 13.

prehendenti remissionem peccatorum tribuit, modò Baptismo, modò utrique simul, modò nulli. Verùm sola memoria Baptismi peccata non remitti, manifestè, ùt arbitror, demonstravit Bellarminus; si quid doctrinæ Polycarpus habet, cum Bellarmino in arenam descendat. E Lib. de Bapt.

Nec patitur Historicus *Pœnitentiam in Sacramentis numerari.* Sed antiquior est septenarius Sacramentorum numerus, quàm ut ab istis nudiustertius natis truncari queat. Consulat Lector Bellarminum & Gregorium de Valentia. De partibus Pœnitentiæ, Confessione, Contritione & Satisfactione multa hîc & valde nefaria mendacia congerit, quæ superfluum erit annotare. Quis enim credat, hactenus toties manifestissimorum mendaciorum apertissimè convicto? Illud præterire nequeo, quòd fabulatur, *nos urgere auricularem Confessionem, quæstus gratia.* Mendacium impudentissimum. Nam quis quæstus ex Confessionibus ad nos redeat, nôrunt omnes, qui nostris confitentur: multò minùs, quod alibi quoque mendaciter scripsit Helias, instituitur Confessio, ut, quis quisque sit, exploretur, quò deinceps judicibus prodatur, & ad inquisitionem rapiatur; Ut autem perfrictum Polycarpi mentum propiùs Lector intueatur, hæc ejus, obsecro, verba perpendat. *In confessione*, inquit, *non examinant, sicut fit apud nostros, rudes, nec eos instituunt, nec impœnitentes terrent, nec perterritos consolantur, sed carnificum instar conscientias miserè excruciant, & perterritis, ùt olim Pharisæi, Scribæ, & Principes Sacerdotum Judæ, dicunt: Vide tu, quid feceris. Vel, si mitiùs agunt, dicunt: si hanc domum, istum agrum, illum hortum, in spiritualem nostrorum usum dederis, vel nobis ad ædificationem Collegii nostri hanc vel illam pecuniæ summam contuleris, nos pro te orabimus, nostrisque operibus tua peccata expiabimus: sin minùs, te juvare non possumus. Sic in confessione ab ipsis dives absolvitur: pauper damnatur; liberalis recipitur, tenacior dimittitur.* Anne in tota ista oratione vel una syllaba reperitur, quæ insigni mendacio & calumnia careat? Est profectò, quòd gaudeamus, eò impudentiæ progressos istos rabulas, ut ea mendacia de nobis spargerent, quæ nullos Catholicos nostrorum opera in sacris Confessionibus uti solitos latere possunt; hac enim tam impotenti mentiendi vesania, effecerunt, ut ipsis nemo credendum putet, etiam in aliis, quæ minùs patent. Nam posito, quòd Helias in toto libro nullum evidens, omnibúsque perspicuum mendacium effudisset, si tamen vel hoc unicum, quod nunc subjiciam, protulisset, meritò apud quemvis prudentiæ non planè expertem tota historia suspectæ & dubiæ fidei redderetur. *Si quis*, inquit men- Pag. 289.

F Lib. 2. de Sacr. in genere. Lib. 1. de pœnit. Lib. de numero Sacrament.

G Pag. 291.

H

dacissi-

daciſſimus nugator, *ſe ipſum jejuniis, ciliciis, & flagellis occideret, atque penitus è medio tolleret, vel deſperaret, ùt Cain, Saul, & Judas: tamen eum veram contritionem habere dicerent. Sicuti Zieglerus Jeſuita dixit: Judas quidem veram & ſufficientem habuit contritionem, ſed finis ejus non fuit bonus.* Hoc mendacium tam craſſum eſt, ut cuivis cordato & prudenti ſufficere poſſit ad perpetuum vale tam vanis & mendacibus Prædicantibus dicendum.

Neque hîc occaſione pœnitentiæ ſibi temperare potuit Helias, quò minùs denuò pœnitentias, quas propter errata vel ultrò, vel juſſi ſubimus, mendaciter & ſcurriliter inſectaretur. Sed ſuprà jam oſtenſum eſt, quàm apud Religioſos hujuſmódi mulctæ ſemper fuerint uſitatæ; & nónne D. Baſilius in fine Conſtitutionum Monaſticarum pœnitentias præſcripſit, quibus in delinquentes & à recto tramite deflectentes Aſcetas & Monachos animadvertendum ſit? Neque viris duntaxat, ſed & Deo dicatis virginibus certas pœnas idem S. Pater decrevit: qui etiam in Quæſtionibus fuſiùs explicatis docet, quomodo oporteat corrigere delictum ejus, qui peccavit: *Correctiones*, inquit, *juxta medicinæ rationem vitioſis adhibeat*, (Præpoſitus) *non iraſcens debilibus, ſed pugnans adversùs morbum: & ex adverſo quidem inſtans affectibus, per ærumnoſiorem verò vitæ ductum, ſi opus fuerit, animæ morbum ſanans: velut vanam gloriam per augmentum ſtudiorum humilitatis: vaniloquentiam per ſilentium; ſomnum immodicum per vigilias in orationibus: ſegnitiem corporis, per labores: eſum indecorum per famem: murmurationem per ſeparationem, ut neque cum ipſo aliquis frater operari velit, neque ipſius opus aliis admiſcere.* Et Q. 53. *Quæcunque*, inquit, *peccata morum perverſitatem declarant, velut ſunt inobedientiæ & contradictiones, & ſegnities circa opera, aut vaniloquentia, aut mendacium, aut aliud quid ejuſmodi piis interdictum, ad communis bonæ diſciplinæ inſpectorem producere oportet ac redarguere, ut ab ipſo & menſura, & modus ſanationis peccatorum excogitetur.*

Rurſus cùm idem S. Pater inſtrueret Superiorem, quomodo peccata juniorum caſtigare debeat, *Paterna*, inquit, *miſericordia, ratione verò prudenti juvenum peccata corrigat, proprias unicuique delicto curas adhibendo, ut verbi cauſa, iratus eſt adverſus coætaneum? ut hunc placet, & ipſi juxta proportionem audaciæ miniſtret, cogatur. Aſſuetudo enim ad humilitatem, animæ iracundiam velut exſcindit, cùm elatio nobis iram inducat. Attigit cibos præter tempus? Ad plurimam diei partem jejunus permaneat. Immodicè & indecorè cibum capiens cognitus eſt? Juxta cibi tempus ab eduliis prohibitus, alios juxta ſcientiam edentes videre cogatur, ut & abſtinentia puniatur, & reverentiam diſcat. Sermonem otioſum effudit? contumeliam in proximum? mendacium? aliud quid ex interdictis? & ventre & ſilentio caſtigetur.*

Quia verò Calumniatores noſtri ſuperiùs ſuaviſſimè riſerunt illos, qui aliquando ſui vincendi gratia, humiliora & abjectiora officia obeunt, audiant, oro, iſti eundem D. Baſilium, & ſi poſſunt, erubeſcant.

Convenit Aſcetam (ſeu Monachum) *etiam viliora opera cum multa eligere promptitudine ac ſtudio, hoc ſcientem, quòd, quidquid propter Deum fit, non eſt parvum, ſed magnum, & ſpirituale, & cælo dignum, & mercedem illinc nobis trahens. Itaque etiamſi jumenta oneraria ad communem utilitatem ſequi oporteat, reluctari non convenit, ita ut cogitemus, quomodo Apoſtoli promptè obediverint Domino pullum adducere jubenti, & reputemus, quòd etiam hi, propter quos nos jumentorum curam ſuſcipimus, fratres Servatoris ſunt, & benevolentia ac ſtudium erga hos relationem ad Dominum habet, qui dixit: In quantum feciſtis uni horum fratrum minimorum, mihi feciſtis. Si verò ea, quæ minimis fiunt, nos Deo conjungunt, multo magis ea, quæ electis fecimus, nos ipſi conjungent, modò non miniſterium indifferentiæ occaſionem putaverimus, verùm in omni vigilantia nos ipſos muniverimus, ut & nobis ipſis, & converſantibus nobiſcum utilitas contingat. Si verò aliquid viliorum operum facere oportuerit, nôſſe oportet, quòd Servator diſcipulis ſervivit, & vilia opera facere non eſt dedignatus. Et profectò magnum eſt homini, imitatorem fieri Dei, dum per humilia hæc in altitudinem imitationis illius perducitur. Quis verò de cætero dixerit ea humilia, quorum Deus actionem attigit?*

Idem ſanctus Baſilius in quæſtionibus fuſiùs explicatis, tradens modum, quo probandi ſint Novitii, ita ſcribit: *Communis in omnibus probationibus modus eſt, ſi ad omnem humilitatem citra pudorem affecti ſunt, ut etiam viliſſimas ſuſcipiant artes, ſi illorum operationem utilem eſſe ratio ipſa comprobârit. Et poſtquam per omnem examinationem unusquisque ab his, qui talia perſcrutari ſcientificè poſſunt, velut vas commodum Domino, & ad omne opus bonum paratum, declaratus fuerit, his, qui ſeipſos dicârunt Domino, connumeretur. Maximè verò ei, qui ab illuſtriore aliqua vita, ad humilitatem ſecundùm ſimilitudinem Domini noſtri JESU CHRISTI feſtinat, quædam, quæ valdè probroſa apud externos eſſe videntur, decernere oportet, & obſervare, an cum omni perfectione operarium pudefieri neſcium Deo ſeipſum exhibeat.*

Hæc divus Baſilius. Ex quibus, ùt ex omnibus quæſtionibus fuſiùs explicatis, & ex quæſtionibus compendio traditis, & ex Conſtitutionibus Monaſticis clariſſimè perſpicitur, divum Baſilium non fuiſſe Lutheranum Prædicantem; non enim irridet & ſubſannat, more Polycarpi & Heliæ, Religioſos, ſi in ſpeciem contempta munia obeant, ſed eos ad ea ſuſcipienda graviſſimis verbis cohortatur. Alio igitur ſpiritu divum

A B C D E F G H

Refut. cap. 5.

Quæſt. 51.

Quæſt. 15.

Cap 5. In Conſtit. Monaſt. cap. 23.

Quæſt. 10.

A vum Basilium actum, & alio nostros Prædicantes agitatos oportuit.

Refutatio calumniarum partis decimæ sextæ, quæ est de Ministerio Evangelii, & hujus ministris.

B Pag. 293. LOngum hîc nobis retexit & renarrat Historicus colloquium de ministris Evangelicis, cum quodam ex nostris, à se, ùt ait, institutum, quod tam verum puto, quàm cætera, quæ hactenus iste commemoravit, & quàm veram puto disputationem Marcolphi cum Rege Salomone. Neque discutere lubet, fateor enim me fessum tot mendaciis legendis, nedum refellendis. Qui nostram de vocatione ministrorum legitimorum, & de commentitia Lutheranorum Prædicantium missione sententiam desiderat, is libros Turriani, de Hierarchicis Ordinationibus, & alios contra Andream Freihubium Lipsiensem, & libros Petri Thyræi contra Tossanum Heidelbergensem de hoc argumento adeat, omnésque fumi hujus Sycophantæ statim evanescent.

C Pag. 297. Quòd autem hic ceremonias Missæ mimicè & scurriliter ex Kemnitio & Schleidano describit, mimum & scurram agit. Nunquam isti majorem eloquentiam ostendunt, quàm cùm Deum, sacrósque ritus irridենt. Ægrè porrò fert, Prædicantes à nostris interdum Concionatoribus & Professoribus, aliis, quàm velint, nominibus appellari. Sed quid murmurat? Num eum à nobis sibi honorem haberi volunt, quo ipsi sese mutuò minimè dignantur? Nam, ut rem uno exemplo declarem, nemo unquam Catholicorum magis ridicula cognomenta imposuit Schmidelino, ut unum loco multorum nominem, quàm ipsimet Lutherani & Calviniani. **Sie nennen mich,**

D Im Bericht von der Predigeanten Einigkeit. **spricht der Schmid von Tübingen, einen Chameleonten,** Polypum, **Krämer, Glockengiesser, Schmeltzer, Apotecker, Syrupmacher, Preuer, Distillierer, Lugner, Verfälscher, Menger, hochmütigen Lästerer, unwarhafftigen Verkleisterer, neuen Interimisten, Coturnisten, Verblender, Glatzunger, Samaritaner, Zungenschleiffer, Schmierer, Kleiber, Diebsgesellen, Sophisten, Plauderer, Düncher, Gleißner, reissenden, fressenden Wolff, deß Teuffels Apostel, Polnischen Stiffelmacher, Muckensauger, Camelschlucker, Peltzer, Fidler, Teuffel in eines Engels Gestalt, Brillenmacher, Tryackeskrämer, Terminierer, Diener deß Bapstumbs, der kein Gewissen habe, Leichtfertig, der ein raumes Gewissen habe, ohn allerley Gottesforcht, einen Lufftspringer, bösen Balbierer und Leisentretter, der Koth in Fäusten hab alles zu beschmieren, habe weder Augen noch Hertz, sey nicht bey Sinnen, der Christum und Belial, &c. in einen Klumpen schmeltzen wölle,** Pandoram, **ein Gefäß, darinnen alles Unglück stecke, leucht mit seiner Zungen, &c.** Hæc Schmidelinus de se & Lutheranis Prædicantibus. E

Deinde *Nova illa Novorum*, & Nova supra nova novorum ab Evangelicis hominibus & Protestantibus scripta, quid aliud sunt quàm joci, sales, sarcasmi, & dicteria in Schmidelinum, ejúsque omnimajestaticos, ubiquistícósque Sodales? Quibus etiam titulis ornent Calvinistæ Atheologos Wirtenbergenses & Schmidelinum, audivimus suprà.

F Refut. cap. 6. Et conqueretur adhuc Impostor, Prædicantes suos non satis honorificè interdum à nostris accipi & excipi? præsertim cùm Prædicantes Catholicis scommata & convitia, non modio aut trimodio, sed ipso horreo admetiantur, adeò, ut difficile sit reperire ullum convitium, aut ridiculum cognomentum, quod in Catholicos jam dudum non conjecerint. Non longè abeundum erit, ut, quod dico, probem, hæc ipsa, seu Heliana, seu Polycarpica Historia, quid aliud est, quàm unum quoddam perenne, & nusquam interrupta serie continuatum convitium in Pontificem Romanum, in Cardinales, Episcopos, omnésque Catholicos Ordines?

Refutatio calumniarum partis decimæ septimæ, quæ est de septem Jesuitarum Sacramentis.

G Pag. 299. MIrabilis est hujus paragraphi inscriptio. Súntne septem Ecclesiæ Sacramenta à nobis excogitata, ut ea *Jesuitarum Sacramenta* appellet? Accusat nos, *quòd infantes sine Baptismo mortuos à cælo excludi doceamus.* Sed accuset Christum, cujus generalis illa sententia: *nisi quis renatus fuerit, &c.* Joan. 3. Vide Bellarminum in libro de Baptismo cap. 8. Quàm stultè verò isti cum suo Schmidelino *necessitatem inevitabilem* infantes à Baptismo excusare tradunt, non autem negligentiam & contemptum parentum. Sustinéntne infantes culpam negligentiæ & contemptus illius? cur, quæso, insontibus imputatur alienum peccatum, ita, ut in æternum pereant? Certè si necessitas inevitabilis obligationem suscipiendi Baptismi tollit, ùt isti contendunt, multò magis obligatio illa tolli debet, quando infantes parentum improbitate à Baptismo retardantur. In Colloq. Mompelg. pag. 498.

H *Potest*, inquit Historicus, *Deus extraordinariè & sine Baptismo infantibus cælum donare.* Non quærimus, quid possit, sed quid velit, & quid faciat; nemo de priori dubitat, at quòd velit, & re ipsa jam infantes absque Baptismo mortuos cœlo donet, id videlicet

delicet est, quod negamus; non enim falsum est illud Christi pronunciatum : *Nisi quis renatus fuerit, &c.*

Ajunt, inquit Historicus, *hujusmodi infantes detrudi ad locum, ubi ipsis neque bene sit, neque malè.* Mentitur; nam quomodo non malè ipsis esset, cùm pœna damni mulctati jucundissimo Dei conspectu in omnem æternitatem priventur. Quamvis malè ipsis non sit, quoad pœnam sensus, secundùm probabiliorem sententiam. Vide Gregorium de Valentia tomo 2. Addit, *Augustinum non agnoscere locum alium in altero sæculo præter cælum & infernum.* Respondeo, D. Augustinum inferni nomine intelligere generatim omne receptaculum animarum subterraneum, & non tantùm sedes damnatorum; quare minimè negat, locum aliquem pro parvulis non baptizatis dari. Cupio autem ex Polycarpo cognoscere, ubi legerit in Scriptura, Judæorum masculos quàm plurimos, in quadraginta annorum peregrinatione per desertum mortuos sine circumcisione, eósque salvatos esse. Certè Præceptor ejus Schmidelinus nihil simile in Scriptura legit, cujus hæc sunt verba in Colloquio Mompelgartensi: *Quia verò sæpenumerò festinanter & inopinatò castra movenda fuerant, & liberi in discrimen vitæ non videbantur adducendi esse, Dominus ipse errorem hunc in eis correxit, dum etiam incircumcisos mirabiliter conservavit, ne in deserto absque circumcisione morerentur.* Et infrà : *Mirabiliter conservati sunt, ne sine circumcisione morerentur, & in æternum perirent.* Audis, Polycarpe, sententiam tui Fabrilis Magistri? Pergamus.

Causa, inquit Historicus, *cur Jesuitæ hunc errorem* (infantes sine Baptismo non salvari) *defendant, hæc est : Ut opulentiores pecunias ipsis offerant, quibus impetrent, ut infantes non baptizati, in loca ab ipsis magicè & ethnico more consecrata sepeliantur.* Mentiris, ùt Sycophantam impudentissimum decet, & hoc tuum mendacium omnes totius Germaniæ civitates & oppida, ubi habitamus, luculenter redarguere possunt, quibus omnibus compertissimum est, nos cum sepulturis, aliisque hujuscemodi Parochorum muniis, nihil penitus negotii habere. Turpiùs adhuc mentiris, dum pro istorum infantum salute nos *Missas celebrare, & Rosaria recitare scribis*, & longè adhuc mendacior Calumniator es, cùm ais, Richardum Hallerum *asseruisse, Missis & Rosariis in inferno constitutos liberari posse.* Quæso, an non tua mens & manus trepidârunt, cùm tam nefaria mendacia, vel ipse primus author literis mandares, vel ab Helia conscripta publicares? Pergit insanire Historicus.

Baptismi efficaciam, quantum in ipsis est, enervant, dum tradunt, baptizatos imperfectos Christianos esse, & tum demùm perfici, ubi Confirmationis Sacramentum susceperint. Perfecti Christiani sunt, suo quodam modo, omnes baptizati, non omni omnino. Nam si ipsis nihil deest, cur jubentur, *crescere in Domino, & lac sine dolo concupiscere*, & nónne Samaritani jam baptizati erant? & tamen Petrus & Joannes mittuntur ad illos, ut darent illis Spiritum sanctum: Ergo non obstante perfectione baptismi, majoris adhuc perfectionis capaces erant, ídque sine omni injuria Baptismi. Vide Gregorium de Valentia. Ut verò Historicus copiosissimè declaret, se nihil aliud esse, quàm Calumniatorem ex mendaciis & convitiis conflatum, non veretur dicere, *Confirmationem quæstus gratia inventam, se enim Romæ & Augustæ vidisse Suffraganeis multa & splendida offerri munera à parentibus, qui liberos suos ungendos illis adducebant.* Mendacium hoc refutatione non eget, vivunt Augustæ non modò Catholicorum plurimi, sed & millia multa Evangelicorum, ad ipsos provoco, ipsos Judices statuo, verúne an falsò Hasenmillerus & Polycarpus isthoc commemorent? Aliud & quidem immane sequitur mendacium.

Jesuitæ, inquit, *de Baptismo nihil omnino sentiunt.* Lector videat librum de Baptismo Bellarmini, & de eodem argumento disputationem quandam Joannis Busæi, & de ore istius, quid sentiendum sit, judicet. *Adducunt*, inquit, *præter duo illa Sacramenta à Christo instituta quinque alia, nempe Confirmationem, Pœnitentiam, Conjugium, Ordinem & Extremam unctionem.* Piget me persequi fabulatoris ineptias: evolvat Lector tomum 2. Bellarmini de Sacramentis, liquidò perspiciet, quanta sit horum vanitas, & quàm insignis petulantia, cùm de his Sacramentis tam leviter & scurriliter loquuntur & scribunt. Et quia ad nescio quam Schmidelini de Extrema unctione disputationem nos remittit, peto ego vicissim à Lectore, ut præter Bellarmini de Extrema unctione librum, legat etiam copiosam & solidam de hoc Sacramento disputationem editam ante aliquot annos in Academia Herbipolensi.

Refutatio calumniarum partis decimæ octavæ, quæ est de Ecclesia.

QUæ nostra, omniúmque Orthodoxorum sententia sit de Ecclesia, Lector intelliget ex libris Turriani contra Sectarios hujus temporis, præsertim Antonium Sadeelem, ex Analysi Gregorii de Valentia, ex libris Bellarmini de Ecclesia, & ex variis disputationibus in variis Academiis à Professoribus nostris propositis, ut proinde minimè egeamus hoc leporino Molitore, & pediculoso Polycarpo, qui nostram de Ecclesia sententiam interpretentur, maximè cùm mentiri ipsis essen-

A essentiale sit, omnémque veritatis amorem funditus abjurârint. Quale enim mendacium, quòd hîc ait, *Turrianum asseruisse, ultimam differentiam Ecclesiæ esse Romanum Pontificem, eundémque esse formam Ecclesiæ substantialem;* Ostendat nobis Polycarpus in Turriani operibus hanc assertionem, & à mendacii crimine utrumque libenter absolvemus. Huic non absimile est illud, *reperiri Jesuitas, qui putent, eam esse veram Ecclesiam, quæ Christum Deum & hominem esse fide Historica credat, neque tamen eundem solum unicum, totalem, sufficientem, perfectum Salvatorem nostrum statuat.* Mendacium ingens, & quavis dignum pœna, nemo nostrûm ita sentit, totus mundus, præter immundos Prædicantes, contrarium

B novit. Aliud libri, disputationes, prælectiones, & conciones nostrorum loquuntur. Quo igitur ore, tam atrocibus & nefariis mendaciis nos onerare audet insulsissimus ille Prædicans? Quæ præterea affert in hoc capite Calumniator, superioribus similia sunt, quippe mera mendacia, convitia & calumniæ, partim in Jesuitas, partim in Sacerdotes, partim in Episcopos & Pontifices, & in ipsam Romanam Urbem.

C Pag. 308. Ait, *Jesuitis testibus, Pium V. dicere solitum, Romam adhuc magis gentilizare, quàm christianizare.* Falleris, ô bone, si putas, te cuiquam, qui, quis Pius V. fuerit, novit, mendacium hoc persuasurum; hóccine sanctissimus ille Pontifex affirmârit? absit, absit, ex vestra officina convitium hoc prodiit, quibus omnia Catholica sacra habentur idololatrica. Et quî Roma magis gentium ritibus, quàm Christianorum hoc tempore dedita esset? Num idolis sacrificatur? num hostiæ Jovi ad aram cadunt? num hecatombæ offeruntur? num simulacra argentea & aurea adorantur? Apage igitur, vanissime Sycophanta, cum hoc tuo convitio: non est enim, cur id Pio V. acceptum referas: neque Jesuitarum auctoritate tueri te poteris; omnes auctoritatem hanc subterfugient, téque mendaciorum architectum esse, una voce pronunciabunt. Hactenus de doctrina nostra, vel potiùs de suis figmentis Historicus: non enim tam literis mandavit nostram de Religionis potissimis quæstionibus sententiam; quàm vesani sui capitis malè cohærentia commenta.

REFUTATIO CAPITIS X.

DE

JESUITARUM PATRE, QUI EST PAPA, ET MATRE, QUÆ EST ROMA.

D Pag. 312. CAput hoc nihil aliud complectitur, quàm mendacia & convitia in Pontificem & Romam, collecta ex aliis hæreticis, præsertim verò ex sacrilego Apiarii auctore, ex quo pænè ad verbum desumpsit Historicus noster, vel potiùs Polycarpus, totum hoc caput. Animadverto autem, hæreticos ferè omnes, iisdem propè convitiis uti, & alterum alteri materiam suppeditare, cùm in Romam & Pontificem maledicas linguas exerunt. Qui enim ex illorum numero, quando animi gratia in calumnias digrediuntur (quando autem non digrediuntur?) non adducunt Baptistam Mantuanum, Franciscum Petrarcham, & ex Jure Canonico Glossas obsoletas. Item Joannem à Casa Florentinum, Archiepiscopum Beneventanum, Julium III. cum Hieronymo Mutio, & Wesselum Croningensem cum Sixto Pontifice, quasi Sodomias & id genus alias detestandas libidines comprobârint. Vix ullus nunc scribit hæreticus, qui nobis Historiolas istas ex flagitioso Apostata Vergerio, ex Balæo, Schleidano, aliísque id genus pessimæ fidei & notæ hominibus non commemoret. Quis non affert superioris ætatis vel hæreticos, vel Schismaticos, vel aliàs malè erga Pontificem affectos, ùt Arnoldum Episcopum Brixiensem, Petrum de Vinea, Cæsaris Friderici II. Cancellarium, Guilielmum de sancto Amore, Petrum Cassiodorum, Dulcimum de Navarra, Arnoldum de Villa nova, Wicleffum, Joannem Huss, Hieronymum Pragensem, & similes, quorum testimonia & dicta tanti apud nos sunt, quanti Schleidani, Balæi, Vergerii & id genus aliorum Dei hominúmque contemptorum, quibus mentiri & convitiari tam proprium fuit, quàm homini ridere. Ridiculi igitur sunt Hæretici, dum nobis obtrudunt tanquam oracula Prophetarum & Apostolorum, quicquid olim Poëta quispiam iratus, vel Sacerdos ob repulsam petiti beneficii malè contentus, vel Imperatores Schismatici, eorúmque fautores ob privatas offensiones, vel omnino etiam hæretici animo calido in Romam, & in hunc vel illum Pontificem effuderunt, perinde ac si nesciremus, iræ & odii naturam hanc esse, ut fanda & infanda fingat & dicat, & quicquid suggerit cæcus impetus, longè latéque spargat.

E p. 6. cap. 3. & 6.

F

G

H Non negamus, Romæ magnam aliquando fuisse morum corruptelam, & etiamnum multos reperiri, à quibus cura salutis exulet; verùm quid mirum, in tanta & tam populosa Urbe, ad quam ex toto terrarum orbe advenæ moribus & studiis tam discrepantes turmatim in dies singulos confluunt? Quòd si Roma duntaxat improbos ferret, haberent fortassis Adversarii nostri justam Romæ accusandæ & tragicis vocibus traducendæ causam: At cùm nulla sit Civitas, paulò major, & quid dico, paulò major? imò cùm in tota Europa nulla sit Civitas, quantumvis angustis finibus circumscripta, in qua copiosam malorum messem metere

non

A non liceat, ecquæ tandem hæreticorum impudentia eſt, ſolam & unicam Romam, tanquam omnium ſcelerum fontem, omniúmque ſceleratorum receptaculum perpetuò in ore habere, & imperitæ multitudini, mendacibúsque Prædicantium dictis nimiùm credulæ deteſtandam & execrandam propinare? Avertant, oro, pauliſper oculos à Roma, eósque ad ſua Pſeudoevangelica oppida convertant, heu quàm ubegrem ſcelerum proventum invenient. Nam ut maximè ignotum eſſet, quænam Pſeudoevangelicorum ſit vita; quis tamen adeò hebes eſt & ſtupidus, qui id non facilè colligat ex eorum doctrina, cujus caput & quaſi Alphabetum: *Crede, & omnia ſalva ſunt;* ſive adulteriis, ſtupris, fornicationibus, Sodomiis, furtis, rapinis, uſuris, ſive aliis, quantumvis atrocibus criminibus & flagitiis te obſtringas, *crede, & fide tua dulciſſimum Salvatorem noſtrum complectere*, & pro certo ſtatue omnia peccata, quæ perpetrâſti, tibi eſſe remiſſa, hoc unum ſi fe-

B ceris, vives; cætera fortunæ manda. Quid hoc pharmaco obliterandi peccata facilius? Neque ullam in eo hæretici experiuntur difficultatem, quin ſponte ſua non tantùm hoc, ſed & longè plura, quàm Deus ipſe velit, credere parati ſunt. Ex hoc ergo hæreticorum hujus temporis primo principio, quæ lerna malorum exiſtat, quivis intelligens ſine meo admonitu intelliget; nam quòd objicere ſolent Prædicantes, nos æquè laxam, & adhuc laxiorem vitiis pandere januam, per noſtras Indulgentias; mentiuntur, ùt ſolent, absque ullo pudoris & ingenui ruboris argumento. Indul-

C gentiæ enim ex ſententia omnium Catholicorum, non remittunt peccata, ſive ſint gravia, ſive levia, ſed pœnam pro peccatis jam remiſſis adhuc perſolvendam tollunt. Quare nullus ſpe & fiducia, ſeu potiùs inani confidentia Indulgentiarum, in vitia ſeſe præcipitem dare poteſt, ſicut ad indulgendum genio animus impellitur dulcedine fidei & fiduciæ Lutheranæ; quod enim Prædicantes nugantur, ex doctrina noſtra tantam eſſe vim Indulgentiarum, *ut ad tinnitum auri & argenti in pelvi animulæ miſeræ ſubitò ex igne purgatorio ad cœlum ſubvolent, & quòd tanta illarum ſit vis & gratia, ut liberare poſſent hominem, etiamſi per impoſſibile Dei genitricem violâſſet:* id non eſt Catholicorum doctrina, ſed Lutheri & Lutheranorum intoleranda, & planè diabolica calumnia.

D Verùm ut ad inſtitutum revertar, vitiorum patrocinium nemo bonus ſuſcipit, ſive ea perpetrentur Romæ, ſive alibi: tantùm contendimus, Romam non eſſe talem, qualem nobis depingunt hæretici, quorum unus: *Romæ*, inquit, *omnia ſcelera, quæ vel excogitari poſſunt, ad ſummum venerunt: Romæ omnia remittuntur, & in omnibus, quicquid tandem illud ſit, diſpenſatur. Romæ venduntur omnia,* E *ſacra & profana, mares & fœmellæ, filii & filiæ, corpus & anima, Bullæ & Indulgentiæ, beneficia & veneficia, DEUS & Diabolus, Petrus &* Auctor Apiarii p. 6. cap. 6. *Paulus, omnia ſunt venalia, imò & ipſa Urbs, dummodò emptor ſat dives opum inveniretur; Romæ omnia licita ſunt, ſumma ſummarum,* inquit ille, *nihil in toto mundo tam improbum & factu horribile eſt, quod Romæ non ſit liberum & conceſſum; unica pietas prohibita eſt. Hinc & Baptiſta Mantuanus jam pridem hoc diſtichon cecinit:*

Vivere qui ſanctè cupitis, diſcedite Roma,
Omnia cùm liceant, non licet eſſe pium.

Hæc & id genus centena, quæ ſine modo F & more quotidie hæretici de Roma apud ſuos ſpargunt, tam improbè conficta, tam falſa, & tam impudenter literis & libris commendata, quem, obſecro, prudentem, cujuscunque ſectæ ſit, qui Romam viderit, non juſtiſſima indignatione compleant, odióque in tam mendaces fabulatores ſempiterno inflamment? Romæné nihil ſcelerum vetitum? Refellunt mendacium hoc carceres Urbis, maleficis ſemper referti: Refellunt publicæ furcæ & cruces; Refellunt publica tam Eccleſiaſtica, quàm politica tribunalia, quæ quæſtionibus exercendis & cauſis cognoſcendis præſunt. Refellunt mendacium hoc capita latronum & prædonum toties ſudibus præuſtis affixa. Refellunt ipſæ triremes, quæ Juſtitiam Urbis Romanæ prædicant, dum malefactores duro remigum labori addicit; & ſi omnibus facinoribus hæretici putant Romæ impunitatem propoſitam, eant, quæſo, & num ita res ſeſe habeat, experiantur; furentur Romæ, adulterentur, latrocinentur, perpetrent, quæ cogitare nefas eſt, factiténtque ſuas, quas probè nôrunt, artes, videamus, utrum aliquis ſcelerum vindex futurus ſit, qui licentiam comprimat, juſtásque pœnas exigat. Pari veſania dictitant, *Romæ ſoli pietati nihil loci relictum eſſe.* Nam ut alia infinita pietatis exercitamenta, & miſericordiæ opera præteream, liberè dico, plus eleemoſynæ uno menſe conferri Romæ in egenos, quàm contulerint Prædicantes omnes ſimul, quotquot fuerunt in tota Germania, à temporibus Lutheri ad hanc uſque diem. Vide Replicam Roſenbuſchii contra Hoſiandrum pag. 244. & ſeq.

Quòd autem hæretici, cùm Romam ve- H niunt, nihil niſi ſtupra, fornicationes, & id genus alia flagitia vident, id non eſt mirum: ad hæc enim & ſimilia tantùm oculos apertos & animos attentos afferunt. Quocunque Scarabæus volitet, nil niſi ſordes quærit, & reperit, & quid niſi cœnum loqueretur, ſi loquendi facultas daretur? Scarabæi & bruchi iſti ſunt hæretici, qui virtutum ſuaveolentem fragrantiam prætervecti ſolo vitiorum nidore paſcuntur. Iis, qui oculis flava aut rubra ocularia ſeu conſpicilia obtendunt, omnia apparent flava & rubra:

A rubra: pari modo, qui alios aſpiciunt oculis meretriciis, & Sodomiticis, iis omnes videntur ſcortatores & Sodomitæ. Tritum eſt illud apud Philoſophos: *Qualis unusquisque eſt, talis ei finis videtur.* Æquè verè dicitur: Quales hæretici ſunt, tales eis videri alios, & præſertim Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Jeſuitas.

B Quanquam cùm Hiſtorici noſtri putidiſſimas calumnias in Romam, Romanúmque Clerum conſidero, propemodum mendaciis ejus ignoſco, non quòd mendacia approbem, ſed quòd arbitrer, neminem futurum vel mediocriter prudentem, qui iſtum omnis modeſtiæ & veritatis limites nimiùm tranſcendiſſe, non ſit intellecturus, tam enim projectè & inconſideratè de Roma, rebúsque Romanis mentitur, ut vel in cæci oculos mendacia ejus incurrere
Pag. 313. queant. Ait: *Verè teſtari poſſum, me Romæ vidiſſe Papam, Cardinalem, Epiſcopos, Clericos, Monachos & Moniales, præſertim in templo S. Petri: talia perpetrare ſcelera, qualia honeſtas & pietas, imò ipſa natura vel cogitare horret: nedum ut quis ſine piarum aurium offenſione ea recenſere poſſit. Quorum tamen deſcriptionem generalem D. Paulus ad Roman.* 1.
C *dedit, cùm absque offenſa, ùt dixi, Dei & piorum, ſpecies non poſſint enumerari.* Arqui ſi ſola aſſeveratione agendum eſt, verè teſtari poſſum, & re ipſa teſtor, Sycophantam hunc, qui primus hanc calumniam concepit, & Polycarpum, qui poſtea peperit, mentiri ſplendidiſſimè & luculentiſſimè, cujus mendacii teſtes appello & advoco omnes, quotquot aliquando D. Petri auguſtiſſimum templum oculis perluſtrârunt, imò quotquot Romam viderunt, ſive ſint Catholicæ Profeſſionis, ſive Hæreticæ factionis, nullius teſtimonium defugio; dicant, utrum unquam in templis publicis, nedum publicis in plateis, Monialem viderint. Inauditum eſt, Monialem Romæ in publicum progredi. Quid igitur impurus iſte ganeo garrit de Papa, Cardinalibus, Epiſcopis & Monachis, quaſi eos cynicorum, imò canum inſtar in omnium oculis talia flagitia perpetrare viderit, quæ ſine pudore non poſſint nominari ab homine omnis pudoris experte, qualis etiam Polycarpus, quem non modò frontem, ſed & mentem amiſiſſe oportuit, quando tam manifeſta & atrocia mendacia typis excuſa, in mundum extulit.

D Et tamen impudenter ait; *verè teſtarì poſſum.* Túne Helia aut Polycarpe teſtis aptus contra Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Jeſuitas? Non magis, quàm olim Conſtantius contra Athanaſium. Etſi nimis honoro Prædicantes, quando illos cum Ariano Imperato-
Lib. 2. pro S. Athanaſio. re comparo. *Túne*, inquit Lucifer Calaritanus, explicans præceptum Chriſti de admonitione fraterna, quæ peccantem fratrem E
vult coram duobus aut tribus teſtibus argui, & deinde niſi ſe correxerit, apud Eccleſiam accuſari, *Conſtantì* (Helia, Polycarpe) *dicis Athanaſium* (Pontificem, Cardinales, Jeſuitas) *deliquiſſe? ſed ecce invenirì non poteſt, in quo deliquerit* (Pontifex, Societas JESU) *ſiquidem neque tu* (Polycarpe) *neque conſacrilegi tui* (qui te juverunt in edenda hac hiſtoria) *filii meretricis, Hæreſis Arianæ* (Lutheranæ & Calvinianæ) *poteſtis teſtes admittì contra Catholicum Epiſcopum* (contra ſummum Pontificem, Cardinales, Jeſuitas) *Dominus enim loquebatur de tribus Catholicis teſtibus, ut illis crederet beata Eccleſia, non vobis* (Helia, Polycarpe, & cæteri Prædicantes) *profanis, ex adulterio de meretrice natis. Etenim niſi ita acceperimus Dominì præceptum, poterunt & Saturni & omnium idolorum cultores admittì teſtes contra Dei domeſticos, poterunt & comblaſphemi tui à Deo derelictì ſine lumine, ùt tu es* (Polycarpe) *Judæi. Si enim vos Hæreticì, & quidem omnium Sectarum admittendì eſtis teſtes contra Chriſtianos, debent & Ethnicì & Judæi. Execramur enim hæreſin veſtram Arianorum* (Lutheranorum & Calvinianorum) *ſicut & omnium execramur hæreticorum, & tales vos* (Prædicantes) *judicamus, quales & Ethnicos, cultores videlicet omnium Dæmonum, & ſic abominamur, quomodo & Judæos, quì inveniuntur eſſe ſine Deo, ex quo negaverunt unicum filium Dei.* Hæc Lucifer Sardiniæ Metropolitanus: Qui ſi Conſtantium Imperatorem, ſed tamen Hæreticum repulit à teſtimonio contra Athanaſium dicendo, quo G
animo eſſet, ſi hodie videret non aliquem Imperatorem, ſed abjectiſſimos & obſcuriſſimos Prædicantes teſtimonium dicere contra ſummum Eccleſiæ Præſulem, contra Epiſcopos, Cardinales & integros Ordines, præſertim poſtquam ipſi quoque Imperatores à teſtimonio dicendo iſtos excluſerunt? *Quoniam multì judices*, inquit Imperator Cod. de Hær. *nos interpellârunt, quid de teſtibus Hæreticis ſtatuendum ſit, utrùmne accipiantur eorum teſtimonia, an reſpuantur, ſancimus contra Orthodoxos quidem litigantes, nemini Hæretico, vel iis etiam, qui Judaicam ſuperſtitionem colunt, eſſe in teſtimonia communionem: ſive utraque pars orthodoxa ſit, ſive altera.*

Romanizare, inquit Helias, *idem eſt, quod gomorrizare, & ſodomizare:* Mutetur *Romanizare* in *Lutherizare & Calvinizare*, & non H
invitus aſſentiar. At quòd ait, *ſe dictum hoc audiviſſe ex Monacho quodam Franciſcano, cui nomen Joannes, in Collegio Albertino Ingolſtadienſi*, multis modis mendacii arguitur. Primò, quia nullus Franciſcanus in eo Collegio unquam vixit. Secundò, quia ſcomma illud non eſt Catholicorum, ſed hæreticorum, & præſertim Lucianici Apiarii, qui id aliquoties repetit, & in

A voce Gomorra literis transposítis Romam contineri dicit. Tertiò, quia Catholici, cùm Romam veniunt, vident, *Romanizare* longè aliud esse, quàm Hæretici isti Nomenclatores tradant; qui verò Romam nunquam viderunt, illi tum ex aliorum sermonibus, tum ex libris & ex quotidiana fama certò sciunt, *Romanizare* non esse hoc, quod Prædicantes blaterant.

B *In hac Urbe*, inquit mendaciſſimus Impostor, *Archiepiscopi Sodomiam commendant, ùt rem divinam, idque fecisse ait Joannem de Casa, Archiepiscopum Beneventanum.* Mirum est, quanta impudentia & insolentia improbi isti hunc Joannem semper Catholicis obtrudant. Sed quorum auctoritate nixi? Schleidani videlicet & Vergerii, hominum, quibus mentiri adeò non fuit insolitum, ut, si ex eorum libris mendacia eximantur, parùm, vel potiùs nihil omnino superfuturum sit. Ex his mutuatus est commentum hoc Herbrandus, Simlerus, vel quisquis ille est, qui Bibliothecæ Gesnerianæ compendium confecit, Author Apiarii Lucianista, Osiander, & noster iste, seu Helias, seu Polycarpus, & alii passim hæretici Scriptores. Sed ut maximè verum esset, quod isti fabulantur, num unius impura improbitas redundare deberet in infamiam totius Urbis Romanæ, omniúmque ejus incolarum, maximè cùm liber, ùt isti dicunt (qui hujusmodi libros studiosè conquirere videntur) impressus fuerit non Romæ, sed Venetiis apud Typographum Nanum, seu Navum, seu Trojanum Navum; nondum enim convenit inter hæreticos de nomine Typographi. Quod ipsum etiam de Petro Aretino responsum esto, quem refert auctor Apiarii, edidisse Venetiis inhonestissimas de rebus Venereis picturas, cum notis & explicationibus. Sed quid hoc ad Pontificem, vel ad urbem Romanam? nam quòd iste ait, *fuisse hunc magnum Pontificis amicum;* quid si mentiretur? primum certè non fuerit Apiarii mendacium, & utinam esset postremum. Deinde mirandum est, istos ad peregrinos impuritatis magistros adeò esse oculatos & tam cæcos ad domesticos, id est, ad Germanos. Quæso, nihilne in Germania apud ipsos Lutheranos scribitur, fingitur, pingitur, aut sculpitur, quod sit irritamentum ad libidinem? Circumferant Prædicantes oculos & mentem, & expurgatis, quæ propiùs urgent, sordibus, tunc demùm animum adjiciant ad eluendas maculas Italiæ.

C

D De Julio III. Pontifice, quòd ùt *alter Jupiter suum Ganymedem habuerit, quódque Hieronymi Mutii, Sodomiam defendentis, Apologiam approbaverit*, mendacia sunt clarissima, luculentissima, à voluptuariis Apostatis, Vergerio, Balæo, & similibus per summam mentiendi procacitatem conficta, & postea ab Osiandro, aliísque carnalibus Prædicantibus repetita. Quod ipsum dico de concessione quadam Sixti IV. circa usum præposteræ Veneris, quam isti ex Wesselo Croningensi, ubique, ùt Ubiquistas decet, inculcant, sine ullo pudoris indicio, cùm tamen rubore suffundi deberent, tum ob tam atrocia mendacia, tum ob materiæ summam turpitudinem, quæ certè non potest non istos mendaciloquos præcones infames reddere, cùm tam cupidè semper de ea loquantur & scribant. Sed audiamus Historicum. E

Romæ, inquit, *quibusdam nulla, quàm Sodomitica libido placet.* Credo, sed tui & Polycarpi similibus. Num verò aliis in urbibus & regionibus, nulli sunt, quibus eadem flagitiosa mens & affectio? Cur igitur Romam, Romam inquam, isti semper ingeminant? F Pag. 314.

Romæ, inquit Polycarpus, *disputant, an Matrimonium sit melius quiddam, quàm Sodomia.* In qua Academia, aut in quibus Scholis Romanæ urbis quæstio hæc discuti solet? In illis, opinor, ad quas hæretici potissimùm sese conferunt, cùm Romam veniunt, in popinis videlicet, ganeis, lustris, gurgustiis, & id genus aliis nebulonum latibulis. Nam in publicis Romanorum scholis nullus unquam quæstionem istam aut proponi, aut discuti audivit. Et si quis Romæ tale thema poneret, cum illo non tam argumentis & rationibus, quàm fustibus & suppliciis disputaretur.

Cæterùm quod effrons iste histrio Romæ fieri solitum fingit, id auctor Apiarii testatur etiam accidisse Bononiæ sub Paulo IV. Sed aut mentitur ille Lucianista, aut si verum dicit, tunc ostendit, aut se, aut alium, qui primus hoc sparsit, Bononiæ non dedisse operam Academicis Professoribus, sed lenonibus, neque tam trivisse gymnasia, in quibus istæ quæstiones sunt inauditæ, quàm cinædica lupanaria, quorum discipulis mirum non est tales quæstiones proponi. G

Jesuita Fabritius Romæ mihi in faciem dixit, inquit Historicus, *ego mallem Sodomiam exercere publicam, quàm contra Papæ mandatum inire Matrimonium.* Mentiris miser; rogas, Polycarpe, unde sciam? attende. Nullus honesti oris & pectoris, (nedum Religiosus) hujusmodi comparationes vel tacitè instituit, tantum abest, ut eas eloquatur, & coram aliis promat, memor illius: *Fornicatio, & immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Quid verò minùs ad rem pertinet, quàm de hujusmodi re turpi hypothesin ponere, cùm utrumque homo Religiosus ita aversari debeat, ut malit millies H Ephes. 5.

lies

lies vitam profundere, quàm alterutrum illorum perpetrare.

A *Jesuita quoque Andreas*, inquit Historicus, *Romæ dixit, non minùs peccat Sacerdos, si uxorem ducat, quàm si cum mula rem habeat.* Neque hoc credo cuiquam nostrûm excidisse, probè sciens, morem esse hæreticis, mentiri apud suos, quasi Sacerdotibus & aliis castitatis voto obstrictis omnia scelera, quantumvis abominabilia, permissa sint apud Catholicos, dummodo matrimonio abstineant. Non est ita, ô mendaces Prædicantes, gravissimè peccat Sacerdos, aut Religiosus, qui inito conjugio fidem Deo datam irritam facit. Gravissimè peccat, qui cum bruto nefariè sese commiscet, hoc sentimus & docemus omnes; addimus tamen, quod & superiùs explicatum est, idem peccatum, quod ratione quarundam considerationum & circumstantiarum, minus est altero, posse esse alio respectu majus & sceleratius, quod etiam de duobus propositis peccatorum generibus rectissimè asseritur.

Refut. cap. 6.

B Observari autem velim à Lectore impudentiam Heliæ, qui Historiam professus, cùm dicta & facta Jesuitarum (ùt ipse quidem ait) refert, sæpe nihil aliud dicit, quàm: *Jesuita Andreas, Jesuita Georgius, Jesuita Pietro Flandrus, Jesuita Pietro Hispanus, Jesuita Christophorus hoc dixit aut fecit, quidam Jesuitæ, aliqui Jesuitæ ita sentiunt*, ut mihi quidem, quando mentiri voluit (quando autem non voluit?) tantùm videatur nominis quærendi gratia inspexisse Calendarium, cui, præposito Jesuitæ vocabulo, suum mendacium adscriberet; aut ad generalitatem, ut ita loquar, confugisse, ut mentiens securiùs delitescceret; non designatis certis personis, cum omnibus suis circum-
C stantiis & differentiis. Qui scribendi modus si in ullo mortalium probaretur, nihil facilius esset, quàm flagitiosissima quæque & turpissima de Prædicantibus libris & literis mandare. Dicerem enim more Heliæ: *Prædicans Herhansius in Saxonia negavit, adulterium esse peccatum. Prædicans Samuel publicè professus est, se malle cum capra coire, quàm jussu Papæ cælibem vitam ducere; Prædicans Zacharias, & Prædicans Noë, & Prædicans Lupambulus negârunt Deum esse trinum & unum.*
D Cæterùm quis non videret, me ita scribendo mendaciis latebram quærere? Non enim unus duntaxat Prædicans est in Saxonia, qui titulo *Herhansii* superbus incedat, neque unum tantummodo Zachariam, aut Samuelem Prædicantem Lutherani habent; præsertim cùm illis mos antiquus sit, nomina propria potiùs ex veteri, quàm ex novo testamento petere. Non ergo satis est ad fidem prudentibus faciendam, dicere; *Jesuita Georgius hoc aut illud dixit: Quidam Jesuitæ hoc vel illud sentiunt;* sed addere oportet cogno-

mina, loca, tempora, & alia hujusmodi, E
quæ aliquem designare, & ab aliis, in individuo secernere solent. Quo facto, tum demum potest Lector ulteriùs progressus disquirere, utrum verum sit an falsum, quod de tali vel tali refertur.

Subjungit Historicus; *Ego Romæ vidi Cardinales & Episcopos, Canonicos, & Clericos, publica scorta ex templis ad vicina sua lupanaria rapere.* Mentiris, mendacii testes advoco omnes, qui oculis rectis, & non mererriciis, Romam aspexerunt. Nam ut apud Cardinales & alios pietas, Deíque timor funditus periisset, nunquam tamen talia facinora perpetrarent, nisi omnis etiam honestas politica & humana, quam natura singulis indidit, apud eosdem extincta esset. Quod qui affirmare audet, ille meritò non homo, sed portentum hominis existimabitur.

Quid, quod temporibus *peregrinationum & stationum*, inquit Historicus, *honestæ matronæ non audent in publicum prodire, eò quòd pudicitiæ ipsarum insidiæ struantur.* Mentiris improbe, multa millia fœminarum, & honestissimarum matronarum stationes obire solent, ùt omnibus notissimum est. Satis porrò mirari non possum, Polycarpum publico libro ausum fuisse spargere talia mendacia, quæ à toto Christiano orbe, & ab ipsis hæreticis, qui Romam adiêrunt, nullo negotio refutari possunt. F

Mulieres, inquit, *invitas abducunt, & deinde pecunia placatas, nummisque onustas ad maritos remittunt.* Romæ, ùt & alibi, raptus capitalis est: Si quis raptus convinci queat, is profectò vindicem justitiam non effugit. Et quomodo mulier invita rapi potest, in tanta hominum multitudine & frequentia, quanta tempore Stationum & Processionum, convenire solet?

Plerique, inquit, *Cardinalium & Episcoporum apud improbos cives sua scorta alunt.* Mentiris, imò plerique ùt doctissimi, ita pietate & omni virtutum genere, maximè sunt conspicui. G

Multos maritos, inquit Historicus, *ita corrumpunt, ut propriarum conjugum lenones agant.* Mentiris improbe. Sed ut aliqui scelus hoc admiserint, an, obsecro, Romæ duntaxat, & in aliis Catholicis locis adulteri & adulteræ, lenones & lenæ nascuntur? An non, ubi lux Evangelii tam clarè splendet, ut homines nimio splendore & fulgore jam sint excœcati, multos reperire licet, qui vel volentes vel nolentes dividant totum cum Prædicantibus?

Ab ipsis Jesuitis audivi, inquit, *Pontificem Romanum in urbe Roma ad singulos annos ab Episcopis, Clero & scortis ultra triginta millia coronatorum prolactis censu (vulgò vocant* **den Milchzins** *) in fiscum suum recipere.* Quis est iste lactis census, mortalium miserrime, tibi soli notus, reliquis omnibus ignotus? Videtur Heliæ id evenisse, quod interdum H

A accidit ægris, vel non valde ſanis mente; Somniant aliquando mira, & mira in ſomno audiunt, quorum ſpecies etiam vigilantibus remanent, tum quaſi non ſomniâſſent, ſed mirabilia illa ex aliorum ore audiviſſent, aliis ea narrant, tanquam à certis auctoribus profecta. Eodem planè modo Hiſtoricus noſter figmenta, quæ ipſe ſibi in ſuo malè ſano cerebro exſculpſit, Jeſuitis quaſi auctoribus adſcribere ſolet. Puto enim, nullum hac hora in Urbe verſari Jeſuitam, qui, quis ſit iſte *lactis cenſus*, ſciat. Et fortè Prædicantes Romæ fieri arbitrantur, quod fieri poſſet magno Reipublicæ bono in Germania. Nam cùm pleríque Prædicantes plures habeant liberos, quàm libros, illísque quàm his, multò diligentiorem navent operam, non modicus ſanè quæſtus ad commune ærarium rediret, ſi quoties lac pro infantibus emunt, nummorum aliquid Reipublicæ pendere cogerentur.

B *Si ſcire cupis*, inquit Hiſtoricus, *quid in hac urbe diſputetur & doceatur, audies ibi Papam dubitantem, an anima ſit immortalis, citátque Leonem X.* Ferream profectò & mentem & frontem hæreticorum eſſe oportet, cùm toties hoc de Leone X. mendacium repetant; An non ſub Leone X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 8. condemnati ſunt illi, qui putabant, animam ex ſua natura eſſe mortalem? An non Lutherus ipſe vitio vertit Leoni X. quaſi novos articulos fidei cudat, inter quos numerat Lutherus etiam hunc, *Animàm eſſe immortalem*? Quando igitur Leo X. animæ immortalitatem, teſte ipſo Luthero, pro articulo fidei habuit, quomodo, obſecro, de animæ immortalitate dubitavit? Quantò rectiùs hoc de Luthero aſſeritur, qui ob hoc Leonem ridet, animámque eſſe immortalem, *portentum* appellat.

Vide Gregor. de Valent. tom. 1. Diſput. 6. p. 3.

C Simili mendacio affirmant Helias & auctor Apiarii, dubitâſſe Leonem X. utrum Chriſtus unquam in terris vixerit?. O cruce & rogo dignam calumniam! nam quòd nobis pro teſte dant Balæum & librum, *Cur Principes Germani cum Tridentino Concilio nihil negotii habere debeant*, fruſtrà ſunt. Tantam enim merentur hi teſtes fidem, quantam Calumniatores reliqui, in quorum animis calumniandi & mentiendi habitus tam altas egit radices, ut ne quidem ſcire videantur, quid ſit veritas, nedum ut veritati conſentanea ſcribant, aut loquantur.

P. 6. cap. 3.

D *Romæ*, inquit Hiſtoricus, *audies ſacrum conjugium vituperantes, Sodomiam verò laudantes.* Mentitur nebulo, nemo niſi Polycarpo, Heliæ, aliísve Prædicantibus ſimilis, aut illud vituperat, aut hanc laudat. Et ſi quos hujus generis Encomiaſtas Romæ audiêrunt hæretici, tum ſatis declarant, quibus cœtibus intereſſe ſoleant, cùm Romam veniunt.

Romæ, inquit Hiſtoricus, *licuit audire Diabolum, Cathedræ Papæ inſidentem, dicere: Ego ſum Papa; quod factum eſt tempore Pauli IV. Anno 1558.* Ferè adducor, ut ſemel credendum cenſeam Hiſtoricis noſtris, cùm enim dæmoni admodum ſint familiares iſti hæretici, accepta familiaritate hæreditario jure à parente ſuo Luthero (qui cum Diabolo aliquot ſalis modios eſitavit) non injuria ſuſpicari poſſumus, id eos ex ipſo dæmone in aliquo familiari congreſſu intelexiſſe. Nam quòd ipſi Romæ viderint Pontificiæ Sedi inſidentem & verba illa proloquentem, nemo ſanus facilè adducetur, ut ſibi perſuadeat. Verùm enimverò cùm, Scriptura teſte, dæmon ſit mendacii pater, deberent iſti ſuo illi congerroni non tam prono aſſenſu, quoad omnia, quæ narrat, fidem habere, ſed dicta illius ad ſacram Scripturam, more ſuo, tanquam ad Lydium lapidem examinare, ſæpè enim narrare ſolet, quaſi à ſe facta, quæ nec fecit, nec facturus eſt, neque verò facere poteſt.

E

Joan. 8.

F *Romæ*, inquit Hiſtoricus, *Papæ exercent magiam, ùt Gregorius VII. & alii plures fecerunt.* Rogo te, Polycarpe, ſi Doctor es non ſolo nomine, experire vires tuas, & refelle non mendaciter, ſed verè & ſolidè, quæ ſcripſit Bellarminus pro Gregorio VII. aliísque Pontificibus, quorum magias & veneficia ſemper in ore habetis. Interea nec verbo te dignabor, neque quicquam reſpondebo ad fabulam de fœmina Papa, quam jam dudum cùm alii, tum Bellarminus, & Georgius Scherer, Germanico libello non ſine Prædicantium ſtomacho profligârunt.

Lib. 4. de Pontif. cap. 13.

Lib. 3. de Pontif. cap. 24.

G Ad finem Capitis Teſtium nubem producit Hiſtoricus, qui omnes Romam deteſtati ſint, dirísque devoverint, quorum pleríque, ùt initio dixi, aut fuerunt manifeſti hæretici, ùt Wicleffus, Huſſius & alii, aut Schiſmatici, & Schiſmaticis addicti, & in Sedem Apoſtolicam malè animati, ob privatas offenſiones, ùt Cancellarius Friderici Imperatoris & alii, aut Poëtæ, quibus quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas, ùt Baptiſta Mantuanus, & Petrarcha. Nam quod ad D. Bernardum attinet, is hæreticis nihil prorſus favet, luxum & vitia, quorum ſuo tempore proventus erat non exiguus, reprehendit, ipſam Romam & Sedem Apoſtolicam ſanctiſſimè ſemper veneratus eſt, quod etiam de Mantuano & Petrarcha intelligi volo. Quanquam iſti duo tantò minore jure linguam & calamum in Romam exerere potuerunt, quantò minoris fuerunt ſanctitatis, eruditionis, & apud omnes auctoritatis, quàm D. Bernardus.

In lib. de conſideratione & alibi.

H Quòd ſi Petrarcha *Romam ſcholam errorum & templum hæreſum appellavit*, fecit id eo afflatus ſpiritu, qui poſtea Lutherum & Lutheranos, Eraſmúmque & Eraſmianos occupavit. Nam qui errores contra Chriſtianam

A nam fidem docebantur Romæ, temporibus Petrarchæ? Et certè Petrarcha iſte in inſectanda Roma nimiùm ſibi indulſit, ùt & poſteriùs Valla & ſimiles, licèt Sacerdotes, qui quando ſperatum aliquod beneficium aut dignitatem Eccleſiaſticam impetrare non poterant, Romam mille convitiis eminus allatrabant, quorum auctoritate nunc nos opprimere volunt iſti, perinde ac ſi fuiſſent ejusmodi homines, qui veritatis fines tranſcendere non potuiſſent, ſempérque inter nimium & parùm medii inceſſiſſent. Dixi initiò, & iterum repeto, magnas Civitates niſi vigilans cura Magiſtratuum obſiſtat, magna parere vitia ob multitudinem
B incolarum & advenarum. Cùm igitur Romæ in tanta Urbe, aliquando magìs, aliquándo minùs, ii, qui debebant, malis moribus exterminandis incubuerint, mirum non eſt, interdum uberem vitiorum ſegetem extitiſſe. Nam & ager, quò melior & feracior eſt, eò, ſi non colatur, plures fert urendas filices herbásque nemini utiles. Eant nunc, ſi placet, Romam, quibus Romana flagitia paſſim decantare mos eſt, & poſitis pauliſper oculis hæreticis & meretriciis, cominus contemplentur, utrum Roma talis ſit, qualis depingitur ab his noſtris nebulonibus, & ab auctore Apiarii, aut à Vergerio, Balæo, Schleidano, Oſiandro, Herbrando & ſimilibus Lutheranis mimis & hiſtrionibus, aut à Mantuano & Petrarcha, quorum uterque, privato fortaſſis odio, neque modum, neque modeſtiam ſervavit, in reprehenſione Ur-
C bis Romæ, & præſertim Petrarcha. Nam quis niſi lividus neget hoc nimium & præter verum & ex impotenti quadam animi perturbatione profectum, cùm ita ſcribit:
Epiſt. 18. *futuræ vitæ ſpes Romæ inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabuloſa omnia: Reſurrectio carnis, & mundi finis, & Chriſtus ad judicium venturus inter nænias habentur: Veritas ibi dementia eſt, abſtinentia verò ruſticitas, pudicitia, probrum. Ingens denique peccandi licentia, & quò pollutior, eò clarior vita.* Gratiæ autem DEO, qui huic noſtro ſeculo illos Pontifices miſit, qui non minùs curæ, cordíque habent morum honeſtatem, virtutísque pulchritudinem, quàm fidei & doctrinæ ſinceritatem & integritatem, quíque præclaris ſuis laboribus pro reformatione & Urbis & Orbis ſuſceptis, omnibus Calumniatoribus os obſtruere poſ-
D ſunt. Sed his omiſſis pro Capitis hujus concluſione Polycarpo non in aurem, ſed liberè & apertè dico, adeò non pudere aut pigere nos Romanæ Urbis & Eccleſiæ tanquam noſtræ Matris, & Pontificis tanquam Patris, ut nos infeliciſſimos arbitraremur, ſi aut Islebium, aut Wittenberga nobis, ùt Lutheranis, eſſet mater, aut deterrimus Apoſtata Lutherus,

Pater.

REFUTATIO CAPITIS XI. E

DE MORTE JESUITARUM.

MAgno odio flagrâſſe oportuit Heliam Pag. 317. in Jeſuitas, qui mentiendo, calumniando, convitiando, & criminando ſibi non ſatisfecit, niſi mortem quoque noſtram & ſupremam diem, quæ in hoſte etiam commiſerationem potiùs, quàm riſum & calumnias excire ſolet, atrociſſimis mendaciis & calumniis traduceret. Multa tamen priùs præfatur de modo, quo Lutheranos ad nos alliciamus.

F
Jeſuitæ, inquit, *paralogiſmis ſerpentis antiqui inſtructi, & optimè artes Sophiſtæ illius, qui dicitur mille artifex, callentes, ſic ſimpliciòribus dicere ſolent: En chariſſime, etiamſi acceſſeris ad Romanam Eccleſiam, non tamen propterea deſerendæ tibi ſunt leges divinæ, non Evangelium, ſed tantùm illorum verum & Catholicum ſenſum conſequeris: nihil damni accipies, ſed multa bona ſenties, poteris ad ſummos aſcendere honorum gradus, & nobis ſimilis eſſe. Nos etiam in omnibus te juvabimus. Quid faceres ergo apud miſeros & pauperes Lutheranos, veni ad nos, poteris etiam noſtra ope ad quamcunque petis functionem promoveri; En quot, qualíque doctrina & eruditione præſtantes virì exiêrunt de Lutheranis, quì jam opimas conditiones, præluſtres Abbatias, & ampliſſimos Epiſcopatus obtinent, de quibus ipſis inter Lutheranos ne ſomniare quidem licuit? Túne ergo tuo damno nos deſerere velles? Quin, quò illi perveniunt, & quò tanta doctorum multitudo deveniet, eò te quoque ferri velis. Mane ergo nobiſcum; ſic tibi omnia erunt tranquilla & quieta.* Pag. 318.

Hæc & alia hujus generis G
Helias, additis ad oram libri his verbis: *Richardi Jeſuitæ Ingolſtadienſis verba & Bonaventuræ Rectoris ibidem.* Sed mentitur impudenter; neque enim P. Richardus Haller, neque P. Bonaventura Paradinas hæc verba tanquam ſua agnoſcunt, ſed tanquam Heliæ, & ſimilium hiſtrionum inſana figmenta deteſtantur; tam enim duo iſti Patres, quàm alii ex noſtris, ſi quando cum Lutheranis de reditu ad Catholicam Eccleſiam agunt, non aliter agunt, quàm veritatis demonſtratione, invictísque contra Lutheranam falſitatem rationibus & argumentis: tantas conditiones neque promittere, neque dare poſſumus, & ſi quem ſciremus, qui non amore Chriſti, ſuæque ſalutis, ſed ſpe opum, veſtram Synagogam deſerere ſtatueret, eum indignum æſtimaremus, qui in Catholicorum numerum allegeretur; talis enim fidei ædificium non ædificaret ſuper petram, ſed ſuper arenam, quod proinde ventis & procellis ingruentibus neceſſe eſſet concidere, & funditus everti.

Cæterùm multò magis mentitur, ſi, ùt vi- H
detur, ſignificare vult, *ſe aut alios hac eſca ad*

A *Societatem nostram fuisse pellectos*; quas enim, obsecro, dignitates & opes polliceri possumus illis, qui ad Ordinem nostrum animum adjiciunt, aut quid, qui res nostras propiùs novit, aliud exspectare potest, quàm continuos labores, quos partim ipsa Religiosa disciplina, partim literæ & scholæ, partim alia Instituti nostri munera pariunt? Quòd si quis spe talium pollicitationum impulsus Societatem ingredi vellet, is nunquam susciperetur, si mens ejus Superioribus constaret. Nam P. N. Ignatius tantam cautionem adhiberi voluit, ut, si quis examinatus fateretur, se ab aliquo ex nostris ad petendam Societatem fuisse motum, noluerit, ut talis (quamvis licitè & cum merito moveri potuisset) voti compos fieret, nisi longiori temporis spacio interposito rem Deo denuò commendaret, perinde ac si nullus de Societate ipsum movisset. Verba ejus hæc sunt: *Interrogetur, num deliberatum habeat animi propositum vivendi & moriendi in Domino in hac Societate. An omnino decreverit seculum relinquere, quibus de causis aut quomodo desideria hæc ei in mentem venerint, & quàm dudum ea habuerit, an in hac animi sententia remissior aliquando factus fuerit? & quatenus. An à quoquam, præsertim à nostris primùm ad id motus fuerit?* B Si igitur P. Ignatius non vult, ut licitè quempiam inducamus ad Religionis ingressum, quantò magis prohibere censendus est, ne quem illicita ratione ad vitæ mutationem impellere conemur? qualis ratio esset, si alicui non proponerentur Dei gloria, propriæ salutis amor, mundique vanitas: Sed opes, dignitates, honores, otium, voluptates & similia, quibus neque Catholica fides, neque Religiosi Ordines, sed potiùs hæreses propagantur; cur enim tam multi, tam turmatim Lutheri sectam amplexi sunt? certè non propter austeritatem & severitatem; sed propter laxissimam vivendi, genióque & ventri in- C dulgendi libertatem. Rideo autem, quoties ab istis audio illos nominari *Apostatas*, qui saniore mente recepta, Luthero multam salutem dicunt. Apostata, ô Prædicantes, nomen vitii est & criminis. Hinc tribui nequit illis, qui à perfidia ad fidem, à Dæmone ad Deum, à flagitiis ad virtutem, & à tenebris ad lucem transeunt. Vobis, vobis nomen hoc competit, & omnibus illis, qui hodie perruptis disciplinæ Catholicæ & Religiosæ repagulis ad Lutheri Venerea & Carnalia castra convolant. Sed D audiamus Historicum.

In Exam. cap. 3.

Pag. 319. *His & aliis minis simul & promissis profanas & mundanas mentes facilè capiunt, sicque seducti multi & Apostatæ facti sunt. Tales fuerunt nostro sæculo Staphilus, Caspar Franck, Rabus & alii, qui tamen omnes miserè periêrunt.* Cur & isti & alii ad Catholicam Ecclesiam reverterint, satis constat ex ipsorum libris, qui pro ipsis loquuntur, ac proinde mea defensione non egent. Mentitur autem impudens histrio, cùm ait, omnes miserè periisse. E

Nam Rabum in bello Colonienssi à militibus miserè occisum esse, quod hîc scribit Helias, tam verum est, quàm ipsum Heliam feliciter ex hac ærumnosa vita ad cœlestem Ecclesiam emigrâsse, quod in præfatione Historiæ Helianæ affirmat Polycarpus. Et quid, oro, miseriæ & calamitatis inesset in illa morte, etiamsi quis à Lutheranis militibus, aut Prædicantibus ob odium in Catholicam & Romanam Religionem trucidaretur? Certè si ulla mors est pretiosa in conspectu Domini, hæc maximè pretiosa est. F

Caspar verò Franck, inquit Historicus, *anno M. D. XXCIV. Ingolstadii moriturus, ùt mihi retulit ipsius famulus, neminem ad se admittere voluit, dicens: Ego multa & feci & scripsi contra conscientiam, discedite à me omnes, jam sum in foro Judicii, brevì vel condemnabor, quod metuo, vel salvabor, cujus tamen nullam persuasionis rationem in corde meo sentio. Sicque solus miserè expiravit.* Primùm, ubi hoc retulit Heliæ famulus Franckii? profectò non Ingolstadii; nam prædicto anno, mense Martio, obiit Franckus, quo nunquam vidit Helias Ingolstadium, quod mihi certissimò constat; semper enim usque ad Heliæ defectionem, & aliquamdiu etiam post illam Ingolstadii vixi. Deinde mentitur improbissimè & flagitiosissimè: obiit enim placidissimè & quietissimè in ulnis P. Andreæ Sylvii, qui tunc Philosophiam hîc profitebatur, multis præsentibus, & toto ægritudinis tempore, cùm ab Academicis Doctoribus, tum à civibus, tum etiam à nostris sæpiùs aditus est, & idoneis, suprema hora appetente, solatiis recreatus. Maximè autem delectabatur consuetudine & colloquiis P. Bonaventuræ Paradinæ, ejus, quem toties in hac Historia criminatur Historicus. Quæ omnia non modò Academiæ & civitati Ingolstadiensi notissima sunt, sed etiam publicis literarum monumentis consignata in volumine Orationum & Carminum Funebrium, quod hîc excusum est, & tamen non modò de Francko tam impudenter mentiri audent Prædicantes, verùm etiam de Staphilo & Cochlæo. G

Qui etiam fuerint horrendi exitus Staphili, Cochlæi & aliorum, inquit, *nemo ignorat.* Imo verò nemo Ingolstadiensium ignorat, te de Staphilo prorsus insanè mentiri; nam multi supersunt Ingolstadii, qui doctissimo Viro ad supremum usque spiritum adstiterunt. De Cochlæo quoque invicto Lutheri debellatore idem libenter testabuntur, si aliquibus ex illis, qui cum morte luctantem spectârunt, lucis usura huc usque obtigit. H

Cæte-

A Cæterùm quis fuerit Franciſcus Speira, quem poſt ſuam Apoſtaſiam, ab agnita Evangelii veritate, in deſperatione periiſſe, hîc commemorat Hiſtoricus, equidem neſcio, hoc ſcio, mentiri Hiſtoricum. Qui enim religioni non habuit, mendaciis tam impudentibus onerare obitum D. Francki, D. Staphili & aliorum Clariſſimorum Virorum, quî, oro, hic, cùm de minùs noto ſermo eſt, à mendacio abſtinuiſſet? Neque ſcio, quis fuerit Valentinus Bazæus, & alii quidam, quos hîc adducit extra propoſitum; nàm cùm Caput hoc inſcripſerit *de Morte Jeſuitarum*, longum deinceps texit nobis Catalogum eorum, qui de noſtra Societate nunquam fuerunt, Ubiquiſtico more, quibus ſolenne eſt, quidvis ubivis dicere & ſcribere. Sed operæ pretium eſt audire, quid de Bazæo narret.

B *Bazæus*, inquit, *ab Evangelica veritate, cujus erat præco, deficiens, & ad Papæ regnum concedens, à quodam ſibi obviante, dum Dilinga Lavingam ambularet, per fauces transfoſſus eſt.* Fides hujus rei ſit penes auctorem, ſi qua tamen fides in tam mendaci pectore ineſſe poteſt. At faciamus id ita eſſe, quid ex hac, ſeu fabula, ſeu hiſtoria colligitur, niſi Prædicantium improbitas, quibus ſicarios ſubornare, ut converſos ad Catholicam fidem è medio tollant, divinum videtur obſequium? nam latronem illum, qui Bazæum interemerit, fuiſſe communem & ſylvaticum, nemo credet, cui notum eſt, quàm via Dilingâ Lavingam minimè idonea ſit latrociniis perpetrandis, & latronibus occultandis in tanta vicinia utriusque civitatis, & in tanta camporum planicie. Sic nuper reconciliato cum Eccleſia Catholica Illuſtriſſimo Marchioni Badenſi Jacobo, ſtatim venenarius quiſpiam (quem dies Domini aliquando revelabit) venenum propinavit. Quid mirum igitur, ſi pereant, qui cum Deo & Eccleſia in gratiam redeunt?

Vide Hiſt. de obitu ejus, impreſſ. Coloniæ 1591.

Pag. 320. *Sed quid hæc refero*, inquit Hiſtoricus, *Jeſuitæ ejus rei nobis quotidiana præbent exempla.* Neque ego video, ad quid aliud prædicta enumeraverit Hiſtoricus, quàm ut mentiendo & calumniando ſe & ſibi ſimiles nonnihil oblectaret.

C *Ego*, inquit, *Romæ anno M. D. XXCIII. multos Jeſuitarum audivi & vidi miſerè ſuccubuiſſe & periiſſe.* Mentiris improbe, mentiris, niſi quòd iſtis miſerè perire videntur, quotquot in gremio Eccleſiæ Catholicæ, & in Societate noſtra vitam finiêrint. Si hoc eſt miſerè perire, tunc fateor, multos miſerè perire & periiſſe; addo etiam, me ipſum nihil aliud optare, quàm ut hoc modo peream.

D Narrat deinde exitum decem quorundam Gallorum, qui fluctibus maris obruti ſint anno 1581. *eò quòd neglecto Evangelio Romæ in impias Jeſuitarum ſententias deſcenderunt.* Sed valdè ſuſpicor, Heliam hîc non agere Hiſtoricum, ſed hiſtrionem & fabulatorem. E Nam quòd ait, *in ea tempeſtate illos agnoviſſe Dei iram, ceu alterum Jonam, Chriſtúmque, ut peccatum deſerti Evangelii condonaret, inclamâſſe, & Romæ poſtea ùt hæreticos damnatos eſſe*, manifeſtius mendacium eſt, quàm ut celari poſſit. Nam quis audivit cantantes palinodiam? Sed iſte non tam ſcripſit, quid fecerint, quàm quid ipſos feciſſe optaverit.

Verùm enimverò exigua ea videri poſſunt F mendacia, quæ hactenus in hoc capite evomuit, præ illis, quæ jam plenis faucibus, & ut ſic dixerim, catervatim ejicit. Vix ſequitur ulla ſyllaba, quæ ſit vera.

Ignatium Lojolam, inquit Helias, *ipſius vitæ Scriptor placidè defunctum ſcribit.* Non modò Ribadeneira & Maffejus id teſtantur, ſed & alii nonnulli, qui adhuc ſuperſunt, Romæque vixerunt eo tempore, quo ex hac vita migravit P. Ignatius, quorum unus eſt R. P. Paulus Hoffæus. Jam ingredere mendaciorum campum.

Turrianus ſæpè mihi dixit, illum in cœna, G *prandio, Miſſa, in recreationibus etiam, ita à dæmonibus exagitatum fuiſſe, ut in magna copia frigidiſſimum mortis ſudorem fuderit.* Nihil penitus dubito, turpiſſimè mentiri hiſtrionem, hócque ſuum mendacium non niſi mendaciter Turriani auctoritate veſtire. Qua enim animi tranquillitate & quiete Deo ſerviêrit Ignatius, ſatis apparet, cùm ex hiſtoria vitæ illius, tum ex fida relatione eorum, qui Ignatio, cùm viveret, familiares fuerunt. Deinde etiamſi hujusmodi dæmonis inſultus & impreſſiones pertuliſſet Ignatius, quid tandem inde colligerent hæretici? an Ignatium fuiſſe improbum & ſceleratum? Nihil certè minùs; nam quos dæmon jam poſſidet, ſuísque laqueis irretitos tenet, illis non valdè moleſtus eſt. Quam cauſam eſſe arbitror, cur Prædicantes tam rarò, vel potiùs nunquam dæmonis impetus ſentiant, aut animadvertant; non enim oppugnat illos, quippe jam ſuos, tantùm allaborat, ut ne evadant, quod illi nullius eſt operæ, cùm ne evadere quidem cupiant. Præterea an neſcit indoctus Polycarpus, quid de Patribus antiquis, viris ſanctiſſimis, hiſtoriæ prodiderint? Unum aut alterum duntaxat exemplum producam. Divus igitur H Hieronymus de S. Hilarione ita ſcribit: *Quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rurſus variarum portenta vocum, ut antè ſonitu, quàm aſpectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus, Chriſti crucem ſignavit in fronte, taliquè armatus caſſide, & lorica fidei circundatus, jacens fortiùs præliabatur, amodò videre deſiderans, quos horrebat audire, & ſolicitis oculis, huc illúcque circumſpiciens. Cùm interim ex improviſo, ſplendente Luna, cernit rhedam ferventibus* In vita ejus.

equis

A *equis ſuper ſe irruere. Cúmque inclamâſſet* JESUM, *ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: Equum & aſcenſorem projecit in mare. Et: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.* Et paulò pòſt: *Interdum orantem* (Hilarionem) *lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſilivit, pſallentíque gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit, & unus quaſi interfectus, & ante pedes ejus corruens, ſepulturam rogavit. Oravit ſemel fixo in terram capite, &, ùt natura fert hominum, abducta ab oratione mens, neſcio quid aliud cogitabat. Inſiliit dorſo ejus feſtinus gladiator, & latera calcibus, cervicem flagello verberans: Eja, inquit, cur dormitas? Cachinnánsque deſuper, cùm defeciſſet, an hordeum vellet accipere, ſcitabatur.*

B Quas verò pugnas, & quæ certamina cum dæmonibus iniêrit S. Antonius, exponit non *Hiſtoria Lombardica*, aut *Diſcipulus*, aut *Vincentius*, quos iſti perpetuò rident, ſed graviſſimus & ſanctiſſimus Pater Athanaſius, cujus inter cætera hæc ſunt verba: *Metuens diabolus, ne acceſſu temporis eremum quoque habitari faceret* (Antonius) *ita eum aggregatis ſatellitibus ſuis varia cæde laceravit, ut doloris magnitudo & motum auferret & vocem. Nam & ipſe poſtea referebat, vulnera fuiſſe tam gravia, ut univerſa hominum tormenta ſuperarent.* In vita S. Antonii.

C Et paulò pòſt: *Relatus ergo juxta conſuetudinem ſolus iterum permanebat, & ſtare quidem propter recentes plagas non poterat, orans verò proſtratus, poſt orationem clara voce dicebat: Ecce ego hîc ſum Antonius, non fugio veſtra certamina, &c. Talia eo dicente, bonorum hoſtis diabolus admiratus, quòd poſt tot verbera fuiſſet auſus reverti, congregatis canibus ſuis & proprio furore ſe lanians; videtis, ait, quòd nec ſpiritu fornicationis, nec corporis doloribus ſuperatus, inſuper audacter laceſſit nos, &c. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita, ut loco funditus agitato, parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba ſe effunderet, &c.* Hæc duo iſti ſancti Patres de duobus ſanctis Eremitis, quibus ſi ſimilia paſſus eſſet noſter Ignatius, quid, quæſo, jure reprehendere poſſent hæretici? Falſiſſimum tamen eſt, P. Ignatium hujusmodi impreſſionibus à Dæmone exagitatum eſſe.

D Subjungit Hiſtoricus: *Bobadilla dixit, Ignatium ſæpiùs conqueſtum, ſe nunquam & nullibi à dæmonibus tutum eſſe poſſe.* Mentitur procul dubio, verba & mentem P. Bobadillæ ſiniſtrè & perversè interpretans. Sed demus, P. Bobadillam hoc dixiſſe. Quid tum poſtea? Non enim ſolus Ignatius à dæmonis tentationibus tutus non fuiſſet, ſed neque ullus homo aut fuit, aut eſt, aut erit tutus, quoad vixerit. Semper namque circuit capitalis ille noſter hoſtis, quærens, quem devoret: & quis Sanctorum olim ab inſultibus dæmonis liber vixit? Si privilegium hoc Prædicantes habent, non gratulor illis, ſed potiùs eorum vicem doleo, quorum quies & ſecuritas argumento eſt, eos jam cum inferno fœdus iniiſſe. E

Octavianus Jeſuita, inquit Hiſtrio, *mihi retulit, dicens: Sanctus erat P. N. Ignatius, ſed circa agonem ita tremebat, quaſi febri eſſet correptus, & ſuſpirans dixit: Multa bona contuli in Eccleſiam Romanam, &c. Sed hæc omnia me deſerunt, & quò me vertam, ignoro.* Mentiris, mendaciſſime fabulator. Optimè ſciebat, quò ſe verteret, ad illum videlicet, cujus hæc eſt adhortatio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* At quod de tremore & pallore addit, audiat Polycarpus, quibus verbis D. Hilarion ſuam animam jam jam exituram, allocutus ſit: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſerviiſti Chriſto, & mortem times?* Aliter igitur Ignatius neque tremuit, neque expalluit, quàm ſoleant, quantumvis ſanctitate præſtantes viri, quando arctiſſima illa animæ & corporis conſociatio diſſolvenda, & ad tremendum illud juſtiſſimi judicis tribunal accedendum eſt. F Matth. 11. In ejus vita.

Turrianus dixit, inquit Hiſtoricus, *Ignatii comitem aſſiduum uſque ad Miſſæ aram fuiſſe dæmonem.* Mentiris impoſtor, mentiris; vox mea, vox Turriani eſſet, ſi viveret. Addit; *cum terrore ipſum obiiſſe, mortuúmque nigerrimo vultu conſpectum eſſe, idem Turrianus affirmavit.* Mentitur flagitioſus hiſtrio, mentitur, & non modò in manes P. Ignatii, ſed & ipſius Turriani injurioſiſſimus eſt. Hóccine Turrianus affirmaverit? Nunquam, nunquam Turriano tam mendax cogitatio in mentem, neque tam falſus ſermo in linguam venit. Quaſi verò Turrianus cum Senioribus Patribus Romæ verſatus neſciverit, quo vultu, habitúque P. Ignatius ex hac vita diſceſſerit. Non rogo Polycarpum, & ſimiles Prædicantes, compoſitos ex mendaciis, ut credant Maffejo & Ribadeneiræ, ſed rogo, ut credant illis, qui morienti adſtiterunt, mortuúmque ſpectârunt, quorum unus R. P. Hoffæus, qui mendacium hoc de nigro vultu digniſſimum judicat, nigro illo tenebrarum exteriorum loco. Et fortè ignarus prophetavit de ſe Hiſtoricus, quo vultu aliquando moriturus eſſet. G

Sed necdum mendaciorum in P. Ignatium ullus aut finis, aut modus apparet. Ait: *Cùm anno M. D. LIV. ipſius corpus ad templum ab Alexandro Farneſio extructum transferre vellent, teſtibus omnibus Jeſuitarum Profeſſis, ipſius cadaveris oſſa non ſunt inventa, fingentibus ipſis, ea eſſe per Angelos forſan translata.* O ſummam calumniandi & mentiendi licentiam & impotentiam! Anne Ignatii corpus translatum eſt anno 1554. id eſt, biennio, antequam moreretur? Nam P. Ignatium mortuum eſſe anno Domini 1556. H

in

A in exitu Julii, totus mundus novit. Quomodo ergo translatio corporis ejus facta est anno 1554. & quidem ad templum Farnesianum, cujus fundamenta nondum posita erant anno 1554. neque anno 1556. ùt tota Roma novit. Nam multis annis post obitum P. Ignatii, nempe anno 1568. ædificare cœpit Illustrissimus Cardinalis Farnesius templum illud Domus Professæ tanto Principe dignum, ad quod corpus P. Ignatii translatum est anno Domini 1587. in Congregatione Procuratorum, id est, tertio & eo ampliùs, post Apostasiam Heliæ, anno. Ac quòd ait mendax Sycophanta,
B *ossa non fuisse amplius reperta, testibus omnium Jesuitarum Professis*, vix habeo mendacii magnitudine attonitus, quid dicam. *Crede mihi Lector*, ut D. Athanasii verbis utar; *Sæpe mecum perpendi, an credibile esset, quenquam ita insanire, ut talia mentiretur.* Provocat ad omnes Professos Jesuitas. Ad omnésne in toto orbe? vel ad Romanos tantùm, qui in domo Professà habitant? an ad illos, qui Congregationi modò nominati anni interfuerunt? At & hi, & illi, & omnes, quotquot sunt, tam Heliam, quàm Polycarpum, ùt effrontes, & plahè cinicos Calumniatores & Convitiatores condemnabunt, & præsertim P. Gregorius Rosephius, quem horum improbitas non rarò in isto libro perstrinxit, qui translationi illi interfuit, & feretrum, in quo corpus P. Ignatii erat, suis humeris tulit, corpúsque oculis suis vidit, & manibus tetigit, ùt &
C alii, qui fuerunt Romæ. Quid vultis amplius Prædicantes? An non unus hujusmodi oculatus testis, Prædicantibus optimè notus, plus valet, quàm centum millia tantummodò auritorum Prædicantium? Et si tanto desiderio tenentur Prædicantes videndi corporis P. Ignatii, Romam petant, fortè non gravatè ejus videndi potestatem faciet R. P. Generalis noster Claudius Aquaviva, præsertim ut Polycarpo ob Historiæ hujus dedicationem, aliquam vicem reponat. Cæterùm fessus mendaciis in P. Ignatium jaciendis aggreditur paribus armis P. Franciscum Xaverium.

Xaverius, inquit, *in India Jesuitici Or-*
D *dinis primus, insignis impostor, quem ùt gentes suum adulterum Jovem in Deorum album, ita Jesuitæ hunc & impium militem Ignatium Lojolam in Divorum numerum retulerunt: miserè in littore maris periit.* Quis quantúsque vir Xaverius fuerit, & quomodo sanctissimè vitam cum morte commutârit in portu quodam Sinensi, satis hactenus cognoscere potuit Lector mendaciorum hostis ex epistolis Indicis, & nunc multò magis intelliget ex Vita ipsius, quæ nuper in publicum prodiit, conscripta ab Horatio Tursellino, Societatis nostræ Presbytero. At quod ait, *nos & hunc & P. Ignatium Divorum numero adscripsisse*, id mendacium est; nostrum enim non est quemquam in Sanctorum Catalogum referre, sed Pontificum; quamquam non dubitamus, utrumque eò loci propter præstantissima in Rempublicam Christianam merita, virtutísque excellentiam perveniisse, quò nullus unquam Prædicans, manens Prædicans, perventurus sit. E

In Apolog. ad Constantium.

A Xaverio remigrat Helias ad Turrianum, F
de quo tam largiter & liberaliter mentitur, ut mendaciorum recitatio sit sufficientissima confutatio. Ait ergo: *Ipse Turrianus, cujus sæpius nunc facta est mentio, mihi aliquoties Romæ, cùm apud S. Andream, tum in Domo Jesuitarum Professa, conquestus est, se assiduè spectris terreri, nocturnis & diurnis. Utinam, inquit, Augustanam Confessionem, contra quam scripsi, & libros Antonii Sadeëlis Lutherani, mei Antagonistæ nunquam legissem, illi me ita dubium fecerunt (quod tamen tibi amico meo sub rosa dictum velim) ut neque prorsus Lutheranis assensum præbere, neque omnino à nostris discedere possim. Et quid faciam? non est, quì me juvet. Cúmque eum ex verbo Dei consolarer, ait: Vera sunt, quæ dicis, sed ego senex hinc exire non possum. Sic miser ille in dubitationibus miserè periit.* Obsecro te, G
Christiane Lector, quisquis es, an non arbitraris Polycarpum ferreis vinculis vinciendum, quippe adeò emotæ mentis præconem, ut hæc tam clara & testata mendacia publicârit? In promptu sunt opera Turriani, quorum nonnulla paulò ante mortem ipsius edita; hæc Turrianum ab hac insana calumnia liberant, & penitus absolvunt. Illéne de fide dubitârit, & ad Confessionem Augustanam transire cogitaverit, qui tota vita sua omnes suas curas & cogitationes ad oppugnationem & expugnationem Confessionis Augustanæ convertit? Qui Prædicantes, non alio quàm dæmonum loco habuit? ùt multi Germani ex Turriani ore sæpius audiêrunt: qui sine magna detestatione neque cogitabat, neque loquebatur unquam de Lutheranis aut Calvinianis; denique qui libentiùs mille neces pertulisset, quàm ut vel in minima re à sensu & mente Catholicæ Ecclesiæ recessisset: qui demum anno 1584. in Novemb. si rectè recordor, semestri fermè post Heliæ defectionem ex hac vita ad æternam discessit plenus dierum & meritorum. Et tamen impudens Sycophanta scribere audet, se Turrianum fluctuantem *ex verbo Dei consolatum esse.* Abi cum tuo *verbo Dei*, id est Lutheri, quò dignus es: scilicet tantus vir egebat indocti & hypocritici Magistelli consolatione ex verbo diaboli & Lutheri.

Subjicit Historicus: *Gregorius de Valentia* H
eundem finem impius timet: nam se spectris horrendis agitari fatetur. Mentiris impie, non timet, sed sperat, eodem fine se terminaturum vitam, quo eam terminavit Turrianus, & omnes verè Religiosi. Et quæ sunt illa

A ſpectra horrenda; ô phanatice, imò phrenetice Impoſtor, quibus Gregorium terreri nugaris? Tot annis nobiſcum hîc Ingolſtadii vixit Gregorius, neque quicquam de his terriculamentis audivimus. Quàm autem faveat Evangelio Lutherano, & quanta in illud feratur benevolentia, ſatis per multos jam annos experti & lamentati ſunt Lutherani.

B Pag. 321. *Meo tempore Landſpergæ*, inquit Hiſtoricus, *frater quidam Jeſuitarum, Joannes nomine, qui veritatem Evangelii agnitam reliquerat, & Jeſuiticum Ordinem ob otium ingreſſus erat, miſerabiliter planè vitam cum morte commutavit.* Fuit is, quem hîc Sycophanta mendaciis inſectatur, Joan. Trellius anno 1580. in Academia Dilingana Magiſter creatus, & ſtatim à Magiſterio in Societatem aſcitus, juvenis ùt excellentis ingenii, ita & pietatis, qui vix probationis biennio exacto, phthiſi correptus, diem ſuum obiit. De hoc tot hîc mendacia fundit Helias, ut pænè verborum numerum excedant. Ait, *eum Evangelii veritatem*, id eſt, *Lutheraniſmum deſeruiſſe.* Mentitur; nunquam enim Lutheranus fuit, Catholicis parentibus natus, & Catholicè ſemper educatus. Ait, *miſerabiliter interiiſſe, magnisque vocibus clamâſſe, ſe jam dæmoni ob ſpretum Lutheraniſmum eſſe traditum, neque Roſaria, Agnos Dei, grana, imagines, & ſimilia tolerare voluiſſe.* Mentitur improbus impoſtor, nec refert, quòd ſe hoc vidiſſe & audiſſe dicit; nam & alii viderunt cum morte luctantem, neque tamen tale quid, quale iſte commini-

C ſcitur, viderunt. Quibus igitur credendum? An Heliæ, qui in toto hoc libro nihil fermè aliud fecit, quàm largiter mentiri; an aliis, partim noſtris, partim externis, qui hominem & in Societate, & extra familiariter noverunt, & ſingularem ejus virtutem bene perſpectam habuerunt? Verum quidem eſt, vi & vehementia morbi fuiſſe nonnunquam mente privatum, ùt ſæpè fieri ſolet, cùm quis calidiore & acutiore febri corripitur; at quoties mentem recipiebat, nihil niſi de Deo, futuráque vita loquebatur. Et quanta calumnia & blaſphemia eſt, cùm allatam dicit *Monſtrantiam, in qua Deus impanatus incarceratus ſederit.* O linguam præcidendam, corvísque aut canibus objiciendam! Inuſitatum eſt apud nos, quod ego ſciam, ad ullum ægrotum ſacroſanctam Euchariſtiam contemplandam tantummodò in *Monſtrantia*, ùt vocant, ferre. Neque his contentus mendaciis, aliud adjungit.

D *Dicebam ego ipſi: Crede in Jeſum Chriſtum. Reſpondit miſer; in hunc credidi, ſed hunc turpiter negavi.* Agnoſco voces & conſolationes Prædicabilium. Sed quomodo ipſe huic ſuo conſolatori reſpondere potuit, ſe Chriſtum, id eſt, Lutherum negâſſe, cùm nunquam Lutheranus fuerit? Abi ergo cum tuo *Crede*, Polycarpe, ad E nigrum illum canem, quem mendaciſſimus fabulator ex ſepulchro hujus Joannis exſiliiſſe, & Sacriſtanum valde perterruiſſe dicit. Non effugies, mihi crede, Polycarpe, tartareum illum moloſſum, niſi veritatis amantior factus, à tam turpibus mendaciis ſpargendis in poſterum abſtineas, & ob hæc ipſa jam ſparſa, dignas pœnas luas.

F *Breviter*, inquit Hiſtoricus, *plerique Jeſuitarum ſumma in deſperatione pereunt.* Mentiris turpiter impoſtor; *Ob quam etiam cauſam*, inquit, *non facilè extraneos ad ſuos infirmos admittunt, ne videlicet illorum doctrina, vita, moribus, operibus & terminis vitæ offenſi falſam illorum doctrinam & hypocriſin deprehendentes Ægyptum & Babylonem deſerant, ab ipſis deficiant, & Chriſtianam fidem ſuſcipientes ſalventur.* Mentiris iterum, Medicos admittimus, eósque vel neceſſarios, vel familiares, qui infirmum inviſere volunt.

Perorat tandem aliquando Hiſtoricus: *Hiſtoriam hanc*, inquit, *quam bona fide recitavi, ſicuti eam & audivi & vidi, dum rebus Jeſuitarum interfui, tandem concludam &c.* Quàm bona fide Hiſtoria hæc ab Helia conſcripta, & à Polycarpo edita ſit, ſpero jam partim ex hoc meo Reſponſo, partim ex Clariſſimi viri D. Petri Stevartii Apologia, ſatis ſupérque conſtare. Vix enim G ulla mica fidei & veritatis in toto libro continetur, ùt nec prudentiæ & eruditionis. Et licèt hæretici omnes ſuos libros mendaciis, calumniis, ineptiis & inſcitiis egregiè inferciant, non puto tamen à temporibus Lutheri ullum librum ad hanc uſque diem, in lucem exiiſſe, qui his omnibus magis abundet, & in quo clarior & expreſſior Prædicantium idea & forma reluceat, ut benevolus & æquus Lector, cuicunque tandem ſectæ addictus, ſaltem ex hac mea Refutatione diſcere poſſit, qualia animalia ſint Prædicantes, Hiſtoriæ Jeſuiticæ auctores, quàm bruta, quàm ſtolida, & quàm impudentis oris & pectoris: quippe quibus tot mendaciorum & atrociſſimarum calumniarum centurias, imò chiliadas Germanis obtrudere, religio nulla fuit. Et H quî fieri poteſt, ut iſti rudi plebeculæ verum Evangelium annuncient, Deíque ſpiritu prædiți, ſuam & aliorum ſalutem quærant, qui tam effusè & largiter mentiuntur & criminantur, & in quoſvis tam impotenter & impudenter frontibus adverſis invehuntur, ut ſcurris & mimis & ſannionibus videantur ſimiliores, quàm Evangelicis miniſtris. Spiritus verè Evangelicus *verax eſt, non criminator, non calumniator, non convitiator, non alieni nominis & exiſtimationis barbarus interverſor, ipſis etiam hoſtibus æquus, & quoad fierì poteſt, amicus.* At iſti noſtri Evangelicum ſpiritum tanto faſtu venditantes & jactitantes convitiis & calu-

A calumniis jaciendis in omnes Ecclesiasticos juxtà ac politicos Catholicæ professionis Ordines, ab ineunte ætate sese totos tradunt, & hanc unicam provinciam sibi datam credunt, ut gnaviter, & facie verecundari nescia, semper calumnientur: sed exsurget aliquando Deus, & dissipabuntur inimici ejus; & fugient, qui oderunt eum, à facie ejus: sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt, peccatores & Hæretici calumniatores à facie Dei: Interea nos, qui Societati Jesu nomina dedimus, cœlestem patrem oratione illa Christi Domini: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, hæresi & invidia & odio cæci, pro salute calumniatorum interpellare nunquam cessabimus, positisque cum D. Stephano humi genibus ex animo precabimur; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* E

Pſalm. 67.

Lucæ 23.

Act. 7.

APPENDIX APOLOGETICA

B

EX

D. THOMA ET D. BONAVENTURA,

QUA OSTENDITUR, PLERISQUE CALUMNIIS, QUIBUS HODIE SOCIETAS JESU TRADUCITUR, PETITOS ETIAM FUISSE OLIM ALIOS RELIGIOSORUM HOMINUM ORDINES.

C EDiderunt olim duo illi sanctissimi, & in Ecclesia Christiana celeberrimi Doctores D. Thomas Aquinas, & D. Bonaventura Apologias; alter quidem contra impugnatores religionis; alter contra Calumniatores sui Ordinis, cum nonnullis in regulam D. Francisci quæstionibus. Hos libros qui perlegerit, is non sine admiratione deprehendet, utrumque auctorem easdem penè objectiones & criminationes refellere, quibus hodie Societas nostra appetitur & oppugnatur. Et quamvis ad plerásque satis supérque suis jam locis responderim, putavi tamen, Lectori benevolo neque injucundum, neque infructuosum fore, si nonnullas quasi per anacephalæosin hîc repeterem, iisque non meis, sed D. Thomæ & D. Bonaventuræ sanctissimorum & eruditissimorum virorum verbis, si non elegantibus, at certè Spiritu divino plenis satisfacerem: non enim tantùm pro suis Ordinibus, sed pro nostra quoque Societate scripsisse videntur contra Calumniatores, à quorum detractionibus & contu-

D meliis cùm olim immunes esse non potuerint duæ illæ D. Dominici & D. Francisci clarissimæ familiæ, quid mirum, si nunc copiosus sit Calumniatorum in Jesuitas insurgentium proventus, cùm ab ætate D. Thomæ & D. Bonaventuræ charitas in hominum animis multùm refrixerit, & tanta hæreticorum turba passim extiterit, licèt D. Bonaventura pro suo candore eas rationes interdum afferat, quas nos attingere vix ausi fuissemus, veriti, ne forsan in aliquorum offensam incurreremus, & arrogantiæ notam contraheremus. Quamobrem Lectorem oratum volo, ut, quis loquatur, attendat: quo fiet, ut facilè animi æquitatem con-

F servet. Sed jam rem ipsam aggredientes ostendamus, Calumniatores nostros nihil potiorum calumniarum adducere, quod majores ipsorum & in criminandi professione antecessores priùs non evomuerint in Ordinem D. Francisci & D. Dominici.

G I. Calumniantur isti nostra Collegia tanquam splendida, ampla, magnifica, de qua calumnia diximus suprà refutatione cap. 6. Sed nunc audiamus, quo pacto D. Bonaventura eandem seu calumniam, seu querelam, amoliatur à suo Ordine. Quæstio Calumniatoris hæc est; *Cùm sancti Patres laudentur in Caſellis, & vilibus habitaculis habitâsse, quid est, quòd vos altas & magnas domos erigitis, & Oratoria sumptuosa, & areas latas magno pretio comparatis, cùm sitis pauperes & mendici, & contemptores mundanorum esse debeatis?* Ad hanc quæstionem respondet D. Bonaventura in hunc modum: *Cùm inter homines nos manere oporteat, aut ergo extra muros Civitatis, aut intra.* Ubi ostendit, cur in solitudine & extra hominum Societatem non vivant Ordinis D. Francisci Patres, addit; *Quòd si intra muros habitamus, ubi propter frequentiam populi areæ cariores sunt, oportet & nos areas cariùs emere, quantum sufficiant pro Claustro, Oratorio, & officinis congruis pro Conventu, hospitibus & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quàm pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, & sani conserventur, & lassi in spiritualibus studiis recreentur. Seculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris. Religiosi verò, qui in Cellarum recluſoriis religantur, nisi aliquam intus habeant aëris recreationem, citò languescentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur, ita, quòd nec sibi, nec aliis proficiunt in devotionis internæ profe-*

D. Bonavent. q. 6. in Regulam D. Francisci.

H

A *ctu, in ſapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina ſalutis. Et quamvis perfectis omnis locus aptus ſit pro diſciplinæ internæ exercitiis; imperfectis tamen & adhuc indigentibus eruditione virtutis, opus eſt etiam exteriori diſtinctione officinarum clauſtralium, ut ſciant, ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, ſcribere, vel comedere, ubi ſit requies infirmantium, ubi repauſatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in Collegiis ſunt neceſſaria, ne ſi confusè, indifferenter ſingula fierent pro libitu, jam nec diſciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fratres, ſicut expedit, ſervaretur, quod eſſet in magnum detrimentum religionis, & in ſcandalum alienis, & in deſtructionem ſalutis, quia nec minores diſcerent, à quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent. Quia*

B *verò intra ambitum civitatis, ùt dictum eſt, cariores ſunt areæ, quòd non poſſemus facilè ſufficientiam congruæ latitudinis habere, ut omnes officinæ deorſum collocarentur juxta ſe invicem, oportet aliquando, ut una ſuper alteram locetur, ita, quòd utraque aëris reſpiraculo non careat. Et ex hoc domus noſtræ magnæ apparent, & excelſæ ac ſumptuoſæ, & paupertati diſſimiles, cùm tamen hoc paupertas magis efficiat, quia, ne circa dilatemur, inferiùs anguſtamur. Et quia circumſepti ſumus domibus vicinorum aliorum, & quia in civitate ſæpè inſurgunt incendia latè pervagantia, ne vel domus, vel Eccleſiæ, vel libri vel alia neceſſaria frequenti diſcrimini ſint expoſita, & in continuo tremore infirmantium corda ſint inde ſuſpenſa, & ne ipſi vicini noſtri à nobis per incendia moleſtentur, ubi poſſumus, facimus domos lapideas, ut nec igne, nec vetuſtate citiùs deſtruantur, quia non ſolùm corporibus, ſed etiam cordibus magna eſt deſtructio nova ſæpiùs ædificia conſtruere, maximè illis, qui non habent ſumptus, niſi quantum valent colligere mendicitate. Non tamen intendo in his excuſare, niſi quæ valdè neceſſaria ſunt & rationabiliter.* Hæc D. Bo-

C naventura pro ſuis, & pro noſtris. Neque dubito, eandem ſæpiùs Patres illos primis illis temporibus audiviſſe querelam, quæ nunc auribus noſtris circumſonat, nempe *eos ſemper ædificare.* Sed quid mirum, novos incolas eò uſque ædificare, quoad ſedes commodas, & religioſis exercitamentis idoneas præparârint? Quo facto ceſſabitur ab ædificiis, utinam queruli quoque ceſſarent à querelis, & Calumniatores à calumniis. Nullius Cœnobii aut religioſi domicilii ſtructuræ & fabricæ, quæ per Germaniam & alias orbis partes ampliſſimæ viſuntur, ſponte ſua & ſine hominum opera in tantam molem excreverunt. La-

D bore & ædificandi ſtudio, & quidem diuturno opus fuit. Quòd ſi alicubi Principes Collegia & templa verè ſplendida & ſumptuoſa condunt, cogitent, in eo à Principibus, non noſtri, ſed ſui honoris, & ante omnia divinæ gloriæ rationem haberi, & nos non eos eſſe, qui Principes impedire poſſimus, quò minùs monumenta relinquant, quibus poſteris ſuam in Deum pietatem teſtentur: Semper hoc Principibus licuit, ſempérque in poſterum licebit. Et vix fuit Ordo ullus, cui aliquando à Regibus & Principibus ædes magnificæ & ſplendidæ non ſint excitatæ, ùt teſtantur variorum Ordinum annales, licèt ipſi Religioſi longè minùs magnificis contenti futuri eſſent. Calumniam alteram de redituum magnitudine ſuprà jam ſatis ſupérque dijecimus.

E

Vide Hiſt. de Orig. Seraphicæ Religionis Franciſc. parte 1. de conventu Pariſienſi & alibi.

Cap. 6.

II. Sed audias non paucos, qui ſeſe offendi dicant, quando jus noſtrum perſequimur, & à Judicibus quoque poſtulamus, ut, ſi quid controverſiæ circa res & fortunas noſtras natum eſt, id cognoſcant, & æqua ſententia terminent: putant enim iſti, longè ſatius fore detrimenti aliquid ſubire, quàm partem adverſam ad forenſe tribunal vocare. Querela hæc nova non eſt, ſed jam pridem aliis itidem Religioſis objecta, quam longa & accurata di-

G ſputatione refellit D. Thomas, & inter cætera ita ſcribit: *Sciendum eſt, quòd aliquando Religioſorum adverſarii impugnant ipſam religionem, vel Religioſorum ſtatum in his, quæ ad ſpiritualia pertinent: aliquando verò in temporalibus. Et ſi quidem in ſpiritualibus impugnentur, totis viribus reſiſtere debent, & præcipuè in illis, in quibus non ſolùm ſibi, ſed & aliis proſunt, quia cùm religionis ſtatum non aſſumant, niſi ut ſpiritualibus vacent, per hujusmodi impugnationem perfectionis propoſitum impeditur. Unde ſicut perfectionis eſt, ut homo perfectionis propoſitum cuſtodiat, ita etiam ut impedientibus reſiſtat. Si autem pro temporalibus, tunc perfectionis eſt, ut quis damnum patienter ſuſtineat, quod vergit in ſuum proprium detrimentum, niſi fortè inferenti violentiam conſulere vellet, ejus malitiæ reſiſtendo, ùt per auctoritatem Gregorii prædictam patet: ſed in illis, quæ ad detrimentum commune pertinent, etiam temporale, non eſt perfectionis, ſed negligentiæ vel puſillanimitatis, talia incommoda, dum poſſit reſiſtere, ſuſtinere, cùm aliquis ex charitate teneatur, dum poteſt, proximorum incommodis obviare, ſecundùm illud,* Proverb. 24. H *quod dicitur: Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Et infrà: *In aliquibus tamen caſibus,* inquit, *non eſt inconveniens in judicio ſua repetere. Primus caſus eſt, quando oritur contentio de re ſpirituali. Unde Actorum 15. Cùm eſſet orta contentio de obſervatione legalium, hoc Paulus detulit ad Judicium Apoſtolorum. Et de eodem ad Galatas; & propter quosdam falſos fratres, qui ſubintroiêrunt, &c. Secundus eſt, quando oritur contentio de eo, quod poteſt vergere in detrimentum rei ſpiritualis, quamvis ſit temporale. Unde Actorum 25. Paulus appellavit ad Cæſarem pro liberatione ſua, quia per ejus mortem vel incarcera-*

Contra Impug. Relig. cap. 15.

ratio-

A *rationem impediebatur fructus prædicationis: ipse tamen, quantum in se erat, cupiebat dissolvi & esse cum Christo, ùt dicitur Philip. 1. Tertius est, quando contentio est de aliquo, quod vergit in temporale damnum alterius, & maximè pauperum. Reus enim est quodammodo rapinæ, qui sua negligentia alios damnum incurrere permittit, & præcipuè in his, quæ sunt ejus curæ commissa. Unde de hoc non potest perfectionis sacrificium Deo exhiberi; Eccles. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Quartus est, quando contentio est de eo, quod vergit in spirituale damnum illius, qui injustè detinet rem alterius temporalem. Unde Gregor. in 31. lib. Moral. super illud Job. 39. Frustrà laboravit; dicit: Quidam dum res temporales rapiunt, solummodo sunt tolerandi,* B *quidam verò servata charitate prohibendi non sola cura, ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant. Quintus est, quando vergit in corruptionem multorum per exemplum rapiendi. Eccles. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Et infrà cùm solveret objectionem de scandalo, quod oriri videtur ex hujusmodi contentione in judiciis, ita scribit: *Ad octavum dicendum, quòd si aliquis justè in judicio sua repetit, ipse non scandalizat, scandalum activè faciens, sed si aliquis scandalizatur, est scandalum passivum tantùm. In quo distinguendum videtur, quòd aut est scandalum Pharisæorum, cùm scili-* C *cet quis ex malitia scandalizatur, & scandalum in aliis suscitat, & tale scandalum est contemnendum exemplo Domini, qui audito Pharisæorum scandalo dixit, Matth. 15. Sinite eos, cæci sunt & duces cæcorum: aut est scandalum infirmorum: quod scilicet procedit ex infirmitate vel ignorantia; & huic scandalo occurrendum est juxta posse, ita tamen, ut pro hoc removendo aliquod illicitum non committamus. Esset autem illicitum, si aliquis bona Ecclesiæ sibi permissa perire permitteret, à Prædonibus direpta. Unde quamvis aliquis scandalo passivo scandalizetur, nihilominus ille, cui cura Ecclesiæ committitur, debet custodire & defendere jura Ecclesiæ sibi commissæ: Unde B. Thomas* D *Cantuariensis Episcopus contempto scandalo Regis Angliæ bona suæ Ecclesiæ defensavit usque ad mortem: Sed si etiam posset sine peccato dimittere illis rei repetitionem, non oportet, quòd propter scandalum passivum dimittat repetere. Potest enim alio modo scandalo passivo obviare, si est scandalum infirmorum, scilicet pacificis verbis se justè agere ostendendo, & magis proximo prodesset, si eum ab injusta deceptione eriperet, vel consuetudinem similia præsumendi auferret, quàm si ei rem suam dimitteret. Et præterea magis debet aliquis scandalo suo, quàm proximi cavere. Et ideò si timeret, se scandalum perpeti, nisi sua repeteret, non deberet à rei suæ repetitione prohiberi.* Hactenus D. Thomas, non modò sui Ordinis, sed & Societatis nostræ & omnium Religiosorum causam agens, contra nonnullos querulos Calumniatores, qui Religiosorum spoliis ditescere volentes, ægerrimè ferunt, se diligentia eorum, qui Religionibus præsunt, voti non fieri compotes. Hinc convitiis & contumeliis innumeris instructi, Religiosos & præsertim Jesuitas *avaros, inexplebiles & inexsaturabiles* proclamant. Scilicet avarus est, qui res sibi commissas Collegio aut Monasterio eripi non patitur. Avarus est, qui reditus Conviviis & Comessationibus non prodigit, sed pro quotidianis suorum fratrum necessitatibus utiliter expendit, & F Bibliothecam & sacram aliámque supellectilem, ùt par est, ornat & instruit. Avarus est, qui non quemvis, undecunque veniat, lautè & opiparè excipit & accipit: quod ubi fit, necesse est, bibliothecam & templum & ipsos Collegiorum aut Cœnobiorum incolas negligi, ita, ut minima parte proventuum fruantur illi, quibus initio Fundatores proventus destinârunt. Præterea æs alienum contrahitur, disciplina religiosa solvitur, &, ut uno verbo rem complectar, via certa aut ad rerum spiritualium, aut ad temporalium, aut ad utrarumque simul interitum munitur. Debet autem fidelis & prudens Præpositus rem G familiarem ita administrare, ut non tantùm ad præsens oculos intentos habeat, sed & in futurum quoque prospiciat, diligentis Naucleri more: Non enim eadem sunt, aut semper erunt tempora, sed aliquando faciliora, aliquando difficiliora existunt. Necesse ergo est, ut pro omni tempore sollicitus sit, suámque familiam ita firmet, ne aliquando vel rerum temporalium vel spiritualium vel utrarumque penuria dissolvatur.

III. Tertia Calumnia, sæpius ab Histo- H rico & ab aliis hæreticis in nos jacta, est, Pag. 206. quòd Monasteria occupemus, & Monasteriorum rebus & opibus immineamus. Hanc calumniam acceperunt isti ab antiquis Religionum Calumniatoribus. *Quid ergo dicitis ad hoc* (inquit Criminator apud D. Bonaventuram) *quòd in pluribus locis dicuntur fratres vestri alios Religiosos, vel Clericos ejecisse violenter de propriis Ecclesiis vel Monasteriis, & ibidem eis invitis sibi mansionem fecisse; quomodo potest hoc excusari ab injuria etiam violenta?* Respondet D. Bonaventura. *Ubi-* In Apologe tico. *cunque hoc factum est, non est per fratrum violentiam factum, sed vel per Episcopum loci, vel ex jussu Domini Papæ, qui intelligens Clericos illos vel Religiosos ibi minùs honestè se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse, quòd divinum servitium ibi esset delapsum, quòd per ipsos non erat spes restaurationis, auctoritate Apostolica mandavit, illos alibi locari, assignatis sibi certis reditibus, unde possent congruè sustentari, & fratres nostros ibi habitare,*

A *& Divina officia celebrare, cùm ad ipsum spectet de omnibus locis religiosis ordinare, ut sacra ibi Religio restauretur, sive per illius Ordinis personas, sive per alias alterius Ordinis, sicut viderit expedire.* Hæc D. Bonaventura.

B Pari modo si quæ Monasteria Societas alicubi possidet, ea & summi Pontificis, & Principum, in quorum ditione sunt, scitu & voluntate possidet, non violenta invasione Lutheranis usitata. Et aliqua vel ab incolis omnino erant deserta vel paulò pòst deserenda, ob collapsam & extinctam disciplinam, cujus interitus interitum quoque Monasteriis affert. Et nónne satius est, ad alios Religiosos Monasteria transferre, quàm ut tandem omnino in sæcularium potestatem deveniant? Quod periculum minimè impendet Monasteriis, ubi Religio & disciplina viget, & si labefactata fuit, restituitur. Quàm autem Jesuitæ cupiant omnia Monasteria florere, & pietate, & Indigenarum multitudine, vel inde satis colligitur, quòd Dilingæ & Ingolstadii & alibi Religiosos variorum Ordinum libentissimè & summa voluntate & voluptate literis & pietate erudiunt & informant, ut aliquando rebus lapsis opem ferant, aut florem & decorem Religionis eò usque continuatum & conservatum ipsi quoque consilio & auxilio suo futuris temporibus continuent, & conservent. Qui noster conatus hactenus non infeliciter cecidit, ùt multa Germaniæ Monasteria testantur.

C IV. Quarta Calumnia est: nos viduas & veteres indigenas suis sedibus pellere, & Parochorum & Civitatum jura imminuere, dum homines, antea ad Parochias ire solitos, ad nos adducimus, & *nummum Confessionalem*, ùt inquit Historicus, subducimus.

Pag. 25. 216. 217. & passim alibi.

D *Cùm nulli deberetis facere injuriam vel damnum inferre, hoc non servatis*, inquit Calumniator apud D. Bonavent. *quia sæpè contra voluntatem Plebanorum recipitis domos in eorum Parochiis, unde eis multum deperit de Oblationibus & aliis Proventibus, dum vos occupatis loca, in quibus alii habitarent, qui eis ista persolverent.* Respondet D. Bonaventura; *Non omnia, quæ fiunt contra voluntatem alicujus, ad injuriam ejus fiunt. Cùm ergo cives alicujus oppidi nos vocant, & locant nos apud se in tali loco, ubi etiam possent Judæos locare vel aream pro ludis facere, vel horrea seu stabula, de quibus nil proveniret Plebano loci, etiamsi nos ibi non essemus: non facimus eis injuriam ullo modo, sumus etiam non deterioris conditionis, quàm alii Christiani vel Religiosi, quibus conceditur domos recipere & loca, ubicunque dantur eis, qui habent jus liberum dandi eis, maximè cùm per Sedem Apostolicam sit ordo noster approbatus, & in subsidium animarum in Ecclesia destinatus. Et hoc bonum per aliorum malitiam non debeat impediri. Si enim nunquam deberemus morari, nisi de voluntate Clericorum, vix unquam in Ecclesia possemus diu morari, dum aut per se, aut incitati per alios ejicerent nos de Parochiis suis, potiùs quàm hæreticos vel Judæos.* Hæc D. Bonaventura.

In Apologetico.

E De Viduis & aliis incolis jam suo loco respondi. Nam illi incolæ aut Domini ædium sunt, aut non? Si primum, justo pretio semper satisfit: si secundum, nulla fit eis injuria, si non à nobis, sed à Domino domus aliò migrare jubeantur.

Refut. cap. 3.

F V. Quinta Calumnia petitur ex hoc, quòd nos contra Detractores, & contra eos, qui nobis aliquid damni inferunt, nonnunquam defendamus. *Cùm deberetis*, inquit Calumniator apud D. Bonaventuram, *omnia mala vobis illata patienter sustinere, & nullam super his apud Judices querimoniam facere, vel movere, quid est, quòd non solùm istud non facitis, sed etiam non contenti Episcoporum judiciis, obtinetis à Sede Apostolica Judices & conservatores, & ad illos quoslibet molestantes vos etiam leviter citatis & gravatis laboribus & expensis, donec satisfaciant vobis pro velle vestro.* Respondet S. Bonaventura hoc modo: *Injurias & molestias, ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illa hora sentiri potest, ùt sunt verba probrosa, vel damna rerum, seu verbera & similia, possunt viri religiosi æquanimiter sustinere, quia nil aliud afferunt nocumenti. Sed ubi possunt graviora damna subsequi, videlicet animarum gravia nocumenta, ibi non est expediens talia tolerare. Nam cùm simus in Ecclesia Dei, ad multarum animarum salutem à sede Apostolica destinati, per officium docendi & extrahendi homines à peccato, si quis infamaret ordinem nostrum, quòd essemus seductores, aut hæretici, aut criminosi; aut non habentes auctoritatem prædicandi, seu confessos nobis & contritos absolvendi, cùm à Domino Papa, vel etiam Episcopis habeamus, non solùm læderet nos sic reddendo despicabiles hominibus, quòd subtraherent nobis beneficia, sine quibus sustentari non possumus, sed etiam nocerent omnibus, qui ex hoc inciperent nos persequi, & graviter peccarent. Et qui crederent, nos tales esse, sicut ille assereret, nec prædicationes nostras attenderent, nec consilia salutis requirerent à nobis, & jam nullus ordinem intrare curaret, imò debiles mente ordinem tentarent relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. Insuper hæretici se detractoribus nostris libenter adjungerent sub specie amicitiæ, ut nos amplius redderent odiosos, ad hoc ut doctrinam nostram hominibus redderent odibilem, & ita astutè sibi attraherent corda eorum, & paulatim ducerent in errorem, cùm nos maximè timeant, modò in hoc sibi esse resistentes. Plura alia mala suscitarent nobis veritatis adversarii, si non haberemus munimen per Sedem Apostolicam, quæ non tam nobis, quàm Ecclesiæ & fidei Catholicæ valde nocerent. Et hæc in dedecus*

In Apologetico.

G

H

A *cus ipsius Sedis redundarent, qui ordinem plantavit & confirmavit, & ad profectum Ecclesiæ destinavit. Nam & Apostolus Paulus, qui paratus erat omnia adversa subire pro Christo, videns obesse fidei & Ecclesiæ; si traditus fuisset à Felice, vel Festo, Judæis ipsum perimere cupientibus Cæsarem appellavit. Ut ergo parcamus eis à peccato iniquæ persecutionis, & nobis à frequenti vexatione, & aliis à nocumento animarum, conservatores habemus à sede Apostolica nobis datos, qui Privilegiorum nostrorum jura defendant, & à calumniantibus tueantur.* Hæc D. Bonaventura.

B Lib. contra Impugnat. Relig.

Eandem calumniam refutat D. Thomas cap. 14. & 16. Cùm autem detractores dupliciter possint coërceri, primò, si verbis detractiones refellantur. Secundò, si curetur, ut detractores à magistratu puniantur; Utrumque modum coërcendi licitum & permissum esse docet D. Thomas: *Canini dentes*, inquit, *detractorum quandoque sunt evitandi, quandoque retundendi, hoc patet multorum exemplo Sanctorum, ùt Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Bernardi, & multorum aliorum, qui apologeticos fecerunt, & epistolas, quibus se excusârunt ab his, quæ eis imponebantur. Est ergo in reprehendentibus distinguendum, quia aut ordinatè reprehendunt, & intentione correctionis, & sic sunt non solùm ferendi, sed diligendi; aut reprehendendo, falsa imponunt apud alios detrahentes: & tunc quandoque sunt*

C *patienter sustinendi, quando scilicet talis detractio non multum nocet aliis, generando scandalum in cordibus auditorum, quandóque autem, si fieri potest, sunt repellendi, non amore privatæ gloriæ, sed communis utilitatis.* Quod paulò superiùs probaverat his D. Gregorii & Augustini testimoniis: *Hi, quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant. Et D. Augustinus in 2. de Trinitate: gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas, dentem autem caninum, vel evitat castissima, cautissimáque humilitas, vel retundit solidissima veritas.*

D Alterum quoque modum detractoribus resistendi licitum esse, demonstrat idem D. Thomas variis exemplis ex Scriptura, Patribus & ratione, quæ quivis apud ipsum legere poterit; nunc suffecerit exemplum D. Athanasii, qui non modò sese verbis & editis Apologiis defendit ab accusatorum suorum venenatissimis criminationibus, sed & ab Imperatoribus sæpè, & à summo Pontifice petiit, ut tam nefarii calumniatores & convitiatores cognita causa debitis pœnis compescerentur, qui tamen Athanasius, si boni communis rationem non habuisset, facilè omnes calumnias & calumniatores pro sua pietate & constantia, animíque fortitudine neglexisset. Quod igitur sanctus iste E Pater, & alii quàm plurimi semper fecerunt, hodie quoque facit Societas JESU, quæ calumniatoribus suis, ne bonum commune, & Dei gloria præpediatur, quando ita necessitas postulat, convenienter occurrit: quod nemo nobis vitio vertit, nisi ipsi calumniatores, & eorum similes, qui, postquam immanissimis contumeliis & convitiis detonuerunt, & desævièrunt, mirari solent, ubi sit Jesuitarum patientia & tolerantia, si Jesuitæ amore communis boni tela regerant, & se se insontes esse demonstrent, quasi verò patientia in hoc consistat, ut quis sese toto terrarum orbe à maledicis linguis diffamari, & traduci patiatur, cum ingenti multorum scandalo, & spiritalis profectus impedimento, & non F potiùs in hoc, ut, quantum est ex parte sua, æquo animo illatas sibi injurias toleret, & ipsis quoque calumniatoribus benè precetur, & bene velit, & ex animo, tanquam nescientibus quid faciant, ignoscat. Quod fieri posse, etiamsi quis calumnias retundat, quotidiana experientia testatur. Nullus enim Jesuita est, qui erga Societatis calumniatores non sit ita, ùt dixi, affectus. Et si isti cursum rerum & studiorum nostrorum non impedirent suis detractionibus, nunquam respondissemus vel unum verbulum ad Helianas & Polycarpicas criminationes. Huc pertinent etiam, quæ D. Thomas cap. 20. scribit: *Fortè posset alicui videri*, inquit S. Thomas, *quòd detractiones, quæ personis ïrrogantur, essent tolerandæ, sine contradictione, &c. sed interius considerantibus apparet hujusmodi detrahentium linguas esse efficaciter reprimendas propter tria. Primò, quia eorum detractio non ad unam personam, aut ad plures determinatas fertur, sed ad totum religiosorum collegium. Unde eorum temeritati est viriliter resistendum, ne oves Christi passim luporum morsibus lacerentur.*

G *Secundò, quia eorum vitam denigrare nituntur, quibus non solùm conscientia necessaria est propter se ipsos, sed etiam fama, ut in proximis per prædicationem proficere possint.*

H *Tertiò, quia non in hoc sistunt, ut infament, sed ad hoc tendunt; ut totaliter exstirpent. Quod manifestè apparet ex hoc, quòd Prælatos inducunt, ut eos faciant ab omnibus evitari, ut in necessariis eis non provideatur, & ad eorum consortium nullus admittì permittatur, &c. Ut ergo eorum detractionibus resistatur, sciendum est, quòd ipsi in sua detractione quadrupliciter procedunt. De viris enim spiritualibus mala, si qua sunt vera, extendunt, dubia asserunt, falsa confingunt, bona pervertunt.* Quæ omnia deinceps D. Thomas fusè persequitur: *Extendunt*, inquit, *mala, quæ in religiosis inveniri possunt tripliciter. Primò quantum ad tempus, videlicet ea, quæ ante conversionem ab eis perpetrata sunt, in eorum contumeliam commemorando.* Ut faciunt nostri calumniatores, qui toties

Patri

Patri Ignatio objiciunt militiam, cùm tamen militem fuisse, vacet omni crimine.

A *Secundò extendunt quoad personas, ut videlicet, quod ab uno vel duobus geritur, toti religioni imponere præsumant, sicut cùm dicunt, quòd non sunt cibis sibi appositis contenti, lautiora quærentes, & multa hujusmodi, quæ etiamsi ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt totali collegio imponenda.* Mirabile autem dictu est, quàm se hîc Calumniatorum jactet oratio, ita enim de nostris mensis loquuntur, ac si mensas omnium Regum ac Principum quoad lautitias & delitias superarent. Verùm quantopere aberrent, cuperem, si fieri posset, re ipsa experirentur; si enim unica duntaxat hebdomade nostro victu uterentur, non dubito, quin opinionem suam mutarent, eúmque religiosum quidem, minimè tamen aut lautum, aut superfluum, existimarent. Et quamvis Elias & Polycarpus nobis nihil non objecerint, tam impudentes tamen non fuerunt, ut nobis exquisitas dapes, mensarúmque sumptuosum apparatum objicerent.

B *Tertiò,* inquit D. Thomas, *extendunt religiosorum mala secundùm quantitatem, videlicet eorum peccata levia ultra modum aggravando, &c. Quo implent, quod dicitur Matth. 23. colantes culicem, camelum autem glutientes, minima religiosorum peccata mordaciter arguentes, sua gravia non curantes.*

C VI. Sexta calumnia ab Historico etiam allata, est, de crebra personarum in Societate mutatione, & ad alia loca missione. *Cur toties mutatis fratres aliquos de loco ad locum,* inquit Calumniator apud S. Bonaventuram, *suspectum enim videtur, quasi aliquod crimen ibi commiserint, unde mutantur, vel quasi ex impatientia sua, vel aliorum, non possint ibi manere, vel ex rancore non permittat eum Prælatus ibi stare, ubi diligit, & consolatur esse.* Respondet D. Bonaventura: *Vix aliquid fit, tam purè, quin possit ab aliquo sinistrè interpretari, quasi malè fiat, sed bonum non ideo malum est, si illud mali, seu stulti dicunt malum. Sunt autem plures causæ, quare fratres de loco ad locum mutantur, aliquando consolatio ejus, qui mutatur, quia sic petivit. Aliquando consolatio ipsorum, ad quos mittitur, quia hoc petiverunt diligentes eum pro bona conversatione, vel utilitate. Aliquando forsitan quia alibi magis necessarius est & utilis pro prædicatione & confessione, vel alio officio domus illius. Aliquando pro majore spiritus ejus quiete, quia ibi minùs à parentibus & aliis requirentibus infestatur. Aliquando pro communi recreatione, quia aër, vel victualia plus ibi competunt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. Aliquando quia in uno loco habet aliquis tentationis alicujus materiam, quam non habet in alio. Posset etiam aliquando accidere, quòd aliquis deliquisset in uno loco, quòd pro sopiendo scandalo expediret eum mutari in alium locum. Similiter posset aliquis esse ita distortus moribus, vel ex aliqua qualitate corporis onerosus, quòd pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, ut alii interim ab eo relevarentur, sicut onus ab uno humero in alium commutatur. Valet etiam ad hoc maximè talis mutatio, ut fratres secundùm Regulam agnoscant se peregrinos & advenas in hoc mundo, non habentes hîc manentem civitatem, & semper æternam patriam inquirentes. Si enim in uno loco diu stare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum fœminis amicitias, corporis commoda procurarent, sumptuosa ædificia construerent, & cùm ibi quasi notiores magis viderentur esse necessarii, tantò vellent esse super cæteros potentiores, ita ut nec Prælati auderent sine ipsis in domo aliquid ordinare, & veluti quadam diuturnitatis præscriptione stabiliti vix æquo animo ferrent, si vellent eos pro aliqua causa mutare, etiamsi omnimodis expediret. Ut ergo puritas paupertatis & obedientiæ melius observetur in ordine, & mala plurima præcaveantur, expedit fratribus aliquando à loco mutari.* Hæc S. Bonaventura.

In Apologetico,

D

E

F

VII. Septima calumnia est, quòd res nostras studiosè celemus, veriti, ne si in lucem venirent, doli & impostura nostræ paterent. Hinc mandat Polycarpus in præfatione P. N. Generali, ut proferat Societatis annales, & alibi jubet, ut scriptas meditationes Novitiorum edamus, miratúrque, cur pro domesticis muneribus non habeamus externos, sed internos, & ex Societate. Eadem calumniâ petitus est olim Ordo D. Francisci, & alii Ordines. *Quæro item,* inquit Calumniator apud D. Bonaventuram, *cùm Religiosi tam studiosè soleant abscondere facta sua, suspectum est apud eos esse aliqua indecentia. Cur enim sic celantur, cùm bona non sit necesse celari?* Respondet D. Bonaventura. *Tria solent celari & abscondi. Primum est singularia bona, ne de singulari gloria, excellentia proveniat, & meritum depereat. Matt. 5. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, &c. Item vitia & peccata, ne percipientes scandalizentur, & qui peccantem aliquem scandalizant, duplici reatu obligantur. Matth. 18. Væ homini illi, per quem scandalum venit. Item quædam solent abscondi à non intelligentibus, qui ea judicarent mala esse ex sua stoliditate, cùm tamen coram Deo licita sint, vel etiam meritoria, non propter hypocrisin, sed ne illi exinde infirmentur; & ita non propter se tantùm, sed magis propter illos occultant religiosi facta sua, ne noceant illis, quia non possunt omnium corda videre, & omnibus satisfacere, quare hoc vel hoc fiat, cùm seculares rudes sint, & proni sæpius de Religiosis sinistra suspicari. Cùm enim eos vident refectionem accipere, judicant eos carnales. Cùm vident eos humiliter jucundos, judicant eos dissolutos. Cùm ex zelo justitiæ vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos. Cùm*

G

Q. 21. in Reg. D. Francisci.

H

A *Cùm vident eos necessaria vitæ hinc inde mendicare, cùm aliunde non habeant, dicunt eos avaros. Et sic de singulis. Etiam, quæ bene faciunt, reprehendunt: Propter quod oportet, ut caveant alienæ infirmitati, & occultent, quæ possent ab aliis mala judicari. Corinth. 8. Videte, ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Hæc S. Bonaventura. Cur autem ad officia domestica non externos, sed homines ex ipso Ordine adhibeamus, expositi in Refut. cap. 3. ubi de Coadjutoribus actum est. Neque facimus hoc sine veterum Religiosorum exemplo, qui & ipsi, culinæ, rei penuariæ, cæterisque officiis domesticis homines ex ipso Monasterio præficiebant, ùt patet ex D. Basilio in quæst. compendio explicatis, quæst. 152. 153. 147. 148. Et alibi; ubi explicat, quales esse debeant, qui culinæ, qui cellæ, aliarúmque rerum curam habent.

B VIII. Vetus quoque calumnia est, nos aulas Principum affectari, & potentiorum duntaxat limina terere. Sed quàm hæc calumnia falsa sit & putida, nôrunt illi, qui oculis non carent; æquè enim Societatis homines humiles & fumosas pauperum casas, domósque hospitales, & nosocomia subeunt, atque turrita Regum palatia, si necessitas exigat. Nemini enim, qualiscunque sit, nostram operam denegamus, ut vel hæc una res nonnullis eximere possit inveteratam persuasionem, qua sibi persuadent, Jesuitas esse superbos, aliorúmque contemptores: Cùm nemo sit, quantumvis tenuis fortunæ, & abjectæ conditionis, cui, si opem nostram imploret, non præstò simus, si quidem subvenire nostræ sit opis & facul-

C tatis. Sed cùm scientia naturâ suâ inflet, mentésque efferat, fit, ut multi, qui magnam existimationem scientiæ de Jesuitis habent, habeant quoque de iisdem opinionem arrogantiæ: quasi pestem hanc cum eruditione conjunctam esse oporteat. In quo quàm fallantur, ipsa nostra vita & modus agendi quosvis satis docere posset, si doceri, & non queri, vel etiam calumniari vellent. Quod ad aulas & divitum ædes attinet, respondeo, quod olim respondit D. Thomas: qui cùm exemplis veteris & novi testamenti ostendisset, viros perfectionis studiosos aulas Principum frequentâsse, tamen addit: *Sciendum est, quòd Sancti viri aliquid propter se quærunt, aliquid propter alios. Propter se quidem quærunt Christo per contemplationem inhærere, vel in hoc mundo, quantum præsentis vitæ infirmitas patitur, vel in futura vita, ubi eum plenissimè contemplentur. Sed propter alios interdum coguntur à desiderata contemplatione discedere, & se actionum tumultibus implicare. Sic ergo & in desiderio habent quietem contemplationis, & tamen propter salutem proximorum patienter sustinent laborem actionis. Unde Paulus Philip. 1. Coarctor è duobus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, permanere au-*

Cap. 19. contra impug. Relig.

D *tem in carne necessarium propter vos. Gregorius* E
etiam in hom. 42. super Ezech. ait: menti sponsum suum fortiter amanti una solet esse consolatio, si per hoc, quòd ipsa à visione differtur, aliorum animæ per ejus verba proficiant, & ad cælestem sponsum amoris facibus inardescant. Et hac necessitate contingit, quòd Sancti quandoque multitudinibus se ingerant, & Magnatum gratiam & consortia quærant, non favore humano, vel potentia delectati, sed ut plures ad viam salutis trahere possint. Quia ùt dicit D. August. 8. Confess. Multis noti multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præeunt secuturis. Quia ùt ipse infrà dicit, plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet. Plùs autem superbos tenet nomen nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Ideo urgente charitate nobilium, & auctoritatem habentium Sancti consortia quærunt, ut per eos pluribus possint proficere ad salutem. Et nisi hoc face- F
rent, essent meritò arguendi. Hæc D. Thomas. Cujus verbis octavæ huic calumniæ ita satisfactum esto. Cæterùm licèt hæc ita sese habeant, sapienter tamen à Religiosarum familiarum moderatoribus cautum est, ne Religiosi in aulas & Principum familiaritates facilè sese insinuent; Et si fortè cum Principibus, virísque potentibus & illustribus jussu & missu Superiorum agendum & versandum sit, circumspectè & providè sese gerant, ne in tentationes & laqueos diaboli incidant, amore strictioris & arctioris vitæ & disciplinæ inter aulæ delicias, strepitúsque mundanos sensim evanescente ac diffugiente.

IX. Historicus sæpe in hac historia ca- G
lumniosè insinuat, nos in Parochorum alio- Q. 2. in Reg. D. Francisci.
rúmque Sacerdotum munera involare; quod ipsum quoque alii Religiosi olim audire coacti sunt. *Cur qui animarum curam ordinariè non suscipitis*, inquit Calumniator apud D. Bonaventuram, *prædicatis populo, & Confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam, cùm illis propriè competat, qui animarum curam ex officio gerunt, injuriantes Plebanis, in quorum videmini præjudicium exercere officia illis commissa, & decipientes illos, quos absolvitis, super quos jurisdictionem non habetis ordinariam, contra Canonum instituta & periculum animarum vestrarum.* Respondet D. Bonaven- H
tura. *Nulli in hoc facimus injuriam, nec aliquem decipimus, sed Sedes Apostolica, quæ immediatè curam Ecclesiæ habet, & à qua cæteri Ecclesiarum Pastores, tam majores quàm minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediatè quàm immediatè, & à qua omnes Canonum leges emanant, videns in his novissimis temporibus juxta Apostolum instare tempora periculosa, & laxatis Evangelicæ prædicationis retibus in capturam tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem, quod rete fidei scinditur, Messem fidelium multam, & Operarios idoneos paucos; eò quòd peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, & Episcopi negotiis exterio-*

A *teriòribus dediti, ſpiritualibus intendere nequeiunt, & pauci ſunt Paſtores in Eccleſiis perſonaliter reſidentes, ſed Vicariis & Mercenariis committunt oves ſive animas colendas, in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiæ, & honeſtæ vitæ negligentia, & aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, & non eſſe, qui plebes erudiant, vel à peccati fœcibus extrahant, vocavit nos in adjutorium tam Cleri quàm populi, ut per officium prædicationis & confeſſionis ſubveniamus animabus, & onus Paſtorum ſublevando alleviemus: ſicut Petrus & ejus Socii non valentes ſoli rete piſcium ad littus trahere, præ multitudine, annuerunt Jacobo & Joanni ſociis ſuis in alia navi, quæ ſignat Religionem, ut venirent & adjuvarent eos, ne vel ipſi mergerentur, vel piſces*

B *capti perirent, Luc. 5. Cùm ergo ex Apoſtolicæ Sedis miſſione, Epiſcoporum benevolentia, prædicationis opera & confeſſionis ſubditis eorum impendimus, eos ex charitate & auctoritate eorum abſolvimus, & non decipimus eos, ſed juvamus, & in illis non fit præjudicium Plebanis, ſed beneficium, dum pro eis laboramus, & ad obedientiam debitam eorum ſubditos exhortamur. Nam ſi Plebanus poteſt alteri vicem ſuam committere, multò fortiùs poteſt hoc Papa & Epiſcopi, qui pleniorem habent in omnes ſibi commiſſos ſine differentia poteſtatem.* Hæc D. Bonaventura.

C X. Valde quoque ſibi nonnulli placent, quòd, ùt ipſi credunt, Jeſuitæ multis Sacerdotibus & Religioſis ſint parùm grati. Sed quid mirum in tanta ingeniorum & morum diverſitate, & in tanta ob hæreticos, qui omnia inficiunt, contagione, reperiri nonnullos, qui nobis minùs faveant? An ullus unquam Ordo fuit, qui ſuis æmulis & obtrectatoribus caruerit? *Quæro*, inquit S. Bonaventura; *Quæ ratio eſt, quòd Clerici magis oderunt nos & perſequuntur, quàm Laici & ſimplices Sacerdotes.* Reſpondet idem S. Doctor: *Sicut non omnes Laici diligunt nos, ſic nec omnes Clerici odiunt nos.* Hujus rei affert D. Bonaventura quinque cauſas; Nobis quatuor ſufficient. *Una eſt, quòd timent nos, quòd ipſorum facta & exceſſus vel defectus pleniùs agnoſcamus, & ſeveriùs arguamus, quò clariùs videmus, quales eſſe deberent & non ſunt, per quos Eccleſia gubernatur.* D. *Secunda, quòd invident nobis, quòd ſumus hominibus gratiores & ipſi comparati nobis appareant in vita vel ſcientia viliores vel etiam indoctiores in doctrina. Tertia, quòd timent aliqua ſibi emolumenta per nos ſubtrahi, dum eleemoſynas, quæ dantur nobis, arbitrantes ſibi fore dandas, ſi nos non eſſemus. Et hæc videtur potior eſſe cauſa pluribus, qui nos odiunt: ſcilicet ſi plus inhiant lucris pecuniarum à ſuis ſubditis, quàm fructui animarum. Poteſt etiam quarta cauſa eſſe, quòd Divina Juſtitia illos, qui quantò ampliùs cognoverunt & ſpreverunt, & quibus majora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & graviùs cæteris offenderunt, & frequentiùs eum indignè contrectant & percipiunt, tantò magis indurat, & profundiùs cadere permittit. Unde non ſolùm ipſi ſint mali in ſe, ſed etiam alios ſecum malos eſſe deſiderent, & bonos odiant. Et quos imitari nolunt, optent non eſſe & perſequantur eos, quos ſibi diſſimiles eſſe dolent. Salomon. Gravis eſt nobis ad videndum. Et tunc ibidem plures de prædictis tanguntur. Laici verò quia de prædictis cauſis minùs habent, ideo minùs nos odiunt, imò etiam diligunt, quia ſentiunt nos ſalutem ſuam diligere, & ſperant eam per nos fideliter promovendam, ore,* E
meritis & doctrinis. Clericì etiam, qui ſanè F
ſapiunt eadem ratione nos fovent & diligunt, quaſi filios ſuos & Vacatores & Cooperatores tam ſuæ ſalutis, quàm ſuæ ſollicitudinis ſibi commiſſæ, in ſuis ſubditis neceſſarios Adjutores, & oneris ſibi impoſiti fideles ſublevatores. Hæc. D. Bonaventura. Et ſi D. Thomæ & D. Bonaventuræ ætate extiterunt non modò hæretici, ſed & quidam, qui Catholico nomine cenſeri volebant, qui Dominicanos & Franciſcanos, non modò peſſimè odiſſent, ſed & *Pſeudoapoſtolos, Pſeudoprophetas, Pſeudochriſtos, lupos, fures, latrones, Antichriſti nuntios, hypocritas & ſeductores* nominarent, ùt ex D. Thoma patet, qui criminationes iſtas eruditiſſimè, more ſuo, refellit, quid mirum, his temporibus reperiri quoſdam nobis minùs æquos. Mirum potiùs G foret, ſi nos alio loco eſſemus, quàm cæteri Religioſi ſub ortus ſui principia. Porrò quod attinet ad rationes D. Bonaventuræ de odio Clericorum in Religioſos, non multùm laboraverim, veræne ſint an falſæ, & num D. Bonaventura rem, quod dicitur, acu tetigerit. Viderint ipſi Religioſorum oſores: nemini enim id exploratius eſſe arbitror. Hoc tantùm affirmo, divino nutu factum, ut Religioſis nunquam deſint exagitatores & perſecutores. Nam ùt virtus in infirmitate perficitur, ita etiam malevolorum obtrectationibus conſummatur, Religioſorum perfectio & innocentia demonſtratur, præſertim cùm illi Religioſos ingratè impugnant & traducunt, qui magna beneficia à Religioſis acceperunt; Et ſi omnes, qui piè in Chriſto vivere volunt, perſecutionem patiuntur, teſte Apoſtolo, 2. Timoth. 3. quantò magis id de Religioſis, qui perfectius vitæ genus profitentur, exiſtimandum eſt? Multos ta- H
men paſſim & ſacris initiatos & Laicos reperiri novimus; qui Religioſis non tam ex malitia, quàm ex ignorantia malè velint, quorum nonnulli errore agnito priſtinum odium non paucis officiis compenſare conati ſunt. Quòd autem quidam dicunt, ſibi occaſionem vel dari vel olim datam ad ejuſmodi averſionem & abalienationem, videant, ne arripiant occaſionem non datam, ſed ùltro quæſitam.

Q. 27. in Reg. D. Franciſci.

Cap. 22. & ſeq.

Dein-

A Deinde posito, quòd data esset occasio, cujus animi indicium est, nolle unquam reconciliari, & in mortali pectore, immortalem iram circumferre? Quotidie videmus offensiones inter homines nasci; sed nullus, qui se hominem meminit, recusat in gratiam cum proximo suo redire, præsertim si proximus id votis ardentibus exoptet. Addo, hominis parùm humani esse, si unius aut alterius imprudenti dicto aut facto læsus sit aut offensus, mentem abducere & abalienare à toto Ordine, & ex unius alteriúsve inconsideratione & præcipitantia omnes æstimare velle.

B XI. Criminantur præterea non semel Helias & Polycarpus & alii, nos hominibus placere velle, & de his, quæ Deus Societatis ministerio gerit, lætari. Utraque calumnia antiqua est; & utramque profligat D. Thomas, cujus hæc verba: *Falsum esse,* Cap. 17. C *quòd nullo modo debeat quis quærere hominibus placere, multipliciter ostenditur; dicitur enim ad Romanos decimo quinto: Unusquisque proximo placeat in bonum ad ædificationem. Item prima ad Corinthios decimo: Sine offensione estote Judæis & gentibus & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo. Item Rom. 12. providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Hoc autem non esset necessarium, si non oporteret curare, quomodo omnibus placeremus: ergo quilibet curare debet, ut hominibus placeat.* Quæ Cap. 18. contra Impug. Relig. latiùs deinceps idem sanctus Doctor persequitur; quem, qui volet, consulat. At D verò quòd lætari liceat iis de rebus, quæ feliciter ad salutem animarum & Ecclesiæ emolumentum geruntur, docet D. Thomas ex cap. 11. Actuum, ubi dicitur, *quòd multus numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ super istis, & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam, qui cùm pervenisset & vidisset gratiam Dei, gavisus est. Gaudebant ergo Apostoli de hoc, quòd per eorum fratres & socios fructus fiebat in Ecclesia. Item* E *Act. 15. dicitur de Paulo & Barnaba, quòd deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam narrantes conversionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Ex hoc etiam habetur, quod priùs. Et ad Phil. 4. Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea: ergo patet, quòd Apostolus gaudebat de illis, quos ad Christum convertebat: ergo & Religiosi & alii perfecti viri gaudere possunt in illis, quæ Deus magnificè per eos facit, præcipuè in conversione aliorum.*

Quod D. Thomas pluribus deinceps F ostendere pergit, cuius librum, cui libuerit, adeat; Nobis hæc suffecerint, & pro hac & pro aliis calumniis diluendis; quanquam quis est, qui omnes in specie refellere queat, cùm calumniatores & obtrectatores nostri novas quotidie excogitent, & ex inexhausto mendaciorum pelago depromant? Cùm enim hæc scriberem, rumor non modò totam hanc urbem, sed & alias quasdam pervagatus est, Landspergæ Jesuitam quendam laqueo sibi fauces elisisse, & suspendio vitam abrupisse; Non miratus fui calumniæ G insolentiam, quippe jam atrocissimis calumniis audiendis, dum Heliæ chartas excutio, assuetus; admirationem mihi peperit rumoris inconstantia; postquam enim evidenter multis demonstratum est, illum, de quo id ferebatur, lætum in Domino sanúmque adhuc vivere, statim substituerunt alium infames nugigeruli; & cùm ne sic quidem mentiendo proficerent, ad tertium sese transtulerunt, modò Sacerdotem, modò laicum, modò juvenem, modò grandævum fuisse dictitantes eum, qui sibi necem consciverit; Quid facias istis hominibus, H quibus, nisi mentiantur & calumnientur, vita videtur injucunda? Sed Dominus ju- Psal. 71. dicabit aliquando pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatores.

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI.

CUm in hoc libro improbissima mendacia, atrocissimæ calumniæ ac nefariæ criminationes, quibus Societatis JESU Ordinem cùm aliis rebus omnibus, tum imprimis vitæ sanctimonia, singularíque eruditione toto orbe clarissimum, nefarii homines Elias Hasenmillerus & Polycarpus Leyserus in nuper edita Ordinis Jesuitici historia, profligatissimè insectati sunt, strenuè solidéque detegantur & redarguantur; nec quicquam in eo contineatur, quod vel orthodoxæ fidei vel bonis moribus adversetur, dignissimum eum testor, qui typis mandatus in lucem emittatur: quò sinceræ veritatis amanti amplius innotescat & Societatis JESU integritas & Sectariorum improba insatiabilísque conviciandi, calumniándi, & mentiendi cupiditas.

JOANNES RIEPELIUS SS. Theologiæ in alma Academia Ingolstadiana Professor Ordinarius, & Theologicî Collegii id temporis Decanus, nec non ad D. Virginem Pastor.

HONORARIUM
POLYCARPO LAUSERO,
PRÆDICANTI LUTHERANO,
OB
HISTORIAM JESUITICAM,
DENUO EDITAM, ET NOVA PRÆFATIONE
Adversus
JACOBUM GRETSERUM,
LOCUPLETATAM ET EXORNATAM:
DATUM ET OBLATUM GRATÆ MENTIS ERGO,
AB EODEM
JACOBO GRETSERO,
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.

S. Basil. in Epist. 75.

S. BASILIUS NEOCÆSAREENSIBUS, GRETSERUS LUTHERANIS ET CALVINIANIS.

CUjus gratia, ô urbium ornatissima (per vos enim universæ civitati loquor) non isthinc veniunt literæ vestræ; non quæ amicitiam exaret, & declaret vox vestra, sed apertæ sunt aures vestræ calumniari conantibus? Itaque tantò magis ingemiscere debeo, quantò magis, quod illi sategerunt, effectum esse video. Quandoquidem calumniandi opus manifestum habet magistrum, ac doctorem, qui cùm ex multis sit malefactis notus, ab ista tamen calumniandi malitia designatur; ita, ut ex hoc peccato nomen invenerit.

Diabolus à calumniando. παρὰ τὸ διαβάλλειν.

Vos verò mihi permittite, ut liberè loquar; utrasque aures delatoribus nostris referâstis, ac quidquid illi ad vos deferunt, sine omni examinatione admittitis, nemine existente, qui falsum à vero discernat. Quis unquam in accusandis vitiis, nemine contradicente, defecit? Quis calumniando mendacii convictus est, non coram constituto, quem falsò calumniatus est? Quidnam dici potest, quod credibile non sit auscultantibus, si dum criminator ita, ùt asserit, habe-

habere contendit: criminis accuſatus nec adeſt, nec calumnias audit? Neque ipſa vos vitæ hujus conſuetudo hiſce in rebus erudit, ac docet: quòd, qui futurus ſit æquus, ac nulli parti addictus judex, non debeat ſe totum præoccupanti permittere; ſed & defenſionem exſpectare ejus, qui calumniis appetitur, ut ex collatione eorum, quæ ab utrisque partibus dicuntur, veritas eluceſcat. Juſtum judicium judicate. Unum hoc eſt ex præceptis ad ſalutem neceſſariis. Et iſta dico, non oblitus verborum Apoſtoli, quibus ille relictis humanis judiciis univerſam vitam ſuam ejus tribunalis examini reſervavit: quod falli nequit, ubi dicit: *Mihi verò pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Verumtamen quoniam aures veſtras calumniæ præoccupatas detinent, delatáque eſt, & calumniis impetita cùm vita noſtra, tum & fides, quam habemus erga Deum, ſciens calumniatorem tribus perſonis mali hujus noxam aſpergere: lædit enim & eum, quem calumniatur; & eos, quibus loquitur, & ſeipſum. Quàm ego lædar, ſcitis ipſi (etiamſi ego ſileam) non contemnens veſtram de me exiſtimationem; quomodo enim contemnerem, qui, ne illam incurram, iſta ſcribo, & hujus jam gratiâ certo? Sed videns me eſſe in tribus iſtis perſonis, qui læduntur, ego quàm minimùm lædar. Nam ego quidem amicitia veſtra deſtituor: vos autem veritate ultrò ſpoliamini. Et qui hujus cauſam dedit, me quidem à vobis ſeparat, ſe ipſum verò alienum à Domino reddit: propterea, quòd nemo reproborum, ac nefandorum hominum cum Deo commercium habere poteſt, &c.

Si is, qui noſtra judicat, mundum ſe confirmet habere oculum, auferat ex noſtro oculo feſtucam. Fatemur enim nos multa eorum, qui probè valent, opus habere curandi diligentia. Si verò hoc non facilè dicet, & tantò minùs dicet, quantò magis fuerit mundus; propterea, quòd perfectorum hoc eſt proprium, ut ſe ipſos non extollant (aliôqui arrogantiæ Phariſaicæ obnoxii eſſent, qui ſe ipſum juſtificans condemnavit publicanum) neque mihi quærat medicum, nec judicet ante tempus, donec veniat Dominus, qui revelabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Memor ſit ejus, qui dixit, nolite judicare, ne judicemini, neque condemnare, ne condemnemini.

In ſumma, fratres, ſi curabilia ſunt noſtra delicta, quare non obeditis doctori Eccleſiarum, dicenti, argue, obſecra, increpa? Si verò ſcelus noſtrum ita habet, ut ſit immedicabile, quamobrem non in faciem nobis reſiſtit adverſarius, ut patefactis ſceleribus noſtris, Eccleſias ab ea pernicie liberet, qua per nos illæ perduntur? Itaque ne feratis convicium illud, quod ſub dentibus adverſarii clanculum adversùm nos immurmuratur: ferendum enim non eſt, etiam ſi id ancilla faciat ex piſtrino, aut unus aliquis ſupra modum nebulo ex iſtis circumforaneis; cui hominum generi hoc vitii eſt, ut linguas in omnis generis convicia acutas habeant. Jam ſunt Epiſcopi, vocentur illi, ut cauſam cognoſcant. Eſt clerus in unaquaque Dei parœcia. Congregentur ſelectiores, ac probatiores. Dicat cum fiducia, ac liberè, qui volet, ut examen ſit, quod agitur, non convicium. In conſpectum, ac publicum producat, ſi qua ſunt malitiæ meæ occulta facinora. Odio verò me, ne tum quidem proſequatur, ſed admoneat, ùt fratrem. Si peccatores ſumus, commiſerandi potiùs ſumus apud viros beatos, & innoxios, quàm acerbè, & odiosè tractandi. Si verò erroris circa fidem culpamur, oſtendatur nobis ſyngrapha.

HONORARIUM PRO POLYCARPO LAUSERO, PRÆDICANTE LUTHERANO.

A INterrogatus quidam, cur omnibus malediceret; reſpondit, *quia omnibus malè facere non poſſet.* Eadem eſt Lutheranis & Calvinianis Prædicantibus mens in Societatis JESU Profeſſores. Omnibus atrociter maledicunt, quia omnibus malefacere nequeunt. Quando igitur, quod cupiunt, non poſſunt; ſaltem id pro viribus agunt, cujus agendi vires & expeditam facultatem habent. Ex horum numero eſt Polycarpus Lauſerus, Lutherani Evangelii buccinator, inſulſus & ineptus impoſtor, ſuis etiam ob inſcitiam contemptus, quippe nil niſi calumniari doctus. Teſtem ex plurimis accipe unum; Librum videlicet, qui *Hiſtoriæ Jeſuiticæ* titulum præfert; prognatum
B parente mendaciſſimo Haſenmillero, evulgatúmque editore vaniſſimo Lauſero; quem cùm ante duodecim annos ad verbum refutâſſem, & plus quàm integrum teterrimarum & diabolicarum pſeudologiarum chiliadem inde excerpſiſſem; (quod ante me ex parte præſtiterat, ſumma duntaxat capita ſecutus, Clariſſimus & Magnificus Dominus Doctor *Petrus Stevartius* Academiæ Ingolſtadienſis Profeſſor & Procancellarius) quid futilis iſte præco tot annorum intervallo egit? Silium & Tacitum, & Mutium. Tam ſuam, quàm primi auctoris cauſam turpiter deſeruit uſque ad ſuperiorem annum Domini M.DC.V. quo circumſpicere cœpit de patrocinio. Sed quale attulit? Miſerabile prorſus & *ficulnum*; quo enim alio
C ἀνὴρ σύκινος, advocatus *ficulnus* nauci, & nihili uteretur? Hiſtoriam Haſſenmillericam, turpiſſimorum mendaciorum cloacam, omníſque maledicentiæ, impudentiæ, criminationis & calumniæ ſentinam prælo iterum ſubjiciendam curavit; minore quàm antea typo & forma; addita adverſus me præfatione Apologetica, tali Apologete & libro digniſſima; utpote inſcitiæ, qua Prædicans iſte præ cæteris clarus eſt ac ſpectabilis, indice locupletiſſimo & luculentiſſimo: adeò enim ab armis, quibus in adverſarium pugnet, imparatus eſt, ut, niſi Actionem propemodum totam, qua olim larvatus quidam D
Eques Polonus Societatem JESU lacerare tentavit, ſuam in præfationem tranſtuliſſet, præfatio novendecim pagellis minor & decurtatior in lucem prodiiſſet. Abſit autem, ut vel unum verbum in elumbem illum Equitem jaciam; cui tres ex Polonia doctiſſimi & eloquentiſſimi viri mentum adeò acriter defricuerunt, ut ſecundò cum ſuo Equo in arenam deſcendere minimè auſus fuerit, in tenebras, unde infelix caput extulerat, è veſtigio rejectus. Nec tamen pudet Prædicantem iſtum lœdorias illas Polonicas fortiſſimè & potentiſſimè jam olim obtritas & conculcatas, denuò ingerere, & lectoribus maledictorum & vanitatum amantibus apponere; ſed nil à ſuo ingenio alienum facit, ἀνὴρ γὰρ αἰσχρὸς αἰδέεσθαι οὐ φιλεῖ. *Vir turpis non ſolet erubeſcere;* ùt ait Euripides.

At videamus, quàm graves cauſas adduE cat Prædicans, cur Refutationem meam noluerit attingere, & refellere. *I. Quia Gretſerus nihil novi attulit.* Eò facilior tibi futura erat refutatio, in obviis tantummodo vulgaribúsque defenſionibus amoliendis verſaturo. Verùm, quod ſine tua pace dictum volo, tam obtuſi pectoris es, ut nec nova, nec vetera; nec trita, nec abdita; nec vulgaria, neque recondita ſtupor tuus aggredi vel audeat vel queat; qui ne præfationem quidem ſcribere potuiſti, niſi novendecim pagellas ex Sarmatico illo Equiſone exſcriberes, & ſublegeres. Utrum autem ego nova an vetera attulerim; non tuum, ſed lectoris arbitrium & judicium erit.

II. Nolui oleum & operam perdere. Appro- F
bo hanc rationem; quia ſi librum meum refutare inſtituiſſes, operam & impenſam perdidiſſes; quia nihil niſi mendaciloquentiam, inſcientiam, & calumniandi impotentiam venum expoſuiſſes. Dic, quæſo te; ſed verè; à quanto tempore tam parcus es olei & operæ, ut utriusque jacturam adeò ſollicitè caveas? Certè quando *Hiſtoriam Jeſuiticam* evulgandam curâſti, olei & operæ magis

A magis fuisti prodigus, quàm filius ille prodigus, *substantiæ* paternæ; facultatúmque suarum: quia oleum & operam tunc non tantùm prodigè profudisti; sed & perditissimè perdidisti; ùt & jam, cùm eandem Historiam, rudi & indigesta præfatione tua auctam iterum foras extrusisti. Nam quid tandem est operam ludere, si edere libros, qui plura mendacia, & calumniarum portenta continent, quàm periodos, non est operam ludere?

B *III. Nos verbi Ministri in nostris Ecclesiis non æquè otio abundamus ac vos.* Scilicet affatim otii tibi suppetit ad cudenda mendacia, concinnandásque & longè ac latè disseminandas calumnias; cùm autem adversario eruditè ac solidè respondendum est; nihil vacui temporis invenis.

C Ut verò sciamus, quàm *occupatum animal* sit Prædicans; prolixum nobis texit occupationum *Prædicantic*a*rum* Catalogum. *Hîc* inquit, *vix quisquam est, cui non injunctæ sint singulis septimanis aliquot conciones publicæ* (mendaciis, criminationibus & sycophantiis insigniter farctæ; in quibus Prædicantes non plus laboris & molestiæ reperiunt, quàm corvus in crocitando, aut cuculus in edendis suis coccysmis. Præsertim quando lingua vibranda est in Papam, in Clerum, in Monachos, in Jesuitas, in ritus Ecclesiæ) *interdum etiam prælectiones scholasticæ.* (Admodum scilicet subtiles, argutæ, & *scholasticæ*) *& qui non singulis diebus Pastorum* (bubulcorum & subulcorum) *Diaconorum* (fortè, *Diabolorum*) *Ludimoderatorum* (cur non & *Provisorum*, *Locatorum*, *Cantorum* & quidquid hujus classis amplius est?) *scholasticorum* (num & *beanorum* & *cornutorum?*) *afflictorum & pauperum interpellationibus quàm plurimis obruatur* (miror omissos compotores seu combibones, quorum importunis interpellationibus, cùm alii Lutherani Stentores, tum iste, crebrò obru-

D untur, & tantùm non opprimuntur. Miror itidem omissam *domesticam Ecclesiam*, hoc est, uxorem, & numerosam sobolem) *ut sic diu noctúque* (etiam quando profundiùs stertunt, quàm Polyphemus Ulyssei meri dulcedine in soporem altissimum demersus) *pro grege dominico in excubiis stare* (vel jacere) *modò ægrotos visitare* (imò & ægrotas, præsertim viduas adolescentiores & opulentiores, cum quibus Prædicantes suavissima miscent colloquia ex Ovidiana arte amandi) *modò afflictos consolari* (vix tamen invenias Prædicantem, qui non libentiùs consoletur afflictas, quàm afflictos) *modò defunctos ritè sepelire* (hoc est, ùt vulgo dicitur, *sine crux & sine lux*, non tamen sine boatu cantantium Prædicantium, & Ludimagistrorum) *modò alia officii sui munia administrare* (inter quæ primas tenent, mentiri, calumniari, maledicere) *sicque reliquum tempùs precationi* (nimirum facibus ignis ætherii admodum inflammatæ) *lectioni* (festivæ, E facetæ dicacíque) *& meditationi sacræ* (juxta notionem illius: Auri sacra fames; quia Prædicantes meditantur ùt lupi & vulpes) *destinatum propemodum suffurari cogatur* (præsertim, si ùt hunc Prædicantem agere dicunt; bonam temporis partem Baccho consecret, inque ejus palæstra indefessè cum colluctatoribus suis se exerceat) *nedum ut tam operosis scriptionibus indulgere queat* (Quis non miretur omnium laborum, ut sic dicam, Oceanum confluxisse ad Lauserum, ita, ut nihil excepti temporis reperire queat, quod lucubrationibus impendat, cùm alii Prædicantes non pauci, iisdem negotiis, quibus iste, proculdubio distenti; immania nihilominus volumina cudant, stantésque pede in uno mille maledicta in Papam & Papistas eructent. Hîc autem meritò quærat quis, an Prædicantes nunquam dormiant, ùt pervigil ille draco, Hesperidum custos, cùm in hoc negotiorum syllabo nulla somni mentio extet. Númve non geminos tantùm, sed plures habeant oculos, ùt Argus; *centum luminibus cinctum caput Argus habebat. Inde suis vicibus capiebant bina quietem, cætera servabant, atque in statione manebant.* F

Splendidè autem mentitur Prædicans nec semel, sed sæpius; quando hæc de Jesuitis effutit. *Vestrûm sæpenumero magna caterva in uno Collegio cohabitat, inter quos vix tres, aut quatuor publico aliquo munere, vel concionandi in templis, vel docendi in scholis distinentur. Reliquis in mero ocio viventibus, absque ullis impedimentis, & interpellationibus in bibliothecis discurrere, libros pervolare, ex iis aranearum instar quodlibet exsugere; postea in unum acervum comportare; & illis collectis unius autoris nomen præfigere, sicque eruditionem vestram ostentare, & totum orbem libris, & scriptis complere concessum est.*

Quot verba, tot propemodum com- G menta. Nullus enim est, nisi cujus vires & valetudinem aut senium aut morbus fregit; qui non aliquo munere fungatur; Aut enim præest; aut docet in scholis aut templis; aut sacris confessionibus operam navat; aut ægrotos, afflictos, solandi gratia visit; aut carceres, nosocomia, & xenodochia adit, ut miseris aliquid levamenti afferat; aut alia Societati nostræ consueta & consentanea ministeria obit; ita, ut otio nullus superfit locus.

Æquè vanum est, quod Prædicans gar- H rit de materia pro libris conficiendis in unum cumulum comportari solita; cui postea in certum ordinem digestæ ac dispositæ, unius auctoris nomen præfigatur. Commenta hæc sunt fallacium Prædicantium, qui, quod ipsi soli præstare nequeunt, id nec ab aliis, qui temporis parciores sunt, præstari posse existimant; etsi non nego, eam esse Societatis naturam & conditionem

nem, ut membra mutuas sibi præstent
A operas, si usus ita exigat, at non eo modo; quem Prædicantes somniant; nam cùm quis aliquid meditatur aut commentatur, conferre licet, consulere, exquirere, dubitationes proponere, solutiones aliorum audire, probare, si placeant, improbare, si displiceant; cùm enim veritatis studio omnes teneantur, nullus est, qui ad ejus illustrationem non libenter symbolam suam conferat; si ingenium & eruditio id concedant.

B Quarta causa, cur Prædicans nihil responderit, est ista. *Si quid supereſt temporis & otii, malumus nos id utilibus & magis necessariis, quàm hujusmodi superfluis refutationibus impendere.* Nihil occurrit, quod in hac causa culpem. Si respondisses, planè superfluam refutationem, inutilem, nullóque pacto necessariam instituisses. Quid enim magis superfluum, quàm mentiri? Quid inutilius, quàm criminari? Quid minùs necessarium, quàm maledictis quosvis furiosè insectari? Certè in his tribus strenuè exercendis totam tuam Apologiam occupâsses & consumpsisses. Laudo igitur, quòd papyro, & atramento pepercisti, & ad fructuosiorem occupationem transtulisti. At quæ illa? Forsan cura & sollicitudo expellendi Calvinistas ex Saxonia: vel conjiciendi in carcerem; vel dedendi Leto: quod equidem Crelliani hæredes suspicantur; neque ego satis scio, quàm feliciter te
C ab hac suspicione expurges, in tuo contra Crellianos hæredes apologetico. Hactenus de causis negati responsi. Nunc audi aliquot deliriationes Polycarpicas: quis enim argumentationes appellet? *Pontifex Romanus est Antichristus, meretrix Babylonica;* & quidquid splendida bilis suggerit. Probatur. *Quia Lutherus, Brentius, Chemnicius, Herbrandus, Hunnius & Cramerus hoc asserunt.* Et quinam illi? Non modò bipedum, sed & quadrupedum mendacissimi, præcones diobolares, neque sale digna mancipia, non hominum, sed Dæmonum. Hinc tam impotenter & amenter in Petram Sedis Apostolicæ impressionem faciunt, quæ priùs ab istis furiis non everteretur, quàm promissio illa æternæ veritatis labefactetur.
Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*
D Quando autem hanc promissionem subruent? cùm ejusdem veritatis hæc sint verissima verba: *Cælum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt; id est, facilius est cælum concuti, quàm Ecclesiam meam,*
Gennad. lib. pro Concil. Flor. cap. 5. sect. 18. inquit Gennadius, *incursiones hæretici facient; at non prævalebunt: in petram impingent capita sua, & dispergentur. quia super petram fundata Ecclesia est: propterea Ecclesia tanquam petra manebit inconcussa: Nam, qui à principio suæ prædicationis eam oppugnaverunt, deleti sunt; & memoria eorum cum sonitu periit. Ecclesia verò vernat, & refulget super solem. Ubi reges, qui in eam de-* E
sævierunt? Ubi principes? Ubi hæretici? Ubi Arius, & Eunomius? Ubi Nestorius, & Dioscorus? Ubi Severus, & Eutyches? Ubi, qui præcesserunt, & qui postea subsecuti sunt, omnes? Nónne perierunt? Nónne extincti sunt? Sed Ecclesia tunc, & nunc, & semper est, usque ad sæculi consummationem, & finem.

Cogita, quot tyranni, quot reges diademate redimiti, enses acuti, ferarum dentes, mortes imminentes, sartagines, fornaces? & pha- F
retram suam exhausit diabolus, & Ecclesiæ non obfuit. Quanam de causa? quia, portæ in- Ibid.
ferì non prævalebunt adversùs eam. Ipsa res testimonium perhibet; testatur eventus experientia. Quot bellum gesserunt, num evicerunt? sed, qui bellum gesserunt, silentio transiguntur, & oblivioni mandantur. Ecclesia verò floret. Ubi Claudius? ubi Augustus? ubi Tiberius? nuda sunt nomina. Eorum meminit nemo. Nam postquàm Ecclesiam oppugnârunt, memoria eorum deleta est; & Ecclesia super solem refulget, &c. Ecclesiæ oppugnatores abolentur, & oblivioni mandantur: Ecclesia verò floret: & contorquent quidem tela pugnatores; at ipsi vulnerantur. Cúrnam hæc? quia Christus ipsam firmavit; Christus ipsam suo redemit sanguine, per quem cælum firmatum est, terra fundata. Domini enim verbo dicit David, cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. Igitur verbo, quo firmavit cælum, firmavit Ecclesiam suam dicens; super hanc petram ædificabo Ec- Matth. 16.
clesiam meam. Quam petram? solidam fidei Confessionem Petri Piscatoris, quæ firmata, manet inconcussa, & immota, & inexpugnabilis: quemadmodum & cælum stat, & permanet vi verbi. Ideo & in cælo, & in terra Ecclesia Dei honorabilis, & sancta est; imò verò secundùm aureorum verborum, & sermonum patrem, cælo, & angelis, & omni creatura præstantior est.

At vide extremi odii insaniam. Quò G
non progreditur? *In Hungaria infeliciter res gesta est: Ergo Pontifex Clemens VIII. causam hùjus infelicitatis sustinet.* Probatur consecutio. *Quia Pontifex cum suis ad belli hujus societatem est advocatus, cujus assistentiæ forsitan plus, quàm divinæ opi, & tutelæ à quibusdam est tributum; sicque divina majestas irritata, ut eò minùs felices successus sit largita.*

En Diabolicam insectandi & criminandi H
pruriginem. Clamabat olim quidam. ὦ πότνια αἰδὼς, εἴθε τοῖς πᾶσι βροτοῖς συνοῦσα, ταναίσχυντον ἐξήρσ φρενῶν. *Utinam ô veneranda verecundia ex omnium hominum mentibus impudentiam exemisses.* Non ausim invitare *verecundiam*, ut ἀναισχυντίαν & ἀναίδειαν ex Prædicantium animis evellere tentet. Non succederet conatus, Nimis altas radices fibrásque egit. Testis vel hic unus Prædicans, cui nulla religio tam scelerate & nefariè non modò in summum Chri-

A Christianæ fidei Antistitem, sed & in omnes orthodoxos bacchari: nam non minimam causam improsperi successus arbitratur fuisse, quòd Pontifex *cum suis* in societatem hujus belli ascitus sit. Quos verò denotat illud: *Cum suis?* An non ipsum Augustissimum Imperatorem? An non omnes Catholicos Principes & Ordines? Hi enim omnes profitentur sese Pontificis, tanquam summi patris filios, & oves de ovili Dominico, cujus suprema cura commissa Petro, & successoribus. Quàm immane convicium in hos malè fortunati belli culpam conferre? Quàm immensa stultitia illos, quorum potissimùm res agitur, à societate belli excluſos velle? Eant sanè Lutheri pulli, arma adversus Turcas ipsi soli corripiant, eósque vel usque ad Caspium mare, & ultra Bosphorum repellant. Non invidebimus, quin ore pleno heroicum hoc factum deprædicabimus. At quid ad arma voco hos *galeatos lepores?* penes quos si summa rei foret, jam Turcica vexilla liberè per Germaniæ oras & urbes volitarent: ejusmodi enim defensores non tuentur propugnacula sibi credita; sed hostibus perfidè produnt; cujus perfidiæ non unum exemplum suppeditat nobis hoc ipsum, quod adhuc geritur, Pannonicum bellum. Qua C ratione Prædicantes suos excitarent & incenderent, ut Turcis fortiter sese opponerent; cùm Prædicantium Præceptor communis Melanchthon hoc mandatum Prædicantibus, & omnibus suis Lutheranis dederit in comment. epist. ad Rom. super illa verba cap. 14. *Infirmum in fide assumite.* anno 1523. Argentorati. *Hîc vide, si quid Papa, seu quicunque alius magistratus præcipit contra jus divinum, ne obtemperes, sed pertinaciter repugnes; ùt quando præcipit bella suscipi adversus Turcas.* En judicio Philippi, *bellum suscipere adversus Turcas, repugnat juri divino:* & si hujusmodi bellum præcipiatur, docet obtemperandum non esse; non tantùm tunc, quando à Papa; sed & quando à quocunque alio magistratu, ùt ab Imperatore, vel simili, præcipitur. Hoc enim sibi volunt illa verba: *Seu quicunque alius magistratus.* O Monstrum Lutherani spiritus!

D Multa declamat Prædicans de sua suorúmque in Principes observantia. Crederem, nisi ab assensu me remoraretur omnium Prædicantium pater Lutherus, qui in omnes propemodum Principes Imperii, etiam politicos, & in ipsum Imperatorem *Carolum*, Regémque Romanorum *Ferdinandum* passim ingentia maledictorum & conviciorum plaustra deoneravit; neque secus tractavit, quàm si Lutheri atrienses aut famuli à pedibus, vel potiùs à matula fuissent; quod clarum ex iis, quæ magno numero fidelissimè ex Lutheri Tomis collegit clarissimus vir, Doctor *Joannes Pistorius* in secundo Lutheri spiritu, Azoara quarta.

Tantùm adscribam particulam tartareorum conviciorum & maledictorum, quibus pestilens Apostata laudatissimum Principem GEORGIUM, Saxoniæ Ducem, &c. avitæ fidei propugnatorem strenuissimum insectatus est; ut lector intelligat, quàm verè hoc loco Prædicans de sua suorúmque erga Principes observantia & reverentia concionetur; neque enim alio spiritu aguntur & reguntur hodierni præcones, quàm atro illo parentis sui Lutheri pneumate, quo nihil unquam maledicentius ex stygiis regnis extitit: quia Dux Georgius Luthero nihil est aliud, **dann ein Lugner, Lästerer, Tyrann, unruhiger Mann, unfürstlicher ungeschickter Schreiber, närrischer Fürst, der leichtfertig herauß fährt, zorniger Juncker, thut unfürstlich, wider adeliche und fürstliche Tugend, unruhiger Mann, mit seinem Moabitischem Stoltz und Hochmut, fordert rauberischer Weiß Brieff, die nicht sein sindt, wil den Churfürsten als sein Knecht brauchen, als seß er ihm da im Fron und Dienst, ja das muß man ihm bestellen bald nach dem Essen, der Fürst ist Luthers abgesagter Feind, und will ihn Luther nicht zum Herrn haben. Mein schönes Lieb, Hofschrantz zu Dreßden, grober Narr, lästert den Luther, und schändt das gantz Hauß Sachsen. Man soll ihn in der Beicht nicht absolvirn, biß er dem Luther, daß er Abschrifft von seinen Briefen bekommen und behalten hab, abbittet. Ungehorsamer, auffrührischer Mörder: aber Luther will ihm die Sporen anderst rincken, und dem unruhigem angefochtnen Mann einmal dem Boden außstossen. Will ihm Manns gnug seyn. Dann Luther vil klüger sey, und wölls Hertzog Georgen und seinen Rhäten noch drey Jahr zurathen geben. Der Fürst sey der gröste Narr über alle Narren, das kan dem Luther nicht fehlen, ein Dieb, des Luthers hoffärthigister, bittersier Feind, von welchem Luther nichts guts Dencken, Reden oder Schreiben kan. Ist schuldhafft an der auffrührischen Fürsten Bindnuß, tobt wider GOtt, und wider seinen Christum, ist mit dem Teuffel besessen, hat das Aergst im Sinn, sein Cantzler ist ein Esel-Cantzler, der Hertzog ist der närrischt aller Narren, thut närrisch, ist ein offner Brieff-Dieb, will Luther von ihm unangefochten und unbekümmert seyn, des und kein anders, mag sein ungnädiger Herr bleiben biß die grauen Röck vergehn. Luther gibt ihm drum gute Wort, daß er hofft, der Teufel, so ihn reitet, solt weichen. Lieber zorniger Juncker, ihr werdet die Welt nicht so roh fressen. Wann man einem Baurn sieht, so wechst ihm der Bauch.**

E F G H

Jac. Gretseri Operum Tom. XI.

A Er ist der leydig Teufel, wider den Kayser, ein Mörder, tobender Rauber, Junckherr aller Junckherrn, will allein Fürst über alle Fürsten seyn, aufgeblaßner Moab, Gnadjunckherr, will Luther künftig wider ihn bitten, und ermahnet jederman wider ihn zu bitten, hat ein böß Maul, ist ein Tyrann, Verfolger, Bluthund, Mörder, voller Büberey und Schalckheit, Wüterich, Bub, (Tom. 4. im Buch, von heimlichen gestolen Briefen, Anno 29.) der Hencker zu Leipzig, wütiger Tyrann, Bluthund, eitel höllisch Rachen, Judas, Cain, Saul. (Tom. 5. im Buch wider den Meuchler zu Dresden Anno 31.) starriger Kopf, ungelehrter Mann, elender Kopf / toller Kopf, der Teufel. (Ibid. im Brief an die von Leipzig Anno 32.) ein Teufels-Apostel, sündigt wider GOtt und Heiligen Geist, Mörder, Rauber, lieber Rauber. (Tom. 6. im Brief an etliche von Leipzig fol. 4. b. Anno 33. Ist nicht allein geistlich, sondern auch leiblich vom Teufel besessen, ist vor seinem Verderben, daß nun gar nah ist, so toll und rasend, daß kein Buß mehr von ihm zu hoffen, und nicht für ihn, sondern wider ihn zubitten. Ist ein Landstraff, die GOtt in Abgrund der Höllen stürtzen soll, wüttender dann jemals ein Tyrann gewesen, Tyrann über Pharaon, weit über den Babst, über all Tyrannen und Verfolger des Evangelii, Juncker Hertzog Georg. (Tom. 6. Anno 33. im Urtheil über Hertzog Georgen fol. 5. b.) Unchristlicher falscher Lästerer, der noch viel an Luthers Rocken hat, wüttender, tobender Mann, Luther beruft sich aufs Balaams Esel, und auf alle Esel und Küh wider Hertzog Georgen.

B

C Er ist Pilatus, Judas, Herodes, Teufels Apostel, der des Teufels gebot den seinigen gebeut, närrischer, verstockter, neidiger, häßiger Mensch, welchen man nicht Lügen straffen darf, dann er leugt ungeheissen für sich selbst, verfolgt die erkannte Warheit, tobender Kopf, ist sein selbst Teufel, trägt ein wütigen Haß, und Neid, den Luther für sich nicht werth acht ihn, oder sein Brief zu sehen, noch zu lesen oder zu hören, ein Tyrann, Verretther, der Eitel Teufels fürnemen hat, von GOtt verstockt, Luther bettet nicht mehr für ihne, ist gewiß, daß Hertzog Georg sammt seinen Helffern für unsern Augen verdammt in Abgrund der Höllen fahret, daselbst in ewiger Glut, als ein Hellebrand zu brennen. Hertzog Georg mit seinen Wüttrichen, weiß wol, daß die Lutherischen recht lehren, ist in der Mörder-Zunft, hät gern ein Blutvergiessen angerichtet, Mörder, Bluthund, der Papisten Abgott, im Blut ersoffen, Blut-dürstiger Mörder, mein ungnädiger Herr Hertzog

D

Georg, dessen Zorn Luther also erschreckt, daß er schier etwas (stinckends) hät fahren lassen. Unverschemter Lugner, will des Rotzlöffels Rotz, und Schnodel haben, der Ehrwürdig, Hochgelehrte Doctor Hertzog Georg, und sein Rotzlöffel, Esel mit der Sackpfeiff, Hertzog Georg der Hochgelehrte Mann, er und seine Hochgelehrtigkeit, und sein Geuch verstehen nichts, er, und der Teufel sollen an Luthers statt in Abgrund der Höllen fahren, er gehört in Himmel, der dem Teufel bereit ist, grosser Schalck, haut, sticht weidlich in die Backen, ein unbesonner, hoffertiger, zorniger, grober Mann, ungerahtner Sohn, denn sein Vatter, wann er lebt, nicht sehen möcht, verstockter Pharao, redt, was erlogen ist, ein unverschamter offenlicher Lugner, Todtenfresser, wäre gern Churfürst. (Tomo 6. a fol. 6. usque ad folium 32. Anno 33.) Luther fragt nichts nach Hertzog Georgen Kopf, mag ihn zu aller ärgsten schelten. (Tomo 6. fol. 325. an die von der Mitweid, Anno 35.) Ist diabolus incarnatus, ein eingefleischter Teufel. (Tom. 5. fol. 315. im dritten bedencken, ꝛc.) E

Hæc & id genus plura planè stygia maledicta eructavit Lutherus in celeberrimum illum æternæ memoriæ Principem *Georgium*; & similia in alios ejusdem ordinis & dignitatis viros. F

Nec Lutheri posteri in criminationibus fundendis patre suo segniores fuerunt. Testantur hoc tot famosi libelli (ut alios taceam) qui sparsi contra *Carolum V.* partim paulò ante, partim post bellum Schmalcaldicum, qui omnes sempiterni sunt testes & indices pii illius affectus, quo Prædicantes erga summam in politica Republica Majestatem, aliósque Principes, etiam Luteranos, afficiuntur. Extat Dialogus de libro *Interim* nuncupato, déque bello à Carolo V. adversus Electorem Saxonicum gesto; cujus interlocutores, *Albertus*, *Tertollus*, *Cornelius*, *Froberius*, in quo cum Tertollus, cui Hæreticus auctor Catholici partes affinxit; dixisset: **GOTT wird S. Peters Schiff nicht sincken lassen, und der aller unüberwindlichest Kayser Carolus hält über uns, und ist deß teutschen Landes mächtig, und ihr Lutherischen seyd schon in seinen Händen**, *Pudicus facie regnabit ubique.* G

Editus est anno Domini 1548.

Subjunxit Cornelius. **Ja wol Pudicus facie, der der Pfaffen Hurerey, und Simonei beschirmet, so viel Blut vergeust, ein Vatter, und Patron der Sodomiter, und Gomorriter, die uns unsere Weiber, und Töchter geschendt, und viel grosser Laster unter uns begangen haben, heist der *Pudicus facie*, der ihm selbs last drey, oder vier Hüren nachschleppen.** H

Er

A Et post multa intolerabilia prorsus, & quovis supplicio digna mendacia, & convicia subditur.

II. Jetzt beraubt, und verwüst er Teutschland, und ist ein rechter Schinder, und Schera worden, wie *Seleucus Philometor.*

III. Wolt gern ein Barbarei, und Türcken auß Teutschland machen.

IV. Will die Stätt zwingen, daß sie ihre Stattmauren solten umbreissen, und abbrechen, auf daß die Centauri ihren Mutwillen, und Rauberey drinnen üben möchten.

V. Solche böse unfreundlich Stuck beweiset er uns, nicht als ein Kayser, und Mehrer deß Reichs, sonder als ein Feind, und Zerstörer, Verräther, und Verhörer deß Reichs.

VI. Ja Carolus schindt auch die Stätt,
B so in unserm Bund gewest seyn: *videte petulantiam, & insolentiam superbi Centauri.*

VII. Und wo Carolus geschindt hat, da schindet der Ferdinandus auch hinnach, wolten gern Teutschland (wie die Beerwölff) gar auffressen, und verderben.

VIII. Und so groß ist die Hoffart dieser Landschinder, und Beerwölff, daß sie gar toll darüber werden.

IX. Sie wollen gern in den Himmel steigen, und ihren Stuel über die Stern GOttes erhöhen, und wolten gern über die ho-
Isa. 42. hen Wolcken fahren, und gleich seyn dem Allerhöchsten, ja zur Höllen fahren sie.

X. Carolus gehet mit Teutschland umb
C wie Herodes, und sein Hoffgesind, Pilatus und seine Krieger, sambt den Juden mit unserm HErrn Christo umbgiengen. Nachdem er Teutschland gefangen hat (wie die Juden Christum) veracht, verlacht, verspott, und verspeyet er dasselb, verhüllet ihm sein Angesicht, und spricht: Weissage *Germania*, wer hat dich geschlagen.

XI. Darunter hat deß Römischen Beerwolffs Diener, einen vermeinten Reichstag zu Augspurg, länger dann ein Jahr gehalten, auß lauter Mutwillen, damit er dem Teutschland ins Angesicht speyet, und gedenckt die übrigen Brocken, so Teutschland noch hat, sollend für die Hund zu werffen: auf daß Teutschland so gar verarme, und die Spanische Hund mit Füssen darüber lauffen: das ist der liebe Reichstag, damit der Beerwolff Germaniam vexirt. Da schlemen die Fürsten, und saugen ihre Herrschafften sollent auß.

D XII. Es ist nicht ein Reichstag, sonder ein Beerwolffs-Tag, ein Frauen- und Huren-Tag, ein Epicurische Nacht, und deß Teuffels Faßnacht, da banckatiern die Fürsten mit ihren Frauenzimmern, und Scharhansen, die ihr Vatterland verrathen ha-

ben, so banckatiern die Bischöff, und die E
Epicurischen Säu mit ihren Huren, und Buben. Es geht alles über dich Teutschland, du must das gloch bezahlen, und darzu mit Füssen getretten werden, &c.

En summam Novatorum erga Imperii Principes observantiam. Quid amplius?

XIII. Darzu wöllen die Epicurische Säu zu Augspurg uns fürschreiben, was wir lehrnen, und glauben sollen, *usque ad futurum (ad Calendas Græcas) Concilium.*

XIV. Ich achte, Carolus der Fünfft, id est, ultimus, als der letzte Leschbrand der Römischen Tyrannen muß uns die Letze, und Valete geben, mit seiner Falschheit, und Toben wider die Christenheit.

XV. Noch rühmen, und schreiben die verzweiffleten Heuchler, und ihres eignen Vatterlands Verräther, *Carolum patrem patriæ*, &c.

XVI. Er (Carolus V.) braucht kein F
Mannheit, sonder eitel Tück, List, und Verrätherey, und ist ein Schützer deß Antichrists, und seiner Sodomei. Er kan deß Beraubens teutscher Nation kein Maß finden.

XVII. Der listige Fuchs ist zeitlich darmit umbgangen, wie er *Germaniam* möcht außsaugen, und unter sich bringen.

XVIII. Last uns auch, wie D. Martin Luther sagt, für unsern Herrn GOtt bitten, daß er bey Danielis Prophecey bleiben möge. Dann Carolus meinets nicht gut mit ihm, wolt gern den heiligen Geist zum Lugner machen.

XIX. D. Martin Luther hat vor 10. Jah- G
ren geschrieben, das ist, Anno 1538. Dieser Kayser Carl, sey wie ein Flamm des Liechts, das jetzt ausgehen will.

XX. Rex Ferdinandus ist ein grosser Verräther, und Hasser, beyde GOttes und Menschlichs Geschlechts. Ferdinandus sag ich, *illa facies Diaboli.*

XXI. Er ist ein recht *monstrum hominis, & portentum Diaboli.*

XXII. Solcher Art ist auch Carolus der Tückmeusser, sein hertzliche Freud sihet er jetzt, das Teutschland so verherget, und ausgesogen wird, gleich wie *Nero* seinen Lust sahe, als er Rom an zwölff Orten mit Feuer hätt lassen anstecken.

XXIII. Darumb, gleich wie Nero, nit H
für ein Kayser, sonder für ein Ertz-Feind Römischen Reichs erkandt, abgesetzt, und verdambt ward, also soll billich diesem Beerwolff auch geschehen, &c.

XXIV. Wir solten des Beerwolffs Joch von uns werffen, der alle Städt und Dörffer aufffreffen, und verhergen will.

Hæc & plurima hujus generis alia sunt egregia ista observantis animi in Impp. Reges & Principes Prædicantium argumenta & documenta; quæ hîc jactat Lauserus Prædicans; & quidem in illos Principes, qui-

A bus nihil moderatius, clementius, & manfuetius Sol eo tempore vidit. Imò in eodem Dialogo, ne Lutheranis quidem Principibus parcitur; Nam Mauritius, Dux Saxoniæ non aliter appellatur, quàm **Meister Moritz**: de quo ibidem dicitur. **Daß er zum Schelmen und Verräther am Churfürsten worden: habe sich zu den Ertz-Feinden des Evangeliums** Carolo V. **und** Ferdinando **gesellet,** & Marchio Brandeburgensis Joachimus appellatur, **ein Weibischer Hauptmann oder Oberster, der nie kein blutigs Schwerd** (Sagt D. Martinus Lutherus) **gesehen hat.**

B Dicet fortè Prædicans: Hæc quorundam malè feriatorum convicia & maledicta non debere omnibus Novatoribus adscribi; neque enim omnes similes esse. At nisi Quinti Evangelii genium & indolem non satis assequor; vel dato pignore contendere ausim, omnes non modò pares, sed & parissimos esse; omnes enim verè Lutherani præcones, agitantur & inflammantur spiritu Lutheri; Hic autem nil aliud est, quàm calumniator, conviciator, & sycophanta, quo non maledicentior alter. Qui mihi non habet fidem; is secundum Lutheri spiritum à D. Pistorio vivis coloribus ex ipsis Lutheri Tomis depictum, adeat; & quàm verum sit, quod affirmo, statim perspiciet.

C Clamat Prædicans, utinam non tantùm ex labris, sed etiam ex pectore. *Maledictus, qui summum Imperii magistratum, sub cujus protectione quietam & tranquillam vitam degimus, conviciis, sconmatis, aut sarcasmis incessit.* Maledictus est ergo Lutherus, sententiâ Lauseri; qui tot maledicta & convicia in Carolum V. Imp. & Ferdinandum Regem ex impuro corde suo ejectavit. Maledictus Auctor Dialogi paulò antea nominati, qui Diabolicæ suæ linguæ omnes habenas laxavit, ut effrenatissimè in summos illos Monarchas detonaret. Maledicti omnes illi, qui sparserunt libellos, picturas, & nescio quæ alia; in opprobrium & contemptum potentissimorum & clementissimorum Principum, ut his quasi flabellis populum ad seditionem excitarent.

D Dixeram, convicia, quæ isti largissimè in Jesuitas expuunt, redundare in ipsos Catholicos Principes, qui nobis & se & filios suos multis locis committunt & concredunt. Respondet Prædicans; *hoc non sequi; sicut non sequitur, id quod à nostra parte in Prædicantes dicitur, manare ad Principes Lutheranos, qui Prædicantes fovent ac tuentur; nósque risuros, si quis Prædicantium hujusmodi argumento uti vellet.* Rectè dicis Prædicans; Rideremus, si hunc in modum argumentareris vel tu vel alius. Ratio est; quia Principes vestri nunquam aut professi sunt, aut in posterum profitebuntur tantam unionem & conjunctionem cum Prædicantibus, quantam nostri Principes profitentur cum Catholicæ Ecclesiæ Clericis & Religiosis; ut proinde minimè sit necesse, si quid in Prædicantes dicatur, id in Principum injuriam redundare; quia non estis unum; nec membra unius corporis; hæresis enim non est corpus; sed dissecta quædam & nullo vinculo coagmentata confusio. At fides Catholica corpus constituit, suósque unit ac conglutinat. Ex qua mutua coagmentatione fit, ut, quod his vel illis membris contingit, id aliis itidem contingere judicetur. E

Quàm verò minimè unum sint Prædicantes, & Principes aliíque Magnates, quos Prædicantes seducunt, patet testimonio Lutheri, qui scribit; *Parochos & Prædicatores* (de Lutheranis loquitur) *tantùm non pedibus conculcari, & usque adeò contemptim haberi, ut rustici eorum porcos non ita viliter & inhumanè tractent.* Cùm ergo Prædicantes *porcorum* loco à suis proceribus habeantur; difficile creditu est, eos cum Prædicantibus velle unum esse; si unum non sunt, non igitur illos tangit, si quid in Prædicantes jacitur; nisi fortè etiam villicus tangatur, si quid scommatis aut probri in suem aut scropham ejus vibretur. F Luth. in cap. 7. Matth. Tom. 7. Lat. Witeb.

G Illustre exemplum unionis inter Prædicantes & viros summates suppeditat nobis ille ipse térque quatérque sceleratus Dialogus à Lutheranis conscriptus, & à me antea productus: in quo de Capitaneo, qui copias Saxonicas contra Carolum V. ductabat, horribiliter blasphemare consueto, hujusmodi refertur historiola. **Als er Abt, oder Hauptmann zu Doberlauu war, und der Pfarrherr daselbst so greulich Schwur von ihm höret, begehrt er deßhalben einmal mit ihm zu reden. Der** *Centaurus* **liesse ihn zu sich kommen, da batt, und ermahnet ihn der Pfarrherr, er wolte doch von dem scheulichen Gottslästern, und schwören Ablassen. Da fieng der** *Thraso* **aller erst recht an zu fluchen, hebe dich Pfaff, daß dich jene Marter, Blut, Schweis, Angst, Leyden, fünf Wunden, Veltin, Pestilentz, Veitstantz, Frantzosen schende du Bößwicht, wilst du mich lehren, und regiren? und greift damit nach dem Spies, und wolt dem Prediger sein gebührlichen Lohn geben: aber der Pfarrherr saumet sich auch nicht lang, drehet sich aus, und kam gen Wittenberg.**
Hæc Lutheranus ille Dialogista.

H Dixeram, Hasenmillero non esse habendam fidem, utpote à fide Catholica & religioso Ordine Apostatæ, ídque ex utroque Jure multísque rationibus probaveram. Quid Prædicans? Argutissimè. *Apostatæ non merentur fidem, ergo Staphylus, Rabus, Franckus, Isengrenius, Flaschius & Pistorius non merentur fidem;* probatur consequentia. *Quia omnes isti sunt Apostatæ.* Assentirer, si Prædicans probaret transitionem ab hæresi ad Catho-

A Catholicam Eccleſiam eſſe Apoſtaſiam; & eos, qui ab illa ad hanc transeunt, eſſe Apoſtatas, prout *Apoſtaſiæ* & *Apoſtatæ* vocabula in vitio ponuntur: hoc dum non probat, aſſenſum à me non impetrat. Quod D. Auguſtinus dixit de nomine *ſeductoris*, hoc ego dicam de vocabulo hoc, *Apoſtata*. *Si ſeducere, decipere eſt; nec Chriſtus ſeductor, nec Apoſtoli ejus, nec quisquam ſeductor debet eſſe Chriſtianus. Si autem ſeducere, aliunde aliquem ad aliud perſuadendo ducere eſt, quærendum eſt, unde, & quò? ſi à malo, ad bonum; bonus ſeductor eſt: ſi à bono ad malum; malus ſeductor eſt. In hac ergo parte, qua ſeducuntur homines de malo ad bonum, utinam omnes ſeductores & vocemur, & ſimus.*

S. Auguſt. Tract. 29. in Joan.

B Dicam & ego. Si Apoſtatam eſſe, eſt à veritate ad falſitatem transgredi; nemo Apoſtata eſſe debet; nec Staphylus, nec Piſtorius, neque ullus ex prædictis talis Apoſtata fuit; Si autem Apoſtatam eſſe, eſt à Diaboli caſtris ad caſtra Chriſti transfugere; magni illi viri Apoſtatæ fuerunt; & utinam cum illis omnes Lutherani hujus generis Apoſtatæ fierent: His enim nulla jura, nullæque leges aut rationes fidem abrogant; ſed Apoſtatis primi modi; qui propriè Apoſtatæ & transfugæ, qualis Lutherus, Haſenmüllerus & alii, qui ſe humano divinóque jure per ſuam Apoſtaſiam inteſtabiles reddiderunt.

C Oggannict Prædicans. *Tranſitum à Lutheraniſmo ad Papiſmum eſſe tranſitum à vero ad falſum.* Sed quibus argumentis id evincet ineptus Prædicans? Lutheraniſmus non modò hæreſis eſt, judicio orbis Chriſtiani orthodoxi; ſed & ſententia ſchiſmaticæ Eccleſiæ Græcæ, & Calviniſtarum; nam ùt Lutherani Calviniſtas pro ſectariis habent, ita Calviniſtæ par pari referentes Lutheranos ſectariis accenſent. Num Lutherani hæretici non erunt, donec proprium ipſorum ſuffragium accedet? *Videte*, inquit ſanctus Auguſtinus de Donatiſtis, *quàm facile ſit vel nobis in eos dicere, vel illis in nos, quod ait Dominus Phariſæis: ſimiles eſtis monumentis dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò*

S. Auguſt. lib. de unit. Eccleſiæ cap. 5. Matth. 23.

D *plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia; ſic & vos, à foris quidem apparetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. Hæc ſive in illos à nobis, ſive ab eis in nos dicantur, niſi priùs probetur manifeſtiſſimis documentis, qui ſint; qui, cùm ſint injuſti, juſtos ſeipſos confingant; conviciante magis levitate, quàm convincente veritate dici, quis mediocriter ſanus ignoret? Aliter quippe illa Dominus in Phariſæos dicebat, tanquam Dominus, id eſt, cognitor cordis, & humanorum omnium ſecretorum & teſtis, & judex. Nos autem priùs debemus invenire, & oſtendere, quid arguamus, ne ipſi potiùs graviſſimo crimine inſanæ temeritatis arguamur. Sanè, ſi antè docuerint, nos tales eſſe, nequaquam recuſare debemus talibus ſanctarum ſcripturarum verbis nos reprehendi,* E *atque contundi. Ita, ſi nos eos tales eſſe docuerimus, erit ſimiliter in poteſtate noſtra, quibus Dominicis increpationibus jam demonſtratos, convictósque feriamus.* Hæc pulchrè S. Auguſtinus.

Ad quorum imitationem ac ſimilitudi- F nem ego itidem dico; Apoſtatas, omni reprehenſione dignos eſſe, qui à Catholica religione ad Lutherum ſe transferunt, non autem illos, qui à Luthero ad Catholicæ Eccleſiæ gremium regrediuntur. Quid ita verò? Quia Lutheri doctrinam eſſe hæreſin, jam Chriſtiani & Orthodoxi orbis judicio judicatum, definitum & concluſum eſt. Doctrinam verò, quam nos profitemur, nemo unquam hæreſeos arguit, præter hæreticos, qui hæreſin ſuam neque introducere, neque ſtabilire poſſent, niſi ante omnia orthodoxam doctrinam hæreſeos inſimularent, & hac tam turpi macula apud ſuos aſpergere tentarent. Quapropter jure optimo Apoſtatas vocamus, qui à nobis ad Lutherum; non autem illos, qui à Luthero ad nos tranſeunt; niſi fortè etiam Apoſtatæ exiſtimandi ſunt, qui à Turciſmo, aut Judaiſmo, aut Ethniciſmo ad veri nominis Chriſtianiſmum ſeſe recipiunt. Dico, *ad veri nominis Chriſtianiſmum; quia etiam hæretici habere ſibi Chriſtum* (& Chriſtianiſmum) *videntur*, inquit S. Ambroſius; *nemo enim Chriſti nomen negat, ſed negat Chriſtum, qui non omnia, quæ Chriſti ſunt, confitetur.*

S. Ambroſ. in cap. 9. S. Lucæ.

G Vitio nobis vertit Prædicans, quòd ad convicia Haſſenmülleriana & ad Polycarpica mendacia & maledicta non ſiluimus. Ad quod nihil aliud reſpondeo, quàm illud Salomonis. *Tempus tacendi; & tempus loquendi.* Tacemus non rarò, & ſurda aure vociferationes Prædicantium præterlabimur. Non rarò, vocem ad defenſionem ſolvimus, ſilentiúmque rumpimus, & calumnias ſtylo & calamo amolimur. Utrumque exemplo Chriſti, virorúmque ſanctimonia præſtantium, in primis beati Job, quem cùm multis ſermonibus amici ejus inceſſerent; *Ecce rideo*, ajebat, *in opprobriis, & non loquar; nec reſpondebo convitiis veſtris. Non enim vos eſtis, qui judicatis, ſed qui judicat me, dominus eſt; & ipſius tamen judicii tempus nondum advenit. Quid opus clamare ante judicium? Bonum eſt tacere, dum exſpectatur, qui judicat. Bonum eſt convitium convitio referre, ne & nos inter detrahentes annumeremur. Imitemur ergò hunc virum, qui ſilentio ſuo redarguebat convitiantes. Oſtendebat enim virtutem animi ſui, quem contumeliæ non moverent: & conſcientiæ innocentiam manifeſtabat, qui objecta non recognoſceret, ſed quaſi aliena rideret, &c. Taceamus ergò, ut prætereat (injurioſus) ne veſtimentum noſtrum provocatus exurat. Scriptum eſt enim; Noli* Eccleſ. 3.

Job. 19. S. Ambroſ. lib. 2. de Interpell. cap. 2. 3.

H *incendere carbones peccatoris, ne fortè exuraris*

A *in igne flammæ ejus. Propterea ergo ſanctus tacet; &, ſi ſervus protervit, & ſi pauper conviciatur, tacet juſtus; & ſi peccator opprobria jacit, juſtus ridet: &, ſi infirmus maledicit, juſtus benedicit. Tacebat David, cùm Gera filius Semeì malediceret; Job ridebat; Paulus benedicebat, ſicut ipſe ait: Maledicimur, & benedicimus. Magiſterio quippe divino proceſſus humanæ virtutis excrevit. Quia jam venerat, qui ex infirmis faceret fortiores; & audierat dicentem; Benedicite maledicentes vobis, & orate pro calumniantibus vos.*

1. Reg. 19. Job. 19. 1. Cor. 4. Matth. 5.

B Ideo autem aliquando tacendum eſt; quia *contumelia non præjudicat bonæ conſcientiæ.* Et quòd hoc ita ſit, audi ſanctum Job dicentem. *Nunc obmuteſcam, & derelinquam: ſi nunc mihi præjudicium eſt, tunc à facie tua non abſcondar. Hæc ergo parciùs in exordio reſpondit, ut admoneret illos judicii Dei, atque ab inſolentia, & furore revocatos quaſi bonus medicus faceret reſipiſcere.*

Ibid. Idem S. P.

Sed num perpetim tacendum? Minimè. *Poſtquam enim advertit, eos,* beatus Job, *perſeverare in contumeliis, plura fortiora repetivit, & tanquam pugno eos validiore percuſſit, qui verborum ſuorum ſaxis lapidabant innoxium. Audite, inquit, audite verba mea: non ſit mihi, à vobis conſolationem quærere, portate mei; quia fortiora loquar: grave erit pondus verborum meorum.*

Job. 21.

C Tacuit ergo Job initio. Sed cùm nullum moleſtiæ inferendæ finem facerent, ſilentium reſponſo commutavit, & priorem taciturnitatem Reſponſionis gravitate & ubertate compenſavit. Eadem nobis mens eſt, aliiſque orthodoxis, quando à Novatoribus publicis ſcriptis proſcindimur, & laceramur: Tacemus, ſed ita, ut taciturnitas veritati nullum præjudicium creet. Quanquam ſi noſtra duntaxat cauſa ageretur, neque Prædicantium impudens calumniandi & mentiendi libido ad alios virus ſuum tranſmitteret, ne verbulo quidem ullum Lutheranum aut Calvinianum Sycophantam dignaremur, ſed potiùs rideremus; *Quid autem pulchrius,* inquit S. Ambroſius, *quàm ridere, cùm maledicitur nobis? Gaudere enim debemus, ſi aliena dicantur. Primùm quidem, quia volens inimicus aliquid dicere adverſum nos, quo crimen affigeret, non invenit, quod verum eſt; ſed falſa pro veris compoſuit. Deinde, quia dixit ipſe Dominus in Evangelio de hujusmodi criminatione, quæ innocentibus falsò irrogaretur propter juſtitiam: Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælo, &c. Tacere debet etiam ille, qui de memorata mercede præſumit. Non enim patitur præjudicium, cui non eſt judicium. Et, ſi fuerit præjudicium in ſeculo, non erit in judicio Dei.*

S. Ambroſ. loc. cit.

D Verùm enimverò quæſtioni Polycarpicæ de noſtra defenſione nemo meliùs ſatisfaciet, quàm ipſe Polycarpus, qui rogatus, cur Crellianis hæredibus reſpondere voluerit; hanc cauſam reddidit. **Dieweil man im Sprichwort zu ſagen pfleget, man ſehe einem Lugner ſo tieff in Rachen, als einem Wahrſager: und dieweil die Beſchuldigung einer erregten Aufruhr, nit ein ſolche** Injuria **iſt, die ein ehrlich Mann mit Gedult über ſich hingehen laſſen köndte.** Habes, præco, verbis tuis cauſam dati reſponſi. Quàm pulchrè autem ſuſpicionem concitatæ abs te ſeditionis Braunſweigæ amoliaris, evidenter intelligent, qui tuum tractatulum contra Crellianos hæredes perlegent. Tam innocens es ab hoc crimine, quàm inſons olim præco Millerus à ſcelere turbatæ quietis & pacis in Auguſtana Republica.

E

F

Cupit ſcire Prædicans, quis ille fuerit, qui Jeſuitis affirmârit, Haſenmüllerum, verſa in fuliginem facie, extinctum eſſe. Mi Prædicans, licèt nomen exprimerem, non nôſſes. Ego hominem familiariter novi. Norimbergenſis fuit, primò Lutheranus, Deinde Catholicus. Mox rurſus Lutheranus, ſcelere Heliæ, cui ſe incautus addixerat: Cum Helia ad Lutheranos abiit. Morienti adfuit, Inuſitato mortis genere ſalubriter perterrefactus, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium revolavit, & Viennæ in Auſtria piè & catholicè ex hac vita migravit, ſartor opificio, filius Prædicantis, Lucas Peüſchle, nomine. Quid vis amplius? Num ſatisfactum tuo deſiderio, ô Prædicans?

G Petiveram à Lauſero, ut crimina, quæ de Ordine noſtro in Hiſtoria Jeſuitica diſſeminavit, juridicè ad Judicem aliquem deferret, & calumniatoris perſona in legitimi accuſatoris habitum tranſmutata, malefacta nobis intentata certis productis teſtibus ex juris & æqui forma probaret. Quid præco? *Appellat ad tribunal Chriſti.* Ita ſolent Prædicantes; quando effugium nullum inveniunt, ad Chriſtum Judicem provocant. Quaſi verò neſciamus, quis in altera vita ſit judiciariam ſententiam pronunciaturus. At nimis ſerum eſt eò uſque ſententiam differre; tum quia parti, quæ cauſa cadet, nullus pœnitentiæ agendæ locus relinquetur; tum quia interea multi per hujusmodi mendacia & mendacium magiſtrorum criminationes & maledicta ſeducuntur, &, quæ falſiſſima ſunt, pro veriſſimis reputant; quorum ſaluti conſuleretur, ſi talium ſycophantarum improbitas in hùjus vitæ ſtatu patefieret.

H Ait tandem Prædicans; ſed timidiſſimè, ſe in hac etiam vita æquos judices non reformidare; ſibi enim non deeſſe teſtes, quibus Hiſtoriæ à ſe vulgatæ fidem adſtruat. Et quinam illi teſtes? Quidam Anonymus; cujus ipſemet nomen edere non audet, tam ſcilicet probæ & probatæ fidei teſtis eſt.

Præ-

A Præterea *Equiſo* Polonus; ex quo novendecim pagellis tranſcriptis grandiorem ſuam præfationem fecit ſterilis iſte in ſcribendo; ſed in mentiendo fœcundiſſimus Prædicans. His teſtibus cinctum in forum ſe venturum, quamvis trepidè, ùt dicebam; pollicetur. Sed veniat, obſecro; nos Nicephorum Gregoram nobiscum afferemus, in cujus libro primo Andronicus Palæologus Imp. Conſtantinopolitanus adverſus hujusmodi falſiloquos & barbaros ſycophantas & criminatores graviſſimè perorat, eorúmque extremam nequitiam luculentiſſimis coloribus depingit. *Hi*, inquit, *admiratione omnium maxima me affecerunt, qui tam falſa maledicta ſua mandare litteris non dubitârunt:* (quos inter primas jure ſibi repoſcunt Lauſerus & Haſenmillerus) *Nam convicia, quæ lingua proferuntur, ſtatim aura diſſipat. Quæ verò conſcribuntur, & libris imprimuntur, diutiùs, & graviùs eos, quos læsêre injuria, premunt: autoritate à ſcriptura petita, & longo tempore ſe jactante.*

B At qua ſpe ad Diabolica iſta convicia effundenda chartísque illinenda accedunt? Audi Imperatorem. *Neſcio, quâ gratiâ, hæc facere ſtudeant, aut cujus lucri ſpe in talia præcipitia incurrant. Nam, ſive ut ſingularem ſuam improbitatem expleant, adeò falſa maledicta congerunt, malè faciunt, ac turpiter admodum, ſuóque, quod ajunt, capiti nocent. Nam improbitatis ſuæ monimentum produnt poſteris, quòd, cùm benè dicendo, & celebranda veritate innoteſcere auditoribus licuiſſet, plauſtris conviciorum in innocentes effundendis ſemetipſos traducere publicè maluerunt: haud ſecus, ac ſi is, cui liceret in terra continente beatè, ſecuréque vivere, in Atlantici maris tempeſtatem, ac fluctus ultrò ſe conjiceret. Scelerum porrò exempla ſcriptis ſuis proponere*

C *poſteris, & interitus eorum ſponte reum fieri: id verò quæ præcipitia non meretur, cùm duplicibus, aut triplicibus criminibus ſeſe obſtringant? Quas enim res, ùt inſolitas civitatibus, & improbatas, quàm longiſſimè exterminaturi, & abominaturi erant; eorum metu, quibus & inſectari, & urbibus eas exigere promptum eſſet, quemadmodum olim Athenis ex albo judicum delebant per fraudem inſcriptos, & republica indignos; has jam cupidè amplectentur, ut & ab aliis antè factas, ac probatas, & à conſuetudine non abhorrentes. Solent enim homines quorumvis criminum rei, ſuam imitationem ad exempla veterum referre, ut cauſam habeant invehendi in eos, qui illa arguere inſtituerint.*

D *Sive igitur hac de cauſa ita conviciantur, & mentiuntur, multùm falluntur: ſive ob diuturnitatem ſcriptorum ſuorum, etiam ſic procul à ſcopo aberrant, infirmis rationum ſuarum jactis fundamentis. Sciunt illi quidem forſitan, vulgi aures inſectatione aliorum, quàm collaudatione magis delectari, ac injurias, quàm* E *rectè facta libentiùs legi, quamvis illas prolixa mendacia venditent; hæc verò lux veritatis antecedat: eóque ſic hiſtorias ſuas componunt, ut ii, qui multis ſæculis pòſt futuri ſunt, eas longiſſimo tempore cum voluptate legant. Nec in hoc vel juſtitiæ præſidem animis intuentur, vel æqua, & recta judicia bonorum virorum reverentur. Quæ res non adeò illis obeſt, quos vituperant, quàm ipſis obtrectatoribus. quòd & homines cordati malis ſuſpicionibus adverſùs illos conceptis, quæ mille probris ſcatent, eos inter improbos perpetuò numerabunt: & Deus, juſtitiæ præſes, linguas eorum gravioribus pœnis perſequetur. Atque etiam interdum ex ignoratione veri, & imperitia rerum,* F *quæ à quovis audiêrint, priuſquam expendant, ſintne probabilia, & veritati conſentanea; an verò, abſurda, & ab ea prorſus abhorreant; ſic illa chartis illinunt, ac memoriæ mandant, eásque cauſas afferunt, quæ nullæ ſunt, & ea dicunt, quæ neque facta ſunt, neque omninò fieri poſſunt: quales eſſe Platonis ideas accepimus, & tragelaphos ex Indicis monſtris, in Aſia narrari ab iis, qui figmenta figmentis cumulant, ut majorem in animis auditorum admirationem excitent.*

G Hæc præclarè Andronicus Imperator apud Gregoram. Qui mihi quidem poſt aliquot ſæcula naſcituros impoſtores Polycarpum & Haſenmüllerum faberrimè expreſſiſſe & efformâſſe videtur; quorum incredibilis prorſus in lædoriis & pſeudologiis fundendis audacia, omnes humanæ modeſtiæ & verecundiæ fines tranſcendit; quod in Refutatione Hiſtoriæ Jeſuiticæ & lippis & tonſoribus notum feci, ùt & Interpres mei libri Germanicus, qui rudi duntaxat Minervâ, mendacia annotans mille ducenta octodecim ſplendidiſſima numeravit, numeraturus totidem vel plura, ſi ſubtiliùs in hæc monſtra inquirere libuiſſet.

H Jam finio; ſed verbis S. Baſilii, qui quæ à Monachis ſuis adversùs calumniatores ſuos poſtulavit, eadem ego poſtulo ab erudito, benigno & benevolo lectore meo adversùs Sycophantas & Criminatores Ordinis mei. Quid igitur D. Baſilius? *Impoſſibile eſt, ut literis noſtris accuſantium nos ora cohibeamus; imò credibilius eſt, noſtris illos apologiis irritari quoque, ut majora, ac pejora contra nos machinentur. Interea tamen veſtras communire aures non eſt difficile. Itaque quod veſtrum eſt, facietis; ſyncerum nobis, & quod nullis ſit calumniis corruptum, conſervabitis pectus: &, ſi quid criminis nobis objicitur, illius à nobis rationem exigetis: &, ubi veritatem apud nos deprenderitis, non dabitis locum mendacio. Si verò nos in reddenda ratione deficere ſenſeritis, tum demum accuſatoribus*

S. Baſil. epiſt. 73.

A bus noſtris, tanquam veracibus fidem habebitis. Vigilant illi in hoc, ut nobis noceant. Hoc à vobis non requirimus. Nundinariam vitam exercentes, quæſtuariam ſibi reddunt, quam nobis intentant calumniam. Vos verò obſecramus, ut domi maneatis: honeſtéque vivatis, opus Domini cum ſilentio perficientes. Congreſſus ſanè illorum ſubdolos, & ad ſubverſionem audientium inſtructos declinetis; ut & dilectionem erga nos ſynceram cuſtodiatis, patrúmque fidem infractam, ac ſanam ſervetis: & apud Dominum, tanquam veritatis amici probati deprehendamini.

B S.Baſil.orat. de invidia, & odio. *Ad Calumnias conticeſcere non oportet*, inquit idem S. Baſilius, *non, ut contradicendo nos ipſos defendamus; ſed, ne mendacio progreſſum permittamus, circumventósque damno affici patiamur. Calumniator enim tribus* C *ſimul perſonis nocumento eſt: nam & eum lædit, quem calumniis onerat; &, quibuscum ſermonem habet, denique ipſe ſeipſum. Scire enim vos velim, quòd contumelias imponere, & detrahere aliquibus petulanti lingua, ac mente minimè candida, improborum, & eorum, qui hominibus odium conciliant, opus ſit: at, omni ſtudio conari mendacium refellere, virorum eſt frugi, ac eorum, qui & ſibi ipſis benè conſulunt, & multorum ſecuritati ſtudent.* D *Quamobrem perverſitatem priorum fugiamus; talium verò vitæ ſtatum imitatione exprimere contendamus, ut bona futura conſequi poſſimus in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui gloria, & potentia, nunc & ſemper ac in perpetuum tribuatur,*

Amen.

HISTORIA PARALLELA VITÆ DOCTORIS MARTINI LUTHERI ET MARTINI EPISCOPI TURONENSIS.

CONSCRIPTA

A

M. ELIA HASENMILLERO,

AUCTORE HISTORIÆ ORDINIS JESUITICI.

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

ATris cum tenebris lucem, cum dæmone Chriſtum
Cúmque bono vitium comparat iſte liber.
Cui tenebras igitur luci, cui Dæmona Chriſto,
Cuique bono vitium præpoſuiſſe placet:
Hic aliud quid erit, niſi virtutísque bonique
Contemptórque Dei, & noctua noctis amans?

POLYCARPO LAUSERO,

Evangelii ſecundùm Martinum MINISTRO,

HELLEBORUM ET MILLE ANTICYRAS PRO SANO OCCIPITE ET SINCIPITE.

VIxit ſuperioribus proximis annis, in uno aut altero Societatis JESU Collegio, præclarus quidam novitius nomine Elias Haſenmiller, absque dubio compluribus Prædicantibus non ignotus. Is pro ſingulari ſua, qua in virum Dei D. Martinum Lutherum ferebatur affectione, quàm diligentiſſimè divi Martini Turonenſis Epiſcopi, & D. Martini Lutheri mores, conſuetudines, & doctrinam, obſervabat, perſcrutabatur, addiſcebat, connotabat, eorúmque res geſtas παραλλήλως, veriſſimè quidem, ſed ſtilo non ſatis apto, complexus aliis legendas offerebat; idque omne eum in finem, ut poſtquam utriusque facta ritè & perfectè perſpecta fuiſſent, judicarent; cùm ipſe; tum alii, uter potiùs ſequendus eſſet, Martinus Turonenſis, an Martinus Islebienſis.

In hanc parallelam hiſtoriam ipſius leporini Molitoris manu, anno 1583. ſcriptam, & 22. Novembris abſolutam, cùm ante paucos dies incidiſſem, metui, ne piaculum committerem, ſi eam ſupprimerem, neque per typos immortalitati conſecrarem. Planè enim mihi perſuadebam, fieri non poſſe, quin magna voluptate, & pari utilitate paſſim legeretur, ab illis præſertim, qui ejusdem auctoris hiſtoria de Jeſuitico Ordine delectantur. Nam cauſam nullam videbam, cur mera mendacia, figmenta & commenta de Jeſuitis fabulosè narranti crederent; hîc autem ex Sulpitio aliísque probatiſſimis ſcriptoribus certa, explorata, & totius terrarum orbis conſenſu teſtata, recenſenti fidem dare abnuerent. Has ergo Martinorum Turonenſis & Islebienſis antitheſes typis plenè adornatas, & ùt ab auctore perſcriptæ ſunt, ne verbulo quidem addito detractóve immutatas, ad te, Lauſere Prædicantium omnium, quamvis indoctorum, indoctiſſime, mittere volui, non quia neſciam argumentum hoc multò ornatiùs & luculentiùs explicari poſſe; ſed quia exiſtimem, teſtimonium illius tui Heliæ de tuo Luthero, apud te tuósque non exigui ponderis auctoritatem habiturum. Tu ſuſcipies has antitheſes ea, qua volueris benevolentia, & hujus tui veteris mancipii conſignationem recognoſces. Quòd ſi in quibusdam pauciora de Martino Luthero retulit, quàm rerum ab illo geſtarum amplitudo requirit, tu cum ſociis, quorum opera in Molitoris tui hiſtoria uſus es, defectum illum ſupplebis. Et quæ nunc damus, in gratiam tuorum Brunſvvicenſium & Saxonum, in Germanicam Linguam vertes, vel certè plebeculæ ſeductæ ex loco ſuperiori fideliter explicabis, ſi tamen Brunſvvigæ adhuc cathedram obtines. Nam fama fert, te ob præfationem in librum quendam Kemnitii, à te Germanicè verſum, plenam aculeis in nonnullos Principes, inprimísque tuum Dominum, ſolum vertere juſſum, quod felix fauſtúmque ſit. Crede mihi, meliùs locabis operam, ſolum vertendo, quàm libros Kemnitii: optarem omnibus Prædicantibus id negotii dari. Denique hæc Eliana, donec alius quispiam utriusque Martini mores & geſta pleniùs perſcripſerit, boni conſules. Scriptum in Academia Ingolſtadienſi Evangelii veſtri patrona & fautrice ſingulari. M. D. XCIII.

LUX

LUX.

S. MARTINUS EPISCOPUS.

I.

A BEnedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, quoniam gratiarum charismatibus replevit eum; quem etiam omnes in Christum credentes benedicunt, laudant & beatum prædicant.

II.

S. Martinus est unus ex maximis Sanctis.

III.

S. Martino gratiarum charismata non divisim, sed collectim contulit Deus.

IV.

S. Martini fuit admirabilis & virtuosa vita à pueris.

V.

B S. Martinus ex militari prosapia ortus, & gentilium filius, invitis suis parentibus Christum quæsivit; & decimo vitæ suæ anno ad Ecclesiam venit: & Catechumenus factus, mirum in modum se dedit ad virtutum actus: cúmque esset duodecim annorum, intravit in sanctam Eremitarum vitam.

VI.

S. Martini cor circa Monasteria atque Ecclesiam semper fuit intentum.

VII.

C S. Martinus Imperatore mandante, & patre hortante, militare compulsus est pro patria.

VIII.

S. Martinus uno fuit servo contentus, & ipse sæpiùs ministravit illi.

IX.

S. Martinus circa commilitones suos tantæ fuit charitatis & benignitatis, tantæ patientiæ & humilitatis, quòd eum omnes miro venerabantur affectu, ac intimè diligebant.

X.

D S. Martinus licèt esset miles, immunis tamen mansit ab omnibus vitiis, quibus tales viri solent involvi.

XI.

S. Martinus tantæ fuit sobrietatis & temperantiæ, ut non miles, sed Monachus videretur.

XII. S. Mar-

TENEBRÆ.

INFELIX MARTINUS LUTHERUS.

I.

BEnedictionem acceperat à Domino, sed propria nequitia eam in sui & multarum gentium maledictionem convertit improbè superbus, propterea maledicunt eum omnes gentes terræ & damnatum declamant. E

II.

Lutherus omnium hæresiarcharum pronymphus.

III.

Luthero cunctas dæmonum nequitias & hæresium astutias suppeditavit Sathanas.

IV.

Lutheri ignobilis & vitiosa vita à teneris.

V.

Lutherus de obscuro metallicorum hominum genere natus, & Catholicorum filius, initio dissuadentibus parentibus, hæreses quæsivit; & ANNO Christi 1517. ex Ecclesia & arca Dei prodiit; seséque ceu alter Proteus ad omnium vitiorum sentinam provolvit: ordinem reliquit, & apostata, suæ Matris, religionisque factus est persecutor, ingrediens vitam mundi in maligno positi. F

VI.

Lutheri animus, ceu canis in culina, semper anhelavit ad mundi & Ægypti ollas.

VII.

Lutherus contra omnia Cæsarum decreta, invitis Deo hominibúsque piis, militavit cuculus ingratus contra patriam & Ecclesiam. G

VIII.

Lutherus homo superbissimus servos, quos habuit, seduxit, & subditos in Magistratus commovit, eorúmque plurimos in bello rusticano trucidari curavit.

IX.

Lutherum ejus asseclæ, ubique hominem superbum clamitant; eum magis ex calore animi quàm veritatis fervore sua scripsisse, Calviniste ejus soboles vociferantur: eúmque astorgum, immitem, superbum, & mendacem multis in locis, demonstrant.

X.

Lutherus licèt fuerit Monachus, tamen omnibus se dedit vitiis mancipium, factúsque est ἔμψυχον *libidinis &* ἀσωτίας ὄργανον. H

XI.

Lutherus tantæ fuit ebrietatis, & incontinentiæ, ut aliquando in sympostio non solùm Symbolum Apostolorum, sed etiam Decalogum in vitro epotandum alicui propinaverit, adeò in potando strenuus, ut non Lutherus, sed alter ille Ciceronis Antonius fuerit visus.

S. Martinus Episcopus.

XII.

A S. Martinus misericordissimus fuit & liberalissimus circa egenos.

XIII.

S. Martinus cùm adhuc esset in armis, non cessavit omnia sibi superflua dare pauperibus, nudos vestire, indigentes nutrire, miseris subvenire.

XIV.

B Tempore hyemali S. Martinus cùm nihil haberet, quod posset largiri pauperi præter chlamydem, arrepto gladio suo divisit chlamydem, dedítque pauperi partem.

XV.

S. Martinus vidit in spiritu Christum parte chlamydis pauperi data vestitum, atque ad Angelos audivit dicentem; Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste operuit. Quibus conspectis non inaniter gloriatus est, sed pietatem Dei agnoscens & gratias agens, baptizari se fecit.

XVI.

C S. Martinus factus Episcopus, cùm tempore hyemali quadam die ad Ecclesiam pergeret, pauper seminudus petivit sibi ab eo necessaria dari: Mox ergo S. Martinus Archidiacono suo jussit, ut sine mora vestiret pauperem illum algentem. Quod cùm Archidiaconus implere differret, pauper sequutus est S. Martinum usque in Secretarium, conquerens se ab Archidiacono derelictum. Mox ergo Martinus propriam vestem secretè exuit, ac pauperem ea indutum præcepit abire. Ecce quàm liberalissima pietas, & piissima liberalitas.

XVII.

D S. Martinus profundissimæ fuit humilitatis. Nam &, antequam baptizaretur, frequenter calceamenta suo servo extraxit atque extersit: & ad eandem cum eo comedit mensam, manducantíque servo sæpè servivit.

XVIII.

S. Martinum B. Hilarius Doctor ac Pontifex, volens facere suum Diaconum, sæpissimè restitit, indignum se clamitans: sed cùm B. Hilarius præcepisset eum esse Exorcistam, humiliter acquievit.

XIX.

Infelix Martinus Lutherus.

XII.

E *Lutherus immisericordissimus rusticos pauperes in rebellionis vitium pertraxit, ac eos deinde omnibus bonis & vita spoliari præcepit, & pauperibus religiosis, prædo nefandus, sua rapuit.*

XIII.

Lutherus cùm esset in præda contra Ecclesiam, non quievit Harpyias, necessaria religiosis surripere, dare mulieribus, vestitos denudare, egenos spoliare, miseros opprimere religiosos, sed & templa funditus destrui curavit multa.

XIV.

Lutherus sub tristi Ecclesiæ hyeme, tunicam Christi divisit, partémque sibi, partémque Magistratui ipsi obedienti, partémque Nonnæ à se ad incestum raptæ, partémque filiis suis ἀθέοις & procacibus divisit.

XV.

F *Lutherus interdiu noctúque sæpè vidit diabolum, humana dispositione personatum, atque ipsi dicentem audivit: Abroga Missam; defere Ecclesiam; & tibi omnia, quæ desiderat cor tuum, dabo. Quibus auditis Lutherus de Sathanæ familiaritate gloriatur se modium salis cum eo consumpsisse; móxque dæmonis consilium acceptans, Deo ingratus, se degradari quærens, omnia divina & humana sacra temerario ausu disturbare tentavit: & in iis tyrannicè jubilavit.*

XVI.

G *Lutherus factus Apostata cùm ad Ecclesiam hæreticam suam inchoandam festinaret, à Principibus, & Viris novitatis & inobedientiæ studiosis, sibi latibula & funesta auxilia quæsivit. Mox etiam Principibus & aliis rebellioni deditis mandavit, ut rupta mora, monasteria spoliarent, Ecclesias seu templa destruerent, fœminas religiosas prostituerent. Cúmque tardiùs & mitiùs agere viderentur Luthero, ipse linguam suam ceu gladium suum acuit, Principes Germaniæ stultos scripsit: Rusticos concitavit: & suam sub scamno protrahens hæresim, miseras illorum animas decepit, eos ex Ecclesia ire coëgit, & ad tartara misit. Ecce quàm tenacissima pietas, & impiissima avaritia & tenacitas.*

XVII.

Lutherus extremæ fuit superbiæ. Servis Dei omnia eripuit, ab ara foróque Dei, ùt dicitur, illos repulit, & omnes à se longo suspendit naso, dicens; Non volo judicium, sed volo obsequium. Omnia egit per contentionem, per inanem gloriam, ac Ecclesiam suis exuit bonis, eáque abligurivit porcus, cujus mensa nulli patebat honesto, omni verò sacer erat inhonesto.

XVIII.

H *Lutherum Diabolus Doctor Tenebrarum & Pontifex hæresium, facturus eum Antichristi prodromum, nunquam ei restitit; sed promptum & vividum ipsi se præbuit instrumentum: & cùm præciperet ei contra indulgentias scribere, velociter obedivit.*

XIX.

S. Martinus Epiſcopus.

XIX.

A S. Martinus patientiæ fuit maximæ. Cùm enim iter arripuiſſet viſitandi ſuos parentes, ut eos ad fidem Chriſti converteret, & incidiſſet in latrones, unus illorum duxit eum ſeorſum, ſciſcitans, an timeret. Cui reſpondit B. Martinus, ſe nunquam fuiſſe ita ſecurum, quia ſciebat miſericordiam Dei, maximè in tribulationibus affuturam.

XX

B S. Martinus dehortatus eſt latronem, convertit eundem, reduxit quoque ad Catholicam fidem & matrem ſuam; ſed pater ſuus in gentilitate obſtinatus permanſit.

XXI.

S. Martinus ab Arrianis etiam graviſſimas ac frequentes toleravit perſecutiones: virgis cæſus eſt ab illis publicè, & civitate pulſus.

XXII.

C S. Martinus quodam die aſino ſedens, obviavit equitibus, quorum equi ex ſubito ejus occurſu perterriti (nam nigro pallio fuit opertus) cœperunt inde effugere. Tum viri illi B. Martinum graviſſimè percuſſerunt, ignorantes, quis eſſet. Nam ejus Clerici ſequebantur. Ipſe verò nihil loquens & patientiſſimè ferens, tergum ſuum præbuit eis cædendum.

XXIII.

D S. Martinus tantæ fuit patientiæ & charitatis, ut eum, qui ſibi præ omnibus clericis ſuis moleſtior fuit, videlicet Briccium, obtinuerit à Deo ſuum eſſe in Epiſcopali officio ſucceſſorem: quin teſtante Severo, tantam adverſus omnes injurias patientiam aſſumpſit, ut, cùm eſſet ſummus ſacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur, neque ob hoc eos unquam à loco eorum removit, nec à ſua repulit charitate.

XXIV.

S. Martinus gratia prophetiæ extitit plenus, & multa ſecreta ac futura ex Angelorum revelatione cognovit.

XXV.

infelix Martinus Lutherus.

XIX.

E *Lutherus omnis iræ & impatientiæ fuit dolium. cúmque relicto monaſterio fœdifragus ad parentes iter inſtitueret, ut eos à Catholica fide abduceret, plurimos dæmones habuit comites: & cùm unus eorum ex illo interrogaret, Utrum vellet contra Miſſam, contra Papam, contra ſanctos Dei ſcribere, reſpondit, longa cum Sathana diſputatione habita, ùt ipſe refert, ſe nihil intermiſſurum, quæ in Miſſæ contemptum, in Papæ contumeliam, & in Sanctorum ignominiam ſint factura. Qua in re propitiam Dæmonis ſenſit familiaritatem.*

XX.

F *Lutherus non dixit Sathanæ, Abi poſt me; ſed cum ipſo diſputavit ſæpius, eúmque in conſiliis habuit principem; pervertit ipſe & Patrem & Matrem ſuam, ambóque in filii hæreſi obſtinati perièrunt Eislebiæ.*

XXI.

Lutherus, & quem ſequitur Schmidelinus, Arrianorum revocant hæreſes, maximè omnium Lutheri diſcipuli Calviniſtæ, nihil minùs quàm Veritatem ferunt Catholicam: ideò eam ùt Arriani Martinum S. perſequuntur; ac Catholicos Dei unctos cædunt, patria pellunt, & interimunt: Loquitur Anglia: Clamat Tubinga.

XXII.

G *Lutherus beſtiæ ſeu diſputationi, Anno Chriſti 17. Witenbergæ, inſidens, eáque in occurſum feſtinans Principum & Saxonicorum populorum; mox conticuêre omnes, intentique ore tenebant, (Nam magno clamore, & nigro Doctore obſeſſus erat Lutherus) & cœperunt hinc inde diſcurrere, conventicula inſtituere, Catholicos perſequi, Eccleſiam Matrem prodere, ſcientes viventésque Chamitæ, Pontificem Antichriſtum dicere. Ad quod Lutherus frigidam ſuffundebat; ac impatientiſſimè ferens, ſi qui Catholicos defenderent, eorúmque terga, qui à Catholicorum parte ſtare videbantur, ſuis lictoribus cædenda tradidit, Judásque multos poſt ſe contra Chriſtum traxit.*

XXIII.

H *Lutherus factus Apoſtata, tantæ fuit indignationis & odii in omnes ſui ordinis Auguſtinianos, cæterósque Clericos, ut non modò ſibi non moleſtiores, ſed etiam benefactores ſummos ejecerit, ſacerdotali dignitate ſpoliârit. quin factus Doctor, omnes ſibi contradicentes, Sathanæ tradidit; in exilium ejecit; honoribus privavit; nullúmque niſi ſuæ hæreſeωs patronum ſucceſſorem admiſit. Gemit Saxonia; Id plorat Anglia; ejulat hoc Wittenberga, &c.*

XXIV.

Lutherus non ſemel de ſe ipſo teſtatur, quòd cum Sathana modium ſalis conſumpſerit, & ab eo ſuam de Miſſa doctrinam didicerit. Dæmon ergo fuit ejus Angelus & Propheta, qui ipſum futura (quorum falſa ſcripſit multa, ùt libri ejus clamant) edocuerunt.

S. Martinus Epiſcopus. Infelix Martinus Lutherus.

XXV. XXV.

A S. Martinus ſuis orationibus, adſtantibus & adjuvantibus eum Dei Angelis, Gentilium, & Idolorum evertit templa.

Lutherus ſua ſtentoria voce, tuentibus eum Dæmonibus, Chriſti, beatæ Mariæ, ac Sanctorum ſolo æquavit templa, offerentibus manus ipſi auxiliatrices principibus & populis à ſe ſeductis. E

XXVI. XXVI.

S. Martinus geſta cujusdam Synodi ſcire appetens, de Angelo bono, cuncta percepit & probavit.

Lutherus ſuarum ſynodorum facta, à Dæmone, ùt ipſe docet, hauſit: ſanctorum autem concilia omnia blaſphemus improbavit, dicens; Omnes periêrunt, ſi ita ſenſerunt, uti ſcripſerunt.

XXVII. XXVII.

B S. Martinus hortatus eſt Maximum Imperatorem, ut Italiam peteret, & prælium contra impium Valentinianum, in bonum patriæ & Eccleſiæ committeret. F

Lutherus tentavit, Cæſares, Reges, Principes, Comites, Barones, ac Nobiles, contra Eccleſiam: cives, ruſticos, & opifices, contra Cæſarem, Reges, & Principes; Hos omnes contra Chriſti Vicarium, in panoletriam patriæ atque Eccleſiæ ſanctæ oppreſſionem. Clamat Ruſticanum bellum, gemit Belgium, dolet Anglia, jacet pars Galliæ magna, &c.

XXVIII. XXVIII.

S. Martinus certè fuit quaſi Apoſtolus ſui temporis; ipſe erat ſplendidiſſimum lumen Eccleſiæ; Decus omnium præſulum; Gemma gratiſſima ſacerdotum; Gloria cunctorum Chriſtianorum.

Lutherus noſtri ſeculi manet Pſeudoapoſtolus; Tenebræ & Nox Eccleſiæ; Fax Germaniæ; Dedecus omnium Prædicantium; Infamia cunctorum ſibi adhærentium Germanorum; Vertex, finis, & cloaca omnium hæreticorum.

XXIX. XXIX. G

S. Martinus multa prædixit futura, quæque evenerunt. Dæmones conculcavit, ejecit, effugavítque.

Lutherus multa prædixit falſa, ùt ſuo tempore venturum ultimum judicium, ſe mortem Papæ & Catholicorum eſſe, &c. Dæmones conſuluit, iis ſe ſubjecit, & mancipium dedit, cum multis animarum millibus.

XXX. XXX.

C S. Martinus hæreticos conſtantiſſimè expugnavit, & ceu lupos ab ovili Chriſti repulit.

Lutherus Hæreſiarcha, quaſi ex orco & ab inferis omnes antiquas revocavit hæreſes, paſtores ejecit, lupósque & mercenarios conduxit, operarius iniquitatis.

XXXI. XXXI.

S. Martinus erat ſpiritualis pater Religioſorum, Patronus & Magiſter Monachorum Deo ſervientium.

Lutherus ſe ipſum peſtem omnium ſanctorum religioſorum vocavit, réque præſtitit ἄθεος, Verres Eccleſiaſticorum bonorum, & Sicarius imò Latro omnium bonorum; factus verò eſt Patricius & Cancellarius omnium hæreticorum, portúsque diabolo poſt ventrem, qui illorum Deus eſt, ſervientium. Ipſe vidi & expertus ſum.

XXXII. XXXII.

S. Martinus de ſuo monaſterio non facilè poterat avelli ac educi, ne fortè aliquam mentis læſionem incurreret, vel hauſtam in abſcondito devotionem minueret vel amitteret.

Lutherus minimè niſi Dæmone ſuadente, monaſterio exivit: libidinis telo mentem ſauciam inceſtuoſo connubio ſatiavit: omnémque DEI ſpiritum amiſit, & homo perditionis eſt factus. Quod ipſe docet, dum ſuas cum dæmone habitas recenſet diſputationes.

D *XXXIII.* XXXIII. H

S. Martinus ad exemplum beatorum Martyrum & Confeſſorum, ſolitariam & abſconditam amavit vitam, ut eò tutiùs ac liberiùs in ſpiritu mentis ſuæ Deo ſervire poſſet, ùt etiam ſacra id probant vitæ genus teſtimonia. Matth. 6. Pſal. 30. Oſe 2. Matth. 14.

Lutherus ore blaſphemo multis in locis eremiticam & in Domino vitam abſconditam, ceu diabolicam ac fugiendam calumniatur. Hinc ſeculum in maligno poſitum ingreſſus ſeculo placuit, ſeculo ſervivit, ſeculi præmium, id eſt, æternam Dei indignationem, & piorum maledictionem aſportavit.

XXXIV. XXXIV.

S. Martinus Epiſcopus.

A

XXXIV.

Sacratiſſimus præſul Martinus, Epiſcopatu aſſumpto, ſic epiſcopale explevit officium, ut propoſitum vitæ, & habitum, nequaquam relinqueret.

XXXV.

B

S. Martinus mente quietus, ſuo in Epiſcopatu devotè Deo ſerviens, ſæcularia non admiſit negotia: inſtituitque ſibi extra Civitatem domicilium in loco ſolitario, & ab hominibus prophanis remoto: atque ſuis cum diſcipulis pacificè & temperanter vixit: vili & exigua, utpote ex pilis Camelorum, veſte contexta cum ſuis utebatur, ſimplicíque victu contentus erat.

XXXVI.

C

S. Martinus totus orationi fuit deditus, in eo dolus non fuit, neminem judicavit, neminem damnavit, nulli malum pro malo reddidit. Nemo unquam illum vidit iratum, nemo ridentem. Unus & idem ſemper. Nunquam in ore illius niſi Chriſtus, nunquam in corde illius, niſi pietas, pax, miſericordia fuit. Aliorum, & obloquentium ſibi peccata, deflevit. Matth. 7. Luc. 6. 1. Corinth. 2.

XXXVII.

D

S. Martinus tempus redemit omne, nullam ſibi horam vacuam ſine Dei opere abire permittens. 1. Tim. 2. Thre. 3.

XXXVIII.

S. Martinus neminem temerè damnavit, vel audaciter judicavit. Matth. 7. 1, Pet. 2.

XXXIX.

Infelix Martinus Lutherus.

XXXIV.

E

Impiiſſimus hæreticorum Conſul Lutherus functionem adeptus hæreticam, mox cuttam cucullámque abjecit, factus mundivagus, affectu mundanus, moribúsque diſſolutus. Lege ejus colloquia menſalia.

XXXV.

F

Lutherus mentis rabie agitatus, omnibus ſe ſeculi rebus promiſcuè inſinuavit: ſpiritualia rejecit negotia: domum ſibi Wittenbergæ ad tabernas conſtituit: ſociúsque ebrioſorum fuit: ſua cum inceſtuoſa Nonna, inceſtuosè vixit: habitúque monachali rejecto, de holoſericis olim S. Altaris Dei, tegumentis, cornicula eſt veſtita; ſacrásque veſtes, vaſáque ſancta, cum Balthaſare illo, ad prophanos adhibuit uſus: Cum epulone illo, luxuriosè, & Clodiano modo victitavit: nec non albas caſulásque in inceſtas ſuæ Nonnæ veſtes mutavit ſacrilegè. Quam artem, omnes Lutherani probè callent.

XXXVI.

G

Lutherus nec ipſe oravit, nec ut alii orarent permiſit, ſed quantum in ſe fuit, officii ſacri recitationem, horas canonicas, pſalmorum melodiam, abrogavit, pleno dolo & malitia. Omnes ſibi non adhærentes ſtultos, ſe ſolum ſapientem jactavit. Omnes SS. Patres, omnia Concilia damnavit: ſummis ſuis benefactoribus malum pro bono reddidit, ùt Eccleſiæ, ùt ſuo ordini, ùt patriæ, &c. Omnibus ſuis in ſcriptis non iracundus, ſed furioſus fuit: omnia divina & prophana à ſe non picta, riſit. In omnes mutabilis horas; ſibi ipſi repugnans; Cujus etiam os nihil niſi in Eccleſiam Catholicam blaſphemias; cujus cor, nihil niſi catholicæ fidei deletionem ſpirabat, plenum bello, tyrannide & rebellione. Tantum abfuit, ut labentium delicta defleverit, vel charitate texerit, ut Chamita pudorem matris ſuæ proſtituerit impius.

XXXVII.

Lutherus non ſolùm integras horas, dies noctésque, ſed multos perfidiæ ſuæ annos, in confabulationibus hæreticis, in occupationibus dæmoniacis, in nocturnis compotationibus perdidit; ac verbis, factis ac moribus excedens improbis, & propriam animam vulneravit, & aliorum ſcandalizavit, & ad infernum præcipitavit. Nec momentum erat, quo ille Dei operi vacabat

XXXVIII.

H

Lutherus ſtolidus, incircumſpectus, obturatus oculis, excæcatus mente, corruptus judicio, depravatus intellectu, perverſus voluntate, malitioſus, præceps, audax, imprudens, temerarius & injuſtus, omnia, præterquam ſua, damnavit & judicavit, hinc verba: DEPONITE, QUICQUID ARMATURÆ SUPPEDITANT CONCILIA; QUICQUID ECCLESIÆ AUTORITAS SANCIT; QUICQUID ORTHODOXI SCRIBUNT, &c. OMNES PERIERUNT.

XXXIX.

S. Martinus Episcopus.

XXXIX.

A S. Martinus Imperatores in magno habuit honore, & justissimè se ad illos habuit, & cum grandi reverentia ac gravitate affatus est eos; ideóque etiam omnibus in Dei sublimitate positis, placuit.

XL.

B S. Martinus res acturus Ecclesiæ coram Imperatoribus, precibus jejuniisque se dedit.

XLI.

Cùm Avicanus Comes crudelis civitatem Turonensem sequenti die proposuerat devastare, atque crudelissima inferre supplicia, tunc ante mediam noctem ad Comitis domum perrexit, & ibi præ foribus Deum invocavit, malúmque ab Urbe avertit S. MARTINUS, &c.

XLII.

C S. Martinus cives cœlestes in vita hac familiares habuit: & sæpè loquebatur cum Angelis Dei, visibiliter sibi apparentibus, ac longum & suave cum ipso habentibus colloquium.

XLIII.

S. Martinus devotus etiam fuit B. Mariæ, Theclæ, Agneti, Petro & Paulo, eósque debita coluit reverentia.

XLIV.

S. Martino apparens dæmon, nihil nocuit, nec eum decipere potuit.

XLV.

S. Martinus maximum fructum fecit in mundo; plurimos enim convertit, & gentilium diversa templa evertit, ac ipsos Idololatras perduxit ad fidem.

XLVI.

D De Cœnobio S. Martini multi ex discipulis ejus ad Episcopale officium sunt assumpti, & piè in Domino defuncti.

XLVII.

S. Martinus suis exemplis sanctis, optima fama, prædicatione idonea, oratione

Infelix Martinus Lutherus.

XXXIX.

E *Lutherus scabiosè & blasphemè de Germaniæ loquitur sæpè principibus, vocans eos tyrannos, stultos, stolidósque, atque adeò non venerabatur illos, ut etiam se omnium ipsorum auctoritati opponere non erubuerit, eósque mendaces appellare. Ut factum est Anno Christi 1530. sub August. Confes. edicto. Quam ob rem meritò à Dei Vicariis reprobatus, periit.*

XL.

F *Lutherus Ecclesiam turbaturus, Imperatores ac Principes calumniaturus, virulentis scriptis, Antonianisque se dedit compotationibus, ut colloquia ejus mensæ docent.*

XLI.

Lutherus extra, supra, & contra omnem modum bestialis, ferocia plenus, libidine scatens, Saxonia ac reliquis Germaniæ provinciis, rusticana petulantis Lutheri linguæ tuba, bellóque, incensis, miserrimæ patriæ, dulcissimæq; Germaniæ, adeò non deflevit ruinas, ut etiam inter ipsum tumultum bellua Wittenbergæ incestuosas cum sua Moniali fœdifraga, magno Melanchthonis offendiculo, ac Camerarii scandalo, nuptias parârit, aliisque intereuntibus, ipse Io Pæan, *cum Nonnæ cantârit.*

XLII.

G *Lutherus uti ipse testis est, quasi in quotidiano convictu habuit dæmonem; cum eo, ut scribit, modium salis consumpsit; Visibilem eum sub speciebus sensit variis, ac longa multáque disputatione habita, tandem, ut ipse refert, dæmon ingratissimum, dignum scilicet tanto Doctore, fœtorem post se in musæo relinquens, disparuit.*

XLIII.

Lutherus omnes Dei amicos, ridet, damnat, & variis calumniis proscindit, neminémque nisi suum, ceu alter Calicutta, dæmonem colit.

XLIV.

Lutherum Dæmon docuit Theologiam suam, & sacri incruenti abrogationem, ac ipsum miserè deceptum ad tartara rapuit.

XLV.

Lutherus multas & varias renovavit olim damnatas hæreses, in Germania, Gallia, Anglia, & plurimos pervertit, ab avita & Orthodoxa fide abduxit: Templa S. Dei evertit, in stabula equorum & canum, in tabernas & balneas convertit: ac verè credentes ad ἀπιστίαν perduxit.

XLVI.

H *Lutheri discipuli nullum neque apud Deum, neque apud pios consecuti sunt honorem, & plerique etiam eorum tragicè periêrunt; Ut Doctor Wilhelm Bidembach; M. Balthasar Widembach; Casius, quorum ego horrendos exitus vidi, &c.*

XLVII.

Lutherus turpiloquiis suis in mensa evomitis, pessima fama à rebellibus aucupata, Prædica-

S. Martinus Epiſcopus.

A ne præfervida, innumerabiles perduxit ad Deum.

XLVIII.

S. Martinus Apoſtolus ſui temporis vocabatur ob ſuam ineffabilem humilitatem, & quòd igneus Spiritus ſuper caput ejus apparuit, cùm celebraretur Dei ſacrum.

B *XLIX.*

S. Martinus multitudine & magnitudine miraculorum fulſit in vita præſenti; mortuos ſuſcitavit tres; ignem, ſe in eum abjiciendo, extinxit illæſus; Pariſiis oſculo ſanavit leproſum; juvenem veneno infectum, orando purgavit. Summa, vix infirmorum aliquis ad ipſum acceſſit, qui non ſanatus diſceſſit. quin & obſeſſum à Dæmone liberavit, dæmonémque, digitis ſuis in os obſeſſi miſſis, ejecit.

C *L.*

S. Martinus inſigni etiam caſtitate fuit præditus, ſuóque in Epiſcopatu Angelicam duxit vitam, &c.

D *LI.*

S. Martinus feliciter, placidè, quietè obdormivit in Domino. Eum omnes pii luxerunt. Oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus, vilibus ſtramentis ſuppoſitus Dei contemplatus faciem, Sathanæ aſtanti dixit: Nihil in me funeſte reperies, Abrahæ me ſinus recipiet. Quo prolato, tradidit ſpiritum Domino, qui dederat eum. Statímque corpus ejus ſanctiſſimum inſtar corporis glorificati reſplenduit, vitro purius, lacte candidius, nullúsque ejus luce clarior radiabat. Quem etiam teſte Severino Colonienſi Epiſcopo, SS. Dei Angeli, melodia ſunt proſecuti funebri, &c.

Infelix Martinus Lutherus.

dicatione hæretica, clamore bovino plurimos E *traxit ad ſuum Doctorem, qui fuit, ùt ipſe non negavit, Sathan.*

XLVIII.

Lutherus noſtrì ſeculi dicitur hæreſiarcha, & pſeudopropheta ob intolerabiles ipſius, ſuorúmque hæreſes. Et ipſius infernalis Dæmon Doctor auctórque extitit, cùm tremendum & juge illud Eccleſiæ ſacrificium abrogare niteretur, ipſo hoc atteſtante.

XLIX. F

Lutherus nulla fecit miracula, niſi quòd Deo ac pietati viventes gladio carnis occidit; ignem Germaniæ omnium hæreſium immiſit; animas fide & operibus Dei ſanas infecit; Venena hæreſeos tenerorum animis inſtillavit; non dæmones, ſed Monachos, Dei ſervos, ac Moniales Trinitatis cultrices ejecit. Summa, nemo ipſum accedebat improborum, qui non nequior ab ipſo recedebat. Teſtes ſunt ejus libri, & Cultores, &c.

L. G

Lutherus uſque adeò fœtidus, & libidinoſus hircus eſt toti mundo declaratus, ut non erubuerit ſcribere, minùs hominem à libidine, quàm à ſalivæ ejectione, abſtinere poſſe. Et illud, ſi non vult Uxor, veniat ancilla. Qua in Palæſtra egregiè ſe exercent prædicantes Lutherani; quos novi cum alienis, præterquam quòd proprias habent, ferè quotidianis uti nuptiis. Hìc Plato quieſcere jubet, &c.

LI. H

Lutherus moriturus nullibi locorum tutus quietúsve eſſe poterat; nunc huc nunc illuc perferebatur; neminem ſui in aſpectum admittere volebat; oculos à cœlo avertebat; terroribus Dæmonis horribiliter vexabatur. Tandem ſolus in lectica holoſerica relictus animam efflavit; cujúsque corpus totum comparuit nigrum, os diſtortum, lingua exerta, pedésque contracti, peſſimúsque ac valde ingratus odor ibi eſt relictus. Quem ſanè nemo luxit piorum, imò ne ſuorum quidem unus; quin omnes eum hæreſiarcham clamitant, ſic mox à morte ejus fecit Melanchthon, Calvinus, Beza. Nec dubium eſt, quin diſcipulus ad Præceptorem, quem habuit Dæmonem, pervenerit, ut ibi meſſis ſuæ fructus colligat.

ERGO.

Gratulemur ſancto Martino Epiſcopo æternam requiem. *Inextinguibilem verò Lutherò ignem.*

LANDSPERGÆ,
ANNO CHRISTI 1583. 22. NOVEMBRIS.

APOLOGIA
FRANCISCI MONTANI
PRO
SOCIETATE JESU
IN
GALLIA

CONTRA
ANTONII ARNALDI
ADVOCATI PARISIENSIS
PHILIPPICAM.

Ex Gallico in Latinum translata

A
JACOBO GRETSERO,
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.

ACCESSIT INTERPRETIS
APPENDIX CONTRA ANONYMI CUJUSDAM
CALVINISTÆ CRIMINATIONES.

ILLUSTRISSIMO CARDINALI FRANCISCO DE JOYEUSE, ROMAM.

LIbellus iſte Catholicus, *Illuſtriſſime Cardinalis*, Alpes transmittere, téque Romæ adire & ſalùtare ſtatuit, ut eò ſecuriùs partes ſibi commiſſas exequi, & imperata facere poſſit: neque enim in Gallia, in medio hæreticorum ſtrepitu & fremitu absque periculo verſari licet: proficiſcitur autem ad te nativo ſuo, hoc eſt, Gallico cultu expolitus: quòd ſi hoc ornatu ſperat, fore, ut abs te non modò non rejiciatur, ſed & comiter humanitérque accipiatur, non tam admirandi, quàm lætandi occaſionem, niſi fallor, habebis, cùm nomine, natione & mente Gallus ſis, & auctoritate adeò valeas, ut ubique locorum defenſum dare queas.

Porrò ut opis & ſubſidii tui admodum indigus eſt: ita etiam juſtiſſimis rationibus non caret, cur à te hilari animo excipi, & tutela tua omnibus locis tutus in publicum prodire debeat. Catholicam Religionem propugnat, cui propagandæ tu, *Illuſtriſſime Cardinalis*, in tuo munere, & Illuſtriſſimus Dux, Frater tuus, *Henricus de Joyeuſe*, in adminiſtratione Aquitanicæ Provinciæ, & tota Familia veſtra, unicè hactenus ſtuduiſtis, & verò adhùc ſtudetis, rebus domi foríſque præclarè & fortiter geſtis, & trium fratrum tuorum ſanguine pro Catholica Religione effuſo; longè illuſtrior, quàm Cardinalium, Gubernatorum, Tribunorum militarium, Comitum, Admiraliorum, ſeu Archithalaſſorum, Ducúmque titulis & dignitatibus, aut ſocietate juncta, fœderibúsque initis cum maximis Europæ Principibus, Regúmque ſumma neceſſitudine imò & affinitate. Defendit præterea libellus iſte Sedem Apoſtolicam, cujus honore nihil tibi charius eſt & antiquius. Defendit quoque Galliam, cujus tu Romæ negocia ad pacem & quietem ſpectantia tractas, protector & patronus patriæ tuæ à Regibus noſtris deſignatus. Defendit denique Statum & Ordinem Eccleſiaſticum, & Societatem JEſu, quam tu cùm propter bonum publicum, tum propter creditum tibi gregem Tholoſanum mira benevolentia complecteris ac foves.

Cùm ergo quatuor hæc cumprimis præſtet hic libellus, minimè dubito, quin eum, utpote tibi gratum & jucundum, lætiſſimo vultu ſis dignaturus, adeò, ut auctoritatis tuæ clypeo tectus liberè poſſit proborum cœtibus & congreſſibus ſeſe inſerere, conſtantérque veritatem à calumniis & mendaciis paſſim vindicare: nec occurrit melius, quod huic meo operi adprecer, ſperans, ut, quod voveo & opto, facilè conſequar. DEUS te, *Illuſtriſſime Cardinalis*, Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ, cœleſtibus donis cumulatum quàm diutiſſimè incolumem & ſuperſtitem ſervet, cujus manus, qua poſſum animi ſubmiſſione & reverentia, exoſculor. Ex Boulardo noſtro montano. 29. Martii 1595.

Illuſtriſſ. Celſ. V. obſequentiſſimus

FRANCISCUS MONTANUS.

AD GALLOS CATHOLICOS.

A CUm pro Jesuitarum defensione statuissem Antonii Arnaldi Invectivam refellere; non injuria mihi persuasi, me, si illum refutarem, plures boni publici hostes in uno impostore profligaturum, & Societatis JEsu Ordinem & honorem à calumniis vindicando, simul etiam acturum causam Religionis Catholicæ, Sedis Apostolicæ, & Galliæ universæ. Non fugit vos, jam uno abhinc anno, Actionem Arnaldi contra Jesuitas nihil aliud esse, quàm querimoniam quandam, libellúmque famosum, eo fine conceptum, ut Jesuitæ omnibus reddérentur invisi & exosi; & ut minore cum difficultate perficeretur Senatus-

B consultum illud, quod posteà scriptum est, de Jesuitis ex toto Regno expellendis; quod jam dudum machinabantur Ministri, sed hoc tandem tempore voti compotes facti, vela dare cœperunt, vento tam secundo sibi afflante, & verbo quidem in Jesuitas, reipsa verò in Religionem Catholicam, & in vos, vestrásque fortunas omnes impetum fecerunt artificio usitato mendaciorum parenti Dæmoni, qui semper sui similis persistit; & ut simia, semper simia, ita iste perpetuò manet hostis & adversarius huniæ felicitatis & salutis, qui omnibus sæculis Ecclesiam in omnibus quidem membris afflixit, variisque tempestatibus concitatis exagitavit;

C sed præcipuè in Religiosis, quos præ aliis odit & detestatur, molestè videlicet ferens, tot cohortes, tam lectas, & robore tam præstantes, sibi Regnóque suo debellando imminere. Inveterato odio, ajebat Magnus ille Antonius, omnes Christianos persequitur, sed maximè Religiosos, quorum ne mentionem quidem patienter ferre potest: & sub initium Ecclesiæ, ita in Monasteria, cœtúsque sacros sæviebat, ut ne noctu quidem ullam quietis partem concederet, ut testatur Serenus Abbas apud Cassianum.

D Occasionem porrò & materiam tentandi, variisque molestiis afficiendi Filios Dei, sumpsit plerumque ex opibus & possessionibus, vel etiam ex bonis & commodis corporis: cujus rei illustre exemplum est Beatus Job. At cùm Religiosos, & præcipua Ecclesiæ membra aggredi voluit, alio telorum genere armatus venit, calumnias & criminationes ex pharetra suâ deprompsit, spicula nimirum ad id, quod cupiebat, efficiendum aptissima, quibus famam illorum & bonam existimationem (quæ quibusvis gazis in hac vita charior esse solet) ingenti E conatu, oppugnatum & perditum ivit, & verò adhuc it, conflictisque infinitis mendaciis & impostoris in id unum intentus est, ut ex hominum animis opinionem sanctitatis, quam de Religiosis habent, eximat, eorúmque vivendi normam & rationem in invidiam vocet, laborúmque speratum fructum intercipiat, immenso multorum damno.

Hoc spiritu agitatus Arnaldus, venenum suum in sui similes rabulas, consiliorúmque suorum administros & adjutores transfudit, & eos calumniandi arte egregiè instruxit, quos inter ut hæretici facilè sibi primas vendicant, ita etiam facilè palmam reliquis criminatoribus præripiunt, quoties in Religiosos maledica lingua exerenda est. Quemadmodum enim nullus pietatis amans scriptor extitit, qui Religiosum statum laudibus ad cœlum usque non evexerit: ita etiam nullus fuit hactenus hæreticus, qui Religiosi nomen velut pestem non horruerit. Adstipulantur meis dictis omnium ætatum historiæ, quæ exemplis ad hanc rem comprobandam idoneis abundant, & ipsæ hæreticorum linguæ novacularum instar acutæ; eorúmque monumenta aspides pungendo & mordendo imitantia sententiæ meæ fidem perspicuè faciunt. D. Augustini tempore Circumcelliones hæretici Religiosos potissimùm convitiis & probris proscindendos sibi deligebant, teste D. Augustino, qui etiam adversùs Petilianum scribens sic ait: Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.

Ariani ne ad aures quidem nomen Religiosi æquo animo admittere poterant, quos etiam mirificè, sed præcipuè calumniis, & injuriosis impostoris traducebant, & divexabant, nullo induciarum intervallo concesso, cujus rei locupletem do testem Ruffinum, & historiam de vita rebúsque gestis S. Athanasii. Et ne ex antiquitate exempla duntaxat petamus, nemini ignotum est, qualia mendacia hodierni hæretici de Religiosis commenti sint, & quot convitiorum plaustris eosdem onerârint. Wiclephus eò impietatis processit, ut assereret, omnes Religiosorum Ordines à dæmone in Ecclesiam fuisse introductos, D. Augustinum, S. Benedictum, S. Bernardum, & cæteros Religionum fundatores, nisi propter institutos à sese Ordi-

Dæmon potissimùm odit Religiosos.

D. Athanasius in vita S. Antonii.

Cassian. collat. 7. cap. 23.

Calumnia præcipuum Dæmonis telum.

In Psal. 132.

Lib. 3. contra Petil. c. 40.

Lib. 11. Histor. cap. 3. Metaph. in vita S. Athanas.

nes

A nes pœnitentiam egerint, æternis cruciatibus addictos esse. Lutherus singulis propemodum verbis in Religiosos invehitur, eósque victimas idoli Moloch appellat; à quo non abit Calvinus, cui Religiosi sunt Sophistæ, Schismatici, homines dæmoni devoti, ipsa verò Religionis vota, dæmonis retia. Melanchthon ait, Religiosorum vota & opera nihil aliud esse, quàm aniles & stultas observationes, Hypocriticas & Pharisaicas traditiones. Centuriatores post multas & execrabiles in Religiosos injurias, sic suam concludunt narrationem: Sed quis non detestetur ista generis humani monstra, ac societatis humanæ hostes? Circa annum LXXXI. fuit Rupellæ impressus quidam libellus famosus contra omnes Ecclesiasticos; sed potissimùm contra Religiosos, adeò pestilens & exitialis, ut ne inscriptionem & titulum illius commemorare audeam, eo certè à multis sæculis nullius detestabilior & calumniis contumeliisque plenior ex inferorum sedibus in has luminis oras erupit.

In cap. 7. 1. Corinth. Lib. 4. Instit. cap. 13.

Cent. 4. cap. 10.

Nec sine causa tanto furore in Religiosos incurrunt. Nôrunt enim isti Chami impudentes filii, se devictis & prostratis Religiosorum Ordinibus, non magno labore de reliquis victoriam reportaturos, & si bono nomine & existimatione spolient illos, qui in Ecclesia vitæ perfectionem profitentur, simúlque persuadeant, eorum vivendi rationem à Deo nequaquam proficisci, non arduum fore, ut reliquum deinde vulgus, quò velint, ducant & abripiant: prono enim assensu approbabunt, quicquid hæretici effutient, si semel apud se statuerint, Religiosorum Ordines nihil aliud esse, quàm Diaboli cohortes. Cæterùm ùt capitalis humani generis hostis Religiosos insatiabili odio semper persecutus est: ita & in hanc Societatem debacchari non prætermisit, & eò quidem vehementiore impetu, quò magis dolet, eam mundo jam devexo, & ad occasum vergente, Ecclesiæ laboranti in subsidium missam fuisse, & ita quidem, ut animo imperterrito & infracto, omnibus inferorum portis pro Ecclesia conservanda sese objiciat. Hinc magis in eam excandescit, non ignarus, superesse sibi modicam temporis partem ad illaqueandos homines, & ad inexplebilem suam sitim exitio animarum restinguendam. Quam ob rem in nulla orbis terrarum parte Societatem hanc infestare, odiosámque reddere cessat. In Japponia Cabacondonus Tyrannus ab octo septémve annis nihil aliud jam molitur, Dæmonis impulsu, quàm ut eos profliget, & penitùs exterminet, quasi Deorum suorum eversores; quin & reipsa jam, quod decreverat, perfecisset; nisi Principes iis in locis, Christianis sacris initiati, Tyranni violentiam partim cohiberent, partim etiam Jesuitas, suas in ædes reciperent.

B

Cur diabolus ita oderit Religiosos.

Cur Jesuitas.

C

In Peru, Brasilia, Mexico, & in multis Europæ locis idem Sathan nihil aliud est, quàm Sathan, hoc est, adversarius & inimicus perpetuus. Hinc, ùt cuncti nôrunt, non desinit in eos omnis generis procellas ciere, ut fluctibus tandem obruantur; de quo conatu etiam gloriari aliquando consuevit. Tholosæ Anno M. D. XCI. ore cujusdam energumenæ extrema quæque Jesuitis minatus est: quamvis autem ex sententia res non successerit; eas tamen lites & contentiones excitavit, quæ omnibus Aquitanicæ Provinciæ Collegiis summas molestias & ærumnas pepererunt. Non multis annis pòst, Anno videlicet M. D. XCIII. Romæ per aliam mulierem obsessam dixit, se Schedulas, quibus suffragia in urnam mitti solent, confusè permixturum in Congregatione generali, sequenti mense Novembri celebranda. Nec facere omisisset, nisi DEUS consilium impedivisset. Hæretici Dæmonis emissarii se ad mores & ingenium Magistri sui pulcherrimè & artificiosissimè conformant & componunt. Hinc nullum Ordinem atrocioribus calumniis appetunt, neque in ullum Ecclesiæ statum impressionem violentiorem faciunt, quàm in istam Societatem, in qua oppugnanda oppugnant, quicquid Catholicorum adhuc superat. Hæretici Germaniæ, Angliæ, Franciæ in suis Concionibus ac libris non amplius appellant Ecclesiam Catholicam Papatum, ùt olim, sed doctrinam Jesuiticam; nec Catholicos vocant Papistas, sed Jesuitas; & bene quidem dicunt, licèt inconsiderati, imò & inviti. Arnaldus cæteris omnibus deterior vocat Catholicos homines per Jesuitas corruptos. Omnes in istam Societatem machinas & tormenta sua explodunt & concordibus animis ad ejus interitum conspirant, adeò feralì odio in Jesuitas accensi sunt, adeóque sibi persuadent, his debellatis & extinctis nullius negotii fore reliquos sub jugum mittere.

D E F

Ante omnia igitur Societatem infamiæ macula aspergere, & hac ratione despicabilem, invisam, & infructuosam efficere, & ad extremum unà cum Catholica Religione ex Galliis profligare summo studio contendunt. Primus quidem impetus in Jesuitas dirigitur, sed exitium non in ipsos solùm, sed in Ecclesiam tendit & terminatur: Simulant, se tantùm in Jesuitas concitari, ut hoc velo tecti Catholicos eludant, simúlque cohibeant, ne Jesuitis sese defensores & patronos præbeant. Quòd si ad hanc fraudem Catholici conniveant, non absimiles erunt militibus, qui cùm in exercitu ad prælium jam accincto, vident hostium catervas in commilitonum cohortes ferro irruere, ne pedem quidem auxilii ferendi causa movent; perinde sanè, ac si salus aut pernicies sodalium nihil ad se pertineret.

G

Actus Hæreticorum.

Provinciæ & Urbes, quæ initio restiterunt Supplicationi Rectoris Academiæ Parisiensis, & deinceps editis & publicatis SC. hostium cuniculos non ignorârunt, sed probè cognoverunt, ipsos non solos tangere Atrei liberos.

H

Quod ad me attinet, statui in gratiam bonæ publici & patriæ meæ nonnulla afferre, quibus Arnaldi calumniæ & mendacia confutentur, quod eò mihi erit facilius, quò mendacia Arnaldi splendidiora sunt & crassiora, & quò etiam propiùs & familiariùs multis jam annis Jesuitas novi, lectis eorum Regulis, Constitutionibus

A *& hiſtoriis, quarum rerum cognitio ſumma admiratione, vel potiùs indignatione me affecit, cùm inde intelligerem, actionem Arnaldi mendaciis omnem modum & rationem excedentibus ubique refertam, plenámque impudentia hominis effrænatiſſimi & petulantiſſimi, támque injurioſi & mendacis, ut à triginta annis nullus mendacior in tota Gallia, vel verbis in foro, vel ſcriptis in impreſſo libro exſtiterit. Nullum impietatis ac improbitatis epitheton ac cognomentum in ipſis Poëtarum tragicorum monumentis repertum præteriit, quod non iſtis Patribus*
B *tribuerit. Ubique eos nominat* proditores, homicidas, impios, execrabiles, Aſſaſinos, ad excogitandum acutiſſimos, ad audendum impudentiſſimos, ad efficiendum acerrimos. *Et alibi:* Pellite, *inquit*, iſtos homines, qui ſibi in omni impietatis genere pares non habent, tam acres, tam paratos, tam audaces, tam callidos, tam in ſcelere vigilantes, tam in perditis rebus diligentes. *Nec poteſt miſer quicquam eorum, quæ dicit, probare. Pro ratione injuriarum & calumniarum,* Fateor, *inquit*, bilem juſtámque indignationem me extra me ipſum rapere. In quavis alia re non poteſt quis plus ſatis modeſtus eſſe, ſed qui in hac cauſa tepidus eſt & modeſtus, proditor eſt, & in ſimili negocio virtus in exceſſu conſiſtit non affectionis tantùm; ſed etiam paſſionis: *His verbis furit*
C *amens iſte in Ordinem divinitùs miſſum & univerſalis Eccleſiæ ſuffragio comprobatum. Cauſa hujus maledicentiæ conſiſtit in maxima animi perturbatione & agitatione. Annè phreneticus aut phanaticus ullus fuit, qui in tam furioſos ſermones erumperet? Annè ullum poëtam tragicum reperiemus, qui ſtilo acerbiore ac crudeliore in Anthropophagos, in Tartaros, in Gigantes, in Canibales, invehi queat, quàm iſte in Jeſuitas? Quapropter non mirabitur Lector, ſi interdum viderit me tanta maledicendi & convitiandi amentia commoveri, vel potiùs ignoſcet mihi, quòd non crebriùs & vehementiùs commoveor. Salomon*

Prov. 26. *ſapienter vetat* reſpondere ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, *hoc eſt, reddere illi injuriam pro injuria, & malum pro malo, quod & lex Chriſti prohibet: hoc enim eſſet ſtulti mores imitari, ſéque illi ſimilem reddere, quod facere non fert animus: Illud duntaxat mei muneris arbitrabor, quod idem Salomon ſtatim poſt ſuperiora verba præcipit, cùm ait:* Reſponde
D ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. *Arnaldus procul dubio ſeſe tanquam virum ſapientem circumſpicit, quòd à nullo pro merito ſtultitiæ ſuæ ſit refutatus; ſed à multis potiùs, quaſi ſapientia multum valeret, laudatus. Quamobrem ſi illi reſpondeam ſermone factis illius accommodato, hoc eſt, craſſiore nonnihil & pinguiore, ut eò meliùs craſſa illius ſtultitia repræſentetur, omniúmque oculis ſubjiciatur, minimè injuriam injuria vindicavero; ſed ſtulto, prout meretur ſtultitia, reſpondero, injuriámque demonſtravero, qua Deum affecit: in Deum enim injurioſus eſt, cùm Societatem, opus divinæ providentiæ, conviciis proſcindit. Omnino ſapientiæ & charitatis laudem non minimam referet, quiſquis Arnaldum ùt effrenatam beſtiam tractaverit, & aliquando, cùm dentes ad morſum expromet, baculo caſtigaverit. Canes in rabiem verſi non ſunt mulcendi blanditiis, ſed fuſtibus coërcendi. Nec imponam ei ullum cognomentum ortum ex affectu, animive perturbatione; ſed ex ratione, & omnia epitheta, quibus à me afficietur, ex actionibus ejus deducentur, neque alio quàm ſuo ipſius gladio jugulabitur non ſine perſpicua probatione.* E

Furiæ Arnaldi. *Quamvis autem Jeſuitarum innocentia, hujúsque veſani calumniatoris projectiſſima impudentia, ſummoperè ad refutationem me incitârint; nunquam tamen animum adjeciſſem ad ſcribendam Apologiam, niſi experimento didiciſſem, impudentiam iſtius criminatoris quantumvis craſſam, & cuivis non cæco manifeſtam vergere in veritatis detrimentum, nimiúmque credulis perſuadere, Jeſuitas ideò tam modeſtè cum Arnaldo agere, quòd bonitati cauſæ ſuæ diffidant, quo ipſo virtutem & mentis moderationem pro metu & deſperatione habent. Hinc tantum auctoritatis apud multos hæc Arnaldi impudens petulantia obtinuit, ut non paucos exſtimulârit ad quidvis dicendum & ſcribendum contra Jeſuitas, imitatione videlicet & exemplo hujus Archiſycophantæ, qui cæteris ad hanc improbitatem facem prætulit. Cæterùm Societatis mores adeò in occulto non deliteſcunt, ut me etiam & quovis alio tacente, ſatis ſupérque refellere poſſint omnium obtrectatorum maledicta & convitia; ſed tamen quia ſæpè accidit, ut quidam ipſo etiam lucis ſplendore excæcentur, vel ſaltem oculis hebetentur; ideo juvandi quoque ſunt miniſterio vocis, & lumen ipſi etiam lumini accendendum eſt. Multos in ſingulos dies mors abripit, & funere mergit acerbo; & tamen major hominum pars in medio ſtragis à morte editæ, vix unquam cogitationem de ſupremo illo vitæ articulo ſuſcipit; niſi tunc, cùm hæc de re ſermo inſtituitur. Quapropter non ſolùm utile fore exiſtimavi, ſed etiam neceſſarium, & ex re boni publici, impoſturas iſtas & impoſtores refellere, & ad rectam ſemitam, ſi quo modo fata ſinant, reducere. Ut verò vos,* F
Catholici Galli, *uno intuitu videatis ſummam, & quaſi periochen totius Tragœdiæ in Jeſuitas excitatæ, paucis rem totam oculis veſtris ſubjiciam.* Summa accuſationis contra Jeſuitas.

Cùm hæretici, Jeſuitarum hoſtes, jam à multis annis ſtatuiſſent Jeſuitas ex Galliarum Regno profligare, neque conſilii ſui exequendi aptam aliquam rationem invenirent, recurrerunt more ſuo ad accuſationes falſas & commentitias, & ad calumnias & criminationes, quibus eos in odium & in invidiam omnium vocare conati ſunt, convenienter videlicet diſciplinæ & inſtituto ejus, qui antiquus humani generis eſt hoſtis. G H

A *hostis. Hæc factio, & in Jesuitas coitio eò majore diligentia, arte & æstu excogitata & inita est, quò clariùs viderunt, nullum hactenus exstitisse Religiosorum Ordinem, qui boni nominis fama & existimatione tam apud alios opus haberet, quàm hæc Societas, cujus omnes functiones & actiones in luce versantur, quas infructuosas reddi necesse est, nisi boni nominis odore feraces efficiantur, quo proinde ab ea sublato, quid nisi anima à corpore secludi, & cursus pulcherrimarum actionum intercidi, & via ad exitium & exilium parari videtur? Isti ergo Sycophantæ, oculei toti, instar Argi, in omnes calumniarum occasiones intenti vigilabant, ut tandem Jesuitis bonam existimationem adimerent; quod optabant, consecuti sunt beneficio præsentis status & temporis, quod non modò egregiam occasionem subministravit, cum summa impunitate, sed & ad malefacta & maledicta opem quoque & omnem operam suppeditavit.*

B *Ut autem consilium suum eò expeditiùs re ipsa perficerent, renovârunt actionem Anno M. D. LXIV. adversus Jesuitas institutam, totámque illam calumniarum colluviem jam dudum sepultam denuò in lucem revocârunt, adjunctis etiam omnibus illis criminationibus, quas à triginta annis Ministri hæretici effuderunt in suis libris. Ex his enim accuratissimè corraserunt omnia illa vetera commenta & figmenta, non sine additamento novorum. Lectitârunt etiam Regulas & Constitutiones Societatis, ut eas arbitratu suo malitiosis glossis & interpretationibus contaminarent, quo improbitatis genere cæteros longè superâsse fertur Advocatus* Dole, *cujus nænias ut reperirem, nullo hactenus studio consequi licuit.*

C *Porrò ut hujusmodi technis & fallaciis auctoritas aliqua accederet, elegerunt isti rabulam vocis & laterum firmitudine præpollentem, tumidum, arrogantem, hæreticum, quamvis sub tegmine Catholici, & sub obtentu boni publici; audacem, effrontem, & quicquid contra innocentes proferre paratum, absque Religione & pudore. Qui ut crimina falsa & ficta speciosiùs propugnaret, quibus onustus veniebat, duo potissimùm sibi procuranda putavit: Alterum,*

D *ut in publico consessu, & populo præsente peroraret, quod non impetravit. Hinc toties conqueritur, quòd* januis clausis *in Jesuitas dicendum fuerit, quo satis planum facit, actionis suæ finem præcipuum fuisse, Jesuitas traducere & diffamare. Nam si nihil aliud quærebat, quàm id, quod jus fásque exigunt, cur alios auditores, quàm ipsos judices expetebat? Alterum, quod ad infamiam Jesuitis pariendam perquàm appositum huic visum est, nihil aliud fuit, quàm forensem declamationem & Invectivam typis mandare, & ex famosa Actione libellum æquè infamem conficere. Qui agendi modus equidem iniquissimus & injustissimus est, cùm sit accommodatissimus ad hoc, ut brevissimo temporis spacio non modò privatum quemque, sed & integros Ordines debita existimatione privet, fructúmque speratum non secùs perdat & exurat, atque pruina longè latéque lætis arborum comis superinjecta. Quòd autem nihil aliud spectaverit, quàm Societatis infamiam, imò & ruinam, non obscurè innuit, cùm in suo Epilogo:* Vox mea, *inquit,* quatuor Regni partes penetrabit, & posteritati consecrabitur. *Porrò inter omnes calumnias Principem locum tenere visa est illa, quòd Jesuitæ sint* Hispani, *& ejusmodi homines, qui ne Deo quidem serviant, nisi propter Regem Hispaniæ, quem totius mundi Monarcham efficere velint. Sed aliæ nationes, quæ Jesuitas propiùs nôrunt, nulláque perturbatione præpeditæ judicium de rebus ferunt, risum vix tenebunt, hac audita accusatione, non modò ob vanitatem fabulæ, sed quòd ipsa per se calumnia planè sit risu digna, & verè quod dici solet,* ex vitro fulgur; *in Gallia tamen non exigui ponderis & precii est, ubi, ùt olim in Græcia, nihil tam incredibile & paradoxum excogitatur, quin in alicujus cerebri vacuo cerebro locum inveniat. Imò hic noster rabula tanti hanc criminationem pendit, ut in tota sua Actione nihil frequentiùs in ore habeat, nihil vehementiùs urgeat. Quamobrem inde velut ex armamentario quodam omnis generis tela adversùs Jesuitas depromit, in eósque semper quasi in scopum quendam defixus convitia spargit. Restat, ut totum Arnaldi opus excutiamus, istúmque Advocatum committamus cum parte adversa, sermone ad eum, non ùt ad Jurisperitum, sed ùt ad Juris calumniatorem, conversо.*

E

F

G

FRANCISCO MONTANO.

H

Quo, docte, libro veritatem intermori
Montane, prohibes, hoc tuam prohibes mori,
Montane vindex veritatis, gloriam.

Aliud eidem:

Quicunque spiritum calumniatoris
Imbibit, & animum toxico suum infecit
Arnaldico, is, si legerit tuum librum,
Quo veritas defenditur, nisi Arnaldum,
Pleno ore mendacem vocet, nihil causæ
Prætendero, quò minùs ego nominer mendax.

INDEX

INDEX CAPITUM APOLOGIÆ.

CAP. I. *Qualis Philippica Arnaldi ; & cur à nullo hactenus refutata.*

II. *Refutatio protestationis, quam Philippicæ suæ Arnaldus præmisit.*

III. *Refutatio præcipui argumenti, quo probare conatur Arnaldus, Jesuitas ex Gallia pellendos.*

IV. *A quibus Arnaldus calumnias suas acceperit.*

V. *Propter improbitatem paucorum non esse puniendos universos.*

VI. *Mendacia Arnaldi de Carolo V. Imperatore, Philippo Rege, Hispanis & aliis.*

VII. *Carolum V. Imperatorem non esse usum operâ Jesuitarum, ut mentitur Arnaldus.*

VIII. *Ostenditur ex Ribadeneira, Carolum V. Imperatorem vix novisse Societatem.*

IX. *Philippum Regem serò agnovisse Societatem ; & Arnaldum Hæreticum esse.*

X. *Prima propositio Hæretica ab Arnaldo defensa.*

XI. *Calumnia Arnaldi in Pontificem.*

XII. *Secunda propositio Hæretica Arnaldi.*

XIII. *Qua fide exempla Regum Galliæ Arnaldus adduxerit, ut hæresim suam confirmaret.*

XIV. *Tertia propositio Hæretica Arnaldi.*

XV. *De temporali potestate Pontificis in Regem.*

XVI. *Regnorum translationes à Pontificibus factas semper fuisse utiles Regno Gallicano.*

XVII. *Non esse indignum Rege, ut se subjiciat Sedi Apostolicæ.*

XVIII. *De Impudentia Hæreticorum in Reges & Principes.*

XIX. *Calumnia & Mendacia Arnaldi circa originem Societatis JEsu.*

XX. *Arnaldi calumniæ in totam Rempub. Christianam.*

XXI. *Impietas Arnaldi in Sacramenta.*

XXII. *De Jesuitarum in Galliam adventu.*

XXIII. *Quid intelligat Arnaldus nomine conjurationis Hispanicæ.*

XXIV. *De quarto Jesuitarum voto.*

XXV. *Jesuitas ab omnibus Galliæ ordinibus receptos esse.*

XXVI. *Jesuitas non fieri Vasallos Pontificis & Regis Hispaniæ per votum obedientiæ.*

XXVII. *In Superiore agnoscendum & colendum esse Deum.*

XXVIII. *Superiori non esse obediendum, si quid mandet contra legem Dei.*

XXIX. *Refutantur ineptæ consequentiæ Arnaldi.*

XXX. *Ignorantia Arnaldi, &, pro quibus Jesuitæ orent.*

XXXI. *Refutatur prima causa Arnaldi, cur Jesuitæ adeò faveant Regi Hispaniæ.*

XXXII. *Refutatur secunda causa Arnaldi.*

XXXIII. *Immania mendacia Arnaldi de divitiis Jesuitarum.*

XXXIV. *De reditibus Collegiorum in Gallia.*

XXXV. *Calumniæ Arnaldi de variis testamentis.*

XXXVI. *Calumniæ Arnaldi in eos, qui filios suos Jesuitis instituendos tradunt.*

XXXVII. *Mendacia Arnaldi super ingressu Francisci à Canillac in Societatem Jesu.*

XXXVIII. *Jesuitas non insidiari testamentis.*

XXXIX. *Quot indiciis avarus cognoscatur.*

XL. *De domibus professis Societatis Jesu.*

XLI. *Quæ munera Jesuitæ accipiant, quæ respuant.*

XLII. *Quantam pecuniæ summam Jesuitæ colligerent, si à scholasticis & aliis mercedis loco aliquid acciperent.*

XLIII. *Cur Jesuitæ vulgo censeantur opulenti.*

XLIV. *Redduntur tres aliæ causæ, cur Jesuitæ habeantur opulenti.*

XLV. *Duæ causæ, cur Jesuitæ habeantur avari.*

XLVI. *Jesuitas Juventutem Gallicam non depravare.*

XLVII. *Jesuitas Juventutem Gallicam non seducere.*

XLVIII. *Vocationem ad statum Religiosum esse à Deo.*

XLIX. *Homines Societatis in perpetua probatione vivere.*

L. *Refelluntur mendacia quædam Arnaldi.*
LI. *Quo jure aliquis possit à votis absolvi & dimitti.*
LII. *Notæ boni præceptoris.*
LIII. *De pietate, quarta boni Magistri nota.*
LIV. *Quanti fecerint Reges Galliæ, & alii Principes Jesuitarum laborem & operam.*
LV. *Sperandum esse, Jesuitas nunquam cessaturos à juvanda Republica Christiana.*
LVI. *Examinantur Calumniæ Arnaldi magis particulares.*
LVII. *Jesuitas nunquam fuisse suspectos de seditionibus.*
LVIII. *Jesuitas non esse reos læsæ majestatis.*
LIX. *De Barierio, qui Regem occidere voluit.*
LX. *Refellitur calumnia de morte Sebastiani Regis Lusitaniæ.*
LXI. *Refutantur aliæ calumniæ ex Lusitania ab Arnaldo allatæ.*
LXII. *Refelluntur mendacia ex India ab Arnaldo allata.*
LXIII. *Cur Arnaldus adeò oderit Jesuitas.*
LXIV. *Deum semper opposuisse oppugnatoribus Religionis propugnatores.*
LXV. *Satisfit querelis quorundam Catholicorum.*
LXVI. *Refelluntur calumniæ, quibus Arnaldus Societatis nomen impetit.*
LXVII. *Multis aliis Religionibus à Deo & rebus divinis nomina esse imposita.*
LXVIII. *Utrum Jesuitæ sint Regulares.*
LXIX. *A quo Societatis Regula fuerit approbata.*
LXX. *Refelluntur insulsi quidam Arnaldi joci.*
LXXI. *Ex quibus locis Jesuitæ sint expulsi, & qua de causa.*
LXXII. *Amicos Dei semper variis molestiis fuisse exagitatos.*
LXXIII. *Examinatur Epilogus Arnaldi.*
LXXIV. *Quæ sit natura calumniæ & calumniatorum.*
LXXV. *Arnaldum & Hæreticos objicere Jesuitis eadem scelera, quæ olim Idolatræ Christianis.*
LXXVI. *Quid ex sua Invectiva Arnaldus sit reportaturus.*
LXXVII. *Conclusio totius Apologiæ.*

APOLOGIA FRANCISCI MONTANI, PRO SOCIETATE JESU IN GALLIA *CONTRA* ANTONIUM ARNALDUM.

CAPUT I.

Qualis Philippica Arnaldi, & cur à nullo hactenus refutata.

A SI Jesuitæ indignissimè à te, Arnalde, tractati veritatis duntaxat tuendæ gratiâ tibi responderunt, nullo modo in te tuámque impudentiam exulcerati; id ipsorum adscribes modestiæ, mentísque moderationi, quòd autem post ipsos nullus ad hunc usque diem boni publici causa, cujus id quàm maximè interest, calamum in manus sumpsit, persuadeas tibi velim, id non penuria materiæ, sed tui contemptu evenisse. Nam cùm tota actio à te instituta, typísque mandata, nihil aliud sit, quàm furiosa quædam animi abalienatio & linguæ petulans deerratio, calumniis & imposturis refertissima, non immeritò judicatum est à prudentioribus & cordatioribus, fore, ut silentio & contemptu ipsa per se concideret, ultrix sui ipsius, & refutatione valdè seria non tam videbantur innocentes defendi, quàm tua stultitia & vesania magni fieri: cùm & Senatus ille, ad cujus tribunal declamâsti, Jesuitis communi consensu absolutis, satis declarârit, te præter mendacia nihil contra illos attulisse, adeò, ut ad ruborem tibi eliciendum nulla alia Apologia opus fuerit.

Cur hactenus Arnaldo nullus responderit.

B

C Cæterùm quòd jam mea sponte & privato nomine tecum congredior, communi illo judicio minimè abstérritus, non est, quòd mireris: novi rerum eventus, nova quoque suggerunt consilia. Manifestis et- D enim indiciis & documentis cognitum est, improbitati tuæ temporis injuria & iniquitate aliquid auctoritatis accessisse: cùm impostura & fraudes tuæ, præter omnium spem & exspectationem, pluribus, causa Jesuitarum per te in suspicionem adducta, aliorúmque silentio commotis, fucum fecerint, oculósque perstrinxerint: alii enim tanquam veritati maximè consentaneas arripuerunt: alii imprudenter confirmârunt: nonnulli odio in Jesuitas inflammati, magno auctario adauxerunt, ut qui nunc passim regnant rabulæ, poëtastri & versificatores, qui eâdem, qua tu rabie perciti, canum furentium instar lunam latratibus insectati sunt: quibus omnibus tu malè loquendi, scribendi & agendi uberem materiam suppeditâsti. Quô fit, ut quamvis E hominibus bonæ & probæ mentis ex ipso tuo libro liquidò constet, calumniatorem nequitiâ tibi parem, à multis sæculis in Gallia non extitisse; nostrorum tamen temporum ea est calamitas & infelicitas, ut plerique nimio plus creduli insolentem te reddiderint, & ad actionem hanc quasi hostibus jam devictis excitârint, prætextu Religionis Catholicæ, quam tu Jesuitarum velatus nomine pleno gradu perditum vadis.

F Quocirca necessarium censui, ut post diuturnum silentium vocem tandem tollerem, deceptis & in fraudem impulsis opem ferrem, adversarios plus æquo exultantes comprimerem, téque lupum esse patefacerem, cùm ex gressu pedúmque vestigio, tum

A tum etiam ex morſu & ululatu, ſimúlque planum facerem, te Invectiva tua nihil aliud ſpectâſſe, quàm ut infamiæ nota aſpergeres Ordinem toti Eccleſiæ Catholicæ utiliſſimum, non ſine certo & explorato ejusdem Eccleſiæ detrimento. Et hic eſt fructus, quem mihi hoc meo labore propoſui; licèt enim non ſperem, me impetum præſentis perſecutionis in Jeſuitas concitatæ cohibere poſſe; officium tamen boni & Catholici civis Reipublicæ Chriſtianæ me præſtitiſſe arbitrabor, ſi, quod cœpi, felicibus
B auſpiciis terminavero. Quòd ſi conatus parùm ex ſententia ſucceſſerit, non modicam tamen vel inde capiam voluptatem, cùm meminero, me nulli operæ laboríve peperciſſe; ſi tardiùs, quàm par erat, opus hoc ſuſcepi, redarguant me viri, quibus pietas cordi: tu autem mihi gratias age. Nam tarditas mea emolumento tibi fuit, cùm interea nactus ſis duorum triúmve menſium intervallum, quo potiſſimæ tuorum deſideriorum parti vidiſti reipſa fieri ſatis.

C In conſeſſu publico audiri cupiebas, valvis & foribus non occluſis; Ecce tibi Patiſſonius Typographus tuus vota tua longè ſuperavit. Nam portas Pariſienſes tibi latiſſimè pandit, & loco unius anguſti conclavis in palatio, ampliſſimum tibi in Gallia extruxit theatrum, ut ab innumerabili hominum multitudine velut circumforaneus & agyrta quidam in medio foro exaudiaris. Antea perorâſti intra certos cancellos & limites: nunc remotis omnibus terminis vox tua omnes regni Gallicani fines pererrat & penetrat, & ùt optabas, ſeclis durabit innumerabilibus, nunquam intermoritura. Actio tua Jeſuitas exterminari cupit: (huc enim jam pridem ferebatur omne ſtudium Miniſtrorum & Prædicantium:) lata eſt ſententia, non quidem te benè vel malè cauſam agente, plerísque locis perfectum eſt id, quod decretum erat: in aliis, ſi prima hæc impreſſio proſperè ceſſerit, idem fiet, quamvis ſeriùs tuis & Miniſtro-
D rum ardentiſſimis deſideriis. Votis igitur tuis potitus es, haud ſine ingenti voluptate, nemine obſtante, nemine impedimentum ullum objiciente. Patiaris ergo, ut & ego nunc auricula vellicata officii tui te admoneam, alióque negotiorum genere diſtineam, dum ſcriptum tuum excutio, téque in eandem foveam, quam aliis fodiſti, & in illa retia, quæ aliis tetendiſti, impello; hac tamen lege, ut nullum aliud ſubeas incommodum, quàm ut omnes clarè perſpiciant, qualis ſis ſycophanta, vel potiùs beſtia. Neque, dum te refello, eodem, quo tu cum Jeſuitis modo, hoc eſt, calumniis & convitiis tecum agam, neque alio cognomento à me cohoneſtaberis, quàm eo, quod doli & technæ tuæ mihi ſuppeditaverint; cùm mendacia, impoſturas & calumnias effutiveris, *mendax*, *impoſtor* & *calumniator*

audies, neque aliis coloribus te depingam, quàm tuis. E

Ut autem generatim aliquid de opere tuo dicam, neſcio ſanè, quid aliud toto libro agas, quàm quòd perſonam & partes eximii cujusdam calumniatoris egregiè ſuſtines ac tueris, adeò, ut non dubitem affirmare, te quàm ſimillimum eſſe Medio, ſycophantæ in aula Alexandri Magni notiſſimo, qui cùm reliquorum calumniatorum dux & anteſignanus eſſet, hoc ſuis ſodalibus dabat conſilii, ne alios dictis inceſſere formidarent, ſed potiùs convitiis aculeatísque verbis audacter quosvis impeterent & morderent. *Nam licèt*, inquit, *is, quem momordiſti, ex vulnere convaleſcat, cicatrix tamen nunquam obducetur, ſed indelebilis remanebit.* F Quo præcepto verè exprimitur calumniatorum genius & ſpiritus planè diabolicus; à quo te quoque agitari factis tuis palàm feciſti: in quosvis enim dentes ſtringis, nullíque parcis, ſine fronte, ſine conſideratione & probatione, id unum curæ habens, ut infames, ut mordeas, jure an injuria, nihil ſollicitus, dummodò vulneres & lædas, ſive Jeſuitarum bonum nomen & exiſtimationem, ſive eorum animos, qui tibi loquenti aures nimis quàm faciles præbent. Quod probè animadverterunt familiares tui, ſpiritúmque Medii illius in te reſuſcitatum & reparatum agnoverunt. Ex quorum numero quidam rythmos ſuos, quibus Jeſuitas inſectatur, te verò ad cœlum uſque extollit, ſic concludit:

Arnaldus alter Medius calumniator inſignis.

Arnaldus egregius calumniator, etiam judicio cujusdam ſui amici.

Infamia notati, in omne ſeculum,
Arnalde, vivent, ſcripta & hoc propter tua.
Vulneribus ignominia vera ſimilis eſt,
Quæ temporis ſanet licet longinquitas,
Tamen cicatrix permanebit perpetim.

Sed ut auctor certiùs oſtenderet, in te Medii animam immigrâſſe, loco *ignominiæ*, G ponenda erat *calumnia*; parùm tamen intereſt; paucis verbis ſatis atro carbone te deformavit. Cæterùm, quòd neceſſarii iſti tui ad rythmos tam prompti, hæretici ſint, teſtatur unus ex illis loco & vice omnium, dum ita verſibus ſuis in Jeſuitas invehitur:

Pœnas ut iſti hypocritæ dignas luant,
Qui teneriora ingenia perdunt funditus,
Exterminandos eſſe non equidem reor.
Satis ſupérque fuerit, ipſis ſi accidat,
Melioribus quod factitant ipſi libris.

Solent Jeſuitæ diligenter in id incumbere, H ut libri impii, & ab hæreticis ſcripti flammis abſumantur, ùt & non ita pridem ſub diſceſſum ex urbe Lugdunenſi fecerunt, menſe Januario, exuſtis iis voluminibus, quorum precium quingentos aureos transcendebat. Ejusmodi libros appellat iſte ſycophanta in ſuis rythmis, *meliores*; ex quo quisque æſtimare poterit, num jure in hæreticorum numero & cenſu tales habeantur.

A Quale Arnaldi opus.

Sed quod ad Orationem tuam attinet, eam nihil aliud esse pronuncio, quàm opus & commentum insignis cujusdam calumniatoris, mendaciorum penum, impostturarum nidum, & calumniarum inconditam congeriem. Numeravi plus quàm trecenta mendacia, luculenta & splendida, ducentas calumnias, insciti am & stoliditatem propemodum infinitam. Ex quibus nonnullas mendaces fallacias refutabo; nam omnes refellere res esset immensi laboris. Caret præterea liber tuus omni ordine, methodo, & orationis certo filo, rudis indigestáque moles est, aculeatis passim jaculis horrens, similísque herinaceo in se globi instar contracto & collecto; nihil enim præter asperos aculeos, sine ulla membrorum distinctione, ostentat. Quô fit, ut in hac Apologia ordinem minimè observare queam, coactus sequi tua vestigia, qui more bruti animantis sine certo tramite hinc inde avius & devius oberras. Illud noveris, me, si quando unum in locum plura confusè & promiscuè (quod tibi solenne est) congesseris, in id, quod ibi præcipuum erit, intentum fore. Neque aliud Orationem tuam dixero, quàm sermonem furiosi hominis. Præfatio curta & breviuscula argumentum & perioche longæ fabulæ est, & magnæ invectivæ exiguum involucrum, tuarum affectionum & perturbationum virulentissimarum compendium, complectens ingens illud fastidium, quo afficiebaris, cùm foribus clausis perorare jussus es; quæ primo statim intuitu octo illustria mendacia omnium oculis & mentibus offert: ex quibus unum illud: Jesuitas imperâsse Parisiensibus post illos tumultus Parisiis excitatos, quos *Baricades* vocant. Quamvis autem Actio tua perturbatissima, omnísque ordinis penitus sit expers; principium tamen, nisi fallor, ab *Exordio* ducit. Id inde conjicio, quòd *Exordio* necesse sit primum locum tribuere. At ne laboraremus quærendis tribus aliis partibus, tua vel Typographi tui Patissonii industria, adscripta sunt hæc tria ad marginem vocabula: *Narratio, Confirmatio, Peroratio:* exemplo, ùt mihi persuadeo, & imitatione imperitorum pictorum, qui rudi adhùc & vixdum nata arte adjungebant picturarum nomina: *Est bos, est asinus*, ut quid quidque esset, à spectatoribus agnosceretur. Quare ùt conjectura nos manu quasi ducit in cognitionem Exordii, ita nomina ad oram libri addita nobis usui sunt ad internoscendas reliquas Orationis tuæ partes.

B

C

Ornamenta invectivæ Arnaldi.

Arnald. similis est ineptis pictoribus. Ælian. lib. 10.

CAPUT II.

D *Refutatio protestationis, quam Philippicæ suæ Arnaldus præmisit.*

Protestationes ridiculæ & mendaces calumniatoris.

DE statu igitur mentis dejectus, & quantus quantus es, ob clausas fores, ira accensus, initium ducis à protestatione, qua testaris, *te nolle quenquam offendere, qui non stet à partibus Hispanis*, simúlque polliceris, *te religiosè observaturum legem amnestiæ, seu injuriarum oblivionis in gratiam Regiæ Majestatis, cùm*, ùt ais, *Jesuitæ contraria protestatione professi sint, se, ut Regi Hispaniæ gratificarentur, acturos contra non paucos, qui se Regi Galliæ dedidissent, ac proinde elaborârint, ut non publicè, sed privatim obducto velo audirentur.* Tempestivè, ùt video, delirare & mentiri incipis. Quorsum enim ista protestatio? Advocati in consessu judicum causam agentis officium est, nullius rei potiorem rationem quàm veritatis habere; tu protestaris, te nolle quenquam offendere, præter Hispanos, hostes tuos. Fateris ergo, quantumvis vetantibus legibus, te accedere consilio & voluntate nonnullos offendendi, & in ipso operis tui vestibulo declaras, te omnem eò referre cogitationem, ut calumniatoris, & detractoris, non autem ut partes agas boni Advocati, cujus est, jus fásque tueri, non lædere vel offendere. Et quid aliud sibi vult hæc tua protestatio, quàm te nolle amicos offendere, sed inimicos tantùm; neque quid dicas, intelligis: nam protestari, nolle se amicos offendere, commune tibi est cum latronibus, qui & ipsi nihil amicis suis nocumenti inferre solent; protestari verò, nolle se quenquam præter inimicos offendere, quid aliud est, quàm statuere, se nolle ulli parcere, cùm, exceptis inimicis, non reperiantur alii, quibus parci & ignosci possit? Quare protestari eo modo, quo tu, hominis est molestari, fracti, & cui nulla vis concoquendi injurias in pectore inest, utpote qui vindictam semper appetat. Desipis etiam, cùm *amnestiæ* legem te observaturum profiteris: Nam lex ista pertinet ad inimicos; cùm enim ab amicis, quà tales, nullam injuriam accipiamus, nullum locum lex illa respectu illorum habet, aliàs amici non essent.

E

Officium Advocati.

F Æsch. contra Timar. & L. Quisquis C. de postulando.

Latronis beneficium est non nocere.

Mendax protestatio Arnaldi de lege oblivionis.

G

Quando igitur *amnestiam* & injuriarum oblivionem polliceris, non modò in memoriam revocas veteres inimicitias, quæ septem octóve abhinc annis extiterunt, verùm illas quoque, quæ ante triginta annos sopitæ fuerant, rursum exsuscitas, & denuò in luminis oras profers controversias jam olim extinctas & sepultas, ac veluti Jesuitæ maximorum criminum rei essent, justitiæ opem adversùs illos vocibus plus quàm barbaricis imploras. Quòd si nec inimicis vis quidquam condonare, nec illatas injurias voluntaria oblivione delere; ecquis tandem tua misericordia fruetur? cur legem *amnestiæ* tam sanctè & inviolabiliter servari cupis? vísne omnibus ignoscere, exceptis inimicis? Helleboro eges. Si Medicus quispiam polliceretur, se omnes curaturum præter ægros; nónne jure optimo omnibus ludibrio & despicatui esset? An non tu similis ejusmodi Medico, cùm

H

A cùm tam ſtolidè loqueris & ſcribis? Advertísne, ineptis & ſibi non conſtantibus promiſſis te tua vineta cædere? Nónne hoc ipſo loco inſipiens impoſtor es, dum Jeſuitas traducis, quaſi petiverint cauſam hanc intra privatos parietes agi, ut in ſubditos Regis majorem verbis & contumeliis debacchandi nanciſcerentur opportunitatem, ídque non alio fine, quàm ut Regem Hiſpaniæ ſibi magis devincirent? Si hæc fuiſſet Jeſuitarum mens, oportebat eos publicam & in frequenti omnium Ordinum conventu audientiam poſtulare; nam gravior inde & diuturnior infamia extitiſſet. Quamobrem calumniator es hoc loco, & calumniatoris more virtutis honorem &
B poſſeſſionem Jeſuitis eripis, eósque vitiorum tuorum ſordibus & ignominia, qua quidem potes, reſpergis. Improbitas tua exoptabat publicum, ut liberiùs velut ex plauſtro maledicta jaceres: at Jeſuitarum modeſtia privatum conſeſſum exigebat, ne tua garrulitas & inanis linguæ volubilitas tot Chriſtianorum aures offenderet. Hoc unum & non illud, quod tu comminiſceris, Jeſuitas ſpectâſſe, ſatis intelligitur ex Reſponſo Apologetico oblato per Procuratorem eorundem Senatui Regio, in quo de nullius fama quidquam detrahitur, ne de tua quidem, qui tam atrociter & furiosè in illorum nomen & exiſtimationem invectus es.

C Cæterùm actio tua perſpicuo indicio eſt, te non juris & æqui obtinendi cauſa judicium publicum efflagitâſſe: ad hoc enim impetrandum ſatis tibi eſſe poterat præſentia Judicum; ſed ut Jeſuitas coram innumera & incondita plebis multitudine diffamares, tuæque venenatæ linguæ ſpicula plurium aures ferirent, & ut artem calumniatoris, qua vales plurimum, inſigniori audientium damno factitares, quod quidem extremæ malitiæ perſpicuum argumentum dixerim. At Jeſuitæ re & nomine Chriſtiani, ſuísque hoſtibus amici & benevoli urgendo id, quod petebant, hoc agebant, ut tua ſtultitia paucioribus innoteſceret, quod prudentium & intelligentium virorum munus eſſe nemo jure negârit; tu verò honoris tui admodum prodigus, & hoſtis eorum, qui te amant, januis clauſis, objectísque repagulis non aliter vociferabaris, quàm ſoleant inſanientes cati intra certos limites incluſi, nihil intentatum relinquens, quò tuæ exiſtimationi majorem ſecurim impingeres, & Je-
D ſuitis plus detrimenti afferres. Quod cùm tibi meritiſſimò negatum eſſet; haud tamen conquieſcendum putâſti, ſed contra omne jus & fas tanquam ab omni humanitatis ſenſu derelictus illud per totam Galliam vulgâſti, quod ne in puſillo quidem hominum cætu recitare permiſſum eſt, compoſito ex actione tua libello famoſo, perinde ac ſi hujuſmodi injurioſas chartas lex divina & ipſa Regum Galliæ decreta graviſſimè non prohiberent. Fateor tamen, mendacia tua commeruiſſe, ut à pluribus audiantur & cognoſcantur, quo graviorem pœnam veſaniæ & impudentiæ tuæ luas. Nam amens & arrogans nullo ſe magis digno ſupplicio multatur, quàm ſi innumeros quærat & inveniat amentiæ & nequitiæ ſuæ teſtes. Exordio artificiosè ſcilicet & ſcitè abſoluto, Apoſtrophis ad cœlum & terram inſperſis, Narrationem inchoas à Carolo V. & Philippo ejus filio, tuarúmque probationum robur & nervum promiſcuè in Narratione & Confirmatione collocas, ùt in margine libri annotâſti.

E Libelli famoſi prohibiti à Regibus Galliæ Cod. Henric. III.

CAPUT III.

Refutatio præcipui argumenti, quo probare conatur Arnaldus, Jeſuitas ex Gallia pellendos.

F Finis Arnaldi.

ORationis & ratiocinationis tuæ finis eſt, *ut Jeſuitæ Galliæ regno pellantur*, quod vetus eſt Miniſtrorum tuorum decretum, jam pridem in celebri illa Synodo Montis Albani (cui Beza interfuit) ſancitum; annus ab illa agitur nunc decimus quartus, ſi rectè memini. Addis, *id ſine Juris ordine & proceſſu & ſine dilatione faciendum eſſe.* Ratio tua generalis hæc eſt: *Quia Jeſuitæ ſunt, fuerunt, & erunt cauſæ omnium malorum Franciæ.* Primum, medium & poſtremum tuæ probationis argumentum eſt, *quòd omnes homines id dicant, præter timidos & ab ipſis Jeſuitis corruptos: quòd ſit factum vulgo manifeſtum, & ùt vocant, notorium, & populo cognitiſſimum.* Quod argumentum tam validum ac ferreum tibi viſum eſt, ut illud in initio, medio & fine tuæ Invectivæ collocâris, atque adeò per omnes illius partes ſparſeris. Primo igitur id loco tanquam primarium excutiemus. Ac principio quidem libenter tibi aſſentior, cùm ais, gravia, eáque *notoria* crimina celeri pœna coërcenda eſſe, ne dilatio eripiat occaſionem exequendi id, quod juſtitiæ rigor præcipit. Anno Domini M. D. L XIII. hæreticus quidam Pariſiis in æde Divæ Genofevæ impium facinus contra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aggreſſus, ſtatim nulla mora interpoſita, à meridie, Judicum ſententiis ſacrilegæ temeritatis pœnas promerentes flammis luit.

G Cur Arnaldus publicam audientiam petiverit.

Hæreticus eodem die exuſtus, quo captus.

H Pari modo cùm parricida, ſicarius, *Aſſaſſinus*, alteríve culpæ affinis in ipſo facto deprehenditur, aut manifeſtis & perſpicuis probationibus convincitur, haud arbitror, opus longa diſquiſitione, ſed expedita & feſtina condemnatione & animadverſione, cùm ſit crimen, quod nulla vel negatione vel tergiverſatione dilui & celari poſſit. At

A verò quando crimen, quàntumvis enorme, dubium eſt, probatione & teſtimoniis opus habet. Ut enim in criminibus atrociori-
bus ſuſpicio ſimplex ad inquirendum & dili-
genti cum cura inveſtigandum ſufficit, quòd multùm interſit hoc Reipublicæ; ita etiam probationem oportet eſſe certam & con-
ſtantem, ne temerè innocens opprimatur, eò majori & intolerabiliori injuria, quò caſus & cauſa majoris momenti fuerint. Quocirca tu ex diametro Legi naturali & civili refragaris, dum magni criminis pœ-
nam abſque ulla probatione exigis, proban-
dóque demonſtras, te neque bonum Lo-
gicum, neque bonum cauſidicum eſſe, dum loco argumenti aſſumis id, quod in quæſtione verſatur, tibíque probandum in-

B cumbit. Hîc agitur *de facto*, ô bone, utrum ſcilicet Jeſuitæ ſint eorum crimi-
num rei, quorum abs te accuſantur. Ais, *id eſſe manifeſtum.* Jeſuitæ negant. Ut pro-
bes, dicis *eſſe notorium, nullique dubium*, quod tantundem eſt, ac ſi diceres: *Cato conjuravit in Rempublicam; quia notorium eſt, quia nullus hac de re dubitat. Luna cras pa-
tietur eclipſin, quia* cras deficiet, quia eſt no-
torium, quia nullus de hoc dubitat.

C Sed videamus, quàm verùm ſit, quòd nullus hac de re dubitet, præter *timidos* (ùt ais) & *eos, quos Jeſuitæ corruperunt.* Quan-
do dicis, *neminem hoc fugere*, ſignificare utique vis, omnes id aſſeverare, & teſti-
moniis vocibúsque publicis confirmare. Ita enim in Judicio loquendum eſt. At tu ſo-
lus id aſſeris, cum tuis gregalibus, quorum nulla penitus ratio haberi debet, cùm te-
ſtium & accuſatorum munus iiſdem com-
petere nequeat. Si totus mundus quaſi con-
cordi ſono id dicit, cur non duo trésve ma-
joris auctoritatis viri totam iſtam teſtium univerſitatem repræſentarent? Et ſi nemo dubitat, nullius negotii fuerit, id argu-

D mento aliquo veriſimili demonſtrare. Cla-
mas, nemini id eſſe dubium; ſed quid ſi proferam permultos, qui non modò du-
bitant, verùm etiam contrarium diſertis verbis affirment, & quidem ejuſmodi vi-
ros, quorum auctoritatem tu minimè de-
fugere vel eludere poſſis? En tibi *Cardina-
lem Borbonium* & *Ducem Nivernenſem*, qui pro Jeſuitis ipſorúmque Collegiis Senatui Regio ſupplices facti ſunt, inſigni benevo-
lentiæ & amoris ſignificatione, & Princeps ille Regum ſanguine progenitus, ut apertè declararet, quàm ſibi tota hæc cauſa curæ cordíque eſſet, ſequentia verba in fine ſup-
plicis libelli propria manu adſcripſit: *Si adverſa valetudo permitteret, ipſemet ad vos me conferrem, háncque meam petitionem ore proprio vobis proponerem.* His adde *Epiſcopum Claromontanum*; urbes, *Billomenſem, Biturí-
cenſem; Clerum & Academiam ejuſdem Bitu-
ricenſis civitatis*, qui omnes Jeſuitarum cauſam tuentur; idémque feciſſent aliæ ci-
vitates Galliæ pro ſuis Collegiis, ſi Senatus E Pariſienſis ditioni ſubeſſent. Verùm ut vi-
ciniores teſtes in medium proferamus; en tibi Sorbonam, quæ decreto publico 7. Idus Julii Anno Domini M. D. XCIV. libel-
lum ſupplicem, quem Jeſuitarum adverſarii 18. Aprilis per fraudem & dolum extorſe-
rant, irritum & invalidum reddidit. Ha-
bes decretum.

F *Die 9. Julii Anno Domini M. D. XCIV. vi-
ſo & audito à Facultate Theologiæ Pariſienſi le-
gitimè congregata in majori aula Collegii Sor-
bonæ, libello ſupplici à venerabilibus Patribus
Societatis Jeſu ipſi facultati propoſito, quo qui-
dem expoſuerunt ſuperioribus menſibus venera-
bilem D. Rectorem univerſitatis tam ſuo, quàm
omnium Facultatum nomine ſupplicem libellum
ſupremæ Parlamenti Curiæ obtuliſſe, quo pe-
tièrit, ut ipſi eorúmque univerſa Societas ex
toto Galliæ regno pelleretur, ac credibile non
eſſe, Sacratiſſimam Facultatem huic petitioni
conſenſum præbuiſſe, ac propterea ſupplicâruut,
quatenus placeret dictæ Facultati declaratione
teſtificari, hujus petitionis & litis intentæ nul-
lo modo participes eſſe. Ipſa Facultas matura
deliberatione ſuperhabita, in hunc modum cen-
ſuit: Se quidem cenſere, prædictos Patres So-
cietatis Jeſu redigendos & recenſendos eſſe in
ordinem & diſciplinam Univerſitatis, regno
autem Gallico eſſe nullo modo expellendos.*

Decretum Sorbonicum pro Jeſuitis.

Sorbonâ non approbat Jeſuitarum ex Gallia expulſionem.

G *Signatum. Panet, dictæ Facultatis bidellus.*

Accedit facultas Artium, quæ, diplomate ſubſcripto, à tribus ex quatuor nationum procuratoribus, à Rectore, & quod hinc ſequitur, à te ſeſe disjunxit, ùt & Deca-
nus Facultatis Decretorum, & Decanus Me-
dicinæ, & ex numero quinquaginta ferè Parochorum (quorum ſe patronum contra Jeſuitas Ludovicus *Dole* dolosè & nomini ſuo convenienter jactitabat) quatuor tantùm reperies, qui ſtent à parte tua, qui ſanè à cæteris ſegregati Collegii *corpus* conſtituere nequeunt, præſertim ſine D. Cardinale de Gondii eorum capite. Et hi quidem om-
nes tales ac tanti non modò de eo, quod objicis, dubitant, ſed & tibi, tuíſque ac-
cuſatoribus ex adverſo repugnant. Putás- H ne, ſi crimina iſta, quæ ſemper in ore ha-
bes, tam nota & publica eſſent, adeò aut cæcos fuiſſe futuros, ut ea non viderent, aut adeò imprudentes, ut ſcientes & vo-
lentes ea propugnarent? Si tantæ dignita-
tis viri exiſtimâſſent, Jeſuitas adeò *notorios* homicidas, & ùt ais, *Aſſaſſinos* eſſe, imò ſi tenuem duntaxat ſuſpicionem habuiſſent, eos his criminibus eſſe obnoxios; cenſés-
ne tam audaces, & amentia præcipites fuiſſe futuros, ut te deſerto Jeſuitis ſeſe adjun-
gerent? Adeóne exigui judicii & improbæ conſcientiæ eos eſſe tibi perſuadebis? Imò majori conatu & contentione quàm tu, idem quod tu, expetiiſſent. Num à te impetrare poteris, ut credas, eos tanto ardo-

Facultates Pariſienſes pro Jeſuitis.

Inepta probandi ratio.

Omnes boni negant, quod Arnal. ait nemini eſſe dubium.

Verba Cardinalis Borbonii.

A ardore & eo orationis pondere, iísque precibus pro Jesuitis acturos fuisse, ut in visceribus Galliæ, pernicies & pestis totius Galliæ retineretur & foveretur?

B Habemus ergo multos, qui non modò de eo, quod tu asseris, dubitent, sed id etiam velut luculentum mendacium verbis & factis expugnent, & tamen tam effrons es, ut blateres, neminem de hac re dubitare præter *meticulosos & corruptos*. Sed cedo, quibus annumerabis Cardinalem Borbonium & Ducem Nivernensem? Anne timidis, & non tam loqui, quàm mussare solitis? At non licebit: eorum enim dicta & facta in luce & in omnium conspectu versantur. Multò minùs dices, à Jesuitis fuisse seductos & corruptos, nisi caput tuum periculo exponere velis, diffamando tantos Principes, quos constat, non modò semper fuisse Regi morigeros, sed & amicos. Et reliqui, quos testes laudavi, jam dudum se & sua omnia Regi permiserunt. Cernis igitur, quàm infirma sit tua probatio, & quàm vana assertio.

C

CAPUT IV.

A quibus Arnaldus calumnias suas acceperit.

Duo genera eorum, qui Jesuitas persequuntur.

QUia verò partitio tua tibi nequit esse usui, patiaris, ut ego illâ utar: demonstrabo enim duo esse genera eorum, qui Jesuitas in exilium actos percupiant, quique, ùt ais, *nihil dubitent, quin omnium cladium auctores sint*, cùm tamen ipsi Galliam perdiderint & adhuc perdant, & imposterum quoque, nisi Deus obstet, perdituri sint; Primum locum obtinent hæretici simulati & timidi; isti profitentur, quamvis voce submissiore & depressiore, se minimè esse dubios de his, quæ dicis, imò pro viribus illa publicè & privatim stabiliunt, & evulgant, ut Jesuitis, quos infamant & criminantur, odium & invidiam concilient, & ad illos exterminandos aditum sibi patefaciant. Verùm cùm nondum D ea valeant auctoritate, ut Catholicos in suam sententiam pertrahant, perhumaniter eos prensant, dolis instructi, est cùm & minis, majora quàm vires patiantur, tentare & aggredi non ausi. Alter locus debetur hæreticis & machiavellistis, hominibus ad quidvis audendum promptis, confidentia & arrogantia plenissimis: isti externa quadam hypocrisi & simulatione, orísque & vultus impudentia insignes quoslibet aggrediuntur, & tam Catholicis, quàm hæreticis audientibus & inspectantibus, re & nomine veros Catholicos (quos per contumeliam Hispanos appellant) dictis injuriosis inverecundè & irreverenter incessunt, & hæreticorum commoda clandestinis auxiliis, quo possunt modo, juvant & promovent, specie boni publici & dignitatis E Gallicanæ tuendæ; hósque veros & germanos Gallos nominant; non sine grandi verorum Gallorum injuria.

Hæretici Catholicos vocant Hispanos.

In horum cœtu & tribu te quoque unum esse, fidem facit oratio tua, qua sanè deterrimis omnium hæreticorum longè simillimus es, & propè gemellus, ut præteream impudentiam, hæreticorum impudentiæ parem, qua impulsus, actione & scriptione, præsentibus Catholicis, Jesuitarum exilium & ejectionem postulâsti, ut ab hæreticis gratiam inires. Et hoc impudentiæ vitio adeò excellis, ut absque exaggeratione testari possim, neminem unquam in loco Catholico apud Catholicos auditores & Judices in universa Gallia contra Jesuitas & Catholicos, te impudentiùs, petulantiùs, & magis hæreticè dixisse aut scripsisse.

Quid quòd & impudentiam tuam & convitia à multis hæreticis mutuatus es; omnia enim mendacia à te prolata, omnes injurias, quas Jesuitis irrogâsti, omnes calumnias, quas evomuisti, suppeditârunt tibi Ministri hæretici, vel potiùs diabolus, à quo tanquam à primo auctore proficiscuntur. Nam hæretici vocârunt, & etiamnum vocant Jesuitas *avaros, arrogantes, turbulentos, divini nominis usurpatores, & invasores Reipublicæ*, juventutis corruptores, blasphemos, Assassinos, seditionis faces, *inimicos Reipublicæ, Galliæ hostes, Regum occisores, Castiliæ exploratores, Marranorum tubicines, conjuratores, Sectam maledictam, Sathanæ officinam*, ut omittam alias hujusmodi atroces injurias, hæreticorum sordes & spurcitias, quas me pudet chartæ inferere, quibus tamen suaviter, etsi impudenter, te oblectâsti. Magistri tui, quibus magnam gratiam debes, & Præceptores tui sunt Martinus Kemnitius, Petrus Boquinus, Donatus, Gotuisus, Helias Hasenmillerus, Polycarpus Leyserus, Ministri Germanici, in diversis operibus contra Jesuitas editis, quæ Rupella typis mandavit, & tibi subministravit; ex Gallis verò Ministri Nemausenses in variis H Tractatibus, quos in lucem ediderunt adversus Jesuitas Turnonenses, & maximè adversus Joannem Hayum, & Stephanus Malescot Xantonum minister in sua Morologia verè stulta & mora; quamvis & opus & operis inscriptio tali genitore sit dignissima soboles, Ministri Rupellenses & Gebennenses, qui corruperunt & depravârunt Lusitanicam historiam optimè & verissimè ab Osorio inchoatam, & à Lopesio Castagneda continuatam, cujus nomen usurpârunt Ministri, ut faciliùs lectores in fraudem impellerent, sed isti corvi facilè dignoscuntur suis rostris & plumis, maximè tunc, cùm contra Jesuitas crocitant, de quibus verus & germanus Lopesius admodum honorificè semper locutus est. Isti Ministri, & præcipuè Morologus & stultiloquus ille Malescot, & sche-

G Arnaldus accipit calumnias suas ab Hæreticis.

Magistri Arnaldi sunt Kemnitius Gotuisus, & alii Prædicantes.

Morologia Malescoti Calvinistæ.

& ſchedulæ, quas tibi vel miſerunt, vel
A obtulerunt familiares tui Gallicani Miniſtri aut Marrani Hiſpani in Hiſpania deliteſcentes, vel in Gallia commorantes, profugi ex Hiſpania, aut ipſimet Jeſuitarum Apoſtatæ & deſertores: Iſti, inquam, ſubminiſtrârunt tibi, quidquid contumeliosè & turpiter in Jeſuitas deblaterâſti, ita, ut tota tua actio nihil aliud ſit, quàm vehiculum cœno à triginta annis collecto onuſtum, vehiculum exhalans oleta & fimeta fœdiſſimorum luporum, vulpium, & caprorum, qui noſtra tempeſtate ovile Dominicum vaſtârunt, Chriſtíque vineam in Gallia & reliquis Europæ partibus miſerandum in modum demoliuntur.

B Ex probatis ſpectatæque doctrinæ & virtutis ſcriptoribus nihil accepiſti. Neque enim ullus extitit bonus & Catholicus auctor, quamvis Jeſuitas vix de nomine nôrit, qui, quoties ſe offert occaſio, honorificè de ipſis non ſcribat & loquatur, ùt & ipſorum quidam adverſarii; ex quorum numero unum tuæ profeſſionis & artis tibi proferam Stephanum Paſcaſium, qui Anno ſalutis M. D. LXIV. Jeſuitis diem dixit, & litem intendit: Ita igitur ille, in quadam ad amicum ſuum epiſtola, quam poſteà edidit: *In hac Societate erant tunc permulti docti viri, præter cæteros, Edmundus Augerius & Maldonatus magnus ille Concionator, hîc verſatus, & in omni genere linguarum & diſciplinarum educatus, magnus Theologus, magnúsque Philoſophus.* Et paulò infrà, cùm de Societatis incremento verba facit: *Reformârunt*, inquit, *iſti cæremonias & Eccleſiaſticam diſciplinam denuò ſanxerunt, séque penitùs Apoſtolicæ Sedi devoverunt contra Calviniſtas, qui ſe eorum capitales hoſtes profitentur. At qui verè ſunt Catholici, cùm animadverterent, ex eorum officina pietatem juxtà atque eruditionem prodire, munificè & liberaliter eos dotârunt exædificatis multis in locis juventutis inſtituendæ gratiâ non paucis Collegiis.* Tandem epiſtolam ſuam in hunc modum concludit: *Quantum ad me attinet, arbitror Hugonotis acerrimos in his excitatos eſſe antagoniſtas; Chriſtiana enim & vera Religio præſtare cæteris debet vitæ & morum ſanctimonia & innocentia, exemplo, & ad pietatem compoſitis exhortationibus, non autem bombardis & gladiis.* Audis, quàm honorificè loquatur de Jeſuitis, poſtquam contra ipſos acerrimè in foro & Judicio egerat? Vides, ut eos, ubi agnovit, laudibus extollat? quantis præconiis efferat illorum virtutes, poſtquam eas experimento didicit? Ex ipſo orationis ſtilo & filo apparet, nihil hîc eſſe præter graviſſimum veritatis teſtimonium ab omni aſſentationis ſpecie longiſſimè remotum. Animadvertísne, quomodo hoc ſuo téſtimonio damnet & improbet, quicquid continetur in illa actione jam dudum ſepulta, quam Miniſtri quaſi exhumârunt & ſub luminis oras poſt triginta annos revocârunt, horridam planè novísque gloſſematis mirificè deturpatam. E

Idem juris ſibi ſumpſerunt in epiſtolam F
quandam Domini *de Bazas*, quem credebant mortuum; ſed revixit auſpice DEO, ut ſuppoſititium iſtum fœtum refutaret, quod præſtitit in epiſtola quadam ad P. Saffonium Jeſuitam, cujus hæc verba: *Jure optimo cuivis pro certo affirmare poteras, epiſtolam illam meo nomine Pariſiis impreſſam contra Societatem veſtram neque à me profectam, neque ex meo ſenſu dictatam. Neque arbitror quenquam ex prudentioribus, qui me propiùs nôrit, fidem illi adhibuiſſe propter tot & tam præclara à me in contrariam partem reddita teſtimonia publicè & privatim, ùt ſe dabat occaſio, præſertim in extructione & defenſione veſtræ Collegii Burdegalenſis. Quanti itidem vos veſtrósque labores perpetuò fecerim, teſtantur conciones habitæ & alia ſacra miniſteria permiſſu & rogatu meo in hac Diœceſi à veſtris obita. Eſt tamen quiddam, quod non inficior. Cùm Romæ verſarer, ſub illud ipſum tempus, quo commentitia epiſtola prodiit, ſignificatum mihi eſt à Domino de Lange in ſuprema Curia Burdegalenſi Conſiliario Regio, quoſdam magnæ dignitatis & auctoritatis viros, Catholicæ Religionis amplificandæ ſtudio valdè accenſos & juventutis literis & moribus erudiendæ cupidos, viam ac rationem oſtendere, qua vobis tota gubernatio Collegii Aquitanici committeretur, rogaréque eoſdem, ut cum veſtro Generali Præpoſito hac de re tractarem, imò & ipſum Pontificem, ſi ita opus eſſet, adirem, curarémque omnia ad hanc rem tranſigendam neceſſaria: Reſcripſi, me non poſſe ullo modo translationem iſtam & mutationem probare, multas ob cauſas, vel potiùs difficultates, quas jam tunc animo prævidebam. Et* G
ſi nihil aliud obſtaret; hoc tamen impedimento fore, quòd iſtud Collegium ſemper in primis Regni, & quod hinc eſt conſequens, totius mundi habitum ſit, creditum curæ ac tutelæ eorum, ad quos à primo ſuo ortu ſemper pertinebat, ad Dominum videlicet Majorem & Juratos, qui Collegium iſtud fundârunt, & ùt veri patroni perpetuò tutati ſunt; ac proinde magis è re communi fore, ſi omnibus antiquo loco relictis ab omni immutatione abſtineretur, potiúsque de modo alterius Collegii ædificandi cogitaretur. Si has meas literas ea verborum forma, qua à me ſcriptæ fuerant, amici veſtri edidiſſent, planè nihil in iis reperiri potuiſſet, quod non aut ex honore, aut è re communi dictum ſcriptúmve videretur. Sed bona ſpe ſum, ex fictitia illa epiſtola nihil aliud vel vobis, vel amicis veſtris eventurum, quàm quod crebrò ab optimo Pontifice accepi, qui de calumnia dicebat, eam vacillare & claudicare, tandémque ſuis auctoribus plus mali adferre, quàm iis, in quos initio miſſa & jacta fuerit, à cujus dicto non abludit illud Demoſthenis: χρόνῳ πάντα ἀσθενέσθερα γίγνεται, quo epiſtolam hanc finio, Deúmque H
rogo,

Epiſtola Epiſcopi Bazenſis pro Jeſuitis.

Teſtimonium Paſcaſii pro Jeſuitis. libr. 4. epiſt.

Cur boni Catholici in Jeſuitas bene affecti.

Dictum Pii V. de calumnia.

A *rogo, ut te incolumem conſervet ſuáque gratia cumulet.*

Tempore omnia imbecilliora fieri.

Veſter ut frater intimus

Ar. Ep. Bazaſenſis.

Ecce quomodo viri doctrina & virtute præſtantes de Jeſuitis loquantur & ſcribant ſolius veritatis amore, & quomodo Miniſtri & Prædicantes nihil inauſum relinquant, ut multos fallant, & Jeſuitis officiant.

CAPUT V.

Propter improbitatem paucorum non eſſe puniendos univerſos.

B EX ſuprà dictis igitur impoſtoribus & calumniatoribus tuas impoſturas & calumnias ſublegiſti, aut potiùs à Sathana Prædicantium Magiſtro & Jeſuitarum capitali hoſte didiciſti; & quid aliud eſt Oratio tua contra Jeſuitas, quàm hæretica quædam nugacitas à dæmone Miniſtrorum & hæreticorum proſeminatore profecta? Nec celare poteſt improbitatem ſuam. Faciamus enim inter Jeſuitas reperiri tales, quales tu tuo penicillo deſcribis, quamvis ſine ratione & probatione; tamen velle inde propterea concludere, damnandam eſſe illorum Societatem univerſalis Eccleſiæ & Pontificis judicio approbatam, eſt hæreticis ſeſe conformare, qui propter quoſdam abuſus & aliquorum Eccleſiæ membrorum vitam rectis moribus minùs conſentaneam, ſolent univerſalem damnare & repudiare Eccleſiam, ùt hodierni Evangeliſtæ Lutherus, Calvinus, & eorum ſectatores faciunt, quamvis reclamantibus divinis oraculis, quæ nos docent, ſecernendam eſſe doctrinam à vita, bonámque doctrinam propter malos mores condemnandam non eſſe, nec corpus pro-

Hæretici propter abuſum tollunt uſum.

C pter aliquod vitioſum membrum. Phariſæi benè docebant, & malè vivebant: & tamen Chriſtus ajebat; *quæ dixerint vobis, facite; ſecundùm opera verò illorum nolite facere.*

Matth. 23. Quòd ſi propter flagitia unius improbi & ſcelerati exterminare oportet reliquos, nulla erit tam ſancta Religio & Societas, quæ non ſit de medio tollenda: tolletur prima mundi familia, quia in ea erat Cain; familia Noë, quia ibi erat Cham: familia Abraham, Iſaac & Jacob, quia in illis erant Iſmaël, Eſau, & plures improbi: familia David, quia in ea erat Abſalon; Collegium Apoſtolorum, quia ibi erat Judas.

Improbi ſæpe inter ſanctos.

D Quamobrem licèt demonſtrâſſes, & luce clariùs oſtendiſſes, aliquos vixiſſe inter Jeſuitas, qui ſceleribus ſeſe obſtrinxiſſent; nihil tamen colligere jure poteras, adverſus univerſam Societatem. Quod cùm iniquè & imperitè feceris, hæreticorum mores & ingenium egregiè imitatus es. Hæreticus igitur es, & quidem manifeſtus, cùm ùt hæreticus loquaris. *Verè tu ex illis es; Nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Tu neque S. Petrus es, neque Galilæus, minùs etiam Chriſti diſcipulus, ſed procul dubio Lutheri corvus; tuus enim crocitus, vox tua, os & roſtrum tuum inconditum te produnt. Indue Catholici larvam arbitratu tuo, & fictas eásque molliſſimas voces ede, quoad & quamdiu libuerit, ſimulando Catholicorum loquendi & agendi modos & formam; verſutiæ & ſycophantiæ tuæ te arguunt hæreticum, non quia in Jeſuitas inveheris, ſed quia hæreticorum inſtar contra Jeſuitas hæreticorum immortales hoſtes debaccharis.

E Arnaldus Hæreticus.

CAPUT VI.

Mendacia Arnaldi de Carolo V. Imperatore, Philippo Rege, Hiſpanis & aliis.

F CÆterùm ùt garrulitas tua hæretica eſt, ſic & animus. Omnes hæretici diſcupiunt Jeſuitas ex Gallia exterminatos, qui perpetuò quoque præpedire conati ſunt, quò minùs liber eis pateret in Galliam aditus. Hoc deſiderio accenſus inſanis clamoribus & vociferationibus id procuras paſſim, imò in ſingulis tuæ Invectivæ periodis, præſertim in eleganti tua Peroratione, in qua velut rabidus canis rabidè urges, inſtas, clamas, rogas, interrogas, apoſtrophas accumulas, Gallicè & Latinè ita exclamas, ut periculum venæ rumpendæ immineat: & tamen poſt tot Stentoreos & validos clamores, nulla iſthìc apparet probatio, nullum argumentum, niſi quòd perſpicuè demonſtras, te hoc negotium non agere & procurare, ùt Juſtitiæ fidum patronum decet, ſed ùt hæreticum. Nam ſi tantùm contenderes allatis probationibus, ut Rei certorúmque criminum comperti punirentur, non exiguam utique merereris laudem: verùm dum ſeptem octóve tantùm Religioſos ex tota Societate tibi deligis, eósque ſine ulla veriſimilitudinis ſpecie accuſas, dúmque, ut omnes pariter exterminentur, poſtulas; oſtendis, te non crimen, ſed veſtem; non reos, ſed Religionem perſequi, ídque more Tyrannorum & hæreticorum, quibus hoc cognatum. Ait lex divina: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur; Filius non portabit iniquitatem patris.* Et Lex humana legi divinæ conſona: *Peccata ſuos auctores tenere debent, nec pœna ulteriùs protrahenda. Pœnam ferat ſolus, qui ſolus noxam commiſit, rami amputentur mali, radix ſervetur.* Et, ùt Cicero dicit, *acerbum eſt parentum ſcelera filiorum pœnis lui.* Quantò igitur inhumanius erit, videre integram familiam, patres, filios, famulos puniri, ſi unus ipſorum tantùm deliquit? Vult Deus ignoſcere civitati peccatrici multis peccatorum millibus refertæ propter decem juſtos, ſi in ea reperiantur;

G

Ezech. 18. Extra de iis, quæ fiunt à majori parte capitali cap. Quæſivit.

H In Brut.

A & tu vis perdere quingentos aut ſexcentos Jeſuitas ſceleris puros à triginta annis pro bono publico nullum laborem detrectantes, propter ſeptem aut octo, quos accuſas, nec convincere potes? Abraham Deo dicebat: Gen. 18. *Nunquid perdes juſtum cum impio?* Et tu vis, ut cum quinque aut ſex per ſummam injuriam accuſatis exterminentur quingenti aut ſexcenti innocentes non accuſati? Et ſi vox illa cenſetur immanis & efferati animi, *pereant amici, modò pereant inimici:* quantò crudelior Tyrannus habeberis, dum dicis: *pereant multi innocentes, modò pauci nocentes etiam.* Juſtitia enim pluris facit innocentiam, quàm amicitiam. Nimiùm certè tranſilis limites non Chriſtianæ manſuetudinis, ſed crudelitatis barbarorum omnium, vivámque & ſpirantem hæreticorum effigiem nobis exprimis, quorum immanitas & atrocitas nec modum nec finem novit: Sunt enim lupis aſſimiles, quibus caulas ingreſſis haud ſatis eſt unam ovem ſedandæ fami trucidâſſe, niſi univerſo ovili vaſtitatem & perniciem extremam afferant.

Hæretici lupis ſimiles. Joan. 10.

B Fortaſſis vis dicere, Jeſuitas Galliæ unanimes in Rempub. Gallicanam conjurâſſe, & tot tantáque mala communi conſpiratione Franciæ intuliſſe. Si hoc verum eſt, jure jus & fas imploras, quin plus æquo miſericors es, dum petis, ut ex Gallia duntaxat ejiciantur. Nam quando totum Reipub. corpus crimine tenetur, non injuria punit lex tam membra, quàm capita, integrásque civitates propter improbum Magiſtratum, & liberos propter ſcelera parentum: hanc ob cauſam extinctus fuit totus *Humiliatorum*, ùt vocant, *Ordo*, quem tu inſipienter contra Jeſuitas adducis. Nihil enim ſimile de Jeſuitis ne per ſomnium quidem afferre potes, &, ſi potuiſſes, haud pro
C tua benevolentia prætermiſiſſes. Quapropter ſi juſtè, & non calumniatoris more Jeſuitas proſcribi, & in exilium ejici voluiſſes, probandum tibi erat, eos illa, quæ objicis, ſcelera perpetrâſſe, nec fidere debebas petulanti tuæ loquacitati, verbísque illis *(Notorium, populóque notum crimen eſt: nemo dubitat)* neque enim tantus adhuc es apud Gallos Pythagoras, ut, cùm dicitur, *Arnaldus dixit?* omnes non ſine conſurrectione tibi aſſentiantur.

D Videndum igitur, num firmiora ſint illa argumenta, quæ in Narrationis tuæ primo limine collocâſti. *Carolus Quintus*, ais, *& Philippus ejus filius, ut ſe jam Indico repleverant auro, haud priùs eruto, non minorem hercle foverunt ſpem, quàm ut aſpirarent ad Monarchiam atque Imperium totius Occidentis, utì videlicet Auſtriaca familia eodem collocaretur dignitatis gradu inter Europæos, quo eſt Othomannica inter Aſiaticos. Jam autem gnari, quantum dominaretur animis hominum conſcientiæ ille ſcrupulus, quámque penitus atque indeſinenter in pectora deſcenderet, ambitionem iſtam illo pietatis velârunt mantello. Et ineſcare quidem multò maximam partem Curiæ Romanæ, facillimum eis; tum ratione ſtipendiorum honorariorum, tum beneficiorum non vulgarium, quæ Mediolani, Neapolis ac Siciliæ, ut omittam proventus Hiſpaniarum, precii prorſus immenſi. Verùm enimverò cùm omne, quod magna illa Regina Urbium Roma ſuo fovet ambitu, grave eſſet ac ſedentarium; opus eis fuit hominibus, qui & ingenio ſimul & ſedibus inſtabiles his illis diſtributi locis, Hiſpanorum negotia è re nata fideliter atque utiliter adminiſtrarent. Atque hi fuerunt Jeſuitæ, qui ſe horrendo ſanè numero omnibus infuderunt regionum angulis, nec enim hodie longè abſunt à decem millibus, jámque adeò in ducentas ac viginti octo diſtributi colonias, annuo poſſident reditu ſupra viginti centena aureorum millia. Quid ni? Comparatis ſibi pluribus Comitum, maximorúmque Baronum latifundiis in Hiſpania atque Italia, ipſi interim nullo non inſigniti honore, jam Cardinales, jam ſpe Papæ.* His verbis & illis, quæ usque ad undecimam pagellam ſequuntur, hic ſubeſt ſenſus: Carolus V. ejúsque filius Philippus Jeſuitarum operâ uſi ſunt, Jeſuitas Hiſpanos effectos, opibúsque immenſis locupletatos, in univerſum terrarum orbem emiſerunt, & præſertim in Galliam, in quam clanculum irrepſerunt, ut eam Hiſpano tandem ſubjugarent. Voto Obedientiæ adſtringunt ſe Jeſuitæ Papæ, Regi Hiſpano, & Generali Hiſpano; preces fundunt pro ſalute Regis Hiſpani, & non pro incolumitate Regis Galliæ. Sunt igitur Jeſuitæ Hiſpani, & omnium malorum Galliæ auctores, ex qua neceſſariò expellendi ſunt. Hæc tuorum verborum ſententia eſt, & ut ſic loquar, *ſubſtantia:* quibus manifeſtè oſtendis, te ſemper *Arnaldum* eſſe, hoc eſt, enormem ſycophantam & calumniatorem, non modò Jeſuitarum, ſed & omnium mortalium, quorum alios *corruptores* & *avaros* nominas, ut taceam, ne ipſam quidem Curiam Romanam intactam à tuis maledictis relinqui: Sed quid mirum te tanta linguæ procacitate uti, hominem Dei expertem & atheum; atheis enim te annumerandum eſſe inde liquet, quòd ille tibi inſignis & præ cæteris ſuſpiciendus videtur, qui Religionem regnandi gratia vel admittit vel dimittit; cùm ejusmodi homo neque bonus civis ſit, neque Chriſtianus, ſed fatuus & atheus Machiavelliſta, fidei & rationis orbus.

Arnaldi narratio & confirmatio.

Injuria Arnaldi in Domum Auſtriacam.

E

Calumnia in Romanam Curiam.

F

Mendacia inſignia.

G

Arnaldus Machiavelliſta.

H Laborat porrò tota tua ratiocinatio duobus tantummodò vitiis, nec pluribus laborare poteſt: Alterum eſt falſitas *antecedentis:* Alterum, ineptia & ſtoliditas omnium *conſecutionum*, quas ex illo antecedente deducis. Falſum eſt, Carolum V. Jeſuitarum operâ uſum eſſe; & ut maximè verum

A verum esset; num propterea rectè colligitur, Jesuitas totos in Hispanorum mores & naturam transiisse, atque adeò Hispanos effectos esse? Carolus IX. Christianissimus & nunquam intermorituræ memoriæ Rex & alii Reges Galliæ aliquando usi sunt Hispanorum operâ, ùt & Helvetiorum & Germanorum: súntne tales effecti Galli? Quòd si exteri Galli effecti sunt, quia operam suam Regi Galliæ locârunt, nihil obstat, quò minùs Jesuitæ patria & origine Galli, tam facilè sint & manserint Galli propter obsequia Regibus Galliæ præstita, quàm facilè illi peregrini effecti sunt Galli, cùm tamen primo ortu minimè essent Galli.

Carolus IX. usus est operâ Hispanorum, ùt & alii Reges.

CAPUT VII.

Carolum V. Imperatorem non esse usum opera Jesuitarum, ùt mentitur Arnaldus.

B

SEd examinemus jam, quàm verè dixeris, *Carolum V. Jesuitarum operâ usum esse, eósque in Hispanos transformâsse*, ut haberet machinationum & molitionum suarum idonea instrumenta: Natus est Carolus V. Anno Domini M. D. Imperator electus Anno XIX. præcipua bella gessit eo temporis spacio, quod inter annum XXIX. & LV. interjicitur. Jesuitarum Ordo confirmatus est Anno XL. hac tamen cautione, ut ne sexagesimum personarum numerum excederet. Si tempus, quo Carolus V. ad Imperium evectus est, conjungere velis cum tempore, quo Societas Jesu à Pontifice est approbata, oportebit te non decem dies, ùt nuper Gregorius XIII. fecit, sed viginti & eò ampliùs annos integros magno sanè compendio ex eo temporis intervallo eximere. Quod si factu nefas est, quomodo Caroli V. tempora cum Jesuitarum exortu & in mundum adventu copulabis? Et si duo hæc tempora consociare nequis, qua fronte mentiris, ipsos eodem quasi temporis puncto enatos prodiisse; poterátne Imperator aliquid de Jesuitis decernere, antequam in rerum natura essent? poterátne illos tanquam Hispanos ad usus suos adjungere, & tam immensis thesauris cumulare? Porrò ùt in Chronologia temporísque accurata notatione, ita & in Narrationis tuæ accommodatione imperitè hallucinaris. Nam etsi à veritate alienum non esset, Jesuitas eodem tempore, quo Carolus Imperii thronum conscendit, extitisse, quo tamen argumento vel in speciem probabili probas, eos ab Hispanis tot opibus auctos, tótque reditus & proventus annuos accepisse, tot tantísque deductis coloniis? Cur non expressisti Fundatorum tam liberalium nomina? Cur siluisti nomina Comitatuum Hispaniæ ac Italiæ? Cur nobis non descripsisti, undénam Jesuitis illæ tot auri myriades quot annis obtingant? Cur non solida aliqua ratione ostendisti, Imperatorem vel filium ejus Philippum adeò munificos in Jesuitas fuisse? Num à nobis postulas, ut, quidquid dicis aut scribis, id sine ulla disquisitione tanquam divinum & à Propheta quodam editum oracullum prono assensu credamus? An non vel hinc manifestum evadit, te *Arnaldum esse*, hoc est, mendacem & impostorem, qui nobis persuadere coneris, quod ne ullam quidem verisimilitudinis umbram habet? Forsitan opinabaris, impunè tibi mentiendi de tantis reditibus, tótque millenis auri talentis datam esse potestatem, ut illis, qui ex longinquis regionibus nova nunciant.

C

Arnoldi imperitia.

D

E

Ejusdem notæ est, quod in quodam Epilogi tui loco narras, *Jesuitas Gallicanos Anno Domini M. D. XXX. annuam pensionem ex Hispania percepisse, & hoc ipsosmet testari* ais. Sed jam demonstravi, Jesuitas illo Domini anno M. D. XXX. necdum extitisse, sed decennio pòst; neque in Galliam venerunt, nisi anno M. D. L. & exiguo quidem numero. Neque unquam probare poteris, vel verbo vel scripto testari Jesuitas, id quod ipsos testari mentiris; ita ut duabus lineis tot ferè mendacia attuleris, quot verba. Sed de Jesuitarum divitiis postea agemus.

F

Mendacia Arnaldi.

Quo anno Jesuitæ in Gallias venerint.

Verùm his omissis confero me ad id, quod hoc loco præcipuum est, cupióque, ut me doceas, quomodo Carolus V. usus sit operâ Jesuitarum ad occupandum Occidentis Imperium? Hoc cùm tuæ Narrationis firmamentum & fundamentum sit, nisi perspicuè probaveris, necesse est, ut tota, quam extruxisti, machina corruat. Neque aliud pro tui defensione afferre potes, quàm quòd ipsorum operâ usus sit Anno Domini M. D. XL. postquam videlicet Societas à Pontifice approbata fuit. Sed meminisse tamen debes, te hoc responso præpropero minimè satisfacturum. Ut enim agnoscerentur, temporis progressione opus erat, cùm supra sexaginta non essent. Expectare itaque oportuit, dum justo numero Magistri tot occupationibus districti multiplicarentur, ut & Collegia passim ædificarent, & id, quod animo conceperant, effectum transactúmque darent. His accedit, quòd non modò impium, sed & ridiculum & prorsus incredibile sit, tantum Monarcham, cui tanta potentia belli gerendi Orbísque subjugandi suppetebat, religioni non duxisse, Religione ad suum Imperium propagandum abuti, tam certa & præsenti salutis æternæ jactura; aut Religiosorum virorum adeò fuisse indigum, ut præter Jesuitas ea tempestate vix natos, non reperiret alios conatuum suorum adjutores. At quonam ore nos intueberis, si proprio Caroli V. testimonio demonstrem,

G

H

ipsum Societatem hanc non cognoA viſſe, niſi poſtquam Imperio ſeſe abdicavit, Regnorúmque omnium adminiſtrationem Philippo filio tranſcripſit, qui tum vigeſimum octavum ætatis annum agebat? Si hoc probem, non video, qua ratione ampliùs dicturus ſis, Carolum V. ad orbis dominatum invadendum Jeſuitas adminiſtros adhibuiſſe.

CAPUT VIII.

Oſtenditur ex Ribadeneira Carolum V. Imperatorem vix noviſſe Societatem.

B REm porrò ita ſeſe habere, docebit te is, quem libenter citas Ribadeneira, qui in vita Franciſci Borgiæ Jeſuitæ, Ducis quondam Gandiæ & nomine & loco ejusdem Imperatoris Cataloniæ Proregis ait: Franciſcum quinquennio à converſione veniſſe in Hiſpaniam, atque Imperatorem Dominum ſuum in Monaſterio Juſtæ, Ordinis S. Hieronymi, quo ſuperiore anno vitæ religioſæ inibi degendæ gratiâ ſeceſſerat, officii cauſa adiiſſe; Imperatorem autem aſpectu prædicti Borgiæ mirabilem voluptatem cœpiſſe, quòd coràm intueretur, re ipſa jam eum præſtitiſſe id, de quo quatuor antè annis certior factus eſſet. Præter cætera in hanc cum illo egiſſe ſententiam: Sibi quidem vehementer placuiſſe & ædificationi fuiſſe, cùm Auguſtæ Vindelicorum ex literis intellexiſſet, ipſum mundo valedicendi tam ſalutare conſilium iniiſſe; mirari tamen ſe etiam atque etiam, hominem ea fortuna, dignitate, & conditione tot antiquis Religioſorum familiis relictis delegiſſe planè novam, neque omnium adhuc ſuffragiis approbatam, & de qua varii ſermones à variis in utramque partem ſererentur: Cùm enim de eligenda Religione agitur, eam utique cæteris eſſe præponendam, quæ antiquitatis honore potiſſimùm emineat. Ad quæ Borgia paucis: Religionem hanc nihil, quod ad fidem ſpectet, innovâſſe, utpote quæ idem ſentiat & credat, quod Catholica Eccleſia ſemper ſenſit & credidit: Si autem propter peculiare ſuum inſtitutum, vivendíque rationem nova cenſeatur, nullam omninò reperiri Religionem, quæ non aliquando æquè nova fuerit, ac iſta, neque magis eam, quòd minorennis ſit, contemni, legitimáque portione & jure ſuo privari poſſe, quàm alios Religioſos Ordines, cùm ejusdem eſſent ætatis; ſatque roboris & auctoritatis eidem vel inde acceſſiſſe, quòd Eccleſiæ & ſummi Pontificis calculo comprobata in Album familiarum Chriſti adſcripta fuerit, iiſdem quibus illæ privilegiis & immunitatibus exornata, hócque teſtimonium longè majus eſſe, quàm quod à temporis diuturnitate petitur. Neque verò ipſius Eccleſiæ prima quaſi incunabula obſtitiſ- E ſe, quò minùs pietate & omni virtutum genere quàm maximè fioreret. Permultos quidem inveniri, qui de Societate varios rumores ſpargant: Alios calumniandi cupiditate, quòd Societatis inſtitutum ignorent: alios odio & id genus ſimilibus animi affectionibus impulſos: hos autem oblocutores & detractores non eſſe digniores fide illis, qui in Societatem adſcripti totam ejus vivendi rationem propiùs exploratam haberent: Se quidem eo ſemper prædituм fuiſſe animo, ut, ſi aliud quid præter eximiam vitæ ſanctimoniam in ea deprehendiſſet, nomen ſuum in Societatem nequaquam daret, aut jam datum non derepentè expungeret, ſi poſt ingreſſum aliud, quàm quæſiverat, reperiſſet.

F Hanc orationem cùm Imperator vehementer collaudâſſet, non ignarus, Franciſco virtute, religione & veritate nihil eſſe antiquius, ſimúlque interrogâſſet, num, quod ferebatur, verum eſſet, in Societate nullos ſenes & ætatis provectioris, ſed juvenes tantùm vivere; Borgia ſubridens: *Quid mirum*, inquit, *ô Imperator, ſi matre tam juvencula, támque viridi ævo, filii necdum caneſcant; veniet labentibus annis canities: Ipſe tamen jam quadrageſimum ſextum ætatis annum attigi, mecúmque agit Sacerdos, qui ſub ingreſſum in Societatem ſexagenario major erat.* Et hæc eſt ſumma eorum, quæ ex illo colloquio ad noſtrum propoſitum conducunt.

Laudat Carolus V. ſententiam Borgiæ.

G Neque inutile erit, deſcribere Epiſtolam, quam Imperator Auguſta ad Borgiam dedit. *Illuſtris Dux & cognate, literas tuas accepi per Caſparum Buillalonium, & quamvis propoſitum illud tuum valedicendi mundo, réſque mortales cum cæleſtibus commutandi deſiderium vehementer laudem & approbem; non dolere tamen non poſſum, ùt ratio jubet & exigit: verùm dolor, quem capio, non impedit, quò minùs id, quod à me poſtulas, liberaliter tibi concedam, videlicet ut Ducatum & ditionem tuam filio tuo Carolo tradam; libenter votis tuis annuo. Perſuadeo autem mihi, plures extituros, qui factum tuum invidè carpant, quàm qui imitentur. Illud enim cuivis promptum eſt & obvium, hoc labore & ſudore eget. Cùm verò tuos liberos deſeras, obſtringis me, ut eos, réſque eorum in meam fidem & clientelam recipiam, quod & faciam, pro eo ac meritus es, ſpero fore, ut ſtudio tuo parta & comparata ipſi pro viribus conſervent & tueantur. Rogabo Deum, Dux illuſtris, ut ſanctis tuis conſiliis rector & moderator adſiſtat, cui in tuis precibus, noſtra quoque & totius Chriſtianæ Reipub. negotia commendes velim. Auguſtæ 12. Februarii M. D. LI.*

Epiſtola Caroli V. ad Borgiam.

H Ex quibus omnibus videre potes Arnalde, ſi tamen oculis non es captus, Carolum V. de hac Societate nihil præter auditum habuiſſe aut ſciviſſe, longéque aliter de ea locuturum fuiſſe, tum in colloquio cum

Colloquium Caroli V. cum Franciſco Borgia.

Prudens reſponſum Borgiæ.

Omnis Religio aliquando nova fuit.

A cum Borgia, tum in epiſtola ad eundem, ſi tam familiariter, ùt tu fingis, Jeſuitarum operâ fuiſſet uſus. Pluribus enim declarâſſet ſuam in eum Ordinem benevolentiam tanquam multorum annorum curriculo probè cognitum, magísque laudâſſet Borgiæ conſilium, quòd Societatem ſibi adeò devotam & addictam amplecti cogitâſſet. At cùm tam parcè de Societate loquatur, oſtendens ſe potiùs velle diſcere, qualis ſit, quàm de eâ judicium ferre, perſpicuè intelligitur, eam illi non niſi tenuiter admodum fuiſſe cognitam, fieríque non poſſe, ut ipſius operâ uſus ſit in rebus politicis, & ad Rempub. pertinentibus, ùt tu perſuadere contendis; cùm in Monaſterium *Juſtæ* ſeſe abdiderit Anno M. D. LV. biennio aut triennio ante ſuum obitum. Mortuus eſt enim Anno LVIII. ſæculi & ſuæ ætatis. Quòd ſi alicubi legas, Collegium Societatis ab ipſo fundatum & dotatum eſſe, ùt Panormitanum in Sicilia, id non tam fecit, quòd Societatem familiariter & interiùs nôſſet, quàm rogatu civium illarum civitatum, quibus extruendis Collegiis gratificari cupiebat.

Carolus. V. vix novit Societatem Jeſu.

B

Mors Caroli V.

CAPUT IX.

Philippum Regem ſerò agnoviſſe Societatem; & Arnaldum Hæreticum eſſe.

C QUo igitur ore, qua conſcientia, impoſtor, fingere & affirmare audes, Carolum V. *Jeſuitarum operâ uſum eſſe, eósque Hiſpanos effeciſſe, tótque divitiis cumulâſſe*; cùm ipſo variis bellis in Europa & extra occupato Jeſuitæ nondum extiterint, & ubi extiterunt, vix ab Imperatore ad finem uſque vitæ agniti fuerint? Effice rogo, ut capiam iſtud tuum myſterium omnium ſanè mirificiſſimum: ánne decem iſta millia Jeſuitarum futurorum, qui re ipſa nondum erant in rerum natura, collocabat fide duntaxat in *Campania*, eo modo, quo Calviniſtæ fide ponunt corpus Chriſti in Euchariſtia, licèt interea firmiſſimè credant, illud quàm longiſſimè ab Euchariſtia abeſſe? Utebatúrne iſtis ducentis futuris coloniis velut ducentis Helvetiorum D pagis, quos *Cantones* appellant? Animóne & cogitatione efformabat & deſtinabat in mundum iſtos *Comites*, iſtos *Cardinales*, iſtos *Barones* Italiæ & Hiſpaniæ, qui poſt triginta annos naſcituri erant, ut in Occidente rerum potiretur, eo modo, quo Othomannus in Oriente? Platonis ideæ intellectu perquam ſunt difficiles, ſed iſtas tuas longè magis arduum eſt intelligentia aſſequi: etſi hoc quoque diſtant, quòd ideæ Platonicæ nonnihil veritatis & ſapientiæ, tuæ præter ſtultitiam, mendacémque vanitatem nihil penitùs contineant.

Initio tui Exordii ſimul atque os aperuiſti, E mendacia non pauca protuliſti: nec in Narratione à te degeneras, ſed iiſdem impoſturæ & inſcitiæ involucris te implicas, apertéque oſtendis, te tam imperitum artis narrandi & confirmandi, quàm exordiendi. Prima hiſtoriæ lex eſt *Veritas*; tu tamen cùm te pro Hiſtoriographo vendites, ne eminùs quidem veritatem aſpexiſti. Narratio omnis brevis eſſe debet totius facti complexio, perſpicua, vera, aut minimùm veriſimilis. Qua in re inſipientiùs peccare non poteras, quàm peccâſti: nam ut demonſtrares, Jeſuitas omnium malorum eſſe auctores, rem arceſſiſti non à capite, ſed à Carolo V. cujus Imperium Societatem viginti integros annos anteceſſit, ut non immeritò inſipientia ſimilis videaris illi, qui ùt Poëta irridens cecinit:

Quàm inepta narratio Arnaldi.

Gemino bellum Trojanum orditur ab ovo. Horat. ad Piſ.

Taceo, te non niſi ineptè ad propoſitum F tuum confirmandum junctim adduxiſſe patrem & filium, quippe Philippo necdum in lucem edito, cùm Ignatius à ſæculi vanitate ad Deum converſus eſt. Adde, quòd Rex ipſe Philippus non niſi ſeptem vel octo annis ab obitu Caroli parentis Societatis inſtitutum penitiùs & certiùs cognovit, ùt apparet ex epiſtola, quam ad Jeſuitas dedit Anno ſalutis M. D. LXVI. cùm ſcilicet ad amplificandam Chriſtianam Religionem in *America* & *Florida* eorum operam & induſtriam expetiit. Initio enim illius epiſtolæ ait, *ſe ad hanc petitionem inductum eſſe communi hominum ſermone & fama, quam virtutibus ſuis apud omnes concitârint*. Quòd ſi vetuſtatis amore capiebaris, laudísque aliquid G ex hac re venabaris, poteras Narrationem tuam exordiri à creatione mundi, aut à diluvio, meliori utique connexione & convenientia, cùm Jeſuitarum origo magis ab Adamo vel Noë dependeat, quàm ab Imperatore Carolo. Acceſſiſſet etiam hiſtoriæ tuæ non modò major antiquitas, ſed & gravior auctoritas. Porrò ùt Narratio tua informe quoddam & horrendum monſtrum eſt: ita nec confuſione & obſcuritate caret, ut, ubi verſeris, ignorare videaris. Nam à cepis ad allia tranſilis, tótque quæſtionibus & materiis te involvis, quot verbis, tantóque diſcrimine disjunctis, quanto diſtat cœlum à terra, ſine ulla veritatis cura & ſtudio, ùt jam ſuprà oſtendi.

Verùm enimverò quia hoc loco hæreſeos H tuæ venena præſentiora & perniciofiora evomuiſti, neceſſe eſt, ut paremus antidotum, antequam ulteriùs procedamus. Jam ſuprà demonſtravi, ex modo loquendi tibi familiari te jure hæreticum cenſeri. Idem nunc oſtendam ex opinionibus, quas amplecteris. Sic enim & prior probatio ſoli-

A dior, & refutatio validior exiſtet. Induis quidem aliquando perſonam Catholici, dum Catholicorum loquendi modos fictè imitaris, ut rudiores fallas, idque maximè facis ſub finem tuæ argumentationis, ubi poſtquam multa contra Eccleſiam & Jeſuitas detonueras, à nemine accuſatus, ſed tantùm conſcientiæ ſtimulis & intemperie exagitatus, quæ tacitè tibi id, quod eras, ſuggerebat, ut tamen perſonam & ſpeciem Catholici, qualis non es, retineres, ne improbitas tua omnibus innoteſceret, addis; *tè ob Invectivam in Jeſuitas conſcriptam non numerandum inter illos, qui Geneva aut ex Anglia prodeunt, hoc eſt, inter hæreticos, cùm ab ineunte ætate educatus fueris in Regio Navarræ Collegio, & ad publica munia* (quæ tamen retices) *evectus*, poſitis in inſcriptione Phi-

Arnaldus diſſimulat ſe eſſe Hæreticum.

B lippicæ tuæ præſentibus & præteritis *Conſiliarii, Procuratoris & Advocati* titulis; poteras illos quoque adjungere, quos in futurum jam ſpe præcepiſti, vel ſi mavis, devorâſti. Cæterùm ego planum tibi faciam, Hæreticos non ex ſolo lacu Genevenſi, aut ex reciprocis Tameſis ad Londinum fluctibus emergere, ſcholámque illam & Magiſtratus non magis te ab hæreſeos ſuſpicione purgare & vindicare, quàm vel Ramum vel Bezam, vel ſimiles, qui in Navarræo Collegio & non in trivialibus ſcholis inſtituti & publicis officiis perfuncti ſunt. Attende jam, quonam modo te hæreticum eſſe doceam.

CAPUT X.

Prima propoſitio Hæretica ab Arnaldo defenſa.

C QUi Theſes ac propoſitiones hæreticas, Lutheranas, Calvinianas, & ſimiles tuetur & propugnat, is eſt hæreticus: Id tu facis: Hæreticus igitur es. Negare non potes majorem propoſitionem, & primam hujus breviſſimi Syllogiſmi partem. Quemadmodum enim ille niger eſt, qui nigrorem habet, ùt æthiops; & ille ignorans, qui ignorantiam habet: ita ille hæreticus eſt, qui hæreſes tuetur ac defendit. Quare concedere cogeris Majorem, niſi velis non ſolùm hæreticus, ſed etiam inſanus judicari. Reſtat ergo, ut probem, te hæreticas propoſitiones tueri, ut ita undique

D conſtrictus tenearis. Ex multis nonnullas ſeligam, eas videlicet, quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritatem attingunt, quam ſupra modum hæreticorum inſtar odiſti, primíſque tuis jaculis ſtatim appetis, cùm tamen veri nominis Catholici nihil prius duçant, quàm ut Sedis Apoſtolicæ honorem, quoquo modo licet, propugnent integrúmque præſtent; qua de cauſa vulgò appellantur Papiſtæ à filiis diaboli fratribus tuis.

Prima & generalis propoſitio hæretica, E quam defendis, eſt, cùm Apoſtolicæ Sedis doctrinam vocas *erroneam & ſchiſmaticam.* Doctrina ſanctæ Sedis eſt hæc: *Subeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ omnino eſſe ad ſalutem neceſſarium.* Tu gloſſam addis: *Ecce*, inquis, *quomodo nominatim & perſpicuè ſeſe conſtituit caput, Superiorem & Dominum abſolutè, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus omnium Regum terræq; Principum, ita quidem, ut de ipſis ſententiam ferat Judex, regnóque aut dejiciat, aut reponat.* Confirmas Extravag. com. unam ſanctam, de major. & obed. gloſſam tuam ex Extravag. cujus hæc verba: *utrque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem* F *gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam veritate teſtante ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere debet & judicare, ſi bona non fuerit, &c. Ergo ſi deviat terrena poteſtas, judicabitur à poteſtate ſpirituali.* In quæ verba ita commentaris: *Si propoſitiones iſtæ non ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ, quid ſequitur, niſi nos omnes, qui Regi obtemperamus, excommunicatos eſſe.* Argumentatio tua hæc eſt, ùt video. Aut propoſitiones Pontificis ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ, aut nos ſumus excommunicati: non ſumus autem excommunicati: ergo propoſitiones Papæ ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ. Pontifex igitur, judicio tuo, errat, errorísque doctor & auctor eſt, G quod eſt Pontificem cominùs petere, non ùt privatam quandam perſonam, Gregorium puta aut Bonifacium, neque ùt privata aliqua opinione vel perſuaſione imbutum, ſed ùt caput Eccleſiæ, Chriſtíque Vicarium; quod nihil aliud eſt, quàm Apoſtolicæ Sedis auctoritatem & doctrinam funditùs labefactare: Nam quidquid in ſupradictis propoſitionibus comprehenditur, id etiam Sedes Apoſtolica & omnes Pontifices uno ore tradunt; Lutherus, Calvinus, noſtríque temporis petulantiores hæretici non potuiſſent majori in Pontifices injuria hæreticos ſe ſe oſtendere, quàm tu egregia hac tua aſſertione ex imis inferorum ſedibus eruta, & ex H tenebricoſis gurguſtiis duorum iſtorum & ſimilium, quos Magiſtros ſequeris, producta: hoc enim eſt, totam Eccleſiam Catholicam ex ipſis fundamentis evertere, veræque & Apoſtolicæ doctrinæ curſum penitùs intercidere, Legésque omnes, omnes Scholas & Univerſitates, in quibus jus Canonicum explicatur, ſepelire, & è medio tollere. Nam ſi aſſeveres, Papam docere & ſcriptis tradere hæreſes, ſequitur, dubium & incertum fore, quicquid dixerit aut ſcripſerit; & ſi Decretalis à te citata *erronea* & *ſchiſmatica* eſt, ùt poſt Calvinum, Lutherum & omnes hæreticos aſſeris; dicendum erit, Concilium Lugdunenſe, quod ipſam

Arnaldus evertit totum jus Canonicum.

appro-

approbavit, ùt & totum ſextum librum Decretalium, perniciosè errâſſe.

A Vix poteras avum tuum Lutherum excellentiùs imitari, qui odio Pontificis incenſus, Juris Pontificii volumina publicis flammis in Germania incendit: quod ille fecit igne, hoc tu pro viribus procaci lingua facis. Miniſtri Anglicani Præceptoris ſui veſtigia inſiſtentes extulerunt Anno M.D.XLVI. in feretris, & in cineres verterunt libros Scholaſticos & Canonicos cantatis, ludibrii gratiâ, mortuorum *Vigiliis* & *Officio*. Tu tuis illis axiomatis Gallos ad idem facinus excitas. Inficiari igitur meritò non potes, animam Lutheranam vel Calvinianam, hoc eſt, hæreticam in corpus tuum immigrâſſe: nam viri probi & in Chriſti ſchola educati, Catholici, inquam, ipſorúmque Doctores, non modò reverentur & colunt Summum Pontificem ùt Chriſti Vicarium, & D. Petri ſucceſſorem, ſed & firmiter credunt, ipſum errare non poſſe, docendo ea, quæ ad fidem & bonos mores ſpectant.

Lutherus combuſſit jus Pontificium.

Idem fecerunt Miniſtri Anglicani. Sanderus lib. 2. de ſchiſm. Anglic.

B

CAPUT XI.

Calumniæ Arnaldi in Pontificem.

C VErùm minimè contentus, tuam te patefeciſſe impudentiam, vocando doctrinam Pontificum *erroneam* & *ſchiſmaticam*, longiùs adhuc progrederis, dum Pontifices mendacio oneras: dicis enim, Pontificem in *Extravag.* à te prolata *conſtituere & pronunciare ſeſe caput, Superiorem & Magiſtrum abſolutum, in ſpiritualibus, & in temporalibus omnium Regum & Principum terræ*, quod in contextu prædictæ Decretalis non invenitur. Mirum profectò, te nullo addito Juris titulo, nullo paragrapho, nulla Lege, præter iſtam Extravag. adeò peritè eam te gloſſematis tuis illuſtrâſſe, ut ex ſenſu & cerebro tuo extravaganti, alia propemodum *Extravagans* nobis ſit prognata. Peregrinabatúrne mens & cogitatio tua in Terceris inſulis? Fortè quando hæc dicebas & ſcribebas, eò evolaverat quæſitum navem Jeſuitarum. Nam ſi præſenti animo fuiſſes, nullo negocio intellexiſſes (ſi tamen Latinam linguam intelligis) illam univerſalem, nullísque limitibus circumſcriptam poteſtatem Papæ in Chriſtianos, ſpiritualem non temporalem eſſe. Praxis & conſuetudo loco interpretis ab errore te immunem ſervare poterat, ſi Extravagantis illius ſtylus nimiùm tibi Latinus & ſubtilis erat. Nam conſuetudo eſt interpres quotidiana Legum. Nemo non videt, Summos Pontifices neque eſſe, neque ſeſe nominare Reges temporales regnorum, quorum potiùs ſunt Patres ſpirituales. Neque ullum jus Imperii & dominatus uſurpant ſibi in ulla regna, niſi iis in locis, ubi ipſimet ſunt Principes temporales ſimul & ſpirituales. Et quamvis Decretalis ſub conditione loquatur: *Si deviaverit terrena poteſtas, judicabitur poteſtate ſpirituali;* minimè tamen aſſerere debebas, Papam ſeſe pro Domino abſoluto, temporali ſimul & ſpirituali omnium regnorum venditare: Conjunctio enim illa, SI, quò minùs in hæc verba erumperes, ducis loco tibi erat, ſi eam ſequi voluiſſes: *Si bona non fuerit, ſi deviaverit terrena poteſtas.* Significat hæc Conjunctio SI, Apoſtolicam Sedem cuivis Principi relinquere jus & arbitrium gubernandi ſuas ditiones, ſalva tamen correctione & admonitione Patris & Superioris, ſi quando adminiſtratio illa redundaret in detrimentum Eccleſiæ, quam Pontifex totis viribus, imò proprio ſanguine defendere debet, *cùm ſit Dei Vicarius.* Qua de cauſa ſæpè coërciti ſunt Principes à Pontificibus, magno cùm ipſorum Principum, tum Eccleſiæ emolumento. Sic compeſcuerunt Pontifices Fridericum Imperatorem ſupra modum inſolentem & Reipublicæ pernicioſum, itémque Regem Dagobertum, & alios moribus depravatos & viiis inquinatos: neque ſummi duntaxat Pontifices, ſed & inferiores Prælati idem crebrò factitârunt proſpero eventu, & nominatim S. Ambroſius, qui Theodoſium Imperatorem, & ad truculenti facinoris ſalutarem deteſtationem adduxit, & ad meliorem frugem revocavit.

E

F

Diſtinct. 96. C. Duo ſunt.

Theodoſius Imp. correptus & correctus à S. Ambroſio.

Porrò dicere, dominum ſpiritualem eſſe dominum abſolutum, ea ſolùm de cauſa, quòd in certis caſibus dominis temporalibus aliquid præcipiat, perinde eſt, ac ſi quis affirmaret, hominem ſimpliciter eſſe nigrum, quòd pupillam nigram; aut æthiopem candidum, quòd candidos dentes habeat. Hæc argumentandi ratio propriè convenit in hæreticos, qui ex particulari lege vel enunciatione colligunt univerſalem. Nam, ut exemplis res fiat illuſtrior, mentiuntur hæretici, prohiberi ab Eccleſia Matrimonium, cibósque à DEO creatos, quòd matrimonium prohibeat Sacerdotibus & Religioſis, & quia certis temporibus interdicit certo ciborum uſu, quæ ſunt interdicta particularia, definitísque temporibus, perſonis & circumſtantiis comprehenſa, ac proinde ea ùt generalia, & ab omni hypotheſi ſejuncta proponere, nihil aliud eſt, quàm impoſtorem agere: Neque enim ſimpliciter prohibet Eccleſia Matrimonium, ſed tantùm mandat, ut fidem datam ſervent, qui ſe ſuámque caſtitatem per continentiæ votum Deo conſecrârunt inito contractu non minùs firmo & inſolubili, quàm ſit ille nuptialis: nec abſolutè interdicit ullis ciborum generibus, ſed præcipit, ut aliquando per abſtinentiam ſe ſe macerent, quibus id ætas & valetudo permittunt. Habes ergo primam eámque generalem propoſitionem hactenus explicatam, quæ te in

G

Modus argumentandi Hæreticorum.

H

Poteſtas Pontificis in Chriſtianos, ſpiritualis eſt.

D

hære-

A hæreticorum classem conjicit, cujus confutatio satisfacere & poterat & debebat cujvis intelligenti, ut sibi persuaderet, verum esse, quicquid in illa *Extravag.* Pontifex asserit, falsúmque & frivolum, quicquid in contrariam partem objecisti. Sed ut tua hoc loco magis pateſcat impudentia, duas adhuc addam assertiones, eásque paucis refellam.

CAPUT XII.

Secunda propositio Hæretica Arnaldi.

B ALtera est, cùm profiteris, illam doctrinam esse *erroneam* & *schismaticam*, quæ tradit, necessarium esse sub pœna damnationis æternæ, subjici Ecclesiæ capiti, quod est Papa. Quæ assertio continetur in prædicta Extravagante Pontificis Bonifacii, ad quam oppugnandam adducis multa, quæ alto sanè silentio suppressisses, si quid prudentiæ, veræque probitatis Gallicanæ in te inesset. Ac principio quidem perspicuè demonstras, te esse hæreticum, quando eadem, qua hæretici, verborum procacitate hanc Extravagantem condemnas, in quam omnes, qui se à Catholica Ecclesia segregârunt, non aliter quàm in *petram scandali* impingunt; quam & tu pro tua modestia *erroneam* appellas. Deinde pugna tibi est cum S. Bernardo Abbate doctrina & pietate conspicuo, & genuino Gallo, ex cujus verbis & sententia *hæc Extravagans* bonam partem contexta est. Ad extremum ut tuum figmentum probes, exempla tibi arbitratu tuo fingis, non sine infamia Gallici nominis, ùt paulò pòst dicam. Deprompsisti autem hanc tuam hæresim ex Luthero & Calvino & hæreticis nostri sæculi, omnis ataxiæ auctoribus, & omnis Ordinis juratis hostibus, præsertim subjectionis & obedientiæ debitæ Summo Pontifici, cum quo irreconciliabile bellum gerunt. Quia verò tibi tantum fortassis ingenii non suppetit, ut monumenta magnorum illorum hæresiarcharum evolvas, contentus fuisti lectione tui Blessii, qui, ùt strenuum Calvini discipulum decebat, chartas suas Magistri sui glossis quasi carbone egregiè signavit: duplici tamen nomine, quod obsérvare te velim, in illa tua Assertione hallucinaris: Primò, cùm negas veritatem doctrinæ Catholicæ: Secundò, cùm eandem doctrinam *hæresim* arbitraris, & clara voce pronuncias, quod te non modò efficit hæreticum, sed & effrontem calumniatorem, cùm tamen doctrina, quæ tradit, *neminem sine amissione æternæ salutis ab obedientia Summi Pontificis sese abducere posse*, sit ipsissima Christi Salvatoris nostri doctrina, ut proinde tua Theologia huic cœlesti doctrinæ oppósita meritò audiat *perniciosa hæresis & expedita præcépsque ad inferos semita.* Quod hac ratione demonstro. Quisquis sempiternam beatitudinem consequi appetit, eum necesse est, & Christianum, & Christi, & quod hinc sequitur, Petri etiam ovem esse, cùm non sit ovis Christi, qui non est ovis Petri, quandoquidem Christus Petro, Petríque successoribus sine ulla exceptione aut restrictione oves suas commendavit; hoc ter repetito oracului: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Quod mandatum omnibus Ecclesiæ Pastoribus in persona Petri editum, omnes quoque Christianos complectitur. Quapropter omnes Christiani D. Petro, ejúsque successoribus subjiciuntur, aut non sunt Christiani. Quòd si omnes Christiani sunt sub cura ejus, qui Ecclesiæ caput est, hócque caput sit Summus Pontifex, oportet profectò, ut ipse Christianos omnes regat, dirigat, cœlestísque doctrinæ pabulo pascat, nihílque eorum, quæ ad officium seduli & gnari Pastoris pertinent, prætermittat: & ut Christiani velut oves rationis non expertes, Pastoris sui vocem audiant, nisi à beatorum sedibus in omnem æternitatem excludi velint. Neque ullus in hoc terrarum orbe reperitur Imperator, Rex, aut Princeps, qui se ab hac obtemperandi lege eximere queat, nisi cupiat esse ovis sine Pastore, membrum sine capite, Christianus sine fide, sine lege, sine Christo, sine cœlesti pabulo, sine spe salutis.

Joan. 21. S. Ambros. in cap. ult. Lucæ. Epiph. in Anchor. S. Chrysost. in Joan. capit. 21. S. Leo serm. tert. de sunu. Pontif.

Extravagans Bonifacii est hæreticis petra scandali.

Hæretici oderunt omnem ordinem & subjectionem.

Hæc obsequendi Ecclesiastico capiti inevitabilis necessitas vivo & spirante exemplo nobis repræsentatur in ove, quæ præ cæteris brutis animantibus opus habet, ut regatur & gubernetur ab homine tanquam à capite longè diviniore; cætera animalia hac cura & quasi manuductione vel penitùs carent, vel sine magno incommodo carent, cùm ab ipsa rerum procreatrice natura ad vitam defendendam, opémque sibi ferendam satis multa præsidia acceperint: At ovis licèt utilitate, quam mortalibus parit, vix ulli ex animalibus cicuribus cedat, paucioribus tamen subsidiis à natura datis juvatur, & pluribus morborum generibus conflictatur, pecus innoxium, inerme, & imbelle, quod cùm sibi neque dux esse neque medicinam facere possit, tametsi scabiei, aliísque morbis perpetuò obnoxium, hostísque insuper versutus, callidus, violentúsque eidem semper immineat, omnino opus fuit, ut excellentioris cujusdam gradus & ordinis Pastorem sortiretur, qui prudentia & virtute cuncta impendentia mala propulsaret; is homo est, qui ovem pastum agit, à lupi insultibus protegit, securámque foris & in ovili præstat, curam agnorum gerit, lanámque luxuriantem & exuberantem detondet, absque qua cura & tutela neque vitam ducere, neque fructum ullum proferre liceret. Eadem est Christianorum omnium ratio. Nam inter homines, qui præter corporis

Ovis maximè indiget pastore.

A Christianus ovi similis.

ris emolumenta nihil aliud expetunt, vitámque brutorum more degunt, quidam secreti ab aliis leonum, tigridum & ursorum instar, ævum agitant, quales olim nondum constitutis Rebuspublicis sylvicolæ, & nunc etiam illi, qui Societatem humanam fugiunt. Alii socialiter quidem in unum conveniunt, imitati grues, cervos, formicas, mutuísque operis & adminiculis sese sublevant, sed sine Rege, quæ vitæ ratio multis nationibus etiamnum placet. Quidam apum ritu Regi obsecundant, ùt Turcæ & Tartari, aliíque à Christiana fide alieni, qui oves Christi non sunt, præsentibus tantùm addicti, & nihil supra communem hominum naturam edocti, qui omnibus suis cogitatis & actionibus nihil aliud, quàm hæc fluxa & caduca quærunt, & ob id jure optimo pecudes potiùs, quàm homines censentur. At

B Discrimen inter Christianos & infideles.

Christianus, pars ovilis Christi, finem sublimiorem & præstantiorem spectat, & quandoquidem illi cum atrocibus hostibus perpetuum certamen ineundum est, non potest ad prædictorum normam, vitam & mores componere, sed opus habet capite, cæteris excellentiore & eminentiore, quod cœlesti quadam vi & spiritu pollens, ipsum ad finem exoptatum deducat, pascua & arma, quibus in hostem pugnandum, & medicamenta, quibus sananda vulnera, demonstret, aliàs nequit inter oves Christi numerari, imò periculo sese exponit, ne lupo præda fiat, aut in lupum, leonem, aliámve truculentam bestiam transmutetur sine spe beatitudinem consequendi.

C

CAPUT XIII.

Qua fide exempla Regum Galliæ Arnaldus adduxerit, ut hæresim suam confirmaret.

SI dicas, ùt quidem videris dicere, *quemlibet in sua Republica posse censeri ovem Magistratus & capitis sui sub Christo;* nihil aliud efficis, quàm quòd te prodis, non Gallum Catholicum, sed hæreticum Anglum, cùm introducere velis Rempublicam Anglicanam, in qua Rex *Papa*, Regina *Papissa;* sed ovile Christi respuit ejusmodi capitum multitudinem, quia Monarchicum est, hoc est, Respublica, in qua penes unum tota rerum summa, à quo uno velut capite reliqui omnes pendent, qua Reipublicæ forma perfectior & pulchrior nulla reperitur.

Arnaldus in Galliam introducere conatur Rempublicam Anglicanam. Ecclesiæ regimen Monarchicum.

D Hoc caput absolutum & omnium princeps est ipse Christus, qui ob id Regis nomen ipse sibi tribuit apud B. Davidem: *Ego*, inquit, *constitutus sum Rex:* & Christiani propter caput hoc appellantur, *regale sacerdotium*, hoc est, populus unctus sub uno Rege. Porrò ut unitas istius capitis accuratè repræsentetur, & Christianorum oculis subjiciatur, requiritur, ut unùs tantùm sit generalis Vicarius. Nam si multi forent, repræsentatio & figura à veritate discreparent: Ecclesia dæmonis, confusionis synagoga, meretrix illa est, quæ draconi multorum capitum & cornuum insidet: sed Christi Ecclesia unum corpus pudicitia & sanctimonia insigne constituit, varium quidem membris, sed unum coagmentatione eorundem in uno capite Christo. Ecclesia Sathanæ & hæreticorum multis membris ad unam exitii sempiterni metam tendentibus constat, sed cuilibet illorum membrorum proprium caput, ùt vulpibus Samsonis, quæ caudis colligatæ, capitibus in diversa ruebant. Ecclesia Christi varias oves complectitur, sed uni pastori concreditas, & multos milites, sed sub unius Imperatoris vexillo militantes. Propter hanc membrorum ex uno capite aptè connexorum unitatem, vocatur Ecclesia *una*, convenienter videlicet doctrinæ Apostolorum & Doctorum. Nam corporis unitas æstimatur ex uno capite, ad quod multa membra & partes referuntur. Quin & ipsi inferiores pastores comparatione primi capitis, membra sunt. Ut enim in Monarchia omnes Magistratus subjiciuntur uni Regi, quamvis multa sint diversis in locis capita, quasi *particularia*, ita & hîc. Quòd si unum caput est in Ecclesia, oportet, ut imperet; si imperat, oportet, ut imperata faciant omnes illi, quibus salus æterna cordi.

E

Apoc. 12. Hæreticorum synagoga est multiplex.

Judic. 15.

Ecclesia dicitur una ab uno capite.

F

Cæterùm exempla, quæ ad stabiliendum dogmatis tui errorem adducis, partim malè intellexisti, partim mala fide produxisti. Ais, *extitisse Reges Franciæ, qui Papæ restiterint.* Non abnuo, sed quid hoc ad rem faciat, non video. Nam si ex hujusmodi historiis colligere vis, non esse obtemperandum Sedi Apostolicæ; pari ratione concludam, non esse obediendum Regibus, imò nec ipsi Deo, cùm multi contra legitimos suos Reges arma tulerint, multíque Principes leges divinas in postremis habuerint. Quòd si nimium tibi hoc argumentandi genere colligi videtur, necesse erit, ut mala illa exempla dimittas, vel ad alium usum reserves, neque Catholicis audientibus explananda & amplificanda suscipias. Nam cùm de imitatione agitur, virtus proponenda est ùt imitanda, vitium ùt fugiendum. Nam viri probi in sceleribus nihil, quod imitentur, multum verò, quod oderint & detestentur, inveniunt. Deinde respondeo, Reges, quos citas, tanquam Pontificii throni contemptores, in omnibus suis cum Pontificibus controversiis, eos ùt superiores agnovisse, & ùt D. Petri successores, Christíque Vicarios coluisse. Philippus Pulcher, quem pro te adducis in scripto Principum suorum privata sententia ad Bonifacium VIII. Anno M. CC. XCVII. misso, profitetur agnoscere se subditum Papæ *in spiritualibus*, ùt ait, séque paratum

G

Exempla mala fide ab Arnaldo citata.

H

Malum exemplum non est ad imitationem proponendum.

Philippus Pulcher.

Tillet in Epitome sua pag. 172.

A tum esse Apostolicæ Sedi in rebus ad animæ salutem pertinentibus obedire. Miror sanè, te in historia vel tam ignarum esse, vel tam malitiosum, ut istum Regem hæreticis accenseas, dum mentiris, *eum ad Pontificem scripsisse, Papam nihil in Reges Galliæ potestatis habere.* Sed major adhuc me tenet admiratio, quòd ausus sis exemplorum tuorum farragini admiscere S. Ludovicum, qui ùt cæteros Reges sanctitate vitæque innocentia, ita cultu quoque & veneratione Sedis Apostolicæ & obedientia Pontificibus præstanda, longo post se reliquit intervallo, ùt ex historia rerum ab ipso gestarum & ex Galliæ Chronicis liquet.

B De Ludovico XII. & Turon. Concil. anno 1510. celebrato Annal. Gallicani. Alia, quæ adducis de Carolo VI. & Ludovico XII. argumenta sunt tuæ non veritatis, sed improbitatis. Nunquam enim negârunt Summorum Pontificum spiritualem potestatem, neque Pontificibus summa cum reverentia obtemperare recusârunt. Concilium autem Turonense, sub Ludovico XII. congregatum, ut deliberaretur, qua ratione agendum esset cum Summo Pontifice suaper quibusdam controversiis, quæ Regi illi cum Pontifice intercedebant, palàm ostendit, quantum Rex ille Sedi Apostolicæ detulerit, quámque Religiosè caverit, ne quid Christianissimo Rege indignum perpetraret.

C De Tanquarello. Quod ad Tanquarellum Baccalaureum attinet, mentiris sycophantæ & impostoris more, cùm scribis, eum *mulctam subiisse honorariam*, quòd ausus fuisset defendere inter theses suas, à Papa posse excommunicari Reges. Nam Tanquarellus nunquam pœnas dedit, quòd hanc thesin propugnandam susceperit, sed quòd nimiùm imprudenter & importunè de temporali potestate Pontificis disseruerit, neque alia ei mulcta imposita fuit, quàm ut pleniùs & planiùs sententiam suam explanaret, ipsúmque decretum in Baccalaureum à Senatu editum spiritualem Pontificis potestatem, cujus effectus est *excommunicatio*, libenter agnoscit, & quisquis Senatusconsultum illud legere volet, is perspicuè tuam ad mentiendum projectam libidinem deprehendet. Reliqua, quæ affers ex vetustis tuis quisquiliis, ùt omni auctoritate, ita & omni probabilitate penitùs destituuntur, nec video, ad quid conducant, nisi quòd te ostendunt esse hæreticum & calumniatorem, in cujus pectore, ne mica quidem candoris & sinceritatis insit.

D Ad extremum intolerandam & quovis supplicio coërcendam injuriam irrogas Regibus & populo Galliæ, cùm eos producis & traducis velut exempla & paradigmata eorum, qui Summo Pontifici debitum honorem deferre abnuerunt: nam si ulli unquam extiterunt Reges dicto audientes Pontifici, si ullus unquam ab hominum memoria fuit populus Pontificis observans, ii fuerunt Reges Galliæ & populus Gallicanus. Et quod pluris faciendum est, si unquam fuerunt Reges & populi munificentia in Sedem Apostolicam insignes, & ejus defendendæ gratia in periculis vitæ fortunarúmque adeundis prompti & alacres, ii sunt Reges & incolæ Galliæ. Testatur id Clodovæus primus Gallus, primus Christianus, & primus Rex Gallorum, qui simul atque in Regem inunctus est, & suo & Regni sui nomine Legatos misit, qui Pontifici officii & reverentiæ causâ pedes oscularentur, & ùt tunc loquebantur, *obedientiam præstarent*, coronámque auream muneris loco Romanæ Ecclesiæ, omnium principi offerrent, quo significabat, ùt ait Aimonius, se regiam dignitatem à Christo accepisse, illámque se nomine suo, suorúmque successorum Ecclesiæ sanctæ submittere, próque ejus gloria & majestate totam regni potentiam exponere velle sub signis & auspiciis Christi Vicarii, quem ùt sibi à Deo in spiritualibus præfectum libenter & reverenter agnoscebat. Testantur idem Clodovæi filii & successores Reges, qui longissima serie mutuò sese excipientes Apostolicam Sedem unicè semper coluerunt & tutati sunt, nulla ratione laborum sumptuúmve habita, imitati videlicet, velut veri & legitimi filii, progenitorem suum Clodovæum. Testantur denique idem iidem Galliæ Reges, qui suis literis communíque sermone & colloquiis familiaribus Summos Pontifices appellare consueverunt *suos sanctissimos Patres*, neque ullus Galliæ sceptra tenuit, qui initio sui Regni non detulerit obedientiam Summo Pontifici; ídque vel coràm & per se, vel ministerio Legatorum, addita insuper hac testificatione, se id non facere urbanitatis tantummodò & moris, sed ejus officii gratia, quod filius patri, & quivis Christianus Christi Vicario debeat. Et hæc tam prompta obedientia, & Sedis Apostolicæ observantia Regibus Franciæ *Christianissimi* cognomentum peperit, & ut Ecclesiæ filii primogeniti appellarentur, effecit, immortali nominis Gallicani gloria. Nam *Ecclesiæ filium dici*, est, ùt S. Ambrosius ait, *titulo omnium honorificentissimo decorari*, vocaríque *filium primogenitum* Ecclesiæ nota quædam est & indicium eximiæ cujusdam erga Sedem Apostolicam reverentiæ & obsequendi voluntatis. Hæc obedientia causa fuit, cur Summi Pontifices & Oecumenica Concilia tam honorificè de Galliæ Regibus loquerentur & scriberent, ùt Clemens V. & Concilium Aurelianense, ut infinita alia hujus generis testimonia præteream. Hæc obedientia Regibus Galliæ, eorúmque Legatis primum locum in Conciliis aliísque Ecclesiæ conventibus comparavit, nominísque Gallicani majestatem ad extremas usque orbis partes dididit, ut omnibus amori & venerationi esset.

E Reges Galliæ omnes superârunt observantia & munificentia in Sedem Apostolicam, Clodovæus.

F Aimon lib. 1, cap. 24.

Posteri ejus.

Omnes Reges.

G

Reges Galliæ à Sede Apost. virtutis gratia honorati.

H

Orat. contra Auxentium.

Dist. 96. cap. si Imper.

Clemens V. Extravag. com. de Privileg. cap. Meruit.

A esset. Hæc denique illa virtus est, quæ Monarchiam Gallicam tot annorum seculis florentem, omníque rerum copia abundantem reddidit, utpote fundatam roboratámque fide, obedientia & divina charitate, in illius petræ firmitate & soliditate, quæ adversus ipsos etiam inferarum portarum assultus immota persistit; quo velut evidenti argumento ostendit Deus, se quemadmodum per Verbum, filium suum, mundum condidit, & per eundem regna mundi administrat & regit, juxta illud de divina sapientia: *Per me Reges regnant, & Legumlatores justa decernunt:* ita etiam illorum Principum imperia stabiliat & conservet, qui singulari quodam cultus genere filio suo sese devoverint, eíque in sua Ecclesia & Vicario honorem & reverentiam exhibuerint.

Quid firmet regna.

Proverb. 8.

B

Tu tamen his omnibus nequaquam prædeditus, tam stolidus es & adeò in Repub. Gallicana malè versatus, ut exempla contemptæ Sedis Apostolicæ, ex Gallicis historiis petere audeas, obscurato, quà potes, Ecclesiæ illius splendore, quæ Regum nostrorum, omniúmque Galliæ indigenarum *communis mater* jure appellatur; idque eo fine, ut idolo tuo, quod mente mendaciter concepisti & adumbrâsti, nonnihil fucatæ pulchritudinis concilies, sed nimiùm sanè effictim errorem tuum deperis, cùm ejus condecorandi gratiâ, & patriæ & Regibus eam, quam à ducentis supra mille annis existimationem adepti sunt, detrahis.

C

Produxísésne hujusmodi historiolas, si veri nominis Catholicus & Gallus fuisses, etiamsi maximè veræ essent? Tantúmne animi & spiritus tibi sumpsisses, ut hujusmodi narrationes amplificares, verborúmque coloribus & pigmentis exornares? An non tu sceleratior illo Cham, patris sui verenda propalante, cùm talia probra & dedecora de tuis Regibus, progenitoribus, & de patria, progenitrice tua, mendaciter comminiscéris?

Gen. 9.

CAPUT XIV.

Tertia propositio Hæretica Arnaldi.

D

ALia hæresis à priore non multum divertens illa est, cùm ais, *Papam in Reges nullam potestatem habere*, cúmque assentatorum, vel potiùs vulpium more exemplis mala fide adductis persuadere conaris, *Romanas excommunicationes à Principibus nihili pendendas esse*; præcipuè tum, cùm Papa temporalis aliquid potestatis in regna sibi sumit. cùm Christus dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Verùm si Reges Ecclesiæ caput revereri & colere debent, ùt anteà demonstravi, rectè colligitur, Ecclesiæ caput, patrémque Christianorum accepisse in eos, nimirum membra & filios Ecclesiæ, aliquid potestatis, aliàs frustrà esset caput & pater, cùm juxta Logices præceptiones, *relata sese mutuò consequantur, ponant, & tollant.* Quamobrem si Dominus est, oportet, ut & subditi sint, qui Domini monitis auscultent. Porrò quòd Summi Pontifices, & alii Ecclesiæ Prælati excommunicare possint, evidenter patet ex testimoniis Scripturæ, Sanctorum Patrum, & experientia, & hanc potestatem inficiari, est hæreticorum insaniæ & ignorantiæ succinere. Neque operæprecium arbitror, in hujus rei probatione immorari: illud constat, Ecclesiam hac potestate non uti, nisi cùm id non modò ratio, sed & necessitas postulat. Nam excommunicatio omnium illarum pœnarum, quas Ecclesia infligit, longè severissima est, & ùt S. Augustinus ait, *mors animæ*, & quod in veteri lege faciebat mortis supplicium in corpore, id modò faciet excommunicatio in anima. *Hoc*, inquit iste Sanctus Doctor, *nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Et comparat id, quod dictum est in Deuteronomio, *Auferes malum de medio tui*, cum eo, quod ait S. Paulus, *Auferte malum ex vobis ipsis:* ibi per mortem corporis, hîc per mortem animæ, quæ est excommunicatio. Et ùt illi, qui interficiebantur, non ampliùs erant de numero Judæorum: pari ratione, qui excommunicantur, delentur & separantur à populo Dei, membra spiritualiter emortua, & à corpore mystico Ecclesiæ præcisa. Excommunicatio est magnus ille gladius omnipotentis manus, quem Ecclesiæ suæ dedit, quo non utitur, nisi necessitate cogente, in rebelles, contumaces, alióque medicamenti genere non sanabiles: neque vibrat Ecclesia hunc gladium, *ut perdat*, ait D. Augustinus, *sed ut juvet*, útque juxta verbum D. Pauli, resipiscant, & denuò in unitatem Ecclesiæ coalescant. Mors enim, quam infert iste gladius, potest per pœnitentiam reparari, quod est legis gratiæ privilegium, quo lex Mosaica carebat, in qua mors corporalis reparari non poterat.

E

F

Quanta pœna excommunicatio. In Deut. q. 59.

Joan. 18.

Lib. de vera Relig. cap. 6. 1. Cor. 5. 2. Thess. ult.

G

Quòd si qui sint, qui pertinaciter, & contumaciter in sua nequitia perseverent, illi propter commune totius corporis bonum, meritò experiuntur ictus hujuscemodi pondus & gravitatem. Ergóne, dixeris fortasse, Imperatores & Reges subjiciuntur Ecclesiæ potestati & jurisdictioni? Quis dubitet, cùm sint oves Christi? Licèt is, quem tenent, supremæ dignitatis locus, pastorem meritò commonefacere debeat, ut ipsorum rationem habeat, neque priùs urat aut secet, quàm aliis omnibus medicamentis frustrà tentatis & adhibitis. Hoc Regibus à pastore concedi potest & debet; non autem ut ab hac potestate penitùs eximantur: quia ejusmodi exceptio eò in majorem Ecclesiæ perniciem cederet, quò illis amplior suppetit nocendi facultas, si non timoris aliquo

H

freno coërceantur. In Rege quidquid est, magnum & conspicuum est, sive virtus, sive vitium. Hinc si potestate, qua pollet, abutatur ad vitium, cohiberi certè nequit, nisi major potestas accedat. Hinc excommunicationis gladius in multos Reges usitata & utili praxi sæpiùs multis in locis exertus est, si non semper exoptato fructu, id non culpa censuræ, sed vitio hominum accidit. At quòd ais, *excommunicationem à multis Regibus contemptam*, nôsse debes, non ob id fuisse meliores & laudabiliores. Nam quibus bona mens & conscientia, his gladius iste semper, *etiam injustus eductus*, ùt loquitur S. Gregorius, horrori & terrori fuit. Theodosius Imperator, & S. Ludovicus Rex, ambo armis inclyti, magis hunc gladium, quàm immensa hostium castra pertimescebant. Alius fuerit improbis animus, alius sensus: quid tum? Improbitas id fecit, neque propterea effugere potuerunt, quò minùs pervicacis suæ contumaciæ & proterviæ dignas pœnas persolverent. Quòd si adhuc horum exemplo docere contendis, flocci faciendum esse excommunicationis anathema, rerúmque divinarum interdictum, licebit tibi eadem argumentandi forma probare, nihil laborandum esse de infernorum tormentis, cùm permulti athei infernum non alio, quàm anilis fabulæ loco habeant.

A Omnia in rege magna & conspicua.

B S. Gregor. Hom. 26. in Evang. Urbanus Papa epist. ad omnes Episc. 11. q. 3.

C Prætermisso igitur priore responso, poteras aliud Gallis magis honorificum responsum dare, cum multis aliis Carolum Molinæum secutis, videlicet Reges Galliæ à Pontificibus ea immunitate fuisse donatos, ut ne excommunicari possint. Sed ego respondissem, & jam quoque respondeo, si te hoc telo tueri velis, Molinæum parùm fideliter annumerâsse verba & sententiam Bullæ Gregorii IV. dicentis; *nostros Reges non posse excommunicari ab aliquo Episcopo, ipso Papa nesciente aut non consentiente.* At bonus iste vir contextum Bullæ extendit & amplificat, permotus fortassis regula illa Juris, *quæ jubet odia restringi, favores ampliari:* Sed meminisse debebat, id faciendum jure & ratione, non glossa mendaci. Proditum quidem est, historiarum monumentis, S. Ludovicum Regem, & alios nonnullos Reges hoc privilegium accepisse, sed personalis erat hæc prærogativa, non omnium communis. Neque potest *id sine vitio in exemplum trahi, quod quibusdam tantùm singulari gratia & favore conceditur.* Adde, quòd hæc ipsa exempla manifestè ostendunt, Pontificem habere potestatem excommunicandi. Nam qui potestate præditus est aliquem à legis obligatione eximendi, is utique etiam præditus est potestate lege illa eundem obstringendi. Neque Pontifex tantùm, sed & reliqui Episcopi ab Ecclesia segregare possunt Reges, ubi non obstat peculiare, ùt in Gallia, privilegium.

Molinæi fraus.

De Reg. Juris in 6. Reg. 15. Du Tillet in suis memor. Privilegium S. Ludovici.

D De Reg. Juris in 6. Reg. 74.

CAPUT XV.

De temporali potestate Pontificis in Regem.

E QUod ad temporalem potestatem attinet, ea propriè & directè competit Principibus politicis, non Papæ. Nam ùt Christus non more temporalis Regis, sed ùt spiritualis imperavit, juxta illud: *Regnum meum non est de hoc mundo:* ita & Vicarius Christi, quà talis, non aliam sibi potestatem, quàm spiritualem, usurpat, nisi iis in ditionibus, quas instar Principis politici possidet, non titulo Vicarii Christi. Quamobrem Dux, sui Ducatus Dux est, & Rex, sui Regni Rex, & nequidquam hîc te fatigas, tempúsque & otium teris, ut id, quod tibi ultrò damus, nobis probes, allatis ex penetralibus tuorum locorum communium mirificis flosculis, geminísque illis versiculis:

Potestas temporalis propria est Principum temporalium, Dried. lib. 2. de libert. Christ. Franc. Vict. lib. 2. de fide cap. 76. 77. 78. Sotus in 4. sentent. Sanderus de visib. Monarch.

Nec regna socium ferre; nec tædæ sciunt,
Si duo Soles sint in mundo, omnia incendio peribunt.

F Qui tamen alibi tibi potuissent esse usui; deterius illud arbitror, quod dum verborum tam prodigus es, in grandem impietatem animóque planè pernicioſam delaberis. *Et si constat*, inquis, *Primatibus, Archiepiscopis, atque Episcopis, præcipuam incumbere curam Religionis Gallicanæ; priùs tamen necesse est iidem illi juramento fidelitatis, suo sese obstringant Regi, tantum abest, ut votum eis esse possit contrarium, obedire videlicet absolutè Papæ.* Ergo secundùm Theologiæ tuæ placita, nemo poterit perfectam obedientiam præstare simul Regi & Papæ? Sed cedo, quid impedit, quò minùs hoc fiat? Nónne homines, quotquot sunt, fuerunt, vel erunt, divina lege obligantur ad hoc, ut Deo; & subditi, ut Regibus; & filii, ut parentibus perfectè totóque pectore obediant? Putásne fieri nulla ratione posse, ut quis pluribus integrè obtemperet, júsque suum, quod Justitiæ munus est, cuíque perfectè reddat? Credísne votum obedientiæ Pontifici exhibendæ, repugnare voto obedientiæ Regibus persolvendæ? Si hoc tibi persuades, bipes asellus es, non homo. Nam unicuique reddendo, quod suum est; honorem videlicet ei, cui honor; & tributum, tributum cui competit, perfectè & ex justitiæ præscripto obeditur singulis, neque alterum alteri adversatur, cùm utrumque à Deo præcipiatur.

Machiavellissimus Arnaldi.

G Rom. 13.

H Secundùm eandem tuam Theologiam oportet ante omnia, ante sacras cæremonias, ante Religionis instituta & scita, ante divinum obsequium & officium, uno verbo, ante omnia satisfacere officio Regibus debito, & postea dispicere, quomodo morem geramus Deo. Oportet, inquam, primò omnium curam habere

A re caducorum, & eorum, quæ tempus abſumit, deinde æternorum & cœleſtium : primò corporis, poſtea animæ : primò terræ, poſtea cœli : primùm juſſa facere Regis mortalis, tum ſi quid obſequii ſupereſt, id Regi immortali deferre. Hic ſub oratione tua deliteſcit ſenſus, anima & quaſi quinta eſſentia doctrinæ Machiavelliſticæ, unà cum intolerabili aſſentatione erga Reges, quos Deo præponis, ùt Ethnici olim ſuis Diis Cæſares, quamvis iſti ſine ſacrilegio, ſectæque ſuæ præjudicio id facerent : Dii enim gentium, idola & dæmonia, ac proinde minoris momenti, quàm Cæſares : at tuum factum non vacat blaſphemia & ſummo contemptu rerum divinarum. Sed omiſſo mendacio, quo Galliæ Antiſtites oneras, illud exploratum eſt, Prælatis in Gallia & alibi, ante omnia curæ cordíque eſſe, & verò debere eſſe Religionem, poſt hanc obſequium Regibus præſtandum, neque quiſquam Regum vivit, recti & honeſti amans, qui nolit ſe poſtponi Deo, quíque iſtam tuam aſſentandi impudentiam non execretur.

Tertull. in Apolog.

B

C Nihil igitur cauſæ erat, cur tam verbosè probares, Reges ſuorum regnorum ſolùm eſſe temporales Dominos, quandoquidem Pontifex nihil juris in hujuſmodi regna ſibi vendicat, ſalvo tamen jure correctionis & directionis, quo ùt pater & paſtor, imò & ùt Judex uti poteſt in illos, qui cum Eccleſiæ damno regnant. Hoc enim eventu non modò poteſt, ſed & debet officio Superioris fungi, cùm propter privatum ipſorum Principum, tum propter commune totius Reipublicæ bonum. Hoc vocabulum *(ſalvo)* adjunctum fauces tibi elidit, gulámque frangit, audiendum tamen eſt, velis, nolis, fatendúmque tibi tuo ore, te & rationis & conſcientiæ penitùs expertem eſſe. Nec facilè quis dixerit, quàm ſalutaris ſit hæc Summi Pontificis auctoritas in Reges, qui non rarò in officio continentur, vel longiùs evagati ad meliorem frugem revocantur, formidine potiùs amittendi temporalia, quorum amore tenentur, licèt multis flagitiis inquinati, quàm metu perdendi ſpiritualia & divina, quæ ſæpiùs floccifaciunt, niſi aliquo rectæ conſcientiæ ſtudio ducantur, quod non ſemper contingit. Hinc accidit, ut Deus Regibus Iſraëlis, ſi leges à ſe latas non ſervarent, minaretur potiùs amiſſionem regni terreſtris, quàm cœleſtis, hásque ſuas minas perfecit opere, cùm Saulem primum Regem regno exuit, alio in ejus thronum ſubſtituto. At *Pontifex*, inquies, *non eſt Deus.* Quis negat? Sed neque Deus erat Samuel, qui tamen id, quod Deus contra Saulem decreverat, executus eſt. Ergo quod Deus tunc faciebat miniſterio Prophetarum, id nunc agit operâ ſui Vicarii. Quare ùt manibus Prophetæ Saulem unxerat Regem : ſic eundem per eundem regali ſolio dejecit, & ſceptrum ad Davidem tranſtulit. Temporibus Oziæ Regis Juda Summus Sacerdos, qui non magis erat Deus, quàm Samuel, regnum patris, filio tradidit, cùm pater lepra obſitus, ſuperbiæ pœnas dedit. Neque fuit Ozias à communi hominum conventu ſegregatus abſque voluntate & approbatione Summi Sacerdotis (quod divina lege ſancitum erat) ergo neque ſine ejuſdem auctoritate, regio diademate privatus eſt. Jojadas non erat Deus, ſed Pontifex, & Dei Vicarius, quando interfecta Regina Athalia, quæ tyrannicè imperabat, regnum reſtituit Jojadæ, ſanguinis regii Principi, & legitimo regni hæredi. Hi omnes executores & adminiſtri erant divinæ voluntatis, qualis & Pontifex, Vicarius Dei; cúmque Deus innumeris modis & præter alios Ethnicorum, Turcarum, Mahometanorum, aliarúmque exterarum nationum armis regna transferre poſſit (ùt & olim fecit, cùm Aſſyriis Græcos ſubjecit, & his illos, Judæos utriſque, & Romanis omnes) inter Chriſtianos tamen, nullus modus ſuavior, rationi convenientior, & ſecurior eſſe poteſt, quàm cùm Princeps Eccleſiæ, omniúmque Chriſtianorum parens regna transfert : is enim ſingulari Dei ope fretus, ſimúlque doctorum & pietate illuſtrium virorum conſiliis adjutus, haud quidquam in jus legitimorum ſucceſſorum committet, ſed procul ab omni amore vel odio remotus, maturè & conſideratè rem tanti ponderis tractandam & perficiendam ſuſcipiet, in unius Dei gloriam, bonúmque publicum & privatum intentus.

E

Levit. 13.

4. Reg. 11. 2. Paral. 23.

F

G

D Auctoritas Pontificis in Reges, valde ſalutaris eſt Regibus.

1. Reg. 16.

CAPUT XVI.

Regnorum translationes à Pontificibus factas ſemper fuiſſe utiles Regno Gallicano.

H

ADſtipulatur dictis meis, tanquam vero conſentaneis ipſa conſuetudo. Nam quicquid hac in parte unquam actum eſt, id totum in regni ſceptríque Gallicani emolumentum & honorem redundavit. Nihil unquam utilius aut fructuoſius Galliæ accidit; quàm cùm corona translata fuit à Chilperico (qui neque bonus Rex erat, neque bonus Chriſtianus) ad Pipinum Generoſum Principem & ingenioſum; auctoritate Zachariæ Papæ, rogatu omnium Principum regii ſanguinis, & magnorum Galliæ heroum. Quod factum ab omnibus probis commendatum, & à ſolis hæreticis vituperatum eſt, maximè à Centuriatoribus & Calvino. Nónne divinitus quóque contigit, ad Franciæ regnum proferendum & amplificandum, ut Imperium Græcorum transferretur ad Carolum, Magnum,

Regna utiliter translata.

Cent. 8. c. 10. lib. 4. Inſtit. cap. 7. ſect. 17. Imperium à Græcis ad Ca-

A rolum Magnum translatum. Zonaras in vita Conſtantini, Cedrenus, Paul. Diaconus, Aimonius & alii.

Magnum, filium domus Francicæ, auctoritate Leonis III. & approbatione & gaudio totius orbis Chriſtiani, cùm Imperatores Græci ſupperias ferre vel nollent, vel non poſſent Eccleſiæ Occidentali: babarorum incurſionibus multos annos miſerabiliter afflictæ, & propemodum oppreſſæ? Quam translationem Deus itidem ſuo ſuffragio ratam & gratam habuit, conceſſis Carolo Magno divinitus tot admirandis victoriis & trophæis, quibus omnium Scriptorum monumenta referta ſunt. Hæc & ſimilia, cùm totius antiquitatis teſtimonio celebrentur & decantentur; tu tamen audaciſſimè *machinationes tyrannicas* nominas, palpúmque Regibus egregiè obtrudens, laudibus extollis Monarchiam Turcicam & Ethnicam, quæ eſt, ut Princeps Chriſtianus, quicquid libuerit, liberè perpetret, & ſive ad Ethnicos & Turcas, ſive ad hæreticos & atheos deſciſcere velit, animo morem gerat, ſecurus omnis cenſuræ & timoris, quippe qui nullum Superiorem agnoſcat, ne ipſum quidem Deum, quíque ludibundus verſiculum illum occinat:

Impietas Arnaldi.

B

Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

C Hujuſmodi Regi præſtandam eſſe doces perfectam illam, & omnibus numeris abſolutam obedientiam, quam *januis clauſis* nobis dilaudas & prædicas, cui ne tum quidem contradicendum ſit, cùm circumciſionem, habitúmque Turcicum imperaret, non obſtante excommunicationis fulmine, vel quoquam alio interdicto Roma allato ad impediendum vel Principis præceptum, vel ſubditorum obſequium.

D Hæc eſt admiranda illa tua Respublica, quam in Chriſtianiſimum vociferationibus tuis introducis, & in qua politicus ſtatus à Religione; poteſtas ſpiritualis à terrena, *non minùs quàm cælum à terra ſejungitur*, ùt tu loqueris, non animadvertens, ſimilitudine tua aſſertionem tuam everti. Nam ùt terra fructus ſubmittere nequit abſque cœli adjumento; ita neque poteſtas politica ſperatos fructus parere poteſt, niſi adjuvetur à poteſtate ſpirituali. Quòd ſi in bonis libris tam tritus & verſatus eſſes, atque in Morologia Maleſcoti Miniſtri, didiciſſes, Rempublicam Chriſtianam quando temporibus Apoſtolorum ſola poteſtate ſpirituali prædita erat, non plus commercii habuiſſe cum poteſtate politica & externa, quàm modò cum Turcica: at cùm temporis progreſſione utraque poteſtas in Eccleſia conſociata fuiſſet, ita, ut Eccleſiaſticum & politicum Magiſtratum contineret, neceſſe fuit, ut iſtæ duæ partes mutuas ſibi operas præſtarent, útque ſpiritus corpori, & corpus ſpiritui opem ferret; ſpiritus quidem rectoris, corpus inſtar ſubditi. Hinc hodie videre licet, Magiſtratum ſæcularem præſto eſſe Eccleſiæ, quoties uſus exigit, húncque viciſſim ab Eccleſia in ſpiritualibus regi & dirigi, & ita quidem, ut quoad rectè, & divinis legibus convenienter Magiſtratus præeſt, minimè impediat, quò minùs munere ſuo liberè, & ſine cujusquam interpellatione fungatur. At ſi jus fásque violet, remedia adhibet Eccleſia tam ſpiritualia, quàm temporalia, & ad officium reducere conatur, exemplo ſpiritus, qui corpus dirigit & corrigit, modò rerum divinarum contemplatione, precibus, & id genus aliis ſubſidiis, modò jejuniis, vigiliis, & aliis hujus modi afflictationibus, quando terminos ſibi præfixos nimia cibi potúsve appetentia & ingurgitatione, vel alterius delicti cupiditate tranſcendit. Quòd ſi in Eccleſiaſtica adminiſtratione ſpiritualem poteſtatem à temporali, & Religionem à politia abjungis, quid aliud nobis parturis, imò & paris, quàm corpus hominis abſque anima, beſtiam potiùs quàm hominem, Rempublicam Ethnicam, Machiavelliſticam & Turcicam, in qua corpus tanquam caput & princeps imperet abſque Religione, & in qua Deus aut nullo, aut non niſi ſimulato & hypocritico cultu colatur? Habes poteſtatem ſpiritualem & temporalem, qua Eccleſia Catholica credit Apoſtolicam Sedem præditam eſſe; ſi tibi grandis nimiùm videatur, patienter, ſi ſapis, tolera, vel ſi ſemper *Arnaldus* eſſe velis, caveas, ne incidas in naſſam Hiſpanicæ inquiſitionis, quæ te aut *januis clauſis*, aut in tenebricoſa quapiam cavea declamare, vel potiùs clamare cogat.

E

F

CAPUT XVII.

Non eſſe indignum Rege, ut ſe ſubjiciat Sedi Apoſtolicæ.

G CAuſa erroris tui, quoad duas prædictas, quas hactenus refutavimus, hæreſes, hæc eſt, quòd *exiſtimas, indignum eſſe regia Majeſtate, alterius juſſa tanquam ſuperioris capeſſere*, ignarus, eam eſſe Virtutis conditionem, ut nunquam imminuat ullius magnitudinem, ſed potiùs extollat & illuſtret; & obedientiæ eam eſſe naturam, ut quosvis ſui ſtudioſos in omnium admirationem rapiat. Nam cùm quis ex infima vulgi fæce ſeſe alteri ſubjicit, non admodum ſuſpiciendum, & laude dignum facinus cenſetur; ſed cùm regia Majeſtas ad alterius nutum ſeſe conformat, & attemperat, id demùm facinus divinum, omniúmque vocibus prædicandum exiſtimatur. Quod non fugit magnum illum Imperatorem Theodoſium, cujus hoc oraculum in libris tuæ juridicæ profeſſionis: *Digna vox eſt majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri, & reverâ majus imperio eſt ſubmittere principatum legibus* Hanc viam Dei filius, cùm in mundum veniſſet, ingreſſus, mirificam ſibi apud mortales

H

Nazianz. orat. ad popul. & Imp. Bern. lib. 1. de conſider.

Ita S. Leo ſerm. 8. menſis Decemb.

Dictum Theodoſii L. Digna vox. C. de Legibus.

A tales omnes conciliavit ſanctitatis opinionem. Nam licèt omnibus virtutum ornamentis condecoratus fulgeret, nullius tamen virtutis clariora & expreſſiora documenta edidit, quàm obedientiæ & humilitatis, quæ obedientiæ & mater & filia jure appellatur. *Factus eſt enim obediens, uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. Neque potuit Apoſtolus ſignificantiùs exprimere excellentiſſimam Chriſti obedientiam, quàm cùm dixit, eum totius vitæ ſuæ decurſu obedientem perſtitiſſe; & eadem quoque obedientia crucis ſupplicium ſubiiſſe. Ad Lucæ 2. hæc Evangeliſta teſtatur, eum ſubditum fuiſſe matri & Joſepho, qui ſolùm patris nomen habebat.

B Objicies fortaſſis, *Chriſtum fuiſſe Deum:* at ſi indignum non erat, ſuprema illa & infinita majeſtate ſubeſſe homini, cur hoc eſſet indignum mortali hominis majeſtate? Utque filius Dei nulla re magis ſeſe probavit & declaravit filium patris æterni, & matris, quàm obſequendi ſtudio (cùm nihil aliud ſit, quod potiore & arctiore jure debeat filius majoribus ſuis) ita & Rex Franciæ præ cæteris orbis terrarum Regibus, hanc tam promptam Eccleſiæ, ejúsque aſpectabili capiti, obtemperandi voluntatem & cupiditatem præ ſe ferre debet, ut verè ſit & habeatur *Eccleſiæ primogenitus filius*, tantúmque abeſt, ut idcircò quidquam de magnitudine regiæ majeſtatis decerpatur & diminuatur, ut hæc ipſa obedientia illum potiùs ſuper omnes evehat, nihílque adeò præter illam ſit, quo ſe cæteris Principibus anteſtare & præire demonſtret: ut taceam, omnes actiones, ex hac virtute natas, reliquis omnibus præclarè factis longè plus laudis apud omnes rectè ſentientes mereri. Theodoret. lib. 5. hiſtor. cap. 17. Theodoſius multa præclara domi forísque geſſit, ſed præ cæteris, quæ tota vita ſua geſſit, nihil magis à mille ducentis annis decantatur, quàm obedientia illa, qua ſuo ſeſe Epiſcopo ſubmiſit, & conſequentibus ſæculis celebrabitur, quoad licebit veritatis præconibus cathedram conſcendere, & ad populum verba facere. Si in te vel unica mica Chriſtianæ humilitatis fuiſſet, totum hoc facilè conſpexiſſes, neque tam audacter & impudenter os aperuiſſes: ſed ſuperbia, lumine adempto, te excæcavit, & linguam in præceps egit, hæresíque te contaminavit, & illo capitali odio, quo in Sedem Apoſtolicam ardes, inflammavit. Vitium hoc omnium ſcelerum fons eſt & origo, præcipuè hæreſeos, cùm omnium, tum hodiernæ potiſſimùm, *Initium omnis peccati ſuperbia. Diverſis locis diverſæ hæreſes, ſed una mater ſuperbia omnes genuit*, inquit S. Auguſtinus. Nihil magis refugit ſuperbia, quàm ſibi quenquam præponi, ſemper aſcendit, & tamdiu in altum ſeſe tollit, quamdiu vires ſuppetunt, nec deſinit, donec in imum corruat; *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Lucifer in ſupremo cœlo erat, ſupra omnem naturam creatam exaltatus, nihilominus corde ſuo volutabat illud, *Aſcendam*, ægrè ferens Deum ſe eminentiorem. Hæreticus ergo *primogenitus ſuperbiæ filius* naturam patris ſequitur, vult enim ſemper primum occupare locum, ſemper cœlum per ſtultitiam affectat, odióque omne illud habet, quo ab aſcenſu prohibetur, & multò magis id, quo deprimitur. Hinc fit, ut omnem ſe ſuperiorem poteſtatem, & maximè ſpiritualem, quæ judicium & voluntatem, animæ nobiliores partes, tangit, abominetur. Hinc Imperii impatiens nemini morem gerit; & ùt corvus oculos, ſic iſte caput appetit: hoc enim obſtat, quò minùs excelſior appareat, hoc ex alto eundem deturbat: quare caput hoc totis viribus conterere molitur.

E Pſal. 73.

Iſaiæ 14. Natura hæretici.

F

CAPUT XVIII.

De Impudentia Hæreticorum in Reges & Principes.

G

QUòd ſi unquam ulla extitit hæreſis ſuperbia & arrogantia tumens, ea eſt hæreſis noſtræ ætatis, colluvies & ſentina, in quam omnium antiquarum hæreſeon ſordes confluxerunt. Hinc & in caput Eccleſiæ remis velísque conſurgit, vera filiorum ſuperbiæ effigies, de quibus his verbis Apoſtolus: *Dominationem ſpernunt, audaces, ſibi placentes, Majeſtatem blaſphemant.* 2. Petr. 2. Nec capiti duntaxat ſpirituali, ſed & temporali hæreſis cornua obvertit: licèt enim videatur Regibus & Principibus politicis debitum honorem & reverentiam deferre; invitâ tamen id agit Minervâ, neque ſine ſpe alicujus commodi, aut libertatis, aut alterius doni id facit. Hac ſpe ſublata, dentes ſtringere, & ungues exerere egregiè novit. Quales ſint Hæretici erga Reges. Legatur Lutherus, qui quanta inſolentia in Henricum VIII. Regem Angliæ invectus ſit, explicatu difficile eſt, licèt profiteretur, ſe Reges venerari & colere.

H Calvinus in ſua Inſtitutione de Regibus & obedientia illis debita, loquitur ùt alter Auguſtinus, quia ſperabat, fore tempus, quo arbitratu ſuo cum Rege ageret: at cùm hac ſpe dejectus conſpicaretur, Principes Catholicos, ſeriò in hæreticos animadvertere, calamum & ſtylum vertit, & prætextu honoris divini, aculeos omnes in Principes expreſſit. Lib. 4. cap. 20. In ſua Inſtitutione dixerat, *eos eſſe Deos in terra, à Deo miſſos, ut vices ejus gererent, omni honore, obſervantia & obedientia dignos, etiamſi ſint ſceleratiſſimi:* ſed in Danielem commentans, In 6. cap. Dan. v. 22. nullum lapidem non movet, ut eos ex illo throno dejiciat. Ibi enim ait, eos eſſe non Deos, ſed *indignos, qui in album hominum referantur, non honorandos, ſed in facie ſputis com-* Impudentia Calvini in Reges.

Vis obedientiæ.

Superbia parens hæreſeos. Eccleſ. 10. Lib. de vera paſt. cap. 8.

complendos, mimos, insanos. bruta animalia, equos ac asinos, in forum porcellos & vitulos ve-
A *ctantes.* Eosdem deinde irrisui habet, quòd hoc titulo utantur *(gratia Dei)* quo tamen agnoscunt potestatem suam sibi cœlitus esse collatam, quam recognitionem omnes Reges semper plurimi fecerunt, suísque honorum & regnorum titulis piè ac religiosè semper adscripserunt. Ad extremum vexillo explicato & diducto subditos adversus Principes exsuscitat. Verba ejus sunt ista: *Abdicant se potestate terreni Prin-*
Verba Calvini. *cipes, dum insurgunt contra Deum* (hoc est, quando hæreticos puniunt) *imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero, non audiendi, sed conspuendi sunt, nisi omnes super-*
B *stitiones aboleantur*, hoc est, nisi aboleant Missam & omnia Sacramenta Ecclesiæ Catholicæ. Eodem loco: *Hodie*, inquit, *ùt omnes Reges fatui sunt & bruti: ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium.* Item: *Exercent tyrannidem adversus omnes pios, stabiliunt sua sententia impias superstitiones*, per superstitionem intelligit fidem & doctrinam Catholicam. Et in cap. 4. ejusdem Prophetæ: *Hodie*, inquit, *Monarchæ semper in suis titulis obtrudunt, se esse Reges, Duces, & Comites, Dei gratia, sed quàm multi falsò Dei nomen prætendunt?* Et concludit: *Merus igitur fucus est, quod dicunt, se Dei gratiâ pollere dominatione.*

C Zvvingl. lib. 4. epist. fol. 186. & tom. 1. art. 42. Zvvinglius apertè dicit, *Reges improbos exauctorandos esse.* Sed *improborum* nomine, perperam bonos Catholicos comprehendit, probátque suam sententiam exemplo Manassis & Saulis. Quamobrem quotiescunque Regum quispiam Ministris istis non statim obtemperat, de solio decidit, ùt isti quidem nudiustertius *nati Dii* existimant, licèt titulo suo regio gratiam Dei, & potentiam divinam præscribat. Beza Magistri sui Calvini vestigia sequitur. nisi quod multis locis petulantia Doctorem suum vincit, potissimùm in quadam sua epistola, quæ est 41. in qua manifestè invehitur in Regem Galliæ, quem *Sathanam* vocat: *Caveant sibi*, inquit, *fideles*
D *inire unquam fœdus cum Sathana.* Neque aliud propemodum Bezæ in ore fuit, *quàm libertatem Ecclesiæ Gallicanæ armis comparandam, armisque conservandam esse.* Omnes Ministri eandem amplexi sunt doctrinam, ùt testantur libri, quos de hoc argumento scripserunt, quod genus, *sacrum Concilium, Alithia, de furore Gallorum, Junius Brutus de potestate Principum & populi, Epistola Bruccii, quæ est Bezæ, Homicidarum crepitus, Excitatorium matutinum*, & similes. & ut liquidò constet, hæreticos non oppugnare ipsos Reges, ob flagitia, quibus fortassis obnoxii videri possint, sed statum ipsum & regiam dignitatem; En quid Calvinus scribat in sua Institutione, cùm de triplici Reipublicæ forma loquitur, videlicet Monarchia, Aristocratia, & Democratia. *Equidem si in se,* inquit, *considerentur tres isti modi gubernandi, quos adduxi, præeminentia illorum, qui gubernant, populúmque in libertate conservant, pluris erit facienda*, hoc est, Aristocratia erit melior. Quæ verba capitale Monarchiæ odium extorsit. Omnes enim Philosophi, ipsa ratio & experientia, principatum Monarchiæ, seu regiæ administrationi largiuntur. E

Libri hæreticorum, ex quibus liquet, quid de Regibus sentiant.

Lib. 4. c. 20. Aristocratiam præfert Calvinus Monarchiæ.

Rex Galliæ Bezæ Sathan est & Diabolus.

Ex hac Calvini, aliorúmque hæreticorum præclara doctrina extiterunt acerbissimi illi fructus, quos miseranda Gallia à triginta sex vel circiter annis devorare coacta est. Ex hac doctrina velut ex hoplotheca & armamentario quodam deprompserunt sibi hæretici spicula, ut in Gallia perficerent, quod animo conceperant, & in regiam Majestatem insurgerent, eversa Monarchia cum Religione avita, per innumeras strages & cædes, & immanissima facinora, occupatísque trecentis, iísque potissimis Galliæ urbibus, ut eò, si quæ fata sinerent, Aristocratias & Democratias introducerent, quod Genevæ, Rupellæ, Nemausi, in Monte Albano, & alibi fecerunt, quibus locis sedulò advigilant, ne cuiquam potentiori aditus pateat, qui regia potestate in illos utatur. Nec admittitur legitimus Rex, præcipuè si sit Catholicus. Ministri Bernenses, perinde ac si essent hujus regni pares & patres, qui scisscendi & decernendi liberam haberent potestatem in Pseudosynodo quadam leges rogârunt in odium & contemptum Caroli IX. mandârúntque, ut in omnibus Galliæ urbibus, quarum hæretici potiti erant, observarentur, quibus instituuntur Magistratus, Duces & tribuni militum, & alii administri, ad imitationem veterum Joniorum, Bœotorum, Dolopum, & Achivorum; adeò hæresis Reges & regiam dignitatem ac Superioris unitatem odit, velut insitæ suæ superbiæ intolerabilem. F

Plato in polit. Arist. 8. Eth. cap. 10. Sen. 2. de benef. 10. Plutar. de Monarc. Isocr. ad Nicoclem. Herod. lib. 3. Hom. lib. 2. Ilia. S. Just. orat. ad gentes. S. Athanas. orat. contra Idola. S. Cypr. de Idol. vanit. S. Hieron. ad Rust. Hæretici oderunt Monarchiam.

Impudentia Ministrorum bernensium. G

Si hujus doctrinæ vel tenuissimam umbram in libris Jesuitarum reperisses, quantos clamores ambabus inflatis buccis sustulisses, ut voce satis sonora crimen læsæ majestatis intonares? Sed de hoc capite satis superque. Ostendi perspicuè ex tuis verbis, te esse hæreticum: ne igitur fingas te ampliùs Catholicum, ne producas ampliùs Collegium regium Navarræum, ut te tegas. Lupus es; nam ùt lupus ululas, ùt lupus mordes, ùt lupus insectaris pastorem, & oves JESU Christi. Exue pellem ovinam, dentes tui & ungues patuerunt: cur times vocari hæreticus, cùm sis? Putásne, te non esse hæreticum, recusando nomen? *Ne illi quidem*, ait S. Ambrosius, *sunt immunes hæreseos, qui nomen quidem refugiunt, sed perfidiam asserunt, & impietatem exequuntur.* H

Arnaldus omnibus indiciis Lupus.

De fide orthod. cap. 3.

CAPUT

CAPUT XIX.

Calumnia & Mendacia Arnaldi circa originem Societatis Jesu.

POstquam pectoris tui pernicioſum virus in caput Eccleſiæ liberaliter evomuiſti, & quo ardore Sedis Apoſtolicæ ruinam exoptes, manifeſtis argumentis declarâſti; converſo furore, nunc membra Eccleſiæ aggrederis, déque origine Societatis Jeſu ſic nugaris: *Cogor aliquid dicere de origine Jeſuitarum, ſed breviſſimè, quia cauſa mea aliò me vocat:* quibus ſubdis: *Anno igitur M. D. XXI. cùm æquiſſimum cenſerent Galli, ut is, qui ipſorum causâ ditione ſua exciderat, eandem per eoſdem recuperaret, obſidione cinxerunt civitatem Pampelonam, eámque poſt multam demùm oppugnationem occupârunt. Erat autem ibi præſidiariorum militum Dux Ignatius Lojola, qui pertinaciſſimè noſtris ſeſe opponeret, donec tandem vix fractis cruribus evaderet. Quo caſu militia ille quidem ſuperſedere coactus, ſed tamen cùm jurâſſet odium in Gallos irreconciliabile prorſus, nec minùs eo, quàm erat Hannibalis contra Romanos auxilio malignì ſpiritus, incubatúque ſuo excluſit maledictam iſtam conjurationem Jeſuitarum, qui tot tantáque mala in Galliam invexerunt.* Et paulò pòſt: *Mirandum ſanè, flagitioſam Jeſuitarum propaginem ruina utique & deſolatione gentis humanæ in tantam excreviſſe multitudinem, ut intra paucas annorum hebdomades à ſexaginta* (neque enim initio plures) *ad decem uſque provenerint millia.* Hactenus Narrationis tuæ verba, quæ, qui legerit, quantumlibet frigidè duntaxat & politicè Catholicus, nullóque veteris Religionis ardore incenſus, facilè tamen intelliget, omnes tuas cogitationes, conatus & machinas eò referri, ut mendacia & calumnias architecteris & comminiſcaris. Nam ſi mentiendi libidine non exardeſceres, nihil neceſſe erat, te ortum hujus Societatis commemorare, cùm is nihil ad rem tuam faciat. Clarè etiam deprehendet Lector tuus, te laborare immedicabili gangrænæ morbo, cujus ea natura, ut omnia contaminet, & nihil intactum & intaminatum relinquat. Maffejus & Ribadeneira, quem frequenter citas, & ex aliorum numero Lopeſius Caſtagneda Societatis originem, & hanc, quam refers, hiſtoriam verè deſcripſerunt, ſi quod inde accepiſti, ſincerè & bona fide reddidiſſes, aliquid ſaltem veritatis in duabus tuis periodis repertum fuiſſet, abſque cauſæ tuæ præjudicio, imò cum laude & candoris teſtificatione. At nihil in tua præcordia deſcendit, quod non aceſcat, nec vel fauces movere potes, quin mendacia evolent. Et ſi veritatem aliquam in animum tuum demittas, mox in mendacium convertitur, & nova metamorpho-

Jac. Gretſeri Operum Tom. XI.

ſi in ſuum contrarium tranſmutatur. Ecce quid Caſtagneda hiſtoricus Luſitanus, de cujus fide meritò dubitare nequis, de origine Jeſuitarum literarum monumentis conſignârit, & ad poſteritatem tranſmiſerit. *Ignatius de Lôjola ex Biſcaja oriundus, nobili familia, & parentibus Catholicis editus, à prima ſtatim ætate in aulam Regis Ferdinandi miſſus, ita vitæ ſuæ rationes inſtituit, ut armorum uſum & tractationem omnibus rebus anteferret; id unum elaborans, ut in hac exercitatione fratres ſuos ſe natu grandiores longo intervallo ſuperaret. Itaque cùm Anno M. D. XXI. Pompejopolis à Gallis arcta obſidione cingeretur, & ab Hiſpanorum præſidio, in quo & Ignatius, defenderetur, ictu bombardæ penitùs confracta eſt dextra ejus tibia, ſiniſtra autem, lapide ex mœnibus excuſſo, valde ſauciata: poſtquam ſuis adhortationibus, animique infracta virtute obſeſſis ſæpiùs non parùm animi & roboris addidiſſet, ut hoſtibus viriliter reſiſterent. Qua de cauſa urbe paulò pòſt per deditionem Gallis tradita, Ignatius in Gallorum manus venit, qui perhumaniter acceptum & habitum, ad extremum quoque liberum in patriam remiſerunt, ubi à Medicis diligenter curatus acerbiſſimos quosque dolores ſanitatis recuperandæ gratiâ invicta mente pertulit, nondum depoſita voluntate ad caſtra redeundi; his tamen cruciatibus quodammodò à Deo præmonitus, rerum humanarum inſtabilem & fluxam ſortem accuratiùs perpendere cæpit, adeò, ut poſt diuturnum cum animo ſuo, rerúmque inanium imaginibus & umbris certamen, tandem decreverit (lectione librorum, qui vitam Domini noſtri & Sanctorum continebant, vehementer adjutus) ſe totum divino cultui mancipare exemplo & imitatione Sanctorum, quorum præclara facta à ſe non diu antea lecta, recenti memoria, hærebant.*

Lib. 20. hiſt. Portugallenſis. Verba Caſtagnedæ hiſtorici, de orig. Jeſuit.

Initia converſionis Ignatii de Lojola.

Poſt hæc narrat idem Caſtagneda peregrinationes, res geſtas, ſtudia & pietatem Ignatii & ſociorum, & qua ratione Societas hæc à Sede Apoſtolica approbata fuerit Anno M. D. XL.

Quidquid igitur tu certi & veri de origine Jeſuitarum nôſti, id te vel ex hoc ſcriptore, vel ex Jeſuitarum libris deſumere oportuit. Ipſi enim ſoli ſunt, qui primordia ſua literis mandare poterunt: quippe qui primos ſuos parentes viderint, & iſthæc narrantes ſæpiùs audiverint. Ex te ipſo nihil rerum iſtarum nôſſe potes, quandoquidem illis temporibus ne natus quidem eras. Si dixeris, te à Miniſtris & Prædicantibus ſuper his rebus edoctum, libenter tibi aſſentior; ſed nec ipſi hæc & ſimilia aliunde, quàm ex libris Jeſuitarum & Caſtagnedæ petere & intelligere potuerunt; & tamen tua narratio longè ab illorum narratione diſcrepat. Caſtagneda eodem modo ſcribit, quo Ribadeneira & Maffæus, Ignatium videlicet habuiſſe alterum crus fractum, alterum læſum, tu dicis; *utrumque fuiſſe fractum.*

A *fractum.* Caſtagneda dicit, lectionem piorum librorum non ſine moleſta lucta deſiderium mundi deſerendi Ignatio peperiſſe: tu nullam hujusce rei mentionem facis, ſed obliquè indicas, id eum *indignatione quadam feciſſe*, quòd videret ſe claudum effectum. Quod tu ex tuo cerebro fingis. Nam hiſtoria nihil de hac re dicit; ſed narrat, curatum fuiſſe, rectéque inceſſiſſe, licèt claudicârit, ſed tam modicè, ut non niſi à curioſis animadverti poſſet. Quod ſatis non eſt, ut dicas, illum *indignatione quadam* militiam deſeruiſſe. Sufficit generoſo militum Duci, ſi prudentia valeat; & militi, ſi robore lacertorum: pedes firmos & crura agilia præoptant illi, qui cùm pugnandum eſt maximè, fugiunt maximè.

B Porrò tantum abeſt, ut, qui in bello mancus mutilúsve effectus eſt, debeat ob id animum deſpondere, ut infortunium hoc meritiſſimò honori & gloriæ ſibi ducere poſſit. Quolibet enim paſſu, virtutis argumenta oſtentat: abjecítne Scevola animum, cùm alteram manum, aut Horatius, cui Cocliti nomen, cùm alterum oculum amiſit? Caſtagneda dicit, Ignatium ſtatuiſſe, rebus mortalibus valedicere, ut quidquid vitæ viriúmve ſuppeteret, id totum in unius Dei famulatu deinceps expenderet. Tu dicis, *id factum irreconciliabili in Gallos odio.* Caſtagneda dicit, eum impulſu & ductu Spiritus ſancti hunc Ordinem fundâſſe: tu, *dæmonis inſtinctu.* Caſtagneda copioſè exponit, quàm multa præclara fecerit Ignatius cum ſociis ad Eccleſiæ utilitatem: tu ſcribis, *cum foviſſe & aluiſſe maledictam iſtam*

C *conſpirationem, quæ tot tantásque calamitates in Galliam invexerit*, & undéuam, niſi ex corrupti pectoris tui receſſibus accidit, ut, cùm ex limpidiſſimo fonte biberis, reddas lymphas tam ſordidas, veritate tam perversè corrupta in hac breviſſima hiſtoria? Et quid, oro, præjudicii & incommodi cauſæ tuæ attuliſſes, ſi candidè dixiſſes, Ignatium alterum crus habuiſſe fractum, libríſque ſpiritualibus pervolutandis vacâſſe, & id genus alia, quæ vera ſunt: quid, inquam, cauſæ tuæ nocuiſſes, ſi hæc & ſimilia commemorâſſes, omiſſa illa fellis amaritie, quam copioſè evomuiſti? Nihil damni inde tibi extitiſſet: ſed ùt anima tua omnis omnino conſcientiæ expers eſt: ita & oratio tua veritatis.

Livius lib. 1. Decad. 1.

D

CAPUT XX.

Arnaldi calumniæ in totam Rempublicam Chriſtianam.

PArùm tamen tibi viſum eſt, hiſtoriam dicto modo depravâſſe, niſi etiam in totam, qua patet, Chriſtianitatem inurioſus eſſes. Nam cùm iſtam Societatem *maligni ſpiritus opus* appellas, injuriosè condemnas judicium Eccleſiæ univerſalis & ipſius capitis. Concilium Tridentinum ſic de Societate loquitur: *Per hæc ſancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JEſu juxta eorum pium inſtitutum à Sancta Sede Apoſtolica probatum, Domino & ejus Eccleſiæ inſervire poſſit.* Concilium vocat *Religionem.* Apoſtolica Sedes eandem Societatem ùt *Religionem* approbavit per omnes illos Pontifices, qui à Paulo III. (qui eam primus calculo ſuo confirmavit) ad hunc uſque diem cathedram Petri tenuerunt, omnésque non ſine accurato Regularum & omnium actionum examine debitísque probationibus, eidem varia privilegia impertiverunt. Societatem igitur, quam caput & corpus univerſum Eccleſiæ *Religionem* appellat, *pium inſtitutum, próque Dei obſequio erectum*, tu vocas *conjurationem dæmonis operâ eductam & excluſam, impiam progeniem*; & alibi, *Sathanæ officinam, ſectam periculoſam*; quæ nomina convenire non poſſunt, niſi in hæreſin, quæ propriè conventiculum eſt ſpiritu diabolico congregatum, rebellio filiorum Sathanæ, officina fabrilis inſtrumentorum Sathanæ, membrum ab Eccleſia reciſum, conſtituens ſectam cohortémque Sathanæ. Hæreſi matri tuæ iſta ſunt danda nomina, & *ſectæ* appellatio: ipſa eſt, quæ ſe à fide Eccleſiæ ſegregat, mater ſchiſmatum & diſſenſionum. Et niſi hæreticus, & quidem impudens eſſes, nunquam adeò petulanter blaſphemam tuam linguam in Eccleſiæ Catholicæ majeſtatem ſtrinxiſſes. Nam ex tuis verbis ſequitur, Concilium Oecumenicum nomine Dei convocatum & Spiritus ſancti aura afflatum unà cum Sede Apoſtolica, quæ ad dijudicandum verum à falſo, internoſcendósque bonos ſpiritus à malignis, ſcientiæ claves habet: perniciosè errâſſe, cùm *improbam conjurationem, ſectámque nefariam* in numerum Religioſorum Ordinum cooptavit. Hoc autem adeò ſceleratum & impium placitum cum tanta Chriſtianæ Reip. injuria aſſerere, eſt Wiclefo, Luthero & Calvino, diſcipuli inſtar, adhæreſcere, noménque ſuum in illis hæreticis profiteri, quibus nemo impudentior & flagitioſior ex infernorum ſedibus extitit.

E Seſſ. 25. cap. 16. de Regul.

Paulus III. Societatem approbavit,

F

G

Matth. 16.

H Inde etiam ſequitur, conventum Poiſſiacum, Sorbonam, Chriſtianiſſimos Reges Galliæ, ſupremos Regis Senatores ſeu Parlamenta, quorum omnium cauto & circumſpecto judicio Societas approbata & in regnum recepta eſt: præterea omnis generis clariſſimos Gallos, qui tanta liberalitate & munificentia Societatem ſuſtentârunt: adhæc Urbes, quæ Societatem intimo quodam animi affectu complexæ fuerunt: denique Academias, quæ eandem in corpus & Rempublicam ſuam aſciverunt. Hos omnes, inquam, ſequitur, aut ſcienter extrema quadam malitia, aut imprudenter, intole-

A tolerabili ignorantia fuiſſe approbatores, fundatores, benefactores & fautores *viperei geniminis, conjurationis*, & *ſectæ maledictæ*, ínque Galliæ intimis viſceribus ſtabiliviſſe & foviſſe ſcholas Sathanæ. Hoc totum ſequitur ex eo, quod aſſeris, ita, ut injuria tua ad omnes, nemine excepto, diffundatur. Quos & quantos Arnaldus injuria afficiat. Nam inſulſa tua vel potiùs hæretica garrulitate violâſti Eccleſiæ ſanctitatem, regiam majeſtatem, Magiſtratuum auctoritatem, & in genere ipſum commune Francorum nomen & exiſtimationem: in ſpecie autem atrocem injuriam irrogâſti plus quàm bis mille Gallicanis familiis, quarum vel liberi, vel conſanguinei in hac Societate Deo vel ſerviêrunt, vel adhuc ſerviunt. Mitto cæteras Reſpublicas, regna, & Monarchias Europæ, quæ Jeſuitas admirabili benevolentia receperunt & retinent. Mitto omnes alias Orbis partes, in quibus degunt ingenti approbatione eorum, qui virtutem colunt: In hos quoque ſpicula tuæ linguæ emiſiſti, ita, ut tua maledicendi libido non ſolius Galliæ, ſed iiſdem, quibus mun-
B dus, terminis circumſcribatur. Sed non utar hoc argumento: ſufficit indicâſſe, te tuam patriam, dum Jeſuitas inſectaris, caninis dentibus lacerâſſe; ſi tamen Gallus es, ac non potiùs furioſus quidam Moloſſus Anglicus humana figura veſtitus. Profectò, niſi mens tua furiis, imò & ipſo ſtygis halitu afflata fuiſſet, fieri non potuiſſet, ut tam graves & nefarias calumnias in Dei Eccleſiam, in omnes Chriſtianos, & in Societatem Jeſu jaceres, quam magno animi tui mærore fateris eſſe *numeroſiſſimam*, & quam omnes pii ingenti gaudio ubique terrarum diffuſam & propagatam bono animarum vident.

CAPUT XXI.

C

Impietas Arnaldi in Sacramenta.

VErùm enimverò commodè hoc loco evenit, ut, poſtquam furor tuus nonnihil deferbuit, tuo tibi jumento malum arceſſeres, cùm dicis, *naturam animalibus ſanguinariis, exitiúmque homini afferre ſolitis negâſſe fœcunditatem. Iſtam verò Societatem fœcundiſſimam & numeroſiſſimam ſimul eſſe.* Non eſt igitur, ùt tu mentiris, Societas hæc *ſanguinaria* & *pernicioſa*, cùm fœcunditas illius potiùs arguat
D utilitatem & benedictionem cœlo miſſam. Eſt enim ex illis, de quibus Propheta: *Benedixit eis, & multiplicati ſunt.* Hebræi propterea multiplicati ſunt, quia Deus ipſis benedixerat. Benedictio enim divina eſt cauſa fœcunditatis, & fœcunditas ſignum benedictionis divinæ. Ignarus igitur, quid diceres, verum dixiſti, ſicut olim aſina Balaam. Nam teſtimonio fœcunditatis doces à Deo benedictam, & favore divino corroboratam, qui eam plantavit & auxit, ſicuti

Pſalm. 106. Divina benedictio eſt cauſa fœcunditatis. Geneſ. 2. 9. 13. 15. Pſalm. 39. 106.

cæteras Eccleſiæ ſanctæ familias, & iſtud incrementum deflens, egregiè expreſſiſti mœrorem animi, quo Melanchthon tuæ ſectæ conſors angebatur morti jam proximus, lectóque affixus. Nam cùm audiiſſet, quæ & quanta Jeſuitæ in Indiis quotidie præſtarent, in cubitum erectus. *Bone Deus* (inquit Latinè) *quid eſt hoc, video totum mundum plenum Jeſuitarum:* Moriendum tamen illi fuit cum hoc cruciatu, tibíque ſimiliter cum eodem vivendum & moriendum erit, & de te tuísque ſociis cantabitur illud: *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.* Pſal. 111.

E Dictum Melanchthonis de Jeſuitis.

F

Nec contentus es injuriis & calumniis in homines, alias inſuper in Deum & Sacramenta adjungis. Nam multis locis Invectivæ tuæ ais, *Jeſuitas per Sacramenta populum ſeducere*, & confeſſiones vocas more hæreticorum *impias*. Nam Exorciſmi, benedictiones, Sacramenta, & cæremoniæ Catholicæ appellantur à Wiclefo, Calvino, & à Prædicantibus noſtri temporis *incantationes* & *necromantiæ*. Jeſuitæ igitur in Confeſſionibus, tuâ ſententiâ, incantant, dum dæmones, hoc eſt, peccatum, errorem, & hæreſin ex hominum animis expellunt, & Deo reconciliant peccatis obſtrictos, per Sacramentum Pœnitentiæ & Confeſſionis, præcipuum in ovili Chriſti inſtrumentum, quo oves ægræ & morboſæ curantur, & deviæ palantésque reducuntur, inſtrumentum dæmoni eiúsque ſatellitibus tam inviſum, quàm utile Chriſtianis; téque ad bacchandum & rabiosè vociferandum impellit, ut Confeſſiones in odium & contemptum adducas. Sed impius & blaſphemus es in Deum, licèt Jeſuitæ tales eſſent, quales tu nobis mendaci ſtilo depingis. Nam cùm Sacramentorum vis & veritas minimè pendeat ex bonitate Miniſtrorum, ſed ex Deo, qui ea inſtituit, fieri non poteſt, ut malitiâ Miniſtrorum mala efficiantur. Quapropter quicunque ea vocat *impia*, impiè divina Myſteria traducit. Potéſtne Baptiſmus vocari *impius*, quia eum impius aliquis adminiſtravit; aut Sacramentum altaris impium, eò quòd improbus illud confecit, aut eo abuſus fuit; aut ſacra Scriptura impia, quòd aliquis hæreticus eam legit, aut expoſuit?

Qualis Arnaldus in Sacramenta. Alphonſ. à Caſtro lib. 6. contra hæreſes. Calvinus eandem hæreſin ſequitur lib. 4. Inſtit. cap. 10. & 19. & Kemnit. 2. parte exam. pag. 852. & Illyricus Cent. 1. & 2.

G

Sacramentorum vis & veritas non pendet à Miniſtro bono vel malo 1. Cor. 1. Concil. Triden. ſeſſ. 7. de Sacrament. c. 12. Nazianz. orat. in 5. Bapt. Auguſt. contra Creſc. lib. 4. cap. 10. & lib. 4. contra Donat. cap. 4.

CAPUT XXII.

De Jeſuitarum in Galliam adventu.

H

De Jeſuitarum in Galliam adventu.

A Confeſſionibus Jeſuitarum tranſis ad ipſorum in Galliam adventum. *Non venerunt*, inquis, *in Galliam, explicatis vexillis.* Utinam vel ſemel veritas te reſpiceret, vel potiùs tu illam. Poterántne in Galliam venire, & in ea manifeſtiùs vivere, quàm ſcholas publicas aperiendo, concionando, vivendo cum aliis ejusdem

A regionis incolis, docendo, cúmque tuis Præceptoribus Miniſtris diſputando in ocu-
Non irrepſerunt clam in Galliam. lis Regum, Parlamentorum, Univerſita-
tum, Magiſtratuum urbium, & totius or-
bis? Eſtne hoc cuniculis, & clanculum age-
re, ac non potiùs vexillis volitantibus ad-
ventare? Nónne hoc eſt venire non tantùm
tympano pulſato, ſed etiam adhibitis fiſtu-
læ modulis, clangentibus tubis, thorace
aheno corpori circumdato, manúque ar-
mata, & inſtar aciei, conflictum jam jam
expectantis? Adeò apertè & luce palam ve-
Perſecutio Pariſiis in Jeſuitas excitata. nerunt, ut ab omnibus ſint viſi, vel po-
tiùs invaſi & oppugnati, ut proinde neceſ-
B farium fuerit virtute & patientia egregiè te-
ctos & munitos eſſe, ut imperterrito pecto-
re ſuſtinerent primam hoſtium impreſſio-
nem Pariſiis in illos factam Anno M.D.LXIV.
ſimul atque in Urbe pedem poſuerunt, eo
videlicet tempore, quo tantus civium &
optimatum numerus ſeſe ignotis adhuc op-
poſuit; quando decem Advocati nomine
& loco decem diverſorum Ordinum & Sta-
tuum, Eccleſiaſticorum ſimul & politico-
rum, iisdem, lite intentata, diem dixerunt,
& illi quidem non ex vulgi fæce, ſed totius
urbis & Univerſitatis facilè primi. Quan-
do Cardinales, Epiſcopi & Abbates, Gu-
bernatores, Scabini, ſeu conſules, Rector,
Sorbona, Facultates, Xenodochia, imò
C etiam Ordines Mendicantium convenerunt,
quidam bono fine, ut diſcerent, quinam
eſſent Jeſuitæ; alii invidia & odio, tibi ſi-
miles, ut ex Gallia pellerentur; quando
theatra, Comœdiæ & Tragœdiæ, mimicæ
actiones & declamationes non aliud tona-
bant, quàm calumnias: ridebant, accuſa-
bant nomen, veſtes, actionésque Jeſuita-
rum; quando per Univerſitatis vicos &
compita iter facere nequibant, niſi inſanis
clamoribus & ſibilis excepti, nec extra ur-
bem pedem efferre, quin verberibus malè
mulctarentur: fuítque iſte impetus tam
acer, & tam violenta oppugnatio, ut ejus
fama per totam Europam manaret.

D Neque ulla unquam cauſa tantoperè in
Senatu agitata, neque tanta contentione
publicè acta, neque accuratiùs examinata,
& Judicii quaſi trutina expenſa fuit, ut ne
aurum quidem in mediis flammis ita pro-
bari poſſit, ſicut de Jeſuitis Lutetiæ pericu-
lum ſumptum eſt. Sed Deus, qui tanquam
præſes conſilia Judicum moderatur & regit,
inſontiúmque patrocinium ſuſcipit, etiam
Catholico illi & ſacro Senatui pro Jeſuita-
rum cauſa adſtitit, ut non modò ſententiam
contra illos non pronunciârit, ſed ex illo
temporis puncto patrem & protectorem
Societati ſeſe præbuerit: idémque Deus Je-
ſuitarum patientiam tam copiosè remunera-
vit & compenſavit, ut illud ipſum, quod
perniciem allaturum videbatur, cauſa ſalu-
tis fuerit. Nam perſecutio & exagitatio
adeò formidabilis, oculos mundo aperuit,
ut clarè intelligeretur, quinam eſſent Jeſui- E
tæ, quæ illorum vivendi ratio & norma,
quæ virtutes, eadémque adverſitas Jeſuitis
apud omnes probos, infimos, medios, ſum-
mos, inſignem benevolentiam & amorem
conciliavit, & nominatim apud Dominum
Dominus de Thou ſupremus præſes Pariſiis. de Thoû gravem illum, doctum, & pie-
tate illuſtrem virum, tunc Conſilii Regii
ſummum Præſidem, qui eò majorem ipſis na-
vavit operam, quò certiùs cognovit, quan-
tum utilitatis labore ſuo Reipublicæ Catho-
licæ & Gallicanæ afferrent. Et ut hæc tan-
quam vera perſuadeam, alio teſtimonio non
egeo, quàm temporis illius repetita memo-
ria & conſcientia eorum, qui hæc coràm
ſpectârunt, quorum non pauci adhuc ſu-
perſtites. Neque in ulla Galliæ civitate ſe-
dem fixerunt Jeſuitæ, in qua multis expe-
rimentis, iísque arduis & difficultate plenis
non ſint tentati & explorati. Sed ex his flu-
ctibus incolumes ſemper emerſerunt; ídque
vel patientia & animi æquitate rebus adver-
ſis, vel præſtanti pietate rebus proſperis.

CAPUT XXIII.

Quid intelligat Arnaldus nomine conjurationis Hiſpanicæ.

F COnſidera jam, qua conſcientia & fron-
te dicere auſus ſis, *Jeſuitas clancu-*
lum in Galliam irrepſiſſe, neque vexillis
explicatis intrâſſe. Os tuum hoc loco verè
mendax, impudens, injurioſum, & hæ-
reticum nominavero: Ubi rationem redde-
re volens, cur Jeſuitæ illo anno tam adver-
ſo ex Gallia non ſint proſcripti, ita loque-
ris: *Quis neſcit, anno LXIV. nullum tantum*
animi habuiſſe, qui loqueretur liberè contra Hi-
ſpanicam conjurationem? Per *conjurationem Hi-*
ſpanicam nihil aliud hìc intelligere potes, quàm G
Nomen conjurationis Hiſpanicæ ab Hæreticis inventum. Eccleſiam Catholicam. Nam ſi verba tua
ea notione, quam primo aſpectu præſefe-
runt, accipiamus, neceſſe eſt, ut omni om-
nino ſenſu careant: nam eo tempore re-
gnabat Carolus IX. Chriſtianiſſimus, & po-
pulo Gallicano Rex longè chariſſimus, cui
duo erant fratres ætate & robore florentes,
neque tunc vel tenuiſſima alicujus coitionis
& factionis Hiſpanicæ ſuſpicio erat. Intel- H
ligis igitur, nomine conſpirationis Hi-
ſpanicæ Eccleſiam Catholicam & Galliam
Catholicam, in quam nemini tunc lice-
bat petulantem linguam exerere, & qui,
cùm id maximè vellent, non tamen aude-
bant, nulli alii erant, quàm hæretici, qui
valido freno coërciti, loqui non audebant,
ne *januis quidem clauſis*, nedum in conſeſſu
publico. Jeſuitas certè ſignificare non potes
nomine *conjurationis Hiſpanicæ*, quia liberè
quisque in eos, & quidem nimis liberè verbis
invehebatur. Illi ergo, contra quos nullus
loqui audebat, erant Catholici; & qui non
audebant loqui, erant hæretici, de quibus
ais:

A ais: *trepidi erant omnes boni & elingues, cùm dicere, quod nolles, miſerum; quod velles, periculoſum.* Iſti igitur, ſententiâ tuâ, erant *boni;* & qui jam tum optâſſent, Jeſuitas impedire, ſi potuiſſent, ne in Gallia ſedem figerent, qui jam ab inferis excitati, & liberi effecti loquuntur, & ut loquaris liberè, efficiunt. Illi ſunt, qui Jeſuitas condemnabunt, profligabunt, & exequentur id, quod tunc auſi non ſunt, aut non potuerunt. Ita, ut tuo judicio, nulla ſpes ſit, fore, ut Jeſuitæ iſtorum impetum & manus violentas evadant. Hæc eſt tua concluſio, involuta illis arrogantia tumentibus verbis: *Quid igitur putatis, vos, ô exploratores Hiſpaniæ, adducere poſſe, quò vos résque veſtras defendatis?*

CAPUT XXIV.

De quarto Jeſuitarum voto.

B NIhil ampliùs hac de re afferam; ſed gradum faciam ad argumentum, quod petis ex quarto Jeſuitarum voto Apoſtolicæ Sedi nuncupato, quo probas, Jeſuitas eſſe Hiſpanos, quíque Regibus Franciæ neque ſubjici, neque fide data obſtringi queant. Sic enim quodam loco ſcribis: *Cui ne fidelitatis quidem obligantur Sacramento; utpote incapaces, talésque, quorum cœtus tota nullibi approbatus Gallia, quíque alioqui Vaſalli ligii, obligati in omnibus & per omnia tam Generali ſuo, quàm Papæ.* Idémque multis aliis locis repetis, ut inde extundas, *Jeſuitas eſſe Hiſpanos.* Co-
C gor tua veſtigia ſequi, ùt initio dixi, hócque non tanquam crimen; ſed ùt mendacium refellere. Neque enim adeò tuam linguam pertimeſcunt Jeſuitæ, ut non libera voce teſtificentur, ſe malle quoſvis in Media Caſtilia naſci, ut ſint Catholici, quàm in urbe S. Joannis de Angelo, ut fiant hæretici. Sed quæſtio eſt de facto, non de Jure; de veritate, non de crimine: refutandum eſt, quod dicis, & oſtendendum, te ubique *Arnaldum* eſſe, hoc eſt, calumniatorem & convitiatorem. Cą-
Joh. 1. & ibid. S. Gregor. lumniator, cùm præclarum facinus aliter elevare non poteſt, id malo fine & mente perverſa factum aſſerit, ſic dæmon calumniatus eſt Sanctiſſimum virum Job quaſi ſpe divitiarum Dei tam reverens & obſervans eſſet. Eodem modo & ingenio tu vota Jeſuitarum, & quicquid Dei & proximi amore, & ipſius etiam Galliæ cauſa agunt, criminaris, & in montes pyrenæos rejicis, cúmque præclaras actiones multo lumine illuſtres & conſpicuas inficiari nequis; nebula tamén, neſcio qua, obſcuras & obumbras, ſiniſtréque interpretaris, & ad improbitatis tuæ tortuoſos anfractus inflectis, quaſi videlicet omnia referant tanquam Hiſpani ad Hiſpaniæ gloriam extollendam.
Ineptiæ Arnaldi.

Sed accedamus ad Votum. *Jeſuitæ quarto voto Pontifici ſeſe obſtringunt.* Quid tum? *Omnes igitur ſunt Hiſpani.* En ſcitam & ex intima arte depromptam concluſionem, non abſimilem huic: *Luna in cœlo ſplendet: Igitur roſæ ſunt ſtellæ.* Quæ concluſio nec vera, nec bene formata eſt. Ex omnibus nationibus Jeſuitas reperies: cur omnes propter hoc votum cenſebuntur Hiſpani? *Quia Papa ſemper eſt Hiſpanus:* hanc enim rationem reddis, quam & priſcæ & hodiernæ hiſtoriæ redarguunt, quibus conſtat, tot aut plures, quàm alterius nationis Pontifices Gallos Petri cathedram tenuiſſe; & poſt approbatam Societatem, nullum Hiſpanum ad ſupremum Pontificatus culmen evectum eſſe: *At omnes animo & voluntate Hiſpani ſunt:* ſed hoc eſt conjectare, inconſideratè quidvis effutire & calumniari. Sed eſto, verum ſit, quod dicis (licèt experientia mendacii te accuſet) num propterea neceſſe eſt, ut, qui ſingulari voto Pontifici ſuam operam obligârunt, eodem affectu imbuantur, qui ad fidei negotium nihil penitus pertinet? Omnes Chriſtiani, quà tales, debent Pontifici obedientiam, num ob id omnes Hiſpani? Quare falſa eſt tua concluſio, & malè collecta.
E

Mendacium de Pontificibus.

F

Si bonus fuiſſes Catholicus, & bonus Logicus, & non ignorans & arrogans Hugenotus, verè & prudenter concluſiſſes ex hoc voto, Jeſuitas eſſe Apoſtolicæ Sedi cumprimis devotos, & eximia pietate addictos, indéque occaſionem ipſos laudandi deſumpſiſſes, non tantùm quòd ex adverſo hæreticis rebellionis filiis & capiti Eccleſiæ tam infeſtis ſeſe opponant, ſed etiam quòd iſtud votum maximè verbo Dei, ipſorúmque inſtituto conſentiat. Votum his verbis continetur; quæ inter Profeſſionem poſt tria Religionis vota, pronunciari ſolent: *Inſuper promitto ſpecialem obedientiam Summo Pontifici circa miſſiones.* Quibus ver-
Verba quarti voti. bis nihil aliud ſignificant, quàm ſe promptos & alacres fore ad omne illud ſine tergiverſatione exequendum, quod Pontifex
H mandavit, ſive jubeat proficiſci ad Indos, Turcas, aliósve infideles & hæreticos, ſive ipſos fidelibus & jam Chriſtiana religione initiatis ſuam operam navare velit. Hoc votum non niſi ſanctum judicabunt omnes illi, quibus aliquid judicii ſuppetit. Nam cùm Societas ſe ipſam devoverit, penitúsque mancipârit divino obſequio, gloriæ Dei, animarúmque ſaluti & converſioni, non potuit ſanè liberaliùs ſeſe offerre, & alacriùs Chriſti Vicarium invitare, ut hac oblata operâ uteretur in gregis ſui emolumentum multò maximum, & in honorem ejus, cujus vices in terris gerit. His enim quodammodò verbis Summum Pontificem Societas affatur: *Ecce paratì ſumus quosvis labores ſuſcipere, quocunque terrarum Sanctitatì*

tati Vestræ nos amandare placuerit ad conservationem & amplificationem Christianæ fidei.

A Nemo concionandi munus sibi sumere debet, nisi mittatur. Hier. 23. Luc. 9. Marc. ult. Joan. 17. & 20. Concil. Lat. c. 3. Innoc. 3. epist. ad omnes fideles.

Deinde cùm nullus concionandi munus sibi sumere debeat, præsertim omnibus orbis in oris, ùt faciunt in Ecclesia & pro Ecclesia Jesuitæ, nisi mittatur, & superioris auctoritate muniatur, non poterant sanè Jesuitæ consultiùs & verbo divino convenientiùs agere, quàm si supremum in Ecclesia caput, familiæque Christianæ Oeconomum & dispensatorem adirent, ad cujus officium spectat, destinare alios, ut laborent, in vineas, alios in agrum, alios in alias possessiones Dominicas. Arcet Deus omnes illos à docendi officio, qui potestatem ad id acceptam literis quasi patentibus & testimonio publico probare nequeunt. *Quomodo* prædicabunt, inquit per S. Paulum, *nisi mittantur?* Et Hieremias conqueritur de falsis Prophetis, quia currebant & prophetabant non missi. *Ego non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: ego non loquebar ipsis, & ipsi prophetabant.* Hoc uno signo hæretici veteres & recentiores produnt, se lupos esse, non pastores; hæreticos, non doctores, non ingredientes per ostium, & concionantes nullius missu aut concessu, propterea Tertullianus ipsorum doctrinam tanquam nullam exagitat & oppugnat, hoc solo argumento; *Qui estis vos, quando, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: olim possideo, habeo origines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum.* Hoc totum occinit jam Ecclesia Catholica hæreticis nostri temporis. *Hugonoti quando prodiistis in mundum, & unde orti estis? Quid in meo agitis non mei? Quo jure, Luthere, sylvam meam cædis? Qua licentia, Calvine, meorum fontium canales transvertis? Qua auctoritate, Beza, limites meos commoves? Jam olim possideo, prior sum jure & tempore, bonos habeo titulos, origines firmas, ab ipsismet Apostolis, quorum res fuit. Ego ipsa sum vera hæres.* Quamobrem non debebas hîc Jesuitas convitiis insectari, si D verus esses Catholicus: sed converso stilo quàm maximis laudibus efferre, quòd hoc suo voto, sponte sese ad observationem divinorum mandatorum obligent, exemplóque tam perfectæ obedientiæ hæreticorum cerebrosam rebellionem expugnent: laudare debebas, quòd genuinæ reverentiæ & in Sedem Apostolicam observantiæ nota insigniti, Papam cum S. Irenæo singulari pietate agnoscant, *tanquam potentiorem Ecclesiæ principatum habentem:* cum Prospero, *Summum Pontificem & Apostolicum Sacerdotem:* cum S. Ivone Episcopo Carnotensi, *patrem patrum:* cum S. Bernardo *caput Ecclesiæ*, quódque cum magnis istis Doctoribus sanctitate & eruditione clarissimis, verísque corde & lingua Gallis eum venerentur & colant, qui suis manibus cœli claves gerit. E Matth. 16.

Rom. 10. Hier. 23. Joan. 10.

B

Tertull. de præscript.

C

S. Iren. lib. 3. cap. 1. S. Prosper lib. 2. de vocat. Sent. cap. 16. S. Ivo epistol. 12. S. Bernard. epist. 125.

CAPUT XXV.

Jesuitas ab omnibus Galliæ ordinibus receptos esse.

F Quare spatiosus tibi aperiebatur hoc loco campus decantandi laudes Jesuitarum, si rectè sapere & loqui didicisses, quos dum accusas ob illud votum, nihil aliud carpis, quàm studium promptámque voluntatem obtemperandi Papæ, quo ipso quasi *Papistas* vocitas usitato hæreticis in Catholicos convitio. At quod ais, Jesuitas *non posse fidelitatis Juramentum Regi præstare*, verum est, non ob illas causas, quas proponis; quæ nullius sunt momenti; sed quia ùt & cæteri Religiosi ad id non obligantur, cùm valedixerint mundo, qui licèt membra sint Reipub. Christianæ; ad politicam tamen & temporalem potestatem neque ùt integrum quoddam, neque ùt partes pertinent; Regum administri, nobiles, urbiúmque viri primarii, solito jurejurando Regibus sese devinciunt; ídque vel ratione officii, vel feudi, G vel utriusque Religiosi, quales Jesuitæ, quibus cum hujusmodi negotiis nihil est commercii, non magis adiguntur ad fidem Regibus obligandam, quàm infimi hominum opifices. Et quamvis exigeretur ab illis fidelitatis promissio; nulla tamen ratio obstat, quò minùs salva Religione & conscientia eam præstare possent, multóque minùs obstant rationes tuæ, quæ duobus mendaciis fulciuntur. Altera ratio est, quòd Jesuitarum Societas & quasi communitas non sit in Gallia communibus suffragiis recepta & approbata: Altera, quòd Jesuitæ per votum obedientiæ efficiant sese absolutè *vasallos* Papæ, & sui Generalis Præpositi.

Ultrum Jesuitæ juramentum fidelitatis præstare possint Regibus.

Duæ rationes Arnaldi.

H Prior ratio adeò falsa & vana est, ut dicere ausim, nullum unquam Religiosorum Ordinem tanta omnium Statuum & Ordinum approbatione & consensione in Gallia admissum, juréque civitatis donatum esse. Recepti enim sunt Jesuitæ & admissi ab Ecclesia & Clero Galliæ in Conventu generali Poissiaco, ùt ex ipsis illius conventus actis scripto consignatis indubitata fide constat; ídque præsentibus & annuentibus Illustrissimis Cardinalibus Lotharingo & Turnonio, quod in actione tua ægrè admodum fateris, nec sine glossis ex cerebro tuo exsculptis, quæ cui rei serviant, non video, nisi quòd te mendacem & insignem calumniatorem ostendunt. Mendacium est, *Collegium ipsorum receptum fuisse, sed ea conditione, ut ipsa Religio Societatis ex Gallia pelleretur, nec cognomen illud suum inposterum usurparet.* At calumnia est, cùm dicis, *operâ duo-*

Vanitas & falsitas prioris.

Jesuitæ in Gallia recepti sunt à Clero.

A *râ duorum Cardinalium ſententiam fuiſſe ſignatam, non audita prorſus Academia*, quod tu pro tua mentiendi libidine confinxiſti & protuliſti per ſummam injuriam & contumeliam in duos Principes, quorum porcos paſcere, & corrigiam calceamentorum ſolvere, ſi viverent, ne præſtantiſſimus quidem tuæ cognationis dignus eſſet.

B A Regibus. Recepti & admiſſi ſunt Jeſuitæ ab omnibus Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus, qui ipſos nôſſe potuerunt, Diplomatis regiis, literísque publicè vulgatis, à Rege Henrico II. Anno M. D. L. à Franciſco II. Anno M. D. LX. à Carolo IX. Anno M. D. LX. & LXIV. & LXV. ab Henrico III. Anno M. D. LXXX. & M. D. LXXXIV.

C A curiis & parlamentis Galliæ, Supremi Galliæ Senatus Jeſuitarum Collegia admiſerunt, & præcipuè Pariſienſis, qui Poiſiacam illam admiſſionem & approbationem ratam habuit, ut & majorem partem diplomatum regiorum. Pro iiſdem ſæpè idem Senatus ſententiam tulit, quando vel fundatio Collegiorum oppugnata, vel legata teſtamentis in eleemoſynam relicta, in dubium revocata fuerunt. Cameræ rationum, qua quidem licuit, ipſos receperunt, Collegiorúmque poſſeſſiones approbârunt. A cameris ſeu Magiſtris Rationum. Civitas Pariſienſis conceſſit ipſis eadem privilegia & immunitates, quibus Academia & Collegia Academica fruuntur. A civitate Pariſienſi. Hujus exemplum ſecutæ ſunt reliquæ urbes Galliæ, in quibus domos habent. Ab Academiis Galliæ. Academiæ Gallicanæ Societatis Collegia non modò ſummo conſenſu approbârunt, ſed & in corpus & Rempub. ſuam adſcripſerunt, quod Toloſæ, Burdegalæ, & Biturigibus factum eſt. Imò ipſa Pariſienſis Academia voluit, ut ſuis privilegiis gauderent, quemadmodum alia Collegia ejusdem Univerſitatis, ùt patet ex literis datis à M. Juliano de ſancto Germano, ejusdem Academiæ Rectore M. D. LXIII. ab ipſo ſubſignatis, &

D A Sorbona. ſigillo Univerſitatis munitis. Sorbona ſuo decreto 9. Julii ſuprà citato, publicè declaravit, ſe quatenus ipſa quidem poterat, Jeſuitas pro admiſſis & receptis habere. Quod decretum jure abrogare cenſetur vetus illud M. D. LIV. quo tantoperè tu, tuíque ſodales gloriantur, & tam furioſè digladiantur. Latum enim & promulgatum eſt Jeſuitis nec viſis, nec auditis, absque ulla cognitione & examinatione. At hoc poſterius editum non eſt, niſi poſt triginta annorum experimenta de Jeſuitis ſumpta. Solent autem ſententiæ poſteriores præferri prioribus tanquam maturiores, magísque ad judicii trutinam exactæ & expenſæ. Et ſi qua diverſitas in legibus exoritur, ultima abrogat, & invalidam reddit primam, ùt ait Cicero. Jam igitur oſtende mihi, ſi potes, ullam Religionem, quæ in Galliæ regnum juſtioribus titulis, & majore omnium conſenſu venerit, quàm iſta Societas; Aut ſi nequis, fatere te eſſe *Arnaldum*, cùm dicis, Jeſuitarum Societatem nondum eſſe in Gallia approbatam: fatere, tuam rationem eſſe falſam, quando dicis, non poſſe Jeſuitas præſtare Regi juramentum fidelitatis, quòd non ſint in Gallia recepti. E

Antiquum Sorbonæ decretum abrogatum per novum.

CAPUT XXVI.

Jeſuitas non fieri Vaſallos Pontificis & Regis Hiſpaniæ per votum obedientiæ.

F

SEcunda tua ratio æquè falſa eſt, ac prima. Nam nullus eſt Juriſconſultus adeò in Jure hoſpes, qui non videat, votum obedientiæ, quo ſe Jeſuitæ Apoſtolicæ Sedi obſtringunt, non efficere illos ejuſdem Sedis *vaſallos*, ùt ais; quo ſatis apertè ſignificas, te non modò ignorare, quid dicas, ſed etiam, quid ſit abſolutè *vaſallus*, nondum perſpectum habere, quod tamen tuæ profeſſionis vir memoriter nôſſe debet. Principio nemo poteſt fieri *vaſallus Ligius*, niſi ratione alicujus feudi aut beneficii temporalis ob finem temporalem collati: Deinde non poteſt fieri, ut quis duorum dominorum ſit *vaſallus ligius*, ùt ipſemet fateris: At Jeſuitæ nullum feudum obtinent à Papa in Gallia, nec aliquam temporalem dignitatem, quomodo ergo poſſunt eſſe *vaſalli* abſoluti Pontificis? Forſan creare nobis cogitas *vaſallos* ſine feudo, & Canonicos ſine beneficio Eccleſiaſtico, eo modo, quo ſine lege litem Jeſuitis intendiſti. Facis etiam ipſos *vaſallos ligios*, ùt Juriſperiti loquuntur, Generalis ipſorum; oblitus eorum, quæ dixiſti, non poſſe aliquem eſſe *vaſallum ligium* duorum Dominorum; ſi ſunt vaſalli ligii Papæ, quomodo etiam ſui Generalis erunt? Vísne duos maritos uni mulieri jungere? Sed ſi Vaſalli ſunt Papæ, quomodo eadem obligatione obſtringi poſſunt ſuo Generali, qui & ipſe tuo judicio Pontificis vaſallus eſt? hinc quatenus talis non permittitur à jure habere ſub ſe vaſallos abſolutos, cùm non ſit ſupremus Princeps: quòd ſi Jeſuitæ abſolutè ſint vaſalli Papæ, tantùm ratione voti, ſequitur, omnes Chriſtianos potiori jure fore Papæ vaſallos, ratione videlicet obligationis majoris & generalioris. Nam hoc voto non obligantur Jeſuitæ Pontifici, niſi ad miſſiones in varias orbis partes Evangelii diſſeminandi cauſa: At Chriſtiani, quatenùs Chriſtiani, tenentur Pontificem in omnibus, quæ ad fidem pertinent, tueri & immunem præſtare à quorumcunque inſidiis & machinationibus, quæ propemodum conceptis verbis formula eſt jurisjurandi, quo fidelitas & obſequium Principibus promittitur; dummodò materia Religionis & fidei mutetur in materiam Reipublicæ externæ & politicæ. Quocirca ſi doctrina tua vera

Unus non poteſt eſſe Vaſallus Ligius duorum. G H

eſt,

A est, non poterit Christianus fidelitatis jurejurando Principi sese obligare: Ex quo rursus consequitur, regnum Galliæ tot tantisque homagiorum & vasalligiorum juribus privandum esse, ùt & cæteros Reipublicæ Christianæ Principes. Nam nullus poterit esse Regis absolutus vasallus, cùm sit vasallus Pontificis, quatenus Christianus: necesse igitur erit, ut quis aut non baptizetur, aut baptizatus ab obedientia Papæ recedat, & Paganus & hæreticus fiat, ut sit Regis vasallus absolutus. Atqui neque Reges neque proceres Galliæ tanto dispendio hoc jus hánc que dignitatem sibi comparare cogitant.

Itaque ne erremus, satius est dicere te
B errare, tuásque rationes esse rationi contrarias, & totam tuam probationem nihil aliud esse, quàm farraginem & contextum quendam mendaciorum & ignorantiæ. Neque enim cùm quis Domino spirituali obligatione aliqua obstringitur, vasallus illius absolutè efficitur: neque quidquam adimit obligatio spiritualis ei, qua Principibus politicis obstricti tenemur. Quilibet Cle-
Sacerdotes promittunt Episcopis obedientiam. ricorum cum sacro Sacerdotii ordine initiantur, in hunc modum ab Episcopo interrogantur: *Promittis mihi & successoribus meis reverentiam & obedientiam?* Et quisque respondet: *Promitto.* Ista promissio & obe-
C dientia Episcopo promissa generalior est, quàm sit illud quartum Jesuitarum votum; & tamen nemo prudens asseret, Sacerdotes propterea desinere esse fideles subditos & vasallos sui Regis. Imò si controversia de Dominio & temporali Jurisdictione cum Pontifice oriretur, nullum dubium est, quin Jesuitæ, Galliarum incolæ starent contra Pontificem à partibus Regis Galliæ; quippe quem solum Dominum temporalem Galliæ agnoscunt: Sed neque Sacerdotes neque Jesuitæ debent tales vasalli esse, quales tu nobis, velut *novus Justinianus*, describis, qui scilicet in omnibus & per omnia simpliciter & absolutè Regi obediant, quidquid tandem Româ afferatur; quidquid
D sit, quod Deus & ejus Vicarius prohibeat aut præcipiat. Nec quærunt Reges Galliæ re & nomine Christianissimi tales vasallos; nam contenti Jure Cæsari debito, id, quod Dei est, minimè sibi adscribunt. Hinc detestantur etiam tuam adulationem. Ad evertendam igitur tuam conclusionem Hispanicam, ita concludo: Si Jesuitæ Galli non sunt vasalli Papæ, neque sui Generalis, utique neque esse possunt Regis Hispaniæ, cui non obligantur, nisi ea obligatione, qua omnes Christiani generaliter omnibus Christianis Principibus obligantur. Aut si propterea, quòd sint vasalli Papæ, & sui Generalis, non possunt esse vasalli Regis Franciæ, quomodo poterunt esse Regis Hispaniæ? Quodnam jus majus ibi erit; aut quæ major obligatio? Concludo igitur, Jesuitas esse fideles & bonos subditos Summorum Pontificum & Regum, &, bonos Gal-
E los, & te neque bonum Gallum esse, qui tam malè jus Gallorum tuearis: neque bonum vasallum Regum Galliæ, quòd illis fidem non præstes, honorémque debitum neges, minúsque bonum esse Catholicum, oppugnando Pontificem, communem omnium Christianorum parentem.

Arnaldus neque bonus Gallus neque bonus Catholicus.

CAPUT XXVII.

In Superiore agnoscendum & colendum esse Deum.

F DIspiciamus jam, utrum peritiùs probes, Jesuitas esse Hispanos, ob votum obedientiæ, quo Generali suo sese obstringunt. Argumentum tuum his verbis formatum est: *Præcipuum illorum votum est, obedire per omnia & in omnibus Generali suo ac Superiori, qui semper est Hispanus, electúsque suffragio Hispanici Regis: Cujus rei testimonium esto vel experientia ipsa: sunt ergo Hispani.* Et paulò pòst: *Verba quarti illius voti mira prorsus sunt, imò horrenda; eò enim usque procedunt: in illo Christum velut præsentem agnoscamus.* Et alibi: *Quibus votum illud est quartum ac præcipuum, obedire absolutè per omnia & in omnibus tum Generali Hispanico homini, tum Papæ.* Vis & sententia argumenti talis est: Jesuitæ habent suum Generalem semper Hispanum, cui obediunt, ùt Dei Vicario: sunt igitur Hispani. Paucis verbis sex insignia mendacia protulisti cum ingenti stupiditate con-
G junctа. Mendacium est, Jesuitas habere in suis votis hæc verba: *Per omnia & in omnibus.* Mendacium est, ipsos facere votum obedientiæ suo Generali: DEO enim faciunt, *vovéntque divinæ Majestati paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Jesu;* & si promittant obedire Generali, promittunt ùt Dei Vicario in administratione istius Societatis. Aliud mendacium est, & quidem crassius, Jesuitas nuncupare quartum votum, quo sese obstringant Generali, neque ùt Dei Vicario, neque alia hujus generis ratione considerato. Nec minùs à vero alienum est, quod
H ais, Regem Hispaniæ Societatis Generalem eligere: eligitur enim in Congregatione generali, ad quam multi ex diversissimis nationibus conveniunt, qui præmisso juramento suffragiis liberis scriptóque comprehensis eligunt illum, quem re Domino diligenter precibus & sacrificiis commendata, existimant omnium aptissimum, qui summa cum potestate Societati præsit. Mendacium insuper est, Jesuitarum Generales semper esse Hispanos: nam post ipsum fundatorem Ignatium Lojolam, qui Biscainus fuit, duo tantùm fuerunt Hispani Jacobus Laynes, & Franciscus Borgia. Everhardus Mercurianus erat Leodiensis; Quintus adhuc

Paucis verbis sex Arnaldi mendacia.

Jesuitarum Generales.

huc ſuperſtes Claudius Aquaviva, Italus eſt, ex Ducum Atriæ familia Hiſpanis ſemper ſuſpecta, quòd à partibus Gallorum ſteterit. Sextum mendacium eſt, verba iſta: *In illo Chriſtum velutì præſentem agnoſcimus* inſerta eſſe votorum formulæ.

Jam verò quàm ſtolida & bruta illa, qua laboras, inſania eſt, cùm prædicta verba, *In illo Chriſtum velutì præſentem agnoſcimus*, etiamſi votorum formulæ inſerta eſſent, appellas *mira & horrenda.* Si enim Deum præſentem agnoſcimus, veluti cauſam in ſuis effectibus, in omnium creaturarum minima, imò in ipſa culicis natura: ſi in fabrica ſpinæ dorſi, Ariſtoteles Ethnicus, & Medici ſolo lumine naturæ illuſtrati agnoſcunt Deum, adeóne mirum exiſtimas, ipſum in homine, vera Dei imagine agnoſci, & in homine quidem antiſtite, ab ipſo Deo ſpecialiter miſſo, tanquam Majeſtatis ſuæ Legato & Vicario? *Ego*, inquit S. Paulus, *ſi quid donavi, in perſona Chriſti donavi, & pro Chriſto legatione fungimur.* Nam cùm eſſet Dei legatus, perſonam Dei referebat. Audi D. Baſilium: *Prælatus*, inquit, *nihil aliud eſt, quàm ille, qui Chriſti perſonam tenet.* Anneſcis, quasdam eſſe perſonas & actiones, quæ cùm præſtantes & ſublimes ſint, inſigniter Deum referant, quippe cùm in eis Deus, tanquam in imagine ſe quodammodò aſpectandum exhibeat? Judicis officio fungi, & jus dicere, eſt Dei perſonam actione divina referre: Hinc Judices dicuntur Dii: *Ego dixi, Dii eſtis;* Et: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*, hoc eſt, Deus in Judicum concilio præſidet. Nam his locis, *Dei* nomen ſignificat Judicem. Pari modo, Regem eſſe, & juſtè ac piè regnare, eſt Dei perſonam actione divina repræſentare, Regésque hujus actionis excellentia imaginem Dei præcipuè intuentium oculis objiciunt. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Imperatorem alloquens, *Imperium cum Chriſto tenes*, inquit, *cum ipſo in terris gubernas: tu es imago Dei.* Quòd ſi divino nutu aliquando contingat, ut improbus Judicis ſolium, & ſceleratus regalem thronum inſideat, id eò fit, ut mortalibus palàm fiat, illos non eſſe Deum, cujus imaginem gerunt, nihílque extra Deum ſtabile & omnis mutationis expers reperiri. Continentur etiam hac ratione tanquam freno intra officii & ſubmiſſionis limites, dum ſe variis peccatis & caſibus obnoxios clarè intelligunt. Quemadmodum porrò divina bonitas liberaliter, ut ſic dixerim, permittit, ut Judices & Reges poteſtate accepta bene vel malè utantur: ita etiam juſtè illos pro modo & conditione ſtatus ſui, punit, & ad executionem decreti illius in Sapientiæ libro ſcripti, progreditur: *Potentes potenter tormenta patientur*, quando ſcilicet abuſi fuerint ea poteſtate, quam Deus illis contulit ad ſuam gloriam, publicámque ſalutem. Improbitas tamen & abuſus non tollunt id, quod aſſerimus, videlicet in ejusmodi hominibus legitimè ad illam dignitatem evectis, Deum velut præſentem agnoſcendum & colendum eſſe. Si igitur Reges, Judices, & Magiſtratus, ob gubernationem, qua res politicas & caducas ad ſalutem Societatis humanæ moderantur, perſonam Dei ſuſtinent & repræſentant, an tuo judicio eandem non ſuſtinebunt & repræſentabunt antiſtites, qui Religioni & miniſterio altaris animarúmque commodo procurando vacant, cùm iſtæ actiones multa cum divinarum actionum præſtantia communia habeant? Si ergo Deus in his tanquam in ſpeculo quodam elucet; cur, obſecro, eum, ubi eſt, præſentem non agnoſcamus & veneremur? Nónne igitur inſipiens & impius es, cùm vocas mira & horrenda illa verba, quæ ſummæ religionis clariſſima ſunt indicia & teſtimonia.

Deus relucet in ſuis effectibus. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 14. Ariſt. 1. de partibus.

2. Cor. 2. In Conſtit. Mon.

Pſal. 81. Ibid.

Orat. ad cives.

CAPUT XXVIII.

Superiori non eſſe obediendum, ſi quid mandet contra legem Dei.

SEd objicis; *Si* DEUS *in Prælato præſens agnoſcitur: obtemperare ergo oportebit Prælato, ſi homicidium imperet.* Miſerum te, & ignarum, vel potiùs Sophiſtam nefandum; Prælati, quà tales, & ùt patres ſpirituales, jus non habent mandandi talia, cùm ex Canonum & Eccleſiaſticarum ſanctionum præſcripto remotiſſimi eſſe debeant ab omnibus actionibus ſanguinariis: & quamvis in Prælato Deus præſens agnoſcatur, Prælatus tamen non eſt Deus. Quare ſi quid contra legem divinam præcipiat, ſubditus non tenetur hac in parte illi obedire. Nam cùm tantùm ſit vices Dei gerens, mos illi minimè gerendus eſt, ſi quid contra Domini voluntatem jubeat. Hoc non ignorârunt Jeſuitæ tanquam omnibus Chriſtianis cognitiſſimum: Nam hoc tantùm illis præcipitur: *Judicium ſuum cum eo, quod ſuperior vult & ſentit, in omnibus rebus, ubi peccatum non cerneretur, omnino conformantes.* Quæ exceptio deſumpta eſt ex D. Bernardo, quam ipſorum primus fundator Ignatius inſeruit epiſtolæ ſuæ de obedientia. S. Bernardus ſic ait: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo;* hoc enim caſu non eſt illi obediendum. Nam qui præcipit aut agit repugnantia voluntati ſui Principis, is eatenus Vicarii dignitatem amittit, ſeipsúmque imperandi jure privat. *Quia ſicut qui privilegio abutitur, privilegio privatur: ita qui poteſtate abutitur, poteſtatem amittit.* Scriptura jubet obedire Magiſtratibus ſæcularibus. *Qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit:* ſed ſi flagitium præcipiat, nulla illi hac quidem in parte debetur obedientia, ùt S. Auguſti-

Superioribus aliquid contra legem Dei mandantibus non eſt obediendum.

Lib. de præcept. & diſpen. c. 12.

25. q. 2. c. poſteaquam.

Rom. 13. De verb. Dom. ſerm. 6. citat. Gratian. C. Qui

A Augustinus doctè tradit: *Si jubeat*, inquit, *po-*
resistit, 11. q. 3. *testas facere, quod non licet, hîc sanè con-*
temne potestatem; ipsos humanarum legum
gradus advertite; si aliquid jusserit Curator,
nónne faciendum est? Tamen si contrà Procon-
sul jubeat, non utique comtemnis potestatem,
sed eligis majori servire; Si aliud Imperator,
& aliud Deus: da veniam Imperator; tu
1. Reg. 22. *carcerem, ille gehennam minatur.* Hinc custodes & satellites Saulis cùm mandatum accepissent, ut Sacerdotes interficerent, excusârunt se, quia hoc erat contra Deum. Hinc Christiani maluerunt quævis tormenta subire, & vitam cum sanguine profundere, quàm Idolis sacrificare, etiamsi id illis ab Imperatoribus præciperetur. Hinc Machabæi gravissima potiùs perpeti supplicia præoptârunt, quàm contra Dei legem vesci carnibus, sicuti jubebat Antiochus.

B Hinc supremi Regni hujus Senatores maluerunt olim officio & Magistratu suo abire, quàm injusta Regis edicta suffragiis suis comprobare, ùt accidit temporibus Regis Ludovici XI. quando præses Vaquerius stipatus plurium Consiliariorum comitatu, purpuratúsque ad Regem se contulit, conquestum ob minas Curiæ intentatas, nisi calculo suo confirmaret edicta quædam Regis: quin & suo & Collegarum suorum nomine disertè Regi exposuit, se potiùs deserturum conditionem & officium, quàm justitiæ defendendæ propositum. Quod tam præclarum, omníque laude dignissimum facinus tu nunquam feciss̄es, si eo tempore fuisses talis Consiliarius, qualis
C nunc es Advocatus. Risisses viros illos justitiæ tam tenaces, egregiámque ipsorum & honestissimam voluntatem calumniatus dixisses, quæcunque Regis imperata alacriter facienda esse, quidquid Papa Romanus aut Deus ex æthere contrà intonet vel fulminet. Ne unius assis hujusmodi tonitrua & fulgura æstimari debere. Non ita illi, juris & æqui lumina & firmamenta: non enim erant *Arnaldi*, & tamen ut hujus rei exitum videas, Rex tanta constantia obstupefactus, collaudatáque immota animi firmitudine, nihil ultrà tentandum putavit; sed edicta rescidit, regiáque virtute ad famulorum suorum virtutem sese accommodavit. Tam hic igitur, quàm illi pro certo habuerunt, obedientiam non versari in rebus divinæ legi contrariis. Eodem modo Jesuitarum obedientia, quam suo Generali Dei loco præstant, non obligat illos ad ullam rem, quæ vel Deo, vel proximo adversetur.

Mirandum factum summi præsidis Parisiensis.

D

CAPUT XXIX.

Refutantur ineptæ consequentiæ Arnaldi.

HAbes ergo Jesuitarum obedientiam, & quomodo Deum amore Dei præsentem in suo Magistratu agnoscant & revereantur: habes etiam mendacia tua E
patefacta, assertionésque temerarias confutatas: at verò collectio, quam deducere vis ex hac obedientia, non minùs est inepta & falsa, quàm assumptio. Faciamus enim Jesuitarum generalem Præpositum, cui sese voto obedientiæ obstringunt, semper esse Hispanum; ánne idcircò omnes Hispani erunt? ánne amorem illum patriæ omnibus à natura insitum, momento temporis transferent in regionem & nationem exteram? Siccine unico temporis puncto affectionem omnium dulcissimam, & in intimis quasi animæ fibris inhærescentem, radicitùs evelles? Ulysses magis amabat fumum suæ Ithacæ, quàm Calypsus regnum externum; qui habitant in Pedemontio, præferunt suas casulas Romanis palatiis. Si memoria natalis soli obliterari nequit, F
quomodo fieri potest, ut quis pietatem illam in patriam & nationem propriam exuat, aliámque mentem & aliquando priori planè repugnantem induat? Putásne Generalem Jesuitarum esse omnipotentem, ut naturas & constitutiones suorum arbitratu suo transmutare possit? Putásne, eum cum subditis suis agere more eorum, qui pecuniam signant, quibus familiare nummos veteres nova inscriptione & imagine insigniendos colliquefacere, & tum denuò cudere? Putásne, illum posse transmutare Polonos, Moscovitas, Germanos & Helvetios, Flandros, Italos, Lusitanos, Anglos, Scotos, G
Hybernos, & alias nationes, (ex quibus ista Societas constat) animis, corporibus, studiis, propensionibus, imò & toto cœlo diversas, quarum major pars ab omni alio potiùs, quàm à suo nativo loco abhorret? Putásne, illum ex omni ligno posse Mercurium efficere, & quosvis calceos cuivis pedi, & quamvis galeam cuivis capiti accommodare? Si tua illa Consequentia proba esset, tum sequeretur, cùm Jesuitarum Generalis erit alterius nationis: (nam ùt olim non semper fuit Hispanus, & ùt neque nunc est Hispanus: ita nec imposterum semper erit Hispanus:) Sequeretur, inquam, H
ut veluti Chamæleontes aut Protei, derepentè colorem suum & naturam ad nationem illam conformarent. Idem continget aliis Religionibus: nam si propterea, quòd primus fundator Ignatius tibi Hispanus fuit, (fuit autem Biscainus) & si propter successores illius Hispanos, omnes Jesuitæ debent esse Hispani, omnes etiam Dominicani & Franciscani, qui sunt in Gallia, erunt aut Hispani aut Itali, quia S. Dominicus fuit Hispanus, & S. Franciscus Italus. Et major pars Generalium Ministrorum electi sunt ex his duabus nationibus. Omnes Bernardini Germaniæ, Italiæ & Hispaniæ erunt Galli, quia S. Bernardus illorum Fundator fuit Gallus, & cæteri Generales ejus Ordinis sunt Galli. Quòd si istas consequentias

Inepta consequentia Arnaldi.

pro

A pro abſurdis habes, fatearis, te Logicum eſſe ſine ratione, & Jeſuitas non eſſe Hiſpanos tuâ ſententiâ. Si non ſunt Hiſpani: non ſunt igitur auctores calamitatum Galliæ: ideò enim eos auctores eſſe calumniaris, *quòd ſint Hiſpani.*

CAPUT XXX.

Ignorantia Arnaldi, &, pro quibus Jeſuitæ orent.

B

Prima Jeſuitarum origo Pariſiis.

ACcedamus ad alia argumenta, quibus idem vano conatu adſtruere moliris. Ais enim, *Societatem iſtam natam eſſe in Hiſpania, & Jeſuitas orâſſe pro Rege Philippo, non pro Rege Franciæ; eoſdémque ſtabilire paſſim Regnum Hiſpaniæ: Hiſpanos igitur & cladium Gallicarum cauſam eſſe.* Reſpondeo, Societatem Jeſu cœptam eſſe, primásque radices egiſſe in Academia Pariſienſi decem Magiſtris, ejusdem Academiæ eandem bono omine auſpicantibus, quorum primus erat Biſcainus Ignatius de Lojola, alter Navarræus Franciſcus Xaverius, duo Galli Paſcaſius Broët, & Joannes Codurius: Tres Hiſpani, Jacobus Laynes, Alphonſus Salmeron, & Nicolaus Bobadilla: duo Sabaudi, Petrus Faber, & Claudius Jaius, & unus Luſitanus Simon Roderiques, quos hujus Religioſæ familiæ meritò dixeris primos *fundamentales* ſeu *angulares* lapides ex ſex diverſis nationibus ſelectos. Non eſt igitur nata in Hiſpania, nec primò recepta in Hiſpania, ſed potiùs Pariſiis. Sed citas pro te vitam Ignatii ſcriptam à Ribadeneira: At ſatis oſtendis, te neque te ipſum, neque alios intelligere: Nam Ribadeneira manifeſtè tibi adverſatur: Tu quidem ex illo colligis, ipſam fuiſſe in Hiſpania receptam multò antè, quàm in cæteris locis: Sed qui Latinam linguam intelligit, ex illo loco colligit, citiùs admiſſam fuiſſe alibi, quàm in Hiſpania: tu vis dicere, illam fuiſſe priùs in Hiſpania approbatam & ſtabilitam, & Ribadeneira dicit, eam primò in Hiſpania perſecutionem paſſam fuiſſe, antequam vel recepta, vel nata eſſet. En tibi Ribadeneiræ verba à te citata. *Nam hæc Societas nondum nata, in auctore ſuo primùm probata eſt in Hiſpania, deinde jam edita in lucem, in Italia, Galliáque graviter oppugnata.* Fefellit te ignorantia, qua præpeditus orationem membris ſuis non diſtinxiſti: deinde accepiſti vocabulum hoc *(probata)* pro *(approbata)* eo loco, ubi ſignificat *(tentata)* ùt in Scriptura ſacra: *Probavit electos Dominus*, hoc eſt, tentavit. Probavit & tentavit per tribulationes: In qua ſignificatione crebrò etiam reperitur apud Juriſperitos, quod te latere non debebat. Volebat igitur Ribadeneira dicere, Societate nondum nata, ſed mox naſcitura, Ignatium ejus parentem & inſtitutorem perſecutiones paſſum fuiſſe in Hiſpania; háncque Societatem in ſuo capite exagitatam. *Nondum nata, probata eſt in auctore ſuo in Hiſpania*, & jam nata, ſeu in lucem edita in ipſis ſuis incunabulis oppugnata fuit in Italia & in Gallia. Quæ gradatio oſtendit, Ribadeneiram nullo modo loqui de admiſſione aut approbatione Societatis, ſed de primis perſecutionibus. Ex quo quàm fidus & probus ſis, perſpicuum relinquitur. Quòd ſi tria tantùm verba Latina tam diſertè ſcripta intelligere non potuiſti, quomodo intelliges Digeſta, Codicem, & Jus Canonicum, ſenſúmque Legum obſcurarum? Deus bone, quàm idoneus eſt iſte Advocatus, qui totius Galliæ cauſam agat, & qualis butio & cuculus, qui totam Galliam ob ineptias ſuas pudore ſuffundat?

E

F

Jeſuitæ, inquis, *orant pro Rege Hiſpaniæ.* Nemo negat. *Sed non orant ullo modo pro Rege Franciæ.* Hoc dum dicis, non tantùm oſtendis, te ignorare ipſorum Leges, qui eſſet tolerabilis error; ſed prodis etiam te egregium impoſtorem & ſycophantam eſſe, quòd incognitos ea in re accuſas, in qua una quàm accuratiſſimi videri debent. Leges & Conſtitutiones Jeſuitarum pulcherrimæ ſunt & exactiſſimæ, quod attinet ad preces, pro omni hominum genere, & nominatim pro Principibus & benefactoribus. Jubent enim, ut preces fundantur pro omnibus, amicis & inimicis, fidelibus & infidelibus: ſed præcipuè pro triplici hominum ſtatu: primò pro Principibus; & qui in alto poſiti, ut qui precibus magis indigeant, & penes quos ſit poteſtas promovendi multùm, aut etiam impediendi cultum & honorem divinum, & bonum animarum, ut divina ope adjuti ſanctè & fructuosè ſuo munere fungantur. Secundò pro benefactoribus & amicis, inter quos fundatores primum obtinent locum. Tertiò pro iis, cum quibus verſantur variis in locis, quique variis officiis juvantur, & quorum peculiaris cura habetur. Sic Jeſuitæ, qui ſunt in Gallia, precantur pro Gallis, Concionator pro ſuis auditoribus, Confeſſarius pro ſuis pœnitentibus, Præceptor pro ſuis Scholaſticis; qui ægrotos captivósque inviſit & ſolatur, pro pauperibus, oppreſſis & afflictis, & ita deinceps pro aliis hujus vel illius ſortis & conditionis. Neque tamen negligunt preces Deo offerre ſolitas generatim pro omnibus Eccleſiæ membris: orant etiam pro variis non rogati, nec in uno tantùm Collegio, ſed in tota Societate votis & ſacrificiis cœleſte Numen fundatoribus & bene de ſe meritis propitiant, nominatim illis, qui hoc beneficium ſpeciatim ab ipſis poſcunt. Neque illis deſunt, quos nimio vel iniquo rerum adverſarum pondere preſſos conſpicantur, ídque ſponte ſua, nulliúsque interventu. Hinc perpetuò preces

G

Jeſuitæ orant pro omnibus. Orandum eſt pro amicis & inimicis. Num. 16. Matth. 5. Lucæ 6. Act. 7.

C

Puerilis ignorantia Arnaldi.

D

H

A pro incolumitate Regum & regni Gallici fuderunt, maximè ab eo tempore, quo in Gallia domicilia posuerunt.

Ex præscripto & jussu prædictarum Constitutionum, quæ ex lege divina & naturali haustæ & delibatæ sunt, preces fundunt primò omnium pro S. D. N. Papa, pro Prælatis & Pastoribus Ecclesiasticis, & postea pro omnibus Principibus & proceribus politicis, maximè pro iis, in quorum ditionibus sedes habent. Orant pro Imperatore, pro Regibus Franciæ, Hispaniæ, Poloniæ, Japoniæ, & Chinæ: orant pro Rebuspublicis Christianitatis, pro Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Baronibus, Communitatibus, uno verbo, pro omnibus. Neque est, quod timeas, ne tot votis sufficiant: sunt enim *decem millia*, ùt ais; ídque magno tuo mœrore.

B Scriptura jubet orare pro principibus. Baruch. 1. 1. Tim. 2. 1. Petr. 2. Tertull. Apol. c. 31. ad Scapulam cap. 2.

C Quòd si ita res se habet, ùt revera habet, quid miraris, si Ribadeneira Jesuita Regis Hispaniæ subditus suum Regem laudet, potentiam & virtutem extollat, omnésque hortetur, ut pro talis Monarchæ salute Deum & cœlites deprecentur? Tantundem, & plus facit Edmundus Augerius Jesuita Gallus & cæteri Galli pro suo Rege: tantundem Poloni pro suo. Bohemi, Germani, & alii, qui in Imperio, pro Imperatore, & suis Principibus. Quilibet enim pro amoris affectu & naturali aut civili officio vota facit, & sacrificia offert, preces & pœnitentias suscipit in genere pro omnibus; in specie autem pro suo Principe & benefactore. Cæterùm ut preces, quas Jesuitæ Galli ad divinum numen Gallis placandum jam dudum fuderunt, & verò adhuc fundunt, præteream, si decimam duntaxat partem illorum ictuum & verberationum (quas *disciplinas* vocant) quibus à decem annis pro felici Regum nostrorum statu, voluntaria castigatione sese affecerunt, dorso tuo excepisses, corium tuum profectò jam in minutissimas partes discerptum, ne ad membranam quidem, vel tympanum efficiendum ampliùs valeret, & lingua tua fortassis vel meliùs loqui, vel prudentiùs tacere didicisset. *Noluerunt*, inquis, *Burdegalæ pro Rege mortuo orare.* Sæpè monui, te malum Logicum esse, sed iisdem semper ineptiis teneris, nec te emendas. Si semel recusârunt orare, an propterea concludendum, illos nunquam orare? Qualis es Logicus, universalem conclusionem ex facto particulari eliciens? Si aliquis semel bibere recusat, sequitúrne, illum nunquam bibere? Addo, ipsos orâsse pro Rege, eo modo, quo poterant. Nam in Missæ sacrificio orare, aut alio modo contra Leges Ecclesiasticas, erat Deum offendere, & preces invalidas reddere.

D Arnaldus semper malus Logicus.

CAPUT XXXI. E

Refutatur prima causa Arnaldi, cur Jesuitæ adeò faveant Regi Hispaniæ.

VErùm enimverò qua vel tenuissima verisimilitudinis specie asseris, *omnes cogitationes, conatus, preces, actiones, colloquia, confessiones, omnémque industriam Jesuitarum eò referri, ut Regem Hispaniæ totius Christianitatis Monarcham efficiant & non tantùm Galliam, verùm & totam Europam illi subjiciant.* Ista tua sunt commenta, quæ pluribus refutare piget & pudet. Nam præterquàm quòd à veritate plurimùm abhorrent, ridicula etiam jure optimo censentur: quia tamen in hisce nugis & næniis tuæ causæ præsidium & firmamentum ponis, ideò istis immorari vel invitus cogor. Quæro F igitur ex te, quanam de causa Jesuitæ adeò ardentibus studiis & votis rem Regis & Regni Hispani adauctam & amplificatam cupiant? Si causam noveras, prodere, nósque doctiores efficere debebas: Si ignorabas, haud decebat, ita temerè te rem magni momenti comminisci: Si dicas, Jesuitas id sine causa agere, imitaberis Advocatos, qui sine causa loquuntur & causas agunt. Neque hoc constanter affirmare potes: tuo enim judicio, Jesuitæ callidi sunt & versipelles. At insignis cujusdam stupiditatis & insipientiæ nota esset, Regum alicui sine causa tam arcto obsequio sese addicere & devovere, nec tu ullam vel veram, vel verisimilem causam adducis; commentitias verò & vanas, ut te ubique tui similem declares, duas affers: Altera est *honor*: altera *utilitas*, quæ inde ad Jesuitas redit tanquam obsequii præstiti, & laboris exantlati merces.

Mendacia Arnaldi.

G Cæterùm honoris specie Jesuitas Regi Hispano tam fidelem operam navare, nemini fit verisimile: nullas enim dignitates adepti sunt auxilio Regis Hispaniæ: Tu *Cardinalem Toletum* objicis: at ego à Pontifice *motu proprio* in Cardinalium Collegium cooptatum dico Toletum, qui illi ante Pontificatum familiariter cognitus & vehementer ob summam eruditionem erat probatus. Deinde licèt gratia & favore Regis Hispani Toletus creatus fuisset Cardinalis, num tamen hæc compensatio, quæ uni obvenit, sufficiens & satis idonea esset remunerandæ industriæ & operæ decem millium Jesuita- H rum, *qui*, ùt ais, *dies noctésque toto terrarum orbe enitantur, ut Regem Hispaniæ totius mundi Monarcham constituant?* Nimis exiguus hic bolus est, ut tantam multitudinem exsatiet & expleat, quo unus duntaxat potitur, & ex quo ad alios nihil præter inanem vel intuitum, vel rumorem venit. Honor igitur præteritus non potuit Jesuitas ad Hispaniæ gloriam extollendam tam vehementer incitare. At quòd

Cardinalis Toletus.

quòd tantum ſtudii & laboris ſuſtineant,
A propter honores futuros, æquè eſt improbabile. Nam præteritis reddi debebant, ſi ſapiunt, cautiores. Si enim tot annis, tot moleſtiis pro Hiſpania ſubitis & ſuperatis, ad nullum dignitatis gradum evecti ſunt, quid, quæſo, in poſterum ſperent? Neque ſpe ullum ſibi honorem deſtinant: non quòd hactenus nullum adepti ſunt; ſed quia nullum ambiunt, cùm omnibus mundi honoribus ſponte valedixerint; id quod ex ipſorum inſtituto, argumento certo, & fallere neſcio rectè deducitur, quod ejuſmodi legibus à primo fundatore temperatum, & formatum eſt, ut nulla ſit in Eccleſia Religio, cui ad dignitates Eccleſiaſticas evadendi plures obices ſint objecti.
B Nam reliquis omnibus licet dignitates Eccleſiaſticas ſine ſuo præjudicio capeſſere: at Jeſuitæ, dum profeſſionem faciunt, ſpeciale votum promittunt, *ſe nunquam quæſituros aut prætenſuros aliquam dignitatem aut Prælationem, directè vel indirectè, in dicta Societate; nec extra; séque non conſenſuros alicui electioni, quæ de ipſis fieret, ad tales gradus, niſi cogantur præcepto illius, qui poteſt abſolutè præcipere ſub pœna peccati, qui eſt S. D. N.* ùt nuper accidit Cardinali Toleto. Quocirca & ad ambiendos domeſticos, & ad externos honorum gradus omnes ſibi vias & aditus, intercluſerunt.

C Eſtné igitur ullo modo credibile, Religioſos, qui tam celebri & ſolenni cæremonia honoribus nuntium remiſerunt, adeò ſui propoſiti immemores vivere, ut certiſſima cum pernicie eos ſtudiosè aucupentur, cùm inter ipſos reperire ſit non paucos, partim qui jam ad magnas dignitates evecti, indies majores expectare poterant, partim qui aliquando virtute & eruditione longè ſuper cæteros elati fuiſſent: his tamen omnibus contemptis, Societatem amplexi ſunt. Si Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis adhuc ſuperſtes vir præclara virtute, literatus & domi nobilis, dignitates ambiebat, cur Curiam Romanam deſeruit, in qua purpureum galerum æquè inveniſſet, ac frater & nepotes ſui?
D Quid opus erat, ut in Societatis ergaſtulum ſeſe compingeret, honorésque manibus quaſi ligatis mendicatum procederet? Si Robertus Bellarminus Miniſtrorum tuorum terror & fulmen, Summorum Pontificum hoſtium tuorum nepos, veſtem Cardinalitiam quæſiviſſet, quænam, quæſo, cauſa eum adegiſſet, ut in hac Societate ſe Regis Hiſpaniæ mancipium faceret? quandoquidem cùm Pontificibus charus & gratus eſſet, quod voluiſſet, etiam ſine ambitu precúmve contentione obtinuiſſet. Quòd ſi Jeſuitæ tam amantes ſunt honorum, ut eos cœleſtibus gaudiis præponant, an non faciliùs Jeſuitæ Galli voti compotes fieri potuerunt in Gallia demerendo ſibi ſtudiis & meritis Regem Gal- E
liæ, qui eos & dandi, & ut conferrentur, præcipiendi poteſtatem habet, quam tanto cum labore & periculo gratiam & benevolentiam ad honores obtinendos externi & à noſtris oris tam remoti Principis ambire? Nónne etiam Jeſuitæ, qui in aliis Europæ regionibus degunt, longè faciliori negotio ad honores niterentur, tandémque pervenirent, ſi Principibus, in quorum ditionibus vivunt, tanto animi ardore & fervore ſeſe devoverent, quanto Regi Hiſpaniæ? Quî fit ergo, ut dignitatibus careant? ut in tota Europa à condita Societate nullus Jeſuita videatur Canonicus, Præpoſitus, Abbas, Epiſcopus, Archiepiſcopus, excepto uno, qui invitus Cardinalis factus eſt, & cum proteſtatione, magnóque Societatis dolore, licèt quod ad ipſum quidem attinet, tali honore dignus fuerit? Unde, inquam, fit, ut ſine iſtis honoribus vivant? Quia juxta ſuas Leges eos fugiunt, veluti ſuæ profeſſionis obſtacula. Si fugiunt: non ergo Regi Hiſpaniæ ſerviunt, ut eos conſequantur. Illud enim eſſet quærere, quod adipiſci nollemus, & flagrorum cauſa famulari, ſpe certè averſandi potiùs, quàm exoptandi ſtipendii. Concludo igitur, honorem non eſſe cauſam, ut Jeſuitæ tanto affectu, ùt dicis, negotia Caſtiliæ procurent, quod tibi quoque muſſante voce eloqui, & levi quaſi brachio attingere ſatis fuit.

F Cur nullus Jeſuita ſit Prælatus.

CAPUT XXXII.

Refutatur ſecunda cauſa Arnaldi.

G ALtera cauſa, quæ Jeſuitas, ùt tu ais, ad Regis Hiſpani Imperium amplificandum impulit, conſiſtit in opibus & divitiis, quas ex Hiſpania miſſas, vel jam poſſident, vel ſeſe poſſeſſuros ſperant. Hanc cauſam luce palàm in aciem producis, & quidem pluribus locis non ſine magna vehementia. Nam in hoc campo tam mirificè tua exultat oratio, milléque hyperbatis & tranſitionibus, infinitísque calcibus in Jeſuitas inſilit & irruit. Hîc tot auri myriadas inſectaris: hîc navem Jeſuiticam ex India ſecundo vento nobis advehis: hîc oſtendis, Jeſuitas non modò opulentos, ſed & opum cupidos, & quidem ardentiſſimè: hîc Jeſuitas *ſeductores*, teſtamentorum *ſuppoſitores*, *familiarum prædones* appellas: at illud incommodi intervenit, quòd omnia, quibus hæc probare & firmare aggrederis, nihil aliud ſunt, quàm figmenta malè ſani tui cerebri, tam profectò inſulſa & ſtolida, ut chimæras poëticas & ludicra pictorum in porticibus emblemata longè ſuperent. *Rex Hiſpaniæ*, inquis, *Jeſuitis bene & benignè fecit:* Non nego: ſed domi ſuæ, hoc eſt, in ſuis regnis,

Calumniæ de Jeſuitarum divitiis.

H

A nis, quin & in his nulla re magis munificus eſt in Societatem, quàm in alias Religioſas familias, imò in has, quàm in illam longè ſeſe liberaliorem oſtendit.

B Deinde faciamus verum eſſe, quod fingis de iſta opulentia: num ea fraudi eſſe debet Jeſuitis Gallis vel univerſæ Societati? Nam ſi Jeſuitæ Hiſpani multis beneficiis cumulati ſint à ſuo Rege, cur Jeſuitæ Galli damnum inde referrent? Cur ipſi & alii omnes ob hoc Hiſpani fierent? Et ſi Jeſuitæ Hiſpani amant & reverentur Regem Philippum, ùt benefactorem & Regem, cur reprehenduntur, cùm affectus & reverentia illa, Dei & Juſtitiæ Legibus ſint convenientiſſima: & cur cæteris affingemus, quòd ſolùm Regem Hiſpaniæ colant, & veris preciis æſtiment? Ex tuis igitur figmentis, licèt figmenta non eſſent, minimè ſequitur, Jeſuitas Gallos fieri Hiſpanos, multò minùs totam Societatem, illósque, qui à Rege illo nihil beneficii acceperunt.

C Notum eſt, qui ſint fundatores Collegiorum Gallicanorum, & qui Jeſuitas in Gallia alant: Notum, inquam, eſt, non eſſe Regem Philippum, & hoc maximè conſtat de Collegio Divionenſi in Burgundia, Bilomenſi in Alvernia, Auxitano in Vaſconia Hiſpaniæ vicino, quæ ex eleemoſynis in quintum jam annum victitant, ùt ex mutuo multa alia Collegia. Notum eſt, non eſſe Regem Hiſpaniæ, qui eos alat, aut ſi meliùs noveras, quàm ipſi Jeſuitæ, debebas probatis teſtimoniis id probare: quandoquidem tuæ cauſæ quàm maximè uſui erat. Idem dico de donis & muneribus, quæ fingis donata Jeſuitis ab Hiſpano. Nam proximis etiam belli tumultibus, cùm graviſſima egeſtate in Gallia premerentur, alias eleemoſynas non acceperunt, quàm ab ipſis Gallis.

Divitiæ Jeſuitarum in Gallia.

CAPUT XXXIII.

Immania mendacia Arnaldi de divitiis Jeſuitarum.

D VErùm omittamus iſta munuſcula, veniamus ad illos divitiarum cumulos, ad iſtam opum vim, & infinitam magnitudinem, ad iſtas auri myriadas, quæ in ſingulos annos ad Jeſuitas deferuntur: Rogo te, Arnalde, pandè nobis diſertis & apertis verbis titulos, originem, & fundum tanti proventus annui: res ipſa meretur, ut omnium oculis exponatur. Si ageretur de terminis aut limitibus alicujus prati aut horti, res inveſtigatu facilis eſſet: ſed in indagando tali & tam immani reditu, res peritiore interprete & ductore eget. Rogo te, omnem hîc expende, & nobis exhibe induſtriam tuam & ſcientiam: rem transactam perfectámque dabis labore non grandi, præſertim tanta animi æquitate, quantam in te ineſſe video. Quæſo te, unde duos illos E milliones auri proventuum Jeſuiticorum depromis? Unde advehis? Quis ille, qui tam liberalem manum expandit? Eſtné Rex Hiſpaniæ? Proba, & firmis quidem probationibus: alioquin fidem non facies: quia jam dudum fidem omnem amiſiſti, résque creditu ardua eſt: quamvis enim Regum *manus longæ* ſint, ùt quidam poëta ait; ex multis tamen millibus non reperies vel unum, qui tam *largas* habeat, quàm *longas*. Adde, quòd communi hominum judicio veriſimile eſt, Jeſuitas paupertatis voto obligatos, ſi à Rege Hiſpaniæ tantam auri copiam, compenſandis ſuis laboribus petiiſſent, reportaturos fuiſſe reſponſum illud, quod Ptolomæus dedit Thraſibulo Philoſopho, Talentum, hoc eſt, ſexcentos coronatos à ſe petenti: *Munus hoc nimis magnum eſt pro Philoſopho Cynico.* F Reſpondiſſet, inquam, Rex ſine omni dubitatione, par non eſſe, homines paupertatem profeſſos tantam auri vim à ſe poſtulare: at verò ſi Rex Philippus liberalitatis ſuæ fontes tam munificè Jeſuitis aperuit, dic, quæſo, ex quonam auctore hoc didiceris: Et ſi deſtitueris teſtimonio vivo & vocali, proba hoc ex ipſo facto. Nam eleemoſynæ adeò magnæ, conſuetúmque modum ſupergreſſæ, in obſcuro latere non poſſunt, ſed in publicum ſine mora veniunt: quia Reges res à ſe præclarè geſtas vulgari cupiunt, nihílque tam publicari optant, quàm liberalitatem virtutem verè regiam, omniúmque conciliatricem. Quem olim fugiebant Imperatorum Romanorum munera, ludi, ſpectacula? quem pyramides, coloſſi, & alia magnificentiæ Regum Ægyptiorum argumenta? Quis ignorat, quæ ſit Principum hac in G parte conſuetudo? Cur igitur non oſtendiſti intento quaſi digito inſignem aliquam & præ cæteris notabilem fundationem? Cur non ſplendidum aliquod Collegium? Cur non aliquod Eſcuriale, collegiúmque longè opulentiſſimum, cui probationum tuarum argumenta inædificares, munitionésque Jeſuitarum irreparabili caſu ſterneres? Ita agere, ùt tu agis, eſt; *ædificare caſas, ploſtello adjungere mures.* Reſpondebis fortaſſis, in nave Jeſuitica grandes illos reditus reperiri. Hæc videlicet illa navis eſt, quam in extaſi raptúque mentis vidiſti in portu Calecutienſi, & quando onerabatur, tu ſeſſitabas in carcheſio, Hiſpaniam & Galliam & palatium Pariſienſe inde contemplans, manúque altera Bartholum tenens. Hæc illa navis eſt, quæ affert illas auri non chiliadas, ſed myriadas, ùt olim Carina Argonautarum vellus aureum.

Liberalitas virtus Regia.

H Sed amabo te, dividamus iſtos reditus, nón privaberis parte tua; ídque meritò, quandoquidem nauticam factitans navem ipſam incolumem, ſalvísque mercibus ad Sequanæ littora appuliſti. Ais, *ducentas eſſe & viginti octo colonias*, hoc eſt, ducen-

tas

A tas & viginti octo domos Jesuitarum: duo milliones in portiones æquales distributi conficiunt novem millia pro unoquoque Collegio. Ponamus octo millia; tu tibi reliquum habe. Omnia igitur Collegia Galliæ habebunt octo millia aureorum: Igitur Divionense, Billomense, Mauriacense, & alia Collegia Galliæ, quæ ad mendicitatem redacta esse omnes nôrunt, habebunt octo millia aureorum. Si tam audax es, ut id asseras, Urbes, quæ verè nôrunt reditus Collegiorum Jesuiticorum, clara voce clamabunt, te totum cerebrum funditùs amisisse, adeò delirare videberis, in hac nave, duorúmque istorum millionum com-
B puto: At qui te judicio sano præditum credent, illi te prodigiosum sycophantam & criminatorem pronunciabunt; simul atque aspexerint Jesuitarum domicilia, vivendi & agendi modum, lectos & vestes, cùm fieri non possit, ut conveniant, & in una sede morentur, tot frugalitatis & religiosæ paupertatis testimonia, & tanta proventuum immensitas. Jesuitæ in Gallia præsertim passim ruinosas & malè materiatas ædes incolunt, victus illis frugalis, & pauperibus verè accommodatus: lectum ipsis præbet culcitra tribus asseribus imposita, cui unicum tegumentum sine umbella aut cortina, vestes gerunt ex panno vili & simplici absque serico & holoserico, detritas sæpè longo usu non sine assumentis & centonibus; si in genere duo milliones, & cuivis Collegio octo millia aureorum quotannis suppeditarentur, credibile non est, tam insipientes fore, ut usu & fructu tantæ pecuniæ sese perpetuò fraudarent.

C *Quò fortuna mihi, si non conceditur uti?* Quomodo igitur adeò opulenti sunt, & simul adeò egeni? Ostende mihi nonnullos tot opum effectus. Cùm te constrictum vides, occurris alio in loco huic objectioni, & tacitè respondes. *Jesuitas mittere suas pecunias in Hispaniam & in Italiam, servantes modicam portionem in Gallia cum bonis immobilibus, & iis, quæ ea lege legata sunt, ut abalienari nequeant.* Ita, ut juxta glossam tuam, ille ingens cumulus pecuniarum & thesaurus duorum millionum auri indies crescat in Hispania & Italia: intereà dum Jesuitæ egeni in Gallia egestate cum suis immobilibus
D propemodum opprimuntur. Sed ut tuam responsionem refellam, sicuti suprà architectabaris *Comitatus, Marchionatus, & Baronias* Jesuitarum in remotis regionibus, ut mendaciis tuis reperires aliquod latibulum, quo se abderent, & ab hominum conspectu, ne proderentur, proriperent: eodem modo hîc comminisceris thesauros in undis & fluctibus Oceani Japonici, timens, ne si in Gallia hos thesauros collocares, paupertas Jesuitarum, quam omnes probi vident, te insignis calumniæ & mendacii redargueret. Nec tibi in mentem venit hoc eodem loco id, quod alibi ais, *Jesuitas contribuisse ad bellum Gallicum:* unde sequitur, oportere illos E ex Hispania pecunias, non ex Gallia mittere in Hispaniam, cùm Galliæ non suppetat, unde tantos sumptus faciat: Sic perdis te ipsum & destruis, nesciens, quid dicas, nec advertens, quid moneat proverbium: *oportere mendacem esse memorem*, ne verbis contrariis simul junctis parùm constanter loquatur.

Arnaldus sæpè sibi contrarius.

CAPUT XXXIV.

De reditibus Collegiorum in Gallia.

SEd si fortè auctores & historici tui per- F
suaserunt tibi, esse navem quandam Jesuiticam; quòd fortassis aliqua visa sit, cujus puppis pictura nominis JEsu insignita fuerit (ùt illa in Actis Apostolorum, Act. 28.
quæ Castoris & Pollucis imagines præportabat) & si additis hoc hominum genere dignis glossematis eam ex Lusitania Parisios transmiserunt, ut isthic exponerentur merces, non sine existimationis tuæ jactura, næ egregiè te illi ludificârunt, simúlque Jesuitis jus in plurimas alias naves contulerunt. Nam si aliæ quædam reperiantur, quibus nomen JESU sit pro stemmate & signo, oportet, ut eodem jure ad Jesuitas pertineant. Ita non modico incremento duo *milliones* auri augescent: necesse etiam erit, ut multa ædificia in Galliis sint & vocentur Jesuitica, & ut Jesuitis cedant, quippe quæ nomen JESU præ foribus saxo insculptum præ se ferant, veteri quadam erga Sacrosanctum istud nomen pietate & religione: ita imprudens Jesuitas locupletas.

Porrò quemadmodum mendacium effu- G
tivisti, quod ad Indos usque penetravit, cùm assereres, Jesuitis duos milliones auri inde quotannis afferri: ita etiam altero, eóque valde crasso mendacio aërem Gallicanum inficis, cùm dicis, *Jesuitas in Gallia capere in annuum vectigal ducenta millia librarum.* Mendacium hoc esse ostendit tua probatio. Nam ad hoc probandum nihil aliud facis, quàm id *dicere;* & tuum *dicere* nihil aliud est, quàm mentiri, ùt hactenus ex omnibus tuis verbis ostendi. Hinc fit, ut alio argumento non sit opus, quo ostendatur, te hac in re non dicere verum, nisi quòd hactenus nondum verum dixeris. Quòd si tandem veritatis amor te H
tetigit, argumentis id probare, non simplici asseveratione affirmare debebas, cùm cuivis promptum sit & obvium nanciscì catalogum omnium redituum, quos Collegia Gallicana percipiunt. Est igitur, quod tu asseris, mendacium: esse autem splendidum, facilè cognoscet, quisquis accuratiùs de reditibus Collegiorum Gallicanorum inquirere volet. Quòd si hunc laborem refugiant, meóque testimonio stare velint, ausim vel juratus dicere (neque tamen ullius

A lius amicitia mihi tanti eſt, ut propter illam conſcientiæ integritatem violare velim) auſim, inquam, vel juratus dicere (ut te ſeriò brevitérque confutem) omnes proventus octodecim plus minùs Collegiorum Jeſuiticorum in Gallia viginti millium coronatorum ſummam non efficere: ex quibus quingenti propemodum ſocii alebantur. Vide jam, quàm inſigniter ſis mentitus.

B Prætereà dico, permultos eſſe in Gallia Prælatos, qui duplo plures reditus habeant, quàm omnes Jeſuitæ ſimul: nec equidem invideo, bene vertat, ſi tantos proventus bene expendunt. Addo, in illis urbibus, quarum Jeſuitæ ſunt indigenæ, reperiri non paucos Eccleſiaſticos, eósque non cum poteſtate, ſed privatos, qui triplo aut quadruplo majores capiant reditus, quàm ipſa Jeſuitarum Collegia, quæ ſunt in eiſdem urbibus. Quin & affirmo, nullam eſſe adeò exiguam Eccleſiam Collegiatam alicujus nominis, quæ non pluribus proventibus ditata ſit, quàm quodvis Col-

C legium Jeſuitarum in Francia. Quòd ſi reditus ſuos ſigillatim in ſingula capita diſtribuerent, utique uni ſociorum & operariorum 80. libræ Francicæ non obvenirent, etiam in opulentioribus Collegiis; in aliis autem ne 40. quidem, imò nec 25. Hinc niſi viverent in communi, niſi adjuvarentur frugalitate, œconomia, eleemoſynis, & beneficiis, modò ab hoc, modò ab illo acceptis, fieri non poſſet, ut vitam tolerarent, vel media ex parte ſumptus illos & expenſas ſuſtinerent, quæ neceſſariò iis in ædibus ſuſcipiendæ ſunt, quæ tam multos incolas tot functionibus publicis & privatis occupatos continent.

D Cui rei probandæ & firmandæ teſtes appello omnes probitatis amantes viros, qui cum Jeſuitis verſantur, eósque propiùs cognoſcunt, qui neceſſitate preſſos ſublevant, quibus omnibus exploratum eſt, me vera loqui; ídque libenter, cùm opus fuerit, teſtabuntur, & qui patulo ore inhiabant proventibus Collegiorum Pariſienſis, Bituricenſis, & aliorum, quibus Jeſuitæ ejecti ſunt, id nobis explicare poterunt, utrum tantos & tam opimos bolos invenerint, quantos ſpe & expectatione jam dudum devoraverant, idémque re ipſa comperient illi, qui ſibi ex aliis Collegiis aureos montes pollicentur, Jeſuitis inde exterminatis. Et tunc clarè videbunt cæci, ſi tamen oculos aperire velint, quàm ſolido nixus fundamento dixeris, *Jeſuitas pro bello pecunias contribuiſſe.* Miniſtrorum hoc eſt, Arnalde; horum machinis & impulſu imponuntur Eccleſiis vectigalia, ſeditiones concitantur & foventur, Duces corrumpuntur, qui in ſuum Regem Chriſtianiſſimum inſurgunt, auro & argento, non tantùm ferro & linguæ acumine. Dominus de Monluc Tribunus militum in Gallia, E cujus virtutem fruſtrà corrumpere conati, ſed non fruſtrà ejus vires & lacertos experti ſunt, hujus rei clarum & ſonorum teſtimonium poſterirati reliquit, Jeſuitæ tale quid moliri re ipſa non poſſunt, multò minùs voluntate; in ſuum herum ac Dominum arma ciere, hæreticorum rebellium mos eſt, non Religioſorum obedientiæ amantium. Hæretici ſeditioſi, non Religioſi.

Hactenus igitur oſtendi tibi, iſta congia- F ria Hiſpanica, iſtas naves & opes Jeſuiticas, eſſe fictiones Rupellæ primùm, & poſtea iterata editione in tuo cerebro impreſſas, Jeſuitásque non magis eſſe Hiſpanos propter opes, quàm propter honores. Concludo igitur, tuam ratiocinationem & fundamento, omníque bonæ conſecutionis ordine carere, téque tam imperitum eſſe Logicum, quàm Advocatum. Nam tuas probationes arenæ inædificas, & dum argumenta contexis, neque unde ordiaris, neque quò progrediaris, nôſti; cùm quod proponis, nunquam probes. Sed jam tempus eſt, ut ad Jeſuitarum avaritiam accedamus.

CAPUT XXXV. G

Calumnia Arnaldi de variis teſtamentis.

Jeſuitæ, inquis, *avari ſunt.* Accuſatio hæc efficacior eſt, quàm illa de divitiis; cùm ad aſſequendum id, quod cupis; tum ad creandum odium Jeſuitis. Opibus enim pollere, nemini datur vitio; ſed avaritiæ deditum eſſe, non modicum crimen eſt, apud illos præſertim, qui Deo paupertatis votum nuncupârunt. Quod cùm te non fugeret, inſolentiſſimè & injurioſiſſimè hîc exultas, & absque fronte & mente affirmas, Jeſuitas quotidie teſtamenta captare & ſupponere, deprædatósque eſſe, non paucas Galliæ familias; *poſtquam*, inquis, H *Airaldus fato conceſſerit, non omittent, quin poſcant jus primogenituræ: neque enim unquam paupertatis urgent votum, niſi cùm jam omnis ſpes ſucceſſionis planè evanuit; ac tunc quoque cùm profitentur, ac Sodalitatis ſubeunt ſacramentum, bona ſua priùs Collegio reſignant, prorſus ut nihil exeat, intrent omnia, non minùs quæ fortè obveniunt ab inteſtato, quàm quæ teſtamentis: quæ ſuprema judicia ſolicitè nimis captant, jámque animam in ore habentibus identidem ingerunt, aut horrorem inferni, aut paradiſi amœna, prout nihil aut multum impartiuntur Societati illi Jeſu, cujus rei illuſtre exemplum in Maldonato, cum præſide Montibrunenſi S. Andreæ.* Hactenus tua verba, qui & alibi in tua actione eosdem Latinis vocabulis (ut intemperiem oris tui magis demonſtres) appellas *immani avaritia nocentiſſimos, quibus fides, decus & pietas, poſtremò honeſta inhoneſtáque quæſtui ſunt.* Quæ verba adeò atrocia & immania ſunt, ut contra omnium profligatiſſimos totius orbis

A bis uſurarios proferri vix poſſint. Sed convitia omittamus, mendacia examinemus, ex quibus unum, *jus primogenituræ*, ùt poſtea dicam: alterum, quòd nunquam paupertatis votum faciant, niſi omni ſpe ſucceſſionis amiſſa: Nam illud faciunt, novitiatu finito, hoc eſt, biennio probationis & tirocinii exacto. Tertium, quòd totam ſuam hæreditatem Collegio tranſcribant, quando profeſſionem faciunt; ne unum quidem ex plurimis, qui in Gallia profeſſionem fecerunt, nominare poteris. Quartum, quòd tota hæreditas ipſis ab inteſtato obveniat: nam nullum jus habent vel acquirunt ratione illorum, qui in Collegiis moriuntur.

Mendacia Arnaldi.

B Sed potiſſimum mendacium eſt de Præſide S. Andreæ mortuo, qui anno LXIV. Jeſuitis legavit duodecim millia librarum: iſte igitur vir clariſſimus, judicio tuo, circumventus eſt, & poſteri ejus fortunis ſpoliati per Maldonatum Jeſuitam, qui paulò ante obitum confeſſionem ejus audiêrat. Sed certum exploratúmque eſt, Dominum illum multò antè teſtamento Jeſuitis reliquiſſe & deſtinâſſe legatum hoc, quàm Maldonati notitiam ullam haberet, & Maldonatum hac in re nihil aliud egiſſe, quàm quòd ſuaſerit, ut illam pecuniæ ſummam relinqueret liberam, neque certo alicui uſui applicaret, ut ita arbitrio & judicio Superiorum in quasvis Societatis neceſſitates expendi poſſet. Quod factum calumniatoribus calumniandi anſam præbuit: interim tu uno peſtiferæ tuæ linguæ jaculo inſectaris & laceras non modò Jeſuitarum viventium nomen & exiſtimationem; ſed etiam Maldonati & Præſidis prædicti jam vita defuncti. An non enim utrique debitam famam furripis, dum Maldonatum in ipſo Sacramenti Pœnitentiæ myſterio decepiſſe; alterum verò deceptum, & in fraudem impulſum mentiris, hominem tantæ auctoritatis & virtutis, tantæ ætatis & prudentiæ. An non & illa inſignis detractio, dum quod piè & religiosè, & in conſpectu Dei & hominum laudabiliter egit, immeritò & fallaciis excæcatum feciſſe prædicas? Præterea injuriam facis Senatui, qui Senatusconſulto declaravit Joannem Maldonatum innocentem, quem tu *ſeductorem* & *prædonem* vocas. Oſtendis etiam te ex ſchola Machiavelli prodiiſſe, dum rides & calumniaris, quòd apud Chriſtianos moribundos fiat mentio inferni & paradiſi. Qua de re vis ſupremo illo vitæ articulo ſermones inſtitui? Num de pectine Solis? De Ætnæ incendiis, & de epicyclis Saturni?

De teſtamento D. Præſidis S. Andreæ.

C

D Eadem mentiendi & criminandi libidine dicis Jeſuitas *expilâſſe domum Domini Bolanii* Conſiliarii in Senatu Burdegalenſi: *Palàm quoque eſt, quo modo involârint domum larésque Bolaniorum, quæ familia una eſt de opulentiſſimis Burdegalæ.* Infiniti Burdegalenſes fide digniſſimi, & adhuc ſuperſtites rogati teſtabuntur, Dominum Bolanium id, quod dedit, dare decreviſſe extruendo & fundando Collegio, priusquam Jeſuitæ Burdegalam perveniſſent, neque ea vel ætate, vel mentis ſimplicitate fuiſſe, quod ſuprà etiam de Præſide D. Andreæ diximus, ut ei oculos perſtringere, & fucum facere proclive fuerit, & hanc fundationem multis decretis confirmavit ſuprema Curia contra Dominum de Cande fundatoris fratrem, qui pertinaciter eam in Judicio oppugnabat. Quia verò iſta familia inter ditiſſimas Burdegalenſis Civitatis numerabatur, ùt ais, jure ſpoliata & expilata dici nequit, ob bis mille libras, annui reditus nomine Collegio donatas: Imò magno honore affecta eſt non tam ob liberalitatem in Jeſuitas, quàm ob pietatem in patriam & ſtudium in Religionem Catholicam, cujus cauſa Jeſuitæ accerſiti ſunt. Si fundatio hæc ceſſiſſet in emolumentum Miniſtrorum & Prædicantium, nihil dubito, quin clara & ſonora voce Dominum illum uſque ad ſidera evexiſſes.

De teſtamento D. Bolanii.

E

F Pergis. *Scitur etiam, quale teſtamentum extuderint præſidi Godrano Divionenſi, quo ſororem germanam unicam alioqui hæredem dimidio coronato contentam eſſe juſſerit, relictis interim quotannis Jeſuitico Ordini ſeptem librarum millibus.* An non es hoc loco inſignis impoſtor? Soror hujus Præſidis, cujus maximè hoc factum intererat, nunquam de Jeſuitis conqueſta eſt, in eo, quo ipſos accuſas & oneras. Urbs Divionenſis & tota Burgundia novit, Jeſuitas nec fuiſſe vocatos nec auditos, cùm teſtamentum hoc conderetur. Nec ipſe Præſes Jeſuitas noverat niſi communi proborum ſermone & narratione. Et licèt Jeſuitas familiariter, & multo longóque uſu noviſſet; ea tamen erat prudentia, ætate, judicii maturitate, probitate, & ſcientia præditus, ut nulla ſuſpicio extiterit, fallaciis circumventum eſſe, aut circumveniri potuiſſe: quippe Præſidem tanti Senatus & ſigillorum cuſtodem. Ipſa G etiam teſtamenti ſeries & tenor impoſturam tuam refellit. Urbem enim Divionenſem inſtituit hæredem, ſi Jeſuitæ illam hæreditatem adire nollent; & ſi Divionenſes eandem recuſarent, ſubſtituebat Urbem aut Canonicorum Collegium Auguſtodunenſe. Appoſuerat etiam quaſdam conditiones Jeſuitarum Conſtitutionibus contrarias, quod propè effecit, ùt decernerent hæreditatem aliis relinquere. Nec obſcurè indicabat, H Jeſuitas ſecum nunquam locutos. Et quamvis hæreditatem poſteà adiêrint, id tamen ſuaſu & hortatu Senatus Divionenſis fecerunt, qui pro ſua prudentia id, quod impedimento eſſe poterat, nonnihil temperavit. Et ex tota illa hæreditate non plures quàm octingenti aurei quotannis redacti ſunt, & his poſtremis bellorum tumultibus

De teſtamento D. præſidis Divionenſis.

A ne ducenti quidem, ut proinde neceſſe fuerit, Collegium partim piorum eleemoſynis & liberali ſtipe, partim ære commodato ſuſtentari.

B Necdum mentiendi finis. Ais enim, *recenter admodum loco juris primogenituræ abſtulerunt familiæ Domini præſidis de Lagebaſton terram Fajollenſem, eámque diſtraxerunt duodecim ſcutatorum millibus, quod precium ocyùs in Hiſpaniam ablegârunt theſauri ſui acceſſionem ſcilicet.* Semper es Arnaldus, neque unquam à te degeneras, ſempérque loqui, mentiri & calumniari eodem loco habes, ita, ut ne os ſolvere, & in verba formare poſſis, quin ſceleratè veritatem oppugnes, alienæque famæ & exiſtimationi ruinam & interitum machineris. Jeſuita Lagebaſton ditionem Fajollenſem ſorori ſuæ reliquit, neque inde quicquam accepit præter 1500. aureos arbitrio ſuo in egenorum turbam aliósque pios uſus diſpertiendos. Neſcio porrò, quanam ratione Jeſuitis *jus primogenituræ* arroges; Nam ipſa quidem Societas neque *jus primogenituræ* ſuorum hominum, neque Legitimam ſibi vendicat: & ſi priùs diem obeant, quàm quid de facultatibus fortunísque ſuis fieri velint, decernant, omne jus integrum illis manet, ad quos ex juris æquitate & moderatione pertinet; non verò illis, qui tali jure ipſis ſui inſtituti conſtitutionibus ſeſe abdicârunt.

Calumnia de jure primogenituræ Lagebaſtonii.

C Quod narras de Renato Airaldo filio Vicarii rerum criminalium in urbe Andegavenſi, ejusdem ordinis eſt cum aliis tuis mendaciis. Nam adoleſcens iſte 17. annorum, non tantùm 14. ùt tu fingis, cùm in Gallia Deo ſeſe conſecrandi, rebúsque mortalibus valedicendi propoſitum reipſa exequi non poſſet, in Germaniam Anno M. D. LXXXVI. abiit, ibíque propter eximiam pietatem & indolem in Societatem adſcriptus eſt, non autem, ùt tu falſiſſimè blateras, propter ſpem ingentis hæreditatis, quam parenti ſuo Jeſuitæ minimè invident.

Renatus Airaldus.

D Cæterùm cùm in hac de familiis expilatis, déque adoleſcentibus ingenio & genere præſtantibus in Societatem aggregatis narratione verſaris, excidit tibi non fortuitò, ſed deliberatè quiddam non diſſimulandum, ſed neceſſariò publicandum, ut quis qualísque ſis, omnibus illuceat vel ad ruborem tibi incutiendum, vel ad meliorem mentem injiciendam. Hoc autem, de quo loquor, illud eſt, quòd juventutis inſtitutionem apud Jeſuitas & Religionis votum compares ſacrificiis, quæ veteres faciebant Saturno, hoc eſt dæmoni, immolatis illi propriis liberis.

CAPUT XXXVI.

Calumniæ Arnaldi in eos, qui filios ſuos Jeſuitis inſtituendos tradunt.

E ET ne quis putet, me tuæ orationi gloſſas aſſuere, eo modo, quo tu Decretalibus Pontificum: en tua tibi verba repono: *Carthaginenſes pueros ſuos Saturno immolabant, & cogebantur ipſi parentes hilari vultu talibus intereſſe ſacrificiis. Nos ævum viximus (rem ſtupendam) quo nemo boni Catholici emerebatur nomen, quin liberos ſuos applicaret Præceptoribus Jeſuitis, & quo eorundem diſciplinæ alumni, tanquam ſi gallinæ albæ filii eſſent, aut potiùs* tanquam ſi Gygis *donati annulo omnia paſſim obtinerent, omnia poſſent, nec in vitam ipſorum doctrinámve inquireretur: usque adeò, ut patres plerique habita temporis ratione, cogerentur filios ſuos deſerere à Jeſuitis jam aut, neſcio quo, faſcinatos philtro, aut ſæpiùs etiam vi mera raptos, præcipuè ſicubi ipſis ad guſtum.* Hac ſimilitudine comparas adoleſcentes à parentibus vel conſanguineis diſciplinæ Jeſuitarum commiſſos, vel ut religioſam vitam amplecterentur oblatos, cum adoleſcentibus ethnicis ad aram Saturni deductis, parentésque eorum cum parentibus ethnicis. Hunc ſubeſſe ſermoni tuo ſenſum, inde liquet: quòd aliàs ſimilitudo à verbis tuis diſcrepet. Idem confirmo ex authoribus, quorum magiſterio ita loqui edoctus es: Hæretici Germaniæ (præſertim Polycarpus Prædicans) ſcribunt, *eos, qui ſuos liberos tradunt Jeſuitis erudiendos, ſimiles eſſe parentibus illis, qui olim ſuos liberos immolabant idolo Moloch,* immani ſcelere, quod & Pſalmiſta deteſtatur; *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Lutherus in ſuo Epithalamio ſcribit, *omnes, qui in Religione votum caſtitatis emittunt, ſacrificare corpus ſuum idolo Moloch.* Calvinus in ſua Inſtitutione ait, *vota Religionis eſſe dæmonis retia.* Itaque negare non potes, tuam ſimilitudinem idem velle & innuere, quod dictis & ſententiis ſuis ſignificant prædicti hæretici, à quibus comparationem illam mutuatus es.

F

In Hiſtoria Jeſuitica.

Pſal. 105.

G

Lib. 4. c. 13.

H Ex hac igitur ſimilitudine ſequitur primò, omnes, qui ſuos liberos curæ & diſciplinæ Jeſuitarum crediderunt, idololatras eſſe, quamvis temporis inevitabili neceſſitate coactos. Sequitur etiam, Reges Galliæ erexiſſe aras Saturno, & idololatriam ſtabiliviſſe in præcipuis ſui regni civitatibus. Regem etiam Henricum, qui nuper regnare deſiit, invitum licèt atque repugnantem, inſtituiſſe Seminarium in Collegio Jeſuitarum Pariſiis, ut Saturno litaretur, cultúsque debitus perſolveretur. Innumeros item Principes & proceres Galliæ filios ſuos Saturno in ſacrificium & libamen deſtinâſſe, multas chiliadas hominum,

Quid ſequatur ex Impietate Arnaldi.

A num, qui nunc Gallicanæ Reipublicæ operam ſuam utiliter navant, ab ineunte ætate Saturno initiatas & conſecratas eſſe. Sequitur prætereà ex hac tua loquendi forma, Magiam & incantationem exerceri, ſacrificiúmque in honorem Saturni inſtitui, quoties vel pater filium, vel filius ſe ipſum in religioſa aliqua familia Deo conſecrat: & ut rem in pauca conferam, quando S. Bernardus, S. Auguſtinus, S. Bruno, S. Dominicus, S. Franciſcus de Paula, & innumerabiles alii vita & religione præſtantiſſimi viri divino obſequio vel ab aliis mancipati ſunt, vel ſe ipſos mancipârunt, tunc ſententiâ tuâ incantamentis dementati, & in retia dæmonis prolapſi, hecatombarum inſtar oblati & trucidati ſunt
B parenti Jovis. Nolo hîc pluribus enormitatem & atrocitatem criminis, quo te obſtrinxiſti, exaggerare: narratio ipſa omnibus, quibus Catholica fides curæ, tantum horrorem incutere poteſt, ut ſtent comæ, vóxque faucibus hæreat. Illud addiderim, præclarum fore facinus, ſi carnificum miniſterio in cineres vertereris, non quidem in ſacrificium, quia nec lúpina nec vulpina caro idonea eſt aræ; ſed ad expiandam impietatem & blaſphemiam, quam evomuiſti coram ſupremo Galliæ Senatu, quámque typis evulgâſti ingenti divini honoris, Eccleſiæ, & totius Galliæ damno.

Religioſum fieri eſt Dæmoni ſacrificare ex ſententia Arnaldi,

CAPUT XXXVII.

Mendacia Arnaldi ſuper Ingreſſu Franciſci à Canillac in Societatem Jeſu.

C PRo bellariis & menſis ſecundis tuarum calumniarum apponis nobis hoc loco Franciſcum à Canillac fratrem Domini Marchionis à Canillac, quem à Jeſuitis *expilatum eſſe paſſim conſtare*, dicis, *ut haberent octo millia librarum annui reditus, quibus ipſe gaudet, non ſine ſpe futuræ ſucceſſionis & ſubſtitutionis in locum fratris, ſi frater abſque liberis ex hac vita decederet, ut ita demùm Marchiones fiant Canillaci, extirpata familia, cujus annui proventus ad quadraginta quinque*
D *millia librarum accedunt.* His calumniis & mendaciis refellendis teſtes advoco & appello infinitos Arverniæ indigenas, & ipſam inprimis nobilem *Dominam de Monſan* ſororem Domini de Canillac, Dominam virtute excellentem, & tali ſtirpe digniſſimam; quibus omnibus compertiſſimum eſt, Jeſuitas, cùm eximius ille adoleſcens Societatem peteret, votis ejus nequaquam annuiſſe; tum, ne fortaſſis familiam adeò illuſtrem offenderent; tum quia verebantur, ut Societatis laboribus perferendis ſatis firmus & validus eſſet, licèt alioqui pro ætatis teneritudine præclaris ingenii & ſcientiæ dotibus polleret. Cùm igitur in Gallia voti compos reddi non poſſet, bis Romam contendit, aſſiduis precibus à Generali Jeſuitarum Præpoſito efflagitans, ut in Societatem allegeretur: qui tandem, mortua matre Marchioniſſa, preces juvenis audivit, cùm vigeſimum aut vigeſimum ſecundum ætatis annum ageret: Neque quiſquam ex ea familia repertus eſt, qui Jeſuitis propter hoc factum litem moverit, negotiúmve faceſſiverit, ne ipſe quidem Marchio, qui ob amorem, quo fratrem complectebatur, non potuiſſet non vehementer iraſci, ſi fraudis & fallacis pellaciæ aliquid interceſſiſſe exiſtimâſſet: Verùm non modò factum hoc ægrè & moleſtè non tulit, ſed & Jeſuitarum calumniatoribus os obſtruxit, epiſtola ad Jeſuitas data, quam hîc deſcribere operæ precium duxi, ut omnes intelligant, os tuum nihil aliud eſſe, quàm reciprocum quendam mendaciorum Euripum. E

Intellexi lividos quoſdam & in ſocietatem veſtram malè affectos rumorem ſparſiſſe, me à vobis alieno eſſe animo, eoſdémque vobis impoſuiſſe, quaſi fratrem meum per vim adegeritis, ut Societati veſtræ nomen daret. At ego cauſam hujus rei nemini adſcribo, quàm naturali illius ad omne pietatis genus propenſioni, & religioſis morum vitæq; veſtræ exemplis, quibus ei, cùm in Collegio Billomenſi degeret, præluxiſtis. Hoc animi mei teſtimonium libens volénsque vobis dedi, ut & innocentiam veſtram & veritatem ſemper teſtetur, quam ego quidem, quod ad hoc negotium attinet, nunquam reticuerim, neque ullam aliam occaſionem prætermittam, qua declarare meam erga vos voluntatem poſſim. Rogo, ut in veſtris precibus me Deo commendetis, quibus Deus ut ſua gratia adſit, precor, ſimúlque illud vobis perſuadeatis velim, meam operam nulla in re, quæ quidem opis meæ, Societati veſtræ defuturam. Canillaci apud S. Cyriacum 30. Auguſt. M. D. XCIV. F Epiſtola Domini Marchionis à Canillac.

Non video, qua alia Jeſuitæ præter has literas defenſione vel calumniarum tuarum refutatione egeant. Illud duntaxat monuerim, te jure laudibus extuliſſe ſplendorem & opulentiam domus de Canillac. Nam hoc meretur, cùm propter alia decora & gentilitia ornamenta, tum quòd Eccleſiæ Summos Pontifices pietate & doctrina excellentes progenuit: ſed improbè ſimul & contumeliosè in eandem invectus es, quando judicii & melioris tuæ ſententiæ oblitus Jeſuitas omnes ſine delectu & exceptione appellâſti *prædones, homicidas, Aſſaſinos.* Nam hac tua calumniandi petulantia in horum nefariorum hominum catalogum & numerum retuliſti Franciſcum de Canillac intoleranda in familiam illam, quam laudas, injuria, adeò jam inveterata conſuetudine, benedicere nequis, niſi maledicas; aut verum dicere, quin tibi contradicas. G Clemens VI. & Greg. II. ex familia de Beaufort. anno 1342. & 1371. Platina.

Habes jam refutatum & diſſolutum, quicquid ad Jeſuitarum avaritiam patefaciendam, & ad hæreditatum inexplebilem ſitim oſten- H

A ostendendam facere arbitratus es. Miror te, pro tua in Jesuitas benevolentia, & amore incredibili tam pauca exempla attuliſſe, cùm veriſimile ſit, te accuratè, imò curiosè inveſtigâſſe, quicquid hac in parte tibi uſui eſſe poterat, ut Jeſuitas majore impetu exagitares. Miror etiam, te ex duobus millibus Gallorum, qui à triginta annis Societatem amplexi ſunt, ne unum quidem proferre potuiſſe, quo perſpicuè planum faceres, Jeſuitas tales eſſe, quales à te per calumniam depinguntur. Ne adoleſcentes quidem Pariſienſes familiares & domeſticos tuos ſatu & ſtirpe plerosque nobiles adduxiſti, qui te nullo negotio veritatem edocuiſſent: at Jeſuitæ promptè & ſine mora mille & octingentos, à quibus ne obolum quidem acceperint, numerabunt: imò multos potiùs numerabunt, quos, ut in literarum ſtudiis progrederentur, & gradibus Scholaſticis inſignirentur, liberâliter ſuo ære juverunt; multos, quorum hæreditates & penſiones recuſârunt; multos denique, quorum parentibus pro tenuitate ſuarum fortunarum benignè ſubvenerunt. Argumentum magnæ improbitatis eſt in Advocato, qui profitetur, & verbis conceptis pollicetur, fore ſe juſtitiæ patronum; tam eſſe proclivem ad accuſandum, & ad probandum tam ſiccum & jejunum. Si Pericles veri numinis ignarus, ſuggeſtum conſcendens à Deo petebat, ne permitteret ex ore ſuo elabi vel unum verbulum, quod ad rem non faceret; quantò magis Chriſtianus Deum precari debet, ne ſinatur in mendacia, calumnias & impoſturas præcipitari?

Periclis preces cùm ad dicendum accederet. Plutarch.

C Porrò cùm facinus indignum & intolerandum reputetur, ſi Orator ethnicus parùm convenienter propoſitæ materiæ dicat, cúmque lex moneat, *ne in licentiam convitiandi & maledicendi temeritate Advocati prorumpant; atque ſi quis adeò procax ſit, qui non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patiatur:* qualénam & quantum piaculum, & quanto ſupplicio mulctandum erit, ſi Chriſtianus Advocatus non ſolùm extra propoſitæ materiæ terminos evagetur, ſed evagetur quoque contra juſtitiam, contra veritatem, contra honeſtatem, contra innocentiam, & contra Deum ipſum, non ſine injuriis, impoſturis, & atrocibus calumniis, ùt tu hactenus feciſti abſque modo & fine? Et quæ hæc procacitas, criminari omnia benefacta non modò viventium, ſed etiam defunctorum? An non hoc eſt, durum & immitem ſeſe præbere egenis, quorum inopiæ his beneficiis ſubvenitur? An non iniquum & injurioſum opulentis, à quibus talia egeſtatis levamenta proficiſcuntur? An non hoc eſt, impium & blaſphemum eſſe in Deum, qui laudat, commendat, & fauſtis verbis eleemoſynam proſequitur, ad eandémque erogandam mortales indeſinenter exhortatur? An non egenis ſimul & locupletibus omnis boni nominis exiſtimatio adimitur, cùm alteri appellantur *ſeductores doloſi* & *fraudulenti*; alteri *ſeducti per ſtultitiam?* An non hoc eſt, dare anſam & occaſionem traducendi & criminandi, quidquid in hoc genere pietatis & officii unquam ſuſcipietur; ita, ut qui pauperibus aliquid legant, teſtamentóque relinquunt, vocentur *deliri*; & illi, quibus aliquid legatur, *prædones*; illi, qui legant, *circumventi & decepti*; qui legata accipiunt, *deceptores & impoſtores*, ùt tu jam de Jeſuitis dicere non erubeſcis.

Advocatis conviciari non licet. L. Quisquis C. de Poſtul.

CAPUT XXXVIII.

Jeſuitas non inſidiari teſtamentis.

F Cæterùm tantò petulantior & ſceleratior tua eſt calumnia, quò leges & regulæ ipſorum magis cavent, ne hac in re maledicendi cupidis ſermonem dent ullum. Quantum enim ad legata attinet, ut non tantùm vitetur crimen, ſed etiam occaſio & ſuſpicio, prohibetur illis, ne præſentes adſint, quando quis teſtamentum facit, & ex multis millibus, quibus à triginta annis ſuprema illa vitæ hora Pariſiis adſtitêre, non reperientur quatuor, qui illis aliquid teſtamento donaverint. Et ſi quis alius fuiſſet præter præſidem S. Andreæ, tu pro tua curioſitate haud omiſiſſes, quò minùs talem pro baſi & fundamento alicujus calumniæ arriperes.

G Quòd ſi ex reliquis Galliæ urbibus omnes, quibus moribundis ſuprema officia Chriſtianæ Religionis impenderunt, unum in locum convocarentur, auſim dicere, ex infinita multitudine non inventum iri tres, qui Societati teſtamento vel teruntium legaverint. Quin & plura longè & excellentiora non rarò præſtiterunt Jeſuitæ, ut manus ſuas ab avaritiæ ſordibus intactas, ſuámque exiſtimationem integram conſervarent, publicè renunciantes omnibus legatis, quæ quoquo modo liberalitate animam agentium ad ipſos devolvi poterant. Meminiſſe H te velim, ſi tamen alicujus boni meminiſſe potes, quid anno M.D.LXXX. & M.D. LXXXI. Jeſuitæ Pariſienſes egerint. Nam cùm peſtis tempore juvandis infectis & affectis, quorum ingens erat numerus, operam ſuam obtuliſſent, antequam miſericordiæ illud & plenum difficultatis officium auſpicarentur, abdicârunt ſe coram ſupremæ Curiæ Senatoribus omnibus legatis, donationibus & eleemoſynis, ſi qui fortè pietate ducti in Societatem munifici eſſe vellent, ſanctè teſtati, ſe nihil inde accepturos, etiam coactos, quod reipſa quoque præſtiterunt, nec à quoquam negari poteſt.

Quid egerint Jeſuitæ Pariſienſes tempore peſtis.

Nec

A Mortui & ægri ex peste. Expensæ in pestiferos.

Nec illud silendum, quòd præter tres socios, qui pestifera lue contracta, ad meliorem vitam migrârunt, séxque alios, quibus jamjam suprema dies imminere videbatur, ob contagionem pestis, aliósque morbos, diurnis nocturnísque laboribus collectos, supra octingentos aureos in tenuioris fortunæ homines expenderint: quæ summa neque potest neque debet videri tenuis, si quis tenuitatem facultatum Parisiensis Collegii considerare velit. Quo tempore cùm Parisiis inter Convictores studiosus viverem, admirabilem ardorem juvandi proximum rebus tam adversis & periculosis in omnium animis elucere animadverti. Nam ex quinquaginta pluriúmve sociorum numero, certabant inter sese omnes laudabili quodam contentionis genere, quisnam strenuissimus & maximè indefessus in sublevandis ægris esset; neque vel unus fuit, qui suam operam superiori promptè & alacriter non obtulerit, ne illo quidem excepto, cui pedum vitio vix rectis & non titubantibus vestigiis incedere licebat.

B

Lugdunensibus peste afflictis subvenit Edmund. Augerius.

Sub idem tempus, idem charitatis & misericordiæ officium Lugdunensibus exhibebat Edmundus Augerius peste etiam afflictis, cui cùm largissimæ eleemosynæ & donativa offerrentur, nunquam tamen vel obolum accepit; sed operam dedit, ut, quidquid ejusmodi stipis esset, id totum in egenos, potissimùm peste tactos, erogaretur. Multa alia hujus generis ex Galliæ nostræ urbibus, Tolosa, Burdegala, & aliis, ubi sedem habuerunt, petita exempla narrare possem: sed si in laudes Jesuitarum longiùs exspatiarer, stomachum tibi moverem. Ista tibi molesta, ùt spero, non erunt; sunt enim communia, & omnibus nota; satis tamen apta, cùm ad mendaciorum tuorum vanitatem redarguendam, tum ad demonstrandum, Jesuitas non tam esse rapaces, & harpagones, quàm tu eos videri cupis.

C

Sed ad alia beneficentiæ genera accedo, quæ Jesuitæ, quando offeruntur, non respuunt quidem; neminem tamen, ut quidquam det, inducunt. Quòd si quis fortassis aliquando petendo importunior fuit, venia danda est errori, in egenis, & quos paupertas valde premit, non valde culpabili. Si Deus à nobis importunè vult orari, votísque supplicibus quodammodò fatigari, oportet, ut locupletiores, quibus animus benefaciendi, & tam præclarum exemplum imitandi, patienter ferant id, quod sibi quando cum Deo agunt, vitio dari nolunt. Hæc quidem viris probis & prudentibus satis esse poterant, ut ostenderetur, Jesuitas non magis esse avaros, quàm opulentos. Sed quia contendo tecum & cum tui similibus calumniatoribus, addam adhuc aliquid super hac re, ut experiamur, an tibi & illis os, saltem ad exiguam temporis partem, obstrui possit.

D

Luc. 11. & 18.

E

CAPUT XXXIX.

Quot indiciis avarus cognoscatur.

F

Dicis, Jesuitas esse *avarissimos*, & probare nequis, nisi convitiis. Ego vicissim assero, eos esse ab avaritia alieniissimos, quod ne credas volo, nisi probavero. Duobus argumentis cognoscitur avarus: Primò, *locutione:* Secundò, *rebus & factis:* nam ista duo sunt certa cordis indicia & veluti flores & fructus animæ: & quemadmodum ex floribus & fructibus agnoscitur arbor: ita etiam homo ex operibus suis, quæ sunt verba & actiones. Et hunc modum assignat Dominus noster ad indagandam alicujus bonitatem vel malitiam. Quare si quis loquatur & agat sicut avarus, evidenti argumento convincitur avaritiæ morbo laborare. At si loquendo & agendo liberales imitetur, nemo est, qui liberalitate præditum non agnoscat. Porrò quemadmodum homo privatus indicia sui præbet lingua & manu: ita Societas & quivis hominum cœtus legibus & vivendi instituto. Hinc Sybaritæ habebantur olim non secus atque Epicurei, molles, effœminati, & ad omne voluptatis genus perquàm propensi: quia illorum leges nihil aliud præcipiebant, quàm epulas, choreas, delitias, & hujusmodi alias jucunditates, ad quas itidem cunctas cogitationes & actiones suas referebant. At Lacedæmoniorum Respublica temperantiæ & modestiæ summam laudem meruit, quòd legibus & actionibus gubernaretur, quæ Sybariticis illis ex diametro repugnabant.

Matth. 7.

Athenæus lib. 12. c. 6.

Cic. 5. Tusc.

G

Cæterùm si tibi sine molesta iteratione eorum, quæ hactenus dicta, demonstravero, Jesuitarum regulas & actiones planè adversari avaritiæ, fidem meam liberavero, & te, si quidem animal rationis particeps es, convicero, inde probationis meæ ducto exordio.

H Tria domiciliorum genera in Societate.

Tria sunt domiciliorum Societatis genera, in quibus omnibus vivitur legibus ab avaritia alieniissimis. Patienter, si placet, ausculta. Primum locum tribuamus domibus, in quibus tirones biennii rudimenta ponunt, ut in Societatis corpus, tempore illo exacto, votísque nuncupatis cooptentur, si judicio Superiorum judicentur idonei. Secundo loco sunt Collegia, in quibus indiscriminatim Præceptores & scholastici; illi, ut doceant; hi, ut discant; omnes, ut suo tempore uberes Reipublicæ fructus afferant: omnes Religiosi, quippe tribus Votis ad Religionis naturam & essentiam pertinentibus obstricti. Hæc duo domiciliorum genera vivunt, aut vivere possunt ex reditibus & proventibus perpetuis, si

A fundatorem habeant, cùm ſine ingenti incommodo fieri nequeat, ut vacent conſuetis negociis, ſimúlque precariò victitent, & unde vitam tolerent, oſtiatim emendicent. Quòd ſi Collegii proventus ſufficiat alendis neceſſariis eo in loco ſociis; nullas vel petere, vel oblatas acceptare eleemoſynas licet; Si reditus major ſit, quàm pro incolarum numero; præcipitur in Conſtitutionibus, ut Scholaſticis egenis victum ad Eccleſiæ emolumentum ſuppeditent: adeò illis commendatur religioſæ paupertatis ſtudium & cura benè & fideliter diſpertiendi ea, quæ Dominus ipſis elargitur.

CAPUT XL.

De domibus profeſſis Societatis JEſu.

B TErtium locum obtinent domus profeſſæ, quas incolunt, qui præter ſupradicta Religionis vota profeſſionem fecerunt, aut vota publicè ediderunt; quíque poſt multos in Collegiis exantlatos labores pluribus annis docendo, concionando, & alias functiones ſuo Ordini conſentaneas obeundo, eò mittuntur, ut iisdem functionibus ad finem usque vitæ vacent, docendi munere excepto. Si nulla ſit hujusmodi domus in Provincia, ſolitis laboribus inſiſtunt, aut in Indias mittuntur, aut ad alia loca in vineam Domini. Domus iſta nullos poteſt habere reditus, nec eleemoſynam ſtabilem & perpetuam, imò neque pro ipſis Eccleſiæ ſartis tectis, neque pro ſacrarii conſervatione & exornatione. Et licèt Concilium Tridentinum conceſſerit omnibus Religioſis, paucis exceptis, reditus in communi; tamen Societatis Profeſſi conceſſionis hujus participes eſſe nequeunt, cùm tali privilegio ſimpliciter ſeſe abdicent, ut & omni jure ad bona immobilia, quæ quoquo modo ad illos deferri poſſent. Et ut omni ex parte arx iſta Religionis muniretur, Profeſſi poſt profeſſionem vovent, ſe nunquam permiſſuros, ut paupertatis leges in Societate laxentur, ſed potiùs ut reſtringantur, ſi quando neceſſitas exigeret.

C Domus profeſſa caret reditibus.

Seſſ. 25. c. 3.

D Nec poteſt egeſtas domuum profeſſarum ſublevari Collegiorum reditibus, neque Collegia id faciendi jus & poteſtatem habent, ſed quotidianis eleemoſynis, & piorum hominum munificentia ſeſe tueri debent. Quæ lex tam arcta & rigida eſt, ut Profeſſus ali nequeat in Collegio, niſi ei ſit uſui, ita, ut in eo ſimul laboret & manducet. Hujusmodi domus profeſſæ viſuntur Romæ, Neapoli, Mediolani, Venetiis, & alibi; talis erat domus S. Ludovici Pariſiis, fundata quondam à D. Cardinali Borbonio. Quæ fundatio in eo conſiſtit, ut una & prima vice Eccleſiæ ſuppeditentur neceſſaria, de habitatione, bibliotheca, de mobilibus atque ſupellectili ſacra provideatur.

In quibus locis ſint domus profeſſæ.

Hæc tria domorum genera, quantum ad paupertatem, quatuor habent communia: Primum, ex eleemoſynis vivere, eo tamen diſcrimine, quod modò indicavi: nam domus probationis & Collegia vivere poſſunt ex eleemoſynis fundatis & perpetuis, hoc eſt, ex reditibus eleemoſynæ nomine in perpetuum aſſignatis; ſed domus profeſſæ precariò victitant, nec poſſunt gaudere reditibus. Secundum, neque poſſidere, neque quicquam poſſidere poſſe privatim tanquam proprium; ídque non ex præſcripto Reipublicæ Platonicæ, ſed ex perpetua omnium Religionum conſuetudine: quo de genere cenſentur pecunia, bona mobilia, veſtitus, menſa ſeu convictus, domus, ita ut *Meum* & *Tuum* ab hujusmodi Deo dicatis familiis procul exulent, grandéque habeatur ſacrilegium, peculium apud aliquem reperiri, excepto Procuratore & Superiore, quibus pecunia commiſſa. Tertium eſt, nihil poſſe accipere, quo videantur ullo modo compenſari Societatis labores, & miniſteria, ùt lectiones, conciones, ſacrificia, auditæ confeſſiones, preces, & ſimiles functiones Societatis inſtituto conſentaneæ. Quartum eſt, in nullo Societatis templo habere arculam ſeu gazophylacium, in quod eleemoſynæ conjiciantur. Quæ duo poſtrema ſanctiùs longè & inviolabiliùs obſervant, non quòd exiſtiment, non eſſe licitum de altari vivere ei, qui altari deſervit; vel quòd cæteræ Religiones non poſſint mercedem & eleemoſynas pro laboribus ſuſceptis, vel munera Eccleſiæ oblata meritò admittere; ſed ut arctiorem ſibi paupertatis obligationem imponant, dum non modò illicitis, ſed etiam conceſſis per eam ſeſe abdicant. Et ut alii Religioſi interdixerunt ſibi multis rebus licitis, nonnulli ſocietate, convictu, & colloquiis familiaribus, ùt Carthuſiani; alii certo ciborum, alii certo veſtitus genere, ùt ferè omnes, licèt alii mitiùs, alii ſeveriùs; non quòd exiſtimaverint, iſtas res & commoditates eſſe per ſe malas; ſed ut majori perfectione & vitæ auſteritate Deo ſervirent: Pari ratione Jeſuitæ voluerunt privare ſe etiam iis, quæ poterant accipere, & quæ aliis licita: ut Deo majori puritate ſervirent, nihil aliud ſperantes etiam in hac vita præter illum, nec ab alio quidquam retributionis, quàm à Deo expectantes. Et ùt iſtæ leges ipſis fuerunt à Deo ſanctiſſimè datæ, ita etiam ab ipſis ſervantur religioſiſſimè.

E Capita communia omnibus domiciliis,

F

G

1. Cor. 9. 1. Tim. 5.

H Hinc ſi legibus & regulis ſuis loquuntur, & ſi opera à legibus non diſſentiunt, ſed ſi potiùs tam illæ quàm hæc, planè tam arctiſſimæ paupertatis ſanctionibus, caducarúmque rerum deſpicientia concordant: & ſi tu, licèt omnes nervos contenderis, nihil, quo contrarium oſtenderetur, attuliſti; quo ore Jeſuitas avaritiæ inſimulare audes?

A audes? ánne Rhamnum arbitraris illam arborem, quæ folia & fructus ficulneæ gerit? Jesuitæ privârunt se privilegiis, quæ Concilia & leges civiles illis concedebant, ut scilicet haberent reditus, júsque acquirerent hæreditarium in res & facultates suorum sociorum; Constitutiones & actiones nihil aliud sunt, quàm contemptus & abdicatio bonorum caducorum: & tu dicis, eos *quærere, prædari, & rapere pecunias, familias, & opes viventium simul & mortuorum, extrema quadam aviditate.* Unde habes, quod ais? Et unde hanc tuam conclusionem deducis? Dic, quæso te, quandoquidem lingua tibi adeò volubilis, & ad quodvis effutiendum tam proclivis est & præceps.

Conc. Trid. sess 25. c. 3. In nov. constit. 5. de Monachis & alibi.

CAPUT XLI.

Quæ munera Jesuitæ accipiant, quæ respuant.

B Videor jam videre te, manu sublata audientiam & attentionem petere, illúdque velle dicere. *Jesuitas versutia quadam servare istas leges, ut fiant locupletiores. Et in confessionibus quidem unum aut alterum solidum, & in Collegio duos aureos didactri seu minervalis loco dari solitos, aliáque ejusmodi minuta munuscula recusare: at si offeratur hæreditas aut opimum beneficium & Sacerdotium, aliúsve proventus luculentus, si civium quispiam aut aliqua ex matronis, pietatis amore, si adolescens copiosus & nobilis in Societatem ascitus chiliadas aliquot auri*
C *& argenti donet, Jesuitas non esse tam rigidos, & in legibus suis observandis tam immotos, ut religioni habeant, quò minùs legis severitatem nonnihil relaxent & mitigent, ut elogiis & benedictionibus tam exoptatis locum aliquem præparent: ac proinde eò cæteris esse callidiores; dum enim alii quasi conchis legendis intenti occupantur, istos grandia cete venari.* Videlicet illud est, quod & in tua actione insinuas potiùs, quàm explicas. Et hic est *lapis ille offensionis*, in quem primò omnium incurritur, tunc cùm de immensis Jesuitarum thesauris sermones instituuntur.

D Sed multa suppetunt, quæ pro Jesuitis respondeamus, rejectis calumniarum spiculis ad illos ipsos, à quibus prodiêrunt. Primùm igitur dico, Jesuitas nihil recusare vel admittere propter magnitudinem vel tenuitatem; sed propter leges & regulas suas accipiunt id, cujus accipiendi copiam facit regula, sive munus grande sit, sive exiguum. Recusant, quicquid regula accipere vetat. Ais, *recusare illos duos solidos ex confessionibus, aut duos aureos à scholasticis dari consuetos, quòd ea summa sit exigua.* At ego aliam hujus rei causam, eámque veram do; quia mercedem illam scholasticam admittere repugnat illorum regulis. Iterum dicis tu, E *accipere illos mille aureos annui reditus, quòd summa hæc sit satis grandis:* Ego autem id fieri contendo, quòd regula hoc non prohibeat. Qui Jesuitarum res vel obiter tantùm perspectas habet, is novit, illos admittere eleemosynas & largas & minutas, & vicissim aliquando recusare dona ingentia & exigua. Ex multis, quæ ad hoc demonstrandum adducere possem, contentus ero uno duntaxat vel altero exemplo. In Burgundia anno M. D. LXXXV. triennio pòst Collegium Divionense fundatum, fuit rusticus quidam fortunæ & sortis pertenuis: ex Is supra Tillum oppidulo non longè à Divione dissito, quò interdum Jesuitæ concionandi gratia excurrebant, cùm moriens Jesuitarum precibus Deo sese commendari F percuperet, tres Albos nummos Gallicos Collegio legavit, cùm majus donum testandæ pietatis non suppeteret. Allatum est legatum illud Divionem ad Collegium, quod Rector lætissimo & libentissimo animo accepit, memor duorum nummorum viduæ Evangelicæ, móxque imperavit, pro anima defuncti sacrificia & preces Deo immolari, non secùs ac si multa jugera agrorum Collegio legata fuissent.

Legatum pauperis cujusdam rustici.

Luc. 21.

Cæterùm anno M. D. LXXII. cùm nobilis quidam Vasco mille aut plures libras annui reditus Jesuitis offerret, pro lectione G quadam Burdegalæ instituenda & fundanda, ea conditione, ut quot annis Oratio super ea fundatione haberetur, admistis Fundatoris laudibus & encomiis, Jesuitæ summam illam pecuniæ magno animo recusârunt. Habes exiguum munus admissum, & grande recusatum, duobúsque exemplis expressum, & quasi delineatum vides modum, quo & in accipiendo & in recusando utuntur. Accipiunt ergo res tenues, magnásque recusant; non rebus, sed regularum suarum permissu vel interdicto ducti. Vir bonus & rectus, cui ex usura vel obolum quidem ad se delatum accipere religio sit, salvo officio admittet mille aureos sibi muneri datos, quem si quis dicat, recusare exiguum amore & dulcedine majoris, is calumniator erit. S. Petrus severis, minacibús- Act. 8. & 5. que verbis repudiavit pecuniam à Simone Mago sibi oblatam, quam, probabile est, haud adeò magnam summam confeciſſe: & tamen ille idem Petrus severissimè punivit Ananiam & Sapphiram, quòd totam æris ex agro redacti summam non attulissent. Dicésne, quòd recusârit exiguum H munus Simonis Magi, ut adipiscerétur majus ab istis? Recusavit parvum, quia non licebat pro rebus sacris pecuniam accipere: exegit magnum, quia decebat illud reddere Deo, cui per votum erat consecratum. Cæterùm si apud Jesuitas videres libros, in quibus benè de se meritorum nomina consignant, reperires multò plures,

Magnum legatum à Jesuitis rejectum.

A res, qui exigua ſtipe, quàm, qui magnis muneribus eos ſui fecerunt memores.

CAPUT XLII.

Quantam pecuniæ ſummam Jeſuitæ colligerent, ſi à ſcholaſticis & aliis, mercedis loco aliquid acciperent.

B NEque illud prætericrim, te falsò, fallaciter & ſophiſticè loqui & agere, cùm dicis Jeſuitas recuſare parva, quando recuſant duos aureos illius ſcholaſticæ mercedis, quam *Landy* Pariſienſes vocant, aut quinque aſſes pro uno ſacro, duos ſolidos pro confeſſione audita, centum aut plures aureos pro concionibus, duos ſolidos pro ingreſſu in Collegium, & pro id genus aliis. Nam licèt quælibet harum ſummarum ſeorſim & per ſe conſiderata ſit exigua; omnes tamen ſimul conjunctæ grandem & commemorabilem ſummam efficiunt. Lutetiæ, exempli gratia, Jeſuitæ erudiebant in ſuis ſcholis duo ſcholaſticorum millia; duo aurei mercedis illius literariæ pro quolibet capite aſcendunt ad ſummam duodecim millium librarum quotannis, non numeratis plerisque Principibus, majorúmque gentium ac familiarum adoleſcentibus, quorum magna iſthic copia, & quivis pro ſua parte quinquaginta, centum, aut ducentos au-
C reos dediſſet. Candelæ, pro quibus quisque dat monetam illam Gallicanam, quam *teſtoń* ſeu *teſtile* appellant, efficiunt ſummam 2000. & 500. librarum vel circiter: duo ſolidi pro porta ſeu ingreſſu ſingulis menſibus à duobus millibus ſcholaſticorum efficiunt bis mille & quadringentas libras annui proventus. Quinque ſolidi pro quolibet ſacro quotidiè triginta aut pluribus Sacerdotibus in ejuſmodi Collegiis ſacrificantibus, efficerent bis mille & ſeptingentas libras. Confeſſiones & concionesmajorem adhuc ſummam. Omnibus ergo computatis, & ad trutinam revocatis, tota prædicta ſumma ſuperaret viginti duo millia librarum anniverſarii reditus, quo Collegium Pariſienſe lautè vitam agere potuiſſet.

D Cæterorum verò Collegiorum vel infimum, ſervata proportione, acciperet à ſuis ſcholaſticis quatuor millia librarum: quo fit, ut in univerſum ad Jeſuitas pluſquam centum millia librarum quotannis pervenirent. Hóccine eſt, Arnalde, judicio tuo duos ſolidos aureósve nummos contemnere? Videtúrne tibi iſta ſumma adeò exigua? Negaréne poteris ſatis idoneam eſſe ad corroborandum caballum Hiſpanicum, ſatísque numeroſam ad reparandam picéque & reſina oblinendam navem Jeſuiticam,

Duplo majus eſt, quod Jeſuitæ recuſant, quàm eorum reditus.

ut in Indiam trajiciat, auríque tot myria- E
das expiſcetur? Si Jeſuitæ ad rem, & nummos tam attenti eſſent, & tam acres ad prædam, tam famelici, tam ſitibundi, tanti Tantali & tam ingenioſi ad excogitandas opum comparandarum rationes, ùt tu vociferaris, putásne, fore, ut rationem tam facilem & expeditam immenſas gazas corradendi contemnerent: rationem, inquam, tam ſecuram, omnísque periculoſæ aleæ expertem? Neque quisquam reperiretur, cui hoc moleſtum accideret, quin potiùs permultis gratum foret: ſuppeteret enim illis modus muneribus & honorariis filios ſuos commendandi, & in gratiam apud Magiſtros ponendi, nec rarò vidi quosdam ægrè ferre, cùm pecunias à ſe oblatas recuſari viderent. Tu ipſe, qui didactra & literarias mercedes approbas, ſimúlque extraordinarias etiam pecunias domo miſſas, *unde toga niteat*, dilaudas, nihil utique invenires, quod meritò culpares.

Pro certo igitur ſtatuendum eſt, Jeſuitas, F
cùm omni hujuscemodi emolumento ſponte & libenter careant, non adeò inexplebili divitiarum cupiditate teneri, ùt tu mentiris; ſed paupertatis religioſæ amatores eſſe. Qui finem aliquem ſibi præſtituit, is etiam de idoneis mediis ſeriò deliberat: nam qui ad eruditionem tendit, ille doctorum hominum cœtus obit, & Magiſtris omni doctrinarum genere excultis ſedulam operam navat. Qui opes appetit, emporia & mercatus frequenti convenarum multitudine frequentari ſolitos indefeſſo ſtudio adit. G
Cùm igitur Jeſuitæ tua ſententia, adeò ſint induſtrii, ſolertes, ſagaces, vigilantes & infatigabiles, finémque unicum propoſitum habeant, nempe magnam opum vim & Crœſi Midæque theſauros, quî fit, quòd tam præclara media diteſcendi neglexerint? cur non ubique & omnibus ſuis Collegiis Convictorum contubernia conjungunt? cur ea, ubicunque licet, renuunt & reſpuunt? Sed & alius opes parandi reſtat modus. Cur non etiam ex funeribus aliquid corradunt? Cur non occupant ſe curandis funeribus & ſepulturis? Cur non totum faciunt, ut H
totum rapiant? Cur ex omnibus mediis minora, difficiliora, & vulgi judicio, minùs tuta elegerunt? Quod genus eleemoſynæ, quæ pendent ex voluntate & aliorum charitate, quæ hoc ſeculo rara & modica & propè frigefacta, imò gelu quodammodò aſtricta. Sed quomodo nobis perſuadebis tot præclara ingenia, tot nobiles, tot boræ mentis & puræ conſcientiæ homines, domos ſuas, fortunas & opes, quas poſſidere, retinere, & augere poterant in ſæculo, ſecurè, facilè, & ſine injuria, deſerere, Jeſuitíſque negotiationis cauſa ſe ſe adjungere voluiſſe, ut ditarentur non ſine ſalutis & honoris diſpendio, & ut illis opi-

bus

A bus cumularentur, quarum neque poſſeſſio neque fructus & uſus permiſſus eſt. An ne jure inficiaberis te inſignem ſycophantam ſimul & delirum eſſe, qui tam ſtolida & tam malè ſibi cohærentia mendacia texas?

B At recipiunt legata & munera ex liberalitate piorum hominum profecta. Non negaverim. Sed cùm hoc faciunt, privilegio utuntur communitatibus & Collegiis à jure conceſſo, quo videlicet omnibus fit poteſtas teſtamento facultates ſuas tranſcribendi Religioſis. Ex quo tu non convitiorum, ſed potiùs laudis materiam ſumere debuiſſes. Nam cùm oporteat Jeſuitas aliqua tandem ratione vitam ſuſtentare, non poterat ſanè religioſiorem, & generoſo pectore digniorem modum inire, quàm ſi ſe divinæ providentiæ committerent, nulla ſpe in propria induſtria laboribúsque ſuſceptis collocata, omníque jure mercedis petendæ remiſſo: talis enim animus admodum liberalis & anchora Chriſtianæ ſpei, divinæ bonitatis certiſſimo præſidio firmatus, victor terræ, rerúmque terreſtrium, quidquid agit, id propter DEUM agit, nihil ſperans præter Deum. Et hoc itidem modo majores ad proximos utilitates redundant, qui cum occaſione dandi eleemoſynas, habent etiam occaſionem apud Deum merendi, qua caret ille, qui ſtipendio vel mercede ſuis Magiſtris vicem reponit. Hunc eundem modum approbârunt & leges: quid quòd & præcipua jura ac privilegia Collegiorum & Communitatum in legatis & eleemoſynis conſiſtunt?

Legata & benefacta ſunt Jura Collegiorum. L. cùm ſenatus. ff. de rebus dubiis, & L. omnibus ff. ad SC. Trebell.

CAPUT XLIII.

Cur Jeſuitæ vulgo cenſeantur opulenti.

C SEd fortè hîc aliquis, qui ad fundum tuarum calumniarum pervenire velit, ſciſcitetur, cur Jeſuitæ vulgo credantur & habeantur avari, ſi tam pauperem vitam degant, & ab avaritiæ ſordibus tam alienam? Quæſtio hæc maximè ad hunc locum & ad hanc materiam pertinet, ut communis erroris cauſæ inveſtigentur, quarum permultæ; ſed præcipuas attingam. Prima, quam reliquarum fontem & originem rectè appellaverim, cur Jeſuitæ cenſeantur opulenti, fita eſt in perverſa quadam & depravata vulgi perſuaſione, cui familiare, imò proprium, falſa extollere, & vera deprimere, videlicet pro affectus conditione & ſtatu. Videt v. g. imperita multitudo Jeſuitas nonnihil poſſeſſionum habere, partísque contentos vivere magna animi alacritate & ju-

Prima cauſa.

D cunditate: mox cujusque ſtatum non ex ipſa re ſubjecta, ſed ex præconcepta opinione æſtimans, cauſam alacritatis adſcribit cauſis externis, affluentiæ nimirum & copiæ fortunarum & opum, noménque ex hac fictitia & imaginaria cauſa, ei indit, cùm capere nequeat, quomodo tanta animi æquitas & læta promptitudo alio ex fonte, quàm ex rerum caducarum abundantia & ubertate procedat, cùm potiùs ex horum omnium contemptu proficiſcatur. Eodem modo Epicurus aſſequi non poterat, hominis beatitudinem aliunde oriri poſſe, quàm ex voluptate, vel alia ulla in re quærendam eſſe. Vulgus itáque Jeſuitas divites exiſtimat, quia videt rebus ſuis contentos: fallitur tamen hoc ſuo judicio, non quòd abſolutè exiſtimet, eos eſſe divites, ſunt etenim, cùm veræ divitiæ conſiſtant in eo, ut quis rebus ſuis contentus vivat: ſed quòd eos exiſtimet divites propter bona temporalia, quæ non habent, & à quibus neque ſolida quies, neque vera animi tranquillitas expectari poteſt. E

Secunda cauſa hujus erroris eſt ejuſdem imperiti vulgi fanda & infanda dicendi propenſio: dum enim corrupti judicii veſtigia ſequitur, mox in apertum profert & protrudit mendacium in intimis animi penetralibus conceptum, illúdque in aures hominum vario ſermone inſtillat & inſuſurrat, & ſi probabilitatis ſpecies deſit, colorem appingit, & varias gloſſas excogitat, quibus eleemoſynas, facultates, opes, & theſauros exaggerat, veriſimilésque efficere conatur, notâ avaritiæ omnibus Jeſuitis aſpersâ. Quocirca ſæpè videre fuit, decreta Jeſuitis aliqua ſtipe, totam urbem de ea, prout corde ferebat voluntas loqui, & quemlibet pro amore & odio, quo in Jeſuitas ardebat, ſuam ſymbolam contuliſſe & gloſſam addidiſſe, ùt & tu in hac tua Invectiva abundè feciſti. F

Secunda cauſa.

Quando Præſes S. Andreæ legavit Jeſuitis quatuor millia aureorum, quod legatum ſuprà criminatus es, roſtróque tuo repando proſcidiſti, vel potiùs reſcidiſti, nullus tam abjectæ conditionis Pariſiis erat, qui non diceret ſuam ſententiam de Jeſuitarum opibus. Si legatum illud ad alium, teſtatoris voluntate, pertinuiſſet, nemo de eo, vel verbulum feciſſet. G

Legatum præſidis S. Andreæ.

Mercator quidam locupletiſſimus, cujus opes centum millia aureorum facilè æquârunt, Lugduni M. D. LXXXIIX. hæredem ſcripſit alium mercatorem, amicum ſuum, æquè divitem, liberis etiam orbum. Quis teſtamentum hoc accuſavit, verbísve publicè vel privatim traduxit? Nemo planè. At ſi Jeſuitis tanta hæreditas obveniſſet, rumor ex Themiſtitan mox ad extremas uſque Sinas & Japonas perlatus fuiſſet, Jeſuitas omnium mortalium opulentiſſimos evaſiſſe, ùt rectè quidam dixit eo ipſo tempore, quo hæc Lugduni agebantur.

Teſtamentum cujusdam Mercatoris.

Sub idem tempus quidam in Religioſum Ordinem cooptatus, attulit ſuo Conventui duodecim millia aureorum, nec quisquam miratus eſt, clamorésve ullos ſuſtulit: Si tanta ſumma Jeſuitis ceſſiſſet, multiplicata fuiſſet per omnes nummulariorum & tra- H

Munificentia cujusdam Religioſi.

A pezitarum Gallicanorum menſas & ſtatio-
nes, & loco unius, qui tunc pecuniam de-
diſſet, dictum fuiſſet, *omnes dare, dediſſe, & datu-
ros*, cum gloſſa illa ordinaria, *quòd Je-
ſuitæ ad ſe alliciant adoleſcentes divitum, ut eo-
rum fortunas invadant.*

B Donum Dominæ de S. Chaumondo.

Anno M. D. LXXXIX. Domina Dotaria à S. Chaumondo Ludovica de Anceſſune, donavit triginta duo millia Francorum pro fundatione domus probationis Jeſuitarum Avenione. Libenter nugigeruli ſparſiſſent, fuiſſe circumventam, dolísque expugnatam: ſed quia calumnia hæc omni probabilitate carebat, quòd publicè conſtaret, Dominam illam ùt pietate, ita & judicii prudentiæque ornamentis præ aliis præditam; ideò ſtilum verterunt, aliísque modis & machinis munificentiam matronæ illius appetiêrunt: cùm alii clamarent, pecuniam illam dandam fuiſſe noſocomiis, alii puellis nubilibus, quas egeſtas à conjugio impedit; alii Monialibus, quidam aliis familiis Deo dicatis, alii aliis, & cùm nonnulli eò uſque progrederentur, ut cum ipſa etiam Domina hac de re expoſtularent, reſpondit, *Si lubet vobis eleemoſynas erogare, facite id arbitratu veſtro, nihil moror; rogo tamen, ut per vos quoque mihi licuerit munificam eſſe in eos, quos maximè dignos mea munificentia arbitrabar. Duodecimus jam agitur annus, cùm hanc mihi mentem Deus miſit, & ſi locum tutiorem noviſſem, ei utique pecunias meas credidiſſem.*

Reſponſum prædictæ Dominæ.

C Quid Jeſuitis Toloſanis evenerit.

Circa eundem annum Jeſuitæ Toloſani adjuti ſtipe cujusdam ex ſuis ſociis villam emerunt, cui *Campania* nomen, non procul ab urbe, eo potiſſimùm fine, ut quinquaginta vel ſexaginta ſtudiis addicti, laboribúsque urbanis confecti haberent, quo ſe interdum valetudinis tuendæ, & virium reparandarum gratia reciperent. An non derepentè omnes campanæ *Campaniam* hanc reſonabant? An non iſta *Campania* per aſpera & plana viarum, & per totam Aquitaniam confeſtim pervaſit, ùt olim Ægyptiorum horti penſiles & portatiles immenſos marium tractus? An non communi hominum ſermone ferebatur, Jeſuitas totam mox empturos Vaſconiam, partémque mediam Languedoci, marísque rubri littora & terminos? Hæc ergo ſecunda eſt cauſa, cur Jeſuitæ habeantur opulenti, etiamſi opulentiam nullam poſſideant.

CAPUT XLIV.

Redduntur tres aliæ cauſæ, cur Jeſuitæ habeantur opulenti.

D TErtia cauſa, quæ ex his duabus naſcitur, eſt error populi, deceptionibus & dolis obnoxii, qui & lingua & auctoritate aliena potiſſimùm ducitur, neque quidquam penſi habet, ut veritatem inveſtiget, præſertim iis in rebus, quarum curam ad ſe pertinere non putat. Hic error ubi invaluit, tempore & conſenſu corroboratus, juris naturam induit, in quacunque demùm materia verſetur. *Error enim populi facit jus*, ait Lex in alia materia, & quidvis ſibi perſuadet, in omnium aures ultrò etiam ſeſe inſinuat, & quacunque incedit, longas ſubſequentium iisdémque veſtigiis inſiſtentium turmas trahit, vel potiùs pleno gradu rapit. Pervulgatus pictorum error eſt, Lunam ſemper pingere cornibus ad Solem converſis, quod non modò experientiæ, ſed & arti repugnat: nam ars imitari debet naturam, neque unquam talis Lunæ poſitura in cœlo apparet, nihilominùs quâ data porta ruunt omnes pictores, ne uno quidem excepto, in eundémque errorem jam, ut ſic dicam, *privilegiatum*, omníque venia dignatum labuntur, niſi fortaſſis inpoſterum conſilia, vel potiùs penicillum in melius referant.

E L. Barbar. ff. de off. præt. & L. ſupellectili ff. de ſupellect. legata.

F Nec carent ſuis nævis Hiſtoriographi: vigeſimus jam annus eſt, cùm qui Pontificum chronologiam edidit, locum quoque & ſtationem ſuam in illa ſerie attribuit cuidam fœminæ velut olim ad ſummum Pontificatum evectæ. Et ſculptor ille, qui ſtatuas Pontificum Senis in templo primario ſculpſit, committere non potuit, quin operæ & laboris aliquid huic commentitiæ Papiſſæ ſculpendæ ſurriperet. Scriptoribus igitur, ſtatuariis, & pictoribus rumor ille vanus & inanis ducis, imò veritatis loco erat, donec communem errorem permulti doctrinâ præſtantes viri profligârunt, inter quos ex Gallis noſtris, Raymundus Conſiliarius Curiæ Burdegalenſis, qui notatis primis hujus fabulæ auctoribus & editoribus omnes mendaciorum ſutelas eruditis ſuis ſcriptis intercidit. Popularis ergo error Jeſuitas opulentos reddidit, cujus hæretici auctores primi & fautores, vulgus approbator & ſubſcriptor, quo factum eſt, ut quilibet ſibi perſuaſerit, & etiamnum perſuadeat, Jeſuitas Crœſos eſſe aut Midas, quod tam verum eſt, quàm verum, fœminam fuiſſe ſeu Papam ſeu Papiſſam.

G Quarta cauſa eſt Jeſuitarum ſilentium, qui vulgi rumoribus obviam non eunt; ſed tacent, in id unum intenti, ut à rectè factis nunquam deſiſtant, rati, regium & heroicum eſſe calumnias perpeti, ob omnes officii partes expletas. Hinc ſi quis tunc, cùm maximè traducuntur, interroget, cur ferant, ut adeò opulenti cenſeantur, neque ſeſe à calumniis vindicent: *Sinite*, inquiunt illi ſubridendo, *imperitæ multitudini ſuum errorem, pro nobis enim facit, tunc, cùm mutuam pecuniam poſtulamus.*

H Quinta cauſa eſt Jeſuitarum liberalitas. Nam quando offertur juſta æris expendendi occaſio, quando curandus æger, emendi libri, ornanda Eccleſia, mittendi ſcholaſtici ſtudiorum cauſa ex una orbis parte

ad

A ad aliam, aut ad Collegia, eodem fine evocandi; & quando alia hujus generis facienda occurrunt, omnia liberaliter insumunt, nec ulli sumptui parcunt. Et hæc est causa, cur plerique, qui minùs adhuc, quàm possint, expendere solent, suo pede Jesuitas metiantur, & ùt divites traducant, persuasi, id, quod ex magnanimitate animi provenit, ex abundantia opum proficiscí, Quod verò ad missiones attinet, sanctè testari & affirmare possum, hoc tempore Jesuitas Hispanos & Lusitanos ope aliena non adjutos, rebus domesticis admodum tenuibus & arctis in Hispania & Lusitania,
B fuscipere omnes illos sumptus, qui necessarii, ut ad conversionem infidelium idonei operarii, in Indiam, quæ ad ortum, & quæ ad occasum, destinentur, neque quisquam est, cui non ad tantum itineris sit necessarium viaticum quingentorum aureorum. Hinc fit, ut sæpè conflent æs alienum sexaginta aut septuaginta millium aureorum, cùm multa illorum Collegia mille annuis non gaudeant. Et hæc est illa navis Jesuitica. Habes quinque causas thesaurorum Jesuiticorum.

CAPUT XLV.

Duæ causæ, cur Jesuitæ habeantur avari.

C POrrò cur habeantur avari, duas causas invenio. Prima est diligentia conservandi illud exiguum, quod possident: nam cùm sit peculium pauperum, ejúsque Superiores non sint Domini, sed administri, officio suo obligantur, ut illud, quantumcunque est, tueantur, tanquam Deo rationem administrationis suæ reddituri. Ista obligatio facit, ut Procuratores & Oeconomi illorum modò huc, modò illuc se conferant, & nunc rus nunc urbem petant, ut justitiæ opem implorent, & controversiis excitatis finem imponant, aliáque negotia tractent, quibus inviti planè tempus & otium impendunt. Hoc scilicet studium parit Jesuitis avaritiæ & inexplebilis cujusdam cupiditatis existimationem apud imperitos, quasi hujusmodi in rebus conservandis solertia & industria aliunde manare nequeat, quàm ex habendi inexsaturabili desiderio, cùm potiùs oriatur ex officio & obligatione, qua, qui præsunt, curare debent, ut bona communia integra serventur, & ad posteros transmittantur. Nam si tutores, si administratores bonorum communium, si Magistratus non habentur avari, quòd servent & augeant facultates suorum pupillorum, hospitalium, urbium & Rerumpublicarum, cur Jesuitæ existimentur avari, si servare conantur, quod à divina bonitate acceperunt?

D Secunda causa est parsimonia, licèt non sordida, & recta œconomia, cujus sunt satis gnari, quippe quæ Religiosos minimè dedeceat: & ùt liberales sunt cum ratione, ita etiam suo tempore restricti & parci, quod feliciter cedit. Nam Collegia Jesuitarum non sine magnis impensis sustentantur; alendi, vestiendi, omnibúsque rebus necessariis instruendi sunt homines literati, librísque perpetuò addicti, quorum necessitates moram non ferunt: Curanda sunt viatica, libri comparandi, quærenda ægris pharmaca, & sexcenta alia extra numerum & ordinem facienda. Hinc mille aurei, qui alicui civium familiæ satis sunt, quotannis triginta capitibus alendis, non sufficiunt alendis quindecim Jesuitis, neque tam accuratam rei familiaris rationem observare possent, quin duplo majori ære alieno sese gravarent, quàm sit annuum vectigal, nisi eleemosynis extraordinariis adjuvarentur; quæ si abessent, etiàm cum omni sua parsimonia & attentione nomina non facilè solvenda facerent. Ecce quomodo Jesuitæ divites sint & avari.

E Nunc ad extremum argumenta tua resumamus, & innocentiæ signum in arce tuarum calumniarum collocemus. Dicebas, *Jesuitas non aliud spectare, quàm ut Regem Hispaniæ faciant Orbis Monarcham, illos ab eo honorari & ditari eo fine, Jesuitásque, cùm sint ambitiosi, avari, honorisque cupidi, indies plura ab illo Rege sibi polliceri.* Demonstravi tibi, Jesuitas neque esse, neque esse posse, nisi Gallos, etiamsi ament & venerentur omnes Reges, Principes & populos Catholicos, Germanos, Hispanos, Polonos, & omnes, quotquot sunt hujus classis & ordinis, nihílque magis in Societate commendari, quàm honoris fugam: Item Jesuitas pauperes & paupertatis Religiosæ amatores esse, & nullo modo expectare, nec expectare posse laborum suorum compensationem à Rege Hispaniæ, sed quærere in Gallia & ubique amplificationem boni publici in Ecclesia Dei, & in Gallia, Galliæ præsertim profectum. Restat, ut concludamus, te in hac tota materia nullam veritatem protulisse, sicuti nec alibi.

Epilogus calumniarum, quas hactenus Arnaldus effutivit.

F

G

CAPUT XLVI.

Jesuitas Juventutem Gallicam non depravare.

H QUid amplius habes de Jesuitis? *Hispanismo*, inquis, *imbuunt juventutem*, hoc est, juvenes Galliæ reddunt Hispanos, ut semper aliquos Hispaniæ adjiciant, & quasi lucrifaciant. Sed si intellexisti id, quod tibi superiùs respondi, plura, quàm velis, nisi fallor, reperies, quæ ad hoc secundum tuum propugnaculum deturbandum valeant. Nam si Jesuitis causa nulla suppetit, cur Regem Hi-

A ſpaniæ ad orbis Monarchiam evehant, minus utique cauſæ habebunt, cur juventutem Gallicam efficere velint Hiſpanicam. Rem enim aggrederentur, non modò ſibi inutilem, ſed & humanis viribus ferè ſuperiorem, cùm difficillimum ſit, genium & ingenium Gallicum mutare in Hiſpanicum. Addo prætereà, ſi Jeſuitæ *Hiſpaniſmo* juventutem Gallicam corrumpunt, ùt tu dicis, tantóque conatu crucem rubram in Gallorum pectoribus inſculpunt, idem eos facere, ubicunque degunt, ut ita magis magísque Hiſpanicam iſtam Monarchiam propagent: at in toto orbe degunt, in Bohemia, in Polonia, in Germania ſuperiori & B inferiori, & in celebrioribus urbibus earundem regionum, imò Auguſtæ Vindelicorum, ubi ne tertia quidem pars civium Catholicam fidem ſequitur. Degunt etiam in tota Italia, ſi iſta munia obirent pro bono Regni Hiſpaniæ, ſumptibus iſtarum Rerumpublicarum & Principum, putásne, fore, ut tolerarentur, & non quantócyùs exterminarentur? Nulla enim affectio tenerior eſt, nulla validior & violentior, quàm præeminentiæ amor: nulla æmulatio potentior, & vindictæ appetentior, quàm quæ de regali dignitate exiſtit. Nec quisquam eſt, qui regnum ſuum & ſtatum tanti non pendat, quanti Rex Hiſpaniæ ſuum; nec quisquam præter te Jeſuitas in ſuſpicionem hujus rei adduxit. Eſt igitur hoc Miniſtrorum & hæreticorum C commentum, qui ſecundo mendaciorum & calumniarum vento hoc tempore ad exagitandos Jeſuitas, & ſi DEUS ſinat, penitùs obruendos uſi, ubique plenis buccis perflant, & ùt germani filii Regis ventorum & vanitatum, dæmonis inquam, pandunt omnes ingenii ſui quaſi ſpeluncas, ventis magis tumidas, quàm Æoli cavernas, ut turbines & tempeſtates excitent in Jeſuitas, quos tantum amant, quantum amabat vana illa Juno Trojanos, quibus horrendum illud carmen occinebat:

Gens inimica mihi tyrrhenum navigat æquor,
1, Æneid. *Incute vim ventis ſubmerſásque obrue puppes.*

D Iſti igitur buccinatores folles tuos inflârunt, ventóque complêrunt, ut in Jeſuitas Pariſiis inſanis clamoribus detonares, foribus occluſis, ubi magno quodam miraculo in lucem produxiſti illam ingentem navim Jeſuiticam, translatam ab altero mundi extremo ad alterum, ſpatiis intermediis non tranſcurſis: neque unquam antehac in Sequanæ ripa viſam; neque unquam niſi à ſeptem octóve annis audita ſunt illa: *ex Hiſpano*, *ex Hiſpania*, *juventus Hiſpaniſmo infecta*, & id genus alia ventoſa vanitate tumentia. Nam tempore Caroli IX. non fiebat Hiſpanorum mentio niſi in bonam partem, ſed hæretici non odio nationis, Angli enim & Germani magis exoſi debent illis eſſe, cùm majora mala intulerint Galliæ, E quàm alia quævis natio: non odio nationis, inquam, ſed Religionis, conati ſunt Hiſpanos reddere inviſos & odioſos prætextu Reipublicæ & regni, & nomine *Hiſpani* ſignificare voluerunt ſubtili quodam artificio bonos Catholicos, quod paſſim facis in tota tua actione, magno honore Hiſpanos, quod non advertis, & Gallos magno dedecore afficiens.

Quid Hæretici intelligant nomine Hiſpani.

CAPUT XLVII.

Jeſuitas Juventutem Gallicam non ſeducere.

F QUòd ſi illis verbis: *Hiſpanizare*, ſeu *Hiſpaniſmo juventutem imbuere*, nihil aliud ſignificare cupis, quàm juventutem à Jeſuitis in fide Catholica inſtitui, capient te non in vocabulo, ſed in vocabuli ſignificatu, ſpretáque vanitate tua fatebuntur, te malè loquendo, verum dixiſſe: at ſi indicare velis, animos juventutis Gallicæ, operâ Jeſuitarum, à ſuo Rege & Principe naturali averti, mentiris; vel ipſa experientia (præter id, quod jam dixi) teſte, quæ perſpicuè docet, omnes in ſcholis Jeſuitarum eruditos, bonos eſſe Gallos, & omnes Catholicos, valde paucis exceptis, & ſui Regis amatores & patriæ. Sed planiùs & clariùs dicis, *Jeſuitas juventutem ſeducere & incantamentis ſuis dementare*. Verùm hujus tuæ locutionis idem eſt ſenſus, qui verbi *hiſpanizandi* vel *Hiſpaniſmi*: utroque enim loco indicas, juventutem à Jeſuitis inſtitui in fide Catholica, quod juxta Calvinum eſt, juventutem ſeducere & faſcinare.

Fingis etiam, juvenes pellici à Jeſuitis ad G Religionis ingreſſum, quod ex ejusdem Calvini doctrina, nihil aliud eſt, quàm miſeranda *faſcinatio* & *corruptela*. Contra quam ſententiam pluribus hîc diſputare nolo, cùm hæreſis ejus non lateat, ſed pateat: explicabo tamen, ut ſatisfaciam, non tibi, ſed Catholicis, quàm immeritò Jeſuitæ in ſuſpicionem vocentur, quaſi homines ſeducant & faſcinent.

Neminem in Societatem adſcribunt, cui H cum maturitate judicii non ſit prudentia, & aliquis rerum uſus, quíque minimùm decimum ſeptimum, aut decimum octavum annum non attigerit: Et ſi ſit Studioſus, neceſſe eſt, ut in literarum politiorum cognitione, linguísque probè ſit verſatus & exercitatus. Neque quenquam temerè, & ſine longa deliberatione voti compotem reddunt. Vidi meis oculis, quod verè teſtari poſſum, quosdam biennium, triennium & quadriennium expectâſſe, ita, ut multi tam longæ moræ pertæſi in exteras regiones ſe contulerint, quò reciperentur, ùt Franciſcus Canillac Romam, & Renatus Airaldus Tre-

Quo delectu & Judicio Jeſuitæ tirones legant.

A Treviros, quos ſolos nomino, licèt multi alii, quos nominare poſſem, non deſint, quia ipſos nominatim retuliſti in numerum eorum, qui à Jeſuitis dementati & ſeducti ſint. Pleríque priusquam ſuave jugum Domini ſubeant, ad parentes mittuntur, ut conſenſum & benedictionem ab illis impetrent. Quòd ſi hoc aliquando non ſervetur, id vel fit propter provectiorem ætatem, vel propter evidentia, quæ elucent, vocationis divinæ ſigna, vel quòd parentes habent hæreticos, vel nimia ira alióve affectu percitos & perturbatos, adeò, ut periculum ſit, ne filiis, ſi coràm agant, aliquid nocumenti afferant. At Superior, cui jus admittendi, & in ſociorum cœtum allegendi, primò omnium quærit, nunc veniant ab aliquo perſuaſi, humanóve reſpectu commodi alicujus inducti, & ſi quid hujuſcemodi interceſſerit, votis nunquam annuit, ſed jubet, ut negocium tanti momenti Deo per preces de integro commendetur.

B Modus ſeducendi & circumveniendi juvenem eſt, promittere illi opes & dignitates Eccleſiaſticas, & alias voluptates, delicias, libertatem, honores, & id genus alia blandimenta, in quæ ea ætas ſuapte natura propendet, & quibus rapitur & agitur, non ſecùs, atque accipiter dulcedine eſcæ & prædæ: at qui juveni ingrata & inſuavia proponit, is utique talem doctis dolis & verbis non circumſcribit. Leo, ait S. Chryſoſtomus, non appetit gramen, nec bos carnem, quia neque hæc hujus, neque illud illius cibus: nec vanus & mundanus quærit res cœleſtes, vitioſísque cupiditatibus contrarias, Jeſuitæ illos, qui Societatem petunt, nihil aliud expectare jubent, quàm

Hom. 31. operis Imperf.

C paupertatem, labores, pœnas, propriæ voluntatis abnegationem, ſui ipſius contemptum, flagra, diſciplinas, cilicia, & ſimilia, quæ potiùs apta ſunt, ut domo aliquem, poſtquam ingreſſus eſt, ejiciant, quàm ut ad ingreſſum alliciant. Quæ omnia cùm quidam Advocatus in Burgundia ex filio ſuo, cui Societas in optatis erat, non ita pridem audiret: *Nebulo*, inquit, *quid putas te facturum in tam moleſta Religione, in qua quies nulla & relaxatio?*

Dictum cujuſdam Advocati.

CAPUT XLVIII.

Vocationem ad ſtatum Religioſum eſſe à Deo.

D NEque illud prætermittam dicere, totam Jeſuitarum eloquentiam & perſuadendi vim præſtantiſſimorum totius mundi Oratorum non ſatis validam fore, ut aliquem vel ad Societatis, vel ad alterius religioſæ familiæ inſtitutum inducat, niſi Deus cor tangat, & ab æthere bonam mentem mittat. Hinc rectè dicit Magnus ille Doctor D. Thomas, non eſſe dubitandum, quin vocatio ad Religionem ex Deo procedat. Objicies fortaſſis, Jeſuitas ſeducere adoleſcentes objectis cœli gaudiis, aut inferorum tormentis & cruciatibus, eo videlicet modo, quo ſuprà dixiſti, ægros & moribundos à Jeſuitis circumveniri, circumventósque expilari. Sed mihi quidem valde veriſimile eſt, tibi vel maximè in votis eſſe, ne harum rerum ulla fiat mentio, téque de cœlo parùm laborare, neque magis ſolicitum eſſe de inferno, quàm de purgatorio: ſimilis enim videris nobilibus illis Hugonotis Vivarienſibus, qui ſuperioribus annis irridentes Miniſtrum ſuum, qui maxima contentione contra purgatorium diſputârat, & limbum, ut ſibi videbatur, ex rerum univerſitate ſuſtulerat, ita eundem ſuum Miniſtrum affati ſunt: *Fac, rogamus te, nobis etiam hanc gratiam. & æquè tolle infernum ac purgatorium, neque vel de hoc, vel de illo ullos unquam poſthac ſermones inſtituamus.*

E

Arnaldus parùm laborat de ſtatu futuri ſeculi.

Obſerva lector impietatem Calviniſtarum.

F

Qui de cœleſti gloria, aut de ſuppliciis reproborum loquitur, is tuo judicio, mundum ſeducit: ſequitur ergo, Prophetas, Doctores, & ipſam Scripturam ſacram, in quibus omnibus frequens harum rerum ad permovendos mortalium animos mentio, mundum ſeducere: Sed ſatius eſt, ut tu potiùs ſeductor & impoſtor audias, quàm ut tantam blaſphemiam evomas. Jeſuitæ quidem ſui defendendi cauſa, nihil aliud afferent, quàm quòd patienter ferent, ſe à te tuíque ſimilibus *ſeductores* appellari: hoc enim cognomento ſuum etiam Magiſtrum affectum eſſe, nec ſe propterea commiſſuros dicent, quò minùs publicè & privatim intrepidè de cœlo, inferno, morte, & judicio extremo, juvandi proximi gratia loquantur, & ſi vel unum hominem harum rerum commemoratione à peccati illecebris ad vitam ſanctiorem & ſeveriorem traducant, credituros, ſe inſignem victoriam reportâſſe, imò longè inſigniorem, quàm Alexander Magnus unquam reportârit.

G Ego illud inſuper addo, ſolam ignis tartarei comminationem, cœleſtísve felicitatis pollicitationem, ſi vis vehementior, manúsque potentior non accedat, minimè fore ſatis efficacem, ut hominem adoleſcentem pleno curſu ad voluptates, carnísque blandimenta tendentem cohibeat, impetúmque properantis frangat, & à præſentibus, & ob oculos poſitis, ad futura & abſentia transferat. Nimis jejuna & imbecilla eſt hæc de cœli deliciis & inferni cruciatibus ſermocinatio: Illa enim abſentia, & ab hominum, mundo deditorum, cogitatione & conſideratione longè remota ſunt, nec in tam diſſita mentis aciem intendunt, ſed præſentibus affixi inhærent, eóque, quò ſenſus rapit, ſeſe recipiunt: imò videre licet interdum decrepitos, & quibus mors jam pede pedem premit, cùm admonentur extremi judicii, & rationis

H

In opuſcul. contra retrah. à Rel. c. 10. & 2. 2. q. ult. a. ult.

A reddendæ, præmiíque pro meritis accipiendi, ridere, illúdque Gallis uſitatum prodi verbium occinere, *terminum bene valere pecuniam*, quod eò magis illi dicunt, quibus melior hora dat vires & ſanguinem meliorem, quò magis ſeſe adhuc ab illo ſolutioni præſtituto termino diſtare credunt. Quamobrem licèt inferni cœlíque ſeriò cogitata ſupplicia & gaudia maximum ad permovendum pondus habeant; quia tamen eminùs duntaxat, & quaſi per tranſennam aſpiciuntur, fit, ut apud multos non mul-
B tum efficiant; & ùt ſtellæ, quæ in firmamento lucent, admodum exiguæ nobis propter diſtantiam apparent, cùm tamen minima terræ magnitudinem longè ſuperet: ita etiam hîc contingit. Et ùt nullus, præter doctos Mathematicos, novit corporum cœleſtium molem: ita nemo præter prudentes Chriſtianos, & in lege Domini meditari ſolitos, accuratè & examuſſim ſecum perpendit, quantum periculi & momenti inſit in morte & extremi judicii die, quantum miſeriæ in gehenna, quantúnque gloriæ in cœleſti patria.

C Quapropter alio, & quidem à prædictis diſtincto adjumento opus eſt, ut quis mundo valedicat, rebúsque perituris nuntium remittat: Opus eſt, inquam, oratore & impulſore, cujus in ore ſuavior Suada ſeſſitet, quàm in ore hominis: Opus eſt, ut Deus ipſe loquatur, & ita quidem, ut ſermo in intimos cordis receſſus ſeſe inſinuet, auditorémque, quò velit, flectat. Educere Hebræum ex Ægypto, ut ſicco veſtigio per ſæculi hujus Oceanum tot tempeſtatibus obnoxium, ad terram promiſſionis rectà contendat, opus eſt non
D hominis, ſed Altiſſimi. Hinc fit, ut ex multis millibus diſcipulorum, qui Jeſuitarum gymnaſia obeunt, iisdémque Præceptoribus dant operam, vix quinquaginta Religionis jugum ſubeant, & ii plerúmque ex eorum numero, qui mundi blandimentis magis irretiuntur, & de quorum converſione ſpes minor erat; quia ſpiritus divinus efficaces illis ſtimulos ſub pectore vertit: alii foris remanent, vel quia Deus illis aliam viam ad cœlum præparavit, ſi divinæ gratiæ non ſint ingrati, vel quia ipſi fortè divinæ vocationi reſiſtunt, potiùs eligentes ſubdi jugo Ægypti propter cepas, quàm in deſertum ire, ut manducent manna. Quæ, oro, eloquentia abſque iſto ſpiritu divino, & quæ verborum machina permovere potuiſſet Thomam Aquinatem, & Bernardum Burgundum, nobiles, ex illuſtri familia juvenes, delicatos, & in deliciis à puero educatos? Quis infinitos alios & noſtræ & ſuperioris memoriæ adoleſcentes, domi nobiles, opibus pollentes & florentes, omníque rerum copia affluentes eò impuliſſet, ut ex mundi laqueis ſeſe eriperent, & à voluptatibus ad corporis caſtigationem, à lautis epulis ad jejunia, à libertate ad obedientiæ jugum, à carnis oblectamentis ad caſtitatem, ex omnium rerum abundantia ad inopiam, & ab honoribus ad crucem & ignominiam ſeſe transferrent: Quis, inquam, omnes eò impellere potuiſſet, niſi divinus ille, dicendíque potens orator? E

Cur ergo, dixerit fortè quispiam, tam multi à Religione deficiunt, ſi vocatio ad Religionem à Deo proficiſcitur? In promptu eſt ratio. Quia poſtquam vocati ſunt, non ambulant convenienter ſuæ vocationi: Vocatum eſſe ad Chriſtianiſmum, donum eſt cœleſte; *nemo*, inquit Chriſtus Dominus noſter, *venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum*: Nihilominùs tamen multi Chriſtiani deſciſcunt ad Turcas, Judæos, & ad improbitatem, tandémque pereunt. Judas ſanctè vocatus ad Apoſtolatum venit, & tamen laqueo tanquam impius vitam finivit. Sic Deus multos quidem ad Religionis portum vocat, ſed inter illos non paucos reperies, qui ſe ideo vocatos credant, ut in Religione ſine Religione vivant: at non decet quempiam hoc conſilio vel Religioſum vel Chriſtianum fieri: cooperari oportet gratiæ vocationis, & in ea progredi, ut adipiſcamur coronam. Hinc S. Petrus omnes Chriſtianos monet: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis*, hoc eſt, cooperemini primæ gratiæ, quam nullo veſtro merito acquiſiviſtis, & Deus dabit vobis donum perſeverantiæ, labore veſtro motus, etiamſi donum non ponderet, Deus educit ſuos ex Ægypto manu forti & valida, ſed eductis pugnandum eſt in deſerto, & progrediendum ad terram promiſſionis. Si igitur multi manum ad aratrum mittentes retrò reſpiciunt, fidémque datam fallunt, fit hoc, non vitio vocationis, & ingreſſus, ſed culpâ mali progreſſus: Intrant per portam à Deo vocati, & per feneſtram ſe dejiciunt, impulſi à diabolo. Sed revertamur ad eos, qui ſe Jeſuitis adjungunt.

F Cur multi à Religioſo ſtatu deſciſcant.

Joan. 6.

G 2. Petr. 1.

CAPUT XLIX.

Homines Societatis in perpetua probatione vivere. H

POſtquam tirocinium ſubeunt, & inter novitios nomen ſuum profitentur, re ipſa experiuntur illa, quæ ſuprà Societatem petentibus proponi diximus, nec ſine inſigni additamento: probantur enim, modísque variis examinantur, & omni ſpiritualis exercitationis genere excoluntur, ut, quo ſpiritu ſint, exploretur, útque ſimul præparentur & armentur, ad alacriter ſtadium perfectionis decurrendum, & ad animarum ſalutem procurandam, cui negociationi cùm ipſe Dei Filius in terris verſatus, tam diligenter vacaverit, perſpicuè

A cuè oſtendit, eâ nullam actionem præſtantiorem & nobiliorem, vel ab Angelis, vel ab hominibus poſſe ſuſcipi. Probationis tempore exacto, votis ſeſe Deo obſtringunt, ſi quidem Superioribus ſatis ſe ſuámque indolem probaverint, fiúntque Religioſi & membra Societatis. Tirocinio egreſſi, ſi literas nôrint, aut docent, aut diſcunt, cursúmque Philoſophiæ & tum Theologiæ incipiunt (niſi anteà his diſciplinis fuerint exculti) in quo octo novémve annos ponunt, & tum demùm tertium probationis annum auſpicantur, ut ſi fortè ex literariis occupationibus tam diuturnis aliquid de primævo ſpiritus fervore deperiiſſet, illud reſarciatur & reparetur. Deinceps rurſus periculum variis officiis & experimentis de illis ſumitur, nulla certa temporis meta præſtituta; ídque eo fine, ut ad vota publica præparentur,
B vel ad profeſſionem, eámque vel trium, vel quatuor votorum (quod quartum votum bilem tibi tantopere movet) ad quam
Quales Profeſſi quatuor votorum. profeſſionem ex præſcripto Conſtitutionum, nulli admittuntur, niſi ea doctrina & virtute præditi ſint, ut à Sede Apoſtolica, aliísque Eccleſiæ Præſulibus & Principibus Chriſtianis mitti poſſint in varias & longinquas regiones, operam daturi convertendis ad Religionem Chriſtianam ethnicis & infidelibus, oppugnandis & expugnandis hæreticis, vitiis evellendis, virtutibúsque ſerendis & plantandis, pietatis exemplo morúmque innocentia, eruditione, colloquiis privatis & congreſſibus familiaribus, diſputationibus, lectionibus, concionibus, confeſſionibus, & libris ſcriptis. Quare minimè mirandum
C eſt, ſi tanto temporis ſpacio antè probentur, quàm profeſſionem edant: nam ad hujuſcemodi functiones obeundas, & ad tantum ponderis ſuſtinendum, accedere oportet homines ſpectatæ probitatis & eruditionis, qui & ſuo & aliorum bono, verſari & agere didicerint cum tam diverſis hominum generibus, cum nobilibus & ignobilibus; doctis, indoctis; ſenibus & juvenibus; Chriſtianis, infidelibus; probis, improbis; Catholicis, hæreticis; ſanis, ægrotis; in carceribus, in Xenodochiis, terra maríque, domi & foris, in urbe & rure; Requiritur autem, ut quis tractandis tam diverſis hominum ingeniis, ſcenæ velut ſerviat, ſtilúmque ſæpè vertat exemplo Apoſtoli, *qui omnia omnibus factus eſt, ut omnes ſalvos faceret.* Modus igitur agendi mutandus eſt pro varietate ingeniorum, locorum, ætatis, ſtatus, & conditionis, ne quiſquam ſubſidio, & ſalutari ope deſtituatur: imitandi enim ſunt induſtrii Medici, quibus hoc non modò familiare, ſed & proprium.

1. Cor. 9.

D Porrò ſi tempore novitiatus animadvertatur, ineptos fore ad militiam ſpiritualem, eò, unde venerunt, remittuntur: quòd ſi jam in Collegiis vel ſtudiis, vel aliis occupationibus deſtinati, paulatim propoſiti immemores intepeſcant, ſi regrediantur, cùm progrediendum ſit, tum monentur, excitantur, & quoquo modo licet, extimulantur, non uno, ſed pluribus annis: ſi ſpes emendationis nulla reſtet, enſe reciduntur, ùt vulnus immedicabile, ne pars ſincera trahatur, & exauctorantur, conceſſa miſſione: nam ordinarium carcerem, præter portam, habent nullum: quamvis ipſis etiam, ùt & aliis Religioſis, carceris uſus minimè ſit negatus, ſed malunt juxta privilegia à Sede Apoſtolica ſibi conceſſa expurgare Societatis corpus expulſione ejuſcemodi ſordium, ipſarum etiam rerum naturalium exemplo, quàm retentione non modò putredini, ſed & contagioni latiùs propagandæ cauſam dare, præſertim cùm experientia compertum ſit, hujus farinæ ſocios vix unquam ita perſanari, ut nihil de morbo reliquum maneat. Accedit, quòd ratio hæc tutior & conducibilior ſit bono communi totius Religionis: minus enim ſceleris perpetrat is, qui dimittitur, ſi ſe ſolum in mundo perdat, quàm ſi in Religione alios quoque in idem exitium præcipitet, longè etiam difficilius, quàm aliis Ordinibus, ab hominum conſortio magis abſtractis, & longè moleſtius eſſet Societati (quæ quanta quanta, divino obſequio & utilitati publicæ ſacra & dicata eſt) ſi hujusmodi refractarios & pervicaces perpetuò aſſervare & cuſtodire cogeretur, tanquam feras ſilveſtres in cavea, & duos trésve illorum miniſterio addicere: quod non fieret absque notabili detrimento cauſæ publicæ & ſalutis animarum, cui intereà promovendæ inſiſtere poſſent.

E

Cur ex Societate nonnulli dimittantur, & qui.

F

G

CAPUT L.

Refelluntur mendacia quædam Arnaldi.

H

EX his, quæ hactenus diſſerui, refelluntur duo mendacia, quæ tibi hîc ſeu prudenti ſeu imprudenti exciderunt: Alterum eſt. *Votum paupertatis nunquam emitti, niſi omni ſpe ſucceſſionis ablata:* emittitur enim biennio abſoluto, ùt ſuprà notavimus. Quòd ſi non obſtante hoc voto paupertatis, plures annos aliquando retinent bonorum ſuorum dominium permiſſu Superioris, capacésque manent ſucceſſionis, ne offendaris, nec propterea Jeſuitas *avaros* nomines. Nam iſta abdicationis dilatio & procraſtinatio, non cedit in emolumentum Societatis, ſed ſubditorum. Nam ſi fortè juſtas ob cauſas ex Societatis albo expungantur, vi privilegiorum, quæ Societas à Pontificibus impetravit, paternas opes, unde vitam tolerent, repetunt, nulla rei familia-

Navar. de Reg.

miliaris jactura. At si voto paupertatis omni bonorum temporalium possessione decidissent, necesse esset, aut in mendicitate & perpetua egestate vitam transigere, aut in Societate remanere, non modò cum incommodo & præjudicio illius; sed etiam cum propriæ valetudinis, & aliquando æternæ salutis dispendio.

Objicies, hoc esse novum vivendi institutum, jurisque novi. Non inficior, *novum esse & admirabile*, ait ille Canonum peritissimus & consultissimus Navarrus, Jure etiam novo simplex castitatis votum editum à Societatis hominibus impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: sed jus non desinit esse jus, etiamsi novum sit, cùm sit factum à Principe & capite Ecclesiæ, qui & illud condidit, quo aliæ Religiones gaudent & nituntur, & quidquid in voluminibus Juris comprehenditur. Novitas non tollit naturam rei: hinc uvæ recentes æquè sunt uvæ atque illæ ex vinea, quam plantavit Noë. Omne Jus initio fuit novum, nec propterea Juris essentiam amisit, post mille & sexcentos annos istud erit antiquius, quàm modò sint Canones Apostolorum, qui tam novi erant ante quingentos & mille annos, quàm modò istud.

Loc. cit.

Alterum mendacium, quod ex supradictis refutatum manet, illud est, cùm ais, *Jesuitas exauctorare quandoque diuturnis laboribus confectos.* Quemadmodum enim non retinentur spe hæreditatis: ita neque dimittuntur ob senectam, imbecillitatem, ægritudinem, vel ob Collegii inopiam; sed alias ob causas: alioqui tandem omnes, qui professionem fecerunt, Sacramento præstito exsolvendi essent, tunc videlicet, cùm omnium opum possessione sese abdicâssent; neque recipiendi, nisi quibus res lauta domi suppeteret. Quod tamen Jesuitæ minimè faciunt. Quòd si quispiam omnino sit insanabilis, & omnis medicinæ impatiens, jure luit tandem contumaciæ suæ pœnas, & Societas meritò etiam jure suo utitur, quod tamen non nisi parcè & rarò facit, nec sine Generalis consensu, & quoad licet, æqui boníque consulentibus illis, quibus abeundum, quos aliquando decem imò viginti integros annos Societas tolerat, ut videat, num melioris alicujus frugis spes affulgeat, adeò invita ad hoc extremum & utcunque asperum medicamentum descendit, támque amans est salutis illorum itidem hominum, ex quorum convictu & conversatione parùm emolumenti, imò multum detrimenti quandoque capit. Quamobrem idem semper & ubique es in Jesuitas, improbus videlicet criminator & sycophanta: homines enim, tuo judicio, seducunt & fascinant, & in Societatem admittendo, & in eadem retinendo, & ex eadem dimittendo.

Societas neminem temerè dimittit.

CAPUT LI.

Quo jure aliquis possit à votis absolvi & dimitti.

VErùm enimverò fortassis aliquis te acutior & intelligentior scisitabitur, qua conscientia dimitti & absolvi queant, qui semel vota Religionis emiserunt, cùm istud votum videatur jure divino obligare, cujus vinculi nodum solus Deus, ùt supremus omnium rerum Dominus expedire & dissolvere valeat. Respondeo, obligationem votorum pendere ex mente voventis: Si quis voveat ciborum delectum more Carthusianorum, eorundem more à cibis abstinere debebit, & non ùt aliorum Ordinum Religiosi, quibus alia abstinendi & jejunandi consuetudo. Qui vota Deo in hac Societate nuncupat, id facit convenienter voluntati & Constitutionibus Societatis: at mens & intentio Societatis hæc est, ut tamdiu votis suis obstricti maneant, quamdiu justa causa non erit, solvendi illos votorum religione & nexu. Quare qui ita obligatur, nulla injuria afficitur, si aut promissis stare vi adigatur, aut ejiciatur jam depositus & deploratus: nam tali conditione venit: & *volenti non fit injuria:* & ille, qui sine facultate aufugit, est apostata, gravissimíque peccati reus: at qui abit jussu & mandato Generalis, judicantis, satius esse, ut talis in sæculo degat, vel ob corporis imbecillitatem, vel parentum sublevandam inopiam, publicúmve bonum, vel ob aliam rationi consentaneam causam, is liber, & à votorum vinculis expeditus manet. Sed ut hoc Jesuitarum institutum convellas, opponis, *contractus debere esse reciprocos*, ex quo infers, *debere liberum relinqui discessum subditis, sicut Generali libera est dimittendi potestas.*

L. Labeo, ff. de verb. signif.

Verùm facilis est responsio. Si enim cuivis arbitratu suo integrum esset Societati valedicere, non complecteretur Religiosos, sed pensionarios, iniquissima prorsus conditione. Nam postquam diuturno tempore, magnísque sumptibus eos aluisset, educâsset, & instituisset in literis, periculum esset, ne postea derepentè & hominum & facultatum subsidio orbaretur; nec de cujusquam manendi vel abeundi voluntate quicquam certi statuere posset. Num tu hac lege convictores reciperes? Deinde respondeo, tuam illam *Maximam* intelligi de voluntatibus, quando jam inibi res est, ut contractus ineatur: Eo enim temporis puncto oportet, ut utrinque æqualiter, & ut sic dixerim, reciprocè sint liberæ, ut vel progredi vel regredi possint, qualis reciprocatio hîc etiam reperitur. Nam Novitius biennium in domo probationis ponit, pietatis exercitationi & rerum cœlestium meditationi intentus: hoc temporis spacio libe-

liberam habet potestatem sive discedendi, etiam invito Superiore, sive votis sese obstringendi, consentiente Superiore: Vice versa, liberam potestatem habet Superior, illum dimittendi, etiam invitum, si ineptum ad Societatem judicet; aut retinendi, non tamen sine illius consensu & nutu, si arbitretur aptum.

At si velis in omni omnino contractu inesse debere illam, quam tu significas obligationem, valde hallucinaris, nesciens, quid dicas. Nam Jurisperiti & experientia docent, esse aliquos, qui non utrinque & reciprocè, sed altera tantùm ex parte, obligationis vinculo teneantur: & ùt Lex ait: *Sicuti liberum est mandatum non suscipere: ita susceptum consummari oportet, nisi renunciatum sit. Renunciari autem ita potest, ut integrum jus mandatori reservetur.* Pari igitur jure liberum est, nuncupare vota Religionis in Societate; sed ubi semel edita sunt, resilire jus fásque vetant, licèt penes Societatem jus sit & arbitrium absolvendi à votis, si causa justa suppetat. Et hoc jus non modò concessum, sed & sæpiùs confirmatum est Societati à Christi Vicario, cui potestas condendi, rogandi, & promulgandi leges Ecclesiasticas, non secùs ac Principi politico civiles. Et licèt hujusmodi jus non sit commune omnibus Religionibus; non ideò tamen legi divinæ repugnat: nam ùt votorum nuncupatio & vinculum æqualiter omnes obligans, juris est divini: ita vota edita hac vel illa conditione & circumstantia proficiscuntur à Jure positivo, quod in variis Religionibus, varium esse potest, accedente auctoritate & approbatione Summi Pontificis: semper tamen & ubique sanctum & rectum est. Nam Summus Ecclesiæ Pastor tam jus antiquum in antiquis Religiosorum familiis, quàm hoc novum in hac recens inita Jesuitarum Societate, condidit, non sine multis aliis privilegiis & immunitatibus pro varietate temporum & ordinum necessariis.

L. Julia, ff. de act. Empt. & vendit.

Satis supérque ex his, quæ huc usque diximus, intelligere potes, si sanæ mentis & integri cerebri esses, Jesuitas immunes esse ab illo crimine, cujus abs te insimulantur, neque juventutem dolis & technis ad suum Ordinem pellicere, neque cùm admittunt, neque cùm retinent, neque cùm quempiam dimittunt, injuriam irrogare: sed quia simul cum humanitate sensum omnem amisisti, te ipsum in hunc labyrinthum imprudens conjeciisti, & has pedicas tibi nexuisti perspicuo argumento, quòd sis calumniandi & obloquendi perquàm cupidus; Ei tua erat silentio calumnias præterire, nominatim illam, quæ institutionem juventutis petit: nimis enim aperta est, & tibi admodum ignominiosa. Jesuitæ hac in re nimiùm excellunt, eorum etiam opinione, qui illis maximè adversantur. Quare, quid quæso, criminationibus tuis proficies? Ne hilum quidem, crede mihi, debebas potiùs, si cor habuisses, operam, quam Jesuitæ juventuti bonis literis expoliendæ navant, summis laudibus efferre, magnámque tibi justi viri opinionem conciliâsset testimonium veritatis adversariis tuis datum: tribuisses enim Jesuitis id, quod ipsis concordibus omnium suffragiis debetur. Nimis intoleranda & nefaria calumnia est, tanta verborum asperitate Jesuitas, quasi juventutis corruptores & seductores exagitare: converso enim stilo, non modò eos laudare, sed & ætatis nostræ juventutem beatam prædicare oportebat, quòd Præceptores doctrina & pietate præstantes nacta (quo vix quidquam melius homini accidit, ùt sapientissimi quíque judicant) tanto cum profectu ad literariam laudem & lauream tendere possit. Nam si optabile est nasci honestis parentibus, magis expetendum est, in egregios Magistros incidere, cùm ingenii educatio & formatio sit quædam generatio, eò præstantior, quò anima nobilior corpore, virtutésque, quas Præceptor tradit, præstantiores bonis caducis, quæ à parentibus accipimus. Hinc Philippus Rex Macedonum filium suum Alexandrum felicem prædicabat, non quòd Rege natus esset, sed quòd tempore Aristotelis, quódque illo Præceptore uti liceret. Institutione & sapientia suorum Magistrorum evaserunt olim plurimi togæ bellíque artibus & laudibus illustrissimi. Pericles quidem præceptis & institutis Anaxagoræ: Alcibiades & Crito Socratis: Agesilaus Xenophontis: Philelas Archytæ: Dionysius Syracusanus Platonis: Trajanus Plutarchi, & alii aliorum. Verùm ut improbitas & cæca mentiendi temeritas, quæ te ad dicendum & scribendum, & ad institutum Ecclesiæ Catholicæ fructuosissimum convellendum impulit, magis eluceścat, operæ precium arbitror paucis adhuc demonstrare, Jesuitas non tantùm non esse juventutis corruptores, ùt tu dicis, sed optimos Præceptores, ùt omnes probi sentiunt.

CAPUT LII.

Notæ boni Præceptoris.

QUatuor his ornamentis præditum esse oportet Præceptorem bonum & probatum: *Scientia, docendi methodo, diligentia, & pietate*, quæ trium præcedentium decus est, & pretiosum monile. Scientia planè illi necessaria est: nam quomodo scientiam dabit, si non habeat? *Nemo dat, quod non habet*, ait Lex, & tuus Bartholus, suffragante experientia: & quemadmodum ignorantia omnium vitiorum fons est, ita scientia lux quædam est, quæ ad virtutis iter facem præfert: De coloribus nescit

L. Traditio ff. de acq. rerum Dom. L. si universæ, C. de verb. sign.

A disputare cæcus, neque alium erudire. Cæterùm num hoc primo ornamento Jesuitæ sint condecorati, certiùs & clariùs non cognoscetur, ùt arbitror, quàm ex prælectionibus quotidianis & ex monumentis tam de Theologia Scholastica & positiva, quàm de Philosophia, Mathematica, Eloquentia, Poësi, Grammatica, recenti etiamnum Societate publicatis.

B Sequitur methodus, ars, via & ratio tradendi disciplinas, cuivis Magistro cumprimis necessaria, sine qua omnis doctrina chaos est, & rudis indigestáque moles; & schola temporis inaniter transmissi amissio. Hac ordinis & methodi laude florent præ aliis Jesuitarum scholæ, ùt nonnullis exemplis hîc declarabo. Nam primùm Præfectus studiorum, postquam accuratissimo examine singulorum profectus exploravit, cuivis classem & stationem ingenio & eruditioni convenientem designat, in qua liber scriptórve nullus explicatur, qui auditorum captum exsuperet. Deinde Magister eodem docendi modo & ordine discipulos erudit; neque vires ingenii duntaxat, sed & naturalem cujuslibet constitutionem & affectionem sedulò investigat, ut hac cognita, expeditiùs & majori cum emolumento, cuilibet liberalium artium cognitionem instillet, in eo etiam maximè elaborans, ut discipuli humanitate potiùs ducantur & benevolentia, quàm formidine pœnæ.

Ordo & ratio docentur in scholis Jesuitarum.

C Philosophi & Theologi quotidiè suo quique in auditorio disputant, lectionésque auditas repetunt: quod Sabbatis singularum hebdomadum accuratiùs, & majori cum apparatu fieri solet. Nec omittuntur disputationes & concertationes menstruæ, Præceptoribus discipulísque omnibus unum in locum coactis, pugnam vel spectantibus vel adjuvantibus. Quod genus certaminis aliis item anni temporibus initur & suscipitur, præsertim quando vel Philosophiæ vel Theologiæ Doctores inaugurantur, debitísque honoribus insigniuntur. Parvulos, & qui tenerioris adhuc indolis sæpiùs in singulos dies committit Præceptor ad prælium, ídque in omnibus politioris literaturæ classibus,

D ne infima quidem excluſa: Victor præmiolum reportat, vel locum potiorem & dignitatem commilitonis devicti. Est autem spectaculum visu jucundissimum, coràm intueri puerulos tantillos angusto in pectore tam augustos spiritus versantes & tanto animorum ardore conflictum hunc ingredientes, ut non modò de fama & gloria, sed & de integro regno agi videatur. Quolibet mense componunt Orationes, epistolas, poëmata, & id genus alia, quibus diligentiæ & profectus documentis classium Magistratus petunt, & ambiunt. neque enim ambitus hic lege interdictus. Et quid inausum, intentatúmve relinquunt, quósque calamos ex theca non depromunt, ut vel Cæsaris, vel Regis, vel Prætoris, vel Consulis munus adipiscantur? His exercitationibus adjunguntur crebræ declamationes privatæ & publicæ, nec non Comœdiæ, & omnis generis Dramata, argumenti non ludicri sed gravis semper & eruditi. E

Nec carent Jesuitæ diligentia, tertio boni Præceptoris ornamento, sine quo cæteris non multum roboris aut ponderis inest: nam neque domi, cùm lectio paranda, tempus inutiliter terunt, neque in gymnasio ullum laborem refugiunt. Dato signo, vel à classe, vel ad classem, id, quod instat, agendum sine cunctatione agunt, non secùs ac milites, cùm tubæ cantu, vel ad pugnam, vel à pugna vocantur: Vidimus sæpè seculares, quibus usi sumus Præceptoribus, bonam temporis partem dare deambulationi in area vel porticu Collegii, antequam gymnasium ingrederentur, ingressósque mox dicendi simul & docendi finem facere, & aliquando tota illa lectioni præstituta hora mutos esse. Quod apud Jesuitas nunquam contigit, quod sciam, & tamen plus quàm 25. annos cum illis familiariter versor. Porrò quemadmodum ipsi domi forísque diligentes sunt & industrii: ita etiam diligentes & industrios requirunt discipulos: hinc quotidiè sedulò ab unoquoque officii rationem reposcunt, & si quem segniorem & remissiorem deprehendunt, ratio officii neglecti reddenda est: si nulla suppetat, mulctatur semel atque iterum leniùs & leviùs, tertia vice periclitatur corium, ne ulmis lorísque conscribatur. F Diligentia, tertia boni Magistri nota. G

CAPUT LIII.

De pietate, quarta boni Magistri nota. H

REstat pietas, quarta conditio & nota veri & probati Magistri, princeps cæterarum, quæ sola multum prodesse, & sine qua reliquæ multum obesse possunt: hæc sola tribus aliis licèt non perfectissimis addita reddit hominem ad omnia idoneum; aliæ ab hac abjunctæ, eò sunt pernicioſiores, quò perfectiores: Hominem enim doctrina valdè præstantem fastu & inani quodam typho valde inflant, & ad quodvis improbitatis genus exstimulant: quod quid aliud est, quàm malo quodam genio afflari, dum ejusmodi homo ùt doctrina, ita etiam arrogantia & malitia excellit? Veri Christiani inprimis & ante omnia in hanc curam incubuerunt, ut juventus institueretur in pietate, quæ totius doctrinæ Christianæ perfectio & finis est: quod neque ethnicos fugit: Nam licèt umbram tantùm veræ pietatis viderent, tenebris naturæ depravatæ præpediti, animadverterunt tamen pietatem in educatione & institutione juventutis primas tenere. Hinc illud Ciceronis: *Erat eadem doctrina rectè faciendi, & bene* Cic. de orat.

A *bene vivendi atque dicendi : qualis apud Homerum ſenex juvenì datus , ut eum Oratorem efficeret , & bonarum rerum auctorem.* Et Lib. 1, c. 1. Quintilianus exiſtimavit , hanc rem tanti eſſe momenti , ut etiam velit nutrices , quæ nihil præter lac infantibus tribuunt , optimas eligi , quantum res patitur , quæ neque verbum turpe proferant , ne paulatim in animas tenellas tenaciſſimas eorum, quæ rudibus annis percepêre , vitii aliquid illabatur : Multò magis neceſſarius eſt adoleſcenti Magiſter & inſtitutor morum & vitæ innocentia & integritate ſpectatus. Nam B cùm mens adoleſcentis tenera, ad vitium & ad virtutem cerea ſit , flexúque facilis , & utriusque ſeminibus accipiendis expoſita : cúmque adoleſcens non modò credat , omnia Magiſtri mandata promptè & alacriter exhaurienda eſſe , ſed honori etiam ſibi ducat, ſi imitetur dicta & facta illius , quem patris inſtar colit , imò cujus auctoritatem magis reveretur , quàm parentum : ideò recta juventutis inſtitutio tanta verborum energia in omni bene inſtituta Republica à ſapientiſſimis viris ſemper commendata fuit.

Ut autem oſtendam, Jeſuitas tanquam legitimos Præceptores pietatis ornamento non carere , paucis docebo , quibusnam modis tenerioris ætatis animos ad pietatem informent.

C Primus modus conſiſtit in ſtatis præfinitísque precibus, & in frequenti Sacramentorum Altaris & Pœnitentiæ uſu : nam quolibet menſe quivis Studioſus minimùm ſemel confitetur , quotidie Miſſæ Sacrificio reverenter adſiſtit , & celebrioribus feſtis ad ſacram Synaxin accedit , quibuscunque id per ætatem permittitur. Principio lectionum oratur Deus , expreſſo in frontibus ſigno Crucis : abſolutis lectionibus aguntur Deo gratiæ. Docentur reverentiam & honorem erga Sanctos , præcipuè Divam Virginem , Dei matrem , cujus nomine & patrocinio ineuntur Sodalitates , tibi & Miniſtris tuis adeò inviſæ , ut Deus in Diva Virgine, majori religionis cultu honoretur: quibus exercitationibus non modò magnos in pietate progreſſus faciunt , ſed etiam in D literis. Nam qui animam à vitiis expurgatam , Deóque vero lumini , veræque Sapientiæ conjunctam habent , magis illuſtrantur, & tam ad intelligendum , quàm ad ea , quæ intellecta ſunt , firma memoria complectendum aptiores efficiuntur. Quid,quòd ipsâ experientiâ compertum eſt, pares ingenio & diligentia , & in eadem claſſe & palæſtra exerceri ſolitos , impares progreſſus facere , magísque pios ſemper eruditionis palmam ferre? Neque facilè proficient in literis pietatis oſores , vitiísque inquinati , cùm veriſſimum ſit illud Sapientis oraculum : *In malevolam animam non introibit ſapientia , neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1.

Primus modus docendi pietatem.

Sed hîc objicit Arnaldus noſter , hoc eſſe E Jeſuitarum commentum , ut juventutem *Hiſpanizent* , ſeu *Hiſpaniſmo* inficiant ; & tanquam hæreticus adjunget, *hoc nihil aliud eſſe , quàm eandem juventutem magicis carminibus dementare & ſeducere , bonúmque factum fore , ſi Jeſuitæ ex Gallia præcipites ejiciantur, ut pariter etiam iſtæ Sodalitates exterminentur,* quod ſub finem ſuæ Invectivæ Senatusconſulto decerni optavit: Sed ùt non mirum, ſi corvi crocitent , & cardui pungant: ita mirandum non eſt, ſi Arnaldus *arnaldet*, hoc eſt, ſi mendax mentiatur, in hoc enim F ars & natura illius ſita eſt; ſufficit, ſi Arnaldo non adhibeatur fides , certóque ſtatuatur, modum, quem tradendæ pietatis Jeſuitæ obſervant, non eſſe Jeſuitarum figmentum, ſed jam olim in ſcholis receptum & approbatum morem , & à Jeſuitis in ſuis Collegiis renovatum : & quamvis hujus conſuetudinis Jeſuitæ auctores eſſent; ipſa tamen temporum neceſſitas & corruptela nos ad illam obviis ulnis recipiendam compelleret , cùm adeò conformis ſit divinæ legi, quæ mandat, ut puer timorem Domini ante omnia edoceatur. Adde, longo G uſu perſpicuè teſtatum fieri omnibus iis locis, ubi Collegia ædificata, quantum utilitatis omni hominum generi, potiſſimùm juventuti iſta Sacramentorum frequentatio, virtutísque exercitatio afferat , Divione agebam M. D. LXXXII. erecto jam Jeſuitarum Collegio. Iſthic videbam parentes, ut ſunt in Deum religione eximii, admiratione ſimul & lætitia plenos, quòd tam exiguo tempore tantam morum mutationem in ſuis liberis notarent , ídque vi & efficacia exercitationum piarum , de quibus hactenus locuti ſumus. Neque ab hujus urbis teſtimonio diſſentient aliarum civitatum indigenæ.

Objectio Arnaldi.

Sacræ literæ coñendant inſtitutionem Juventutis in timore Domini paſſim ; præcipuè Eccleſ. 30. Vide Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.

Secundus modus, quem obſervant in recta inſtitutione ad pietatem , eſt errorum H correctio, eorum præcipuè, qui à malitia : Deinde doctrina Chriſtiana , quam ſemel quot hebdomadibus explicant , item lectiones, quas in ſuis templis habent, & exhortationes in claſſibus aliquoties quovis anno. Neque inter docendum prætermittunt occaſionem, quando ſe offert, redarguendi errores & vitia improborum & flagitioſorum hominum , demonſtrandíque præſtantiam & veritatem religionis Catholicæ. Poſt timorem Dei, cultúmque Deo debitum, & venerationem cœlitum inſtillant tenellis iſtis ingeniis amorem, & obedientiam, quam debent Superioribus ſpiritualibus & temporalibus, paſtoribus, patribus, parentibus, benefactoribus, & maximè Principibus ſupremis & Magiſtratibus, conſtátque luce clariùs , Regum , Principum,Procerum & Rerumpublicarum imperatis & monitis nullos obſequentiores & magis morigeros inveniri, quàm qui ex Je-

Secundus modus docendæ pietatis.

A fuitarum disciplina prodeunt, si ab aliis non pervertantur, neque aliorsum abripiantur. Quo factum est, ut nullum sit Regnum, Principatus & Respublica Catholica in Europa, ubi non fuerint fundata Collegia, recepta & approbata à Regibus & Magistratibus, ad quæ Collegia ipsimet Principes & Reipublicæ Primores semper miserunt suos liberos, & florem nobilitatis, ut isthic erudirentur, non tantùm pietate, sed etiam virtute politica seu civili.

CAPUT LIV.

Quanti fecerint Reges Galliæ, & alii Principes Jesuitarum laborem & operam.

B Fecit hoc ex numero Regum Galliæ, Carolus IX. Rex, qui unum ex intimis suis familiaribus, quem charissimum habebat, ad Collegium Parisiense limum habebat, ad Collegium Parisiense limum habebat, ad Collegium Parisiense lim

A quod corpus magis mergat, quàm ſpiritus arrogantiæ vento elatus. At Jeſuitæ juventutem ad erroris hujus cubilia & intima penetralia deducunt; demonſtrant enim, omnem hujus generis faſtum & elationem aliunde non proficiſci, quàm ex animo abjecto, etiamſi primo aſpectu grande quid præ ſe ferre videatur, nec aliud eſſe, quàm tumorem quendam fœmineum & bullæ inſtar evaneſcere ſolitum, natum ex anima, ſpiritus divini, judicii & experientiæ vacua: docent etiam, humilitatem animi infracti & excelſi non modò teſtem, ſed & comitem eſſe, ac proinde illam exemplo & auctoritate filii Dei, Regis Regum ſuadent, ut legitimam ſobolem veræ ſcientiæ, ſicut è contrario arrogantia filia primogenita ignorantiæ meritò appellatur. Nam vera ſcientia homini verè proponit & id, quod ſcit,
B & id, quod neſcit: alioqui non faceret verè ſcientem. Qui ergo id, quod neſcit, uno quaſi intuitu intuetur; is clarè videt, ignorantiam ſuam eſſe velut montem; ſcientiam, tanquam granum milii, séque, ubi rem aliquam ſcit, infinitas ignorare, theſaurúmque ſcientiæ ſuæ admodum exiguum eſſe; quamvis vario rerum apparatu egregiè ſit inſtructus. Ex hac cognitione ſui diſcit quis, ſuis verísque ſe preciis æſtimare, ſuámque tenuitatem & imbecillitatem agnoſcere, licèt fortaſſis aliorum judicio habeatur valde eruditus. Ignorantia porrò ſui ipſius, mater eſt arrogantiæ. His & ſimilibus modis demonſtrant Jeſuitæ caput & originem virtutis hujus & vitii: Illius quidem, ut appetatur: hujus, ut fugiatur.

C Tertius modus tradendæ pietatis.

Tertius modus, quem facienda pietatis ſemente ſervant, conſiſtit non tam in verbis & exhortationibus, quàm in operibus & bonæ vitæ exemplis, qui modus docendæ virtutis pulcherrimus eſt; nam, ùt quidam ait, *exemplo facillimè jubetur.* Ut verò probem, Jeſuitas prælucere diſcipulis ſuis exemplo, & ad omne honeſtatis genus præpandere lucem, aliud non afferam, quàm eos eſſe Religioſos, & ùt Religioſos officii ſui memores. Hæc *Religioſi* appellatio hæreticis, fratribus tuis, inviſa eſt, imò abominabilis; ſed Catholicorum mentibus, omnium virtutum quaſi compendium quoddam ſubjicit. Quocirca cùm Jeſuitæ
D boni ſint Religioſi, dubitare minimè licet, quin omnibus ſuis actionibus, colloquiis, congreſſibus familiaribus præire poſſint aliis ad virtutem, convenienter ſuo inſtituto: Hinc eò etiam aptiores ſunt juventutis Magiſtri, quò magis in eis pietas elucet, etiamſi tribus prioribus boni Præceptoris notis non ita excellerent. At cùm & his & illa maximè præſtent, meritò hîc finio & concludo, Jeſuitas tales eſſe Magiſtros & Doctores, quales optari ſolent & debent, ut juventus reddatur beata.

Quamobrem refigite, ſi libet, ô Sena- E
tores edictum veſtrum, quo iſtos tam præ- De Pariſienſi decreto in Jeſuitas.
ſtantes Magiſtros ex Gallia abire jubetis, ingenti damno Catholicæ juventutis, tam fidis inſtitutoribus orbatæ. Ne, quæſo, tantum gaudii afferatis hæreticis, cùm Catholicorum nomine gloriemini: neque tantum mœroris Catholicis Gallis creetis, qui decretum hoc habent ictus, vel potiùs vulneris loco Catholicæ Religioni à Senatu inflicti, quod conſequentibus annis, cùm magis ſanie intumuerit, notius etiam erit, magísque ex abſentia boni amiſſi, eluceſcet magnitudo præſentis jacturæ. Ne inuratis, oro, vobis maculam, quæ apud omnes Chriſtianos, qui jam nati, & qui naſcentur, veſtrum, veſtríque Ordinis ſplendorem nota indelebili obſcuret & dedecoret. Illi enim remoti ab odii caligine, & ab omni perturbatione, ſerenitatem animi obfuſcante ſegregati, veritatem & innocentiam propiùs & penitiùs intuebuntur, dirís- F
que devovebunt, omnes, qui tantæ cladis auctores. Eſt DEUS in cœlis, hunc potiùs reſpectate, & ùt Chriſtiani timete. Vindicem habet oculum, nec obliviſcetur innocentum, ſed injurias illatas aliquando digna pœna compenſabit. At quidam ex Jeſuitarum Scholaſticis conatus eſt Regem interficere. Ergóne Jeſuitæ præſtare debe- An Jeſuitæ luere debeant errata ſuorum diſcipulorum.
bunt errata ſuorum diſcipulorum, etiam tunc, cùm ipſis operam dare deſiêrunt, ſicut iſte deſiêrat? At præſumendum eſt, G
eum à Jeſuitis ad hoc facinus inſtructum & impulſum. Ergóne ex tenui vanæ præſumptionis umbra, judicium, imò Senatusconſultum adeò rigidum & ſeverum formabis & ſciſces contra tam numeroſum & tam longè latéque patentem Religioſorum hominum Ordinem, cùm ipſe etiam Scholaſticus reus inter medios quæſtionum & tormentorum terrores & cruciatus, Jeſuitas omnes ſilentio ſuo abſolverit, inſontésque declarârit. Et Joannes Gueretius Societatis Religioſus, Præceptor quondam illius Scholaſtici, & à vobis in ſuſpicionem adductus, veſtris etiam ſuffragiis abſolutus eſt, abiens ex certamine crudelis quæſtionis corpore mutilatus, & innocentiæ ſuæ lauro redimitus.

At docent, *Reges poſſe interfici.* Nun- H
quam alicubi fuerunt hac de re ſuſpecti, ne- An doceant poſſe Reges interfici.
que etiam in Gallia, niſi quando Arnaldus à Miniſtris edoctus, ex latibulis ſuis emerſit. Superſunt in Gallia multa millia eorum, qui Jeſuitarum ſcholas frequentârunt, omnes teſtabuntur, talem doctrinam nunquam ab illis traditam, & Arnaldus, qui vobis Aſſeſſoribus & Judicibus Jeſuitas in judicium vocavit, hócque crimen in tota ſua actione potiſſimùm urſit, cùm percurriſſet totam Europam, Flandriam, Angliam, Luſitaniam, imò Peruanam quoque & Mexicanam Provincias, ubique inveſtigans, inquirens, odo-

A ránsque, non ſine latratu, Miniſtrorúmque, tanquam acuti naſi molоſſorum ſatellitio, ut exploraret, num quid confirmandæ huic accuſationi idoneum occurreret, tandem ad tribunal veſtrum acceſſit, peroravit, expoſuit omnia, concluſit, Jeſuitas exterminandos eſſe. Quid apud vos effecit? Nihil penitùs. Abſolutis Jeſuitis, veſtróque ſilentio declarâſtis, quidquid afferebat, nihil aliud eſſe, quàm inanem verborum tinnitum. Quis modò de vobis toto terrarum orbe rumor ſpargetur, cùm percrebuerit, Jeſuitas à vobis damnatos, exilio mulctatos, quæſtioni ſubjectos, equuleo tortos, denique laqueo & flamma enectos, ídque ob tenuem ſuſpicionem & præſumptionem, multóque inaniorem & leviorem, quàm ſint omnes fumi, quos ventoſus iſte, vel potiùs
B fumoſus Advocatus attulit? Condemnâſtis non modò Pariſiis ſed per totam Galliam; & quid ad Bituricenſes, Lugdunenſes, Nivernenſes, Billomenſes, Pariſienſium delicta, poſito etiam, quòd Pariſienſes deliquiſſent? *Omnes ſunt juventutis corruptores, populi ſeductores, Regis & Reipublicæ hoſtes?* Hæc omnia Miniſtris ſuggerentibus, effutiverat in ſua Invectiva Arnaldus ſine ulla probatione. Noluiſtis tunc fidem adhibere: cur poſteà credidiſtis? Idcircóne, quia auctoritatis aliquid ſibi conciliavit, quòd dixerit & ſcripſerit innumeras impoſturas? Potéſtne atrocior ſententia ferri in eos, qui docent & diſcunt hæreſin, magiam, atheiſmum, aut unquam in illos lata eſt? Quando Miniſtri & Magiſtri hæreſeos edictis hujusmodi ex Gallia abire juſſi ſunt?

C Edicta, quibus anno M. D. LXXXVI. & M. D. LXXXVIII. hæretici ex Gallia amandabantur, concedebant illis ſemeſtre, ne tempore excluderentur, & ad deliberandum, quid facto opus eſſet, & ad facultates ſuas diſtrahendas, & in exteras regiones ſine impedimento perferendas. At Religioſos intra quindecim dies, ex tota Gallia, & intra triduum ſuis ædibus excedere jubetis; fortunis omnibus & proventibus, imò libris etiam & bibliotheca fiſco & ærario regio
D adjudicatis. Súntne Jeſuitæ ſine ſcelere ſceleratiores Miniſtris hæreticis, quos non modò Galliæ, ſed & toti terrarum orbi compertiſſimum eſt, totum mundum & Galliam ſeditionibus, bellísque inteſtinis turbâſſe, & propemodùm ex ipſis fundamentis evertiſſe, Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus perpetuas inſidias tetendiſſe, & in omnibus Galliæ partibus perduellionis ſuæ & immanitatis plus quàm barbaricæ, luxuriæ & impietatis veſtigia & teſtimonia reliquiſſe, excogitatis in Regum perniciem mille technis; Catholicis, probísque viris crudeliſſimè paſſim cruciatis & trucidatis; urbibus, quas dolo & proditione ceperant, direptis & vaſtatis, ſacris Virginibus & Sanctimonialibus raptis, & per vim, ſummámque injuriam violatis, templis, Monaſteriis, altaribus exutis, everſis, contaminatis, profanatis, ſine fine & numero. An hæreticos, & quidem ejuſmodi hæreticos, vos Judices Catholici, majori clementia & humanitate dignati eſtis, quàm Jeſuitas Religioſos, qui tantis laboribus & moleſtiis, imò ſanguine etiam ſuo nihil aliud jam à triginta annis in Gallia agitant, quàm debellare tales Galliæ hoſtes, & reſarcire clades, quas Reipublicæ & Religioni intulerunt? An non hoc veſtro facto à vobis abalienâſtis omnium Catholicorum animos, qui in Gallia & alibi, non ſine Galliæ infamia ſparſa per omnes Chriſtianorum Provincias, quæ Ordinem veſtris ſententiis damnatum amant, complectuntur, & quibuſcunque licet benevolentiæ argumentis fovent. Num fortè verum illud jam omnium ſermone tritum, *Parlamentum Pariſienſe deſiiſſe jam eſſe Pariſiis?*

F Sed ad inſtitutum redeat oratio: nam libellus ſupplex re jam confecta, ſententiáque perfecta fruſtrà & Juxta verbum vetus poſt feſtum offertur. Quemadmodum juventuti nihil melius & utilius, parentibúsque & Catholicis Magiſtratibus nihil gratius & optatius accidit, quàm ſi ejuſmodi Præceptores ludum aperiant, quibus filios ſuos, ſpem videlicet familiarum & urbium inſtaurandarum, ſecurè committant: ita etiam dæmoni nihil triſtius & moleſtius evenit, quàm ſi videat, per ejuſmodi inſtrumenta regnum ſuum diripi & deſtrui, eósque, qui ex horum ſcholis in Gallia & alibi prodeunt, non niſi rariſſimè ad hæreſin deſciſcere, publicísque functionibus occupari, & ſæpè ipſum Reipublicæ clavum tenere. Hinc illæ calumniæ, G criminationes, & horrifica in Jeſuitas mendacia: hinc corvos ſuos, pſittacos ſuos, ſuos Miniſtros & Arnaldos ad maledicendum & quidvis garriendum, inſanísque clamoribus divulgandum excitat. Hinc nihil machinarum non adhibet & admovet, ut hujuſmodi ſcholarum & Magiſtrorum felicem curſum intercidat, quod in omnium Collegiorum ædificatione & fundatione factum: miris enim moleſtiis ſemper exagitati ſunt.

Cur Dæmon adeò in Jeſuitas Sæviat.

CAPUT LV.

Sperandum eſſe, Jeſuitas nunquam ceſſaturos à Juvanda Republica Chriſtiana. H

VErùm fortaſſis hîc quiſpiam futuri metuens & incertus dixerit, præclaram iſtam Jeſuitarum de omnibus benè merendi, præſertim de juventute voluntatem, eò uſque duntaxat duraturam, quoad opibus aucti & cumulati fuerint: tunc enim Jeſuitas ab hujuſmodi egregiè cœptis

A cœptis desituros, partísque securè & in otio perfruituros. Hic metus te, Arnalde, non tangit, quia non modò non times, ne imposterum deteriores fiant; sed illos discupis modò tam improbos esse, imò pejores, quàm dicis ipsos esse, ut quàm citissimè videas ex Gallia, & ex toto terrarum orbe exterminatos: nihilominus tamen, ut gratificer illis, quibus Societatis bonum cordi, respondeo, non posse ab ullo mortalium perpetuam constantiam actionum humanarum promitti, cùm natura sua, mutationi & vicissitudini subjaceant, retróque ferri & in deterius quotidie labi queant: Fieri quidem potest, ut labentibus annis Jesuitæ à suis virtutibus desciscant; intereà tamen utile est, ut tales habeamus, quales sunt, vinúmque bibamus (quod sapienter olim ad hoc propositum dixit Dominus Brulardus primus Præses Divionensis) dum bonum est: nam si aut acescat, aut omnino corrumpatur, tunc liberum erit nobis ab eo penitus abstinere, nec ad ullos majus damnum manabit, quàm ad ipsos Jesuitas.

B Illud prætereà adjungo, divinam providentiam, quæ his postremis seculis inter tot difficultates istam produxit familiam, posse suo nutu eandem conservare & multiplicare, & hoc eò magis, quò eam novit Ecclesiæ utiliorem, & magis necessariam. Hinc singulari Dei beneficio optimis legibus fundata & temperata est, desumptis ex ipso rerum usu & experientia, qua edocti vident causas dissolutæ in aliis nonnullis Ordinibus Religiosæ disciplinæ, & remedia, quibus denuò sanciri & revocari in pristinum statum possit. Huic fini conducunt etiam Regulæ, quibus ambitioni occluditur aditus, & illæ potissimùm, quæ de paupertate, omnis Religionis firmo propugnaculo & muro aheneo: ad cujus paupertatis conservationem multum etiam momenti affert mos nostri ævi (contrarius mori anteacti temporis) qui non eò tendit, ut donet, sed ut Religiosis id, quod habent, eripiat, quique Jesuitas semper locupletat & locupletabit, copia verborum, nunquam rerum. Ejusdem paupertatis puritati inviolabiliter retinendæ, & Societati perpetuis incrementis amplificandæ admodum servit missio & ejectio eorum, qui aliis noxii & damnosi, de quibus suprà fusiùs: item accurata illa ratio non recipiendi quosvis, sed ingenio præstantes, annis maturos, literis, spectatis moribus, & pietate instructos. His adde probationem illam biennem tempore tirocinii, & alteram annuam, absolutis studiis, & experimenta, quæ professionem antecedunt. Hæc & id genus alia de Societatis perpetuitate bene nos sperare jubent.

C

D Jesuitis proprium est

Quod verò ad juventutis institutionem attinet, ea Jesuitarum Constitutionibus tam est propria, & ut ita dicam, tam *essentialis*, quàm proprius & essentialis est aliis Ordinibus Chorus, & Horarum Canonicarum in eo persolvendarum cura, & ut cæteri Ordines deserto Choro, desinunt esse id, quod sunt: ita etiam Jesuitæ planè desinent esse Jesuitæ, si non faciant id, quod faciunt. Hac officii sui ratione & necessitate adacti, studiis literarum toto pectore sese dedunt, ut animum eruditione poliant, non suo tantùm, sed & aliorum bono: & hoc continuo in literis progrediendi labore & conatu fugant ignorantiam, & otium omnium vitiorum fontes, pestes omnium Religionum, quæ corruerunt. Porrò licèt hæc ita se habeant, nolim tamen polliceri alicui perpetuum & nunquam à recto deflexurum integritatis cursum: neque enim majori prærogativa Jesuitæ donati sunt, quàm universalis Ecclesia in terris, in cujus pluribus membris quoad exercitationem bonorum operum conspiciuntur incrementa & decrementa perfectionis; licèt quoad sinceritatem fidei & doctrinæ, qua morum innocentiam & sanctimoniam docet, semper tota pulchra maneat & digna sponso suo, qui est speciosus forma præ filiis hominum.

E Juventutem instruere.

Ecce quomodo Jesuitæ seducant & corrumpant juventutem. Verum dixisses, si dixisses, Ministros natione, non religione Hispanos, ex Hispania profugos, & in Gallia latitantes cum Ministris Galliæ facere id, quod hac in parte Jesuitis falsò imponis: sed quia Ministros existimas veros esse Gallos, bene tibi cavisti, ne illos offenderes juxta protestationem, quam de ea re initio actionis tuæ edidisti. F

Sed ad reliquas accusationes progrediar, si te hîc priùs obiter monuero, te insigni injuria afficere Academiam Parisiensem, & multa millia præstantissimorum hominum, quos instituit, quando dicis: *Ex quo Jesuitæ Scholasticos ad se pertraxerunt, omnes desponderunt animum, quòd* (ùt ais) *Scholastici frequenti concursu Jesuitas adeant, ne quid mercedis sit solvendum: quæ causa est, ut cæterè Regentes & Doctores Scholasticis & mercede illa literaria, quam Laudii appellant, careant:* Sed cùm ista dicis & scribis, grandi contumelia traducis Doctores & Magistros Parisienses tanquam mendicos aut avaros, quibus præter docendi munus nulla alia victus parandi ratio suppetat, & quibus unicus scopus lucrum: traducis etiam ipsos bonarum literarum studiosos, velut egenos aut dissolutos, quando, ut vel pecuniæ parcant, aut ut ipsam expendant, ùt tu loqueris, *in locis ædilem metuentibus*, conferunt se ad Jesuitas, quod mendacium cum summa injuria conjunctum est. Nam nullo modo fit verisimile, tot homines ingenuos, qui Parisiis docuerunt, tótque nobiles adolescentes

G

Arnaldus injuriosus in Academiam Parisiensem, ejúsque Doctores.

H

A ſcentes & proceres, qui ibidem Jeſuitis operam dederunt, hunc actionum & laborum ſuorum finem ſibi propoſuiſſe: quos atrociori adhuc afficis injuria, cùm dicis, illos, & quotquot Jeſuitis Præceptoribus uſi ſunt, eſſe *ingeniis corruptis & depravatis.* Sed virtutis documenta, quæ multi illorum jam pridem dederunt, & verò adhuc dant, & publicæ functiones tanto cum Reipublicæ fructu obitæ oſtendunt, linguam tuam deteriorem eſſe lingua dipſadis, à qua ſimilitudinem petis, ut calumnias tuas aliquo
B fuco obumbres. Cæterùm tantum abeſt, ut Academici Pariſienſes adventu Jeſuitarum animum docendi abjicere debuerint, ut potiùs debuerint alacriores ad docendi munus accedere, quippe ſubmiſſo laborantibus in ſubſidium auxiliari manipulo: at ſi volebant Jeſuitas adverſarios habere, & cum iisdem gloriæ certamen inire, numero longè ſuperiores erant, quippe plura, quàm 52. Collegia adverſus unum. Sed nunc cætera à te prolata mendacia diſcutiamus.

C

CAPUT LVI.

Examinantur Calumniæ Arnaldi magis particulares.

POſtquam eminùs multa vi, utraque brachia jactans, in Jeſuitas depugnâſti, propiùs nunc accedis, & ad calumnias magis particulares, certísque temporum, locorum, & hominum notis diſtinctas deſcendis, útque hoſtes tuos ad internecionem uſque deleas, conſcenſo eloquentiæ tuæ Pegaſo, raptáque haſta pronus in ictus & vulnera pendes, laxatis linguæ tuæ habenis, oréque in has voces ſoluto: *Quæ lingua, quæ vox ſuffecerit exprimendis conſiliis occultis, conjurationibus magis nefariis, quàm illa Bacchanalium; periculoſioribus, quàm illa Catilinæ, habitis in Collegio*, quod occupant viâ Jacobæâ, in templo item Antoniano? *Quinam*
D *ſunt, qui anno M.D.LXXXV. recuſabant abſolvere Nobiles, niſi priùs jurarent in Ligam ac coitionem adverſus Regem ſuum, maximè alioqui Catholicum? Per quos amiſimus oppidum Petracorium? Per Jeſuitas certè. Quis cauſam præbuit, cur Rhedonum urbs ad hoſtes deſciſceret? Nónne conciones Jeſuitarum? Quis nobis eripuit Agennum, Toloſam, & ſummatim oppida omnia, in quibus vel primorem poſuerunt pedem? Quinam præſides egerunt XVI. viratus illius latrocinantis? Nónne Comoletus, Bernardus, Pater Odo Pichenatus, crudeliſſima illa tigrium, quam unquam vidit Lutetia.* En metam tui ſtadii & curriculi, telíque tui violentiorem & penetrabiliorem jactum: non exiguam profectò laudem junior declamator in Collegio Navarræo meruiſſes, ſi tam plauſibile argumentum tractandum ſuſcepiſſes: additis tamen initio vel ſub finem his verſibus:

Verba Arnaldi.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum,
Et latera ære magis rigida & vox ferrea, poſſim

E

Enumerare omnia illa ſcelera, quæ Jeſuitæ perpetrârunt. Verùm enimverò qui tam grandia & enormia crimina Jeſuitis à ſe objecta probat in conſeſſu tantorum Judicum, inter media ſtemmatis Gallicani lilia conſidentium (quorum quilibet vultu præ ſe fert gravitatem Regis in throno ſuo, regali majeſtate ſedentis, ut de Romanis Senatoribus Cyneam Regis Pyrrhi legatum dicere ſolitum accepimus) qui, inquam, probat, talia & tanta crimina coram hujuſmodi Judicibus nullo alio argumento, quàm inani quadam linguæ volubilitate, tropísque & figuris Rhetoricis, is & mundum ludibrio habet, & innocentes nefariè diffamat, ſéque dignum eſſe declarat contubernio illo, quod in majori arce Pariſienſi, quam vocant *Caſteletum*, ut ibi clauſis januis vitam degat, donec id, quod objicit, probet. Vis cauſæ & quaſi nervus, officiúmque boni Advocati erat, F accuratè notare tempora, loca, perſonas, media, cauſas, ſocios conjurationum, teſtes citare, & undique argumentis fide dignis accuſationi robur & auctoritatem addere, ut ita Jeſuitas manifeſtarios teneres, ne ulla via elaberentur: poſteà, ſi libebat, victoria obtenta, erectóque trophæo cadaveribus hoſtium tuorum inſultare, & inequitare poteras interrogando, exclamando, apoſtrophas multiplicando & mille arietes & machinas adhibendo. Verùm adeò inſoleſcere & impotenter agere, nulla re memorabili effecta, ſed ſolo quodam verborum ſonitu auditorum auribus perculſis, & nihilominùs poſtulare, ut omnes prono aſſenſu id, quod deblateras, credant, id videlicet eſt nimium de tua perſuadendi facultate & efficacitate & de ſimplicitate audientium confidere. Neſcis interrogationem tuo modo factam, neque affirmationi, neque negationi idoneam eſſe, talésque indifferenter loquendi formas nihil aſſeverare, ſed potiùs ornatus & ponderis cauſa interdum adhiberi non faciendæ, ſed factæ jam probationi?

Diſcuſſio eorundem.

Interrogatio nec negat nec affirmat.

H

Cogita, ſodes, pauliſper, cujus momenti ſit hoc argumentum: *Quæ lingua, quæ vox ſuffecerit exprimendis Jeſuitarum conjurationibus?* Simili planè loquendi ratione aſſentatorum quiſpiam probaret, te eſſe alterum Carolum Magnum, ſi ſpes aliqua lucri objiceretur: *Quæ lingua ſuffecerit victricibus Arnaldi ſignis, triumphis, trophæis, coronis, adoreis? Quis ille, qui ſexcenties profligavit, & occidione occidit tot Maurorum, Turcarum & hæreticorum turmas, hoſtiúmque Chriſtiani nominis phalanges, niſi Arnaldus? Quis barbarorum cruore flumina rubefecit, eorundémque craniis & oſſibus, camporum*

A *porum æquora candefecit, nisi Arnaldus omnium supremus, fortissimus, felicissimus, totius orbis Monarcha?* Anné his interrogationibus Carolus Magnus effectus es? ánne thorax tuus in loricam commutatus, graphium in lanceam, cultellus calamarius in ensem, epomis tua in baltheum, calamus tuus in sceptrum, galeri tui vinculum in diadema, corpus tuum & anima tua in personam Caroli Magni? Eadem figura mutato Jesuitæ nomine in tuum, probabo, te omne illud patrâsse, de quo accusas Jesuitas. *Quæ lingua, quæ vox sufficerit explicandis consiliis occultis & coitionibus, quæ factæ in domo Arnaldi?* & ita deinceps. Quòd si hac probandi forma nihil neque pro te, neque contra te probatur, fatearis oportet, hanc tuam obtrectationem ad ni-
B hil aliud valere, quàm ad ostentationem; non ad nocendum, sed ad movendum Jesuitis risum. Fatearis, te in consuetum tibi errorem incidere, dum vice argumenti illud assumis, de quo controvertitur, contra præcepta Logices. *Quæ lingua, quæ vox sufficerit exprimendis Jesuitarum conspirationibus?* Fortè dicere vis, nullam sufficere, quod verum est: nam conjurationes illæ adeò secretæ sunt, ut sciri nequeant, cùm nunquam fuerint in rerum natura, & minùs ad-
C huc explicari, nisi eo modo, quo tu eas finxisti & protulisti. Quamobrem nulla alia ratione ad te refutandum hîc opus est, quàm simplici omnium, quæ objicis, negatione, dicendo sigillatim: In domo Jesuitarum nunquam initam ullam conjurationem, nunquam negatum absolutionis beneficium iis, qui illo digni, nunquam urbem aliquam concionibus Jesuitarum interiisse, nunquam Jacobum Comoletum, vel Bernardum Roillet consiliis sedecim virorum præfuisse. Quòd si Odo Pigenatius conventui illi aliquando interfuit, id invitus & repetito mandato Domini Mainii, & rogatu quoque Domini Brissonii fecit, non ut præesset, sed ut Senatui, suis exhortationibus quasi loco freni esset: & si adversa ejus valetudo permisisset, ut eos semper in officio contineret, ipse Dominus Brissonius & alii adhuc superstites essent.

Refutantur mendacia Arnaldi.

D Addo prætereà, id, quod Catholici Religionis ardore succensi, his tam dubiis temporibus fecerunt, quódque etiam à Jesuitis in confessionibus, concionibus, colloquiis, & familiaribus congressionibus factum, non pertinuisse ad exitium urbium, Regni, vel subditorum; sed ad conservationem fidei, Religionis avitæ, & Reipublicæ Gallicanæ. Et si rebus Hispanicis tantum studuissent, quantum tu fingis; si toti mundo leges dedissent, ùt ais; si ea voluntate fuissent, qua tu illos fuisse mentiris, si tanta illorum potentia, quantam tu verbis magnificis intonas, nónne Galliæ regnum Hispanis tradere potuissent, ut voti sui, quod toties exagitas, participes fierent, aucta Hispaniæ Monarchia non modico sanè incremento? Sed nihil eorum, quæ comminisceris, ipsis in mentem venit. Regnum Galliæ, nunquam Domino nativo, Jesuitarum operâ spoliabitur; quòd si qui ex eorum numero coacti sunt, plus quàm lubebat, pro Ecclesiæ bono hujusmodi negociis sese immiscere, si item nonnulli in concionibus ad populum, ardore & dicendi contentione abrepti, longiùs extra terminos propositi thematis evagati sunt, excusationem merentur, præsertim apud illos, qui tam sanctè legem oblivionis se observaturos profitentur, ùt tu: nam affectio, quæ ex Religionis zelo & amore proficiscitur, præ aliis venia digna est, maximè quando in vitium agitur, non in personam, etiamsi pungatur persona, in qua est vitium. Qui vulnus accepit, patienter fert chirurgi ferrum & flammam; quia scit, sectionem & ustionem vulneri sanando adhiberi, licèt corpus, in quo vulnus, cruciet. Quòd si multis ex fœdere illo alia fuit in pectore mens, quàm in ore, si specioso Religionis prætextu, magis ambitioni & avaritiæ, quàm causæ publicæ & defensioni Catholicæ fidei servierunt & satisfecerunt, næ illi culpam castigabilem admiserunt. At Catholici re & nomine tales, qui in ea confœderatione nihil aliud propositum habebant, quàm Dei honorem, Religionísque & Regni conservationem & amplificationem; illi non modò apud Deum, sed & apud homines immortalem laudem consecuti sunt. Non enim per illos stetit, quò minùs Catholica Religio in Gallia stabiliretur, hæresis profligaretur, Galliáque Regem Christianissimum, & pacificum in throno regio conspicaretur.

CAPUT LVII.

Jesuitas nunquam fuisse suspectos de seditionibus.

G Cæterùm si Jesuitæ natura sua tam seditiosi, & tanti Reipublicæ turbatores essent, in gratiam Monarchiæ Hispanicæ, fuisset jam dudum ea de re querela, vel saltem suspicio exorta aliis itidem in regionibus, ubi similiter, ùt in Gallia, *Regis Philippi negotia curant*, ùt tu dicis. At nullus Principum Magistratuúmve Catholicorum unquam extitit, qui Jesuitas non agnosceret pacis quàm maximè amantes, fideles subditos, divinísque & humanis legibus diligenter obtemperantes. De Regibus H Galliæ nominatim, quàm Societatem probaverint, amaverint, ejúsque usi sint operâ, jam suprà diximus. Carolus IX. Rex hæreticis infestissimus & infensissimus benevolè Jesuitas complectebatur; quos etiam in domo sua regia, quam *Louvre* vocant, de rebus divinis verba facere voluit, eosdémque

Joan. Maldonatus Hispanus jussu Regis Caroli concionatorem

A egit Parisiis in domo Regia 1570.

sæpiùs emisit in varias Galliæ partes, ut hæreticos ad saniorem mentem reducerent. Ipse anno Domini M. D. LXIX. Concionatores ex eadem Societate justo numero Pictavos & ad vicinas urbes misit, ut verbi divini illis in locis sementem facerent, inter quos fuit etiam Odo Pigenatius, quem tui semper in calumniando similis, *Tigrim* appellas: nam Parisiis non nascuntur tigrides, nisi qualis tu. Ipse est, qui diplomate regio fundationem Collegii Burdegalensis confirmavit & ratam habuit, non obstantibus cunctis hæreticorum machinis, quibus Blesis fundationem illam irritam reddere conabantur.

B Qua item charitate Rex nuper mortuus eandem sit complexus, jam suprà tibi indicavi. Fieríne ergo potest, ut Jesuitæ ab istis Regibus, illorúmque Antecessoribus, qui eos Regno & civitate donârunt, habiti sint Regni perturbatores? Tamdiúne fraudes & tam pernicioſæ technæ in occulto latere potuissent? Num impunè tanta scelera deprehensi tulissent? Quòd si tunc his facinoribus affines non erant, num fieri potuit, ut tam brevi tempore tam mali fierent, *cùm nemo repentè malus fiat*, multò minùs pessimus, & toto corpore vitiosus? Sed tu hæreticorum more turbationem quietis vocas *expugnationem & obliterationem vitiorum, infidelitatis & hæreseos*: seditiosos & pacis perturbatores nominas eos, qui concionantur contra facinorosos & flagitiosos, atheos, hæreticos & Machiavellistas. Convenienter huic tuo judicio Jacobus Comoletus est seditiosus, quia doctrina & eloquentia sua ictu lethali hæresin tangere novit, ut vivificet hæreticum. Eadem causâ, turbulentum vocas Bernardum Roillet, quem utilitatis & emendationis tuæ gratia, optarem frequenti confessu, vel unius horulæ spatio verba ad te & de te facere; Crede mihi, egregiè suo fungeretur munere, téque insigniter exciperet, licèt oleum & opera perdenda essent. Denique omnes Catholicæ Religionis studio inflammati, omnes boni concionatores, tuo judicio, sunt perturbatores funesti. Quare mirandum non est, si aculeos amentiæ tuæ in Jesuitas expromas tanta verborum acerbitate adjuncta. Sed bene habet: nudæ & meræ sunt interrogationes & phrenetici cerebri deliramenta.

C Qui sint seditiosi, judicio Arnaldi.

D Ejusdem farinæ est epistola scripta ad Regem Hispaniæ, quam magna sermonis insolentia jactas, ratus, te jam obtinuisse victoriam, perspicuóque argumento demonstrâsse, Jesuitas Hispanis vendidisse Galliæ regnum. Ista epistola fauces tibi elidit; debétque tibi, si sapis, æternum silentium indicere. Ais, *epistolam hanc scriptam Parisiis, & inde in Hispaniam perlatam operâ cujusdam Patris Matthæi Jesuitæ, qui conscius fuerit conatuum & machinationum Regis Philippi.* Mones, *ut diligenter notetur tempus datæ epistolæ, quod est secundus dies Novembris anni M. D. LXXXXI.* At Jesuitæ tibi respondent, P. Matthæum Jesuitam mortuum esse Anconæ Anno M. D. LXXXIIX. nec alium sese habuisse aut novisse Parisiis ejus nominis aut cognominis; si iste tunc resuscitatus est ante generalem resurrectionem, si equo Pegaseo Ancona in Hispaniam volavit, ut causam Regis ageret, si Lutetiam venit acceptum istam epistolam, grande meritò censetur miraculum: sed si non est excitatus à mortuis, magnus utique impostor & sycophanta es, præsertim cùm ille Matthæus nunquam, dum viveret, Hispaniam viderit. Auctores, à quibus figmentum hoc accepisti, fefellerunt te, miser Arnalde, fuit quidam Pater Matthæus Hispanus, sed non Jesuita, cujus epistola intercepta, sed cùm mendaces illi impostores cuperent à te Jesuitas atrociſſimo mendacio onerari, hoc tibi suggessérunt, ósque tibi adeò diduxerunt, ut impostorum asini instar frenis coërcendus sis, si quis te, dum loqueris, in officio continere velit.

E Impudens mendacium Arnaldi de epistola ad Regem Philippum.

CAPUT LVIII.

Jesuitas non esse reos læsæ majestatis. F

A Republica Jesuitarum seditionibus turbata, gradum facis ad crimina læsæ majestatis: hæc accusatio si probatione non destitueretur, reliquis omnibus validior, & ad id, quod contendebas efficiendum, efficacior, & ad Jesuitas communi omnium mortalium odio gravandos, & exilio sempiterno mulctandos accommodatior esset. Nihil est in terris augustius, nomine & majestate regia, nihil, quod summos & infimos tantum ad vindictam incitet, quantum scelus in Regem vel animo conceptum, vel opere perfectum. G Regibus deferri jubent leges divinæ reverentiam, observantiam, obsequium, gravi in pervicaces & parere nescios pœna constituta. Humanæ leges nusquam magis rigidæ & severæ, quàm hic. Puniunt tanti criminis reum & vivum & vita functum, nec in ipsum duntaxat hæc pœna expetit, sed & in fortunas illius, in conditionem & statum, in conjugem, in liberos sine exceptione & venia. H De liberis quidem hujusmodi homine prognatis, Lex ita edicit: *Sint postremò tales, ut eis perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium.* Quamobrem si Jesuitæ tam immanium criminum legitimè convicti fuissent, meritò te procurante pœnas illas Legum severissimarum expendissent, meritò in odium immortale populi incurrissent, meritò in offensam omnium Principum & optimatum incidissent, tibíque

L. Quisquis. C. ad L. Jul. Majest.

Ibid.

A bíque fidelis ſubditi & integerrimi cauſidici laudem & gloriam comparâſſes: Sed cùm Jeſuitas nulla probatione tantorum ſcelerum poſtulaveris, jure optimo inter perverſiſſimos & improbiſſimos adulatores & calumniatores collocâris. Tam ſacræ, quàm profanæ hiſtoriæ docent, atrociores calumnias adverſus viros probos excogitatas, omnibus ſeculis ex hac officina profectas, & ſuper hac, ut ita dicam, incude fabricatas & dedolatas. Omiſſis exemplis profanis, unum aut alterum ex ſacris literis ſeligam.

Unde calumniatores materiam criminandi petant.

B Doëg impoſtor magna auctoritate in aula Saulis, Davidi & Achimelech ſummo Sacerdoti perniciem ſtruens, hoc artificio uſus eſt, perſuaſo Rege, quòd ſuo capiti inſidias tetendiſſent: Rex accerſito in Regiam eodem Achimelech Sacerdote comitantibus illum octoginta quinque Sacerdotibus Levitici generis, omnibus Ephod lineo veſtitis: *Quare*, inquit, *filì Achitob conjurâſti adverſum me, tu & filius Iſai? Morte morieris tu & omnis domus patris tui*, occlusísque ad omnem rationem & excuſationem auribus, trucidari juſſit Sacerdotem cum toto comitatu & cognatione ſua, & quidem gladio illius, qui jam anteà ſpiculis linguæ ſuæ eoſdem peremerat, & impiè infamârat: Satellitibus Saulis tam nefandum facinus aggredi detrectantibus, ne ſeſe Sacerdotum ſanguine contaminarent. Eadem crudelitate ſæviiſſet in ipſum Davidem, ſi quo caſu in manus ejus incidiſſet.

1. Reg. 22.

C Nec abſtinuit ſimili fraude Aman, quando in animum induxit, totam Judæorum gentem ex Aſſueri regno exterminare, ſic Regem affatus: *Eſt populus quidam in regno tuo novis utens legibus & cæremoniis, & quod pejus, Regis ſcita contemnens, non expedit regno tuo, ut per licentiam inſoleſcat: decerne, ut pereat:* Promulgatum eſt edictum, ſed, quod bene vertit, in exitium auctoris, calumniatore ſuſpenſo, & innocentibus liberatis. Ex potiſſimis perſecutionibus, quas dæmon contra Eccleſiam vix ex incunabulis egreſſam excitavit, illa fuit, cùm Chriſtianos traduxit tanquam juratos & capitales hoſtes Imperatorum, omnísque Majeſtatis & Dominationis. Non ignorabat va-

Heſter 3.

Tertull. in Apolog.

D fer ille & callidus artifex, ſe concitato in Chriſtianos ſupremo omnium Magiſtratu, talem machinam adhibere, cujus violento impetu non longo pòſt tempore concidérent, & funditùs ſubruerentur. Si palàm fecero, te tibi imitandos propoſuiſſe, imò longo intervallo ſuperâſſe Doëgos & Amanos, falsísque criminibus Jeſuitas à te oneratos eſſe, tum totus orbis agnoſcet, te in hac accuſatione verum fuiſſe dæmonis organum, ſicut illi fuerunt, filios Dei infectando, téque mercedem Amani promeritum, & omnia illa ſupplicia, quæ reis læſæ majeſtatis, Regúmque interfectoribus decreta ſunt. Sed nunc accuſationis tuæ capita examinemus.

E Prima tua probatio fuit, quòd Frater Clemens priùs animum apùd Jeſuitas confeſſione expiârit, quàm Regem è medio tolleret. Nullus unquam extitit, cui hoc vel per ſomnium occurrerit, tantum abeſt, ut quis id affirmârit, cùm à vero ſit alieniſſimum. Nam quilibet Religioſus confitetur illis, qui ſunt ſui Ordinis, ſatísque multi erant docti & bonæ conſcientiæ viri in illa nobili familia S. Dominici, ut neceſſe non fuerit, Jeſuitarum operâ uti. Hîc quidam amicus tuus, qui meliùs novit Religioſorum leges, monuit te, ne hoc mendacium typis mandares; ſufficere enim, quòd evulgaveris januis clauſis; prudentérque feciſti, cùm ejus conſilium ſequi, & tuo ſilentio linguam tuam condemnare voluiſti.

Quomodo probet Arnaldus Jeſuitas eſſe reos Majeſtatis.

Mendacium, cujus ipſum Arnaldum puduit.

F Secundò, ut probationi tuæ fundum & fundamentum ſubſternas, argumentaris ex Jeſuitarum legibus, quos in *Summario* ſuarum Conſtitutionum pag. 308. tui exemplaris impreſſi, hæc verba habere dicis: *Tyrannos aggredientur*, quod, te interprete & gloſſulario, nihil aliud eſt, quàm toti mundo interitum & perniciem extremam moliri. Reſpondeo paucis, te mendaciis impudenter habenas laxare, neque, quid ſit iſtud *Summarium* Conſtitutionum, nôſſe, niſi ex aliorum ſermone. Hoc Summarium quacunque editione non conſtat pluribus quàm triginta paginis, & communiora exemplaria tantùm ſeptendecim: ducentos igitur & ſeptuaginta octo numeros G libro jam finito non ſine grandi mendacio adjicis: vix reperias quantumvis agilem, qui tam expedito ſaltu lineam præfixam tranſiliat. Sed hic eſt eloquentiæ tuæ impetus, qui te toties extra veri rectíque metas abripit. Prætereà dico, *Tyranni* nomen in toto Conſtitutionum *Summario* nuſquam legi, & licèt ibi reperiretur, quid argumenti inde tibi ſubminiſtraretur? Nomen *Tyranni* non pertinet ad Reges, maximè ad Reges Chriſtianiſſimos Galliæ: His addo, auctorem illorum verborum non H eſſe Jeſuitam, ſed Juriſperitum commentatorem Bullarii Lugduni Anno M. D. LXXXVIII. excuſi, qui ſcribens ſuper Bullam Pauli III. occaſionem ſumit laudandi iſtam Societatem. Nec ſignificant verba illa, quod tu finxiſti, ſed Jeſuitas eo modo aggredi Tyrannos, quo Sancti Martyres, & alii olim zelo chriſtiano ardentes eoſdem aggrediebantur, deteſtando videlicet & extirpando idololatriam, paganiſmum, immanitatem barbaram, & id genus alia vitia. Hoc modo S. Joannes Baptiſta aggreſſus eſt & redarguit Herodem, & alii alios Reges & proceres, & improbitatis quaſi antiſtites. Hoc ſenſu protulit verba iſta Juriſperitus ille, cùm recitaret, quid Jeſuitæ ſub initium ſuæ Societa-

A tis egerint contra Lutherum & Hæresiarchas, Tyrannos fidei Catholicæ, in quos irruebant & insiliebant armis spiritualibus. Quo loco malitiosè commutâsti tempus præsens in futurum: nam in Commentario habetur: *Aggrediuntur;* sed tu ut verba stilo legis accommodares, & impostoræ tuæ vim adderes, posuisti *(aggredientur)* Accipe verba Petri Matthæi in illam Bullam. *Dum superseminat inimicus homo zizania, adsunt divino pnevmate acciti Patres Societatis Jesu, qui Petri sedem illustrant, in Lutherum arma divini eloquii parant, Tyrannos aggrediuntur, lolium ab agro Dominico evellunt, & fidei Christianæ præclarissimi buccinatores verbo & exemplo cunctis prælucent. Interèà* (inquit) *dum inimicus homo* (videlicet Lutherus homo terrestris, & instrumentum spiritus maligni, veriùs hominum inimicus) intereà, *dum lolium seminat*, adsunt Patres Societatis JESU divino spiritu acciti, qui S. Petri sedem illustrant, sumunt arma verbi Dei contra Lutherum, Tyrannos aggrediuntur, evellunt lolium ab agro Dominico, & tanquam præclari buccinatores fidei Christianæ omnium primi sunt verbo & exemplo vitæ. Perpendas igitur apud animum tuum, si recta mens & judicium sanum, quanta sit tua impudentia & malitia, dum hoc loco hujus Doctoris abusus, probare contendis, Jesuitas inter suas regulas unam habere, quæ sit de Regibus perimendis. Nónne furiis afflatus in illam apostrophen prorupisti?

Summa improbitas Arnaldi.

Petrus Matthæus J. U. D. in Summa Constit. SS. PP. in Bulla 3. Pauli III.

B

C *Quid nunc Reges ac Principes terræ? Estné, quòd amplius securi degatis, & à metu percussorum, sive in aularum vestrarum penetralibus, sive inter apparitorum satellitia, si diabolicum illud dogma, quódque infernus è penito suo evomuit fundo, hominum animis porrò influat? Non est sanè: at interim tamen illud ipsum iisdem inculcant, instillántque Jesuitæ per auriculares suas confessiones, & cur non? cùm vel ei rei regularum suarum vi tantùm non obligentur, quarum una habet, Tyrannos aggredientur, lolium ab agro Dominico evellent.* Si ipse Cacodæmon orationis aliquam seriem & contextum depravare voluisset, equidem deteriùs & sceleratiùs id non fecisset. Bone Deus, quanta vocis laterúmque contentione exclamâsses, qualia glossemata nobis attulisses, si in Summario Constitutionum Jesuitarum legisses, Reges Christianissimos esse *asinos, mimos*, & *bruta animalia*, deturbandos de throno, nisi *conscientiæ libera frena permittant; & nisi cæremonias Ecclesiæ aboleant, non honorandos; sed sputis complendos esse.* Sed dic, oro, vellicabátne animum tuum scrupulus aliquis, vel potiùs habebásne oculos, quando legebas Commentarium illius Jurisconsulti? Num judicium tuum hypothecæ loco alicubi oppigneraveras, quando locum hunc afferebas, minimè advertens, fraudem ab aliis notatum iri? Cur non repetivisti, ut eo in re tanti ponderis utereris, pulchrioribúsque coloribus figmentum tuum fucares? neque absque judicio libellus supplex offerendus erat. Hinc nihil effeciśti, cùm ubique dixeris & scripseris absque judicio.

D

Calvini verba.

E

CAPUT LIX.

De Barierio, qui Regem occidere voluit.

F TErtium argumentum, quo idem crimen probas, constat testimonio Barierii, qui Meloduni Capitali supplicio affectus est, argumentum hoc judicio tuo firmissimum est ad expugnandum Jesuitas, tuúmque tormentum bellicum vel præcipuum, vel ex præcipuis, quod tamen comminuere, clavísve obturare, vel potiùs in te directum explodere, nullius erit negotii. Nam confessio Barierii, si verè commemoretur, impostoræ te arguit, Jesuitásque ab omni criminis suspicione absolvit: Barierius dixit, *se petiisse consilium à Jesuita super eo, quod in pectore jam dudum volutabat.* Non nego. Accessit ad Varadium Jesuitam Parisiensem, à quo etiam tanquam mentis impos maxima vultus & sermonis gravitate rejectus est, ita, ut ne aures quidem confitenti dare voluerit. Illud etiam G verum est, quod tu callidè dissimulâsti, Barierium istum quibusvis passim consilium suum patefecisse, ut, quid sentirent, exploraret, & Lugduni pridem anteà Theologos, ut eorum sententiam audiret, ultrà Ararim evocâsse, quo in cœtu nullus Jesuita comparuit. Verum prætereà est, eundem Barierium ibidem in templo S. Pauli justa funebria solenni ritu & pompa sibi persolvisse, relicta in eadem urbe sua tessera, armísque velut trophæis speratæ victoriæ suspensis. Verum denique est, Barierium fassum, facinus meditatum sibi à Jesuita quodam Lugdunensi fuisse dissuasum. Quæ omnia vanitatem tuam egregiè produnt, & innocentiæ eorum, quos tanta verborum acerbitate & petulantia reos facis, luculentum testimonium præbent.

H

Porrò quamvis Barierii confessio Jesuitas vehementissimè premeret (quod tamen non est ita) minimè tamen sufficeret ad integram probationem, & ad illas pœnas stataendas, quas expetis, cùm vi tormentorum fuerit expressa; nihil minùs tutum, quàm testimonium ejusmodi conspirationum ex sapientum sententia, & ex ipsarum Legum mente. Nihil facilius, quàm ut ejusmodi homines auribus serviant, dicántque, quod auditu gratum fore credunt. *Illa tormenta*, ait Cicero, *gubernat dolor, moderatur natura cujusque tum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.* Si Barierius animadvertens quæsitoribus acceptum esse, si ali-

Cic. pro Syll. Arist. 2. Rhet. c. ult. Quint. lib. 5. init.

A si aliquid adversus Jesuitas elicerent, multò plura dixisset, quàm dixit, mirísque accusationibus Jesuitas onerâsset, ut se cruciatibus illis expediret; num propterea fides ei adhibenda esset, perinde ac oraculo cuidam divino & testi bonæ mentis & maturi judicii? Imò licèt Jesuitarum aliquis Barierium ad facinus illud consilio suo exhortatus fuisset, num propterea contra omnes alios exilium aut exitium conclamandum esset, cùm ex Jesuitis nonnulli Barierium ab incepto dehortati sint, aliorúmque nemo inveniatur, qui consenserit? ánne propter unius noxam quingentos proscribere & punire liceret, si extitisset Jesuita, qui proprio Marte hoc aggressus fuisset; si aliquis Frater Clemens Jesuita in ipso actu deprehensus fuisset, quantis & quàm immensis clamoribus descripsisses, proscidisses, dilacerâsses, & exterminâsses Jesuitas ex toto terrarum orbe? Quàm impotenter in Jesuitas invectus fuisses ejusmodi munitus præsidiis ad probandum crimen læsæ majestatis, cùm adeò insolescas solis accusationum umbris, ex delictis aliorum desumptis, & omni probatione destitutis?

B Cæterùm ut argumentum hoc ex confessione Barierii petitum corrobores, producis exemplum Religiosorum *Humiliatorum*, qui in Italia fuerunt extincti, sed exemplum dissimile. Causæ, cur fuerint deleti, recensentur in Bulla Pii V. Erant enim *rebelles, regularum minimè observantes, impœnitentes, & deploratæ improbitatis: conspiraverant in necem Ordinarii sui, Protectoris & Reformatoris, latrone, qui Cardinalem glandibus ferreis trajicere conatus fuerat, capto, qui & conjurationem detexit, singulorúmque factionis capitum nomina detulit, non negantibus crimen suum iis, qui denunciati fuerant.* Profer simile quid de Jesuitis; si potuisses, non abstinuisses. Quamobrem comparatio, quam instituis, & præsidium, quo te munis, rubore te suffundat oportet. Nam magnæ ignorantiæ, parísque nequitiæ argumentum est, homines adeò vita & moribus diversos, ad eandem pœnam stentoreis vocibus deposcere, præsertim cùm probare nequeas, tali pœna dignos esse. Ecce quomodo balista illa tua & catapulta pro Jesuitis in te pugnet, non sine clade tua. Nam quæ hîc attuli, jure tibi adimunt omnem fidem; quis enim tibi imposterum credat, cùm à Jesuitis Reges interemptos esse mentiris? Nam ùt in Lege: *Qui semel malus est, semper præsumitur esse malus:* ita etiam, qui semel mendacii & calumniæ convictus est, meritò semper calumniator & mendax habetur: At tu sæpiùs in mendaciis & calumniis manifestissimis deprehensus es, & toties, quoties variis de rebus agens varia argumenta proposuisti, & Invectivam quidem tuam in consessu Judicum recitatam, tanta mendaciorum & criminationum copia aspersisti, vel potiùs perfudisti, ut in adversariis & schediis tuis multas calumnias coactus fueris sepultas relinquere, minimè typis vulgare ausus. Nam Jesuitas de multis accusabas, quæ refutare in præsenti nolo; satis enim silentio & tuo proprio testimonio refutata manent. Mentiebaris, Jesuitas veneno peremisse fratrem Regis, qui nuper vivendi finem fecit. Sed hoc tuum commentum tenebris perpetuis occuluisti, ùt & illud de Principe Auriaco, quem dicebas à Jesuitis interfectum. Illud etiam figmentum de Mauricio ejusdem Principis filio, cui similiter insidias à Jesuitis structas mentiebaris, in publicum non prodiit, sed intra privatos parietes conclusum mansit. Illud de Regina Angliæ alio colore depinxisti in edito libro, quàm in Curia & foro. Prætermisisti etiam confessionem Fratris Clementis, ùt suprà monui. Hoc silentium, & hæc oris, & calami varietas perspicuè docent, te natura chamæleontis præditum, omníque fraudis & deceptionis genere excellenter instructum. Veritas simplex est & uniformis, & semper eodem & quidem constanti pede incedit sine mutatione aut contradictione, semper sui similis. E F

CAPUT LX.

Refellitur calumnia de morte Sebastiani Regis Lusitaniæ.

G POstquam omnes tuas merces tanto conatu in Gallia passim collectas exposuisti, regno exis, & ùt ille calumniator Jobi terram circuis, & à polo arctico ad antarcticum, ex Oriente in Occidentem te transfers, & sine Regis Catholici literis, imò sine Inquisitionis metu Hispaniam peragras: adeò in Jesuitas excanduisti. Absolutis peregrinationibus, & tam immensis itineribus confectis receptui canis, & actionem tuam mendaciis & figmentis pertexere pergis. De Lusitania principio commemoras, *à Jesuitis Sebastianum Regem interfectum, ut in regnum ejus succederet Rex Philippus: suasisse enim, ut susciperet Africanam expeditionem, in qua occubuit.* Ista accusatio, Arnalde, eminet inter calumnias tuas, sicut colossus inter pyramides: sed eò facilìus sternetur humi, quò minùs solido fundamento nititur. Quam causam, quod argumentum, quam conjecturam adfers, ut vera probes esse, quæ dicis, præter simplicem tuam Narrationem, & Ministrorum criminationes, quibus tuum guttur infersisti? Vísne semper sine probationibus & testimoniis loqui? Vísne semper, ut simplici tuæ asseverationi fides adhibeatur non secùs ac carminibus Sibyllinis, aut ut oraculo cuidam è tripode profecto? Niterísne auctoritate alicujus ex Lusitanis? nam isti rem accuratè nôrunt, & enarrare possunt. Inter Lusitanos nemo unquam extitit, qui causam hujus cladis Jesuitis adscripserit: Inter Lusitanos, inquam, qui

Job. 1.

Calumnia de occiso Lusitaniæ Rege.

H

Cur Ordo Humiliatorum extinctus.

C

D In 6. de Reg. Juris. Reg. 8. 22. q. 5. C. Parvuli.

A qui Reges ſuos maximo amore ſemper complexi ſunt: & tu homo Gallus rerum Luſitanarum planè ignarus non vereris illud aſſerere? Acutiúsne vidiſti per rimulam januæ clauſæ trecentis milliaribus diſtantis huius facti veritatem, quàm Principes & Proceres Portugaliæ, qui individui comites ſuo Principi adhærebant, quod quidem ad mendacia tua refellenda ſatis ſupérque eſſet: addo tamen, iſtam calumniam non ſolùm nullam veritatis umbram habere, ſed etiam prorſus repugnare naturæ & rationi, nullúmque niſi de ſtatu mentis dejectum, tam immane B mendacium fingere poſſe. Jeſuitæ enim nullis Principibus plus amoris, officii, cultus & obſequii debuerunt, quàm Regibus Luſitanis, quos etiam ad immortalitatem evehere debebant, ſi hoc humanæ opis eſſet: generatim quidem propter eximiam Regum illorum pietatem, ſtudiúmque ardentiſſimum promovendæ ubique terrarum Chriſtianæ & Catholicæ fidei: ſpeciatim verò, quòd ab his pluribus beneficiis cumulati ſint, quàm à quovis alio Principe. Nam Reges Luſitaniæ primi omnium Jeſuitas ſedibus exceperunt, & tam in Europa, quàm in India, ad animarum ſalutem procurandam adhibuerunt: primi fundârunt Collegia C munifico quotannis proventu: primi liberos ſuos, Regníque nobilitatem literis & moribus erudiendam Jeſuitis commiſerunt. Præter has cauſas propria quædam & peculiaris erat, cur Regem Sebaſtianum unicè colerent & diligerent: à puero enim educatus, & ab ipſis inſtitutus adeò eos amabat, & viciſſim ab illis obſervabatur, ut vulgus paſſim diceret, futurum aliquando, ut fieret Jeſuita. Stolidiores igitur & ſtupidiores ipſis brutis animantibus Jeſuitas fuiſſe oportuiſſet, ſi tantum facinus deſignâſſent, & horribiliores omnibus monſtris, quæ D Africa monſtrorum fœcunda parit. Quòd ſi natura nihil progenerat, niſi interventu cauſarum idonearum, agnum ove, & non lupa; leonem leæna, non ove; calorem igne, non aqua; & ſi hominum actiones eodem modo ex cauſis ſuis exiſtunt, facinora immania ex odio immani, ingentia furta ab eximiis furibus, uno verbo, magna ſcelera à valde ſceleratis & improbis, qua ratione cogitare potes, quo ore dicere, Jeſuitas trucidâſſe Regem, qui illos amabat, tuebatur, & tam tenerè complectebatur, cui tanquam inſigni benefactori ſuo ſerviebant, quem ùt patrem obſervabant, & tanquam Regem ſuum reverebantur? An non hoc eſt, procreare aquam ex igne, tigrim ex ove, & parricidium ex amicitia? Quid hoc aliud, quàm mortales & immortales, ſuperos, medios & inferos ludificare, tam ſplendidè mentiendo & criminando, non allata ulla voluntatum commutatione, nulla odii cauſa, nulla ſpe majoris utilitatis, nulláque ratione veriſimili?

Dices, auctores illi fuiſſe, ut bellum Africanum ſuſciperet, trajecto in Africam exercitu. Sed quibus auctoribus hoc dicis: Miniſtrísne? At neque tibi, neque Miniſtris quiſquam, multóque minùs Jeſuitæ credere debent, qui reſpondebunt, Regem illum habuiſſe ſuos Conſiliarios, à quibus belli ſuſcipiendi & gerendi rationem exquirere, eorundémque conſilio copias navales cogere, Reges Punicos invadere, & omnia illa, quæ ad Martem ſpectabant, curare poterat: at Jeſuitarum muneris nihil aliud eſſe potuit, quàm belli juſtitiam & æquitatem docere: ſed faciamus, pronunciâſſe juſtum bellum eſſe, vocemúsque hanc ſententiæ declarationem conſilium, quo motus fuerit Rex ad expeditionem proſequendam, num propterea cenſeri debet conſilium malum & pernicioſum, ob malum & pernicioſum eventum? Num propterea cenſendi ſunt Jeſuitæ ſuo F illo conſilio Regem neci dediſſe, & tam funeſtæ cladis auctores fuiſſe? Haud decet conſilium metiri exitu: nam rectum conſilium ſæpè deſinit in finem flebilem, nec tamen idcirco deſinit eſſe conſilium rectum & laude dignum, multò minùs ſceleratum eſſe incipit. Qui S. Ludovico ſuaſerunt, ut trajiceret in Africam, ubi diem ſuum objit, num accuſantur à Gallis tanquam auctores mortis illius? minimè: ſicuti neque Jeſuitæ à Luſitanis, quos à te accuſari par non erat, etiamſi aliqua ſuſpicione hac in re laborâſſent.

CAPUT LXI.

Refutantur aliæ calumniæ ex Luſitania ab Arnaldo allatæ.

G EX eodem regno aliam calumniam affers, Jeſuitas videlicet elaborâſſe, ut Dominus Antonius ex Luſitania ejiceretur: *Adeò proſperè*, inquis, *ſuſcepto fungebantur munere, ut ſtatim ab ejus morte Antonius electus creatúsque Rex, habitúsque pro tali, ab omnibus planè Regni Ordinibus, toto ejiceretur continenti, concitatis in ipſum uno codémque die, inaudita ſanè defectione, portubus omnibus maritimis, adeò quidem, ut cogeretur diſſimulato habitu ſupra 400. milliaria pedeſtri facere itinere.* Te ipſum deH ſtruis & perdis Arnalde in iſtis locis incognitis, & ſemper profundiùs delaberis in nova mendacia. Jeſuitæ vocationis ſuæ memores, controverſiam de ſucceſſore Regni nunquam fecerunt ſuam, neque Antonius de Jeſuitis hac in parte conqueſtus fuit, imò Hiſpani ſuſpectos habuerunt nonnullos Jeſuitas velut fautores Antonii. Impoſtura igitur eſt & ſycophantia id, quod ſcribis; quemadmodum etiam craſſam ignorantiam olet, quod refers de quadringentis milliaribus confectis ab Antonio per continentem verſus mare.

A re. Nam Lusitania magnitudine Aquitaniam non æquat, & à Meridie ad Septentrionem non potest habere centum & 42. milliaria, ab Oriente ad mare non habet 62. etiamsi distantia sumatur à meta remotiore. In qua regione igitur confecit pedes illa quadringenta milliaria & plura? Per agravítne uno mense totam Portugaliam bis aut ter, ut celeriùs ad mare perveniret, cùm rectà ire posset eò quinque aut sex diebus? An verò regressus est ad montes Pyrenæos, ad Orientem, ut navem conscenderet Ulissipone, quæ est ad occasum? Quanto tempore pedes confecit ista 400. milliaria, & quidem dissimulato habitu sub aliena larva? oportebat minimùm insumere 40. dies: nullóne modo potuit equum, solatium viæ & fugæ, tam longo temporis spacio sibi comparare is, qui Rex acclamatus & agnitus fuerat, ùt dicis, *à tribus Regni Ordinibus?* Quomodo pedes tantum itineris percurrit? Si dicis, per mare properando ad Terceras; admitto responsum, valde tamen mysticè & ænigmaticè loqueris, dum ais, Antonium eò iviſſe sine equo in navi: ut peditem eò iviſſe significes. Subtiliùs locutus fuisses, si dixisses, ipsum 400. milliaria confeciſſe equo ligneo. A vero enim alienum nihil dixisses, si navi insulas Terceras petiit, quin necessitatem & calamitatem profugi clariùs ob oculos posuisses, majore odio Jesuitis conflato, poëtásque in hoc dicendi genere patronos & auctores habuisses, qui dicere solent, Græcos, qui Trojam exciderunt, eò delatos ingenti equo:

Ignorantia Arnaldi cum calumnia.

B

C

Æneid. 2. *Instar montis equum, divina Palladis arte,*
Ædificant,

Ait omnium vatum præstantissimus: quid aliud indicatur, quàm numerosum exercitum ex Græcia magna classe ad Trojæ mœnia appulsum?

Post Lusitaniam advehis nobis haud exiguas merces ex insula Tercera, quam perlustrâsti somniando, passùs in itinere naufragium modici illius judicii, quod tibi adhuc supererat. En tua verba:

D

Verba Arnaldi. *Pro Rege Antonio*, inquis, *stabant adhuc insulæ Terceræ quantivis hercle illæ momenti. Incolæ quidem omnes, Religiosi omnes, Franciscani, aliique summam Regis præ se ferebant observantiam ac reverentiam: solùm Jesuitæ, quorum instinctu reliqua regni defecerant fulminare verbis in Gallos, & extollere Regem Philippum. Quid deinde? Cùm debuissent seductores isti in circumfluentem abjici Oceanum; sin minùs, certè cunctis ejici insulis: satis visum fuit supplicii, si valvis obstructis suo includerentur Claustro. Hæcq; ut gesta sunt, prolixè deducuntur in historia, quæ Genuæ edita. At quid Jesuitæ posteà? Ut visus venisse opportunitatis articulus, nocte intempesta portas obstructas demoliuntur, hiatuì autem opponunt sanctum illud Sacramentum altaris, deridentes nimirum Deum Opt. Max. abutentes sacris mysteriis, pro flabello seditionis.* Tandem postquam Jesuitarum impulsu & hortatu copias Antonii profligatas, & 500. Franciscanos neci datos finxeras, his verbis fabulam finis: *Ecce nobis præcepta Jesuitica: Occidite, trucidate, strangulate, excarnificate.* Mira ubique est animi & linguæ tuæ improbitas & petulantia; mira calumniandi & criminandi impotentia. Si Summarium Constitutionum Jesuiticarum legeras; ut quidem legisse videri cupis, meminisse debebas illius Regulæ: *In Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis; quæ esset fortassis inter Principes vel Dominos Christianos; sed sit potiùs quidam universalis amor, qui partes omnes (licèt sibi invicem contrariæ sint) in Domino complectatur.* Quam Regulam si Jesuitæ diligenter observârunt; ùt ego quidem minimè dubito, quomodo probabile fit, Jesuitas in Gallos & in Dominum Antonium verbis fulminâsse? Jesuitæ suas partes non interponunt; cùm de Regnorum successionibus certatur; sed illud unum à Deo precibus contendunt, ut ille rerum summæ præficiatur, à cujus parte stet æquitas. Deindè peto abs te, ut paulò explicatiùs nobis declares, in quanam Historia id, quod tu hîc affers, legeris. Fortè in illa, quæ ex cerebri tui officina prodiit. Hoc ut suspicer, facit cùm tua in hoc genere incredibilis commentandi industria, qua nemini facilè cedis, tum Historia de rebus Lusitanicis, Italicè edita, quæ longè aliter, quàm tu de Jesuitis loquitur, & quantas injurias pertulerint in Collegio Angrensi, quod in Insulis Terceris habebant, disertè exponit. Quid verò ageres, si una negatione omnes calumnias disjicerem?

E

F

Nihilominus, posito, Jesuitas ibidem Collegium habuisse, quódque illis isthic degentibus Tribunus militum Strossius cum Gallis invasisset illius insulæ incolas, quid propterea probabilitatis inest in eo, quod fingis, Gallos victores & superiores inclusisse Jesuitas quatuor muris, Jesuitásque se ex carcere eripuisse, captósque capi non potuisse? Quibus munitionibus, quibus armis & subsidiis, quo impetu & assultu effecerunt, ut victores succumberent victis, eventu planè inopinato & inexspectato? Si hoc nulla adhibita commemorabili causa accidisse dicas, oportet, ut fatearis, ingens à Deo pro causa Jesuitarum & innocentibus patratum miraculum, hostibus summo pudore affectis, quippe cœlitùs, non humanitùs devictis. Quod profectò abundè satis est, ut Jesuitæ hoc loco omnibus calumniis à te sparsis absolvantur.

G

H

Sed exposuerunt, inquis, *sanctissimum Sacramentum altaris ad excitandas seditiones.* Verùm hæc res neque ad seditiones exsuscitandas, neque ad tuas criminationes confirman-

firmandas valet. Est enim Sacramentum pacis & unionis: Si dixisses, Jesuitas ad arma conclamâsse, ad rapinas & cædes instigâsse, armatósque discurrisse, non parùm verisimilitudinis figmento tuo accessisset: sed ita agere & loqui, ùt tu agis & loqueris, nihil aliud est, quàm *Arnoldicè* agere & loqui: perinde facis, ac si diceres, Jesuitas seditionem excitâsse tunc, cùm in genua provoluti, pectora concutiebant, Deóque pro pace & salute communi supplices sese coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento prosternebant, quæ omnia à seditione concitanda, immanè, quantum discrepent. Dicere etiam, tumultus & turbas cieri tunc, cùm Sanctissimum Sacramentum populo adorandum exponitur, calumnia est hæreticorum & Machiavellistarum, quibus solenne, *seditiosum* existimare omne illud, quod ipsis displicet, etiamsi dictu factúque sit sanctissimum & utilissimum, quin eò miseriarum jam pervenimus, ut verba facere ex loco superiori contra hæresin, atheismum, hypocrisin, perjuria: orare item, confiteri, sodalitates instituere, supplicationes obire, oratoria piè frequentare, fœdera jungere Religionis tuendæ & propagandæ gratia, & id genus alia, judicio etiam illorum, qui Catholici videri volunt, licèt solo nomine tales sint, censeantur ad seditionem & ad eversionem & perniciem Reipublicæ pertinere, ut jam impleri videatur illud Isaiæ: *Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Ergo quando filii Israël pressi calamitatibus efferebant arcam fœderis, quando Summus Pontifex secedebat in tabernaculum, quando S. Bernardus manu tenens sanctissimum Sacramentum adjurabat Comitem Pictavensem schismaticum, ad seditiones signum edebatur? Supplicationes & processiones, quas instituerunt Catholici, & quidquid boni deinceps facient ad implorandum auxilium divinum contra fidei hostes, erit seditio, sententiâ istorum filiorum pacis? Profectò si in hanc partem omnia interpretemur, quæcunque sancta sunt, profana fient, pietas omnis suspecta, quodvis opus pium & præclarum, odiosum erit, arma spiritualia, quibus pugnat contra hostes Ecclesia, & pleræque cæremoniæ sepelientur & abolebuntur, ùt jam dudum Ministri optant; obliterandus erit funditùs cultus divinus, neque ampliùs sacrum faciendum, ne seditionis suspicionem commoveamus, uti Genevæ factum videmus, multísque locis Germaniæ, in Anglia & alibi, ubi facere sacrum, crimen læsæ majestatis reputatur.

Sed quid hîc vocas, *excitare seditionem?* Num militibus classicum canere, ùt Tribunum Strossium, qui cum suis in insulam penetrabat, fortiter repellerent? Sed hoc casu nihil opus erat cohortatione & celeusmate Jesuitarum; ipsa naturâ quemvis ad sui defensionem & propugnationem impellit, & milites non solent esse trunci, & caudices, sensus expertes, præcipuè tunc, cùm de capite & vita agitur. Putásne milites cædis & sanguinis sitientes passuros fuisse, compressis manibus, ut trucidarentur, nisi sanctissimi Sacramenti aspectu animum recepissent, & nisi Jesuitæ tanquam duces & ductores cohortium ponè sequentes effecissent, ut hostibus imperterrito pectore obviam irent? Putásne, opus fuisse oleum addere igneæ militum bili, ut irruentium adversariorum impetum reprimerent, séque suámque vitam in summum discrimen adductam defenderent?

Quingenti illi Franciscani trucidati, quingenta sunt mendacia, quinque verbis & paulò pluribus syllabis comprehensa. Vix arbitror in Oceano, qui illas insulas alluit, versari balænam tam fœcundam ovis, quàm tuum os mendaciis. Quamvis autem verum esset, peremptos fuisse, num propterea Jesuitarum suasu & impulsu id accidisset? Quale scelus, affirmare, interitum paratum quingentis Catholicis, quingentis Sacerdotibus, quingentis Religiosis? Ministri sunt, Arnalde, qui ejusmodi Catholicorum carnificinam & lanienam suadent & persuadent, qui Sacerdotes & Religiosos execrantur, persequuntur, infamant & trucidant. Nimis horribilis & prodigiosa est tua mentiendi & criminandi cupiditas: hinc opportunè mones, ut, te talia narrante, arrigamus aures: mira enim narras, & digna, quæ audiantur auribus arrectis, neque possent ingenium subire objectis clathris ferreis, multóque minùs foribus obseratis. Sed dolendum est, aures tam minutas, quales Europeis, non esse satis idoneas & patulas mirificis tuis istis narrationibus capiendis: Veterum Indorum auribus nobis opus esset, quorum altera utebantur loco lecti, altera tegumenti & straguli: ejusmodi auribus hîc opus esset, & quidem incrustatis munitísque, ut vocis tuæ impetum sustinerent, quæque os & foramen tam latum & hians haberent, quàm tormentum æneum grandius & vastius, ut figmentis tuis aditus & initus facilior & expeditior pateret. Hac rerum præclarissimarum narratione absoluta, lætum pæana canis, & ad solitas apostrophas & epiphonemata conversus, inquis: *Eja itaque insignis atque indomita Franciæ nobilitas, accingimini tandem & pergite porro non magis exercitus vestros jungere, quàm animos. Dicere solebat Alexander, Antipatrum quidem foris albere, at rubere tamen intus, &c.* Moves nobis risum, Arnalde: Nam tua insigni eloquentia & facundia, nobis ad vivum repræsentas Gallum Indicum, quando in regno suo in orbem sese erectis plumis circumagit, pavonis in morem.

CA-

B Fructus Machiavellismi.

Isaiæ 5. 1. Reg. 4. Guill. Abbas in vita S. Bernard. Theobald. Episc. in vita S. Guill.

C

D

E

F Immane mendacium Arnaldi.

G

Plin. lib. 3. cap. 13. & lib. 8. cap. 3.

H

CAPUT LXII.

Refelluntur mendacia ex India ab Arnaldo allata.

A SEd jam videamus, quid ex Indiis & Peru afferas, inde enim advolas, his verborum monſtris onuſtus: *At ſubjiciet aliquis, ut fortè Jeſuitæ Galliæ damni aliquid intulerint, certè Indis plurimùm profuerunt, multisque ibi claruerunt miraculis. Imò omnino, & nobis quidem valde notandis: quippe, qui ope Caſtilianorum ſuorum ferro & igni ultrà vicies centena millia innocentiſſimarum animarum peremerint; talium inquam, quas & ipſorummet hiſtoria agnellorum nomine inſignìit. Paganiſmi quidem fibras plerásque exſtirpârunt, ſed non, herclè, convertendis hominibus illis à Religione noſtra alienis, ſed eiſdem crudeliſſimè excarnificatis.* Hæc de Indiis. De Peru ſequentia. *In Peruana regione publico paſſim foro ergaſtula extruxerant, & ea quidem capacitate, ut mille ſimul facilè concluderent; ibi milites eorúmque lixæ ac caculæ fidiculis, equuleis, unguliſ, laminis candentibus, ſcuticis denique & omni tormentorum genere miſeros illos diſcruciabant, uti vel ſic theſauros ſuos ipſis patefacerent. Quare etiam iidem, ſi caſu quo evaſiſſent, petitis montibus, ſponte ſe dabant in laqueum, ſuſpenſis priùs aut ſuffocatis, eliſisque juxta ſe uxoribus ac parvulis liberis. Quin imò monſtra illa tyrannica non ſecùs ibi venationes inſtituerunt hominum, quàm apud nos ſolet cervorum aprorúmque, objiciendo homines canum inſtigatarum morſibus; ſed & tigribus objecerunt conſumendos, ablegantes mellis ceræq; inveſtigandæ cauſa in horrendos ſaltus: Tuberonibus item; dum margaritarum cupiditate, adigunt eos ferocientis pelagi maximè devios tentare ſinus.*

B

Obſerva lector impudentiam hujus forenſis rabulæ.

C Legiſtíne unquam hiſtoriam Indicam? Intellexiſtíne? an memoriæ mandâſti? Notâſti tempus? an perpendiſti, quid legeres aut diceres? Tam immaniter & barbarè in barbaros ſævitum non eſt, niſi ab anno M. D. XXIV. uſque ad annum M. D. XXXI. quo Carolus V. immanitati & ſævitiæ finem impoſuit, Reſcripto æquitatis pleno pro Indis dato. Oſtendi ſuperiùs, Societatem natam anno M. D. XL. ſi nondum erat anno M. D. XXIV. nec anno M. D. XXXI. quomodo poterat apud Indos tanta crudelitate in miſeros debacchari? Et licèt Jeſuitæ eodem tempore vixiſſent, incredibile tamen eſt, homines profeſſione Religioſos tam efferatos fuiſſe futuros, quàm tu illos depingis. Quòd ſi non ſufficit iſta præſumptio & opinio firmata ex hypotheſi, ſuffi-

D

Quando Jeſuitæ venerint in Braſiliam.

ciat experientia petita ab anno M. D. XLIX. quo in Braſiliam venerunt cum Luſitanis, quos nulla hiſtoria tam immanium facinorum inſimulat, qui etiam ſedecim plus minùs annis poſteà cum Hiſpanis in Peru, Mexicum & Floridam navigârunt, ubi non modò religioſiſſimorum, ſed & humaniſſimorum nomen & exiſtimationem adepti ſunt. Iſta enim experientia perſpicuè demonſtrat, meras fabulas eſſe, quæcunque hîc effutiviſti: nec extitit ullus Hiſtoricus, qui vel minimæ crudelitatis in Indos exercitæ Jeſuitas notet: Imò non pauci tuæ ſectæ crebrò commendant charitatem & ſtudia Jeſuitarum in illos Paganos. Qua igitur fronte, quo ſtilo, quo calamo talia chartis illinere audes? Qua mente dicis, Jeſuitas ultra vicies centena millia capitum innocentiſſimorum perdidiſſe? quæſtiones publicas exercuiſſe? venatum iviſſe homines, eo modo, quo itur venatum cervos? Perhorreſco perpendens improbitatem & nequitiam tuam incredibilem, ſtántque comæ, & vox faucibus intercluditur, dum hæc lego. Erátne hæc tibi ſcribenti contra Jeſuitas vis & facultas recipiendi animam, & reſpirandi? An non facies expalluit? An non ex manibus elabebatur calamus? An non in calamo exareſcebat atramentum? Hæc ſola de Indis narratio prodit, te hominem mendacem & ſycophantam eſſe mentis planè amentis & profligatæ, quique nihil penſi habeat ſcribere & dicere falſiſſima & turpiſſima, ſine reſpectu vel ſui, vel alieni honoris, dummodò calumniandi copioſa materia ſubminiſtretur.

E

F

Quando ſuprà mentiebaris, quingentos Franciſcanos operâ Jeſuitarum interfectos, exiſtimare quis jure poterat, te jam ad ſupremum mendaciorum quaſi culmen adſcendiſſe: ſed *plus ultrà* ſemper progrederis: à quingentis ad vicies centena millia procedis. Bone Deus, adeóne extra veri honeſtíque orbitam exceſſiſti, ut linguam laxares effutiendis tam manifeſtis calumniis & ſycophantiis in Jeſuitas? Omnium Hiſtoricorum & librorum monumenta quinque orbis partes, & totum noſtrum ævum laudant, prædicant, extollunt Jeſuitarum in convertendis Indis labores, ſtudium, & induſtriam ſuſceptam non ſine ingenti omnium Chriſtianorum gaudio & ſolatio. Et tu tam effrons es, ut te non pudeat tot & talia mendacia proferre in conſpectu totius orbis, quantumvis licet repugnante & tremente tua conſcientia? Novit & lætatur Japponia, Jeſuitarum ſudore, ultra vicies centena millia hominum ad fidem Catholicam converſa, & in præſenti iſthic pluſquàm quadringenta millia hominum in Chriſto per Baptiſma renatorum, vitam Chriſtianis legibus dignam agere.

G

Jeſuitarum in India labores & fructus.

Calecutii, ubi Cacodæmon aſpectabili forma ſeſe adorandum exhibebat, formâ adeò terrifica, ut vix ullo penicillo exprimi poſſet, multæ hominum myriades, ex faucibus ſæviſſimi illius Tyranni ereptæ, Chriſto jam ſerviunt, crucémque colunt, ido-

H

A lo eò, unde venerat, remisso. Goënsis etiam ora, quæ Franciſci Xaverii generoſi illius athletæ reliquias multis miraculis illuſtres poſſidet, Jeſuitis ſecundùm Deum ſuam ſalutem fert acceptam. Chriſtiani, Palæſtinæ, Græciæ, Ægypti, multarúmque partium Africæ, Jeſuitarum opem non modò ſenſerunt, ſed & paſſim prædicant. Polonia & maximè Cracovia Regni caput, videt & miratur Jeſuitas animabus ad obſequium Dei, non ad exitium capiendis ſemper intentos, hæreſibúsque expugnandis perpetuò occupatos, quorum plures, quàm duodecim toto cœlo diverſæ aliquando non modò in una regione, ſed etiam in una urbe, imò etiam in eadem familia reperiuntur: tu tamen adeò effrons es, ut Jeſuitas multa hominum millia trucidâſſe dicas. B Hungaria, Tranſylvania, Germania ſuperior & inferior, Flandria, & totus Septentrio grata mente prædicat beneficia à Jeſuitis accepta, & Eccleſiæ Dei præſtita. Prætereo Hiſpaniam, de qua ne verbulum quidem audire potes: prætereo Galliam, Italiam, Luſitaniam; te per novos & antehac incognitos mundos vagantem ſequar, per Braſiliam inquam, Mexicum, Peru, finitimásque regiones, quæ dæmonis tyrannide, ùt in Calecutio oppreſſæ, eidem veteratori innumeros homines ſacrificare ſolebant, ut non tantùm animabus, ſed & corporibus exitium afferret: omnes iſtæ Provinciæ nôrunt & teſtantur Jeſuitas tot ibi doctrinæ, pietatis, & benignitatis monumenta ſtatuiſſe, tótque trophæa, victoriæ reportatæ argumenta, erexiſſe, quot ſunt loca, quæ in- C ſtituerunt, Indíque neophyti, has ob cauſas Jeſuitas tanto amore proſequuntur, & tanta veneratione colunt, ut, cùm ad ſe venturos audiunt, effuſi ex oppidis pagísque ſuis, & in unum agmen coacti, obviam procedant, tanta amoris & reverentiæ ſignificatione, quanta fieri poteſt maxima: Neque id Chriſtiani duntaxat faciunt, ſed & ethnici, hominésque planè ſylveſtres & efferati, qui cùm ſæpè in Jeſuitas per avia & devia nemorum oberrantes incidiſſent, non modò nihil damni intulerunt, ſed & magno amore exceptos benignè habuerunt, & in viam reduxerunt: omnibúsque Indis compertum eſt, ſe à Jeſuitis amari, & variis ſubſidiis ſublevari, non modò quoad animam, ſed etiam quoad corpus, quippe quorum precibus & interventu ſæpè violentas militum manus evaſerint.

Amor Indorum in Jeſuitas.

D Popilinierus etiam, ut multos alios Hiſtoricos, eósque Catholicos præteream, innocentiæ Jeſuitarum ſuffragatur, veréque ſcribit, crudelitatem illam, qua Hiſpani in illis oris uſi, diſplicuiſſe Jeſuitis, cæterísque Eccleſiaſticis, quos ſecum ducebant, ſempérque lenitatem, manſuetudinem & clementiam ſuaſiſſe; tu tamen his publicis teſtimoniis, his tam præclaris charitatis & Chriſtianæ benignitatis actionibus totum terrarum orbem fulgore ſuo illuſtrantibus, nihil abſterritus, perſiſtis conſtanter in tuo mentiendi & calumniandi propoſito, ita, ut non verearis de Jeſuitis ea mandare literis, quæ vix fidem mererentur, etiamſi Tartaris, Mammalucis, Cannibalis, & id genus aliis omni humanitatis ſenſu deſtitutis tribuerentur. E

CAPUT LXIII.

Cur Arnaldus adeò oderit Jeſuitas. F

SEd unde tanta tibi in Jeſuitas acerbiſſimi fellis copia? unde iſtud odium tam inexſaturabile, quo in illos exardeſcis? Neſcio, quis ſis, neque ante tuam Invectivam quidquam de te audiêram: arbitror tamen, nihil tibi à Jeſuitis injuriæ illatum, quod te tantoperè exſtimularet, & ad Jeſuitas invadendos excitaret: ſed video manifeſtè, odium tuum non in unum, ſed in omnes ferri, atque adeò non *perſonale*, ſed commune eſſe, neque ex cauſa privata naſci, ſed ex publica. Odiſti Jeſuitas odio illo generali, quo improbi bonos, quo hæretici Catholicos, quo lupi oves. Iſtud odium ululatus tuos elicit, ſpumásque tibi concit, & dentes ad mordendum & dilacerándum exacuit, ósque diſtorquet, ut aliquo tandem modo Jeſuitarum famæ & exiſtimationi labem aſpergas. Odium hæreti- G corum & tuum ejusdem rationis & claſſis ſunt, & ab uno eodémque auctore profecta, & in eadem officina ab eodem Vulcano cuſa. Odio proſequuntur omnes veri nominis Catholicos, magísque adhuc Religioſos, ſed præ cæteris omnibus Jeſuitas, hinc omnes ſuas diſputationes, omnes chartas, omnia ſua mendacia, omnia veneni genera, omnia fulmina & tonitrua in Jeſuitas effundunt, potiori temporis parte inducias faciunt cum cæteris familiis Eccleſiæ Dei, cum iſta nunquam: doctrinam Eccleſiæ Catholicæ non ampliùs vocant nomine ſuo, *doctrinam Catholicam;* ſed *doctrinam Jeſuiticam:* Jeſuitæ meta ſunt & ſcopus, ad quem hæretici omnem furoris impetum deſtinant, in quibus ſolis ipſam quoque Eccleſiam toto mundo diffuſam expugnare, vel certè oppugnare velle videntur, quod tu in Invectiva tua, velut in quadam epitome, clariſſimè oſtendiſti. Neque enim contra alias Religiones quidquam dixiſti, etiamſi omnes debellent hæreticos, omnésque tibi adverſentur, in ſolos Jeſuitas virus linguæ & mentis tuæ ejaculatus es.

H Cauſa iſtius odii hæreticorum & tui inde oritur, quia Jeſuitæ & hæretici hodierni ex diametro opponuntur, eodem tempore prodiêrunt, fine & uſu contrario, in eadem familia progeniti ſunt, contrariis tamen ſtirpibus & ſtemmatis, & in Chriſtiana Republi-

A publica effectuum planè repugnantium auctores sunt, mirabili supremi rerum moderatoris sapientia, qua factum, ut in hoc Universo procrearentur res, inter quas capitales & indefinentes inimicitiæ, ut una adversus aliam homini remedio & saluti, omnes verò ad amplificationem divinæ majestatis & potentiæ essent: stannum adversatur omnibus metallis, neque conjungi potest aliis, sive auro, sive argento, sive æri, sive cuicunque alteri, omnia corrumpit societate sua. Caulis & quercus tantas inimicitias exercent, ut, si in eodem loco plantentur, necesse sit alteram emori. Africa serpentum ferax est, sed ciconias,
B aliásque id genus aves longis invisas colubris submittit in subsidium. Mures & glires, fures domestici, in ipsis ædibus & sedibus nostris gignuntur; sed in iisdem quoque generatur & alitur catus, cui à natura & primo ortu indoles & anima data, quibus latebras perscrutetur, & expeditionem per omnes domus angulos suscipiat, & velut rerum capitalium vindex, furtáque furum & prædas prædonum, tempestivis supplicis coërceat & mulctet. Condidit Deus, teste S. Augustino, has antitheses & naturas oppositas, gratas & ingratas, jucundas, & injucundas, utiles & noxias, ut magis eluceseeret boni splendor oppositu mali & excellentia pulchritudinis, objectu turpitu-
C dinis, útque mundo innotesceret, Deum ùt omnipotentem, ita etiam optimum & sapientissimum esse, qui omni malo antidotum parare & opponere noverit, cujúsque singulari providentia bonum non modò in essentia & natura cujusque creaturæ appareat, sed etiam in ordine & relatione mutua unius ad alteram, eo modo, quo in symphonia diversæ voces ad se mutuò ordinantur: quælibet seorsim etiam spectata bona est, sed melior & gratior fit concentus ex illis omnibus conflatus.

Lib. 11. de civit. cap. 18. D. Basil. hom. 9. Hexaem.

dio etiam sine mora provideat, & inde eli- E
ciat, quod & ad utilitatem proborum, & ad splendorem sui honoris faciat, & nisi posset mali damna resarcire, & ex malo bonum elicere, neutiquam illud permitteret.

Temporibus Cæsaris Augusti, quibus ob E
scelera & flagitia mortalium, Dei nutu & permissu, Imperium Romanum, hoc est, Ethnicismus & Idololatria, in flore erat, totúsque mundus densissima caligine circumfusus, re quavis propemodum ad divinitatem per suam stultitiam evecta, Deo uno & vero deserto, omnipotens ille filium suum hominem factum, & mortali carne indutum in mundum misit, solem & lucem totius mundi, ut fulgore suo tenebras illas disjiceret, suáque dextera omnipotente universum illud commentitiorum Numinum agmen debellaret & profligaret, stygísque regnum prædæ & direptioni exponeret, & veritatem tamdiu à terris exulem reduceret, vinculísque solutis humanum genus in libertatem assereret. Dehinc triginta tribus annis propemodum elapsis, permisit patrari scelus, quo nullum horribilius neque erit, neque ab hominum memoria fuit, necem, inquam, unigeniti sui filii, quod facinus in se quasi concluſam gerebat omnium facinorum ma- G
gnitudinem & atrocitatem. Quemadmodum enim in Republica nihil scelestius, quàm ipsius Reipublicæ capiti exitium moliri, tandémque re ipsa afferre: ita etiam nihil detestabilius unquam cogitatum, dictum, factúmve fuit, quàm filio Dei violentas manus injicere, & ad supplicium tam infame & probrosum rapere, ita, ut meritò quis affirmet, peccatum hoc & hominum & Angelorum intelligentiam longissimo intervallo superare. Ex hoc tamen summo & inenarrabili malo elicuit Deus summum bonum, hoc est, redemptionem salutémque mundi & gloriam cœli.

CAPUT LXIV.

Deum semper opposuisse oppugnatoribus Religionis propugnatores.

D DEUS homines in societate humana, & maximè in Ecclesia, non efficit improbos, sed improbos in ea esse sinit. Nam hominem regit naturæ suæ convenienter, tribuens ei arbitrii libertatem, ut aut virtutem sequatur, aut vitium: quo fit, ut nonnulli eligant bonum, & fiunt boni: alii malum, & mali evadunt, ratione illius electionis: Sed Deus adeò bonus est, adeò potens, adeò sapiens, ut quemadmodum in rebus naturalibus ab initio mundi præparavit naturaliter contraria media contra malum naturale: ita etiam in sua Ecclesia, quando permittit in ea aliquod malum morale & spirituale oriri, de reme-

Trecentis circiter annis post adventum & H
mortem Salvatoris nostri, desciverunt ab Ecclesia, & velut lolium ex fœcundo agro enati sunt Ariani. His pestibus misit Deus obviam S. Basilium & similes, S. Antonium, S. Athanasium, S. Hilarium. Paulò pòst exorti sunt Jovinianus, Manichæi, & Pelagiani: istis oppositi sunt S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, & alii hujus classis generosi, & infracta virtute milites Ecclesiæ Catholicæ. Deinde exstiterunt Gothi prædones mundi, & generale diluvium orbis terræ, Severiani, Christolytæ, & aliæ labes & maculæ Christiani nominis, quibus coërcendis excitatus est magnus ille Bene- S. Benedictus.
dictus, Pater innumerabilium Antistitum & Religiosorum Ecclesiæ sanctæ, qui & ipsi adversus fidei hostes multis rebus supra naturæ vim & ordinem patratis, Ecclesiam mirificè illustrârunt.

S. Basilius & alii oppositi Arianis.

S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, & alii Manichæis, & aliis.

A Paulò pòst ut Ecclesiastica disciplina, & nominatim Monastica intepescere, & zizania vanitatis fermè triticum præfocare cœperunt, excitavit Deus magnum illum cœlestium rerum indagatorem & contemplatorem S. Brunonem, quem infinitis quoque filiis spiritualibus auxit, qui deserta urbium, tanquam satores divinitùs missi confererent, rerúmque superarum contemplationem excolerent, contra insanas hominum malorum, & nihil minùs, quàm de cœlo solicitorum cogitationes. Non diu ab exortu & adventù hujus sancti athletæ, excitavit dæmon in Ecclesia magna schismata, magnásque dissensiones, quibus sedandis misit Deus S. Bernardum, & illam, cui à Bernardo nomen, familiam. Non longo pòst tempore prodiêrunt Albigenses, quibus debellandis suscitavit Deus S. Dominicum & S. Franciscum, duo illa præclara Ecclesiæ lumina.

S. Bruno.
S. Bernard.
S. Dominic.
S. Francisc.

B Nostro tempore, ùt viri sapientes observant, & maximè D. Genebrardus Archiepiscopus Aquensis in Provincia, cùm Dominus permisisset spargi venenum, mox etiam antidotum dedit. Martinus Lutherus ab Ecclesia discessit, ut Ecclesiam impugnaret, Ignatius de Lojola ex mundo recessit, ut mundum debellaret. Uterque ab Ecclesia initio renatus & genitus in iisdem visceribus, ambo ex eodem spirituali utero procreati, & quidem eodem tempore, ùt gemini Esau & Jacob. Lutherus ùt Esau factus grandior à dæmone instinctus & impulsus est, ut Ecclesiæ turbo fieret, animabúsque perdendis, & ad sempiternum exitium detrudendis administer. Ignatius tanquam Jacob, & indefessus miles eligitur à Deo, ut pro Ecclesia pugnet, animarúmque saluti procurandæ diligenter advigilet. Lutherus pacificum Religionis portum deserit, ut turbis & tumultibus mundi sese implicet, vel potiùs ut mundum turbis & seditionibus compleat. Ignatius deserit arma temporalia & castra mundi, cùm ut ipse pacem spiritualem comparet, tum ut eandem aliis annunciet. Alter valedicit vitæ Monasticæ, & cultus victúsque asperitatem commutat cum deliciis & voluptatibus carnis, à jejunio ad epulas, ab humilitate ad vanitatem, à paupertate ad avaritiam, ab arcta disciplina ad dissolutionem gradum faciens, & ut omnem obtemperandi legem & voluntatem tollat, imò pedibus conculcet, ut absque metu & rubore in omne turpitudinis genus sese immergat, bellum indicit supremo Ecclesiæ capiti, & in illud totis viribus & copiis irruit. Ignatius abdicat se deliciis, honoribus, & divitiis hujus vitæ, & voto nuncupato adjungit se Imperatori suo & capiti Ecclesiæ, hominésque sub signo Vicarii Christi pro Ecclesiæ bono militaturos conscribit. Lutherus in campum educit phantasmata & deliramenta Arii, Manichæi, Donati, & omnium veterum Diaboli satellitum, novúmque exercitum contra Deum cogit. Ignatius copias suas colligit, & præeuntibus Sanctis Ecclesiæ Doctoribus eo ordine disponit, qui & ad Lutherum fugandum, & ad omnes Lutheranas cohortes profligandas maximè conducit. Lutherus conatur mundum implere improbis hominibus, & quidquid in Religionis horto boni satum & eductum est, id stirpitùs evellere: At Ignatius in id incumbit, ut Religiosæ familiæ, hoc est, virtutis & eruditionis seminaria, passim instituantur. Porrò quemadmodum duo hæc capita fuerunt opposita: ita etiam membra horum capitum studia in contraria tendunt. Hæretici concionibus, libris, colloquiis mendacia passim spargunt vastandæ Ecclesiæ. Jesuitæ concionibus, libris, & colloquiis doctrinam Christi disseminant Ecclesiæ sublevandæ & conservandæ. Ecce causas odii & hostilis animi hæreticorum in Jesuitas: Ecce radium divinæ sapientiæ, quæ tam potens, ut malo exorto statim præparet pharmacum & antidotum, ex ipsóque malo tantam boni copiam procreet.

Origo Societatis Jesu.

Antitheses Ignatii de Lojola, & Martini Lutheri.

C

D

E

F

Quam ob rem hæreticus amare nequit Jesuitam, nec Jesuita hæreticum, nisi resipiscat. Ciconia citiùs cum colubris pacem inibit, elephas cum draconibus, agni cum lupis, quàm Jesuitæ cum Ministris & hæreticis. Hinc quicunque spiritu Dei acti in hanc Societatem inscribuntur, singularem præ se ferunt alacritatem hæreticos expugnandi, non secùs atque generosiores canes venatici, quibus à natura insita cupiditas decertandi cum lupis. Mutuo igitur odio in se exardescunt, non tamen sine discrimine. Nam hæreticorum odium mali animi pejus germen, finem quoque & scopum malum spectat: ab odio enim veritatis proficiscitur; quam ita exosam habent, ùt solis lucem noctuæ & ululæ: hinc omnia sua eò referunt, ut veritatem tandem obruant & exscindant, etiamsi fortassis multi sint, qui hoc adeò expressè & in particulari apud animum suum non constituant; sed hoc tamen non obstat; conspirant enim saltem tacitè omnes ad veritatis expugnationem; ídque à dæmone incitati, sicut equus ab equite. At Jesuitarum odium in hæreticos divinis legibus conforme est: non enim aliunde procedit, quàm ex turpitudine & deformitate vitii, nec in personam tendit, sed in vitium personæ, quam hæresis veneno suo & tabe infecit. Odium hæreticorum in Jesuitas simile est furori phreneticorum in suum Medicum: Jesuitarum odium in illos simile est odio Medici in ægrum, quem quidem cruciat & exagitat sectione, ustione, varia potione, & id genus aliis medendi modis;

G

H

Quale sit odium Jesuitarum in Hæreticos.

Quale odium Hæreticorum in Jesuitas.

A dis; ſed eo fine & conſilio, ut depulſo morbo perſanetur. Quare mirandum non eſt, cur in Jeſuitas rabioſi inſtar canis latratu & morſu inſurgas; ſpiritus, quo agitaris, & natura, quæ tibi ſorte infelici obvenit, directè ſpiritui & Jeſuitarum naturæ adverſatur. Nec mirum, ſi Jeſuitæ tanto conatu hæreſeon, potiſſimùm hujus ætatis, extirpationem & abolitionem urgeant: id enim agunt inſtinctu illius ſpiritus, quem à Deo acceperunt, hæreſibus cunctis contrarium, & ad illas de medio tollendas planè accommodatum. Debellare enim hæreſes, Jeſuitarum labor, certamen & trophæum eſt. Nec mirum tot actionum generibus Jeſuitas occupari, & quaſi cuniculis actis, Miniſtros, totúmque miniſterium ſubvertere velle, cùm, ùt Miniſtri dicunt, *omnibus rebus ſeſe immiſceant, omnia pervertant & corrumpant.*

CAPUT LXV.

B *Satisfit querelis quorundam Catholicorum.*

ILlud vehementer miror, eſſe Catholicos, qui fateantur quidem, Jeſuitas Reipublicæ multum utilitatis afferre; conquerantur tamen, quòd in rerum adminiſtratione nimis multa ſibi ſumant, quaſi ſoli omnia agere & regere velint. Quorum oratio non longè abit ab oratione hæreticorum, qui palàm & ſine verborum involucris Jeſuitas calumniantur. At iſti dicunt; *Jeſuitas omnibus actionibus ſeſe immiſcere*, & ſic calumniantur rectè, & quaſi ſub velo. Illorum oratio calumnia eſt, & quidem admodum dentata; horum, detractio, levioris velut ictus & morſus. Hoſtium tamen noſtrorum Catholici iſti cauſam inconſideratè & imprudenter agunt, quibus nihil
C gratius, quàm Jeſuitas videre omni hominum generi exoſos & inviſos. Jeſuitæ multa quidem munera ſibi ſumpſerunt, & exequuntur etiam opportunè, inſtituunt juventutem, qui labor non modò Deo gratiſſimus, ſed etiam his temporibus, quamvis arduus & difficilis ſit, utiliſſimus & maximè neceſſarius ad ſtabilienda Catholicæ fidei dogmata, & ad hæreſin in ipſis ſuis fibris & radicibus adhuc deliteſcentem exſcindendam.

Munera Jeſuitarum. Nec fugiunt munus tradendæ Chriſtianæ doctrinæ, concionandi, confeſſiones audiendi, ægros, afflictos, & eos, qui in carcere, conſolandi, pauperum egeſtatem ſublevandi, concordiámque inter diſſidentes redintegrandi. Conſpiciuntur Jeſuitæ in ſcholis, in templis, in cathedris, in carceribus, in triremibus, inter Catholicos, hæreticos, paganos, Turcas, uno verbo
D ubique, ut omnibus prodeſſe poſſint.

Quòd ſi hæc & ſimília, quæ ad Dei gloriam, animarúmque ſalutem agunt, ſancta ſunt, & verè Chriſtiana profeſſione digna opera, par eſt, ut Societatem hanc tam occupatam pro bono communi, magni pendant, hósque tam pios conatus Jeſuitarum potiùs laudibus extollant, & ubique prædicent, quàm arrogantiæ & ſuperfluæ operæ notâ inſigniant. Non ſedent Jeſuitæ ad clavum Reipublicæ, nec gubernacula tenent; ſed miniſtrant, fugiúntque non modò civile, ſed & Eccleſiaſticum regimen. Neque impediunt, quò minùs quivis alius, cui ea mens, iisdem actionibus inſiſtat & inſudet: nec tam ex ſuo, quàm ex aliorum uſu & fructu tantos labores ſuſcipiunt: ad ipſos præter laborem vix quicquam redit; totus proventus redundat ad alios. Quis F unquam paterfamilias horto ſuo fœcunditatem crimini dedit? Quæ civitas unquam exprobravit Medicis ſedulitatem, qua ægros curant, & quidem gratis, nulla ſpe ſtipendii? Quantò minùs igitur Catholici indignari deberent ob fructus, quos Societatis hortus toti Reipublicæ parit, & ob medelam, qua medentur infirmis.

At immiſcent ſe ſtatui, ſive Reipublicæ civilis negotiis. G *Status* iſte non multis ab annis auctoritate & exiſtimatione multum crevit. Nam ex ſententia *Machiavelliſtarum* cœlum & terram complectitur, & præ illo nihili faciunt ipſum Deum, & ſi Deus impios horum conatus non retundat, novam turrim Babylonicam in ipſis priſcæ illius ruderibus & ruinis ſtruent, ſpe Deum de throno ſuo deturbandi, & in locum illius *ſtatum ſuum* ſubſtituendi. Status iſte omnia ad ſe non trahit, ſed rapit, totúmque mundum legibus frenare molitur, nec patiuntur iſti politici & *ſtatiani* (novis enim ſectis nova cudenda ſunt cognomenta) ut quidquam ſuſcipiatur pro ſalute animæ, pro fide, pro Religione, niſi cum reſpectu ad politiam, aut ſtatum; ſi quid dicatur, agatúrve contra hæreſin, contra atheiſmum, contra alia ſcelera, & niſi oratio ſaccaro, melle, papavere, & ſeſamo condita & oblita adhibeatur, in *ſtatum* ſcelus inexpiabile committitur.

H Quid ſit ſtatus. At quid monſtri hactenus inviſi & inauditi iſte ſtatus eſt? Aſpiciamus propiùs, ne ſi fortè Jeſuitæ ejus negotiis ſeſe immiſceant, in iſtorum tanto zelo flagrantium indignationem incurrant. Si ſtatus nomine ſignificatur regimen ſupremum temporale, Monarchicum, Ariſtocraticum, aut Democraticum, aut regimen ſubalternum Coneſtabilis, aut equitum Magiſtri, Gubernatoris, Cancellarii, Præſidis, aut alterius ex horum numero, arbitror, neminem tam impudentem fore, qui dicere audeat, Jeſuitas in officia & functiones horum ſtatuum involare, cùm ab his arceantur, & communibus Eccleſiæ legibus, & ſuæ Societatis inſtitutis. *Nemo*, in- 2. Tim. 2.

A quit S. Paulus, *militans Deo implicat se negociis sæcularibus.* Ministri hac ratione staticibus sese ingerunt; nam bella moverunt, milites conscripserunt, pecuniam exegerunt, & similia munia ad statum & politiam proprie spectantia obiêrunt. Commentaria Domini de Monluc Tribuni militum fideliter hoc posteritati testantur. Jesuitæ non immiscent se hujusmodi negotiis, quòd si nonnunquam reperiantur in castris, vivunt & agunt ibi, non ùt milites, sed ùt Religiosi. Edmundus Augerius erat in castris, cùm Rupella obsideretur mandato Regis Caroli, non ut thorace aheno tectus, gladióque cinctus militaret, sed ut Sacrosanctum Missæ sacrificium celebraret, ut concionaretur, ut ægros & moribundos re & verbis consolaretur, útque ex regulæ suæ præscripto summis & infimis, nobilibus & ignobilibus, ope sua præsto esset.

B Domi verò & in urbibus nihilo plus de Magistratuum officiis obeundis cogitant, sed quemque munere suo fungi sinunt, id unum curantes, ne ipsi suis desint partibus. Quòd si alios cohortantur, ut vitam rectè instituant, suásque actiones ad Dei gloriam referant, si vitia eorum, quibus politiæ cura commissa, prætextúque status & politiæ Religionem pessundant, redarguunt: si Ecclesiæ variis calamitatibus pressæ, tótque ærumnis exercitæ, opem pro viribus ferunt, id non est, status & Reipublicæ munia sibi arrogare, sed boni Catholici instar commodis Ecclesiæ servire, sine qua politia & cura status in Republica nihil aliud est, quàm

C corpus sine anima. Ad hoc autem præstandum obligantur omnes, qui Christiani sunt non modò voce, sed & re, potissimùm illi, qui aliquem dignitatis gradum in Ecclesia obtinent, nisi tandem damnari velint tanquam desides & prævaricatores in domo Dei, & in ordinem illorum conjici, quos Dominus *Mercenarios* appellat, qui viso lupo fugam arripiunt, deserto in mediis periculis grege. S. Athanasius Ecclesiasticus erat. S. Bernardus Religiosus, quorum vocatio & vacatio tota spiritualis, nihilominus cùm viderent hæreses & schismata, quæ Ecclesiam divexabant, loquebantur, scribebant, obsistebant, & nihil intentatum relinquebant, ut Religionem tuerentur, quam

D scelerati evertere conabantur. Si Jesuitæ suæ duntaxat utilitatis cura tangerentur, optarent utique, ut ab omnibus negotiis expediti, quietè, & sine cujusquam interpellatione Deo, sacrarum literarum meditationi, cœlestiúmque rerum contemplationi vacarent; sed tempus arma poscit: nubila, grando, tempestates, quibus Ecclesia conflictatur, serenitatem istam, secessum tam quietum minimè concedunt. Remus potiùs sumendus, & ars nautica factitanda est, ut naviculæ Petri tantis fluctibus agitatæ subsidii nonnihil afferant. Permulta agunt,

Joan. 10.

quibus profectò tanquam injucundis superE sederent, nisi necessitas non otiosos, sed negotiosos flagitaret. Quidquid tamen agunt, nihil in *statum* & politiam committunt, cùm ubique instituto suo convenienter actiones suas instituant pro defensione Ecclesiæ; neque dant Reipublicæ justam de se conquerendi causam. Cogitent igitur Catholici illi, etiam atque etiam rogo, quid sibi velint, cùm Jesuitas tanquam nimium sibi de alienis negotiis vendicantes traducunt, caveántque, ne ipsimet fidem suam tam parvi æstimando, Rempublicam perdant, néve quærendo quietem terrenam, spe sua falsi, æternam quoque amittant.

F Sed alios invenire est, qui magis cum hæ- Aliorum opinio de reticis sese conformantes, fatentur quidem, Jesuitis. Jesuitas esse Reipublicæ utiles; conducere tamen pacis custodiendæ causa, ut ex Regno quantocyùs abeant: non enim eorum abitu, mundum illapsum ruiturum; mille enim quingentis annis absque Jesuitarum operâ mortales vixisse, victuros utique sine eadem imposterum quoque. Isti largiuntur adversariis liberaliter, quicquid in optatis habent: sed si Jesuitæ tempestatem, quæ extitit, excitârunt, credo tam imprudentes non fore, ut discessum, vel etiam dejectionem in mare *Jonæ instar*, abnuant; quod in Tercera ipsis contigisse paulò anteà optabas. Sed nego, bellorum fuisse auctores: imò affirmo, per ipsos, quà licuit, cohibitum, & sopitum cruentum illum Martis impetum.

G Nullum adhuc in Gallia habebant Colle- Calvinistæ gium, anno M. D. LX. quando Gallia san- sunt auctoguine civili madebat, & miserando incola- res bellorum rum suorum interitu tabescebat, quando rum in Gallia. omnes omnium locorum anguli, & ipsi aëris latissimè patentes campi resonabant, non tantùm armorum strepitu; sed etiam clamoribus & ejulatibus virginum, viduarum, senum, infantium, Sacerdotum, laicorum, & innumeræ multitudinis, quibus omnibus laniena plusquàm babarica parata erat, quando Religio & Gallia in cineribus & ruinis templorum & altarium suorum penè sepultæ erant, ùt vestigia, quæ adhuc extant, abundè testantur. Jesuitæ H non excitârunt illas tempestates, nec illa incendia, nec illas furias terrestres, sed hæretici, qui ad perdendas, & sempiterno exitio demergendas animas, longè tetriores & immaniores pestes, quàm ad perniciem corporum, ex ipsis inferorum recessibus evocâssent, nisi Deus grassantium furori Jesuitas, aliósque viros probos objecisset, ne ulteriùs procederent. Et qui dicunt, facilem fore jacturam Jesuitarum; illi sæculi nostri calamitates neque satis capiunt, neque etiam divinam providentiam nutantibus & labentibus rebus hujusmodi auxiliatores (ùt

alios

A alios Religioſos anteactis temporibus) ſubmittere ſolitam ſatis aſſequuntur. Nam licèt Jeſuitarum opera ſolis ſcholarum parietibus circumſcriberetur, tamen abſentibus Jeſuitis, experientia docebit, quantum beneficium Gallicæ juventuti contulerit Deus, quando tales Magiſtros miſit; quales ſanctus ille & cumprimis eruditus vir Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis vehementer optabat, ad inſtaurationem illius Academiæ, totiúsque Eccleſiæ. Ducenti jam propemodum interfluxerunt anni. Clarè etiam conſtabit, quàm difficile ſit, juventutem ſeculo tam depravato rectè informare, & in officio continere, quámque ſolertes & induſtrii hac in re aliarum profeſſionum Magiſtri ſint futuri. Si Jeſuitæ tanta lectionum frequentia, confeſſionibus, exhortationibus, admonitionibus, induſtria & ſolicitudine indefeſſa, ſtudio perenni, tótque Chriſtianæ charitatis exercitationibus laſcivientis ætatis proterviam vix intra recti limites coércere potuerunt, quid agent Doctores ſæculares, quibus nec ejuſmodi mens, nec talia media & remedia, quorum potior pars potiùs privata, quàm publica commoda quærit.

Votum Joann. Gerſonis.

B

C Quòd ſi hanc viam ingredi, iísque, quibus anteà caruimus, facilè etiam impoſterum nos carituros aſſerere velimus, antiquis tenebris denuò involvemur. Caruit Eccleſia trecentis annis S. Baſilio, S. Gregorio Nazianzeno, S. Chryſoſtomo, S. Hieronymo, & id genus aliis Doctoribus & Religioſis; quingentis annis S. Benedicto & ab ipſo condita familia: pluſquàm mille annis S. Bernardo & Bernardinis, pluſquàm mille ducentis annis S. Dominico, S. Franciſco unà cum Dominicanis & Franciſcanis: Anné igitur Deo hujuſmodi adjutores Eccleſiæ ſubminiſtrante quiſquam prudens dicere potuiſſet, nihil opus eſt his auxiliis & ſuppetiis: mundum enim eis hactenus caruiſſe, & futuris etiam ætatibus ſine incommodo carere poſſe; neque enim ab his Univerſi ſalutem pendere? Neque alicujus roboris eſt hoc argumentum: *Caruimus anteà hoc vel illo; ſine damno igitur eodem poſthac quoque carebimus:* quia novis neceſſitatibus opus eſt novis auxiliis. Juvenis florente ævo multis caret, quibus ſenio jam confectus non ſine incommodo

D careret. Mundo adhuc recenti & à ſuis primordiis non longè progreſſo, moris non erat uſque ad tempora Noë veſci carnibus, vel adhibere potui vinum. Cur mos hic antiquatus deſiit? Cur Medici profitentur, carnem noſtram ſine carnis eſu deficere, vinúmque conviviorum animam eſſe? Navium uſus incognitus manſit uſque ad ætatem Noë. Homeri & Virgilii memoria neſciebatur uſus & utilitas *acus nauticæ*, ut altum claſſis ſecura teneret: hinc littus ſemper legebant, ùt videre licet in veterum navigationibus, etiam Æneæ, quæ E à Virgilio deſcripta. Num proptereà relegenda ſunt littora, magnetísque inventum divinum, navésque repudiandæ, dicendúmque, iis nihil opus eſſe, utpote quibus mundus multis annorum centuriis caruerit? Non dubito, quin Gallia conſiſtere poſſit ſine Jeſuitis: Caruit rebus magis neceſſariis, ſed ſuo damno: Caruit quingentis annis cognitione Dei, ſicut Turcia caret Chriſto, Anglia & regiones hæreticæ fide Catholica. Fides non pendet F à Jeſuitis, quippe illis antiquior, & mater & Domina eorum; pro fide tamen conſervanda & amplificanda Jeſuitæ nullos labores recuſant. *Deus*, inquies, *alios in illorum locum ſufficiet.* Poteſt id quidem, quia omnipotens; ſed fortè non ſubſtituet, ut puniat ingratos, qui tanta levitate repudiârunt, quos ipſe ùt idoneos Eccleſiæ ſuæ defenſores miſerat. Nihil ſine cauſa facit, neque quidquam etiam mutatur abſque cauſa. Judicavit neceſſarium, ut Eccleſiæ ſuæ Jeſuitas mitteret in hoc mundi occaſu. Qui hoc conſilium & auxilium contemnent, contemnentur viciſſim à Deo, G qui in interitu quoque illorum ridebit, & Jeſuitas aliò transferet, ut ingrati pœnas luant, privati & fructu & umbra arboris illius, quæ uberes fructus in aliud translata ſolum proferet. Jeſuitæ quidem facilè carebunt Gallia; nam totum mundum patriam habent, & honorificentiùs alibi accipientur, quàm in Gallia, maximè ſi à Miniſtris regatur, cœlúmque promerebuntur indeſinenti divini cultus amplificatione. Ut pacem cum hæreticis ineant, fieri nequit, niſi mentem ſanam exuant, propter rationes, quas ſuprà expoſui.

CAPUT LXVI.

Refelluntur calumniæ, quibus Arnaldus Societatis nomen impetit.

H POſtquam caninis tuis dentibus totum Societatis corpus lacerâſti, orationem convertis ad ejus nomen, & Jeſuitas tanquam arrogantes & ſuperbos calumniaris, quòd ſe Jeſu ſocios faciant. *Hannibal Codretus*, inquis, *libello quodam impreſſo Lugduni apertè ſcribit, Societatem Jeſuiticam ſuum inde nomen habere, quoniam à Deo aſciti ſunt contubernales, datíque filio ejus Jeſu Chriſto, qui ipſos individuo ſuo ſibi aſſumpſerit comitatu:* Quot verba, tot mendacia & calumniæ. Nullus extat liber Hannibalis Codreti, exceptis brevibus Rudimentis, quæ debebas edidiciſſe, ne tot ſolœciſmos committeres. Vir eſt ea doctrina, virtute & prudentia præditus, ut hujusmodi nænias publicâſſe jure cenſeri non poſſit.

Mendacia Arnaldi.

Alio tuæ Actionis loco: *Retinuerunt*, inquis, *nomen ſuum, séque vocari paſſi ſunt Jeſuitas*

A *ſuitas, expreſsè alioquin inhibitum, tanquam quod propriè reſervandum Salvatori orbis, nullis unquam ulla inventis memoria, qui id ſibi aut ſpeciatim applicarent, aut cum pluribus in commune.* Semper manes Arnaldus. Nomen *Jeſuitæ* non eſt nomen *Salvatoris*, ſed *JESUS*, & anno M. CCC. LXVII. fuit inſtitutus Ordo Jeſuatorum: non igitur verum eſt, neminem unquam Chriſtianorum uſurpâſſe ſibi illud nomen: nam unius aut alterius tantùm literulæ diſcrimine diſtant vocabula *Jeſuitæ* & *Jeſuati*. Sed videamus originem hujus ſuper nomine contentionis, poſteà eam diſcutiemus. Originem ducit ab hæreticis fratribus tuis: eſt enim hæc

B vetus hæreticorum cantilena. Kemnitius, Boquinus, & alii buccinatores multò ante te, hanc tubam inflârunt, & in Jeſuitas irruerunt, arrepta occaſione ex Societatis appellatione, quos imprudentia quadam ſecuti ſunt nonnulli Catholici, quorum cauſam ſi tu jam tueri vis, reſpondebo, Summum Pontificem fuiſſe, qui nomen hoc Societati impoſuerit, & Oecumenicum Concilium, quod impoſitum approbârit, quod ſatis eſſe deberet ad imponendum ori tuo ſilentium, niſi adeò ad calumnias & mendacia hiaret: impoſitum enim ab hujusmodi auctoribus, ſub eorundem tutela manet, talíque patrocinio nititur, ut res, cui nomen

C inditur, majus & certius deſiderare nequeat. In Cratyl. *Nomen*, inquit Plato, *datur à ſapientibus, & ab iis, qui auctoritate pollent.* In Eccleſia Catholica nemo ſcientia & auctoritate magis eminet, quàm caput Eccleſiæ Pontifex, qui à Deo, cujus ipſe Vicarius, nullius medii interjectu regitur & inſtruitur: Neque nobilior ullus eſt conventus, quàm Patrum & Doctorum Synodus. Hoc igitur Eccleſiæ caput nomen Societati indidit, idémque Synodus univerſalis ſuffragio ſuo approbavit. Nec dubito, appellationem hanc divinitùs fuiſſe inſpiratam, cùm rei naturam appoſitè admodum explicet. Nam nomen hoc, ſalutis nomen eſt, cui procurandæ & promovendæ, Societas à primo ſuo ortu penitùs ſeſe conſecravit, cui finis & ſcopus, ad quem collimat, non tantùm propriæ perfectioni & ſaluti cum divina gratia vacare; ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere. Nomen hoc omnibus commune eſt, & pro omnibus: Societas hæc tota aliena commoda ſpectat, omnium commodis ſtudet, nemine excepto, & in omnibus locis. Quamobrem rectè nominatur Societas *ſalutis & communitatis.*

Ordo Jeſuatorum.

Quis Societati nomen impoſuerit.

Finis Societatis.

D Hæc reſponſio Catholicis ſatis eſſe debet. Nam qui ulteriùs progredi, & curiosè cauſas inveſtigare conatur, is & Chriſtianæ modeſtiæ limites tranſilit, judiciúmque Summi Pontificis & univerſalis Eccleſiæ irreverenter & impudenter diſcutit. Quando Rex *Ducis, Comitis, Marchionis*, aut alterius dignitatis titulum & cognomentum alicui, arbitratu ſuo, impertit, haud æquum facit ſubditus, ſi factum ſui Regis in quæſtionem & examen vocet: Principi id faciendi jus & auctoritas eſt, factíque ſui cauſas novit. Catholici igitur huic reſponſo acquieſcere poſſunt, imò & debent. Sed quia Catholicus non es, neque eſſe vis, ne fias *Hiſpanus*, alia ratione tibi ſatisfaciendum eſt, ut tandem acquieſcas, & ne ægritudine, quam ex hoc nomine capis, eneceris. *Nomen hoc*, inquis, *plenum eſt arrogantiæ.* At ego dico eſſe humilitatis, devotionis, ſuavitatis, & totius felicitatis. Nomen humilitatis: quia Societati in mentem revocat, unde & à quo auctore, quidquid habet, poſſideat, quæ agnitio non infima pars eſt Chriſtianæ humilitatis. *Societatis Jeſu* vox ſubjicit animo, Societatem hanc à Jeſu cœptam fundatámque, & omni illo, quo floret, ornatu, donatam. Quando Apellis imaginem videmus vel audimus, nihil aliud cogitatione formamus, quàm Apellis arte & manu pictam; Eſtque ſacris literis modus ille loquendi admodum familiaris, qui à rebus creatis ad ipſius Creatoris cognitionem ducere ſolet. Hinc cùm Philoſophi, rerúmque naturalium ſtudioſi, dicere conſueverunt, naturam *piſces gignere*, *naturam producere lapides*, Scriptura quaſi locutionis illius correctrix, Deum *piſces & lapides* procreare dicit. Licèt autem modus loquendi, quo Philoſophi utuntur, accommodatus ſit cauſis proximis & ſecundis in memoriam revocandis; alter tamen longè rectior & melior eſt, cùm nos ad primam illam, omniúmque cauſarum cauſam elevet. Si igitur Jeſus omnis boni, atque adeò hujus etiam Societatis fons & auctor eſt, quis appellationem hanc jure culpet, cùm primi parentis & fundatoris recentem memoriam ſemper conſervet? Poterat nominari ab Ignatio Religio Ignatii, vel Societas illorum, qui cum Ignatio Religionis hujus fundamenta poſuerunt: Sed Ignatius & ſocii maluerunt nomen primi auctoris, quàm ſuum Societati præſcribere.

E

Quale nomen ſit nomen Jeſu.

F

G

Cur ſit dicta Societas Jeſu.

H Prætereà nomen hoc eſt nomen devotionis & pietatis: nihil enim illo glorioſius & ſanctius in cœlo ac in terra: nomen, quod ſemper hærere in corde, in ore, & omnibus noſtris actionibus prænotari debet, ùt monet ſanctus Paulus: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Si Jeſuitæ vocarentur *Jeſus*, aut *Socii Jeſu*, ùt tu in tua mendaci gloſſa dicis, non ſine cauſa fortaſſis affirmares, modum iſtum loquendi arrogantia tumere; ſed multùm intereſt, inter priores illas appellationes & hanc: *Ex Societate Jeſu, ſeu Societatis Jeſu Religioſus.*

Coloſſ. 3.

A *gioſus*, *Sacerdos*, *Presbyter*: ſicut multùm intereſt, utrum quis vocetur Rex, an homo ſeu ſubditus Regis. Nam illud ſupremo duntaxat Principi competit, hoc adminiſtris, & iis, qui ſub Regis imperio. Hinc cùm ais, *Retinuerunt nomen Jeſuitarum Salvatoris noſtri proprium*, tuam ſtupiditatem & inſcitiam ridendam exponis: quia *Salvator* non appellatur *Jeſuita*, nec Jeſuitæ *Jeſus*.

B Maximam porrò pietatis laudem merentur primi Societatis parentes ob ſingularem animi erga hoc ſanctiſſimum nomen affectum: imitati videlicet ſunt veteres ſanctitate & doctrina conſpicuos, quibus nomen hoc ſemper in amore & veneratione. S. Paulus ſingulas fermè epiſtolarum ſuarum periodos hoc nomine exornat, & cùm pronunciatur apud Catholicos, nemo eſt, qui caput non nudet nominis hujus colendi & adorandi cauſa, nec quidquam magis horret ſalutis noſtræ hoſtis, quàm hoc nomen; nec ſine cauſa: ſæpiùs enim, quàm libeat, hoc nomine torquetur. Hæretici Magiſtri ſui veſtigia ſequuntur, nomen hoc in poſtremis ducunt, in quorum ſcriptis & libris non niſi rariſſimè comparet, neque magis id colunt, quàm nomen Lutheri aut Calvini, adeò, ut mirum non ſit, ſi nomina ſervorum aſpernentur, quandoquidem ipſius Domini nomen contumelioſè ſpernunt.

C Præclarum edictum Genevenſium. Genevæ publico edicto prohibitum eſt, ne infantibus imponantur nomina Angelorum aut *Claudii* in deteſtationem Religionis, qua Catholici afficiuntur erga Angelos & S. Claudium, cujus ſacræ Reliquiæ illi urbi nimis vicinæ ſtomachum hæreticis movent. Piis & probis alia mens eſt. Amant & colunt ſervorum nomina, ſed præ omnibus nomen Domini; Quo amore ducti nomine illo inſignièrunt Societatem, quæ quanta quanta huic nomini, ejúsque cultui propagando dicata eſt. *Sed nomen hoc*, inquis, *commune eſt, ac proinde non uſurpandum à particularibus.* Imò quia commune eſt, ideo etiam quibuſvis id ſibi vendicandi jus ſuppetit. Si totus mundus rectè nominatur Societas Jeſu, & quivis Chriſtianus Jeſuita, cur Societati huic nomen Jeſu, Societatísque membris nomen Jeſuitæ invidetur? Si communis eſt fons, cur non illis quoque inde haurire liceat? Si menſa Dei omnibus paratur, cur ipſi ſoli accumbere vetantur? Si Sol communis omnium eſt, cur radiis ejus excipiendis & intromittendis non liceat feneſtras aperire, lucíque aditum patefacere? Non ob id alios impediunt, quò minùs idem faciant. Quotquot baptizantur, accipiunt communem Chriſtiani titulum, & tamen Chriſtiani nomine, ut & Petri vel Joannis appellatione quivis gloriatur, ſine injuria communitatis.

D An metuis, ne Jeſuitis hoc nomen uſurpantibus, nihil aliis ſuperſit? Inſipiens es & rerum divinarum ignarus; quarum ea natura & conditio, ut cum omnibus & cum quolibet ſigillatim ſine ulla imminutione communicari queant. Sacroſanctum Chriſti corpus toti Eccleſiæ porrigitur, & cuilibet in ſpecie. Nomen Domini omnibus in genere, & ſingulis in ſpecie utile eſt ac ſalutare: Miror, unde tibi nihil cogitanti hæc tam inuſitata Religio, & metus, ne nomine JEſu priveris.

E

CAPUT LXVII.

Multis aliis Religionibus à Deo & rebus divinis nomina eſſe impoſita.

F SEd ut videas, te non veritatis ardore & amore, ſed odio potiùs tibi & Miniſtris conſueto, in Jeſuitarum nomen & appellationem invehi, memineris velim, non paucas reperiri Religiones & Sodalitates, quibus à Deo, rebúsque divinis nomina impoſita, nemine reclamante, nemine obloquente. Ex horum numero eſt *Religio Trinitatis, ſanctæ Crucis, ſancti Salvatoris, Infantes ſanctæ Trinitatis, Equites ſancti Spiritus, Infantes ſancti Spiritus, Filiæ Dei & Amici Dei.* Pariſiis & alibi permultæ domus nomen JEſu pro Inſigni habent. Memineris Genevæ cudi aureos hoc nomine inſignitos; & ex Chriſtianis multi accipiunt nomen *Salvatoris*, quod à nomine JEſu diverſum voce & lingua, non vi & ſignificatione. Accedit, quòd olim extiterunt Religioſi hoc nomine inſigniti, & *Jeſuatæ* dicti, ùt paulò antè diximus. In hos nemo unquam linguam aut calamum ſtrinxit: neque quisquam eſt, qui Religioſis nomen hoc bono & ſancto fine uſurpantibus id vitio verterit. Et tamen ſi Jeſuitæ appellarentur *Equites ſancti Spiritus*, ſi *Infantes Dei*, ſi *Amici Dei*, ſi *Salvatores*, toto conatu omnibúsque copiis inſurgeres, tuísque clamoribus cœlum & terram repleres, devocato ad hanc tam enormem blaſphemiam, cœlitum univerſo cœtu.

Calviniſtæ cudunt Aureos nomine JEſu inſignitos. G

H Sed adverte pauliſper, ſi vales, animum. Si licet domui privatæ, in qua decem fortaſſis, aut non multò plures incolæ, appingere inſignia nominis JEſu, quod ſæpè fieri poteſt abſque magno cultu & veneratione, eámque appellare domicilium vel hoſpitium JEſu: ſi Genevenſibus jus fásque eſt, Collegio ſuo imponere nomen à nomine JEſu, quod ſine dubio fit abſque religione & reverentia illius nominis; cur non liceret, Societati toto terrarum orbe diffuſæ, acceptare & retinere, pietatis causâ, nomen JEſu, à Summo Pontifice, & à Concilio Oecumenico ſibi conceſſum? Si quis Dux militum ſuo in ſigno nomen JESU pingeret, ſuámque cohortem ſeu vexillum, vexillum JEſu nominaret, num arrogantiæ inſimularetur?

A retur? Haud equidem arbitror; quin potiùs à multis ſummis laudibus extolleretur.

Si ergo ſuo in vexillo hæc Societas hoc nomen præ ſe fert, quid habes, ô livide, quod culpes & carpas? Fas ſcilicet erit, Genevenſibus auream monetam nomine tam ſalutari inſignire, ſine ulla reverentia & cultu, & non licebit Jeſuitis per hujuſmodi momos, facere, quidquid boni in Rempublicam conferunt, in nomine Jeſu, hócque nomine pietatis ſtudio illuſtrare omnia cogitata, dicta & actiones ſuas ex Apoſtoli ſententia & monitu, qui tam ſedulus hujus

B nominis cultor fuit? An non patientur iſti obtrectatores, ut Jeſuitæ hoc nomine ad officium ſeſe incitent, & in eodem contineant, & ut viſo vel audito hoc nomine, nomine omnipotente, nomine ſalutis & felicitatis ſeſe animent, ad alacriter decurrendum vocationis ſuæ ſtadium, & ad animarum ſalutem procurandam? Nam præclarum nomen generoſo pectori ad honeſtum ſtimulos addit, & indeſinenter, ne langueſcat, impellit, oculis & memoriæ perpetuò obverſans, cùm nihil ſit, cujus difficiliùs obliviſcamur, quàm noſtri nominis: Impellit, inquam, importunè quidem, ſed ſuaviter, adigens ad benefacta, occulta quadam ratione, vel etiam pudore. Cùm Alexander Magnus in

C oppugnatione urbis cujusdam videret adoleſcentem nomen Alexandri ferentem: *Animoſe*, inquit, *ô commilito, fac facinus dignum nomine illo, quod geris.* Pari modo Jeſuita hortabitur ſe ipſum, & ſæpiùs his vel ſimilibus verbis alloquetur: Eja age, fac officium tuum in hac Societate Jeſu, exere vires, ut facinus facias, nomine Ordinis tui dignum, ad honorem Jeſu & ſalutem animarum, quæ precioſo ſanguine JESU tinctæ, imò rigatæ ſunt. Hæc habui, quæ tibi Societatis JESU nomen & appellationem calumnianti reſponderem, quæ ſi non modò in aures, ſed & in animum demittas, æquè nullam cauſam ac veteres Germaniæ Prædicantes habebis, cur hoc Societatis nomine offendaris.

Dictum Alexandri Magni.

CAPUT LXVIII.

Utrum Jeſuitæ ſint Regulares.

D SUb finem, ut aculeos tuos omnes expromas, & Jeſuitarum expulſionem vehementiùs urgeas, interrogationibus nos aggrederis. *Qui ſunt iſti*, inquis, *Regularésne, an ſeculares? Nihil enim tertium. At quomodo habeantur pro ſecularibus, cùm in commune vivant, cùm ſubſint pareántque Generali, & poſt plurimos demùm annos paupertatem voveant, plenè tamen interim ſtatuentes de bonis Collegiorum? Sed neque Regulares eſſe poſſunt, quia nulla eis regula, nullum jejunium, nullum ciborum diſcrimen, nullis aſtringuntur miniſteriis, ſuccedúntque in defunctorum bona, quamvis haud etiam Sacramento ſuo ſoluti. Quid, quòd iis ſunt quatuor* E *aut quinque votorum modi, Simplicium, Compoſitorum, Solennium, Secretorum, Publicorum: breviter, omnia confundunt, omnia pervertunt, & interroganti, quales ſint, reſpondent, tales quales. Tunc temporis, inquam, monſtri raritate obſtupebamus, at jam tale nihil eſt; cujus rei & ratio in promptu: quia uno verbo nec ſeculares ſunt, nec Regulares. Quid igitur? Veri emiſſarii ac ſpeculatores Hiſpanorum.* Rogas, *qui ſint iſti homines?* ego viciſſim ex te percontor, quis iſte homo eſt, & quæ ejus petitio? Túne de Jeſuitis & contra Jeſuitas tam multa, & tam aſſeveranter dixiſti, & neſcis, quinam ſint? Eóne conſilio hactenus procaciſſima

F linguæ petulantia nomen & famam Jeſuitarum proſcidiſti, & exilium decerni poſtulâſti, ut tandem ſciſcitareris, quinam ſint iſti? Sed quis finis hujus tuæ petitionis? An, ut remoto omni repagulo linguæ tuæ habenas laxes, ut liberiùs, quàm hactenus, in Jeſuitas graſſetur, útque mundo oſtendas, illos neque ſeculares, neque Regulares eſſe? Verùm iſtam tuam ratiocinationem examinemus nos, nec ſæculares, nec regulares.

G Tua diviſione oſtendis, te in Collegio Regio Navarræo malè inſtructum, præſertim in Logica, cùm tertium diviſionis membrum omittas. Dividis Eccleſiaſticos in duo genera; in ſæculares & Regulares, & negas eſſe tertium genus, ita, ut juxta iſtam diviſionem, debeat quis Eccleſiaſticus eſſe ſæcularis, aut Monachus, quod falſum eſt: poteſt enim quis contineri ſub tertio genere, à te prætermiſſo: non enim advertiſti, duas eſſe Regularium claſſes, in quarum altera Cœnobitæ, quibus vita communis, more Collegii, ùt Jeſuitis; in altera Anachoretæ & ſolitarii, qui propriè Monachorum nomine ſignificantur, licèt vulgò tribuatur etiam illis, qui vitam ſolitariam minimè ſectantur. Ridiculus etiam es, quòd putans, te præclarè demonſtrâſſe, Jeſuitas neque ſæculares eſſe, neque Regulares, tandem concludis: *Ergo ſunt veri exploratores Hiſpaniæ.* Ex diviſione Cleri ſaltitas ad diviſionem regionum, quod eſt dividere more Logici errabundi & ſine via palantis, séque ex una Categoria ad aliam, & ab equo ad aſinum transferentis. Perinde eſt, ac ſi quis diceret: *Arnaldus nec eſt bonus Advocatus, nec bonus Procurator: Eſt ergo verus Mammalucus, fideique deſertor. Arnaldus nec eſt veſtitus ùt Franciſcanus, nec ùt Carmelita: Eſt ergo Japponius. Arnaldus nec eſt Geographus; nec Logicus: Eſt ergo miles.* Aut ita: *Arnaldus nec eſt Hiſpanus, nec Catholicus: Eſt ergo apparitor.*

Egregia Arnaldi concluſio.

H Sed hoc, ùt opinor, ſignificare vis, Jeſuitas, licèt ſint Eccleſiaſtici, non eſſe tamen ſæculares, quòd in communi vivant, & ſub uno capite, paupertatis voto edito, ſed ita, ut de rebus ſuis diſponant & tranſigant:

A gant: Non nego. Jesuitæ sunt Ecclesiastici, & non sunt sæculares: Sed ratio tua non valet, imò contradictione scatet. Vita communis, si desint aliæ causæ, non efficit Ecclesiasticum. Deinde paupertatis votum Deo nuncupare, habereque integram potestatem disponendi de omnibus facultatibus, repugnantia sunt, simúlque consistere nequeunt: si idcircò aliquis sit Ecclesiasticus, deserto statu sæculari, quia vivit in communi sub uno capite, sequitur, Laicos, meréque sæculares, qui hanc vitam vivunt, esse Ecclesiasticos, & non sæculares. Hinc ergo conficitur, omnes incolas unius familiæ, qui sub imperio unius patrisfamilias in communi vivunt, omnia Collegia, quæ uni subsunt præsidi; omnésque milites, qui sub uno Imperatore militant, non esse sæculares, sed Monachos: quia secundùm tuam divisionem, oportet, ut quis sit sæcularis, aut Regularis, hoc est, Monachus: nam nullum tertium genus status Ecclesiastici agnoscis.

Vita in communi non efficit Religiosum, si desint alia.

B Dices, *te addidisse votum paupertatis.* Non inficior, sed eodem momento idem destruxisti, addendo *integram bonorum dispositionem*, quæ cum ipso voto consistere nequit. Adde, quòd votum paupertatis aut castitatis non efficit aliquem Regularem, quia permultos reperias his votis obstrictos, qui tamen non desinunt esse seculares & laici. Quare doctrina tua semper sibi constat, nempe nomen *secularis* non posse convenire iis, qui vivunt in communi sub uno C capite, ùt Jesuitæ. Quo fit, ut nulla civilis familia, nullum Collegium alicujus Universitatis seculari statui, sed congregationi Monasticæ annumerari debeat, & si tu conjugatus es, & in communi vivis, Abbas eris aut Prior, quippe caput familiæ & familia tua ac servi tui & filii, si quos habes, erunt Monachi, uxor tua *Abbatissa* aut *Prioriſſa:* eris Arnaldus Abbas, & Monachi tui Arnaldini, & Abbatissa Arnaldina: hac ratione in te, ínque tuis renovabitur memoria & nomen antiqui *Arnaldi* hæretici, & *Arnaldistarum* discipulorum & sectatorum ejus, qui Jure Civili & Canonico infames sunt, & quotannis excommunicantur in Bulla Cœnæ: sed tu robusto pectore es, & validis humeris, nec multùm moraris tonitrua & fulmina Romana. Quòd si nolis haberi Monachus, téque metu & pœna liberare velis, retractanda est tibi tua divisio & definitio, & accommodanda legibus Logicæ, alioqui necessariò texes tibi cucullam, tuísque domesticis metes tribulos ex agro D tuo. Jesuitæ ergo sunt Ecclesiastici, non seculares, non quòd vivant in communi sub uno capite de bonis suis arbitrio suo disponentes, quæ sunt rationes tuæ; sed quòd in communi vivant sub eodem capite, & sub certa regula, pro Religionis regula approbata.

Arnaldus & Arnaldistæ hæretici excommunicati ab anno 1140. & infames. Ext. de Hæret. cap. Excommunicamus. Item C. de Hæret. L. Gazaros. S. Bern. ep. 190. Alph. à Cast. v. Beatitudo.

In secundo divisionis tuæ membro deteriùs & turpiùs laberis, cùm probare conaris, Jesuitas non esse seculares. Vis & nervus tuæ probationis est, quòd non habeant regulam. Primùm, habere regulam, non efficit, ut quis statim sit Regularis: alioqui omnes fabri lignarii, carpentarii, latomi aliíque artifices, qui utuntur regulis & legibus, regulares essent, túque solus irregularis, qui es Advocatus sine regula & sine norma, mendax & calumniator absque modo & mensurâ, & si novisses regulas in Logica, quæ est ars & regula solidè ratiocinandi, & alterum ex altero concludendi, pro fundamento tuæ probationis posuisses legitimam definitionem hujus nominis *Regularis. Jesuitæ nullas habent regulas*, ais: F Cur ergo eas citâsti antea? Aut igitur, quod anteà attulisti, ex cerebro tuo exsculpsisti, aut non ex Jesuitarum Constitutionibus in medium protulisti, aut non intelligis, quid sit Regula. Sed quo auctore scis, Jesuitas carere regula? Non solùm habent regulam, sed pulcherrimam regulam: regulam in genere, regulam in specie; nec est tam exiguus inter illos administer, qui suam non habeat. Et si nósse lubet, qualis sit illa regula, dico epitomen esse omnium eorum, quæ in aliis Religionibus antiquioribus sanctè & laudabiliter sancita & constituta sunt, concinnatam inde nullius damno, sed communi omnium honore potiùs & laude. Nam multum laudis merentur meritò apud omnes, quòd in consortium suorum thesaurorum admiserint etiam istam minimam Societatem, ultimò omnium in cœtum Dei cooptatam, & dignam, quæ tam tenera ætate alienis subsidiis sustentetur & adjuvetur. Hæc epitome confecta est, ut opponeretur, & tanquam scutum objiceretur hæresi Lutheranæ, quæ est rhapsodia & cento quidam omnium hæreseon superioris ævi.

E

Num Jesuitæ habeant Regulam.

Qualis sit Jesuitarum Regula.

G

Hæc regula & vivendi forma in communi, præ se fert imaginem cujusdam Reipublicæ spiritualis. Est enim formata ad similitudinem trium Regiminum, Monarchici, Aristocratici, & Democratici, quæ sunt tria Rerumpublicarum genera, quælibet sigillatim etiam bona & commoda; sed utiliora, quando simul junguntur, ùt fit in Ecclesiastico Regimine, omnium, quæ Deus inter homines instituit, perfectissimo. Ad imitationem Regiminis Monarchici præsidet in hac Societate Generalis Præpositus, cui imperium in omnes. Ad normam Imperii Aristocratici, designantur Provinciales, qui nonnullis in rebus mandant & decernunt, junctis cum Generali suffragiis, quæ est Aristocratica Respublica, quam multi gubernant. Democratia, quæ est status popularis, perspicitur in Congregatione generali Professorum, quando habetur, quæ corpus universum repræsentat, & populum totius

H

Ordinis. Generalis quatuor habet Assistentes, qui eum suis consiliis juvant, unúmque Monitorem, qui privatim monet, cùm opus est, vel de rebus ad officium ejus, vel ad ipsammet Generalis personam spectantibus; ídque vel suo nutu, necessitate exigente, vel aliorum hortatu facit. Provinciales etiam habent quatuor Consultores suos, unúmque Monitorem, ùt & Rectores, quorum consiliis in gubernandis Provinciis & Collegiis utuntur more Generalis. Hi omnes habent regulas suas speciales, desumptas ex Constitutionibus, & aliunde, excepto Generali, cui totum Institutum pro regula: Item omnes Officiales inferiores, Presbyteri, Confessarii, Concionatores, Præceptores, Procuratores, & cæteri omnes, ne Janitore quidem excepto.

CAPUT LXIX.

A quo Societatis Regula fuerit approbata.

OBlata fuit hæc Regula approbationis impetrandæ causa Paulo III. qui eam tribus Cardinalibus examinandam tradidit, quorum unus Bartholomæus Guidicionus, vir doctus, accuratus & sanctæ vitæ, qui justa causa permotus, parùm approbabat tantam Religionum multitudinem, judicans potiùs esse aliquas earum tollendas, & veteres reformandas, quàm novas instituendas, eáque de re librum ediderat: quamobrem acrem se Jesuitis præbuit adversarium, & Societatis confirmationi vehementer repugnavit, ùt & alii Cardinales: nihilominùs cùm rem iterum atque iterum perpendisset, suásque rationes & argumenta subtiliùs excussisset, ita immutatus est, visa Instituti forma adeò ex usu publico concepta, ut diceret, se digitum Dei ibi agnoscere, & licèt novas Religiones non probaret, tamen omnino huic inter cæteras dandum esse locum. Ex hac historia accepisti tu id, quod contra Jesuitas erat, relictis illis, quæ tibi caput comminuebant; produxisti difficultatem, qua res initio perfecta est, & prætermisisti testimonium, quod tandem Cardinalis ille Societati dedit. Qui modus agendi hæreticis proprius est. Nam Scripturas divinas, aliorúmque scripta discerpunt, jam sumpto duntaxat initio, jam fine, quandoque medio, prout sibi convenire arbitrantur ad calumnias & imposturas. Hoc artificio, ut id obiter dicam, contexti sunt libri Calvini, nominatim epistola dedicatoria, præfixa Institutioni: hinc multi abjurata hæresi, ad saniorem mentem, & ad Catholicam fidem rediêrunt, cùm citationes hæreticorum cum ipsis auctorum monumentis comparâssent, fraudésque in

Mos hæreticorum in citationibus.

adducendis veterum Doctorum testimoniis clarè deprehendissent.

Ex his intelligis, opinor, te sine Regula & vero loqui, cùm ais: *Jesuitas non habere regulam*, ídque, quod ad probandum adduxisti, falsum esse, ineptámque consequentiam. Falsum, quando dicis, *Jesuitas non habere jejunium, nullum ciborum delectum, nullum certum divinum officium.* Nam præter jejunia Ecclesiæ, habent suas abstinentias, & in victu cultúque asperitates, meditationes, *disciplinas*, & alias exercitationes: Quòd si non eundem modum, quem cæteræ Religiones, observant; non est mirum, cùm sit Religio distincta, quam oportet suo fini consentaneam vivendi rationem sequi. Obligantur etiam ad certum officium divinum. Qui enim sacris sunt initiati, recitant horas Canonicas, non secùs atque illi, qui in Choro, etiamsi non cantent. Sacerdotes Missæ sacrificium peragunt, Confessiones audiunt, concionantur non sine tuo cruciatu. Si funera non deducant, id fit, quia non est Instituti ipsorum: si deducerent, dicerent id fieri ex avaritia, ejus rei loco alii cuidam charitatis operi vacant. Si non astringantur Choro, id propterea fit, quòd per Dei gratiam numerosa sit proborum virorum ac mulierum multitudo, quæ abundè huic muneri satisfaciat; ipsi verò intea divino vacant obsequio in iis rebus, quas illi, qui canunt, præstare nequeunt, nec ipsimet possent, si cura canendi distinerentur. Est quidem opus Angelicum, divinas laudes in Choro concinere, munus tamen etiam Angelicum est, mentes hominum divina scientia ex suggestu illustrare. Cantus divinarum laudum cœlum penetrat. Idem facit verbum Dei. An non preces Matutinæ cumulatè compensantur Matutino duarum vel trium horarum studio, in rebus tam arduis, quàm fructuosis posito, & laboribus illis scholasticis, qui in Gymnasio suscipiendi & exantlandi in gratiam juventutis? An non Vesperarum & Completorii vicem præstant ejusdem generis & contentionis labores pomeridiani? An non tam operosum & molestum est, quotidie dispicere, qua ratione tot ingenia in scholis alas & pascas, quàm rituales libros pervolutare, ut videas, quid in Choro sit canendum? Æquiores plerique essent Judices, si intelligerent, quantas difficultates & molestias tam discendi, quàm docendi munus conjunctas habeat, nec quisquam inexpertus satis hoc nôsse potest. Et nisi ardore divinitùs immisso & amore boni publici impellerentur, quo tanquam condimento labor omnis dulcior & gratior efficitur, nescio, qui munus hoc nulla spe stipendii susciperent, vel in suscepto tamdiu constanter persisterent. Hæc tamen suavitas minimè impedit, quò minùs hujusmodi oc-

Cur Jesuitæ non habeant chorum.

A di occupationibus vires corporis paulatim exhauriantur, & lento quasi igne absumantur. Quæ causa, cur inter Jesuitas tam pauci senes & cana capita: quia plerique in ipso ætatis flore hoc jucundè quidem, sed tamen efficaciter dulci labore ex vita abripiuntur.

Cur pauci senes inter Jesuitas.

B *At Jesuitæ*, inquis, *nullum habent proprium habitum, ùt cæteri Regulares.* Quid tum? Id fit, quia sunt alterius familiæ. Quòd si habitus non facit Monachum, minùs etiam facit Regularem. *Habent suum habitum proprium suo modo: non sunt ergo Monachi:* Verum est; sed idcircò non desinunt esse Religiosi & Regulares: Equites S. Joannis sunt Religiosi, non sunt tamen Monachi. Apostoli erant Religiosi, & omnium perfectissimi, non erant tamen Monachi. Nam nomen *Monachi* propriè significat Anachoretas, qui solitarii vivunt in suis cellulis, sejuncti ab omni hominum consortio. Quare S. Thomas sui Ordinis homines inter Monachos non numerat, nec S. Bonaventura eos, qui sunt sui Ordinis, licèt utrique verè sint Religiosi. Quocirca latiùs patet res & nomen Religiosi, quàm res & nomen Monachi, nec est necesse, ut, quicunque Religiosus est, etiam sit eo ipso Monachus, non magis, quàm ut Carmelita sit Augustinianus.

Habitus Jesuitarum.

C At propterea tuo dilemmati & Syllogismo cornuto addendum est aliud cornu, tuæque divisioni aliud membrum, dandúsque locus tertio generi Ecclesiasticorum, quos nusquam gentium reperiri dicebas. Ecclesiastici enim tribus modis dividuntur: Alii sunt Clerici sæculares; alii Clerici Regulares, quorum Regularium nonnulli in communi vivunt sub uno capite & regula approbata, & hi omnes Religiosi sunt, Collegiis, studiis & operis communibus associati: Alii vivunt, aut vivere debent ex præscripto suæ regulæ in suis cellulis soli, qui propriè sunt Monachi, hoc est, solitarii: hæc enim notio Monachi vocabulo subjecta est. Nihil igitur causæ est, cur dicas, Jesuitas non esse Regulares, & impiè impugnes judicium Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ universalis, à quibus in numerum Religiosorum Jesuitæ adscripti sunt. Quòd si fortè auctoritas Canonistarum ruborem ex effronte tuo vultu elicere potest, ecce tibi Navarrum Doctorem Juris Pontificii longè omnium præstantissimum, & Cadurci, Tolosæ, in Hispania & Italia, in præcipuis Europæ Academiis profitendo & docendo spectatum. Hic igitur talis ac tantus duobus aut tribus locis suorum Operum disertè ostendit, Jesuitas esse veros Religiosos, non sine laude novi Juris huic Societati concessi, & virtutum, quæ in hac Societate elucescunt.

Testimonium D. Navarri de Jesuit. Comment. de Regular.

D

CAPUT LXX.

Refelluntur insulsi quidam Arnaldi joci.

E *JEsuitæ*, inquis, *habent multa votorum genera, simúlque profana & impia temeritate vota simplicia & composita*, nobis ingeminas, non sine certo improbitatis tuæ & ignorantiæ argumento. Nam nisi hospes in Christiana Religione esses, haud ignorares, in ea reperiri, non *composita vota*, ùt tu cavillaris; sed vota simplicia, vota solennia, vota publica, & vota secreta; quæ res tam manifesta est, quàm tua insciția, nec opus est pluribus verbis. Qui sunt ergo Jesuitæ? *Sunt veri exploratores Hispaniæ.* Jam tibi ostendi ineptiam istarum consequentiarum, & docui, quales sint Jesuitæ: nihilominùs coronidis loco addendum est aliquid, perspicuéque demonstrandum, te talem esse, quales Jesuitas esse dicis, à quibus hac in re immane quantum distare velis. *Jesuitæ*, inquis, *nec sunt Regulares, nec sæculares*, & vi istius antecedentis concludis: *Ergo sunt veri Hispani.* Idem dico: *Arnaldus nec est Clericus secularis, nec Regularis: Est ergo Hispanus.* Si tua consequentia bona est, cur non & mea? cùm sit ejusdem materiæ & formæ.

Vota Jesuitarum & Ecclesiæ.

F

Ineptia consequentiarum Arnaldi.

Attamen quia nomine *Hispani* intelligis more tuo Catholicum, nolo sumere tuum Antecedens, nec tuam conclusionem, veritate invita & reclamante. Accipiam, quæ vera sunt, & in te appositè quadrant. *Arnaldus nescit, quid dicat, quid scribat: est ergo delirus.* Arnaldus nescit etiam, quid significet secularis aut Regularis: est ergo ineptus Doctor Juris Canonici. Arnaldus injuriosè Apostolicam Sedem invadit, & impudenter totam ridet Ecclesiam: Est igitur hæreticus perfrictæ frontis. Arnaldus nihil aliud facit, quàm mentiri & calumniari: est ergo verus diaboli filius. Dices fortassis, me nimiùm huic tuæ collectioni & consequentiæ immorari, & ex muscâ elephantem facere; te enim conclusionem istam formâsse fervore fori & actionis abreptum, magísque risus, quàm probationis causa. Si risus gratia, rideamus ergo, patiaris, ut id agamus, quod nos agere voluisti. Memineris tamen, seriò & non ridiculè agendum & loquendum fuisse, coram supremo Senatu, & in causa tanti momenti, quæ à triginta annis nulla gravior & ad dijudicandum difficilior, tuo quoque judicio, in forum venit. Haud tamen credo, ardorem dicendi excussisse tibi illam argumentationem. Nam in libro saltem tuo typis impresso, sapere debuisses, si vitio & lapsu linguæ nimiùm calentis in errorem illum incideras. Sed verisimile mihi fit, te eò adactum nequitiâ, quæ te nunquam sinit esse mentis compotem, sed semper ridiculum facit, sive loquaris, sive scribas.

G

H

A Accedamus nunc ad alios tuos lepores, nominatim ad illum, quem ex illo reſponſo (*tales quales*) hauris, ut omnes diſpiciſo abant, quantoperè patientia auditorum abutaris; quod fiet, ſi originem reſponſi illius, tuámque inſignem ſubtilitatem cognoſcant. *Jeſuitæ*, inquis, *interrogati, quales ſint, reſpondent, tales quales.* Sed ut calumnia tua evaneſcat, obſervet Lector, velim: cùm tempore vehementis illius perſecutionis anno M.D.LXIV. à Jeſuitis quæſitum eſſet, qui eſtis vos? Advocatum quendam priſcæ fidei & moris, nomine Jeſuitarum reſpondiſſe; *Nos ſumus tales, quales nos eſſe voluit Summus Pontifex, Rex, & ſuprema Curia.* Quæ reſponſio omnibus Herodianis ſilentium impoſuit, linguásque præcidit. Tu igitur hoc loco non modò malum gloſſatorem & irriſorem, ſed & hæreticum recitatorem te nobis præbuiſti, amputando ex hiſtoria quidvis arbitratu tuo, & abutendo iis, quæ reliqua; reſecando caput & pedes reſponſionis, ut factum obſcurares, riſúmque captares, non ſine veritatis, vel potiùs tuo diſpendio. Tuam enim prodis ſtultitiam, cùm in eo reſponſo nihil riſu, ſed multa admiratione digna, contineantur. Quòd ſi rideas non ſenſum, ſed connexionem verborum, adhuc es ridiculus. Nam Cicero eadem verba ſæpè connectit, non ſine decore, imò etiam ipſius Latinæ linguæ neceſſitate. Quodam loco dicit: *Civis talis qualis & prudentiſſimus & fortuna optima eſſe debet.* Et alibi: Non tales, quales habitæ ſunt, habeantur. Quid igitur hîc habes, quod rideas, pecus Arcadicum? Intelligísne Latinam linguam & Gallicam? putâſtíne, quòd quemadmodum Gallicè proverbii ſpecies ineſt in verbis (*tel quel*) ita etiam inſit in Latinis? Nónne animadvertis, quòd aliorum auribus abuti volens, ipſemet ſis circumductus & circumactus tuis, quarum longitudo latitudinem ſuperat, cùm ne duarum quidem Latinarum dictionum vis in eas penetrare potuerit. Cùm igitur joci & apoſtrophæ tam infeliciter tibi cedant, ſuadeo & moneo, ut impoſterum his omnibus abſtineas: nihil aliud nôſti, quàm pungere & mordere, mentiri & calumniari, more pantomimorum & hiſtrionum. Nec quidquam intelligis, Judices tui ſunt viri ingenioſi. mihi in mentem revocâſti Æſopi aſellum, qui cum ſuo Domino ludere volebat, ſicut catellus melitæus.

B

Ad Atticum.

De Invent.

C

CAPUT LXXI.

Ex quibus locis Jeſuitæ ſint expulſi, & qua de cauſa.

D PRoximè ad perorationem tuam accedens, poſtremum impetum facis, tanta vi & violentia, ut varices propemodùm ruperis. Alia enim firmamenta ab exemplis, roborandæ tuæ cauſæ affers, & peragrata Italia, aliísque multis locis, demonſtratóque, quàm multis regionibus Jeſuitæ ejecti ſint, tandem concludis, *Jeſuitas ex Gallia quoque exterminandos eſſe.* Prudentiùs feciſſes, ſi omiſſa omni ratione, ùt hactenus, Invectivam tuam terminâſſes. Facilè enim divinare poteras, exoptatiſſimum illud Senatusconſultum jam conceptum eſſe, propediem pariendum, & in lucem edendum, & hoc rectiùs & aptiùs antecedentis loco poſuiſſes, quàm illa de Jeſuitis expulſis exempla, quibus nihil aliud confícis, quàm quòd deliram tuam ſtoliditatem, magis ſemper oſtendis. Nam non modò nihil contra Jeſuitas allata exempla efficiunt; ſed eosdem etiam ab omni criminis ſuſpicione abſolvunt. Cùm enim necdum probaveris, meruiſſe, ut expellerentur, quoties expulſos clamas, toties iniquitatem & improbitatem hoſtium Jeſuiticorum accuſas, & Jeſuitarum virtutem commendas, oſtendísque Judicibus viam & rationem, ut ſententiæ tuæ ſententiam contrariam ferant. Nôrunt enim, Apoſtolos & primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos juxta vaticinium Chriſti Domini noſtri fuiſſe ſæpiùs non ſine grandi injuria ex uno loco pulſos in alium, & paganos tuo more argumentari ſolitos: *Chriſtiani undique pelluntur, & ubique perſecutionem patiuntur: Ergo Roma pellendi ſunt, ùt communis quietis perturbatores*: Et hoc argumentum non magis valuiſſe, quàm malum exemplum, ex quo deſumptum eſt. His accedit, quòd illi, qui olim repudiârunt, aut expulerunt Jeſuitas, tandem illos revocârunt & receperunt.

E

F

Sorbona edidit contra Jeſuitas decretum valdè ſeverum & aſperum, anno M.D.LIV. quod & dicenti & ſcribenti uberem materiam ſubminiſtravit: ſed illud poſterius, quod publicavit anno ſuperiore 9. Julii, poſtquam probâſſet & agnoviſſet illorum doctrinam & virtutem per triginta annos, ſatis declarat, quanti illos faciat, & quòd Societatem approbet & recipiat, ſimúlque omne illud, quod in contrarium olim dictum aut ſcriptum, improbet, irritúmque reddat. Quæ reſponſio evertit etiam illud, quod mendaciter ſcribis, *ex Italia*, ſcilicet, *fuiſſe expulſos.* Etſi enim inde exterminati fuiſſent; tamen Collegia intereà in præcipuis regionis illius urbibus fundata & exædificata, Seminaria omnium propè nationum, quibus ibidem præſunt, functiones, quas Romæ obeunt, præſertim in æde D. Petri, tanto tot animarum bono, manifeſto indicio ſunt, eos Italis longè gratiſſimos eſſe, & ſi inde ejecti fuerint, injuſtam fuiſſe expulſionem, cùm necdum, qui eſſent, perſpicuè conſtaret.

G

Sed mittamus iſthæc, quæ jure pro defenſione Jeſuitarum adduci poſſent; factum videamus. Nego, unquam ex Italia pulſos, ma-

H

Jeſuitæ nunquam fuerunt

maláque fide, hæreticis innata, Ribadeneiram citas, accepto narrationis initio, ubi commemorat Ribadeneira, Jesuitas in Italia multis difficultatibus conflictatos, quod pro te facere videbatur, & prætermisso narrationis fine, qui totus spectat ad laudes Jesuitarum & Societatis, quam eò libentiùs admiserunt, quò accuratiùs fuerat probata & examinata. *Etiam Burdegala exterminatos dicis.* Respondeo, manere potuisse, si voluissent; sed maluerunt sua sponte urbe excedere, quàm id facere, quod salva conscientia facere non poterant. Magna autem affeciſti injuria Dominum Mattignonium Tribunum militum, cùm ejectionem illam vocas *præclarissimum & glorioſissimum facinus, quod unquam fecit Dominus Mareschalcus Mattignonius, etsi aliæ alioqui laureæ caput ei triumphale non unis obumbrent foliis.* His tuis verbis statim subjicis apostrophas & exclamationes diversis, iisque grandioribus characteribus. Tantum restabat, ut pictorum & sculptorum instar varia emblemata & parerga majoris apparatus gratia adjiceres. Injuria, qua illum afficis, in eo consistit, quòd ùt insignis adulator, ad cœlum usque extollis factum, de quo nihil sibi tribuit, Principis sui mandato id, quod fecit, facere coactus. Nam factum aliquod laude & prædicatione dignum censetur, vel ob utilitatem, vel ob difficultatem, vel ob utrumque. Utilitas nulla est in hoc actu, nisi hæreticorum judicio, qui utilissimum putant, exterminare omnes illos, qui laboribus suis Ecclesiæ prodesse possunt. At ex sententia verè Catholicorum non modò nulla est in hoc facto utilitas, sed ingenti etiam clade Rempublicam afficit, vel ob hoc solum, quòd tam numerosa juventus, quæ bonis literis sub Jesuitarum disciplina operam dabat, tam fidis Magistris & Doctoribus jam sit destituta. Omni præterea difficultate caruit id factum. Quæ enim difficultas magno militum Duci obstitisset, quò minùs expeditè Religiosos egenos ex urbe expelleret? Tota fortassis difficultas in illo ipso erat, quòd rem invitus exequeretur. Optabat enim, ut Jesuitæ sese ad aliorum voluntatem conformarent, & urbe non excederent. In quo igitur hanc tam insignem & insolitam laudem ponis? An nobis persuadere conaris, granum milii esse montem, & culicem elephantem?

Quòd si contentus laudare factum, omni comparatione & exaggeratione abstinuisses, vanitate futilis cujusdam nugatoris te duntaxat notâsses, sine ullius præjudicio admodum magni æstimando: At tam exile factum præferre omnibus, quæ Dominus ille unquam præclarè gessit, nihil aliud est, quàm de honore ejus, quidquid potes, decerpere, ita, ut quidquid unquam fecit, minus sit, quàm ipsum *nihil*, suspensis omnibus illius trophæis ex tenui filo, vel potiùs ex aranei tela. Ubi est animus tuus? ubi mens? ubi consilium? permultas laureas tribuis illi, omnésque occultas, & quasi sub ala muscæ reconditas. An non duplici ratione mundum ludibrio habes? Panegyricum illi canis, móxque eundem tuis verbis denuo tollis & funditus oblitteras. Itáne omnem intelligendi vim aut amisisti, aut pervertisti, ut adeò parvi facias omnia illa merita, quibus Dominus ille Reges Franciæ sibi devinxit, propter quæ ad eum quoque, quem tenet, dignitatis gradum evectus est? Síccine verò ne unius quidem assis æstimare audes, quidquid publicè & privatim, in bello & pace, contra externos & domesticos hostes, pro Regno Gallicano præclarè & fortiter gessit? Hoc enim agis, quando scribis, exiguum Jesuitarum numerum, inermem, & resistere nescium, Burdegala ejecisse, & ad S. Macarium septem Gallicis milliaribus à Burdegala distantem ablegâsse, præstantiorem esse reliquis omnibus victoriam, & facinus præclarius, omnibus illis, quæ unquam tota vita sua prosperè & viriliter fecit. Adeóne ineptus es, ut absque injuria neminem laudare possis? Ubi erat judicium tuum, quando hæc dicebas, & typis evulgabas? Sed non mirum: hæreticus es; hinc nihili facis, quidquid Dominus Mattignonius contra hæreticos gessit, plurísque tibi est exile illud incommodum Jesuitis illatum, quàm totum bonum Ecclesiæ allatum. Mercedem eloquentiæ tuæ aliam non optâssem, quàm ut coràm adfuisset Dominus Mattignonius, quando apostrophen illam voce nautica detonabas. Usurpâsset in te illud, quod Hannibal in Phormionem Oratorem: *Nunquam audivi hominem in loquendo ſtultiorem*: Vel illud Regis Pyrrhi in absonum tibicinem: *Mallem audire hinnitum mei equi, quàm istum.* Intereà noveris, Jesuitas Burdegalæ amari ab omnibus probis, quorum adhuc ibidem, DEI beneficio, magnus numerus. Noveris, Senatum Burdegalensem, Jesuitis parentis instar semper præstò fuisse, omnésque magno animi mœrore agnoscere, Jesuitarum discessum redundare in maximum detrimentum multorum millium adolescentum, qui labore Jesuitarum, literis & pietate informati, & tam ad bene dicendum, quàm ad bene vivendum egregiè instructi fuissent; ut taceam jacturam illam, quam innumeri alii fecerunt, quibus & auxilium & solatium, per hanc expulsionem, ademptum est. Noveris, Jesuitas Burdegalam reversuros progressione temporis, illo adjuvante & annuente, qui manu sua corda Regum tenet & versat, quíque Oceanum & *Lunam* & ventos in sua potestate habet, & qui Garumnam mari, & Su-

A runt ex Italia pulsi.

Cur discesserint Burdegala.

Plut. in Pyrrh.

Portus Burdegalensis vocatur portus Lunæ.

A & Suberno, ſecundo vento implere poteſt, qui undique provehat & promoveat navim Jeſuitarum, ut eò deferantur.

Cæterùm tantum tibi judicii non fuit, ut fingeres & afferres exempla contra Jeſuitas paulò ad rem tuam accommodatiora. Si ſciviſſes expulſos Cæſarauguſta in Hiſpania, & anno M. D. LXI. ex Pameria in Provincia Narbonenſi, & non ita pridem ex Tranſylvania: item quot in Japponia difficultatibus conflictentur ſeptem vel octo jam annos Rege Cabacondono in exitium & exilium illorum advigilante, expulſionem ex tota Japponia, ùt tu ex tota Gallia, urgente, adeò, ut Jeſuitæ bis jam ad diſceſſum accincti ſolum vertere, & in Indiam renavigare voluerint. Si ſciviſſes etiam adverſarios Jeſuitarum Avenione anno M. D.
B LXIII. tormentum bellicum jam onerâſſe, ut illud in Collegium ſine mora exonerarent, niſi prudentia Cardinalis Armaignaci impetum furentis populi cohibuiſſet, & ſeditionem calumniis clandeſtinorum hoſtium excitatam compreſſiſſet; ſi hæc, inquam, & id genus alia explorata habuiſſes, uberem certè & præclaram dicendi, & gloſſematis tuis amplificandi materiam habuiſſes, & non parùm exultare hîc & longiùs exſpatiari potuiſſet Oratio: primùm quidem in foro, poſteà impreſſa in toto mundo, donec ego reſpondiſſem ad ſingula. Et ad primum quidem, honorificè Cæſarauguſtam fuiſſe revocatos, non ſine
C aſſenſu, addo & bono illorum, qui ejectionis auctores fuerant, & ab illo tempore ibidem ſemper ſtabili ſede vixiſſe, amatos & honoratos ab omnibus. De Pameria non eſt mirandum; inde enim ab Hæreticis ejecti ſunt, in quorum tunc poteſtate urbs erat, qui poſteà ne cæteris quidem Religioſis pepercerunt, quod in reliquo Galliæ itidem factitabunt, ſi aliquando rerum fuerint potiti, ùt Pameriæ; ſed expelli ab improbis, teſtimonium eſt veritatis: quamobrem diſceſſus hujuſmodi Jeſuitis laudi & honori eſſe ſolet. Quod ad Tranſylvaniam attinet, ſpes eſt fore, ut adminiſtratio Provinciæ non ſemper ſit penes hæreticum, atque adeò, ut non longo pòſt tempore Jeſuitæ revocentur, cùm grati ſint & chari Principi, qui tempeſtate hæreticorum jactatus tenerioribus annis, navem nonnihil ad eorum voluntatem flectere debuit. In Japponia quinquageſimum jam agunt annum, nec temerè ſperant, divinam bonitatem non permiſſuram, ut ſaluti tot millium, qui illic Chriſtianam Religionem amplectuntur, Magiſtri, Doctores & paſtores ſubtrahantur, quin potiùs effecturam, ut nova iſthæc vinea indies magis effloreſcat, & ubertate ſua ſterilitatem antiquæ confundat.

Jam revocati ſunt in Tranſylvaniam.

D Avenione non exceſſerunt Jeſuitæ, patefactis patientia & virtute mendaciis hoſtium, proborúmque animis, & voluntatibus omni officiorum genere ſibi conciliatis. Quòd ſi Avenionem reliquiſſent, damnum ad urbem, non ad Jeſuitas manâſſet, quod non fugit Pium V. ſanctiſſimæ memoriæ Pontificem, qui Domino Joanni Michaëli primario Avenionis civi, nuncium de tumultu excitato afferenti dixiſſe fertur: Væ Avenioni, ejectis inde Jeſuitis. Hæc & alia de genere eodem tibi reſpondiſſem, & ad meliorem mentem reducere te conatus fuiſſem, ſi ſuprà dicta exemplа attuliſſes; ſatius tamen arbitror, quòd ea ignoraveris. F. Dictum Pii V.

CAPUT LXXII.

Amicos Dei ſemper variis moleſtiis fuiſſe exagitatos.

F OStendi hactenus, hujusmodi perſecutionis exempla nihil ad tuam cauſam conferre: nunc docebo te, tales vexationes & moleſtias eſſe virtutis ſymbola & argumenta, quibus perſpicuè demonſtrari poſſit, Jeſuitas in Gallia retinendos eſſe. Nam perſecutionem pati, variiſque caſibus agitari & expelli propter Juſtitiam, in amicitia Dei, eáque intima hominem collocat. Et quemadmodum ærumnæ, filiorum Dei, notæ ſunt & teſſeræ; ita eædem teſtimonia ſunt animi conſtantis, generoſi, Deóque chari. Ridebis fortaſſis, vel potiùs ſurda aure præteribis id, quod dico; ſed fac, quod lubet; & quantum voles, delira, ego tamen non deſiſtam, ſed in incepto pergam. Sacræ literæ obviis ubi-
G que hiſtoriis & eventis, ſententiæ meæ adſtipulantur: ſemper enim, quando Deus filios & famulos ſuos ex tenebris in lucem eduxit, validos illis exercendis & exagitandis oppoſuit adverſarios. Nullus unquam populus tanta pertulit, ſive domi ſive foris, quanta Hebræi, populus à Deo electus, ita, ut Cicero divinorum conſiliorum ignarus, vocaverit populum ad ſervitutem natum. Job ex præcipuis Dei amicis erat, & tamen non effugit hoſtilem impreſſionem,
H & quidem magnitudini virtutis, qua clarebat, convenientem. Neque id alio conſilio divinitùs accidit, quàm ùt Sapiens ait: *Dedit illi forte certamen, ut vinceret.* Prima concio, quam Dominus & Dux noſter ad Apoſtolos & diſcipulos, & in ipſis ad omnes Chriſtianos habuit, fuit de perſecutione, cui tertium & octavum locum inter Beatitudines dedit, & ut neceſſitatem & utilitatem ærumnarum & calamitatum altiùs in mortalium pectora imprimeret, adjecit ſub finem quaſi coronidis vel potiùs epilogi loco: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos, mentientes, propter me.* Et paulò antè, quàm ex hoc mundo diſcederet, dixit:

Pro Prov. Conſul.
Job. 1.
Sap. 10.
Matth. 5.

A dixit: *Nunc venit hora, ut quicunque interfecerit vos, putet se obsequium præstare Deo. Plorabitis & flebitis; mundus autem gaudebit.* Joan. 16. Postquam autem hæc & similia non modò verbis, sed & innumeris patientiæ exemplis docuit, ad extremum tamen insigne hujus rei specimen dedit, immane crucis supplicium tanta cum tolerantia perpessus, qui sanè cruciatus omnium, quos unquam pertulit, acerbissimus & molestissimus extitit. Actor. 9. Cùm electo illi vasi D. Paulo Apostolo Deus traderet patentibus quasi literis officium prædicandi, & Evangelium ubique annunciandi potestatem faceret, subjunxit clausulæ loco: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Cùm Regum quispiam magni pendit virtutem alicujus ex subditis, non patitur residem langueſcere; sed utitur ejus opera, temporibus præsertim formidolosis & periculosis, si quidem militarem disciplinam calleat.

C Ipsa Dei Ecclesia quid aliud est, vel fuit, quàm meta & scopus, in quem omnia sua tela conjiciunt Tyranni, pagani, hæretici, flagitiisque contaminati? Firma tamen stat, stabitque inter undas, & in mediis belli fluctibus gloriosè triumphavit. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Psal. 109. Hinc vocatur Ecclesia terribilis, ùt castrorum acies ordinata: Qui omnis persecutionis expers vivit, neque in hac vita legitimè certat, is profectò in altera neque coronabitur, neque in librum vitæ inscribetur. In lib. Num. Ex filiis Israël illi tantùm in catalogum populi Dei relati sunt, qui habiles erant armis ferendis & tractandis: præcipui cultores & amici Dei variis calamitatibus exerciti sunt, tam in lege Gratiæ, quàm in lege Moysis, imò & ante hanc. Et ea est dæmonis natura, ut maximè invadat manu promptos & bello strenuos; alios tanquam calones & lixas, & non tam ad arma, quàm ad pabulum natos spernit; delectis ad conflictum, permissu Dei, intrepidis, pugnandíque peritis.

D Quia verò inter egregia virtute bellatores, Religiosi primas tenent, ideò dæmon præ cæteris hos sibi oppugnandos sumit, eorundémque felices progressus & successus interrumpere indesinenter conatur. Quid ærumnarum subeundum non fuit priscis illis Anachoretis, & familiarum Deo dicatarum fundatoribus & principibus, S. Augustino, S. Bernardo, S. Brunoni, S. Benedicto, eorúmque discipulis. Eximio item illi Alberto Patriarchæ Hierosolymitano, Carmelitarum instauratori, & post hos S. Dominico & S. Francisco: Monumenta, quibus res ab illis gestæ comprehensæ sunt, loquuntur, & in omne ævum loquentur, quæ & quanta pertulerint. *Noverat* (inquiunt) *antiquus hostis, hos Ordines Ecclesiæ Dei admodum profuturos, propterea multùm illis obstitit, ita, ut ad nihilum ferè redigerentur.* Et quò clariùs in-

telligebat, hujusmodi Ordines Regno, sive potiùs Tyrannidi suæ obfuturos, eò hostis acriùs & violentiùs instabat & urgebat; Deo tamen ex altera parte eosdem adjuvante, & tanta gratiæ copia perfundente, ut bonorum operum feracissimi, semper magis atque magis invicto animi robore eniterent. E

At quæ causa, dixerit fortè quispiam, F cur Deus velit sibi charos, tot casibus volvi, tot periculis objici, tantísque vexationibus exagitari? causa liquet: Quia locus, in quo degimus, locus est certaminis, hostium, probationis & victoriæ. Hinc requiritur, ut more Ducis nostri variis laboribus cœlestem coronam nobis comparemus. Cœlum patria est filiorum Dei, locus pacis, amicorum, mercedis & gloriæ. Antiqui Romani in Provinciis exteris bellum gerebant, & in urbe sua triumphabant. Inter actiones humanas primum locum sibi vendicant res in bello fortiter & præclarè gestæ. Nam ut quis tam egregia facinora edat, oportet, ut & animi virtute, & robore corporis excellat. At in actionibus Christianis & Religiosis, principatus debetur illis, quæ ad spiritualia arma & certamina pertinent, quæ longè plus difficultatis continent, quàm externa: quia virtutes quoque longè præstantiores requiruntur, & sæpè fit, ut, qui in militia hac externa optimus & strenuissimus Imperator est, is in illa spiritali, vix caculæ munus ritè obire queat, tum scilicet, cùm domandæ occurrunt pravæ cupiditates, libido, ambitio, avaritia, & id genus alii hostes. Nihil ergo mirandum, si Deus velit suos servos probare suam virtutem in hac tam nobili palæstra. Cùm igitur Deus ex peculiari cura, qua rebus omnibus decenter & convenienter providet, hac postrema mundi ætate suscitaverit hanc novam Societatem, in præsidium & subsidium Ecclesiæ suæ afflictæ, contra Sathanam, ejúsque catervas, non est dubitandum, quin hostis iste cum suis manipulis, quorum præcipui hæretici, huic recenti famulorum Dei agmini malè velit & faciat, & eò magis, quò clariùs intuetur, quantum Reipublicæ suæ ab hac Societate detrimenti & cladis impendeat. Nam & ipsæ feræ, quibus ferocia major, ex ingenti venatorum numero, in illos potissimùm incursant, quos telis & hastilibus sibi imminere conspicantur. G

Neminem fugit, quanta Societas hæc H pertulerit in suo capite, & ùt Ribadeneira loquitur, antequam nata esset, & quanta in membris; postquam nata, quanta in Collegiis extruendis, fundandis & dotandis, quanta in omnibus suis partibus, etiam Novitiis. Quis Religionis Institutor tanta unquam adversa passus est, martyrio excepto, quanta Ignatius de Lojola in Hispania, Gallia, & Italia? Quid non passi sunt per-

Quanta Jesuitæ ubique sint passi, & præsertim in Gallia.

A permulti hujus Societatis doctrina & virtute insignes viri? Quis nescit, ut de Gallia nostra loquamur, imposturas & calumnias contra Joannem Maldonatum, Edmundum Augerium, Claudium Matthæum, Jacobum Tyrium, & jam contra Hannibalem Codretum, Jacobum Comoletum, Bernardum Roillet, Ambrosium Varàdium, ut prætermittam eos, qui recenti memoria fuerunt aut extremo supplicio extincti, aut quæstionibus torti Parisiis, aut ex Gallia superioribus mensibus proscripti, imò in ipso etiam nomine & titulo Societatis suæ exagitati sine modo & exemplo: licèt aliquæ Religiones sint nominibus, hominum invidiæ magis obnoxiis, insignitæ,
B ùt suprà ostendi. Notum etiam est, Jesuitas nunquam fixisse pedem vel sedem, quin statim tanquam rerum adversarum cumulo propemodum obruti fuerint, ita, ut meritò quidam ex Jesuitis olim dixerit, Collegia non exædificari antiquo more, ùt templum Salomonis absque strepitu & sonitu mallei & dolabræ, sed novo modo & ritu, instar Ecclesiæ JEsu Christi crucifixi, non sine laboris & sudoris fragore & gemitu. Quod ad Novitios attinet, major eorum pars plerumque malè tractantur, aut à parentibus, aut consanguineis, & infinitas patiuntur molestias, ut mundi laqueis sese extricent.

C A triginta annis nullus Novitius visus est, ad Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium, Prælatorum, Procerum & Parlamentorum tribunalia abduci, & tanta contentione à Religionis ingressu quasi ab ara Dei abripi, tótque molestiis divexari præter Societatis Candidatos & tirones, aut si qui pauculi aliorum Ordinum his adjiciendi videntur: licèt revera ad quodvis Religiosæ vitæ institutum aptissimi sint, & omnibus illis dotibus exornati, quæ à tirone exigi solent, præsertim in Societate, in quam nullus sine accurata probatione & examinatione cooptatur. Hinc quemadmodum dæmon olim Societatis hujus ortum, diémque natalem præpedire conatus est, persequendo primum auctorem: ita ejusdem progressum & conservationem tollere molitur, tollendo & abigendo semen illud, ex quo quotidie nascuntur, qui Societatem conser-
D vent & perpetuent. Quo pacto olim etiam Pharao pueros masculos Hebræorum extinguebat, ut totam nationem deleret. Et cur diabolus tanto furore in istam Societatem debacchatur? Quia nihil aliud cupit, quàm ut Societas hæc, sicut & alii Ordines, funditus extirpetur & aboleatur. Cur Jesuitæ tot ubique invenerunt adversarios? Quia vitiis & flagitiis omnia redundant, in quæ, tanquam imperterrito pectore milites, velis remísque pugnant, nec parùm laudis inde consequuntur, quòd in prima acie stantes primi semper hostem in prælia poscant, primíque pro Christo quosvis labores subeant, ferísque fluctibus agitentur. Honori E illis est, quodlibet pro Christo exilium, & quævis proscriptio, ut ita vestigiis patientiæ suæ omnes orbis provincias consignent. Honori illis est, in Oriente tinxisse novum orbem proprio sanguine, truculenta Ethnicorum manu effuso, & in Occidente Oceanum tot sociis una strage hæreticorum rabida perfidia interemptis. Honori illis sunt calumniæ & criminationes ab improbis & Ministris, & inprimis ab Invectiva tua profectæ; tantúmque abest, ut propter res tam adversas abjecto sint animo & facto, ut inde non parùm spei concipiant, fore, ut victoria eò sit glorioſior, quò pugna nunc ingruit molestior & vehementior.

CAPUT LXXIII.

Examinatur Epilogus Arnaldi.

IN Peroratione eloquentiæ tuæ frena laxâ- F sti, tædísque ardentibus exagitatus, & œstro percitus calcitras, tonas, fulminas, omnia permisces, & quidquid toxici & rabiei sub pectore latebat, eructas, omnésque tuas cohortes ex trecentis & viginti mendaciis, ducentísque calumniis collectas, explicas, & in apertum profers. Ubi Latinè in ea verba prorupisti: *Quantum potero, voce contendam;* Ubi vocem tuam futuris sæculis consecrâsti, ubi etiam ultimo impetu ostendisti, te esse hæreticum, dum apertè testificaris, te non posse ullam quietis partem capere, donec ex Gallia Jesuitæ exterminentur, tandémque optas, ut inde etiam Religio Catholica cum Jesuitis proscribatur. Quid enim aliud si- G bi vult hæc tua Oratio? *Nec unquam profectò à curis vacuus ac solutus hic meus erit animus, quamdiu Jesuitæ, Confessores illi & instructores talium Assassinorum, ictus suos destinare poterunt, non in pectus modò & latera, sed in jugulum ipsum Galliæ, imò Regis. At ut primùm hunc communem aërem purgaverint præsentiæ suæ fuga, tunc securus agam, tunc lætus, tunc videbo fractas disjectásque tota passim Gallia infortunatas illas Hispani machinas. Omnes fraternitates illæ nominis Jesu, chordæ, cucullæ, coronulæ, rosaria, collaria parvula, & alia infinita in fumum abibunt ac ventum.* Sodalitates igitur Nominis Jesu, H & Congregationes B. Virginis, & alias, appellas tu *Hispaniæ infelices machinas & molitiones*, & ut eas exterminandas esse suadeas, suades, ut Jesuitæ expellantur. Sed dic mihi, Arnalde, súntne Congregationes istæ bonæ, an malæ? Si abnuis esse bonas, hæreticum te patefacis: Si annuis bonas, cur ejici cupis? An non quia hæreticus & improbus? Et si expellendi, quicunque has Sodalitates fovent & tuentur, oportet igitur cum Jesuitis proscribere reliquos etiam Religiosos, qui plerasque illarum gubernant: Jesuitæ in suis Collegiis nullas alias

A alias habent, præter eas, quæ ſunt B. Virginis: tu cupis omnes ejici; cupis ergo, ut, qui ſunt aliarum Congregationum adminiſtratores, exterminentur, ut omni cura & metu ſolvaris.

B Eadem utrinque ratio eſt, quam non ignoravit, ſed publicè alia quadam occaſione expoſuit Dux Nivernenſis, quando in libello ſuo ſupplici dixit: *Si Jeſuitæ ob ſermones quoſdam expellendi ſunt; & ſi rogatu & impulſu Rectoris decretum eſt, ut omnia Collegia in Galliis evertantur, jure etiam poſtulabitur & obtinebitur, ut Monaſteria Minimorum & Franciſcanorum & Dominicanorum aboleantur, cùm eadem ſit illorum, quæ Jeſuitarum cauſa.* Idem in propoſito dicere licebit. Si Jeſuitæ in exilium agendi ſunt, ut tollantur Congregationes, quibus præſunt, oportebit etiam ejicere quatuor Mendicantium Ordines, & omnes Religioſos, & Religionem Catholicam ex Gallia cum ſuis Congregationibus, ut Arnaldus ſit quietus & formidinis expers.

Dictum Ducis Nivernenſis.

C Nec abhorrebit hoc ab hæreticorum conſuetudine, qua Religioſos non ſimul, ſed ſigillatim exterminant, ſumpto initio à Jeſuitis, ſi in eorum urbibus habitent. Ita fecerunt Pameriani, ita fieri optas in Gallia, & incipis à Jeſuitis, talis patronus es Galliæ & Religionis. Miſerrime & funeſtiſſime cauſidice, utinam ſaperes & intelligeres, quàm aptum & exoptatum diabolo tua lingua ſit organum, & quàm idoneum inſtrumentum parandi & muniendi viam Antichriſto. Quid enim aliud facis infamando hunc Ordinem, ejúsque ex Gallia expulſionem & proſcriptionem urgendo, actione tam dentata & acerba, quàm quòd (ut innumera alia damna ſilentio prætream) juventutem privas bono quantumvis immenſo precio non æſtimabili; à Doctoribus Catholicis alienam efficis; à doctrina Catholica retrahis, ne ad Chriſtum accedat, impedis, dum aditum ad illos, qui Chriſtum annunciant, intercludis. Quod quid aliud eſt, quàm hortum Eccleſiæ in ipſa quaſi plantarum teneritudine depopulari, & in ipſis fundamentis evertere, viámque ſternere adventui illius, quem divina oracula *filium perditionis* nominant.

D Joannes Gerſon inter præcipuos ſui ſæculi Doctores, Cancellarius Pariſienſis, bonus Gallus & bonus Catholicus, poſtquam oſtendiſſet ex Scriptura, quàm gratum Deo ſit obſequium, quod pueris inſtituendis impenditur; & quantoperè odiſſet illos, qui teneram ætatem vel ſuaſu vel vi, vel alia ratione abs ſe averterent, ſcripto etiam conſignavit media, quibus ad ſe adduci poſſent, quæ omnia affinia ſunt iis, quæ in Jeſuitarum ſcholis obſervantur, & uſurpantur. Et ſub finem, poſtquam declaraverat, quanti momenti ſit recta juventutis informatio ad reparandam & inſtaurandam Academiam Pariſienſem, & ad totius Eccleſiæ bonum promovendum ſic concludit: *Ex hac præterea conſideratione conſequens eſt, nullum magis inimicari Eccleſiæ, & præparare omnia Antichriſto in ejus demolitionem, quàm facto aut verbis, clàm vel palàm, obviantem voci Chriſtì dicentis: Sinite parvulos venire ad me.* Hac igitur inſtitutione ſublata, probâſti, te inſignem eſſe Eccleſiæ hoſtem, everſorem, & Antichriſti prodromum, omnibus modis adverſantem Chriſto, qui parvulos ad ſe venire jubet.

Joan. Gerſon libro de trahend. ad Chriſtum parvul. conſid. 2. ad finem.

E

CAPUT LXXIV.

Quæ ſit natura calumniæ & calumniatorum.

F HActenus puto me omnia tua argumenta diſſolviſſe, & perſpicuè demonſtrâſſe, Jeſuitas non eſſe cauſas cladium Gallicanarum, ſed potiùs magnarum utilitatum in Regnum noſtrum auctores: te verò miſerum & ignarum eſſe cauſſidicum, ſine lege, ſine probatione, ſine ratione, repando duntaxat roſtro, dentibus & ungulis armatum, & præ omnibus his malitia & improbitate, quæ eſt vita & anima actionis tuæ. Finiam, ſi tamen unum adhuc non exigui pro Jeſuitis ponderis attulero, & eſt hoc, ut declarem naturam, conditionem & effectus calumniæ. In hac enim nervus Invectivæ tuæ conſiſtit, qua proinde everſa & disjecta, neceſſe eſt, te inermem, omnibúsque præſidiis deſtitutum reddi, exutúmque omnibus veſtimentis, honorariam mulctam ſubire, & palinodiam cantare oportet, accenſa face, donec Juſtitia divina vel humana, vel utraque graviorem tibi pœnam decernat.

G Quid eſt igitur calumnia, & quæ ejus natura? Eſt detractio invidioſa conſtans malignis cavillationibus, & in ſpeciem probabilibus interpretationibus dictorum & factorum proximi, ut diffametur, & inviſus vel deſpicabilis apud alios efficiatur. Avum habet diabolum, parentem Superbiam, matrem Invidiam: ex diabolo prognata eſt Superbia, ex hac Invidia, & ex his duabus tanquam proximis parentibus Calumnia; cujus ſedes mens improbi & ſcelerati; meta, quam petit & ferit, viri probi, eorúmque dicta & facta etiam laude digna, & ex probis ii potiſſimùm, quorum vita in publico verſatur, bonóque publico operam ſuam navant: rarò impios aggreditur, quia vitium non pugnat, niſi in oppoſitam ſibi virtutem, & improbus, quà improbus, non habet materiam calumniæ, ſed potiùs contemptus & ſupplicii, & ùt invidiæ ſubjectus non eſt, ita nec calumniæ, quæ ex hac exiſtit. Familiare, imò ſolenne eſt calumniæ, alterius virtutem onerare & traducere nomine vitii contrarii, ſuúmque vitium alteri affingere, virtutísque actionem

Definitio calumniæ.

Origo ejus.

H

verbis malignis deprimere, falsísque interpretationibus imminuere, adjuncta semper prava aliqua circumstantia, non sine fraude & mendacio. Joseph castus erat, & hero suo fidus, at calumnia velut adulterum & infidum traducebat, cùm tamen illa, quæ insontem accusabat, utroque crimine teneretur. Castitas vocabatur impudicitia, & meretrix insimulabat illum libidinis, cui pudicitia tam erat cordi, quàm vita. Susanna matrona casta & pudica, postulata fuit adulterii per Judices adulteros. Apostoli pleni sancto Spiritu, de rebus cœlestibus & Christiana fide divinè prorsus differebant, Judæi tamen criminabantur eosdem tanquam musto ebrios, & quid dicerent, ignaros. Regnum calumniæ & præcipua penetralia sunt aulæ Procerum, urbésque, quarum incolæ vitiis & flagitiis cooperti.

Gen. 39.

Dan. 13.

Act. 2.

Ubi regnet calumnia.

Porrò quemadmodum diabolus hujus sceleris auctor est: ita ab eodem nomen sibi vendicat: Nam *diabolus* calumniatorem significat, eáque perpetim ante omnia velut scuto & galea usus est, & quidem primo semper loco, & in prima acie. Primum, quod post lapsum egit diabolus, ut mundum turbaret, hominésque à destinata salute remoraretur, fuit calumniari, & quidem ipsam bonitatem. Nam cùm Evam in præceps agere vellet, calumniatus est præceptum Dei, significans id homini positum per invidiam, ne esset Deo similis, & adscribens hac ratione Deo vitium, quo ipse vel maximè laborabat. Ille idem, qui omnis improbitatis & nequitiæ sator est & artifex, non abstinuit hac quoque in re Deum traducere & calumniari, malorúmque originem ad eum referre, excitando hæreticos, qui blasphemo ore asseverarent, *Deum esse peccati auctorem*, quod divinæ potentiæ, bonitati & sapientiæ penitus repugnat, cùm peccatum oriatur ex infirmitate, malitia & insipientia. Hanc hæresin omnibus inferorum monstris horribiliorem suscitavit Calvinus hoc nostro sæculo, cum Zwinglio, Beza, & aliis: quamvis pudore & rubore suffusi cogantur aliquando verbis tectis & simulatis, ambiguis & vacillantibus tam impiam blasphemiam tegere: sed ut maximè tegant, non tamen omnino contegent aut sepelient. Nimis enim apertè suis in libris id affirmant. Si diabolus nomini suo convenienter ausus est calumniari Deum, quantò minùs credendus est peperciisse servis Dei? Omnium, quos terra alebat; in medio nationis pravæ & infidelis, justissimus erat Job, illum tamen coram Deo & Angelis calumniis appetiit dæmon, dicere nihil veritus, Job ea, quæ ad Dei gloriam & cultum agebat, agere spe & dulcedine divitiarum, quibus à Deo cumulabatur: quod quid aliud erat, quàm totum meritum sanctissimi illius viri funditus tollere & extirpare? Omnium servorum fidelissimus, & bellatorum, quos Saul in sua familia habebat, bellicosissimus erat David, in quem calumniæ spicula vibrare adversarius humani generis minimè est cunctatus, excitatis canibus, qui invidiæ rabie perciti allatrarent trophæa & præclara facinora Davidis; insectati enim eum sunt apud Regem, ùt labem & pestem Regni, arrogantia & ambitione tumidum, ùt insidias tendentem ipsi Regi, quò Rege interempto, sceptri potiretur. Quid multa, omnes actiones & propemodum cogitationes Herois invicti & generosi criminationibus & calumniis maledicorum patebant. Qua de causa sæpè precatur Deum, ut se liberet à lingua dolosa, & à verbo mendaci.

Gen. 3.

Cal. lib. 1. Inst. cap. 17. & 18. & lib. 2. c. 4. & lib. 3. cap. 23. Zvvingl. ser. de provid. cap. 5. Beza contra Castal.

Job. 1.

Patet hoc potissimùm ex libro 1. Regum.

Secundus David primo sine ulla comparatione sanctior & melior, omniúmque domesticorum & familiarium Dei fidelissimus, eandem subiit aleam, instinctu ejusdem veteratoris, & opera eorum, quibus ipse virus tabidæ suæ mentis afflaverat. Nónne Christo tribuit cognomenta virtutibus & studiis illius planè adversa; ídque eo fine, ut bonam de eo existimationem è mortalium animis eriperet. Anné ullus extitit, qui viam & dogmata veritatis accuratiùs, fideliùs, & explicatiùs traderet & explanaret, aberrantésque recto tramiti restitueret, quàm Christus ipsa Veritas, à qua omne verum? Accusatus tamen est, quasi populum seduceret, seductórque audiit. Idem Redemptor noster verbo & exemplo, id, quod Cæsaris erat, Cæsari reddidit, reddendúmque ab omnibus docuit: nec tamen rebellionis, seu potiùs perduellionis accusationem effugit, tanquam hostis Cæsaris & Reipublicæ. Quicunque se Regem facit, contradicit Cæsari, & inimicus Regis est. Invenimus hunc prohibentem tributa dare Cæsari: jus tributi exigendi, est nervus Regni. Quis unquam pacem magis dilexit, quàm ipse, qui princeps est pacis, verus Salomon & Rex pacificus, annuncians nobis per Angelos pacem in suo Natali, pacémque nobis in vita donans, & sub ipsum mortis tempus eandem velut testamento nobis legans & confirmans: Et tamen *seductoris* infame nomen subiit, communísque quietis *turbator* appellatus est. Invenimus hunc subvertentem gentem nostram. Item: Commovet populum. Fuítne quis unquam magis sobrius & temperans in victu, quàm ipse? *Vorax* tamen *& potator vini* dictus est. Quis Prophetarum potentiùs & efficaciùs ex corporibus obsessis dæmones expulit, quàm Christus? & tamen *sortilegi, magi* & *dæmonum amici* nomen tulit, adeò impudens & importunus est diabolus, in calumniandi studio, adeóque juvat improborum linguam conviciis & criminationibus adversus insontes armare & exacuere.

Psalm. 11. & 51.

Matth. 27. Luc. 23.

Matth. 17. & 22. Joan. 19.

Luc. 23.

Matth. 11. Luc. 7.

Matth. 9. 12. Luc. 7.

CAPUT

CAPUT LXXV.

Arnaldum & Hæreticos objicere Jesuitis eadem scelera, quæ olim Idololatræ Christianis.

QUia verò summa illa sapientia non ignorabat, diabolum semper fore sui similem, id est, diabolum & calumniatorem, neque magis parsurum membris & corpori Ecclesiæ, quàm capiti, ideò futuræ infestationis & impressionis commonere volens discipulos, & in his omnes Christianos, ne animis deficerent, sed potiùs exoptatos fructus, ex omnibus molestiis colligerent, hæc ait: *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Si* (Calumniatores) *patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?* In primo sermone, quem ad discipulos habuit in monte, documentis animavit eos, illis, quæ paulò antè attulimus: *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines propter me, & dixerint adversum vos omne malum. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Quod prædixit, id nec illis, nec Ecclesiæ defuit. Nam si unquam viri justi pertulerunt calumnias, Apostoli certè & primi Christianorum eas pertulerunt, & inter Apostolos S. Paulus modo singulari electus Apostolus, ante alios calumniis improborum exagitatus est, quos nulla religio absterruit, quò minùs mentirentur, Paulum non esse Apostolum, ùt ex ejus epistolis apparet, in quibus sæpè Apostolatus sui testimonia profert, confutatis pro bono Ecclesiæ maledicorum hominum convitiis & criminationibus.

Luc. 6.

Matth. 10.

1. Cor 9.

His adde veteres Christianos, quibus ab Ethnicis atrocissima crimina, & à Religione Catholica planè abhorrentia, per summam injuriam sæpiùs objecta sunt. Primò traducebant & criminabantur tanquam superstitiosos, & Christianam Religionem appellabant, nominatim Tacitus, *exitialem superstitionem*, planè mendaciter & calumniosè. Nam apud Christianos vera erat Religio, & Ethnici innumera superstitionum multitudine tenebantur obruti. Secundò traducebantur Christiani tanquam Magi & venefici, quódque carnibus humanis, & quidem propriorum liberorum vescerentur, hostes Imperii & Imperatoris, pro quo nullas preces funderent, rei læsæ majestatis, rei omnium flagitiorum, inimici Regum, Legum, bonorum morum, & totius naturæ, ùt ex Tertulliano colligi potest. Tertiò Christianis adscribebant causam omnium cladium, quibus affligebatur Respublica, quam calumniam multis depellit S. Augustinus in libris de civitate Dei, ex quo concludebant, Christianos exterminandos, & è medio tollendos esse. Quid autem tot cladibus Romanum Imperium attrivit præter scelera & flagitia, quibus Pagani immersi vivebant?

Tertull. in Apolog. & in libro ad Scapulam. Tacit. lib. 15.

Similis est hæc calumnia illi, quam nunc diabolus per Zvvinglium, Calvinum, & alios hæresiarchas in ipsum Deum jacit, dum isti Deo causam scelerum, & quod hinc est consequens, malorum omnium assignant, quod nihil est aliud, quàm ipsam divinitatem de throno & solio suo, quantum in ipsis est, deturbare. Nam qui Deum statuit, absque bonitate, aut quod deterius est, peccati originem & fontem facit, is Deo naturam divinam adimit, eámque destruit, non minùs, quàm ille hominem aboleret, qui animam rationalem, aut regiam dignitatem, qui diadema, præcipiendíque potestatem & eminentiam à Rege auferret. Has calumnias, quas Ecclesia in genere passa est, pertulerunt in specie multa Ecclesiæ membra præcipuè Religiosi, quos præ cæteris sibi exagitandos diabolus sumpsit, ùt sæpè jam diximus.

Longior justo essem, si plura adderem, obiter tantùm & breviter ostendam, criminationes istas in hanc quoque Societatem conjici, cujus nomen & existimatio à calumniatorum omnium parente, ejúsque satellitio tantò validiùs oppugnatur, quò clariùs videt, Societati ad propositum finem obtinendum bona fama & existimatione opus esse. Tua porro Actio Calepini aut alterius Lexici loco serviet, ut in ea calumniæ & criminationes, quæ olim in Christum & Ecclesiam conjectæ sunt, in unum fascem comportatæ & colligatæ reperiantur. Nam Jesuitas vocas *impostores* & *seductores*: Idem nomen tribuerunt Judæi Christo. Ministri Præceptores tui, appellant eosdem *hypocritas* & *superstitiosos*: à Paganis afficiebantur olim Christiani his nominibus. Calvinus dicit eos esse *Anabaptistas*, tu quoque cum Ministris Societatem hanc indigitas *sectam*, quod vocabulum proprium est hæreseos, & doctrinam S. D. N. appellas *erroneam* & *schismaticam*. Omnes hæretici asseruerunt, Ecclesiam in errorem labi posse, docuit hoc Arius: item Manichæus & alii. Ministri rumorem sparserunt in quibusdam Galliæ partibus, & maximè Petragoricis, Jesuitas esse *Magos* & *Incantatores*: tu cum iisdem eos accusas magiæ & veneficiorum, quibus animos, juvenum præsertim, dementent, & in præceps abripiant. Nec Judæi abstinuerunt hanc calumniam jacere in Christum, & Ethnici in Christianos, quorum facta naturæ vires superantia, magicis artibus plerumque adscribebant. Græci & Romani à fide alieni accusabant Christianos, quòd manducarent carnes humanas: idem crimen intentant Pagani Japponenses Jesuitis in Japponia.

Actio Arnaldi est quidam Calepinus calumniarum.

A Miniſtri Galli Jeſuitas ab aliquo jam tempore reos agunt læſæ majeſtatis, quos tu quoque imitaris. Pagani nihil frequentius in ore habebant contra Chriſtianos, & Judæi eodem crimine Filium Dei accuſârunt, ut interficeretur. Dicis, nec tamen probare potes, Jeſuitas eſſe hoſtes & parricidas Regum: nec pro felici eorum ſucceſſu preces velle fundere, eósque *hoſtes* Reipublicæ appellas. Eadem ſcelera objiciebant olim Idololatræ Chriſtianis, & eodem modo, nimirum ſine probatione & ſine ulla B veriſimilitudinis ſpecie. Hinc rectè Tertullianus: *Circa Majeſtatem Imperatoris intamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, nec Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani.* Jeſuitæ poſſunt idem dicere: *Diffamamur ab hæreticis velut hoſtes Regum & Reipublicæ, reique læſæ majeſtatis;* cùm tamen non apud nos, ſed apud hæreticos hujus generis homines reperiantur, quorum mos privata auctoritate conſilium inire, ut Reges de throno dejiciant, in vincula abripiant, & demum trucident, non aliam ob cauſam, quàm quia hæreſi libera frena non permittunt.

C Ex ſententia tua Jeſuitæ omnia abolent, leges, mores, & conſuetudines, eorúmque præſentia, cauſa eſt omnium malorum Galliæ: hinc proſcribi & in exilium agi debent. Eadem querela infectabantur Ethnici Chriſtianos, Eccleſiâ recens fundatâ. Ecce quàm graphicè exprimas & repræſentes nobis mores & ingenium Magiſtri tui diaboli, qui ſibi perpetuò ſimilis, docet diſcipulos ſuos conſuetudinem à ſe introductam propagare & continuare. Illud tamen memineris, Jeſuitis honori potiùs, quàm fraudi has tuas, tuorúmque calumnias & criminationes fore, quas hactenus omnes patefeci & refelli. Dicere ſolebat Tertullianus de Nerone Tyranno, Chriſtianis infeſtiſſimo: *Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi aliquod grande bonum, à Nerone damnatum eſſe.* Idem hîc uſurpo: Qui hæreticos & Arnaldum novit, is novit etiam, quos condemnant, probos, & qui condemnant, improbos eſſe.

In Apolog. cap. 5.

CAPUT LXXVI.

Quid ex ſua Invectiva Arnaldus ſit reportaturus.

D HInc tua & hæreticorum accuſatio erit Jeſuitis loco panegyrici, & encomiaſticæ Orationis: Crimina, quæ tu & hæretici iiſdem impoſuiſtis, virtutum his vitiis oppoſitarum teſtimonia & notæ erunt. Vocâſti, more Miniſtrorum, Jeſuitas *avaros*, *arrogantes*, *crudeles*, *ſeductores*, *ſeditioſos*, *Regum latrones:* at viri probi & pii, cùm viderint tales eſſe calumniatores, ſimúlque in memoriam revocârint, dupliciter mentiri ſolitos, attribuendo videlicet propria vitia aliis, virtutémque nomine vitii oppoſiti afficiendo, confeſtim colligent, E hos ipſos calumniatores eſſe, qui ſua ſcelera ad Jeſuitas derivare, & à ſe amoliri velint, & apertè teſtabuntur, Arnaldum, hæreticos, eorúmque Miniſtros eſſe *avaros*, *rapaces*, *ſeductores*, *ſeditioſos*, *& interfectores Regum*, quod calumniosè dicunt de Jeſuitis. Secundò concludent etiam, Jeſuitas prædictos eſſe iis virtutibus, quæ prædictis vitiis planè repugnant, & loco ejus, quod tu dicis, *Jeſuitas omnia peſſundare*, dicent, Jeſuitas ubique plurimum utilitatis Reipublicæ afferre, & ita de cæteris. Et præter hanc F laudem apud homines, meritò etiam expectabunt, & tandem à Deo accipient coronam & mercedem patientiæ ſuæ, tanquam Magiſtri ſui ſymbolo inſigniti, cùm ſimiles cum illo calumnias pertulerint: vocati *Beelzebub* ſicut ille, quódque digni ſint habiti iisdem opprobriis & contumeliis lacerari, quibus Dominus cum ſua Sponſa Eccleſia affectus eſt, quódque in ſuo corpore geſtare meruerint ſtigmata Domini noſtri JEſu Chriſti, quæ omnia ex animo exoptant: tibi verò contrarium continget: tandem enim convictus, quòd animo conceperis, G & poſtea pepereris publicè omnia illa crimina, quæ Jeſuitis imponis; celebraberis ſicut ille, qui Dianæ templum incendit, & ſicut Conſtantinus Copronymus, qui turpiter conſpurcavit locum, in quo per aquam conſecratam purgantur animæ ſordes. Eris fabula ſæculis futuris, & poſteritas, cui in Peroratione conſecrâſti mendacem tuam vocem & calumnias tuas, diris te devovebit, & tua verba deteſtabitur per ſua. Proceres, Reges, Respublicæ, Urbes & Civitates omnium regionum, quibus Jeſuitæ chari & grati, ob virtutem & eruditionem, execrabuntur tuam linguam, tuum calamum, tuam memoriam, noménque tuum, tum quòd dente canino lacerâſti eos, quos omni honore dignos exiſtimant, colunt & revelorrent, tum quòd ſub velo Jeſuitarum condemnâſti, contempſiſti, & injuria affeciſti judicium & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, quæ Societatem iſtam tot modis approbavit, & omnium Regum & Rerumpublicarum, à quibus admiſſi & recepti ſunt inſigni benevolentiæ ſignificatione. H

Heroſtratus Epheſinus, de quo Strabo lib. 14. Suidas, Zonaras, Cedr.

In urbibus, in quibus ſunt Jeſuitarum Collegia, materiam ſcribendi ſubminiſtrabis juventuti, niſi impediatur, quod erit difficile factu. Oratores te ſuis declamationibus celebrabunt, Poëtæ te ſuis carminibus decantabunt, ùt Cicero Verrem, Homerus Therſitem, Ovidius Ibin: tuum nomen Antonius per Apocopen detruncabitur, & redactum in *Toni* fies *Toni* Palatii, Antonius ſine capite, quemadmodum Advocatus ſine capite es ad ſimilitudinem veterum hæreticorum Acephalorum. Agnomen tuum ſuppeditabit Gallis novum verbum, ut exprimant vetus vitium: loco illius verbi *Calumnia-*

A *lumniari*, usurpabunt *Arnaldiare*, ùt olim Romæ, formabatur à nomine *Syllæ Syllaturire* pro *aspirare* ad Tyrannidem. In cathedris & theatris eris *Arnaldus furiosus*, *Arnaldus glorioſus*, *Arnaldus calumniator*, *Arnaldus diabolus*, *Arnaldus de angulo*, non tantùm Parisiis, ùt Magister Petrus de Coignet seu de Angulo, sed per totam Franciam, & hoc merito tuo. Nam ipse quidem paulò duntaxat iniquior fuit Ecclesiasticis & in re exili: tu eam Societatem convitiis infectandam tibi delegisti, quæ ùt toto orbe diffunditur: ita etiam toti orbi utilitates multò maximas parit, & quidem in fama & existimatione proscindendam & lancinandam eam delegisti. Tunc si vixeris, intelliges, quantum beneficium in te contulerint Jesuitæ, cùm peterent, ut *foribus occlusis* loquereris, & quàm imprudens & inconsideratus fueris, quando angustiis illius conclavis minimè contentus patulo & hiante ore intra *januas clausas* vociferabaris, ut foris exaudiri posses: sed senties aliquando, te plus satis liberè, & dixisse, & scripsisse.

B In præsenti fortassis gloriaris, & mirificè te circumspicis, elatus secundo vento cœptis tuis afflante; & præconiis eorum, qui tibi rhytmos panxerunt, aurésque tuas mirificè compleverunt, tumefactus, cùm à triginta annis, imò dicere ausim, nunquam omnino ullus hæreticus extiterit, cui concessum fuerit in tanto auditorio & confessu tam hæretica & effreni lingua verba facere: sed si non cares funditus omni judicio, quo tuam fortunam agnoscas & prævideas, detestaberis, credè mihi, tuam libertatem, tibíque ipse hostis eris, non tantùm tempore futuro, sed jam etiam hoc præsenti. Nam Judices tui non potuissent meliùs punire tuam impudentiam, quàm permittendo, ut ea, quæ dixisti, diceres, & posteà typis vulgares.

C Ephori supremi Judices Spartiatarum, cùm quidam Clazomenii contemptus & irrisus causa pulvere fœdâssent eorum thronos & sedes regales, non alia pœna in illos animadverterunt, quàm ut præconis voce publicè proclamaretur: *Licet Clazomeniis insanire:* tibi licuit sustinere personam advocati impudentis, scriptoris mendacis & calumniatoris. Summum supplicium, quod Deus præfractis & corripi nesciis in hac vita minatur, consistit in permissione omnium eorum, quæ facere libet, ut voluntate effrenata, in profundum peccatorum sese præcipitent, quia scelera sceleribus accumulando, majora etiam & atrociora apud inferos tormenta sibi præparant, & D hæc ingens est pœna, licèt scelerati non magni eam pendant, dum hîc vivunt, quippe omni sensu destituti, peccatis excæcati & obdurati, & in lethali illa sua caligine penitùs sepulti. Hanc pœnam deprecabatur à se, & ab omnibus Deo charis. E B. David illa precatione: *Ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Miserum te, Arnalde, qui pœnam hanc non modò non exhorrescis, sed etiam in parte magnæ cujusdam felicitatis ponis. Psal. 50.

Ælian. lib. 2.

CAPUT LXXVII.

Conclusio totius Apologiæ.

F Miserum etiam te, quando, ut tuo desiderio omni ex parte satisfiat, Jesuitæ ex tota Gallia ejicientur, expulsionem hanc tuam reputabis victoriam, & quidem claram & celebrem, sed magno tibi constabit. Pyrrhus devictis semel Romanis & nobilioribus, bellíque peritioribus amissis: *Si adhuc unam*, inquit, *obtinuerimus victoriam, actum erit de nobis.* Prima victoria, quam obtinuisti, consistit, tuo judicio, in impunitate dicendi & scribendi adversus Jesuitas; sed in hac victoria jacturam, imò naufragium fecisti ejus, quod viro probo & virtutis studioso charissimum esse debet, videlicet honoris, existimationis, & bonæ conscientiæ. At secunda victoria, si fors tibi obtingat, licèt eam tuo robore nunquam sis consecuturus, sed aliorum fortassis improbitate & impio G conatu, ut optatis tuis plenè & perfectè potiaris, odium omnium mortalium in te duplicabit, magísque obnoxium reddet divinæ justitiæ, quam impugnâsti, impugnando Jesuitas; & quod admodum tibi molestum eveniet, ipsa tua victoria Jesuitis triumphum & coronam augebit; & ùt hæc victoria non tuo, sed alieno labore parta, tibi erit ignominiæ, dolori, & pœnæ: sic discessus Jesuitis erit gloriæ, voluptati, & consolationi. Angentur quidem non exiguo mœrore, cùm viderint, damna hujus exilii non ad se, sed ad charissimam patriam redundare; nec sine dolore aspicient Galliam & Gallos laborum & studiorum suorum H fructu privatos, quos à luporum rabie immunes præstare non est integrum, uti nec satisfacere obligationi, qua quisque à primo ortu obligatus est natali suo solo, quod primum calcavit & instituit; ægrè etiam tantam ac tam nobilem & florentem juventutem deserent, tam multos tenerioris ætatis adolescentulos, spem patriæ, & Reipublicæ seminarium, quos curare & fovere solebant non secùs, quàm pastor gregem sibi commissum, qui omnes luporum faucibus violentis expositi, in summis periculis versantur; pro viatico tamen sui exilii, & pro solatio doloris secum asportabunt bonæ voluntatis & rectæ conscientiæ thesauros, nec excidet (licèt patriam deserant) memoria communis parentis, quam in oculis & in corde ferunt, & quam Deo assiduis precibus commendant, orantes, ut eam

Plut. in Pyrrh.

A ſervet & tueatur, virtutibus augeat, omníque felicitatis genere cumulet,& ante omnia à ſæviſſima & truculentiſſima Miniſtrorum tyrannide defendat: & ſi exaudiantur, non modò jucunda erit commoratio in aliena & peregrina regione ad meriti in cœlis incrementum, ſed magna etiam voluptate accipient omnia illa, quæ de proſperitate patriæ ſuæ nunciabuntur.

B Quocunque verò divinæ providentiæ aura eos deferat, ad quamcunque mundi plagam perveniant, inter quoſcunque ſeu barbaros & infideles, ſeu Chriſtianos & humanitate politos degant, grati ſemper & exoptati erunt: Tu verò in ipſo patriæ tuæ gremio, exul eris, odioſus, inviſus, omnibúsque virtutis amantibus execrabilis; neque ad ſidera oculos tollere audebis: quia dies noctésque conſcientia tua has tibi ſimilésque voces occinet: *Lingua tua protulit injuſtitiam jam pridem animo conceptam & informatam, ſicut novacula acuta vulnus per dolum & fraudem inflixiſti: Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa: propterea Deus deſtruet te in finem, evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Poſtquam autem mens tua hac carnificina minarum te excruciaverit, non differet re ipſa graves à te repoſcere pœnas. Nam ſi ullum crimen eſt, quod ſupremus Judex deteſtetur, & ſeveris ſuppliciis coërceat, id ſanè calumnia eſt, tanquam naturæ divinæ penitùs contraria. Nihil enim
C ſummæ veritati magis repugnat, quàm mendacium: At calumnia non ſolùm eſt mendacium, ſed & duplex mendacium: tum quia falsò aliis affingit & imponit varia crimina: tum quia id etiam boni, quod quis poſſidet, per ſummam injuriam adimit. Accedit, quòd calumnia mendacium eſt in ipſis ſuis cauſis execrandum, cùm ex malitia prodeat, per malitiam proferatur, & malitia undique tectum ſit & coopertum. Mendaciis porrò ita indulſiſti, ut nulla ſit in Invectiva tua pagina, ubi non plurima inveniantur totidem calumniis mixta: Semel tamen inconſultò & temerè videtur excidiſſe tibi veritas, quando hunc verſiculum latinè pronunciâſti:

Pectore concipio, nil niſi triſte meo.

D Facilè mihi id, quod dicis, perſuades; ſed ſuadeo & hortor, ut tandem aliquando boni quidpiam animo concipias, déque converſione tua, & ad Catholicam Religionem per ſalutarem pœnitentiam, tuorúmque ſcelerum deteſtationem, reditu, ſeriò cogites. Nec multum tibi laborandum erit, ut flagitia tua in mentem confeſſionis faciendæ gratiâ revoces: nam potiſſimam partem jam oculis & animo tuo ſpectandam ſubjeci, in hac mea Apologia: Jeſuitæ E tua converſione lætabuntur: totum emolumentum ad te redundabit, ne invideas, oro, hoc gaudium Jeſuitis, ſed id potiùs obvenire patiaris, ut aliquo modo tot calumniarum plauſtra, quibus eos infectatus es, compenſes; ſi morem gerere nolis, ùt quidem te nolle vereor, certè digniſſima eſt improbitas tua, quæ cœlitùs non miſericordiam, ſed ſempiternam pœnam conſequatur: ſed quidquid egeris, perfunctus nunc, quantum potui, refutandi labore, F & officio meo, quod tui emendandi, & ad meliora exhortandi causâ ſuſcepi, juſtam occaſionem habeo ſub finem publicè teſtandi, te ex præſcripto legum divinarum & humanarum dignum eſſe ſupplicio, omnibus illis criminibus debito, quibus Jeſuitarum innocentiam mendaciter & calumniosè traduxiſti & infamâſti.

APPENDIX
AD
APOLOGIAM
FRANCISCI MONTANI.

G INvectivam Antonii Arnaldi Cauſidici Pariſienſis ab auctore Gallicè editam, tranſtulerunt hæretici Germani in Latinam linguam, & aliquoties jam typis excuderunt; ſed more ſuo ſine loci & Typographi nomine, excepto uno, neſcio quo, qui in Bataviæ extremo angulo nomen & ſuum & loci apponere auſus eſt, cæteris pudore, ùt arbitror, abſterritis. Quem enim quantumvis impudentem non pudeat nomen & officinam ſuam publicè dedecorare tot mendaciorum, calumniarum & criminationum centuriis, quibus Arnaldi Actio quanta quanta abundat? Continere tamen ſe non potuerunt, quin pro ſua in Jeſuitas benevolentia, Arnaldico contumeliarum corpori aſſuerent ſupplicem libellum contra Jeſuitas, oblatum ſupremæ Curiæ, nomine Univerſitatis Pariſienſis, ùt ajunt, ejusdémque Curiæ Arreſtum ſeu ultimam ſententiam pronunciatam in Joannem Schatelium Studioſum, & in Jeſuitas, quibus adjecerunt paræneſin ad Principes, ut eodem modo, quo Galli, cum H Jeſuitis agant. Sed quod ad libellum ſupplicem attinet, demonſtravit jam Fran- Cap. 3.
ciſcus Montanus, eum non à tota, imò nec à media Academia; ſed à paucis quibuſdam Academicis oblatum fuiſſe Curiæ, qui quales fuerint, ſatis declarant, cùm Ordinem à tot Pontificibus & ab Oecumenico Tridentino Concilio approbatum, vocant *novellam ſectam.* Nam ſectæ nomen à Catholicis jam tribui non ſolet Catholicis, ſed hæreticis: neque ſunt ſectæ in Eccleſia ſed

Ordi-

A Ordines: neque mos est Pontificibus & Conciliis, locum dare sectis in Ecclesia, sed Religionibus. Novi apud Tertullianum *secta* nomen bono sensu, ipsi Christianæ Religioni crebrò dari. Sed nomen hoc durius jam effecit vetustas, ùt de *Hostis* vocabulo scribit Cicero. A Religione enim Christiana & Catholica recessit, & propriè in eis, qui arma contra Catholicam Ecclesiam ferrent, remansit; nempe in Hæreticis. Itáque quod Tertull. de nomine *factionis*, hoc ego dixerim de nomine *sectæ*: *Cùm probi, cùm boni coëunt, cùm pii & casti congregantur, non est factio* (secta) *dicenda, sed Curia.* (Religiosa familia) *At è contrario illis nomen factionum* (sectarum) *accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant;* (ùt Arnaldus & Calviniſtæ faciunt) *qui adversum sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quòd existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos,* (Jesuitas) *esse causam.* Quòd si, ùt isti velle videntur, eodem sectæ nomine, Societas JESU appellata fuit; in antiquo decreto Sorbonæ, nil mirum; decretum enim illud editum est sub initium Societatis, cùm Jesuitæ vix noti essent, imò nec vix quidem; satis est Jesuitis ad defensionem, Sorbonam suum decretum antiquâsse tunc, quando cum aliis omnibus Galliæ Ordinibus Societatem regno & civitate donavit, & maximè tunc, cùm post prædictum libellum supplicem decreto edito declaravit, suæ mentis non esse, ut Venerabiles Patres Societatis JESU ex Galliæ regno proscribantur. Certè Theologi illi præstantissimi & celeberrimi suo suffragio in regnum nunquam recepissent Societatem, neque Jesuitas *Venerabilium Patrum* nomine dignati essent, si cognito certiùs Societatis instituto, Societatem pro *secta*, & Jesuitas pro *Sectariis* perdendæ Reipublicæ natis habuissent. De Curiæ Arresto seu Senatusconsulto videat Lector, quid suprà Montanus scripserit, ne hìc frustrà repetamus. Ego ad paræneſin me converto, quam ita Auctor auspicatur. *Ecquid nunc Reges atque Principes orbis Christiani ex publica ista & solenni actione vobis videtur de sacrato illo Jesuitarum, post tot, uti constat, gravissimas contradicentium sententias, ægrè tandem approbato & confirmato ordine? Anne uno atque altero exacto suæ originis lustro, nefarii & infesti sceleris & flagitiosæ vitæ, satis de se dederunt speciminum? adeò, ut nulla pænè secta & difficiliùs incepisse, & celeriùs & flagitiosiùs sub sanctitatis & Religionis insignibus adolevisse, atque in immensum usque excrevisse videri queat. Vósne existimabitis quenquam ita impudentem fore, nisi illos ipsos omnis pudoris & verecundiæ expertes, qui ausit accusationis hujus præcipua capita inficiari? neque enim hæc in remotissimis Americæ regionibus, sed Lutetiæ in totius Europæ luce*

Ad Scapulam, In Apolog. & alibi.

1. Off.

In Apolog. cap. 39.

B

C

D

geſta sunt. Meliori jure ego dixerim converso sermone ad Principes: Ecquid nunc, Reges atque Principes orbis Christiani, ex publica ista & solenni Francisci Montani Apologia vobis videtur de Arnaldo & aliis hujus generis Arnaldicis calumniatoribus, qui gravissima Senatus Parisiensis sententia damnati, re infecta, repulsámque passi, ex Curia discessérunt, qui post tot, uti constat, gravissimas contradicentium sententias, ægrè tandem, alia occasione oblata, voti participes effecti, chartas infames in vulgus sparserunt? Annè exiguo foliorum numero nefarii & infesti sceleris ac flagitiosæ vitæ & mentiendi libidinis satis de se dederunt speciminum? Adeò, ut nulla penè calumniatorum & Sycophantarum & Machiavellistarum secta, celeriùs & flagitiosiùs sub boni publici velo & *status* prætextu adolevisse, atque in immensum usque excrevisse videri queat. Vósne existimabitis, quenquam ita impudentem fore, nisi illos ipsos omnis pudoris & verecundiæ expertes, qui ausit Apologiæ hujus Capita inficiari, vel à se in alios derivare? Neque enim hæc in remotissimis Americæ regionibus scripta & publicata sunt; sed in Gallia & Tolosæ, & in totius Europæ luce.

E

F

Quòd autem iste ait, multos Societati JEsu passim contradixisse, quid, quæso, criminis habet? Ipse Christus *positus fuit in signum, cui contradicendum erat,* ùt testatur Evangelista; & cui, oro, magis contradictum est, quàm Christianæ Religioni? *De secta* hac, dicebant Judæi ad B. Paulum: *notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Ut porrò hìc Judæi Christianam Religionem appellant *sectam*: ita etiam hæretici & Catholici simulati, Societatem Catholicæ Ecclesiæ membrum, *sectam* nominare solent. Et certè veterum Doctorum, Origenis, Tertulliani, Justini, Athenagoræ, Arnobii, Lactantii, S. Augustini, Eusebii, & aliorum monumenta Apologetica pro Christiana Religione, satis ostendunt, quibus contradictionibus exagitata fuerit. Num propterea flagitiosa & impia censenda est? Vix invenias familiam religiosam, quæ sine contradictionibus cœperit & coaluerit. Ab his neque D. Benedicti, neque D. Dominici, neque D. Francisci Ordo immunis fuit, cujus rei testes locupletissimi D. Gregorius, D. Thomas Aquinas, & D. Bonaventura, quorum duo posteriores integra volumina doctissimè conscripserunt, ut obtrectatoribus & contradictoribus suorum Ordinum ora concluderent. Quid igitur mirum, Societati neque deesse, neque defuisse contradictiones, hoc præsertim ævo, moribus & opinionibus tam corrupto? quo mali mores tanquam herba irrigua succreverunt uberrimè. Imò ùt frequentia contradictionum perspicuè ostensum est, divino consilio Religio-

Luc. 2.

Act. ult.

D. Greg. in vita S. Bened. D. Thomas in lib. contra impug. Relig. D. Bonavent. in Apolog. pauperum.

G

H

ligionem Christianam, & illas Religiosorum familias fuisse fundatas & in mundum introductas; ita iisdem contradictionibus patet, Societatem JEsu humana indulàm fit, Societatem JEsu humana industria, ope vel potentia, neque jam niti, neque olim nixam esse. Concludo igitur hunc locum verissimo Legisdoctoris illius oraculo: *Si ex hominibus consilium hoc aut opus* (Societas JEsu,) *dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis* (ô Calumniatores) *dissolvere eos* (Jesuitas.) *Et nunc itaque dico vobis: Discedite ab hominibus istis* (Jesuitis) *& sinite illos, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* Act. 5. Jam audiamus, quid ampliùs Regum & Principum monitor in medium afferat.

B *Cui verò minùs veritati videatur consentaneum, quòd toties Advocatus ille Regem suum, de fraudibus illorum & insidiis, vix ulla satis diligentia, nisi regno exactis, aut qua alia, quàm merentur, severitate punitis, sibi cavendis, haud inanis vates admonuit & obtestatius est? quid enim tot in medium allata exempla corruptæ pueritiæ & juventutis, cui unicè operam dant, adolescentiæ perditæ & dissolutæ, patrimoniorum dissipatorum, hæreditatum expilatarum, atque familiarum funditùs eversarum?* Vis horum verborum hæc est, nisi fallor. Arnaldus Advocatus Parisiensis sæpiùs affirmat in sua Philippica, Jesuitas juventutem seducere & depravare, familiásque opulentas non modò diripere & expilare, sed & C funditùs extirpare; & hujus confirmandi gratiâ, crebrò Regem suum, absentem tamen, compellat, sermone per Apostrophen ad eum converso, quem obtestatur, ut sibi à Jesuitarum fraudibus & insidiis caveat: quis ergo dubitet, vera esse, quæ Arnaldus Jesuitis objecit? Egregia certè argumentatio, nec absimilis huic: Ethnici olim insimulabant Christianos gravissimorum criminum, infanticidii, esus humanæ carnis, incesti, læsæ majestatis, & similium, hæc publicè & privatim, in foro, in theatro, in circo, uno verbo, ubique constanter jactabant, Diisque & Imperatoribus compellatis, Christianos ad pœnam deposcebant: Quis igitur dubitet, accusationes illas vero fuisse consentaneas?

Apud Tertull. in Apolog.

D Porrò quia iste percontatur, cuinam vero minùs consentaneum videri possit id, quod Arnaldus Jesuitis imposuit, non gravabor aliquos nominare; & primo quidem loco ipsum Amplissimum Senatum Parisiensem colloco, huic Oratio & Actio Arnaldi, adeò non est visa verisimilis, ut Jesuitas absolverit, Arnaldo abire jusso, non obtenta victoria: at posteà alia mens injecta est illis Senatoribus, Jesuitis ex Gallia pulsis? Quid post semestre propemodum judicii de Arnaldi Invectiva habuerint, equidem nescio, hoc scio, Arnaldum, cùm in Julio coram Parlamento peroravit, tanquam calumniatorem & mendacem Sycophantam repulsum fuisse. Quomodo enim fieri potuisset, ut Senatus Regius non derepentè Jesuitas præcipites ex Gallia ejiceret, si immanissima illa facinora, quæ Arnaldus Jesuitis per summam injuriam affingit, credidisset esse vera. Deinde quidquid auctoritatis Invectivæ Arnaldi post factum Schatelii apud Curiam accesserit; certum tamen est, multa millia Gallorum adhuc reperiri etiam Parisiis, quibus non modò Arnaldi Oratio non videatur vero consentanea; sed qui Arnaldum quoque tanquam ex mendaciis & calumniis conflatum detestentur & execrentur. Hinc apud multos *Arnaldi* vocabulum nova impositione quemvis eximium calumniatorem & mendacem impostorem significare cœpit. Ve- F ro etiam consentanea non videtur Actio Arnaldi Tolosæ urbi amplissimæ & aliis nonnullis Galliæ civitatibus, quæ Societatem retinuerunt, & adhuc retinent, non obstante edicto Parisiensi: nec alii Principes orbis Christiani pro vera habent, cùm Jesuitas æquè, ac anteà foveant & tueantur, quantumvis frementibus hæreticis. Denique quisquis Apologiam hanc Franciſci Montani perlegerit, is non modò fidem Arnaldi suspectam habebit; sed & clarè deprehendet, nihil in hoc nomine veritatis & Christiani candoris inesse. Eat jam & scisciteur hæreticus iste, cui id, quod Arnaldus Jesuitis objecit, non videatur vero consentaneum? Sed pergit.

G *At ista fortassis inter privata quis referat incommoda: quin publicè graviora longè, provincias integras & regna turbata & perversa novimus, ubicunque, quam sibi vendicant, auctoritatis & potestatis vim obtinent: inducia-rum conventiones, fœdera sacrosancta, si violanda, aut bellorum incendia conflanda, ipsorum opera; ipsis internunciis auctoribus atque flabellis hæc fieri hodie videmus. In Reges & eos, penes quos rerum summam leges esse volunt, non minùs illi, quàm olim domini in servos vitæ atque necis arbitrium & potestatem sibi sumunt, ac etiam exercent, neque verò illud ex juris & religionis præscripto, sed impotentis animi libidine, & ad commodum Hispanicæ Monarchiæ.* Hæc tam vera sunt, quàm illa, H quæ in hoc genere Arnaldus attulit: quæ quàm vera sint, satis supérque demonstravit Montanus. Vera tamen erunt, si tribuantur Calviniſtis, quorum insanis furoribus provincias integras (Galliæ, Belgii, Angliæ, Scotiæ, Germaniæ) & integra regna turbata & perversa novimus, ubicunque, quam sibi vendicant, auctoritatis & potestatis vim obtinent. Novit hoc mundus universus: testantur idem omnium historiarum monumenta, & testabuntur etiam posteris, quibus præ admiratione & horrore comæ erectæ stabunt, & vox intercluſa hærebit, cùm legerint, hæc talia monstra hoc nostro sæculo edita: In Reges & eos, penes

A penes quos rerum summam leges esse volunt, non minùs illi, quàm olim Domini in servos, vitæ atque necis arbitrium & potestatem sibi sumunt, ac etiam exercent. (gemit adhuc Scotia & Gallia) Sed quid mirum, Reges, nisi Calviniſtæ sint, Calvino & Calviniſtis *asini* sunt, *bruta & stolida animantia, digni non honorari, sed conspui.* Neque verò hæc & id genus millena ex juris & religionis Christianæ præscripto faciunt, sed ex impotentis animi libidine, & ad commodum, non Hispanicæ Monarchiæ; sed tyrannidis Calviniſticæ. Porrò ùt olim Ethnici, quidquid cladium Romano Imperio accidebat, id totum Christianis adscribebant: ita Arnaldus cum suis omnes bellorum motus, omnes calamitates Jesuitis auctoribus assignat: *Si Tyberis ascendit in mœnia*, inquit Tertullianus, *si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem acclamatur.*

In Apolog. cap. 39.

B Arnaldus & isti Jesuitas non quidem ad *leonem* sed ad *crucem*, *laqueum*, & minimùm ad sempiternum exilium deposcunt, eodem jure, quo olim Idololatræ postulabant Christianos ad leonem. Sed jam monitor noster majus opus monet, major illi rerum nascitur ordo.

C *Hinc nuperrimè*, inquit, *Galliarum Regem in summum vitæ discrimen adductum, scimus, non à militari aliquo homine, aut aliqua injuria lacessito, vel lue hæretica polluto, sed ab eo, qui Jesuitis Præceptoribus usus est, & naturæ pravitati, & insitæ malitiæ disciplinam illorum & institutionem, quò perfectior evaderet furcifer, conjunxit, cui spes omnis impetrandæ scelerum veniæ adempta fuerat, nisi in verba Jesuitæ Confessoris jurâsset, & omnium detestabilissimo interficiendi Regis sceleri se astrinxisset, & tandem diabolicis artibus instructus facinus tam audax in præsentia tot procerum, honoris & gratulandi causa concurrentium aggressus fuisset.* Omissis verborum ambagibus & su-

D perfluis exaggerationibus nervus totius orationis in hoc Enthymemate consistit: Jesuitarum discipulus Regem occidere voluit: Jesuitæ igitur tanquam corruptores juventutis, perturbatores quietis publicæ, inimici Regis ejúsque Imperii ex Gallia ejiciendi sunt. Bone DEUS, quis securus erit, & extra teli jactum, si hoc genus argumentandi semel introducatur in orbem? Primùm enim, quo jure Magistri & Doctores luere coguntur malefacta suorum Auditorum? Difficilem sanè sustinent provinciam, ne dicam omnino intolerandam, si crimina discipulorum in ipsos expetant. Deinde, cur Præceptores Jesuitæ soli in crimine? An non aliis Præceptoribus usus est Schattelius, proximè antequam facinus aggrederetur, & quidem per semestre & amplius: quid quæso incommodi subiêrunt propter discipuli delictum? *Cursum Philoso-*

Jac. Gretseri Operum Tom. XI.

phicum, inquiunt isti, *confecit in Collegio Parisiensi:* At apud alios Jurisprudentiæ studium jam inchoârat: & quid in hoc vel in illo piaculi: aut si quid in illo, cur non etiam in hoc, cùm æquè aliis Professoribus ac Jesuitis operam dederit? In Cursu Philosophico nusquam docetur, jus fásque esse trucidare Reges: multò minùs Reges Christianissimos: & si Joañes Gueretus Præceptor Schatelii alicubi in Cursu hoc asseruisset, utique laqueum & rogum non effugisset, cùm Joannes Guinardus Professor Theologiæ sanguine suo quæstionem illam solvere debuerit, utrum privato liceat interficere Tyrannum, quam hactenus impunè Theologicæ & Juridicæ scholæ omnes, variis argumentis in utramque partem propositis posuerunt & discussérunt, & in posterum quoque ponent & discutient, sine cujusquam injuria, cùm quæstio versetur in thesi, non in hypothesi. E

At prodiit Schatelius ex Jesuitarum disciplina. Quid tum postea? Dummodò facinus meditatum in Jesuitarum disciplina non didicerit; vel dicant isti, in qua schola, in qua parte Philosophiæ à suo Magistro audiêrit, licere violentas manus afferre Galliarum Regi Christianissimo? Dum distinctè & partitè loca & nomina Professorum, qui isthæc tradiderint, non edunt, satis ostendunt isti, se veritati non lucem, sed mendacio & calumniæ latebram quærere. Prodiit Judas ex disciplina Christi: sed in disciplina Christi non didicit prodere Christum. Hæretici prodeunt ex disciplina Ecclesiæ, sed in disciplina Ecclesiæ impietatem & perfidiam non discunt. Ut igitur disciplina Christi scelerata non fuit propter proditorem Judam; nec disciplina Ecclesiæ propter tot transfugas & desertores: ita nec disciplina Jesuitarum execranda & abominanda est, quòd unus disciplinæ illius alumnus extiterit, qui tam audax facinus tentârit. Nullúsne unquam latro, homicida, parricida, sicarius, Assasinus, ex disciplina Academiæ Parisiensis prodiit; ex disciplina, inquam, illius scholæ, quæ tot millium juvenum ab aliquot annorum centuriis mater & institutrix fuit? An non ipse Schatelius ex disciplina Parisiensis Academiæ exstitit eo ipso tempore, quo Regem designavit ad cædem? Num propterea disciplina & institutio Universitatis illius *latrones, homicidas, parricidas, sicarios, Assasinos* format & parit? Et num propterea exterminantur & proscribuntur, & equuleis & catastis distenduntur & discruciantur Professores & horum talium Magistri? ne fando quidem tale quid anteactis temporibus auditum est: Cur ergo solis Jesuitis crimini datur, de quo alii ne appellantur quidem? Quid enim ad Professorem publicum & Academicum, si discipulus sceleratus in rotam aut in rogum, aut in crucem agatur? Quos clamores su-

F G H

A ſtuliſſent hæretici Germani & alii, ſi aliquis ex Jeſuitarum Societate inſidias Regi ſtruxiſſet, cùm propter diſcipulum Jeſuitis adeò inſultent.

B Ob factum Fratris Clementis pulſi non ſunt ex Gallia, Ordinis D. Dominici Patres, nec violatæ majeſtatis rei proclamati: ſi Jeſuitarum quiſpiam tale quid deſignâſſet, non ſibi tantùm, ſed univerſis, quotquot in Gallia degebant, periculum capitis creâſſet. Certè adverſarii ſolo exilio contenti & ſatiati non fuiſſent. Cur igitur Jeſuitarum conditio deterior eſt ob diſcipuli culpam, quàm aliorum, ob factum non ab externo, ſed à domeſtico; non ab auditore, ſed ab Ordinis conſorte ſuſceptum? aût ſi jure omnes puniri neque poſſunt, neque debent, unius ob noxam, ùt certè non poſſunt: cur Jeſuitis idem jus, majore jure non obtingat?

C *At Jeſuitæ conſcii fuerunt futuri facinoris*, inquit iſte hæreticus: *Imò à Confeſſario juſſus eſt ſcelus hoc aggredi:* Sed mentiri more ſuo iſtum hæreticum, teſtatur inprimis ipſe Schattelius, qui ad extremum uſque ſpiritum inter graviſſima tormenta conſtantiſſimè ſemper confeſſus eſt, ſe à nemine ad hoc inductum, ſed ſponte ſua, nemine conſcio, ſolo Deo teſte, hoc conſilium ſuſcepiſſe, in qua confeſſione vitam quoque per acerbiſſima ſupplicia finiit: ùt quivis legere poterit in hiſtorica narratione, quæ hac de re Auguſtæ Vindelicorum Anno M. D. XCV. edita eſt, excerptâ ex ſcriptis & ſermonibus eorum, qui hæc omnia coràm ſpectârunt, cujus ſummam infrà reperies. Deinde calumniam hanc & mendacium redarguunt ipſi quæſitores & rerum capitalium vindices, qui Præceptorem Schattelii & Rectorem Pariſienſem & alios, liberos abire permiſerunt: quod certè non feciſſent, ſi vel leviter facti hujus Jeſuitæ fuiſſent conſcii, præſertim cùm Joannem Gueretum Magiſtrum Schattelii ita excarnificârint, ut ex tormentorum immani-

D tate mortuo ſimilis videretur. Itaque non clementia Judicum, ſed innocentia eos abſolvit, & ex vinculis dirísque quæſtionibus eripuit. Tertiò mendacium hoc refellit ipſum Senatusconſultum ſeu Arreſtum ſupremæ Curiæ contra Schattelium, recitatum ab iſto hæretico: ubi enim in eo arguuntur Jeſuitæ tanquam conſcii, vel auctores & ſuaſores facinoris? Quis verò credat, Judices in ſuo decreto non expreſſuros fuiſſe ſpeciatim, & quidem literis majuſculis, ſi Jeſuitæ vel conſcii vel ſuaſores fuiſſent? Nam quòd initio *Arreſti* dicitur, *Schattelium damnatum auditis etiam interrogationibus & confeſſionibus Joannis Guereti Præceptoris dicti Schattelii;* id non obſtat: quia ex Guereto nihil aliud, quantumvis ſummis cruciatibus adhibitis, extundere potuerunt, quàm ſe fuiſſe in Philoſophia Magiſtrum Schattelii, & E omnium illius machinationum penitus ignarum; id quod verum erat: ſi quod volebant & quærebant, quæſitores exſculpſiſſent; Gueretus utique crudeliore ſupplicio, quàm Guinardus, vitam terminâſſet. Addit hæreticus.

Neque verò quis objiciat, unum tantùm atque alterum ex Jeſuitico Ordine facinoris hujus fortè conſcios fuiſſe, quin nullum non participem extitiſſe, hinc probabile fit, quòd vultu atque geſtibus, quò minùs deſiderii & mente conceptæ lætitiæ ſigna proderent, temperare ſibi nequiviſſe perhibentur. Adeóne effrons & impudens es, ut nullum ex Jeſuitico Ordine facinoris futuri non conſcium & participem fuiſſe, aſſeras? Ergo illi etiam, qui degunt in Japonia, in utraque India, in Peru, Braſilia, Luſitania, Hiſpania, Germania, Belgio, Polonia, facinoris hujus conſcii & participes fuerunt, quorum plerique eo tempore ignorabant, quisnam Galliæ ſceptrum teneret. Si homo iſte frontem non perfricuit, omnésque modeſtiæ & veritatis limites non tranſiliit, neſcio ſanè, quis impoſterum impudens & mendax ſit cenſendus. *Nullus*, inquit, *Jeſuitici ordinis hujus facinoris particeps non fuit:* atqui tantum abeſt, ut omnes conſcii vel participes fuerint, ut ne Galli quidem conſcii fuerint, imò neque Pariſienſes, ùt antea oſtendi, ipſorum etiam adverſariorum teſtimonio.

G Sed probas, omnes fuiſſe participes. *Quia vultu atque geſtibus, quò minùs deſiderii & mente conceptæ lætitiæ ſigna proderent, temperare ſibi nequiviſſe perhibentur.* Quæſo te, quinam ſunt illi, qui viderunt omnes Jeſuitas, quotquot ſunt in hoc Ordine, vultu & geſtibus lætitiam mente conceptam prodere? Perhibentur, inquis; ſed à quo? A fama? *Fama incerti eſt*, inquit Tertullianus, *locum non habet, ubi certum eſt: an verò famæ credat, niſi inconſideratus? Quia ſapiens non credit incerto.* Et quis huic famæ, obſecro, credat, cui cor ſapiat? Quia ſi in illas orbis partes, quas Jeſuitæ incolunt & excolunt, certi & ad hunc finem ſelecti miſſi fuiſſent, ut explorarent, quisnam ſingulorum Jeſuitarum ſuper hoc facto ſenſus & animus eſſet, næ illi aliquot luſtris eguiſſent, quoad redirent ad Arnaldum, expoſituri, quantis lætitiis Jeſuitæ cumulati incederent. In Apolog. cap. 8.

H Deinde quæro, num Jeſuitæ antè, an poſt factum ediderint tanta gaudii ſigna: Si antè, proba hoc idoneis auctoribus. Probas fama? Méne huic confidere monſtro jubes, cui ea *conditio eſt, ut non niſi cùm mentitur, perſeveret, & tamdiu vivit, quamdiu non probat*, ùt veriſſimè dixit Tertullianus. Si dicas, poſt factum; mentiris: tum quia poſt factum potiùs doluiſſent ob improſperum ſucceſſum, ſi Regis interitum optâſſent. Deinde quia non multis à facto horis interlapſis, omnes capti, & ex Collegio abducti Loc. cit.

ſunt,

A sunt, excepto Rectore, quod certè magnam attulit illis gaudendi materiam; nisi fortè loquaris de gaudio, quo omnes probi perfundi solent, cùm propter justitiam patiuntur. His enim mos est *omne gaudium existimare, cùm in varias tentationes incidunt*, juxta monitum B. Jacobi Apostoli. Et Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quòd digni habiti essent pro nomine JEsu contumeliam pati. Jam audiamus denuò hæreticum.

Cap. 1. Act. 5.

B *Huc facit, quòd Helvetiis nonnullis Lutetiam proficiscentibus in Alpibus obviam facti Jesuitæ, auctores fuêre, ne ulteriùs progrederentur: frustrà enim eos Regi operam suam navare velle, quem ad Calendas usque Januarii, superstitem non futurum exploratum haberent.* Unde hoc probas? Fortassis etiam ex fama: sed *qui citò credit* (famæ præsertim) *levis est corde.* Quid igitur levius istis, qui ad quosvis rumusculos arrectis auribus & attonitis animis adstant, *nec recogitant, ne primum illud* os, à quo fama principio manavit, *mendacium seminaverit, quod sæpè fit*, inquit Tertullianus, *aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* Deinde, quare Alpes suo nomine non designâsti: Alpes, inquam, illas, in quibus sibi Jesuitæ & milites occurrerunt? Multæ sunt inter Helvetiam & Galliam Alpes. Præterea cur non notâsti tempus: si minùs diem, saltem hebdomadem; si minùs hanc, saltem mensem? Cur siluisti, quinam fuerint isti Jesuitæ? Num Helvetii, num Itali, num Galli? Cur hæc & id genus alia præteriisti, nisi quia

Ecclef. 19.

Loc. cit.

C mendacio latibulum quæsiviisti. Totum, quod de Jesuitis narras, si ego narrarem de Prædicantibus, qua ratione me refelleres? Ad extremum, an non incredibile est, Jesuitas Helvetios sciviſſe id futurum ante Calendas Januarias, quod ne ipse quidem Schattelius noverat futurum ante Calendas Januarias? Licèt enim jam animo facinus concepisset, ignorabat tamen, quæ proposiți exequendi sese offerret occasio. Plus ergo Jesuitæ in Helvetia sciverunt, quàm ipse hujus facti auctor, nisi fortè mirabilius videatur, istum & alios calumniatores sciviſſe, Jesuitas Helveticos scire, quod planè ignorabant, ut proinde non immeritò ponantur in numero eorum, qui, ùt ait Poëta, *quod quisquam in animo habet, aut habiturus est, sciunt. Id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit, sciunt; quod Juno fabulata est cum Jove; quæ neque futura, neque facta sunt: tamen ii sciunt.* Concludit noster monitor sua figmenta hac cohortatione.

D *Nunc itaque denuò, uti ab initio etiam fecimus, vos Reges atque Principes appellandi nobis estis, & ex vobis quærendum, num dubitare ampliùs possitis, nisi vobis ipsis & subditis vestris adversus istam generis humani pestem quàm maturrimè prospexeritis, quin idem vitæ & fortunarum periculum & exitium certissimum quasi fatum aliquod singulis vos momentis maneat? Quamobrem vos per salutem vestram, si modò illa vobis curæ est, rogamus & obsecramus, ut Jesuitarum sodalitium quàm longissimè à ditionibus, liberis, atque charissimis conjugibus vestris remotum esse velitis.* Ego etiam concludo, & nunc denuò, sicut ab initio feci, vos Reges atque Principes appellandi nobis estis, & ex vobis quærendum, num dubitare ampliùs possitis, nisi vobis ipsis & subditis vestris, adversus istam calumniatorum & sycophantarum turbam, præsentissimam humani generis pestem, quàm maturrimè prospexeritis, quin idem vitæ & fortunarum periculum & exitium certissimum quasi fatum aliquod singulis vos momentis maneat? Quamobrem vos per salutem vestram, si modò illa vobis curæ est, rogamus & obsecramus, ut criminatorum & impostorum Arnaldicorum conspirationem, quàm longissimè à ditionibus, liberis, atque charissimis conjugibus vestris remotam esse velitis. Vocat iste Jesuitarum Societatem non modò *inutilem*, sed & *pestem: planè confitebor* cum Tertulliano, *qui conquerantur: nam si qui fortè verè* de Jesuitarum *sterilitate*, imò verò de Societate tanquam de peste conqueruntur, *primi sunt lenones, perductores, aquarioli, tum sicarii, venenarii, magi, item Aruspices, arioli, Prædicantes Lutherani, Ministri Calvinistici, Catholici Machiavellistici & Arnaldici, & similes. His infructuosos, imò pestem esse, magnus fructus est.*

E

F

In Apolog. cap. 43.

G

DE JOANNE SCHATTELIO, CUJUS SUPRA CREBRO FACTA MENTIO, ET DE JESUITARUM EX GALLIIS EXPULSIONE. EX NARRATIONE HISTORICA AUGUSTÆ VINDELICORUM HAC DE RE EDITA, ANNO DOMINI 1595.

H JOannes Schattelius, filius cujusdam civis Parisiensis, natus annos circiter viginti duos, Philosophiæ apud Patres Societatis JEsu operam dedit unà cum aliis, qui ab ipsis frequentes Parisiis erudiebantur. Philosophiæ curriculo confecto, aliò sua studia transtulit, eáque omnino Jurisprudentiæ addixit; in qua perdiscenda septimum jam mensem præceptoribus utebatur Jurisconsultis. Hic postquam animo obfirmato decrevisset Henricum IV. Regem Galliarum è medio tollere, occasione jam semel frustra captata, tandem ipso festo die S. Joannis Apostoli & Evangelistæ anno M. D. XCIV. confertæ famulorum turbæ se immiscens, penetravit in eas ædes, in quibus tum Rex, qui paulò antè è Picardia Lutetiam Parisiorum advenerat, commorabatur;

A tur; séque mox inservientium ordinibus au-
dacter adjungens, non aliter ibi, ac illi, qui
præstò sunt, ut dominorum suorum nutus
observent, & jussa exequantur, versabatur.
Porro septima hora noctu Rex in eum trans-
ivit locum, in quo frequens famulitium au-
licum præstolabatur Regem, qui cùm secu-
rus, & nihil minùs quàm insidias sibi para-
tas cogitans, lætus colloqueretur, & inter
colloquendum, ut exspueret, paululùm sese
inclinaret, ecce tibi juvenis ille in Regem
derepentè vehementissimum ictum librat;
cultrum, quo oblongo armatus erat, im-
mersurus jugulo: sed ictus violentiâ fallente
dextram, labro dextro tantummodo con-
vulnerato & perfosso, dentem unum excus-
sit, simúlque cultrum abjecit, & habitu ad
dissimulandum composito, unà cum aliis
admirabundus, veluti insons factíque inscius
circumspiciebat, quasi demiraretur, quid à
B quonam patratum esset. Rex ipse inopina-
to ictu attonitus non penitus animadvertit,
quis ille, à quo sauciatus: quin ipsi circum-
fusi famuli, novitate rei perculsi, audito
quidem ictus fragore, non tamen discerne-
bant facinoris auctorem. Duo, qui tum
proximi Regi astitisse videbantur, compre-
hensi sunt, qui facti ignorantiam, & suam
innocentiam omnibus facilè demum pro-
baverunt: comprehensus quoque est Schat-
telius; quia plerisque ignotior, atque illius
præsentia insolita importunáque visa erat.
Sed hic ultro, necdum subjectus tormentis,
liberéque professus est, se esse illum, qui
C hoc fuisset ausus. Quamobrem Rex impe-
ravit, ne præcipiti sententia supplicii tolle-
retur; sed ut, quibuscunque possent artibus,
quacunque vi, extorquerent, ut proderet
omnes eos, qui conscii, impulsores, suaso-
résve extitissent, sive qui ullo pacto quic-
quam causæ hac in re suggessissent. Jussu
præterea Regis mox in omnium celebrio-
rum templorum turribus festo pulsu æra per-
sonabant, quo universa civitas excitaretur
ad decantandum hymnum: *Te Deum lauda-
mus*; eò quòd Rex maximo præsentissimæ
mortis periculo felicissimè subductus esset.

D Mox aliqui è Proceribus capti juvenis ani-
mum variis modis pertentabant, non una
via & arte eum aggressi, ut elicerent, cum
quibus sua consilia communicâsset, quos
suasores, impulsorésve habuisset, quinam de-
nique in facinoris conscientiam adsciti fuis-
sent. Inter alia, quæ frustra experti sunt,
humo quoque illum allisérunt, stricto in pe-
ctus gladio, comminantes fore, ut jam cru-
delissimè cor transadigerent, nisi illico ve-
rum efferret. Ad quæ respondit, se nul-
lius hominis suasu vel impulsu id fecisse,
quin sui consilii conscientiam nullum mor-
talium habuisse, quò minùs metu proditio-
nis à cœptis retardaretur, néve ullum im-
pedimentum à conscíis objici posset: solum
semetipsum sibi auctorem atque consulto-
rem fuisse. Deinde petere se, quandoqui- E
dem certa mors immineret, ut Sacerdo-
tis fieret copia, cui peccata liceat ritè
confiteri, eáque pœnitentiâ expiare:
quod libenter illi se concessuros affir-
mabant. Sed quendam è plebe, qui
se sacerdotem ementiretur, subornave-
runt, qui habitu Sacerdotem referens
ad Schattelium accessit. Ista omnia ea
nimirum mente & spe facta sunt, ut
hac ratione certissimè explorarent, quæ
tantopere scire desiderabant. Schattelius F
verò coram illo, quem sacerdotem existima-
bat, graviter conquestus est de perturbatæ
mentis suæ nimio angore, quo ita se jam
opprimi ajebat, ut non posset peccato-
rum suorum meminisse, eáque ritè reme-
morando confiteri, sicut desideraret, pro-
inde rogare se, ut tantum impetret, quò
ad se perferretur scriptum, in quod ante
paucos dies, suæ omnis anteactæ vitæ pec-
cata conjecerat, ídque in parentis ædibus
in abstruso angulo à se reconditum latere.
Hoc à libentibus impetratum est, quare
confessio illa generalis fuit eo, quem indi-
caverat, loco reperta: in qua contra omnium
opinionem ne verbulum quidem unicum
erat, quòd ullus mortalium ullam causam,
consiliúmve hac in re ei suggessisset. Post- G
hæc in carcerem publicum, quo facinorosi
ac malefici conduntur, abreptus est. Ne-
que multò pòst cùm quæstioni admotus fuit
à suprema Curia Parlamenti, intellectum est
inter cætera, Schattelium apud Patres So-
cietatis Jesu Philosophiæ studuisse, licèt his
studiis omnino absolutis per septem menses
Doctores alios audivisset. Quare illico qui-
dam Domini è Parlamento suspicionem ani-
mo conceperunt, ínque eam sententiam
tanquam certissimam descenderunt, con-
scios & suasores fuisse Patres Societatis. Illa
ipsa igitur nocte circa horam nonam mi-
serunt quosdam cum valida neque illa exi-
gua armatorum manu, qui convocatis in
unum, tam Sacerdotibus, quàm aliis, quot-
quot erant in Collegio (tum autem erant
circiter quadraginta) hoc egerunt: simul
omnes comprehensos, & in cujusdam Se-
natoris ædes abductos conclusère: Solum Re-
ctorem illa nocte in Collegio detinuerunt,
quod & milites diligenti custodia insedère.

Sequenti die, Festo nimirum Innocentum H
28. Decembris, præsente & inspectante
Rectore in omnibus cubiculis atque habita-
tionibus omnes libri, scripta, schedæ curio-
sissimè perquirendo excussa sunt; & demum
in cubiculo P. Joannis Guinardi Theologiæ
Professoris perbrevis tractatus repertus est,
quem ipse ante annos quatuor vel quinque
conscripserat, quo illa quæstio continebā-
tur, à Doctoribus in Scholis passim tra-
ctata & agitata: Utrum tyrannum, qui se pa-
làm hostem gerit Reipublicæ, liceat privato
occide-

occidere. de qua quæstione argumenta, quæ in utramque partem, ùt solet, ad discutiendam disquirendámque veritatem, à variis auctoribus afferuntur, ibi quoque congesta erant. Inter alia item narratione comprehensum fuit, quid Frater Clemens Dominicanus Monachus in Henricum III. ausus fuisset. Itaque continuò Joannem Guinardum propter hoc scriptum in vincula compingunt; nec non P. Joannem Gueretum, diverso tamen carcere conclusum, qui ante septem menses in Philosophia Schattelii Præceptor fuerat: sicut & postea Patrem Alexandrum Georgium Collegii Rectorem unà cum aliis quinque è Societate, quorum singulis singularem carcerem tribuerunt, neque aliter, quàm turpissimorum facinorum reos fame, & variorum comminationibus malorum onustos, arctissimæ custodiæ tenebris obruerunt. Interea pænè omnes pœnitentes, quorum P. Joannes Gueretus confessiones excepisse poterat, sciri, omnésque discipuli, qui unquam ab illo in literis eruditi, severo & accurato quæstionis genere pertentati sunt; quin & minarum terrore promissorum illecebris permisto curatum sedulò est, ut elicerent, qui causæ hujus conscii essent, an quicquam à P. Guereto percepissent, quod vel umbram præ se ferret consilii, ulliúsve causæ, quam Schattelio Pater præbere potuisset. Sed nihil eorum, quæ quantumvis curioso perveſtigandi studio inquirebantur, potuit inveniri. Imò ipse Pater Gueretus acerbissimis tormentis subjectus est, ut omni vitæ sensu destitutus dolorísque vi exanimatus esse videretur: quin & à tortoribus jam animam efflâsse inter pœnas putabatur. Hic tamen omnia ea animi hilaritate, tam prompta, támque forti patientia toleravit, ut adstantibus sui admirationem & reverentiam commoverit: sicut & paulò pòst hujus innocentiam clarè omnibus plus satis probatam fuisse, publico judicii testimonio confirmatum est, dum ùt innocens cum aliis carcere solutus liber abire jussus est.

Ultimo Decembris Joannes Schattelius judicium capitis subiit, & sententiam mortis damnatus excepit: cui sententiæ & alia contra Patres Societatis Jesu adjuncta, quæ lata simul & clarè pronunciata fuit, in Patrem nimirum Clementem Puteanum, & reliquos omnes veluti reos seductæ juventutis Parisiis commorantes Jesuitas (præterquàm eos, qui diutiùs in carcere videbantur esse retinendi) Sententia autem talis erat, ut bona Collegii Fisco sint addicta, ut intra viginti quatuor horarum spatium Lutetia Parisiorum, & intra dies XV. ex toto Galliarum regno excedant. Quare illico P. Provincialis cum omnibus suis discessit, iis exceptis, qui in vinculis detinebantur.

Eodem die Schattelius extremo supplicio affectus est. Cui primò manus dextra resciſſa: dein admotis forcipibus candentibus femori & toris brachiorum excruciatus: demum quatuor equis in diversa agitatis alligatus frustatim discerptus: priusquam tamen id fieret, augendi terroris, & acuendi doloris causa equi incitati, in primo impetu subitò inhibiti sunt, ita, ut omnium compages membrorum cum fragore cruciarentur: quod iteratum est; intereáque gravissimè eum quidam allocuti sunt, ut fateretur, quisnam conscius, quis auctor, quis suasor fuisset: At ille sæpius elata clarissima voce, ut ab omnibus commodè exaudiri potuerit, exclamavit. Nullum mortalium sibi ullum incitamentum aut consilium ad hoc dedisse; séque nemini unquam hac de re suam mentem aperuisse: Scire se, sin aliud dicat, fore, ut jam jam tartara tanquam mendacissimum exciperent. In cujus sententiæ repetitione ab equis discerptus & mortuus est.

Septimo Januarii Anno M. D. XCV. in Patrem Joannem Guinardum propter tractatum repertum in ipsius cubiculo sententia mortis lata est, ut in patibulo suspenderetur, qui cùm more Galliis recepto, omnibus vestibus denudatus, sola interula malè tectus ad patibulum jam jam abripiendus, priùs sisteretur ad fores templi B. Virginis Mariæ, ibíque interrogatus, an peccatorum veniam à Deo efflagitaret; respondit: Probè scio, me miserum esse peccatorem, & supplex oro te Deus, ut peccatis absoluto mihi misericordiam tuam ne deneges. Interrogârunt item, utrum à Rege veniam peteret. Regem (ait) in nullo unquam offendi. Denique, utrum judicibus sententiam mortis vellet dimittere. Dimitte illis (exclamat) Domine JEsu omnia peccata, quia nesciunt, quid faciunt. Cùm jam patibulum à longè conspexisset, cui appropinquabat, S. Andreæ Apostoli exemplo & verbis illud piè & alacriter consalutavit: læta mente ac fronte scalas conscendit, è quibus allocutus circumfusam spectantium multitudinem: quòd supplicii hoc genere enecaretur, aliam nullam subesse causam, quàm quia ante annos quatuor vel quinque perbrevem tractatum conscripsisset, nullius injuria, nullius incommodo, in quem collegisset opiniones & sententias sanctorum Patrum, variorúmque auctorum, quas ipsi antè monumentis commendaverant de hac Quæstione: Utrum liceat privato homini occidere manifestum tyrannum: Tractatum illum se neque typis in lucem editum evulgâsse; quin in aliorum manus eum nunquam perveniſſe. Regem ibi neque verbulo læsum aut offensum. Quæ Patris verba omnem circumstantem populum in magnam commiserationem inflexerunt.

Decimo

A Decimo Januarii P. Rector & P. Joannes Gueretus Schattelii quondam in Philosophia Præceptor, & alii quinque Socii sunt liberi dimissi è vinculis: qui quidem nullo modo evasissent præsentem mortem, si vel pertenuis umbra causæ ullius apparuisset, propter quam occidi potuissent. Sicut & hæc causa minimè fuisset prætereunda in sen-
B tentia illa, qua, ut omnes Jesuitæ urbe cederent, decretum, præter illos, qui tum in vinculis erant. Sed & isti hoc die eandem exceperunt sententiam, ut scilicet XXIV. horis elapsis Parisiis, & XV. diebus ex Galliis emigrarent. Quare illo ipso die neque viso priùs Collegio (sicut & P. Provincialis cum suis similiter fecerat) associati per medium civitatis egressi sunt.

Laus DEO Virginique Matri.

AD CALVINISTAS SEU REFORMATOS PRO
C SALVO CONDUCTU, QUEM JESUITIS EX GALLIA DISCEDENTIBUS DEDERUNT. EX GALLICO.

REformata cohors, dicata Diti,
Quam sequi juvat, obviis & ulnis
Amplecti, hæretico quod ore sparsit,
Et chartis miseris rogóque dignis
Illevit, ter & amplius scelestus
Calvinus, macula & probrum hujus ævi;
Carmen reddo tibi tuum, revisum
Accipe, oro, magis tibi placebit;
Reformatum etenim est, eóque, spero,
Ad tuum faciet magis palatum.
Quòd si lima tibi videtur esse
Durior, poteris tuo arbitratu
Relimare, refingere, edolare,
Donec ut tua secta, túque, tandem
Reformetur ad unguem & examussim.

Fides publica JESUITIS data ad Calvinistas remittitur.

D *PAndite nunc Acheronta, seráque recludite*
Ditis
O Furiæ, & quidquid custodum continet Orcus,
Hæreticis etenim vestra de stirpe creatis, E
Ad loca senta situ, ad furvæ stygis infima regna,
Libera danda via est, aditúsque facillimus, illis
Hæreticis, quos justa Patris nunc dextera summi
Celtarum regione cupit depellere in imum,
Sex lustris vestro auspicio meruêre, secuti
Tam tua Tisiphone, quàm tristia castra Megæra,
Alectúsque, cui cædes & prælia cordi.
Turpius haud illis monstrum sub luminis oras
Prodiit ex Phlegethonte, nec ad civilia bella
Promptius; arma, arma, arma tonátque sonátque cruoris
Tam sitiens, quàm terra undæ, cùm Sirius æstu
Findit agros, latásque calore exurit aristas.
Quare agite, ô Furiæ, & triplici tu gutture F
pollens
Janitor, ad vestras vestros deducite sedes.
Digna labore suo capiant stipendia tandem.
Tempore cur tanto sinitis tam pectora chara,
Extra umbras stygias, & Tartara nigra vagari?
Navita, qui simulacra modis volitantia miris
Et tenues vitas transfers per rauca fluenta
Cocyti, Puppim advertas, ripæq; propinques,
Et Calvinistas trans irremeabilis undæ
Fer ripam, monstris ut libera terra quiescat;
At vos fœtentes Calvini de stabulo hirci
Ite, lares priscos, Manésque revisite; nullus
Aptior est vestro genio locus. Ecce tot annis G
Vestrum abitum ad Manes tam Gallia nostra
peroptat,
Quàm metuit reditum; Ite bono, atque malo
omine; nobis
Ite bono, vobísque malo: id mala vestra merentur.
Dux vester sit Pluto, redux sit nemo, precamur.

AD ARNALDUM.

MIraris, careat cur hic liber indice, quævis
Qui monstret, quo sint invenienda loco? H
Ne mirare: liber nam duplo major hic esset.
Quin M. conficeret littera sola librum.
Singula nam tua si mendacia denotet Index,
Hui, index codex maximus iste foret.

FINIS.

APOLOGIA
SOCIETATIS JESU
IN
GALLIA,
AD
CHRISTIANISSIMUM GALLIÆ
ET
NAVARRÆ REGEM
HENRICUM IV.
SCRIPTA
A
RELIGIOSIS EJUSDEM
SOCIETATIS JESU IN GALLIA:
ET
HOC ANNO 1599. BURDEGALÆ
EXCUSA.

Nunc primùm Latinè reddita

A
JACOBO GRETSERO,
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.

ACCESSIT INTERPRETIS
APPENDIX APOLOGETICA
ADVERSUS
LUTHERANI CUJUSDAM RABULÆ CONVITIA
ET MENDACIA.

INDEX CAPITUM APOLOGIÆ.

CAP. I. *Causæ hunc supplicem libellum scribendi, & preces ad Regem, ut eum benignè accipiat.*

II. *De Expulsione Societatis Lutetiâ, & de ultimo adversus eandem edicto.*

III. *Quot Calumniis generatim adversarii Societatem traduxerint, & adhuc traducant, quo modo, & quo fine.*

IV. *Refutatio primæ calumniæ, quæ est, Jesuitas esse Hispanos.*

V. *Religiosos Societatis non esse hostes Regni & Reipublicæ.*

VI. *Religiosos Societatis non esse hostes Reipublicæ ostenditur totius Christiani orbis consensu.*

VII. *Ratione probatur, Religiosos Societatis non esse hostes Reipublicæ.*

VIII. *Religiosos Societatis non esse speciales hostes Christianissimi Regis Henrici IV.*

IX. *Religiosos Societatis non fuisse Schatelio Auctores, ut parricidium in Regem susciperet.*

X. *Religiosos Societatis à Schatelio usque ad extremum Spiritum innocentes pronunciatos esse.*

XI. *In ipsis Societatis Religiosis nullum indicium deprehensum esse, quo, ùt facinoris illius conscii, argui potuerint.*

XII. *Religiosos Societatis non esse corruptores juventutis, blanditiis juventutem ad suum Ordinem alliciendo.*

XIII. *Religiosos Societatis non esse juventutis corruptores, quasi malas artes in scholis doceant.*

XIV. *Conclusio refutationis trium præcedentium & generalium calumniarum.*

XV. *Religiosos Societatis non immiscere se negotiis ad Rempublicam pertinentibus.*

XVI. *Religiosos Societatis immeritò accusari arrogantiæ, ambitionis & avaritiæ.*

XVII. *Cur Societas nomine JEsu insigniatur, refelluntúrque calumniæ objectæ.*

XVIII. *Refutatio recentis cujusdam criminationis de Comite Mauricio.*

XIX. *Religiosos Societatis nec in Confessionibus audiendis, nec in templis, nec in scholis, nec alibi dehortari subditos ab obedientia Christianissimo Regi præstanda.*

XX. *Quis sit Auctor calumniarum, & quis finis.*

XXI. *Epilogus totius Apologiæ ad Christianissimum Regem.*

AD LE-

AD LECTOREM.

TRiennium eſt, amice lector, cùm hîc Franciſci Montani Apologiam pro Societate JESU in Gallia, adverſus Arnaldi Advocati Pariſienſis calumnias Latinitate donatam evulgavimus: Quam quia multis non ingratam fuiſſe, re ipſa experti ſumus, ea de cauſa non inviti etiam hùic, quam modò damus, in Latinam linguam transferendæ operam impendimus: quæ eò gratior erit, quòd primoris illius quaſi quædam epitome ſit. Nam argumentum, quod illa fuſiùs perſequitur, hoc iſta preſſiùs & breviùs tractat. Illa ſpeciatim criminationes unius calumniatoris refellit, hæc generatim omnium; illa omnes alloquitur, hæc ſolum *Regem Chriſtianiſſimum*, cui calumniatorum fraudes, impoſturas, & mille nocendi artes aperit, & velut in tabula ſpectandas proponit. *Calumniatores enim ſunt*, ùt ait ille, *qui falſa deferentes contra cujuſcunque innocentis perſonam, principis animos ad iracundiam commovere præſumunt.* Quorum hoc tempore nimis copioſus proventus eſt. Narrant ſacræ literæ, Patriarcham Iſaac fodiſſe puteum, quem ab eventu, ob jurgium paſtorum Geraræ, cum gregum ſuorum paſtoribus, vocaverit CALUMNIAM. Ad hunc puteum iſti libentiſſimè ſeſſitant, & aquas calumniarum, quibus Societatem JESU aſpergant, diu noctúque hauriunt. Fodit Iſaac alium quoque puteum, quem eadem de cauſa appellavit INIMICITIAS. Nec iſte his ignotus eſt: imò quia nimis notus eſt, idcirco puteum calumniæ non minùs celebrant, quàm cygni ripas Cayſtri. Quæ enim alia ratio, cur tot calumniis Jeſuitas appetant, quàm quia capitales inimicitias cum illis exercent? Ne tamen ùt Zoophyta uni loco affixi hæreant, non rarò excurrunt in campum MENDACII, quem rerum Gallicarum ſcriptor Aimoinus, alicubi in Gallia extare, & nomen hoc à perfidia, & ſumma mentiendi quorundam libidine accepiſſe tradit. In hoc exſpatiantur: in hoc, velut in ſtadio, modò curſu, modò lucta, nunc hoc, nunc illo certandi genere ſeſe oblectant. Feſſi, ad puteum *Calumniæ* redeunt & grata ſibi vice Deum hominéſque ludificant. Quin libros etiam, & *Epiſtolas plenas mendaciorum & fraudulentiæ atque perjurii in orbem dirigunt, ut & aures polluant audientium, & exiſtimationem ſimplicium lædant. Non enim eis ſufficit iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere, ſed quos ſemel oderunt, per univerſum orbem infamare conantur, & ubique ſeminare blaſphemias.* Dicebant olim Judæi contra Hieremiam: *Venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Iſta etiam hodie hæreticorum contra ſervos DEI cogitatio eſt*, inquit S. Hieronymus, *ut calumnias ſtruant, & ſanctos viros accuſatione præveniant.* Et ùt idem alibi ait: *Plerique Doctorum in Eccleſia uſque hodie ſimilia ſuſtinent, audientes vituperationem multorum congregatorum adverſum ſe in circuitu, atque dicentium, perſequimini & perſequamur eos.* Qua calumniandi impotentia & petulantia efficiunt iſti, ut

Anianus ad l. 3. lib. 9. Cod. Theodoſ. lib. 39.

Geneſ. 26.

Hieron. in cap. 23. Hierem.

Hierem. 18.

Hieron. in cap. 18. & 20. Hierem.

Aimoin. lib. 5. cap. 14.

Societas JESU meritò cum B. Rege Davide tum ad Deum, tum ad Chri-
Psalm. 118. ſtianiſſimum Regem clamet: *Redime me à calumniis hominum.* Nam ùt rectè ait ſanctus Ambroſius: *Calumnia eò gravior eſt, quia non ſolùm falſa componit, verùm etiam, quæ piè geſta ſunt, decolorat.* Quæ calumniæ natura manifeſtè in his, quæ hoc libro refelluntur, eluceſcit. Qui quidem liber non modò Gallicanorum, ſed & Germanorum calumniatorum calumnias repellit; quibus ſolenne, calumnias alibi terrarum in Societatem JESU cuſas, recudere in Germania: quaſi Germania non ſatis multos calumniatores, hoc eſt, non verorum, ſed fictorum criminum diſſeminatores ſubmittat: fictorum inquam: *qui enim vera crimina objiciunt, non calumniantur*, inquit S. Auguſtinus. Et licèt *falſum crimen, quod eſt calumnia, reum non faciat hominem, niſi apud judicem hominem*, ùt idem Auguſtinus ait, tamen hoc ipſum pernicioſiſſimum eſt Reipublicæ, & illis, qui calumniam patiuntur, moleſtiſſimum: adeò ut ſanctus Ambroſius dixerit, *eum, qui opprimitur calumnia, non facilè poſſe cuſtodire mandata divina. Neceſſe enim eſſe, ut triſtitiæ aut timori plerumque cedat, & affligatur vel metu calumniæ vel dolore.* Et ideo Davidem ad DEUM clamâſſe, *Redime me à calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua.* Sed Dominus, qui in altis habitat, *judicabit*, aliquando *pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit* CALUMNIATORES. Vale in Chriſto Lector. Ingolſtadii. VI. Kalend. Auguſti. Anno M. D. IC.

Auguſt. in Pſalm. 118.

Ambroſ. in Pſal. 118.

Pſalm. 71.

APOLO-

APOLOGIA
SOCIETATIS JESU
IN
GALLIA
AD
CHRISTIANISSIMUM GALLIÆ
ET
NAVARRÆ REGEM
HENRICUM IV.

CAPUT I.

Cauſæ hunc ſupplicem libellum ſcribendi, & preces ad Regem, ut eum benignè accipiat.

A SUbditi Majeſtatis tuæ *Chriſtianiſſime Rex*; & addictiſſimi clientes, Religioſi Societatis (quam crux noménque Chriſti inſignit) ſcripto, quando coram agendi intercluſus eſt aditus, bona cum venia Majeſtatis tuæ, eidem aliquid proponere cupiunt.

Tu Rex inter Reges hujus ævi miraculi inſtar es, rerúmque noſtra tempeſtate planè admirabilium Rex; & caput hujus nobiliſſimæ, quam lilia decorant, Monarchiæ, & Pater numeroſiſſimi iſtius populi, nos ſubditi tui ſumus: & ea de cauſa tui filii; ſoli ex omnibus Gallis, velut meta, omnium perſecutionum jaculis expoſiti; ut cum Apoſtolo jure dicere queamus, nos in Gallia factos eſſe, *ſpectaculum mun-*
1. Cor. 4. *do, Angelis & hominibus.* Si ærumna & ca-
B lamitas dolorem concit; non poſſumus non libera voce confiteri, nos poſt tot afflictionum & miſeriarum fluctus, in mediis hiſce malorum procellis, maximum doloris ſenſum capere; niſi quòd ipſa tantæ calamitatis deploratio nonnihil ſolatii affert. *Miſerabilis eſt dolor*, ait quidam ex veterum Imperatorum numero, *cui vox in tormentis denegatur*; cúmque hoc jure querendi, ipſius naturæ jure, uti liceat; apud quem eo potiùs uteremur, quàm apud te, qui pacis Martísque temporibus animi tui excelſitatem, tot trophæis erectis, tot beneficiis in amicos inimicósque, C
plena manu, collatis, planam teſtatámque feciſti; à quo ſolo ſecundùm DEUM levamen optatúmque finem, his, quibus jactamur, caſibus expectamus.

Etſi verò hactenus tantum nobis ſumere auſi non fuimus, ut Majeſtati tuæ ſupplici libello vota precésque noſtras offerremus, ne intempeſtivè te interpellaremus, jam tamen tantum nobis fiduciæ inditum eſt, ut id audeamus, tibique totius perſecutionis noſtræ ortum & ſtatum exponamus; Quocirca qua fieri poteſt mentis ſubmiſſione Majeſtatem tuam obſecramus obteſtamúrque, per ſacroſanctum illud *Chriſtianiſſimi Regis*, quo gloriaris, cognomentum; per alma illa lilia, quæ à quinquaginta ſeptem Regibus, anteceſſoribus & majoribus tuis, accepiſti; per plurimas illas laureas, quibus brevi temporis ſpatio, ca- D
put exornâſti; per innumeros illos, omni admiratione digniſſimos eventus, quibus DEUS te, ad hujus regni gubernacula provexit; per amabiles illas paciferæ & mitis olivæ frondes, quas his poſtremis menſibus tam in internis, quàm externis regni tui partibus panxiſti; per iſtos omnes titulos, & hæc omnia decora, tua, te, *Chriſtianiſſime Rex*, rogamus, ut modico temporis intervallo, nobis benignas & faciles aures præbere, nósque mala, quibus premimur, percenſentes, & in hoc libello, velut penicillo quodam depingentes, clementer audire velis. Ipſæ calamitates, quibus conflictamur, loquendi vim & ani-

A mum nobis addunt, & nomen Majeſtatis, quod geris, in bonam ſpem nos vocat, fore, ut & audientiam, & id, quod æquum eſt, impetremus. Ut enim Regem armis & robore inſtructum eſſe oportet debellandis & profligandis hoſtibus; ita eundem par eſt facilem & promptum eſſe, audiendi ſubditorum juſtas querimonias. Rex viva & ſpirans DEI imago eſt. Nullis lineamentis, nullis ductibus & coloribus magis repræſentatur, oculísque ſubjicitur ſupremus ille Monarcha, cœli terræque potens, quàm juſtitiâ, quæ omnis regni fundamentum & firmamentum jure habetur.

B Poſtulamus ergo à Majeſtate tua id, quod quilibet Rex ex præſcripto regalis functionis clientibus ſuis debet, ſeu amici, ſeu inimici, ſeu probi, ſeu improbi fuerint; imò ſi totius mundi ſceleribus nos ſoli obſtricti eſſemus; hoc tamen jus, quod petimus, negari nobis licitè non poſſet: jam verò tantò magis par eſt, ut id conſequamur, quantò magis id, quod hoc libello enumerare & declarare inſtituimus, pertinere videtur, non modò ad officium conſcientiæ noſtræ: ſed etiam ad gloriam & honorem Majeſtatis tuæ, totiúsque regni, & ad pacem, tranquillitatem, conſolationémque majoris partis ſubditorum tuorum; qui, ut hoc faceremus, fermè invitos coëgerunt. Hoc conſilio permoti & inducti Majeſtatem tuam alloquemur, eo libertatis & candoris modo, qui Religioſos; & ea reverentiæ & honoris ſignificatione, quæ ſubditos cum Rege ſuo agentes decet.

CAPUT II.

De Expulſione Societatis Lutetia, & de ultimo adverſus eandem edicto.

C QUartus propediem finietur annus, *Chriſtianiſſime Rex*, cùm Pariſiis, aliísque nonnullis Galliæ urbibus pulſi ſumus, diſperſíque per omnes Europæ Provincias, excepta Hiſpania, (quam toties nobis objectant adverſarii) ſpoliati omnibus facultatibus & fortunis, quas ex pia Fundatorum liberalitate poſſidebamus, etſi pertenues illæ erant, & quæ non tam ad vitam, quàm ad labores, vel, ut rectiùs loquamur, non tam ad vivendum, quàm ad laborandum vivendo ſufficerent. Magnas conquerendi ſeſe nobis hîc aperiret campus; ampla
D offerretur materies; ſed non lubet hîc exaggerationem texere, flebilibúsque modis, quaſi per elegiam ea, quæ pertulimus, deplorare. Hoc obiter tantùm dicimus, ſi diſceſſus noſter, & noſtra proſcriptio ex Gallia urbi Pariſienſi emolumento, ſi Majeſtati tuæ ſecuritati & præſidio; ſi Reipublicæ, quæ te Regem creat; & Religioni, quæ te *Chriſtianiſſimum* facit, utilitati fuit; ſi cauſa exſtitit, ut Pariſienſis Academia bonarum diſciplinarum ſcientia, pietatis & virtutis incremento; inſignium Magiſtrorum, & ſtudioſæ juventutis accurſu magis atque magis floreret; non recuſamus, quò minùs miſerias noſtras perpetua oblivione conteramus, æternóque ſilentio contegamus; quin quotquot adhuc ex naufragio illo reliqui ſumus, omnem operam & induſtriam, imò & vitam noſtram eò conferre avidè cupimus, ut hi tam læti & proſperi ſucceſſus perennent. Quòd ſi calamitas noſtra neque ulli privato commodum, neque Reipublicæ ullum fructum attulit: Deum precamur, ut Auctoribus horum malorum clementer ignoſcat; neque aliud vindictæ genus exoptamus.

Sed regredimur ad id, quod inſtat, quódque Majeſtati tuæ jam animo demiſſo & ſupplici proponere cogitamus, & à te benignè audiri oramus. Poſtquam, *Chriſtianiſſime Rex*, bellis externis & civilibus finem honorificè impoſuiſti, ignibúsque publicæ lætitiæ teſtandæ gratia excitatis, ignes ſeditionis & diſcordiarum extinxiſti; Poſtquam liberum aditum, omnibus, etiam hoſtibus, (quibus magnitudo animi tui terrori fuit) ad urbes, & ad benignitatem tuam Regiam patefeciſti; ubi nos quoque ſub hujus tam dulcis pacis umbra requieſcere, ſuaviſſimísque ejus fructibus frui voluimus, (cùm non minùs pax G illa, ad nos, qui Galli, & Majeſtatis tuæ ſubditi ſumus, quàm ad peregrinos & advenas pertinere videretur, nósque, qui nomen noſtrum in numero Clientum, & quidem obſequentiſſimorum, Majeſtatis tuæ profitemur, non minùs commodi ex hac pace redundantis, nobis quàm ipſimet hoſtes polliceri meritò poſſemus) ecce tibi, eo ipſo tempore, quo tam læti nuntii de pace inita omnia pervolitabant, ignésque lætitiæ argumenta, ubique collucebant; adverſarii noſtri falſis accuſationibus & criminationibus, apud Majeſtatem tuam nos traducunt & onerant, litterásque, nobis nunquam, defenſionis cauſa, auditis, obtinent, quibus Senatui Regio Burdegalenſi mandabatur, ut Societatis noſtræ homines, qui in Aquitaniæ partibus remanſerant, quàm primùm ex tota ditione exterminet. Quod mandatum, *potentiſſime Rex*, H velut improviſa tempeſtas, eò magis nos perculit, quò cœlum videbatur ſerenius & tranquillius, & quò magis jam conſtabat noſtra in te fides, ſub quo, quaſi ſub altero Auguſto, mundum pacatum, turbásque ſedatas intuebamur. Quare niſi curia, provida edictorum Majeſtatis tuæ interpres, obſtitiſſet, totámque noſtram vivendi & agendi rationem ad te perſcripſiſſet, periculum erat, ne ſub ipſa pacis primordia, extrema quæque belli incommoda perpetaremur. Sperabamus autem Rex, & verò adhuc ſperamus, fore, ut perſuaſionem de nobis, qua alii te imbuerunt, deponas; ubi noſtri inſtituti rationem cognoveris, plu-

A plurísque æstimes, grave illud & publicum testimonium à suprema, eáque tota, & ex omnibus suis Cameris collecta Curia Burdegalensi, Majestati tuæ semper addictissima, innocentiæ nostræ datum, quàm sermones privatorum quorundam, qui privatis causis & affectionibus ducti, magísque odio Religionis quàm nostri impulsi, non desinunt Majestatem tuam adversùs nos concitare. Hac spe erecti & confirmati aliquantulum respiravimus.

B Attamen cùm nos non fugiat, quæ sit adversariorum nostrorum natura; quæ consuetudo; cúmque hac postrema præsertim impressione, perspicuè intellexerimus, eos perpetuum & irreconciliabile bellum nobis indixisse; nec finem facturos struendarum insidiarum, quamdiu quoquo modo licuerit; statuimus eos, illis ipsis armis, vel certè præcipuis, quibus nos oppugnant, exuere; aut si minùs illis adimere possumus voluntatem nos nostrásque res traducendi, certè audaciam adimamus; quod Majestati tuæ neque ingratum, neque injucundum fore speramus. C Nec aliud sunt ista arma, quàm *Calumniæ*; liceat uti hoc verbo, *Rex potentissime*, cùm nullum occurrat, quod aptiùs & convenientiùs significet arma & præsidia eorum, qui veritate destituuntur; quibus nostri adversarii perpetuò nos oppugnârunt non modò In Gallia, sed & in omnibus illis, etiam remotissimis, Europæ locis, ad quæ lingua Gallica & Latina pertingere potest: Et hoc illud ipsum est, quod nunc ad Majestatis tuæ thronum deferimus, quódque, ut patienter audire digneris, ardentissimis precibus devotissimi Majestatis tuæ clientes contendunt. Quòd si materia hæc fortassis auribus parùm grata accidat, attamen declaratio ejus nobis necessària, ejúsque cognitio Majestati tuæ est D honorifica. Nihil pretiosius, nihil prius & charius, post conscientiam nullius sceleris sibi consciam, possidemus, quàm boni nominis existimationem, quam sanguine itidem tueri, & conservare ad DEI gloriam proximorúmque salutem, jubemur. Sapientis dictum est; *Illum crudelem in seipsum esse, qui famam suam negligat.* Nec fieri potest, ut Majestas tua sine hujus rei dilucidiore explicatione, animos eorum, qui famam nostram clam & quasi in tenebris lacerant, veritatis luce illustret; aut ipsis partibus, id, quod cujusque proprium est, ex Justitiæ præscripto tribuat; quod tamen Principi maximum ornamentum adfert, eúmque honorem parit, quo nullus ad sceptri regníque stabilitatem solidior reperitur.

CAPUT III.

Quot calumniis generatim adversarii Societatem traduxerint & adhuc traducant, quo modo & quo fine.

E ADversariorum opera & industria, *Christianissime Rex*, semper eò tetendit, ut nos funditus everterent: existimant enim nobis prostratis & eversis faciliorem fore Ecclesiæ expugnationem & ruinam, quam ab octoginta propemodum annis variis machinis appetere non cessant: Medium, quo finem hunc consequi nituntur, calumniam delegerunt. Bonis enim F & honestis titulis nihil detrimenti nobis procreare poterant; nec malis palàm nos aggredi audebant: confugerunt ergo ad falsas accusationes, speciosо velo tectas, ut absque pudore impetus in nos faciendi occasionem haberent. Meminit Majestas tua, istos, Anno Domini 1594. ineunte Majo, uno Mense post lætissimum illum tuum in urbem Parisiensem ingressum, cùm putarent, sese sub alis & tutela tua, præclaram latentis odii expromendi opportunitatem nactos esse; renovâsse, & ex situ pulveribúsque excitâsse controversiam quandam à triginta jam annis sub judice pendentem, ad eámque tres novas validásque accusationes adjecisse, quasi telum triplici cuspide metuendum; videlicet *nos esse Hispanos, hostes Reipublicæ:* deinde, peculiares ob causas *inimicos Majestatis tuæ*, Demùm *Juventutis corruptores & seductores.* Prima accusatio G eò tendebat, ut passim redderemur inviси, maximè viris primariis. Secunda eò, ut in tuæ Majestatis offensam & indignationem incurreremus. Tertia eò, ut in tota Gallia exosi efficeremur & inutiles. Has tres accusationes conjunxerunt, ut prætextu justissimarum rationum bellum adversùs nos moverent; nósque non sine laude exterminarent. Has accusationes semper in promptu habuerunt, annexis multis aliis, quasi minorum gentium, accusatiunculis, in quibus minus spei collocabant; eásque quoquoversus circumtulerunt & sparserunt per tot advocatos, quot sexcentis forensibus controversiis discutiendis & ventilandis sufficerent; tot modis, quot insignis vafricies excogitare valuit; tot locis, quot summa diligentia percurrere potuit. Permulti fuêre Advocati, variis temporibus, omnes armati & onusti saccoperis & instrumentis, ita comparatis, ut non modò formidinem ipsi Judici & Reo inermi incutere, sed & innocentem, à jure & æquitate bene instructum, in timorem conjicere possent.

Modus fuit inauditus. Locus, quævis H Europæ pars & regio. Advocati, postquam litem intentârant, & ore suo contra Societatis nostræ honorem & existimationem, quidquid collibitum erat, evomuerant, Actio-

A ctionem ſuam typis excuſam in lucem edi-
derunt, ut calumnias in nos jactas non ſo-
lùm Pariſienſis Senatus audiret, ſed tota Lu-
tetia, tota Gallia, tota Europa, omnésque
mortales, qui nunc ſunt, aut aliis in an-
nis erunt. Curia Pariſienſis volebat juſtiſ-
ſimis de cauſis, ut de hac cauſa ne ſemel
quidem, promiſcuè, publicâ audientiâ,
omnibus admiſſis, diſceptaretur, non ob-
ſcurè partis adverſæ animoſam audaciam
proſpiciens, & haud temerè metuens, ne
incendium ab illis excitatum in ipſam au-
ream Cameram graſſaretur; metuens inſu-
per, ne ſi ſemel linguis tam petulantibus
fræna laxaret; offenderet non modò gravi-
ſimum illum confeſſum, qui ad liliorum
gubernacula tunc ſedebat; in quo minus erat
periculi; ſed innumerabilem quoque con-
fluentis urbis multitudinem, non ſine pu-
blico ſcandalo pernicioſi exempli occaſione
B exorto. At licèt non omnibus, publico
conventu dicendi & agendi copia & facul-
tas data eſſet, ipſi tamen facilè modum ex-
cogitârunt tranſiliendi non tantùm fores il-
lius conclavis, ſed & totius Regni terminos;
delati ad exteras nationes & provincias, quas
alatis quaſi vocibus, impreſſisque libris per-
vagati, actionem contra nos inſtituerunt,
inſpectante & audiente tota Europa. An
juris & æquitatis tuendæ gratia? Nihil minus,
ſed ut famam noſtram aperto Marte impe-
terent. Nec hîc gradum fixerunt; ulteriùs
C progreſſi ſunt. Supplicationes & preces
certis horis definitas *periculoſæ devotionis no-
mine* indigitârunt, quo nos notârunt, quaſi Auctores & ſuaſores fuerimus funeſti il-
lius facti, in perſonam Majeſtatis tuæ ten-
tati. An non hoc eſt famam & exiſtima-
tionem noſtram *devotè* evertere? Marmori-
bus nos inciderunt; ſaxis & lapidibus ad-
verſus nos, tanquam hujus criminis reos,
loquendi & teſtandi quaſi vocem, inciſis
notis & litteris, dederunt. An non hoc
eſt ipſas res inanimatas animare, ut nomen
noſtrum traducant? Quin & picturis nos
depinxerunt, quas paſſim venales expo-
ſuerunt, blanda crudelitate in famam no-
D ſtram invecti. An non hoc eſt alienam
exiſtimationem vendere, & cum noſtri ho-
noris jactura & ruina mercatum inſtitue-
re? Libros adversùs Majeſtatem tuam no-
mine noſtro compoſuerunt, & ſuppoſue-
runt. Quod quid aliud eſt, quàm Deum,
Regem, Leges, Juſtitiam, propriámque
conſcientiam ludibrio habere. Nec diſtat
hæc ratio infamandi ab impietate blaſphe-
mandi. Perlatus eſt rumor ad aures Ma-
jeſtatis tuæ de uno quodam ex horum li-
brorum numero; ſtatímque agnoviſti ex
noſtra Officina non prodiiſſe; regiáque li-
bertate nos hac calumnia abſolviſti. Si hæc
publicè & in conſpectu totius Chriſtiani
orbis, qui noſtram innocentiam explora-
tam habet, actitant; quid non privatim
& in aurem dixiſſe & inſuſurrâſſe cenſendi E
ſunt, ſi eos Majeſtas tua audire voluit?
Quæ commenta & quas machinas non ex-
cogitaverint, ut te in illis perſuaſionibus
confirmarent, quibus jam dudum men-
tem tuam præoccupare ſtuduerant? Quòd
ſi perpetuò peſſima quæque adversùs nos
effutiverunt; quid mirum, ſi proximè elap-
ſis diebus Majeſtati tuæ ſuggeſſerunt, nos
eſſe hoſtes tuos, nos contra Auctoritatem
tuam è ſuperiore loco concionari, contrá-
que voluntatem tuam in ſcholis docere,
nos in confeſſionibus audiendis pœnitentes
ab amore, obedientia & obſervantia tibi
debita avocare? Quid mirum, ſi his de- F
lationibus, technis & fraudibus clementiam
tuam in nos irritârunt, ut hanc poſtremam
contra nos tempeſtatem tunc excitaret, cùm
ſperaremus, nos altiſſima pace & benevo-
lentiæ tuæ ſecunda aura fruituros? Cùm
igitur adverſarii noſtri tam acres & inde-
feſſi ſint in accuſatione noſtra, Majeſtatem
tuam etiam atque etiam obſecramus, ut de-
fenſioni noſtræ benignas aures dare dignetur.
Quòd ſi hoſtium noſtrorum objectiones &
accuſationes amoliri & refellere nequeamus,
libenter fatebimur, eos jure ac ordine di- G
xiſſe & feciſſe, quæcunque contra nos di-
xerunt, aut fecerunt, tuámque Majeſtatem
meritiſſimò eas pœnas nobis decreturam,
quæ tantorum criminum gravitatem adæ-
quent. Si autem perſpicuè tibi, *Rex*, de-
monſtremus, non ea, quæ nobis impo-
nunt, ſed contraria vera eſſe; rogamus,
ut eis regiæ benignitatis fontes ignoſcendo
recludas, noſtræque innocentiæ, condem-
nationis ſententiâ, non occludas.

CAPUT IV.

Refutatio primæ calumniæ, quæ eſt, Jeſuitas eſſe Hiſpanos.

AC principio quidem, quòd nos in- H
famârunt, quaſi *eſſemus Hiſpani*, ac-
cuſatio fuit foro & ſcenæ idonea,
eo videlicet tempore, quo bellum inter
Gallos & Hiſpanos ardebat; tunc enim no-
men *Hiſpani* nomen erat exoſum, plenum
ſuſpicionis & odii. At poſtquam, *Chri-
ſtianiſſime Rex*, cum *Catholico* Hiſpaniarum
Rege dexteram junxiſti, pacísque fœdus pe-
pigiſti; ita, ut Gallus Hiſpanum, & Hiſpa-
nus Gallum fratris loco ducat, & colat; to-
ta hæc accuſatio corruit, & tenues in auras
evanuit, omni prorſus ratione deſtituta.
Quapropter adverſarii noſtri in omnes ſeſe
partes verſare docti, tempori ſervientes, ſty-
lum verterunt; jámque non modò non no-
minant nos Hiſpanos, ſed & Hiſpanorum &
Regis Hiſpaniarum hoſtes palàm proclamant;
illud inſuper addunt; *Regem illum ex Regnis
ſuis Societatem profligare velle.* Adeò incon-
ſtans & mutabile eſt mendacium. Si bel-
lum

A lum inter Gallos & Perſas exiſteret, Perſas fortaſſe nos nominarent, nósque habitu & amictu Turcico & Perſico exornarent. Nimirum ita conſueverunt filii hujus ſeculi in omnes partes ſeſe transformare, & ſomnia ſua modò hoc, modò illo colore adverſus veritatem adumbrare, ea videlicet ratione, qua chamæleon pellem ſuam tranſmutat.

B Poterant hæc, quæ diximus, ab hac de Hiſpania criminatione, toties nobis obtruſa, ſatis ſupérque nos purgare, accedente præſertim ipſa adverſariorum in hujus calumniæ aſſertione inconſtantia, quæ evidenter oſtendit, calumniam, quæ nos Hiſpanos facit, nihil aliud eſſe, quàm arcem commentitiæ Hiſpaniæ, in ſummis Pyrenæi jugis ab iſtis ex malo ſano cerebro fabricatæ. Verùntamen ut Majeſtati tuæ animi noſtri ſenſum clariùs ob oculos ponamus, ſanctè teſtamur, nos nunquam alios, niſi germanos & genuinos Gallos fuiſſe, non minùs animo, quàm ortu; non minùs, quàm quivis alii alterius Ordinis aut Congregationis Galli fuerint ſive in genere, ſive in ſpecie. Quòd ſi qui ex Ordine noſtro Hiſpaniam amant, alia nulla cauſa ſubeſt; quàm quia genere Hiſpani ſunt, quod noſtro Ordini non eſt proprium, ſed cum omnibus commune. Et quemadmodum iſtos ipſa lex naturæ impellit & obſtringit ad amorem Hiſpaniæ, natalis ſoli; ita eadem lex ad amorem Galliæ, Patriæ noſtræ, nos incitat & obligat. Quòd ſi qui inter nos ſunt, qui Hiſpaniæ Regem omni officiorum genere colunt & venerantur, ùt Principem Catholicum, Dominúmque & Regem ſibi à Deo miſſum; id illis vitio verti nequit; quia nos pari modo toto pectore te complectimur, qui & Princeps Chriſtianiſſimus es, & Rex noſter; ídque jure divino & humano juſſi, quod hoc officium

C à quovis exigit. Quotquot in hac Societate degimus, Principes quidem omnes tanto faſtigio debita reverentia honoramus; ſuum tamen quilibet peculiari amoris affectu proſequitur ſeu Polonus, ſeu Germanus, ſeu Tranſylvanus, ſeu Lotharingus, ſeu Italus, ſeu Hiſpanus: Qua ratione nos etiam, quibus Gallia Patria eſt, in te ſingulari cultu & obſervantia ferimur; qui divino nutu Rex noſter es: húncque animum & verbis & factis ſemper præ nobis tulimus & publicè declaravimus; nec abnuimus, quò minùs evidentiora hujus noſtri ſenſus argumenta edamus, ſi ita Majeſtati tuæ libeat.

CAPUT V.

Religioſos Societatis non eſſe hoſtes Regni & Reipublicæ.

D SEd jam ad reliqua crimina nobis objici conſueta accedamus. Ajunt, nos *eſſe hoſtes Regni & Reipublicæ, ſpeciatim Majeſtatis tuæ, & Juventutis ſeductores.* His criminationibus opponimus breviter & generatim, primò teſtimonium ſupremæ curiæ Pariſienſis, quæ accuſationes iſtas tanti momenti & ponderis, cum plenis buccis & ingenti clamore ab Advocatis depromerentur, & decantarentur, audiit; ſumma ope & induſtria incredibili ſollicitata, ut in nos ſententiam condemnationis pronunciaret; novem menſes perpendendæ huic actioni & controverſiæ habuit, tantum videlicet temporis, quantum ab exitu Aprilis uſque ad natalia Salvatoris ejusdem anni feſta intercedit; nec tamen nos condemnavit; imò quietos eſſe ſivit; nec quidquam de jure noſtro imminuit; nec pacem, in qua ſecurè degebamus, turbavit; quin potiùs tempus opportunum expectavit, quo calumniatores noſtros promeritis ſuppliciis mulctaret, ídque in capita illorum regereret, quod nobis per ſummum ſcelus intentârant. Hæc E Curia, hícque conſeſſus graviſſimorum & præſtantiſſimorum virorum juri dicundo & juſtitiæ adminiſtrandæ præpoſitus, quo nullus in tota Gallia auguſtior, an non è veſtigio communibus ſuffragiis omni pœna nos dignos pronunciâſſet; ſi illa crimina tam bene & juridicè fuiſſent probata, quàm impudenter & malitioſè nobis fuerant objecta? Nónne ſuo ſilentio accuſatores noſtros damnationis ſententia perculit, noſtrámque innocentiam firmiſſimo teſtimonio comprobavit? Et licèt poſtea exilium nobis decreverit, id tamen non eſt factum ob præteritas accuſationes, nec ea de cauſa, quaſi Advocati illi juſtè actionem adverſus nos ſuſceperint; non enim ideo nos cauſa cecidimus; illi victoriam adepti ſunt; ſed alio planè eventu in has miſerias incidimus. A qua Curiæ ſententia jus appellandi ad eandem, quæ nos condemnabat, Curiam, habebamus, ſi tanta dicendi & innocentiam noſtram defendendi nobis facultas data eſſet, quantam adverſarii noſtri anſam habuerunt, onerandi & traducendi nos falſis & commentitiis ſuſpicionibus & prætextibus, occaſione nefarii illius & funeſti facinoris adverſus Majeſtatem tuam ſuſcepti. Rumore tam inauditi ſceleris, fama tanti parricidii attentati, formidine periculi, quod tibi imminebat, totum Reipublicæ corpus perculſum fuit; omnes adverſus nos ſiniſtræ ſuſpiciones commotæ, & obviis ulnis, ùt veriſimillimæ, arreptæ: maximus ignis vel ſine fomentis & nutrimentis extitit. Fra- H gor, ſtrepitus, timor facinoris attentati, amor, ſalus & affectio Principis, capitis, & membrorum, majores ſtimulos ſub pectore ſubditorum verſabant, quàmprimùm adverſus nos ferendi ſententiam, quàm accuratè diſquirendi & longa deliberatione indagandi, qui ſontes, qui inſontes eſſent; & ut eo caſu, quo incidunt res arduæ, & in quibus ſumma rerum cernitur, non tam ad deliberationem, quàm ad opus ipſum, abſ-

A que omni mora ſuſcipiendum accurritur; ita etiam magna commotione aut ſeditione exorta, manu potiùs gliſcenti malo obviam eundum eſt, quàm conſilio. Quo fit, ut ſingularem Dei erga nos curam & providentiam agnoſcamus & prædicemus; cujus eximia benignitate accidit, ne nos, qui tempeſtate illa excitata Pariſiis eramus, primo ſtatim impetu à fluctibus illis hauſti interiremus.

B Neque hæc commemoramus, *Rex potentiſſime*, accuſandi tui Parlamenti gratia. Hoc dicimus, illud unum nobis inoptatis eſſe, ut liceat ad illam ipſam Curiam, non intempeſtivè appellare, imitaríque Macedonem illum, qui ſententia Philippi Regis condemnatus, elata voce *appellavit*; cúmque Rex, velut aculeo fixus, rogaret; ad quemnam appellaret; reſpondit: *ad te ipſum, ô Rex, ſed ad meliùs, ſinceriúſque informatum.* Non moramur, quò minùs Curia juſtè egiſſe videatur nobis condemnandis, dummodo innocentia noſtra inviolata perſtet. At ſatius eſt mala hæc oblivione delere; & meminiſſe benevolentiæ & meritorum, quæ à triginta ſex annis in nos contulit, maximè cùm ſemel atque iterum jus noſtrum nobis ſartum tectúmque præſtitit, nósque ab hoſtium noſtrorum impoſturis & inſidiis vindicavit. Primùm

C quidem Anno 1564. cùm decem Advocati contra nos declamarent, totidémque partes adverſæ infenſiſſimis animis nos perſequerentur. Deinde anno Domini 1594. cùm duo cauſidici totis viribus in id unum incumberent, ut nos funditus everterent; & ſucceſſiſſet conatus, ſi judices nacti fuiſſent ad credendum tam promptos & præpetes, quàm celeres, audaces, & temerarii ipſi erant ad quidvis comminiſcendum & effutiendum, licèt id probabili aliquo argumento confirmare non poſſent. Si præter hoc generale teſtimonium innocentiæ noſtræ aliud non ſuppeteret, ſatis validum & firmum id eſſet repellendis omnibus adverſariorum noſtrorum telis.

CAPUT VI.

Religioſos Societatis non eſſe hoſtes Reipublicæ, oſtenditur totius Chriſtiani orbis conſenſu.

D NIhilominus quædam adducemus, quibus ſigillatim unumquodque crimen ex iis, quorum inſimulari ſolemus, refellatur. Ac primùm quidem id, quod de Republica objiciunt, refutare poſſumus totius orbis conſenſu; quo teſtimonio nihil majus aut gravius. Placuit divinæ bonitati, ut tot locis viveremus, & domicilia figeremus, quot ſol oriens occidénsque luſtrat & illuſtrat: Ex quibus nonnulla Chriſtianos incolas habent; alia Chriſtianos, ſed adjunctis idololatris & Barbaris tam à Religione, quàm ab humanitate Chriſtiana alienis; cum quibuſdam verſamur, ut in Chriſtiana diſciplina corroborentur; cum aliis agimus, ut ad Chriſtiana ſacra transferantur, & legis Evangelicæ manſuetudine informentur. Vivimus non modò ſub Chriſtianis Principibus, ſed & ſub Ethnicis cœleſtium legum timorísque divini ignaris. Collegia in Japponia extruximus, in ea videlicet mundi parte, quæ à noſtra longè eſt remotiſſima. Alia excitavimus Occidentem versùs in Braſilia, quæ eſt Americæ principium. Limæ item & Cuſchani, quæ ſunt Peruanæ Provinciæ termini, ultimæque Occidentis metæ. Præterea Mexici, quæ urbs quaſi in centro vaſtiſſimi illius tractus, viſitur ad Septentriones. Adhæc Goæ tam in ipſa urbe, quàm circumjacente provincia; ubi duæ tertiæ partes viæ Ulyſſippone in Japoniam finiuntur; quæ ſex millia Leucarum Gallicarum conficiunt. Alia Collegia habemus in aliis, iísque longè latéque diſtantibus, Indiæ ad Solis ortum & occaſum Provinciis, ut filentio prætereamus illa, quæ in Europa condidimus; longè plura, quàm adverſariis placeat, & longè pauciora, quàm illi optent, quos Catholicæ fidei propagandæ ardentius ſtudium tenet.

G Obiérunt itidem Societatis noſtræ homines, & adhuc partim obeunt Montem Libani, Ægyptum, Africam, Chinam, eo conſilio, ut Chriſtianos vel in benè cœptis confirment, vel à ſacris noſtris averſos, Chriſtianis myſteriis initient. Anne unquam ex omnibus his locis vel tenuis rumuſculus venit, nos ſupradictis criminibus affines eſſe? An non omnes illi, tot tantíque populi, & ſilentio ſuo & verbis, & re ipſa teſtificantur, nobis in illis tam longè latéque diſſitis & disjunctis oris, nihil aliud propoſitum eſſe, quàm Chriſtianæ fidei propagationem, & incrementum, Regúmque & ſubditorum ſalutem & emolumentum? Et quamvis capitalis ille omnis honeſtatis hoſtis non rarò atrocibus calumniis nos onerârit, operâ & auxilio miniſtrorum ſuorum (qui ad hoc impulſi ſunt amore Idolorum & Idololatriæ, quam pro vera religione reputant) nunquam tamen H efficere valuit, quò minùs paſſim ab omnibus haberemur fideles & obſequentes Regibus, Ducibus, Principibus, & Magiſtratibus Chriſtianis & Ethnicis, in iis rebus, quæ ad eorum perſonam, ſtatum & Rempublicam propriè pertinent; & quò minùs toto terrarum orbe amori eſſemus Catholicis Principibus, & in plerisque itidem locis ipſis Ethnicis venerationi. Proferant Adverſarii noſtri ex omnibus illis regionibus, vel unicum teſtimonium ſcripto comprehenſum, quo probetur, nos Regum & Rerumpublicarum hoſtes eſſe, & manus dabimus, victósque nos fatebimur. Pro-

ferant

A ferant vel unicum verbulum à terrarum illarum incolis hac de re vel dictum vel scriptum.

B Quòd si Indi longiùs abesse videntur, petant (& quare non petiverunt?) testimonia ex Italia, Polonia, Moscovia, Transylvania, Bohemia, Austria, Bavaria, ex tota Catholica Germania, & ex locis propioribus, ex Lotharingia, ex Pedemontana ditione, ex aliis, ut nos arctiùs constringant. Petant inde testimonia vera & solida probandis his criminibus. At non possunt, nisi ad figmenta recurrant, ùt nuper fecerunt in negocio Belgico. An dicent, remotos illos populos & Principes, & hos etiam vicinos, crimina hæc non potuisse cognoscere? Non abnuimus. Quomodo enim cognovissent, quæ nulla erant? An dicent, cognovisse quidem, at nihili feciisse? At quis hoc sibi persuadebit? Estne quidquam, cujus sensum citiùs percipiamus quàm Respublica? Estne quidquam, quod vehementiore ardore Magistratus tueatur, integrúmque servare studeat, quàm dignitatis & ordinis

C prærogativa? Quis retinentior quàm Princeps suæ potestatis, Rex suæ coronæ & sceptri? An quidquam reperiemus, quod magis sollicitè custodiant, quod teneriùs ament, pro quo cupidiùs propugnent? Quis credat, æquo animo laturos fuisse Principes, si vel minimum quid sensissent nos adversus Reipublicæ pacem & tranquillitatem moliri? Certè nulla mora interposita ex ditionibus suis nos exterminâssent, & edictis ad perpetuam infamiam notâssent. Quòd si ubicunque terrarum & gentium versamur, Reges & Principes amamus, eorúmque salutem curæ & cordi habemus: quis credat, nos, qui Galli sumus, in sola Gallia capitales hostes esse Regum & Reipublicæ? Quis in animum inducet credere, solis subditis Gallis odio esse Principem Gallum? Quis potiùs adversariis nostris, aut eorum verbis (quæ profectò mera verba sunt omnis probabilitatis expertia) fidem adhibendam censebit, quàm concordi to-

tius orbis consensui, animíque & spiritus

D Gallicani innato sensui?

Fortasse producent probationis gratia Lusitaniam & Angliam, quod jam crebrò factitârunt. At Lusitani, imò & Angli, licèt nobis ob diversitatem Religionis infensissimi, scriptis vanitatem istam & hæc mendacia redarguerunt. Lusitaniæ Reges Societatem summoperè semper amârunt & exornârunt, ejúsque opera primi in propagatione Christianæ fidei sunt usi. Et si ultimus Rex monitis nostrorum obtemperâsset, adhuc superstes Regni sui habenas teneret. Quod ad Anglos attinet, quicunque veritatem in postremis non ducunt, illi innocentiæ nostræ & fidei testes sunt. Nec eò progredi audent, ut scribant, nos quidquam aut in Reginam, aut in Regni illius

statum machinatos esse. Quòd si qui hac macula nos aspergere conarentur, ii nimirum sine ulla verisimilitudinis specie hujusmodi mendacia Ordini nostro affingerent. E

CAPUT VII.

Ratione probatur, Religiosos Societatis non esse hostes Reipublicæ.

F HIs testimoniis adjungere licet, *Rex*, hoc argumentum à ratione ductum. Ecquamnam vel exiguam probabilitatis umbram præbet his nostra professio, ut suspicentur, nos Regum & Reipublicæ inimicos esse? Itáne legis divinæ ignari sumus, ut nesciamus Reges à DEO constitui; Reges per ipsum regnare; & per ipsum, ceu bonos Legislatores decet, bonas ac justas leges condere? An fugit nos, *jus quasi patronatus* divinæ & supremæ Majestatis proprium esse, nominare & coronare Reges? An nos latet, Reges, regia sua Majestate, imaginem DEI repræsentare, Deúmque velle, ut hoc quasi habitu indutis morem geramus, serviamus, & omne cultus obsequiíque genus deferamus, & quoquo modo possumus, salutis & prosperitatis auctores simus? Quòd si hæc nobis perspecta sunt, G si ea ex superiore loco tradidimus, si scriptis libris professi sumus: si eadem adhuc in dies singulos verbis & scriptis clam palámque docemus, quî fieri potest, ut tam ab omni conscientia destituti simus, ut id odio prosequamur, quod DEUM amare novimus, & id pro nihilo ducamus, quod ipse magni æstimat, ídque, quod ipse sustentat, nos subvertamus? An tam modicum judicii nobis suppetit, ut aliud dicamus, aliud agamus? Anne quia Religiosi sumus, magis barbari sumus, quàm ipsi Barbari, quàm Canibales, Mameluci? Quibus nihil aliud cordi quàm odisse, ii nihilominus Principem suum amant.

Cæterùm si privata commoda nostra spe- H ctare velimus, nónne uberiora reportabimus, si Reges amemus & colamus, quàm si eorum Majestatem aspernemur? Si amicos & fautores habeamus, quàm si offensos & iratos? Si pacificè & quietè sub eorum imperio degamus, quàm si formidando potentiam perpetuò contremiscamus? Si hostes Regis & Reipublicæ sumus, cur omnibus, quibus potuimus, religiosis obsequiis, Majestatis tuæ animum nobis devinciré studuimus, ídque ab eo tempore, quo tu *Rex*, Ecclesiæ filius primogenitus esse cœpisti? Cur libris & litteris obsecravimus, & etiamnum obsecramus, ut in gratiàm nos recipias? Desinant igitur adversarii hoc spiculum in nos conjicere; In eos potiùs conjiciant, quorum erga Reges & regna perfidia neminem latet. Nec id nobis imponant, cujus culpa nulla in nobis residet; sibi ea retineant, quibus sese obstrictos nôrunt,

& quorum etiam à nobis satis supérque convicti sunt. Sed veteres querimonias renovata *Amnestiæ* lege malumus silere, quàm eloqui; quando tu quoque eas sempiterna oblivione obrui desideras. Non sumus igitur hostes Regum & Rerumpublicarum, sed fidelissimi clientes, servi & subditi; Speciatim autem & nominatim amamus & veneramur Regem Galliæ, nec aliud nobis est in votis, quàm ut sub ejus imperio, patriam nostram, virtute & divitiis, opibus videlicet cœlestibus & terrestribus, florentissimam, tuámque Majestatem suis antecessoribus omni bonorum genere antecellentem, multorúmque Regum parentem videamus.

CAPUT VIII.

Religiosos Societatis non esse speciales hostes Christianissimi Regis Henrici IV.

ALterum crimen, quod in specie Majestatis tuæ personam attingit, magis urget, & accuratiore refutatione eget. Dicere enim, nos esse Regum & Reipublicæ inimicos, nihil autem speciatim adducere, thesis nimiùm generalis est, quam difficile est defendere. Vehementior impetus fit, cùm certum definitúmque crimen objicitur. Quapropter Adversarii nostri hypotheseos quasi angustiis nos concludere conati sunt, asserentes, nos in specie Majestatis tuæ & regni hostes esse. Thesis velut cornu erat, quo classicum cecinerunt, pugnæque inchoandæ signum ediderunt. At hypothesin tubæ loco habent, qua parta jam victoria receptui canitur. Antequam demonstremus nostram innocentiam, etiam atque etiam rogamus, *Rex Christianissime*, ne id, quod accidit eo tempore, quo ei opinioni adhærebas, quam sponte postea deseruisti, præjudicium aliquod defensioni nostræ apud animum tuum pariat. Memineris magnanimi illius, omniúmque ore celebrati responsi, quod quidam ex antecessoribus tuis dedit: *Non est Regis Franciæ, ulcìsci injurias Ducis Aurelianensis.* Magnitudo animi tui, *Rex*, minor non est, quàm illius Regis; nec laus tua minor efficietur, sed potiùs grandi accessione augebitur, si dicas: *Non est Regis Franciæ, vindicare querelas adversùs Regem Navarræ; nec filii primogeniti Ecclesiæ, succensere, propter id, quod actum est, adversùs opinionem sanctis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus adversantem.* Dignare, *Rex*, eadem nos, qua cæteros omnes, benevolentiæ tuæ aura, & perpetuæ oblivioni manda totum illud, quod eo tempore accidit. Interea tamen memineris, nihil nos unquam adversùs Majestatis tuæ personam in particulari molitos esse, quod adversarii crebrò probare tentârunt, sed irrito conatu. Memineris insuper, ex omni concionatorum & aliorum numero, qui aliquid vel egerunt vel dixerunt, nos multò minus & dixisse & fecisse, quàm tibi retulerint hostes nostri, qui nostra dicta & facta, nunquam sine largo auctario & commentitiis glossis Majestati tuæ exponebant. Si enim jam omnibus illis bellis quasi nubibus dissipatis, & pace omnia splendore suo illustrante, mille imposturis & mendaciis innocentiam oppugnant, quid non egisse censendi sunt in mediis belli tumultibus, & nebulis, quando mendacium liberè regnat, imò & grassatur, & quando veritati vix caput attollere licet. Vetus verbum est & verum: *Tempus belli, tempus mendacii.* Vicimus, *Christianissime Rex*, si hæc à Majestate tua impetremus, concidátque oportet altera ista accusatio, destituta omni fulcimento, minimo impulsu prosternetur.

Quo argumento probant, nos esse speciales Majestatis tuæ hostes? Ex qua causa odium istud manare putant? Ex qua ratione conclusionem istam colligunt? An quia Rex es? At Societas nostra Reges honorat. Testis experientia & ratio. An quia primogenitus Ecclesiæ filius es? At hanc conditionem aut tantum aut magis etiam, quàm primam suspicimus & admiramur. An quia Rex Galliæ es? At Gallia, nostra Patria est, & tu Rex ejus, noster Pater es. Quem amabimus, si non amemus Patrem & Matrem? An quia Rex es bellicosus & invictus, Dux Regum & Rex Ducum? At virtus hæc perpetuò tam amicorum, quàm inimicorum amorem conciliat. An quia in colloquiis & congressionibus familiaribus humanus es, & in sententiis acutus, in verbis jucundus, in modo agendi liber, in promissis constans, in agendo promptus, ad laborem indefessus, ad pericula animosus, in prælio formidabilis, in victoria moderatus, & ubique regius? Istæ dotes non generant odium, quia ùt in omnibus sunt amabiles, ita in Rege planè sunt admirabiles.

Quid igitur amplius afferent? An dicent, nos ex mera malitia impulsos odisse virtutem, hominésque virtute præditos, & hac naturæ improbitate incitatos, inexsaturabile odium adversus Majestatem tuam gerere? Si omnium hominum, vel saltem proborum judicio, scelerati, improbi, depravati, seductores, humani generis osores, vitiorum fautores, virtutis inimici essemus, non modicas vires hoc responsum haberet; quippe ex communi hominum existimatione profectum; ex qua non infirmum argumentum duci solet. Verùm cùm nec auctoritate, nec ratione aliqua probabili demonstrârint, nos adeò conscelleratos, & ab omni honestate aversos esse; certè non nisi temerè affirmant, quotiescunque affirmant,

A mant, nos tanti Regis, tot tantísque vel naturæ vel fortunæ dotibus clariſſimi, inimicos eſſe; ut taceamus nimis impudens factum videri, ſi quis ſibi ſolùm aſſeveranti fidem adhiberi velit, tanquam oraculo, aut alteri Pythagoræ. At quiſnam eſt, qui aſſenſum facilè præbeat his, qui tam atris coloribus nos depingunt, qui capitales inimicitias nobiſcum gerunt, qui perpetuò mendacia de nobis ſparſerunt, eo tamen caſu excepto, quando bene dictis nos proſecuti ſunt, quod nunquam fecerunt, niſi cùm putarent ſe maledicta in nos effundere.

B Fortè argumentum & probationem aſſeverationis ſuæ deſument ab illis, quæ poſtremis hiſce belli tumultibus evenerunt. Obteſtati ſumus Majeſtatem tuam, *Rex*, ſupplicésque rogavimus, ut, ſicut voluntaria oblivione condonâſti aliis, quidquid eo tempore geſtum eſt; ita & nobis idem condones; quod excelſæ mentis Regem cumprimis decet, tanquam quid, quod nominis & gloriæ immortalitatem maximè conciliet. Si quis noſtrûm, eo rerum ſtatu, aut privatim aut publicè ex loco ſuperiore, Zelo Catholicæ Religionis ductus, aliquid protulit, id non protulit contra *Chriſtianiſſimum Galliarum Regem*, nec adverſus Regis Navarræ perſonam, ſed adverſus illam opinionem, quam Rex Franciæ abjecit, cujus abjuratio Regem Navarræ cum Rege Franciæ amabilem reddidit, noménque ejus & laudes in Urbe totius Chriſtiani orbis Principe, intra ſacros parietes & templa elata voce deprædicavit. Si ab eo tempore, ſi poſt edicta à te propoſita, ſi poſt victorias, quas non modò de aliis, ſed & de te ipſe retuliſti, quidquam adverſus Majeſtatem tuam egimus, quod fideliſſimorum & obſequentiſſimorum ſubditorum officio non ſit conſentaneum, ſi quid aut clàm aut palàm in Rempublicam moliti ſumus, læſæ Majeſtatis mortísque reos libenter nos agnoſcemus. Oſtendant hoc adverſarii noſtri legitimis probationibus, non calumniis ex proprio cerebro primùm extuſis, & poſtea petulanti lingua extruſis. Nam ſi hoc demonſtrârint, tunc jure optimo dicent, nos eſſe Majeſtatis tuæ & Regni ſpeciales hoſtes, dignos non tantùm exilio, omniúmque fortunarum amiſſione; ſed omnibus ſuppliciis, quæ ex juſtitia decerni poſſint, damnandos & mulctandos, tanquam perduelles communísque patriæ peſtes.

C

CAPUT IX.

D *Religioſos Societatis non fuiſſe Schatelio Auctores, ut parricidium in Regem ſuſciperet.*

QUod autem Majeſtatem tuam oramus, ut obliviſci digneris eorum, quæ ultima belli tempeſtate acciderunt; meminiſſe autem eorum, quæ evenerunt, poſtquam in Eccleſiam cooptatus es, id non eo conſilio facimus, ut declinemus id, quod nobis affictum, & per calumniam impoſitum fuit, quaſi ſuaſores & auctores fuerimus facinoris, adverſus perſonam tuam ſuſcepti. Ab hoc enim ſcelere tantum abſumus, quantum abeſt ortus ab occaſu. Quicunque in hac Societate degimus, factum illud abominamur, & execramur, liberéque profitemur, freti ipſius veritatis præſidio, nos nullam pœnam deprecari, quandocunque criminis hujus aut generatim aut ſpeciatim rei comperiemur, & convincemur, certi nos à nemine tanti Parricidii convinci poſſe. Anno Domini 1594. in Julio, quo duo Advocati, totidemque Scribæ ſeu Notarii ingenti contentione diem nobis dixerunt, dicámque ſcripſerunt; objecerunt nobis Barrierium, & id genus alias criminationes in nos intorſerunt, ut hujus criminis aliqua nota nos notarent: ſed quidquid attulerunt, verba inania fuêre, & inanis linguæ ſtrepitus, non argumenta alicujus ponderis; ſpicula oris, non veritatis. Senatus ergo Regius ea contempſit, ùt diximus, & ſuo ſilentio nos abſolvit, quod notum toti Lutetiæ; quin & Majeſtas tua id meminiſſe poteſt; permittebas enim, ut, veteri more, functiones noſtras Religioſas & Scholaſticas Pariſiis & alibi obiremus, ſicut à triginta annis jam conſueveramus. Quare futurum videbatur, ut actio illa jam denuò ſuſcitata, perpetuis tenebris ſepeliretur, & calumniæ evaneſcentes in ima tartara præcipitarentur, absque ſpe reditus ad luminis oras (niſi fortè poſt aliquot ſecula) ſi Diabolus pacis & quietis tam publicæ, quàm noſtræ hoſtis & oſor, inferorum portas non reſerâſſet, claſſicúmque adverſus nos ceciniſſet, illo infelici caſu, qui tam nobis inopinatus fuit, quàm univerſis Regni tui incolis inexpectatus accidit: Et hac unica hujus facinoris machina veluti tonitru quodam & fulmineo fragore, intra paucos dies, conſecutus eſt id, quod antea multis annis adverſus nos obtinere nequiverat.

E

F

G

H Quia verò Adverſarii noſtri ex hoc facto materiam potiſſimùm accipiunt, ut nos Majeſtati tuæ exoſos, totíque Chriſtiano orbi execrabiles reddant, humiliter tibi ſupplicamus, *Rex Chriſtianiſſime*, ut benigna aure & mente audias id, quod nos mœſtiſſimis animis afferemus depellendis adverſariorum noſtrorum objectionibus, noſtræque innocentiæ patefaciendæ; quæ tunc nihil patrocinii & ſubſidii reperire potuit. Magni refert, *Rex*, non modò noſtra; ſed & tua, qui tantus Rex es, factum aliquod penitiùs introſpicere, accuratiúsque omnibus ſuis circumſtantiis quaſi veſtitum, propriísque coloribus expreſſum contemplari. Totius etiam mundi intereſt, ut obſervet,

A & debitis laudibus celebret divinam providentiam, ſedulò advigilantem, ut conatus ad Regum exitium ſpectantes, & calumnias ad innocentiæ expugnationem tendentes cohibeat & avertat. Adverſarii noſtri abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, abſque pudore & fronte, imò non ſine ingenti triumpho publicè pronunciârunt, & adhuc pronunciant, nos facinoris illius ſuaſores & impulſores fuiſſe, quin & Clementi illi pares nos fuiſſe, quin & Clementi illi pares nos faciunt; addúntque, ob hoc facinus in exilium pulſos eſſe. Cæterùm liberè & diſertè profitemur, nos, ſi vera iſti aſſerunt, non modò exilio, ſed & ſupplicio hujusmodi criminibus conſentaneo digniſſimos eſſe. At ſi eos manifeſti mendacii redarguamus, fateantur oportet, ſe tam veritatis, quàm noſtri Ordinis juratos hoſtes eſſe. Omnia argumenta, quæ hoc loco adducunt, non niſi ex duobus capitibus derivari poſſunt. Alterum eſt, præſumptio de noſtris Scholis, in quibus Reus aliquamdiu litteris operam dedit. Alterum eſt ipſius Rei, aut aliorum contra nos teſtimonium.

B Ex primo capite minimè licet firmum argumentum deducere: Non enim eſt proba concluſio: *Schatelius litteris operam dedit in Jeſuitarum ſcholis, ergo in illis malefacere didicit;* potiùs concludendum eſt: Ergo in illis malefacta non didicit, ſed timorem Dei; nam ſcholæ noſtræ legem Dei docent, religionem, virtutem, pietatem, quod omnibus probis compertiſſimum eſt, & in confeſſo. At talis inſtitutio neminem ſui cultorem efficere poteſt improbum, ſicut nec ignis ita comparatus eſt, ut producat frigus. Docet etiam experientia, ex diſciplina noſtra extitiſſe homines, & in tuam Majeſtatem, & in Rempublicam fideliſſimos.

C Quòd ſi ex tot millibus prodeat aliquis ſceleratus, num ejus rei culpa in nobis hærebit? Num ſcelera ejus in nos expetent? Quænam lex jure tantum oneris nobis imponet? Certè ſi Magiſtris & Doctoribus, qui ſanctè & integrè bonas litteras, virtutísque ſtudium tradunt, diſcipulorum malefacta imputentur (etiam tum, poſtquam ex illorum diſciplina exceſſerint, & aliò ſe transtulerint, ſicut ille ſeptimum jam menſem extra Gymnaſium noſtrum verſabatur) intoleranda erit eorum conditio & profeſſio, quippe qui omnium ſuorum auditorum errata & commiſſa piacula luere debeant. Eadem ratione Redemptor noſter accuſandus erit, quòd ex ſchola ejus Judas proditor prodierit. Vitio vertemus Eccleſiæ, quòd ex ejus gremio multi exoriantur Apoſtatæ, proditores, ſcèlerati. At quis unquam ſanæ mentis ita ratiocinatus eſt aut ratiocinantes vidit?

D Porrò cùm adverſarii noſtri animadverterent, argumentum hoc ex ſola præſumptione nudáque ſuſpicione ſumptum, viribus carere, ejus muniendi & firmandi gratia adjecerunt, nos in ſcholis noſtris docere, jus fásque eſſe Reges trucidare, hácque doctrina animum illius juvenis à nobis imbutum eſſe. Probatio hæc longè imbecillior eſt (licèt ad calumniam aptior) quàm ipſum argumentum, cujus firmandi cauſa adſciſcitur. Nam ſi quis dicat: Litteris operam dabat apud Jeſuitas; ergo perſuaſus ab illis facinus hoc ſuſcepit; is ſaltem umbram alicujus probabilitatis, vel imperitorum judicio, affert. At ſi dicat, ideò perſuaſerunt illi hoc parricidium, quia in ſcholis & publicis ſuis prælectionibus docent, licere Reges vi & ferro aggredi, is nos immaniſſimæ cujuſdam hæreſeos inſimulat, calumniiſque ſine ulla veri ſpecie proſcindit, cùm hujusmodi doctrina toto cœlo repugnet Catholicæ fidei, quam profitemur; Inſtitutioni, qua palàm tot millia erudimus; vitæ Religioſæ, quam complexi ſumus; rationi & experientiæ, omnibúsque illis teſtimoniis, quæ ſuprà innocentiæ noſtræ adſtruendæ gratia produximus. Nejota quidem aut unum apicem proferre poterunt iſti ex omnibus libris, ab Ordine noſtro editis, qui vel tenuiſſimam ſuſpicandi occaſionem præbeat, nos in hac hæreſi verſari. Neque etiam ex tanto diſcipulorum numero, qui nobis docentibus operam dederunt, & ex ingenti multitudine, qui noſtros libros evolverunt, vel unum reperient, qui affirmet, hanc eſſe noſtram doctrinam. Nos autem è contrario non unum, non duos, ſed aliquot millia, nullo negotio, advocabimus, qui uno ore teſtabuntur, libros noſtros, prælectiones noſtras, conciones & actiones conſentaneas eſſe legi divinæ, quæ præcipit, ut honor, cultus, obedientia, & obſervantia debita Regibus, Principibus, & Magiſtratibus præſtetur. Si in noſtris ſcholis ejusmodi doctrina omni legum æquitati repugnans traderetur, an non probabile eſſet, virum aliquem Reipublicæ & honeſtatis amantem, priùs ad Reges & Principes eam delaturum fuiſſe, quàm Advocati iſti eam obſervarent, & ſcriptis proderent; præſertim cùm Doctor publicus doctrinæ ſuæ tot teſtes habeat, quot auditores. Si palàm doctrinam hanc propoſuiſſemus, & explicâſſemus, ùt iſti contendunt, fieríne potuiſſet, ut ex centum aut ducentis millibus, quos à triginta annis diſcipùlos numeravimus, unus ſolus exiſteret, qui hanc noſtram doctrinam audiret, perciperet, eíque convenienter truculentum facinus animo deſtinaret? Fieríne potuiſſet, ut ex ſcholis Germaniæ, Poloniæ, Italiæ, aliorúmque regionum nullus exoriretur, qui in hanc arenam deſcenderet, & ſimile parricidium conciperet? Anne ſolus & unicus Gallus hujus tam perniciosæ diſciplinæ capax fuiſſet?

Quòd ſi ſemper verbo & exemplo docuimus, Reges & Magiſtratus debito honore

A nore afficiendos, ipſisque amorem & obſequium deferendum eſſe, (nunquam enim adverſarii contrarium oſtendent) cuivis ſanè perſpicuum erit, quænam vires in hoc argumento inſint. Facinoroſus iſte litteris vacavit apud Jeſuitas, qui docent Reges colendos & obſervandos eſſe: ergo apud illos Reges ad cædem deſignare didicit. Præterea ſi hanc doctrinam in ſcholis noſtris hauſiſſet, maximè eam hauſiſſet à ſuo Præceptore, ſub quo curſum ſtudiorum confecerat; quo diutiùs Magiſtro uſus, & cum quo familiariùs & fidentiùs verſatus fuerat. At Præceptor ejus, eo ipſo tempore Pariſiis degebat; in quem proinde Curia oculos ſuos conjecit, tanquam in ma-
B gìs ſuſpectum, & quaſi in auctorem nefarii propoſiti, per quem cæteri omnes in ſuſpicionem adducebantur. Ad quæſtionem abreptus eſt, homo infirma corporis conſtitutione, & perbrevis vitæ: Nihil noxæ in eo repertum, liber dimiſſus eſt, abſolutus ab omni crimine, & ſuſpicione, & nos pariter in illo & cum illo. Si enim is, qui potiſſimùm ſuſpicione laborabat, ipſa dimiſſione teſtimonium innocentiæ ſuæ tulit; rectè inde conficitur, reliquos etiam minùs de crimine ſuſpectos, eodem judicio eadem culpa liberatos eſſe. Ob has rationes totum hoc commentitium argumentum evaneſcit, & in fumum abit. Et niſi adverſarii noſtri ante paucos menſes rumorem de nobis ſparſiſſent, quaſi hæc doctrina noſtra eſſet: ſimúlque impudenter &
C mendaciter diſſeminâſſent, nos inimicos Regum eſſe & auctores, Doctorésque cædis ipſis intentandæ, ne minima quidem hujus facti ſuſpicio ad nos manâſſet; imò portenti loco habitum fuiſſet, ex ſchola Catholica & religioſa; ex ſchola honeſtatis & virtutis, diſcipulum ejuſmodi moribus præditum, & ex tali familia talem familiarem extitiſſe. Tenebras igitur figmentorum & mendaciorum ante omnia diffuderunt, tum ne veritas, lucis filia, conſpici poſſet; tum ut in illa caligine falſitas, tenebrarum proles, naſceretur; quæ denſa illa nube tecta & protecta, quaſi victrix in ſuo propugnaculo, triumpharet.

CAPUT X.

Religioſos Societatis à Schattelio uſque ad extremum Spiritum innocentes pronunciatos eſſe.

D A Lterum probationis caput adversùs nos poterat eſſe ipſius Rei vel alicujus alterius teſtimonium. At nec Reus ipſe nec alius quiſpiam quidquam teſtimonii hac in parte contra nos dedit, quamvis ſuprema Curia nihil intermiſerit, quod excogitari poteſt vel ad maturam cautámque deliberationem, vel ad accuratam & curioſam inquiſitionem, vel ad pru- E
dentem dijudicationem; vel ad promptam executionem, ut ſceleris Auctores & ſocios, ſi qui latitarent, deprehenderet; & hæc omnia egit illa Curia, quæ Majeſtati tuæ tam eſt addicta, tam ſolers in diſcuſſione circumſtantiarum, quæ cum negotio tanti ponderis, quanti hoc eſt, conjunctæ ſunt, támque docta, ut ex circumſtantiis obſervatis concluſionem veritati conſentaneam colligat. Reus extra & intra vincula primò omnium, liberè, coactus à nemine, faſſus eſt, quis eſſet, unde, ex qua familia, ſe facinus hoc ſponte ſua, ſe ſolo conſcio, nullius ſuaſu aut impulſu aggreſſum eſſe: Deinde duplici quæſtioni ſubjectus eſt, candentibus forcipibus dilaniatus, manus altera amputata, ductus ad locum ſupplicii, ut membratim diſcerperetur. In his omnibus cruciatibus rogatus eſt, ſeveriſſimè examinatus, jurejurando obſtrictus, ut patefaceret, utrum alicujus de Societate noſtra (tunc omni patrocinio & defenſione deſtituta) hortatu & conſilio facinus illud deſignâſſet; conſtanter negavit, & in F
negatione, immoto animo, perſtitit, quotieſcunque interrogabatur. Interim urgebatur, adjurabatur, commonitionibus, minis, promiſſis: in mediis tamen tormentis, quæſtionibus, equuleis, cataſtis, in lucta illa extremi angoris & horroris, uno verbo, quamdiu ſpiravit, vóxque faucibus intercluſa non hæſit, tamdiu innocentiæ noſtræ teſtimonium dedit, nósque ab hoc crimine liberos prorſus & immunes pronunciavit. Nec valuit mors omnibus ſuis ſpiculis & jaculis priùs illi hanc confeſſionem eripere, quàm ſenſum & ſpiritum eriperet.

G Fieríne potuit, ut quæſitores firmiùs in inveſtigatione ſociorum & conſciorum, aut Reus in noſtræ innocentiæ teſtificatione conſtantiùs perſeverarent, quàm uſque ad ſupremum vitæ articulum? An non omnem fidem, intelligentiam, vímque humanam exuperat, tot ſupplicia, tot quæſtiones, tot incuſſos terrores, tot examinis & tam varios modos nequiiſſe unicum accuſationis verbulum elicere ex ore adoleſcentis, corpore infirmi, ætate juvenis, judicio imbecilli, licèt nos inſontes nôſſet; vel eo duntaxat fine, ut vel modicum ſolatii tantis cruciatibus reperiret: ſæpe enim accidit, ut in quæſtionibus & torturis, H
ſuo teſtimonio, vi tormentorum expreſſo, Rei fontes cum inſontibus involvant. An non longè adhuc mirabilius eſt, ab eodem nos non eſſe accuſatos, ſi accuſatione dignos ſciebat, ut æterna vitaret ſupplicia, útque debitas pœnas perſolveremus; ſi nos ſuaſores hujus facinoris habuit; & ut vindictam à nobis repoſceret, ſi cauſa fuimus, ut in tanta tormenta incideret? Fieríne poterat, ut tot impreſſiones, tot inſultus, tótque

A tótque cruciamenta homo adoleſcens perferret, quò minùs nos accuſaret; ſi vel tenuiſſimam noſtri accuſandi occaſionem habuiſſet? At faciamus hujus juvenis corpus ex chalybe compactum, & ad omnes impetus ſævientium inviolabile fuiſſe; an deerant Deo inſtrumenta ſatis valida referendi pectus, & os ejus, ut manifeſtaret ſocios tam funeſti facinoris, contra Chriſtum ſuum ſuſcepti, contra eum, quem tot miraculis ad hoc regiæ dignitatis faſtigium extollebat? ô Providentiam, ſummi illius Regis Regum, quæ in tua Majeſtate eluceſcit, dum non permiſit, ut deſtinatus ille ictus vitam adimeret illi Regi & Duci, qui

B victoriam reportârat, ex tot támque periculoſis certaminibus, qui inter innumera bellicorum tormentorum diſcrimina, incolumis ſemper permanſerat. Nec minùs hæc divina cura & paterna ſollicitudo, circa nos obſervanda venit, qua exiſtimationem noſtram intactam conſervavit. Nam ſi primum illud permiſiſſet DEUS, amiſſura erat Francia Regem, qui meritò inter fortiſſimos & generoſiſſimos numeratur, & brevi fortaſſis ſui ipſius ruinam vidiſſet, cùm capitis interitus ſit extrema membrorum pernicies. At ſi alterum eveniſſet, nósque licèt falsò in communionem hujus criminis vocati fuiſſemus, utique de omnium vita & ſalute actum fuiſſet. Nam omnes accu-

C ſationes quantumvis licet jam diuturnitate temporis conſopitæ, omnia crimina objecta, omnes ſuſpiciones, vim & robur ex hoc ſolo caſu recepiſſent, nobísque & ignominiam & necem, prætextu juſtitiæ, procreâſſent. Cùm igitur ita rem DEUS inſtituerit & moderatus ſit, ut tot inter quæſtiones & inquiſitiones, nihil repertum ſit, quod nos nocentes oſtenderet; cur traducimur tanquam facti illius Auctores? Cur adverſarii noſtri ſcripto apud tuam Majeſtatem ſuperioribus diebus conquerentium ſpecie hunc in modum percontantur? *Ergóne Jacobinos & Jeſuitas inter nos tolerabimus, quì vitæ noſtræ ſtruant inſidias?* Quænam hæc eorum conſcientia eſt, quis animi candor, ut adeò veritatem impugnent, cùm omnibus conſtet, quæ & qualia deſignârint ad-

D verſùs Reges Galliæ, non ſub uno, ſed ſub quatuor Regibus? Porrò ſi inter tot cruciamenta & teſtimonia DEUS noſtram famam præſtitit integram, cur ergo ſine ulla commiſeratione laniatur & proſcinditur? Si abſoluti ſumus ſilentio & ore Rei, Judicúmque ſententiâ, cur diffamamur tanquam convicti criminis? Cur nomina noſtra, ùt Reorum, in faſtos & Calendaria inſcribuntur? Cur incidimur in æs tanquam convicti? cur columnis marmoreis inſculpimur tanquam convicti? ô columna in hunc uſum duntaxat facta, ut poſteris ſeculis magni Regis felicitatem teſteris & infelicitatem inſignis Rei: quid tibi negotii cum egena fa-

milia, ad quam nulla pars culpæ pertinet? E
An non tibi ſufficit nativum pondus, nec ſatis gravis es, niſi te etiam infamia nominis noſtri oneret, qui noxæ illi affines non ſumus? At quia quaſi dorſo loqueris, mendaciúmque geris; loquere lingua, & veritatem pande. Quis tibi dixit, Jeſuitas docere, jus fásque eſſe trucidare Reges, qui ſunt vivæ Dei imagines? Quis tergo tuo inſcripſit, noſtro hortatu & ductu, miſerabilem illum Gallum petiiſſe Chriſtianiſſimi Regis jugulum? Quodnam teſtimonium, quæ auctoritas, quæ certitudo tibi ſuppetit, ut id, quod aſſeveras, tanta contentione, vi & certitudine aſſeveres? Pluráne abſque auribus audiviſti, & ſine oculis vidiſti, quàm viginti quinque millia aurium & totidem oculorum audiêrunt & viderunt in loco capitali, cùm de aggreſſore illo ſupplicium ſumeretur? Pluráne dicere audes, quia ita lubet, quàm ipſe Reus tot preſſus tormentis F
& cruciatibus? At quónam querelas noſtras dirigimus? Lapides omni ſenſu carent. Majeſtas tua eſt, *Rex Chriſtianiſſime*, cui jus cauſæ noſtræ patefactum cupimus, & ad quam hoc etiam conſilio recurrimus. Veniam ergo dabis calami aberrantis digreſſioni, qui meritò in has afflictorum querimonias, utpote juſtas & rationi conſentaneas, erupit; quódque ex hoc capite ſupereſt, patienter audire digneris. Præcipuum, quod adversùs nos facere potuiſſet, erat confeſſio Rei. Hanc pro nobis ſtare vides.

CAPUT XI.

In ipſis Societatis Religioſis nullum indicium deprehenſum eſſe, quo ùt facinoris illius conſcii, argui potuerint.

G REſtat, ut diſpiciamus, utrum nos ipſi indicium aliquod de nobis ipſis præbuerimus, quo conjici potuerit, nos criminis hujus participes fuiſſe, ea ſcilicet nocte, qua tota Lutetia concuſſa erat, qua extraordinario ſono campanæ omnium turrium reſonabant, qua circa horam nonam aut decimam armata manu ad Collegium noſtrum ventum, qua ex improviſo puſillus ille Religioſorum grex à miniſterio forenſi & militari comprehenſus, qua ſigillo publico obſignata conclavia & ſcrinia, qua excubiæ variis in locis diſpoſitæ, ut non ſolùm nemini ex Collegio; ſed ne ex cubiculo quidem exeundi via pateret (& tamen ſcriptis vulgatum eſt magis noxios effugiſſe) quando ex Collegio captivorum inſtar educti ſunt, quando examinati, modò ſimul, modò ſigillatim. Anné in hoc H
toto hujus negotii proceſſu, ánne in omnibus hiſce probationibus, & inquiſitionibus, aliud quàm innocentiæ ſignum apparuit in vultu, in oculis, in fronte, in verbis,

A bis, in geſtibus? Ampliúſne quid expreſſum eſt à cæteris, quàm ab eo, qui quæſtioni ſubjectus, judicúmque ſententia abſolutus fuit? Potuiſſétne celari, ſi quid repertum fuiſſet? Nam quod inter Theologica adverſaria, ejus, qui ſupremum ſupplicium ſubiit, inventum eſt, id cum hoc facto nihil penitus commune habebat. Continebat quæſtionem Theologis, Philoſophis, & Juriſperitis familiarem; lucubratiuncula erat privati laboris; non excuſa typis. Latebat, nemini nocuerat, nemini nocere poterat. Et tamen turbulenta & exulcerata temporis conditio Gallo illi calamitatem, imò mortem, nobis
B exilium peperit. Quid ergo nobis cum illo crimine commune? Cur diffamamur, cùm ejus culpa vacemus, non ſolùm coram DEO, ſed etiam in conſpectu Regiæ Curiæ, quæ crimen illud nobis non adſcribit? An non ſatis grandem jacturam facimus, quando pleríque noſtrûm amabilem patriæ noſtræ aſpectum & fructum, vitæ noſtræ quietem, paupertatis noſtræ facultates, ſtudiorúmque noſtrorum opportunitatem amiſimus? Anne etiam famæ & honoris jactura ſubeunda erit, ut nutrimentum habeat eorum furor, qui nobis ruinam pertinaciſſimè procurârunt?

C Quòd ſi non obſtantibus omnibus his, quæ dicta, adhuc culpæ ſuſpicionem à nobis non amolimur, non recuſamus, ſi ita tuæ Majeſtati videatur, ut cauſa noſtra denuò diſcutiatur; Favori nobis & ſubſidio erit actionis inſtauratio. Nec ullam Curiam, neque ullum Judicem, qui Catholicæ profeſſionis ſit, deprecamur. Nos æquitatem cauſæ noſtræ libenter ſubjicimus & committimus prudentiæ, examini, diſquiſitioni, & moderationi ejusdem Curiæ, quæ priùs de nobis ſententiam tulit; & ſi nos eos eſſe cognôrit, quos inimici noſtri prædicant; libenter fatebimur, mitiùs quàm pro meritis, nobiſcum actum eſſe, & æquo animo pendemus pœnas gravitati malefactorum noſtrorum pares; nec amplius calumnias eſſe dicemus ea, quæ nobis adverſarii imponunt, potiúsque præoptabimus, ut celeri morte ab ipſo jure nobis inflicta enecemur, quàm ut lento iſto igne, inter tot calumniarum & criminationum æſtus, & inter inſultantium & exprobrantium furioſos impetus torreamur. Jam veritas
D æquiore trutina, & majore quiete & otio ponderabitur, quàm tempore tentati illius facinoris tam exiguo, tanto animorum motu, & perturbatione; tanta trepidatione urbis, quæ Principem locum tenet & caput regni audit, & compendium Galliæ dicitur. Quòd ſi innocentia noſtra ſuperioribus argumentis demonſtrata, hoc demum judicio patefiat & comprobetur; tum ſeriò obſtruentur noſtrorum calumniatorum ora, niſi omnes verecundiæ metas tranſiliêrint, nósque eam capiemus voluptatem, quòd poſt E naufragium caducarum, earúmque tenuium facultatum, ſaltem exiſtimatio noſtra remanſerit integra, qua nos conſervemus, & ad aliquem tandem tranquillitatis portum navim tot fluctibus agitatam appellamus.

CAPUT XII.

Religioſos Societatis non eſſe corruptores juventutis blanditiis juventutem ad ſuum Ordinem alliciendo.

F ACcedamus nunc ad tertiam accuſationem, quæ nos *juventutis corruptores & ſeductores* proclamat. Cui confutandæ quærenda ſunt firma & valida argumenta. Quia res hæc tanti momenti eſt in omni Republica, quanti quævis alia. Si enim ab inſtitutione juventutis pendet commodum aut incommodum, emolumentum vel detrimentum Religionis, omniúmque Ordinum, quàm immane ſcelus erit juventutem depravare & improbis moribus inficere? Quanto conatu tueri debet innocentiam ſuam is, qui hujus criminis inſimulatur? Et quamvis accuſatio hæc ſuapte natura ſit atrox, attamen cùm nos petit, nihil aliud eſt, quàm calumniarum quoddam columen, fulcri, materiæ ſolidæ, aptæque formæ, aliorúmque adminiculorum, quibus ſeſe ſuſtentet, expers, legi naturæ & diſciplinæ contraria. Qua de cau- G ſa non magno niſu dejicietur; cui duplicem ſenſum animadvertimus ſubjici. Nonnulli appellant nos *juventutis corruptores*, quòd, ùt ipſi ajunt, nobilium filios ineſcemus, blanditiiſque ad Societatem noſtram pelliciamus, ut eorum patrimoniis potiamur. Alii nominant nos *ſeductores*, quòd, ùt ferunt, pravæ doctrinæ Doctores ſimus. Prioribus hoc reſponſum damus. Multos ingenuos & domi nobiles & ex claris familiis progenitos adoleſcentes in Ordinem noſtrum cooptatos eſſe, ſempérque eam rationem à nobis initam, & adhuc iniri, ut ex multis ſeligamus aliquos melioris conditionis & ingenii præſtantioris, eo numero, cui alendo domus probationis ſufficiat. At delectus iſte non eo fine inſtituitur, quem noſtri adverſarii confingunt; videlicet ut eorum fortunas invadamus; experientia H refutat hanc accuſationem, quam nullo unquam ſolido teſtimonio probare potuerunt illi, qui eam tantis exaggerationibus amplificant; Si qui ex trecentis aut quadringentis Gallis, qui in hanc Societatem nomina ſua dederunt, aliquid ex Patrimonio ſuo largiti ſunt, id ſpontè fecerunt. At loco unius, qui aliquid det, ſemper decem reperias, qui nihil tribuant; licèt opibus abundent. Nec habent adverſarii, quod huic tam perſpicuæ veritati opponant. Ratio igitur, cur libentiùs & promptiùs in Ordinis noſtri album referamus eos, qui in-

genuis parentibus procreati sunt, ingenióque valent; alia non est, quàm quia ad nostri Instituti functiones tales magis idoneos judicamus. Isti enim plerumque nobiliore animo, & excelsiore mente, & ad disciplinas virtutésque capessendas accommodatiore instructi sunt. Ut nobilitas plerumque valet ad eximia & heroica facinora in castris illis & conflictibus Martiis paranda; ita eadem cùm in Religiosis castris militat, vulgo ignobili antecellit. Ministeria, quibus saluti animorum operam navamus, publica sunt, tam difficilia, quàm necessaria. Quorum modum & artem, ut quis percipiat, perceptámque retineat, opus est insita quadam bonitate & docilitate ingenii, & ut eadem ministeria fructuosè obeantur, oportet, ut quis naturæ & gratiæ donis probè sit excultus. Et hæc unica ratio est, cur hunc delectum habeamus, ex iis, quibus Deus mentem nostri instituti sequendi mittit. Neque id ideo dicimus, quasi omnes ex nobili familia, quibus stat mundum deserere, in Societatem nostram adsciscamus; aut aliis aditum intercludamus; multos enim infimæ conditionis admisimus, & adhuc admittimus, si ad nostri Ordinis munia idonei videantur. At cum aliis eo candore semper egimus, ut licèt planè intelligeremus, eos ob indolis excellentiam, nataliúmque splendorem, multum lucis & emolumenti nostro Ordini afferre posse, eos tamen in nostrum cœtum non allegeremus, quotiescunque judicio nostro satius esse videbatur, vel ad Reipublicæ utilitatem, vel ad familiæ privatum commodum, ut aliud vitæ genus potiùs sibi deligerent; imò hisce non rarò disertis verbis auctores fuimus, ut de Societate ineunda cogitationem nullam susciperent, sed aut in Ecclesiastico aut alio quocunque statu piè sanctéque vitæ suæ rationes instituerent.

Cæterùm quisquis ille sit, cui Societas datur, id semper fit sine fraude & dolo. Nemini ad nos patet aditus, qui decimum sextum aut vicesimum annum non attigerit, & qui non fecerit satis magnos progressus in judicio, pietate, & litteris, si eas debeat profiteri (quosdam enim in Ordinem nostrum adscribimus, ad domestica duntaxat officia, non ad docendi munus, qui tamen veri nominis Religiosi sunt, eadem regula adstricti, qui sub eodem, quo cæteri, Duce militant, eadémque cœlestis mercedis spe sustentantur) Neminem voti sui compotem facimus, cui non longè antea Societas in votis fuerit, eandémque uno anno, biennio, interdum quadriennio, antè non expetiêrit. Majorem partem, consensu Parentum, si Catholicam fidem sequantur, recipimus. Antequam suscipiantur, non pelliciuntur & incitantur copia redituum & beneficiorum, objectu honoris, & illecebra otii, & quietis, & id genus aliis blandimentis; sed labor illis proponitur, pœnitentia, submissio, humilitas, subjectio, & alia hujus classis terrere potiùs quàm invitare consueta. Admissi jam biennium integrum probantur, & omnibus illis experimentis explorantur & excoluntur, quæ apta sunt, ut intimi cujusque sensus penitus perspiciantur, útque animus Deo jam dicatus & consecratus, certo & recto tramite dirigatur. Hoc tempore exacto, nostrorum numero accensentur; si videantur apti: si sint inepti, aut manere nolint, quò lubet, abeunt.

Hæc ratio allegendi operarios in nostrum Ordinem, satis supérque docet, totum hoc negotium à nobis sincerè, & candidè, & absque fuco tractari, neminíque justam occasionem accusandi nos doli & fraudis suppetere. Quid, quòd innocentia nostra hac in parte adeò constat, ut ex non paucis, qui Societatem nostram deseruerunt (ex quorum numero nonnullis postea parùm in nos æquus animus fuit) nemo extiterit, qui conquereretur, se malis artibus & technis à nobis circumventum esse.

CAPUT XIII.

Religiosos Societatis non esse Juventutis corruptores, quasi malas artes in scholis doceant.

Cæterùm illos, qui nos *Juventutis corruptores* appellant, ob pravam doctrinam, obtestamur, ut aliquam accusationis suæ rationem reddant. Quo argumento probant, nos perversa doctrina Juventutis animas depravare? An quia teneris mentibus Religionem, pietatem, Dei timorem, divinorum præceptorum amorem, scientias, ingenuas artes instillamus, eásque probis moribus perpolimus? Hîc procul dubio abnuent, cùm harum rerum institutio nulla depravationis semina contineat, quia impietas & hæresis mentes & voluntates Juvenum in transversum agunt, non ea, quæ enumeravimus. Si adolescentes imbueremus verbo & exemplo, hæresi, blasphemia, Magia, necromantia, aliísque id genus vitiis, verè corruptores essemus. Hæc enim institutio verissima esset depravatio. At verò ea ratione juventutem informare, qua eam informamus, & erudire eo modo, quo, DEI munere, eam erudimus, id nihil aliud est, quàm teneriorem ætatem exornare, perpolire, locupletare, nobilitare, ac in his terris morantem gazis spiritualibus & cœlestibus cumulare, eidémque viam ad superas sedes sternere. At nos, nostris in Gymnasiis, Catholicæ Religionis dogmata explanare, prælectionésque de virtutum studio

A ſtudio inſtituere, clarius eſt, quàm ut probatione egeat. Nam ſi quis id demonſtrare contendat, is perinde fecerit, ac ſi ſoli lampadem accendat. Experientia id confirmat, tota Gallia idem ſibi perſuadet; urbes Galliæ idem commemorant; Curiæ & Parlamenta idem teſtificantur; tota Europa idem confitetur, adverſarii noſtri, quibus mens rectior & ſanior, idem non inficiantur. Quis os aperiet, quis credet, quis objiciet, quis teſtabitur, contra aſſertionem, fidem, affirmationem, aſſeverationem, teſtimonium, & confeſſionem, tot locorum & Rerumpublicarum? Apoſtolica ſedes, Eccleſiæ oculus, quo pravam doctrinam à ſincera internoſcit, ſuffragio
B ſuo doctrinam noſtram probavit per omnes Pontifices, qui à primo Societatis noſtræ ortu Cathedram Petri tenuerunt. Apoſtolicæ Sedi, doctrina noſtra, amplificandæ Catholicæ fidei per omnes orbis terrarum plagas conſecrata, à quinquaginta annis jam perquam grata fuit. Eadem Apoſtolica Sedes commiſit nobis inſtitutionem totius fermè nobilitatis & juventutis Romanæ. (Nam duo millia auditorum ſchola noſtra numerat) præterea curam quinque ſeminariorum, in quibus Romani Juvenes, Græci, Angli, Germani, Hungari, & Maronitæ litteris & virtutibus informantur, ut ſileam alia ſeptendecim Domicilia aliis locis iisdem uſibus deſtinata, & ex variis nationibus Chriſtianæ Reipublicæ, ad Eccleſiæ augmentum & ſolatium inſtituta. Nullum eſt Regnum, nullus Principatus, nulla Reſpublica, avitæ Religionis retinens, cujus Reges, Principes, Magiſtratus operam noſtram non expetierint, & adhibuerint ad inſtitutionem juventutis, ſibíque commiſſæ multitudinis, conditis & dotatis eo fine collegiis, non ſine actionum noſtrarum
C agendíque modi commendatione.

Ne verò opus ſit procul teſtimonia accerſere, Galliam intueamur. Reges Galliæ, tuæ Majeſtatis prædeceſſores, in Regnum nobis aditum patefecerunt, & in præcipuis Civitatibus habitare voluerunt; mandarúntque, ut Principum & Procerum filii, noſtris Magiſtris operam darent. Hinc collegium noſtrum Pariſienſe, plures quadringentis ex ipſo nobilitatis flore, ſemper bonis artibus & moribus excolebat. Regii Senatores, totúsque nobilium Ordo, perpetuò tanquam parentes & patroni defenſionem noſtri inſtituti ſuſceperunt, nósque in clientelam & tutelam ſuam receperunt, perſpicuis induſtriæ & fidelitati noſtræ teſtimoniis conceſſis; nec id fecerunt modò illarum urbium indigenæ, in quibus ſedes
D fiximus, ſed & cæterarum. Fieríne poteſt, *Chriſtianiſſime Rex*, ut tot tantíque viri, tam ſolertes & prudentes, in errorem inducerentur, & quidem in tam diuturnum? quódque maximè cautum oportuit, ne ſcilicet juventus depravaretur, id minimè E omnium caverent, perſuaſi, nos tenerioremillam ætatem lacte cibóque pietatis & Religionis alere & educare, cùm tamen res ſecus ſe haberet, ùt adverſarii ajunt. Anne vel in ſpeciem veriſimile apparet, eos in re tanti ponderis, tam abſurdè hallucinatos eſſe, noxiúmque loco boni, atrum loco candidi, depravationem loco inſtructionis, & depravatores loco inſtitutorum elegiſſe, & arripuiſſe? An non is, qui nos *juventutis corruptores* nominat, accuſatione hac totum terrarum orbem ferit? An non extremæ & intolerandæ inſcitiæ & oſcitantiæ accuſat tot Pontifices, Reges, Prælatos, Nobiles, Magiſtratus, Civitates, Reſpublicas, omnes ſtatus & ordines, & ut in pauca rem conferamus, judicium & ſenſum totius Univerſi?

Quòd ſi ab experientiâ argumentum du- F cendum eſt, cauſæque per effectus ſuos cognoſcendæ, ſi *corruptores & ſeductores juventutis* eſſemus, prout iſti calumniantur, an non jam totam Europam depravâſſemus, cùm potior pars Juventutis noſtris in Gymnaſiis erudiatur? Tot Prælati, tam multi Nobiles, tot Officiales, in Clero in Civitatibus, in Parlamentis, ex Scholis noſtris prodiêrunt; ex quibus pleríque variis locis ad Reipublicæ gubernacula ſedent, fideliſſimi & obſequentiſſimi prioribus Galliæ Regibus, & tuæ Majeſtati. An non omnes iſti corrupti fuiſſent, ſi juventutis corruptores eſſemus? Pleríque Principes extra Galliam, qui di- G tionum ſuarum habenas jam ſapienter moderantur, & Rempublicam cum Religione inviolatam cuſtodiunt, in diſciplina ſcholarum noſtrarum verſati ſunt. An non hos depravari neceſſe fuiſſet, ſi tam grave crimen verè nobis tribueretur? At ſi ipſa experientia manifeſtè oſtendit, tum hos, tum illos nihil aliud apud nos didiciſſe, quàm virtutem, morum integritatem, & Chriſtiano homine dignas artes; quo pacto *juventutis corruptores* audimus? Potéſtne fructus bonus ex mala arbore naſci, aut ex ovo corvi cygnus excludi, aut ex Zizaniorum ſemente meſſis tritici meti?

Satis declarant adverſarii hac accuſatione, H ſe nimia cupiditate maledicendi occupari, magnáque argumentorum, quibus ſuam accuſationem confirment, penuria laborare. Nimiùm nobis maledicendo proceſſerunt, ut tandem etiam nobis malefaciendi occaſionem invenirent. Saltem id inficiari non debebant, quòd omnis ille videt, qui oculis non caret; idque nobis intactum relinquere, quod nemo unquam eripiet. Hac enim ratione conſecuti fuiſſent, ut ea, quæ minùs erant clara & teſtata, contra nos adducta; faciliùs fidem aut probabilitatem apud auditores invenirent; Par erat, ut veritatis explorandæ cauſa, adirent eos, qui

A omni odio, affectúque siniſtro vacant, qui filios ſuos nobis erudiendos committunt; ſic enim, quam docendi rationem teneamus, verè intellexiſſent, meliúsque & modeſtiùs loqui, aut ſaltem non tam impudenter obloqui didiciſſent.

B Impudentia & improbitas hujus accuſationis effecit, ut pleríque docti & magni viri, quibus notum, Societatem juventutis inſtitutioni potiſſimùm dedicatam, eámque in hoc ſuo munere, tam utiliter, locis tam variis & diſſitis, verſatam eſſe, vehementer mirati ſint, qua fronte ſupradictam calumniam, nonnulli in nos congeſſerint. At cùm naturam calumniæ attentiùs conſiderâſſent, & intellexiſſent eam, præter ungues & dentes, quibus lancinet & laceret, nihil habere, vultúsque & frontis, ne pudore ſufundatur, expertem eſſe; ſempérque veritatem telis, quibus poteſt, oppugnare, & objectu tenebroſæ caliginis obfuſcare; admirationem depoſuerunt, ſimúlque in mentem revocârunt, idem quovis ævo innocentiſſimis hominibus uſuveniſſe. Inter Orientis Principes appellatur Job ipſius DEI
Job. 1. 2. præconio *Vir ſimplex, rectus, timens* DEUM,
C *& recedens à malo.* Attamen hunc talem ac tantum auſus eſt Diabolus calumniis impetere, & quidem coram ſuprema illa Majeſtate. Dicebat enim, eum DEI reverentem & obſervantem eſſe, ſpe opum & facultatum caducarum. Qua calumnia hypocritam eſſe ſignificabat. Eſſe autem hypocritam, eſt duplicem & obliquum eſſe, ita, ut quis homines magis revereatur, quàm DEUM, malúmque non fugiat, niſi ſimulata mente; uno verbo, hypocritam eſſe, eſt prædituм eſſe vitiis, quæ oppoſita iis virtutibus, quas DEUS in eximio illo viro prædicaverat.

D Ex omnibus ſervis Saul non erat fidelior
Lib. 1. Regum paſſim. quàm David, cujúsque opera Regi eſſet fructuoſior. Hunc tamen calumnia invaſit, & tanquam perduellem, Regíque & regno pernicioſum traduxit. Ergo cùm hæc calumniæ ſit natura, non valdè mirandum eſt, eam in nos quoque impetum feciſſe, & quaſi *juventutis corruptores* publicè proclamâſſe, qui nihil majore ſtudio curamus, quàm ut juventus ſanctè, caſtè, integrè informetur. Sed calumniatores ideo his calumniis in nos graſſantur, ut nobis fructus ſerendi & metendi materiam præripiant, præcludántque induſtriæ noſtræ viam, qua tot probæ mentes juvari & virtutum litterarúmque cultu excoli poſſent. Ægrè ferebat antiquus ille humani generis hoſtis, cùm videret, ab eo tempore, quo Societas noſtra extitit, noſtris in collegiis, noſtrorum labore & ſtudio, plusquam quadraginta millia juvenum, variis in locis, liberalibus diſciplinis, & pietate imbuta fuiſſe; omnésque, pauculis exceptis, conſtantes in avita fide E perſtitiſſe, contra omnium errorum impreſſionem, quibus ætatem noſtram turbaverat; imò indigniſſimè tulit, non paucos ex illis, eò excellentiæ & dignitatis proceſſiſſe, ut Eccleſiam & Chriſtianam Rempublicam, quaſi firmiſſimæ columnæ fulcirent. Quare ut hunc tam felicem curſum interrumperet, omnes maledicentiæ machinas in nos torſit & vibravit.

CAPUT XIV.

Concluſio refutationis trium præcedentium & generalium calumniarum.

F EX hac noſtra defenſione & reſponſione, liquidò cernis, *Rex Chriſtianiſſime*, quàm iniquè premamur hac calumnia, de corrupta & depravata juventute, quam toto pectore, totísque viribus, pietate, religione, litteris, integrísque moribus informare cupimus; itáque comparati ſumus, ut non modò falſam, pernicioſam, & pravam doctrinam ferre nolimus, ſed ne tenuem quidem ejus ſuſpicionem; tantum abeſt, ut perpetua, eáque nunquam interrupta ſerie, aut verbo aut ſcripto, pravæ doctrinæ dogmata ſpargerimus, quod adverſarii noſtri jactant. Abſit à nobis hujusmodi operis exordium, nedum proſecutio & continuatio. Cœpimus in Gallia, & alibi, permiſſu Apoſtolicæ Sedis, conceſſu Chriſtianiſſimorum Regum, G Majeſtatis tuæ anteceſſorum, conſenſúque aliorum Catholicæ fidei amantium Principum, docere virtutem, fideíque Catholicæ dogmata explanare & confirmare, vitiáque redarguere, & hæreſes refellere; ídque ſtatim ab eo tempore, quo Societas noſtra cum regulis ſuísque Conſtitutionibus, ex Eccleſiæ gremio, & in Eccleſiæ gremio nata eſt. Munia & miniſteria noſtra conſtanter perſecuti ſumus, & adhuc perſequemur, ubicunque divinæ bonitati placuerit agrum excolendum & cœleſti ſemente conſerendum nobis aſſignare. Fecimus hoc Pariſiis, & in aliis Galliæ locis, in omnibus Chriſtiani orbis partibus, in omnium conſpectu, omnium proborum commendatione & approbatione; maximè Curiæ Pariſienſis, quæ tam amico & benevolo in nos erat animo, ſub cujus tutelæ degebamus: Nec deſtitimus ab exilio Anno 1594. nobis decreto eadem fide & diligentia functiones noſtras exequi, lectionibus, concionibus, & libris ubicunque & quocunque liber aditus nobis patuit. H

Si tuæ Majeſtati lubet clariora hujus negotii teſtimonia conquirere, brevi tempore aliquot millia teſtium producemus, qui fidem, integritatem & innocentiam noſtram vel jurati confirment. A biennio duos in Gallia

A Gallia libros typis evulgavimus, quorum alter tuæ Majestati dicatus est. Alter Duci Byronio; examinati fuerunt & approbati ab Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, antequam prælo subjicerentur, lucémque aspicerent sub tuo, & Ducis illius patrocinio. Catholicis in Gallia, & alibi perquam grati exiêrunt. Adduci non possumus, ut nobis persuadeamus, talia opera in regno Christianissimo aut jam condemnari, aut posthac condemnatum iri. Si vocentur libri execrandi illi, qui nostro nomine malignè sunt publicati, nobísque suppositi & summa fraude titulo nostro prænotati, ùt est ille
B *de Schatelii Parricidio*, id nostra nihil refert, sicut neque quòd eorum Auctores omnibus sint detestationi; quandoquidem ùt cum crimine, ita nec cum diris illis & imprecationibus quidquam commune habemus, cùm opus illud ex officina nostra aut nobis conscíis non prodiêrit. Nam hactenus nullus nostrûm fuit, qui vel titulum libri illius, nedum librum ipsum legerit; excepto, quòd intelleximus, *Apologiam Schatelii* inscribi; qua inscriptione ipse liber satis indicat, se à nobis repudiari. Et quomodo librum hunc composuimus, cùm contrarium
C dixerimus, & scripserimus, dicamus & scribamus? Adeóne prodigi nostræ existimationis erimus, ut album pronunciemus nigrum, bonúmque malum, hácque hypocrisi nos Deo exosos, totíque mundo despicabiles reddamus? Hujus rei veritas tam est perspicua, ut tua etiam Majestas nos suo testimonio ab hoc crimine liberârit. Intellexit enim, & Regio animo publicè dixit, nos non esse libri illius Auctores. Cur ergo propter librum illum, adversarii nostri nos infamant, & tot conviciis proscindunt?

CAPUT XV.

Religiosos Societatis non immiscere se negotiis ad Rempublicam pertinentibus.

D HÆc sunt præcipua criminationum capita, quibus adversarii nostri nos insectantur, & ad quæ huc usque respondimus, ut Majestatem tuam de tota re rectiùs & certiùs edoceremus. His attexunt nonnulla minora quidem, si crimen spectes; sed æquè gravia, si mendacium conatúmque nos infamandi & exosos reddendi consideres; quæ bona cum venia Majestatis tuæ, ut depellere & à nobis breviter amoliri liceat, rogamus. Ajunt, *Jesuitas sese Reipublicæ negotiis immiscere*. In qua calumnia aliqui omnem modum excedunt. Putant enim, quamprimùm ex loco superiore, vel verbulum adversùs peccandi licentiam, remedii afferendi causa, profertur, id nihil aliud esse, quàm ab instituta materia deflectere, & ad negotia Reipublicæ digredi. Quos responso indignos arbitramur, quippe abutentes *Politici status & Reipublicæ* vocabulis. E

At his, qui hæc nomina propriè usurpant, hoc responsum damus, nos non ire inficias, quin aliquando nonnulli de Societate nostra, labores pro Republica susceperint, operámque & industriam suam ei locârint, cùm hoc per se non sit vetitum. S. Bernardus Galliarum lumen, multíque alii sanctitate excellentes viri, jussu & rogatu Principum, in mediis Reipublicæ turbis crebrò versati sunt. Constat item olim Reges Christianos, in iis rebus, quæ ad conscientiam & Reipublicæ salutem attinebant, consiliarios adhibuisse Religiosos, omnium, quos reperire poterant, virtute & scientia præstantissimos; nec id eis infeliciter cessit. Notum est, quantum emolumenti regno G Hungariæ, consiliis suis, rebúsque præclarè gestis, contra Machometem secundum Turcarum Imperatorem, attulerit Joannes Capistranus Ordinis S. Francisci; cujus auspiciis uno prælio triginta quinque millia hostium occubuerunt, præter eos, qui capti. Nec deest recens exemplum, quod in omnium memoria adhuc hæret. Nam paci inter te & Regem Hispaniarum conficiendæ, non modò summi Pontificis legatus, sed & Ordinis S. Francisci caput & Generalis Magister feliciter operam suam navavit. Ergo horum & similium exemplo, quidam ex nostris quoque Reipublicæ studium & curam suam non denegârunt, ducti fine bono & laudabili, & à Principibus jussi, qui jure suo id nobis poterant imperare, & à nobis impetrare.

Ante aliquot annos missus est Antonius H Possevinus à Summo Pontifice, ut pacem inter Regem Poloniæ, Ducémque Moscoviæ firmaret. Idem quadriennium abhinc, mandato Pontificis, abiit ad colloquium cum Duce Nivernensi, priusquam tuæ Majestatis nomine, Romam ingrederetur. Silentio præterimus ea, quæ Cardinalis Toletus pro Gallia egit, ut postrema illa tuæ Majestatis negotia transigerentur. Alphonsus Carillus, his annis, magno Christianæ Reipublicæ bono, negotia Principis Transylvani, ejusdem Principis rogatu tractavit, & à te, datis publicæ fidei & securitatis litteris, transitum per Galliam obtinuit. Igitur tam in Europa, quàm extra Europam, nunquam, nisi in rebus arduis, & à Principibus missi, ea, quæ ad civilem statum pertinent, curanda & perficienda suscepimus. Extra hos casus, continuimus nos intra Religiosæ vitæ & quietis terminos. Quòd si quis ex nostris extitit, qui imprudenti zelo, aut importuno modo Reipublicæ curam, suam facere voluerit, id quod in tanta rerum perturbatione, non ignoramus accidere potuisse; is haud convenienter egit legibus nostris,

A ſtris, nec voluntati ejus, qui toti Societati præſidet; nec voluntati eorum, qui in hac Societate, ùt ſubditi degunt; & ùt hunc intempeſtivum ardorem deteſtamur; ita par non eſt, ut ejus mulcta ad nos redundet, cùm nulla induſtria effici queat, ut in magna hominum multitudine non reperiantur aliqui parùm docilis, ſani & morigeri cerebri. Ea conditio rerum mortalium eſt. Nulla communitas adeò ſancta fuit, in qua improbi non fuerint, poſtulat autem æquitas, ut malitia membri non magis officiat toti corpori, quàm Cain ofecit familiæ Adami; Cham familiæ Noë; Iſmaël, Abrahami; Abſolon, Davidis; Judas, familiæ Chriſti; Hæretici & Hæreſiarchæ, Eccleſiæ Dei.

B Cæterùm ùt liberè, ita verè affirmare poſſumus, nullum Religioſum Ordinem à negotiis Reipublicæ magis eſſe remotum, quàm noſtrum; quamvis ubique propemodum inveniatur, in Eccleſiis, in Cathedris, in carceribus, in ſcholis, in xenodochiis, terra marique ægris & ſanis, puſillis & magnis miniſtrans; imò quia ubique & infinitis modis cœleſtem mercedem promereri licet, etiamſi politicis curis ſe non implicet; & quia diuturna experientia perſpectum habet, quàm periculoſam aleam ſubeant, & quantam diſciplinæ religioſæ jacturam faciant, qui negotiis ſæcularibus & civilibus expediendis ſe intricant, ideo, quoad licet, hanc provin-
C ciam defugit. Ex quo & illud factum, ut Societatis hujus ſubditi ad nullam Eccleſiaſticam dignitatem aſpirare, aut certum locum & ſtationem inter Status in Comitiis alicujus urbis, vel Provinciæ obtinere, aut in aulis Principum ſedes figere queant. Quæ tamen omnia aliis Religioſis familiis conceſſa ſunt. Et ut hæc ſanctiùs & ſeveriùs cuſtodiantur, legem tulit poſtrema generalis Congregatio Anno Domini 1593. Romæ celebrata, qua omnibus Societatis hominibus interdicitur, ſub pœna inhabilitatis omnium functionum, & privationis omnium ſuffragiorum, ne ſe negotiis Reipubli-
D cæ immiſceant. Ejuſmodi leges præſcribit ſubditis ſuis Societas noſtra, nec præſcriberet tantùm, ſed & voluntatem, prudentiam animúmque ſervandi ſingulis daret, ſi id humanas vires non ſuperaret. At jam nihil aliud poteſt, quàm has tam ſalutares leges condere, & cuſtodiendas publicare, transgreſſorésque debitis pœnis afficere, & ſi hoc nequeat; cupit tamen, ut eorum miniſterio caſtigentur & coërceantur, quibus ad id legitima eſt poteſtas & auctoritas, ut hac vivendi agendíque ratione, pacificè & tranquillè, absque impedimento & ſiniſtra ſuſpicione, ſaluti animarum & divino obſequio vacare poſſit.

CAPUT XVI.

Religioſos Societatis immeritò accuſari arrogantiæ, ambitionis & avaritiæ.

E Ex quibus liquidò perſpicis, *Chriſtianiſſime Rex*, immeritò Societatem noſtram hujus uſurpationis & vendicationis inſimulari: nec minùs iniquè ſuperbiæ & ambitionis vitium nobis adſcribi; quaſi videlicet nos ii ſimus, qui omnibus Epiſcopis, totíque mundo jura dare velimus. Epiſcopi, qui noſtra utuntur opera, libenter veritatis patrocinium ſuſcipient, rogatíque nihil aliud aſſerent, quàm nobis id unum curæ cordíque eſſe, ut ipſis in ſalute gregis commiſſi procuranda impigrè & ſtrenuè ſerviamus, cum ea reverentia & obſervantia, quæ tantæ dignitati debetur. Quòd ſi tantoperè ambitionis morbo laboraremus, omni ope contendiſſemus potiùs Epiſcopatus, pedúmque & infulam conſequi, quàm Epiſcopatus recuſare, Epiſcopísque ſubjici & obtemperare. Sed Dæmon in hac criminatione excogitanda & diſſipanda, ùt & in aliis, ſubtili nimirum
F artificio uſus eſt. Cùm enim animadverteret, Societatis hujus operam, eò, quoad licet, tendere, ut Eccleſiaſticis Prælatis, aliísque ſubſidium ferat, Eccleſiæ amplificandæ, & ſalutis proximorum promovendæ gratia; oppoſitum planè de nobis in vulgus ſparſit; videlicet, nos ubique imperii & dominationis appetentes eſſe, ut hoc rumore paſſim evulgato, in odium & invidiam nos vocet, laborémque noſtrum, & ſolatium, quod ex eo ad alios manat, præpediat.

G Illi ipſi adverſarii inſectantur nos tanquam *opulentos*, *avaros*, *& ad omne genus lucri exercitatos.* Clamant & ſcriptis inſuper affirmant, nos luculentas *hæreditates invadere*, *& opima beneficia & ſacerdotia* occupare. Item *nos inſigni techna obolos & numulos aſpernari*, *ut adipiſcamur aureos.* Et tamen aliud non efficiunt, quàm quòd linguæ ſuæ petulantiam produnt, cùm nequeant probare, quæ effutiunt. Si illi divites appellandi ſunt, qui paupertate contenti vivunt, tunc divitum nomen non abnuimus. Nam unuſquiſque noſtrûm non modò paupertatem amplectitur, ſed & lætatur, cùm videt, ſibi nullius rei poſſeſſionem reſtare, nullámque ſpem opum acquirendarum, aut poſſeſſionis obtinendæ relictam eſſe. At ſi divitiarum no-
H men ea notione uſurpent, qua vulgò & propriè accipi conſuevit; tunc certè, non parùm laboris & ſudoris ſubibunt, ut nos eſſe opulentos, & alia quæ addunt, probent, ſi hoc tua Majeſtas ab illis exigat. Nullus noſtrûm eſt, cui dicendi poteſtas; *Hoc meum eſt.* Nullus, cui vel obolus

A lus ſuppetat. Pecuniam, quam Superiores Collegiorum aſſervant, non expendunt in ſuos, ſed in omnium uſus. Reditus Collegiorum nihil ſunt, niſi Eleemoſynæ, contributæ & collatæ non in hujus vel illius privati, ſed in totius communitatis commodum, quæ communitas integratur & conſtituitur ex illis, qui operam ſuam impendunt, operámque impendendo victum toti communitati comparant.

B Sed hæc bonorum communium poſſeſſio, non magis nobis vitio verti, & probro dari aut poteſt aut debet, quàm cæteris communitatibus Eccleſiaſticis & Politicis, quibus conceditur adminiſtratio & uſus talium facultatum pro familiæ ſuſtentatione, publicísque miniſteriis obeundis. Quiſque autem ut portionem inde accipiat, jus habet. Facultates noſtras Gazis Perſicis adæquant, fingúntque quotannis naves Indicas, aliquot auri myriadibus onuſtas nobis advehi. Vel unicum Collegium ex omnibus, quæ in Gallia habemus, & quæ iſtis non ſunt ignota, demonſtrent; quòd duo aureorum millia ex annuis proventibus ſociis alendis certò capiat; Vel oſtendant qua-
C tuor collegia, ad quæ quatuor millia librarum Gallicarum quotannis certò & indubitatè redeant. Nec eſt Collegium, quod pro quovis incola centum *Francos* habeat, aſſignando cuivis ſuam partem, imò pleriſque vix ſexaginta relinquentur. Collegium Pariſienſe numerabat ſocios ſeptuaginta. Domus civica, quæ quatuor aut quinque collegiis reditus ſubminiſtrabat, prædicto Collegio Pariſienſi quotannis pendebat circiter quingentos coronatos. Capiebat idem Collegium aliunde etiam nonnihil; ſed tota ſumma annui vectigalis in unum collecta, non efficiebat quatuor millia librarum Gallicarum; quibus profectò vitam tueri non licuiſſet, niſi benefactorum liberalitas & munificentia acceſſiſſet.

D Nihil hîc agimus de domo S. Ludovici viginti indigenis ſemper conſtante, quæ ſtabiles reditus neque habebat, neque admittere poterat, quippe precariò victitans. Veritas hujus rei in abitu noſtro eluxit. Nam in collegio ducenti tantummodo aurei ſunt reperti, quos miſericordia moti quæſitores Emptori Collegii Pariſienſis reliquerunt, ſubſidio futuros iis, qui in exilium pellebantur; quorum aliqui erant doctrina præſtantes viri; alii grandævi; alii ægri; omnes miſerrimè veſtiti, & malè inſtructi ad iter illud, ſumma hyeme ineundum & conficiendum: nec potuit æs alienum, etſi grande non erat, diſſolvi ex omni illa pecunia, quæ ex ſupellectili noſtra, voci præconis ſubjecta, aliiſque bonis mobilibus ſub haſta publicatis redacta eſt. Si res ſecus ſe habet, prodeant Adverſarii, audactérque prodant & publicent illas Indici auri Myriadas; illas Gazas Perſicas, E illa aulæa & peripetaſmata auro intexta; illas Orientis divitias, quas invenerunt, mundóque re ipſa demonſtrent nos eſſe tales, quales eſſe nos inverecundè vociferantur. Ingenuè nihilominus fatemur, nos Pariſiis duos precioſiſſimos theſauros, adeóque omni opum abundantia inſtructos poſſediſſe, ut non modò in Gallia, ſed nec in Europa aliquid ſimile reperire fuerit. Duæ erant Bibliothecæ, altera in æde S. Ludovici, donata olim ab Illuſtriſſimo Cardinali F Carolo Borbonio, ejusdem domus fundatore. Altera in Collegio, libris rariſſimis & præclariſſimis ornatiſſima, quæ Bibliothecæ nobis armamentarii, munitionis, gazophylazii, inſignísque theſauri loco erant: Nec inficiamur earum amiſſionem magni doloris cauſam nobis præbuiſſe. Aliorum jacturam patienter ferimus, etſi ad extremam inopiam redacti. Cæterùm ardor ille avaritiæ, quem iſti objectant, qua de cauſa adeò in pectoribus noſtris ferveret? Multi in hac Societate degunt nobilibus & opulentis parentibus procreati; reliqui etiam ex honeſta familia oriundi, ùt ſuprà dictum. Nonnulli patrimoniis ſuis valedixerunt. Alii opima ſacerdotia reliquerunt. Quidam & hæc & illa ſpreverunt, ingenii & na- G turæ dotibus ad augendas facultates, honorésque adipiſcendos non minùs exculti, quàm fratres, qui in mundo domóque paterna remanſerant. Quòd ſi quis iis, quæ legitimè habuit, & iis, quæ legitimè ſibi comparare poterat, liberali animo ſeſe abdicavit, paupertatem religioſam amplexus; quæ amentia eſſet; ſi jam poſt Religionis ingreſſum avaritiæ ſordibus ſe contaminaret? Si deſpicientiâ rerum mortalium & caducarum inducti, mundo nuncium remiſerunt, quomodo poſt hoc factum divitiarum adeò cupidi fient, eo præſertim loco, ubi divitiæ à ſingulis contemnuntur? Dixerint fortè, licèt opulenti non ſitis: at eſtis & fuiſtis avari. Qua tandem ratione? An nihil poſſidendo, nihil, quo vita ſuſtentetur, habendo? An voluntate nihil poſſidendi? An eo, quòd contenti ſumus, ut nihil in ſpecie poſſideamus? An defendendo & conſervando modicum illud, quod nobis in commune datum eſt, ut vitam tueantur illi, qui totam ſuam vitam, omnésque labores vineæ Domini excolendæ conſecrârunt?

Ad omne genus lucri perquam vigiles ſumus? At quomodo? An trapezitæ ſumus? H An mercatores? Mariáne & terras pervolitamus, ut perituras opes corradamus? Adeóne vecordes fuimus, ut Religionem profeſſi, eam compendii & quæſtus faciendi rationem cum omnium odio & deteſtatione teneamus, quam extra Religioſum ſtatum cum omnium approbatione, ſine ulla vel ſuperûm vel mortalium offenſione, tenere poteramus? Nihil à quoquam propter miniſte-

A niſteria, quæ obimus, quantumvis alioquin ad lucrum apta, exigimus; nihil ex ſcholis, nihil ex concionibus auditísque confeſſionibus ad nos redit. Quomodo igitur ad omne genus lucri attentiſſimi ſumus? Sed ajunt adverſarii; hæc minutiora à nobis repudiari, ut ampla prædia & opulenta ſacerdotia nanciſcamur. At ubinam in Gallia ſunt illa prædia & opulenta beneficia? Par erat, ut vel unum ſpeciatim deſignarent. Primus & ſolus, qui nos hæredes ſuos teſtamento ſcripſit, extitit Dominus Odinetus Godranus Præſes Curiæ Divionenſis, ut patriæ ſuæ Collegium fundaret. At hoc Legatum
B priùs nobis addixit, quàm quiſquam noſtrûm quidquam de illo cognoviſſet: nec propter nos nobis facultates ſuas tranſcripſit, ſed ob bonum publicum. At cum Divione diſceſſimus, fundos & domicilium illud vendidimus, aut nobiſcum abſportavimus? Et ubinam ſunt invidenda illa beneficia? Ubi noſtri Epiſcopatus & Abbatiæ, noſtríque Prioratus quatuor aut quinque millium aureorum? Si modicum quid annui proventus ſuſtentandis Collegiis nobis ſuppetit, quæ hæc nobis inſultandi & adversùs nos muſſitandi materies? An non de altari vivit, qui altari ſervit? Et cur nos tam opulentis ſacerdotiis inſtructi credimur, cùm plurimos in Gallia reperire liceat, quorum quilibet plura numero & locupletiora annuo reditu poſſideat, quàm nos omnes ſimul poſſideamus, quotquot in Gallia vivimus; qui tamen non intermittunt, quò minùs præterea fructus labo-
C rum ſuorum colligant. Sed cur tanquam prædones accuſamur, eò quòd laborum noſtrorum mercedem recuſamus? Anne prædones ſumus, eò quòd debitum ſtipendium ab auditoribus noſtris in ſcholis & templis non capimus? At coguntur plus ſolvere. Quis verò hoc affirmat? Anne dici debet, ánne dici poteſt homines à nobis cogi, ut plus ſolvant, quàm debeant, & id, quod non debent, quia id, quod debent, recuſamus? Quòd ſi cum Eleemoſynis & gratuitò collatis beneficiis, acciperemus etiam ſalarium laboribus noſtris compenſandis (quod multi non immeritò in more poſitum habent) an idcirco juſtè reprehendéremur? Quòd ſi minus eo, quod nobis permiſſum eſt, accipimus, cur accuſamur, cur traducimur, cur avaritiæ inſimulamur, in eo, quod non niſi liberalitatis argumentum eſt?

D Jure affirmamus, antiquum illum ſerpentem, Dei hominúmque calumniatorem, inexſaturabili odio in nos inflammatum eſſe, quòd tam petulanter in nos Satellitum ſuorum linguas exacuit & exaſperat, paupertatémque noſtram & actionum integritatem criminatur, ut habeamur avari & opulenti, útque in invidiam & odium omnium incurramus, & tandem neceſſitate preſſis omnem ad alienam benignitatem & miſericordiam aditum intercludat. In hunc modum, quadringentis abhinc annis, calumniatus eſt quatuor illos ſanctitate præſtantes Ordines, quos *Mendicantes* nominamus, quorum vivendi inſtitutum, ajebat eſſe otioſorum perfugium, injuriam inopum, & Reipublicæ nocumentum. Fieríne poterat, ut naturæ ſuæ magis convenienter, hoc eſt, magis calumniosè, verbísque blandioribus improbitatem ſuam velaret, virtutémque longè pulcherrimam diffamaret? Quid enim generoſius, quid magis heroicum, quàm ſi quis omnia terrena deſpiciat, ſpéque vel unius rei acquirendæ ſeſe abdicet, rejecta omni cura in divinam curam, alienámque beneficentiam, quò quis omni ſolicitudine ſolutus, eò impenſiùs cultui divino vacare queat.

E

Si igitur nos contenti iis, quæ nobis dantur titulo fundationis, cùm Collegia inſtituuntur, ſeu titulo quotidianæ Eleemoſynæ, ùt fit in domibus profeſſis, quæ nullos certos fixósque proventus admittunt, nihil mercedis ex conſuetis miniſteriis accipimus; cur adverſarii noſtri tam prompti ſunt, ut nos tam dentatis verbis lacerent, tótque contumeliis afficiant? Nónne uberiorem & potiorem máteriam habebant noſtri propoſiti & inſtituti laudandi & eferendi, quàm maledicentiæ ſuæ aculeis temerè & inaniter ejus configendi?

F

CAPUT XVII.

Cur Societas nomine JESU inſigniatur, refelluntúrque calumniæ objectæ.

G NEc nomen Societatis intactum abire ſinunt. Nam ſuperbiæ nos arguunt, eò quòd JEſu nomine inſigniatur. An non id fit ſine ratione, dum nudis ſyllabis criminationum ſuarum commenta inædificant? Sæpiſſimè reſponſum eſt, à Sede Apoſtolica noſtrum Ordinem nomine hoc ornatum, idémque ab Oecumenico Concilio Tridentino approbatum eſſe, nec arrogantia, ſed pietate inductos appellationem hanc nos admiſiſſe. Sed iſti nulla unquam ratione ſibi ſatisfieri paſſi ſunt; imò iisdem calumniis perpetuò inſiſtentes, ſcribere non erubuerunt, nos eſſe blaſphemos, eò quòd Jeſuitæ vocemur. Bone DEUS, quæ hæc tandem inquiſitio? An non longè eſt ſeverior, quàm Hiſpanica, quam iſti tantoperè execrantur? Si *Jeſuitæ* nomen blaſphemiam olet, quia à JEſu deducitur, oportet, ut & Chriſtiani nomen aliquid
H blaſphemiæ admixtum habeat, quia à Chriſto derivatur, & æquè venerationem meretur atque nomen JEſu. Ergo omnes Chriſtianos blaſphemiæ condemnare, noménque Chriſtiani repudiare debebimus. Quòd

ſi

A si nomen *Christianorum* in honorem Christi cessit, cur nomen *Jesuitæ*, ex nomine JEsu formatum, in ejusdem contumeliam redundaret; præsertim cùm nomen hoc nos non formaverimus, sed populus? Sedes Apostolica Societatem nostram JEsu nomine insignivit; hinc factum, ut vulgus Jesuitas nos appellaret; quam nomenclaturam admisimus, quippe omnis incommodi expertem.

B Sed ajunt; an non omnes Christiani sunt de Societate JEsu? Non abnuimus, quin hoc ipsum nostri purgandi & defendendi causa opponimus. Nam si omnes Christiani sunt Societatis JEsu, utique & nos sumus, qui DEI beneficio Christiani sumus. Si Societatis JEsu sumus, quà Christiani: cur non nominemur Societatis JEsu & Jesuitæ? Sed objiciunt; nos nobis solis hanc Societatem, & nominis hujus honorem vendicare velle, exclusis cæteris. At quis hoc dicit? Anné ullum unquam interdicto arcuimus; & ut maximè aliquem arcere vellemus: an ejus faciendi nobis potestas vel facultas suppeteret? Anné ex hoc, quòd Societatis JEsu cognominamur, sequitur, cæteros à nobis ab hac appellatione excludi? quæ nobis data est tanquam tessera, ut quæ sit vocatio nostra ex ipso nomine discamus.

C An Religiosi, quibus nomen à SS. Trinitate venit, hac nota, quam munere Sedis Apostolicæ obtinent, excludere conantur reliquos Christianos, qui fidem Trinitatis sanctè colunt? An superbiæ accusandi sunt, quòd hoc titulo utantur, qui altius quid sonare videtur, quàm nomen JESU, quippe trium personarum distinctionem & in una essentia unitatem significans, quod omnium mysteriorum Christianæ Fidei longè est præcellentissimum, & immensitatis potentiæ divinæ argumentum certissimum. Majestas tua, *Rex Christianissime*, quot annis novis equitibus honorat & adauget Ordinem S. Spiritus, cujus consortes *Equites S. Spiritus* audiunt. An non omnes Christiani equites S. Spiritus? omnes enim
D in hanc sodalitatem nomina sua dederunt, ut in ea adversùs Sathanam militent. An non æquè grandis Ordinis illius titulus & ipse Ordo, ac Societas JESU? An non ab una Sanctissimæ Trinitatis persona mutuatur nomen? Anné propterea profanus est, & superbiæ plenus? Anné alios fideles ab Ordine & militia Spiritus sancti repellit? Quòd si in his & id genus aliis cognomentis, nihil est, quod non sit plenum pietatis, devotionis & Religionis, (quippe quæ omnia diversos Catholicæ Ecclesiæ Ordines indicent) cur tanta & tam acerba in Ordinem nostrum fit impressio? Cur alii ab omni oblocutione immunes vivunt, nos verò soli omnium obtrectationibus obnoxii sumus? Cur blas-

phemi in nomen JESU pronunciamur, quòd E
nomine JESU Ordinem nostrum prænotemus, & quasi frontispicium Spiritualis nostri ædificii decoremus?

Respublica Genevensis nomine JESU in- F
signit monetam absque ullius querimonia aut reprehensione; & nobis absque blasphemiæ crimine non licebit Societati nostræ hoc nomen præscribere? Bone DEUS, respice tandem ad istas obtrectationes & calumnias, tenebrásque perturbatarum mentium lucidissimæ veritatis tuæ radiis discute, ut intelligant, quàm malè agant, dum de animi nostri proposito & consilio, eo modo, quo solent, sententiam ferunt, quódque deterius est, nos ob tuum, quod usurpamus, nomen variis criminationibus exagitant; seséque in eorum, qui te in membris tuis persequuntur, classem redigunt. Effice clementissime Deus, nos dignos eo favore, & ea benevolentia, qua nos hoc ipsum permittendo dignaris; cùm enim has & alias ejusdem generis persecutiones Apostolis tuis prædiceres, beatos illos fore pronunciâsti, qui persecutionem paterentur, & quorum nomen tanquam malum ejiceretur: Benedictum sit nomen Majestatis & gloriæ tuæ, quòd nobis occasionem suppedites subeundæ ignominiæ coram mundo, ab ipsis mundanis procuratæ, quódque hujus beatitudinis nos etiam participes fieri largiris.

Is quem modò allocuti sumus; *Christia-* G
nissime Rex, est ille ipse, quem tu adoras, qui Reges constituit familiásque religiosas in terris instituit. Ipse est, qui manum tuam sceptro regali insignivit, capútque tuum Regio diademate post tot discrimina cinxit. Ipse etiam est, qui hanc minimam Societatem in orbem introduxit, superatis tot difficultatibus, quas seculum hoc moribus tam depravatum objiciebat. Causæ præstantiam arguit effectus, opúsque artificem notificat. Majestas tua faciet id, quod Regem decet, si Societatem hanc, amore illius, à quo instituta est, amet, ac tueatur; ut ipse vicissim regnum tuum custodiat & foveat; cujus gubernaculum cum suprema potestate ideò tibi contulit, ut innocentiam ab improborum impressionibus; & imbecillitatem à violentia defensam præstes.

CAPUT XVIII.

Refutatio recentis cujusdam criminationis de Comite Mauricio.

H
ALias non paucas accusationes, notas & indices lividi & malevoli animi, quo adversarii erga nos affecti sunt, de industria præterimus: tum quia parvi momenti: tum quia regiis auribus indignæ. In specie tamen, sed breviter, respondebimus ad ea, quæ proximis mensibus adversus nos ad te detulerunt, ut uno ab exem-

A plo, eóque recenti diſcas, ex quanam materia, & in qua officina, adverſarii noſtri jacula in Societatem noſtram fabricare ſoleant. Superiore Aprili miſſus eſt quidam ex noſtro Ordine in Belgium, ſanitatis recuperandæ gratia, in natali ſolo & cœlo, vir Religioſus, ſimplex, rectus, & in omnibus actionibus totius vitæ manſuetus, ùt cunctis notum eſt, quibus ipſe notus eſt. Paucis diebus Antverpiam incolumis pervenit. Adverſarii noſtri, qui perpetuas agunt excubias, ut explorent, quid rerum geramus (utinam verò ſincerè rebus noſtris explorandis invigilarent, certóque obſervatas abſque fraude & mendacio in vulgus enunciarent) quíque eum abeuntem videlumniam contexerent, ita appoſitè, ut eo ipſo tempore, quo Religioſus ille noſter ſcripſerat, ſe Antverpiam attigiſſe, iſti publicè ſpargerent, eum à nobis in Belgium ablegatum, ut conſiliis ſuis Comiti Mauricio exitium ſtrueret; jámque Dieppæ captum, & in vincula conjectum eſſe, brevíque capitali ſupplicio affectum iri.

B Egregii iſti viri, magno quidem animo calumnias in nos cudunt, ſed ineptè agunt, dum ita cudunt, ut ab omnibus videri, imò rangi poſſint. Si fingere & mentiri lubet, cur non fingunt & mentiuntur cum aliqua veriſimilitudinis ſpecie? An non inſana quadam noſtri infectandi libidine tenentur? Nónne corde & mente carent, dum per calumniam nobis hæc talia, & iſto modo imponunt? Quid nobis Gallis negotii cum Comite Mauricio? Quæ ratio ſpecialis ſuppetit, ut inimicitias cum ipſo ſuſcipiamus? An quia Regi Catholico adverſatur & fidei noſtræ? Ergo contra Turcarum Regem arma nobis capienda erunt, mittendíque Conſtantinopolin, qui inſidias ſtruant. Item contra omnes Principes Ethnicos, quotquot

C ſol aſpicit. At num hoc facimus? Num facere poſſumus? Num unquam fecimus? Probent hoc adverſarii, ſi probare queunt. Nónne ſat multi in Hiſpania erant, qui mitterentur, quid opus erat ex Gallia aliquem ad hoc deligere? An adeò temerarii, trucilenti, ſanguinis appetentes, Deíque hominúmque obliti ſumus, ut bellum omnibus, etiam ſupremis orbis terrarum Principibus, indixerimus, teláque noſtra in omnes mortales exacuerimus? Anné eo conſilio mundo, iísque, quæ in mundo ſunt, valedximus, ut omnium hominum ſceleſtiſſimi efficeremur, ſceleſtiores quoque ipſis Turcis & Tartaris? An non calumniatores iſti digni ſunt, qui ſupplicium latronum ſubeant, cùm nos tam nefariè tanquam publicos latrones inſectari non erubeſcant?

D At quid opus refellere hæc mendacia tam manifeſta, & tam inſcitè excogitata? Sufficiat dicere, eos nunquam facturos finem comminiſcendi & evulgandi quidquid maleſanum cerebrum dictaverit, quamdiu perſuaſum habebunt, nos tuæ Majeſtati inviſos eſſe, & ut eam in nos magis exaſperent & exulcerent, non deſiſtent intonare crimina, Reósque criminum; conſpirationes, & conſpirationum ſocios; inquiſitiones, informationes, & quidquid mendaciorum parens (quo præceptore utuntur) ſuggeret, id totum largiter proment. Speramus tamen, fore, *Rex*, ut tanquam legitimus Princeps, juſtitiæque Præſes, alteram aurem nobis ſerves; memor dicti cujusdam Lotharii Imperatoris. *Alteram partem audire oportet.* E

CAPUT XIX.

Religioſos Societatis nec in Confeſſionibus audiendis, nec in templis, nec in ſcholis, nec alibi dehortari ſubditos ab obedientia Chriſtianiſſimo Regi præſtanda. F

SUpradictæ criminationi addiderunt, nos confeſſionibus abuti; item nos privatim & publicè dehortari homines, ne pro tua Majeſtate preces fundant, novis impoſturis antiquas accuſationes firmare conati; videlicet, nos ſpeciales eſſe Majeſtatis tuæ hoſtes; malè obtemperantes, malè erga Rempublicam affectos. Quæ G calumniæ, tam impudentes ſunt, & veritati tam evidenter repugnant, ut eas enumerâſſe ſit refutâſſe. Nihilominus ut maledici iſti erubeſcant (ſi tamen modicum quid ruboris ex vultibus tam perfrictis excuti poteſt) & ut Majeſtas tua totum rei ſtatum perfectiùs cognoſcat, provocamus primùm generatim contra iſta mendacia, ad teſtimonium totius Aquitaniæ, & civitatis tuæ Burdegalenſis, tui ſtudioſiſſimæ, in cujus conſpectu vivimus, & quæ ſint actiones noſtræ, quotidiè cominus intuetur. Nec appellamus tantùm ad Catholicorum, ſed etiam ad eorum teſtimonium, qui Religione à nobis diſſentiunt; qui crebrò conciones noſtras audiunt, nobiſcum loquuntur, & nobiſcum familiariter converſantur. Teſtentur Catholici, accuſent nos iſti publicè, ſi poſſunt, num quid unquam in noſtris actionibus notaverint, quod Gallos, Patriæ amantes, & tuæ Majeſtatis fideles ſubditos non deceret. Dicant, an unquam ullum verbulum, quod ad ſeditionem aut rebellionem, quoquo modo pertineret, ex ore noſtro audiverint. Exquiratur hoc à tot hominum millibus, qui ſacerdotibus noſtris peccata confeſſi ſunt. Inquiratur in admonitiones & exhortationes ad ſingulos pœnitentes inſtitutas.

Speciatim advocamus teſtimonium Cu- H riæ Burdegalenſis, quæ in obſequio Majeſtatis tuæ nulli cedit. Item Domini Mareſchalci

A reſchalci de Matignon, qui ab omnibus habitus eſt prudentiſſimus, & ab ineunte ætate rebus tuis fideliſſimè ſtuduit. Patri addimus filium Comitem à Torigny, qui nunc huic urbi præſidet. Nec omittimus hujus urbis Juratos, quibus nihil magis curæ, quàm ut Majeſtati tuæ fideliter ſerviant. Teſtes inſuper citamus & laudamus Capitulum & Clerum Burdegalenſem, & Eccleſiaſticos aliorum locorum, qui operam noſtram expetiêrunt, eáque non inutiliter uſi ſunt; quod itidem factum ab aliis Prælatis & Dominis tam hujus Provinciæ, quàm Aquitaniæ. Iſti omnes uno ore fatebuntur, Rex, nos ab adverſariis noſtris immeritò calumniis inceſſi, eoſdémque benignitate tua abuti.

B Teſtabuntur modum agendi noſtrum alium non fuiſſe, quàm qui veros Religioſos, probos ſubditos, humillimos & fideliſſimos Majeſtatis tuæ ſervos deceat, qui in noſtris concionibus, in audiendis confeſſionibus, & cæteris functionibus, populum exhortamur, ut pro ſalute & proſperitate Majeſtatis tuæ Deo aſſiduè ſupplicet, ut Magiſtratui debitam obedientiam præſtet; ut gratiâ Dei, pacificè & concorditer vitam agat, & nominatim, ut vitam fortunásque ſuas in ſubſidium Majeſtatis tuæ alacriter impendat, quod factum, cùm in obſidione urbis Ambianenſis Gallia extre-
C mam quaſi fortunæ aleam ſubiret. Quod ſi quandoque neceſſarium fuit hæreſes refutare; id fecimus debitâ modeſtiâ, nec pauci in his Aquitaniæ partibus, auditis noſtrorum diſputationibus, ſaniorem mentem acceperunt, relictis pravis dogmatis; jámque tibi longè ſunt addictiores & fideliores, quàm unquam antea. Et hoc fortaſſe eſt, quod noſtros adverſarios adeò adversùs nos extimulat; vident videlicet nos, indefeſſo ſtudio eniti, ut ad Eccleſiam reducamus, qui ab eadem per varios errores abſtracti fuerant. At hæc noſtra profeſſio eſt, hæc noſtra negotiatio eſt, & hic noſter quæſtus, cujus gratia libenter vitam profundemus. Curia illa, quæ in hac Provincia, jus dicit, gladiúmque Juſtitiæ moderatur, Majeſtati tuæ litteris explicavit, actiones noſtras non eſſe alias, quàm hactenus di-
D ctum. Fieríne poteſt, Rex, ut oculus Curiæ illius tam perſpicax, támque acutus, non penetraret ad ipſa quaſi actionum noſtrarum cubilia; & ſi intellexiſſet actiones noſtras, neque Regno tuo, neque Religioni Catholicæ, fructuoſas eſſe; an vel uno momento in præcipua totius Aquitaniæ urbe nos commorari permiſiſſet, & quidem ille Senatus, qui in officio erga te immotus perſtitit, tum, cùm cæteri videbantur nutare, qui erga imperium tuum maxima amoris ſignificatione ferebatur, quando plus oppugnabatur; qui rebus tuis tum maximè proſpexit; quando maximè periclitabantur; qui bellum re- E rúmque penuriam, & utriusque violentiam pertulit, ut tibi fidem ſuam probaret; ex quo nonnulli capti, in carcerem conjecti, ſuíque redimendi cauſa ad ingentes ſumptus faciendos adacti ſunt. Hæc & id genus plurima alia fidem tibi facere poſſunt, *Rex*, ut tibi perſuadeas, Curiam hanc tui eſſe obſervantiſſimam, ac proinde etiam teſtimonium ejus veriſſimum eſſe.

F Quod attinet ad Dominum Mareſchalcum de Matignon, piæ memoriæ, eximium illum Regum Anteceſſorum, & Majeſtatis tuæ belli pacísque tempore famulum, etiamſi jam voce nobis teſtimonium dare nequeat; at res ab eo geſtæ pro nobis loquuntur. Ipſe eſt, qui nos ſecedere juſſit ad S. Macarium, locum in mediis illis belli turbis tuæ Majeſtati ſemper ſubjectum; data interim libera facultate Burdegalam eundi, & negotia domeſtica curandi; quod fecimus, ita ut nulli unquam ſiniſtræ ſuſpicioni occaſionem præberemus. Poſtquam Galliæ ea felicitas obvenit, ut te Eccleſiæ filium videret, mandavit, ut Burdegalam in noſtrum Collegium reverteremur, & ſolita officia repeteremus, concionibúsque ad populum operam daremus, de quo etiam Majeſtatem tuam certiorem fecit; ſuámque fidem, velut fidelitatis noſtræ pignus, tibi obligavit, ùt ex ipſius ore intelleximus; quod item non ſemel Parlamento confirmavit. Juſſi rediimus, ipſe, quid ageremus, G oculis ſuis aſpexit; Collegium luſtravit, concionum noſtrarum auditor fuit; cæteras actiones accuratè perpendit, & approbavit, judicavítque, non modò Catholicæ Eccleſiæ; ſed etiam Majeſtatis tuæ imperio, urbis commodo, Regionis tranquillitati, animorum conjunctioni & mutuæ concordiæ, ſe Præfecto, & te Rege conducibiles. Anné præclarus iſte & prudentiſſimus Gubernator, inſignis iſte Eques & generoſus Dux militum, cùm iſta ageret, errabat penuria prudentiæ & ſolertiæ? Haud equidem. Hanc enim provinciam ſapientiſſimè ſedecim annis aut circiter rexerat, ídque ea tempeſtate, quæ tantis tempeſtatibus jactata, tantis difficultatibus obruta, tantis diſſenſionibus diſtracta fuerat, quantis ulla alia jam inde ab ipſis bellorum civilium primordiis. Multò minùs errabat ille hæc agendo defe- H ctu voluntatis & ſtudii erga ſuum Regem. Res, quas pro tuaMajeſtate tam ſtrenuè, perruptis omnibus difficultatibus effecit, abundè teſtantur, quo animo in hoc Regnum, & quàm fidelis in obſequio Majeſtatis tuæ fuerit. Si tam prudens, tam invictus, tam tibi *Rex*, addictus famulus in actionibus noſtris vel minimam maculam deprehendiſſet, ex iis, quibus adverſarii noſtri innocentiæ noſtræ veſtem inquinare conantur, reduxiſſétne nos Burdegalam? An ullo amo-

re nos dignatus fuiſſet? Animúmne ſolita miniſteria reſumendi & obeundi addidiſſet? An non opera noſtra ipſemet uſus, ex tot fidei noſtræ experimentis & effectis edoctus, planè ſibi perſuaſit; actiones noſtras Regno & Reipublicæ utiles, imò neceſſarias eſſe?

Hoc unicum teſtimonium, *Rex*, ſat validum eſt diſſipandis & disjiciendis omnibus contrariis adverſariorum noſtrorum narrationibus. Nam teſtis, qui id dedit, tantis circumſtantiis prudentiæ, fidei, integritatis, & id genus aliis conditionibus inſignitus eſt, ut nulla adversùs eum exceptio locum habeat, nulláque cavillatione auctoritas ejus eludi vel elevari queat. Si tamen Majeſtas tua certiùs & penitiùs totam hanc rem intelligere cupit; gratum nobis erit, ſi ſeligat ex ſuis, quos & fides in tuam Majeſtatem, & dignitas præ cæteris commendat; ex Prælatis & Capitulis, vel ex Parlamentis, ex Nobilibus, ex Officialibus, Gubernatoribus, & Præfectis ſui Regni, vel ex populo, cujus vox, vox Dei eſſe fertur, vel ex quocunque demum Ordine libuerit, eorúmque fidei & narrationi fidem ut habeas nihil moramur; imò ultrò id optamus. Non ſubterfugimus, quò minus teſtimoniis eorum, apud tuum tribunal, ſtemus aut cadamus; nec ultrum recuſamus; imò non abnuimus, ut Majeſtas tua teſtimonium vitæ & actionum noſtrarum accipiat, non modò à Catholicis, ſed etiam à non paucis aliis Aquitaniæ indigenis, diverſæ quidem religionis; ſpectatæ tamen virtutis & dignitatis. Verba ex ſuperiore loco fecimus, & in plerísque locis, quorum gubernacula tenent, erudiendo populo operam dedimus; nec aliud unquam præter Catholicæ Religionis dogmata explanavimus; multitudinem ad honorem Majeſtati tuæ debitum, ad obedientiam, & obſervantiam, & ad preces pro tua, Regníque tui ſalute & proſperitate concipiendas cohortati ſumus. Teſtentur, quæ cognita habent; ſperamus nihil omnino dicturos, quod tibi, *Rex*, diſpliceat, aut cauſæ noſtræ officiat.

CAPUT XX.

Quis ſit Auctor calumniarum & quis finis.

ANtè autem quàm finem huic libello imponamus, breviter exponamus, quænam ſint cauſæ tot calumniarum, quibus paſſim traducimur & laceramur. Nec abs re erit, ſi hac clauſula apologiam hanc terminemus. Meritò mirari potes, *Rex Chriſtianiſſime*, meritò mirabuntur alii quoque, qui hæc cognoverint, cur tot criminationibus appetamur & proſcindamur, cùm noſtra innocentia ſit tam manifeſta. Quô fit, ut & locus & materia ipſa exigat, ut hujus rei cauſas aperiamus, quæ cognitio cuivis quidem Chriſtiano admodum utilis eſt, ut ſeſe adverſus Dæmonis technas & dolos muniat; præ cæteris tamen Regibus & Proceribus neceſſaria videtur, quorum munus, innocentes tueri & improbos ſuppliciis dignis mulctare, inprimis autem calumniatores, qui Principum aulas perturbant, & non rarò morbos immedicabiles in Rempublicam invehunt. Prima calumniarum cauſa, *Rex Chriſtianiſſime*, ex pernicioſo planè fonte manat. Proficiſcitur enim ab eo, qui ex Angelo factus eſt Diabolus, hoc eſt, calumniator. Nomen enim *Diabolè* ſignificat *calumniatorem* aut impoſtorem, aut mendacem accuſatorem. Itáque à S. Joanne nominatur fratrum & filiorum Dei accuſator, hoc eſt, *calumniator*. Nam primum malitiæ ſpecimen, quod Angelus poſt lapſum dedit, aliud non fuit, quàm calumniari, & quidem non creaturam, ſed Creatorem. Nam cum Eva ſermocinans ajebat: *Nequaquam moriemini, ſcit enim* DEUS, *quòd in quocunque die comederitis ex eo, eritis ſicut Dii.* Quibus verbis innuebat, Deum mentitum eſſe, quando primis parentibus mortem comminatus eſt, ſi fructum vetitum guſtarent, hócque interdictum per invidiam tuliſſe. Geneſ. 2.

Quæ certè grandis & blaſphema calumnia erat. Quid enim ab omni pietate magis abhorret, quàm primam & ſummam veritatem mendacii, ſummámque bonitatem invidiæ accuſare? Et tamen ille ipſe erat, qui in DEUM mendax erat, casúmque miſerabilem homini per invidiam ſtruebat. Ipſe lingua mentiebatur, & voluntate ſua improbum factum verſabat: Deus autem & in verbis verax, & in operibus non niſi ſummè bonus permanebat. Ex hoc facto, lubricus ille & tortuoſus impoſtor, *Diaboli* cognomentum traxit, & in omne ævum calumniæ prototypum effinxit, duobus modis efformatum; quorum alter, alterius virtutem accuſare per falſam vitii contrarii inſimulationem; Alter alienam virtutem ſibi ùt propriam vendicare, ídque propriæ malitiæ velandæ gratia. Ita tunc cœpit, & eo, quo cœpit pede, pergere porrò inſtitit, & adhuc pergit calumniis inceſſere DEUM & cœlites, Dominum & ſervos, eandémque artem docet, qui eam doceri cupiunt, & calumniatores efficit, ut calumnientur eo modo, quo ipſe calumniatur, & ut probos calumniis ſuo exemplo traducant. Nam improbi propriè non ſunt calumniis obnoxii, ſed legibus & juſtitiæ; quippe qui ſemper ſecum ferant argumenta, quorum gratia juſtè accuſari & puniri queant. At juſti & innocentes meritò accuſari non poſſunt. Idcirco ſi accuſentur, calumniam & perſecutionem patiuntur ob ſermones adversùs ſe confictos. E contrario, quando improbus accuſatur, & debitis pœnis afficitur, tum id

A id fit, quod & rei veritati, & ipsi justitiæ consentaneum est.

Hoc calumniæ flagello, semper generatim lacerata fuit Ecclesia in corpore suo, & speciatim in membris; id quod ipsius Ecclesiæ caput jam olim prædixerat; cùm Apostolos & discipulos, & in his omnes fideles, ad hujusmodi contumelias æquo animo ferendas, cohortatione sua confirmaret. *Beati estis*, ajebat, *cùm malè dixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne* malum adversùm vos, mentientes, *& ejecerint nomen vestrum tanquam malum, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et alibi; *Non est discipulus supra Magistrum; si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Item: *si patremfamilias Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus.* Hac cautione, & hoc suo exemplo præmuniebat Christus Christianos adversùs calumnias, quibus ipsi præ cæteris mortalibus obnoxii erant futuri. Ipsemet ergo Dominus persecutiones & calumnias varias priùs subiit; ad cujus exemplum conformati postea Martyres, & quotquot Ecclesiæ patrocinium adversus hæreticos susceperunt, in eodem stadio decertârunt, eundémque cursum decurrerunt; & eandem notam, tanquam insigne quoddam honoris, circumtulerunt.

Matth. 5.

Matth. 10.

B

C Cæterùm inter omnes calumnias, quibus capitalis ille hostis DEUM & Sanctos insectatus est, aliisque, ut eos insectarentur, persuasit; principem locum tenent illæ, quibus eos traduxit, ùt hostes & proditores Regum; ùt Religionis improbæ Auctores; ùt moribus vitæque instituto sceleratos: Nam hujusmodi calumniarum materies admodum efficax est ad irritandum, & ad ictum lethalem infligendum idonea, & ad quævis nocumenta inferenda perquam accommodata; quippe magni ponderis, & ex qua quàm plurima alia colligi soleant. Cùm Judæos, qui sub Assueri Regis Persarum ditione captivi degebant, perdere & funditus delere instituisset; statim Amanem egregium & potentem Aulicum, infensissimum Judæorum hostem, sibi delegit; quem in calumniarum schola erudiret, & hac tam pernicioſa disciplina imbueret. Nec mora: Discipulus ille admodum docilis & calumniarum discendarum capax ad Regem adiit, hísque verbis eundem adversus Judæos irritavit: *Est populus per omnes provincias Regni tui dispersus, novis utens legibus, & cæremoniis, & quod deterius est, Regis scita contemnens, & optimè nôsti, quòd non expediat regno tuo, ut insolescat per licentiam, & tali libertate fruatur, decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Hæc ille in Judæos; quibus tamen nulla natio Regi fidelior erat, & majorum emolumentorum causa. Nam soli Judæi cum fructu pro Rege preces fundebant. Mardochæus ex genere Judæorum paulò ante hanc calumniam exortam, Regem ab exitio servârat, patefacta conjuratione in Regis caput inita. Et tamen eximius iste calumniator Mardochæum odio habebat, & propter Mardochæum istud ipsum odium ad omnes Judæos proferebat, solósque Judæos insimulabat, tanquam perfidos, Regiisque mandatis obsecundare nescios; quæ duo vitia planè opposita erant iis virtutibus, quibus Judæi vel maximè erga Regem clarebant.

D

Hester. 3.

E Mardochæus

Nec erubuit aliquot aureorum chiliadas polliceri, si Judæi exterminarentur; hoc contractu inito, furibundus properabat ad internecionem tot millium omnis culpæ & noxæ expertium; imò & ad eversionem totius Monarchiæ. Probabile enim est, DEUM, qui protector & salus infirmorum est, mox ultorem missurum fuisse, qui tantam cædem vindicaret, si Rex ex socordia & oscitantia permisisset, ut nefaria illa cogitata re ipsa perficerentur. Verùm præclarus ille Rex præstitit id, quod Regem juris dicundi præsidem præstare oportet. Agnita calumnia mucronem in calumniatorem vertit, jussitque, ut Aman, in eo ipso patibulo penderet, quod Mardochæo paraverat, cujus famam & existimationem falsis accusationibus & delationibus traduxerat.

F

G Daniel Propheta, quo non fidelior ullus in aula Regis Babylonici Nabuchodonosor, nec Reipublicæ utilior, in simile periculum incidit, iisdem, quibus ante illum alii, calumniis in Babylonia lacessitus; videlicet, quòd Regis esset hostis, & imperata facere detrectaret; Nec cessârunt calumniatores, verissimi inimici Regis, donec effecerunt, ut in lacum leonum dejiceretur, præda leonibus mox futurus, tanquam contemptor edictorum Principis. At DEUS opem tulit, & tam Regi quàm calumniatoribus planum testatúmque fecit, Danielis Dominum esse DEUM. Quocirca Rex non permisit, ut calumniatores impuniti abirent, sed leonibus, quos Danieli paraverant, devorandos objecit.

Daniel. 6.

H Cùm DEI filius, homo factus, & inter homines divinis operibus & concionibus nobilitatus, ad ineffabile illud & tremendum Redemptionis nostræ certamen appropinquaret, haud sui dissimilis vetus calumniator fuit; solitas fraudes & artes exprompsit, oculúmque liventem tabóque fluentem, ad præclarissima Christi facta adjiciens, machinas calumniarum intorsit, & eò quidem validiores, quò magis innocentia Christi elucescebat. Veneno igitur suo & tartareo furore Judæorum pectora afflans, linguásque blasphemas, viperarum instar, ad spicula verborum emittenda exacuens; effecit, ut *inimicus Cæsaris; Dæmoniorum amicus, seditiosus & seductor populi* appel-

A appellaretur. Quæ accusationes moribus & actionibus Salvatoris nostri ex diametro erant oppositæ, cùm nullus unquam legum observantior, nullus vehementior Dæmonum exagitator & exactor; nullus magis pacis amans, utpote ipsa pax, nullúsque tam fidus veritatis Magister extiterit.

B Nihilominus licèt his, & id genus aliis virtutibus, spectatissimus esset, attamen improbus ille, mundi odium in eum concitavit; tandémque informi letho perimendum procuravit. Quo tempore omnes suas calumnias, quasi in unum agmen, collegit, iísque, suorum administrorum ore, Dominum nostrum validissimè appetiit. Quo in negotio Judæi egregiam operam Diabolo navârunt, maximè quod attinet ad illam de Cæsare calumniam, quæ cæteris potentior erat, & quæ Pilatum eò itidem adduxit, ut sententiam damnationis in innocentem pronunciaret. Quod accidit, quando vociferati sunt: *Si hunc dimittis,* Joan. 19. *non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Quæ verba Judicis constantiam ad id usque punctum immotam labefactârunt, permoverúntque, ut manus ablueret aqua, & conscientiam, per tam injustam sententiam, grandi scelere contaminaret.

C Eadem, quæ Domino, Christianis evenerunt sub Christianæ fidei primordia. Accusabantur tanquam Imperatoribus rebelles & infesti. Traducebantur ùt ii, qui pro Imperatorum salute DEUM precari nolent; Audiebant *Magi*, *incantatores*, *impostores*, *seductores*, imò nomen Christiani toti mundo petra scandali erat. Cur Dæmon has adversus Christum & Christianos turbas concitavit? Quia Diabolus est, & calumniator. At quo fine? Ut ipsis bonam existimationem adimeret, & infamiæ macula aspergeret. Cur infamabat eos? ut passim invisos & exosos redderet. Cur exosos efficiebat? ut interrumperet cursum, progressum, fructúmque piorum & laudabilium actionum; ut Ecclesiæ commodis obstaret; uno verbo, ut Christianos perderet, & ex hominum consortio expelleret. At cur divina providentia finit, ut tam sæva bella adversus fideles exsuscitet? videlicet, ut probentur, *tanquam aurum in fornace*, & ut ex arduo certamine nobilem victoriam, & ex victoria coronam vitæ, & honoris immortalis reportent: hoc consilio permittit, ut probentur & tententur; quos in ipso probationis articulo minimè deserit, sed dextra sua sustentat; quod nos etiam de ipso non injuria in his nostris probationibus persuadere nobis possumus.

D Ecce, *Rex Christianissime*, auctor, origo, parens, causa efficiens, finis, & scopus calumniarum & calumniatorum; quos meritò quis nominet generis humani hostes, Reipublicæ pestes, flagellum proborum, quos Deus detestatur, quos Reges & Principes inquirere, & accuratè investigare, repertósque severissimè mulctâre debent. Quòd si Diabolus à sua natura nunquam descisçit, sed perpetuò Diabolus, hoc est, calumniator permanet; cujus feris dentibus justi, exercitationis suæ gratia, objecti sunt; neque mirum, neque novum videri debet, si nobis, qui rectè vivere contendimus, adeò sit infestus: si invidiam suam in nos effundat; si nos exagitet; si sanguinem nostrum sitiat; si in famam & existimationem nostram ungues suos injiciat; si nos, quos summos Principum cultores esse conspicit, tanquam Regum & Reipublicæ hostes, calumnietur, tum infamandi gratia, tum ut procerum animos in nos exulceret; si nos, quos tuæ Majestati deditissimos & addictissimos esse non ignorat; tanquam speciales personæ tuæ osores proclamet, quò indignationem tuam in nos exstimulet; si nos, quos juventutis & multitudinis institutioni indefessam operam navare conspicatur, seductorum & impostorum probrosis appellationibus dedecoret; ut nobis bene de proximis merendi occasionem præcidat; si nos, quos rerum omnium inopes intuetur; traducat, tanquam omnium opulentissimos; si nos, quos omnia dimissé cernit; criminetur omnia habere velle; si nos, qui Deum in nomine suo honorare instituimus, in nomen divinum blasphemos esse mentiatur: & ut rem in pauca conferamus, si quidquid in nobis laude dignum reperit, id totum obfuscet, nobísque vitia, quæ in ipsis calumniatoribus insunt, adscribat; ut nomen nostrum omnibus detestabile, nósque ipsos passim invisos efficiat, mortalésque à nobis avertat, & ut his impedimentis objectis, interrumpatur & intereat laborum nostrorum cursus; & fructus, & messis spiritualis, quam tum ex scholis, tum ex aliis functionibus nostris metere, & in horrea Domini invehere consuevimus; cui etiam Dominus usque ad ultimos terræ fines benedixit.

H Hoc furore desæviit immanis ille hostis in eos, qui nos bonitate & vitæ integritate longè antecedunt. Hoc telo armatus, impetum fecit in caput nostrum, & in hujus capitis membra; in Apostolos, in Discipulos, generatim in omnes Christianos, & speciatim in omnes Religiosas, sanctimonia spectabiles familias, potissimùm sub initia & quasi sub natalem diem. Eodem modo in Societatem nostram debachatus est, & eò quidem furiosiùs, quò eam adhuc teneriorem, & vix ex incunabulis egressam videt. Qua in re mirificè etiam adjuvatur ipsa calumniatorum multitudine, quæ hac extrema mundi senecta copiosissimo proventu extitit; in id unum intenta, ut piis interitum machinetur, tandémque re ipsa exitium afferat.

CAPUT

CAPUT XXI.

Epilogus totius Apologiæ ad Chriſtianiſſimum Regem.

A ERgo partes tuæ ſunt, tua munera, Rex Chriſtianiſſime, ut his tam perniciosis conſiliis & machinationibus obviam eas, & qua vales divinitus tibi conceſſa auctoritate & poteſtate; gladio nimirum, quem ſiniſtræ tuæ juſtitia commiſit, calumniatores disjicias & diſſipes; ſceptróque, quo dextera inſignitur, criminatorum verſipelles aſtus perſequaris. Jus dicere, & ſuum cuíque pro meritis tribuere, propria laus Regum eſt, qui legum cuſtodes ſunt, ùt & illud, imbecillos tueri; quia potentia valent, & improbitatem dignis ſuppliciis coërcere; quia immenſæ illius & infinitæ bonitatis imaginem gerunt.

B Si innocentiam noſtram demonſtravimus, & à vitiis, quorum inſimulamur, nos legitimè purgavimus: ſi eos, qui nobis hæc talia imponunt, genuinos calumniatores eſſe docuimus; habes, *Rex Chriſtianiſſime*, præclaram occaſionem & materiam, ut te erga ambas partes Regem eſſe oſtendas, & unicuique id, quod ei competit, aſſignes, nobísque jus ſuppetit recurrendi ad tuam Majeſtatem, prout jam quoque ad eandem ſupplices confugimus, ùt fideliſſimi ſubditi ad Regem & Parentem. Non
C cupimus, ut vindicta de hoſtibus noſtris ſumatur: nec eorum, quæ amiſimus, compenſationem quærimus, tantùm petimus, ne curſus laborum noſtrorum, & exercitationum, & miniſteriorum tam in ſcholis, quàm in templis, & alibi intercidatur, ſed ut maneat nobis integra poteſtas & libertas noſtras functiones obeundi, ad ſalutem plurimorum tam amicorum, quàm inimicorum, ídque ſub auſpiciis & tutela Majeſtatis tuæ. Quidquid ingenii, quidquid virium & facultatis nobis ſupereſt, id totum in emolumentum Regni tui inſumere ſummoperè deſideramus.

D Et ut *Rex Chriſtianiſſime*, propiùs intuearis, quàm æqua ſit noſtra petitio, & quàm impetrabilis eſſe debeat apud Regem Chriſtianiſſimum, aliud non petimus, quàm ut, ſicut Miniſtris liberè & pàcificè licet in Gallia vivere, errorésque ſcriptis libris & concionibus publicè diſſeminare & tueri; ita quoque nobis liceat pacificè & liberè tam libris editis, quàm concionibus in templis, & diſputationibus in ſcholis, operam noſtram navare propagandæ & defendendæ veritati Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, quam Majeſtas tua tanto totius Chriſtiani orbis ſolatio profeſſa eſt. In hujus ſtadii cúrſu vivere & mori, vitæ & quietis loco ducimus. Si Princeps, qui habenas juſtitiæ moderatur, petitionem æquitatis tam plenam rejicere non poteſt: Si Rex, qui ſummæ poteſtatis ſceptrum gerit, jus iſtud denegare non debet: Si Monarcha, pater ſubjectæ multitudinis, tam duro & inexorabili animo non eſt, ut filios ſupplices repellat, quos magna benignitate audire ſolet; Per tuam juſtitiam, potentiam, & benignitatem, in nomine ejus, qui potentiſſimus, ſapientiſſimus, & optimus eſt, qui te Rex, tot donis & tam lætis fortunæ ſucceſſibus cumulavit; Majeſtati tuæ humillimè ſupplicamus, ut nos voti noſtri compotes efficere digneris, aut ùt Princeps, qui juſtitiæ adminiſtrandæ præſidet; aut ùt pater patriæ; aut ùt Rex Chriſtianiſſimus, aut ùt is, qui omnibus hiſce dotibus eximiè ornatus & nobilitatus eſt. Ne repudies, Rex Chriſtianiſſime, juſtam & æquam egenorum petitionem, ſed eos tibi meritis tuis obliga, qui ſi ſolvendo non ſint; Deum fidejuſſorem dabunt; qui nomina hæc divino, veréque regali & aureo felicitatis ſuæ, & ad imaginem ſuam expreſſo numiſmate diſſolvet, ipſa æternitatis immenſitate in ore numiſmatis illius exarata. E

Obſtringe & devinci tibi cunctos Regni tui Catholicos, qui tibi magnis difficultatibus preſſo, & opibus ſuis & manu invicta opem tulerunt, tot aditis periculis; qui ſibi ipſis liberísque pretioſam Catholicæ fidei gemmam, ſalvam & intactam ſervare deſiderant; In quem finem ſperant ſibi non infructuoſam fore operam noſtram, ùt & aliorum Religioſorum & Eccleſiaſticorum Ordinum, qui libenter nobis ſeſe in hac ſupplicatione ſocios adjungerent, niſi metu Majeſtatis tuæ offendendæ abſterrerentur. Hoc beneficium, Rex, non ſine grandi fœnore conferes. Innumeras enim preces innumerabilium hominum pro ſalute & incolumitate tua vota concipientium tibi conciliabit. Quòd ſi Majeſtas tua petitioni noſtræ locum dare abnuat (quod adverſarii noſtri tibi jam nunc perſuadere nituntur) nihilominus patriæ amorem nulla dies nobis eximet. Nec deſinemus, Deum pro te, & pro tranquillo Regni tui ſtatu precari, in quacunque demum Regione verſemur. Perpendat tamen Majeſtas tua, quænam gloria regiæ potentiæ inde ſit obventura, ſi infirmis ſeſe tam duram præbeat; & quæ laus regali clementiæ, ſi ab humilibus ſe exorari non ſinat; cùm Regis propria laus ſit, opere præſtare id, quod Symboli loco erat magno illi Monarchæ, qui primus inter Imperatores tuum, hoc eſt, Henrici nomen tulit: *Tardus iraſci & promptus benefacere.* F G

Conjicias aliquantulum oculos mentis tam promptæ, tam mitis, aciémque hujus regiæ prudentiæ verte ad ventura ſecula, quæ hanc noſtram ætatem excipient. Conſidera, quænam ſit poſteritatis futura ſententia, poſt centum, ducentos, plurésque annos, cùm leget, hinc heroica facinora, victorias & tro- H

A & trophæa Christianissimi Regis Henrici quarti, ex altera verò parte, eundem benevolentiam suam derivare noluisse ad Religiosos, egenos, & afflictos, subditos suos, innocentes, supplices, qui nihil aliud nisi gratiam postulabant.

B At quî Deus hoc factum feret? *Rex Christianissime*, Deus, qui victoriarum tuarum, totiúsque felicitatis auctor fuit; tam liberalis erga te & benignus; quibus verbis te compellabit tunc, cùm post transactos mulC necessariam fore. Ut igitur tempestivè gratiam & misericordiam judicis illius promerearis, supplices obliga, ut eam tibi precibus obtineant; ejus enim obtinendæ hæc vera ratio est, quam judex ille, hunc in usum, cùm omnibus, tum præcipuè Regibus, tanquam benignitatis suæ expressioribus imaginibus commendavit. Quàm jucunda tibi erit *Rex*, in illo temporis & severi examinis articulo memoria præstitæ misericordiæ, & clementiæ, iis, qui supplicitamus, nimirum aut jure innocentiæ, benignitatis tuæ favorem; aut juris nostri recognitione & accuratiore disquisitione tuæ justitiæ subsidium.

D E contrario non modico dolore afficieris, si libellum nostrum supplicem à devotissimis tibi mentibus profectum, justámque petitionem repellas; maximè cùm te non fugiat, omnia incommoda, quæ ex ista indignatione existent, non tam nobis detrimentum allatura, quàm populo tibi credito, usumfructum actionum nostrarum percipere solito; qui ejectis nobis, laborum nostrorum commodis privabitur; nostra non admodum grandi, ingenti autem sua jactura. Nam quod ad nos attinet, *Rex Christianissime*, cùm id, quod officii nostri ratio exigebat, expleverimus, tuámque Majestatem juris nostri, cum omni submissione commonuerimus, tum ut existimationem nostram integram conservaremus, tum ut Majestatis tuæ subsidium, justámque dexteram imploraremus; in Regni tui, tuorúmque subditorum non exiguum emolumentum; bona spe sumus, fore, ut omne incommodum tandem in commodum abeat. Et si id, quod supereſt, amittere cogemur, non multum amittemus; quia non E restat multum. Vita supereſt, quam si expendere, eáque debita contracta dissolvere oportebit, semper, quoad vita suppetet, solvendo erimus. Felices nos, si vitam seu per partes, seu simul totam exponamus, amore illius, à quo eam accepimus: qui mortem pro nobis subiit, qui remunerationis loco vitam æternam largietur, qui, dum vita hæc mortalis durat, pro infinita sua bonitate, non desistet paterna sua cura & providentia nos sublevare.

Totum pondus & animi mœror, *Rex* F *Christianissime*, ex jactura, quam facimus, ad populum Catholicum redundabit; nemo inde voluptatem capiet. Soli Ministri, eorúmque similes, lætitia pleni incedent, sed parvo fructu, imò non sine damno. Nam plerique eorum, nostra consuetudine & ope adjuti, fortasse in viam salutis, à qua recesserunt, reducti fuissent; sicut vicissim alii, nobis ejectis, plurium criminum perpetrandorum opportunitatem nanscisscentur, ut damnationem suam atrocioribus suppliciis adaugeant. At satius est, *Rex Christianissime*, ut horum malorum formidinem deponamus; Non enim futurum credimus; te, postquam pacem cum potentissimis hostibus iniisti & firmâsti, arma sumpturum adversùs invalidos & egenos Religiosos, subditos tuos. Age G igitur, *Rex Christianissime*, in gratiam tuam, si lubet, nos recipe, nósque jam antea tibi addictos, hoc novo beneficio in æternum obstringe, Nos opera & obsequio nostro, tibi præsto semper erimus, ùt fidelissimi subditi & obedientissimi servi, & ùt obsequentissimi filii, & ùt humillimi Religiosi, assiduè divinam & supremam bonitatem rogabimus, ut quemadmodum te duorum Regnorum magnum Regem voluit esse in terris, ita tertii quoque Regni, vitæ videlicet immortalis diademate aliquando coronet,

ARRESTUM DATUM A *CHRISTIANISSIMO* REGE IN SUO PRIVATO CONSILIO DE STATU SEU REPUBLICA IN GRATIAM DOMINI TURNONIENSIS. EX GALLICO. H

SUpplicationis Regi à Domino Turnoniensi oblatæ summa hæc est. Duo adversum se Arresta seu edicta contraria edita esse, alterum à Parlamento Parisiensi primo die Octobris, anno 1597. quo mandatum sit, ut præstituto tempore, sub pœna in eo edicto comprehensa,

A *ſa, jubeat Jeſuitas Turnonio diſcedere: alterum à Parlamento Toloſano, datum 5. die Novembris, eodem anno, quo prohibitus ſit, decretum Curiæ Pariſienſis exequi, ſub decem millium aureorum pœna, aliísque arbitrariis; ea de cauſa ad ſuam Majeſtatem ſe recurriſſe, decretúmque ab ipſius de Statu & Republica conſilio obtinuiſſe, quo ab executione Pariſienſis Arreſti liberatus fuerit. Caterùm Pariſienſe Parlamentum, cùm utrunque ex his decretis ignoraret, ſuámque auctoritatem ſpretam exiſtimaret, in præjudicium utriusque, alterum Arreſtum proximè elapſo 18. die Auguſti publicâſſe: (nunquam audito, neque vocato Domino Turnonienſi) quo Dominum Turnonienſem pœnas in Arreſto nominatas incurriſſe, pronunciârit, bonis omnibus Fiſco adjudicatis, Receptoribúsque Dominii conſtitutis, ut quilibet pro muneris ſui ratione proventus recipiat, rationémque, ſicut de aliis omnibus, ſuo*

B *tempore reddat. At verò 23. die Septembris nuper præteriti Toloſanam Curiam, alio decreto imperâſſe ſub decem millium aureorum, aliáque arbitraria mulcta, ne Pariſienſi Arreſto pareat. Se igitur, quando nihil unquam aliud ſibi propoſitum fuerit, quàm ut ſuæ Majeſtatis honorem curet, illisque, qui ejus loco jus dicunt, obtemperet, etiam atque etiam orare, ut à ſua Majeſtate ex tam perplexis nodis, quibus ob diverſa Arreſta implicatus teneatur, exſolvatur, útque tanquam utriusque Curiæ & juſtitiæ caput conſueta clementia ſuccurrat: facultatésque & ſtatum conſervet, quo iis in poſterum perfruens, non ſecus ac antea ſuæ Majeſtati inſervire queat.*

C *Qua ſupplicatione à Rege, qui tum Conſilio intererat, viſa, & ſimul Arreſtis datis in Parlamento Pariſienſi primo Octobris 1597. & 18. Auguſti. 1598. & iis, quæ data fuerant in Parlamento Toloſano 5. Novembris 1597. & 23. Septembris; atque etiam Arreſto in ſuo prædicto de Statu Conſilio 29. Novembris anno 1597. auditáque relatione cujusdam ex numero Conſiliariorum de ſtatu, omnibúsque accuratè perpenſis & conſideratis; ſua Majeſtas nulla habita ratione omnium ſupradictorum Arreſtorum, Curiarum videlicet Pariſienſis & Toloſanæ, ſed tantùm ad Arreſtum in ſuo de Statu Conſilio 29. Novembris 1597. datum, & teſtimonia, quæ ipſi de fidelitate & obedientia dicti Domini Turnonienſis allata fuerunt, reſpiciens, eum, auctoritate & poteſtate regia, priſtino ſtatui, in quo ante Pariſienſe decretum fuerat, reſtituit. Ad hæc plenam ei concedit recuperationem honorum,*

D *bonorum, ſtatúsque priſtini Senechalli de Avergne. Statuit præterea & decernit, ut in poſterum ſtatus prædicti, omniúmque poſſeſſionum immunitate potiatur, non ſecus ac ſi prædictum Pariſienſe Arreſtum editum non fuiſſet. Quo facto Receptores Dominii & Officiales, quibus commiſſæ fuerunt poſſeſſiones Fiſco jam traditæ, aut certè vi Pariſienſis Arreſti tradendæ, & omnes alii hac cura liberos ſeſe arbitrentur, prout illos etiam liberat & eximit ſua Majeſtas à mandato & pœnis in eo comprehenſis. Inhibet inſuper prædictis Receptoribus & Officialibus,*

ne pergant, aut aliquid aliud vi ſupradictorum Arreſtorum moliantur. Statuit nihilominus totam executionem prædictorum Parlamentorum ſuſpenſam eſſe debere, quoad accuratiùs res diſcutiatur, convenientérque ſuper ejusmodi Arreſtis ſibi contrariis deliberatum fuerit, prout ſua Majeſtas faciendum judicaverit. Interim omnem conſultationem, jurisdictionem, & cognitionem totius negotii utrique Curiæ prohibet, impoſuítque & imponit, hujus rei Regiis Procuratoribus generalibus in dictis Parlamentis, eorúmque ſubſtitutis ſilentium, conficientúrque in hunc finem litteræ, & omnia alia, quæ neceſſaria ſunt, curabuntur. Actum in Conſilio, Rege præſente. 19. Martii 1599.

E

EDICTUM REGIUM.

F *NOs Henricus Dei gratia Rex Galliæ & Navarræ dilectis nobis & fidelibus Parlamentorum Pariſienſis & Toloſani Conſiliariis ſalutem. Cùm ob contrarietatem Arreſtorum ab utroque Parlamento reſpectivè adverſus Dominum Turnonienſem in cauſa Jeſuitarum editorum, nobis ſupplicâſſet idem Dominus, uti ſibi à nobis proſpiceretur, nos tali caſu eidem cupientes ſubvenire, Arreſto in noſtro Conſilio nobis præſentibus, dato, & propter rationes ibidem explicatas, eum in priſtinum ſtatum, in quo ante Decretum Parlamenti noſtri Pariſienſis fuerat, reſtituimus. Et his ſimul plenam ei & in-*

G *tegram omnium bonorum poſſeſſionem, ſtatuúmque recuperationem concedimus, eúmque libertate & ſecuritate donamus, ut abſtinere poſſit ab executione Arreſtorum utriusque Parlamenti, quoad melius proviſum fuerit, & ſuper utriusque Parlamenti Arreſtorum controverſia, aliud ex jure conſtitutum. Interdicimus interea prædictis Parlamentis noſtris omnem conſultationem, jurisdictionem, & cognitionem totius negotii; ad hæc ſilentium imponimus noſtris in iisdem Parlamentis Procuratoribus generalibus. quemadmodum fuſius continetur in Arreſto hîc adjuncto ſub Sigillo noſtræ Cancellariæ. Quapropter volumus, mandamus, & expreſsè his vobis injungimus, ut juxta ſententiam Arreſti de-*

H *ſiſtatis ab omni cognitione cauſæ, de qua modò controverſia eſt, quoad à nobis aliud ſuper ea decretum fuerit, quódque vobis interdiximus & prohibuimus, denuò interdicimus & prohibemus, & ne ullam ignorantiæ cauſam prætendatis, vobis patefieri volumus, per primum noſtrum apparitorem ad id poſtulatum, quem deſignavimus, & deſignamus ad prædictum opus exequendum, curandúmque, ut præſens hoc noſtrum decretum effectum ſuum conſequatur. Præter omnem præterea petitionem ullius* placet, viſa, *aut* pareatis, *quia hæc eſt noſtra voluntas. Non obſtantibus veſtris ſupradictis Arreſtis, aut quavis alia re huic noſtro mandato contraria. Datum Pariſiis. 19. Martii. anno 1599. Regni noſtri Decimo.*

APPENDIX AD PRÆCEDENTEM APOLOGIAM.

A Philipp. Heilbrunner.

CUm Apologia ista sub prælo esset, incidi in librum Lutherani cujusdam Prædicantis, qui, ut animos Germanorum in Societatem JESU concitet, Gallicanas calumnias repetit, & vulgo imperito non sine magna accessione vendit. Mirabitur fortè quis, cui Prædicantium mos minùs notus, factum hoc, post tot refutationes, quibus criminationes illæ discussæ & depulsæ sunt. At nulla me admiratio tenet. Mirarer, *si judicio hoc facerent, non morbo*, aut potiùs natura. *Faciunt non, quod meretur* Societas, *sed quod solent.* Ut *muscæ mel sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ:* ita Ministri hæretici mendacia & calumnias. κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, ait Cretensis Epimenides, & ex hoc Apostolus. Elogium hoc migravit ex Creta ad nostros Prædicantes. Testatur M. Tullius, eodem Epimenide Cretensi suadente, Athenienses condidisse templum, *contumeliæ & impudentiæ.* In hoc fano Flamines sunt Prædicantes. Archiflamines Lutherus & Calvinus. Quid mirum igitur, si his suis duobus numinibus contumeliarum & mendaciorum hecatombas sacrificent, aut ab aliis sacrificatas, iterum atque iterum iterent. Non fugit eos, unicuique ex divis consentaneam cædendam hostiam, Baccho caprum, Cereri porcum, Æsculapio gallum, impudentiæ impudentiam, contumeliæ contumelias & mendacia. Sed ad rem.

Seneca de Remed. fortuit.

B

Cic. lib. 2. de legibus.

C Ait Prædicans, Jesuitas à Gallis vocari *perturbatores quietis publicæ, & corruptores juventutis: Non igitur dubitandum esse, quin tales sint.* Argutè profectò, *à dici* nimirum *ad esse.* Perinde ac si ita argumentarer: Germani Prædicantes Confessionistæ & Ubiquistæ appellantur à Gallicanis Ministris Calvinianis *seductores, indocti mortalium improbissimi; Sycophantæ, impostores, animarum latrones, &c.* ergo sunt tales. Quid respondebis ad hanc consequentiam? Dices fortè, vobis non inesse illa vitia, à quibus tam probrosæ appellationes desumptæ; Jesuitas autem id, quod dicuntur, esse; *ab esse* autem *ad dici* validam formari argumentationem. At Jesuitas non esse *Reipublicæ perturbatores, & juventutis corruptores*, clarissimè demonstrat hæc ipsa ad Christianissimum Regem Apologia, ùt & alia Franciſci Montani, triennium abhinc Ingolstadii publicata. Si argumenta, quibus in his duobus libris innocentia Jesuitarum asseritur, solidè refutaveris, tum argumentum tuum fatebimur viribus & nervis non esse destitutum.

Vide refut. consensus Orthodox.

Mont. Apolog. cap. 46. 47. & seq.

D Ais, *non à vulgo tantùm, sed & à Curia Parisiensi Jesuitas perturbatores Reipublicæ & seductores juventutis nominari:* Vulgus, eósque, qui vulgaribus convitiis vulgo se reddunt pares, parùm moror, quia Calvinum vel Machiavellum sequuntur. Subit mentem illud: *Malè de te loquuntur homines, sed mali. Moverer, si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi, qui damnandus est, damnat.* Et huic vulgo opponere licet innumerabiles alios tam ex vulgo, quàm supra vulgum, qui Jesuitas pro pacis & publicæ quietis amatoribus, & pro eximiis instituendæ juventutis doctoribus habent.

E

Sen. de Remed. fort.

Magis me moveret decretum Curiæ Parisiensis, quippe à tali & tanta, nisi ex Apologia ad Regem, & ex altera Montani perspectum haberem, quo tempore, quáve occasione decretum illud conscriptum sit, & editum; tum videlicet, cùm salus Christianissimi Regis in summum discrimen adducta; cúmque tota Gallia ad facinus Sicarii illius concussa esset: quo tempore multa dici & fieri necesse erat, quæ extra tumultum, communémque omnium trepidationem indicta infectáque remansissent: alioquin quàm usque ad illud ipsum momentum Curia Parisiensis, Jesuitas in pacis perturbatorum & juventutis corruptorum numero non collocârit, vel inde liquet, quòd benignissimo semper fuit in Societatem animo, eandémque eo ipso anno M. D. XCIV. à criminationibus causidici Arnaldi, aliorúmque silentio suo absolvit. Nec dubites, mi Prædicans, fore, ut, postquam jam amplissima Curia intellexit, Jesuitas facinoris adversus Christianissimum Regem suscepti planè ignaros fuisse, stylum aliquando vertat; idque quod non tam ex suo, quàm, ut ita dicam, ex temporis & circumstantiarum sensu scripsit, in benedictum convertat.

F

G

Quòd autem hortaris Germanos, ut hoc Gallicano classico excitati filios suos Jesuitis erudiendos non committant, quippe indoctis, & legum argumentandi nescius, facis tu quidem, quod præco solet, *exerces vocem, quam per vivis & colis. Nam, nisi clamabis, statim te obrepet fames.* Non tamen populo facies audientiam, non persuadebis, quia nec alii persuaserunt, qui simila ante te Germanis occinuerunt. Ne quid tamen te celem, valde ambigo, num convicium hoc ex animo, an dicis tantummodo gratia protuleris. Monet Epictetus, ut, cùm quispiam alteri *vel malefacit, vel maledicit, cogitet eum opinatum esse, id ex officio sibi fuisse faciendum & dicendum: neque verò fieri posse, ut id sequatur ille, quod tibi videtur, sed quod sibi, & ad singula convicia dicendum esse, ita visum esse illi,* hinc enim secuturum, *ut quis convitiatorem æquo animo ferat.* Huic monito Epicteti ægrè pareo, quia vix in animum induco credere, Jesuitas tibi videri indoctos, & argumentari ignaros. Si tamen ita persuasus es, per quintum Evangelium, per manes Lutheri, per

H

Epict. Enchir. cap. 64.

A per quicquid tibi charum & amicum eſt, rogo te & obteſtor, ut, quia à Jeſuitis, & à Jeſuitarum Academia Dilingana non procul abes, eos rectum diſſerendi & diſputandi modum doceas. Brevis eſt via ab urbe tua Dilingam. Miſerearis tantæ inſcitiæ, diſputant quotannis ſæpius Theologi & Philoſophi, propoſitis theſibus, etiam typographi arte & induſtria excuſis. Advola, & has tantas tenebras mentibus tam Profeſſorum, quàm ſtudioſæ juventutis
B eripe. Aut ſi grave tibi hoc quantulumcunque viæ ſuſcipere, invita, cùm tu in tua ſchola diſputas, aut Collegarum quiſpiam, Dilinganos Profeſſores, aut ſi hoc nimium, ſtudioſos aliquos Theologiæ, aut Philoſophiæ, ut audiant te novum *Hierarcham, in throno ſedentem aureo, de Tantali fonte potantem*, & de quinta, ſexta, ſeptima, & fortè octava ſyllogiſmorum figura diſſerentem. Eandem operam navare poterit Jeſuitis, & ſtudioſis Ingolſtadienſibus frater tuus, ſi non ſanguine, certè cognomine & munere, qui licèt longiùs abſit, bene tamen de aliis merendi cupidis, nulla via nimis eſt longa. Habet Danubium ſecundum, quo deſcendat. Comitabuntur euntem, *& ſenior Glauci chorus, Inoúsque Palæmon. Tritonésque citi, Phorcíque exercitus omnis*, vel ſi, ùt Prædicans, mavult; *Thetis & Melite, Panopeáque vir.* Habebit publico Academiæ ſumptu vehiculum, quo revehatur domum, præter multas grates gratias, imò immortales, quid vultis ampliùs? Pergis.

C In edicto Pariſienſi appellantur Jeſuitæ *hoſtes Regis ejúsque Imperii; nihil ergo emolumenti juventus ab illis capere poterit.* Vocantur tales, at non ſunt, aliud eſt vocari, aliud eſſe, ùt jam antea dixi. Jeſuitas non eſſe hoſtes Regis Chriſtianiſſimi ejúsque Regni, etiam iniquo rerum æſtimatori hæc Apologia planum teſtatúmque faciet: Olim quoque Chriſtiani nominabantur hoſtes Imperatorum, at non erant. Nec vel hilum proficis, cùm decretum Pariſienſe objicis, jam enim oſtendimus, quando, quóve caſu ſit promulgatum. Sed probas Jeſuitas meritò dici hoſtes Regis, *quia tractant in ſcholis illam quæſtionem, utrum*
D *privato liceat interficere Tyrannum.* Teſtem hujus rei laudas auctorem Apologiæ pro vita Ignatii Lojolæ, qui fatetur hanc quæſtionem in ſcholis poni & diſcuti. Verba illius auctoris hæc ſunt. *In curſu philoſophico nuſquam docetur jus fásque eſſe trucidare Reges, multò minùs Reges Chriſtianiſſimos. Si Joannes Gueretus Præceptor Schatelii alicubi in curſu hoc aſſeruiſſet, utique laqueum & rogum non effugiſſet, cùm Joannes Guinardus Profeſſor Theologiæ ſanguine ſuo quæſtionem illam ſolvere debuerit: Utrum privato liceat interficere Tyrannum, quam hactenus impunè Theologicæ & Juridicæ ſcholæ omnes, variis argumentis in utramque partem propoſitis poſuerunt & diſcuſſerunt, & in poſterum quoque*

Vide Tertull. in Apologetico.

Apolog. pro vita B. M. P. Ignatii pag. 44. Extat Tom. X.

ponent, & diſcutient, ſine cujusquam injuria, E
cùm quæſtio verſetur in theſi, non in hypotheſi.
Hæc ille, ex quibus tu hoc argumentum extruis. *Quidam auctor ex Jeſuitarum Ordine, aſſerit ſcholas Theologicas & Juridicas poſuiſſe, & diſcuſſiſſe, & in poſterum quoque poſituras & diſcuſſuras, quæſtionem illam, utrum privato liceat interficere Tyrannum: ergo Jeſuitæ ſunt hoſtes Regis Galliæ & Regni ejus, vel generalius, omnium Regum & Regnorum.* Ut videas quan- F
ti momenti ſit hoc tuum argumentum, & quàm aptum, adjicere licebit hoc alterum tuo ad omnia gemellum. S. Thomas, Cajetanus, Sylveſter, Joan. Tabienſis, Dominicus Sotus, Bartholomæus Salon, Covaruvias; qui Fabrum & Angelum citat, Lipſius, Bucchananus, Auctor, qui ſe Stephanum Junium Brutum vocat, Melanchton, Bodinus, qui citat Andream Iſerniam, Martinum Laudunenſem, Angelum de Clavaſia, S. Antoninum, quid multis? Theologi, Juriſconſulti, & Philoſophi morales, ponunt hanc quæſtionem. *Utrum privatis liceat interficere Tyrannum:* ergo ſunt hoſtes Regis Galliæ & regni ejus, vel generalius, Regum & Regnorum: Quanti roboris eſt argumentum hoc poſterius, tanti eſt & prius. Quæſo, quis unquam quæſtionem de Tyranno propoſitam tranſtulit ad Reges legitimos, communi populi conſenſu receptos, ad Reges Catholicos & Chriſtianiſſimos? Quis unquam Auctoribus prædictis vitio vertit, quòd quæſtionem illam in ſcholis proponerent? Quis turbarum & ſeditionis eos ob hanc cauſam condemnavit? Ipſa quæſtionis propoſitio nec laudem, nec vituperationem per ſe meretur, ſed aſſertio. Quærimus, *an ſit Deus. An incarnatio fuerit poſſibilis, an facta in natura, an in perſona: an ita, ut naturæ permanſerint impermixtæ.* Quærimus, *an Chriſtus præſens ſit in Euchariſtia, an remaneat ſubſtantia panis*, & centena talia. Nemo damnat, nemo improbat has quæſtiones, ſed aſſertiones, ſi quis ſcilicet aliquid affirmet aut neget ſacræ Scripturæ, traditioni & definitioni Eccleſiaſticæ, ſanctorúmque Patrum decretis contrarium. Et ut ad practicas quæſtiones veniam. Quæritur in ſcholis, *Utrum liceat occidere innocentem, utrum maritus uxorem in adulterio deprehenſam licitè interficiat, utrum quis ſibi ipſe manus ſine culpa afferre poſſit, utrum ſit licitum occidere peccatores, utrum occidere hominem peccatorem liceat privatæ perſonæ, &c.* Quid, H
oro, criminis in his quæſtionibus? quid ſeditionis? quid publicæ quieti & paci adverſum? Certè ſi quæſtio; *Utrum liceat occidere Tyrannum*, ſeditioſa eſt, multò magis ſeditioſa erit illa quæſtio; *Utrum liceat occidere innocentem*, vel, *utrum liceat occidere peccatores*, quia plures ſunt innocentes, & plures peccatores, quàm Tyranni. Quæſtio, ſi neſcis, Prædicans, nec affirmat, nec negat, ſed quærit. Quærere non pertinet ad ſeditiones, ſed affirmare, vel nega-

S. Thom. 2 d. 64. q. 2. a. 2. & 22. q. 42. a. 2. & lib. de Regim. princip. cap. 6. Cajet. 22. q. 64. a. 3. Syl. Tabienſ. v. Tyrannus. Sotus lib. 5. de juſt. q. 1. a. 3. Salon. 22. q. 64. a. 3. Covar. 2. p. Epitom. §. 4. num. 13. Lipſ. lib. 6. Polit. capit. 5. Bucchan. dial. de jure Regni. Brutus lib. qui vindiciæ contra Tyran. inſcribitur. Melanch. lib. 2. Moral. Philoſoph. Bodin. lib. 2. de Republic. cap. 5.

G

A re, & affirmatione aut negatione perniciosa posita, classicum canere, edicere & imperare. Hæretici ministri non excitârunt bella in Gallia & utraque Germania quærendo, sed affirmando, & negando, & jubendo.

B Nec prohibita est in Concilio Constantiensi hæc quæstio, *utrum liceat privato occidere Tyrannum*, sed responsio quædam ad hanc quæstionem condemnata est, de qua postea. In Conciliis non damnantur quæstiones, sed assertiones & sententiæ. Sicut ergo non obstante, quòd in Concilio Trident. damnata est sententia, quæ dicit, nos esse justos per ipsam Christi justitiam nobis imputatam; licitè nihilominus in scholis quæritur; *Utrum justificemur per imputatam nobis Christi justitiam:* Ita licèt in Concilio Constantiensi, damnata sit sententia quædam de hac, quam tractamus, quæstione, nefas tamen non est, ipsam quæstionem propositum reddere, omni errore, quem Synodus damnavit, damnato, firmísque argumentis refutato.

Concil. Constant. sess. 15.

Sess. 6. Can. 10. 11.

C Sed fortè Prædicans offenditur, quòd quæstio hæc in utramque partem disputetur. Meritò offenderetur, si vera pars subticeretur, aut falsa veræ loco sequenda proponeretur; Sed quia argumenta pro parte falsa non alio fine afferuntur, quàm ut vera quæstionis pars clariùs elucescat, firmiúsque corroboretur; solutis & profligatis omnibus in contrarium argumentis, idcirco nulla justa offensionis causa relinquitur. Quærit S. Thomas, utrum sit DEUS, &, utrum liceat se ipsum occidere: In priore quæstione argumenta adducit pro parte negativa; in posteriore pro parte affirmativa; & tamen utraque falsa est. At non adducit ea argumenta falsitatis, sed veritatis confirmandæ gratia; Eadem enim mox refellit, veritatémque multò solidiùs propriis argumentis munit & stabilit, quàm si nihil in contrarium adduxisset; nam veritas confirmatur non modò suis argumentis, sed & refutatione contrariorum. Idem in hac, de qua agimus quæstione, evenire puta. Sed tu, ùt video, ita comparatus es, sicut conclusio in syllogismis. Nihil te audiente in utramque partem discutere licet. Semper enim deteriorem partem sequeris. Quocirca si hanc quæstionem, utrum sit DEUS, & argumenta pro negativa parte audires, statim, ùt ille insipiens, non modò corde tuo, sed & ore exclamares: *Non est DEUS.* Concluśum hoc sit cum Diagora & Theodoro.

D Addit Prædicans, *Jesuitas in hac quæstione potiùs ad partem affirmantem, quàm ad negantem inclinare, satis indicant illorum scripta.* Non modò inclinamus ad illam partem, sed illam partem libentissimè amplectimur, quam amplectitur S. Thomas, Cajetanus, Sotus, Covaruvias, Salon & alii, qui ad hanc quæstionem respondent cum distinctione. Ex quorum doctrina hunc in modum scribit quidam magni nominis, & vobis Prædicantibus non ignotus Jesuita: *Vel est Tyrannus non per arrogatam sibi injustè potestatem, sed solùm per pravum legitimæ alioquin auctoritatis usum in gubernando: vel est Tyrannus, per arrogatam potestatem, quam vi obtineat. Si est Tyrannus primo modo, nulli particulari licet eum occidere, nam id pertinet ad Rempublicam, quæ posset jure oppugnare illum, & vocare in subsidium cives. Si autem esset Tyrannus secundo modo, quilibet posset eum occidere. Nam tota Respublica censetur gerere justum bellum contra ipsum, & ita civis quilibet, ùt miles quidam Reipublicæ posset eum occidere, &c. Unde quando in Concilio Constantiensi prohibentur particulares occidere Tyrannum: intelligendum est de Tyranno primo modo; de hoc enim eadem est ratio, atque de aliis malefactoribus, qui solùm per publicam potestatem puniri possunt.* Hæc ille.

E

Gregor. de Valentia Tom. 3. disput. 5. q. 8. p. 3.

F Ex cujus etiam verbis habes, quidnam Concilium Constant. damnaverit. Cujus Concilii decretum eodem modo explicat Cajetanus, Sotus, & Alphonsus à Castro, & satis liquet ex ipsis Concilii verbis, quæ talia. *Nuper accepit, quòd nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bonis moribus multipliciter scandalosæ, Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est: Quilibet Tyrannus potest & debet, licitè & meritoriè occidi, per quemcunque Vasallum suum, & subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscunque. Adversus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, definit hujusmodi doctrinam, erroneam esse in fide, & in moribus, &c. & quòd pertinaciter hanc doctrinam pernicioſissimam asserentes, sunt hæretici, &c.* Huc usque Concilium. Ecce, Prædicans, Concilium damnat *assertiones*, non *quæstiones*. Quòd si quis ex damnata illa assertione formet quæstionem hunc in modum: *Utrum quilibet Tyrannus possit & debeat occidi per quemcunque Vasallum suum & subditum, &c.* & ad eam negativè respondeat, responsúmque iis rationibus confirmet, quibus id Alphonsus à Castro confirmat, quid culpæ admittet? Nec est, quòd putes ullum fore Jesuitam, qui responsurus sit affirmativè, si quæstionem formet ex assertione illa damnata à Concilio Constantiensi.

Cajet. Sotus loc. cit. Alphon. contra hæres. v. Tyrannus.

G Sicut nullus unquam affirmativè respondebit ad hanc quæstionem, *Utrum sola fides justificet, exclusis aliis;* eò quòd Concilium Tridentinum anathemate percusserit hanc propositionem; *Sola fides justificat impium, ita ut nihil aliud requiratur, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur.*

H Sess. 6. Can. 9.

Ais, *quæstionem & doctrinam hanc adversari illi D. Petri præcepto, DEUM timete, Regem*

1. Pet. 2.

A *gem honorificate.* Ubique tui ſimilis es, hoc eſt, ineptus Prædicans, & quidvis per quodvis & quovis modo probare ſolitus. S. Petrus non ait, *Tyrannum honorificate*, ſed, *Regem.* Rex non eſt Tyrannus, maximè ſi Tyranni vocabulum, ſecunda notione uſurpemus, nec Tyrannus eſt Rex. Quòd ſi Regum quiſpiam, qui verè Rex eſt, declinet ad Tyrannidem, atque adeò Tyrannus prima notione hujus nominis fiat; tum jam ex ſententia S. Thomæ & aliorum audiviſti, privato nihil in eum poteſtatis eſſe: eſſe autem toti Reipublicæ: vel privato eatenus, quatenus ei à Republica conceditur, ſicuti privato in quemlibet alium malefactorem jus eſſe poteſt, ſi id concedatur à Republica. De morte Joannis Guinardi, ne tu ſollicitus fueris; temporis fuit, non culpæ. Tu nunquam tam innocens penſilis fies.

B Quæſtio illa, *Utrum quis privatus ſuum vel alterius Dominum, judicio ſuo privato Tyrannum aut hæreticum trucidare queat*, non eſt Jeſuitarum, ſed à te impudenter conficta, & Jeſuitis à te Lutherano impoſtore impoſita. Aliud eſt, quærere; *Utrum privatus licitè poſſit occidere Tyrannum*, notum videlicet & manifeſtum: & aliud, *Utrum privatus Dominum ſuum vel alienum, quem ſuo privato judicio pro Tyranno vel hæretico habet, poſſit occidere.* Ad priorem quæſtionem, quid ex graviſſimorum Doctorum ſententia reſpondendum ſit, ſuprà te docui. Ad hanc poſteriorem quisquis reſponſum dabit, is diſertis verbis negativum dabit, nocentiſſima enim hæreſis eſſet, affirmare, & definitioni Conſtantienſis Concilii ex diametro repugnans. Cæterùm nomina, ſi potes, Jeſuitam, qui quæſtionem hanc propoſuerit, propoſitæque partem affirmantem defenderit. Tu inprimis dicis eſſe eandem cum priore quæſtionem. Priorem

C proponi à Jeſuitis: ergo & hanc. At cæcum eſſe oportet, qui inter duas iſtas quæſtiones nullum diſcrimen videat. Deinde nominas Bellarminum, citásque caput VII. lib. V. de Romano Pontifice. Calumniatorum frontibus inurebantur olim ſtigmata, teſtis Plinius. Hanc pœnam te hoc loco commeruiſſe, perſpicuè lector intelliget, ſi prædictum Bellarmini locum percurrat. Nullum in toto capite verbum de privato homine, privatóque judicio, nulla ullius Tyranni mentio, nulla occiſionis aut trucidationis; multò minùs continetur in illo capite: *Cuilibet privato jus fásque eſſe, trucidare ſuum Dominum, quem de Religione ſuſpectum habeat.* Hoc ſolum ibi docet Bellarminus, poſſe Summum Pontificem, tanquam Eccleſiaſticæ monarchiæ ſupremum Principem, deponere & amovere Reges infideles & hæreticos, ſi ſubditos ad ſuam infidelitatem pertrahere conentur. Et tamen tam effrons eſt iſte Prædicans, ut ſcribat, Bellarminum ſcribere,

Plin. in panegyr.

D

privato permiſſum eſſe, ut ſuum Dominum tollat, ſi de hæreſi aut Tyrannide ſuſpectum habeat. E

Huic monſtroſo in Bellarminum mendacio aliud adjungit Prædicans, in univerſum Jeſuitarum Ordinem. Vociferatur, *quoſdam ex Jeſuitarum tribu & Ordine violentas manus Dominis ſuis attuliſſe.* Hîc non mereris tantummodo quod antea, ſed aliquid amplius. Scire cupis, quid illud? Linguarium, quo mendacem quendam Rex Artaxerxes cohoneſtavit, cùm linguam ejus tribus clavis affixit & confixit. Quis ille ex Jeſuitarum tribu & Ordine, qui Domino ſuo cædem machinatus eſt? Ede nomen ejus, qui facinus hoc deſignavit, locum & tempus, quo deſignavit. Niſi cuncta diſtinctè notaveris, vaniſſimus criminator habeberis. Fortè produces Schatelium. Sed iſte non fuit Jeſuita, neque unquam Jeſuitas tanquam parricidii conſcios aut ſuaſores accuſavit, imò ad extremum uſque ſpiritum Jeſuitas teſtimonio ſuo innocentes pronunciavit, ùt hæc Apologia te docebit, doceréque potuiſſet jam dudum Franciſcus Montanus, niſi tu calumniarum avidus, veritatis curam & amorem in poſtremis duceres. Sed tibi nihil aliud propoſitum eſt, quàm calumniari, calumniásque jam contritas & profligatas repetere, ídque ex inexſaturabili in Jeſuitas odio, quo ſolo nomine, ut cætera deeſſent, malus es & improbus. Verum enim eſt illud: *Bonos quòd odcrint mali, ſunt mali.*

F

Sed quis iſte furor, ô Prædicantes, *quæ iſta inimica Deo, hominibúsque natura, infamare virtutes, & malignis ſermonibus ſancta violare? Si poteſtis, bonos laudate: ſin minus, tranſite. Quòd ſi vobis exercere tetram iſtam licentiam placet, alter in alterum incurſate, nam cùm in cælum inſanitis, non dico, ſacrilegium facitis, ſed operam perditis. Illuſtratur* Societas JESU *per ea ipſa, per quæ petitur, nec ulli magis intelligunt, quanta ſit, quàm qui vires ejus laceſſendo ſenſerunt. Durities ſilicis nulli magis, quàm ferientibus nota eſt. Aſſilite, facite impetum, ferendo vos vincet. In ea, quæ firma & inſuperabilia ſunt, quidquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet.* Et hæc hactenus, nam eas tantùm hujus Prædicantis criminationes refellere inſtitui, quas ex Gallia accerſivit. Interim quivis Jeſuita cum S. Hieronymo dicere poteſt: *Maleficum me garriunt.* (Prædicantes) *titulum fidei ſervus agnoſco. Magum vocant & Judæi Dominum meum. Seductor & Apoſtolus dictus eſt. Tentatio me non apprehendat, niſi humana. Quotam partem anguſtiarum perpeſſus ſum, qui crucì militо? Infamiam falſi criminis imputârunt; ſed ſcio per bonam & malam famam pervenirì ad regna cælorum.*

G

Sen. de vita beata.

H

S. Hieron. Epiſt. 99.

DEFENSIO APOLOGIÆ GALLICANÆ

AD

CHRISTIANISSIMUM GALLIÆ

ET

NAVARRÆ REGEM, &c.

ADVERSUS

LITHI MISENI CALVINIANI CALUMNIAS.

AUCTORE

JACOBO GRETSERO,

SOCIETATIS JESU

THEOLOGO.

A EDitus est, amice Lector, Ingolstadii, anno Domini M.D. XCIX. libellus Apologeticus hoc titulo: *Apologia Societatis JESU in Gallia, ad Christianissimum Galliæ & Navarræ Regem, Henricum IV. scripta à Religiosis ejusdem Societatis JESU in Gallia: Et hoc anno M.D. XCIX. Burdegalæ excusa; nunc primùm latinè reddita.* In hanc Apologiam cùm Misenus incidisset, continere se non potuit; quò minùs consuetis spiculis eam oppugnaret. Quænam B sint illa, indicat B. David: *Filii hominum, dentes eorum arma.* Mordent enim canum instar; quibus alia non sunt arma, præter dentes; iisdem dentes sunt sagittæ: quia ùt Homerus loquitur; διὰ τὸ ἕρκος ὀδόντων, *per sepia dentium*, conviciis, quasi telis, insontem figunt, & configunt. *Et lingua eorum gladius acutus;* quia lingua sua obvios quosque vulnerant, cædunt, percutiunt, & conficiunt. Ex his *hominum filiis*, quibus talis hoplotheca & armatura, infimus non est Misenus, quem, ùt olim Saulem, malus maledicendi & conviciandi spiritus invasit, simul atque Gallicanam Apologiam

Psalm. 56.

C vidit. ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. *Ut vidi, ut furiis calui.* 1. Reg. 16.

Sed quemadmodum David, quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saulem, *tollebat citharam, & percutiebat manu sua:* ita & ego statui citharam, ut sic dicam, refutationis arripere; quoties Misenus à calumniandi & mentiendi spiritu exagitabitur. Utinam eo fructu, quo B. David, de quo psallente & citharam pulsante sacræ litteræ: *Et refocillabatur Saul, & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Cæterùm salutarem hunc effectum; non modò sperare non ausim; sed ne optare quidem. Illud potiùs à Miseno exspecto, quod de Saule jam in deterius prolapso proditum est. *Factus est spiritus Domini malus in Saul*, ait Scriptura, *sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua; nisusque est Saul configere David lancea in pariete.* Sed solatur me, quod subditur: *Lancea autem cassò vulnere perlata est in pariete.* Quidquid D enim conviciorum emissurus sit Misenus, id nos, ùt confido, non magis lædet, quàm Davidem hasta Saulis.

1. Reg. 19.

Jam

A Jam ad Lithum: cujus prima verba: σὺν τῷ θεῷ, *Cum Deo.* Credas loqui Juſtinianum, qui Inſtitutiones ſuas hoc exordio auſpicatur: *In nomine Domini noſtri JESU Chriſti.* Sed ſi negotium, quod Miſenus agere occipit, propiùs intuearis, mox dices; Erratum à Calviniſta; potiùs enim ſcribendum fuiſſe, σὺν τῷ διαβόλῳ, is enim ejus palæſtræ, in qua calumniis certatur, præſes eſt & agonothetes; ac proinde à calumniatore ſubſidio vocandus; non autem Deus, cui odio eſt, ùt impius & impietas: ita calumniator & calumnia. *In iis, quæ ad lectorem præmittuntur, valde miratus ſum*, inB quis, *querelam inſtitui de calumniis, quibus ſe innocentes opprimi clamitant; cùm tamen ex Auguſtino ipſi affirment, eos, non calumniari, qui vera crimina objiciunt.* Rectè miratus fuiſſes, ſi aut tu, aut Gallicani calumniatores, oſtendiſſetis, ea, quæ noſtris objecta ſunt, vera fuiſſe crimina, non autem veriſſimas criminationes. At cùm hoc nemo Calviniſtarum ad hunc uſque diem demonſtrârit; immeritò miraris, quomodo Auctor præfationis ad lectorem, querelam de calumniis inſtituat, ſimúlque cum ſancto Auguſtino affirmet; eos, qui vera crimina objiciunt, non calumniari.

C Vocant ſe noſtri in Apologia *ſubditos Chriſtianiſſimi Regis. Quid ſibi vult hæc vocula ſubditi*, inquit Miſenus? Quæram ego viciſſim, quid ſibi vult hæc tua oratio ad illuſtriſſimum tuum Principem, epiſtolæ dedicatoriæ ſubjuncta. *Tuam Celſitudinem ſubjectiſſimè colens*, quid, inquam, ſibi vult hæc tua oratio? Quod tibi animus ſuggeret, ut mihi reſpondeas; hoc à me tibi reſponſum exiſtima. *An non*, inquis, *Pontificem Romanum ſolum Dominum agnoſcitis, eidem ſeveriſſima jurisjurandi formula obſtricti?* Non ſolum Pontificem Dominum agnoſcimus, ſed & alios, quemque in ſuo genere. Pontificem in Eccleſiaſtica Hierarchia, Reges & Principes in politica gubernatione, ſuis in regnis & provinciis. Quocirca hæc duo inter ſe concorditer congruunt: ſubditum eſſe Pontificis in iis, quæ ad Deum & Eccleſiam pertinent; ſubditúmque eſſe Regum & Principum in iis, quæ ad civilem hominum Societatem ſpectant: Ipſi quoque Orthodoxi Reges & Principes, etſi Regnorum & Provinciarum ſuarum Domini, Pontifici tamen, tanquam Eccleſiaſtici Regiminis monarchæ, faſces libenter ſubmittunt, Chriſtúmque in vicario venerantur & religiosè colunt.

D Nec votum, quo Societas ſe Pontifici obligat, in hoc conſiſtit, ut nemini, præter Pontificem, obſequium & obedientiam præſtet; ſed ut Pontifici obtemperet in iis, quæ animorum ſalutem, & Evangelii prædicationem, & conſervationem concernunt. Quo fit, ut & Pontificis obſervantes eſſe poſſimus, & Regibus fideles *ſine ſcelere*, & viri boni *ſine perjurio*: quia E nec Pontifex vult ſibi nos obedire, ita, ut Regibus ſimus refractarii; nec Reges illud obſequium à nobis exigunt, quod obedientiæ Pontifici debitæ repugnet; ſed quilibet poſtulat id, quod ſibi debetur, ſalvo alterius jure. Quocirca & fidelitas & integritas viri boni conſtare nobis poteſt. Utraque concideret, ſi alicui Regi aut Principi Lutherano ſeu Calviniano nos ſubjiceremus in dogmatis fidei, ídque, quod ipſe cupit, amplecteremur; tunc enim nec fideles eſſemus Pontifici, nec viri boni ſine perjurio; quia tale obſequium repugnaret è diametro profeſſioni noſtræ, & ſubjectioni Pontifici promiſſæ & debitæ.

Cæterùm cur ſe *ſubditos* & *ſubjectos* Chriſtianiſſimi Regis non nominent illi, qui F in ejus regno habitant? ab iſtis enim hæc Apologia Gallicè primùm edita eſt. Cur non nominent ſe *ſubditos?* quibus in intimis præcordiis hæret præceptum illud S. Petri: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei;* (Nota hoc Miſene) *ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Vocant ſe, inquis, *addictiſſimos Regis clien*G *tes, nondum, credo, certiores facti, an Rex ipſorum patronus eſſe velit.* At certiores factos, teſtatur reſcriptum à Rege pro Collegio Turnonenſi datum; quod cùm in Apologia legeris, certior fieri poteras; nos jam eſſe certiores factos, num Rex patronus noſter eſſe velit. An non patrocinium illius Collegii adversùs adverſarios ſuſcepit? Si patrocinium ſuſcepit; patronus ergo noſter eſt; & nos clientes; hæc enim connexa ſunt. Præterea, an non ſignum patrocinii, & quod inde ſequitur, clientelæ, quòd paſſus eſt aliquot Collegia in Aquitania conſtrui, etiam poſt ejectionem Pariſienſem, quódque poſtremum Edictum ab hoſtibus noſtris promulgatum, contra Collegia Aquitanica, ſenſim evaneſcere permiſit, neque inſtitit, ut id, quod adverſarii urgebant, re ipſa perficeretur.

Vocant ſeſe, inquis, *Religioſos, & quiH dem Societatis JESU.* Rectè; quivis enim meritò uſurpat nomen ſibi inditum, ſi honeſtum ſit. Societatis autem JESU nomen familiæ noſtræ inditum eſt à Pontificibus, nec quidquam continet, quod honeſtati non ſit conſentaneum: ut ægrè feras, ægrè ferendo tamen, nunquam, ut non fuerit inditum, efficies: nec magis illud nobis eripies, quàm Julianus Chriſtianis Chriſtianorum nomen: cujus amentiam, ob odium in Chriſtiani appellationem, his verbis

A verbis egregiè redarguit S. Gregorius Nazianzenus, *Illud ſanè perquam puerile, ſtultæq; levitatis, ac ne ullo quidem alio homine, vel mediocri animi gravitate prædito, nedum Imperatore dignum, quod ſimul cum nominis commutatione, animorum quoque noſtrorum mutationem ſecuturam eſſe arbitratus, aut certè nobis id pudori fore, quaſi turpiſſimi cujuſdam criminis accuſatis, novandum nobis cognomentum cenſuit, Galilæos pro Chriſtianis nominans, atque ita vocari publica lege decernens. Ex quo perſpicuè oſtendit, Chriſti appellationem honorificentiſſimam eſſe, maximique ad gloriam ponderis: quoniam eam nobis extorquere cogitavit.*

Nazianz. orat. 1. cont. Julian.

B Nota hoc, Miſene, fortè eadem te cauſa impulit, ut Societatis Jeſu nomen Ordini noſtro eripere tentes. *Niſi*, ùt ait Nazianzenus, *fortaſſe hoc ea ratione* (Julianus) *fecit; quod hujuſce nominis vim & poteſtatem, inſtar dæmonum, reformidaret: ac proinde ad alterum nomen minùs notum & vulgare tranſiêrit.* Niſi fallor, tu quoque vim nominis JEſu reformidans, ob Calvinianum Dæmonem, mentis tuæ inquilinum, nomen hoc ab Ordine noſtro expunctum vadis.

C Jeſuitæ tamen nomen hactenus moderatè tuliſti, non laturus forſan in poſterum. Quæ æquitas ab aliis Calviniſtis & Lutheranis longè abfuit, dum nomen hoc omni modo invertere & pervertere ſtudent. Illorum enim hæc ſunt. *Jeſuitæ, Jebuſitæ, Eſauitæ*, & quid non? *Si hujusmodi nominibus innovandis animum adjicere liberet*, inquit S. Gregorius Nazianzenus contra Julianum, & ego contra Sectarios; *multa profectò nomina adverſus eum, ab ejus vita deſumpta, Chriſtianis ſuppeterent, tum turpiora, tum magis appoſita & congruentia. Quid enim prohiberet, quò minùs nos quoque Romanorum, atque adeò orbis univerſi (quemadmodum ipſe dæmonum fraude circumventus exiſtimabat) Imperatorem, eodem ludo ulciſcentes; Idolianum vocemus, & Piſæum, & Adonæum, & Tauri-*
D *cremum, ùt jam nonnulli quoque lepidi noſtrum & feſtivi homines appellârunt (quandoquidem mira eſt hujus rei facilitas) aliisque omnibus nominibus, quæ vel inflectenda, & commutanda vel creanda, ac verè ipſi objicienda nobis hiſtoria porrigit. Nos verò ipſis*, inquit Nazianzenus, *nomina haudquaquam invertemus, (nec enim quidquam excogitari poteſt magis ridiculum, in quod ea commutare queamus.)* Quid de commutatione & inverſione laboras, cùm in promptu ſit illis objicere, *Phallos & Ithyphallos & Melampygos, & Hircopedes, & venerandum Pana:* Calviniſtas, Hugonotos, Geuſios, Bezanos, Puritanos; Calvinopapiſtas; Lutheranos, Ubiquiſtas, Concordiſtas, & ſimilia vocabulorum portenta, auriúmque tormenta.

Pulchrè porrò rationem appellationis, E qua Ordo noſter inſignitus eſt, explanas: *Indicare videntur*, inquis, *à JEſu ſe adoptatos in Collegas & ſocios, ad ſalutem miſeris hominibus impertiendam.* Nimis magno nos dignaris honore: ſatis ſuperque nobis eſt; ſi ſervi & famuli Chriſti ſimus: Chriſtus nec Collegis, nec ſociis eget; Etſi abſolutè nec ſervis; nobis tamen opus eſt, ut ſervi Chriſti ſimus. Tot ſcripſit Apoſtolus epiſtolas: & in nulla tam ſpecioſa appellatio apparet; ubique *ſervum* ſe vocat, ubique ſervitutem ſuam libera voce profitetur: Quis, qui vel tenuem guſtum Chriſtianæ humilitatis habeat; hanc divini Apoſtoli modeſtiam ſibi ad imitationem non proponat? imò ſi ipſe Chriſtus *Socii* & *Collegæ* honorem & titulum alicui offerret, quis non
F faceret, quod Abigail, cùm eam David regii thalami ſociam àdſciſcere vellet. *Ad-* 1. Reg. 25.
cravit prona in terram, inquit Scriptura, *& ait, ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei.* Quid ergo vult illa Inſtituti noſtri appellatio? Hoc, præter In Apolog. cont. Lerm.
cætera, de quibus alibi; ut ea audita, ſtatim ex ipſo nomine cognoſcamus, quis militiæ noſtræ dux ſit & Imperator, omnésque noſtras ſpes in eo poſitas habeamus: non autem hoc, quod tu prædicas; *nos eſſe collegas & ſocios Chriſti, ad ſalutem miſeris hominibus impertiendam.* Quod ſi jactaremus, meritò Calviniani arrogantiæ nos inſimularent.

G At quòd ais, *Chriſtum ſibi ſoli propriumeſſe voluiſſe negotium miſeris ſalutem adferendi, ſine ullo adjutore*; ſciſcitari ex te lubet, quid ergo Calviniani Miniſtri agant, & quem, cùm concionantur, adjuvent, & cujus ſint adminiſtri. Non eſſe adminiſtros Chriſti, liberaliſſimè tibi concedo. Omittamus Miniſtros Calvini. Apoſtolos videamus, & inprimis S. Paulum; Si Chriſtus ſalutem hominum procurare ſibi proprium eſſe voluit, & quidem extra crucis ſacrificium (ſic enim tu intelligis) cujus dic, oro, S. Paulus adjutor & adminiſter fuit in prædicatione Evangelii? Anne falſa illa: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit?* Quid eſt *plantare*, quid *rigare*, quàm adjuvare, operámque ſuam cum opera alterius jungere: quamquam actio Chriſti primas ſemper tenet, quia principis eſt: ſecundas, actio miniſtri, quia miniſtri eſt.

H *Addunt*, inquis, *Regem Galliæ inter Reges hujus ævi, miraculi inſtar eſſe.* Non injuria. An non enim admirabile, Principem veſtræ ſectæ perquam ſtudioſum, ad Catholicæ matris gremium revertiſſe, eámque Religionem, quam antè oppugnabat, nunc propugnare, & à ſummo Eccleſiæ paſtore, filii loco haberi & diligi? An non miraculum aut miraculi ſimile; quando ex Saule fit

A fit Paulus? Quàm vitio verteres Jesuitis, si dixissent, Regem illum, Angeli instar, sibi visum; & tamen hoc dixit mulier Thecuitis, *Davidi*; Esther, *Assvero.*

B Non placet tibi, quòd nostri usurpant illa verba Apostoli: *Spectaculum facti sumus*
2. Reg. 14. Esther. 15. *mundo, Angelis & hominibus.* Sed non ideo jure non usurpant, quia tibi displicet; alioquin nihil jure Jesuitæ agerent, cùm omnia, quæ agunt, tibi displiceant, stomachúmque cieant; es enim unus ex tribu illorum, quibus, ùt vetus verbum ait, nihil placet *præter placentam & vinum,* Qui persecutionem patiuntur, ùt Christiani, hoc est, patienter & hilariter, & in Christi Ecclesia, ii rectè verba illa sibi accommodant, quia in eadem palæstra decertant, in quas is, qui primus sententiam illam protulit; spectaculúmque fiunt mundo, Angelis, & hominibus, ídque eò magis, quò gravior, amplior, & diuturnior est afflictio & calamitas. *Quid significat,* inquit S. Chrysostomus, *spectaculum facti sumus mundo? Non in angulo quodam, non in parva orbis terrarum parte hæc patimur, sed ubique locorum, & in omnibus.* Quæ profectò maximè ad nostros in Gallia pertinent. Nam persecutionem illam non in angulo, sed in amplissimo & potentissimo Christiani orbis regno passi sunt. Et quis orbis Christiani locus est, quò fama hujus ærumnæ non penetrârit? Quis ad famam hanc, tanquam visurus spectaculum, non accurrit, pari quidem contentione, sed dispari mente: alius, ut calumniaretur, & insultaret, ùt Misenus, aliíque Hæretici; alius, ut misereretur, & quos opera sublevare nequibat, affectu juvaret; alius alia de causa.

C S. Chrysost. hom. 12. in epist. ad Corinth.

Quòd autem nos appellas, *non Christianos, sed Christianorum persecutores, vel potiùs* D *carnifices, & omnis falsitatis & superstitionis patronos;* agnosco tibi tuóque Calvinistico gregi Epitheta consentanea, & quodammodo propria; quibus cùm nos non dignemur, poteris ea, nemine nostrûm indignante, tibi tuísque servare. *Si*, inquis, *Jesuitæ, ùt Christiani, paterentur aliquid adversi, non puderet eos afflictionum, imò glorificarent Deum.* Unde colligis Jesuitas pudefieri, cùm affliguntur? Nulla pudoris causa inest in afflictione, cùm quis innocens affligitur; multa autem causa inest gaudii & exultationis. Vel unica illa Christi Domini sententia & promissio omnem pudorem procul arcere potest ab illo, qui Christi causa aliquid patitur. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, sic enim*
Matth. 5.

E *persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos:* qui jam mercedem à Christo constitutam feliciter adepti sunt; posteris lampade tradita; ut & ipsi stadium hoc persecutionis decurrant, & ad propositum bravium contendant.

F *Non legimus*, inquis, *Apostolos ex territoriis quibuscunque ejectos, supplicâsse vel regibus vel principibus, ut reciperentur, sed excusso pulvere, convertisse se ad alios.* Si hoc ideo nefas est, quia ab Apostolis factitatum non est; quæro ex te, quo jure Calviniste aliquando tum communiter supplicârint statibus Imperii, ut reciperentur in Imperium, æquè ac Lutherani Confessionistæ: tum privatim aliquibus Principibus & Rebuspublicis, ut suis in locis, templum; aut, ùt loquuntur, *publicum aliquod exercitium* Calvinianæ sectæ concederent? Si nescis, quando, ubi, & à quibus hoc factum, non gravabor singula nominare. Cur, cùm exterminamini; omni conatu elaboratis, ut denuò vobis aditus patefiat? Cur non excusso pedum pulvere convertitis vos ad alios? Secundò; Consecutio hæc non est proba. *Apostoli alicunde expulsi, nulli Regum supplicârunt; ergo nefas est id facere:* fortè ideò non supplicârunt, quia se nihil impetraturos sciebant, Principibus eo tempore in Idololatriæ sordibus, aut in mortuo jam Judaismo adhuc demersis.

G Tertiò. Veteres Christiani, proscripti & exilio deputati, nihil alienum, opinor, ab Apostolica consuetudine & institutione egerunt; cùm excitata calamitate, enixè opem & misericordiam Principum & Rerumpublicarum implorârunt. Quid aliud est Tertulliani Apologeticus, & liber ad Scapulam, quàm libellus supplex pro insontibus Christianis, Romanis & Scapulæ oblatis, exorta persecutione in Christianos? Nec aliud, quàm libellus supplex est Apologia Athenagoræ, & utraque Justini, ùt & illa, quam Quadratus, Apostolorum discipulus, Hadriano porrexit, *quæ valde utilis fuit*, teste S. Hieronymo, *plenáque rationis & fidei,* S. Hier. in catalog. *& Apostolica doctrina digna.* Nihil nisi libellus supplex fuit, illud quoque volumen Apologeticum, quod Aristides Philosophus Athenienses eidem Adriano pro Christianis obtulit, ùt S. Hieronymus scribit; ùt & liber pro Christiano dogmate; quem Melito Asianus, Sardensis Episcopus, M. Antonino Vero dedit. S. Athanasius Apologiam ad Constantium Imperatorem misit, partim ob suam privatam causam, tum ob publicam omnium Orthodoxorum, quos furor Arianus exagitabat.

H Si igitur vetustissimi Ecclesiæ Doctores & Antistites, Ethnicis Imperatoribus, & S. Athanasius Ariano supplices libellos obtulerunt, quando necessitas, vel communis

A omnium, vel propria aliquorum id exigebat, nihil piaculi Jesuitæ commisisse censeri debent; cùm adversùs calumniatorum insultus, libello oblato, opem Christianissimi Regis implorârunt; imò & rationi eò convenientiùs fecerunt, quò credibilius est, Regem Christianæ fidei defensorem, citiùs & faciliùs locum daturum justis precibus, quàm Principem Arianum, aut Ethnica superstitione infectum. Quòd si veteres illi nihil deliquerunt in exemplum aut in præceptum Apostolorum: cùm libellos supplices ad Reges miserunt; cur idem, salva Apostolica auctoritate, non liceret Jesuitis, pressis & oppressis maledictorum criminationibus?

B *Homicidii*, inquis, *Jesuitas ego non accuso.* Grande beneficium, nec impar ei, quod latro se dedisse dicit, cùm vitam non eripuisse jactat. Periculum erat; ne si tu nos homicidii accusares, homicidii rei efficeremur; quia fortassis accusatio tua facit crimen, non supponit. Quòd si nos homicidii accusâsses; quid tua accusatio aliud fuisset, quàm sycophantia; nam ùt rectè ait S. Gregorius Nazianzenus κατηγορία ἂν ἀληθὴς, γίνεται συκοφαντία. *Mendax accusatio fit sycophantia.* *Si scelera*, inquis, *ex voluntate æstimantur, videant ipsi, quibus rationibus Deo & hominibus suam innocentiam probent.* Deo probare innocentiam, si innocens sis, arduum non est, quia ipse *corda & renes scrutatur* intuetúrque, & ipse pectoris innocui aspectus; sat probationis est pro adstruenda innocentia. Hominibus innocentiam nostram testatam reddimus refutatione; aut etiam simplici inficiatione

C calumniarum vestrarum. Nam coram hominibus reus non est, qui non aut ipsa delicti evidentia, aut legitimis testimoniis convictus est: prius hîc deest: nam quomodo adesset delicti evidentia, ubi nullum delictum? deest & posterius: quis enim ullius homicidii Jesuitas legitimis testificationibus nocentes demonstravit? Vestræ suspiciones & sycophantiæ non sunt probationes. Quocirca exiguum apud nos pondus obtinent; sunt enim ùt flamma ex stipulis orta, *claro strepitu, largo fulgore, cito incremento; sed enim materia levi, caduco incendio, nullis reliquiis. In cunctis, quæ in hac vita proveniunt*, inquit sanctus Gregorius, *sola omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor proprium semper recurrendum est, ut nullius nos lingua implicet, ubi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, & inter accusationem liber est, & liber vel sine accusatione esse non potest, si sola, quæ interius addicit, conscientia accusat.*

Nazianz. in definit.

S. Greg. lib. 6. epist. 14.

D Cùm de furibus, & maleficis, & Ecclesiarum invasoribus nugaris, te & tuos Calvinistas depingis, non Jesuitas. *Caveas in alterum dicere*, monet S. Hieronymus, *quidquid in te statim retorqueri potest.* Nam si fures sunt, qui malis artibus homines simplices auro emungunt, & marsupia monasteriorum; imò integra monasteria exenterant; & quod aliis debetur, specie *Reformatæ Religionis* intercipiunt, non una atque altera, sed pluribus Apologiis Calviniistis opus fore auguror, ut à furti suspicione sese liberent. Si malefici sunt, quorum consiliis & opera, homines pii immaniter excruciantur, crudeliter necantur, haud scio, an hujus criminis culpa Calviniistæ liberari queant; vel potiùs scio eos liberari non posse. Si Allotrioëpiscopi sunt, qui non vocati alienis Ecclesiis operam suam, etiam invitis, obtrudunt, non video, quibus hæc appellatio magis conveniat, quàm Calviniistis; quos lepidè phrasi Hebraica, *viros labiorum* nominare licet. Nihil enim istis hominibus loquacius est, nihil rerum inanius, ut proinde non possim non laudare judicium Schlüsselburgii Superintendentis Lutherani, qui hæc de Calviniistarum operibus. *Ego Sacramentariorum scripta latina & Germanica ultra CCXX. in timore Domini per totos XXIII. annos legi & relegi; Et profectò veritatem dico, me nihil firmi & solidi in omnium Calviniistarum libris reperire potuisse, in quo mens & conscientia mea potuissent acquiescere: nullam certam consolationem in illis deprehendi; blasphemiarum autem, obscœnitatum, conviciorum, calumniarum, mendaciorum, antilogiarum, & errorum tota plaustra inveni, quæ vel sola testantur, Calviniistas non ab uno spiritu gubernari.* Testimonium hoc verum est, & ùt verum approbo, magísque approbarem; si eodem testimonio decorâsset quoque Prædicans iste libros Lutheranorum, & inprimis suos: sunt enim omnes ejusdem speciei. Sed ad lineam.

E S. Hier. lib. 3. in Ruf.

F Schlüsselb. præfat. in lib. de Theolog. Calvin.

G Accusas Apologiam Gallicanam polylogiæ & verbositatis. Facilè credo tibi videri verbosam, quia vel tria verba pro Jesuitarum innocentia, videntur tibi nimis verbosa. Ita solet odium; ne ferre quidem potest, ut ii, in quos fertur, mutiant; si vel paucula verba suæ innocentiæ testandæ gratia proloquantur; jam Iliadem texere, & Antimachum sermonis prolixitate superare videntur. Sine dubio Apologeticus Tertulliani nimis tibi videtur verbosus, & eadem nota inures aliorum Apologetica monumenta, quæ suprà à nobis commemorata. Solæ Apologiæ Calvini & Bezæ contra Westphalum, Heshusium, Castalionem, ne verbum quidem supervacaneum complectuntur, quibus nihil addere, nihílque demere liceat: nam & ipsi, & illi, quibuscum agebant, βραχυλογίᾳ Laconica delectabantur, scilicet.

H Nunc ad secundum caput Apologiæ progrederis, ejúsque periochen & synopsin quan-

A quandam nobis proponis. ſcitè & ingeniosè, ut doleam, te non edere *ſummas* aut *paratitla* in juris Canonici capitula: Nunquam, opinor, uſurpares illud: *Hoc caput non ſummatur propter brevitatem:* Aut; *hoc caput ſummat ſeipſum.* Tu novus Summanus ſemper invenires, quod *ſummares.* *In hoc capite*, inquis, *non quidem apertè, ſed tamen obliquè indicant, exilium ſuum fore Galliæ detrimentoſum.* Omnino Galliæ Catholicæ, quamvis non Calvinianæ; cui Jeſuitas procul abeſſe, non eſt infructuoſum. Neque negamus, neque ullus, cui litteræ notæ, inticias ire poteſt; Galliam habuiſſe, & etiamnum habere viros longè doctiſſimos, & in omni genere diſciplinarum exer-
B citatiſſimos. Sed ut hoc ita ſit, verè tamen affirmare, non tantùm obſcurè inſinuare licet; Jeſuitarum exilium Gallicanæ juventuti fore damnoſum, ſive quia præſtantiſſimi illi viri ad hæc ima ſubſellia, quibus tenerior ætas ad politiorem litteraturam informatur, ſe non demittunt, ſive quia gravioribus Reipublicæ negotiis diſtinentur, quàm ut partem laborum & ſtudiorum ſuorum ad juventutem derivare queant; ſive quia ſoli ſatis non ſunt tantæ, támque florenti juventuti erudiendæ; ut proinde adjutoribus egeant, inter quos nomen ſuum libentiſſimè noſtri profeſſi ſunt, iis in locis, ex quibus, obtrectatorum impulſu, abire juſſi ſunt.

C Quòd de edicto Pariſienſis Parlamenti verborum nihil facis, prudenter facis: Imprudenter autem, quòd ais, te *verba facere nolle de Curiæ Burdegalenſis vel litteris, vel ſententiis, de innocentia Jeſuitarum prolatis.* Quare ſupprimis, quæ ad laudem valent, támque diligenter promis & proponis, quæ vel in ſpeciem ad ignominiam Jeſuitarum faciunt? Nam quòd hîc te de Curiæ Pariſienſis decreto taciturum promittis, mirari ſubit, unde hæc tibi tam nova Religio? Niſi fortè exhauſto jam omnibus calumniis, nullæ novæ ſuppetunt, quæ in nos occaſione illius edicti evomas. *Non audes repetere*, inquit S. Hieronymus Ruffino, *quæ tacendo amplius criminaris; & quia non habes, quod objicias, ſimulas verecundiam, ut lector putet te mihi parcere, qui mentiens, nec tuæ animæ pepercisti.* Tu hæc tibi de edicto Pariſienſi dicere nolenti, accommoda: ùt & illud ejusdem D. Hieronymi adverſus Rufinum: *Simulas te præterire, quæ dicis, ut qui objecta probare non poteras, quaſi prætermiſſa facias criminoſa.*

S. Hier. lib. 3. in Ruf.

D Ais. *In defenſione craſſiſſimorum errorum & anilis ſuperſtitionis, idololatriæ manifeſtæ, artolatriæ horribilis, meritò dubitari poſſe, an vel mica inſit ſcientiæ vel conſcientiæ Chriſtianæ.* Non opus dubitare, Miſene, nec gutta, nec mica in tali defenſione ineſt, quid vis amplius? Verùm veriſſimæ propoſitioni aliquid magis ſpeciatim ſubjice, ut diſpicere queamus, num concedendum ſit, an negandum, quod ſubjicies. Nam ſi ſubſumas, apud Calviniſtas reperiri defenſionem *craſſiſſimorum errorum, & anilis ſuperſtitionis, & idololatriæ;* facilè à me impetrabis, quod ſubſumis, unà cum concluſione, quæ inde naſcetur. At ſi Jeſuitas harum rerum defenſores dicas, tum negabitur aſſumptum. Tu qua ratione probabis? Illa videlicet tibi tuísque ſolenni: *Clarum eſt, per ſe liquet. Luce Meridiana clarius eſt: ergo ſatis eſt probatum, Jeſuitas eſſe idololatras, artolatras. Ergo, qui aliam probationem poſtulat, is primorum principiorum probationem poſtulat.* E

Tertium caput carpis & perſtringis obiter; & dum te mentiri & calumniari nolle dicis, utrumque egregiè præſtas; & nec mendacis, nec calumniatoris officio dees. *Galli*, inquis, *reſpondebunt, num Jeſuitæ ſint Hiſpani; hoſtes Reipublicæ, peculiares ob cauſas inimici regiæ majeſtatis, juventutis corruptores & ſeductores: & ii inprimis, qui ſupplicationes & preces certis horis definitas, periculoſæ devotionis nomine indigitârunt.* Nulli ad hoc minùs idonei ſunt, quàm iſti; quia ſunt capitales hoſtes noſtri: contra quos tota Apologia Gallicana dirigitur, & veritatis curam tantam habent, quantam pietatis ac devotionis; & tam devoti ſunt, quàm Clodius, cùm operta Bonæ Deæ ſubiit; aut quàm Antiochus Epiphanes, aut Heliodorus, cùm templum Hieroſolymitanum ingreſſi ſunt. Quid periculi in con- G ventu precantium, & vota pro ſalute regni ſuſcipientium? Quid ſcandali in precibus? *Bonæ res neminem ſcandalizant*, inquit Tertullianus, *niſi malam mentem. Si bonum eſt modeſtia, verecundia, faſtidium gloriæ, ſoli DEO captans placere: agnoſcant malum ſuum, qui de tali bono ſcandalizantur. Cur non magis querantur ſcandalo ſibi eſſe petulantiam ſuorum, quàm preces noſtrorum?* Turcica eſt hæc conſuetudo & Ethnica, Chriſtianorum in templis & oratoriis congregationem de malis artibus ſuſpectam reddere. Ita Celſus conventus Chriſtianorum *conjurationes* nominabat, teſte Origene. Tertul. lib. de virg. veland.

Hæc coitio Chriſtianorum, inquit Tertullianus, *meritò ſanè illicita; ſi illicitis par; meritò damnanda, ſi quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela eſt. In cujus perniciem aliquando convenimus? hoc ſumus congregati, quod & diſperſi; hoc univerſi, quod & ſinguli; neminem lædentes, neminem contriſtantes; Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus,* H Orig. lib. 1. cont. Cels. Tertul. cap. 40. & 39.

A *pro miniſtris eorum, & poteſtatibus; pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete; pro mora finis.* Verùm hæc, & id genus alia, videbantur Ethnicis, ùt & jam Ethnicorum poſteris, Calviniſtis & Machiavelliſtis, *periculoſæ devotiones;* hoc eſt, *factiones; ſed cùm probi, cùm boni coëunt,* inquit Tertullianus, *cùm pii, cùm caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed curia. At è contrario, illis factionis nomen accommodandum eſt; qui* (ùt Calviniſtæ ſolent) *in odium bonorum & probo-*

B *rum conſpirant; qui adverſum ſanguinem innocentium conclamant:* & in conciliabulis ſuis conſilia contra legitimos Reges & Principes coquunt: quod millies factum à Calviniſtis in unum coactis: ſpecie quidem pietatis, re vera autem proditionis cauſa: quorum *devotiones*, & coitiones, & precationes certis horis definitæ, Reipublicæ ſummum periculum creant. Uſurpant quidem illa Tertulliani & veterum Chriſtianorum: *Cogimur ad divinarum litterarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Fidem ſanctis vocibus paſcimus; ſpem erigimus; fiduciam figimus; diſciplinam præceptorum nihilo minùs inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina:* Sed hoc intereſt inter veteres Chriſtianos & Calvinianos; quòd illi veriſſimè hæc profitebantur, iſti autem falsò. Nam cui verbo ſuis in latibulis operam dederint, ſatis indicant fructus, quos in apertum erumpentes ediderunt in Belgio, Scotia, Gallia, Anglia, & non paucis Germaniæ Provinciis.

C *Iidem*, inquis, *rationem reddent, cur ſceleratì facinoris in regem attentati, memoria marmoribus inſculpta ſit.* Si cauſam dare velint, aliam non dabunt, quàm quæ in marmore expreſſa; nempe, ut ſuam in Regem obſervantiam teſtentur, omnibúsque planum faciant, inſigne illud beneficium, Chriſtianiſſimo Regi divinitus conceſſum; cùm nefarii ſicarii ictum tam proD ſperè evitavit. At ſi cauſam reddere velint, cur Jeſuitas inſcriptioni illi admiſcuerint; aut nullam dabunt, aut aliam non dabunt, niſi inexſaturabile in Jeſuitas eorum odium, quibus vita non erat jucunda, niſi exterminarentur, & præterea hac σηλιτευτικῇ ignominia notarentur, niſi fortè etiam in tempus turbulentum cauſam referre placeat; quo nonnulla ex perturbatione & impetu animi fieri conſueverunt, quæ poſtea, diſcuſſis nebulis, & re meliùs perſpecta, obliterantur & ſepeliuntur. Perturbatio enim ignorantiam & ἀπεριβλεψίαν aut alit, aut inducit. δεινόν γε ἡ ἄγνοια, inquit ille, καὶ πολλῶν κακῶν ἀνθρώποις αἰτία, ὥσπερ ἀχλύν τινα ναὶ καταχέσα τῶν πραγμάτων, καὶ τὴν ἀλήθειαν ἀμαυρῶσα. καὶ τὸν ἑκάστου βίον ἐπισκιάζουσα. *Mala res ignorantia, & multorum malorum cauſa, quæ tenebras rebus offundit, veritatem obfuſcat, & cujuslibet vitam obumbrat.* E

Iidem, inquis, *erudient nos de concionibus Jeſuitarum ſeditioſis, quídque ab iiſdem in confeſſionibus audiendis dictum, actúmve fuerit.* Erudient te, ſed eo modo, quo ſolent à calumniatoribus erudiri illi, qui ipſis ſeſe addicunt: qui cùm mentes audientium turpiſſimis mendaciis referciunt, magnum operæ pretium feciſſe cenſentur: ſed apud illos, quibus animus falſitatis, quàm veritatis capacior, & amantior, qui calumnias quantumvis incredibiles, & abſurditate pleniſſimas pronis auribus accipiunt: Ex quo genere iſtæ de ſeditioſis concionibus; quales à Gallis noſtris nullæ habitæ; niſi quod in Hæreſin aut Hæreticos olim dictum eſt, pro Catholicæ religionis conſervatione; id judicio pacis diligentiſſimorum Calviniſtarum, ad ſeditionem ſpectat; ùt & *Confeſſio Sacramentalis*, & ea, quæ à confeſſariis, ejus, qui peccata ſua patefacit, inſtruendi & ſanandi cauſa, geruntur. F

Scribit alicubi S. Auguſtinus, unamquamque hæreſin proprias texere calumnias. Meo judicio, Calvinianæ ſectæ hæc peculiaris eſt, quòd ipſum quoque Sacramentorum uſum, & alia pietatis exercitamenta ad turbas & diſcordias ſerendas & excitandas pertinere, impudenter fingit, mirabili cacodæmonis aſtu: quid enim detrimenti ex hac una criminatione, quam multi imis præcordiis conditam tenent, ad Rempublicam Chriſtianam non emanat? Si de ulla calumnia verè aſſeritur, quod Græcus auctor ſcriptum reliquit, id de hac veriſſimè affirmatur. πολλῶν κακῶν ὁ βίος ἐπλήσθη, ὑπὸ τῶν ὅτω ῥᾳδίως καὶ ἀνεξετάσως πεπιστευμένων διαβολῶν. *Multis cladibus vita humana repleta eſt ob calumnias tam facilè & ſine ulla diſcuſſione creditas.* G

Nunc gradum facis ad quartum caput, H in quo refellitur prima calumnia, quæ eſt, *Jeſuitas eſſe Hiſpanos*, hoc eſt, *omnia agere eo conſilio, ut Hiſpanicum Imperium propagent & amplificent. Notum eſt*, inquit Miſenus, *toti orbi Chriſtiano, Jeſuitas hoc unicè agere, ut Monarchiam tam in Eccleſia, quàm in Republica conſtituant: ſecutos neſcio quorum Politicorum arguta conſilia, negantium, res Chriſtianorum poſſe conſiſtere, niſi utrumque fiat.* Ad Eccleſiaſticam Monarchiam, quod attinet, non nego nos optare, & pro viribus noſtris etiam eniti, ut fiat id, quod Chriſtus futurum promiſit; *unus* videlicet *paſtor, & unum ovile.* Cùm enim unus duntaxat Deus ſit, una fides, unum baptiſma, una Eccle-

A Ecclesia; necesse est, ut sit etiam universalis quidam in hac Ecclesiastica Monarchia Princeps, qui cæteris omnibus præsideat & emineat. Quod ad Politicam Monarchiam spectat, oportet, Simo, ut ex libris Jesuitarum testimonium proferas, quo demonstres, Jesuitas ad hoc unicè incumbere, ut omnia imperia & principatus in unum conflentur, & quidem in Hispanicum. Tu dicis, hoc *non esse obscurum.* At ego viciſſim dico, nemini esse obscurum; te Lithum Misenum, hoc est, vanum & mendacem esse. A qua macula te nunquam expedies, nisi quod asseris, idoneo argumento probes. Sed probationis securus calumnias

B Theocrit. consectaris. ἀ αὖξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει, ὁ γέρανος τῶροτρον, meus Lithus convicia & commenta, quæ à priscis Hæreticis didicit, ab Arianis, inquam,

S. Athan. Apolog. ad Constant. ut alios præteream. Nam Ariani objiciebant S. Athanasio, quòd potiùs Constanti, quàm Constantio faveret, omnésque Constantii provincias Constanti subjicere cogitaret, amans & observans Constantis, negligens Constantii. Qua fide hac calumnia Ariani appetebant S. Athanasium, eadem nos Hispanicæ duntaxat Monarchiæ fautores & propugnatores esse Calviniani clamant, fide scilicet Hæretica, Ariana & Calviniana: quibus pulchrè inter se convenit: si minùs in aliis, certè in criminationum

C In act. S. Maximi. fœcunditate & opulentia. Quod Ariani cum S. Athanasio, hoc egerunt Monotheliræ cum S. Maximo, Catholicæ fidei, ævo suo, propugnatore fortissimo, & doctissimo, *Cur odisti Imperatorem?* ajebat calumniatorum quidam: *ex iis, quæ feciſti, omnibus apparuit, te & Imperatorem odisse, & urbem ejus. Tu enim solus Ægyptum, & Alexandriam, & Pentapolim, & Tripolim, & Africam, Saracenis prodidisti.* Cupidè utuntur hac calumnia criminatores, quia probè compertum habent: Regum & Principum auribus nihil esse injucundius, quàm si quem regni sui audiant esse hostem & proditorem.

D Probant nostri, se regni Gallicani amantes esse, quòd natura & origine Galli sint, omnibus autem ipsa natura natalis soli peculiarem amorem inseverit. Ubi Misenus: *Etiam Catilina Romanus erat, ùt & Antonius, uterque tamen patriam oderat.* Arguta enstasis. Cui minus argutiarum fuisset, si verba Apologiæ non detruncâsses. Nostri enim dicunt, & multis rationibus ostendunt, se veros & germanos Gallos esse, non modò ortu, sed & animo. Doce tu aut Catilinam, aut Antonium ortu & animo Romanos fuisse; aut nostros in Gallia natos, animo; hoc est, pietate & benevolentia in patriam, Gallos non fuisse: & tum forsan non dices nihil. Beza, Calvinus, & similes turbines Galli fuêre, E
ùt Catilina & Antonius Romani, sanguine, non mente; Nihil enim potius duxerunt, quàm ruinam Orthodoxæ Galliæ, & fidei, virtutísque, qua jam ab antiquissimis temporibus Regnum Gallicanum enituerat.

In quinto, inquis, *capite, mirificè linguam versant.* Ita tu, homo, instar rotæ figulinæ versatilis. Verus Sinon, fidens animi, in utrumque paratus seu versare dolos, seu crimina spargere falsa. *Nolunt*, F
inquis, *injustitiæ Curiam Parisiensem insimulare.* Quid in hoc modestiæ & moderationis legibus repugnans Misene? *Et tamen audent*, inquis, *affirmare, Regem malè fuisse informatum; & suam innocentiam inviolatam adhuc perstare.* Nihil Apologia de Rege, sed de Curia. Verùm tibi perinde est, quidquid dicas; nunquam enim à proposita meta aberras, sive hoc, sive illud dicas. Sed sive de Rege, sive de curia sermo sit; cur non auderent nostri publicè affirmare; Curiam fuisse malè informatam, suámque innocentiam integram adhuc perstare? Quibus enim testibus convicti sunt criminum, quorum ab hostibus nostri Ordinis insimulabantur? An nunquam accidit, ut ex informatione non satis accurata, pronunciaretur sententia, à qua damnati appellarent, contrariúmque sese demonstraturos promitterent; etiam G
apud ipsos judices, qui sententiam tulerant; ùt & nostri faciunt, qui à Curia Parisiensi, non ad aliam, sed ad ipsam Parisiensem Curiam provocant; aut si etiam ad aliam; non nisi volente & lubente principe illa Parisiensi. Accidit hoc in omni foro & tribunali, ut interdum ferantur sententiæ, quæ, re meliùs perspecta, rescinduntur & retractantur; ita ut, qui priùs fuerat victor, discedat postea victus; *magis enim veritas elucet, quò sæpius ad manum venit*, ùt dixit rectè Seneca. To- Sen. lib. 2. de ira, cap. 27.
ties Spiram venis, & hoc ignoras? maximè verò belli aut publici tumultus tempore hoc usuvenire consuevit; quando studia partium, & odia magis gliscunt, & sese exserunt; potentiórque infirmiorem auctoritate sua etiam apud recti amantissimos judices facilè opprimit; tunc enim existit πολὺς μὲν ὁ Φθόνος, μυρίαι δὲ ὑπόνοιαι, πάμπολλαι δὲ κολακειῶν καὶ διαβολῶν ὑποθέσεις, ùt ait scriptor ille, qui calumniæ naturam multò meliùs stylo, quàm olim Apelles penicillo depinxit.

Pergo, inquis, *ad caput sextum.* Pergam H
& ego tecum, in quo probant nostri, Religiosos Societatis non esse hostes Reipublicæ; & crimen illud refutant primùm totius orbis consensu, deinde ratione. Quid

A Miſenus? *Refutationis vim non intelligo.* Credo, quia nihil, quod rectum, honeſtúmque ſit, intelligis; Si non intelligis, cur calumniaris? Nec ideo, quia tu vim refutationis non intelligis, alii eam non intelligunt, niſi fortè à tua intelligentia, aliorum intelligentia dependeat, ùt lux lunæ à luce ſolis, ut niſi tu priùs intelligas, nemo mortalium quidquam intelligat.

B Collegia toto orbe condita enumerant noſtri, ut probent, judicium totius Chriſtiani orbis contrarium eſſe judicio illorum adverſariorum, qui vociferantur, nos regni Gallicani hoſtes eſſe. Si enim aliorum regnorum hoſtes non ſunt Jeſuitæ, qui in illis Regnis degunt, cur ſoli Galli ea eſſent perverſitate, ut ampliſſimum illud & potentiſſimum Regnum odio proſequerentur, perditúmque cuperent? Sed ais: *Regna, in quibus ſedes fiximus, aut eſſe Hiſpanis ſubjecta; aut cum Hiſpanis fœdere ac religionis ratione conjuncta.* Si conjunctio cum Hiſpanis ob religionem facit, ut amemus & conſervata velimus illa regna, quæ Hiſpanis alioquin non ſunt ſubdita; neceſſe eſt, ut Galliam quoque æquè amemus, ejúsque quietem & commoda procuremus, ac Regna Germaniæ & Poloniæ; quia Gallia cum Hiſpanis, tam religione Catholica jungitur, quàm Germania aut Polonia: imò magis, cùm pleraque Gallia ſit Catholicæ religionis retinentiſſima; non autem pleraque Germania.

C At quòd in Africa & Ægypto nulla viſuntur Jeſuitarum Collegia, cauſa non eſt, quòd dominatus Hiſpanicus eò non pertineat (nam & in Polonia & Germania non dominantur Hiſpani, nec in Aquitania, nec in Veneta ditione, & tamen ampliſſima in his locis viſuntur Collegia) ſed quia Ægyptii, & Afri, cum Hiſpanis non junguntur religione, hoc eſt, quia Chriſtum & Catholicam religionem repudiant. Quæ item ratio eſt, cur nulla Collegia iis in Provinciis appareant, quæ totæ Calvinum aut Lutherum ſequuntur. Idcirco ùt Ægyptum & Africam, ita & Lutheranas Calvinianásque ditiones non incolimus; ſed obimus tantùm, quando id ſalus proximi exigit. Ex Tranſylvania opera Hæreticorum noſtros fuiſſe expulſos, non ignoro; ſed cùm expulſos commemoras, cur taces revocatos? Nec tam ejectio fuit illis ignominioſa, quàm revocatio glorioſa.

D Rides, quæ vulgo à noſtris de Indorum & Japonum converſione feruntur & publicantur. *O egregios Apoſtolos*, exclamat Miſenus, *unum atque alterum in Japonia & Braſilia ad ſuam ſuperſtitionem alliciunt, interim multa millia Chriſtianorum in Europa vel comburunt, vel aliis rationibus è medio tollunt.* Subit memoriæ illud Epicteti: *Si corvus inauſpicatum crocitârit, ne te imaginatio corripiat; ſed ſtatim tecum ipſe dijudica, & dic: Nihil mihi hæc ſignificant; imò mihi omnia proſpera ſignificant, ſi voluero. Quidquid enim horum incidat, in me eſt, ut ex iis utilitatem capiam.* Monitum hoc Epicteti ſequor, quoties tu roſtrum tuum in crocitus, hoc eſt, in calumnias reſolvis: nam nihil inauſpicatum portendunt; ſed fauſtiſſima quæque. *Beati eſtis*, inquit Dominus, *cùm maledixerint vobis*; hoc eſt, cùm corvi iſti Calviniani crocitare incœperint, *& cùm ſeparaverint, & & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter filium hominis; Gaudete in illa die, & exultate; Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo: ſecundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum:* Potiùs dolendum eſſet, ſi fauſtum carmen nycticoraces occinerent: *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines*, ait Dominus, *ſecundùm hæc enim faciebant Pſeudoprophetis patres eorum.* Quia cùm maledictis nos inſectantur; ſperare licet, nos ex eorum numero eſſe, quibus hoc eventurum Dominus prædixit; ſicut viciſſim, ſi benedictis nos proſequerentur, quid niſi pſeudoprophetæ & ſeductores eſſemus? quia ſimiles illis eſſemus.

Epict. Enchir. cap. 24.

Lucæ 6.

G Cæterùm ſi multa millia hominum, qui in Braſilia & Japonia ad fidem traducti; tibi tantùm ſunt unus aut alter, quis tandem numerus apud te non erit unus aut alter; ſed numerus verè numeroſus? *Unum*, inquit, *aut alterum.* Nimia μείωσις & ταπείνωσις Miſene. Hac tua nimis aperta criminandi libidine ipſe tuæ cauſæ officis: nam calumnia fuco aliquo ſimilitudinis tingenda eſt, ut in animos audientium illabatur: Appoſitè calumniari, inquit Lucianus; ὃ μικρὸν, οὐδὲ ἁπλῶν ἐϛι, ὡς ἄν τις ὑπολάβοι, ἀλλὰ πολλῆς μὲν τέχνης, οὐκ ὀλίγης δὲ ἀγχινοίας, ἀκριβοῦς δὲ ἐπιμελείας δεόμενον, *non eſt proclive quiddam & ſimplex, ut quis fortè ſibi perſuaſerit; ſed multa arte: multa ſolertia, & accurata cura eget. Neque enim tantum obeſſet calumnia; ſi non aliquid probabilitatis adjunctum haberet; neque veritatem omnibus potentiorem deprimeret: ſi non perſuadendi vim & veriſimilitudinem, & id genus alias illecebras auditoribus ineſcandis aptas complecteretur.* Cùm igitur, Lithe, nobis quàm plurimum damni afferre & inferre totis viribus contendas, inſipienter admodum agis, quando tam nudè & ſimpliciter, & non modò inurbanè, ſed & ruſticè calumniaris. Quis enim tibi aſſentietur; cùm unum, aut alterum, aut parvulos quosdam in Braſilia ad Chriſtum, ſtudio noſtrorum, adjunctos, & infinitos in Europa Chriſtianos trucidatos vociferaris? An tuos lectores putas eſſe Lithos, ut Litho hæc blateranti ſtatim aſſentiri debeant, quos

quos tu fortè ad assensum attrahis, eo modo, quo magnes trahit ferrum?

A Relationem historicam de crucifixione quorundam ex Ordine nostro, & D. Franciſci, te legisse, te quoque indice, intelligo. Sed quo fructu legisti? *Vix*, inquis, *sine risu recordor; quæ nuper adeò Moguntiæ de rebus Japonicis edita fuêre.* Jam sæpe testatus sum; me nunquam proniùs verbis tuis assentiri, quàm quando talia de te ipse narras. *Vix risum teneo*, inquis. Rectè, quia animal γελοῖον *seu* γελάσικὸν, & καταγελασικὸν es, & non ὑπὸ τῇ λεοντῇ, sed sub pelle humana γελοῖόν τινα πίθηκον περισέλλεις. semper rides, & omnia irrides. Hîc tamen præcipuè materiam risus invenisti, B non enim potuit tibi non summam voluptatem & lætitiam parere, Jesuitas & Monachos crucifixos, si non oculis, animo certè contemplari. Hinc risus ex tam grato & jucundo spectaculo; & fortassis tale votum, quale erat illius Philosophi, qui, visa muliere ex arbore pendula, optabat, ut omnes arbores hujusmodi fructus ferrent. Nec ambigo, quin tuo quoque horto desideres, saltem furculum ejus arboris, quæ tibi tam gratos sapidósque fructus submittit; ut in arborem adolescat, téque tam læto proventu beet.

C *De glorioſa*, inquis, *morte 26. crucifixorum* διήγησιν, *legat mihi aliquis saltem aliquid Christiani habens & animi, & judicii. Faxo, dicet, se nihil vel vidisse, vel legisse putidius & vanius.* Utinam relationem illam omnes legant, qui aliquid Christiani animi & judicii habent. Christiani, inquam, à Christo Domino, non Christiani à Litho; qui & ipse Christianus appellatur, sed per antiphrasin: sicut Furiæ, Eumenides. *Faxo dicet*, inquis. Quid facies? An tibi potestas immutandi mentes hominum, sicut veneficis corpora? Quibus incantamentis hoc efficies, ut, seu velint, seu nolint lectores, dicant se nihil vel vidisse, vel legisse putidius & vanius? cur tam audacter, tanquam φαρμακεὺς aut pharmaceutria clamas: *faxo, dicet;* retrò flumina vertam; & lunam de cœlo devocabo. Quàm magna potentia tua, Misene, fili Medeæ?

D Addis insuper, te persuasurum lectori; *ut credat, Franciscanos, ùt æmulos, impulsu Jesuitarum, in crucem actos.* Sed qua arte hoc effectum dabis, cùm ex ipsis Jesuitis aliqui eodem supplicio sint affecti? An putas, ullum fore tam lividum, ut dicat; *Peream, dum pereant; crucifigar, dum crucifigantur.* Hîc iterum destituit te calumniandi artificium: etsi non voluntas. Quæ enim in hac calumnia probabilitas? cùm Jesuitæ eo tempore, gravi tyrannide ipsimet pressi, vix usquam tutò consistere pos- E sent; eadémque procella nonnulli ex ipsis implicati, & eodem, quo Franciscani, mortis genere sublati fuerint.

Miracula quædam eidem narrationi in- F serta, in fabulis numeras; nullo alio jure aut argumento; quàm quia non lubet credere. Et tamen Calvinistæ libros scribunt & publicant, *de strumis in Anglia curatis;* Guliel. Tomnímque ope adnituntur, ut assensum à ock. nobis obtineant: miracula enim perpetuò in Ecclesia Dei vigere. Cùm verò nos quidpiam vel Crucifixi, vel Deiparæ, vel alterius cœlitis imagine, vel alia quapiam re sacra; supra naturæ vires gestum referimus: omnis assensus apud animos vestros vacillat, imò planè nullus est; nec quidquam à vobis extorqueri potest, nisi illud vestrum, *Nego; non credo; non credam, non si mihi Juppiter auctor spondeat.* Idem faciebat tuus Celsus. Plurima commemorabat miraculi speciem præ se ferentia, patrata apud suos; iísque sine ulla hæsitatione fidem adhiberi volebat; repudiatis interim omnibus illis verè miraculis, quæ vel Judaicis vel Christianis monumentis consignata erant. In quem Origenes ista: *Nescio, quî fit, ut* Orig. lib. 8. *Celsus hæc, tanquam confessa, in medium pro-* cont. Cels. *ferat; in nostras verò litteras relata miracula, sive Judaica, sive de JESU, ejúsque discipulis prodita, habeat pro fabulis. Quin potiùs nostra vera sunt, quæ verò Celsus adfert, fictitia; quando ea non credunt etiam Græcorum philosophi* (Calvinistæ) *præsertim qui sectantur Democritum, Epicurum, Aristotelem, forsan crediturì nostris auctoribus, si incidissent in Moysen, aut Prophetarum alicujus, vel ipsius JESU miracula.*

Quia verò subsannas illud de matrona, G quæ precibus diuturnam sterilitatem depulit, instar Annæ, quæ Samuelem tulit: au- Orig. loco di, quid de hoc ipso argumento tractans citato. Origenes contra tuum Celsum scribat: *Quòd si de prole votis expetita dicendum est: invenimus factos patres ac matres, invocato rerum conditoris numine.* Cujusmodi exempla continet tum divinitus tradita historia, tum Ecclesiastica, præsertim illa, cujus auctor Theodoretus: cui titulus, *historia Religiosa.*

Numerum Jesuiticorum Collegiorum nun- H *quam miratus sum*, inquit Misenus. Et cur miratus non sit, acutas profectò rationes reddit: *quia Jesuitæ sunt otiosi; lautas habent culinas, honores & dignitates sperant, quæ omnia omnibus sunt gratissima: non ergo mirum, si per totum terrarum orbem Jesuitarum domicilia sint dispersa.* Longè rectiùs concluderes affirmativè: ergo mirum, Jesuitarum domicilia toto terrarum orbe dispersa esse. Nam si Ordo noster otium, & alia, quæ memo-

A memoras, sectaretur, nunquam futurum fuisset, ut à tot, támque diversis Rebus-publicis & civitatibus advocaretur, erectísque tot domiciliis amplificaretur: Quæ enim Respublica otiosos aliunde accersit, cùm quælibet domi suæ satis grandem proventum alat eorum, qui beatam vitam in otio collocant. Nec necesse est, ut peregrini adducantur, qui deliciis vacent, & honores ambiant; quia nunquam desunt cives, qui & delitiis diffluere, & honori-

B bus insigniri optent. Ergo non otii, sed laboris, non voluptatum & dignitatum, sed religiosarum actionum & exercitationum causa vocamur, ubicunque sedem fixum est, quàm otio, ùt nôrunt omnes, qui res nostras propiùs nôrunt. Nec ignorat iste Calvinista, sed videri vult ignorare, ne calumniandi occasio prætervolet.

C In Ordine nostro viget illud Apostolicum: *Qui non laborat*, dum vires vigent, *non manducet*. De Gymnosophistis Indis pulchrè scriptor Africanus. *Nec quidquam æquè pepepigerunt illos, quàm quòd torporem animi & otium oderunt. Igitur ubi mensa posita, priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerint. Hîc alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis reddidisse. Itidem alius, se parentibus quidpiam imperantibus obedisse: & alius aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse: Denique cæterì commemorant. Qui nihil habet adferre, cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.* Hæc ille; quæ recensui, quia & apùd nos tam otium proscriptum est, quàm olim apud illos; & tam nobis invisi & intolerandi sunt otiosi, quàm olim illis.

D Nunc septimum Apologiæ caput insectaris. Ais: *formulam jurisjurandi, qua Pontifici obligati sumus, non semper pati nos id exequi, quod legibus divinis & humanis justum & honestum est.* Cæterùm si tu faceres id, quod legibus divinis & humanis justum & honestum est, nunquam hoc, quod scribis, scripsisses: quia nec divinis nec humanis legibus, justum & honestum est mentiri, & calumniari, quod tu hîc facis. Pulchrè S. Gregorius Nazianzenus: τὰ ὄντα φάσκειν, ὡς ἔχει, ἀληθεία, ὡς δ' ἂν ἔχει ψεῦδος. *Rem dicere, ùt est, veritas est: dicere, ùt non est; mendacium est.* Dispice ergo Lithe, quid facias, cùm hoc posterius facias. Quæ enim illa formula jurisjurandi, qua Pontifici obligamur ad ea etiam peragenda, quæ divinis & humanis legibus sunt impermissa? Ede illius formulæ concepta verba, alioqui periclitaberis, ne id, quod tibi de existima- E
tione boni viri supersit (quanquam modicum supersit) penitus amittas, irrecuperabili damno. Nemo bonus, nedum Religiosus, obediret Pontifici aliquid contra divina decreta præcipienti. Quòd si Pontifici politicæ quædam controversiæ cum Rege quopiam aut Principe intercederent, tum nos & alii nobiscum Religiosæ vitæ professores, vocationis nostræ memores, Deum precaremur, ut contentiones sedaret, concordiam reduceret, eúmque, cui jus & æquum favet, defenderet. In quo nihil à professione religiosa alienum committeretur.

Quòd ais: *Germaniam habuisse olim multos perjuros clericos.* Existimo eam hac hora, F
longè plures alere & fovere perjuros Hæreticos, quàm habuerit & aluerit perjuros Clericos, omnibus illis ætatibus, quæ hanc nostram antecesserunt. *Hæreticos*, inquam, *qui nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt; sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est, Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.* Controversiarum inter Pontifices & quosdam Imperatores, superioribus sæculis, de quibus tu hîc extra propositum argumentum, nemo me constituit arbitrum, aut cognitorem, aut judicem. Quare non est, quòd à me aliquid exspectes hoc loco, ubi Gallicanam Apologiam à tuis imposturis vindicandam suscepi.

Mox Calviniana modestia appellas Ro- G
mam, *meretricem Babylonicam*; quod perinde est, ac si Helena aut Clytemnestra vocaret Penelopen adulteram: aut Herodias turpitudinis accusaret Annam illam viduam, *quæ non discedebat à templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Verùm hic mos est ex hæresi, hoc est, ex lasciva meretrice proseminatis: (nam si idololatriam fornicationi, & idololatras fornicatoribus divina scriptura passim comparat; licebit & hæresin, Idololatriæ sororem, fornicatricem, & Hæreticos fornicatores appellare) omnia impudicitiæ probra in alios congerunt, ne ipsi videantur esse id, quod sunt; eáque genitrice prognati, qua prognati sunt. Quis enim, si rem penitiùs non perpendat, furem arbitretur illum, qui alterum furem esse clamitat? Quis prostibulum, quæ alteri vulgatum corpus exprobrat? Sed prudentiores non latet hoc artificium: Nôrunt illud, quod sapienter à Lucio scriptum: καὶ ἐνίοτε οἷς αὐτοῖς τις ἔνοχός ἐσι ταυτὶ φθάσας κατηγόρησε τῶ πλησίον, ἐκφυγεῖν ὅτω πειρώμενος τὴν διαβολήν. *Aliquando de iis, quorum ipsimet rei sunt, proximum accusant, ne ipsi accusentur.*

De amore nostro in Reges & Principes H
sic habeto: nos non tantùm colere & ob-
ser-

A ſervare illos : quos filiorum loco duxit Pontifex; ſed & alios quoſcunque, qui ſceptra legitimè adepti ſunt: *Omnis enim poteſtas à Deo eſt.* At ſi Pontifex aliquem ob hæreſin à regno arceat, ne ſubditos in Hæreſin inducat, tum liberè fateor, nos noſtrum judicium ad Pontificis judicium aggregare, ſatiúsque reputare, ut Catholica religio ſarta tecta præſtetur, quàm ut evertatur: ſicut plerumque everti ſolet à
B Principibus, ſi aut Calvinum aut Lutherum ſequantur. Et hoc reſpectu, non ullo alio, oppoſuerunt ſe noſtri, & infiniti alii, omnis dignitatis & conditionis in Gallia Henrico IV. cùm adhuc cum Eccleſia in gratiam non rediiſſet, relicta hæreſi; cui poſtquam valedixit, profeſſionémque fidei edidit, Chriſtianiſſimus Rex ſalutatus, & ùt talis, tam à Pontifice, quàm ab aliis, qui Pontificem, ùt Chriſti vicarium obſervant, honoratus eſt. Quòd autem quivis, quem cura religionis tangit, fidem avitam ſalvam & integram, omnibus impedimentis amotis cupit, quid mirum? cogita, Miſene, quid tui factitare ſoleant, cùm periculum eſt, ne ſuccedat Orthodoxus, non dico, in Calvinianum aut Lutheranum quem-
C piam Principatum; ſed vel in obſcurum & ignobilem pagum. Quid non moliuntur? quid inauſum & intentatum relinquunt? ſi machinis & cuniculis verborum nihil efficiant; ad arma convolant, nec priùs deſiſtunt, quàm aut depulerint eum, à quo Hæreſi metuebant, aut in ſuam perfidiam pertraxerint. Exemplum integri regni recens & nuperum ſuppeditat nobis Suecia, & jam antea ſuppeditârat Scotia, ut de aliis regionibus nihil dicam. Minora exempla quotidie in oculos noſtros incurrunt. Si hoc vobis licere vultis pro veſtra ſecta, liceat quoque Catholicis nonnihil pro ſacroſancta religione ſua. *Nonnihil*, inquam; tantum enim non cupiunt ſibi licere, quantum vobis illicitè, divinis & humanis legi-
D bus invitis, arrogatis.

Perventum ad caput octavum, quo oſtenditur, Religioſos Societatis non eſſe ſpeciales hoſtes Chriſtianiſſimi Regis Henrici IV. Implorant noſtri miſericordiam Regis. Miſenus ex Syro. *Mala cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.* Hoc mimo Publiano mirificè illuſtrabis Apologias pro Chriſtianis, Tertulliani, Athenagoræ, Juſtini, & aliorum, qui miſericordiam Imperatorum implorant, ut ceſſent ab infectatione & exagitatione Chriſtianorum. *Mala*, dices, *cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.* Cauſa Chriſtianorum requirit miſericordiam; ſi enim non requireret, modò nominati ſcriptores eam non flagitarent: ergo Chriſtianorum cauſa mala eſt. Quaſi verò innocens, ſi calumniis opprimatur, miſericordiam ſine jactura bonæ cauſæ, implorare nequeat. Suſanna in extremum capitis diſcrimen adducta, judicio tuo, ex cauſa bona effeciſſet malam, ſi ullius hominis miſericordiam implorâſſet. E

Societas noſtra, ait Apologia, Reges honorat. *Concedo*, inquit Miſenus, *ſed eos intelligo, quos Reges agnoſcit Pontifex Romanus, & pro primogenitis habet Eccleſiæ Romanæ filiis.* Et hos, Miſene, & alios, quicunque ſceptra Regalia legitimè obtinent; omnibus enim debemus honorem & obſervantiam: Quocirca omnibus hoc honoris & reverentiæ quaſi tributum libenter pendimus. Quòd verò Princeps Catholicus nobis non ſit gratior, quàm Hæreticus; aut quòd non malimus, ut in regnum aliquod ſubſtituatur Princeps Catholicus, quàm Lutheranus aut Calvinianus; id ſi dicerem, Miſenus eſſem; abſit autem à me, ut Miſenum, novum Celſum, induam. Sed hoc tu nobis non magis vitio vertere potes, quàm tibi, cui gratior eſt Princeps Calvinianus, quàm Catholicus: & gratior ſucceſſio Calviniani, quàm Orthodoxi.

F Schatelium, qui nefarium illud in Regem Chriſtianiſſimum parricidium tentavit, nominas *Jeſuitaſtrum.* Nec ſatis aſſequor, quid tibi velis hoc novo convicio. Aut enim vis Schatelium fuiſſe Jeſuitam, & tum tota Gallia, & ante omnes ipſa Lutetia, mendacii te arguet: aut fuiſſe Jeſuitarum diſcipulum: ſed tunc primò admirari lubet tuæ linguæ petulantiam; quæ non ſatis habet conviciari per nota vocabula; ſed inſuper nova & incognita cudit, ut odium, quo pectus flagrat, eò luculentiùs expromat. Si diſcipulos tuos nominarem *Miſenaſtros*, quis hominum me intelligeret? Deinde, ſi per *Jeſuitaſtrum* intelligis Jeſuitarum diſcipulum, refutâſſe debebas hoc loco, vel libro primo tui reſponſi, ea, quæ copioſè de hac ipſa calumnia libro primo Apologiæ meæ diſſerueram; quæ non repeto; cùm tu refelleris, refutationem tuam refutare minimè cunctabor.

G Ais, *nos omnia exequi promptos & faciles, quæ Pontifex jubeat, licèt cum extrema impietate conjuncta ſint.* Hoc tuum mendacium annumeretur cæteris, iísque innumeris. Ego plura non dico, quia mendacia profers non latentia, ſed vel cæco patentia. Quid opus verbis, ubi calumnia ipſa ſeſe prodit? Scribit is, quem jam ſæpiùs laudavi teſtem, Lucianus, optimus calumniæ pictor, in hæc verba: ἐχθρὸν ἂν ἰδεῖς ἂν τολμήσειε διαβάλλειν. ἄπιστος γὰρ αὐτόθι ἡ κατηγορία, πρόδηλον ἔχουσα τὴν αἰτίαν. *Inimicum calumniari nemo auſit; nam talis calumnia nullam meretur fidem; quippe cujus cauſa in propatulo ſit.* Si jam, qui hæc ſcripſit, ab inferis exſiſteret; neceſſe eſſet, H

A ut ſtylum verteret, & calumniam, quantumvis ab hoſte profectam, probabilem aſſeveraret: Videret enim Miſenum, nomiſ nis noſtri inimiciſſimum, audaciſſimè calumniari, ſumma ſpe perſuadendi. Qua fiducia non modò in nos, ſed in Pontificem largiter convicia fundit: ùt, cùm ait: *Papam de injuſtitia facere poſſe juſtitiam, corrigendo jura vel mutando; quódque approbare vel reprobare omnes debeant, quidquid Papa vel approbat vel reprobat.* Pontifex non aliter facere poteſt de injuſtitia juſtitiam; aut vice verſa; quàm Juſtinianus, aut alius legis- B lator humanus. Nam ſi legem quampiam legislatores ferant, fieri poteſt, ut id, quod antea fuerat juſtum & licitum; efficiatur poſt legem, injuſtum & illicitum; ideò tantùm, quia jam eſt prohibitum. Ex injuſtitia ſimiliter facere poſſunt juſtitiam, non quidem in materia legis divinæ aut naturalis; ſed humanæ. nam quod facere injuſtum eſt, dum lex viget, robúrque ſuum obtinet: id juſtum erit & licitum vel omnibus; ſi lex penitus aboleatur: vel aliquibus; ſi legislator nonnullos per diſpenſationem, ab obligatione legis eximat.

C Nec abſolutè verum eſt, oportere, ut omnes probent, quidquid probat vel improbat Pontifex. Etſi enim hoc de quæſtionibus fidei verum eſt; quandoquidem nihil unquam, ùt Chriſti vicarius, probabit, niſi quod verum eſt; nec quidquam improbabit, niſi quod falſum eſt; tamen non eſt verum de conſiliis, & factis, & conſtitutionibus particularibus Pontificum, quæ non ad fidem, ſed potiùs ad mores & politiam pertinent: in his enim, ſalva fide, licet aliquando diſſentire à Pontifice: imò integræ regiones à judicio illius diſſentiunt, cùm conſtitutiones ab illo latas non recipiunt. Ipſe enim quatenus legislator, non tollit illam communem omnibus legibus conditionem, quæ eſt, ut acceptentur à communitate. Itaque Calvinianus fucus eſt, cùm ais: *ab omnibus approbandum, aut improbandum eſſe, quidquid ulla in re, etiam nihil ad fidei myſteria, ſpectante, à Pontifice approbatur vel improbatur.*

D In capite nono oſtenditur, Religioſos Societatis non fuiſſe Schatelio auctores, ut parricidium in Regem ſuſciperet. Primum argumentum adverſariorum fatetur Miſenus, *non eſſe apodicticum.* Et eſt hoc; *Schatelius litteris operam dedit in Jeſuitarum ſcholis: ergo in illis malefacere didicit.* Verùm Miſenus imbecillitatem hujus argumenti fulcire nititur, hoc modo: *Schatelius operam dedit literis, in Jeſuitarum ſcholis, in quibus tum temporis, frequenter agitata fuit illa quæſtio: an liceat Regem Hæreticum, vel qui in ſuo regno ferat Hæreticos, privato occidere: potuit enim fieri, ut argumenta in partem affirmantem allata, viſa fuerint Schatelio firmiora, quàm quæ in negantem.* Hujus conſecutionis formam & modum colligat ille, qui informia & modi omnis expertia colligere poteſt: ego hîc fateor meam imbecillitatem: nec ullam argumentationem, ſed meram inſcitiam video; quócunque tandem oculos convertam. Nam ſi ita argumenteris. Jeſuitæ crebrò diſputabant de quæſtione, an liceat Hæreticum, vel qui in regno ſuo Hæreticos ferat, privato occidere: ergo affirmativa pars viſa eſt Schatelio probabilior: quo, quæſo, vel in ſpeciem probabili argumento hanc conſequentiam probabis? An reſidebas in mente Schatelii; ita, ut quid probabilius judicaret, coram intuereris? Si ex eventu ipſo conſecutionem tuam probare velis; occinam tibi tuum illud: *Careat ſucceſſibus oro, quiſquis ab eventu facta notanda putat.* Nam unde tibi compertum, Schatelium hanc mentem ex illis diſputationibus hauſiſſe: præſertim cùm Profeſſores, partem falſam, validiſſimè, magnóque argumentorum & verborum pondere refellere ſoleant. Deinde in Antecedente non F es, niſi qui es; nimirum Lithus Miſenus, & cùm Lithum Miſenum nomino, omnium conviciorum & mendaciorum ſacciperium nomino. Nego, aut unquam, aut frequenter in ſcholis illis, quarum diſcipulus erat Schatelius, agitatam illam quæſtionem: *An liceat Regem Hæreticum, vel, qui in regno ſuo ferat Hæreticos, privato occidere.* Tu undénam commento tuo probationem arceſſes, ne primo ſtatim ortu concidat? In Philoſophia enim, Logica, inquam, Phyſica, & Metaphyſica, cujus auditor fuerat Schatelius, nuſquam G hæc quæſtio enodanda ſuſcipitur. Ethici & Theologi diſputant; *Utrum Tyrannus poſſit à privato occidi;* ſed nec Theologiæ auditor fuit Schatelius, nec fortaſſis Ethicorum: & ut maximè fuiſſet; falſum tamen eſſet, quod tu impudenter aſſeris, quæſtionem illam frequenter in noſtris ſcholis agitari, aut agitatam eſſe: Nam ùt à te propoſitum, nunquam tractatur, aut nomina mihi Profeſſorem Philoſophiæ moralis aut Theologiæ, qui propoſuerit & explicârit in Gallia hanc quæſtionem *An liceat Regem Hæreticum, vel qui in regno ſuo ferat Hæreticos, privato occidere.* Nomina, inquam, Profeſſorem, qui hanc quæſtionem tractârit; & ut te à mendacio liberes, qui *frequenter*, ùt ais, hanc quæſtionem agitârit; & quidem Pariſiis, eo tempore, quo pax nondum plenè reducta: nec omnis ex H omnium animis exemptus ſcrupulus. Solet quidem de Tyranno proponi quæſtio, at non *frequenter*; ùt tu, & alii Prædicantes mentiuntur. Verùm tum, cùm Theologi de homicidio apud S. Thomam diſputant;

aut

A aut cùm Philoſophi morales octavum Ethicorum, aut tertium quintúmve Politicorum interpretantur. Quod non fit, apud Theologos præſertim, niſi aliquot annorum ſpatio evoluto aut revoluto.

B Ais. *De Regibus Hæreticis veſtras concluſiones equidem legere optârim.* Fortè leges aliquando. Et quid ſi legas? An non idem Miſenus eris, qui modò es? An non abſque modo calumniaberis; & procaci tuæ linguæ fræna ad vaniloquentiam laxabis?

C Nunc decimum Apologiæ caput invadis; in quo demonſtratur noſtrorum innocentia, ipſius Schatelii confeſſione, qui ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè confeſſus eſt, noſtros totius hujus machinationis fuiſſe inſcios. Quid Miſenus? *Hoc argumentum tam firmum non eſt, ùt fortaſſis Apologia cenſet:* Ut apud te firmum non ſit, cui nil firmum, niſi mendacium: apud alios certè firmiſſimum meritò judicabitur: quî enim fieri potuiſſet, ut tantis partim blanditiis, partim tormentis non elicerentur ex animo Schatelii, conſcii; ſi qui conſcii fuiſſent? Nam nec *fortitudo ejus erat fortitudo lapidum;* nec *caro ejus ænea;* quòd enim aliqui, quamvis immania ſupplicia perpeſſi, conſcios non prodiderunt, ùt tu objicis, id calumniam tuam nil juvat, neque argumenta Apologiæ infirmat; non enim ſequitur: *Aliqui fuêre tales, ergo & Schatelius.* Nam longè plures reperias, qui & extra & intra quæſtiones patefecerunt conſcios; imò & non conſcios, quaſi fuiſſent conſcii, mendaciis ſuis ſæpe in extremum vitæ diſcrimen conjecerunt. Cùm ergo Schatelius noſtros nec verè, quia verè non poterat; nec falsò, quod propter cruciatus poterat, quaſi conſcios accuſârit; nimis impotens es calumniator & barbarus cum tua ſuſpicione, quaſi id à Schatelio non ſit factum veritatis amore; ſed fiducia corporis & animi roborei, vel potiùs ferrei; verùm ἀκέρδεια λέλογχε θαμινὰ καπηγόρως, inquit Pindarus. *Calumniatores nihil proficiunt; inanem operam ludunt*, cùm tam impudenter habenas impuro ori laxant.

D Hoc eodem capite convertit Apologia orationem ad columnam marmoream, eámque quaſi vivam alloquitur. *Ridiculum eſt hoc*, inquit Miſenus. Hoc quoque ſcholium ſerviet illuſtrandis non paucis ſacræ Scripturæ locis; & inprimis illi ex Cantico
Deut. 32. Moyſi. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* nam cœlum & terram tam vivere & intelligere puto, quàm columnam illam Pariſienſem, Schateliani facinoris monumentum. Si igitur non niſi ridiculè Apologia columnam affatur, quia inanimis eſt, non niſi ridiculè compellabit Moyſes cœlum & terram, quia carent anima: Nec minùs ridiculè B. David gaudium cœlo & terræ imperat, quaſi gaudere E
queant; *Lætentur cæli, & exultet terra.* Prætereo infinita alia Scripturæ divinæ loca, quæ hoc tuo ſcholio clariora reddes. Interim tamen Rhetoribus figuram non ignotam adimis, haud impunè, ùt ſpero: prodibit enim fortaſſe, qui Lithum iſtum iis ipſis figuris, quibus rapaces ungulas injecit, egregiè depingat, vel potiùs edolet.

Ut impia, inquis, *conſuetudo eſt diſputandi* F
contra Deum, ſive hoc fiat ſeriò, ſive ſimulatè, ita neſcio quid monſtri alit diſputatio de Regibus occidendis, quacunque occaſione & conſilio inſtituta. Quis diſputationem de Regibus occidendis inſtituit? Profer diſputatoris nomen. Si quis hanc quæſtionem proponeret, negativam partem omni argumentorum genere comprobaret; & affirmativam tanquam execrabilem, omnibúsque diris devovendam repudiaret, & profligaret. Forſan dicere volebas. *De Tyrannis occidendis.* At Rex & Tyrannus differunt. Nec Rex, quà Rex, Tyrannus eſt: quia nec regnum eſt Tyrannis; nec Tyrannus, quà talis, Rex eſt; ſicut nec Tyrannis eſt regnum; quæ tibi Ethicorum quondam profeſſori nota eſſe debebant, vel ex illo ipſo Philoſopho, cujus te interpretem fuiſſe gloriaris. Alia eſt ergo diſputatio de Regibus, alia de Tyrannis occidendis. Prior G
à nemine inſtituitur; poſterior à plurimis & graviſſimis Doctoribus inſtituta eſt, ùt te docere poteſt Gallicanæ Apologiæ appendix, in qua ex profeſſo diſſeritur, num licitum ſit, de hac quæſtione diſputare: nec vides, livore cæcus; te, dum Jeſuitas damnare omni ope contendis, ſimul etiam damnare tuos in Calvini caſtris commilitones, Junium Brutum, & Buccananum: qui prædictam quæſtionem tractant. Nec quidquam monſtri alit illa quæſtio, ùt nec quæſtionis definitio; ſi definiatur eo modo, quo jam pridem à ſummis Theologis & Jureconſultis definita eſt.

Quàm porrò ſcitè & peritè dicis, fas H
non eſſe diſputare contra Deum, etiam ſimulatè, hoc eſt, diſputationis & veritatis magis eruendæ & declarandæ gratia. Si quis igitur has theſes proponat de Deo. *Deus eſt; Deus unus eſt; Deus trinus eſt;* piaculum committet, te judice, is, qui, ſcholarum more, probare contendet, nec Deum eſſe, nec unum, nec trinum eſſe: non quòd aut ipſe ita ſentiat, aut alios ſentire velit; ſed ut diſputationis præſidi veritatis ampliùs illuſtrandæ occaſionem ſuppeditet, quod variorum argumentorum oppoſitu & conflictu fieri ſolet. Dic, oro, Miſene, quomodo contra has theſes argumentaberis, ſi non ſaltem in ſpeciem, contra Deum diſputare coneris? Nam ut prædictarum theſium partem affirmativam tuearis, id tui

muneris non est, si Antagonista es, & oppugnator, non propugnator & præses. Sed hæc copiosiùs in Appendice.

A In capite undecimo exponitur, in ipsis Societatis Religiosis nullum indicium deprehensum esse; quo, ùt facinoris illius conscii, argui potuerint; hinc denuò caussam suam discuti petunt. *Quid futurum sit, non laboro*, inquit Simo. Bene facis, cùm labore supersedes; quia si laborares, id, quod futurum est, non esset futurum: nam labor tuus tam efficax est, ut fatorum quoque ordinem retexat. Caussam expulsionis ex aliquot locis Galliæ, aptiorem tibi reddere nequeo, quàm illam, quæ apud Platonem à Socrate ob damnationem propriam reddita est. τῦτ' ἔσιν ὅ ἐμὲ αἰ-

Plat. in Apolog. Socr.

B ρήσει, ἐάνπερ αἱρῇ, ὁ μέλιτος, ὁδὲ ἄνυτος, ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολήτε καὶ φθόνος. ἃ δὴ πολλὸς καὶ ἄλλος, καὶ ἀγαθὸς ἄνδρας ἥρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν, ὁδὲν δὲ δεινὸν, μὴ ἐν ἐμοὶ στῇ. *Hoc est, quod me tollet, si tollet; non Melitus, non Anytus; sed multorum calumnia & invidia, quæ alios quoque multos & probos viros sustulerunt, & in posterum quoque tollent: nec grave censeri debet, si in me non conquiescant.* Ubique sunt Meliti, ubique Anyti, ubique Lycones, ubique Miseni, qui innocentes in crimen & invidiam vocent; sed negat Socrates, se ab his de medio sublatum: potiùs adscribit interitum suum instrumentis, quibus illi utebantur, calumniæ nimirum & invidiæ: quod & nostris in hac caussa licet: etsi revera affectus utrisque rectissimè assignatur, cùm calumnia & invidia non agant nisi per calumniatores & invidos.

C In capite duodecimo & decimo tertio, *sollicitè excusant se*, inquit Misenus, *quòd non sint corruptores juventutis & seductores.* Non mirum Misene; Est enim calumnia gravissima & diabolo genitore digna. Quàm accuratè hanc ipsam criminationem amolitur à se Socrates apud Platonem & Xenophontem. Lege, si non legisti; aut recordare, si legisti. Mihi quidem Gallicani illi Meliti à veteri Melito calumnias istas mutuati videntur, adeò non tantùm sensu; sed & verbis propemodum conveniunt, cùm

D ajunt, nos nostra doctrina & institutione juvenum animos corrumpere & pervertere. *Tu Melite*, inquit Socrates apud Xenophontem, *vis me talia agentem juvenes corrumpere.* Atqui scimus, quales sint juvenum corruptelæ. *Tu ergo dicas, si quem scis ex pio impium; aut ex temperante, intemperantem: aut ex frugi prodigum; aut ex sobrio vinosum: aut ex strenuo ignavum à me factum, aut in alteram pravam voluptatem traductum.*

Sed observa lector, quod mireris, ùt E isti nostris objiciunt, quòd multos, invitis vel insciis parentibus, aut ad Catholicam religionem, aut ad Societatem aggregârunt, aut ad alios Ordines miserunt; quasi hoc repugnet obedientiæ & reverentiæ parentibus debitæ: ita & Melitus objecit per calumniam Socrati; quòd filios sibi, quàm parentibus obsequentiores efficeret. *At verò novi equidem*, ait Melitus, *quibus tibi magis, quàm genitoribus suis credendum esse suasisti. Fateor*, inquit Socrates, *in doctrina, hoc enim sciunt mihi fuisse curæ; & de medicina quidem medicis plus credunt homines, quàm parentibus: & in concionibus omnes Athenienses iis, qui maximè sapiunt, assentiuntur potiùs, quàm propinquis: neque in prætoribus deligendis parentes præfertis, sed parentibus fratribúsque, & vobis ipsis, illos præponitis, quos existimatis rei militaris esse peritissimos.* Cur igitur in iis, quæ vel ad fidei dogmata, vel ad genus vitæ eligendum spectant, plus fidei non habeat adolescens harum rerum peritis, quàm parentibus aut consanguineis?

G Doctrina, quam in Galliis nostri tradebant, publica erat, & omnium oculis expositа, non magis ad juventutis depravationem comparata, quàm aliorum politioris litteraturæ, aut Philosophiæ aut Theologiæ Doctorum institutio. εἰ δέ τίς φησιν

F

H utar enim verbis Socratis, παρ' ἐμῦ πώποτε ἤ μαθεῖν ἤ ἀκῦσαι ἰδίᾳ, ὅ, τι μὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, ἴσε, ὅτι ὐκ ἀληθῆ λέγει. *Si quispiam dicat, se à me vel didicisse vel audivisse privatim, quod non omnes alii audiverint: probè nôstis, hunc talem mentiri.*

Potest insuper Ordo noster ad calumniam depellendam uti eadem defensione, qua idem Socrates est usus. εἰ γὰρ δὴ ἐγὼ, inquit, τῶν νεωτέρων τὸς μὲν διαφθείρω, τὸς δὲ διέφθαρκα, χρὴν δήπῦ εἴτε τινὲς ἀὐτῶν πρεσβύτεροι γενόμενοι ἔγνωσαν, ὅτι νέοις ὄσιν ἀὐτοῖς ἐγὼ κακὸν πώποτέ τι συνεβάλευσα, νυνὶ ἀὐτὸς ἀναβαίνοντας ἐμῦ κατηγορεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι, εἰ δὲ μὴ ἀὐτοὶ ἤθελον, τῶν οἰκείων τινὰς τῶν ἐκείνων, πατέρας καὶ ἀδελφὸς, καὶ ἄλλος τὸς προσήκοντας, εἴπερ ὑπ' ἐμῦ κακόν τι ἐπεπόνθεσαν οἱ οἰκεῖοι ἀὐτῶν νῦν μεμνῆσθαι καὶ τιμωρεῖσθαι. *Si ego juvenum alios doctrina mea corrumpo; alios verò jam corrupi; oportebat, si aliqui jam grandiores natu meminissent mali quidpiam sibi à me fuisse suasum: eos, nunc in superiorem locum ascendere; méque accusare, & debitas pœnas reposcere: quod si ipsimet nolent; certè aliqui familiarium, ùt patres, fratres, & cæterì cognatì; meminisse & pœnas exegisse*

A *exegiſſe debebant; ſi quis ex eorum familia detrimenti quidpiam à me accepiſſet.*

Verùm ùt tunc Socratem nemo accuſabat, qui aliquando Socratica diſciplina fuiſſet uſus, ſed Melitus, Lycon, Anytus & ſimiles; ita & Pariſiis, Arnaldi, & ſimiles Meliti in nos inſurrexerunt; non in noſtra, ſed in Calvini, Machiavelli, & id genus aliorum Magiſtrorum diſciplina educati.

B Horat. lib. 1. Sat. 10. Calumnias Wilhelmi de S. Amore in Monachos & Ordines Mendicantes tanti facimus, quanti te & tua convicia. *Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quòd vellicet abſentem Demetrius? aut quòd ineptus Phannius Hermogenis laudet conviva Tigelli? Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt*, inquit Seneca, *non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio.* Quod Socrates de ſuis calumniatoribus, hoc Monachi & Jeſuitæ de illo Wilhelmo; & cæteris ejuſdem notæ: ἐμὲ μὲν γὰρ οὐδὲν βλάψει οὔτε μέλιτος, οὐδὲ ἄνυτος· οὐδὲ γὰρ ἂν δύναιντο. οὐ γὰρ οἶμαι θεμιτὸν εἶναι ἀμείνονι ἀνδρὶ ὑπὸ χείρονος κλάττεσθαι. *Mihi neque Melitus, neque Anytus, aliquid nocumenti adferent, neque enim poſſent: Nam fas non arbitror, ut melior à deteriore damnum patiatur.* C *Fieri quidem poteſt, ut me occidat, aut expellat, aut ignominia afficiat; quæ iſte fortaſſis & alius huic ſimilis, maxima reputaverit mala, at non ego, cui potiùs malum videtur, quod iſte facit, moliri innocenti interitum.* Hæc Socrates apud Platonem pro ſe contra Melitum: ego pro Religioſis contra illum Wilhelmum, jam pridem & ſententia Pontificum, & graviſſimis S. Thomæ & S. Bonaventuræ Apologeticis ſcriptis refutatum: Tu ſi S. Thomæ & S. Bonaventuræ argumenta diſſolveris, tum jure à me ad priſcas illas calumnias reſponſum exiges. Interea ſileo, & quid amplius fœcundo de pectore expromas, expecto.

D *Quanta eruditione*, inquis, *Jeſuitæ Galliam auxerint, me latet.* At non latet illos, qui Jeſuitis in Gallia operam dederunt. Quid te non latet præter inſcitiam & improbitatem, quæ nec te, nec alios in te latent? Sed ut oſtendas Jeſuitas nullum operæ pretium in Gallia feciſſe; univerſos Gallos atrociſſima injuria percellis. *Intellexi*, inquis, *nihil fermè minori in pretio eſſe apud illam gentem, doctrinæ eruditione, & propemodum derideri eos, qui latino ſermone utantur, imò rem eò deveniſſe, ut niſi quis contemni velit, diſſimulare cogatur, ſe ſtudioſum eſſe optimarum artium.* Hoc convicio non tam feris Jeſuitas, quàm totam Gallicanam nationem, quæ ſe à procacitate tua & verbis, & facto ipſo defendit; quippe quæ eruditiſſimorum, & Græcæ Latinæque linguæ, omniúmque ingenuarum artium peritiſſimorum hominum genitrix & nutrix ſemper fuerit, hodiéque ſit, tot Academiis tam florentibus & frequentibus paſſim erectis, tot monumentis publicatis eloquentia pariter & ſumma doctrinæ copia inſtructiſſimis: Cum quibus ſi tuorum Calviniſtarum & Lutheranorum, qui in Germaniæ angulis clamitant & ſcriptitant, jejunitatem, eruditionísque & elegantiæ egeſtatem conferre velimus, Gallos videbimus eſſe Crœſos, hoc eſt, omni liberali doctrina abundantiſſimos, hos verò Codros & Iros, &, ut cum Homero dicam, πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλιγκίος. Nam quod de levitate & diſſolutione Gallorum garris, id facilè præteriiſſes, ſi oculos tuos ad uberrimam illam vitiorum meſſem, quæ ex Calviniani & Lutherani Evangelii ſemente vobis ſuccrevit, convertere voluiſſes. Quòd ſi quæ ad improbitatem acceſſio facta eſt in Gallia, id nimirum ubertati & fœcunditati Genevenſis Evangelii acceptum referri debet; ùt enim equus ille Trojanus, in urbem receptus, uno partu ingentem omnis ſtragis & cladis copiam effudit (*namque cavo læti ſe robore promunt Tiſandrus, Sthenelúsque duces, & dirus Ulyſſes, Athamásque Thoásque, Pelidésque Neoptolemus, primúsque Machaon, & Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus*) ita & Hæreſis, in quamcunque Provinciam recipitur, ſtatim ſcelera, quibus fœta eſt, enititur, & magnas cum mœnibus urbes flagitiis opplet.

Poſt Gallos conviciis exagitatos, ridet G Simo meus conſuetudines & cæremonias quaſdam Catholicæ Eccleſiæ; & inprimis *aſinum*, ùt loquitur Aſinius noſter, *palmis coronatum.* Fortè ideo; quia in aſino, ùt ille apud Ariſtotelem, in aëre aut nebula, ſuam imaginem contemplatur. Cujus decor & lepos, ſi riſum excutiat Aſellæ filio, non adeò mirandum videri debet. Ridet, quando rudere nequit, quippe bipes, non quadrupes. Cæterùm ad iſta, quibus, ùt Plato loquitur, ἐμπεπλήκασιν ἡμῶν τὰ ὦτα, καὶ πάλαι, καὶ νῦν σφοδρῶς διαβάλλοντες, *aures noſtras impleverunt, quando & olim & jam vehementer & impudenter calumniantur:* Surdi nunc ſumus: nec meliùs, quàm ſilentio & contemptu nos vindicamus. Ut canes quidam tum primùm latrant, & ſannas exerunt, cùm latratus curari vident: ita & rerum divinarum irriſores, tum primùm majores cachinnos tollunt, cùm riſus ſui rationem haberi animadvertunt. *Virtus eſt*, inquit poëta, *ubi occaſio admonet, deſpicere.*

Quocirca tacitus quoque prætervehor H ſcommata in ſcholaſticos Theologos; quæ tu ex Eraſmo hîc tranſcribis. Arridebunt fortaſſis tui ſimilibus ſannionibus; nam ùt

A ille rectè ait: ἀμφιλαβεῖς αἱ ἀφορμαὶ τῶν μέμψεων τοῖς συκοφαντικοῖς τὰ ὦτα: *qui ſycophanticas aures habent, utraque manu occaſiones reprehendendi & irridendi;* & veteres irriſiones repetendi, arripiunt: ſed eorum ſuffragio minimè approbabuntur ab aliis, quibus Theologiæ Scholaſticæ dignitas & utilitas nota: qui etiam valde & te & tuum Eraſmum mirabuntur, dum ob quaſdam quæſtiones veſtro judicio, inutiles, tam petulanter Scholaſticos traducitis; cùm in iis, quas colitis, litteris in dies futiliſſimæ & nugaciſſimæ quæſtiuncullæ, non modò ingenti clamore; ſed & inſana vociferatione, & propemodum ad pugnos uſque, agitentur: ùt utrum ſcribendum, *ſuboles* an *ſoboles*, *recipero* an *recupero*. *Aduleſcens* an *adoleſcens*, *Epiſtola* an B *epiſtula*, *tropæum* an *trophæum*, *hæres* cum diphthongo, an *heres* ſine diphthongo, *iconomus*, an *æconomus*, *conditio* per T an per C. *Poſthumus*, cum aſpiratione, an *poſtumus* ſine aſpirationis nota. *Quintus*, an *Quinctus*. *Sylla*, an *Sulla*, *Aulus Gellius*, an *Agellius*. Utrum H ſit littera: utrum Græci careant ablativo: utrum Homerus fuerit cœcus, quæ ejus patria: cur *nihilum* media brevi conſtet, cùm *hilum* eandem habeat longam. Quæ ſit longa littera apud Plautum: *Utrum ovum priùs fuerit, quàm gallina, an gallina prior ovo*, & id genus infinita talia, ζητημάτια, quæ ſi didiceris, meritò ambigas, doctiórne an ſtultior factus ſis.

C Quòd ais; *Defendi à nobis hoc paradoxum: Levius eſſe crimen homines mille jugulare; quàm ſemel die Dominico calceum pauperi conſuere:* fidem & frontem tuam deſidero, etſi fruſtra deſidero, cùm utramque jam dudum penitus abligurieris, ita ut ne mica quidem ſuperſit, ſine ſpe reditus. Tu exemplo tuo facis verum illud Syri; *Fides ùt anima, unde abit, nunquam redit.*

D In decimo quarto Apologiæ capite, oſtendunt noſtri, ex officina ſua non prodiiſſe librum, qui *Apologia Schatelii* inſcribitur; ſed ab Hæreticis & Jeſuitarum hoſtibus compoſitum & evulgatum eſſe. Hoc, præter cætera, iſto etiam argumento demonſtrant, quòd ùt ipſum Schatelii parricidium, ita & parricidii defenſionem toto pectore deteſtentur; non autem credibile videri, ut, qui aliquid publicè & privatim abominantur, id edito clàm libro tueantur. Quid Miſenus? *Argumentum*, inquit, *adducunt ſatis validum; quòd Jeſuitarum non ſit album pronunciare nigrum.* Si ipſa Apologiæ verba poſuiſſes, calumniandi materiem ipſe tibi præcidiſſes. Lector adeat Apologiam, túmque intelliget, nervum totius argumenti à Miſeno prætermiſſum; quaſi noſtri ad hanc calumniam refellendam, nil aliud adduxerint, quàm ſuum E non eſſe, *album pronunciare nigrum.* Sed hic perennis eſt huic calumniatori mos; addit, demit, vertit & invertit verba noſtra & ſenſa, arbitratu ſuo, ùt & ejus, à quo regitur, & ad criminationes impellitur. Cur Hæretice, quæ in Apologia legeras *incolumia & inviolata non poſuiſti, ſed partim ingeris, partim ſubtrahis, & ut adſtruere falſitatem per ſcelus poſſis, veritatis verba furaris? Video, à quo doctus es. Illius enim habere credendus es inſtitutionem, cujus ſequeris exemplum. Sic enim diabolus in Evangelio tentans Deum; ſi filius, inquit, Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, quia angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Et cùm hoc dixiſſet, cohærentia & ſubjecta ſubtraxit: id eſt, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Callidè* F *utique ſuperiora poſuit, inferiora ſubtraxit. Illud enim poſuit, ut circumſcriberet; hoc reticuit, ne ſe ipſe damnaret. Sciebat enim ſe aſpidem & baſiliſcum, ſe leonem, & draconem, propheticâ voce ſignari. Ita ergo & tu partem objiciens, partem ſubtrahens, illud ſcilicet ponis, ut circumvenias; hoc ſubtrahis, ne ſi totum ubique poſueris, circumſcriptionem tuam ipſe condemnes.* Hæc tibi Caſſianus. Caſſian. lib. 7. de Incarnat. cap. 16.

G Inuſitatum porrò non eſt Hæreticis, ut epiſtolas, & alia ſcripta, ſub nomine eorum, quos oderunt, ſpargant, aut ſparſa mentiantur, quò eos Principibus, aliisque inviſos & exoſos reddant. Sic hoſtes S. Hieronymi epiſtolam ejus nomine prænotatam, longè latéque diſſeminârunt, in qua introducebant S. Hieronymum, *quaſi ageret pœnitentiam, & ſe ab Hebræis in adoleſcentia inductum eſſe teſtaretur, ut Hebræa volumina in latinum verteret, in quibus nulla ſit veritas. Quod audiens, obſtupui,* inquit S. Hieronymus, *Qui hoc auſus eſt facere, quid aliud non audeat?* Quod noſtri jure etiam de Apologia Schatelii, ejúsque auctore dicere poſſunt. Nam quale ſcelus nimium videbitur ei, qui hoc tantum ſcelus in ſe ſuſcepit? S. Hier. lib. 2. cont. Ruf. cap. 7.

H Cùm calumniatores Ariani impudentiſſimè apud Conſtantium Imperatorem traduxiſſent S. Athanaſium, quaſi litteris exaratis Magnentium Tyrannum ad bellum Constantio inferendum exhortatus eſſet, in hunc modum ſe purgavit ſanctiſſimus Epiſcopus. *Obteſtor te, ut, per quos tibi vidébitur, rem exquiras, causámque cognoſcas. Nam magnitudo calumniæ ſenſus meos obſtupefacit, & perplexum attonitúmque reddit. Crede mihi, religioſiſſime Princeps, ſæpe mecum perpendi, an credibile eſſet, quenquam ita inſanire, ut talia mentiri, nihil vereretur. Cæterùm quia apud Arianos & hoc quoque jactatum eſt, illique gloriantur antigraphum epiſtolæ meæ ſe habere, majorem in modum obſtupui, & noctes inſomnes ducens cum adverſariis meis, veluti præſentibus depugnabam* S. Athan. Apolog. I.

A *bam, ac derepentè in ingentem clamorem, & has preces erupi, optabámque cum gemitu & lachrymis, ut quàm primùm propitias tuas aures adipiſcerer, quas cùm per Dei gratiam adeptus ſim, ecce denuò hæſito, quod initium meæ reſponſionis faciam. Quotieſcunque enim loquè meditor, ipſius rei prodigio & horrore impedior.*

B Et poſt multa de immanitate mendacii hujus diſputata; *Ego*, inquit, *admiratione prodigióque calumniæ perculſus hæſito, quid oporteat reſpondere, méque in mille mortes condemno, ſi vel ſuſpicio talis de me uſpiam fuerit, tibíque veritatis ſtudioſiſſime Imperator bona cum fiducia meæ innocentiæ, auctor adhortatórque ſum, quemadmodum jam dixi, ut rem exquiras.* Qua S. Athanaſii defenſione non injuria utetur etiam noſter Ordo, ut hanc de Schatelii Apologia Calviniſticam criminationem à ſe amoliatur.

C Cùm Ariani aliquando fraudulentas litteras ad orthodoxos mitterent, iísque nomina Catholicorum Præſulum, technam & aſtum ignorantium, per ſummum ſcelus ſubſcriberent, ut eorum auctoritate objecta, Catholicos ad ſuam perfidiam pertraherent; moniti ſunt orthodoxi ab Epiſcopis, qui in Synodo Alexandrina convenerant, ne hujusmodi litteris fidem haberent, quorumcunque tandem nominibus ſubnotatæ conſpicerentur; *ne illis aurem præbueritis*; ajunt Epiſcopi, *ſi denuo ad vos contra Athanaſium Epiſcopum ſcribant. Quidquid enim ab illis proficiſcitur, falſum eſt, etiamſi noſtra Ægyptiorum Epiſcoporum nomina epiſtolis ſuis adſcribant: certum enim eſt, nos non eos eſſe, quorum nomina in ſcriptis ſubjiciunt: ſed Meletianos, homines perpetuò ſchiſmaticos, qui etiam nunc Eccleſias turbant, & ſeditiones commovent, conſtitutionésque abſurdas & propemodum Ethnicas faciunt, cáque deſignant, quæ quia abominamur ſcribere, ex noſtris legatis, qui vobis hanc epiſtolam adferunt, cognoſcere poteritis.*

Apud S. Athan. Apol. 2. in epiſt. Synodi Alexand.

D Quod iſti ſancti & orthodoxi Epiſcopi monent, de litteris ab impietate Ariana confictis, id & ego moneo, de illa Apologia, ab hoſtibus & oſoribus nominis noſtri publicata; *ne aurem præbueritis*; ſi denuò ad vos contra Jeſuitas ſcribant, quicunque veritatem amatis: quidquid enim ab his Calviniſtis proficiſcitur, falſum eſt: Et ſi Jeſuitarum nomen libris adſcribant, fraudem cum calumnia & mendacio conjungunt; tantum abeſt, ut propter ſpecioſum titulum id, quod ſcribunt, veriſimile videri poſſit. Confinxerunt præterea Ariani epiſtolam ſub nomine Athanaſii ad Conſtantium, & aliam nomine Conſtantii ad Athanaſium, ut Athanaſio exitium ſtruerent, bis falſarii. De quorum impoſtura hæc S. Athanaſius. *Miror illos ſine ulla abominatione & horrore mendacii ita falſa, apud tuas præſertim aures* (alloquitur Conſtantium) *potuiſſe dicere, cùm mendacia patrem diabolum habeant: iíque, qui mentiuntur, alieni ſint ab eo, qui dicit: Ego ſum veritas. Nihil enim hujuſmodi ſcripſi, neque unquam talem epiſtolam, quæ quidem mea ſit, adverſarius inveniet. Unde autem hanc epiſtolam accuſatores nacti ſint, quis illis dederit, libenter cognoſcerem: jube, quæſo, ut tibi reſpondeant: nam planè cognoſces, eos eadem fide hæc finxiſſe, qua calumniam de abominando & diro Magnentio. Jam enim hîc deprehenſi, ad quam nos denuò pertrahent neceſſitatem reſpondendi? Id enim meditantur & ſtudio habent, ut omnia moveant, & perturbent; fortaſſis ea ſpe; quòd te, multum ogganniendo, adverſum me irritare poſſe credant. Atque eo ipſo digni ſunt, quos averſeris, odióque habeas, quòd quales ipſi ſunt, tales etiam ſuos auditores exiſtiment.* Hæc S. Athanaſius de ſuis, nos de noſtris adverſariis noſtro ſub nomine libros comminiſcentibus. Plura exempla epiſtolarum ab Hæreticis ſub Catholicorum nomine publicatarum, alibi protuli. Nunc progrediamur. Monitum te tamen priùs volo, ut Coſterum, quem aliquoties in hoc tuo reſponſo vellicas, quieſcere ſinas. Memineris illius; *qui me commôrit (melius non tangere clamo) flebit, & inſignis tota cantabitur urbe.* Ni pareas, ea tibi de Calviniſtarum lenitate referet, quæ audîſſe non juvabit.

In Apolog. contra Lermæum.

E

F

G De capite decimo quinto, negat Apologia, Religioſos Societatis ſe immiſcere negotiis ad Rempublicam pertinentibus. *Sed ita negat*, inquit Miſenus, *ut fateatur rem ita ſe habere.* Venit hîc in mentem ejus, quod Calumniatori ſuo dicebat apud Platonem Socrates, cùm incredibilia planéque abſurda Socrati objectaret, ἄπιστός γ', ἦ, ὦ μέλιτε, καὶ ταῦτα μέν τοι ὡς ἐμοὶ δοκεῖς, σαυτῷ, ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ἔτοσι πάνυ εἶναι ὑβρισὴς καὶ ἀκόλαστος, καὶ ἀτεχνῶς τὴν γραφὴν ταύτην ὕβρει τινὶ καὶ ἀκολασίᾳ καὶ νεότητι γράψασθαι. *Fide dignus non es, Melite; etiam tibi ipſe, meo quidem judicio. Nam mihi videtur iſte planè injurioſus & effrænati oris eſſe, háncque accuſationem indoctè inſtituiſſe; ex injuriæ inferendæ cupidine, libidine, & juvenili impetu.* Quid ais, Miſene? negátne Apologia, ſimúlque affirmat unum & idem: videlicet Religioſos Societatis non immiſcere, immiſcere ſe rebus, quæ ad Rempublicam pertinent? Quæſo te, obteſtórque, inſpice denuò Apologiam, ſed oculis candidioribus; mox tuum commentum, & Apologiæ conſtantiam in dicendo agnoſces; illud ſtatim tenues in aures dilabetur; hæc, lucis inſtar, absque mora eluceſcet. Non deſcribo Apologiæ verba, quia in promptu ſunt volenti.

Apologia ad Conſtantium.

H Ais, *ex malis moribus naſci bonas leges.* Ita eſt; ſed non tantùm ex malis moribus, jam

A jam enatis; sed & nascituris; nisi obviam eatur; sæpe enim legum conditores sanciunt leges, non ut præterita emendent, sed ut caveant de futuris. Ita & lex illa, cujus Apologia meminit; non ideò rogata est, quasi nostri hactenus se Reipublicæ negotiis immiscuerint, sed ne in posterum se immisceant. Quamvis eò jam ventum est, ut, quicunque Religiosus aliquid agit pro Catholicæ Religionis conservatione & incremento, is magistratui injuriam irrogare, & non sua munia obire videatur; sed judicio Hæreticorum & Politicorum, qui aut nullam fidem habent, aut eam in postremis habent.

B Circa caput decimum sextum objicit Misenus Ordini nostro *arrogantiam*, ídque ideo, *quòd aliquot ex nostris Cardinales sint facti. Aliquot*, ait Misenus, quasi multi essent, cùm sint tantummodo duo, qui ad hanc dignitatem ascenderunt, non nisi legitimè vocati ab illo, cui vocandi jus suppetit. Deinde non video, quæ sit hujus tuæ argumentationis connexio. Duo Jesuitæ in Cardinalium Collegium cooptati sunt: ergo totus Ordo Jesuitarum arrogantia laborat; nam Cardinalem creari, ídque non ambitu, sed virtutis & eruditionis merito, cui summus Pontifex, tanquam agonotheta, arbitratu suo, præmia decernit, non magis est arrogantiæ indicium, quàm cùm quis ob eadem ornamenta ad
C aliam dignitatem extollitur. Ad hæc multos Cardinales reperias, qui sub purpura majorem humilitatem & submissionem ferant & tegant, quàm Calvinianus Misenus sub sua toga, aut detrito pallio. Regina Esther regali diademate vestitúque nitebat; dubito tamen, an non sint, aut fuerint fœminæ, ex vulgi face, quæ sub suis centonibus minùs humilitatis habuerint, & præ se quoque tulerint, quàm Regina illa in omni illa, qua clarebat, majestate. *Tu scis*, ajebat, *necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & quòd nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.*

D Utrum autem vera sint, quæ de Joanne XXII. ejúsque in Ordines mendicantes animo, & decretis commemoras, intelligere poteris ex ejus constitutionibus, inter Extravagantes ejusdem Pontificis titulo de verborum significatione: Aventinus non solet esse sumæ auctoritatis apud Catholicos. Itáque operam ludis, cùm eum ad nos contra Monachos aut Clericos citas. Quod te jam nunc monitum volo veteri verbo: τῆς αὐτῆς κεραμείας estis.

De nomine JESU, Societati nostræ indito, satis jam suprà & alibi dictum, quo fit, ut hoc loco, quo decimum septimum E Apologiæ caput arrodis, plura non addam. *Miror tamen*, inquis, *quo jure sibi hanc appellationem vendicent, cùm unicè in id incumbant, ut doctrinam à JESU & Apostolis ejus traditam obscurent.* Mirari & nos multo meliore jure possumus, cur *Christianus* voceris, cùm unicè in id incumbas, ut à Christo Domino & Christi Apostolis traditam doctrinam obscures, cúmque jam dudum Imperatores Theodosius & Valentinianus edixerint, ne hæretici *Christianorum appellatione abutantur; sed quemadmodum Ariani ab Ario, lege divæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur: Sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii* (Calvini, Lutheri) *Nestoriani* (Calviniani, Lutherani) *vocentur, ut cujus scelus sunt in deserendo Deum imitati, ejus vocabulum jure videantur esse sortiti.* L. Damnato. C. de Hæret.

F Decimum octavum caput complectitur refutationem recentis cujusdam criminationis de Comite Mauricio. De qua criminatione habes, Simo, Sicam Tragicam, (sic enim Apologia inscribitur) à Costero editam; quam tu, ùt video, calumniari potes, refutare non potes; & ideo calumniaris, quia calumnia illa de Comite Mauricio, ab omni verisimilitudine alienissima, probabilis tibi videtur, licèt Costerus plurima, eáque evidentissima argumenta adducat, quibus fabulam illam Calvinisticam non modò redarguit, sed & funditus evertit. Tu tamen mendaciorum tenacissimus & loquacissimus, opinioni semel conceptæ adhæresis, & fabulam pro non fabula haberi cupis. Quàm procul abes ab illo spiritu, G qui hæc per sanctissimum virum Gregorium Magnum. *Absit à Christianorum judicio, ut ea, quæ maledicorum hominum rumoribus conficta sunt, credamus in qualicunque modulo suspicionis adducere: quia & sacri eloquii testimonium tenemus, ut majora mala, cùm forsitan dicuntur, nisi probata, credi non debeant, sed probata citiùs ulciscì, nam ipse, qui omnia creavit, & cuncta, quæ condidit, intuetur Deus, malorum gravium ultione commotus, ait: Clamor Sodomæ & Gomorrhæ ascendit ad me, descendam, ut videam, utrum clamorem, quem audivi, operæ compleverint & ulciscar, an non est ita, ut sciam. Quò enim descenderet Deus, ut, quæ essent facta, cognosceret? aut quid non is, qui ubique est, sciret? sed ut nostræ ignorantiæ exemplum discretionis daret, quatenus deberemus mala gravia audita non credere, ipse se dicit ad cognoscendum descendere, de quo omnibus liquet, quia & non descendens omnia sciret. Hæc igitur dixi, ut nimiæ esse* H *levitatis ostenderem, si quis mala gravia credere studeat, quæ probari non possunt.* Hæc sanctus ille Pontifex, quorum te nulla cura tangit; quia non in Gregoriana; sed Calviniana S. Greg. lib. 6. epist. 14.

niana ſchola inſtitutus es. *His, quæ narrata ſunt, non debemus citò credere*, monet Seneca, *multi ementiuntur, ut decipiant: multi, quia decepti ſunt; alius criminatione gratiam captat: & fingit injuriam, ut videatur doluiſſe factam.*

Sen. libr. 2. de ira, cap. 29.

B Decimum nonum & vigeſimum caput vix attingit Miſenus. Ignoſco; quia ſaltem hoc lucri capit, quòd tacendo nec calumniatur, nec mentitur; prudenti quoque conſilio appendicem adjunctam præteriit, ejúsque criminationibus inceſſendæ provinciam Prædicanti cuidam Lutherano reliquit: quam provinciam ſibi demandatam obiit ille ſtudiosè & impigrè; & in unam appendiculam minimùm duas mendaciorum centurias effudit: ſed Germanicè; hanc enim linguam longè meliùs nôſſe fertur, quàm latinam; quippe forenſis rabula, à vulgo, non ab eruditorum conſeſſu, plauſum quærere conſuetus. Sed benè habet, C reperit jam, qui Germanicè fabulam agenti & Hæretico Rabſaci Judaicè ad imperitam multitudinem vociferanti, applauderet, & ad hunc miſerum, inſulſum & indoctum Prædicantem, calumnias, quas pleno cornu, furioſi inſtar, evomuerat, remitteret, verísque coloribus Lutheranum ſycophantam depingeret. Itaque nihil addo: donec iſte latinè loqui & ſcribere didicerit.

4. Reg. 18.

D Cæterùm quod tu, Simo, ominaris, nos nunquam in Galliam redituros: omen tuum & prædictionem tanti facio, quanti prophetias Lutheri, quæ quales fuerint, totus mundus novit. Dixi libro primo, nec dixiſſe pœnitet; imperabit is, qui poteſt, ventis & mari, & fiet tranquillitas magna. Interea faciemus, quod Religioſi viri officium poſtulat: fortiter hanc tempeſtatem feremus, illúdque Job uſurpabimus. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala cur non ſuſcipiamus?* probatio noſtra eſt hæc procella, non everſio: nec ſumus tam ignari, ut neſciamus Deum non modò proſperis res ſervorum ſuorum amplificare; ſed & adverſis tentare ſolitum: ut offerat patientiæ materiem. *Hanc omnibus humanis gaudiis legem natura fixit*, inquit Symmachus, *ut curæ voluptatem ſequantur. Natæ ſoboles primo parentes die hilarant. Mox pii metus, brevem gratiam fugant. Honor in exordiis lætus eſt. Dehinc animos laborum cœtus ingreditur. Longum fiat, ſi pergam ſingula contexere.* Hæc ille. Sed pulchriùs S. Chryſoſtomus. *Miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam jucunda permiſcuit. Quod certè in omnibus Sanctis fecit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam, quaſi admirabili varietate, contexuit.*

E

Symmach. lib. 4. epiſt. 34.

F

S. Chryſoſt. homil. 8. in Matth.

Habes, amice lector, Apologiam Apologiæ Gallicanæ: *Vincat, quæſo, apud te veritas.* utar enim verbis, quibus adversùs criminatores ſuos uſus eſt S. Athanaſius, *& ne relinquas ſuſpicionem, quaſi talia aut cogitentur, aut ſcribantur* (agantur) *à Chriſtianis, potiſſimùm*, (Societatis JEſu Religioſis) *Quòd ſi graveris iſtud dijudicare, æquius tamen eſt nobis haberi fidem, qui excuſamus, quàm illis, qui calumniantur; illi enim, ùt inimici, ex malignitate rem agunt: nos autem, ùt anxii, documenta rerum, demonſtrationésque adducimus. Mirórque, cur nos ita circumſpectè cautéque verba faciamus: illi contra ita effrontes ſint, ut etiam Regi mentiantur.* Hæc ſanctus Athanaſius, cujus verbis defenſionem Apologiæ terminatam volo.

G

Apol. ad Conſtant.

H

Laus DEO, Virginique MATRI.

CONSOLATIO
BREVIS, SED EFFICAX
PRO
LITHO MISENO
CALVINISTA:
OB
JESUITAS GALLIÆ PUBLICO
CHRISTIANISSIMI REGIS
HENRICI IV.
EDICTO VEL FIRMATOS
VEL REDDITOS.
AUCTORE
JACOBO GRETSERO
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.

A

PAraveram, Miſene, confutationem criminationum tuarum in defenſionem Apologiæ Gallicanæ, quam noſtri in Gallia Anno Domini M. D. XCIX. *Chriſtianiſſimo* Galliarum & Navarræ Regi HENRICO IV. obtulerant. Sed ecce, dum confutationem adorno, affertur mihi ex Gallia longè efficacior omnium calumniarum, quas tu (ùt & alii Prædicantes paſſim) evomueras, refutatio, longéque validioribus lacertis inſtructa; quam ut vidi, confutationem in *conſolationem* quàm primùm vertendam duxi. Non enim dubitò, incredibili dolore te affectum iri, non abſquè dolore meo, niſi tanto tuo cruciatui medicinam fieri patiaris.

B Ecce enim, mi Miſene, præter tuam omniúmque Prædicantium expectationem & voluntatem, Jeſuitæ edicto Regio, menſe Septembri Anni M. D C. III. Rhotomagi dato, revocati ſunt in Gallias. O dolorem nullo unquam tempore ab hæretico ſtomacho concoquendum! O refutationem omnium inſultationum, quibus *Jeſuitis* inequitabatis; & omnium clamorum, quibus adversùs eoſdem omnia compita complebatis, longè acerrimam, ſectariiſque omnibus acerbiſſimam! Audi, Miſene, ſummatim ea, quæ partim edictum Regium, partim certiſſima fama nunciat. In edicto ait *Rex Chriſtianiſſimus*; I. ſe Jeſuitarum partim revocationem, partim ſuo in Regno confirmationem dare precibus *Sanctiſſimi Patris & Papæ noſtri.* Ecce quem tu, vile ac ignobile caput, *Archipiratam & Antichriſtum* appellas; hunc tantus Rex publicè in diplomate *Sanctiſſimum Patrem & Papam noſtrum* nominat. II. Ait, ſe hoc etiam feciſſe magnis inductum rationibus. III. *Mox auctoritate Regia, poteſtate plena, gratiáque ſpeciali* confirmat undecim Collegia, quæ in Regno Galliæ hactenus durârunt: nimirum, *Toloſanum, Auſcitanum, Agennenſe, Rhutenenſe, Burdegalenſe, Petragoricenſe, Lemovicenſe, Turnonenſe,*

C

D

A *nonense*, *Anicience*, *Albenacense & Biterense*. IV. Restituit in pristinum statum Collegium *Lugdunense*. V. Etiam *Divionense*, ubi, quod invitus commemoro, ne nimiùm affligaris, Jesuitæ jam denuò ludo aperto, ingenuas artes profitentur, magna, ùt ferunt, civium approbatione & gratulatione. VI. Quod, meo judicio, *Misenicæ & Prædicanticæ* patientiæ longè intolerabilissimum videtur. *Fleschiæ*, quæ Andegavensis *Ducatus* civitas est, natalis *Christianissimi Regis* locus, novum Jesuitis condidit Collegium, & aut jam illa in civitate Jesuitæ docendi munus obeunt, aut propediem obi-
B bunt. VII. Nec hoc contentus, Domum probationis, in quo tyrones ad spiritualem pugnam exerceantur, adjecisse, aut certè adjecturus dicitur. VIII. Jam verò Edictum Regium, Parisiense etiam *Parlamentum* seu Curia ratum habuit, & auctoritatē sua comprobavit. IX. Fermè exciderat: Burdegalæ publicas Jesuitæ jam scholas habent: licèt enim antea Burdegalæ degerent, à scholis tamen vacabant; ita temporum ratio poscebat: nunc poscit, ut plaudente Miseno, ex umbra in solem & & pulverem prodeant, séque ùt olim juventuti impendant. X. Plurimas civitates Collegia Jesuitarum expetere fama refert. XI. Ut & hoc, *Christianissimum Regem* ea es-
C se in Societatem Jesu benevolentia, ut civitatum votis facilè daturus sit locum. XII. Nec minùs *Regiæ Majestati* curæ cordíque esse; quò Jesuitæ olim possessa Collegia recuperent, ùt *Parisiense*, *Bituricense*, *Rhotomagense*, & si quæ sunt alia. XIII. Illud etiam rumore certissimo compertum est, cum *Christianissimo Rege* versari P. Petrum Cottonum è Societate Jesu concionatorem, magni nominis & existimationis, qui facunda sua pietate & pia facundia omnes in admirationem sui rapiat; eúmque à Rege amari, & magni fieri, & variis in Ecclesiis maximo populi accursu de divinis rebus verba facere. XIV. Inscriptionem columnæ, de qua tu & alii Prædicantes tantum inanium logorum effudistis, aut jam mutatam esse, aut propediem mutatum iri.

D Quocirca necesse erit, ut & tu mutes, vel potiùs spongia eluas orationem illam, quam sub altero extremo tuo Responso affinxisti *Regi Christianissimo: Perlegi ego, Sacerdotes, Apologiam vestram satis verbosam, ac diligenter mecum perpendi omnia, &c. Dixi, quæ volui, abite & valete.* Verte stylum, Misene, consideravit *Rex* omnia, quæ consideranda; non dixit, *abite*, sed *adite*: neque alia unquam, quæ tu ei per fictionem attribuisti; in mentem venerunt. Testis edictum, & hic tam largus in Societatem affectus, eóque constantior, quò maturior & deliberatior, post tot annos, & inter tot difficultates, quæ negotio huic objiciebantur; quas omnes, eo, quo cæteras omnes, regio & invicto animo, & E fatali felicitate perrupit: hoc edictum, quo Prædicantibus vix molestius cudi potuit; pro Societate JEsu promulgavit; & *apostrophen* illam tuam prorsus inanem cassámque reddidit; ut mirer, si pudore non suffundaris, quoties in posterum puerilem illam declamatiunculam adspexeris, quæ tamen Lutheranis Prædicantibus, Sycophantis tibi gemellis, tam apta & ingeniosa visa est, ut eam ex libro tuo exscripserint, F exscriptámque in *Colloquio* Ratisbonensi, me vidente & ridente venditârint, tanquam ultimam, ùt loqui solemus, Regiæ Majestatis ad Jesuitarum postulata *resolutionem*; nec defuerunt, quibus impostores imponerent; Vulgi enim Prædicantibus admodum addicti levitas credula est; & quod factum cupit, id factum esse, nullo negotio credit.

Verùm ne extra metas evagemur, redeun- G dum est, ad id, quod instat, téque maximè urget. Vides, Misene, unico edicto *Christianissimi Regis*, & magnanimæ illius benevolentiæ quasi *Favonio*, omnes tuas criminationes in Apologiam Gallicanam, ejúsque defensionem disjectas & prostratas esse. Vides, inquam, hoc non sine gemitu & luctu. Sed quid agas? vel potiùs quid ego agam? Nam tu non tam agis, quàm pateris. Mearum partium existimavi hanc qualem qualem consolationem ad te scribere: quia ùt ille ait: ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσει κέαρ. *Animæ ægræ medentur sermones, quando quis opportunè cor permulcet.* Nam ùt rectè ait Euripides. ἄλλ' ἐπ' ἄλλῃ Φάρμακον κεῖται νόσῳ λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμενὴς φίλων, ἄγαν δὲ μωραίνουσι νουθετήματα. Aliud alii morbo medicamentum convenit. *Ac tristi gratum est amicorum alloquium. Nimium verò stultis, monita & exhortationes.*

Huc accedit exemplum Plutarchi, quo H jam olim mihi præivit, qui ad *Apollonium consolationem* scripsit: ùt & Seneca ad Polybium, ad *Martiam*, ad *Albinam*, & Marcus Tullius ad *Tulliolam*, & tui olim fratres in Palatinatu ad *Smidelinum*, & alios *Patres Concordiæ.* Tu, *si mens non læva fuisset*; abstinere debueras à re, cujus tua nihil intererat; hoc est, ab Apologia & controversia illa Gallicana. Amicè te monui, tua ut ageres; in aliena curiosè ne inquireres: sed surdo cecini; ùt video, vides & tu, etsi serò nimis. Nam primò, persuadere mihi non poteram, fieri posse, ut hæc Tragœdia non desineret in fortunatam, lætam, exoptatámque catastrophen: quia Parisiis Societas nostra nata est, & inita; Prima ejus cunabula spectavit Lutetia. Illa Academiarum princeps & genitrix primos nostros Patres virtute & eruditione adeò excoluit, & perpolivit, ut postea to-

A ti mundò admirationi fuerint, hócque Societatis ædificium vobis tam invidendum feliciter exſtruxerint, & per totum terrarum orbem diffuderint. Inducere nunquam in animum potui, fore, ut hæc tempeſtas, aut Galliam, Societatis parentem nobis, aut nos Galliæ eriperet. Neque verò poſthac id credam, quæcunque procellæ ſæviant, & quidquid ille, qui omnes Religioſas familias extinctas cupit, cacodæmon moliatur, & in capita innocentum cudat. *Convertetur dolor ejus in caput ejus; & in foveam, quam fodit, incidet.*

B Debebas etiam, tanquam Profeſſor Ethices & Philologiæ ſtudioſus, humanarum rerum viciſſitudines attentiùs perpendere: Forſan intellexiſſes, contingere poſſe, ut poſt hæc qualiacunque nubila Jeſuitis clarior & ſplendidior Phœbus alluceat, tempeſtatésque ſerenet: cujus lux eò jam ſit gratior & amœnior, quò amiſſio fuit injucundior atque luctuoſior. *Mel quidem omnibus dulce*

Theod. lib. 5. divin. Decret. *eſſe videtur*, inquit Theodoretus, *etiamſi cum nullo conferatur, ſed dulcius eſſe apparet, ſi amara aliqua qualitas juxta ipſum ſtatuatur, & ſanitatem quidem valde eſſe diligendam omnes exiſtimant, ſed poſt morbum multò ma-*

C *gis amplectendam ſtatuunt. Jam verò tranquillitas quoque eſt poſt tempeſtatem gratior.* Nunquámne legiſti illud Plinii, quod Trajano decantavit? *Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur.* Cui concinit Cycnus ille, *quem multa levat aura,* ῥοαὶ δ' ἄλλοτε ἄλλαι ἐυθυμιῶντε μετὰ καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν. *Fluctus aliàs alii gaudiorum & laborum in homines veniunt.* Homerus: ἄταρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ ζεὺς ἀγαθόντε κακόντε διδοῖ. *Deus modò proſpera dat, modò impro-ſpera.* Eodem ſenſu Manilius: *Tanta eſt rerum diſcordia in ævo, & ſubtexta bonis mala ſunt, lachrymæque ſequuntur vota, nec in cunctis ſervat fortuna tenorem.*

D ὥσπερ γὰρ ἐν Φυτοῖς ποτὲ μὲν πολυκαρπίαι γίνονται, ποτὲ δὲ ἀκαρπίαι, καὶ ἐν ζωοῖς ποτὲ μὲν πολυγονίαι, ποτὲ δὲ καὶ ἀγονίαι, καὶ ἐν θαλάττῃ εὐδίαι τε καὶ χειμῶτες, ἕτω καὶ ἐν βίῳ πολλαὶ καὶ ποικίλαι περισάσεις γινόμεναι πρὸς τὰς ἐναντίας περιάγσι τὰς ἀνθρώπς τύχας, εἰς ἃς διαβλέψας ἄν τις ἐκ ἀπεικότως εἴποι, ἐκ ἐπὶ πᾶσι σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς ἀγάμεμνον Ατρεύς. δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι, θνητὸς γὰρ ἔφυς, κἂν μὴ σὺ θέλῃς τῶν θεῶν ἕτω βεβλομένων ἔσαι. *Quemadmodum enim in arboribus aliquando fructuum ubertas exſtitit, aliquando penuria, & in animalibus interdum eſt fœcunditas, interdum ſterilitas, & in mari modò tranquillitas, modò tempeſtas, ſic & in humana vita varia evenire ſolent, quibus ad diverſæ fortunæ ſtatus adducimur; quæ quis conſiderans, jure dicat. Neque te Atreus, ô Agamemnon, ad omnem felicitatem procreavit. Oportet te & gaudere & triſtari. Mortalis enim es. Et quamvis tu nolis: at Dii hoc volunt.* Hæc & hujus generis ſimilia te cum animo tuo, mi Lithe, reputare par erat, quando Jeſuitis Gallicana illa calamitas obvenit. Cogitare debebas, eſſe procellam, & tempeſtatem propediem in amabilem ſerenitatem commutandam. Hanc item eſſe humanarum rerum ſortem, ut modò ad voluntatem, modò contra voluntatem fluant. Quod ſi feciſſes, à calumniis ſtylum & calamum tuum vel prorſus abſtinuiſſes, vel moderatiùs ſaltem bacchatus fuiſſes, & nunc etiam minus crucis hac rerum commutatione tibi tam improviſa, caperes, minúsque irriſui & ludibrio expoſitus eſſes.

F An tu homo totus *Bibliacus*, ignorabas illud? *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* At quid notius illo? *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſublevat*, Additur & hoc, quod tibi non exiguo ſolatio erit, ſi in imum cor demittas; *Pedes Sanctorum ſuorum ſervabit, & impii in tenebris conticeſcent. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas*, canebat B. David. Quid ſequitur: *Converſus vivificâſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Multiplicâſti magnificentiam tuam, & converſus conſolatus es me.* Et tamen hoſtes illius vociferabantur, *dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat. Poſuiſti nos* inquit alibi idem ſanctus Rex, *opprobrium vicinis noſtris* (Prædicantibus, opinor, Lutheranis & Calvinianis) *& deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis. Inò adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum* (Ah quoties hujuſmodi vinoſis in Jeſuitas *Pſalmis* Miſenus interfuit.) Quid interim ſanctus Prophera? Nimirum preces fundebat tranquillandæ tempeſtati, hoſtibúsque confundendis. *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice. Exurge, quare obdormis Domine: exurge, & ne repellas in finem. Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. confundantur & deficiant,* (Prædicantes) *detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti me & conſolatus es me.*

Pſalm. 76.

Pſalm. 70.

1. Reg. 2.

Pſalm. 68.

Pſalm. 85.

A *es me.* Nunquid incaſſum vota fuſa? *Audivit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adjutor meus. Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, &c.*

Prætereo alia ejusdem notæ, quibus ſacra Scriptura ubique abundat, nihil frequentiùs propemodum ingerens, quàm cauſæ nihil eſſe; cur hoſtes in ærumnas delapſis inſultent, quòd inſultationes & inſectationes in capita inimicorum, juſto Dei judicio, recidant, ita ut nihil inde reportent præter animi cruciatum, dedecus, & ignominiam, propria *confuſione*, tanquam *diploide* quadam, operti. Quod tibi jam eveniſſe, Simo, tecum doleo, etſi tu ipſe mei tuíque pariter doloris ſtultitia & effreni licentia tua auctor es. Monebat veterum quidam: *Alterius damnum, gaudium haud facias tuum;* quia hujusmodi gaudium facili mutatione tranſit in luctum.

B Monueram te etiam perquam amicè, ut
Proverb. 21. accuratè perpendens illam ſapientiſſimi Regis ſententiam: *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud:* Jeſuitas calumniis inceſſere deſineres; fieri enim poſſe, ut ad quam tu minimè velles, partem, Deus cor *Regis* inclinaret. At auribus caruiſti. *Plerophoria Calviniana* plenus exiſtimâſti nun-
Proverb. 20. quam fore, ut dicti illius veritatem experirêre: *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incur-*
C *vat ſuper eos fornicem.* Oportebat certè te hominem in Bibliis tam tritum & planè domeſticum non ignorare, quàm olim mirabili converſione corda trium Regum erga populum Dei immutârit Deus, Cyri, inquam, Darii, & Artaxerxis. Et quàm beneficos & munificos exulibus, & à patria ſua extorribus ſeſe exhibuerint. Hinc enim nullo labore colligere poteras, fore, ut Deus *Chriſtianiſſimi Regis* animum erga Societatem filii ſui aliquando inflecteret, ut in quod adverſariorum machinamentis diſcrimen conjecta erat, inde incolumis & lætabunda emergeret.

D Silentio tranſmittam Cyri & Darii pro Iſraëlitis edicta: quæ hoſtibus Hebræi nominis tantum doloris peperêre, quantum
Vide libr. 1. Eſdræ cap. 1. 5. 6. 7. nunc *Chriſtianiſſimi Regis* edictum pro Jeſuitis tibi tuísque Symmyſtis moleſtiæ creat: De Artaxerxis edicto hæc paucula admiratione prorſus digna, tibi penitiùs introſpicienda propono: *Artaxerxes Rex Regum Eſdræ Sacerdoti, Scribæ legis Dei cæli doctiſſimo ſalutem.* Quid hoc exordio benevolentius, quid humanius? *A me decretum eſt, ut cuicunque placuerit in Regno meo de populo Iſrael, & de ſacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Hieruſalem, tecum vadat. A facie enim Regis & ſeptem conſiliariorum ejus, miſſus es, ut viſites Judæam & Hieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua, ut tu feras argentum & aurum, quod Rex & conſiliatores ejus ſponte obtulerunt Deo Iſraël, cujus in Hieruſalem tabernaculum eſt, &c. Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli, ne fortè iraſcatur contra Regnum Regis & filiorum ejus, &c. Tu autem Eſdra ſecundùm ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Judices & Præſides, ut judicent omni populo, qui eſt trans flumen; ſed & imperitos docete liberè. Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certè in carcerem.* E En quale edictum, quàm benevolum, quàm favore in afflictos & calamitoſos refertum, profectum ab illo Rege, qui Deum Eſdræ potiùs admirabatur, quàm venerabatur. Et tu dubitabas de benevolentia aliquando in Societatem Jeſu naſcitura in pectore Regis illius, qui *Chriſtianiſſimi* titulum, ùt à majoribus accepit, ita & ipſe præclarè factis egregiè defendit, quíque *primogenitus Eccleſiæ filius* audit: Sedis Apoſtolicæ tam obſervans & reverens.

An tibi, niſi odio & livore occœcatus F fuiſſes, veriſimile videri poterat, ſolos Jeſuitas expertes manſuros incredibilis illius humanitatis, manſuetudinis, & facilitatis, qua Regem illum in omnes uti, & ſcriptis multorum, & communi fama, eáque certiſſima & veriſſima non modò noſtra Germania, ſed & univerſus orbis Chriſtianus novit? Ex quibus haud laborioſum tibi erat divinare, futurum aliquando diem, quo Jeſuitæ cum Eſdra, manibus ad cœlum ſublatis, exclamarent: *Benedictus Dominus Deus* G *Patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret domum Domini, quæ eſt in Hieruſalem, & in me inclinavit miſericordiam ſuam coram Rege & conſiliatoribus ejus, & univerſis principibus Regis potentibus.* Hæc & cætera hujus claſſis quàm plurima, initio & in decurſu hujus controverſiæ, à te, Lithe, conſiderata, & diligenter exputata oportebat: ne ea litteris mandares, quæ poſtea oblitterata, licèt ſerò, velles, néve non *Prometheï*, ſed *Epimetheï*, poſt ictum ſapere ſoliti, filius viderêre.

Sed quia, quæ facienda erant, turpiter H neglexiſti, & quæ non facienda erant, flagitioſiùs adhuc feciſti, ea de cauſa meritò in cruce hæres; forſan etiam tuo ſuffragio, non tantùm meo, & aliorum; non tamen deſerendus es, ſed erigendus ſuſtentandúsque fulcris illis, quibus *Conſolationis* magiſtri & artifices afflictos & fulciunt, & fulcire docent. Ac primò omnium nomen tuum intuere, & inde ſolatium pete. *Lapis es.* Quid durius lapide? quid ad ictus firmius & fortius? Turpe fuerit, ſi ad has fortunæ plagas molleſceres. Dura & perdura, mi *lapis*, ne id, quod es, & meritò vocaris, deſinas eſſe & vocari. Redeat in mentem appellatio tua, quoties ictus infli-

A gitur, tu plagis ne cede, aſt *contra audentior ito.* Nec modò *lapis* es, ſed & *Stenius.* Quàm aptum ad *conſolationem* nomen, quàm primùm in memoriam revocatur? memento Epigrammatis, quod tibi jam olim Meliſſus accinuit. An σθένος, aut σθένιον *Stenio dabit (ambigo) nomen. O Stheni totus* σθήνιον & σθένος *es.* turpe fuerit, ſi imbecillitate animi tui hanc tantam laudem amici tui falſam aut dubiam reddas. σθένος es, ſi vera canit Meliſſus, hoc eſt, ipſum robur. Videamus nunc in hoc tuo dolore & luctu hoc tuum σθένος, alioquin mentitum dicemus Meliſſum, noménque tuum potiùs formabimus παρὰ τὸ σηνιῶσαι, quod eſt *convitiis inceſſere*, unde & σηνία feſtum Athenis, in quo ſe mutuò ſcommatis & conviciis perſtringebant; quod feſtum tibi toto anno admodum ſolenne eſt ac feſtivum, & loco feſtorum omnium.

B Præterea pietatem tuam nihil à lachrymis jam inutilibus, & à vano dolore æquè abducet, *quàm ſi cogitaveris;* utar enim verbis Senecæ optimi *conſolatoris*, *fratribus tuis* (Calvinianis) *te exemplo eſſe debere, fortiter hanc fortunæ injuriam ſuſtinendi. Quod duces magni faciunt rebus afflictis, ut hilaritatem de induſtria ſimulent & adverſas res adumbrata lætitia abſcondant, ne militum animi ſi fractam ducis ſui induſtriam viderint, & ipſi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum eſt; indue diſſimilem animo tuo vultum, &, ſi potes, projice omnem ex toto dolorem: ſin minùs, introrſus abde & contine, ne appareat: & da operam, ut fratres tui* (Calviniani) *te imitentur, qui honeſtum putabunt, quodcunque facientem viderint, animúmque ex vultu tuo ſumment, & ſolatium debes eſſe, & conſolator illorum. Non poteris autem horum mœrori obſtare, ſi tuo indulſeris.*

C Illud inſuper recole, nec obiter ſed iterum iterúmque; quem locum in Academia Heidelbergenſi teneas; profeſſor es Ariſtotelicæ Ethices & Poëtices; *Magnam tibi perſonam hominum conſenſus impoſuit, hæc tibi tuenda eſt. Circumſtat te omnis iſta conſolantium frequentia, & in animum tuum inquirit, & perſpicit, quantum roboris ille adverſus dolorem habeat, & utrúmne tu tantùm rebus ſecundis dexterè uti ſcias, an & adverſas poſſis viriliter ferre, obſervantur oculi tui. Liberiora omnia ſunt his, quorum affectus tegi poſſunt. Tibi nullum ſecretum liberum eſt. In multa*

D *luce te fortuna poſuit. Omnes ſcient, quomodo te in iſto tuo geſſeris vulnere, utrúmne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in ſtatu & in gradu ſteteris. Nihil te plebejum decet; nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre eſt, quàm conſumendum ſe dolori committere? &c. Multa tibi non permittit opinio de ſtudiis ac moribus tuis recepta, multum à te homines exigunt, multum exſpectant. Si volebas tibi omnia licere, non convertiſſes in te ora omnium: nunc autem tibi præſtandum eſt, quantum promiſiſti omnibus illis, qui opera ingenii tui laudant, qui deſcribunt: quibus cùm fortuna tua opus non ſit, ingenio opus eſt. Cuſtodes animi tui ſunt. Nihil unquam potes ita indignum facere perfecti & eruditi viri profeſſione, ut non multos admirationis de te ſuæ pœniteat. Non licet tibi flere immodicè. Nec tantummodo non licet, nec ſomnum quidem extendere in partem diei licet, aut à tumultu rerum in ocium ruris, gratia quietis confugere, aut aſſidua laborioſi officii ſtatione fatigatum corpus voluntaria peregrinatione recreare, aut ſpectaculorum varietate animum detinere, aut ex tuo arbitrio diem diſponere. Multa tibi non licent, quæ humilibus & in angulo jacentibus licent. Magna ſervitus eſt, magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere. Quocirca deſine mollium tandem querelarum,* & illud ejusdem Vatis memori mente reponas. *Non ſemper imbres nubibus hiſpidos manant in agros, aut mare Caſpium vexant inæquales procellæ uſque, nec Armeniis in oris, ſtat glacies iners menſes per omnes, aut Aquilonibus querceta Gargani laborant, & foliis viduantur orni.*

E

F Ad hæc, ut dolor tuus minuatur ac leniatur, neceſſe erit, ut ipſum *Hominis* nomen in memoriam revoces, quídque ſibi velit, attentiùs expendas. *Enimverò Dii nos quaſi pilas homines habent.* ὁ δ' ὄλβος ἀ βέβαιος ἀλλ' ἐφήμερος, μικρότατα τὰ σφαλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ ἄνω, *felicitas ſtabilis non eſt, ſed in ſingulos dies mutabilis. Minimæ res ad viciſſitudinem inclinant: imò una dies excelſa depreſſit; & depreſſa in altum ſuſtulit.* τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων· ἄνθρωπος εἶ. *Summa omnis orationis hæc eſto. Homo es. Quo nullum animalium citiùs ad alta evehitur, & ad ima deprimitur.* καὶ μάλα δικαίως, Et valde meritò, ait Menander. ἀσθενέσατον γὰρ ὂν φύσει μεγίσοις οἰκονομεῖται πράγμασι. *Nam cùm viribus vel maximè deſtituatur, maxima adminiſtrat negotia.* Cùm igitur, mi Miſene, homo ſis, (etſi dubito, quia non es *animal riſibile*) oportet, ut humana feras æquo animo: Eja igitur, hanc mutationem *dexteræ Excelſi*, licèt tibi valde moleſtam, magno animo te ferre, ſi re non feras, ſaltem præ te feras: ſimúlque verſiculum illum ſæpe repetas. τροχῷ περισίχοντος ἄλλοθ' ἡτέρα αἶψις ὕπερθε γίγνετ', ἄλλοθ' ἡτέρα. Nam ùt Plutarchus rectè dicit. ζητεῖν ἐν ἀβεβαίοις βέβαιόν τι λογιζομένων ἐσὶ περὶ τῶν πραγμάτων ἀκ ὀρθῶς. *Quærere in inſtabilibus aliquid ſtabile, eorum eſt, qui de rebus rectè non ratiocinantur.* Quapropter homo cùm ſis, tametſi *extraordinarius*, quia non es *animal riſibile*, cogita, mirum non eſſe; ſi hæc Jeſuitarum in Gallias revocatio

G H

extra-

A *extraordinariè* tibi accidit, córque exedit; licèt ne exedat, penes te ſit, & ut ſit, nihil aliud hac omni *conſolatione* molior.

B Juvabit & illud, quod ſuo Polybio non ſine cauſa ſuggeſſit Seneca, ſi videlicet memineris, *ſtultum eſſe, qui nullum putat fructum, niſi bonorum præſentium, qui non & in præteritis acquieſcit, & ea judicat certiora, quæ abiêrunt, quia de illis ne deſinant, non eſt timendum. Nimis anguſtat gaudia ſua, qui eis tantummodò, quæ habet ac videt, frui ſe putat, & habuiſſe eadem pro nihilo ducit: citò enim nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & tranſit, & pœnè antequam veniat, aufertur. Itaque in præteritum tempus animus mittendus eſt, & quidquid nos unquam delectavit, reducendum, ac frequenti cogitatione pertractandum eſt. Longior fideliórque eſt memoria voluptatum, quàm præſentia.* Quòd ergo Jeſuitas in Gallia proſcriptos & ex Gallia exterminatos vidiſti, *in ſummis bonis pone. Nec eſt, quòd cogites, quantò diutius hoc bonum videre & habere potueris, ſed quamdiu habueris. Rerum natura hoc tibi gaudium non mancipio dedit, ſed commodavit, cùm viſum eſt: deinde, repetiit, nec tuam in eo ſatietatem ſecuta eſt. Cogita jucundiſſimum fuiſſe, quod habuiſti: humanum, quod perdidiſti. Nec enim quidquam inter ſe minùs conſentaneum eſt, quàm aliquem moveri, quòd ſibi* tale gaudium *minùs diu contigerit, non gaudere, quod tamen contigerit.*

C Porrò hîc ad brevia & ſyrtes cum Seneca deveni. *Non audeo*, inquit Seneca, *te uſque eò perducere, ut fabellas quoque & Æſopeos logos ſolita tibi venuſtate connectas.* Non audeo, inquam, ſuadere tibi, ut in hoc tuo dolore fabulas Æſopi diu noctúque doloris leniendi cauſa, ſtudiosè evolvas, & ùt *mundum animal*, licèt non *riſibile*, ungulásque dividens, rumines. *Difficile eſt quidem, ut ad hæc hilariora ſtudia, tam vehementer perculſus animus poſſit accedere.* Magis igitur eò propendeo, ut in hoc mœrore tuo ſedulò perlegas *Sermones convivales, ſeu ſympoſiacos Lutheri,* aut *Juvenilia Bezæ;* Crede mihi, ſi te his legendis impenderis: ſenties dolorem tuum, ſi non ſublatum, admodum tamen mitigatum.

D Sequitur ipſa doloris & triſtitiæ natura, cujus conſideratio te meritò ex Severo & Vulteio tranſmutare & quaſi *transſubſtantiare* debet in Hilarium: πολλῶν γὰρ ὄντων ψυχικῶν παθῶν ἡ λύπη χαλεπωτάτη πέφυκεν εἶναι πάντων inquit Plutarchus, *Cùm enim multæ ſint animæ affectiones, triſtitia omnium graviſſima eſſe ſolet.* διὰ λύπην γάρ φασι καὶ μανίαν γίνεσθαι πολλοῖς, καὶ νοσήματα ἄκη ἰάσιμα, αὐτές τ' ἀνῃρήκασι τινές. *nam ex triſtitia maniam & inſaniam morbósque inſanabiles quibuſdam gigni, imò & ob triſtitiam nonnullos violentas manus ſibi intuliſſe conſtat.* Cave, cave, Mi- E ſene, ne dolori triſtitiæque tuæ laxes habenas, ſi tamen in te *triſtitiæ* notio & nomen cadit; quia ſoli creaturæ rationali competére fertur: cùm ergo tu ſis *creatura irrationalis*, quia es *animal non riſibile*, meritò quæri poſſet, utrum triſtitia in te locum habeat. Sed faciamus habere locum, tuum erit curare, ni inſanus fieri velis, etſi forſan jam es; ne nimiùm triſtitiæ indulgeas, frænum injice, cohibe, ne te in graviora mala præcipitet. Nolo hîc repetere ex ſacris literis divina oracula, quæ ipſe tibi lector bibliorum diurnus nocturnúsque facilè ſubjicies.

Brevem *conſolationem* promiſi. Brevitatem præſtabo. Aureum monitum eſt illud, neſcio cujus: aureísque litteris, quantumvis in plumbeo pectore tuo exarandum. ἀλλ' αὐτὸς αἰεὶ μίμνε τὴν σαυτῦ Φύσιν σώζων βεβαίως ὥσε χρυσὸς ἐν πυρί. *Semper mane idem: naturámque tuam ſerva incolumem, ſicut aurum in igne.* nam, ùt Plutarchus verè ait: πεπαιδευμένων ἐσὶ καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν πρός τε τὰς δοκούσας εὐτυχίας τὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ πρὸς τὰς ἀτυχίας γενναίως φυλάξαι τὸ πρέπον. *Eruditorum & modeſtiæ ſtudioſorum eſt, ut & in proſperis iidem maneant, & in adverſis decorum ſervent.* F

Supereſt non poſtremum dolori tuo leniendo pharmacum. Quodnam illud? Audi Senecam. *Dolorem dies conſumit, licèt contumaciſſimum, quotidie inſurgentem, & contra remedia efferveſcentem, tamen illum efficaciſſimum mitigandæ ferociæ tempus enervat. Eſt tarda illa quidem medicina, quam adfert longinquitas, & dies,* inquit M. Tullius, *ſed tamen magna.* Cic. lib. 3. Tuſc. Quæſtion.

Illud te quoque non minimum adjuverit, ſi cogitaveris, nihil profuturum dolorem tuum, nolles enim eſſe, quod irritum eſt. Proinde parcamus lachrymis nihil proficientibus. Primo quoque tempore dolor deponendus eſt, & ab inanibus ſolatiis atque amara quadam libidine dolendi, animus recipiendus. Nam lachrymis noſtris, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Pythagoras tibi ſic diceret, aut Socrates, aut Plato. Quid jaces? Aut quid mœres? aut cur ſuccumbis, cedísque fortunæ? quæ pervellere te forſitan potuerit & pungere: non potuerit certè vires frangere: magna vis eſt in virtutibus, eas excita, ſi fortè dormiunt. Jam tibi aderit princeps fortitudo, quæ te animo tanto eſſe coget, ut omnia, quæ poſſint homini evenire, contemnas, & pro nihilo putes. Aderit temperantia, quæ te turpiter & nequiter facere nihil patiatur. Quid eſt autem nequius & turpius effœminato viro? G

Nec Prætereundum: quod ut præſentem dolorem non leniat, obſtabit tamen in poſterum, ne tantam ægritudinem incurras: Et quid hoc? *Præmeditatio rerum futurarum. Nihil eſt enim, quod tam obtundat, elevétque ægritudinem, quàm perpetua in omni vita cogitatio,* H

A *gitatio, nihil esse, quod accidere non possit; quàm meditatio conditionis humanæ, quàm vitæ lex commentatióque parendi; quæ non hoc adfert, ut semper mæreamus, sed ut nunquam. Quamobrem omnes cùm secundæ res sunt, maximè meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant. pericla, damna, exilia, peregrè rediens semper cogitet. Communia esse hæc: fieri posse, ut ne quid animo sit novum: Quidquid præter spem eveniat, id omne deputare in lucro.* Sed tu *plerophoria Calviniana* certus, non putabas, fieri posse, ut Jesuitæ in Galliam revocarentur, útque *Christianissimus Rex*, cognomine suo dignum animum in Societatem Jesu accipe-

B ret. At deceptus es, ùt vides; secus accidit, ac putâras: Quare nunc totus es in dolore. Qua de causa, nisi ex omissione prædictæ præmeditationis? quam qui usurpat, is *considerandis rebus humanis proprio philosophi officio fungitur, & adversis casibus duplici consolatione sanatur, primùm, quòd posse accidere diu cogitaverit, quæ cogitatio una maximè molestias omnes extenuat & diluit: deinde quòd humana, ferenda intelligit.* Verùm quia factum reddi non potest infectum, cave saltem, donec crux levior fiat, *detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, femorum, capitis, percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus & idem Accianus: scindens dolore identidem intonsam comam. In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum Regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mœror levaretur.*

C Illud ad extremum tibi tuísque Prædicantibus non parùm solatii in hoc communi mœrore afferet; quòd jus mentiendi, calumniandi, criminandi, fanda infandáque contra Jesuitas comminiscendi vobis adhuc integrum manet, ut proinde, quemadmodum antea, ita & posthac sycophantiis, fraudibus, fallacibúsque cuniculis instructi; Innocentiæ exitium machinari queatis. Nec deerit satellitibus suis Magister vester & fidelis doctor Diabolus, cui à calumniando nomen venit: qui ob plagam sibi vobísque

D inflictam nihil inausum intentatúmque relinquet. At obviam ibit Societas; primùm, vitæ integritate & innocentia; Deinde eorum, quæ muneris sui sunt, fida & prompta executione, potissimùm institutione populi, & Juventutis. Tertiò, precibus apud Deum & cœlites; & apud ipsum etiam Ignatium, inter cœlites nunc degentem, quibus assiduè contendent, ut, quod *Christianissimus Rex* pro Regni sui emolumento egit, id fortunare & confirmare velint. Ipsi etiam, qui ad Regni illius gubernacula sedent, minus posthac fidei habebunt criminationibus vestris adversùs Jesuitas confictis, postquam à tanto Rege à tam potenti & invicto, tam fortiter, potenter & invictè prostratæ sunt, dissectæ ac confutatæ. Patent jam fraudes vestræ, in propatulo jacent omnibus conspicuæ. Cur E formidarentur ab insontibus? *Manifestum* Hom. 19. *malum quasi malum fugitur & cavetur*, inquit Auctor operis imperfecti, *malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur; nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur, & ideo conjunctum bono exterminat bonum. Sed servi Diaboli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos*, & sub hoc velo in veros Christianos conviciis & mendaciis grassantur. Prævaluit semel adversùs beatum Job capitalis ille adversarius: & ita prævaluit, ut beatus ille vir omnibus miseriæ spectaculum foret. An secundò prævaluit? Nequaquam: quin ex ærumnis illis ita efflоruit, quasi nunquam in ullam calamitatem incidisset. Imò *Dominus bene-* Job. ult. *dixit novissimis Job magis, quàm principio ejus.* Videor mihi, Misene, in hoc etiam negotio simile quid animo præcipere, ac præsentire; quod celatum nolui majoris voluptatis gratia.

Habes Lithe, παραμυθικὸν λόγον ἀναγ- F
καιότατον ὄντα σοι πρόσε τὴν τῆς παρέσης Plut. ad Apoll.
λύπης ἀπαλλαγήν, καὶ τᾶ πάντων ἀνιαρωτάτα πένθες παῦλαν, *consolationem tibi maximè necessariam, ut à præsenti tristitia libereris, & ab omnium molestissima ægritudine cureris.* Spero, medicinam hanc non intempestivè adhibitam: quia non hesternus & nuperus est iste tuus dolor; sed jam tempore sat longo, quo ex Galliis hic tam infaustus nuncius ad te pervenit, corroboratus. Quare nihil me contra morem me- G
dicorum peccâsse arbitror. οἱ βέλτισοι γὰρ
τῶν ἰατρῶν πρὸς τὰς ἀθρόας τῶν ῥευμάτων
ἐπιφορὰς ἂκ ἐυθὺς προσφέρσι τὰς διὰ τῶν
φαρμάκων βοηθείας, ἀλλ' ἐῶσι τὸ βαρῦνον
τῆς φλεγμονῆς διὰ τῆς τῶν ἔξωθεν ἐπιχρίσων ἐπιθέσεως ἀυτὸ δι' ἀυτᾶ λαβεῖν πέψιν.
Præstantissimi medici non statim repentinis defluxionibus pharmaca adhibent: sed sinunt, ut malum illud, ipsum per se ipsum concoquatur, extrinsecus emplastris impositis. H *Sumendum tempus est*, ait Marcus Tullius, *non minùs in animorum morbis, quàm in corporum, ùt Prometheus ille Æschyli: cui cùm dictum esset; Atqui Prometheu, te hoc tenere existimo, mederi posse rationem iracundiæ. Respondet. Siquidem, qui tempestivum medicinam admovens, non ad gravescens vulnus illidat manus.* Arbitror, me hæc, & si quæ sunt alia, dum dolori tuo mederi conor, cum cura observâsse. Licèt Seneca magis probet, ut, dum dolor est recens, absque mora curetur. *Vulnerum quoque sanitas facilis est*, inquit ille, *dum à sanguine recentia sunt, tunc & urundum, & in altum revocantur, & digitos scrutantium recipiunt, ubi corrupta in malum ulcus se verterunt, difficiliùs curantur. Vehementiùs contra inveterata pugnandum est.*

Verùm

A Verùm enimverò, utcunque ad curationem acceſſerim, ſive dolore jam mora corroborato, ſive adhuc crudo & novo, tu, Mi Lithe, Lithus, & adversùs omnem impetum fortunæ ſaxeus eſto. *Nunquam ego à te, ne ex toto mœreas, exigam. Satis præſtiterit ratio, ſi id unum ex dolore, quod & ſupereſt & abundat, exciderit. Nam ut quidem omninò nullum eum eſſe patiatur, nec ſperandum ulli, nec concupiſcendum eſt. Fluant lachrymæ, ſed eædem deſinant: trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum, ut & ſapientibus te approbare poſſis & fratribus* Calvinianis.

B Quia verò librum tuum, & ipſam de rebus Gallicanis diſceptationem, concludis aliquot epigrammatis, tum mei, tum univerſi Ordinis noſtri cohoneſtandi gratia; inhumanus eſſem, niſi vicem reponerem, amorémque amore compenſarem, & donum Muſeum ad tam Muſis amicum caput remitterem. Et quidem ejusmodi donum, quod non domi meæ natum; ſed caſu repertum eſt inter Epigrammata *Hermanni Buſchii Paſiphili*, ante centum annos Profeſſoris in Academia Lipſienſi: ex quorum numero duo hanc inſcriptionem habent. C *In Miſenum.* Obſtupui, cùm epigraphen vidi, multóque magis, ubi Epigramma perlegi. Vidi enim Hermannum hunc non tam eſſe *Poëtam*, quàm *Prophetam*, quem enim *Miſenum*, in Miſnia depinxit, ſi non depinxit iſtum, atque adeò ſi plus propheticè, quàm poëticè præcinuit, qualis *Miſenus* aliquando naſciturus, probísque negotium facturus, & controverſias moturus eſſet: Id ut clarè cognoſcas, Miſene, adſcribam utrumque epigramma, tu utrumque antidori & compenſationis nomine à me volente & lubente volens lubénsque accipe, & te in hoc tuo ſpeculo D quotidie ſæpius intuere. Nullus unquam pictor magis expreſſis vivísque coloribus te abſentium oculis repræſentabit. Vix ante hanc picturam te noveram. Nunc totus mihi pares & pares. Sed audiamus canentem Hermannum.

CARMEN HERMANNI BUSCII PASIPHILI POETÆ NON INCELEBRIS,

HUMANIORES LITTERAS IN FAMIGERATISSIMA, NOMINATISSIMAQUE LIPSENSI ACADEMIA PUBLICE DOCENTIS

EPIGRAMMATUM LIB. 3.

IN MISENUM.

E *EBrius, implacidus, rudis, inconſultus, & aſper,*
Sordidus, effrenis, litigioſus, atrox,
Ridiculus, mendax, vilis, temerarius, audax,
Agreſtis, petulans, vaniloquus, & iners,
Torvus, moroſus, varius, jactator, ineptus,
Futilis, inflatus, bile, furore tumens,
Triſtis, inhumanus, præceps, immitis, acerbus,
Subdolus, & mendax, plus nimióque procax,
Improbus, inviſus, conturbatórque malignus,
Diſſimilis docto, diſſimilisque bono.
Delirus, nugax, opicus, ſycophanta protervus, F
Tetricus, & rigens, ùt canis, ore ſenex.
His vitiis veluti turmis inſtructus, & armis
Me petit: & prædam me putat eſſe ſuam.
Sed tu ſi paulùm ſpectes modò: candide lector,
Occumbet furtis, Ardelio ille ſuis.

ALIUD IN EUNDEM MISENUM.

G *QUidam mendacem dixit, MISENE, levémque*
Te nuper; verum hunc an retuliſſe putas?
Erravit: non es mendax, mendacium es ipſum.
Ipſáque tu levitas: non es, amice, levis.

Impreſſum Lips per Baccalaureum Martinum Landtsberg civem Lipſenſem, Calcographum nulli ſecundum. Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, quarto.

H Ecce Iconem tuam ante centum annos in Academia Lipſienſi formatam, tam fabrè, peritè, & dextrè, ut mirari te credam, quomodo necdum natum videre, viſúmque adeò ſcitè verſibus effigiare potuerit profeſſor illius Academiæ, cujus & tu olim alumnus eras: ſed acuta vatibus mens eſt, quam non modò ad præſentia, ſed & ad futura mittunt; & cum his te dimitto.

FINIS.

Laus DEO Virginique MATRI.

EPISTOLA GRÆCA

SIMONIS LITHII MISENI CALVINISTÆ IN SUA ELEMENTA

A

JACOBO GRETSERO SOCIETATIS JESU THEOLOGO *RESOLUTA.*

Cum

PHARMACIS OB JESUITARUM IN GALLIAS REVOCATIONEM IRATO

ET

METICULOSO MISENO CURANDO IDONEIS.

ACCESSIT ADMONITIO BREVIS DE MIRACULOSIS IN VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO APPARITIONIBUS, QUAS MALE TORNATIS VERSIBUS INSULSUS POETASTER LITHUS INSECTATUS EST.

REVERENDISSIMO
IN
CHRISTO PATRI
AC
DOMINO, DOMINO
QUIRINO LEONINO,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,
PROTONOTARIO APOSTOLICO, CATHEDRALIS
ECCLESIÆ RATISBONENSIS PRÆPOSITO, ARCHIPRESBYTERO
ET VICARIO GENERALI, &c.

ANno ſuperiore obtuli tibi, *Reverendiſſime Domine*, tertiam Apologiam pro vita B. P. N. Ignatii, cum *Conſolatione* pro Litho Miſeno, cui reditus noſter in Galliam, tantum cruciatus attulerat, quantum Caucaſus Prometheo, vultur intima viſcera ſemper rimans Tityo, rotáque Ixioni. Non ſanavit, ùt jam video, *Conſolatio* mea ægrum Miſeni animum; ſed pupugit, vel potiùs magis exaſperavit. Mox enim ut *Conſolationem* legit, ex barbaro vel ſemibarbaro Latino factus eſt Græcus ἐπιθέτης, epiſtolâ Græcâ admodum *pueriliter;* (non enim dicere poſſum, licèt de vieto & capulari ſene; *ſeniliter*) ad me datâ, qua negat ſe dolore affectum, ira potiùs percitum, & timore perculſum fuiſſe ait, ob noſtram in Galliæ regnum revocationem.

At quàm verè hoc dicat, planum facit mea hæc epiſtolæ Miſenicæ analyſis: cui ipſe non alia de cauſa, quàm ut unum adhuc chartæ folium epiſtolæ ſuæ Voluſianæ adjungeret, adjecit picturam Monſtrantiæ ſeu Hierothecæ cujuſdam, & neſcio quid inſipidiſſimorum, nec in Parnaſſo, ſed in Trophonii aut Mopſi ſpelunca natorum carminum. Et quamvis illis ipſis diebus, quibus Miſeni epiſtola ad me pervenit; Bavium & Mævium ægerrimos, & propè depoſitos ac deſperatos curarem, alterum quidem, ùt Alchymiſtam, Antimonio; alterum helleboro, víxque fieri poſſe videretur, ut deliranti quoque Miſeno medicam manum porrigerem, attamen pro meo in Miſenum amore, aliquid temporis aliis ſuffuratus ſum, & hoc, quod conſpicis, *Recipe*, pro Lithi ira & metu præparavi. Quòd tibi, *Reverendiſſime Domine Præpoſite*, ſtrenæ vice ac loco offero. Sunt hodie Kalendæ Januariæ, quibus vacuum ad te venire non decebat. Nec ſtrenas accipere dedignaberis, quas maximos Principes protenſis ad populum manibus hac die cupidè accepiſſe novimus. Deum precor, ut iſtæ ipſæ Kalendæ ſæpius tibi feliciter oriantur. Vale. Ingolſtadii Kalendis Januarii. M. DC. V.

Reverendiſſimæ Paternit.
tuæ addictiſſ.

JACOBUS GRETSERUS.

EPISTOLÆ GRÆCÆ, SED LITHINÆ,

HOC EST,

LAPIDEÆ ET ΑΝΑΙΣΘΗΤΟΥ IN SUA PRINCIPIA ANALYSIS.

Divisio epistolæ Misenicæ in quatuor præcipuas partes; in contradictiones, mendacia, criminationes, & inanes prophetias.

A NOn abs re facturus mihi visus sum, Lithe Misene, si veteres glossographos imitatus, ùt illi textum, quem explicare instituunt, ita ego epistolam tuam in suas partes dispertirem; in contradictiones nimirum, mendacia, criminationes, & inanes prophetias, quæ divisio epistolam tuam, nisi fallor, adæquat, æquè ac *objectum attributionis* scientiam seu facultatem, cujus est *objectum*. De singulis breviter aliquid dicam: ac primò de antilogiis.

B Prima contradictio. Negat se *tristitia affectum ob Jesuitarum in Galliam reditum; eámque ob causam nulla Consolatione opus habuisse*. At primis statim epistolæ verbis sic scribit: *Divulgato Societatis tuæ reditu in Galliam, sanè molestè (verum enim, ùt opinor, dicendum est) illum tuli.* Si molestè tulisti; ergo doluisti; ergo tristitia affectus es. Quid enim est dolere seu tristari, quàm molestè ferre, seu, ùt tu Græcè loqueris πάνυ δυσχερῶς ἔχειν. Potéstne fieri, ut quis amici aut parentis mortem πάνυ δυσχερῶς admodum ægrè ferat; & tamen non doleat?

C Secunda contradictio. Ait, *ea, quæ cum Jesuitis in Gallia evenerunt: nullam animi ægritudinem sibi attulisse*; Et tamen, palàm profitetur; se restitutionem nostram πάνυ δυσχερῶς, admodum ægrè & molestè tulisse. An aliquid ægrè & molestè ferre, nulla est ægritudo animi?

D Tertia contradictio. Dicit, *se ob id, quod accidit, non valde perculsum esse*. Et tamen idem Misenus eâdem manu, qua hæc scripsit, vel illo ipso ore, quo hæc dictavit, simul etiam vel scripsit, vel dictavit; se reditum nostrum in Galliam πάνυ δυσχερῶς, *valdè molestè tulisse*. An qui aliquid admodum molestè fert; non valdè percellitur, præsertim si præter votum & expectationem, id, quod molestiam creat, ei eveniat?

E Quarta contradictio. Ait, *se non tam dolere, ob reditum nostrum, quàm metuere, ne reditus noster novas turbas in Gallia excitet.* Et tamen ille ipse Lithus, qui hoc affirmat, simul etiam affirmat, se ob restitutionem nostram non *dolere*. An non dolet; qui non tam dolet, quàm timet? An non famet, qui non tam famet, quàm sitit? An non sitit, qui non tam sitit, quàm famet?

F Quinta contradictio. Ait, *se præclarè nosse, quamlibet in rebus omnibus mutationem exspectari posse*. Et tamen in secundo suo adversus B. P. Ignatium scripto, præclarè sibi nôsse videbatur, mutationem hanc dexteræ Excelsi non posse exspectari: Plerophoria enim Calviniana plenus firmiter sibi persuadebat, in cœlo, & in Gallia jam ultimam, & irrevocabilem sententiam contra Jesuitas latam esse; neque ab ullo ullam mutationem in melius exspectari debere. At nunc quamlibet *mutationem dicit exspectari posse*.

G Sexta contradictio. Ait, *se non heri vel nudiustertius didicisse naturæ humanæ imbecillitatem, & facilem ad contraria conversionem.* Et tamen iste ipse Misenus in secundo suo scripto vel potiùs calumniarum sacculo certissimus sibi videbatur, nullam ampliùs Jesuitis, aut Jesuitarum fautoribus conversionem ad pristinum statum sperandam aut exspectandam esse. Obsecro, quando tandem mutata priore illa tua persuasione, cœpisti agnoscere facilem ad contraria rerum conversionem? Si non heri & nudiustertius, forsan nudiusquartus, forsan nudius quintus? & ut grandiorem numerum nominem, forsan nudiusdecimus.

H Septima contradictio. Ait, *sibi perspectum esse, nihil periculi electis*, hoc est, Calvinianis, *imminere, licèt Jesuitæ ex toto orbe in Galliam concurrant.* Et tamen ille idem, qui hoc tam probè novit, publicè fatetur, se timere, ne Jesuitarum impulsu, & instigatione Calviniani in Gallia non modò premantur; sed & inde exturbentur. Quid times pericula, si electis tuis nihil periculi impen-

A impendet? Quid metuis, ne Calviniſmi curſus præpediatur, ſi nullum eſt periculum, ne præpediatur? Quid times, ne Calviniſtæ aliqui ad Catholicam fidem revertantur, ſi electi tui ab hoc regreſſu quàm tutiſſimi vivunt; ſi, ùt inquis, vocem alienam, hoc eſt, non Calvinianam, non audiunt? Quid times, ne aliqui doctrina & inſtitutione Jeſuitarum retrahantur, ne in Calviniſmum ruant; ſi electus, hoc eſt, Calviniſta futurus, nullis retinaculis retineri poteſt, quò minùs Calviniſta fiat?

B Octava contradictio. Dicit, *ſe malè ominari nolle de noſtro in Galliam reditu.* Et tamen integram propè pagellam vaniſſimus augur vaniſſimis omnibus implevit. Verùm de hoc capite in prophetiis Miſenicis.

Nona contradictio. Parlamentum Pariſienſe vocat δικαϛήριον σεμνότατον; interpres Miſenicus vertit *judicium graviſſimum*, & tamen Senatores hujus δικαϛηρίϖ & Curiæ mox nominat *Antichriſti mancipia*; quia omnes Catholicos vocat *Antichriſti mancipia*; inter Catholicos autem ſunt etiam illi Senatores, teſte Miſeno, qui eos non modò Catholicos, ſed & καθολικωτάτες appellat.

C Decima contradictio. Dicit, *reditum noſtrum in Galliam attuliſſe ſibi iram & indignationem, non triſtitiam aut dolorem.* At fieri nequit Miſene, ut quis iraſcatur & indignetur, nullóque dolore afficiatur. Docet hoc experientia. Docet Ariſtoteles lib. 2. Rhetoricorum: qui odii & iræ differentiam his verbis tradit: καὶ τὸ μὲν (ὀργίζεσθαι) μετὰ λύπης. τὸ δὲ (μισεῖν) ἄ μετὰ λύπης, ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος λυπεῖται, ὁ δὲ μισῶν, ἄ. *Ira conjuncta eſt cum dolore. Odium, caret dolore. Dolet enim, qui iraſcitur, non item, qui odit.* Et initio fermè libri, ſic iram definit. ἔϛω δὲ ἡ ὀργὴ, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, &c. *ſit igitur ira appetitio ulciſcendi cum ægritudine conjuncta.*

D Undecima contradictio. Fatetur Miſenus, *ſe plenum eſſe timore, ne reditus noſter Galliæ* (hoc eſt, Calvini ſectæ, hanc enim *Galliæ* nomine intelligit) *parùm emolumenti afferat:* & tamen negat ſe ægritudine quapiam ob revocationem noſtram affectum eſſe. Atqui hoc evenire nequit: ſi affectionum & perturbationum accuratiſſimo indagatori & inquiſitori Ariſtoteli fidem habemus, qui ita in Rhetoricis, ἔϛω δὲ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ. *Metus eſt triſtitia ex objecta ſpecie imminentis mali.* Cùm igitur timens triſtetur, non abs re conſolatione ſublevatur. Quare non video, quàm cohæreant illa tua verba: *Non opus fuerat conſolatione tua, ad me præſertim, non tam dolentem, quàm metuentem,* An metuenti nulla conſolatio adhiberi poteſt, qua metus velut pharmaco quodam leniatur, ut maximè metus vel in te, vel in quocunque alio ab omni ægritudine animi vacaret?

Duodecima contradictio. Dicit, *reditum noſtrum in Gallias ſibi non eſſe admiratione dignum;* hoc eſt, nullam admirationem peperiſſe. At primis ſtatim epiſtolæ verbis, ait, ſe, *audita Jeſuitarum in Gallias reſtitutione ſecum animo perpendiſſe & diſquiſiviſſe, quidnam eſſet in ſapientiæ divinæ profunditate reconditum, quòd Jeſuitæ revocati eſſent, antiquato Pariſienſi decreto.* Quæ, obſecro, hujus tuæ diſquiſitionis cauſa? Quæ origo? Nónne admiratio? διὰ τὸ θαυμάζειν, inquit Ariſtoteles, οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀπόρων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν ἕτω προϊόντες, καὶ περὶ τῶν μειζόνων διαπορήσαντες. *Propter admirationem cœperunt homines & nunc & primitus philoſophari. Initio enim ea, quæ ex dubiis & arcanis obvia erant, admirati, poſtea paulatim eò uſque proceſſerunt, ut & de majoribus dubitare inciperent.* Idem omnino tibi uſuveniſſe abſque temeritate exiſtimo. Admiratione enim tactus & captus ob hunc tibi totíque gregi Calviniſtico tam inſperatum eventum, pigram tuam victámque mentem ſurſum erigere, & quæ hujus revocationis cauſa eſſet, inveſtigare ingreſſus es; neſcio tamen, num veram cauſam inveneris; hoc ſcio, eam ſi inveniſti, literis abs te non eſſe proditam. Ariſtot. 10. Metaphyſ.

Quanquam dum hæc tecum fermocinor, G injuriam fortaſſe tibi irrogo: cùm enim, ùt ipſemet liberè, conſultò & præmeditatè faſſus es, non ſis *animal riſibile*; neque *admirativum* ſeu θαυμαϛικὸν ζῶον eris. Nam omne animal *admirativum* eſt etiam riſibile, & omne riſibile *admirativum.* Cùm ergo non ſis animal riſibile; nec admirativum cenſeri poteris, & quod hinc eſt conſequens, nec rationale. Quid igitur es? Habes, Miſene, dodecadem antilogiarum breviculæ tuæ epiſtolæ. Accipe nunc dodecadem mendaciorum ejusdem tuæ epiſtolæ.

Pſeudologiæ Miſenicæ Epiſtolæ.

H I. Mendacium *Jeſuitas ſententia Juriſconſultorum Pariſienſium, nullo diſſentiente, condemnatos fuiſſe.* Intrepidè dico, hoc eſſe Miſenicum figmentum. Certum enim eſt, non paucos ob adverſum Societatis caſum vehementer doluiſſe, & tempeſtati illi, donec deſæviret, non conſenſiſſe, ſed coactos ceſſiſſe.

II. Jeſuitas *fuiſſe ejectos toto regno.* Atqui ex undecim vel duodecim Collegiis Galliæ nunquam extulerunt pedem. Nominavi omnia Collegia in altera Apologia. Dices. Nos ejectos eſſe ex tota Gallia decreto & ſententia. At tu de actu loqueris; & ideo falſum loqueris.

A III. Nos *ejectos esse maxima omnium fermè lætitia.* Si de omnibus Calviniſtis loqueris, non accuſo te mendacii. Poteras tamen illud *fermè* omittere; quia puto, nos maxima non fermè, ſed ſimpliciter omnium Calvinianorum lætitia ex Gallia ejectos eſſe. Si loqueris de omnibus fermè Catholicis, facis, quod ſoles; nam nobiliſſimæ civitates, in his Burdegalenſis & Toloſana, noſtros nunquam dimittere voluerunt, & Pariſienſi decreto ſeſe pro nobis ſumma benevolentiæ ſignificatione opoſuerunt. Et quanto Catholicorum in Gallia gaudio expulſi ſimus, ſatis teſtatur revocatio noſtra; qua vix promulgata; urbes ampliſſimæ & primariæ non paucæ Regi pro Collegiis erigendis ſupplices libellos obtulerunt. Sed non eſt opus refellere tuum mendacium, quando tu ipſe refellis. *Si omnium fermè lætitia ejecti ſumus ex Gallia*, ùt tu ais; unde ergo tot apud Chriſtianiſſimum Regem ex clero & Antiſtitum Ordine interceſſores & deprecatores pro noſtro reditu; quot tu ipſe tua in epiſtola indicas?

B IV. Parùm abfuiſſe, *quin Galli Jeſuitarum culpa fierent Hiſpanorum ſervi.* Putidum & millies in Apologiis Gallicanis & meis refutatum commentum. Nihil aliud unquam quæſitum aut cupitum eſt, quàm ut ne Calviniana ſecta Catholicam Religionem, ùt in Anglia, peſſundaret. Nihil aliud quæſitum aut cupitum eſt, quàm quod jam Deus Galliis benigniſſimè & clementiſſimè conceſſit, nimirum, ut Rex Catholicus & orthodoxus potentiſſimum illud regnum obtineret & moderaretur; in quo piorum deſideriis cumulatiſſimè Deus ſatisfecit; hoc tam invicto, magnanimo, & Heroico Principe ad ſceptra ligera, ſimúlque ad avitæ religionis profeſſionem vocato.

C V. *Nos omnia cogitare, dicere, facere, quæ conducant ad Antichriſti majeſtatis amplificationem: etiamſi obtruncandi ſint Reges.* Mentiris, ùt Calviniſta impudens & effrænis. Plus dicere nequeo. Plus dicunt Apologiæ & noſtræ & noſtrorum contra hujuſmodi Miſenicas & Prædicanticas jam ſexcenties decantatas Pſeudologias. Audi, Miſene, tantum abeſt, ut ulli Regum Principúmve interitum moliamur, ut pro cujuſvis Regis Catholici, vel etiam à Catholica religione alieni, ſanguine tamen noſtro ad Eccleſiæ gremium reducendi incolumitate & ſalute, parati ſimus obtruncari ſive tua, ſive cujuſcunque alterius ſectarii truculenta & ſanguinolenta manu.

D VI. *Nos non abſolutos eſſe hac revocatione falſis criminibus, quæ nobis intentârunt Prædicantes:* imò adeò abſoluti ſumus, ut majorem abſolutionem ne optare quidem potuerimus, etiamſi nobis optio data fuiſſet. Abſolvit nos Rex Chriſtianiſſimus, non temerè, non præcipitanter; ſed poſt E aliquot annorum maturam & accuratam deliberationem. Abſolvit nos Curia Pariſienſis, revocato priore decreto. Quam tu majorem & honorificentiorem abſolutionem deſideras? An vis, ut veniamus ad te tuósque Prædicantes, & ad Paræi *myſtacem*; neque interea nos abſolutos cenſeamus, donec à vobis albos calculos referamus? Falleris, Miſene; Tanti Regis unicum verbulum & unicus pro nobis nutus diſſipat, & diſijcit omnes veſtras, quamvis montium inſtar exaggeratas criminationes. Ipſe Rex inclytus facinoris, de quo vociferaris, culpam in nos nunquam contulit. Hoc nobis abundè ſatis eſt. Clama, tona, boa, interim pro nobis ſtat Rex Chriſtianiſſimus: contra nos viliſſima muſca Miſenus: Uter pluris æſtimandus? Etſi vereor, ne injurioſus ſim in Regem invictiſſimum: quando vel ludens quæro, cujus judicium pluris faciendum ſit?

F VII. *Nos antea Galliam bellis civilibus turbâſſe.* Mendacium hoc jam ſæpius profligavimus. Prædicantes nobiſcum agunt, ſicut cum Helia Achab; quo viſo, ajebat. *Tûne es ille, qui conturbas Iſraël?* Cui Pro- 3. Reg. 18.
pheta animo imperterrito: *Non ego turbavi Iſraël; ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Tu, tu Miſene, & domus Calvini tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, turbâſtis Galliam, Belgium, Germaniam, & hoc ipſo tempore Hungariam, quaſi à Turcis non ſatis turbata eſſet. Ubicunque enim Principes licentiæ veſtræ, Evangelii ſpecioſo titulo fucatæ, liberas habenas non permittunt, mox *tympana tenta ſonant, & tuba dat taratantara;* omnésque G
arma, arma fremunt. Notus eſt genius veſter, qui ſi tantum poſſet, quantum avet, quis à veſtro furore tutus eſſet? Sed ùt Petrus gradiens ſupra mare non eſt ſubmerſus; etſi videbatur ſubmergendus, Domino manum opportunè porrigente; ita & Petri navicula, hoc eſt, Eccleſia, ab hæreticis turbinibus fævísque preſteribus agitata videtur interdum ſubmerſioni vicina; ſed ſubſidio accurrit Dominus; memor promiſſi ſui, quo ſe Petro obſtrinxit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Eccleſia etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpe vexatur,* inquit S. Ambroſius, *tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium. quia in arbore ejus,* S. Ambroſ. *id eſt, in Cruce, Chriſtus erigitur, in puppi* lib. de Sa- *pater reſidet gubernator: proram paracletus ſer-* lom. cap. 4. *vat ſpiritus. Hanc per anguſta hujus mundi* H *freta duodeni in portum remiges ducunt, id eſt, duodecim Apoſtoli, & ſimilis numerus Prophetarum, &c. Inde nullo modo in illud barathrum, quaſi Dathan & Abiron, id eſt, in profundum mortis Urſacii & Valentis* (Lutheri & Zvvinglii) *incurrimus. Inde Arium* (Calvinum) *Archipiratam, qui nos per mare ſeculi ad in-*

ſtar

A *ſtar Pharaonis inſequitur, non timemus, illam ſtellam ſervantes in cælo, quæ Magos perduxit ad Chriſtum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus eſt portus exſpectat, &c. Inde nobis Aquilo nocere non poterit, quamvis inde ſint Antichriſti violenta flabra ventura* (imò & jam venerint in Luthero) *ſicut ſcriptum eſt: Ex aquilone exardeſcent mala. Inde ſyrtes gentilium, & periculoſas hæreſes, & ſcopulos evitamus, quos ſuperjacens aquæ*
B *tenuis occultat allapſus. quia hæretici ſub prætextu nominis Chriſtiani abſconſa perfidiæ ſaxa fallaci confeſſione oris obducunt, in quæ homines, dum illis, quòd Chriſtiani ſint, fides adhibetur, impingunt. Hæc ergo navis Eccleſia eſt, quæ etſi quotidie ſeculum iſtud tanquam aliquod pelagus ſortitur infeſtum, nunquam eliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum.* Hæc S. Ambroſius.

VIII. *Nos prodidiſſe Gallos.*

C IX. *Et ſanguine Regis pollutas manus habere.* Nil opus hîc mea refutatione; Refellit hæc mendacia ipſe Rex Chriſtianiſſimus; tum ipſa Ordinis noſtri reſtitutione; tum edictis & dictis pro innocentia noſtra adverſus adverſariorum criminationes potentiſſimis, efficaciſſimis, & honorificentiſſimis; quæ ſi ſemel lucem adſpexerint; ingentem crucem tibi afferent; & inſolabilem dolorem parient. Refellunt inſuper hanc extremam Miſeni vanitatem ampliſſimæ Reſpublicæ Galliæ; quæ partim noſtros ſemper retinuerunt, & priſtina benevolentia, amorísque ſignificatione amanter foverunt; partim à Rege ſuo ſupplicibus libellis & contenderunt, & adhuc contendunt, ut Collegiorum excitandorum poteſtas fiat: multarúmque votis jam à Rege ſatisfactum; & quibus ſatisfactum non eſt, id non evenit; quia Rex noluerit, ſed quia noſtrorum paucitas omnium deſi-
D derio explere nequit. Putásne Galliæ incolas hoc affectu in noſtros fore; ſi criminum, quorum tu terræ filius nos inſimulas, rei vel eſſemus vel fuiſſemus? Mirum dictu, mendacia in tuo tuorúmque animis tam altas egiſſe radices, ut nulla auctoritate, nullóque teſtimonio, etiam regio, amplius evelli poſſint. Flexiæ, ſua in natali urbe, condidit Chriſtianiſſimus Rex Societati Regium planè Collegium. Scholas adjecit; quas jam ultra mille auditores frequentant; ùt certa multorum relatione didicimus. Domicilia, ex quibus expulſi eramus; reddi juſſit. Nova alibi conſtruxit. Vetera ſempérque inhabitata confirmavit. Argumenta omnia, quibus nonnulli Jeſuitarum in integrum reſtitutionem remorari tentabant, validiſſimè diſſolvit; & obices omnes potenter amovit: Sacerdotem ex Ordine noſtro, ſemper in Regia habet; quo in ſacris concionibus utitur. Denique ea & egit & agit pro Societate noſtra Rex invictiſſimus, ut ingenuè fateamur, nos his tanti Principis tantis beneficiis repenſandis prorſus eſſe impares, adeò tamen obſtrictos, ut pro tam eximii Patroni incolumitate & ſalute, próque Galliarum felici ſtatu, non modò illi, qui in Gallia degunt, ſed & nos, qui extra illam; parati ſimus expendere, quidquid à religioſæ vitæ profeſſoribus gratæ mentis teſtandæ gratia proficiſci, expeti & exſpectari poteſt. E

X. Dicit, me nôſſe, *quæ ante decem annos in Societate Pariſiis ſubdolè ſtructa & tentata fuerint.* Nihil profectò ſubdolè ſtructum tentatúmque novi. Hoc ſcio, omnes Societatis noſtræ intra & extra Galliam nihil aliud continuis precibus à Deo flagitâſſe, quàm ut Gallia avitam religionem ſartam tectámque retineret, Regémque antiquis illis Clodoveis, Pipinis, Carolis, Ludovicis, aliísque Heroibus parem, ſtudióque priſcæ fidei & ſedis Apoſtolicæ obſervantia aſſimilem adipiſceretur. Quod divinitus conceſſum eſſe lætatur non tantùm Gallia, ſed & univerſa Eccleſia. F

XI. Dicit, me jactare, *nos perpetuò in Gallia manſuros.* Nunquam hoc dixi, multò minùs jactavi. Satis nobis eſt, nos reſtitutos eſſe, & quidem à tanto Rege, cum approbatione præcipuorum Ordinum, & ampliſſimarum civitatum gratulatione & applauſu. Cætera Deo commendamus. Nos ſedulò operam dabimus, ne noſtra culpa unquam ejiciamur. Si ab Hæreticis exturbemur, gloriæ id nobis erit, non dedecori. Faciemus, quod Chriſtus juſſit. Si perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Scin quis ille, qui pulſus in exilium protulit iſta? *Teſtor Deos Deásque omnes immortales, veſtrásque maximè mentes, me non vitæ turpitudine, non pro magnitudine ſcelerum, non propter reliquæ ætatis infamiam pœnas jure & lege perſolvere; ſed propter virtutis invidiam, propter jucundiſſimam ingenii laudem, propter magnitudinem rerum geſtarum, crudeliſſimè civitate privari. Quòd ſi idem accidit Q. Cepioni, ſi Mancino, ſi Rutilio, mihi quoque hoc accidiſſe non magnoperè erit mirandum: cùm præſertim non generis antiquitate, ſed virtutis ornamentis ſummam laudem ſim conſecutus.* G

XII. *Non contemnendam Galliæ partem, multum plorare juſſis Papæ traditionibus, veritatem Evangelicam,* hoc eſt, Calvinianam, *amplecti.* Quod manifeſtè falſum. Quantula enim Galliæ portio eſt illa, quæ Calvinianum virus imbibit? Quantuli, qui Calvinum in deliciis habent, ſi conferantur cum illis principibus, & populoſiſſimis atque opulentiſſimis civitatibus, qui Calvinum jure optimo, tanquam peſtiferum hæreſiarcham execrantur. H

Ut taceam, Calvinum in Gallia propemodum ad incitas redactum, nobiliſſimorum

A rum hominum quotidiano ad Ecclesiam Catholicam transfugio? Nam ùt olim ad Davidem, tametsi adhuc à facie Regis Saul profugum, quotidie fortissimi & præstantissimi quíque sese conferebant; ita & hodie in Galliis, (prout fert fama non obscura) & generis & eruditionis laude eximii non pauci cum Deo, & Ecclesia in gratiam redeunt. *Hi quoque venerunt ad David in Siceleg*, inquit sacra Scriptura, *cùm adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregii pugnatores, tendentes arcum, & utraque manu fundis saxa jacientes & dirigentes sagittas, &c. Sed & de Gaddi transfugerunt ad David, cùm lateret in deserto, viri robustissimi & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam, facies eorum, quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* Comparatione horum, quid sunt excucullati quidam cuculi, qui ad Calvini caveam
B interdum avolant. Mihi mirificè placet, quod de Friderico I. hujus nominis commemorat auctor, qui expeditionem ejus in Palæstinam in literas retulit. *Imperator rumore accepto de quorundam apostasia, sic ad nostros dicitur fuisse locutus. Oportet in exercitu nostro cribrari granum, de palea, & mundari. Vix aut nullatenus arrideret nobis aliqua fortunæ prosperitas, quandiu isti essent apud nos, qui sic apostatando filios perditionis & Diaboli se esse demonstrant.*

C En Misene dodecadem epistolicæ tuæ Pseudologiæ: non quia plures excerpere & annotare nequiêrim; sed quia duodenario contentus esse volui. Nunc ad convicia: quæ mendaciis, ornamenti gratia, tanquam annulo gemmas jungis.

Convicia & Calumniæ Misenicæ Epistolæ.

D PRimò, impetum dat in ipsum Regem, quem ait, *fortè non volentem, sed nolentem Jesuitas revocâsse.* Quæ non vulgaris est in tantum Principem calumnia & injuria. Audi, Misene non tantùm volens, & libens; sed si ita loqui licet, etiam *volentissimus*, benevolentissimus & libentissimus Societatem regno suo reddidit; quod testatur Regis edictum, de quo in *Consolatione* plura: & Societatis gravissima defensio apud illos, qui initiò Regis decreto intercedebant; postea benigniorem mentem ipsi etiam complexi. Planè confido, fore, ut aliquando, quæ Rex pro Societatis innocentia & honore cum omnium admiratione differuit ac peroravit; Gallicè in lucem exeant: quæ ut intelligas, si Gallicæ linguæ ignarus es, non gravatè in Germanicam aut Latinam linguam vertenda curabimus.

II. Parisienses Jureconsultos, & omnes Catholicos universim appellat. *Antichristi mancipia.* III. Eosdem *leves, & inconstantes* vocat. IV. *Idololatras.* V. *Artolatras* VI. E
Pontificem Romanum, *Ausonium Beelzebub.* VII. Jesuitas *exploratores Ausonii Beelzebub.* VIII. *Impostores.* IX. *Seductores.* X. *Veritatis inimicissimos.* XI. *Omnis pudoris expertes.* XII. *Impurorum dogmatum Doctores.* Et quid non? Ad quæ nil respondebo, nisi S. Ambros. lib. 2. de interpell. quæ dixisse scribit B. Ambrosius sanctum illum & patientem Job, cùm ei opprobriis & insultationibus, qui consolatum venisse videbantur, molesti essent. *Ecce rideo in opprobriis, & non loquar, nec respondebo conviciis vestris. Non enim vos estis, qui judicatis, sed qui judicat me, Dominus est: & ipsius tamen judicii tempus nondum advenit. Quid opus clamare ante judicium? Bonum est tacere, dum exspectatur, qui judicat. Bonum est convicium convicio non referre, ne & nos inter detrahentes annumeremur. Imitemur ergo hunc virum*, monet S. Ambrosius, *qui silentio suo redarguebat conviciantes: ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non moverent, & conscientiæ innocentiam manifestabat: qui objecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret.* F

Cùm Catoni causam agenti, ait Seneca, *in frontem mediam, quantum poterat, attracta* Sen. lib. 3. de ira. *pingui saliva, inspuisset Lentulus, abstersit faciem; & affirmabo, inquit, omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere.* Idem & ego de Miseno, ejúsque conviciorum sputamentis dicam.

Monebat veterum quidam suos, ut con- G
viciatores non aliter audirent, quàm si dicerent;

ὦ ξένε
ἐπεὶ ὅτε κακῷ, ὅτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας.
ἦλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ νύ τοι ὄλβια δοῖεν.

Quos versus sic reddidit interpres.

Hospes non mihi tu malus insipiénsque videris.
Vive, vale lætus; tibi Dii dent prospera multa.

Hujus monitis libens obtempero, quoties Misenus linguam in convicia solvit.

Etiam Propheta factus est Misenus; sed *Baaliticus.* Futura nunciat, sed Baaliticè. Assumptis cornibus cum parabola sic vaticinatur ex tripode Calviniano.

Prophetiæ Misenicæ.

Prima Prophetia. *Jesuitas in Gallia con-* H
cionantes aut rem divinam facientes, has voces prolaturos esse: ô Rex, & vos reliqui, qui maximam in Gallia dignitatem obtinetis, ejicite hæreticos, ejicite Calvinistas, quippe impios & Epicureos: reliqui autem Papæ Romano fidem habentes, quod felix faustúmque sit, idolatriæ & artolatriæ initientur. En quàm acuta mentis acies huic fatidico vati. Arcana mentium, & quod mirabilius, nec-
dum exstantia, novit; nec novit tantùm, sed

A ſed & pandit, ut pariter noſcamus. Sed quid ſi ſpiritu mendaci inſtinctus hæc præcinuit? Quis dubitet? Nam ut Jeſuitæ ſuo munere in Galliis fungantur, cujus gratia à maximo Rege clariſſimóque Parlamento reducti, & ab ampliſſimis civitatibus expetiti ſunt, & adhuc expetuntur: non opus eſt, ut in tragicas illas exclamationes prorumpant, proponendo clarè, diſtinctè, ornatè Catholicæ veritatis pulchritudinem, & ſedatè refellendo & convellendo ſectæ veſtræ vaniſſimam imperitiam & inſipientiam, ídque palàm, & publicè in cathedris Scholaſticis & Eccleſiaſticis, itémque juventutem bonis literis & moribus aſſiduè & fideliter informando, vocationi ſuæ abundè ſatisfacient, & à ſynagoga veſtra prædam exſpectatam ſtrenuè avertent: ut proinde exclamationibus & obteſtationibus *Prædicantium propriis* absque cauſæ Catholicæ detrimento ſuperſedere poſſint. Dico,
B *Prædicantium propriis.* An non enim in Saxonia & paſſim alibi vociferantur? ô Princeps, vósque, qui ad Reipublicæ clavum ſedetis, expellite Calvinianos! Exterminate impios & Epicureos! Nónne hæ voces expulerunt te ex Miſnia in Palatinatum? Nónne tam iſti Lutherani, quàm tui Calviniani Stentoreis vocibus, ubi rerum potiuntur, intonant? *Ejicite Papiſtas, profligate Jeſuitas, ἐκὰς ἐκὰς ἔσε βέβηλοι. Foras Papiſtæ, foras Jeſuitæ.* An non iſtæ tuorum Symmyſtarum cantiones exturbârunt omnes Catholicos ex ditionibus veſtris? An non tam altè in veſtra pectora deſcenderunt, ut Jeſuitarum quiſpiam vix via regia & publica vitæ ſecurus per Provincias à Calvini peſtifera aura afflatas, iter agere poſſit; & quidem indies minus? Quia Calvini ſpiritus caveæ tam diuturnæ incluſus, exire in publicum, ſitímque reſtinguere Clerico & Jeſuitico cruore geſtit.
C II. Prophetia. *Jeſuitas denuò Galliam turbaturos. μάντι κακῶς.* *Denuò* non turbabunt; quia antea nunquam turbârunt. Tu, tu, & domus Calvini tui regnorum turbatores eſtis. Tu, tu, inquam, Miſene, vates Baalitice. *Vim afferri noctuam,* inquit Comicus, *quæ tu, tu, usque dicat tibi, nam nos jam defeſſi ſumus.* Qui his ipſis menſibus turbavit Hungariam, eámque legitimo Domino, Auguſto Imperatori eripere conatus eſt, is antea in tempeſtates conjecit
D Galliam. Quis ille? Quis, niſi Lutheranus & Calvinianus ſpiritus? Turciſmi & Tartariſmi frater? propterea Turcæ & Tartari tam cupidè huic ſpiritui in aciem prodeunti ſuppetiatum accurrerunt? Sed gratia Deo & Deiparæ Virgini, Pannoniæ protectrici: reliquísque cœlitibus, quorum ope & favore remiſſus eſt cum copiis ſuis eò, unde exſtiterat; ad loca, ubi *Ferrei Eumenidum thalami, & diſcordia demens; Vipereum crinem vittis innexa cruentis.*

Scribit Joannes Thuurozius in Chronicis Hungaricis; Hungaros recens ad fidem Chriſtianam traductos, impoſtorum quorumdam perſuaſionibus eò proceſſiſſe, ut retrò ad *paganiſmum* reſpectarent, manúque facta, armati abs Rege ſuo hæc poſtularent. *Concede nobis ritu Patrum noſtrorum in Paganiſmo vivere, Epiſcopos lapidare, Presbyteros exterminare, Clericos ſtrangulare, decimatores ſuſpendere, Eccleſias deſtruere, campanas confringere.* Honeſtiſſima profectò poſtulata; & digna, quibus Rex Chriſtianus annueret. Cùm, ùt par erat, nollet; ferro frangenda fuit ferro jam cincta improbitas. Quis belli illius Auctor? Rex pius, an profanitas ſubditorum? Quid aliud precatur ſpiritus Calvinianus, quàm illud ipſum, quod petiêrunt deſertores illi Hungari? *Concede nobis in Evangelio nuper nato vivere, Epiſcopos exterminare, Presbyteros, Clericos, Monachos, & ante omnes, Jeſuitas, laqueo aut gladio enecare; Eccleſias expilare, & in ſtabula vel horrea commutare; campanas in bombardas vertere; calices in cyathos; Sacra vaſa in pocula.* Ubi Turcicis hiſce hæretici genii deſideriis non annuitur; mox *Tartaream Bellona tubam inflat,* & *rauco ſtrepunt cornua cantu,* & tunc *tempus equos, tunc poſcere currus,* vel potiùs haſtas & ſclopos.

III. Prophetia. *Jeſuitas iterum ex Gallia expulſum iri.* Tam vera ſcilicet, quàm erat prior illa tua, Jeſuitas in Galliam nunquam revocatum iri. Mentitus es antea. Cur non & jam mendax habearis? Deceptiſti, & deceptus es antea; cur non & modò? Nos, Miſene, hoc tempore in divinæ providentiæ ſuaviſſima diſpoſitione, & in maximi Regis pro Societate noſtra decreto libenter conquieſcimus; & quia tales Prophetæ, qualis tu, nequaquam ſumus; de futuris nihil certò ſcimus; ſed benè confidimus, ſperamúsque, dum Catholicis in Gallia locus erit; nobis itidem locum fore: illud etiam de divina clementia nobis firmiter pollicemur, nunquam futurum, ut nos orthodoxis cauſam expulſionis præbeamus. Nam ſi à vobis ejiceremur, id non magis mirum foret, quàm ſi calor potentior, expellat frigus debilius; nulla pax vobis, dum Calviniani eſtis, nobiſcum unquam erit, nulla concordia. *Antè lupos rapient hædi, vituli antè leones, Delphini fugient pisces, aquilæ antè columbas, Et converſa retro rerum diſcordia gliſcet.*

Quare quidquid ſive in Gallia, ſive alibi H ex Hæreticorum violentia & truculentia nobis acciderit, clamabimus cum illo. *Vim volunt afferre? præſto ſum. Ejicere volunt? Exeo indicta cauſa. Nolunt audire? cauſam non dico. Aliud quidpiam conantur? Agant. Nihil durì, nihil acerbi mihi erit, quod Rempublicam* (Eccleſiam) *tutabitur. Non enim illis victis cedo, ſed incolumibus vobis* (Orthodoxis)

A doxis) *me condono: neque enim mors miseranda est, quæ ob Rempublicam* (Ecclesiam) *capitur; neque exilium turpe, quod virtute suscipiunt, non adimunt gloriam immortalem: si exilio multabunt, corpus, non animum à Republica* (Ecclesia) *removebunt. Nam ubicunque ero, hoc cogitabo, hæc semper cura mea erit, méque vobis* (Catholicis Galliæ incolis) *ereptum, non à vobis repudiatum existimabo.*

B IV. Prophetia. *Forsan post Davidis mortem, Salomonem aliquem exoriturum, qui necem eorum, quos Joab injustè occidit, vindicaturus sit.* Admodum mysticus & allegoricus fit Propheta noster *lapideus.* Commentario ergo opus est, ut involutæ allegoriæ evolvantur. Post invictissimum istum Regem Societatis nostræ defensorem, & in Galliis restitutorem, auguratur Misenicus aruspex, fore Regem, qui alio in Jesuitas sit animo; (nam qui injustè à Jesuitis occisos vindicet, nullus erit, nec esse poterit; cùm, quos Jesuitæ peremerint, nullus unquam justè sit reperturus, aut nominaturus.) Sed falleris, ô vane vates. Multi anni Regi Christianissimo. *De nostris annis Regi Deus augeat annos. Serus in cœlum redeat, diúque Lætus intersit populo Pipini. Néve te nostris vitiis iniquum Ocyor aura Tollat, hic magnos potiùs triumphos, Hic amet dici pater atque princeps.*

C Sed tamen, cùm, qui fatali necessitate omnes præstolatur vitæ finis, advenerit; non deerit, qui tanti Regis solium in æquitate & justitia teneat: Jam enim ex nobili arbore aureus succrevit, indiésque felicibus incrementis succrescit ramus; qui traditam sibi fidei & Societatis nostræ tuendæ lampadem non patietur unquam extingui, *pacatúmque reget patriis virtutibus orbem.* Et ut hoc soli landi tui gratia adjiciam, jam Serenissimus DELPHINUS patriam pietatem imitatus, Societati JESU VIENNÆ, nobilissima civitate, insigne Collegium erexit: ubi superiore autumno Scholæ, auspiciis tanti Principis, apertæ sunt, magno urbis illius applausu, & studiosæ juventutis frequenti accursu.

D V. Prophetia. *Jesuitas tantis beneficiis ingratos fore.* At ego te mendacem & esse, & cum his Prophetiis tuis perpetuò fore pronuncio. Quod summus Orator post reditum ab exilio populo Romano pollicitus est, idem nos pollicemur Galliæ, ejúsque Christianissimo Regi *Henrico IV.* Quid igitur maximus ille orator? *Memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solùm dum anima spirabo mea, sed etiam cùm mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, sempérque præstabo, mihi neque de Republica in consiliis capiendis diligentiam, neque in periculis à Republica propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda, fidem; neque in hominum voluntatibus pro Republica lædendis, libertatem, nec in perferendo labore industriam, nec in vestris commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam: atque hæc cura erit infixa animo meo sempiterna.* Quam ergo operam fidémque ob acceptum revocationis beneficium promisit M. Tullius Quiritium temporali Reipublicæ; hanc nos, ceu Religiosos decet, promittimus Gallicanæ Ecclesiæ, atque adeò Reipublicæ; quia bonum Ecclesiæ ad Reipublicæ commodum permanat. E

VI. Prophetia; quam non reprehendo, F sed obviis ulnis amplector. Vaticinatur, nos, aliósque Catholicos nobiscum, hymnos Deo & Deiparæ Virgini decantaturos ob nostrum in Galliam reditum. Vera hîc canis, Misene; Deo Cœlitibúsque hymnos cecinimus, & adhuc canemus, laudésque & grates debitas perpetim persolvemus ob hoc cœleste, & contra expectationem votáque vestra impartitum nobis beneficium. Quod eò gratius & dulcius est, quò clariùs animadvertimus, quàm de Ecclesia bene mereri cupientibus molestum sit, carere amplissimo illo nobilissimarum civitatum theatro, ex quibus exire jussi eramus. *Etsi homini nihil est magis optandum*, inquit Oratorum præcipuus, *quàm prospera æquabilis, perpetuáque fortuna, secundo vitæ sine ulla offensione cursu, tamen si mihi tranquilla & placata omnia fuissent, incredibili quadam & pænè divina, qua nunc, vestro beneficio, fruor, lætitiæ voluptate caruissem.* Simile quid de Societate nostra dicere licet.

Cur ergo hymnum ἐπιβατήριον & regressionis vocibus elatis non concinat, & ad concinendum omnes orthodoxos invitet? G Et quidem hymnum, à B. Davide præstantissimo Hymnographo, desumptum? Psalm. 65. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo. Venite & videte opera Dei, &c. qui convertit mare* (illud illud ærumnarum) *in aridam,* (hoc est, in pacem & tranquillitatem,) *Qui dominatur in virtute sua in æternum, &c. Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus: Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probâsti nos Deus: igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, &c. Venite & audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi, & exultavi sub lingua mea: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus: propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericor-* H

A *ricordiam ſuam à me.* Hic Hymnus noſter ἐπιβατήριος, & ut ſic appellem, *regreſſorius*, erit. Qui ſi moleſtiam tibi creat, claude aures, non enim dicam, amputa. Obtura, ſatis eſt. Hæc de Prophetiis Miſeni, quarum quòd pauciores ſunt contradictionibus, mendaciis & conviciis, id ne mireris. Nondum Miſenus noſter in *prophetando* tam exercitatus eſt, quàm in ſibimetipſi contradicendo, & calumniando. Nunc ad alia.

Pharmacum pro irato Miſeno.

B AIt Miſenus, *ſe non dolere ob noſtrum in Galliam reditum, ſe potiùs iraſci & timere.* Medeamur igitur iræ & timori. Jam enim antea dolori ejus medicinam porreximus, quanquam negat ſe *dolere.* Sed quidquid dicat; inſolabiliter dolet, cúmque Naſone ex Ponto lamentabili næniâ quiritatur.

C *Tempore ruriculæ patiens fit taurus aratri:*
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis:
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum:
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæq; ſui juſſis obtemperat Inda magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis:
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & incanas ſemen producit ariſtas:
Et, ne ſint triſti poma ſapore, facit.
Hoc tenuat dentem terram findentis aratri.
Hoc rigidos ſilices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam ſævas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœſtáque corda levat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas.
Præterquam curas attenuare meas.

D Hæc Miſeni oda eſt à ſummo dolore, quem ob revocationem noſtram in Gallias, in Calviniſtico ſuo pectore concepit, extorta. At mittamus dolorem, iram curemus: ejúsque ante omnia cauſam indagemus: nam *ùt medici cauſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putant: ſic nos, cauſa iræ reperta, medendi facultatem reperiemus,* ùt præclarè ait Cicero, niſi fortè Miſenus ita comparatus eſt, ut nolit ſibi fieri medicinam ob dulcedinem, quam ira adjunctam habet. Nam ùt Ariſtoteles ex Homero teſtatur, ira πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, *melle liquente ſuavior humanó ſuccenſa in pectore gliſcit.* At ſi Miſenus noſter ſapere cupit, haud ita affectus erit; quia iræ dulcedo admodum noxia eſt, ùt & iræ συνέχεια, *continuatio* & *aſſiduitas.* ἔξιν γὰρ ἐμποιεῖ πονηρὰν τῇ ψυχῇ, ἣν ὀργιλότητα καλοῦσιν εἰς ἀηροχολίαν, καὶ πικρίαν, καὶ δυσκολίαν τελευτῶσαν, ùt docet Plutarchus. *Ingenerat enim animo malum habitum, quem iracundiam vocant, deſinentem in iraſcendi facilitatem, amaritudinem, & moroſitatem.*

Cicer. lib. 3. Tuſcul. Quæſt.

Plut. lib. de non iraſcendo.

Quas igitur Miſenus iraſcendi cauſas habuit? optimus naturæ interpres, omniúmque diſciplinarum magiſter Ariſtoteles docet libro ſecundo Rhetoricorum, fontem & originem iræ eſſe ὀλιγωρίαν, *neglectum.* Neglectus autem tres ſtatuit ſpecies, καταφρόνησιν, ἐπηρεασμὸν, καὶ ὕβριν, *contemptum, incommodationem* & *contumeliam* ſeu *injuriam.* Tres iſtæ ſpecies noſtro itidem Miſeno bilem movent. Nam Chriſtianiſſimus Rex inconſulto & inſcio Miſeno reſtituit Jeſuitas. An non inſigniter contemptus eſt Miſenus, quòd Rex ſuo in regno hoc auſus fuit, non exquiſito priùs conſilio Miſenico? Quæ major καταφρόνησις excogitari poteſt, quàm iſta, quòd talis ac tanti viri, qualis Lithus noſter eſt, à Rege potentiſſimo nulla ratio eſt habita? An non igitur perſpicuè nunc Miſenicæ iræ cauſam intuemur? etſi necdum totam & *adæquatam?*

E

F Altera neglectus ſpecies, procreatrix iræ, eſt ἐπηρεασμὸς ſeu *incommodatio*, quam definit Ariſtoteles. ἐμποδισμὸν ταῖς βουλήσεσι, *obicem & impedimentum conſiliis & cogitationibus objectum & oppoſitum.* An non ex hoc itidem capite ſat cauſæ iraſcendi Miſeno ſuppetit; cujus, Calviniſmum quàm latiſſimè per regnum Galliæ propagandi conatibus, cogitatis, votis, deſideriis, & machinamentis Rex Chriſtianiſſimus Jeſuitas unà cum aliis religioſæ vitæ profeſſoribus oppoſuit?

G Tertia neglectus ſpecies eſt ὕβρις, mater & ipſa iræ. Quanta contumelia, quantáque injuria affectus eſt Miſenus, quòd Rex Chriſtianiſſimus, ipſo invito & reluctante, priſtinis ſedibus Jeſuitas reddidit? Quanta hæc præclari Lithi dehoneſtatio, quæ contumeliæ effectus quidam judicatur: ὕβρεως γὰρ ἀτιμία, *contumeliæ proprium eſt detrahere alteri dignitatem;* ùt ait Ariſtoteles. Volebat Miſenus Jeſuitas in omnem æternitatem ex Gallia excluſos: volebat Calviniſmo nullum objici obicem, nullúmque frenum injici, quò minùs liberè quoquoverſum, ſe ſe diffunderet. En his Miſeni deſideriis medius nunc intervenit Rex inclytus, eorúmque quaſi curſum progreſſúmque interrumpit & abrumpit? Quî fieri poſſet, ut non iraſceretur Lithus?

H Nam tunc iraſcimur, cùm quis nulla habita noſtri ratione, appetitionibus noſtris adverſatur. *Sive igitur quis ei directò adverſetur*, inquit Ariſtoteles, *ùt ſi ſitienti obſtet, ne bibat; ſeu non planè directò, peræquè tamen idem facere videtur. Et ſive contrà tendat quis, ſive etiam non adjuvet, ſeu qua alia in re moleſtus ſit ita affecto, iis omnibus, qui ita affectus eſt, iraſcitur. Quare & qui ægrotant* (peſte Calviniſtica) *& quos inopia* (cœleſtis cognitionis) *urget, & qui amant* (Hæreſin)

A resin) *& qui ſitiunt* (ſectas) *omninóque, qui quid cupiunt, neque id conſequi poſſunt, iracundi ſunt, & facilè incitantur, præſertim adverſus illos, qui præſentem ipſorum ſtatum negligunt, &c. prout enim quisque affecto ac perturbato animo eſt, ita in eo, quaſi via ſtrata ac munita eſt ad iram ex hac, aut illa re concipiendam. Præterea verò, ſi contrà exſpectabat fore. Majorem enim moleſtiam inurit, quod valde præter opinionem accidit.* Hæc præclarè Ariſtoteles.

B Venimus ergo ad prima iræ tuæ principia; quibus per Pharmaca idonea ſublatis, neceſſe erit ipſam itidem iram tolli. Quòd ſi boli amariores videbuntur, quàm quos devorare & digerere poſſis, memineris Ambroſianæ illius commonitionis. *Nemo amarioribus præoptet dulciora. Dulcis voluptas videtur, amarum jejunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipſis plus prodeſſe corporibus. Sicut cùm in intimis puerorum viſceribus vermes ex cibi indigeſtione naſcuntur, exſtingui non queunt, niſi cùm amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inoleſcit aſperior, quorum odore moriantur.*

S. Ambroſ. lib. de jejunio cap. 11.

C Non es in ira relinquendus, ſed ſanandus, quantum vires noſtræ ferunt. Nolim te nobis, aut Chriſtianiſſimo Regi perpetim ſuccenſere. Pluris enim te, magiſtrum alioquin *de plano* & *pedaneum*, tuámque iram facio, quàm Lutherus avus tuus iratum Ducem Georgium, ſempiternæ memoriæ Principem, de quo hunc in modum ad Spalatinum ſuum ſcurratur. *Sanctus Georgius Dux Saxoniæ* (præcedente epiſtola eundem vocaverat *porcum Dreſdenſem*) *valdè* IRAXIT *adhuc, ùt audio. Proficiat ſibi. Atque utinam iraxere velit, donec Papiſta eſt.* Nolim te, ut Lutherano vocabulo utar, *iraxere*, donec Calviniſta es. Pone iram, & vince animum: & ut ponas vincásque, en tibi ponendi & vincendi Pharmaca.

Luth. Tom. 2. epiſt. ad Spal. fol. 9.

Pharmaca pro ira ex ſacris Literis, & ex ipſa Miſeni epiſtola.

D PRincipiò, voco te hominem ex Bibliis quodammodo conſutum, ad Biblia. Etſi trepidè id facio. Trepidationem injicit Lutherus, qui in colloquiis *Menſalibus* ait, ſe *peſſimis modis odiſſe muſcas:* eò quòd ſint imagines Hæreticorum & Diaboli. Qua verò ratione Hæreticorum imaginem gerant, his verbis, ſat profectò Lutheranis, docet nos Lutherus. *Quando pulcher aliquis liber aperitur, mox advolat & involat muſca, & podice ſuo hinc inde circumcurſat: quaſi diceret: Hîc ſedeo, & huc debeo balſamum meum ſive ſtercus allinere.* Ita Lutherus: Timeo, Miſene; ne Bibliis expanſis facias, quod ab imagine tua *muſca*, Lutherus fieri ſcribit: timeo, inquam, ne pulcherrimis ſcripturæ ſententiis fimum & oletum perverſæ interpretationis illinas.

In Colloq. Germ. Francof. M. D. LXXI. fol. 438. b.

E Explicemus tamen divinum Codicem: in quo non pauca monita ab ira directò dehortantia: Ut, *Deſine ab ira, & derelinque furorem.* Pſal. 36. *Non te ſuperet ira.* Job. 36. *Auſer iram à corde tuo.* *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Epheſ. 4. Subditque Apoſtolus. *Nolite locum dare diabolo:* indicans eum, qui in ira perſeverat, Cacodæmoni ſtationem conceſſiſſe, in qua ſecurus quieſcat. Monet quoque S. Jacobus, ut quivis *tardus ſit ad iram.* Jacob. 2. Et addit cauſam: *Ira enim viri, juſtitiam Dei non operatur.* En, Miſene, quàm grande malum ira. Eſt & hoc Eccleſiaſtæ oraculum. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Eccleſ. 7. Stultus igitur eris, ſi requiem iræ præbeas; præbebis autem, niſi quàm primùm expuleris. Et quid inde ſequetur, niſi illud, quod in Proverbiis ſcriptum? *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam.* Prover. 12. Jam ſatis indicâſti in epiſtola iram, & cum ira ſimul auriculas tuas, aut ſi non tuas, at Midæ, tibi tamen aſſutas. Numerat quoque Apoſtolus iram inter opera carnis. Carnalis igitur cenſeberis, niſi iræ tuæ modum poſueris.

F Nec plura ex ſacris literis congero & ſuggero; Plura ſuggeres ipſe tibi, etſi metuo, ne te defendas exemplo Dei. cui ſcriptura iram tribuit: ſed num propter reditum Jeſuitarum in Gallias, qui tibi hujus tantæ palámque teſtatæ iræ amica eſt cauſa? Deinde nihil accommodatius, quod tibi reponam, invenio; quàm illa Caſſiani. *Nonnullos audivimus hunc animæ perniciosum morbum ita excuſare tentantes, ut eum deteſtabiliore interpretatione ſcripturarum extenuare geſtirent;* dicentes non eſſe noxium iraſci, cùm ipſe Deus iraſci ac furere dicatur; *non intelligentes, quòd dum hominibus occaſionem peſtiferi vitii volunt concedere, immenſitati divinæ ac fonti totius puritatis injuriam carnalis paſſionis admiſceant.* Si iraſcereris & fureres ùt Deus; nemo id tibi vitio verteret. At quia iraſceris & furis, ùt Miſenus, ideo diſpiciendum eſt, quomodo ab hac ægritudine libereris. *Quod in luctu dici ſolet efficaciſſimè & in ira dicetur,* inquit Seneca, *utrum aliquando deſines, an nunquam? ſi aliquando, ſatius eſt iram relinquere, quàm ab ira relinqui. Sin ſemper hæc cogitatio durabit, vides quàm impacatam tibi denuncias vitam.*

Caſſ. lib. 8. Inſtit. cap. 2.

G

Sen. lib. 3. de ira.

H Ut ergo ex his fluctibus evadas, poſt divinarum literarum oracula & monita, ſuadeo, ut iræ tuæ mitigandæ Græcam tuam ad me epiſtolam accuratè perlegas & perpendas. Ut Lutherus poſt Biblia primas tribuit Æſopo, & Catonianis moralibus diſtichis; ita tu proculdubio proximum à Calvinianis Bibliis locum concedis tuæ Epiſtolæ, quam, cùm Græca ſit, & devexa jam in tumulum ætate nata; diligis, opinor, inſtar τηλυγέτου, & ùt oculos tuos. In ea

A ea ſanandæ iræ tuæ duo præſtantiſſima remedia invenies. Alterum, *Jeſuitas Electis*, hoc eſt, Calvinianis, *nihil detrimenti afferre poſſe.* Quid ergo amore tuorum, & metu, ne quid damni patiantur, fruſtra, ne dicam ſtultè, iraſceris? Alterum, *Jeſuitas iterum ex Gallia expulſum iri.* Hac ergo cogitatione & præſenſione tua leni animum, & tempera exortas irarum procellas. At cupis, ut id citò fiat; quia jam vicinus es Orco, & Stygius navita in dies te præſtolatur, ut trans irremeabilem undam vehat. Sed differ etiam aliquid voluptatis ad illam tibi præparatam ſedem, niſi Calviniſta, eſſe deſiêris. Quis tandem eſt, cui omnia in hoc rerum tam variis
B mutationibus obnoxio ſtatu ad voluntatem vel fluant, vel fluxerint? Quanto gaudio perfunderis, cùm verſanti in locis, ubi nullum alioqui gaudium, tibi hîc tam deſideratus & exoptatus nuncius afferetur?

Sed progrediamur ad alia medicamina, eáque ægro alacriter & ſtudiosè adhibeamus: *neque enim ſani tantùm eſſe volumus, ſed & ſanare*, inquit Seneca, qui etiam ſapienter monet, *ne primam iram oratione mulcere audeamus. Surda eſt*, inquit, *& amens; dabimus illi ſpatium, remedia in remiſſionibus proſunt. Nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem movendo incitaturi, nec cætera vitia, dum fervent. Initia morborum quies curat.* Etſi hîc nullum præcipitationis periculum. Sat diu jam duravit ira Miſenica. Jam dudum prima eſſe deſiit. Jam vetus eſt, & fermè annuo ſpatio corroborata.

Pharmaca pro ira Miſenica ex Plutarcho, Seneca, Ariſtotele.

C NOn fugit me, quæ Pharmaca leniendæ iræ ſuæ deſideret Miſenus; ſed Medici non eſt dare, quod ægrotus expetit, ſed quod expedit. Inter cæteras rationes, quibus ira extinguitur, hæc etiam una eſt, teſte Ariſtotele, ſi quis fateatur, ſe non rectè egiſſe: dicátque, ſe pœnitere. *Quaſi enim hoc ipſum pœnæ loco ſit, quòd dolent ſe ita feciſſe, ſedatur ac conquieſcit ira. Atque id notare poſſumus*, ait Ariſtoteles, *cùm à ſervis pœnas exigimus: eis enim, qui negant, & adverſus nos cauſam ſuam defendere conantur, ſæviores; at eis, qui ſe meritò vapulare fatentur, placabiliores ſumus.* Vellet nimirum Miſenus, ut auctores noſtræ in integrum reſtitutionis faterentur, ſe grande piaculum commiſiſſe, cujus ſe admodum pœniteat, háncque pœnitentiám
D teſtarentur ac confirmarent, repetita noſtrorum expulſione. Hæc videlicet planiſſima & expeditiſſima ratio eſſet placandi Miſeni, & præſentaneum omnis iræ excidium. At fruſtrâ, Miſene, hoc exſpectas remedium. Exſpecta pariter, *dum labitur amnis:* at ille: *Labitur & labetur in omne volubilis ævum.*

Nunquam iræ tuæ tam molle emplaſtrum E obtinget: ùt nec hoc, de quo idem Philoſophus: Placabiles efficimur *iis, qui ſe nobis adjiciunt, neque verbis adverſantur; videntur enim fateri, ſe inferiores eſſe. Conquieſcere autem iram adversùs eos, qui ſe abjiciunt, etiam canes oſtendunt, qui proſtratos non mordent.* Jucundum ſcilicet & perquam volupe Litho noſtro foret, ſi ſe patroni, & reſtitutores noſtri ad Calvinianos ejus pedes proſternerent, ſupplicésque veniam orarent: tum fluctus concitatos ſedaret, tum annueret, & nutu totum tremefaceret Olympum.

F

Sed hæc & alia nonnulla, quæ Ariſtoteles præſcribit, nimis delicata & ſumptuoſa ſunt remedia, facultatésque & fortunas tuas longè ſuperantia. Convenientiora depromes ex Seneca, & inprimis hoc. *Ne iraſcamur*, (atque adeò ut jam irati iraſci deſinamus) aſſequemur, *ſi omnia vitia iræ nobis ſubinde propoſuerimus, & illam bene æſtimaverimus. Accuſanda eſt apud nos, damnanda, perſcrutanda ejus mala, & in medium protrahenda ſunt, ut, qualis ſit, appareat, comparanda cum peſſimis eſt.* Et ſi, teſte Hippocrate, morbus periculoſiſſimus & graviſſimus eſt, in quo vultus eſt diſſimillimus, ſequitur iram, quæ vultum tantopere immutat, graviſſimis ægritudinibus annumerandam eſſe: Quocirca ille apud Plutarchum irati hominis effigiem in animo ſemper circumferebat, ut ejus contemplatione & in-
ſpectione impetum iræ coërceret. ὁρῶν ὑπ' G
ὀργῆς ἐξισαμένους μάλιστα καὶ μεταβάλλοντας ὄψιν, χρόαν, βάδισμα, φωνήν, οἷον εἰκόνα τοῦ πάθους ἀπεματτόμην ἐμαυτῷ, πάνυ δυσχεραίνων εἰ φοβερὸς ὅτω καὶ παρακεινικὼς ὁρῶμαι ποτὲ τοῖς φίλοις. *Cùm viderem homines ita ab ira quaſi extra ſe exire, faciémque, colorem, inceſſum & vocem mutare, impreſſi mihi quaſi imaginem hujus mali; non paſſurus, ut tam terrificus & emotæ mentis aliquando in amicorum conſpectum venirem.*

H

Tu, Miſene, imitare, aut ſi tua mens tantis tenebris eſt obſita, ut nullius imaginis capax ſit, jube ſis tibi afferri ſpeculum, in quo te ipſum ira tumentem, & cana colla ſerpentis inſtar ſuſtollentem intuearis. Fecit, vel potiùs optavit, hoc ille idem apud Plutarchum, cujus accipe verba. ἐμοὶ δὲ εἴτις ἐμμελὴς καὶ κομψὸς ἀκόλουθος ἦν, ἐκ ἂν ἠχθόμην αὐτῷ προσφέροντος ἐπὶ ταῖς ὀργαῖς ἔσοπτρον, ὥσπερ ἐνίοις προσφέρουσι λουσαμένοις ἐπ' ἄδειπνον χρησίμῳ. *Si quis induſtrius feſtivúsque pedisſequus irato mihi ſpeculum adferret; haud equidem ægrè ferrem, ſicut quibusdam lavantibus, nullo operæ precio afferri conſuevit*, niſi mavis uti ratione illa Gracchi; cui in dicendo jam concitatiori & iratiori οἰκέτης

A ἀυτῷ λέγοντος ὄπισθεν ἑσὼς καὶ συρίγγιον ἔχων, *famulus ponè ſtans, & fiſtulam inflans,* modulos quaſi dabat, quibus motos fluctus comprimeret, ſéque ad æquabilitatem revocaret. Poſſet Paræus in tuam gratiam hoc munere fiſtulandi fungi. Non enim videtur malus fiſtulator, niſi me myſtax ejus fallit.

Pythagoras perturbationes animi lyra componebat, inquit Seneca: conduc & tu tibi aliquem lyricinem, ſi forſan ipſe non es *lyrodus,* etſi inſignis es λυρῳδός. Præcipit & hoc Seneca. Ut iratum & iracundum *lectio carminum obleniat, & hiſtoriæ fabulis detineat.* Meliſſus tuus nimis difficiles nugas habet. Moleſtum & turpe eſt, *difficiles habere nugas.* ait vates. Aptior affectui tuo erit *Grobianus de bonis moribus,* & *Amadiſius.*

B Cæterùm, quod de ſpeculo dixi, id fortaſſe minùs tibi arridebit, ſecuto Senecam, qui hæc. *Speculo neminem deterritum ab ira credo. Qui ad ſpeculum venerat, ut ſe mutaret, jam mutaverat. Iratis quidem nulla eſt formoſior effigies, quàm atrox & horrida, qualésque eſſe, etiam videri volunt.* Quibuſdam tamen, ùt ait Seſtius, & cum hoc Plutarchus, *profuit adſpexiſſe ſpeculum. Perturbavit illos tanta mutatio ſui, velut in rem præſentem adducti, non agnoverunt ſe; & quantulum ex vera deformitate imago illa ſpeculo repercuſſa reddebat? Animus ſi oſtendi, & ſi in ulla materia perlucere poſſet, intuentes nos confunderet, ater maculoſúsque, æſtuans & diſtortus & tumidus, nunc quoque tanta deformitas ejus eſt per oſſa carnésque & tot impedimenta effluentis. Non eſt ullius affectus facies turbatior, pulcherrima ora fædavit, torvos vultus ex tranquilliſſimis reddit. Linquit decor omnis iratos.*

C Videndum & illud, monito Senecæ, *quàm multis ira per ſe nocuerit. Alii nimio fervore rupêre venas: & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem, in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre. Nulla celerior ad inſaniam via eſt.* Propterea à plerisque *Mania* & *furor* numerantur inter ſpecies iræ; illa ùt filia; hic ùt filius. Cave, Miſene, ab hoc, & ab illa; & ut certiùs caveas, cave utriusque genitricem iram. *Multi continuaverunt iræ furorem; nec quam expulerant mentem, unquam receperunt. Ajacem in mortem egit furor: in furorem ira. Mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur; & iraſci ſe negant, non minùs quàm inſanire, furioſi. Maximum malum illos cepit, & omnia exſuperans vitia. Alia paulatim intrant. Repentina & univerſa vis hujus omnis eſt. Omnes denique alios affectus ſibi ſubjicit: nullus affectus eſt, in quem non dominetur ira.*

D Eſt & hoc non leve bilis pharmacum. *Calentibus ingeniis ſubtrahatur vinum,* præcipit Seneca, *quod pueris Plato negandum cenſet, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis qui-*

dem implendi ſunt. Diſtendentur enim corpora, E *& animi cum corpore tumeſcent.* Vix induci poteris, ut hanc adeò amaram potionem ſumas. Forſan iſta magis placebit. *Luſus proderunt. Modica enim voluptas laxat animos & temperat.*

Vide etiam, mi Lithe, ne ira & *iracundia tua inimicis voluptati ſit:* qui te fruſtra tam pertinaciter iraſcentem, ſuaviter in ſinu ſuo ridebunt; & aliorum itidem riſui exponent.

Tempore etiam *ira ſedatur,* inquit Ariſtoteles. Sed apud te jam hæc ſpes omnis decollavit. Tempus tibi non medebitur; ſi ceſſent alia remedia; potiùs ùt dolorem, ita & iram intendet. F

Miteſcit inſuper animus, teſte eodem Ariſtotele, *cùm iram in alium effuderit, ùt in Ergophilo contigit; nam cùm ei infenſiores eſſent, quàm Calliſtheni, liberârunt eum tamen, quia pridie Calliſthenem capite damnaverant.* Tu effunde iram tuam in illos, qui te Saxonia & Miſnia expulerunt: & in eos, qui Peucerum tuum in decennali carcere detinuerunt: in hos, inquam, evome tuam *choleram,* & fortè nihil ſupererit, quod exſpuas in eos, qui Jeſuitas Galliæ regno reddiderunt.

G Moneo præterea, ut oculos avertas à Panegyrico Roveriano, qui tibi, ùt video, ſtomachum movet. Abſtine, Miſene, abſtine; Longè citiùs bilem ſedabis, ſi evolvas orationem illam, qua Hæreticus quidam ſuadere tentavit *Regi Chriſtianiſſimo,* ne Jeſuitæ reducerentur in patriam, quámque; niſi fallor, Franciſcus Junius, antequam abiret ad Orcum, ex Gallico Latinam fecit. Hæc placandæ tuæ iræ non erit incommoda aut intempeſtiva, quandoquidem tam magnum operæ precium ſuaſor ille tulit, ùt & alii Prædicantes, qui eandem orationem in Germanicam linguam ſtranſtulerunt. H

Dictus eſt Divione, & Lutetiæ impreſſus, à Petro Roverio Societatis noſtræ.

Ais: *Roverianum Panegyricum eſſe Apulejanum.* Eò magis vitare debes tu homo tam Ciceronianus & Demoſthenicus. Utrum Apulejano ſtylo contextus ſit, neſcio; hoc ſcio, multos ex Calvini ſchola Apulejo legendo, emaculando & illuſtrando impigram operam navâſſe, & eſſe, qui adhuc ſe navaturos promittant. Hoc itidem ſcio, te non tam offendi dictione illius Panegyrici, quàm re dictioni ſubjecta. Hæc te angit & cruciat. At quæ illa? Reverſio noſtra in Galliam; & gratiæ actæ Chriſtianiſſimo & invictiſſimo Regi, aliíſque pro hoc tanto beneficio. At ſine, Miſene, nos gratos eſſe. Liceat per te hæc tanta beneficia palàm prædicare. Patere, ut cum Marco Tullio patriæ reſtituto publicè profiteantur noſtri in Galliis: *Quòd ſi mihi nullum aliud eſſet officium in omni vita reliquum, niſi ut erga duces ipſos & Principes atque auctores ſalutis meæ, ſatis gratus judi-*

A *judicarer, tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modò ad referendam, verùm etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem.*

Pusilli animi esse oportet, si adeò irritaris Roveriano panegyrico, quem tanto supercilio contemnis. At video, verum esse illud Senecæ. *Frivolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram aspis exsurgit. Ursos leonésque mappa proritat. Omnia, quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Idem inquietis & stolidis ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur. Nam ùt ulcera ad levem*
B *tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt; ita animus affectus minimis offenditur, adeò, ut quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio* (& Panegyricus Roverianus) *ad litem revocent. Nunquam sine querela ægra tanguntur.* Unde hæc tibi ægritudo? An ex nimia ætate? an ex corporis imbecillitate? *Iracundiores sunt valetudine aut ætate fessi*, inquit Seneca, *& vetus dictum est: à fesso rixam quæri: æquè autem & ab esuriente & sitiente, & ab omni homine, quem res aliqua urit:* tametsi famem & sitim non puto tibi hujus mali causam esse, nisi fortè loqui velimus de fame & siti, prout appetitionem Calviniani Evangelii significant.

C Fermè exciderat unum ex præstantioribus bilis sedandæ remediis, quod vel primo loco exhibitum oportuit: nihilque aliud est, quàm inspectio & imitatio eorum, qui mansuetudine præ cæteris excelluerunt. Etsi autem innumera hujus generis passim occurrunt; nescio tamen, quodnam luculentius lenitatis exemplum & exemplar tibi proponam, quàm tuum avum Lutherum, quem mansuetudine cum Moyse & Davide certâsse liquet ex tomis ejus, præsertim ex libro contra Regem Angliæ, & ex alio, quem vicinus jam tumulo conscripsit: *De Papatu per Diabolum fundato:* in quo quidquid loquitur, nihil aliud est, quàm lenitas & mansuetudo, & *mititas.* Totus *Mitio est:* ùt & in *Parva confessione*, adversùs Sacramentarios; quæ incredibilis mansuetudo non latuit fratres tuos Tigurinos. Quocirca se non potuerunt cohibere, quò minùs publicè testarentur, quantis lenitatis notis, & quasi stellis, confessio
D illa insignita & distincta esset, hunc in modum scribentes. *Libellus hic tanta diabolorum atque selectissimorum, & à Christiana fide cumprimis abhorrentium conviciorum copia scatet, tanta verborum immodestia, fœditate & impuritate turget, tanto denique iracundiæ, maledicentiæ, furoris & insaniæ impetu furit, ut, quotquot illum legere dignantur (modò non ipsi quoque cum illo insanire cœperint) non sine gravi animorum stupore infelix hoc & inauditum hactenus exemplum admirari coguntur;* quo lenitatis spiritu impulsus vocat Zwinglianos tuos *panivoros, vinibibones, animarum latrones:* **Sie haben** (*quis enim Latinè prodigiosa illa verba exprimat*, inquit Hospinianus Calvinista) **ein eingeteuffelt, durchteuffelt, überteuffelt lästerlich Hertz und Lugenmaul.** *In quibus*, ait idem Calvinista, *tantùm affectibus, ne quid gravius dicam, indulget, ut non immeritò quis mirari possit, cur tam parùm salis, vanitatis autem & nugarum plurimum in viro tam grandævo esse potuerit. Horrorem certè omnibus ea vel lecta, vel audita solummodò pariunt, quæ in hac recitatione de Spiritu sancto profudit. Quas enim ille erroneas opiniones arbitratur, eas per ironiam Spiritum sanctum nominat, quin diabolum quoque sanctum & magnum Spiritum vocat: & vetus ille Spiritus sanctus alium juniorem Spiritum sanctum peperit, & excubavit Luthero, &c.* Hæc Sacramentarius ille de mansuetudine Lutheri: quæ luculenter etiam emicat ex libello quodam Lutheri adversùs Cardinalem Moguntinum Albertum; & fœdus commentitium Moguntiæ initum anno M. D. XXVI. Qui libellus tanta Lutherani spiritus mansuetudine delibutus fuit, ut Dux Saxoniæ, Princeps Elector, impresso unico duntaxat folio, graviter vetuerit, ne Typographus in editione progrederetur. Emanavit tamen excusum illud folium; & ad Spalatinum pervenit; qui nonnulla inde excerpsit. La- G tuerunt ea excerpta feliciter, donec per Aurifabrum in lucem prodiêrunt, relata in primum tomum novorum operum Germanicorum Lutheri; Islebii primùm, deinde Lipsiæ impressorum, anno Domini M. fol. 272. DC.III. ubi Porcopropheta Lutherus hoc *Invitatorio* ad epulas suas lectores placidissimè & benignissimè invitat. **Friß liebe Sau, es ist für dich gekocht. Wie der Gast ist, so ist auch die Kost. Es kan aber niemand ein Papist seyn, er muß zum wenigsten ein Mörder, Rauber, Verfolger seyn, ꝛc.** Hæc & plura talia pacatissimi & sedatissimi animi documenta dat in Excerptis illis Lutherus: ad cujus similitudinem, quò propiùs te, Misene, conformâris, eò minùs biliosus & iracundus eris. Da te huic studio, Lithe, & ab hac tam gravi peste sanaberis.

Quod ut facias, facilè à te impetrabit pater tuus Calvinus, cujus lenitatem incredibilem discès cùm ex aliis ejus scriptis, tum ex illis, quæ contra Westphalum scripsit; & ex hac ipsius publica professione edita in literis ad Bullingerum: *sæpe dicere solitus sum, etiamsi Lutherus me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei* (Diaboli) *servum agnoscam.* Quid mitius? quid lenius? Ad hoc perfectionis culmen tende, Simo. Huc te vocat Lutherus & Calvinus, imò ipsa, si ea frui velis, vivendi tranquillitas.

Hæc breviter de iræ tuæ lenimentis. Si H qua ratione fieri potuisset, non hos tibi bolos in certas portiones discerptos, sed tres integros

E Hospin. in Histor. Sacram. anno M.D.XLIV.

F

integros Senecæ de *ira* libros simul devorandos porrexissem, unà cum libro Plutarchi *de non irascendo*. Sed novi infirmitatem stomachi tui. Revomuisset omnia absque fructu. Nunc forsan minutiores istas partes concoques & digeres, parúmque abfuit, quin tibi non modò hæc bilis vacuandæ Ethica pharmaca apponerem, sed & Physica nonnulla ex Rondeletio, perito Machaone propinarem. Quæ, si mea non juvent, ab ipso petere licebit. Non negabit ægro opem suam medicam. Si nec illa, nec hoc iram tuam leniant: nos cum Davide cantabimus: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Nunc levationem quæremus metui Misenico.

Pharmacum pro metu Miseni.

B METuit Misenus, ne Jesuitæ in Galliam revocati Galliam turbent, abacta pace, in qua nunc degit. Ego cum Lucretio cano. *Veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis in tenebris metuunt; sic vos in luce timetis, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm quæ pueri in tenebris pavitant, fingúntque futura. Hunc igitur terrorem animi, tenebrásque necesse est non radii solis, neque lucida tela diei, discutiant, sed naturæ species ratióque. Trepidaverunt timore, ubi non erat timor:* ait de te tuíque similibus Psalmista. Hic certè nullam timendi causam habes; quod ipsemet non invitus fateberis, si memoria repetere, quæ jam olim in Galliis gesta fuerunt; & ex præteritis de futuro conjecturam facere velis. Nam quis Galliam turbavit antea? Nónne is, qui hodie Belgium? Nónne is, qui
C ante paucos annos Archiepiscopatum Colonienscm? Nónne is, qui Episcopatum Argentinensem? Nónne is, qui Scotiam? Nónne is, qui hoc autumno superiorem Hungariam? Nónne is, qui ante pauculos annos Austriam? Quis ille Misene? Nónne tu & domus tua? Nónne Lutherus & Calvinus? Nónne Lutheranissimus & Calvinissimus? cui si liberæ habenæ non concedantur; imò si grassari effrenatè non sinatur; reclamante legitimo Rege aut Principe, ad arma prosilit: sclopis & glandibus ferreis *evangelizat*, ferróque viam sibi patefacit: & ejus, quod impiè simul ac sceleratè agit, causam & culpam, in innocentes confert: & perinde facit; ac si Absalon, aut Bochri causam concitati belli contulisset in Davidem.

D Quis belli Auctor fuit tempore Macchabæorum? Macchabæine, an scelerati illi;
1. Mach. 1. & *filii iniqui, qui exiêrunt ex Israël, & suaserunt multis dicentes: Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, &c.* (cum Lutheranis & Calvinianis) *& recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt nationibus, & venundati sunt, ut facerent malum?*

Movit olim arma Rex David adversus E Hanon Regem filiorum Ammon, eò 2. Reg. 10. quòd in contemptum & contumeliam Davidis, raserat dimidiam partem barbæ legatorum, quos David miserat; vestésque eorum medias præsciderat. Nec quisquam bellum hoc Davidi crimini dedit. Nostri isti; quando legatos Dei, hoc est, sacerdotes, & religiosos non radunt; sed aut exterminant, aut suspendunt, exquisitísque suppliciis enecant: quando templa expilant; aras evertunt: omniáque sacra contaminant ac profanant, & aliter non agunt, quàm olim Antio- F chus egit in templo Hierosolymitano; tum adhuc hæc immania & Turcica facinora & sacrilegia impunè ferre contendunt. Et si quis David, aut Machabæus exsurgat, qui improbissimorum hominum nefarios conatus retundere studeat; tum cœlum & terram clamoribus implent, injuriam sibi & Evangelio fieri clamitant, se nil nisi pacem quærere & expetere, se pacis studiosissimos & appetentissimos esse, & centena talia, mera nequitiæ tegumenta ingeminant.

Sed his omissis, quæ toti terrarum orbi G notissima sunt; te, Misene, omni cura metúque liberum ac solutum esse jubeo: Quiescant Calvinistæ tui; & quies per Jesuitas nunquam turbabitur: hoc tibi certò persuadeas velim. Cur te frustrà affligis? *Sæpius opinione, quàm re laboramus,* inquit Seneca. *Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus; cùm illa, quæ velut imminentia expavisti, nunquam ventura sint, certè nondum venerunt.* Ubi illud ex Psalmo apud tam in Psalmorum lectione contritum lectorem? *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Omnem operam eò confer, ut Calvinistæ tui quietem seditionibus præoptent. Qui, sat scio, nihil intentatum relinquent, ut Jesuitis insidias struant. Sed non expavescimus. Plures sunt pro nobis, quàm contra nos.

Illustrem Calvinistarum typum habemus H in principibus & satrapis Persarum, qui cùm Danielem perditum cuperent, nec tamen Daniel. 6. perdendi occasionem reperirent, efficere id conati sunt impia lege lata, ne quis quidquam ab ullo homine, Deóve intra triginta dies peteret, nisi à solo Rege. Quam legem, cùm non observaret Daniel, utpote omni æquitati adversantem, ex constituta nefarii decreti pœna in lacum leonum missus est: magna divini nominis gloria: nullo suo damno, certo æmulorum & accusatorum suorum exitio, in quorum caput omnia contra Danielem machinamenta reciderunt. Pari prorsus modo Calvinistæ cum Jesuitis aliísque religiosis agunt: quos cùm aperta vi evertere nequeunt; cuniculis id transactum dare student; sed non rarò, justa Dei sententia, incidunt in fo-

veam,

veam, quam aliis foderant, pedicísque, quas aliis injustè tetenderant, implicantur justè.

A Daniel. 14. Cùm Daniel idolum Bel destruxisset, & Draconem magno in honore Babyloniis habitum interfecisset, rursus periculum capitis adiit, rursus leonibus objectus est: pabulum iisdem futurus, nisi tutela cœlestis periclitantem eripuisset: Rege per vim adacto, ut Danielem, leonum truculentæ feritati exponeret: Vociferabantur enim Babylonii: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* Quis iste Bel, nisi hæresis? Quis iste Draco, nisi hæresis? Qui Babylonii, hoc est, *confusi*, absque ordine & ordinatione, nisi hæretici? qui Babylonii non essent, si non insidiarentur illis, à quibus Belo & Draconi periculum impendet, vel obex ponitur, ne latiùs sese diffundat: qui ubi viribus ita pollent, ut se facilè superiores evasuros sperent; intrepidè Regibus & Principibus occinunt: Aut ejice istos hæreseos hostes & oppugnatores, aut interficiemus te & totam stirpem tuam.

B Et in Jesuitas quidem primam semper impressionem faciunt, non quòd alios religiosæ vitæ professores ament, & conservatos cupiant; sed quia nostros magis oderunt: nam Genevæ & Heidelbergæ, & in omnibus Calvinianis civitatibus tam multi, opinor, supersunt Monachi, quàm multi 1. Reg. 12. Jesuitæ. Nimirum ùt Philistæi olim Israëlitis subactis omnes *fabros ferrarios* abstulerunt, *ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam:* ita isti nostri nudiustertius exorti Philistæi id potissimùm curare habent: ut omnes illos amoliantur, qui populum instruere, & ne in sectas labatur, præmunire, & arma adversus hæreticos utenda fabricare nôrunt.

C Si conatus minùs ex sententia succedat, faciunt, quod à majoribus suis simili in causa factitatum sciunt. *Zelantes Judæi,* Act. 17. inquit S. Lucas agens de illis, qui Pauli & Silæ prædicationibus ad Christi sacra traducti fuerant, *assumentésque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta concitaverunt civitatem, &c. clamantes, quoniam hi sunt, qui orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, &c. concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc.* Qui adeò Paulo infesti erant, ut Thessalonicam turbâsse non contenti, Beræam quoque seditionis excitandæ gratia sese reciperent. *Cùm enim cognovissent in Thessalonica Judæi, quia ut Beræa prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commoventes & turbantes multitudinem,* inquit S. Lucas.

D Act. 19. Quod & Ephesi factum, præcipuè impulsu Demetrii argentarii, qui metuens, ne ad mendicitatem redigeretur, si despectis idolis, Christiana religio invalesceret, gravissimam seditionem commovit. Qui mihi viva Prædicantium & Ministrorum Calvinisticorum imago fuisse videtur: qui ubi animadvertunt, sectam suam in discrimine positam, mox convocant symmystas suos, *& eos, qui hujusmodi erant opifices,* dicúntque: *Viri, scitis, quia de hoc artificio* (mentiendi & seducendi) *est nobis acquisitio, &c. Non solùm autem* (nisi obviam eamus) *hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magna Diana,* (mammosa & multiceps nostra Hecate seu Hæresis) *in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia,* (Gallia, Germania) *& orbis colit.* E

Quid ad hanc cohortationem sequitur? *His auditis, repleti sunt ira, &c. & impleta est civitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, &c.* & alia hujus generis talibus celeusmatis planè consentanea; hæreticísque nostris fermè quotidiana. *Sed* Rom. 8. *in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos,* inquit Apostolus. Cui quod olim Dominus per visionem dixit, id & ad nos pertinere arbitramur. *Noli timere, sed* Act. 18. *loquere, & ne taceas, propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate,* & in universa Gallia. Hac promissione freta cuniculos vestros, fraudésque & sutelas flocci facit Societas nostra, ínque judicio *Christianissimi Regis,* à quo tam paternè & benevolè partim Galliæ restituta, partim confirmata est, securè acquiescit, cúmque Anna illa hilari voce canit: *Exaltavit cor* 1. Reg. 2. *meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos* (Calvinistas) *quia lætata sum in salutari tuo. Non est sanctus, ùt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis, sicut Deus noster. Nolite* (vos Calvinistæ & Lutheristæ) *multiplicare loqui sublimia, gloriantes, &c. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, &c. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* F G

Et cur hunc hymnum Deo non concineret; quandoquidem *æmulam suam* hæresin, quæ perpetuò proscriptionem ex Gallia exprobrabat; nunc confusam, & hac revocatione insigniter perculsam & videt & gaudet; téque, Misene, sive dolentem, sive irascentem, sive metuentem; sive hæc omnia & alia etiam simul agentem, tanquam cœcum & pertinacem, & jam sempiterno exitio vicinum Calvinistam deflet: illud Psalmi identidem repetens: *Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam. Avertantur retrorsum & erubescant, qui* H

A *volunt mihi mala. Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam* Filio *Regis, judicare populum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.*

B Tandem, ut tibi, Lithe, omnem metum abſtergam, quod Amaſai Princeps in-
1. Paral. 12. ter triginta interrogatus, num pacificè cum ſodalibus veniſſet? reſpondit Davidi, hoc itidem ex imo pectore ab omnibus noſtris, qui in Galliis degunt, patriæ & *Chriſtianiſſimo Regi*, quaſi ſciſcitanti reſponſum exiſtima. Quid igitur Amaſai? *Tui ſumus ô David.* (Tui ſumus ô Gallia, ô Rex invictiſſime & potentiſſime) *& tecum Fili Iſai.* (Et tecum maximi Regis maxime Fili) *Pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis: te enim adjuvat Deus tuus.*

De Miſenica Monſtrantia.

C NE Miſenus non modò Græcè, ſed & Poëticè, & Sacramentariè ineptus eſſet, ſubjunxit Græcis nugis imaginem illius Hierothecæ, (*Monſtrantiam* Eccleſiaſtico vocabulo nominamus) quæ olim in monte Gratiæ, & cujus ſimilem aſſervat Andechſianus Mons ſacer Bavariæ, in qua tres hoſtiæ viſuntur & religiosè coluntur; quarum duas conſecrâſſe fertur D. Gregorius Magnus; tertiam, Leo IX. Una in ſanguinem mirabiliter converſa eſt: altera in carnem, tertia ſanctiſſimum JESU nomen ſanguine purpuratum præ ſe fert. Has tres hoſtias, ſeu potiùs tria hæc præpotentis Dei miracula ridet Lithinus Sacramentarius, & quidem verſibus; ſed adeò inſulſis, inſcitis & inficetis, ut Sextianam illam orationem (quæ poëtæ Veronenſi *gravedinem frigidam, & frequentem tuſſim* attulit) cum carminibus iſtis collatam, arbitrer fuiſſe valde elegantem, ſaléque & gratiis plenam. Etſi autem nullius negotii eſſet à calumniis iſtius Lithi, has & id genus alias miraculoſas in ſacramento Euchariſtiæ apparitiones aſſerere, (nam non ita pridem copioſiſſimè de hoc argumento in Schola diſputavi ad a. 8. q. 76. Tertiæ partis S. Thomæ) quo tamen bono fructúve Miſeni id fieret?

D Dicebat olim Antiphanes, *in urbe quadam voces illicò frigore locì congelare, ac per æſtatem gelu ſoluto demum exaudiri, quæ dicta erant hyeme.* In hac, opinor, urbe habitant Calviniſtæ, ad quorum aures & mentes nihil eorum pervenit, quod de majeſtate vel miraculis hujus Sacramenti diſſeritur. Omnia vocabula ſtatim concreſcunt, & in gelidiſſimum gelu durantur: ita, ut ne æſtate quidem media, cùm Sirius urit agros, reſolvantur. Catholici, qui hæc ſcire avent, habent cùm alios, tum Theologiæ ſcholaſticæ Doctores, ex quorum numero eſt Gabriel in Canonem lect. 51. ubi E de his & eruditè & diffusè. Calviniſtis, quidquid canas, *cibum in matulam ingeras:* quod Pythagoreo quodam monito vetamur. Agnoſcant priùs Chriſti in Euchariſtia præſentiam: deſinant eſſe *Capharnaitæ* & *Berengariani;* & tunc de hujusmodi apparitionibus cum illis verba commutabimus.

Ut tamen & hîc non modò irriſorem, ſed & impoſtorem Lithum agnoſcas: inſpice chartæ Miſenicæ veſtibulum, in quo hæc cernes. *Addita epigrammata aliquot in picturam de triplici Sacramenti ſpecie, repertam in duobus Bavariæ Monaſteriis Gratiæmontano & Andechſiano inter idololatricas Monialium reliquias.* Ubi aliquot fraudes latent, quæ in apertum producendæ ſunt.

I. Gratiæmontanum Monaſterium collo- F
cat in Bavaria, cùm ſit non procul Altorfo Noricorum, ubi hodie Norica Academia: Germanicè, **Gnadenberg.** Quis verò hodie ita loquitur, ut dicat, Norinbergam, vel Altorfum Norimbergenſium eſſe in Bavaria? Dicet, ſe veterum more de Bavaria locutum. At ego longè veriſimilius exiſtimo, Miſenum, more veterum & recentium impoſtorum lectori ſuo imponere voluiſſe.

II. De Gratiæmontano & Andechſiano G
Monaſteriis ita loquitur, quaſi utrumque fuerit Monialium, cùm tamen de Andechſiano conſtet, illud nunquam à Monialibus inhabitatum eſſe, ùt Metropolis Hundii, & Chronicum Andechſianum docent. Nominat quidem poſtea Monachos. At cur omiſit in titulo?

III. Ita ſcribit, quaſi eædem hoſtiæ in H
utroque loco fuerint. Quod tum credam, cùm Miſenus locupletiorem hujus rei teſtem, quàm ipſe ſit, mihi adduxerit: nam eas, quæ ſunt in *Monte ſancto Bavariæ*, nunquam fuiſſe in *Monte gratiæ Norici;* planum fit ex Chronico Andechſiano. Alias ibidem fuiſſe, & quidem etiam à S. Gregorio & Leone IX. profectas, quid vetat credere, ſi inſcriptio Hierothecæ talis erat, qualis nobis à Miſeno ſpectanda proponitur? Non uno loco hujusmodi miraculoſæ hoſtiæ etiamnum viſuntur, & religiosè coluntur, neque tantùm officere valuit Calviniſtica impietas, ut omnia iſta pietatis monumenta aboleret. Quid ſi hoſtiæ illæ in Monte gratiæ non erant miraculoſæ hoſtiæ; ſed imitationes quædam & imagines earum, quæ in Monte ſancto Bavariæ aſſervantur? Moris enim erat, cùm religio magis vigeret, ut, ſi quid alicubi miraculoſum eſſet, id alibi locorum in imagine repræſentaretur. Unde non rarò accidit, ut, quod non niſi imago miraculi vel reliquiarum erat, cenſeretur ipſum in ſe miraculum, vel ſacrum lipſanum. Hoc ſi præter cætera, Sectarii attenderent, parciùs opinor, aliquando de geminatis vel triplicatis

A catis reliquiis fabularentur, vel potiùs calumniarentur.

Cæterùm ne nihil reponam Miſeno, qui *Monſtrantiam* ſeu Gratiæmontanam ſeu Andechſianam carminibus illuſtratam mihi totíque Societati meæ contemplandam proponit, lubuit *Monſtrantiam Monſtrantiis* & carmina carminibus remunerari; peſſima non malis: rotundísque, quadrata, Baviana & Mæviana, & quæ cantu ſuo ne Fauni quidem aut Satyri dignarentur. Arrige ſis aures, Chœrile, & quid olores mei canent, auſcultra.

In calamitoſos, & capite cenſos Miſeni verſiculos.

B *ET limam, Lithe, perdis, & lituram,*
Qui tentas calamósque, ſepiásque,
Et fractos pede claudicante verſus
Effatis miſer imperare Muſis.
Nam quantus pudor eſt, videre, quantum
Nutent poplite languido, ſuásque
Conducto pede fulciant ruinas?
Illinc ſtridula triga ſordidatos
Luxato rotat axe Barbariſmos;
Hinc currunt malè, pérque tortuoſos
Tranſverſi velut exeunt fritillos.
PRÆTOREM pete; Dic diem magiſtro;
Expenſum tibi reddat ut minerval.
DANDA eſt ACTIO; non fuit magiſter,
Impoſtor fuit ille, nil meretur.
Quis teſtabitur, inquies? Negantí
Verſus dummodo ſcripſeris, probabis.

Aliud.

C *Cùm Lithus exſuccâ tentaret carmina venâ,*
Carmina nec numero, nec placuêre ſtilo.
ALBUS HOMO, dices; Cur edere carmina ſperat,
Qualia nec ſolem, nec meruêre ſalem?
Cauſa ſubeſt: nequiit ſcribendo Poëta videri;
Sed poſtquam licuit fingere, jam potuit.

Ad ejuſdem frigidas quæſtiunculas.

D *HOSTIA cùm templis ſuffecerit una vetuſtis,*
Unica nunc HOSTIIS cur datur Ara tribus?
Hoc, Miſene, rogas? Dicam, Miſene, roganti;
Si ſapis, ut liceat diſſimilare, roga.
Pocula dum populo Calvinus plena propinat,
Iná meri calices ire, Luthere, jubes;
Abſtrahitur ſacro Cereris velamine plebes,
Poculáque innumeris ſtant adeunda labris.
HOSTIA ſic geminis deſerta recedit ab aris
Hinc, Calvine, tuis, inde, Luthere, tuis.
Quo potiùs, noſtras quàm ſe conferret ad aras?
Si tamen à veſtra tuta ſtat ara manu.
Sed dolet, hæc noſtris ſervari munera templis?
Imò dolet, templis illa migrâſſe tuis.

Aliud.

Cùm ſacra Bojarici monſtrantur lipſana templi,
Monſtrat tergeminos HOSTIA trina ſinus;

Hoc, Miſene, doles; ſpeciéque recurris ab illa. E
Monſtraſſet Calices, an fugiturus eras?

Aliud.

Trina mihi piſtæ monſtrantur ſigna farinæ,
Cur non & Calices Boia monſtrat, ais?
Ne, Lithe, quære; timet; nam quos monſtrare parabat,
Dum MERCATOREM te putat eſſe, tegit.

Aliud.

Symbola linguatis dare vult donatica Circus.
I Lithe, vult linguam prima corona tuam.
Lingua tibi mendax, hanc noli vendere linguam:
Vel ſi vis ulli vendere, vende ſtygi.

Aliud.

In Monſtruoſi Miſeni Monſtra.

IMpius ambroſiæ dum rides munera diæ: F
MISENUS haud es more STENIUS priſco.
SIMONIS magici germana, & poſthuma proles
Tu potiùs: & MOMI merum retrimentum.
Monſtra paras, quæ monſtra paris: tua monſtráque monſtras.
Non monſtruoſus es bipes; ſed es monſtrum.

Gratiæmontana Monſtra reddita.

Ratio h. apparet, argentum οἴχεται.

MONS GRATIÆ qui Noricis in finibus, G
Monſtrabat olim, ùt dictitas,
PANEM POLI, tribus tremendum in hoſtiis;
(Preciosa mittam ut lipſana
Auro, atque gemmis culta Noricis piis,
Venerata & annuis cyclis:)
Monſtrare nunc cœnobion hoc nil eſt pote.
Res ſacra, & argentum οἴχεται.
Ex quo, profana monſtruoſáque HÆRESIS
Incubuit auſu, & impete:
Clam, propalàm, ceu turbo violens funditus
PIETATIS hanc meſſem abſtulit.
PERFIDIA veſtra monſtra gignit talia,
Ubicunque prægnans conſidet.

Habes carmina carminum tuorum Antidora. Nunc accipe aliquot MONSTRANTIAS in officina Lutheri & Philippi factas, & inde prolatas. Video te *Monſtrantiis* delectari; Quocirca intermittere non potui, quò minùs aliquas tibi ſpectandas & venerandas proponerem ex ipſo, ùt dicebam, Luthero & Philippo. Tu, quæſo, ſignifica, num, & quomodo munus hoc tibi arriſerit.

Monſtruoſiſſimæ Monſtrantiæ Lutheranæ.

I.

SIc Deus dilexit mundum, ut filium ſuum H
unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. So iſt nu diß ſo viel geſagt, keine Sünde iſt mehr in der Welt, dann Unglaube.

A be. Andere Sünde in der Welt seynd Herr Simons Sünde, als wann mein Hensichen und Lenichen in den Winckel scheist, des lachet man, als sey es wohl gethan. Also machet auch der Glaube, daß unser Dreck nicht stincket vor Gott. Summa summarum, an den eingebohrnen Sohn nicht glauben, das ist allein die Sünde in der Welt, darum die Welt gerichtet wird.

B Lutherus in der Haußpostill gedruckt zu Torgau 1601. in der ersten Predig am Pfingstmontag. Reddamus Latinè, & obstupescite, quotquot stupor non prorsus stupidos, sensúsque expertes effecit, simúlque ignoscite, quòd turpissima Caci hujus verba exscribo. *Perinde est, ac si dicat: Nullum est amplius in mundo peccatum, nisi, non credere. Alia peccata in mundo, sunt Domini Simonis peccata: sicut quando meus Joannellus vel Magdalenula cacat in angulum, omnes rident, quasi bene factum sit. Sic & fides facit, ut stercus nostrum non fœteat coram Deo. Summa Summarum, non credere in filium unigenitum; id unicum & solum est peccatum in mundo, propter quod mundus judicatur.*

C *II.* Lutherus Tom. 1. Novorum operum Serm. Lipsiæ impress. 1603. fol. 168. in serm. super Evangel. Attendite à falsis Prophetis, &c.

Wann ich das verstehe, so merck ich, daß kein Werck so böß ist, das den Nächsten mag verdammen, auch keines so gut, das den Menschen mög seelig machen, sonder allein der Glaub macht uns seelig, und der Unglaub verdammet uns. Daß einer fellt in Ehebruch, das Werck verdammt ihn nit, sonder der Ehebruch zeigt an, daß er von dem Glauben gefallen sey, das verdammt ihn, sonst wär es nit mög-lich. Also macht einen niemand fromb, dann der Glaube, und nichts macht einen böß, dann der Unglaube.

D *Si hoc intelligam, statim animadverto, nullum opus esse tam malum, quod hominem possit condemnare, & nullum tam bonum, quod hominem possit salvare; sed sola fides nos salvat, &, non credere, damnat nos. Quòd quis in adulterium incidat, factum hoc non condemnat illum. Sed adulterium ostendit, quòd à fide exciderit. Hoc damnat illum, alioqui non esset possibile. Quocirca nihil hominem reddit probum, nisi fides, & nihil efficit hominem malum, nisi non credere seu infidelitas.*

III. Tom. 1. epist. Lat. epist. 238. ad Melanchthonem. *Esto peccator & pecca fortiter, sed fortiùs fide & gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis & mundi: peccandum est, quamdiu hîc sumus, &c. sufficit, quòd agnovimus per divitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non avellet nos peccatum: etiamsi millies millies uno die fornicemur, aut occidamus.*

In hac, ut & in prima Monstrantia, manifestè indicat Lutherus, cum summis sceleribus, qualia sunt adulteria, & homicidia, & id genus alia, fidem consistere posse, atque adeò aliquem, dum mœchatur, scortatur, & homicidium committit, justum esse posse. Dummodo credat, etsi in secunda *Monstrantia* suâ Monstrum hoc nonnihil temperat, cùm asserit; adulterium vel simile scelus esse fidei amissæ indicium. Informe nihilominus, imò & intolerabile monstrum est dicere, adulterium non esse ejusmodi opus, quod hominem damnare, aut malum & sceleratum per se efficere queat. E

IV. Lutherus in Assert. articulorum damnatorum art. 36. Witebergæ anno 1521. in quarto. *Malè dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere; liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua, quidpiam cogitare mali aut boni; sed omnia (ùt Wiclephi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eveniunt. Quod & poëta voluit, quando dixit: certa stant omnia lege.* F

In margine additur huic *Monstrantiæ. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Cui profectò aliud, quod adscribam emblema non habeo, nisi illud ipsius Lutheri in assertione ejusdem articuli. *O furor furorum omnium novissimus.*

V. Melanchthon in Annotationibus super epistolam ad Romanos fol. 50. a. Argentorati anno Domini 1523. apud Joannem Hervagium. *Consequitur ridiculum commentum esse liberum arbitrium. Quia voluntas nostra adeò non est libera, ut eò tantùm feratur, quorsum à Deo impellitur. Consequitur ergo nugatorium esse, quod de generali influentia & speciali scholæ comminiscuntur, &c. Nos verò dicemus, non solùm permittere Deum creaturis, ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere, ut, sicut fatentur proprium opus Dei fuisse Pauli vocationem, ita fatentur opera Dei propria esse, sive quæ media vocantur, ùt comedere, bibere, communia cum brutis, sive quæ mala sunt, ùt Davidis adulterium, Manlii severitatem animadvertentis in filium, &c. Ergo non est, cur frigidum glossema recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere, &c. Itaque hæc sit certa sententia, à Deo fieri omnia tam bona, quàm mala. Quòd si obstrepit sensus carnis, multa indigna tanta majestate committi, videri esse contingentiam rerum, memineris sacram doctrinam, scripturam esse proditam ad mortificandum sensum carnis.* G

Et quid verbis opus est? *Necessariò omnia eveniunt in omnibus creaturis.* En monstri plusquam Stoici breve complementum. H

VI. Melanchthon in iisdem Annot. ejusdem edit. fol. 49. *Contingentia quædam in rebus videntur, cùm tamen sit necessitas. Præterea stultum carni videtur, Deum omnia facere,*

A *cere, & in his tam multa frivola & mala, ſed hîc humanis cogitationibus imperandum eſt, & adoranda illa incomprehenſibilis majeſtas: Quid igitur?* inquit Melanchthon in Locis tit. de lib. arbitrio, edit. Argentorati apud Joannem Hervagium anno Domini 1523. fol. 10. *Nulláne eſt in rebus, ut iſtorum vocabulo utar, contingentia, nihil caſus, nihil fortuna?* Reſpondet Philippus. *Omnia neceſſariò evenire docent ſcripturæ. Eſto, videatur tibi eſſe in rebus humanis contingentia, judicio rationis hîc imperandum eſt.*

B *VII.* Melanchthon in loc. cit. fol. 10. b. *Tollit omnem libertatem voluntatis noſtræ divina prædeſtinatio. Nulla libertas eſt, ſi voluntatem humanam ad divinam prædeſtinationem conferas. Etiam juxta naturæ judicium in affectibus nulla eſt libertas.*

VIII. Lutherus in aſſert. 36. art. anno 1521. Witeberg. *Mala opera in impiis Deus operatur, &c. Quis audet negare, ſe etiam in malis operibus, ſæpiùs coactum aliud facere, quàm cogitavit? &c. Non eſt homo in manu ſua, etiam mala operans & cogitans. Periit itaque hîc etiam generalis influentia, qua garriunt eſſe in poteſtate noſtra naturales operationes operari, ſecus rem habere monſtrat experientia omnium.*

C Huic etiam monſtroſæ MONSTRANTIÆ, quod addam, non invenio, niſi illa ultima in Aſſertione articulorum verba. *Vale ſcelerata abominatio, tam ſtultè ſimul & impiè loqueris, ut indigna ſis, propter quam verba fiant.*

Hæc ſi monſtra tibi, Lithe, non monſtroſa videntur;
Te monſtrum his ipſis grandius eſſe feram.

IX. Lutherus Tom. 1. novorum operum Germ. Lipſiæ editorum 1603. fol. 180. b. **S. Jacobs Epiſtel iſt ein rechte Ströerne Epiſtel gegen ſie, dann ſie doch kein Evangeliſche Art an ihr hat.** *Epiſtola S. Jacobi (comparata cum* Evangelio ſancti Joannis, ejuſdémque prima epiſtola, & epiſtolis S. Pauli præſertim illis ad Romanos, Galatas, Epheſios, & S. Petri primam epiſtolam) *verè ſtraminea eſt, quia non continet in ſe ullum Evangelicum genium vel ſpiritum.*

D *X.* Lutherus loc. cit. **Wo ich je der eines manglen ſolt, der Werck oder Predig Chriſti, ſo wolt ich lieber der Werck, dann ſeiner Predig mangeln. Dann die Werck helffen mich nichts, aber ſeine Wort geben das Leben, wie er ſelbſt ſagt. Weil nun Johannes gar wenig Werck von Chriſto, aber gar vil ſeiner Predig ſchreibet, widerum die andern drey Evangeliſten vil ſeiner Werck, wenig ſeiner Wort beſchreiben, iſt Johannis Evangelium das einige, zarte, rechte haupt Evangelium, und den anderen dreyen weit, weit fürzuziehen und höher zu halten.**

Si alterutro carere deberem, operibus vel concionibus Chriſti, mallem operibus quàm concionibus carere, quia opera (Chriſti) *nihil mihi proſunt, ſed verba illius dant vitam, ſicut ipſemet dicit.* Joan. 8. *Cùm ergo Joannes pauca opera Chriſti, ſed multas ejus conciones ſcriptis mandârit; at verò tres alii Evangeliſtæ multa ejus opera: pauca verò verba expoſuerint, ideo Evangelium Joannis eſt unicum, exquiſitum, rectúmque & principale Evangelium, & aliis tribus longè, longè præferendum.* E

Sic & epiſtolæ S. Pauli & Petri longè tribus Evangeliis Matthæi, Marci & Lucæ præſtant, inquit ibidem idem Lutherus. *Summa, S. Joannis Evangelium, & prima ejus Epiſtola, S. Pauli Epiſtolæ, maximè ad Romanos, Galatas, Epheſios, & S. Petri prima Epiſtola: ſunt illi libri, qui tibi Chriſtum monſtrant, & omnia docent, quæ tibi ſcitu ſunt neceſſaria & ſalutifera.*

Ut placent tibi, Lithe, monſtroſiſſimæ F iſtæ Lutheri & Philippi *Monſtrantiæ*, quorum ipſos Auctores poſtea aliquatenus puduit? Quære in Tomis Lutheri, quæ de libertate voluntatis rerúmque contingentia & neceſſitate recitavimus, nihil ampliùs invenies, aut non tam manifeſtè & apertè Stoica & Wiclephica reperies. Acciſa ſunt nonnihil & circumciſa, ob ſummam impietatem, ùt patebit legenti Aſſertionem art. 36. Tom. 2. Lat. Witeberg. operum Luthericorum.

Quære eadem pronunciata pluſquam Stoica in Locis & Annotationibus Philippi poſtero tempore recuſis. Nihil penitus apparet ampliùs. Omnia evanuerunt, omnia reſecta ſunt. Et tamen vociferabatur Melanchthon: *Certum ſit, nullam eſſe rerum contingentiam: omnia ſimpliciter neceſſariò evenire:* Scripturam citabat & crepabat; nil exploratius eſſe, quàm hoc ex decreto ſcripturæ, clamitabat. Nihilominus re meliùs conſiderata, omnia iſta in ſpongiam incumbere juſſit.

Quære in *Domeſtica Poſtilla* Lutheri (**in der Hauß-Poſtill**) locum, quem primo G loco poſui; vix decimum exemplar reperies, in quo concio illa extet. Quære in poſterioribus Lutheri Bibliis impiam iſtam inter Evangelia collationem, & ſceleratum de S. Jacobi Epiſtola judicium, ubi & quando invenies? Obliterata ſunt hæc tam profana & ſacrilega. Reſtituta tamen, juſto Dei judicio, ab illis, qui *Poſtillam* nuper Dorgavii recuderunt, & Lutheri Germanica opuſcula in Tomis Witebergenſibus vel Jenenſibus omiſſa, in duos tomos collecta evulgârunt.

Hæ & id genus aliæ *Monſtrantiæ* evidenter monſtrant, qualia monſtra fuerint Lu- H therus & Philippus; qualia monſtra pepererint, & in chartas effuderint. Omnia hæc portenta non aliunde, quàm ex ipſis

Lutheri & Philippi libris exscripsi: ne putes me aliena fide hîc usum esse.

A Finiam, si tamen priùs ex te quæsiêro, num ad stomachum tuum hæc Lutheri barbytus faciat. Ich will mir die heimlichen Beicht niemand lassen nemmen, und wolt sie nit um der gantzen Welt Schatz geben, dann ich weiß, was Stärck und Trost sie mir geben hat. Es weist niemand, was die heimliche Beicht vermag, dann der mit dem Teuffel offt fechten und kämpffen muß. Ich wär längst von dem Teuffel überwunden und erwürget worden, wann mich dise Beicht nicht erhalten hätt. Lutherus ult. concione, ex his, quas Witebergæ habuit post reditum ex Pathmo. Tom. 21. operum novorum Germ fol. 94. a.

B *Occultam seu auricularem confessionem non patiar mihi ab ullo eripi: non darem illam pro totius mundi thesauris. Scio enim, quantum roboris & consolationis mihi præbuerit. Nemo scit, quantum possit occulta confessio, nisi cui sæpius cum Diabolo certandum est ac luctandum. Jam dudum à Diabolo superatus & strangulatus fuissem, si me ista confessio non præservâsset.* Dic agedum, mi Lithe, utrum eodem adversùs Satanam amuleto utaris, & an utendum arbitreris? simúlque vale, ùt mereris.

Gretserus Litho responsum ad tertiam Apologiam minitanti. C

QUòd nova bella paras, hebetì mucrone quòd arma
Exacuis rursus, nil, Lithe, sollicitor.
Quandocunque voles, prodì, crepitantibus ora
Percussùs pugnis regredière domum.
Si nondum satis es, miser ô Misene, dolatus,
Dolium utì fias, te redolabo lubens.

Vaticinium Phœbi de futuro Miseni Responso.

QUem parit, aut peperit, vel adhuc, renuente Minerva, D
Parturit iste Lithus: quis, rogo, partus erit?
Hæc ego: mox Phœbus, nullo tua quæstio vate
Indiget: an nomen non docet ista Lithi?
Est Lithus, & meritò Lithus audiit: ergo necesse est,
Ut, quod progignit, sit Lithus, aut Lithinum.

Laus DEO Virginíque Matri.

PARA-

PARACLETUS LUTHERANUS,

AD

LITHUM MISENUM

CALVINISTAM OB JESUITAS
IN GALLIAM REVOCATOS
INSOLABILITER MOERENTEM,
AMICITIÆ, LEVAMINIS & MEDICAMINIS CAUSA
ALLEGATUS:

Unà

CUM DUABUS MONSTRANTIIS
ET LUDO MISENICO.

OMNIA
IN GRATIAM PRÆDICTI
SACRAMENTARII LITHI
JAM PRIMUM EVULGATA
PER

JACOBUM GRETSERUM

SOCIETATIS JESU
THEOLOGUM.

LITHO, GRETSERUS.

A EX responso tuo ad Analysin meam, animadverto, Misene, pertinaciam mœroris tui, quo propter Jesuitas in Galliam reductos, affectus es, necdum quamvis gemino pharmaco tibi porrecto, evictam cessisse, sed acres adhuc durósque sub pectore stimulos vertere, falsóque arguere veteris poëtæ versiculum, qui ait:

δῆγμα δὲ λύπης ἁδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται
Nullus doloris morsus ad hepar pertingit.

B Cùm tuus ad imas usque medullas singuláfque corporis fibras penetrârit, ingenti sanè animi mei dolore; nam ùt antiquus vates canit, πᾶς τις ἕτοιμος τῷ δυσπραγοῦντι ἐπισενάχειν, *quilibet proclivis est, ut cum illo, qui rebus in arctis versatur, doleat:* quantò magis ego, cùm res non fluunt ex sententia mei Miseni, tanta necessitudine mecum conjuncti, propè dixeram, conglutinati; qui jam pridem illud Euripidis monitum in præcordia demisi: συνάλγησον, ὡς ὁ κάμνων δακρύων μεταδὸς ἔχει κοφότητα μόχθων. *Compatere, nam æger lacrymis fusis ab ærumnis levatur*; quia, ùt idem Tragicus rectè dicit: ἀμοσία τοι, μήδ' ἐπ' οἰκτροῖσι δάκρυ σάζειν σὺν τοῖς φίλοισιν. *Rusticitas est adversâ fortunâ non fundere lacrymas cum amicis.* Sic distinguo hunc versum; ad rem meam aptè; quid tum, si minùs ad vatis sensum? Itaque quamprimùm vidi te cum C lento illo & pervicaci dolore adhuc luctari, dispicere cœpi de tertio remedio, eóque itidem in oratione posito. Nam οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς, ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις. *Non est aliud hominibus tristitiæ medicamentum, quàm boni & amici viri cohortatio & consolatio.* ἡδύγε, φίλου λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις, ἔνεστι γάρ τις καὶ λόγοισιν ἡδονή, λήθην ὅταν ποιῶσι τῶν ὄντων κακῶν. *Suave quid est amici ser-*

D

mo

A *mo triſtantibus. Ineſt etiam verbis quædam voluptas, cùm oblivionem inducunt malorum.*

Nec ignotum illud: τῷ μὲν σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς, χρεῖ ἐς ἰατρόν, τῷ δὲ τὴν ψυχὴν, φίλου. λύπην γὰρ ἕυνους οἶδε θεραπεύειν φίλος. *Qui corpus malè affectum habet, is medico eget: Qui animam; amico. Triſtitiæ mederi novit benevolus amicus:* præſertim præſens: nam ſi quid infortunii eveniat, εἰς ὄμματ' ἕυνου φωτὸς ἐμβλέψαι γλυκύ: *tum dulce & perquam jucundum eſt viri amici faciem coràm intueri.* Nec tibi invidiſſem hanc dulcedinem, præſens præſenti libenter medicinam feciſſem; ſi per occupationes domo abeſſe liceret. Nunc igitur

B vicem meam accipe hunc Paracletum, quem, maximam partem ex Luthero, & verbis Lutheri confeci; quia non dubito, te ab avo profecta ſolatia avidiſſimè combiberum, & intima mente repoſiturum; vel ob linguam Miſenicam, qua ſcripſit Lutherus, tibi patriam & vernaculam, inſito quodam genio ſuavem, blandámque, & in pectralia mentis ſeſe inſinuare lenociniis ſuis aptam & doctam; quam tamen aliis quibusdam ſententiis temperavi; Fidelem namque medicum omnia tentare & experiri decet, ut ab ægro ægritudinem depellat. Miror, quomodo in hoc tuo luctu de Gretſero devicto *triumphare* potueris: *non bene conveniunt, nec in una ſede morantur, Triumphus & luctus,* niſi fortè ea fide, qua cœnæ tuæ Chriſtum; & cœlum terræ jungis, junxeris quoque & in tetrippo reſidere juſſeris luctum & triumphum. Nunc quod Æſculapius, omnésque ſanitatis præſides, bene vertant, accipe

C Νηπενθὲς ἀχολόντε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Túque, Paraclete Lutherane jam loquere.

Eurip. in Hecuba. τόδ' ἀξίωμα καὶν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
πείσει. λόγος γὰρ ἐκ τ' ἀδοξέντων ἰὼν
κἀκ τῶν δοκέντων αὐτὸς, ὁ ταυτὸν σθένει.
Si vel malè hæc auctoritas dicat tua,
Flectet. quòd à levibus profecta oratio,
Et à probatis, non idem valet eadem.

PARACLETUS LUTHERANUS.

D Luth. Tom. 5. Jen. Germ. fol. 526. b. Edit. 1561. in Epiſt. ad Lauren. Zoch.

GOttes Gnad, und Fried in Chriſto, ſey euer Troſt und Stärcke. Amen. Mein lieber Herr (Miſene) ſonderlicher Freund. Es iſt mir fürwahr hertzlich leyd, euer groß Unfall, und Betrübnüß. Von wegen der Jeſuiten, ſo wieder in Franckreich eingelaſſen.

Tom. 5. Jen. fol. 507. b.

I. Aber ich bitt um GOttes willen, ihr wollet nun ein Mann ſeyn, und ſolchen Fall, nicht ſo tieff zu Hertzen nehmen. Dann mirs ja leyd ſeyn ſolt, wo euch ſolche Bekümmernüß ſolte einnehmen. Iſts E doch noch nicht aller Tage Abend, ſo ſind noch zwölff Stund deß Tags. Es kan ja nicht immer wolckig ſeyn, und Regen. θεῷ γὰρ δυνατὸν ἐκ μελάνας νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος, κελευφέει δὲ σκότει καλύψαι καθαρὸν ἡμέρας. *Potis eſt Deus è tenebris atræ noctis puram lucem excitare: potis, tetra caligine clarum diei lumen obruere.* Pind. apud Theod. ferm. 6. ad Græcos.

II. So müſſen wir ja auch etwas leyden, und Gedult lernen. Denn es auch nicht gut wäre, ſo wir ſolten unſer treue Dienſte alle, hie auf Erden belohnet haben, wo wir auf Erden alles vergolten haben könten.

III. So iſts (GOtt lob) mit euch noch F nirgend ſo böſe, daß es der Rede werth wäre, ſich hoch darum bekümmern. Auch taugte es gar nicht, daß ihr ſollet euren Widerſacheren Freude machen mit euer Traurigkeit. GOtt verſucht euch ein wenig. Haltet feſt, ſo werdet ihr auch erfahren, was GOtt iſt, und wie er regieret.

IV. Wolan, GOttes Sohn muſte nicht allein vom Teuffel, und der argen Welt gehaſſet, und verfolget ſeyn, ſondern zu letzt auch heiſſen percuſſus, & humiliatus à Deo. Wie Eſa. 53. ſpricht, und der 22. Pſalm. *Ego ſum vermis, & non homo, &c.* Ibid. ubi ſuprà.

V. Mein allerliebſter (Miſene) ich hab ein hertzlich Mitleyden mit euch, und bitte unſern HErrn Chriſtum mit Ernſt, daß er euch wolle ſtärcken, und ein frölichen Muth geben. Tom. 8. Jenæ fol. 191. Epiſt. ad Spalatinum.

VI. Ich bitte euch mit höchſtem Fleiß, G um unſers HErrn Chriſti willen, ihr wollet ja auf euch ſelbſt nicht ſehen, das iſt, nach eures Hertzens Gedancken, und fühlen, nicht richten, ſondern mich, euern Bruder, der in Chriſti Nahmen mit euch redet, hören, wo nicht, ſo wird die Traurigkeit überhand nehmen, und euch tödten (nach dem Wort S. Pauli 2. Cor. 7. Die Traurigkeit der Welt wircket den Todt) wie ich an mir ſelbſt offt, und Anno 1540. an N. zu N. erfahren habe, welchen ins N. Sache, die Schwermuth, und Traurigkeit ſchon hingericht hatte, aber Chriſtus wecket ihn wieder auf durch mein Mund.

VII. Wie mich die Sache anſiehet, mein H lieber (Miſene) ſeyd ihr entweder im Streit, oder Kampff, wider die Sünd, böſe Gewiſſen, Anklage deß Geſatzes, und Schröcken deß Todts nicht wohl erfahren, noch bewehret: Oder der Satan hat euch aus den Augen / und Gedächtnüß gerucket allen Troſt, ſo ihr je in der Schrifft geleſen habt, und daraus gefaſſet, dadurch ihr auſſerhalb der Anfechtung gerüſt aufs allerbeſte euch zu erinnern habt gewüſt, was Chriſti Ambt, und Wohlthaten ſeyn. Ja, ſo viel ich mercke, hat er euch auch alle ſchöne Chriſtliche

Pre-

A Predigten, von GOttes Gnad, und Barmhertzigkeit, in Christo uns erzeigt, damit ihr andere gelehret, ermahnet, und getröstet habt, mit frölichem Geist, und grossen freudigen Muth, aus dem Hertzen gerissen.

VIII. Darum reichet doch um GOttes Willen eure Ohren her, und höret mir (euerm Bruder in Christo) fleißig zu, was ich mit euch rede, der mit solcher schwerer Anfechtung, wie ihr jetzt, nicht behafft ist, sondern in Christo stehet, und starck ist, eben darum, auf daß ihr, der ihr schwach seyd, vom Teuffel gejecht, und erschröckt, euch auf mich steuren, und aufrichten möget, biß daß auch ihr, wider zu recht gebracht, dem Teuffel könnet Trotz bieten, und getrost wider ihn singen: Man stosset mich, daß ich fallen soll, aber der HErr hilfft mir. Gedenckt doch jetzt, ich sey Petrus, der euch die Hand reiche, und zu euch spreche, Im Nahmen JEsu stehe auf, und wandele.

Psalm. 118.
Dis ist warlich schwer zu gedencken.
Act. 5.

B IX. Ach mein lieber (Misene) höret doch, und glaubet, daß Christus durch mich mit euch redet, dann ich irre ja nicht, das weiß ich, viel weniger rede ich etwas teufflisch, sondern Christus redet durch mich, (weil ich euch sein Wort fürhalte) und gebeut, daß ihr eurem Bruder in gemeinem Glauben der Christenheit gehorchen, und glauben solt.

Wer sagts mehr als du?

X. Darum sehet zu, daß ihr auch mit uns theilhafftig werdet unsers Trosts, der warhafftig, gewiß, und beständig ist, und vom HErrn selbs uns gebotten, daß wir ihn euch mittheilen sollen, und auch euch gebotten, daß ihr ihn von uns solt annehmen. Dann, gleichwie es wider unsern Willen ist, ja leyd geschicht uns daran, daß ihr so jämmerlich mit schwerer Traurigkeit gepeyniget werdet, also vielmehr, hat er ein groß Mißgefallen daran, (dann er ist gnädig, barmhertzig, gedultig, und von grosser Güte, und reuet ihn bald der Straff.)

Wo stehts geschriben?

C XI. Derhalben hat der liebe GOtt kein Schuld an eurer Traurigkeit, weil er uns gebeut, daß wir euch trösten sollen, welches ja ein gewiß Anzeigen ist, daß er euer Traurigkeit, welche deß Teuffels Plag ist, hasse, und verdamme. Darum solt ihr bey Leib dem Teuffel nicht gestatten, daß er euch Christum anders mahle, und fürbilde, dann er in der Wahrheit ist, sondern glaubet der Schrifft, die von ihm zeuget, er sey dazu erschienen, daß er die Werck deß Teuffels (wie euer Traurigkeit auch ist) zerstöre. Ihr habt Angst gnug gehabt, ihr seyd traurig gnug gewest, ihr habt gnug, ja mehr dann gnug gebüsset, darum schlaget den Trost nicht aus, last euch helffen, ꝛc.

D XII. Sehet doch mein lieber (Misene) wie aus treuem Hertzen ich mit euch handele, und rede, ich wills für die höchste Vergeltung von euch annehmen, die mir von euch widerfahren kan, so diese meine Tröstung, das ist, deß HErrn Christi selbs Absolution, Vergebung, Auferweckung, statt bey euch findet.

XIII. Darum fahre immer hin, und trolle sich der leydige Teuffel mit seiner Traurigkeit, welcher uns euer halben hart betrübet hat. Wolt auch gern unser Freude, so wir im HErrn haben, verstören. Ja, so er könnte, uns alle auf einmahl verschlingen. E

XIV. Es ist mir warlich von Hertzen leyd (daß ihr durch solche Traurigkeit verzehrt werdet) ich bitte den HErrn ernstlich, daß er euch wolle stärcken, und länger bey Leben erhalten, zu seiner Ehre, und seiner Herde, welche er euch befohlen hat zu weyden, Besserung, auch Weib, und Kind zu Gut, und Trost. Ich kans wohl glauben, daß die böse Art der (Jesuiten) euer Gedult wohl versuche, und übe, der ihr doch von Hertzen gern, mit Verlust aller Wohlfahrt, ja auch eures Lebens, begehret zu rathen, und helffen. Wie sollen wir ihm aber thun? Rühmen sollen wir uns, spricht S. Paulus, auch der Trübsalen, und wie das gemeine Sprichwort lautet: Mitte vadere, sicut vadit, quia vult vadere, sicut vadit: Laß gehen, wie es gehet, es will doch nicht anders gehen, dann es gehet. F Tom. 8. fol. 193. b.

G XV. Ach wir leben in deß Teuffels Reich, ab extra. Darum sollen wir nichts Guts sehen, noch hören, ab extra. Wir leben aber im seeligen Reich Christi ab intra. Da sehen wir (doch durch einen Spiegel, in einem dunckeln Wort, wie S. Paulus spricht 1. Cor. 13.) den überschwenglichen, unaussprechlichen Reichthum, GOttes Gnad, und Herrlichkeit. 1. Cor. 13.

XVI. Es hat mir einer angezeigt, wie der böse Geist euer Hertz damit beschweret, daß ein solch böß Wort aus eurem Mund gangen ist, ich wolt, daß der Teuffel alle die holete, so dazu gerathen haben, daß (die Jesuiter wider in Franckreich kommen.) Darum er euch plaget, und eingibt, als müstet ihr sein ewiglich bleiben. Tom. 8. Jen. fol. 106. a.

H XVII. Ey lieber (Misene) weil ihr dann fühlet, und bekennet, daß er, der böse Geist ist, der euch solch Wort heraus gerissen hat, auch sein böses Eingeben ist, so solt ihr wissen, daß alles, was er eingibt, erlogen ist. Dann er ist ein Lügner, und ein Vatter der Lügen. Dann gewißlich ists nicht von Christo eingegeben, daß ihr solt deß Teuffels seyn. Sintemahl er darum gestorben ist, daß die, so unter deß Teuffels Gewalt seynd, von ihm loß werden sollen. Darum thut ihm also: Speyet den Teuffel an, und sprecht, hab ich gesündiget, ey so hab ich gesündiget, und ist mir leyd, ich will aber darum nicht verzweifflen, ꝛc. Darum heb dich Teuffel immer hinweg.

XVIII. Derohalben solst du lieber (Misene) nicht deinen, noch deß Teuffels Gedancken glauben, sondern uns Predigern, wel-

welchen GOtt befohlen hat, die Seelen zu unterrichten, trösten, und absolviren, ꝛc. Solches solt du glauben, und daran gar nicht zweifflen. Kehre dich nicht an deine Gedancken, sondern höre allein, was dir dein Pfarherꝛ, und Prediger (Pareus) aus GOttes Wort fürsage. Veracht ihr Wort, und Trost nicht. Dann Christus selbs ist, der durch sie, mit dir redet, ꝛc. Solches glaube, so wird der Teuffel weichen, und aufhören, ꝛc.

XIX. Vielleicht werdet ihr sagen: χαλεπὸν τὸ ποιεῖν, τὸ δὲ κελεῦσαι ῥᾴδιον. *Difficile factu; jussu autem facile.* *Vel,* ῥᾷον παινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν. *Facilius est admonere, quàm mala patienter ferre.* *Vel,* τὸς ἰατρὸς οἶδ' ἐγὼ ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα πάντας λαλοῦντας, εἶτ' ἐπὰν πτάισί τι, αὐτὸς ποιοῦντας, πάνθ' ὅσ' ἐκεῖνοι τότε. *Medicos equidem scio de abstinentia apud ægrotos quàm optimè omnes disserere: si quid autem ipsis acciderit, ea tunc facere omnia, quæ priùs aliis prohibebant.*

Tom. 5. Jen. fol. 527. b.

XX. O mein lieber Freund (Misene) hie ist hohe Zeit, daß ihr euren Gedancken ja nicht trauet, noch folget, sondern höret andere Leute, die solcher Anfechtung frey sind. Ja, bindet eure Ohren fest an unsern Mund, und lasset unser Wort in euer Hertz gern, so wird GOtt durch unser Wort euch trösten, und stärcken.

XXI. Unsern Worten und Exempeln, als deß Heiligen Geists Worten, und Vermahnungen, müsset ihr warlich folgen, und die Gedancken, so euch davon treiben, ausspeyen, und außwerffen, und ob es euch sauer, und schwer zu thun ist, so lasset euch duncken, als wäret ihr gebunden und gefangen mit Ketten, darauß ihr euch wircken, und würgen müsset, daß euch der Schweiß außbreche. Denn deß Teuffels Pfeil, wenn sie so tieff stecken, lassen sich nicht mit Lachen ohne Arbeit außziehen, sondern mit Krafft muß man sie herauß reissen.

XXII. Darum müsset ihr ein Hertz, und Trotz fassen gegen euch selbst, und mit Zorn zu euch seibst sprechen: Nein Gesell, (du must frölich seyn, du must die Traurigkeit hinweg legen) so will ichs haben, hebt euch ihr Teuffels-Gedancken in Abgrund der Höllen, mit Sterben und Todt, hie habt ihr nichts zu schaffen, und nur die Zähne zusammen gebissen wider die Gedancken, und in GOttes Willen solchen harten Kopff aufgesetzt, und halsstarriger, und eigensinniger sich gemacht, denn kein böser Bauer, oder Weib, ja härter denn kein Ambos, oder Eisen ist.

XXIII. Werdet ihr euch so angreiffen, und wider euch selbst kämpffen, so wird euch GOtt gewißlich helffen. Wenn ihr aber euch nicht sperret, noch wehret, sondern last die Gedancken mit aller Müsse, frey euch plagen, so habts ihr bald verlohren.

XXIV. Aber der allerbeste über allen Rath, ist, wenn ihr nicht überall mit ihnen kämpffen möchtet, sondern küntet sie verachten, und thun, als fühlet ihr sie nicht, und gedächtet immer etwas anderst, und sprecht also zu ihnen: Wolan Teuffel, laß mich ungeheiet, ich kan jetzund nit deiner Gedancken warten, ich muß reiten, fahren, essen, trincken, diß oder das thun. Item, ich muß jetzund frölich seyn, komm morgen wieder, ꝛc. und was ihr sonst könt fürnehmen, spielen, und dergleichen, damit ihr solche Gedancken nur frey, und wohl verachtet, und von euch weiset, auch mit groben, und unhöfflichen Worten, als: Lieber Teuffel, kommst du mir näher, so lecke, ꝛc. ich kan dein jetzund nicht warten. Davon last euch lesen das Exempel von dem Leuse kricken, und von dem Genßpfeiffen, ꝛc.

Lutheranum remedium pellendi Dæmonis & quidem efficacissimum.

Alterum.

Tertium.

XXV. Ihr künt auch brauchen mein Artzney, und heilsame odoriferam panacéam. Wenn der Teuffel des Nachts an mich kommt, mich zu plagen, gebe ich ihm diese Antwort: Teuffel, ich muß jetzt schlaffen, denn das ist GOttes Befelch, und Ordnung, deß Tags arbeiten, und deß Nachts schlaffen. Zum andern, wann er nicht ablast, und hält mir für meine Sünde, so spreche ich: Lieber Teuffel, ich habs Register gehört, aber ich habe noch eine Sünde gethan, die stehet nit in deinem Register, schreibe sie auch an, ich hab in die Hosen geschmissen, häng es an Hals, und wische das Maul dran. Zum dritten, wenn er nun weiter anhält, dringet hart, und klaget mich an, als einen Sünder, so veracht ich ihn, und spreche: sancte Satan, ora pro me, lieber Teuffel, bitte für mich, denn du hast nie übel gehandelt, bist allein heilig, gehe hin zu GOtt, und erwirb dir selbst Gnade, und so du wilt mich fromm machen, so sage ich dir: Medice, cura te ipsum, Artzt hilff dir selbst.

Luther. in Colloq. mensal. tit. de tentat.

Quartum remedium.

Quintum remedium.

Sextum remedium.

XXVI. Fac tu similiter, & vives. Wenn ich unlustig, und schwermüthig bin, so fliehe ich Einsamkeit, gehe zu den Leuten, und schwätze mit ihnen, und Christus selbst ist in der Wüste vom Teuffel versucht worden.

Ibid. tit. eodem.

Septimum remedium.

XXVII. Darumb, wann einer mit Traurigkeit angefochten wird, dem rathe ich treulich, daß er sie bald außtreibe, gedencke irgend an etwas lustiges, thue einen guten Trunck, spiele, oder kurtzweile, oder nehme sonst etwas ehrlichs und erbars für, darauf er hefftig gedencke, so viel ihm müglich ist, und er kan.

In eodem titulo.

Octavum.

XXVIII. Das aber ist das einige und fürnehmste, lieber Herꝛ Misene, sehet ihr zu,

Nonum.

A zu, daß ihr nicht allein bleibet, wenn ihr angefochten werdet. Ja fliehet Einsamkeit, wie ein Münch that, da er in seiner Zell angefochten ward, sprach er: Hie bleib ich nicht, ich lauffe auß der Zell zum Brüdern. Also stehet in Geschichten der Aposteln von S. Paulo, der da 14. Tage grossen Hunger, und Schiffbruch erlitten hatte, darnach da er zu den Brüdern kam, und von ihnen aufgenommen ward, kam er wieder zu ihm selbst, und ward erquicket, und getröstet. Und also thue ich auch, gehe ehe zu meinem Schweinhirten Joannes, und zum
B Schweinen, denn daß ich allein bleibe.

XXIX. Seyd nur getröst, und unverzagt, es wird alles zum besten gerathen, denn euer Anfechtungen werden kommen zu GOttes Ehre, und zu unserem, und vieler Leute Nutz, und Heil. Ich bin auch in dem Spittal kranck gelegen, hatte aber niemand, der mich trösten konte. Ich klagte wol D. Staupizen meine Anfechtungen, er aber sprach zu mir, Magister Martine, ich verstehe es nicht, ꝛc. Halt ihm nur auß, heiß den Teuffel murren, so lang er will, er soll gewißlichen lauffen.

C XXX. Glaubet mir, wenn ihr nicht so einen guten Stein im Brete hättet bey GOtt dem Vatter, ihr würdet die Tentation, und Anfechtung nicht haben.

Decimum remedium. XXXI. Die beste Artzney wider die Anfechtung ist, daß du deine Gedancken davon abwendest, das ist, redest von andern Dingen, von Marcolfo, Eulenspiegel, und dergleichen lächerlichen Possen, so sich gar nichts zu solchen Händeln weder reimen, noch dienen, damit du jener schweren Gedancken vergessest.

XXXII. Man sagt, und ist wahr: Ubi caput melancholicum, ibi diabolus habet paratum balneum. Wo ein melancholischer, und schwermüthiger Kopff ist, der mit seinen eignen, und schweren Gedancken umgehet, und damit sich frist, da hat der Teuffel ein zugericht Bad.

D XXXIII. Derhalben, macht des Hermens und Traurens ein Masse, vergessets immer säuberlich, befehlts GOttes Willen, der besser ist, denn unser, esset nur, und trincket, labet euch, und kräncket euch nicht also abe, denn ihr sollet noch mehr Leuten dienen, Traurigkeit, und Kümmernüß aber vertrücknet die Beine.

Undecimum. XXXIV. Ich zweiffle nicht, ihr seyd ein Organist und guter Schreiling. Darumb so villeicht oberzehlte Recipe und remedia nicht wurden helffen, so braucht die nachfolgende: Wann ihr traurig seyd, und will überhand nehmen, so sprecht: Auf, ich muß unserm HErrn Christo ein Lied schlagen auf dem Regal. (Es sey Te Deum laudamus,

Tom. 6. Jen. fol. 206. Edit. 1561. Duodecimum.

oder Benedictus, &c.) Denn die Schrifft E
lehret mich, er höre gern frölichen Gesang, und Saytenspiel, und greifft frisch in die Claves, und singet drein, biß die Gedancken vergehen, wie David und Elizeus thäten. Kommt der Teuffel wieder, und gibt euch eine Sorge, oder traurige Gedancken ein, so wehret euch frisch, und sprecht: Auß Teuffel, ich muß jetzt meinem HErrn Christo singen, und spielen.

XXXV. Also müst ihr euch warlich wi- F
der ihn setzen lernen, und nicht gestatten, wie er euch Gedancken mache. Denn wo ihr einen einlasset, und zuhöret, so treibt er wohl zehen Gedancken hinnach, biß er euch übermanne. Darumb, nichts besser, dann flugs im ersten auf die Schnautzen geschlagen, und wie jener Ehemann thät, wenn sein Weib anfieng zu nagen, und beissen, nahm er die Pfeiffen unter der Gürtel herfür, und pfeiff getrost, da ward sie zuletzt so müde, daß sie ihn zu frieden liesse. Also, greifft ihr auch ins Regal, oder nehmet gute Gesellen, und singet dafür, biß ihr lernet ihn spotten. Decimum tertium remedium.

XXXVI. Denn wo ihr küntet glauben, G
daß solche Gedancken deß Teuffels wären, so hättet ihr schon gewonnen. Aber weil ihr noch schwach im Glauben seyd, so horchet uns, die wirs durch GOttes Gnad wissen, und halt euch an unsern Stabe, biß ihr selbst lernet gehen. Und wenn euch gute Leut trösten, mein lieber Herr Misene, so lernet ja glauben, daß GOtt solches zu euch saget, folget, und zweiffelt nicht, es sey GOttes Wort gewißlich, der euch, seinem Gebot nach, durch Menschen tröstet.

XXXVII. Darum seyd getrost, mein Tom. 6. Jen. fol. 205.
Herr Steni, oder Lithe: *& admittite fratrum voces in cor, per quos Deus ipse loquitur vobis, etiam præter, & supra quotidiana sua opera: Ubi ego sum, & vos eritis.*

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus; ja *verè Domini in genitivo, & nominativo.* Ibid.
Domini in genitivo; quia ipsius domus, imò membra sumus. Domini, in nominativo: quia regnamus super omnia, per fidem, quæ est victoria nostra. Deo gratia. Et conculcamus leonem, & draconem. Summa; confidite, ait; ego vici mundum.

H
Derselbig Christus lebt und regiert auch Tom. 6. Jen. fol. 167. b. edit 1561.
noch, und heist sein Titel, *Scheblemini*, hoc est, *sede à dextris meis.* Und last euch diesen meinen Trost eingehen: sonst wird ich andere Seitten aufziehen, und euch trösten mit diesen und dergleichen Worten, mit welchen ich vorzeiten dem Caspar Schwenckfeld habe zugesprochen. *Increpet Dominus* Tom. 8. Jenæ. fol. 173. b. edit. 1562.
in te Satan, & sit spiritus tuus, qui vocavit te, & cursus tuus, quo curris, & omnes, qui participant tibi, Sacramentarii, & Eutychiani tecum, & cum vestris blasphemiis in perditionem. Sicut scriptum est: Currebant, & non

A *mittebam eos. Loquebantur, & nihil mandavi eis.*

Oder aber ich würd dich trösten, wie vor wenig Jahren meine Lutherische Prädicanten getröst haben den Calvinischen Doctor Krell. Wir Verordnete lassen uns bedünIn concione funebri. cken, daß ihr (Doctor Krell) nicht allein das zehenjährige Gefängnüß, und den zeitlichen, sondern auch den ewigen Todt, GOttes Zorn, und Ungnad, den Fluch deß Gesätzes, aller Teuffel, höllische Marter und Pein, und die ewige Verdammnuß gar wohl verdienet habet.

B Vale charissimum caput Misene: sempérque memineris primæ in Catechismo Palatino Quæstionis. *Quæ est unica tua consolatio in vita & in morte?* Simul tamen ne obliviscere hujus responsionis: *Quòd animo pariter & corpore, sive vivam, sive moriar, non meus, sed fidissimi Domini, & servatoris mei JEsu Christi sum proprius, qui precioso sanguine suo pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens, me ab omni potestate diaboli liberavit: méque ita conservat, ut sine voluntate Patris mei cœlestis, ne pilus quidem de meo capite possit cadere: imò verò etiam omnia saluti meæ servire oporteat. Quocirca me quoque suo Spiritu de vita æterna certum facit, útque ipsi deinceps vivam, promptum, ac paratum reddit.*

C Habes, Misene, *Lutheranum Paracletum*, qui, ùt spero, dulcitudine sermonis sui, & blanda suadela, & medicaminum præscriptorum copia & ubertate, ægrimoniæ tuæ finem imponet. καθάπερ οἱ νοσοῦντες ἀλγοῦντες σφόδρα τὸν ἰατρὸν ἂν ἴδωσιν ἧκ ἀλγοῦς ἔτι, ὅτως ἐπάν τις τυγχάνει λυπούμενος ἧττον ὀδυνᾶται φίλου ἐὰν παρόντ' ἴδῃ. *Quemadmodum ægri, quos gravis excruciat dolor, cùm medicum vident, non ampliùs dolent, sic cùm quis tristatur, minùs affligitur, quando præsentem amicum intuetur.*

D Quantò magis tu levamentum mœroris senties, cùm PARACLETUM, & quidem talem, hoc est, Lutheranum, præsentem & mellitissimis alloquiis angori lenimen afferentem videbis? cui, ut *vacivas facias ædes aurium*, etiam atque etiam oro, téque per communem nostram amicitiam obtestor. Longè efficacior est, quàm *Consolatio* ante biennium tibi transmissa, vel quàm *Analysis* superiore anno ad te perlata: ad quam cùm nuper *Responsum* tuum legerem, commiseratione, quàm refutatione dignius judicavi, quippe ex mœstissimo pectore profectum; & ideo insulsum, illepidum, infestivum & inficetum, nervis & viribus destitutum, exsuccum, exsangue, exossium, elumbe; nihil enim aliud ab anxio & melancholico capite proficisci potuit, cùm *caput Melancholicum sit Diaboli balneum*, ùt ait Lutherus; cui tuo Responso, licèt pennas in Panegyrico utcunque vellicaverim, hunc nihilominus PARACLETUM repositum

Luth. Colloq. Mensal. tit. de Tentat.

volo, non impar, nisi decipior, ἀντίδωρον; & loco tuarum MONSTRANTIARUM cape istam Parisiis pictam & factam. cujus conspectus immensa te voluptate perfundet: quia monstrat & exhibet id, quo tibi in vita nihil jucundius evenire potuit.

MONSTRANTIA
PRO
MISENO.

CATALOGUS COLLEGIORUM SOCIETATIS JESU IN GALLIA.

Ex literis R. P. Frontonis Ducæi, Parisiis, XI. Februarii 1606.

In Provincia Franciæ.

I.

F *Parisiis est domus Professorum, in qua degunt circiter viginti ad D. Ludovici: & Collegium Claromontanum.*

II. Rothomagi in Normania ad Sequanam, in quo mille septingenti auditores literas humaniores discunt, & philosophiam.

III. Biturigibus, ubi etiam literæ humaniores, & philosophia docentur.

IV. Flexiæ in Andegavis, ubi etiam humaniores literæ, & in tribus classibus philosophia traduntur. Mille auditores numerantur.

V. Rhedonibus in Britannia minori: hîc item mille docentur literas humaniores.

VI. Mussiponti, est Academia, ubi Theologia, & literæ humaniores cum philosophiæ cursu triplici docentur.

VII. Collegium Virdunense. In eâdem regione Nancei, ubi Principis sedes, domus est Probationis. Nuper etiam altera Probationis domus fundata est Rotomagi.

In Provincia Aquitaniæ.

G *I. Burdigalæ, ubi Collegium, & Academia, in qua nostri quatuor classes Theologiæ, tres Philosophiæ, sex humaniorum habent literarum: Discipuli, mille, ducenti.*

II. Petrocoriis; ubi quinque classes humaniores, una philosophiæ. Auditores, sexcenti.

III. Lemovicibus ad Viennam, seu Vigennam fluvium, ubi item quinque humaniorum literarum classes: mille, scholastici.

IV. Tolosæ in Gallia Narbonensi: ubi Theologiæ classes duæ; totidem philosophiæ; humaniorum literarum quinque: mille, sexcenti auditores.

H *V. Auscii; ubi humaniorum literarum scholæ quinque; una philosophiæ; auditores admodùm sexcenti.*

VI. Ruthenis: quo etiam in Collegio, quinque humaniorum literarum scholæ, philosophiæ una; auditores octingenti.

VII. Agenni ad Garumnam, ubi una philosophiæ, quinque philologiæ, auditores sexcenti.

Inchoatur jam novum Collegium Cadurci ad Oldam fluvium.

Alterum

A *Alterum etiam paratur Pictavis, ſive Auguſtoriti Pictonum, quæ regio maximè Calviniſtis ſcatet.*

In Provincia Lugdunenſi.

B *I. Lugduni, ubi & Theologia, & Philoſophia cum humanioribus traduntur literis.*
II. Turnone ad Rhodanum, ubi Academia.
III. Camberiaci.
IV. Divione, in Burgundia.
V. Avenione. Ibidem, Probationis domus.
VI. Anicii, in Velaunis.
VII. Biterris, ad mare mediterraneum.
VIII. Billomi, in Alvernis.
IX. Mauriaci in eâdem Provincia.
X. Collegium Viennenſe in Delphinatu.
Fuerunt & alia duo nuper in hac Provincia, ſed jam ſunt ad Francicam Provinciam aggregata, Veſontionenſe, & Dolanum, utrumque in Comitatu Burgundiæ. Agitur etiam de novo ædificando Collegio Molinis, quæ primaria eſt urbs ducatus Borbonii, & Rhemis.

Habes unam MONSTRANTIAM; ſed ut videas liberalitatem meam, en tibi alteram de veſtris moribus, Quintíque Evangelii fructibus, confectam ab illo viro, qui de veſtro grege aliquando fuit; qui quæ in litteras retulit, vidit, ipsâ experientiâ didicit, manibúsque, ut ſic loquar, tetigit. Fac te Lithe auritum, *quæ quidem mihi atque vobis res vertat bene.*

Georg. Wicel. in libro, qui inſcrib. Retectio Lutheriſmi.

MONSTRANTIA EVANGELICO-LUTHERANA.

I.

C *IPſos etiam Sectarios habeo ſuffragatores, qui ingenuè confitentur, uberiorem vitiorum copiam nunquam extitiſſe, quàm ab iis annis, quibus ſuccrevit Lutheriſmus. Vidimus eheu, vidimus Evangelii ad prodigium uſque jactati fructus. Faxit Opt. Max. ne plures id genus nobis iſtud pariat. Quidquid ſuperat laudatæ diſciplinæ, pudoris, reverentiæ, converſationis inculpatæ, religionis, id penè omne profligavit iſtud Evangelion.*

D *II. Manifeſta eſt archevangeliſtarum luxuria, atque tyrannis. Ad ſummos evecti honores ſæculi hujus ſunt, & donis regiis, amplisque proventibus ditati. Vita horum planè mollis, planè ſplendida eſt. Curandæ horum cuticulæ nihil deeſſe omnium oportet. Sumptuoſa hîc, & crebra convivia, nocturnæ potationes, choreæ, muſicæ deliciæ, & cetera, quæ ſcilicet Apoſtolos pauperes Chriſti, & reſtauratores Eccleſiæ decent. Imò verò Epicuræos decent hujuſmodi, non viros Apoſtolicos. Homerus, credo, vidit, qualem iſti vitam vivant, cùm ait; At ſemper cordi nobis epulæq́, chorique, Cantúsque, & variæ veſtes, & balnea calda, Concubitúsque. Horum ſex ſunt. Cedunt iis ſex opera miſericordiæ. Per priora cognoſcuntur Evangelici, at per poſteriora illa, Pharizæi.*

E *III. Peccare hoc tempore tutum eſt, & parit amicos. Benè operari, cum periculo conjunctum, invidiam Catholicis conciliat. Et ubi ſunt, qui Papiſtas ob vitam carnalem tot modis proſcindebant? Ubi ſunt, qui Evangelicis præconibus frugalitatem quandam Pythagoricam decernebant? Verùm, ita oportuit incautis Germanis dare verba, donec ineſcarentur.*

IV. Tyrannis eorum mirifica eſt erga eos, quæ nolunt omnia ſua laudare. Eam verò exercent in ſuos parochos, ludimagiſtros, cives, agricolas, ſi qui fortè ſtatuam regis Babylonici non ſuppliciter adorent, & manum ejus exoſculentur. In ceteros à ſe diſſentientes, ſtylum duntaxat ſtringere poſſunt, ſed hunc amariſſimum, & venenatiſſimum. Iſto unico ultionis genere utuntur, & hoc ultra omnem modum.

F *V. Evangeliſtæ, Eccleſiaſtæ, Epiſcopi, Diaconi; (nam hæc cognomina ſibi ipſis pro confeſſo vendicant:) ſuos ferè archevangeliſtas, & archiepiſcopos imitantur. Cur enim malint veteres ſanctos, quàm hoſce ſuos æmulari? Hi jucundi, ac ſuaves ſunt ſancti; illi verò, duri, luctuoſi, jejuni.*

VI. Nullus eſt, qui non conſectetur voluptates, qui non ambiat favores, & menſas potentum, qui non pecuniæ magis, quàm Theologiæ ſtudeat. Non hîc loquor de plebeiis parochis, qui in nullo diſtant à prædeceſſoribus Papiſtis, niſi quòd mariti ſunt, & non ſolùm mariti, verùm etiam bis mariti.

G *VII. Vita vulgi Evangelici adeò Evangelica non eſt, ut me millies, & iterum millies ejus puduerit. Verè labruſcas pro uvis reperire eſt hac in vinea, pro theſauro, carbones. Huc venit, ut virum fidum vix uſpiam invenire liceat, etiamſi lucernam Diogenis accendas.*

VII. Amor nullus eſt in Evangelica turba: nam nulla amoris argumenta comparent. Alter alterum ferè devorat. Omnes ingenti quodam impetu feruntur modò, ad quærendum victum, & ita inter eos fervent querelæ, ac murmura, ac ſi univerſis pereundum inedia ſit. Qui aliquid habet, is eo fruitur: Qui caret, careat; aut ipſe ſibi quoque paret. Omitto fraudes, & mirificas artes, quibus ſe mutuùm depilant noſtri homines.

H *IX. Nulla lingua valet aſſequi, quanta hypocriſis omnium mores, etiam amiciſſimorum occupârit, &, quàm omnia fœteant adulatione monſtroſa, adeò, ut citra hanc jam nemo evehi ad ullam ſortem exoptatam queat. Ubi jam ſynceritas? ubi candor? ubi ſimplicitas? Inter cognatos etiam, & affines, ardent odia, verſantur omnia invidiis. Major fidelitas, atque charitas inter pocula eſt. Sobrii, ad ingenium redeunt. Tunc nimirum amici, & fratres ab extra ſunt.*

X. Mendacia, lites, judicia inter Evangelicos augeſcunt. Et quia pax publica migrationem minatur, muniuntur civitates, cuduntur arma, aluntur milites, CÆSAR con-

temnitur, Principes ridentur, Dorium canitur, & Evangelicè se habent omnia. Eo crescunt convitia, ira, perjuria, jurgia, ut ea etiam magistratus vetare cogatur. Neque enim Evangelio Evangelicus aliôqui populus emolliri, aut emendari potest.

XI. Comessationes, crapulæ, ebrietates, lasciviæ, turpiloquia, eutrapeliæ omnem excedunt modum in turba ista, idque adeò, ut pro peccatis hæc propemodum nemo ducat.

XII. Concionatores aliquando dicunt in ebrietates, ipsi sæpissimè ebrii. Dicunt in diffidentiam victus, ipsi semper querulì, semper mendici.

B XIII. Noctu perstrepunt per plateas amatoriæ cantiones, & inquietantur sobrii insanissimis ebriorum clamoribus; offenduntur pii lyris, & tympanis. Omnia impudica, lasciva, Sodomitica

XIV. Diebus noctes solidas addunt potores, nec tamen exsatiari queunt. O, non guttura hominum, sed barathra cacodæmonum exsecrabilia, ac septies maledicta.

XV. Avaritia incomparabilis est, & vires indies acquirit in ista temporum illiberalitate, tenacitatéque. Vestium immensam luxuriem vix terra fert. In memoria hominum nil tale compertum est. Princeps mundi arcem suam in pace tenet.

XVI. Prætereo adulteria, divortia, susurra, murmura, cæteráque tenebrarum opera, quibus secta hæc decorata est non sine summo dolore bonorum, & exitio suo æterno. Quid? mare est vitiorum, quo circumfusa est secta, ego hujus vix pauculas guttas attigi.

C XVII. Virtutes foras suis concionibus exegerunt, & libellis. Constantia nulla, nisi in malo: fortitudo nulla, nisi in epotandis cyathis: temperantia nulla, nisi à bono: Justitiæ satis habet, qui fidem habet, ideo nihil injustum scilicet potest committere.

XVIII. Scribo verò hæc, non ut ullum hominum genus vituperem, sed ut iis os obturem, quì gloriantur, Evangelicos sese ad meliorem frugem convertisse: id quod tam non verum est, quàm verum esse cupio. Autor Lutherus suos ìstos alicubì increpans, dicit eos decies Sodomitis pejores esse. Quo minùs mihì vitio vertendum, quòd eos suis depinxì coloribus, servata tamen aurea mediocritate.

D XIX. Quàm verò isti novi Evangelii buccinatores magno sint apud plerosque in pretio unà cum suo Evangelio, præclarè docet Lutherus. *Parochos, & Prædicatores, tantùm non pedibus conculcant, & usque adeò contemptè habent, ut rustici ipsorum porcos, non ita viliter, & inhumanè tractent. Item: Eò res rediit, ut vix sustineamus unum aliquem parochum alere: cumprimis verò nobiles virì in villis suis, quì omnia bona Ecclesiæ ad se rapiunt, prædicatoribus ita arctè, & jejunè habitis, ut illis prædicandì Evangelii non magna voluptas maneat. Siquidem his pro servis abutuntur, & quod ipsis visum fuerit, docere coguntur. Horum exemplum deinceps avarissimi fœneratores* E *in civitatibus, & vulgus imitantur.*

Luth. in c. 7. Matth. Tom. 7. Latin. Witeberg.

XX. *Volunt illi* (Prædicantes Lutherani, & Ministri Calviniani) *omnia, quæ ore perstrepunt, esse Evangelium; quod faciunt, esse Evangelicum; quod habent esse Evangelii. Et nihil uspiam sonant, nisi Evangelium. Quemadmodum olim; templum Domini, templum Domini: omnia Evangelii titulo, quæ volunt, agunt.* In libro anonymo, qui inscribitur Querela Evangelii anno 1524. edito. Auctor quisquis fuit, Sectarius fuit.

XXI. *Sed malè sit mihì propitius Deus, nisi mera caro suaves illos viros Dei pervertat, si rem introspicias. Caro enim, ut voto suo perfruatur, eâdem opera jactat Evangelium, qua decretum. Caro, caro est, etsi angelica lingua mortuam scripturæ literam detonares. Carnem verò in multis principatum tenere eximiè Evangelistis apud vulgus, indicant fructus, & opera ejus.*

XXII. *Ubì major jactantia, fames gloriæ popularis, & blandior philautia? Ubì acrior contentio, dum suam quisque sententiam tuetur? Nullus alteri cedit: cuique sua placent. Vide, ut ulciscantur ore, calamóque, si qua labes eorum nomini fuerit aspersa.* F

XXIII. *Vide, quàm iniquè ferant, si eos parciùs laudaveris; sique ab illis dissenseris, aut ubì vident suam operam non plausibiliter accipì, & æquè probarì ab omnibus.*

XXIV. *Surgunt, & inflatis buccis* (forsan & buccinis) *concionantur de fiducia in Deum, etiam in iis, quæ corporis sunt, non solùm animæ. Benè quidem illi, sed nulli magis diffidunt Deo, tam benigno Patri. Et nemo nescit, quàm interim sua quærant, plus cupiant, & palàm declarent, quàm sint* φιλήδονοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας.

G XXV. *Concionantur de sublevandis egenis, novit Deus, quos ipsi sublevent; cùm id tamen possint. Palàm narratur, quàm ferveat eorum charitas scilicet. Faciunt, ut per vitam solità sunt: nulla est hìc transmutatio.*

XXVI. *De cruce ferenda mirum, quàm multa ubique inculcant; sed utinam ipsi à cruce non abhorrerent Crux multis in lingua; paucissimis super humeros.*

XXVII. *De temperantia, & Apostolica frugalitate benè loquuntur aliqui; ceterùm in propatulo est eorum vita plus æquo splendida, hoc est, ex animi sui sententia. Divitiæ malè audiunt; verùm arriderent, si adessent clam aliis.*

H XXVIII. *Honores captant undecunque: gaudent vocarì Rabbi, Doctores, Magistrì, Evangelistæ, Prophetæ, Ecclesiastæ, & tantùm non Christi.*

XXIX. *In congregationibus diligunt, quod nemo ignorat,* πρωτοκαθεδρίαν. *Sed hæc minutula ipsis videntur; habent autoritatem hujusmodì levicula præterire, aut glossulis deflectere. De conversatione illorum, quam sanctam, & immaculatam esse oportuit, &* τύπον *bonorum operum, restat mihì vel sola querela.*

XXX. *Apostolos jactant, & ipsum Christum. Sic, ajunt, Paulus fecit: hoc accidit & Christo.*

A *ſto. Ubi verò æmulari illos durum videtur ; nulla mentio neque Pauli, neque Chriſti.*

XXXI. Quòd ſi urgeas, ut & alia imitentur, inveniunt commentum, quo elabantur. Quid igitur niſi caro in his omnibus? Et, quid Evangelium, niſi neſcio quod tectorium?

XXXII. Et quid quintum Evangelium effecit ac profecit? Invenio æquè improbis moribus, ac mala vita homines, ùt antea. Nulla fides erga proximum; etiam nec ea, quam docent & gentilium literæ. Nulla charitas, nullus favor, nulla beneficentia. Summatim, vivitur tam malè inter Evangelicos, ut me iſtius pudeat inter Ethnicos.

Abſolvi *Monſtrantiam* alteram; quæ tibi tuísque, qualia monſtra ſitis, dilucidè monſtrat. Tu monſtranti attentos oculos, patulas aures, facilémque mentem præbe.

LUDUS IN MISENUM.

B NUnc cape hunc Ludum, quem ego non luſi; ſed quidam tui ornandi ſtudioſiſſimus. Debetur tibi multis nominibus. I. Quia ludio & hiſtrio es. II. Quia Poëta, & quidem ludicrus. III. Quia paſſim chartis & tuis & alienis aſpergis Epigrammatia, etiam Reſponſo tuo ad Analyſin epiſtolæ Græcanicæ; quibus non immeritò reponuntur ejusdem generis poëmatica, ne humanitate abs te vinci videamur. IV. Quia alicubi polliceris carmina in *Canonizationem* ſeu, ùt tu loqueris, *Canoniſmum*, B. P. N. *Ignatii.* Ut igitur beneficio tuo, quamvis nondum accepto, vicem rependamus; en tibi in nomine, & de nomine, & ex nomine tuo nata carmi-
C na. V. Quia ſtultitia tua tali luſu multò dignior eſt, quàm fatuitas Claudii Cæſaris ludo Senecæ; quem tam gravis & caperatæ frontis Stoicum ludere non puduit; quia Claudium non puduerat tali ludo dignam vitam agere. VI. Quia breviſſima illa deſcriptio *Amphitheatri Honoris;* edita Heidelbergæ à Calviniſtico *Gorgonio,* Calvo *Calviſio*, *hædo* an *Heduo?* hoc eſt, ùt ſuſpicor, à Litho, ſub Gorgonis hujus tegmine latitante; Tale γέρας, Heidelbergam remitti jubebat. Carmina dedit ille; Carmina reddi-
D mus. Par pari, ex veteri dicto. VII. Quia verſus, quos mendaciſſimæ & contumelioſiſſimæ tuæ orationi de nupera Anglicana conſpiratione ſubjunxiſti, verſus poſtulant: Poſtulantibus poſtulata non inviti concedimus. VIII. Quia ludis ornantur triumphi. Triumphat & noſter Miſenus, & in triumpho victum & vinctum ducit Gretſerum. Cur non honeſtaretur ludo? IX. Denique indignè tuli, te nullo anagrammate ſeu anagrammatiſmo donatum ab Huldricho Buchnero in ſuis Anagrammatiſmorum Plejadibus in tot alioqui *Prædicantes*, *Jureconſultos*, *Medicos*, *Poëtas*, *Philoſophos*, *Philomuſos Philadelphósque* valdè munifico; cujus liberalitas etiam uſque ad Pharmacopolam quendam Heidelbergenſem ſeſe protendit. Quod igitur à Buchnero neglectum, id copiosè ab illo, quem dixi, amico tuo compenſatum eſt. Sed jam incipiamus ludere, tu lector fave; multi ſunt digni ludendo revinci, & in ruborem dari, ne gravitate adorentur. Te verò, Lithe, moneo, ut manus à naſo abſtineas; quia proverbium vulgare eſt, teſte Petro Bleſenſi, *eum malè ulciſci dedecus ſibi illatum, qui amputat naſum ſuum.* Bleſ. tract. de Peregrin. Hieroſolym.

E

EXAMEN RHADAMANTHEUM, ANAGRAMMATICUM SUPER SIMONE LITHO STENIO MISENO CALVINISTA;

Eodem

Reo & judice, &c.

Ad libellum, excuſatio.

F *PUlcher & albe liber propero pede curre per orbem,*
Curre Lithóque *tuam ſedulus offer opem.*
Indiget ille tua, quamvis non dignus opella,
Excipies vario ſcriptum anagramma modo.
Pulcher & albe liber, doleo; obſcuraberis umbris,
Te niger infernis Orcus obibit aquis.
Intrandus Cocytus erit, Rhadamanthina ſceptra
Tartareis pingent candida dorſa notis.
Illic crudeli terreberis ore Tyranni,
Juſſáque ſollicita judicis aure bibes.
Tu tamen immoto durabis ad omnia vultu:
Ut Stygiis referas omnibus acta locis.
Pulcher & albe liber, doleo; turpabere cæno,
Cùm te Miſena Sus *maculabit* hara.
Illic immundo porci verſabere roſtro; G
A ſue cùm Lithicis objiciêris apris.
Quàm formoſus abis, quàm candidus? inde reverſus
Quàm Styge tæter eris? quàm ſue turpis eris?
Pulcher & albe liber, doleo: tamen ito, regreſſus
Albior eſſe potes, pulchrior eſſe potes.
Pulchrior eſſe potes, ſuis inter facta nefandæ
Turpia, virgineo dum ruber ore nites.
Albior eſſe potes, nigris quia dicta figuris
Dum Minois habes, candidus ipſe micas.
Ut magis inter ovat contraria crimina virtus;
Sic eris obſcœnas mundior inter haras.
Pulcher & albe liber, doleo; formoſe libelle,
I tamen, invito ſi pede ferre; ſat eſt. H
Invitum ſi fama ſciet penetrâſſe ſub umbras,
Invitum tætros ſi ſubiiſſe lacus;
Laudibus ampla tuum feret admirata decorem,
Cum pice quando nivem, cum ſue cernet apem.
Pulcher & albe liber, doleo; tamen ire neceſſe eſt:
Non alio ſua Sus *proferat acta modo.*
Non alio ſua jura modo queat edere Minos:
Nil mundi aut albi Porcus & Orcus *habent.*

Et

376

A *Et tamen ille ſuas optat depingere gemmas;*
Promere candorem geſtit & iſte ſuum.
Sola papyrus abeſt, tantis dignanda figuris:
Liber & partes ſedulus adde tuas.
Datua munda Sui, da candida terga Tyranno;
Hic maculet, partem denigret ille tui.
Dummodo non totus ſordeſcas atque nigreſcas;
Nam mage ſic pulcher, ſic magis albus eris.
Pulcher & albus eras patrio lare miſſus ad Orcum.
Magna parte redux turpis & ater eris.
Pulcher & albus eras ad apros lare miſſus avito;
Magna parte redux turpis & ater eris.
Pulcher & albe liber, bonus ito: canêre reverſus
Mundus, & infernos inter eburnus apros.

B

Ad Lectorem.

Si nimis eſſe putas examen lector acerbum,
Offenditque auras ruſtica muſa tuas:
Ignoſces: dat jus ferus implacabile Minos,
Porco: non capit hic verba modeſta reus.

Ad Miſenum.

Fors Lithe conſuetos furor excandeſcit in ignes,
Quando meros apros, cùm mera monſtra vides:
Quando per antra Stygis, per Colchica luſtra vagaris,
Quando leves audis caſta virago jocos:
Et tecum facio, Miſene, indignor & ipſe,
Cùm tam monſtrificæ nomina meſſis habes.
Cùm lappa, tribulo, fatuáque tumeſcis avena:
Cùm mala fers nimio fœnore, nulla bona.
His moveor viſis; ſtomacharis & ipſe, quid inde?
Fertile nomen habes: eſt anagrammatuum;
Eſt epigramma meum, ſic fari cogor. OPERCLUM
Scilicet invenit fœda patella ſuum.

C

Ad Lectorem.

Hactenus hirtus aper voluit docuiſſe Minervam;
Jam docet, imò decet craſſa Minerva ſuem.

EXAMINIS RHADAMANTHEI

Actio I.

Proclamatio Judicis.

Minoa ſe agnoſcit & venditat Simon.

SIMON. *ANAGRAMMA.* MINOS.

D *ILle ego ſum* Minos, *toto qui notus in orbe,*
In malè compoſitos ſceptra coruſco dolos.
Ille ego ſum Minos, *imo qui notus in Orco,*
In malè diſtortos verbera denſo viros.
Ille ego ſum Minos, *olim qui præſes in axe*
In malè mordaces tela ciebo jocos.
Ille ego ſum Minos, *cujus ſtant jura rigore,*
Quo ſine recta cadunt, quo ſine curva vigent.
Ille ego ſum Minos, *quem gens ſine pace togata*
Sentit, & ô utinam: Sed pede preſſa gemit.
Ille egò ſum Minos, *cujus* GRETSERUS *inermis*
Torquet in indomitas ſpiculum inane manus.
Ille ego ſum Minos, Simon *Lithus, arbiter orbis:*
Quem tremit Orcus, amat terra, ſed aſtra ſtupent.

Acceptatur Simon pro Minoe.

E

Prô quàm terrifico jacis ore tonitrua Simon?
Jam ſtupeo, axis ero: jam metuo, Orcus *ero.*
Sed quid ero, dum non amo? tellus? ſtyx? an olympus?
Quæ fera tam tetricum poſſit amare ſenem?
Minos *es, fateor, Rhadamanthina ſceptra minaris,*
Aggrederisque tuis quemque, ſuperbe, ſtrophis.
Herculeas audes in bella laceſſere clavas,
Exigis indomitas in tua colla manus.
Hoc nunquam Minos, non Tartarus ipſe fuiſſet
Auſus, ut in ſuperos ſtringeret arma Deos.
Tu tamen hoc tentas, petis impius æthera ferro,
Et jacis in dias infera tela plagas.
Infera tela tamen, quia Phœbus Apollo retundit,
Nec ſinit aërias uſque venire domos.
Ære vel ore mica, jace & ice: jacebis, habebis
Fractus ab ære tuo, victus ab ore tuo.
Jámque jaces, ſtolidúsque taces, proſtratus humi ſus;
Et generata tuo nomine monſtra paves.
Et ſuper arrigeris, neque jam potes ipſe negare;
Tu pater, hæc ſoboles, luxurioſe, tua eſt.
Hanc perime, hanc macta, ſuper hac oracula prome;
Et miſer ipſe tuo fuſus ab ære, jace.
Hic vindex ſævi, Minos *inſurge, cedo jus:*
Et miſer ipſe tuo victus ab ore, tace.

Accuſatio.

Arguitur Stenius ab immunditia.

STENIUS. *ANAGRAMMA.* Sus in te.

F *Mirabar tam craſſa tibi foret unde Minerva;*
Deſino nunc, in te dum video eſſe Suem.
Ad doctam neque Sus *poſſit grunnire Minervam,*
Nec canere ad turpem culta Minerva ſuem.
Ingenioſe parens monſtrorum, Pallada ſcrofæ
Jungere qui nôſti, Pieridas Paphiæ;
Scire quis hoc, quis poſſe dedit? Sus *ſcilicet* in te,
Qui cùm non faciat, nec meliora docet.

Appellatio ad judicem.

G *Ad Rhadamantheum promptus me ſiſto tribunal;*
Nec timeo ſævi quamlibet ora Dei.
Dic Rhadamanthe (tuo jus namque triumphat in ore)
Ore tuo verbis vim fac ineſſe meis:
Vim fac ineſſe meis verbis ſi vera fuerunt;
Sus in te, *Minos? Stabimus ore tuo.*

Judicium.

Fatetur Miſenus veritatem, culpam tamen à ſe in fati neceſſitatem amolitur.

MISENUS. *ANAGRAMMA.* Sus in me.

H Sus in me, *fateor, ſic eſt, ſic acta loquuntur;*
Dicta ſonant hominem, facta loquuntur aprum.
Non tamen idcirco mores culpaveris iſtos
In nobis; quivis non nequit eſſe, quod eſt.
Corpus adeſt noſtris conviva recumbere menſis
Juſſum, trajecto grammate porcus erit.

Hic

A *Hic in me, vel in hoc ego ſum hoſpite; quoq; catenis*
Vult trahit ipſe ſuis; & ſequor: aſtra jubent.

Deteſtatio.

Damnatur Miſenus ad beſtias.

SIMON STENIUS. *ANAGRAMMA.*

I ſus in montes.

I ſus in montes, *Faunis ſociare, dabúntque*
Pabula aqualiculo commodiora tuo.
I, Satyros pete turpis aper, pete luſtra ſalax ſus,
Inter virgineos quæ tibi vita choros?
Partheniis imponuntor mea fercula menſis,
Tu ſpurcas ambis porce lutoſe dapes;
Tu caſtis aper hirtus apes popularis in hortis:
I ſus in montes, *ſordida tesqua ſubi.*

B Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
In montes tantam te jubeo ire feram?
Montibus in cunctis tibi nec contenderit Ætna,
Tantum ſuſtineant te juga nulla ſuem:
Nec ferat immani ſubiens tua ſumina Taurus;
Major es hoc, in te ſus etenim omnis ineſt.

Accuſatio.

Arguitur Simon Stenius à nimia immunditia.

SIMON STENIUS. *ANAGRAMMA.*

Sus omnis in te.

C IN te Sus omnis *ſpatioſis paſcitur arvis,*
Atque putris craſſa luxuriatur aqua.
Quos olim vidit porcos Romana vetuſtas,
Hos unus geſtas ventre, Epicure, tuo.
Quos ventura ſues olim mirabitur ætas,
Hos utero ſolus fers Epicure tuo.
Hem quàm monſtroſos exſpectant ſæcula partus?
Ut pariat ſemper, parturit iſte tamen.
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici,
Non mea vaniloquo carmina ſpurco joco:
Miſenus peperit, ſcatuit ſue mundus, ab illo
Quadruus iſte ſues, quos habet, orbis habet.
Inde ſuos tulit Eurus apros, hinc abſtulit Auſter,
Hinc Zephyrus, Boreas abſtulit inde ſuos.
Nec tamen (ô monſtrum) pariendi finis; in orbem
Parturit ille novos & parit uſque ſues.
Felix prole parens generoſa, vive beatus,
Vixiſti, & fœtu non moriere tuo. E

Appellatio.

Dii mihi, ſi qua meis fuerint mendacia verbis
Sparſa, malos prodant vindice voce dolos.
Ipſe ego te Minos *rigidiſſime provoco judex:*
Omnis ſus in te? *Jus ſtat in ore tuo.*

Judicium.

Simon Miſenus veritatem denuo in fatum retorquet.

SIMON MISENUS. *ANAGRAMMA.*

Omnis ſus in me.

VEridico nihil ore queo celare, profabor F
Quidquid id eſt, tacita tu tamen aure cape.
Sum Minos, Simon Miſenus; juro per æquum:
In me ſus omnis. *Sic mea fata ferunt.*

Acclamatio.

SIMON STENIUS. *ANAGRAMMA.*

Notus es nimis.

Sus omnis eſt in te Steni,
Hinc notus es nimis, *Steni.*

SIMON STENIUS, *ANAGRAM.* { Notus es minis. / Notus es nimis.

DEnte minatur aper ſpumantibus igneus iris. G
Et ſus deturpat ſordibus omne ſuis.
Tu Lithe dentatas Minos Acherontius iras
Omnibus intentas; notus es inde minis.
Et fœdo quoſvis, ſus ſolus & unus ubique
Commaculas roſtro; notus es inde nimis.

ARÆ MISENIACÆ,

D *In quibus omnia hactenus dicta Anacephalæoſi quadam hypotypotica, oculis intuentium,* H
quàm belliſſimè ſubjiciuntur, &c.

Interro- gatio.

Stropha. Simon Stenius.



Stropha. Omnis Sus in te?

Reſpon- ſio.

Antiſtropha. Simon Miſenus.



Antiſtropha. Omnis Sus in me.

Quoties? 8192. *id eſt*, Octies millies, centies, nonagies bis.

A *Interrogatio ad Lithum, ara vel hara Circéa incluſum.*

SIMON, LITHUS, STENIUS, CALVINISTA.

Anagramma.

An litas, Simon, ſus lite, humi ictus?

Lithi reſpenſio Delphica.

SIMON, LITHUS, STENIUS, CALVINISTA.

Anagramma.

His telis laniſta ictus ſum. *Innuo.*

Primæ actionis concluſio.

Excuſatio Stenii.

PORCUS. *ANAGRAMMA.* Spurco corpus.

Sum porcus, nullo ſpurco diſcrimine corpus:
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Seria ad Miſenum adhortatio.

B *Aras ob quid haris Lithe mutas? templa popinis?*
Scilicet ut ſacris apta ſit ara tuis.
Namque facis porco Veneri; ſint ergo pudicæ
Omnia munda Deæ; victima, fana, popa.
Strenuus ergo lita: ſi defuit hoſtia, verſo
Ecce tuum corpus nomine porcus erit.
Sed tamen heu timeo Lithe. Quantum porcus ab Orco
Diſtat? litterula: hanc aufer & Orcus adeſt.
Orcus adeſt Lithe, jámque tuas gravis halat ad aras,
Heu timeo, Stygias ne tibi proflet haras.

EXAMINIS RHADAMANTHEI

Actio II.

C SIcelides Muſæ paulò majora canamus,
Intimius Stenicas diſcutiamus haras:
Aſpiciemus enim, quæ poſtuma deſpiciet gens,
Quæ riſu excipiet mira cachinno ſuo.
Quæ priſci oderunt; quæ nos horremus: in ipſis
Nam ſuibus Sus eſt; in ſue, ſúntque ſues.

Accuſatio.

MISENUS. *ANAGRAMMA.* Sus enim.

Sus *Miſenus* enim *eſt, cuncta ſue turgida ſcropha,*
Ipſe ſuile ſuum, Sus ſimul ipſe ſuus:
Nec viſu facilis neque dictu effabilis ulli;
Effari ſolus ſe tamen ipſe poteſt.

Provocatio.

D *Te Miſene peto, quod res eſt, ipſe profare;*
Seu mea confirmes, ſeu mea dicta neges.

MISENUS STENIUS. *ANAGRAMMA.*

Súsne in te, mi ſus?

MISENUS STENIUS. *ANAGRAMMA.*

En in me ſitus ſus.

Confeſſio.

Miſenus rem confeſſus elevat.

MISENUS. *ANAGRAMMA.* En is ſum.

Quid fatear? res hæc tanti moliminis haud eſt;
Sive negabo parùm eſt, ſive fatebor idem eſt.
En is ſum, *quem quæris, habes Minoa ſuémque:* E
Vita jocoſa mihi eſt, ſeria lingua mea eſt.

Commiſeratio.

MISENUS. *ANAGRAMMA.* En mi ſus.

En *doleo* mi ſus, *quis non Miſene doleret?*
Tam manet hunc nitidum ſors inimica ſuem.
Nam miſer infernis olim cæderis in aris.
Iná, tenebroſis cæcus olebis haris.
En, *doleo, quid ages?* mi ſus; *attende, docebo:*
Expedies facili, te tuáque acta, via.
Spurcitiæ cauſam ſi fortè rogabere; Patrem
Porcorum, dices, fas fuit eſſe ſuem.

Approbatio conſilii.

Miſenus conſilii acceptati cauſam reddit.

SIMON MISENUS. *ANAGRAMMA.*

Sus enim omnis.

Conſilium arridet, potero ſic ſtare; quid obſtet? F
Omnis enim ſus *ſum. Sic mea fata ferunt.*

Accuſatio.

SIMON MISENUS. *ANAGR.* Minus es Minos

Quò magè te rimor, magis hoc te Protea miror;
Jam plus, jam Minos es minus ésque minus.
Quid credam? modò Sus omnis *Miſene fuiſti:*
Jam minus es Minos, *músque puſillus ades.*
Quò magè te miror, magis hoc te Protea rimor,
Quóque magis rimor, jam minus ésque minus.
Nam modò mus fueras, ſed jam vaneſcis, & infis
Eſſe minus, videam donec adeſſe nihil.
Quid credam, Lithe fare; Quid es? *ſimul* omne nihílque es?
Tam citò nullus eris, qui modò cunctus eras?

Reſponſio.

Indignatur Lithus, ſuis dictis tam parùm fidei haberi.

SIMON, MISENUS, LITHUS.

Anagramma.

Minos, Sus, Mus, & Nihil.

Quid mea veridicì, male, judicis ora flagellas? G
Hem quoties dixi? neſcio ficta loqui.
Sum Minos, *mea certa fides ſtat ubique: quid urges?*
Cùm me dico ſuem, tu fateare ſuem.
Cùm murem dico, pariter me credito murem;
Cùm me dico nihil, me nihil eſſe puta.
Sum Minos, *ſum* Sus, *ſum* Mus, *tandémque* Nihil *ſum.*
Quid mirare? Litho, quod libet, eſſe licet.

Gratulatio.

Miror amóque tuum tandem Rhadamanthe nitorem; H
Jam fuco linguam cerno carere tuam:
Dum nulla verum profers ambage viarum,
Dum fumos vero detegis ore tuos.
Proficis; euge bonus pergas, & profice ſemper.
Nemo repentè bonus, nemo repentè malus.
Per medium à primo tranſitur ad ultima callem,
A magno ad minimum per mediocre via eſt.

Tu

A *Tu Simon olim fueras Miſene, ſed uni*
Alius humano jam datur ire pede.
Scis etenim gemina juſtum ſuſpendere lance:
Nomine jam hinc alio condecorandus ades.
Ex Simone *igitur* Minos *novus undique luces,*
Et ſermone tonas cenſor ubique tuo.
Et cùm ſtringaris nullis jam legibus orbis,
Legibus haud ullis vita liganda tua eſt.
Ergo ſoluta tua eſt, hinc eſt tua libera vita,
Qualis in effreni luxuriatur apro.
Quippe ſub humana Circe Minoa figura
Porcinas turpem cogit habere caſas.
Hinc Miſene novum ſurgit de nomine nomen,
Et Sus trajectis diceris eſſe notis.
B *At tu fortè tuam ne tali nomine famam*
Fœdes (ulla tamen ſi tibi fama fuit)
Liventi tentas alienas carpere vitas
Dente, malóque ſacros impetis ore viros:
Unde ſaluto novum te pulchro anagrammate murem;
Dum tumulata virûm morſibus oſſa petis.
Ipſos dum manes roſtro mordace laceſſis:
Ne videant te homines hac ratione ſuem.
Proficis egregiè Simon, dum deficis: euge
Perge alacer, dum ſis proficiendo nihil.
Sic & Calvinus cœlo delapſus ab alto
Profecit, vivos, exanimando viros.
Sic Miſene facis; facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum. Nil facere eſt facile.
Quàm facile eſt vitiis infamem ducere vitam?
Et ſolum vitium quis neget eſſe nihil?
C *Ne Miſene leves nimiùm ſupererige criſtas;*
Dum jactas aliquid, dum ſimul eſſe nihil.
Nam multo jactas vitiatam crimine vitam,
Hæc ſimul eſſe aliquid ſola nihilque poteſt.
Eſt aliquid, quia vita; nihil, quia vita ſceleſta:
Inbarathro hinc aliquid, nil ſed in axe, Lithe es.
Sed tamen heu, totus quondam, ſtyge clauſus amabis
Eſſe nihil; cùm fas non erit eſſe nihil.

Purgatio Miſeni.

D SIMON STENIUS MISENUS.

Anagramma I.

In me ſus inſons. metuis?
In me ſus inſons, *nulli damnum intulit unquam:*
An metuis? *juſtis quæ metuenda viris?*

Anagramma II.

In me ſus & mus inſons; i.
In me ſus inſons, in me mus *delitet* inſons:
I procul hinc, nocuas exagitáque feras.

SIMON STENIUS MISENUS LITHUS.

Anagramma III.

Sum ſus inſons; metus, nihil, ite.
Sus inſons *ego* ſum; metus & nihil ite, *minare*
Sontibus hæc; mihi, ſim ſus licèt, aſtra patent.

Anagramma IV.

En mihi ſus & mus inſons luſit.
En mihi ſus *inſons* & mus *mihi* luſit: *amabo.*
Cui nocuêre joci? cui nocuêre ſales?

Tela retorta.

E LITHUS MISENUS. *ANAGRAMMA. I.*

Hem, init luſus.
Hem, luſus *Miſenus* init, *non ille cavebit*
Ludere; dum luſus ſit merus, atque jocus.

SIMON, STENIUS, MISENUS.

Anagramma II.

Túne inſons es; mi, mi ſus?
Mi, mi, Sus, túne inſons es *Miſene? ſtupeſco.*
Plus nocuiſſe cupis? ſit ſatis eſſe ſuem.

Anagramma III.

F En ùt inſons, mi, ſemiſus?
En, *roſa cui fœtet, cui fragrat ſtercus*, ùt inſons
Es, mi Steni, mi ſemiſus?
Cui leve crimen, & eſt virtus gravis, En ùt es inſons,
Miſene mi, mi Semiſus?
Cui turpe eſt pulchrum, cui pulchrum turpe, ùt es inſons,
En *mi Lithe*, en mi Semiſus?

G SIMON, STENIUS, MISENUS LITHUS.

Anagramma IV.

Arguitur Simon mendacii & arrogantiæ.

Etſi ſus, mus, nihil; tumes Sinon.
Etſi ſus, Mus & nihil *es; tamen erigis alta*
Cornua fronte Sinon, *& malus ore* tumes.
Innocuúmque vocas mendaci pectore murem,
Et falſa innocuum voce ais eſſe ſuem.
Verte ſtylum, Lithe, verte ſtylum; ſunt ambo nocentes.
Morſibus ille ſuis, moribus iſte ſuis

Anagramma V.

Sinon ſis mutus; mus es & nihil.
Sis mutus *maleſuade* Sinon, *preme guttura*; mus es,
Et nihil; *eloquium, qualis es, eſſe decet.*

Anagramma VI.

Accuſatio & appellatio.

Sinon mutis? Sus es, mus, & nihil.
Quid mutis infide Sinon? *quod crimen inuro?*
Sus, mus, & nihil es: *Nónne fateris idem?*

Confeſſio.

Fatetur Miſenus mendacium, ejúsque H *cauſam reddit.*

SIMON, STENIUS, LITHUS, MISENUS.

Anagramma.

Sum Sinon, ſus iſte, mus, & nihil.
Sum, *concedo*, Sinon, *ſum* Sus, ſus *ſcilicet* iſte,
Quem faſſus verbis ſum priùs ipſe meis.
Et nihil & mus *ſum*, *fateor*: Minóſque, Sinónque:
Ni Minoa vocas, *mox ego fio* Sinon.

Cauſa, cur tam citò in Sinonem degeneret Minos.

SIMON, STENIUS, MISENUS, LITHUS.

A

Anagramma.

Etsi sum sus & nihil, sum Sinon.
Cautè judicio mecum certare licebit,
Nam Mucronem anceps stringo lanista meum.
Si mecum docta sortem experieris arena,
Absque dolo telis excipière meis.
Nam Minos *animo quæcunque fatebor aperto,*
Lance æqua mecum si trutinabis opus.
At tua de recto si delirabit amussis;
Delirare etiam lex sinet æqua senem.
Hinc quando non appellas Minoa, Sinonem
Sentis ancipites conglomerare strophas.
Etsi *etenim* nihil & sus sum; *fateórque, reposcar*
Si bene; celo tamen; si malè, súm*que* Sinon.

Epiphonema.

LITHUS MISENUS.

Anagramma.

His nites mulus.

B His mulus *Misene* nites *turpissime gazis,*
Mulus ad indomitas luxuriosus equas.
Insidiosus aper per honesta silentia noctis,
In castas æstro percitus hircus apes.
Nam non essè satis, longa pessundare luce
Flores, credis: agis sèd quoque nocte suem.

Accusatio.

SIMON STENIUS MISENUS.

Anagramma.

Tu es enim sus { insomnis. / in somnis. }

Sus es enim in somnis tu, *pernox hinc Lithe*
Sus es:
Sus tu insomnis enim es; *perdius inde Lithe es.*

Provocatio.

C *Rursus ad æqua tuæ* Minos *examina libræ*
Provoco: verba etenim stant mea lance tua.

Judicium.

Misenus rem fatetur rotundè.

SIMON, STENIUS, MISENUS.

Anagramma.

Sum sus { in somnis: / insomnis: } i, tene.

Sum sus in somnis; sum sus insomnis; *utercque:*
Perdius & pernox. I, *mea dicta* tene.

D

Admiratio.

SIMON, LITHUS, STENIUS, CALVINISTA.

Anagramma.

Ut Sinon lanista humi ictus siles?

Responsio Stenii.

SIMON, LITHUS, STENIUS, CALVINISTA.

Anagramma.

His mus lanista ictus silet. Innuo.
Mus silet hisce lanista ictus. *Sic* innuo *Minos:*
Mus silet ictus humi, sus litat ictus humi.

Victoriæ concessio.

E

SIMON, LITHUS, STENIUS, MISENUS, CALVINISTA.

Anagramma.

Músne lanista vinctus sit? Sum; in his sileo.
Simon Misenus.
Sinon, mimus es.

Dices, quod faciunt boni, probíque
In factis valet hoc meis notari.
Dices, æmulor Orpheum loquela,
Dices, Herculeas manus adæquo,
Dices, ingenuam sereno frontem,
Dices, compositos amico mores,
Dices, exhibeo manus patentes,
Dices, polliceor pedes volantes.
Dices, obvius obvios honoro,
Dices, cedo loco libenter hospes,
Dices, pertenui fruor salino,
Dices, veste tegor modestiore,
Dices, hoc ago sæpe, quod probatur.
Dico, Mimus es, *ô* Sinon *proborum.*

SIMON LITHUS STENIUS MISENUS.

F

Anagramma.

Sum sitiens nothus muli senis.
Quid? non associer bibo biboni;
Aut non monstrificum geram cerebrum?
Est summum scelus hæc mihi vetare:
Sum muli sitiens nothus senilis.

SIMON LITHUS STENIUS MISENUS Lomacensis.

G

Anagramma.

Non est sus similis, nec mimus sic Lethæus.
Mulus hic simus, est ne similis sano? non est.
Hiç Minos est leno, est insanissimus mulus.
A malè fœcundis liber discedito mensis,
Et quæ te fugiunt, Tantale, poma fuge.
Sæpe volutati cesset revolutio saxi,
Túque rotundatæ versio siste rotæ.
Perpetuas fibris absit conviva renatis,
Nec colent haustam Belica cribra Stygem.
Denique Cerbereis abeant tormenta cavernis,
Et plaudat placido Styx fruitura Deo.
Jam leno securus erit, mulique cupido
Jam dabit effræni libera fræna gulæ.
Nilque sues metuent, stabunt sua præmia mimo.
Nullâque, quæ vitium pœna sequatur, erit.
Cur ita? num positâ jam Minos imperat ira?
Sic est: Non audet plectere, qui reus est.

SIMON LITHUS STENIUS MISENUS Lomacensis Calvinista.

H

Anagramma.

Nónne hic clamosus, asininus, aut mulis similis est? est.
Debita frænatæ ne præstet munia linguæ.
Audet clamosos ore boare sonos.
Néve laboriferam pugil ingrediatur arenam,
Audet tardigradæ par pecus esse feræ.
Dúmque probi mulos fugiunt, quid Stenius audet?
Mulorum fœdas audet olere specus.

Quan-

Quantum Miſeno firmat præcordia robur?
Cuncta audet, tantùm pertimet eſſe bonus.

MISENUS LITHUS.

Anagramma.

Sum Lethi Sinus.

Ex te ſi quæro, quid ſis, Miſene, *malique*
Nominis auſpicium ſi, Lithe, *capto tuum;*
Sum Lethi Sinus, *inquis: ohe nova monſtra Quirites,*
Verba è mendaci gutture vera cadunt.
Sum Lethi Sinus, *inquis? & hinc deperdere tantas*
Eſt tibi mos animas, mergere tótque viros.
Nam quos Perditio, quos ærumnabile Lethum,
Quos Acherúnſque petit, tu βροτολοιγὲ foves.
Ipſe Charon nullas ad Tartara certior Umbras
Nave vehit, quàm tu perdite verbicrepa.
Hinc Sinus *es* Lethi, *Furiáque potentior omni,*
Et Stygios inter Cerberus ipſe canes.
Hinc factis quiſquis tibi ſe ſociavit amicis,
In gremium is repſit, Mors & Averne, tuum.

Aliud ad eundem.

Si Sinus *es* Lethi, *mirari deſino, quare*
Mors ſit dura: ſinus cùm ſit ei lithinus.

SIMON MISENUS STENIUS CALVINISTA.

Anagramma.

Nôſtis? ſum lanius. Sit; vi enim necas.
Tartaream intendens vocem Lithus *ore trifauci*
Exclamat, Nôſtis,, *plebs mea?* Sum Lanius.
Sit, Lithe, *quod dicis; non contendemus: alumnos*
Namque ſoles, ſtupidos ceu, laniare, boves.

Nunc abjungo. Non penuria anagrammatiſmorum (plures enim, quàm prolati ſint, adhuc in ſcriniis latent; promendi ſuo tempore, ſi Calvinianus iſte, anagrammatum tam ferax, furere & in immerentes conviciis debacchari perrexerit) ſed ne, ſi ſale tam nigro vehementiùs perfricetur, fiant iſti Anagrammatarii Miſeno tales, *qualis Lycambe ſpretus infido gener, aut acer hoſtis Bupalo.* Nequeo tamen committere, quin coronidis loco annectam geminam parodiam Latini & Græci carminis, quod in Amphitheatrum honoris fictitius & larvatus *Gorgonius Calviſius Heduus*, hoc eſt, ùt ego ſuſpicor, *Lithus Sacramentarius* Heidelbergæ publicavit.

IN
AMPHITHEATRUM HONORIS
ANTVERPIÆ EXTRUCTUM.

Parodia.

NUper Honoris
Amphitheatrum
Nobile, parvis
Sumptibus, acrì
Struxerat arte
Sedulus auctor
Ore diſertus.

Carolus, ùt fertur, Scribanius, inter honoros
Artis vel princeps, qui dicitur eſſe magiſtros;
Unus de ſociis, quos dux Lojola verendus
Pontifici ſacravit, & hìc exinde Tonanti.

Proſcenium digniſſimum
Themidique ſcena ipſi data eſt:
Et Veritati pulpitum
Orcheſtra uti cæleſtibus.

Sed nobiliſſimi duellant Principes
Hominique fiunt & Deo ſpectaculum,
GRETSERUS *in Germania, inque Belgio*
COSTERUS, *ùt* COTONUS *ille in Galliis.*

Quis victus totâ fugit agnoſcendus arenâ?
Hæreſis, Impietas, Convitia, Calviniſtæ,
Miſenus tubicen, Calviſius Heduus hædus,
Ambubajarum collegia, lenonúmque,
Cum Superintendente ſuo reliquiſque cinædis,
Sacrilegique, & quos Batavus Germanus & Anglus
Cædibus & ſtupris infames horret, avarì
Et comites horum, per ſaxa, per arma, per ignes,
Per mare, per terras alio ſub ſole calentes,
Diræ Chriſtiadûm peſtes; tua Calve propago,
Dogmata cùm movit ſua, turbis apta ciendis,
De quibus Europæ totius regna queruntur.

Alia Parodia in idem Amphitheatrum.

α. Αμφιθέατρον ὁρᾷς, φίλε, τιμῆς; β. μὰ δία τιμῆς θέατρον ἔνδοξον βλέπω.
α. Τίς τέκτων; β. ὁ θεός. α. τίς ἔγραψε; β. πολύκλυτος ἀνὴρ

ΚΑΛΗΓΟΡΟΣ κ' ΑΛΗΘΙΝΟΣ.

α. Τῆς δὲ ἐπωνυμίης πόθεν ἔλλαχε; β. κοινὴ ὑπάρχει Ιγνατίῳ ἑταιρία.

FINIS.

PANEGYRICUS,

MISENO

TRIUMPHATORI

OB

TRIUMPHATUM GRETSERUM

DICTUS

AB EODEM

JACOBO GRETSERO,

SOCIETATIS JESU

THEOLOGO.

REVEREN-

REVERENDISSIMO
ET
ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
WOLFGANGO,
ECCLESIÆ RATISBONENSIS
EPISCOPO, PRÆPOSITO ET DOMINO
ELWACENSI, &c.

JACOBUS GRETSERUS,
SOCIETATIS JESU.

PUnicum *eſt proverbium antiquum;* inquit S. Auguſtinus, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps; *Ut habeas tempus quietum, perde aliquid. Audi proverbium antiquum, utile & neceſſarium. Peſtilentia ante oſtium venit, & nummum quærit. Duos illi da, & ducat ſe.* Huic priſco adagio, tanti Præſulis publica concione celebrato, morem & ego gerendum cenſui. Pulſavit nuper fores meas quidam Calviniſta, (quem jure *peſtilentiam* appellavero; *peſtilentia enim eſt homo malus;* ait paulò antè nominatus Antiſtes, *qui te vult per calumniam exſpoliare: peſtilentia eſt homo malus, calumniator, proditor.*) nummum, hoc eſt, reſponſum ad librum quendam ſuum flagitavit. Ut tempus quietum haberem, perdere aliquid volui; & loco unius ſex nummos numeravi, ut absque mora, eò, unde venerat, ſe reciperet, & moleſtiam creare deſineret: Ex quibus tres Calvinianæ huic peſti proprios; unum cum reliquis ejusdem luis communem eſſe juſſi. Duos aliò perferendos dedi, alterum in Saxoniam ad Lutheranam, alterum Rotenburgium ad Alchymiſticam quandam *peſtilitatem*, ut tandem quieſcant, & ſe intra ſpeluncas ſuas contineant, neque aliis occupationibus diſtentum interturbent,

S. Auguſt. lib. 50. Hom. in Hom. 10.

Dicam clariùs. Scripſi, *Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps*, ſex opuſcula, contra Orthodoxæ fidei adverſarios; Tria quidem adverſus Lithum Miſenum, cum quo mihi jam ſæpius partim pro B. P. N. IGNATII, partim pro Noſtrorum in Galliis degentium defenſione, concertatio fuit. Nunc iterum pugnam cùm in illum, tum in iſtos idem ſectarius inſtaurat; ſed ſolitis copiis, mendaciis nimirum, calumniis, conviciis, & id genus aliis leviſſimæ armaturæ velitibus,

bus, quorum vaniſſimo præſidio fultus, quid mirum, ſi ſuccumbat, & denuo ſtoliditatis & temeritatis ſuæ pœnas pendat? Veteris & ſacri poëtæ monitum eſt:

Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundò
Neſcit, & incautus iterum vexaverit artus:
Imputet ipſe ſibi, nec caſibus imputet ullis.

Quod poſt primi ſtatim conflictus infelicem exitum ab iſto accuratè conſideratum, & in intima præcordia demiſſum oportuit; ne ulteriùs in campum, adverſante fortuna, prodiret.

Petrus Abb. lib. 6. Epiſt. 46.

Paræmiâ vulgatâ fertur, teſte Petro Abbate Cluniacenſi; *Primò falli incommodum eſt. Secundò, ſtultum. Tertiò, turpe.* Quantum igitur incommodi, ſtultitiæ, turpitudinis & ignominiæ hunc Calviniſtam ſubire cenſebimus, qui jam non ſolùm tertiò, ſed & quartò fallitur, neque tantùm fallitur, ſed & fallere totis viribus nititur?

Porrò hanc meam qualemcunque lucubrationem Illuſtriſſimo Celſitud. V. nomini inſcribere placuit, quia id efflagitabat à me ſingularis & planè paterna C. V. in Societatem noſtram benevolentia, quæ *Elvvangæ* olim cœpta, multorúmque annorum uſu corroborata; *Ratisbonæ* jam integra perſeverat, multis teſtata beneficiis, quibus compenſandis libenter nos impares confitemur, neque ullam ex hac ingenua confeſſione labem infamiæ metuimus; quia hac in palæſtra *Summatibus* palma concedi debet; minorum id unicum eſt officium, ut grati ſint, cùm mente, tum ſermone, tum opera. Quam triplicem gratitudinis rationem obſervari à noſtris certus mihi videor, qui in reliquiis gregis illius, cui C. V. præeſt, quas hæretica impietas reliquas fecit, à luporum incurſatione & infeſtatione defendendis, nulli labori parcunt, ut hoc ſuo ſtudio planum faciant; verum eſſe, quod olim à Comico ſcriptum eſt: *Bonis, quod bene fit, haud perit.* Et certè *nimis homo nihili eſt, qui piger eſt*, ubi de Chriſti ovibus vel tutandis, vel de aviis in veri ſemitam revocandis agitur; Et ſi ille de quæſtu nummario cum laude & approbatione dixit: *Lucrum præpoſui ſopori & quieti:* longè profectò commendabilior erat ille, qui ſpiritalis lucri deſiderio otium in poſtremis ducit; nam, *qui dormiunt libenter*, inquit ille, *ſine lucro & cum malo quieſcunt.*

Extat Tom. XIII. ſub Titulo: *Murices Catholicæ & German. Antiquit.*

Accedit altera quoque inſcriptionis cauſa: Ex libellis, quos nunc evulgo, quartus continet demonſtrationem quorundam Orthodoxæ fidei dogmatum non ex reconditis Theologiæ penetralibus; ſed ex rationibus, quæ in omnium oculos & aures quotidie incurrunt, deſumptam. Cujus claſſis & ordinis argumenta haud ſatis exploratum habeo ubinam hiſce in oris plura occurrant, quàm *Ratisbonæ;* Quocunque propemodum oculos quis conjicit, in Catholicæ religionis teſtimonium incidit. Omnia plena ſunt magnificè exſtructis templis, ſacellis, monaſteriis, altaribus, à ſeptingentis, octingentis, nongentis, & quod excurrit, annis. Cujus, oro, fidei ſunt Indices? Num noſtræ, an novæ illius in Saxonia natæ? Obeat, qui volet, & excutiat univerſos civitatis illius angulos; Lutheranus ſim, ſi vel tenuiſſimum veſtigium repererit, ex quo conjici queat, à ſancto Ruperto usque ad Lutherum, aliam, quàm Catholicam Romanámque fidem *Ratisbonæ* viguiſſe. Ipſa urbis inſignia, & digmata, claves nimirum S. Petri, geminæ, decuſſatæ, ea ſpecie & forma, qua Pontifex Romanus iis pro ſtemmate uti ſolet; quid niſi noſtræ religionis profeſſionem loquuntur? Etſi olim clariùs loquebantur, quando, ùt fama fert, ipſam coronam Pontificiam impoſitam gerebant, quam hæreſis, vel neſcio quæ mala manus detraxit, nondum tamen ex omnibus picturis, ſculpturis, vetuſtisque

ſtísque literis ac ſyngraphis penitus eradere & expungere valuit. Felicem tunc Ratisbonam, cui tanta cum Sede Apoſtolica neceſſitudo intercedebat, ut iisdem *Inſignibus*, quibus ipſa, uti mereretur, illúdque ſenſu, quàm verbis elegantius Encomium verè audiret: *Urbs Ratisbona Fidei pacísque corona.*

Et ut omnia alia antiquitatis pro avitis ſacris argumenta in illa urbe deeſſent, an non rectæ fidei tramitem perſpicuè monſtraret perennis illa & jugi tenore nexa Præſulum *Ratisbonenſium*, à *S. Garibaldo*, uſque ad C. V. ſeries? Quinquaginta tres Antiſtites enumerat Salisburgenſis Metropoleos Auctor, Clariſſimus *Hundius:* ducto exordio ab eo, cujus antea mentio facta: S. Garibaldo, qui Pontificatum iniit anno Redemptoris DCC. XL. vel priore, quibus addendi tres alii, qui pòſt in locum vita functorum ſubrogati. Ex his omnibus, nullum reperire potui, qui Prædicans Lutheranus fuerit: niſi fortè *D. Wolfgangum*, aut *D. Erhardum* horum gregi accenſere lubet. Sed tam illi fuêre Lutherani, quàm hodiernus WOLFGANGUS noſter, & C. V. proximi Anteceſſores, *Sigismundus Fridericus*, & Sereniſſimus S. R. E. Cardinalis *Philippus*. Et obſtat nomen *Divi*, quod in nullum Lutheranum competit. Obſtat eorundem in cœlitum ordinem relatio opera Leonis IX. Pontif. Maximi.

Quæ verò inſania, fidem à nongentis, & longè pluribus annis, ſi à S. Ruperto ordiri velis, ſanctè cultam; & à tot ſanctiſſimæ & innocentiſſimæ vitæ Epiſcopis ad poſteros religiosè & incorruptè tranſmiſſam, deſerere, & quaſi idololatricam aſpernari; nulla majorum habita ratione, contemptis tot ſæculorum fidiſſimis Dominici ovilis Paſtoribus; contra præclarum illud divinarum litterarum præceptum. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam, (heſterni quippe ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram) & ipſi docebunt te, loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.* Cui conſonat illud Eccleſiaſtici. *Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt à patribus ſuis. Quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Job. 8. Eccleſ. 8.

Quod faciendum eſſe, adeò evidens ac dilucidum eſt, ut ipſemet Ariſtoteles, peritorum, ſenum & prudentium dictis, etiam probatione deſtitutis, non minus fidei habendum eſſe ſcripſerit, quàm ipſis demonſtrationibus, δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκταις φάσεσι καὶ δόξαις, ἐκ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. *Attendere oportet ad peritorum hominum, & ſenum ſive prudentium dicta, quamvis probationis expertia, & ad opiniones non minùs, quàm ad demonſtrationes.* Additque cauſam: διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὅμμα, ὁρῶσι τὰς ἀρχάς: *quia enim longo rerum uſu oculum*, hoc eſt, lucem *adepti ſunt; principia intuentur.* Optimè hæc Philoſophorum optimus. Ariſt. 6. Eth. cap. 11.

At quinam iſti ſeniores & prudentia diuturno rerum uſu parta, ſpectabiles, niſi majores noſtri, & in his potiſſimùm plebis Chriſtianæ duces Epiſcopi? quibus divina oracula morem geri volunt, ùt & Peripateticæ ſapientiæ Princeps, abſque diſquiſitione; eò quòd oculos certiùs & acutiùs in veritatis cubilia inſeruerint, quàm nos ætate tantò poſteriores. Et tamen eò impudentiæ proceſſum eſt; ut etiam viliſſima & diobolaria capita rationem fidei à ſuperioris ævi antiſtitibus repoſcant, & tantum illis credendum vociferentur, quantum ex ſacra Scriptura probent; eſt, cùm & palàm eoſdem errâſſe dictitant, hísque clamoribus incautos ad ſe proſectare ſtudeant: in quorum infrunitam frontem rectiſſimè telum

illud Hieronymianum jeceris. *Brevem tibi apertámque animi mei ſententiam proferam; in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audîeris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Jeſu Chriſto; ſed à quoquam alio nuncupari, ùt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campitas,* (Lutheriſtas, Calviniſtas) *ſcito non Eccleſiam Chriſti; ſed Antichriſti eſſe ſynagogam, ex hoc enim ipſo, quòd poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronunciavit.* Quid facimus? inquit S. Hieronymus. *Ita & nobis majores noſtri, & illis ſui tradidêre majores:* neque enim S. Rupertus, & alii, aliud Evangelium *Ratisbonenſibus* annunciârunt, quàm quod à majoribus acceperant. Fatuum ergo eſt, ſi quis iſtis valere juſſis, tranſeat ad Lutherum, qui, ùt loquitur S. Cyprianus, *Evangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ortus eſt;* qui *poſt ſe nullum Clericum* Monachus & Presbyter *potuit Ordinare: Eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotes*; omnes verò Chriſtianos eſſe propriè dictos ſacerdotes, ùt delirat Lutherus cum ſuis aſſeclis, (qui, ùt ſcitè ait D. Hieronymus, *ipſi ſibi & laici ſunt, & Epiſcopi*) id tam abſurdum, & à communi ſenſu adeò alienum eſt, ut ambigam, utrum ſimile unquam ex Stoicorum ſchola paradoxum extiterit.

S. Hier. lib. contra Lucifer.

1. Tim. 4.

S. Cyprian. epiſt. 76.

S. Hieron. contra Lucifer.

Luth. lib. de Inſtit. Eccleſiæ Miniſtris.

Cùm igitur, ùt ſuprà dicebam, quartus ordine liber ex illis, quos nunc foras exire juſſi, vulgaria hæc & ex medio ſumpta argumenta perſequatur & explanet, in ea autem Eccleſia, cui C. V. præſidet, hujuſmodi plurima viſantur, non abs re fore credidi, ſi unà cum aliis opuſculis hunc libellum *Ratisbonam* ad *D. Wolffgangi* thronum, & ad alterum *Wolffgangum*, nunc in throno illo ſedentem, & populo Chriſtiano jura dantem, deſtinarem. Nec me ulla dubitatio tenet, C. V. id quod optima mente à me factum eſt; optima itidem, hoc eſt, ſibi inſita mente accepturam & interpretaturam. Ingolſtadii, Kalendis Auguſti M. D. C. VI.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Exordium ſequentis Panegyrici unà cum Catalogo ineptiæ, & inſcitiæ, etiam Grammaticæ, Triumphatoris Lithinomiſenici.*

II. *Cur Hæretici adeò inſolenter jactent, támque frequenter ſacram ſcripturam in ore habeant, & ubique inculcent.*

III. *Quàm impii ſint Hæretici in ſanctos Patres præſertim D. Hieronymum.*

IV. *De perpetua Eccleſiæ Catholicæ duratione, & non interrupta Paſtorum, & Doctorum ſucceſſione.*

V. *De conviciis Miſeni in Romanos Pontifices.*

VI. *Refelluntur calumniæ Miſeni in membra Eccleſiæ; in Paſtores, Doctores, Monachos, & universè in omnes orthodoxos.*

VII. *De miraculis in Catholica Eccleſia patrari ſolitis.*

VIII. *De variis S. Petri, & id genus aliis apparitionibus.*

IX. *De voto Caſtitatis.*

X. *De imaginibus.*

XI. *Diſcordia mutua Calviniſtarum in uſu ſigni ſanctæ Crucis.*

XII. *De Feſtis.*

XIII. *De examine conſcientiæ.*

XIV. *De confeſſione auriculari.*

XV. *Corona Triumphatori noſtro ex quinquaginta Euchariſticis floſculis, honoris, & amoris ergò plexa.*

PANE-

PANEGYRICUS MISENICO TRIUMPHATORI DICTUS.

CAPUT I.

Exordium ſequentis Panegyrici unà cum Catalogo ineptiæ & inſcitiæ, etiam Grammaticæ, Triumphatoris Lithinomiſenici.

A EDidit ſuperiore anno Miſenus Calviniſta contra tertiam meam pro vita B. P. N. IGNATII Apologiam, Reſponſum, cui titulum fecit: GRETSERUS TRIUMPHATUS. Obſtupui, fateor, novitate & admirabilitate hujus inſcriptionis perculſus, cùm me inſcium prorſus ac ignarum Heidelbergæ in triumpho, & ad triumphum publicè ductum, & ad commune ſpectaculum expoſitum vidi; & mox attentiùs diſpicere cœpi, quo tandem pacto contingere potuerit, ut à Triumphatore Miſeno in Triumpho abſens & ignarus

B circumducerer. Tandem re accuratiùs expenſa & diſcuſſa, comperi, Lithum aliter triumphare non potuiſſe; niſi vel ſomniantem, vel ebrium, vel delirantem, quibus omnibus familiare eſt, ſimulacra modis volitantia miris in malè affecto cerebro effingere, inque iis ſuaviter ſeſe oblectare; ſicut ille, *haud ignobilis Argis, qui ſe credebat miros audire Tragœdos in vacuo lætus ſeſſor plauſórque theatro.*

C Simili fermè modo non ita pridem *Triumphatum Gretſerum* per Rotenburgenſia compita egit triumphalem ante currum, manibus poſt terga revinctis, Alchymiſta Bavius inſigniter delirus. Me miſerum, qui & à Lutheranis & à Calvinianis, tanquam præda Myſorum, rapiórque ferórque, & in triumphum à fortiſſimis iſtis triumphatoribus ducor.

D Duo tamen nôſſe pervelim, primum; an non Lithus in urbem Heidelbergenſem ſublimis, auróque & oſtro ſpectabilis invectus clamârit cum Plautino Curculione; *Date viam mihi noti atque ignoti, dum ego hic officium meum facio. Fugite omnes, abite, & de via ſecedite. Ne quem in curſu* (& curru) *capite aut cubito, aut pectore offendam, aut genu. Nec quiſquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in via. Nec ſtrategus, nec Tyrannus quiſquam, nec agoranomus, nec Demarchus, nec Comarchus, nec cum tanta gloria quin cadat, quin capite ſiſtat in via de ſemita.*

E

Alterum, an non in honorem inclyti victoris hoſtiúmque debellatoris Miſenici, Heidelbergenſis civitatis incolæ, poſtes ædium ſuarum laureis, & quidem *recentiſſimis* & *ramoſiſſimis* obumbrârint ac *præſtruxerint*; ac *elatiſſimis & clariſſimis lucernis veſtibula enubilârint*, ita, ut quisquis procederet in publicum, non niſi de janua (cum Tertulliano dicam) *laureata & lucernata*, procederet, magno utique gaudio Deæ *Cardeæ* ſeu *Carnæ*, *Forculi*, *Limentini* & *Jani*, qui *Cardini*, *foribus*, *liminibus*, & *januæ* præſident; ut taceam Græcum Apollinem θυραῖον, & Deos *Antelios*, niſi mavis, *Anthelios*. Omnino nihil horum omiſſum arbitror; ſed in ſomno, aut capitis vino vel amentia turbati delirio & vertigine, in quo per ludificationem hæc omnia peracta & transacta ſunt.

F

Vid. Tertul. lib. de Idolol. cap. 15. & in Apolog. cap. 35. & lib. 2. ad uxorem.

Ego ne *imaginario* triumpho deeſſem, Panegyricum pangendum exiſtimavi. Et panxi. Quàm proſpero ſucceſſu, judicabit Triumphator; in cujus laudem totus hic labor tendit. Vetus mos eſt Triumphatori Panegyrin decantare: cum hoc more me conformavi libens meritò. Ita decorum ſuadebat; ita jus fásque præcipiebant.

G

Ex toto autem Triumpho, ſelegi quædam capita ad amplificationem & exornationem aptiora & ſpecioſiora; paſſim à Triumphatore tacta, quæ, non dubito, & ipſi, & lectori jucunda erunt; nam minutiora perſequi, quid opus, ubi grandium tanta copia? Habenda etiam eſt ratio brevitatis, quam

H

A Panegyricæ declamationes requirunt; ne nimia prolixitate triumphalis lætitia in tædium & nauſeam convertatur: alioqui uberrima laudandi materies mihi ſuppeteret; cùm ſingulæ pagellæ triumphatoris libri Miſenici, notis & digmatis inſcitiæ, amentiæ, maledicentiæ, mendaciloquentiæ, criminationum & calumniarum non leviter aſperſæ, ſed penitus perfuſæ ſint.

Verùm brevitati, ùt diximus, ſimul & utilitati & voluptati lectoris conſulendum eſt; cui jam notum, à Litho non alias merces exſpectari debere, quàm *Lithinas*; hoc eſt, alogias, pſeudologias, lœdorias, malè feriatas *Phantaſias*; uno verbo ἀνοίας planè aniles, etiam Grammaticas. Nam in Theologia & Philoſophia tantum ſapit, quantum Lithus; Tantum capit, quantum Lithus; hoc eſt, nihil.

B Sed ignoſcendum eſt huic animali non γελασικῷ, ſed ἀγελασικῷ, hoc eſt, bruto, non homini; quia omnis homo eſt *riſibilis*: nullus non riſibilis; reciprocantur enim inter ſe iſtæ conſecutiones: *Eſt homo, ergo riſibilis. Eſt riſibilis, ergo homo. Non eſt riſibilis, ergo non homo. Non eſt homo; ergo non riſibilis*, cùm ergo Lithus non ſit ζῶον γελασικὸν, ipſomet Litho teſte, qui definitionem iſtam in librum ſuum per errorem irrepſiſſe non ſemel palàm profeſſus eſt; monuítque, ut loco τῷ γελασικῷ reponeretur ἀγελασικὸν, ſe enim eſſe ζῶον ἀγελασικὸν: quod ego interpretatus ſum; *animal non riſibile*; hoc eſt, *beſtiam*, ſeu *brutum*, & riſus & rationis expers; ſequitur, eum neque hominem eſſe.

C Verùm ob hanc meam vocis τῷ ἀγελασικῷ interpretationem, ingentes ubique clamores tollit Miſenus; & non modò me, ſed & totam Societatem noſtram inſcitiæ accuſat; quòd non viderimus, qua notione τὸ ἀγελασικὸν uſurpârit; *cùm* ἀγελασικὸν, non à γελάω, *ſed ab* ἀγελάζομαι *deducatur*, *quod verbum eandem vim habet, quod* συναγελάζομαι. (parce Priſciano Miſene; *animalia* γελασικὰ non loquuntur ita: *Quod verbum eandem vim habet*, *quod* συναγελάζομαι, ſed hunc in modum. *Quod verbum eandem vim habet*, *quam* συναγελάζομαι. ſed veniam meretur ζῶον hoc ἀγελασικὸν) Cicero vertit *congregabilia*. *Audi Aphrodiſienſem lib. 2. de anima* ὡς ἓν τὰ ἄλλα ζῶα τὰ συναγελάζεσθαι πεφυκότα φύσει τοῦτο ἔχειν φαμὲν, οὕτω καὶ ἄνθρωπος φύσει ἂν ἔχοι κοινωνικὸς εἶναι. *Quemadmodum igitur alia animalia, quæ ſimul verſari & congregari ſolent; id à natura inſitum habere dicimus; ſic & homo à natura accepit, ut ſe cum aliis communicet. Et Euſtathius* συναγελασικὰ ζῶα *opponit* τοῖς ἐν ἐρημίᾳ μονάζουσι, *quæ ſolitariè degunt.*

Pag. 6.

D At quid his opus, Miſene? Non ignota canis, probè nôram hanc alteram τῷ ἀγελασικῷ ὄνομα, ὄντως ἀξιὸς ἐς ἀγέλης ἡμιόνων καὶ ὄνων.

E λασικῷ ſignificationem. At alteram arripui. Quid ni? Magìs & inſtituto meo & ſtupori tuo congruebat. *Hoſtium verba non pro iis, ſed contra eos explicanda ſunt*, monet avus tuus Lutherus, & cum Luthero fideliſſimus omnium Calviniſtarum hyperaſpiſtes Schlüſſelburgius Superintendens Lutheranus.

Luth. in judicio de Erasmo Tom. 2. Lat. Witteb. Schlüſſ. in Catal. Hæret. lib. 5. qui eſt de Synergiſtis fol. 36.

Deinde cùm τὸ γελασικὸν in ſcholis Philoſophicis tam tritum tanta contentione à te rejeceris ac repuleris; & τὸ ἀγελασικὸν ſummo conatu tibi vendicâris, absque ulla temeritate ſuſpicari potui, te oppoſitum τῷ γελασικῷ elegiſſe; atque adeò animal *non riſibile* ſeu *irriſibile*, & per conſequens, etiam *irrationale* eſſe. Nam ut Philoſophus ſeu Græcus ſeu Latinus non cudat ſubinde nova vocabula, rem aptè exprimentia, etiamſi priſcis fuerint incognita; id nullo tuo edicto vel interdicto efficies; ſemper cum Lyrico clamabimus: *Ego cur, acquirere pauca ſi poſſum, invideor; cùm lingua Catonis & Enni ſermonem patrium ditaverit, & nova rerum nomina protulerit?* Quòd ſi quis Philoſophus Græcus partiretur ζῶον in proprietates oppoſitas, ſicut dividi ſolet in differentias, ùt in *rationale* & *irrationale*; id profectò non alia, quàm hac vel ſimili ratione faceret. Τῶν ζώων ἄλλο ἐστὶ γελασικὸν, ἄλλο ἀγελασικὸν; nam & apud Latinos & apud Græcos verba affirmantia & negantia, ſæpe alio diſcrimine non diſtant, quàm quòd negans, particula negante inſignitum eſt; ùt *animatum*, *inanimatum*, *corporeum*, *incorporeum*.

F

G Verùm enimverò quandoquidem renuis eſſe animal ἀγελασικὸν, meo ſenſu, ſis, per me licet, animal ἀγελασικὸν tuo ſenſu. Sed è veſtigio ablegabimus te ad ζῶα ἀγελασικὰ, *quales ſimii ſunt & onagri:* ita enim tu loqueris. Si *ſimii & onagri ſunt* ζῶα ἀγελασικὰ, ùt tu dicis, & quidem ſpecie infima, túque itidem ſpecificè & eſſentialiter es ζῶον ἀγελασικὸν, ejusdem igitur es ſpeciei infimæ, cujus *ſimius* & *onager*. Si ejusdem es ſpeciei, cujus *ſimius* & *onager*, *ſimius* igitur es & *onager*; non homo. Deinde cùm ζῶα ἀγελασικὰ illa appellentur, quæ gregatim ſimul verſantur & paſcuntur, porci autem, boves, equi, aſini, muli gregatim ſimul verſentur, paſcantur, & congregentur; oporteret, ut cum his omnibus ejusdem ſis ſpeciei; quandoquidem horum omnium eſſentialis & ſpecifica definitio tibi competit. Es igitur porcus, bos, equus, aſinus, mulus; & quidquid demum ad hanc τῶν ἀγελασικῶν ζώων claſſem tribúmque pertinet; quam dignitatem & præſtantiam non poſſum tibi non gratulari Græco tuo Epigrammate, duobus duntaxat ſubſtitutis verbulis.

Pag. 370.

H

Pag. 37.

Et

A Et quàm horum cœtu ac ſocietate, tanquam ſociale animal, dignus ſis; docet totus tuus Triumphus, qui nihil aliud eſt, niſi nusquam interrupta inſcientia & inſipientia: etiam Grammaticalis, cujus en paucula ex plurimis ſpecimina, tuis verbis exhibita.

B Pag. 67. *I. Quis dixerit irriſibile, pro Non riſibile: cùm irriſibile ab irrideo deducatur, ùt riſibile à rideo.* Quaſi verò vocula *In*, in vocabulo *irriſibile*; accipi nequeat, ſicut accipitur in voce *irrationalis*, prout ſcilicet tollit id, quod *riſibile* ponit; ſicut *irrationale*, ſi nomen ſpectes, tollit id, quod rationale ponit: Quo ſignificatu, qui voculam *irriſibilis* ab *irrideo* formet; is evidenter demonſtrat, ſe animal *irrationale* eſſe. Quamvis libenter concedo, Miſenum animal *irriſibile* eſſe; tam ùt hæc dictio ab *irrideo* deducitur; quàm ùt τῷ γελαϛικῷ, *riſibili*, opponitur.

C pag. 6, & 7. *II. Quòd inſcriptio tui libri indicat, Lithum Miſnicum à te dedolatum, nemo non miratur artificium Jeſuiticum. Lapides, & marmora cædi, ſecari, ſcalpi, poliri legimus; ligna dolari, vel dedolari, ſi modò non errant veteres Grammatici, qui dolare, volunt eſſe lignum aſcia cædere. Num autem lapides aſcia cædantur, fortaſſe quæri poſſit. Cic. Non enim è ſaxo ſcalptus, aut è robore dolatus. Et Propert. Stipes acernus eram properanti falce dolatus.* En acumen Lithinum, dolatu dignißimum; cui oppono inprimis ipſum Lithum, cujus ſunt hæc in Scholiis ad Apologiam Gallicanam. Pag. 395. *De his eruditiùs diſſeret Lithi depictor, vel potiùs edolator futurus.* Si Lithus *edolatorem* admittit; rectè ergo dicitur *edolari*, quia *edolatoris* munus eſt edolare. Si rectè dicitur edolari; rectè itidem dicetur *dedolari*; & ſi Lithus aptè nominatur edolatus; rectè etiam nominabitur dedolatus; quia nihil poteſt eſſe edolatum, niſi priùs ſit dedolatum. Non igitur Jeſuiticam, ſed ſuam inſcitiam ſimul & inconſtantiam hoc loco Lithus miſerè *edolatus* & *dedolatus* arguit. Deinde, ſi nautæ illi Horatiano, cujus caput & lumbos cerebroſus quidam ſaligno fuſte dolavit, Lithi nomen fuiſſet, nemo, opinor, Horatium in jus vocâſſet; quòd Lithum illum nauticum fuſte dolatum fuiſſe ſcripſiſſet. Miſeram D. Hieronymi conditionem! cui Lithus præceptor non obtigerit; à quo diſceret, non *lapides*, ſed ligna duntaxat dolari; nam ſi hoc didiciſſet, nunquam hæc in extrema ad Suniam & Fretellam epiſtola in chartam retuliſſet. λαζευτήριον, *pro quo latinus aſciam vertit; nos genus ferramenti interpretati ſumus, quo lapides dolantur. Denique ex Hebræo vertentes ita diximus: Et nunc ſculpturas ejus pariter bipenni, & dolatoriis deraſcrunt.* λαζευτήριον *ergo, dolatorium dici poteſt.* En in officina D. Hieronymi *lapides dolantur*, & *dolatoriis* deraduntur ſculpturæ.

D

Et quid tu de antiquis Grammaticis garris? Omnium loco audi Nonium. *Edolare fabrorum eſt verum verbum, cùm materiarum complanatur aſperitas. Fabrorum* dicit; non tantùm *lapicidarum. Uſi ſunt eo laudandi vetuſtatis ſcriptores, etiam ad alias fabricas rerum*, ùt ad ſcriptionem librorum. Cùm ergo Varro & Ennius abſque ullius reprehenſione ſcripſerint: *Ego unum libellum non edolem?* cur culpam contrahat, qui Lithum iſtum metaphoricum ſeu *edolatum*, ſeu *dedolatum* affirmat? Denique non legeras apud Nonium iſta: *Dolitum, quod dolatum uſu dicitur, quod eſt percæſum vel abraſum, vel effoſſum.* Si id, quod *percæditur* ſeu *cæditur*, rectè appellatur *dolatum*, lapis etiam rectè appellabitur *dolatus* vel *edolatus*; quia *cæditur* vel *percæditur*. Et nónne cælatorum materies lapides & gemmæ, aurum, argentum? Et tamen iſti dolant, eorúmque effecta, *dolita*, ſeu *dolata*. Varro, Nonio referente; *num nam cælatus in manu dextra ſcyphus cælo dolitus artem oſtentat Mentoris.* En ars cælatoria eſt etiam *dolatoria*, effectúsque ejus, *dolatus*; Et Mentor, arte cælandi præſtantiſſimus, *dolator*.

E

F

Neſcio, num veteris Interpretis ſit aliqua apud Miſenum auctoritas. At ſive ſit, ſive non ſit, audire debet, velit nolit, in hujus etiam officina lapides dolari. Deut. 10. *Dola tibi duas tabulas lapideas, &c. cúmque dolâſſem duas tabulas lapideas, &c.* 3. Reg. 5. *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, &c. quos dolaverunt cæmentarii Salomonis.* 3. Reg. 6. *De lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt.* Et quid Miſeno antiquum Interpretem oppono? Ecce tibi, ipſi Calviniani verſores Junius & Tremelius lapides dolant. 3. Reg. 5. *Et præcipiente Rege devexerunt lapides, magnos lapides, &c. dolabántque ſtructores Schelomonis, &c.* Junius ad cap. 6. lib. 3. Reg. *Inſtrumenta, quæ ad tundendos, dolandos & cælandos lapides adhiberi ſolent.* En commilito tuus in Calvini ſchola Junius *dolat* hîc lapides, ùt & Deuteronomii 10. cum veteri Interprete. *Dola tibi duas tabulas lapideas. Et dolavi duas tabulas lapideas.* At ſatis de Litho dedolato, ſi non nimium.

G

H Pag 6. Reſp. ad Analyſ. S. Hieron. epiſt. 10. *III. Quid ſit Græcus* ἐπιθέτης *ingenuè fateor, me neſcire.* An tu tantus ἐπιθέτης ignoras, quid ſit ἐπιθέτης? Diſce ergo à S. Hieronymo, & cùm vocis notionem intellexeris, deſine eſſe ἐπιθέτης. Ita ergo D. Hieronymus: *Ubicunque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de trivio,* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, *vocant impoſtorem, detrahunt.* Num jam intelligis, quid ſit ἐπιθέτης, & quid tu?

IV. Alchymiſtam quem dicat neſcio. Fortè Alchemiſtam ſcribere voluit. Nam Græcis Pag. 7. *ars illa* χημεία *eſt, non* χυμεία. De illo Alchymiſta locutus ſum, qui hoc ipſo anno totam *artem Alchymicam* in ordi-

A nem & methodum redactam, publicavit; omnésque fornaculas, artis adminicula, diligenter delineavit; ubi tamen video omissam unam, in qua jam sæpius ipsi aurifices & Chrysopœi Alchymistæ non modò ad *quintam*, sed etiam usque ad sextam *essentiam* destillati & distillati fuerunt; propter fraudulentissimos dolos, quibus multos circumvenerunt, nempe Crucem, seu furcam, seu patibulum. Ab hoc ergo Alchymista discere poterit, si lubebit; num ars rectè vocetur *Alchymia*; & artifices *Alchymystæ*; & num nullus sit, qui vocabulum hoc formet ac deducat à χύω seu χύνω, quod idem ac *fundo*; præfixo Arabico articulo *Al.* quamvis aliqui velint esse dictionem Græcam ἅλς; qui proinde *Alchymiam* derivant, παρὰ τὴν χυμείαν καὶ ἅλα. *A sale & fusione.*

B *V. Prometheo non tam Caucasus molestus fuit; quàm* ἀετὸς καταικείρων τὸ ἧπαρ, *aquila tundens & tondens jecur.* En severum Cri- Pag 6. ticum? Pueris non tam schola molesta est, quàm virgæ seu flagella in scholis; ergo malè loquitur, qui dicit, *pueris molestas esse scholas:* quasi verò per scholam non indicetur id, quod pueros maximè affligit.

C *VI. Quid hymnus* ἐπιβατήριος *sit, aveo scire.* Pag. 22. Ἀθηνογέρων es, ùt video. Hæc & id genus alia juvenis discere debebas; neque jam septuagenario opus foret clamitare; *Quid sit hoc, aveo scire.* Accipe igitur ex Theophyl. lib. 4. cult. Theophylacto Simocate; seu, ùt alii vocant, Simocatta, quid sit hymnus ἐπιβατήριος, apud quem Episcopus Martyropoleos ob receptam à Persis civitatem hunc in modum concionatur. ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ, ὅτι ἐξόδιον ἄσμα. ἐπιβατήριος γὰρ ἡ πανήγυρις, καὶ πόλις, καὶ ναὸς ἐγκαινίζεται, καὶ νόμος ἀνακαινίζεται πάτριος, καὶ ἐώννυται πίστις ἀκίβδηλος, καὶ τὸν ἐγκαινίζοντα βλέπω χρισὸν, ἐν μέσῳ τῆς ἐκκλησίας τῶν τροπαίων τὰ σύμβολα ἐπὶ τῶν ὤμων περιφερόμενον. ὁ δὲ θρίαμβος ὁ σαυρὸς, δι' ὃ ξενηλατεῖται τὸ βάρβαρον. τὸ δὲ ῥωμαϊκὸν εἰσοικίζεται. *Cantemus Domino, non egressus canticum. Est enim scansoria panegyris; & urbs, & templum renovantur: & lex patria instauratur; & fides syncera confirmatur; cernóque Christum in medio Ecclesiæ trophæorum symbola humeris sustinentem: Triumphus autem Crux, per quam Barbari, & peregrini, & exteri abiguntur; Romani contrà, ut domestici introducuntur.*

D Ubi vides hymnum ἐξόδιον & ἐπιβατήριον opponi; quia ille in exitu, hic in initu & reditu decantari solet; ille panegyrin ἐξόδιον, hic panegyrin ἐπιβατήριον decet. At quia huc devenimus, quærere lubet, num censeas templum illud, in quo Episcopus iste verba fecit, fuisse Calvinianum? Et quid ni hoc tibi persuadeas, cùm in hoc templo fuerit imago Christi *crucifixi* omnibus palàm conspicua; ùt ex citata oratione liquet. An & Calvinistæ suis in fanis *crucifixi* effigiem proponunt?

E Attexamus adhuc unam particulam ex concione illa die ἐπιβατηρίε πανηγύρεως dicta. ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ καὶ ὕμνον ἐξόδιον. ἐξοικίζεται γὰρ τῆ ἄσεος, ὥσπερ ὗς ἐκ δρυμῆ, τὸ βαβυλώνιον φῦλον, τὸ καταπατεῖν τὰ ἅγια τοῖς ποσὶν ἐγχειρῆν, καὶ τὲς μαργαρίτας τῆς πίσεως τοῖς ὄνυξιν ὑποθραύειν καταμαινόμενον. μιμησώμεθα τὲς ἐπὶ τῆς βαβυλωνίας δοξολογήσαντας, καὶ τῆς ἐκείνων χοροσασίας θιασῶται γενώμεθα. ἀνενέργητον γὰρ καὶ νῦν τῶν χαλδαίων τὸ πῦρ, καταφλέξαι τῶν μαρτύρων τὸ πόλισμα. εὐφραινέσθωσαν οἱ ἀρανοὶ, καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, καὶ τὰ πεδία χαιρέτωσαν. *Cantemus Domino etiam hymnum* ἐξόδιον, *id est, egressionis. Nam perinde, ut sus è sylva glandifera, ex urbe natio Persica expellitur; quæ sancta pedibus conculcare audebat, & margaritas fidei, unguis furiosè conterebat. Imitemur eos, qui Babylone glorificárunt Deum, illorúmque choreæ sodales fiamus. Nam & hodie Chaldæorum ignis Martyrum urbem exurendi vim nullam habet. Lætentur cæli, & exultet terra, & campi gaudeant.*

F Tandem addit Theophylactus, ὁ μὲν ἓν ἱερεὺς σφραγιάσας τὸν ἄρτον, τόν τε οἶνον ἱερεργήσας, τοῖς θεανδρικοῖς μυσηρίοις τὸ συνελιλυθὸς τῆ μεταλήψει ὑγίαζε, καὶ ἕτω πᾶ ἡ πόλις ἡμέραις ἑπτὰ ταῖς θυμηδίαις καθηορτάζετο. *Antistes igitur pane, & vino solenni ritu consecratis, mysteriis Dei, hominisque conventum per communionem sanctificabat. Et hunc in modum civitas dies septem cum oblectamento in feriis consumpsit.*

G Arbitrarísne, Lithe, hîc describi cœnam Calvinisticam? Num Prædicantes vestri panem signo sanctæ Crucis consignant? hoc enim est σφραγιάζειν. Num vinum ἱερεργῶσι, hoc est, *sacra actione consecrant & sanctificant?* Verùm hæc sufficiant de hymno *Epibaterio*; cujus significatum, si necdum assequeris, tum quære alium magistrum, qui capitis tui duritiam evincat. Et quia S. Hier. lib. 1. contra Ruffin. non dubito, te etiam vociferaturum: *Scire aveo, quid sit* ἀθηνογέρων, suadeo, ut consulas D. Hieronymum, & ejus Scholiasten Victorium. Quanquam operam & *impensam perdit, qui bovem ad ceroma mittit*, ùt alicubi idem S. Hieronymus scribit.

H *VII. Quid est linguatus? Elinguatus quid* Pag. 52. *sit, scio; quid linguatus nescio.* Et nescis tu tam *linguatus* homo, quid sit linguatus? Forsan nescis quoque, quid sit *barbatus? Linguatus* est garrulus, dicax; ore quàm mente promptior & instructior. Discere Tertull. lib. de anima hoc licebat ex Tertulliano, scriptore vetustissimo, cap. 3.

A ſtiſſimo, qui Athenas, *linguatam* alicubi *civitatem* nominat; quia ùt D. Lucas teſtatur, *Athenienſes omnes, & advenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

B *VIII. Quis unquam verſificatorum ita locutus eſt, ut diceret linguam poſſe vendi ſtygi.* Quis verò unquam tam appetens calumniarum extitit, ut carpendo nil niſi inſcitiam ſuam prodere ac profiteri de induſtria vellet? Cur enim advocatus, ei, cui linguam ſuam mercede locat, & quaſi venalem proſtituit; non poſſet dici linguam ſuam vendere? cúmque tu, linguam tuam *Stygi*, hoc eſt, Diabolo, tot mendaciis & criminationibus venalem feceris, absque ſolœciſmo eandem eidem vendere vel vendidiſſe cenſeri potes; niſi credibilius eſt, poëtam, qui hac phraſi uſus, eò reſpexiſſe, ut te moneret, ne tantum malum, quantum virulenta tua lingua, alteri venderes; quàm ipſi Cacodæmoni, qui, ùt peſſimus eſt, ita etiam peſſimo hoc linguæ malo digniſſimus eſt: neque deceat, ut ullus alius emptor in tantam peſtem incurrat.

C IX. Vide verò cavillandi & reprehendendi immenſum ſimul & inſulſum cacoëthes Miſeni, qui inſcientiam ſuam propalare, cunctísque ridendam propinare nihil penſi habet; dummodo libidinem criminandi expleat. Quidam ex poëtis, qui verſiculos ad Analyſin meam adjunxerant, ita cecinerat. *Carmina nec numero, nec placuêre ſtylo. Et, cur edere carmina ſperat.* Et, *nequiit ſcribendo poëta videri.* In quæ Lithus: Pag. 30. *Secundum Epigramma ſi oſtenſum fuiſſet Meliſſo, liberè monuiſſet, malè corripi ſyllabas ſequentibus duabus conſonantibus, etiam in diverſis dictionibus: ut placuêre ſtilo; carmina ſperat. Addidiſſet, etiam Gerundia in ô malè corripi; ſcribendo videri.* Ne tamen hæc tanta ruditas vel à trivialibus pueris exſibilaretur, temperamentum ſub finem libelli ſui adjecit, ubi non quidem negat reperiri ſimilia exempla apud Horatium, Propertium, Lucretium; negat tamen reperiri apud Græcos; *Apud Virgilium vix unum exemplum extare dicit: Apud Ovidium, nullum.* Ubi clarè vides, quàm livor & Momus cor Calviniſtæ hujus occupârint, quando Poëtæ meo crimini vertit id, quod præſtantiſſimorum vatum exemplo defenditur. Deinde Lithinæ inſcitiæ coarguendæ gratia adſcribere placet, quæ amicus quidam meus notavit; cùm meo rogatu Miſenicas nugas inſpexiſſet.

Virgilius XI. Æneid.

Ponite ſpes ſibi quisque; ſed, hæc quàm anguſta videtis.

D In quem verſiculum Erythræus, quod pueri aliôqui nôrunt, hæc in indice: *Notandum eſt, ait, hoc loco, te, ſyllabam brevem, dictionem, & dactylum terminantem, non impediri, quò minùs in ſua maneat brevitate; etiamſi ab, ſp. (ſemivocali & muta) ſequentibus excipiatur. Hujus exemplì eſt & illud Ovidianum.*

Spes bona dat vires, animum quoque ſpes bona firmat:
Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

Idem eſt obſervatum in ſm, ùt apud Tibullum.

O quantum eſt auri, pereat, potiúsque ſmaragdi.

Quare & Lucanus ait;

Terga ſedet crebro maculis diſtincta ſmaragdo.

Idem fit in ſc. Catull.

Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri.

Cujus etiam rei exemplum reliquit Homerus illo carmine: F

ὃν ξανθὸν καλέεσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ σκάμανδρον.

Idem in ſt, ùt apud Horat. 1. ſerm.

Contra alius nullam, niſi olentì in fornice ſtantem.

Quod fieri, quia ſ. liqueſcat, non video qua ratione ab iſtis dicì poſſit. Hæc Erythræus vel pueris tritus.

His ego illa Ovidiana, qualia nusquam extare hic Simo putat, addo;

Ovid. 2. de Ponto Eleg. X.

Ætneósque lacus, & olentia ſtagna Palicì

Idem alibi;

Occidit ille Scinis, magnis malè viribus uſus.
Dulichii, Samiique, & quos tulit alta Zazynthos.

Et Met. 4.

Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina Scython.

Cum Ovidianis his obviis adjungi poſſunt G
illa illorum;

Propert.

Nunc ubi Scipiadæ claſſes, ubi ſigna Camilli.

Et;

Tam benè ſpondebant tunc omnia.

Quin & Statius 4. Theb.

Ferrea ſcuta tegunt humeros, & pectora latè.

Et Silius;

Mille Agathina dedit perflatáque Strongylos Auſtris.

Quid multis opus? Ipſe Micyllus tuus in re H
ſua metrica tibi refragatur. Nam cùm expoſuiſſet Terentiani Grammatici ſententiam, (quam iſte ſagax Simo, merum eſſe putat oraculum) iſta ſubjicit. *Sed tamen*, inquit, *his* (quæ Terentius & Simo ſomniant) *rurſum opponuntur* Horatiana illa;

Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ;

Et;

Ignoſcent, ſi quid peccavero ſtultus, amici.

Item illud;

Ponite ſpes ſibi quisque ſuas, &c. hæc ille.

Sed quid agimus? Et non & protinus unà,

Linquimus inſani ridentes ſomnia STENI.

Tu

Tu verò cum Terentiano tuo, tot testibus, testimoniisque convictus, profitere tandem, ac dicito candidè,

A *Ignoscant si quid peccavero* STULTUS *amici.*

De Gerundiis in o idem amicus meus hæc annotavit. Etiam in Gerundiis in o. sed non sine socio, solúsve, doctè profectò nodum in scirpo quæris, Melissúmque sufragatorem adhibes; *Addidisset etiam*, ais, *Gerundia in o. malè corripi.* Quid tibi, & Melisso hîc credamus advocato; cùm auctores, & Grammatici præceptis, auctoritatéque sua se pro viribus objiciant? Ut ab his orsus, in illis desinam; Idem Micyllus in eôdem, de re metrica suo fuso libro, ita infit; *Ad hunc modum, gerundia in do, sese habent. Nam & ipsa* UTROQUE MODO *posita leguntur.* ùt Virgil Ecl. 3.

B *An mihi cantando victus non redderet ille.*

Et Ecl. 6.

Cantando rigidos deducere montibus ornos.

Et rursum Juvenalis sat. 3.

Plurimus hîc æger moritur vigilando, sed illum.

Tibull. lib. 3.

Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.

Sed est tamen in his productio frequentior, perinde ùt & in indeclinabilibus plerisque. Hæc Micyllus pro re, in te, ac Melissum, quem advocâsti. Si enim frequentior productio; certè non damnanda correptio; sed, ut rarior, observatu dignior. Ipse Ausonius solus, tibi & Melisso, vel uno versiculo, procax os obstruat;

Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

Quis tibi tanto Thrasoni in magnis, seriisque fidem tutò adhibeat, cùm in hisce infimis, puerilibúsque reculis deprendâre vanus patronus.

C Verùm hæc, nisi fallor, sufficiunt ostendendæ & patefaciendæ ignorantiæ, etiam in Grammaticis, qua Grammaticus Misenus laborat, magno Grammaticæ professionis suæ probro & dedecore.

CAPUT II.

Cur Hæretici adeò insolenter jactent, támque frequenter sacram Scripturam in ore habeant, & ubique inculcent.

D Scripsi hac de re sæpiùs. Sed quia nunquam satis de hac impostura scribi potest; ideo & hîc aliquid dicetur in gratiam triumphatoris Misenici, qui cùm vietus poëtaster sit, & morologiæ, quàm Theologiæ, vel etiam eruditæ Philologiæ peritior, scripturam tamen impotenter & inverecundè passim citat & venditat, miserásque suas chartas his emblematis fucare & picturare studet: nihil ab Hæreticorum ingenio alienum factitans, quibus hic decipiendi mos à primo statim ortu innascitur & inseritur.

Quærenti causam, multæ occurrent. E
Nam primùm Hæretici idola extruere & erigere contendunt, nec commodiùs id efficere possunt, quàm ex materia, ut sic loquar, *scripturæ;* nam si ex lapidibus aut lignis idola fabricarent, nemo hoc tempore, tam obesæ naris foret, cui fraus non suboleret. Ex subtiliore igitur & abstrusiore materia, ex sacris nimirum litteris, idola sibi edolant. Quia scripturæ nomen apud omnes sacrosanctum est & venerabile. Et quidnam aliud sunt hæc idola, quàm inania & anilia malè sanorum capitum fabulamenta & deliramenta, quæ isti, ùt Hieroboam vitulum aureum, publicè suspicienda & colenda proponunt?

Neque hæc mea duntaxat, sed & veterum Patrum sententia est; Tertullianus docet, *ab idololatria non distare hæreses, cùm,* ùt inquit, *& auctoris & operis ejusdem sint, cujus & idololatria. Deum aut fingunt alium adversùs creatorem, aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum dicunt, quàm in vero est; Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ.* F Tertullian. lib. de præscript.

S. Hieronymus: *Singuli Hæreticorum habent Deos suos, & quodcunque simulaverint, quasi sculptile colunt atque conflatile.* Similia idem alibi. Et in tertium caput Danielis, loquens de aurea statua Regis Nabuchodonosoris, ait: *Omnes hæreticos, qui fulgore eloquentiæ secularis falsum dogma componunt, auream statuam facere, & quantum in se est, persuasione compellere, ut cadentes adorent idolum falsitatis.* S. Hier. in c. 11. Oseæ. in cap. 1. & 8. Oseæ.

Origenes in illud Hieremiæ: *Si faciet* G
sibi homo Deos, & isti non sunt Dii, non solùm de corporeis simulacris faciunt sibi homines deos, sed & de corde confingunt. Qui enim possunt simulare alium creatorem extra universitatis Deum, alium spiritum sanctum, alium Christum, alia secula extra hæc, quæ cernimus, ii omnes fecerunt sibi deos, & adoraverunt opera manuum suarum. Omnes philosophi, qui varia dogmata prodiderunt; omnes hæretici, qui autores ad aliter credendum de Deo miseris mortalibus exstiterunt, fecerunt sibi idola, & animi voluptatem putaverunt deum, & universi adoraverunt opus manuum suarum, putantes vera esse, quæ finxerant. Omnes igitur, tam de visibili materia, quàm de falsis dogmatibus fingentes sibi deos, corripit nunc sermo divinus dicens: si faciet sibi homo deos, & isti non sunt dii. Hier. 16. Orig. Hom. 12. in Hier.

Quapropter, quæ olim Deus per Pro- H
phetam Ezechielem, Hierosolymam in idolatriæ crimen delapsam, egisse testatur, ea veterum idololatrarum successores hæretici hodiè gnaviter agunt. Quid igitur Deus de illa? *Sumens de vestimentis tuis feciſti tibi excelsa;* seu, ùt habent septuaginta interpretes, *idola sutilia*, seu *consuta; & fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum* Ezech. 16.

A *turum est. Volo exponere*, inquit Origenes, *quæ sint idola sutilia, quæ de vestibus consuerunt. Vestes sunt scripturæ divinæ*, divinitùs humano generi ad salutem, & institutionem datæ; *& sensus, qui in eis est. Conscinderunt has vestes hæretici, & consuerunt dictum dicto, verba verbis jungentes; sed, non cum opportuna junctura, aptáque; & consuentes, impia sibi simulacra fecerunt:* hoc est, prava, & perversa de religionis quæstionibus dogmata, & placita; *quibus illexerunt quosdam credere, & consentire ad cultum eorum, & fictam suscipere disciplinam. DEUS verò omnes nos ab his, & aliis simulacris liberet.* Ita vovet Origenes, & ego cum illo.

Origen. hom. 6. in Ezech.

B Neque Patres tantùm tradunt Hæreticorum figmenta ex sacris literis extructa, esse idola; & Hæreticos idololatras, sed & ipse Lutherus idem disertè profitetur; Loquens enim de colloquio serpentis cum Eva; sic scribit: *Satan imitatur Deum. Sicut enim Deus erat concionatus Adæ, ita ipse quoque concionatur Hevæ. Verum enim est, quod proverbio dicitur; In nomine Domini incipit omne malum.* (Etiam Lutheranum & Calvinianum. Auctores enim tam hujus, quàm illius mali non aliunde exorti sunt; quàm à pollicitatione *verbi Domini.*) *Sicut igitur ex verbo Dei vero salus est: ita etiam ex verbo Dei depravato, est perditio. Voco autem verbum Dei depravatum, non solùm vocale ministerium; sed etiam persuasionem internam, seu opiniones à Verbo dissidentes.*

Luth. in cap. 3. Gen.

C *Significat autem hoc Moses, per verbum, dixit; Hoc enim egit Satan, ut per suum dicere, abduceret Hevam ab eo, quod Deus dixerat; ac, sublato verbo, corrupit optimam voluntatem, quam antè habuit homo, ut fieret rebellis. Corrupit etiam intellectum, ut dubitaret de voluntate Dei. Ex his sequitur postea rebellis manus, contra mandatum Dei extensa, ad pomum carpendum. Deinde os, & dentes rebelles,* &c.

Hanc astutiam, & malitiam Satanæ imitantur omnes hæretici, ut specie boni, eripiant hominibus Deum, & verbum quasi ex oculis; & fingant eis alium Deum novum, qui nusquam est. Nam, si spectes verba, nihil iis sanctius, nihil religiosius est. Testantur Deum, quòd ex toto corde quærant salutem Ecclesiæ; detestantur, ut qui maximè, impia dogmata docentes; nomen, & gloriam Dei magno conatu fatentur se cupere propagare. Quid multis? non volunt videri, quòd sint Doctores diabolici, seu hæretici. Et tamen hoc unum agunt, quomodo veram doctrinam opprimant, & Dei cognitionem obscurent, &c.

D *Ita ne advertentibus quidem hominibus, novus fingitur à Satana Deus. Proponit enim ipse quoque verbum, sed non, quale à DEO propositum est, ut scilicet prædicetur pœnitentia, & remissio peccatorum in nomine Christi. Cùm ad hunc modum verbum Dei mutatur, & depravatur, tunc sicut Moses in Cantico suo dicit: veniunt novi, recentésque dii, quos non coluerunt patres nostri,* &c. Deut. 32.

Verè enim fons omnis peccati est incredulitas, & dubitatio, cùm à Verbo (legitimè intellecto) *disceditur. His, quia mundus plenus est, ideo manet in idololatria, negat veritatem Dei, & fingit novum Deum.*

Monachus est idololatra: (imò Lutheranus est idololatra) *sic enim imaginatur: si secundùm regulam Francisci, aut Dominici vixerit, eam esse viam ad regnum Dei.* (sic enim imaginatur Lutheranus; si secundùm regulam Lutheri vixerit, eam esse viam ad regnum Dei.) *Hoc autem est fingere novum Deum, & fierì idololatram. Quia verus Deus pronunciat, viam ad regnum cælorum esse, si credas in Christum. Amissa igitur fide, sequitur incredulitas, & idololatria, quæ transfert gloriam Dei in opera. Sic Anabaptistæ, Sacramentarii, Papistæ,* (Lutheristæ) *omnes sunt idololatræ,* &c. E

Vides, ex Lutheri sententia, Hæresin, hoc est, falsam & pertinacem de Deo rebúsque divinis existimationem, esse idolum; & hæreticos, idololatras. F

Quale verò idolum Hæresis? nisi fallor, *idolum zeli;* quod ostensum olim Ezechieli Prophetæ; quia ex *zelo*, æmulatione, invidia, odio, & indignatione propemodum omnes Hæreses exstiterunt. *Impatientia*, inquit S. Cyprianus, *etiam in Ecclesia hæreticos facit, & ad Judæorum similitudinem contra Christi pacem, & charitatem rebelles ad hostilia furiosa odia compellit.* Ezech. 8. S. Cypr. lib. de bono patient.

Idem: *Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses, atque schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis invidetur; dum quis aut queritur non se potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum.* G lib. de zelo & livore.

Tertullianus de Valentino: *Speraverat Episcopatum Valentinus; quia & ingenio poterat, & eloquio; sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (ùt solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semini actu colubroso viam delineavit.* Tertul. lib. adversus Valent. cap. 4.

Hoc idolum zeli ad Aquilonem situm erat, teste Ezechiele. An non & hæresis vergit & respectat ad Aquilonem, omnis mali originem? Nam *ab Aquilone pandetur omne malum;* neque enim intueri aut amare potest *Orientem, Christi figuram;* ùt Tertullianus loquitur. Et quamvis hoc idolum *zeli* omnes hæreses perspicuè repræsentet, oculísque nostris subjiciat; inprimis tamen vivum spiránsque exemplar est Hæresis Lutheranæ, quæ in ipso Aquilone ex summo *zelo*, invidia, & indignatione nata; Aquilonares potissimùm Provincias occupavit; Et ex Bethel, hoc est, ex Domo & Ecclesia Dei, fecit Bethaven, hoc est, *domum Idoli.* Quod Hæretici, Idololatræ novi, non tantùm ex scriptura architectan- H Hier. 1. Tertul. lib. contra Valent. cap. 3.

A tectantur; sed & scripturis condecorant & comunt; & huc omnia sua referunt, ut venustius & formosius appareat: ídque veterum Idololatrarum more, qui ex sacris Bibliis *scrutabantur similitudinem simulachrorum suorum*, ùt dicitur lib. 1. Machab. cap. 3. quia, ùt nonnulli existimant, nomen *Elohim* ad deorum suorum multitudinem ex Bibliis confirmandam rapiebant: quod facit expresè Simon Magus apud Clemen-

Clem. lib. 1. Recognit. tem; *Quòd*, ait, *multi sint dii, ipsa me lex docuit*: Et pergit homo impius deorum suorum multitudinem pluribus è scriptura confarcinatis testimoniis probare. De eorundem Ethnicorum sacrilega consuetudine hæc apud Prophetam DEUS exprobrans, Hierosolymæ commissa idololatriæ flagitia. *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* *Secundùm communem sensum sic intelligi potest*, inquit Origenes. *Vasa decoris, de quibus Moses scripsit in Numeris, thuribula, phialas, candelabrum aureum, arcam ab intus, & à foris deauratam, & cætera, accepisti, & conflâsti ea, & fecisti effigies masculinas, & fornicata es in eis.* *Secundùm allegoriam verò ita explanabitur. Vasa aurea, & argentea, & alia hujus generis, habemus in sacris literis: quando ergo torquemus sensus scripturæ in alterum sensum, qui est contrarius veritati, verba divina conflamus, & res Dei in alias mutamus effigies.* *Quæ facientes*, (ùt quotidiè faciunt Lutherani, Calviniani, eorúmque gregales) *incidimus in peccatum, quod commisit Hierosolyma. Vasa decoris nostri sunt lex, & Prophetæ. His exultamus, his efferimur. Quos, cùm aliter exponimus*, (ùt faciunt Novatores) *quàm se veritas habet, convertimus vasa decoris nostri de argento rationabili, & de auro sensibili, quod nobis dedit Deus, & facimus nobis imagines masculinas, & fornicamur in eis.*

Ezech. 16.

Origen. homil. 7. in Ezech. Num. 8.

B

C Quorsum omnis illa scripturarum apud Lutheranos, aliósque hæreticos jactatio, & jactantia aliter spectat, quàm ut suum idolum zeli, hæresin suam Lutheranam, exornent, & comant, quasi habeat Deum auctorem, cùm sit auctore diabolo progenita. Quid volunt sibi clamores insani, Verbum Domini, verbum Domini, Evangelium, Evangelium, nisi ut hoc idolum zeli commendabilius fiat?

D Pergit Deus exprobrare Hierosolymæ Idololatricæ, quid tanquam œstro percussa fecerit idololatriæ amore: *Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas*: imagines scilicet masculinas, & idololatricas. *Varia vestis est, & hic unus de scripturis locus*, inquit ibidem Origenes; *quo induimur, assumentes viscera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, longanimitatis ad sufferendum invicem. Has varias vestes, & pulcros amictus, quos nobis largitus est Deus; si laceramus, atque conscindimus, & circumdamus falsæ doctrinæ ad deceptionem hominum,* E *non dubium est, quin variis vestibus operiamus idola. Intelliges autem hoc, quod dicitur, si ipsam rem manifestiùs describamus. Vide mihi aliquem Marcionistam, sive discipulum Valentini, aut certè cujuslibet hæresis defensorem; & considera, quomodo idola sua, id est, figmenta, quæ ipsa composuit, mansuetudine, & castitate vestiat, ut in aures audientium faciliùs ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat. Et cùm hoc fecerit, intellige, eum assumpsisse vestem variam morum, & conversationis optimæ & idolis subjecisse, quæ ipse construxit.*

Idem faciunt nostri hæretici, qui videri volunt, vitam, morésque suos ad sacræ Scripturæ normam accommodare, & externam quoque honestatis speciem multi præ se ferunt. Etsi singulari Dei providentia factum arbitror, ut Lutherus suum idolum zeli hoc honestatis velo minùs ornare studuerit; cùm & dicendo, & scribendo nihil fuerit, nisi *bipes porcus*, & scurra insanus: cujus rei testes sunt libri ejus; *colloquia mensalia* præsertim, & liber contra Regem Angliæ, ùt & ille, cui titulus: *contra papatum à diabolo fundatum.* F G

Addit Origenes: *Ac juxta mei quidem animi sensum, multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet auctoritatis eo, qui doctrinam conversatione maculat.* Recte sentis Origenes, & rectè judicas: sed perge: *Qui enim vitæ pessimæ est, non facilè homines ad falsa dogmata sollicitat, nec potest per umbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem.* Et tamen tot millia seduxit Lutherus vitæ pessimæ, & flagitiosissimæ apostata; ut proinde Origenes, si revivisceret, fortasse satis admirari, vel potiùs execrari non posset stuporem mortalium hujus temporis, qui à sceleratissimæ vitæ impostore sibi adeò illudi passi fuerint. H

Cur verò hæreticus vitæ impuræ, & improbæ non sit tam aptus fallere; hanc causam reddit Origenes. *Qui sermone perversus est, & disciplinis saluti contrarius; mores autem compositos, & ornatos habet, nihil facit aliud, nisi accipit indumenta varia instituti boni, & conversationis quietæ, & circumdat ea idolis suis, ut magis decipiat audientes. Idcirco sollicitè caveamus hæreticos, qui conversationis optimæ sunt; quorum fortè vitam non tam Deus, quàm diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum, aucupes proponunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamentum gulæ, sic, (ut audacius dicam) est quædam castitas diaboli, id est, decipula humanæ animæ, ut per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem, & justitiam possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire. Diversis diabolus pugnat insidiis, ut miserum perdat hominem, & bonam malis tribuit viam ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conscientiam.*

Quam-

A Quamvis hoc tempore pauci profectò sunt, qui idolum zeli, hoc est, hæresin Lutheranam fucare soleant castitate. Rara avis castitas apud istos, quibus in ore perpetim; *Crescite, & multiplicamini*, &, *Melius est nubere, quàm uri.* Ubi fœminæ semper cantillant; *Felices nuptæ, moriar, nisi nubere dulce.*

Gen. 3.
1. Cor. 7.

B Addit Deus per Prophetam exprobrans Hierosolymæ cultum idololatricum. *Et oleum meum, & thymiama meum posuisti ante faciem eorum. Oleum est*, inquit Origenes, *quo vir sanctus ungitur, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ. Cùm ergo accepit aliquis hoc oleum, quo ungitur sanctus, id est, scripturam sanctam, instituentem, quomodo oporteat baptizari: In nomine patris, & filii, & Spiritus sancti: & pauca commutans, unxerit quempiam, & quodammodo dixerit, jam non es catechumenus, consecutus es lavacrum secundæ generationis: talis homo accipit oleum Dei, & thymiama, & ponit illud ante faciem idolorum.* En, qui scripturam mutat, mutilat, truncat, ille, ex Origenis sententia, thymiama idolo capitis sui incendit. An non id factum à Novatoribus nostris?

C Sequitur; *Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te; Ecce panes nostri simila mundissima in scripturis, & mella apum Prophetarum. Ista omnia dedit nobis Deus, & cibavit nos de panibus Prophetarum, & de simila legis, melle Evangelii; è quibus cibati ponimus ea ipsa idolis. Cùm enim ex dogmatis falsis volentes assumere defensionem, dixerimus, scriptum est in Propheta, testatur Moses, loquitur Apostolus; quid aliud facimus, quàm accipientes panes veritatis, proponimus eos simulacris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, & proposuit ei panes scripturarum. Valentinus, Basilides, ceteríque hæretici fecerunt similiter.*

D Ultima Prophetæ, vel Dei per Prophetam loquentis querela; *Posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis. Naturaliter suavissimi odoris sunt hæc, quæ nobis largitus est Deus. Quem odorem suavissimum ante idola ponit, qui adversùm potestatem scripturarum aut gerit aliquid, aut intelligit.*

Habes ergo unam causam, cur Hæretici scripturas perpetuò crepent, citent, recitent; quia ex scripturis idola sibi fabricant; quæ rursus scripturis ornant & insigniunt, ne, si nuda proponantur, primo aspectu repudientur.

Abucara opuscul. 7.

Theodorus Abucara, auctor doctus, quem nuper Græco-Latinum publicavimus; quærens, quomodo Adam à Cacodæmone victus fuerit; hoc dat sibimet ipse responsum: *Blanditia ipsius voluptatis primùm delinivit eum cupiditate; deinde, dubitavit. nisi pulcrum ei visum esset, quod interdictum erat, nunquam mentem suam decepisset. Et adverte, quod dico: si diabolus ostendisset ei lignum, unde sumpsit vetitum cibum, tetro odore, & spinosum, & amarum, dixissétque; si ex hoc comederis, eris Deus; nunquam sine probatione, & indagatione locum fallaciæ ejus dedisset, quin potiùs curiosè de ea re inquisivisset, ac respondens dixisset, unde hoc scis? aut unde mihi hoc probas? &, me certum reddis? & denique, nunquam sine vera demonstratione fidem verbis ejus adhibuisset. Postquam verò cupiditas eum mollivit, fefellit ipse suam cogitationem.*

E

Quod Diabolus fecit cum Adamo & Eva, hoc hodie idem salutis nostræ hostis agit per sectarios cum incautis mortalibus. Blanda scripturæ crustula & liba, papavere & sesamo obsita, objectat, & in nassam suam illectat, nunquam movendos aut persuadendos, nisi hanc adeò amabilem escam hamo suo præfigeret.

F

Decepit non modicam orbis partem voluptatis & divitiarum promissione pseudopropheta Mahometh; *nam cùm multa spolia*, inquit Abucara, *& legem remissam, & relaxatam, & eorum cupiditatibus jucundam dedisset, facilè conscientiam propriam fatuè deceperunt, crediderúntque Prophetam Dei esse, & Apostolum. Etenim, nisi proposuisset, quæ eis jucunda essent, sed potiùs molesta, & difficilia, statim austerè, & sine ullo pudore respondissent, unde nobis suades esse te à Deo missum? & quomodo fidem facis? exegissentque ab eo perspicuas eorum, quæ dicebat, rationes. Et, ut uno verbo dicam, cùm ægrotat ea pars, quæ cupimus, tunc mentem trahit, & ad assensionem illicit.*

G

Similis est hæreticorum conditio. Nil nisi mulsum, & quidem ex scriptura haustum, propinant. Quis tantæ dulcedini adversaretur, si oculos non aperiat, ut fraudem animadvertere queat? Palàm dico, si Novatores hac techna & futela usi non fuissent, tam multos ad sua castra non pertraxissent.

Altera causa, cur sectarii scripturam usque adeò ingeminent & intonent, est ista; ut lupanaris, quod extruunt, turpitudinem & fœditatem tegant, ne in aspicientium oculos incurrat. Audi Origenem in illa Ezechielis verba: *Fabricâsti lupanar tuum in capite omnis viæ;* hæc pulcherrimè scribentem. *Si consideraveris hæreticos omnes, alienos à veritate, ædificantes domum ex his sermonibus, qui in Mose leguntur, ex his, quos in Esaia, & Hieremia, & Prophetis reliquis invenerunt, intelliges novas doctrinas fornicationem esse Hierusalem, quæ ædificat lupanar suum in omni via, & in capite omnis viæ. Si enim præventus quis fuerit post principium Mosi, exordium Prophetarum, ad profundum ejus, & scientiam omnium pervenire, nihil potest facere ista meretrix ædificans lupanar in capite omnis viæ: eum quærit, qui primùm ecclesiam ingreditur, qui fidei elementa suscipit, qui rudis est in sacramentis; eum, qui in exordio constitutus est, vult introducere in lupa-*

H

Ezech. 16. Orig. Hom. 8. in Ezech.

A *nar ſuum, ædificans meretriciam domum. Et quia frequenter fornicatio in ſcripturis nominatur, exponere volo ſermonis iſtius cauſam.*

Eccleſiaſtici, qui in Eccleſia ſunt magiſtri, mores purgant tam ſuos, quàm ſuorum; & ex hac diligentia ædificant domum DEI, Eccleſiam; & , opus eorum, ædificatio Dei eſt. Hæretici ædificant lupanar in omni via; ùt puta magiſter de officina Valentini, magiſter de cœtu Baſilidis, magiſter de tabernaculo Marcionis, & cæterorum hæreticorum ædificant meretrici domum. Congregatio enim omnium malignorum lupanar eſt. Sed, quid dicit ſcriptura? Fili, ne intendas in malam mulierem. Mel enim deſtillat de labiis mulieris meretricis. Unde ei mel deſtillat? Deſtillat enim mel de labiis muliéris meretricis. Ingreſſa eſt ad Moſen, ad Eſaiam, ad Hieremiam, & de ſcripturis eorum ſibi mella collegit. Vade ad hæreticos loquentes; hæc dicit Moſes, hæc Eſaias, hæc Hieremias, & videbis, quomodo de labiis eorum non fluant mella, ſed deſtillent, decerpentium de ſcripturis verba pauciſſima. Et ideo mel deſtillat de labiis mulieris meretricis. In capite ergo omnis viæ ædificat lupanar.

Prov. 5.

B Similia D. Hieronymus in eundem Ezechielis locum, qui poſtquam ſenſum literalem explicârat, hæc ſubjicit: *Eſt & alia fornicatio ſpiritualis, quando deſerentes Eccleſiam, hæreticis jungimur, & ædificamus lupanar noſtrum in capite omnis viæ, quibus præcipit ſermo divinus; ſtate in viis, & quærite ſemitas Domini ſempiternas, & videte, quæ ſit via bona, & ambulate in ea; Moyſi videlicet, Jeſu, Judicum, & Regum libris, Eſaiáque & Hieremia, & aliis Prophetis. In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar ſuum, qui ad perverſitatem doctrinæ, teſtimoniis malè utitur ſcripturarum, & dicit: Hæc ait Eſaias, hæc dicit Oſee, hæc locutus eſt Moyſes, hæc Daniel. Et pulchrè non in mediis viis, nec in viarum terminis ponit lupanar ſuum, ſed in principio. Si enim ad ſcientiam, & profunda venerit librorum, errare non poterit.*

Hierem. 6.

C Verè hæc D. Hieronymus; nam ignorantia audaciæ jugata ſectarum mater eſt; licèt hæreſiarchæ, eorúmque aſſeclæ ſemper omnium mortalium doctiſſimi haberi velint. Sed quò magis id cupiunt, eò magis inſcitiam ſuam patefaciunt.

D Cùm igitur hæretici ſint ſcortatores, lenones, & lupanarium fabri ac conditores, mirari non debemus; ſi ſcripturarum obtentu & objectu ſe & ſua cœpta tegant. Magis inſolens foret, ſi aliter agerent; quia vel nullos vel pauculos ad ſe aggregare poſſent. *Si enim diceret Satan,* inquit Lutherus, *occidendum, fornicandum, parentibus reſiſtendum eſſe, quis non videret, eum ſuadere à Domino prohibita? Facile itaque eſſet eum cavere. Sed cùm verbum aliud proponit;* hoc eſt, cùm verbo Dei peregrinos, & à Spiritus ſancti mente alienos ſenſus affingit; & nihilominus confidentiſſimè & aſſeverantiſſimè vociferatur; illud ipſum, quod proponit, eſſe verum, genuinum, ſincerum & legitimum Dei verbum, *tunc tam facilè caveri non poteſt,* inquit Lutherus, *ſed eſt opus acerrimo judicio Spiritus,* ut diſtinguamus inter *Deum verum & novum Deum,* inter Deum, inquam, à Catholicis concorditer uſque ad Lutheri tempora cultum; & inter illum novum recentémque Deum, quem Lutherus per ſuum novum *Verbum* in orbem invexit. *Improbus magiſter eſt Diabolus,* inquit S. Ambroſius, *qui falſa veris ſæpe permiſcet, ut ſub ſpecie veritatis teſtimonium fraudis obtexat.*

Luth. in cap. 3. Gen.

S. Ambr. in cap. 9. Luc.

E

F Tertia cauſa, cur hæretici Scripturas ubique occinant, eſt; quia lupi ſunt: oportet igitur, ut indumenta ovium induant, quibus lupinam naturam & feritatem celent. Hæc ex ſcripturarum teſtimoniis ſibi conſuunt & conſarcinant. *Quocirca cave,* inquit Lutherus, *ne ovinus veſtitus tibi imponat. omnes enim, quibus conſilium eſt homines velle decipere, tam elegantì velamento utuntur, & ejusmodi verba, & doctrinam apportant, quæ Deus ipſis nequaquam docenda mandavit, neque ad hoc miſit; ſed ſua ipſorum ſomnia, & doctrinam diabolicam nomine Dei ornatam. Ideo, præmonitum te volo, ut tibi caveas à veſtitu ovium; nec cuiquam fidas, aut fidem habeas, quamlibet tandem bonus in ſpeciem videatur, ſed ad Verbum* (Dei legitimè intellectum) *ſaltem reſpicias, num ille rectè doceat, aut num ſuas nænias, & ſomnia ſub hujus velamento venditet.*

Luth. in c. 7. Matth

G Eſt autem hæc verbi Dei pollicitatio, & venditatio *efficax præſtigium,* inquit idem Lutherus, *quo hominum oculi perſtringuntur, ut ſturnatim, & graculatim talibus ſemet applicent. Et poteſt talis latro totam civitatem, quæ aliquandiu Verbum Dei audivit, uno ſermone ſeducere, & facere, ut una hora oblivioni tradatur, quod per X. annos auditum eſt, &c. Vulgus enim mobile eſt, & facilè perſuaſibile; & aliàs ad audiendum res novas curioſum, propenſum, & proclive admodum.*

Neque enim quiſquam ita venit, *ut dicat; hoc ego dico: ſed ita; Chariſſimi amici, hoc dicit Chriſtus, hic habetis Verbum Dei, & ſcripturam, hoc nobis ſalvari cupientibus credendum eſt; Qui ſecus docuerit, vos ſeducit, &c. Quibus admiſcent ineffabile nomen Dei, & Chriſti; ad hæc, horrenda illa, & magnifica verba, honorem Dei, veritatem, æternam ſalutem; & , ſi qua plura ejus generis verba ad hoc pertinent. Homo itaque animi alioqui ſimplicis, tam magnifica verba audiens, ac tantopere commonefactus, nimirum per animæ ſuæ ſalutem, & condemnationem, obſtupeſcit, ac mox ſe dedit, ſi adversùs horum ſycophantias non probè munitus, & inſtructus fuerit. Talia enim verba, quovis cultro tonſorio acutiora ſunt, corpus & animam proſcindentia.*

H Hæc & plura alia in eandem ſententiam Lutherus; cui, cùm de lupina fallendi arte loquitur, præ cæteris fides eſt habenda;

A da ; quia & ipſe lupus fuit , & lupinus , vellere ovillo tectus impoſtor ; quis autem lupum meliùs novit quàm lupus ? tum quia , ut luporum naturam , genium , modúmque agendi penitiùs cognoſceret , diu multúmque ſe elaborâſſe teſtatur Lutherus. En ipſius teſtimonium. *Ego omnium hæreticorum & ſectarum originem, conſilia , & inſtituta indagere conatus , ſemper comperi , eos aliquid novi in apertum produxiſſe , & alienum à Verbo Dei , quod Deus neque faciendum præcepit , neque mandavit. Et hunc quidem in hoc , illum autem in alio articulo. Hic docuit , non quibuslibet veſcendum eſſe ; alius interdixit matrimonium : Tertius magiſtratum damnavit. Et quiſque aliquid proprii commentus eſt , ita, ut certum ſit , omnes à vera via aberrare.*

B *Jam quis ita perſpicax eſt* , inquit idem Lutherus , *qui lupum ovillo amictu tectum queat cognoſcere , & ſibi ab illo cavere ? Reſpondeo , nullum ſalubrius conſilium mihi compertum eſt , niſi quòd quisque etiam atque etiam videat , ut ſuæ cauſæ , ac doctrinæ certus ſit , eandémque ita mordicus animo comprehenderit , quò penes doctrinam immobili propoſito manere poſſit , etiamſi univerſus mundus , & quidquid in mundo ſerpit , & ſpirat , aliter vixerint , & docuerint. Siquidem , qui certus eſſe cupit , illi nulla larva in Chriſtianiſmo intuenda eſt , neque juxta illam ipſe ſibi inſtituendus , ſed juxta verbum Dei vita ordinanda , quod nobis veram & credendi , & vivendi rationem indicat , coram Deo valentem.*

C Et certè ut deceptores iſti vitentur , cuivis ex fidelium numero ſufficere deberet , quòd omnes hæreſiarchæ & hæretici ſcripturam jactare , & iis , quos ineſcare volunt , opportunè & importunè ingerere conſueverunt ; qua in re imitantur nocentiſſimum illum Joab , qui ſibi capitíque ſuo metuens , confugit ad tabernaculum Dei , tenens cornu altare ; ſic iſti ad ſcripturam Dei è veſtigio ſeſe conferunt ; quos tamen ibi , ùt ſcitè ait Waldenſis , gladio Salomonis jugulat , & jugulabit auctoritas Eccleſiæ , ſive Eccleſiaſtici canonis non interrupta traditio : Et qua tandem ratione ſcripturarii iſti thraſones veram ſacrarum litterarum ſententiam aut callerent , aut aliis proponerent , cùm inter ſe toto cœlo diſſideant ? Quid verò Lutherus de iſto diſſidio ? Audi , quid ad Michaëlem Stifelium de ſe ſuisque filiis & geniminibus ſcribat. *Iſta ſectarum pugnantia ſignum eſt Satanæ eſſe , quod docent , eò*

Waldenſ. lib. 2. doct. fid. cap. 25.

Luth. tom 2. epiſt. fol. 309.

D *quòd ſpiritus Dei , non ſit diſſenſionis Deus , ſed pacis.* Excidit Luthero vel invito vel imprudenti , aliúdque cogitanti veritas , ùt ſæpè aliàs. Vel hoc uno indicio produnt iſti , quo ſpiritu proferendis & adducendis ſcripturis agantur. Nam ſi Spiritu Dei rem gererent , non aliter Lutherus hæc verba : *Hoc eſt corpus meum :* citaret ac interpretaretur : non aliter Zwinglius : non aliter Carlſtadius , non aliter Calvinus. Quomodo autem Scripturas rectè intelligent aut explanabunt illi , qui Spiritu concordiæ vacui , Spiritu autem diſcordiæ pleniſſimi , atque adeò obſeſſi ſunt , cùm ſine ope & afflatu hujus Spiritus ſcripturæ ſacræ genuinus & legitimus ſenſus nulli patefiat ? Nam *quemadmodum faber ferrarius maſſas ferri tractat* , inquit Philippus Solitarius in Dioptra , *materiam informem paratam , futurisque laboribus ferrariis obviam habens. Laborat autem in ea , ùt vult , & adhibito igne , in formam , quam voluntas fert , redigit : (Nec enim citra ignem fabricabit , licèt arte malleatoribus univerſis antecellat :) ita divinam ſcripturam ſe penitùs habere exiſtima. Apoſtoli prædicant , Prophetæ præruntiant , ſcriptor eorum dictis , & locis utens , ſi non etiam Dei gratiam ſe adjuvantem habeat , nihil rectè intelligere , nec rectè diſſerere poterit. Fabro auxilium ignis , ſcriptori gratia divina præſtat. Citra hæc auxilia , quæ in manibus ſunt , opera conficere neuter poteſt. Si enim alter alterum horum non aſſumpſerit , ejus opus injucundum , inutile , vitioſum evadet , incautisque & ſimplicibus plurimùm incommodabitur.*

Philipp. lib 4. Diopt. cap. 19.

F Hæc præclarè Philippus de illis , qui Spiritus ſancti ſubſidio deſtituti ſcripturas tractant , verſant , allegant , legendásque paſſim omnibus proſtituunt , etiam rudibus & indoctis ex infimi vulgi cœtu vel potiùs cœno. Quorum audacia , quantum detrimenti improvidis mortalibus attulerit , utinam minùs nobis notum eſſet.

G Apud Anaſtaſium Sinaitam extat illuſtre exemplum , profectus vel potiùs defectus , quem faciunt illi , qui à ventoſis iſtis ſacræ Scripturæ prædicatoribus , citatoribus , & encomiaſtis excitati ad ſcripturæ lectionem accedunt. Nam & olim Acephali , & hodie Lutherani , Calviniani aliíque Novatores , nil niſi ſcripturam ſonabant & tonabant , contemptis & procul ablegatis omnibus ſanctorum Patrum Conciliorúmque decretis & ſanctionibus. Quid emolumenti inde extitit ? Illúd , ut eorum ſectatores univerſam propemodum ſcripturam in dubium vocarent ; híſque & id genus aliis ab omni pietate remotis quæſtionibus orthodoxos exagitarent.

Anaſt. Sinaita in Duce viæ cap. 22.

Unde conſtat , animam noſtram eſſe creatam , vel immortalem permanere , cùm hoc in lege nusquam proditum ſit ?

H *Unde cognoſcam , librum , qui Geneſis inſcribitur , eſſe Moyſis ? Non enim ejusmodi inſcriptionem habet , qualem aliorum Prophetarum libri ; præterquam quòd multa in illo continentur , quæ à veritate aliena videri poſſint ; ùt eſt illa , ob eſum vetiti pomi prolata à Deo ſententia ; & , quod traditur de ærumnis , & afflictionibus , quas Iſraëlitæ in Ægypto per quadringentos annos perpeſſi ſint ; tantùm enim centum &* Geneſ. 3. Actor. 7.

A quadraginta annos in Ægypto post mortem Jo-
Galat. 3. sephi implêrunt. Præterea, neque terminus il-
le, quem vitæ humanæ præstituit Deus, locum
Genes. 6. habuit in Noë. Decreverat enim, ut vitæ hu-
manæ cursus usque ad diluvium centum viginti
annis terminaretur.

Rursus cùm in Levitico de variis illis victi-
marum oblationibus varia imperâsset; postea per
Is. 57. Hierem. 44. Isaiam, & Hieremiam Prophetas dicit; se ni-
hil de sacrificiis Israëli præcepisse, neque de holo-
caustis.

Exod. 28. Iterum pollicitus, fore, ut lex legitimum sem-
piternum foret, quomodo promissa non fecit, præ-
ceptáque sua legalia æterna effecit?

Deut. 11. Pollicitus se Israëlitis possessionem daturum ab
Ægypto usque ad Euphratem, ne decimam quidem
partem promissi sui exsolvit.

B Hæc ex veteri Testamento objiciunt; sequun-
tur, quæ ex novo adducunt.

Matth. 28. Cùm Evangelium non dicat, Christum clauso,
ac signato sepulcro resurrexisse, unde id probatis?

Cùm Evangelium passim vocet Josephum,
virum Mariæ, quare hoc vos non profitemini?

Cur Evangelium, ùt Christi conceptionem
absque semine, ita salva integritate ex Virgine
ortum, ùt vos dicitis, non tradidit?

Joan. 11. & 13. Cùm Evangelium dicat, Martham esse soro-
rem Mariæ matris Domini nostri; quî fit, ut
vos idem non dicatis? &c.

C Hæc & alia hujus notæ ζητήματα, quæ
leges apud Anastasium, edocti sunt isti tan-
ti sacræ Scripturæ præcones & admiratores
orthodoxis objectare; non exercitationis
causa; sed quòd revera eas absurditates, qua-
rum quæstiones mentionem faciunt, animo
imbibissent.

D Quàm aptè autem Novatores Scripturas
citent; & ad dogmatum suorum confir-
mationem in aciem producant; audivimus
jam suprà ex Origene; qui ait, eos, *dictum
dicto consuere, & verba verbis jungere, sed
non oportuna aptáque junctura:* quod verissimè
Origenes affirmavit; quorum ineptiam fe-
stivè simul ac dilucidè ob oculos posuit,
amicus quidam meus; cui, nec immeritò;
videntur isti Scripturas allegare, colligare,
& coaptare; sicut, si quis regulas Gramma-
ticas de generibus nominum ex Emmanuele
Alvaro hunc in modum connecteret ac ci-
taret. *Fœmineum A primæ, velutì latro, præ-
sul & hospes. Fœmineis junges, specie depicta
virili. E neutris tribues, velutì panthera,
sagitta. Pro maribus pugnant, regio, urbs, cum
nave poësis. Trade notas neutri; velutì bos,
fortis & hostis. Adria mas esto, siler, & cum
subere, robur. I neutris tribue; ùt foliis olea-
ster amaris. Fœmineum est aloë, menses flu-
viique minaces. Cui caro jungatur, laser, ci-
cer, atque papaver. Or maribus servit, Rho-
dopéque & cætera Græca. Mascula in Os sunto,
cum verbere, necte cadaver. Ver siser, atque
piper, poples, cum cespite vepres. Exigit ur
neutrum, velutì diphthongus, eremus. Um
neutris junges, velut id cum lacte gelúque.* E
*Fœmineum thomex, fons, pons, seps, lethifer
anguis. Atque calix, coccyx, & oryx,
quibus additur incus. S dato fœmineis quo-
ties id tertia flectit. Alvus, humus, vannus,
facit avi atúmque supinum. Ut paries stipés-
que, meri noménque diei. At cubui, domui,
crepui, cum cespite vepres. Mascula censentur;
gignit sed torreo tostum. Æs tibi sit neutrum,
careo, placeóque, dolétque. Dat mansi mansum,
subscus, pulcherrima virtus.*

Et quid multis opus? Nullum exemplum F
ineptiæ Hæreticæ in citandis & exponendis
scripturis unquam proferetur, quod ipsius
ineptiæ magnitudinem perfectè exprimat ac
repræsentet. Nulla apparet connexio, nul-
lum filum; nulla series.

Quòd si Novatoribus hoc meum para- G
digma minùs fortasse arridet; accipiant aliud
ex Luthero, qui graphicè profectò descri-
bit, quomodo Zvvinglius, OEcolampadius
& alii Sacramentarii verba illa; *Hoc est cor-
pus meum*, tractent. *Age, audiamus*, in-
quit Lutherus, *quo pacto verbis Christi adi-* Luth. tom. 7. lat. Wi-
mant nostrum sensum, & suum intrudant. Asse- teberg. in
runt verbum (EST,) *idem valere, quod verbum,* defens. ver-
(significat,) ùt Zvvinglius scribit. Et verbum, borum cœ-
(CORPUS MEUM) *idem esse, quod (signum mei* næ.
*corporis,) ùt OEcolampadius scribit. Christi
ergo verba, & mens, secundùm Zvvinglii tex-
tum sic sonant: Accipite, comedite, hoc signi-
ficat corpus meum. Et secundùm OEcolampa-
dii textum; Accipite, & comedite, hoc est
mei corporis signum. Tam autem sunt certi,
has esse veras sententias, & tam firmiter in suis
cordibus, in iis persistunt, quàm arundo, à ven-
tis huc illuc agitata solet, &c.*

Et profectò rem magnam, & seriam agunt; H
*sed idem fit, ac si, cùm paulò antè negâssem,
quòd Deus cælum, & terram creavit, & sen-
tentiæ Aristotelis, Plinii, & aliorum Ethnico-
rum de mundi æternitate subscripsissem: & mi-
hi quispiam opponens, illud Moysi proferret; In
principio creavit Deus cælum, & terram: ego
verò nunc adversarium refutaturus, verba Moy-
si sic exponerem; Deus, id est, cuculus, crea-
vit, id est, devoravit, cælum, & terram, id
est, currucam totam, & integram, unà cum
ossibus, & plumbis; atque ita hanc Verborum
Moysi sententiam effingerem: In principio devo-
ravit cuculus currucam totam & integram, unà
cum ossibus, & plumis. Illam verò, abjicerem
prorsus; In principio creavit Deus cælum & ter-
ram. Nunquid non artis hoc esse videatur? sa-
nè quidem histrionibus non indigna, nec ignota.*

*Item, simile hoc quoque esset; si negarem fi-
lium Dei factum esse hominem, & opponenti mi-
hi illud Joan. 1. Verbum caro factum est,
responderem: Verbum significat baculum curvum,
& caro, milvum, & sententia est; Baculus
curvus factus est milvus. Si verò me conscien-
tia mea argueret, & clamitaret; Domine Mar-
tine, nimis petulanter, & tortuosè exponis tex-
tum, sed, &c. Ego verò illud, sed, comprì-*
merem,

A *merem, usquè dum pudor genas rubore tingeret, & tamen dicerem; Vah proditor perfide, amove tuum, sed, & obmutesce, ne hominum quisquam unquam persentiscat, aut olfaciat, mihi adeò malam conscientiam esse. Deinceps autem me magnificè efferrem, & complosis manibus pleno ore decantarem; Euge, Christiani non habent ullum Scripturæ locum, quì affirmet, & probet, Verbum Dei factum esse carnem. Postremò tamen, me iterum submitterem, & peterem eruditri, & doceri, qua ratione ex Scriptura probaret, quam ego priùs adeò distraxissem. Si hoc mihi fas, licitúmque esset, prô Deum immortalem, quantum in veteri, & novo Testamento tam Judæis, quàm Christianis negotii, & turbarum facessérem?*

B Hæc Lutherus non malè; libens fateor; dummodo ipse etiam fateatur; alios itidem Scripturæ locos similiter à Sacramentariis tractari, neque à Sacramentariis solùm, sed & à se ipso, suóque toto grege. neque alios tantùm, sed & hunc ipsum; *Hoc est corpus meum*; quem quomodo Lutherus cum suis exponat, nemo nescit; Et ubinam in sacris litteris explicationem illam Lutheri invenies? Non alibi, *quàm in caverna fuliginosa seu antro cyclopis eam reperies,* (verba Lutheri refero) ubi Lutherani æquè *sua habent Biblia,* ac Sacramentarii.

C At isti non tantùm sunt Scripturæ citatores, sed & collatores, & collatione verum sensum ex intimis quasi sacrarum litterarum penetralibus eruunt. Si eundem omnes sensum constanter eruerent, collationem hanc fortassis non aspernandam judicarem. Sed cùm omnes Sectarii conferant, & conferendo diversissimos sensus nobis procudant, fieri non potest, ut his collatoribus ullam fidem habeam, aut ab aliis habendam censeam. Conferunt Sacramentarii & Lutherani. Ad quid aliud confert hæc collatio, quàm ad rixas, & irreconciliabilia jurgia suscitanda & fovenda? Cùm olim Carlstadius dixisset, se sententiam suam de cœna hausisse ex horum verborum: *Hoc est corpus meum*, cum aliis scripturæ locis collatione, mox occurrit Lutherus. *Quod doces me, esse locos Scripturæ per collationem aliorum locorum exponendos, & hac regula fretus, incipis, & Joannis caput sextum, velut lucem, in verba cœnæ Domini afferre; hîc, quæso, me patienter audi: si omnis locus Scripturæ per alium locum est exponendus, quis erit finis conferendi locos Scripturæ? Quia hac ratione fiet, ut nullus locus sit in Scriptura certus, & clarus: & erit quædam mutua collatio loci ad locum in infinitum. Sic alius præsumet exponere sextum caput Joannis per cœnam, sicut tu contrà per sextum caput Joannis præsumis cœnam exponere; & utetur tua regulâ, scilicet, locum per locum exponendum. Sentisne hîc te satis infidele fundamentum jecisse, & ex particulari, ad universale procedere? Nam ista regula, locus per locum exponi debet; absque dubio particularis est, scilicet, locus ambiguus, & obscurus debet per locum clarum, & certum exponi. Nam claros, & certos locos velle per collationem aliorum exponere, est nequiter veritatem illudere, & nebulas in lucem vehere. Similiter, omnes locos velle per collationem aliorum exponere, esset, totam scripturam in infinitum, & incertum chaos confundere. Sûntne hæc satis clara? Absque dubio intelligis pulchrè hæc ita habere.* Hæc Lutherus. Qui vafrè elabi nititur, ne ipse sibi plagam imponat.

D Luth. tom. 2. epist. lat. in epist. ad Carolst. fol. 197. b.

E

Ait, *esse quidem Scripturæ locos explanandos & illustrandos per collationem cum aliis; sed dubios, & obscuros, non certos & claros.* At quis judex erit, num locus sit ambiguus, atque adeò collationis cum clariore indigus? Ad Lutheri videlicet tribunal arbitrium hoc deferendum erit: sed quid si alii non acquiescant, ex quorum numero primus Carolstadius? Quid si locum illum, *Hoc est corpus meum*: pertendant esse obscurum, non obstante, quòd Lutherus secus judicat? Deinde an non ipsi Lutherani hunc locum: *Hoc est corpus meum;* cum aliis conferunt, & ex collatione suum illud de *consubstantiatione* seu *impanatione* figmentum extundunt?

F

G Concludam hoc caput cum Origene; cujus sunt ista: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igni probatum terræ purgatum septuplum. Si ergo malè doceo, pecunia mea reproba est, secundùm illos, quibus dictum est; argentum vestrum reprobum. Si autem bene doceo, pecunia, vel argentum non est meum, sed Domini est, & probatum est. Licet ergo mihi fœnerari pecuniam Domini, meam autem propriam pecuniam non licet. quia verbum Domini prohibet humanam pecuniam fœnerari. Quæ est ergo humana, & quæ Domini pecunia? Ego puto, quòd Valentini sermo humana pecunia est, & reproba; & Marcionis, & Basilidis* (Lutheri, Calvini) *pecunia humana est, & reproba: & omnium hæreticorum sermo, non est probata pecunia; nec Dominicam integrè in se habet figuram, sed adulteram; quæ, ut dicam, extra monetam ita figurata est; quia extra Ecclesiam composita est.*

Orig. Homil. 3. in Psalm. 36.

H Hæc Origenis dicta imo animo conde, & ea, quoties vel hunc meum Misenum, vel alium Novatorem scripturas proferentem audis, in mentem revoca, ne plumbum pro auro tibi obtrudatur. Nec oblivioni dandum illud Lutheri: *Falsarii monetarum igni comburuntur: at falsarii scripturæ pro sanctissimis doctoribus coluntur & observantur.*

Luther. tom. 7. lat. Wit. in lib. de verbis cœnæ.

CA-

A

CAPUT III.

Quàm impii ſint Hæretici in ſanctos Patres, præſertim D. Hieronymum.

OStendi hoc fusè capite primo Apologiæ tertiæ; ubi etiam refutavi omnia Miſeni in antiquos ſcriptores maledicta & convicia. Sperabam, tametſi timidè; Miſenum, inverecundam ſuam frontem, mutaturum in honeſtam ac ingenuam; calumniásque priores laudibus in Patres conferendis & congerendis aboliturum. Sed vana ſpes me tenuit. Antiquum obtinet, Sycophanta & calumniator manet; & ea quidem cauſa, quia Calviniſta manet. Quomodo autem Calviniſta cum Calviniſtis ſuam vocem in proſcindendis Patribus non conjungeret? Quomodo cum Miniſtris Gallicanis D. Hieronymum non appellaret: *Hominem inconſtantem, furioſum, rabidum, mente captum, ſibique repugnantem, ſacræ ſcripturæ everſorem, cùm ſtultas, infelices, & fanaticas opiniones nititur adſerere.*

Miniſt. Gallicani in Scuto fidei Dial. 6. 7. 8. Apud Feuarden. lib. 1. Theomach. Calviniſticæ. Calvin. in cap. 19. Matth. Beza in cap. 23. Act.

Quomodo cum Calvino, & Beza non vociferaretur, quòd Hieronymus *in ſcriptis ſuis malignum, perverſúmque apertè demonſtraverit ſpiritum. Hominem eſſe obtrectatorem, maledicum, ſeditioſum, blaſphemum, Apoſtolis injurium, & impietate repletum.*

B

Melanch. in 14. cap. ad Rom. 1544. Argent. Edit.

Quin & Melanchthoni libenter aſſentitur Miſenus affirmanti Hieronymum *confirmare falſas, & ſuperſtitioſas opiniones de traditionibus humanis, vituperare conjugium, contumelioſa oratione inſectari nuptias, malè colligere detortas ſcripturæ ſententias, ethnico more coacervare convitia ſexus muliebris, & conjugii, ſcurrilia convitia jacere in Dei ordinationem, laudare ritus ſine verbo Dei inſtitutos, eſſèque multos in ſcriptis Hieronymi non exiguos lapſus.*

C

Luth. in cap. 22. & 31. Gen.

Nec gravabitur cum inſaniente Luthero clamare an bacchari? *Impia & deteſtanda vox eſt Hieronymi. (per calcatum perge patrem) Quin te Hieronyme conculcamus; unà cum Bethlehem, cucullo, & deſerto.* Item: *Hieronymi impia & Diabolica vox eſt.*

D

Feuard, loc. cit.

Et quamvis ſectarii in univerſos Eccleſiæ Patres, etiam vetuſtiſſimos, denſiſſimis criminationibus & maledictis graſſentur, ùt patet apud Feuardentium, & alios, qui ex hæreticorum infamibus chartis ingentia convitiorum in ſanctos Patres plauſtra collegerunt; & apud Lutherum in colloquiis ſympoſiacis, *titulo de patribus Eccleſiæ*; & altero ſequenti, *de Scholaſticis Theologis*; attamen in nullum fermè hoſtiliùs & furioſiùs incurrunt, quàm in S. Hieronymum, ùt in tertia Apologia copiosè monſtravimus; Hinc furioſa illa Lutheri ſententia vel potiùs amentia:

Luth. in cap. 3. ad Galat.

Ne ſequamur imaginationem S. Hieronymi; qui deceptus per Origenem, nihil prorſus intellexit in Paulo, ſed eum inſpexit, ùt civilem legiſtam, &, ſine judicio irruit in Paulum.

Hinc Beza quoque in libro ſuo *de Polygamia*, Joviniani cauſam adverſus D. Hieronymum ſtrenuiſſimè agit; ut Jovinianus, ſi ex Orco rediret ad ſuperos, meliorem patronum & advocatum minimè deſideraturus eſſet. Et quæ cauſa Bezam ad hanc defenſionem conviciis & contumeliis in D. Hieronymum quàm argumentis longè inſtructiorem excitavit, niſi ſummum illud odium, quo in D. Hieronymum, tam acrem virginitatis, cælibatus, & monaſticæ vitæ propugnatorem, inflammatus erat? Sed unde hoc odium Novatorum, & ex odio nata convitia, in ſanctos Patres? Niſi me conjectura fallit; ex traditione, quaſi hæreditaria, à majoribus accepta. Quotquot enim Hæreſiarchæ & hæretici exſtitêre, in Doctores Eccleſiæ primo ſtatim ortu ſuo impetum fecerunt. Non ero longior commemorandis aliis. Duo nobis ſuffecerint. Primus ſit Theodorus Mopſveſtenus, de quo Leontius Byzantinus. *Hic ſceleſtus in omni prava à ſe facta ſcripturarum interpretatione, labores ſanctorum doctorum, qui in eis laborârunt, nunquam irridere & illudere deſinebat.* Auctoris ſui veſtigia egregiè imitati ſunt filii & aſſeclæ; qui cùm ſanctos Patres peſſimè odiſſent, odium tamen hoc, quantum fieri poterat, tegebant, ne ſi hoc palàm præ ſe ferrent, eos, quos in ſuam naſſam pertrahere cupiebant, nimiùm ab ſe abalienarent. *Primum artificium ſimulationis dignum malitia eorum eſt*, inquit Leontius, *quòd cùm ſanctos Eccleſiæ Doctores, & à Deo datos non recipiant, ſimulant verbo, ſe neque Theodorum, neque Diodorum primos impietatis ſuæ fontes recipere.*

E

F

Leont. lib. 3. contra Neſtor. & Eutych.

G

Audi & aliam eorundem vafriciem, ac decipulam. *Quin etiam magnam Synodum, & plurimorum Epiſcoporum, Chalcedonenſem pro alio quovis invitamento ſimplicioribus proponunt, non quidem ſentientes cum ea. Neſcio enim, an ulli alii primas partes ſentiendi contra eam concedant: gravem tamen perſonam ejus in ſuo actu ſibi per ſimulationem imponentes, latent in ipſis negotii ſuſcepti initiis. Cùm verò ſemel ſuaſerint Synodum recipere, aut nacti ſunt aliquem, qui recipiat, percunctantur, quemnam ex patribus ſolitus ſit, & placeat tractare & exercere: deinde, ſi fortè reſpondeat, quem percunctati ſunt, aut magnum oculum eccleſiæ Joannem, aut duo magna lumina, duos, inquam, illos Cappadociæ, aut clariſſimum lucifeRum Athanaſium; illi continuò mutant quidem perſonam; non enim patiuntur ne nominari quidem ſolùm; ne tamen in ipſo primo congreſſu deterreant, quem illaqueare volunt, atque ita avolet; boni, inquiunt, ſunt iſti Patres, non tamen meliores, quàm noſtrates. Si verò roget nomina; lege priùs, inquiunt; & tunc cognoſces, quales, & quanti ſint, quorum miſer, inquiunt, ne nomina quidem adhuc didiciſti.*

H

Hæc

Hæc de Theodoro Mopſveſteno, ejúsque diſcipulis Leontius, quæ in noſtros novatores examuſſim quadrant.

A Alter Patrum contemptor eſto Petrus Abailardus, de quo hæc S. Bernardus. *Myſterium noſtræ redemptionis temerarius ſcrutator majeſtatis aggrediens, in ipſo ſtatim ſuæ diſputationis exordio, eccleſiaſticorum Doctorum unam omnium de hac re dicit eſſe ſententiam; & ipſam ponit, ac ſpernit, & gloriatur ſe habere meliorem: non veritus, contra præceptum ſapientis transgredi terminos antiquos, quos poſuerunt Patres noſtri. Sciendum eſt, ait, quòd omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conveniunt, quòd diabolus dominium, & poteſtatem habebat ſuper hominem, & jure eum poſſidebat; ideo ſcilicet, quòd homo ex libertate arbitrii, quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Ajunt namque, quòd ſi quis aliquem vicerit, victus jure victoris ſervus conſtituitur,* &c.

S. Bern. Epiſt. 190.

B *Sed, ùt nobis videtur, ait, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, niſi fortè, Deo permittente, ùt carcerarius: nec filius Dei, ut hominem liberaret, carnem aſſumpſit. Quid in his verbis intolerabilius judicem, blaſphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non juſtiùs os loquens talia fuſtibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nónne omnium meritò in ſe provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, ſic: ſed non ego ſic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid ſubtilius invenis? Quid ſecretius revelatum jactas, quod præterierit ſanctos, effugerit ſapientes?* &c.

C Altera cauſa eſt, cur Hæretici ſanctos Patres & antiquos Eccleſiæ Doctores repudient, criminentur & contumeliis onerent, quia clariſſimè vident, eos ſuis dogmatibus adverſari. Quocirca in id unum incumbunt, ut illis auctoritatem & exiſtimationem debitam detrahant; ſéque ſupra omnes efferant. Fecit hoc præ cæteris audaciſſimè hoc noſtro ævo Lutherus: qui in aſſertione Articulorum ſuorum, primis propemodum verbis ſic tonat, & boat. *Primùm ſcire, conteſtatósque eſſe volo, me prorſus nullius, quantumlibet ſancti, patris auctoritate cogi velle; niſi quatenus judicio divinæ ſcripturæ fuerit probatus.*

D At quis judicabit, num Pater hic aut ille *judicio divinæ ſcripturæ ſit probatus?* Lutherus videlicet; quidquid enim, qualiscunque tandem Pater dicat, aut ſcribat, id divinæ ſcripturæ non concinet, niſi Lutheri placitis conſonet. Nam ſi diſſonet, è veſtigio clamabit Lutherus, id, quod hic vel ille Pater tradit, ſacris literis diſſentaneum eſſe. Nam quid illis ſit conforme vel difforme, non aliâ metitur regulâ, quàm proprii capitis phantaſiâ. *Hoc*, inquit Lutherus, *ſcio* (Papiſtas) *vehementer ægrè laturos: Sentient enim hac ratione ſeſe ad primum ſtatim congreſſum ruituros, ut, qui conſcii ſibi ſunt, ſtudia ſua, contemptis ſacris literis, ſolùm in autoribus humanis eſſe detrita.*

Longè verius eſt Lutherum ſenſiſſe, & E omnes ſectarios etiamnum ſentire, ſe & ſua paradoxa, ſtare non poſſe, ſi ſanctorum Patrum ſtet auctoritas. Stare autem poſſè, ſi hanc convellere & labefactare tentent; quia cùm ſcriptura tenebris involuta ſit, multísque locis dubia, facilè in ea reperit Novator aut latendi latebram; aut, ſi quando urgeatur, elabendi rimam, quandoquidem ſuſque deque habet, quid majores noſtri docuerint, & quomodo hunc illúmve ſcripturæ locum explanârint, hoc enim ſemel effracto repagulo, licentia liberum campum adipiſcitur, & quod proprii cerebri commentum eſt, ſcripturæ genuinum eſſe ſenſum, ùt intrepidè, ita & ſceleratè affirmat.

F Ait Lutherus, *in Canonibus pontificum doceri, non eſſe ſcripturas ſanctas proprio ſpiritu interpretandas.* Non tantùm ſacri Canones; ſed & ipſe B. Petrus, Apoſtolorùm Princeps, 2. Pet. 1. hoc docet; cùm enim ſacra Scriptura humano ſpiritu non ſit conſcripta; ſed divino, eodem etiam ſpiritu explicetur, oportet; cùm Spiritus humanus minimè ſit Sancti Spiritus ſatis idoneus Interpres. Subdit Lutherus. *Hujus verbi perverſiſſimâ intelligentiâ eò proceſſerunt, ut ſcripturas non niſi proprio ſpiritu interpretarentur ipſi, contra ſuam, ipſorúmve ſententiam.*

G Sed mentitur Lutherus; quia omnes Eccleſiæ Catholicæ Doctores, quà tales, Scripturam non alio ſpiritu interpretantur, quàm ſpiritu Eccleſiæ; Spiritus autem Eccleſiæ non eſt humanus Spiritus, ſed divinus; ille nimirum paracletus toties à Chriſto diſcipulis ſub extremum vitæ tempus promiſſus. Et quod Lutherus mendaciter de Catholicis aſſerit; hoc veraciſſimè de ſe ſuísque affirmare poſſet. Hoc ipſo enim, quòd à Spiritu ſanctorum Patrum in ſcripturarum interpretatione diſcedunt, à Spiritu ſancto diſcedunt; humanúmque ſpiritum ducem ac præceptorem ſibi deligunt, licèt dies noctésque divinum Spiritum jactitent ac ingeminent. *Nam hinc ſepoſitis ſacris Literis* (utar enim verbis Lutheri contra Lutherum & Lutheranos) *ſolis commentariis* (vel potiùs commentis) *hominum immerſi ſunt; non quid ſacræ literæ, ſed quid* malè feriati cerebri phantaſmata *in ſacris literis ſentirent, quærentes.*

H Objicit Lutherus: *Si nulli licet ſacras literas ſuo ſpiritu interpretari: cur ergo non obſervant, nec Auguſtino, nec ulli alii Patrum, idem licuiſſe?*

Et quis dicit, D. Auguſtinum vel quemcunque alium Orthodoxum Patrem ſacras literas ſuo ſpiritu expoſuiſſe? Nemo id aſſerit; niſi qui, quid dicat, non intelligit. Nam Doctores Eccleſiæ, quà tales, non explicant Scripturam, niſi acti motíque illo

A ſpiritu, qui totum Eccleſiæ corpus vegetat & animat. *At Auguſtinus homo fuit.* Quis neſcit? Memineris tamen ſimul fuiſſe Doctorem Eccleſiæ; unum ſcilicet ex illis, quos poſuit Deus in Eccleſia, ne *circumferamur omni vento doctrinæ*, ſemper fluctuantes & inſtabiles; qui non ſuo, ſed communi Eccleſiæ, majorúmque ſuorum ſpiritu ductus ſcripturas ſibi cenſuit explanandas. Hinc adverſus Julianum Pelagianiſtam palàm clamavit: *Quod* (ſancti Patres) *credunt, credo. Quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant, prædico.*

Ephes. 4.

S. Auguſt. lib. 1, cap. 11.

Quid amplius Luthere? *Qui ſcripturas ſanctas ſecundùm Auguſtinum, & non Auguſtinum potiùs ſecundùm Scripturas ſanctas intelligit, ſine dubio, ſecundùm hominem, & ſpiritum proprium intelligit.*

B Tu quidem hoc affirmas, ſed ubi affirmationis probatio? Cùm enim D. Auguſtinus in Scripturis interpretandis ſecutus ſit Catholicæ & univerſalis Eccleſiæ ſpiritum in iis, quæ ad dogmata fidei & morum attinent, ſuum utique proprium ſpiritum non eſt ſecutus. Quocirca, qui ſcripturas *ſecundùm Auguſtinum* intelligit, is eas minimè ſecundùm proprium aut humanum ſpiritum intelligit; quia ſpiritus, quo Auguſtinus ex Eccleſiaſtici Doctoris functione & munere ſcripturas explicavit, in iis præſertim, quæ ad quæſtiones fidei & morum ſpectant, non fuit proprius & humanus, ſed totius Eccleſiæ communis & divinus; non enim humanum, ſed divinum ſpiritum accepit Eccleſia ex promiſſo Chriſti. Quocirca rectè facit, qui & ſcripturas ſecundùm Auguſtinum, & ipſum Auguſtinum ſecundùm ſcripturas intelligit; quia amicè conſpirant, &, ùt ille loquitur, *uniter apti ſunt.*

C *Si*, inquit Lutherus, *ſcripturas non licebit ſecundùm proprium ſpiritum intelligere, multò minùs licebit Auguſtinum ſecundùm proprium ſpiritum intelligere. Quis enim nos certos faciet, an rectè Auguſtinum intelligas?*

D Libenter damus, neque Auguſtinum, quatenus eſt Doctor Eccleſiæ, ſecundùm proprium unjuſcujusque ſpiritum intelligi debere; cùm enim ex proprio ſpiritu ſcripturas non expoſuerit, utique expoſitio illius alio ſpiritu intelligi non debet, quàm quo ſcripta eſt, nempe ſpiritu Eccleſiæ. Hinc cùm ùt in ſcripturis, ita & in lectione Auguſtini aliorúmque Patrum ſectarii ſequantur ſuum privatum ſpiritum; fit, ut ſicut in ſcripturis, ita & in legendis, intelligendis, citandísque Patribus toto cœlo à veritatis ſcopo aberrent. Et num Auguſtinum rectè intelligamus, certos facit nos Eccleſiaſticæ traditionis regula, & communis Catholicæ Eccleſiæ conſenſio, cum qua ſi concordet, quod Auguſtinus ſcribit, jam certi ſumus, Auguſtinum à vero non receſſiſſe. Quòd ſi quis tam rudis eſt, qui E ne communem quidem Eccleſiæ ſenſum & conſenſum exploratum habeat; habet Doctores ſemper in Eccleſia præſentes ac viventes, qui inſtruant, & veritatem pandant. Habet Doctorem Doctorum, ſummum controverſiarum Judicem, à quo omnis ſcrupulus eximatur, abſque ullo erroris periculo. Nam ùt iſte eſt infallibilis Interpres ſcripturæ; ſic & infallibilis interpres eſt ſanctorum Patrum, ſi quando quæſtio de ſententia alicujus Patris enaſcatur. Accedit, quòd ſancti Patres in plerisque fidei dogmatibus non tam obſcurè & ambiguè mentem ſuam expreſſerunt, quin à perito ejus linguæ, qua Patres locuti ſunt, intelligi queant. Hinc vana & futilis eſt illa Lutheri ex abitione in infinitum objectio: *Dandus ergo erit alius interpres Auguſtino quoque, ne proprius ſpiritus nos fallat in illius libris. Quod ſi ita fierì oportet, dandus eſt & tertio quartus interpres, & quarto quintus, uſque in infinitum.*

F Nugæ Luthericæ. Traditionis Eccleſiaſticæ Canon & regula, vel certè ſummi Judicis auctoritas & definitio nos certos reddere poteſt, Auguſtinum vel alium quemcunque Patrem, in hac vel illa quæſtione attigiſſe verum. Et ut exemplo rem illuſtrem; malè ſenſiſſe ſcriptores illos antiquos, qui poſt communem omnium reſurrectionem mille annos his terrarum in oris, in omni jucunditatis genere tranſigendos introduxerunt; benè autem ſenſiſſe illos, qui hunc millenarium, tanquam fabulam, repudiârunt, docet nos univerſalis Eccleſiæ auctoritas & traditio; quæ hanc chiliadem nunquam agnovit. Eadem ratione intelligimus Auguſtinum rectè ſenſiſſe, cùm negavit hæreticos rebaptizandos eſſe. Errâſſe autem S. Cyprianum, qui contrarium docuit.

G *Error manifeſtus eſt*, inquit Lutherus, *hoc verbo, non licet ſcripturas proprio ſpiritu intelligere, nobis mandari, ut ſepoſitis ſacris literis intendamus, & credamus hominum commentariis.* Et quis unquam vel ſomniavit, ſeponendas eſſe ſcripturas, & ſolis hominum commentariis credendum? An non omnes clamant ſcripturas eſſe legendas? Non de lectione, ſed de intellectione ſermo eſt. Legi debent: ſed non intelligi, niſi ex traditione Eccleſiaſtici Canonis, ſanctorúmque Patrum præſcripto. Si quis diceret, Virgilium non eſſe explicandum & enarrandum H ex proprii ingenii commentis, ſed ex Servii aliorúmque veterum Grammaticorum commentariis; an is moneret, Virgilium in angulum abdendum, ſolósque Servii & cæterorum commentarios evolvendos eſſe? Eadem eſt ratio in propoſito. Neque enim à ſcripturæ lectione abſtinendum docemus; cùm dicimus, ſcripturas non proprio, ſed ſanctorum Patrum & Eccleſiæ ſpiritu intelligi

ligi debere: quin potiùs ad scripturæ lectionem hortamur; cùm intellectionem necessariò præcedat lectio.

A Ait Lutherus, scripturas *non nisi eo spiritu intelligendas esse, quo scriptæ sunt.* (Quis abnuit?) *& hunc spiritum nusquam præsentiùs & vivaciùs, quàm in ipsis sacris suis, quas scripsit, literis inveniri posse.* At ut hoc ita sit; clariùs tamen & dilucidiùs emicat in Ecclesiasticæ traditionis regula; & in sacrorum Patrum interpretationibus; quos Patres Deus eo fine nobis dedit, ut Spiritum sanctum, scripturarum quasi involucris tectum, nobis pandant, & arcana Spiritus sanB cti mysteria revelent. Absque quorum præsidio, qui Spiritum sanctum in scripturis rimatur & quærit; is non æthereum illum; sed suum, eúmque planè vanum & mendacem reperit. Testes Lutherus, Calvinus; alii, qui putant se legere & intelligere scripturas eo spiritu, quo scriptæ sunt. Sed cùm Lutheranus & Calvinianus spiritus sibi mutuò adversentur, séque invicem damnent, & mille conviciis proscindant, ídque, quod jam probant, mox improbent; fieri nequit, ut Novatores isti, scripturas, eo spiritu quo scriptæ sunt, legant & C intelligant. Etiam in legibus civilibus, in Galeno, Aristotele, Platone, præsentiùs & vivaciùs adest spiritus, quo libri illi conscripti sunt; quàm alibi, sed in actu quasi primo; non secundo; clariùs enim repræsentatur nobis in Interpretum commentariis; si, ùt pono, commentariorum nomine digni sunt. Idem & hîc cogita; præsertim, cùm Interpretes sacræ scripturæ eo privilegio cælitus donati sint, ut in iis, quæ ad fidei & morum dogmata pertinent, universi pariter à veritatis linea excidere, & à mente Spiritus sancti abscedere non possint.

D Pergamus. Jubet Lutherus, *ut, si scripturas intelligere velimus, omnium hominum scripta seponamus; útque judicium suum quisque formet, non modò super omnia gentium, sed & sanctorum patrum scripta.* Hoc est, ut, quisquis ad lectionem scripturæ accedit; se magistrum magistrorum, & Doctorem Doctorum constituat, judiciúmque suum judicio omnium Patrum & Interpretum anteponat; hócque fundamento jacto scripturas scrutari, & inter se comparare; phrasínque & omnia adjuncta expendere, hoc est, (uno enim verbo dicam) delirare & insanire incipiat. Si in aliis disciplinis stultissimum jure habetur, si quis nullum Interpretem consulat; si se omnibus ejus artis peritis anteferat; an non longè stolidius hoc erit in sacrarum literarum campo? Quis non censeret fatuum, qui ad lectionem legum civilium, Galeni, Hippocratis, Aristotelis, Platonis & similium animum adjiceret, sepositis omnium commentatorum commentariis; neque hoc tantùm, sed & suo judicio supra omnes evecto? Si hujusmodi factum in his artibus & disciplinis profanis plenissimum est absurditatis; quantò magis absonum erit in illa scientia, quæ cœlo delapsa omnem humanam intelligentiam longissimè excellit atque excedit?

Objicit Lutherus. *In primitiva Ecclesia non legerunt Christiani Augustinum aut Thomam; quid ergo nunc opus illis?* Respondeo, etiam primitivam Ecclesiam habuisse Doctores, quorum dicta & monita, tanquam oracula, sequeretur & amplecteretur, etiamsi non habuerit D. Augustinum, aut D. Thomam: nam in primitiva Ecclesia scripsit Apostolus ad Ephesios, *Deum quosdam dedisse Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, &c.* Ut igitur non refert, quòd prima Ecclesia non habuit pastores, quos habuit Ecclesia, quæ ætate D. Augustini, aut D. Thomæ exstitit; ita non refert, quòd non habuit doctores, quos habuit illa posterior; quia habuit illos, quos idem agebat & movebat Spiritus, qui egit & movit Ecclesiæ posterioris pastores & doctores. Et primæ quidem Ecclesiæ doctores plerunque viva voce fideles docebant, instruebant, eísque sacrarum litterarum abdita referabant; Mox tamen doctrinam & interpretationes suas in litteras referre cœperunt, ut non tantùm præsentibus, sed & posteris usui & emolumento forent. Ut hac in parte posteriorum temporum Ecclesia quodammodo fortunatior existimari queat, cùm non tantùm habeat doctores, qui veritatem semper viva voce patefaciant, sed & alios innumeros, qui doctrinam suam litterarum monumentis consignatam ad posE tera secula transmiserunt. A quibus, qui veram scripturarum intelligentiam non petit, hic fungus est, non homo. *Quis mediocriter sanus non facilè intelligat*, inquit S. Augustinus, *Scripturarum expositionem ab his petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur: fierique posse, imò id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eò laudanda videantur elatiùs quò abjectiùs aspernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulciùs, quò clausa difficiliùs aperiebantur?*

Ephes. 4.

S. August. lib. 1. de mor. Eccles. cap. 1.

Quo judice finietur quæstio, inquit Lutherus, *si Patrum dicta sibi pugnaverint?* Facilis responsio. Eo judice finietur quæstio, si quæ de sententia Patrum exsistat, quo quæstiones de Scripturæ sensu exortæ terminari solent. Scin quis ille? sed ais; *Quis dedit Papæ hanc potestatem?* Quid quæris? Ille, qui dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Ille, qui dixit: *Pasce oves meas.* Ait Lutherus: *Scriptura est certissima* (in se; nobis certissima fit, si certitudinem ejus per Ecclesiæ traditionem sanctorúmque Patrum commentarios, tanquam per canales, ad nos derivemus) *Scriptura est facillima, apertissima;*

A (cui ergo rei tot támque immanes hæreticorum inſcripturam commentariorum, ut ſic dicam, moles, vel potiùs montes: quibus vehendis aliquot centena boum plauſtra non ſufficiant?) *Scriptura eſt ſuì ipſius Interpres.* (Quid ergo opus tot tuis Luthere commentariis in Scripturam? Quid opus tot Calvini, Buceri, Muſculi, Bullingeri, Brentii & ſimilium inſanis librorum in ſcripturam ſubſtructionibus? An non meritò ſtultitiæ damnaretur, ſi quis ejus Interpres eſſe vellet, qui ſui ipſius clariſſimus & apertiſſimus interpres eſſet?) *Scriptura eſt omnium omnia probans, judicans & illuminans.*

B (Non imus inficias; judicat & illuminat; ſed per ſuos interpretes & Judices: ſicut leges civiles judicant & illuminant; ſed per conſtitutos judices atque Interpretes, quorum eſt ſententiam legum explanare, & unicuique ſuum ex præſcripto legum tribuere. Hinc etiam B. David ait; *Declaratio ſermonum tuorum illuminat;* ubi manifeſtè indicat, verbum Dei illuminare quidem; ſed legitimè declaratum, quæ declaratio ab aliis quærenda non eſt, quàm à ſanctis Patribus, & Eccleſiaſticæ traditionis regula. Neque ignoramus, principium verborum Dei eſſe veritatem; interim nec illud nos fugit, hanc veritatem tum demum certò nobis innoteſcere, quando per unanimem ſanctorum Patrum conſenſionem, pérque Eccleſiæ expoſitionem nobis proponitur.

C Adjungit Lutherus: *Hoc verum eſt, ſuperbis, & impiis Scripturam ſanctam ſemper eſſe majoris cæcitatis occaſionem; ſed quæ hominum ſcripta ſuperbis etiam non ſunt occaſio majorum tenebrarum? aut, quæ res, quamlibet optima, ſuperbis, & immundis non coopetatur in malum? Hos fieri in ſcripturis hæreticos nihil mirum; verùm eoſdem in humanis ſcriptis plus etiam quàm beſtias fieri, nihil novum.* His verbis ſe ſuúmque gregem graphicè depingit Lutherus, quibus arrogantia faſtúque animi ſupra omnem modum tumentibus ac turgentibus, non modò Prophetarum & Apoſtolorum, ſed & Patrum ſcripta fuêre in ruinam casúmque irreparabilem, ita ut ex hominibus beſtiæ quodammodo evaſerint, nihílque ſupra palatum ampliùs ſapiant.

D *Sint Chriſtianorum prima principia*, inquit Lutherus, *non niſi verba divina;* Quis poſuit præter divina, verùm non Lutheriſticè vel Calviniſticè; ſed orthodoxè & catholicè intellecta? Doctorum interpretamenta nec ſuſpicimus, nec ſuſcipimus ùt ipſa ſacræ Scripturæ verba; ſed ùt ſacræ Scripturæ certiſſima & fideliſſima exegemata: à quibus per Lutheri aliorúmve ſectariorum clamorem nunquam nos abduci ſinemus. *At Auguſtinus & alii Patres, quoties vel pugnant vel docent, ad ſacras literas, ceu prima principia veritatis recurrunt.* Non ignota canis. Recurrunt; ſed non more veſtro. Recurrunt ad ſacras litteras; ſed ſecundùm traditionem majorum intellectas & explicatas. Recurrunt, ſed ita, ut quid antegreſſi Eccleſiarum præſules, & doctores ſenſerint, diligentiſſimè inveſtigent, & ab eorum ſenſu ne latum quidem culmum diſcedant. E

Cùm D. Auguſtinus adverſùs Julianum Pelagii ſectatorem diſputaret, ad ſcripturam confugit. Sed quomodo? Num ex præſcripto Lutheri, qui monet, ut omnium Patrum Commentarios procul habeamus, & abjiciamus? Minimè verò, quia Auguſtinus non Lutheranus, ſed orthodoxus fuit. Quare in ardua illa de peccato Originis quæſtione ſcripturas aliter non protulit, quàm ex ſenſu & ſententia Patrum, quos denſo agmine Juliano oppoſuit; ut vel ad meliorem frugem revocaret errantem; vel ſaltem ex fronte ejus aliquid ruboris eliceret; animadvertentis, quot & quantis Patribus contradiceret ac repugnaret, quibus *poſt Apoſtolos*, ùt inquit S. Auguſtinus, *ſancta Eccleſia*, tanquam *plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit.* F

S. Auguſt. lib. 2. contra Julian.

Quòd autem D. Auguſtinus, & alii Patres ævo poſteriores ad ſcripturam confugerunt, *ut ſua probarent;* minimè docuerunt, *verba divina eſſe apertiora & certiora omnium hominum*, ùt loquitur Lutherus, *etiam ſuis propriis verbis;* quia non recurrerunt ad ſolam & nudam ſcripturam, ùt iſtis factitare ſolenne, ſed ad ſcripturam ſecundùm Eccleſiaſtici canonis præſcriptum, traditionémque majorum acceptam & intellectam; quo modo quis neget, ſcripturam eſſe lucernam non ſub modio, ſed ſupra candelabrum poſitam, ut luceat omnibus, qui in domo Dei ſunt? Quis item inficietur, ſcripturam, cum ſanctorum Patrum explicatione conjunctam, ad veritatis demonſtrationem efficaciſſima argumenta ſuppeditâſſe, ſive Auguſtino, ſive cuicunque alteri Patri adverſùs hæreticos decertanti? Quorum diſputationibus, tanquam ſcripturæ explicationibus, nos poſteri jam utimur, cúmque illis ſcripturas copulamus; ſicut & Patres ævo poſteriores, antecedentium diſputationibus, tanquam ſcripturæ explanationibus, uſi ſunt; cúmque illis ſcripturas copulârunt, ſicque copulatas, ceu inſuperabile telum in hoſtes vibrârunt, & etiamnum vibrant; Quo fit, ut ſcriptura ſacra; prout Auguſtini, aliorúmque Patrum, interpretationibus; & Eccleſiaſticæ traditionis regulæ ſubſtat; dilucidior & manifeſtior ſit, quàm noſtræ aſſertiones; Quare nequaquam *obſcura per obſcuriora probamus*, ùt calumniatur Lutherus, quando ad confirmationem alicujus dogmatis teſtimonia ſcripturæ adhibemus. Hinc neque D. Auguſtinus, neque G H

A que alius ex Patrum numero obſcuris clara probavit; quia probârunt ſua per ſcripturam Eccleſiaſticæ traditionis radiis collucentem: quorum probationes jam nos itidem cum ſcriptura conjunctas aſſumimus; & tanquam notiores apertiorésque, quàm ſint aſſertiones noſtræ, adverſariis opponimus.

B *Quæ eſt noſtra tam irreligioſa perverſitas*, clamat Lutherus, *ut ſacras literas non per ſe ipſas, & illarum propriùm ſpiritum, ſed per hominum gloſſas velimus diſcere, diverſo omnium Patrum exemplo, & in hac perverſitate gloriemur, ceu religioſiſſima pietate?* Non ſecundùm proprium ſpiritum ſacras literas diſcimus, cùm illas ſecundùm ſanctorum Patrum ſpiritum diſcimus: quia Spiritus ſanctorum Patrum eſt Spiritus Eccleſiæ, cujus ipſi ſunt *plantatores*, *rigatores*, *ædificatores*, *paſtores*, *nutritores*, ùt D. Auguſtinum dicentem audivimus. Spiritus autem Eccleſiæ eſt Spiritus ſanctus; cujus ductum qui ſequitur, is ab omni errandi periculo remotus eſt; mentitúrque Lutherus, cùm ait; *hoc fieri, diverſo Patrum exemplo.* Idem enim exemplum omnes orthodoxi Patres ſecuti ſunt; neque ullus unquam aliter Scripturam accepit aut expoſuit, quàm ex præſcripto Canonis Eccleſiaſtici: nam ùt D. Auguſtinus de Patribus dicit, *quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

C *Quanti errores in ſcriptis omnium Patrum inventi ſunt?* vociferatur Lutherus. Oſtende vel unum errorem in omnium Patrum ſcriptis, qui fidei morúmve dogmatibus repugnet; hoc eſt, oſtende vel unum articulum fidei, in quo univerſi Patres errârint. Manus dabimus, ſi hoc feceris. Nam quòd hic vel ille à vero abire queat, non diffitemur; tametſi, in unica pagella alicujus opuſculi à Luthero elaborati plures & graviores errores vel cæcus deprehendet, quàm in omnibus ſancti Auguſtini Tomis vel oculatiſſimus inveniat.

D *Quoties ſibi ipſis pugnant?* ait Lutherus. (Num omnes vel in una fidei quæſtione inter ſe diſſentiunt? profer, obſecro, exemplum. Et túne repugnantiæ meminiſſe audes, cùm tota vita tua nihil aliud egeris, quàm ut partim tibi, partim aliis adverſarêre?) *Quis eſt, qui non ſæpiùs Scripturas torſerit?* (Quis eſt, qui toties mentiendi libidini indulſerit ac Lutherus? Quis eſt, qui Scripturas magis torſerit, quàm Lutherus?) *Quoties Auguſtinus ſolùm diſputat, nihil definit?* (Verùm iis in quæſtionibus, de quibus in utramque partem liberum judicium cuivis permittitur; vel certè D. Auguſtini tempore permittebatur, quippe necdum *plenarii Concilii* auctoritate definitis. Et quis præter Lutherum, quem & in agendo & in ſcribendo præceps furor tranſverſum rapiebat, cautelam & circumſpectionem in aſſerendo Patribus vitio vertit?)

Hieronymus in Commentariis ferè nihil aſſerit. E (At tu ferè nihil aliud facis, quàm mentiri. Legantur D. Hieronymi Commentarii, & ipſa experientia cognoſcetur; quàm Lutherus veri nullam penitus curam gerat.) *Qua ſecuritate poſſumus alicui niti, quem conſtiterit ſæpiùs errâſſe, ſibi & aliis pugnâſſe, Scripturis vim feciſſe, nihil aſſeruiſſe?* (Totidem verbis, & quidem rectiſſimè dicam, qua ſecuritate poſſunt Lutherani niti Luthero, ùt & Calviniani Calvino, quem conſtat ſæpiſſimè & graviſſimè errâſſe, ſibi & aliis perpetuò repugnâſſe, Scripturis vim & violentas manus intuliſſe, modò hoc, modò illud aſſeruiſſe, jámque calidum, & mox frigi- F dum ex eodem ore efflâſſe. Deinde nos in dogmatibus fidei & morum nitimur verbo Dei divinitus nobis patefacto, Patribus autem, ùt hujus verbi fideliſſimis Interpretibus; Patribus, inquam, non hoc vel illo præcisè, ſed pluribus vel pleríſque in eundem ſenſum concorditer conſpirantibus. Quanquam quis præter illos, quibus ſtultitia mentem eripuit, non malit Auguſtino vel Hieronymo niti, quàm Luthero, aut Calvino?

Occlamant Lutherani, *ſe non Luthero, ſed* G *verbo Dei niti*: Audio, ſed non credo, cauſas non credendi alibi expoſui; quas hîc repetere nil attinet. *Nemo mihi opponat*, ſic edicit Lutherus, *Papæ aut ſancti cujuſvis auctoritatem, niſi ſcripturis munitam.* Satis *baſilicè* ac pro imperio. Quis verò aut Papæ, aut ullius doctoris auctoritatem, niſi ſcripturis munitam, producit? An non Papæ auctoritas ſatis munitur illis? *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Et, *Tibi dabo claves regni cœlorum, &c.* *Paſce oves meas; Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, &c.* An ſanctorum Patrum auctoritas non ſatis munita eſt cùm alibi, tum ad Epheſios cap. 4. Sed, judicio Lutheri, nec Papæ, nec ullius Sancti auctoritas ſcripturis ſatis eſt munita. Scilicet nihil ſatis erit, niſi quod, judicio Lutheri, Papæ Patrúmque hoſtis, ſatis erit.

Matth. 16. Joan. 21. Luc. 22.

Nemo vociferetur, ita imperat Lutherus, H *me unum velle omnibus doctiorem videri, & ſcripturas proprio ſpiritu intelligere.* Si nolebas omnibus doctior, ſacræque ſcripturæ peritior videri, cur omnes tanto ſupercilio aſpernatus es? Cur mille Auguſtini, milléque Cypriani ſupercilio tuo nihil & nauci erant? Cur gregales tui, nominatim Aurifaber, ſcribere non veretur, *Germaniam nunquam de verbo Dei percepiſſe, quantum quinti tui Evangelii miniſterio perceperit?* Cur Ambſtorphius palàm non erubuit profiteri, *ab ævo Apoſtolico doctorem tibi ſimilem nunquam extitiſſe?* Cur Spanenbergerus verboſiſſimis & inſulſiſſimis concionibus te, *cum Helia, & Paulo comparat?* cur Apoſtolum, Evangeliſtam, &, quod dictu ridiculum,

Aurif. præfat. in primum tom. Novorum operum Lutheri, ad Com. Manſfeld. Amſtorph. præfat. in tom. Jenenſ.

A Martyrem plenis buccis prædicat? ſi eodem, quo priſci Patres, ſpiritu, ſcripturas explanare cogitabas, cur ante omnia operam dediſti, ut Patrum auctoritatem deprimeres? Locus D. Auguſtini loquitur de hoc vel illo Patre, ſigillatim ſpectato, quorum nullus parem cum ſcriptura auctoritatem obtinet, ùt alibi fuſiùs explicatum.

B Quod ais; *Auguſtinum, omnes ad unum tractatores contemnere, quatenus ſcripturis & rationibus non perſuadent*; id non immeritò mendaciis annumerare poſſem, quandoquidem D. Auguſtinus non utitur *contemnendi* voce, ſed dicit, ſe, quoslibet doctores ita legere, ut non ideo verum credat, quia ipſi ſic ſenſerunt, ſed ſi id, quod aſſerunt, *vel per Canonicas Scripturas, vel per probabilem rationem probent:* ubi loquitur de ſingulis ſigillatim ſpectatis, non de omnibus vel potioribus collectivè, quorum unanimem conſenſum pro oraculo habendam, minimè profectò ignoravit, ùt cùm aliunde, tum ex libris contra Julianum liquet. Utinam tu tam reverens Patrum, & dogmatum ab iisdem traditorum tam retinens fuiſſes, quàm S. Auguſtinus, nunquam in hanc errorum voraginem præceps corruiſſes. Quid verò tuam cauſam adductus à te D. Hilarius juvat? Quid enim ille?

C *Optimus interpres hic eſt, qui ſenſum è Scriptura potiùs retulerit, quàm attulerit, nec cogitat, hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præſumpſerit. Ecce, hic inſignis autor vult, è Scripturis referri, non auferri in Scripturas intelligentiam.* Omninò hoc vult D. Hilarius, & ùt tales Interpretes ſanctos Patres fuiſſe non ambigimus, ita te, tuósque aſſeclas tales Scripturæ expoſitores non fuiſſe, nulla penitus dubitatione tenemur. Nam quòd tu D. Hilarium ita accipis, quaſi juſſerit, ut nulla Patrum habita ratione, quivis per ſe Scripturas ſcrutetur, verúmque ſenſum inde eruat; ſatis dilucidè demonſtras, qualis & Scripturæ, & Patrum Interpres ſis, qui eos id ſentire credis, quod tu in capite geris, & ad lectionem Scripturæ Patrúmque adducis. Nihil enim minùs voluit D. Hilarius, quàm Lutheranam licentiam in ſcripturis interpretandis aut probare, aut ſtabilire; quippe cui non ignotum fuerit, quanta Eccleſiaſticæ traditionis, doctorúmque, quos Deus gregi ſuo dedit, neceſſitas & auctoritas eſſet.

D. Hilar. lib. 1. de Trinit.

D Nunc tandem apponit nobis Lutherus contra Patres vulgares illas offas, omniúmque Prædicantium ore protrita *pulpamenta.*

1. Theſſ. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete; ergo ſola Scriptura ſine Patrum explicationibus legenda eſt.* Pulchra conſequentia; quia Lutherana. *II. Si quis aliud Evangelizaverit, præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Scilicet Patres aliud, quàm quod traditum eſt, nobis annunciant. *III. Probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt: ergo cuivis liberum eſt ſcripta Patrum ad trutinam revocare; & quidquid non arriſerit, liberè repudiare. IV. Bereenſes ſcrutabantur Scripturas; ergo non eſt opus Patrum commentariis.* Ingeniosè. *V. Paulus omnia ſua probat per vetus teſtamentum; non per Patrum dicta; ergo & nos Patribus multam ſalutem dicere debemus; & Lutherano more ſolis Scripturis Lutherice explicatis contenti eſſe. VI. Petrus & omnes Apoſtoli Act. 15. per Scripturas ſua demonſtrant; non per Patres; quid ergo nobis negotii cum Patrum lucubrationibus? VII. Cæleſtis Pater dixit de filio ſuo: Hunc audite. Ergo Patres & Doctores Eccleſiæ non ſunt audiendi.* Otioſi igitur in Eccleſia & ſupervacanei erunt. *VIII.* Chriſtus non dixit; *Scrutamini Patres*, ſed, *ſcrutamini Scripturas. Mira eſt ergo noſtra perverſitas*, inquit Lutherus; *quòd aliis teſtimoniis, quàm Scripturæ noſtra velimus probare.* Hæc non eſt perverſitas, niſi judicio perverſorum; quia eo conſilio doctores Chriſtiano gregi à Deo dati ſunt, ut eorum auctoritate & teſtimoniis in negotio ſalutis & fidei niteremur, ne omni vento doctrinæ circumagitaremur. Itaque meritiſſimò aſſertionibus orthodoxis confirmandis teſtimonia Patrum adhibemus, & ipſa etiam Scripturæ loca, quæ proferimus, non aliter, quàm ex communi Patrum ſenſu proferimus ac interpretamur: Neque hoc eſt *gladium ſpiritus objecta carne brachii noſtri tueri*, ùt calumniatur Lutherus; quia quæ Doctores Eccleſiæ tradunt, ea non ex carne, ſed ex ſpiritu hauriunt. Quocirca qui teſtimonia Doctorum uſurpat; vel illis convenienter Scripturas explicat; is non carne, ſed ſpiritu nititur ac movetur. Nec ideo *humanis divina formamus & elucidamus;* nam ſpiritus Patrum, quo afflati & inſtincti Scripturarum interpretationem ſuſceperunt, non eſt humanus; ſed divinus, quia non eſt alius, quàm univerſalis Eccleſiæ ſpiritus, qui utique non eſt humanus, ſed divinus.

1. Joan. 4.

Actor. 17.

E

F

G

H Sed vide vafritiem Lutheri. Poſtquam Patres extremè contempſerat, negat, ſe id feciſſe, quod toto conatu fecerat. *Non tamen*, inquit, *per hæc ſanctis Patribus volo detractam auctoritatem, & ingratitudinem pro ſanctis eorum laboribus repenſam; ſed libertatem ſpiritus, & majeſtatem verbi Dei illis præpoſitam.* Perinde ac ſi quis impacto alteri uno vel altero colapho, eóque perquam valido, diceret, ſe nolle per hæc colaphum infringere. Aut ſi quis alterum conviciis inceſſens, furem vel nebulonem appellaret, & poſtea ſanctè juraret, ſe nolle per hæc quidquam de honore illius detractum. Hic ſcilicet mos erat Luthero, ut mundo & oculos eruere & mentem eripere tentaret, ne eum videret & exiſtimaret agere, quod totis viribus agebat. Quæ verò

A verò illa *libertas ſpiritus*, quam Lutherus jactat? Non alia opinor, quàm Patribus liberè & effrenatè maledicere; cujus libertatis aliquot ſpecimina initio hujus capitis, ùt & in exordio tertiæ Apologiæ, attulimus. *Sint*, inquit Lutherus, *ſancti viri & Eccleſiarum Patres*, *ſed homines* (quis negavit eſſe homines?) *& Apoſtolis atque Prophetis impares*, (Quis æquavit?) *& horum auctoritati non prælati* (quis prætulit?) *nec æquati* (iterum quæro, quis æquavit?) *ſed ſubjecti.* (Aſt ùt interpretes fidi & veraces, quos Deus in Eccleſia poſuit, ut Prophetarum & Apoſtolorum mentem nobis patefacerent.) *ut quos non ipſi erudiêrunt aut illuſtraverunt, ſed à quibus ipſi eruditi & illuſtrati ſunt.* Quis affirmat Prophetas & Apoſtolos à Patribus eruditos; non vice verſa, Patres à Prophetis & Apoſtolis? Quis affirmat, ſolos Patres legendos & evolvendos, relictis rejectísque ſacris literis? Hoc dicimus, & in eo uſque ad extremum ſpiritum perſiſtemus, ſcripturas legendas eſſe; ſed *dependenter* B à ſanctis Patribus, qui verum Scripturæ ſenſum nobis tradiderunt. Sicut igitur is, qui aſſerit, leges civiles, Galenum, Hippocratem, Ariſtotelem, Platonem legi debere; ſed *dependenter* ab Interpretibus & Commentatoribus, qui abdita auctorum illorum ſenſa in lucem extulerunt; minimè jubet, ut, relictis legibus, Galeno, Hippocrate, Ariſtotele, Platone, aliísque, ſolos commentatores evolvamus; ita is, qui mandat, ut Scripturæ lectionem cum Patrum explicationibus conjungamus, nequaquam vult, ut ſolos Patrum Commentarios excutiamus; ſed ut lectionem Scripturæ non inſtituamus, niſi aditis conſultísque Eccleſiæ Doctoribus, ne à veritatis ſemita avii deflectamus. Et Et quoties Lutherus dicit, *ſuperioribus ſæculis per Patrum commentarios in ſcripturam, homines à ſcriptura fuiſſe abductos, & etiamnum abduci;* toties agit id, quo uno nil crebriùs totius vitæ ſuæ decurſu egit; hoc eſt, mentitur. Neque ex rivulis, ſed ex fontibus bibit, qui ſacras literas non niſi ex mente ſanctorum Patrum legit ac intelligit.

C Hæc fuſiùs contra impudentiam impuri hæreſiarchæ, pro ſanctorum Patrum honore ac reverentia exequi & perſequi volui; qui ſummopere ſtuduit, ut mundum à Patrum amore & obſervantia avocaret. Quod apud ſuos obtinuit: ne autem apud plures obtineat, omni contentione enitendum eſt. Præclarè poëta. *Pro magno teſte vetuſtas creditur, acceptam parce movere fidem.*

D Quo nil verius & ſanctius pro vetuſtate Chriſtiana dici poteſt. Conabatur olim
3.Reg. 21. impius Rex Achab eripere vineam paternam Naboth Jezrahelitæ, non ſine precibus & pretio; *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem; aut, ſi commodius tibi putas, argenti pretium, quantum digna eſt.*

Eodem propemodum modo agit Diabo- E
lus per hæreſiarchas & hæreticos, ut nobis Patrum lucubrationes adimat; quæ vinea noſtra ſunt vini cor humanum lætificantis fœcundiſſima. *Da mihi*, inquit, *vineam tuam*, Relinque Patrum tuorum libros & commentarios: Et *dabo tibi vineam meliorem;* Dabo tibi verbum Domini purum, ſincerum, defœcatum, & à cunctis humanis ſordibus expurgatum: aut ſi commodius tibi putas, dabo tibi commentarios Lutheri, Melanchthonis, Calvini, Buceri, Martyris, Brentii, Pellicani, Bullingeri, Zwinglii, Oecolampadii. Quid inſidiatori huic reſpondendum? Quid, niſi iſtud? *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi.* Ita vivam, id quod à Patribus accepi, viliſſimis & abjectiſſimis mercibus tuis nunquam permutabo. Et ſi Jezabel aliqua advolet, *filiósque Belial* contra me ſubornet, vitam potiùs cum ſanguine profundam, quàm tanto ſcelere me obſtringam.

Proditum eſt ſacris literis, Patriarcham F
Jacob inter ſe & Laban ſocerum ſuum coGen. 31. acervâſſe tumulum lapidum, quem Laban vocaverit *Tumulum teſtis; Jacob* autem, *acervum teſtimonii; uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ:* de quo Jacob ad Laban; *En tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me, & te, teſtis erit: Tumulus, inquam, iſte, & lapis, ſint in teſtimonium, ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te; aut tu præterieris, malum mihi cogitans.*

Quis iſte tumulus teſtis, ſeu acervus te- G
ſtimonii inter Jacob & Laban, hoc eſt, inter Catholicos & hæreticos, niſi multitudo ſanctorum & eruditiſſimorum Patrum, quæ tanta eſt, ut in tumulum, grandémque collem, ſeu potiùs montem aſſurgat? Hæc Patrum multitudo ſemper teſtis fuit, & jam quoque eſt, & poſteris annis erit inter nos & ſectarios, ſi quando hæretici, ùt ſolent, alioqui Hæretici non eſſent, contempto hoc teſtimonii tumulo & cumulo nos lædere, doctrinámque orthodoxam evertere volent. Perpetim pro nobis adverſus fœdifragos clamat hic *tumulus teſtis* vel *acervus teſtimonii;* propterea tam inviſus & exoſus eſt Hæreticis, ut nihil aliud in votis habere videantur, quàm ut hunc te- H
ſtimonii cumulum diſſipent, nósque pariter ad ejusdem diſſipationem inſtigent. Quod ne faciamus, monet nos ipſa reverentia, qua Patres, ævo juniores, eos, qui ætate anteceſſerant, proſecuti ſunt; Ex quibus unum hîc nominabo Baſilium, ut eruditione, ſic & ſanctimonia vitæ maximum. Is in libro de Spiritu ſancto propè extremo S. Baſil. de multorum veterum Patrum teſtimoniis di- Spir. ſancto. ſputationem quandam de Spiritu ſancto cap. 29.

munit

munit ac confirmat, in quibus tantum fiduciæ ponit, ut credat, se his testibus caducia evicturum & obtenturum, licèt scripturarum auctoritate destitueretur. *Si apud tribunal*, inquit, *probationibus è scripto destituti, multos vobis testes produceremus*, nónne *sententiam absolventem à vobis conqueremur? Ego quidem arbitror: In ore siquidem duorum, ac trium testium stabit omne verbum.*

Ibid.

Matth. 18.

Quin & temporis diuturnitate sua stabiliri posse existimat. *Si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderimus, an non videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam nobis intendi? Veneranda sunt enim vetusta dogmata; quòd ob antiquitatem, ceu caniciem quandam, habeant quiddam reverendum.*

B Et mox citat Irenæum, Clementem Romanum, Dionysium Alexandrinum, Eusebium Palæstinum seu Cæsareensem: Origenem, Julium Africanum, Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum, Meletium. Adjungit quoque Mesopotamiorum, Cappadocum, & totius Occidentis ab Illyrico usque ad fines Orientis consuetudinem. Quibus subjungit. *Qui fit igitur, ut ego sim innovator, & recentiorum verborum architectus? quum totas nationes, civitates, & consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper & viros, ecclesiæ columnas, & omni scientia, ac virtute spiritus venerandos, duces, & autores hujus vocis exhibeam? Ob hæc adversus nos movetur hostilis acies, omnésque civitates, vici, & omnes extremi fines pleni sunt nos calumniantium vocibus.*

C Et post nonnulla. *Apud cordatos homines ad purgationem mei sufficiunt hæc, quæ dicta sunt, quòd recipimus vocem adeò gratam, & amicam sanctis; insuper, & tam diutino usu comprobatam; quæ, ex quo tempore, est annunciatum Evangelium usque ad præsens, demonstratur in Ecclesiis usitata fuisse, &, quod est omnium maximum, quæ pium, ac religiosum habet sensum.*

D En quantum sanctissimus Pater Basilius sanctis Patribus, Ecclesiæ Doctoribus, reverentiæ & honoris largiatur. Qui & alibi eandem plenam in Patres observantiæ significationem his verbis edidit. *Fidem nos neque recentiorem ab aliis conscriptam acceptamus: neque ipsi mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus: ne humana putentur pietatis verba: sed, quæ à sanctis patribus edocti sumus, ea rogantibus nos enuntiamus.* Qui alibi inter miserias & calamitates sui sæculi, etiam contemptumPatrum numerans, ita scribit; tametsi longè meliùs nostra, quàm sua tempora depingit. *Patrum dogmata contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur: recentiorum hominum inventa Ecclesiis inseruntur. Homines in posterum de artibus, non de Deo disserunt. Mundi sapientia, primas tenet, crucis gloriam abominans. Pastores abiguntur; lupi graves introducuntur, qui Christi gregem discerpunt. Domus oratoriæ deseruntur à cætu, solitudines refertæ sunt plorantibus. Seniores ingemiscunt, dum vetera præsentibus comparant. Juvenes miserabiliores, qui non videant, qualibes privati sint.* Hæc S. Basilius.

S. Basil. Epist. 60. ad Antioc.

S. Bas. Epist. 61.

E

Cui non absimilia fecit Theodoretus in F tribus suis Dialogis, quorum primus, *Immutabilis*, alter *Inconfusus*, tertius, *Impatibilis* inscribitur. Semper enim probationibus ex Scriptura, & aliunde, testimonia sanctorum Patrum, tanquam robora & firmamenta validissima, subjicit, non sine elogiis; ùt in tertio Dialogo: *Ostendam tibi* (loquitur cum Eutychiano, qui divinitatem post incarnationem faciebat passibilem) *sanctos patres, ea, quæ nos disseruimus, in suis scriptis sensisse. Quorum nonnulli quidem admirabilis illius conventus socii fuerunt; nonnulli autem post illos se in ecclesiis pulcherrimè, & præclarissimè gesserunt; aliqui autem à multis jam retrò seculis universum terrarum orbem illustrârunt. Sed, neque temporum diversitas, nec linguarum varietas, eorum læsit concordiam; sed similes lyræ fuerunt, quæ multas quidem, & diversas habet chordas, unam autem symphoniam, & sonorum unum concentum emittit.* Neque plurium Patrum exempla accumulabo, brevitatis gratia.

At, inquies, nil orthodoxi peculiare ha- G bent. An non & hæretici sanctos Patres citant, eorúmque doctrina doctrinam suam aliquando stabiliunt? Sed primùm, quàm modicè & jejunè? Evolve Lutheri, Calvini, Zwinglii, Buceri, & similium commentarios & libros; quàm parcè Patrum testimoniis aspersos videbis. Et jam antea audivimus, quid sectariorum coryphæus Lutherus de Patribus citandis statuerit. Deinde si quando Patres citant, citant illos eo modo, quo scripturas, perperam scilicet, perversè, truncatè. Excelluerunt in hac arte potissimùm Acephali, ùt ex Anastasii *Hodego* clarum, & ex Acephalorum grege Andreas quidam *Inclusus*, contra quem Eusebius Episcopus Thessalonicæ non unum volumen scripsit, ùt est apud Photium in Bibliotheca, qui de Eusebio, & Andrea ista. *Confirmat Eusebius suas refutationes è libris sacræ scripturæ, veteris juxtà, ac novi testamenti. Patrum item lectissimorum sententiis, Athanasii, & trium Gregoriorum, admirandorum inquam illius patratoris, & Gregorii Theologi, ac B. Nyssenì Episcopi. Basilii similiter Cæsareæ antistitis, & Joan. Chrysostomi, Cyrilli Alexandriæ, & Constantinopolitanæ sedis præsulis Procli; sanctì ad hæc Martyris Methodii, & Quadrati. Quorundam enim ex his dicta quædam Andreas avulserat, ac perverterat, simúlque malitiosè, aut imperitè interpretando, errorem suum ex illis, ùt sibi quidem persuasit, confirmârat. Verùm, ob hæc omnia, quæ modò dixi,* H

justas

A *justas Eusebio pœnas dedit; ob adulterationem, inquam, S. S. Patrum, & improbitatem, atque insciti am: quódque hæreticorum dicta quædam compilans, sanctis ea Patribus attribuere sit ausus.* Hæc Photius.

B Quòd si quis tenetur desiderio videndi exempli, quo Novatores sanctos Patres citant; is legat testimonia veterum, quæ pro *Ubiquitatis* monstro Concordiæ Lutheranæ architecti ad calcem Concordiæ attexuerunt. Nidum impostturarum, corruptelarum, depravationum, falsationúmque turpissimarum & flagitiosissimarum reperiet. Et ne Patribus à se pessima fide allegatis aliquid tribuisse videantur, subjungunt ad extremum; *suam fidem non niti patribus, sed verbo DEI.* At neque nostra Patribus nititur; sed scripturâ, non tamen à Luthero hæreticè; verùm à Patribus orthodoxè explicata: quos sacris literis non præferimus; sed Luthero, Calvino, Bezæ, & id genus aliis jure optimo anteponimus, quoties de legitimo scripturæ sensu quæstio existit.

CAPUT IV.

De perpetua Ecclesiæ Catholicæ duratione & non interrupta Pastorum & Doctorum successione.

C Molestissimum est hæreticis, & in his etiam Miseno; quando quæritur, ubinam Lutherana vel Calviniana Ecclesia fuerit immediatè ante Lutherum vel Calvinum; simúlque petitur, ut Doctorum & Pastorum suorum successionem nobis demonstrent, & non interciśam seriem, & quasi genealogiam à Luthero usque ad Apostolos pertexant. Nec immeritò hoc molestum eis accidit: Vident enim, quantumvis alioquin cæci, de se & Synagoga sua actum esse; si doctrinæ & sectæ suæ successionem ostendere debeant. Et tamen debent; si veri Doctores; non autem Novatores & seductores haberi velint. Hac enim trutina, si Lutherana vel Calviniana perfidia, ejúsque auctores & defensores expendantur, è vestigio apparet, unde prodierint; quò tendant; quemque finem spectent. D Nam si quis sciscitetur, ubi Ecclesia Lutherana fuerit paulò ante Lutherum, ùt anno Domini 1516. 1515. 1514. & aliis ordine retrogrado, usque ad annum Christi millesimum; vel usque ad ipsos Apostolos; & quis Doctor aut Pastor, quive Doctores aut Pastores, his ipsis annis eandem per omnia doctrinam publicè tradiderint, quam tradidit Lutherus aut Calvinus; hîc vox intercluśa faucibus hæreat, oportet; quia sectariis idem usuvenit, quod illis, qui ex captivitate Babylonica cum populo Dei in patriam reverterant *de Thelmala, Thelharsa, Cherub, & Adon & Emer.* Quid istis

1. Esdr. 2. 2. Esdr. 7.

evenit? Jussi edere, qui genus, & unde domo; *non potuerunt*, inquit scriptura, *indicare domum Patrum suorum, & semen suum, utrum ex Israël essent.* Quæso, num Lutherus & Calvinus, Lutherani & Calviniani indicare possunt, domum Patrum suorum; hoc est, Ecclesiam suam, & utrum sint ex Catholicorum & Orthodoxorum stirpe & origine? Si possunt; dicant igitur, ubi anno M. D. XV. fuerit Ecclesia Lutherana vel Calviniana; & quis Doctor, quive Doctores in illa Ecclesia, eadem, quoad omnia dogmata, docuerint, quæ postea docuerunt Lutherus & Lutherani, Calvinúsque & Calviniani? *Respondeo*, inquit Misenus, *Ecclesia nostra fuit publicè in Bohemia, Gallia, in multis locis Germaniæ, in Alsatia, in Pomerania, Marchia, & vicinis locis, fuit præterea in Orientis regionibus Antichristum Romanum pro capite Ecclesiæ non agnoscentibus.* Misen. fol. 191. Mirum, ni addiderit ex Comico: *In campis Gurgustidoniis, ubi Bombomachides, Cluninstaridysarchides erat imperator summus, Neptuni nepos.* F Quanta Miseni impudentia; qui, quod nusquam gentium fuit, id tamen in Bohemia, & alibi fuisse non veretur scribere. Súntne Hussitæ Lutherani aut Calviniani? Et quinam ex illis? Num Thaboritæ? Num Orebitæ? Num Picardi? Num Orphani? Num alii? In varia enim frusta concisi sunt. Quis unquam audivit Ecclesiam Hussiticam esse Lutheranam vel Calvinisticam, & Doctores Hussiticos, Lutheranos vel Calvinianos? An Misenus existimat, nemini amplius notum esse, quàm LUTHERUS in disputatione Lipsica molestè tulerit, cùm ab Eckio argueretur, quasi idem quod HUSSITICI Bohemi sentiret? G An existimat neminem superesse, qui sciat, quanta sit inter Lutheranos & Hussitas, interque eosdem & Calvinistas dogmatum diversitas & discrepantia? At Hussitæ in quibusdam cum Lutheranis & Calvinianis consentiunt, jure igitur Ecclesiam suam apud Hussitas quærunt & ostendunt. At si hoc satis est, tum hodie etiam Synagoga Anabaptistica, Swenckfeldiana, *Trinitaria* seu *Servetiana*, erit Lutherana vel Calviniana; quia Anabaptistæ, Swenckfeldiani, & Trinitarii concinunt in non paucis capitibus cum Lutheranis & Calvinianis, nominatim in contemptu summi Pontificis. Num Lutherani & Calviniani hos, tanquam veram Ecclesiam, veræque Ecclesiæ membra recipient? Cur non, si hanc viam ingredi velint, Ecclesiæ suæ continuationem, perpetuitatem, & successionem petunt & derivant à nostra; quia & nos in nonnullis cum ipsis convenimus, & ipsi nobiscum, ùt in confessione & professione sacrosanctæ Trinitatis, & in plerorúmque biblicorum voluminum receptione & approbatione?

H

A Audi Miſene, non eſt quæſtio, utrum ante Lutherum & Calvinum exſtiterint aliqua ſectariorum conventicula, quibus arriſerint nonnulla dogmata ex illis, quæ hodie vobis Lutheranis & Calvinianis arridenᵗ; non enim ignoramus, ſemper fuiſſe aliquos, qui relicta veritate ad fabulas ſe converterint; ſed eſt quæſtio, utrum & ubi anno Chriſti 1515. 1514. 1513. fuerint Eccleſia & Doctores; qui per omnia idem prorſus docuerint & tradiderint, quod nunc à Lutheranis in Confeſſione Auguſtana; aut à Zvvinglianis & Calviniſtis in Confeſſione Tigurina vel Genevenſi docetur ac traditur. Auſim dicere; à Luthero uſque ad Chriſtum natum nullum unquam exortum eſſe, cui B eadem prorſus ſententia de rebus divinis animo ſederit, quæ nunc Lutheranis & Calvinianis ſedet. Excute, oro, Miſene, Catalogum teſtium *Veritatis* an *Feritatis?* Illyricanæ. Et ſi quem, qui tibi tuísque per omnia ſuffragetur, inveneris, renuncia mihi, ut & ego tandem perfectum Calviniſtam, qui ante Calvini ortum, vitam egerit, videam, & ab errore meo liberer, ſi error eſt, exiſtimare; nullum penitus ante Lutherum & Calvinum idem per omnia ſenſiſſe, quod nunc Lutherus & Calvinus, eorúmque aſſeclæ ſentiunt. Ne ipſe quidem Wiclephus, aut Berengarius omnes articulos defenderunt, quos hodierni Novatores acriter tuentur. Nam quòd quoſdam amplexi ſunt: num ideo Calviniſtæ aut Lutheriſtæ fuêre, eorúmque Synagoga; Eccleſia Lutherana vel Calviniana? Etiam Græci Schiſmatici conſentiunt cum Calviniſtis & Lu- C theranis in repudiando Pontificis Romani primatu, & ſuper cæteras Eccleſias principatu. An ideo Eccleſia Græcorum eſt Eccleſia Lutherana aut Calviniana? An ideo Græci, Calviniſtæ & Lutherani? An ideo juſſus oſtendere Eccleſiam Calvinianam aut Lutheranam, ante infelicem Calvini & Lutheri natalem; rectè oſtendes Eccleſiam Græcorum, tanquam tuam; vel cum tua ſentientem, eadémque docentem? Et tamen facinus hoc audet Miſenus. Nimis profectò inverecundè. An credebat nulla amplius in Bibliothecis aut tabernis librariis extare exemplaria Actorum inter Confeſſioniſtas & Patriarcham Conſtantinopolitanum? Quæſo, regredere ad eorum ſeu lectionem, ſeu relectionem, & diſpice, num Græci Lutheranam & Calvinianam ſectam pro ſua Eccleſia agnoſcant; Et inde etiam liquidò perſpicies, num Græcos pro fidei, ſeu potiùs perfidiæ tuæ, conſortibus laudare & venerari debeas.

D Itaque quidquid tergiverſeris, quidquid de Germania, de Alſatia, de tractu Rheni, de Pomerania, quidquid denique de hoc vel illo cerebroſo capite, & Romanæ Sedis rituúmque Eccleſiæ Orthodoxæ criminatore & irriſore nugeris; nunquam aut tu, aut tuorum quispiam legitimam E genealogiam veſtræ Eccleſiæ veſtrorúmque parentum Lutheri & Calvini monſtrare poteritis; Semper vobis accidet, quod illis apud Eſdram. *De filiis Sacerdotum, filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Salaaditis uxorem, & vocatus eſt nomine eorum: hi, quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt, & ejecti ſunt de Sacerdotio.* 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7.

Quærant, oro, Lutherus quoque & Calvi- F nus, vel loco eorum tu aliúsve Calviniſta, aut Lutheriſta, ſcripturam genealogiæ ſuæ: Inſpiciant cenſum ſeu catalogum; & quibus *immediatis* anteceſſoribus ſucceſſerint, nos ex ipſis genealogiæ tabulis certiores faciant. Nam quòd clamant; *ſe Apoſtolis & primitivæ Eccleſiæ ſuccedere;* fruſtra ſunt. Immediati anteceſſores & parentes demonſtrentur; Nam ſi ad remotos illos & mediatos confugiendi poteſtas fiat; latebra, ex qua nullus extrahatur, patefiet. Poterant etiam *filii Habia, Filii Accos*, &c. clamitare, ſe genus ab Aarone ducere; hunc ſibi ſanguinis & ſtemmatis auctorem eſſe. Sed quo profectu? Nullo penitus. Cùm enim quærentes *ſcripturam ſuam in cenſu*, eam non inveniſſent; hoc eſt, cùm genealogiæ ſuæ ſeriem ad Aaronem uſque pertexere non poſſent, *ejecti ſunt de Sacerdotio.* Et nos G locum dabimus Luthero & Calvino, ut non modò in Sacerdotio; ſeu, ùt ipſi vocare malunt, *in presbyterio*, locum teneant; ſed & vetus & uſitatum in Eccleſia Catholica Sacerdotium immutent: imò etiam exterminent? Antiquis illis, qui ſeriem ſtirpis ſuæ probare nequibant; *dixit Atherſatha, ut non comederent de ſancto ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos doctus, atque perfectus.* Et nos ſinemus, ut iſti *ſancta ſanctorum* demoliantur, idque prætextu Evangelii & miniſterii, cùm indigni ſint, ut inter Miniſtros Eccleſiæ numerentur, quandoquidem legitimâ genealogiâ deſtituuntur; tantum abeſt, ut illis jus faſque concedi debeat veteris ſacerdotii exturbandi & abrogandi, novíque introducendi ac inſtituendi? Esd. 1. c. 2. H

Magna ſemper apud Judæos genealogiarum, vel potiùs tabulariorum, in quibus genealogiæ, familiarúmque ortus & origines conſignatæ erant, ratio habita eſt, ut conſtaret, qua quiſque domo natus eſſet; quibus parentibus, qua tribu, qua ſorte, ne quis extra ſacerdotalem ſtirpem editus, in eandem temporis progreſſione irreperet, aut aliunde in populum Dei allectus, non pro adſcititio ſeſe gereret, ſed pro primævo & nativo cive jactitaret: Hinc & Proſelytorum ad Iſraëlitas acceſſio, diligenter annotabatur, ut de iis & poſteris eorum, poſteritati quoque Iſraëliticæ omnia plana & perſpecta eſſent. Et hæc familiarum tam accurata

A rata obſervatio & ad poſteritatem tranſmiſſio, mirificè cruciavit Herodem, hominem externum & alienigenam; neque natalibus valde illuſtrem. Quapropter illos genealogiarum Indices ira & odio exſtimulatus incendere ſtatuit; ut generis ſui obſcuritatem tegeret. Audi Euſebium. *Cùm familiæ non Hebræorum ſolùm, verùm etiam eorum, qui uſque ad proſelytos genus ſuum referebant, (ut ad Achior Amanitem, & Ruth Moabitidem, & qui ex Ægypto elapſi, commiſcebantur cum Iſraëlitis) ad illud tempus ſcriptis proditæ, in tabulariis reſervarentur: Herodes, quoniam illorum ſtirpem nihil ad ſe pertinere, nihilque ad ſuam dignitatem illuſtrandam afferre adjumenti animadvertebat, ſuæ ignobilitatis, & obſcuri generis conſcientia exagitatus, Annales illos, de generum, & familiarum antiquitate incendit, arbitratus, ſe nobilem viſum iri, cùm nemo ſuum genus ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad proſelytos; vel ad eos, qui γειῶραι (id eſt terræ incolæ, qui cum Iſraëlitis permiſcebantur) vocati ſunt, omninò poſſet reducere.*

Euſeb. lib. 1. Eccleſ. hiſt. cap. 7.

B En verſutiam ſimul & malitiam improbi Tyranni. Tabulas familiarum flammis perdere aggreditur, ne, unde natus fuerit, reſciſcatur. Illuſtre profectò moris, qui apud Hæreticos viget, ſpeculum nobis Herodes exhibet. Quod pretium non expenderent, quas impenſas non ſuſciperent Novatores noſtri, ſi quo modo conſequi poſſent, ut omnia tabularia, quibus doctrinæ Catholicæ Romanorum Pontificum, & Doctorum paſtorúmque Eccleſiæ orthodoxæ
C ſucceſſio & nuſquam interciſa ſeries comprehenditur, exurerentur? Sed ſi hoc aggrederentur, idem efficerent, quod Herodes, de quo hæc Euſebius: *Erant nonnulli antiquitatis replicandæ ſtudioſi, qui nomina avitæ ſtirpis vel tenentes memoria, vel ex ſcriptis annalibus promentes, privatim ſibi indices eorum conficiebant: magnoperéque propterea gloriabantur, quòd ipſorum nobilitas ita foret ad poſteritatem reſervata. Inter quos erant hi, tum qui propter generis cognationem, qua Chriſto ſervatori conjungebantur, δεσπόσυνοι, hoc eſt, ex Domini tribu, & familia orti, nuncupati ſunt: tum, qui ex Nazaris, & Cochaba Judæorum pagis propagati, in reliquas Judææ partes commeârunt.*

D Indelebilis videlicet eſt veritas, quæ nullis impiorum machinis opprimi valet. An verò putas iſtos, qui ſe δεσποσύνες, hoc eſt, ex Redemptoris noſtri tribu & ſtirpe ſatos ferebant, egiſſe id, quod hodie Lutherani & Calviniani faciunt, ſolísque verbis clamâſſe, ſe ex tam nobili ſanguine prognatos, & non hoc ipſum ex ipſis tabulis planum liquidúmque feciſſe, ducto exordio à proximo genitore, ſurſúmque usque ad Chriſtum per avos, proavos abavósque progrediendo? Nam niſi hoc fiat, quivis vel in clariſſimam nobiliſſimámque E ſtirpem ſeſe inſinuare poſſet. Cùm igitur Lutherani & Calviniani quàm maximè & inſolentiſſimè glorientur, ſe δεσποσύνες, hoc eſt, ex Redemptore noſtro proſeminatos & progeneratos eſſe, oſtendant, (iterum dicam) genealogiæ ſuæ tabulas. Proferant inſtrumenta; quia probantibus fidem habebimus, non autem tantùm clamantibus, & originis ſuæ ſplendorem vaniſſimè apud imperitos deprædicantibus.

Obſervatione autem dignum eſt, Diabo- F lum, perennem illum ſalutis noſtræ & Catholicæ concordiæ hoſtem, cùm hæreſes ſectásque in mundum invehit, idem facere, quod olim ejusdem Cacodæmonis inſtinctu egit Herodes. Quid ergo ille? Narrat Euſebius ex Joſepho: *Herodem, cùm à Romanis eſſet regno donatus, non ampliùs Pontifices, & ſummos ſacerdotes ex antiquo creaviſſe genere, ſed abjectis quibusdam, & ignobilibus illum honoris gradum detuliſſe. Eandem item rationem in deſignandis ſummis ſacerdotibus Archelaum, filium ejus, & Romanos etiam, qui poſt illum Judæorum regnum adepti ſunt, cum Herode obſervâſſe.* Pari prorſus modo agit veterator ille Tartareus; Deſerta ſucceſſione legitima, extra ordinem quosdam ſibi deligit, munúsque prædicandi & hæreſes divulgandi imponit; clarè enim perſpicit, ſe nihil effecturum, ſi veteris genealogiæ quaſi lineam inſiſtere cogitaret; neque enim hæreſes induci queunt, niſi à ſucceſſione doctrinæ doctorúmque & paſtorum recedatur. Euſeb. lib. 1. cap. 6.

Quapropter jure optimo ſucceſſio magni G penditur, & diligentiſſimè ſimul ac religioſiſſimè cuſtoditur; quia vetuſtatis pariter & veritatis index eſt & teſtis. Quod ſedulò olim præſtitum ab Hebræis, de quorum hac in re ſtudio hæc Joſephus. *Alii* (ut Hæretici) *in nulla re paterna perdurare optimum eſſe putant; & præcipuè transgreſſoribus ſapientiæ robur aſſignant. Nos autem* (Catholici) *è diverſo unam eſſe prudentiam, atque virtutem exiſtimamus, nihil penitus vel facere, vel cogitare contrarium his, quæ antiquitus ſancita noſcuntur: quod ſcilicet indicium legis eſt optimo fœdere conſtitutæ. Nam ea, quæ nunc non habent modum, experimento ſæpe corrupta redarguuntur. Apud nos autem, qui credimus ab initio poſitam legem divina voluntate, nihil aliud pium eſt, quàm hanc ſibi integritate reſervare. Quis enim eius quidquam movere poteſt, aut quid melius adinvenit? vel, quis ab aliis, tanquam præcellentius ad ſtatum Reipublicæ noſtræ aliquid transferre poteſt? aut, quæ poterit eſſe melior, atque juſtior, quàm ea, quæ Deum quidem principem omnium eſſe confirmat: ſacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas diſpenſare permittit: ſummo verò Pontifici aliorum ſacerdotum Principatum competenter injungit? quos utique non divitiis, neque aliis quibusdam ſpontaneis avi-* H

Joſeph. lib. 2. contra Apion.

A *ditatibus præcellentes legislator ad culmen honoris instituit: sed, quicunque sapientia, vel temperantia aliis præstare noscuntur, eis præcipuè culturam divinæ placationis injunxit. Apud hos igitur, & legis; & aliorum studiorum integra diligentia custoditur. Contemplatores enim omnium, atque judices contentionum, & punitores culpabilium sacerdotum esse decreti sunt. Quis ergo principatus, quod regnum erit hoc sanctius, vel qui honor Deo potius cooptabitur, cùm omnis quidem populus sit præparatus ad pietatem; summa verò diligentia sacerdotibus sit indicta, & velut, quædam festivitas gubernetur universa respublica?*

Hæc præclarè Josephus. Cùm autem, B Apostolo teste, *Hebræis omnia in figura contigerint*, quid hæc vetustatis & successionis conservandæ diligentia & contentio, aliud portendebat; quàm Christianis quandoque, idem, eadem constantia, præstandum; & hunc veluti clypeum omnibus Novatoribus objiciendum esse? Quid item ille sacerdotum chorus sub uno sacerdotum omnium principe aliud significabat, quàm similem Hierarchiam in Ecclesia Catholica institutum iri; ubi omnes alii sub uno summo Pontifice Deo famulaturi; & pro- C ximorum salutem procuraturi essent: concessâ illis de rebus divinis judicandi potestate, & summo etiam arbitrio, summo ejusdem religionis Antistiti delato? Et sicut is, qui in Hebræorum Republica extra hanc Leviticam tribum pro sacerdote se gerebat & venditabat, spurius & impostor erat; ita & jam, qui extra successionis lineam se ministrum Ecclesiæ profitetur, non ùt Ecclesiæ minister recipi, sed ùt Satanæ adjutor & satelles repudiari debet.

In veteri testamento, quando Pro- D phetæ divinitus excitati mittebantur ad populum, plerunque, si non semper, addebantur: unde genus duxerint, quibus parentibus procreati fuerint, ut qui qualésque essent, aliis inquirere liceret. Hinc tam Exod. 1. 6. accuratè explicatur in Exodo genus & genealogia Moysis, maxima miracula in Ægypto quandoque patraturi, & Israëlem ex servitute educturi. In primo Paralipomenon consumuntur aliquot capita in solis familiarum successionibus explicandis, & enucleatè enumerandis. Isaias ita vaticinia sua exorditur. *Visio Isaiæ filii Amos, &c.* Hieremias in hunc modum. *Verba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth.* Alii non dissimiliter. Quid, quòd duo ex ipsis Evangelistis Christi Salvatoris nostri res gestas, & doctrinam litteris commendaturi, ab ejusdem genealogia exorsi sunt, & à quibus majoribus genus duceret; ante omnia gradatim demonstrandum censuerunt, majoris tam sibi quàm Christo fidei conciliandæ gratia? Cur tam excors est pleraque mortalium E pars, ut, cùm exoritur, qui se Prophetam, & à Deo missum jactat, tabulas genealogiæ ab illo non reposcat? Venit Lutherus, & annunciavit Germaniæ Evangelium, quod proximè antecedentibus annis alicubi extitisse nemo Lutheranorum aut monstravit, aut in omnem æternitatem monstrare poterit. Cur, oro, non est dictum Luthero: Unde tu tam ferus & serò? Cedò, quis tuus parens? Quis avus? quis proavus? Quis annis Christi 1516. 1515. 1514. 1513. & aliis ordine retrogrado se consequentibus; idem per omnia, quod tu, docuisti? Ede nomina; F ut tibi assentiri queamus. Nam quòd clamabas; *Christum & Apostolos ita docuisse;* id nullum prudentem movere debebat; Ut enim quis verè demonstret, se ex hujus vel illius familia progenitum esse, oportet, ut gradatim usque ad generis auctorem & originem per singula capita ascendat; nullúmque transiliat: ùt & ab Evangelistis factum; qui non præcisè asseruerunt, Christum esse filium David & Abrahami, sed hoc, structurâ totius genealogiæ ob oculos positâ, clarum testatúmque effecêre. Faciant idem Lutherani & Calviniani; & mo- G lesti esse desinemus.

Si doctrina Lutheri vel Calvini ab ævo Apostolico usque ad Lutheri vel Calvini ætatem perenni serie propagata est; incredibili socordia majores Lutheranorum & Calvinistarum laborâsse oportuit; qui successionem doctorum & doctrinæ suæ in publicas tabulas non retulerint; cùm universis gentibus id vel maximè in more positum fuerit, ut successionem & antiquitatem suam per genealogias gradatim dispositas; integerrimè & sincerissimè custodirent; eo munere potissimùm sacerdotibus commisso. *Quod apud Ægyptios & Babylonios*, inquit Jo- Joseph. lib. 1. contra Apion. sephus, *ex longissimis olim temporibus circa conscriptiones diligentia fuit, quando sacerdotibus erat injunctum, & circa eas ipsi philosophantur; Chaldæi verò apud Babylonios: & quia præcipuè Græcis immisti, usi sunt Phœnices literis, circa dispensationes vitæ, & publicorum* H *operum traditionem, dum consentiant omnes, tacendum hoc puto. De nostris verò progenitoribus, quì eandem, quam prædicti habuerunt in conscriptionibus solicitudinem (desino dicere, etiam potiorem) Pontificibus, & Prophetis hoc imperantes: & quia, usque ad nostra tempora cum multa integritate servatum est, & si oportet audentiùs dicere, etiam servabitur, conabor breviter edocere. Non enim solummodò ab initio probatissimos viros, & in Dei placatione paratos, ad hæc exercenda constituerunt: sed quatenus etiam genus sacerdotum sine permistione, purúmque consisteret, providerunt. Oportet enim eum, qui sacerdotium habiturus est, ex ejusdem gentis nasci muliere: & neque ad pecunias, neque ad honores inspicere, & genus per antiquam lineam, & multis testibus approbare.*

A En quantam diligentiam adhibuerunt Hebræi, ne quis ſurreptitius ſacerdos in Eccleſiam clanculò ſubintroiret: nemine prorſus ad hoc dignitatis faſtigium admiſſo; qui *genus per antiquam lineam, & multis teſtibus* demonſtrare non poſſet. Et nos Luthero fores pandemus, qui ne patrem ſuum & *immediatum* anteceſſorem nominare valet; tantum abeſt, ut originem ſuam ad Apoſtolos revocare queat? Quid amplius Joſephus? *Hoc agimus non ſolùm in ipſa Judæa; ſed ubicunque noſtri generis conſtitutio reperitur, etiam ibi integritas iſta ſervatur circa nuptias ſacerdotum: hoc eſt, in Ægypto, & Babylonia, & quocunque terrarum orbe quilibet de ſacerdotum genere ſunt diſperſi. Mittunt enim in Hieroſolymam conſcribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, quicunque hujus rei teſtimonia præbuêre.*

B Quæſo, cur idem non factum à Lutheriſtis & Calviniſtis, aut cur hodie non fit idem; num fortè ex antiquis monumentis ſacerdotalem vel potiùs prædicanticam ſucceſſionem eruere liceat. Tentavit hoc Illyricus. Tentârunt idem Centuriatores; omnia à Chriſto ſæcula excuſſerunt; & tamen uſque ad Lutherum ne unum quidem Lutheranum Prædicantem; & uſque ad Calvinum, ne unum quidem Calvinianum Miniſtrum repererunt, qui idem prorſus per omnia doceret aut docuerit cum Luthero & Calvino.

C Audi majoris adhuc ſtudii argumenta. *Si bella proveniant, ſicut jam crebro factum eſt, dum Antiochus Epiphanes ad noſtram veniſſet regionem, & Pompejus Magnus; & Quintilius Varus, & præcipuè noſtris geſta temporibus; tunc hi, qui de ſacerdotibus ſuperſunt, ex antiquis literis iterum novas conficiunt, & probant mulieres, quæ relinquuntur. Non enim ad captivas accedunt, alienarum conſortia formidantes. Indicium verò integritatis hoc maximum eſt: quia Pontifices apud nos à duobus millibus annis denominati filii à patre conſcripti ſunt.*

D Exhibeant nobis, obſecro, ſectarii ſimilis genealogiæ ſtirpísque per tot ætates deſcendentis ſpecimen. Ex his ſyrtibus tam æſtuoſis nunquam, quantumvis velis remíſque contendant, Hæretici ſe expediunt. Quamobrem neceſſitate adactus ſtultiſſimè ſcripſit Hunnius, in Diſput. de Eccleſia, Eccleſiam Lutheranam in infantibus baptizatis, continuatam & perpetuatam fuiſſe. Qua de re verbatim referre placet, quæ triennium abhinc auditoribus meis dictavi in ſchola, cùm art. 9. quæſt. 68. tertiæ partis D. Thomæ explicarem, in quo artic. quærit S. Thomas, *num pueri ſint baptizandi.*

Notanda ſtultitia Prædicantium, qui juſſi, vel compulſi demonſtrare perpetuam ſucceſſionem Eccleſiæ ab Apoſtolis, uſque ad Lutherum, vel contrà, confugiunt ad baptizatos infantes, dicúntque, ſaltem in infantibus Eccleſiam veram, hoc eſt ſuam, perpetuò durâſſe. Sed qualis eſt iſta Eccleſia, quæ ſolis infantibus conſtat, carens doctoribus, paſtoribus, & membris intelligentibus, quibus doctrina Chriſti annuntiari queat? Fundamentum hujus ſtultitiæ eſt hoc, quòd ibi ſit vera Eccleſia, ubi eſt veritas Baptiſmi ſecundùm ſubſtantiam. Dicunt enim: *Ubicunque viget baptiſmus ratione ſubſtantiæ ſalvus, & integer; ibi eſt vera Eccleſia, & vera membra Eccleſiæ:* Si non apud adultos, at certè apud parvulos. Ita Hunnius in Diſp. de Eccleſia theſi 49. & vocat *hoc, immotum axioma.* Poſito ergo hoc axiomate loco Majoris, addamus nos Minorem, ſed apud Donatiſtas, & plerósque *alios hæreticos*, manſit baptiſmus verus, & integer, ſecundùm ſubſtantiam, ùt patet ex omnibus libris contra Donatiſtas S. Auguſtini: ergo apud illos fuit vera Eccleſia, & vera Eccleſiæ membra. Quis autem hoc unquam audivit, apud Donatiſtas fuiſſe veram Eccleſiam, licèt addatur, quoad parvulos? Perinde eſt, ac ſi quis diceret; apud Lutheranos Auguſtæ eſſe veram Eccleſiam, quia apud Lutheranos, vel cum Lutheranis ſunt Catholici. Verum quidem eſt, infantes Donatiſtarum non fuiſſe Donatiſtas, ſicut jam infantes Lutheranorum, aut Calvinianorum, non ſunt Lutherani, aut Calviniani, ſed ſunt membra veræ Eccleſiæ catholicæ, & pòſt, incipiente uſu rationis, fiunt hæretici, ſi deſciſcant ab Eccleſia. Sed non ideo apud Donatiſtas erat vera Eccleſia, ſicut nec eſt jam apud Lutheranos, eò quòd inter illos verſentur Catholici ſive adulti, ſive infantes. Et hoc procederet, licèt Catholici à ſolis Lutheranis baptizarentur, & nullus eſſet miniſter catholici baptiſmi. Theſi 51. ita delirat idem Prædicans: *Indubitatum Symbolum Eccleſiæ Chriſti eſt legitimus baptiſmi uſus retentus;* ſubſumimus nos; ſed apud Donatiſtas, & alios hæreticos, legitimus baptiſmi uſus eſt retentus: ergo apud Donatiſtas, & alios hæreticos fuit vera Eccleſia. Pergit: *Baptiſmus eſt ex theſauris Eccleſiæ, ad Epheſ. 4. ergo ubi is reperitur, illic eſt vera Eccleſia.* Reſpondeo, negando conſequentiam; quia alioqui apud plerosque hæreticos fuiſſet vera Eccleſia. Eſt quidem baptiſmus theſaurus Eccleſiæ; ſed hunc theſaurum hæretici, tanquam fures furantur, & ſibi indebitè arrogant. Theſi 40. ſic delirat: *Per baptiſmum aperitur ingreſſus in regnum cœlorum. Joan. 3. Et baptiſmus eſt lavacrum regenerationis, & organum efficiendæ ſalutis, &c. ſed hæc non poſſunt eſſe niſi in vera Eccleſia.* Reſpondeo, negando Minorem; quia omnia iſta habet etiam baptiſmus per ſe loquendo apud hæreticos.

E F G H

CAPUT V.

De Conviciiis Miseni in Romanos Pontifices.

FUrit passim Misenus in Pontifices; in quos ubertim convicia vomit: quæ in Responso ad Theses Hunnianas, & in tribus adversùs Lithum Apologiis, & alibi copiosè refellimus; sed Novatores, quibus maledicendi libido, in intima essentia hæret, semper calumniari pergunt, parùm morati, quid ab orthodoxis depellendis hisce criminationibus afferatur. Quorum insanas adversus Christi Vicarios, Petríque successores calumnias, cùm audio, in mentem venit illud D. Augustini. *Ipsa pietas, veritas, charitas, nos non permittit contra Cæcilianum* (summum Pontificem) *eorum hominum accipere testimonium, quos in Ecclesia non videmus, cui Deus perhibet testimonium. Qui enim divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt. Neque enim, quod sine injuria innocentiæ illius dixerim, si peccavit Cæcilianus* (summus Pontifex) *ideo hæreditatem suam perdidit Christus. Facile est homini, seu vera, seu falsa de altero homine* (summo Pontifice) *credere, sed sceleratæ impudentiæ est, propter crimina hominis* (summi Pontificis) *quæ orbi terrarum non possis ostendere, communionem orbis velle damnare.*

D. August. epist. 50.

Utrum Cæcilianus à traditoribus divinorum Codicum fuerit ordinatus (utrum Alexander VI. Julius II. Clemens VII. Paulus III. Julius III. tales fuerint, quales ab hæreticis depinguntur) *nescio, non vidi; ab inimicis ejus audivi. Non mihi de lege Dei, non de præconio Prophetarum, non de sanctitate Psalmorum, non de Apostolo Christi, non de Christi eloquio recitatur. Ecclesiam verò toto terrarum orbe diffusam*, (hoc est, illam, cui Romanus Pontifex præsidet) *cui non communicat pars Donati*, (Lutheri, Calvini) *universarum scripturarum testimonia consona voce proclamant: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Lex Dei dicit, ab ortu solis, usque ad occasum sacrificium mundum offertur nomini meo: quoniam glorificatum est nomen meum in gentibus. Per Prophetam Deus dixit. Dominabitur à mari, usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Per Psalmum Dominus Deus dixit. Fructificans, & crescens in universo mundo, Per Apostolum Dominus dixit. Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & in Samaria, & usque ad fines terræ, filius Dei ore suo dixit.*

Genes. 26. Malach. 1. Psalm. 71. Coloss. 1. Actor. 1.

Hanc Ecclesiam ab ortu solis ad occasum usque propagatam, qui propter vitia vel vera vel ficta deserit, séque ad synagogam paucis Germaniæ angulis circumscriptam transfert, is amens est, & dignissimus, cui purgantes pectora succi largiter præbeantur. *Quanquam qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si ordinibus Ecclesiæ detrahunt*, inquit S. Bernardus, *si instituta non recipiunt, si sacramenta, contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc, nec dandis, nec recipiendis idonei sacramentis. Nunquam verò duo ista conveniunt, Episcopum esse, & peccatorem? Falsum est. Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas Episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui Pontificatus, etiam prophetâsse refert. Apostolus erat Judas, & licèt avarus, & sceleratus, electus à Domino. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nónne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Audis eundem electum Apostolum, & extitisse diabolum: & negas, posse esse Episcopum, qui peccator est? Super cathedram Moysi, sederunt Scribæ & Pharisæi; &, qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt etiam in ipsum Dominum, præcipientem, & dicentem; Quæ dicunt, facite. Patet, quamvis Scribæ, quamvis Pharisæi, quamvis videlicet maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinere, quod item dixit; Qui vos audit, me audit, &, qui vos spernit, me spernit.*

Joan. 6. Matth. 23. Luc. 10.

Huc etiam spectant, quæ D. Augustinus eleganter & verè de malo Doctore scribit his verbis: *Qui sapienter, & eloquenter dicit, vivit autem nequiter; erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis animæ suæ sit inutilis, sicut scriptum est; Scribæ, & Pharisæi, in cathedra Moysi sederunt: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Unde ait & Apostolus: sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, Christus autem veritas est; & tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest, id est, ut pravo, & fallaci corde, quæ recta & vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur JESUS Christus ab eis, qui sua quærunt, non quæ JESU Christi. Sed quoniam boni fideles, non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student; sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus, priusquam de talibus, quod commemoravi, diceret, præmisit: super cathedram Moysi sederunt. Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua, in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.* Et hæc antè in mentem revocare oportebat Hæreticos, quàm linguis suis conviciandi habenas laxarent, hácque, ùt fucatissima, ita & fallacissima techna Christianum populum à summo Pontifice abducerent.

S. August. lib. 4. de doct. Christ. cap. 27. Matth. 23. Philip. 1. Matth. 23.

Qui

A Qui licèt malus ac improbus eſſet; coli tamen deberet, ùt Paſtor, & reverenter audiri, ùt ſupremus Doctor.

B Leo IX. in Epiſt. ad Michaël. Conſtant. & Leonem Achrid. cap. 33. 34. 35.

Nec ſilebimus, inquit Leo Pontifex hoc nomine Nonus, *ſi dicimur non eſſe, quales debemus, nec qualis eſt Petrus, &c. Nempe & vos* (alloquitur Michaëlem Conſtantinopolitanum, & Leonem Achridanum Epiſcopos, ſimiles nuperis iſtis ſummorum Pontificum obtrectatores) *licèt quàm plurimum tumeatis, quamvis de vobis ultra modum alta ſentiatis, non credimus tamen, quod dicere audeatis, vos eſſe, quales debetis, aut qualis Alexander, Joannes Chryſoſtomus, vel Flavianus fuit: ſicut nec Antiochenus ſe talem, qualis extitit ipſe Petrus: nec Alexandrinus parem ſe Marco, vel Athanaſio profiteri eſt auſus: quia ſine retractatione à ſuis punirentur. Idcirco etſi ad hoc vos impellit tumor, tamen retardat timor. Quæ cùm ita ſint, nullius tamen vos detractio reprimit, quin diligenter lac, & lanam ab ovibus exigatis: nec veremini, ne dicatur, non eſſe vos pares illis anteceſſoribus veſtris magnis. Cur hoc, niſi quia quicunque Sacerdotes, & ſi diſpares ſunt merito, pares tamen ſunt officio? Nec poteſt denegari pro merito, quod debetur officio. Alioquì non ſtaret ſacerdotium, ſi majus, aut minus fieret, ſeu variaretur ſecundùm humanorum varietatem meritorum, eſſéntque penè tot ſacerdotia, quot homines.*

C *Qua de re fratres, utinam non ad judicium noſtrum dicamus, profectò ſumus, qualis Petrus, & non ſumus, qualis Petrus; quia & idem ſumus officio, & non idem merito. Et quotiescunque lac & lanam, ſcilicet ſtipendium, & honorificentiam ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti ibi fit commemoratio, ſed officio noſtro quæritur debita recompenſatio. Ac, ſic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exequentes, officio noſtro debitos repoſcimus honores, Apoſtolo dicente: quandiu miniſter ero, miniſterium meum honorificabo. Et præmonens oves Chriſti ad ſolvendum ſingulis debita, ait: Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem. Non quia bonum ſit accipientibus, ſed quia malum ſit, non reddentibus. Sic ergo & beatiſſimus prædeceſſor noſter Gregorius dicit: Nemo nos, propter nos, in loco Petri deſpiciat; quia ex cathedra ejus, cui autore Deo qualescunque præſidemus, debita ſibi jura noſtrum officium reclamat. Frequenter enim ſolet evenire, quod dicimus: ut perſona in hoc mundo potens, deſpectum ſervum habeat. Cúmque per eum ſuis, vel extraneis aliqua mandat, non deſpicitur perſona miſſi ſervi; quia in corde ſervatur reverentia mittentis Domini. Ergóne ſaltem, quod Dominus conceſſit Phariſæis, & Scribis ſedentibus in cathedra Moyſi, ſervus denegabit, qualibuscunque conſervis ſuis in cathedra Petri? Super cathedram, inquit, Moyſi, ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite. Ita, quòd malè vivimus, noſtrum eſt: quòd verò bona dicimus, cathedræ: cujus occaſione neceſſe habemus recta prædicare.*

Rom. 11.

Rom. 13.

D

Matth. 23.

E

Hæc pulcherrimè Leo IX. adverſus quoscunque Pontificum Romanorum vituperatores, vel potiùs ſycophanticos criminatores.

F

Sed fortè Miſenus libentiùs aures præbebit Luthero, quàm Leoni Nono. Audi igitur, quid ex Lutheri præcepto & præſcripto tibi tuísque ſymmyſtis ad calumnias in Pontifices jaciendas natis & factis faciendum ſit. Ait ergo Lutherus. *Apollinis dicto mos gerendus erat; Noſce te ipſum, atque in tuum ipſius ſinum inſpue. Et ſicut Germani noſtri dicunt; in tuum ipſius ſinum manum inſere, ſi hominem nequam quærere, & judicare volueris, tum maximum nebulonem, quem unquam terra tulit, invenies: & ſic aliorum opinionem facilè depones, quò tibi liceat ex æquo diſcedere. Nunquam enim in alio tantum flagitiorum, quantum in te invenies. Nam, ſi multum in alio videris, tum unum atque alterum annum vides; in te verò, totam vitam, potiſſimùm verò nefaria illa ſcelera, quorum aliis ſibi non ſunt conſcii; præ quibus ipſe tibi pudori es, & infamiæ.*

Luth. in c. 7. Matthæi. Tom. 7. Lat. Witeb.

G

Hæc ſcitè, (fatendum namque) Lutherus; qui ſi monito ſuo obtemperâſſet; Tomos operum Lutheri longè minores hodie haberemus; Abſtinuiſſet enim ab immanibus & innumerabilibus conviciis & probris in omnis ſtatus & conditionis homines, præſertim verò in Romanos Pontifices; quibus lœdoriis, utpote infinitis, in immenſum opera Lutheri excreverunt. Quid ampliùs Luthere? *Ferè contingit*, (nota Miſene; aures admove, oracula fundit Lutherus) *ut is, qui judicat, majoribus peccatis, & vitiis ſit contaminatus, quàm alii. Itaque ſi retrò cogitaret, & ſe diligenter excuteret, atque ab ipſo lare, ſicut proverbio fertur, inciperet; quàm turpiter, & deformiter ab ipſis cunabulis vixiſſet, & adoleviſſet, ejusmodi hiſtoriam inventurus eſſet, quæ illi nauſeam movere poſſet, libenter in poſterum de aliis taciturо.*

H

Rectè probéque Luthere. Sed cur tu tibi ipſe non geſſiſti morem? Cur, quod agendum noveras, ipſemet non egiſti? Fac tu, Miſene, loco Lutheri, quod Lutherus ſuaſit. Capies facti fructum & pretium, ne dubita; ídque eò libentiùs à te impetrari fines, quò turpius & ignominioſius hoc veſtrum maledicendi cacoëthes perſpexeris eſſe.

At quis tibi, ut hoc perſpicias, oculos aperiet? Lutherus, niſi fallor; hujus enim verbis, utpotè avi tui, apud te, & ad te uti, nec infructuoſum, nec injucundum exiſtimo. Ita ergo ille: *Ut prorſus ſoli pulchri ſimus, non videmus, quæ virtutes, & dona ſint in proximo; ſed ea omnia, ex oculis removemus, & invento alicubi ulcuſculo, replemus, & paſcimus oculos, ídque ita malitiosè, & virulentè*

A *rulentè exaggeramus, amplificamúsque, ut præ eo, nihil bonì videamus, quamvis vitæ ſanctimonia, & integritate, vel Ariſtide incorruptior, imò potiùs quovis angelo ſanctior eſſet. Sicut, ſi quem aureo amictu indutum conſpicerem, & ſutura quædam fortè fortuna albo filo commiſſa eſſet, in quam oculos intenderem; quaſi hoc ipſo tota veſtis omnino reſpuenda eſſet, egóque me in toga mea modico auro ornata ſuperbè, & magnificè efferrem. Ita, non videmus propria vitia, quibus non ferendis, nec nominandis ſcatemus & mademus, nec in aliis quidquam bonì perſpicere poſſumus. Hoc naturale malum, ſi Chriſtianos invaſerit, tum improba judicia, & cenſuræ ſe agminatim promunt, quibus fit, ut alterum protinus faſtidiam, & condemnem, vel modicè errantem, & infirmum exiſtentem. Et ille idem viciſſim mihi facit, eâdemque menſurâ, (ſicut Chriſtus hîc loquitur) remetitur, non niſi quod in me deterrimum fuerit, profe-*

rens. Quare mutua Chriſtianorum charitas prorſus opprimitur, & exſtinguitur, remanentibus tantùm morſibus, laniatu, contentionibus, criminationibus, uſque dum alter alterum conſumpſerit, & gentilibus immaniores evaſcrint.

B *Ita ferè ſempèr agitur, quoties alterius vitam intuemur, nec noſtram animadvertimus, aut examinamus. Ibi mox, quod nobis diſplicet, & moleſtum eſt, invenimus, &c.*

C *Talium ergò oculorum judicium ſequentes, non niſi in detractionem, & maledicentiam, & perverſa judicia incidimus, alienam vitam arrogantiſſimè inſectantes. Et hujus tragœdiæ inter Chriſtianos choragus, & autor eſſe conſuevit diabolus; donec cò rem deduxerit, ut nihil inter eos reliquum maneat, quàm vitam judicare; ſicut in doctrina quoque fieri ſolet, quò Chriſti regnum (quod unanime, tranquillum, & pacatum regnum eſt) cùm in vita, tum in doctrina juxta diſcerpatur, & illius loco tantùm diſcordes ſectæ, arrogantia, & contemptus regnent.*

D *Ideo perneceſſaria hæc eſt admonitio, ut diſcamus, & nos in conſuetudinem ducamus, ſi in noſtro officio ſumus, ſive prædicando, ſeu palàm reprehendendo, ſive etiam fraternè monendo, de quo Chriſtus, Matth. 18. docet, ut proximi defectus, & infirmitates portemus, tegamus, & exornare ſciamus. Et quanquam aliquid in eo perſpicerem, quo non admodum delectarer, ut animum, & oculos meos reprimam, ac retraham, me ipſum intuendo; qua re, haud dubiè multa inveniam, aliis hominibus non placentia, quæq; libenter velim alios in optimam partem interpretari, & benignè diſſimulare. Hac ratione futurum eſt, ut philautiæ titillatio actutum reprimatur, qua nobis vehementer placemus, infirmitates aliorum contemptim ſubſannantes, & ſapientiſſimi Momi mordacitas mox deſinet, cenſuram relictura, &c. Ecce hoc deteſtabile malum non aliunde venit, ſicut D. Paulus teſtatur, quàm ex amore ſuì, quódque nobis ipſi vehementer placemus, & nobis noſtris donis divinitus ac-* E *ceptis blandimur, quaſi nobis ſint propria. In alio autem nihil videmus, niſi ubi infirmus fuerit. Et ſic, tanta cæcitate corripimur, ut neque nos, neque proximum rectis, & ſanis oculis intueamur. Nam quod primum nobis faciendum erat, ut juxta Delphicum oraculum nos ipſi noſceremus, & noſtros defectus animadverteremus, non facimus, ſed habemus nubem obductam oculis, qua hebetatur viſus noſter, ut nobis pulcri videamur.*

Hæc omnia Lutherus; quæ ſi non tantùm ſcripſiſſet; ſed & re ipſa & opere præſtitiſſet; maledicentiæ palmam aliis omnibus ſectariis non præripuiſſet: neque unquam ſub extremam propè vitam paſſus eſſet ſibi à Diabolo, Magiſtro ſuo, dictari teterrimum illum, & omnibus maledicentiæ inſignibus cumulatiſſimum librum, cui titulus eſt: *Contra Papatum, à Diabolo fundatum.* In quo impotentiſſimè penitúsque Dæmoniacè in Romanum Pontificem graſſatur. Optandum quidem eſt, ut omnes ſummæ ſedis Antiſtites ſint id, quod vocantur *ſanctiſſimi;* Si tamen ſecus accidat, non ideo aut fides aut cathedra Petri labaſcit aut corruit. *Aut Moyſes eſt, qui tibi loquitur,* (verba S. Auguſtini recito) *id eſt, bonus, & juſtus famulus Dei: aut Phariſæus eſt cathedram Moyſi ſedens: audiſti & de ipſis; Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Non habes tu, unde te excuſes, quando ſermo Dei loquitur, tibi loquitur: quia non potes interficere ſermonem Dei. Criminarì quæris eos, per quos loquitur tibi ſermo Dei. Quære, quantum vis, dic quantum vis, blaſphema, quantum vis. Si facit, quod tibi dicit, & non facis tu: tu, in ignem vadis, ille in regnum. Si non facit, quod tibi dicit, & pariter facit mala, quæ facis, & dicit bona, quæ non facit, pariter in igne fœnum ardebit. Verbum autem Domini manet in æternum.* F G S. Auguſt. in Pſal. 128.

Sed iſti omnia iſta ſuſque deque habent, dummodo Sycophantarum partes ſtrenuè & indefeſsè agant. *Vobis parùm videtur,* inquit Origenes, *malè loqui de ſanctis; & perleve eſt vobis dicere de ſervis Dei, ille talis, & talis eſt; ille fingit, & ille ſeculum diligit; ille autem impoſtor eſt; non audis, quia qui maledicunt juſtum, exterminabuntur? Aut, ſi hoc parùm vobis videtur, audite alibi Deum dicentem ad juſtum: Inimicus ero inimicis tuis, & adverſabor adverſariis tuis. Videtis, quantì periculi ſit inimicarì juſtis, vel malè loqui de ſanctis. Si enim verè credimus illud, quod dixit Dominus de unoquoque ſervorum ſuorum: quia eſurivì, & non dediſtis mihì manducare; & ea, quæ addit, & dicit, quia qui uni ex minimis meis fecit, mihi fecit, conſequens eſt, ut & hoc dicat; qui maledicebatis mihi, detrahebatis de me, & falſa contra me loquebamini, & accuſabatis me. Et, ſi dixerimus; Domine, quando tibì malediximus, aut quando detraximus;* H Orig. Hom. 3. in Pſ. 36. Exod. 23. Matth. 25.

A *mus; aut, quando falsa contra te loquuti sumus? tunc dicet ad nos: amen dico vobis, quia quod feciſtis uni ex meis minimis, mihi feciſtis. Sicut enim dantes manducare uni ex iſtis, mihi feciſtis; &, dantes bibere uni ex iſtis, mihi dediſtis; &, ſicut induentes unum ex iſtis, me induiſtis: ita maledicentes uni ex iſtis, mihi maledixiſtis; & ſi benedixiſtis, vel honorâſtis unum ex his, mihi benedixiſtis, & me honorâſtis; ſicut & alibi nihilominus dicit:* Matth. 10. *Qui vos recipit, me recipit; &, qui vos ſpernit, me ſpernit. Propterea ergo contineamus linguam noſtram, & ſervos Domini admiremur, & benedicamus juſtos, & nunquam detrahamus de eis, nec aperiamus os noſtrum ad malè loquendum, ne fortè exterminemur, ſed benedicamus, ut & nos benedictionem conſequamur.*

B Verùm enimverò, quod Lutherus de ſuis adverſariis & vituperatoribus, hoc juſtiſſimè de Luthero aliísque Sycophanticis Apoſtolicæ ſedis criminatoribus profiteatur quivis Romanus Pontifex. Luther. in c. 5. Matth. *Sævire eos, & malè loqui ſinimus, ut ſibi ipſis tormento ſint, & ſeſe occulto odio excrucient, virulentæ, & inſatiabili invidentiæ immoriendo; nos porrò confidentes, & bono animo ſumus. Quòd ſi iraſci, & ſævire illis voluptati eſt, nobis contrà ridere, & gaudere, ſtudio erit.*

C *Eam ob cauſam iterum dico, qui Chriſtianus eſſe voluerit, ille hanc virulentarum linguarum perſequutionem ſibi exſpectandam ſciat. Fieri enim non poteſt, ut non paſſim malè audiat, præſertim quibus adempta eſt facultas, ipſo facto nocendi; illi, quod unum poſſunt, maledicè, & contumeliosè de eo dictitant, atque adeò totius mundi linguæ in illius fama denigranda exacuuntur; dum paſſim ab omnibus probrosè, petulanter, invidiosè, breviter, cæſim & punctim petitur, & laceratur.*

Nihil verò aliud prædicatori in tanta maledicentia ſupereſt remedii, quàm ut illorum criminationes magno animo contemnat, atque in nomine Domini irrideat, illósque in ſui Dei, nempe diaboli nomine, iraſci ſinat, &c.

Et quid *ſunt criminatores, & vitilitigatores mei, quàm homines trioboli, aut ſale, quod ajunt, empta mancipia, imò multò etiam his viliores, & contemptiores, quàm ut quisquam queat illorum vocabula pro dignitate aſſequi.*

CAPUT VI.

Refelluntur calumniæ Miſeni in membra Eccleſiæ, in Paſtores, Doctores, Monachos, & universè in omnes orthodoxos.

D NUnquam diſertiores ſunt ſectarii, quàm cùm in mores Catholicorum, præſertim Cleri & Monachorum, declamant. Quod in omnibus ſuis chartis frequenter & usque ad lectorum nauſeam faciunt; Teſtis vel unus Miſenus, qui papyri multum his inſectationibus & perdit & perdidit, & forſan perditurus eſt, ni Charon longævum *ad loca ſenta ſitu* tandem abducat. His calumniatoribus, quid dicam, niſi illud Apoſtoli? *In magna domo non* 2. Tim. 2. *ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Quid aliud hæc domus magna, quàm Eccleſia toto orbe diſperſa, in qua probi & improbi, pii & impii, mundi & immundi? Sed num ideo ipſa Eccleſia improba? num impia? Num immunda? Uno verbo, num repudianda? In Hiſtoria Regum proditum legi- 1. Reg. 2. mus, filios Heli Sacerdotis fuiſſe peſſimos. Et certè peſſimos & ſceleratiſſimos fuiſſe, patet ex titulis, quibus à ſacra ſcriptura afficiuntur. Appellantur enim *I. Filii Belial. II. Neſcientes Dominum. III. Neque officium Sacerdotum ad populum. IV. Dormiiſſe dicuntur cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi.* V. Contra morem & legem ſurripiebant de Sacrificiis Domino immolandis, quidquid veſana libido ſuadebat. Num Sacerdotium, quo Heli fungebatur, ab Iſraëlitis rejectum penitúsque ſpretum eſt; quòd filii Sacerdotis, qui omnibus exemplo ſanctitatis prælucere debebant, vitam cunctis flagitiis inquinatam ducerent? Nullo pacto; neque enim ignorabant, ſcelera miniſtrorum nullum ipſi miniſterio præjudicium afferre. Quid calumniaris Novator? Verte oculos, ad quamcunque voles, quæ ſub hoc cœlo ſit, congregationem & ſocietatem hominum. An non ubique ſceleratorum non paucos reperies? In populo Dei, tam electo, & jam jam in terram promiſſionis ingreſſuro, fuit Achan fur, & qui- Joſ. 7. dem fur ſacrilegus. Num ideo omnes tales cenſendi erant? Iſraëlitarum quidam ſcortati Num. 25. ſunt cum Moabiticis mulierculis. Num 1. Eſd. 9. & propterea omnes ſcortatores? In libro Es- 10. dræ legimus, multos contra legem duxiſſe 2. Eſdr. ult. uxores alienigenas, etiam poſt exilium illud Babylonicum. Num ideo omnes fœdifragi, legísque divinæ immemores erant? Nequaquam, quia ſanioribus hæc audacia vel petulantia diſplicuit; potiſſimùm populi principibus, qui malo tanto ſalutarem medicinam adhibere non diſtulerunt. Hinc Nehemias extremo libro commemorat, quomodo nonnullos Sacerdotes propter uxores alienigenas reprehenderit, quin & verberibus affecerit, *decalvaverit*; & à ſe fugaverit: & divinam inſuper vindictam imprecatus fuerit his verbis. *Recordare Domine Deus meus adverſum eos, qui polluunt Sacerdotium, júsque ſacerdotale & Leviticum.*

In Eccleſia, inquit S. Auguſtinus, *quæ toto* H *orbe terrarum diffuſa eſt, palea eſt, & frumentum. palea volat, frumentum manet. Ideò in populo gravi laudabo te. In gravi populo, quem ventus tentationis non aufert. In his Deus laudatur. Nam in palea blaſphematur ſemper.* S. Auguſt. in Pſal. 34.

A *Quando palea noſtra attenditur, quid dicitur? Ecce, quomodo vivunt Chriſtiani? ecce, quid*
Rom. 2. *faciunt Chriſtiani? Et ſit, quod ſcriptum eſt; quoniam nomen meum per vos blaſphematur in gentibus. Inique, invide, aream inſpicis, qui totus in palea es, non tibi facilè grana occurrunt: quære; & invenies populum gravem, in quo Dominum laudes. Vis invenire? Eſto talis; nam, ſi non fueris talis, difficile eſt, ut non omnes tales tibi videantur, qualis es.*

B *Sunt &, qui Monachi falſi ſunt*, inquit alibi S. Auguſtinus: *Et nos novimus tales, ſed*
S. Auguſt. in Pſal. 132. *non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non ſunt. Tam ſunt enim monachi falſi, quàm & clerici falſi, & fideles falſi. Omnia iſta tria genera, fratres mei, quæ aliquando vobis commendavimus, &, ùt puto, non ſemel, habent bonos ſuos, habent malos ſuos. De tribus enim ipſis generibus dictum eſt: Duo in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur.*
Matth. 24. *Et, duo in lecto, unus aſſumetur, & unus relinquetur; Et, duæ in molendino, una aſſumetur, & una relinquetur. In agro ſunt, qui gubernant Eccleſiam. Unde dicit Apoſtolus; Vide-*
1. Cor. 3. *te, ſi non in agro erat; Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. In lecto autem eos intelligi voluit, qui amaverunt quietem: per lectum enim quietem voluit intelligi, non ſe miſcentes turbis, non tumultui generis humani, in otio ſervientes Deo: & inde tamen unus aſſumetur, & unus relinquetur. Sunt ibi probi, & ſunt ibi re-*
C *probi. Ne expaveſcatis, quando ibi inveniuntur reprobi. Nam & latent quidam, qui non inveniuntur, niſi in fine. Duæ item in molendino, ex nomine generis fœminini appellavit, plebes enim intelligi voluit. Quare in molendino? quia in iſto mundo verſantur, ubi molendinum intelligitur, quia, ſic vertitur mundus iſte, quomodo mola. Væ enim, quos conterit. Sic ibi verſantur fideles boni, ut una ex eis conſumatur, altera aſſumatur. Quosdam enim actiones mundi faciunt dilectores ſecu-*
1. Cor. 7. *li, fraudatores, ſimulatores. Alii autem ſic ibi ſunt, quomodo ait Apoſtolus; Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes ſint.*

D Magna profectò ſtultitia & perverſitas eſt propter vitia hominum rem quoque ipſam exciſam extirpatámque velle, & à mortalium improbitate argumentum ad ipſum vitæ ſtatum ducere velle. Quo admiſſo, quid tandem ſalvum permanebit? Intellexerunt hoc ipſi Ethnici, tametſi veræ fidei lumine minimè colluſtrati, quibus indignum facinus viſum, Philoſophiam, ob Philoſophorum quorundam vitam huic profeſſioni minùs conſentaneam, inſectari & repudiare: & ùt olim hoc præcipuè contingebat in Philoſophia profana, non item in aliis artibus & inſtitutis, ita idem hoc ævo potiſſimùm uſuvenit in Philoſophia ſacra, hoc eſt, in fide orthodoxa & profeſſione religioſa; Hanc enim maximo niſu everſum eunt, hoc præcipuè ariete, quòd E
multi ex eorum numero, qui ſe huic profeſſioni addixerunt, vitam profeſſione indignam vivant.

Audiamus Arrianum graviſſimè hac de F
re cum mortalium inſipientia expoſtulantem. *A rectis, quæ proficiſcuntur rationibus,* Arrian. lib. 4. cap. 8.
benè fiunt: &, quæ à pravis, malè. Tu verò, donec exploratum tibi ſit, qua ſententia ſit quiſpiam præditus, qua ratione faciat ſingula, nec laudaveris quenquam, nec vituperaveris. Quid ſentiat quiſpiam, rebus externis non declaratur. Ille faber eſt, quare? quia terebro utitur. Quid ille? muſicus; canit enim. Philoſophus hic eſt. quamobrem? palliatus enim, & coma demiſſa incedit. Quid præſtigiatores, aut circulatores ſigni habent? Itaque ſi quis indecorè ſe gerentem quempiam viderit, protinus; Ecce philoſophus, inquit, hoc facit, cùm propter ineptias dicendus eſſet potiùs non philoſophus. (Pari modo clamant hæretici. *En Monachus, en Clericus ille hoc, vel illud agit.* En ſcortator, en potator eſt, cùm talis, Monachi vel Clerici honeſtiſſima appellatione indignus ſit.) *Nam, ſi animo ſic* G
adumbres philoſophum, ejúsque hæc ſit profeſſio, habere ſcilicet pallium, & demiſſum ca- Idem ibid.
pillum, haud perperam ſic ipſum appellâris: ſin verò philoſophus ſit is, qui judicio ſuo non peccet, quid cauſæ tandem eſt, quòd tum demum profeſſionis titulum non detrahunt, ſi talia non præſtent? Aliarum artium non ſecus comparata eſt ratio. Si quis ſecurì ad ſecandum malè utì conſpiciatur, nemo dicit; Quis uſus eſt artis fabrilis? en quanta faciunt mala fabri? contrà potiùs ſic inquit: Ille faber non eſt, quum benè utì non poſſit ſecurì. Haud aliter, ſi quem malè canentem audièrit, non ſic ait; En, quàm malè canit muſicus: ſed potiùs, ſic inquit: Ille, non eſt muſicus. Iſtud in philoſophia unà committitur, ac fit, ut ſi quem viderint facientem, quod non deceat philoſophum, hanc nihilominus eì non detrahunt appellationem. Verùm, dum verbis, & opinione, ipſum ſtatuunt eſſe philoſopum, ſi qua in re indecorè ſe geſſerit, in philoſophando nihil eſſe commodi concludunt. H
Quæ cauſa eſt? Quòd nimirum curæ nobis eſſe patimur, notitiam fabri, muſici, ſimiliter reliquorum artificum: philoſophi autem nemo habet notitiam, niſi ſi quæ confuſa eſt, & incerta. Nam à rebus externis duntaxat eam definiemus. Cujuſquámne alterius artis indicia ſumuntur ex figura & capillo? An philoſophia nullam rem contemplatur, nec materiam, aut finem ſibi habet propoſitum? Quæ materia porrò philoſophì eſt? num pallium? Non; ſed recta, & conveniente utì ratione. Cujusmodì contemplatur? an, ut id intelligat, qua ſcilicet ratione promiſſiorem faciat barbam, aut denſiorem capillum? quin potiùs cognoſcit, quid Zeno dicat, quæ munimenta, & tanquam mœnia ſint rationum. Item, quomodò inter ſe congruant: quæque quibus ſint conſentaneæ, & conſequentes. Non vis primùm perſpicere, utrum indecenter

A *center gerendo se, professionis nomen usurpet istius, ac dedecore impleat, postea criminando ipsam exagitare professionem? Hunc ipse tu, quando pro circumspecto te geris, si quid ipsum delinquentem videris, protinus; Ecce, inquis, philosophum: & contemptim subinde; quàm philosophicum illud est, ais. At quando adulterum fabrum videris, aut liguritorem, non sic loqueris; En fabrum, neque, en adspice musicum. Ita, quantumcunque illud est, quod tu de studio, & professione philosophi intelligis, in*

B *eo ipso laberis, & confunderis incuria meditationis. Quin ipsi etiam, qui appellantur philosophi, quod ad communia hæc, & vulgaria duntaxat attinet, studium suum profitentur, statim arripientes pallium, & barba promissa se ostentantes, inquiunt: Philosophus ego sum. At nemo est, qui propterea musicum se esse dicat, si plectrum, aut citharam emerit: aut fabrum ærarium, si pileum imponat, aut perizomate cingatur: sed, hoc agit, ut habitus, & figura congruat arti, sibi verò nomen ab arte, non à figura usurpant.* Hæc egregiè Arrianus; quæ ad institutum nostrum accommodare, cuivis proclive erit.

C At quærat quis, cur Monachorum, Clericorum, &, in his Jesuitarum status & habitus sectariis nostris adeò sit exosus & invisus. Cogitanti mihi occurrit illa causa, quam reddit Dio Chrysostomus, cur Philosophos & habitum Philosophicum plerique detestentur & aversentur: non autem alterius professionis vel habitus, quamvis inusitati, homines. *Forsan ergo hoc in causa est*, inquit, *cur fiat. Quippe à nautis, & agricolis, atque pastoribus, præterea à Persis, & Nasamonibus non se putant contemni, neque eos habere sermonem, quem ad ipsos faciant; unde eos non curant. At, à philosophis se contemni suspicantur, atque damnari suam magnam ruditatem, infelicitatémque; &, quod palàm illi quidem non derideant, privatim verò ita apud se sint animati, quòd ineruditos omnes miseros esse censeant, initio sumpto à divitibus ipsis, atque beatis à vulgo habitis: quos ipsi admirantur, paululúmque saltem à diis differre putant ob felicitatem, quòd eos nullo dignentur honore, derideántque, ut sumptuosè edentes, atque bibentes, mollitérque dormire volentes, & cum mulieribus semper speciosis, atque pueris cubare, multásque habere pecunias, atque multis celebrari turbis, atque spectabiles esse: quorum nihil arbitrantur magnum, aut honestum. Propter hanc igitur suspicionem ægrè ferunt eos, qui non eadem secum admirantur, atque honorant, neque eandem de maximis habent sententiam. Quare, præoccupant ipsi conviciis mordentes, atque irridentes tanquam miseros, fatuósque: scientes, quòd si illos demonstrent insipientes, & insanos, simul etiam sese sint declaraturi temperanter agere, mentéque præditos: sin verò concedant, eos nôsse, quæ oportet, multique esse precii, simul quoque sese confessuri sint infelices,*

Chrysost. orat. 72.

D

E *atque stupidos esse: nihilque prorsus scire, quæ liberos homines scire oporteat. Præterea quoque, si quem vident, ùt nautam cultum, sciunt eum navigaturum; si alium, ùt agricolam, agrum culturum: &, si quem in pastoris veste, sciunt & hunc ad oves abiturum, apúdque eas, moraturum. quum ergò nulla ab illis afficiantur ægritudine, sinunt illos. Si quem verò habitum philosophi habere vident, cogitant, eum neque ad navigandum, neque ad agriculturam, neque ovium causa ita cultum esse; sed præparatum, ùt admoniturum homines, castigaturúmque, & nihil cuiquam adulaturum, neque parsurum; sed è diverso, reprehensurum quàm possit maximè, oratione, ostensurúmque, quales sint. Quemadmodum neque pueri libenter videre possunt, quos sciunt pædagogi cultum habere, præparatósque ita, tanquam objurgaturos se, neque permissuros, ut peccent, aut segnes sint. Et si quidem & pueris liceret hosce irridere, & contumelia afficere, nihil hoc prius facerent.* Hæc Dio.

F Quæ omnia ad hæreticos nostros transferri queunt. Nam quæ causa, cur clericos & religiosos tantopere execrentur, nisi quia sibi ab illis sectæque suæ metuunt; ipsámque eorum vitam & habitum, suam reprehensionem, redargutionem & confutationem esse censent? nec immeritò. quia nunquam & nusquam evidentiùs apparet Hæreseos turpitudo, quàm cùm Catholicorum rituum & institutorum oppositu, quæ qualísque sit, detegitur, ac indicatur.

G Nec admodum intolerabile videri deberet, cùm Novatores orthodoxos carpunt & vellicant, quasi vita morésque multorum parùm respondeant doctrinæ, si ipsi præstarent, quod ab accusatore inprimis requiritur. Quid autem illud? Attende, & vide, quis sit, cujus hæc est oratio. *Omnes, qui alterum nullis impulsi inimicitiis, nulla privatim læsi injuria, nullo præmio adducti in judicium Reipublicæ causa vocant, providere debent, non solùm quid oneris in præsentia tollant; sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere conentur. Legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutúmque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt: atque eò magis, si id, ùt antè dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi utilitate communi. Nam, qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat: quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinârit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus ejusmodi civis laudandus, ac diligendus est, qui non solùm Reipublicæ civem improbum removet, verùm etiam se ipsum ejusmodi fore profitetur, ac præstat, ut sibi non modò communi voluntate virtutis, atque officii, sed etiam ut quadam magis necessaria ratione rectè sit honestéque vivendum.* Cic. lib. 3. in C. Verrem, al. 5.

H Num istæ accusatoris conditiones in Lutheranis & Calvinianis insunt? Minimè gen-

A gentium, quod testantur tot questus, imò & libri, de improba Novatorum vita ab ipsis Novatoribus publicati. De querelis Lutheri & Lutheranorum Prædicantium sæpius in Apologiis antegressis actum est. Librum suum de seditionum auctoribus, cur Zwinglius conscripsit, nisi ut licentiæ & improbitatis per quintum Evangelium invectæ opinionem à se suóque grege amoliretur? quod sanè tam feliciter effectum dedit, ut, si quis antea, errore ductus, Zwinglianos existimâsset sanctissimos, causæ nihil sit, cur lecto Zwinglii libro persuasionem suam non mutet. Idem intellectum volo de libro, quem Calvinus *de scandalis* indigitavit: ubi inter cætera sic scribit. *Proterviendi ansam ex Evangelio* (Quinto) *arripere, jam olim multis usitatum fuit, &c. Hodie permulti, infimæ sortis homines, gustato Evangelio, insolenter se jactant: famuli altos, ferocésque spiritus induunt: complures pudoris, ac modestiæ oblìti, sibi quidvis arrogant. Sed hoc pessimum, quòd se ab ipsius Dei obsequio plerique non secus emancipant, ac si nos adoptando in filios, patrium omne jus, & imperium sibi abrogaret. Fœda sanè pravitas, & quæ sua indignitate graviter vulnerare possit pios omnes animos, &c.*

Extat tom. 2. operum. Zvvinglii.

B *Fieri quidem vix potest, ubi miseri homines, nullis opibus, nulla autoritate, nullo ingenio, nulla dignitate freti, simul ac garrire de Evangelio didicerunt, se fastuosè ingerunt, non sine aliorum contemptu, quin stomachum tanta indignitas ingenuis, & cordatis hominibus moveat, quanquam adeò ridicula est bonæ partis stultitia, ut pudore, & misericordia potiùs nos afficere, quàm bilem nobis provocare debeat, &c.*

C *Ecce, ex altera parte multos, Evangelii professionem dissoluta, turpique vita, quantum in se est, fœdantes. Unde affine proximo scandalum nascitur, &c.*

D *Sed hæc plus quàm sacrilega impietas, Evangelio ad scelerum prætextum abuti. Loquor de artificio jam vulgari, quo se perfidi, & nequam homines ad fallendum, fraudandum, modisque omnibus nocendum insinuant. Vidi olim, quos lenociniis suis, impurisque pactionibus non pudebat Evangelii umbram obtendere. Alii, qui minùs sunt scelerati, dissolutè tamen vivendo, & ecclesiam polluunt vitiorum suorum sordibus, & Evangelio maculam aspergunt. Jam illud quidem miserum est, ac dolendum, non modò imputari sanctitatis doctrinæ hominum flagitia; sed in eorum persona, calumniosè eam traduci. Sed aliud est, Ecclesiæ ulcus magis deplorandùm: quòd pastores, ipsi, inquam, pastores, qui suggestum, hoc est, sacrum Christi tribunal ea lege conscendunt, ut vitæ puritate præ aliis omnibus excellant, interdum sunt turpissima vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla. Ita fit, ut nihilo plus fidei, ac gravitatis obtineant eorum conciones, quàm, si fabulam in scena ageret histrio. Et tales scilicet contemptui se esse apud plebem, aut etiam ludibrii causa digito se monstrari conqueruntur. Ego autem potiùs vulgi miror patientiam, quòd non eos luto, & stercoribus mulieres, ac pueri operiunt. Ministerii dignitatem extollunt plenis buccis: at illis non venit in mentem, ideo non haberi suum ministerio honorem, quia ipsum sua turpitudine conspurcant. Nam sicuti verè olim à quodam dictum est; ut ameris, amabilis esto: ita morum gravitate, & sanctimonia reverentiam sibi acquirant oportet, qui in precio haberi volunt. Atque utinam tali hominum colluvie exonerari, purgarique posset Ecclesia. Sed longè aliter, ut plurimùm contingit. Nam cùm se meritò contemptibiles esse nôrint, mala conscientia libertatem illis adimit. Denique cùm propter inhonestæ vitæ probra, sentiant omnibus se obnoxios, vel pudore, metúque retenti, hiscere non audent, quoties severè exigendum foret, quod ipsi minimè præstant: vel parcere delinquentibus coguntur, & adulari. Adde, quòd ignavi sunt ventres, qui, ut molestia omni valere jussa, otio deliciisque suis consulant, cœlum passuri sint terræ miscerì. Eorum etiam nonnulli virtutum odio suis peræquè, & aliorum vitiis libenter indulgent. Populus autem, ut gratiam referat, eos amat solos, amplectitur, fovet: atque ut suis delectis patronos habeat, suo patrocinio tuetur.*

E

F

G

An non satis ista de Calvinistarum probitate ex ipsius Calvini testimonio? Nequaquam. Plura accipe Calvinianæ sanctitatis specimina. *Alii*, inquit Calvinus, *benignè hospitio excepti, vel furto onusti clàm abeunt, vel aliis modis hospites defraudant, vel solicitant ad stuprum ancillas, at interdum etiam uxores tentare audent. Alii ad captandum miri artifices, nudatos relinquunt, quibus aureos montes pollicebantur. Alii, in mutuo fallunt: alii abnuunt depositum: alii in societate perfidi. Alii, quam eleemosynæ nomine pecuniam à bonis, frugique hominibus abstulerunt, vel in scortis, frugique hominibus abstulerunt, vel in scortationem consumunt, vel in aleam, vel profusos alios luxus. Alii, quod ad juvandam eorum industriam, mutuò datum fuerat, audacter in otio helluantur. Atque ad hæc flagitia nonnulli socias habent uxores. Alii sacrosanctum conjugii vinculum, deceptis uxoribus & abjectis liberis, violare non dubitant. Plura sunt ejusmodi facinorum exempla, quàm quibus recitandis brevis catalogus sufficiat.* Ita de suis Calvinus.

H

At quid remedii? Nullum ego pro monstroso Calvini evangelio reperio. Ex quo non alii, quàm memorati fructus existunt. At cùm Novatores scandala orthodoxorum occinunt & oggerunt, iisque percensendis & se & alios, ne ad Catholicam Ecclesiam accedant, remorantur, vel Catholicos pelliciunt, ut ad sectariorum castra transeant; utemur Calvini verbis, cuius sunt ista: *Neque excusatione dignus est quispiam, quem à Christi accessu arcebunt hominum peccata. Nihilo*

A *hilo ſcilicet magis, quàm ſi quis ex fonte bibere recuſet: quia ſentibus, & ſpinetis dicat eſſe obſeptum: cùm tamen obſtacula tranſcendere, nec magno labore, & ſine periculo liceat. Quia nonnullos Evangelium in ore habentes, ſceleratè, aut nequiter vivere conſpiciunt: En, inquiunt, Evangelium. Quantò rectiùs cum dolore agnoſcerent, gravem fieri Deo injuriam, quum doctrinæ vita tam malè reſpondet? Si nebulæ terris caliginem obducunt, nemo tam inſanus eſt, aut improbus, ut ſolem propterea caliginoſum vocet. Atqui, inter ſolis, & Evangelii claritatem plurimum intereſt. Nam, cùm illum obſcurent nebulæ: facere non poteſt hominum pravitas, quin perluceat ſanæ, piæq; doctrinæ ſplendor, quo vita noſtra, abſterſis tenebris, in veram juſtitiam reformatur. Ergo ſolem, etiam dum abſconditus latet, fatebimur eſſe lucidum: conſpicuam Evangelii lucem: & in ea refulgentem Chriſti gloriam, cùm cernamus, oculos nobis hominum peccata, qualiacunque tandem ſint, perſtringent? &c.*

Certè nimis indignum eſt, quam Deus præſcribit benè vivendi regulam, perverſa hominum vita metiri.

B *Tenendum eſt & hoc axioma. Certo Dei conſilio fieri, ut ſemper bonis mali permiſti ſint. Hoc modo tum fidei probatur conſtantia, tum ad patientiam exercemur, tum accenditur precandi ſtudium, tum ſpinarum punctiones ad cautè, prudentérque ambulandum nos ſolicitant, tum mundi contemptus oboritur, & unà cum migrandi deſiderio, cæleſtis vitæ meditatio creſcit. Quòd ſi cauſa lateat, his tamen exercitiis conſtare ſciamus militiæ noſtræ partem, quæ toto vitæ curriculo nobis colenda eſt.*

C Addo: *Ad quævis errata ſecurè, libentérque connivere, quum in altero, quæ carpas, plus quàm curiosè obſerves, id verò ſcandala cupidè appetentis, & ſibi fingentis eſſe dico. Nec verò aliunde provenit offenſio, quam illis quorundam affert vita, profeſſioni non reſpondens. Si eorum duntaxat, qui Evangelium ſequi ſe jactant, corrupta eſſet, ac diſſoluta vita, magis ſpecioſa offenſionis cauſa cenſeri poſſet. Verùm, cùm promiſcuè in toto ferè orbe ſcelera exundaverint; quid dicemus, niſi veterem illam Poëtæ querimoniam, in noſtrum quoque ſeculum verè competere? Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. Et quorſum ſpectat illa Chriſti admonitio, ætati Noë ſimilem fore poſtremam: horribile quoddam fore iniquitatis diluvium, quo terra obruatur: niſi ut ſponte jam ad Chriſtum properantibus, talis ſcelerum colluvies feſtinandi ſtudium acuat?*

D Hæc & plura in hanc ſententiam Calvinus; qui tamen incredibili prorſus impudentia peſtilentiſſimos & nocentiſſimos Evangelii ſui fructus adſcribere audet *Papatui*; quaſi qui in ſchola Calvini ex ipſo ſcholæ genio, nativóque ſpiritu flagitioſi ac ſcelerati evadunt; flagitia & ſcelera ex noſtra Eccleſia ſecum in Calvini ſynagogam afferant. Nil opus in ſylvas ligna ferre, aut in flumina lymphas. Etſi non diffiteor, eos, qui ad Hæreticos transfugiunt, præſertim, ſi poſt religioſæ vitæ profeſſionem id faciant, vitiorum ſatis uberem proventum ſecum ferre, non quidem ex vitæ, quod ſectabantur, inſtituto, ſed ex libero voluntatis arbitrio, novíque Evangelii aura afflato ſpiritu, qui his, vel ſola auditione acceptus, ad libidinem aliáque flagitia miros ſub pectore ſtimulos vertit, & poſtea, ubi in Novatorum caſtris merent, ingentibus incrementis adaugetur, quippe in proprio jam, & ad vitia ferenda, fovenda, & multiplicanda accommodatiſſimo loco: quorum transfugium nec Calviniſtis, nec Lutheriſtis invidemus. E

Diſcedant ergo perfidi corvi, inquit Leo IX. Pontifex (quem de Rabo, vel Corvo ad Witebergenſes paucos ante annos transgreſſo loqui credas) *milvi, vultures, & quæcunque laniatu, vel morte aliena paſcuntur aves. Sola columba ad arcam redeat; Et, ſuper caput Domini Jeſu Chriſti manens, totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, uniat, infundat, & repleat, unicámque columbam de diverſæ profeſſionis, & nationis hominibus, atque linguis omnibus, quaſi de diverſis membris efficiat, cui, voce capitis, quod eſt ipſe Chriſtus, dicat: Una eſt columba mea, perfecta mea, immaculata mea. Quæ enim ſemper una vocatur, & eſt, nunquam dividitur, aut ſecatur. Quæ ſemper perfecta, hoc eſt, plena, nunquam minuitur, aut evacuatur. Quæ ſemper immaculata, nunquam corrumpitur, aut maculatur. quoniam, etſi nonnunquam ab ea plerique ita exeunt, ut non revertantur, non tamen ejus unitas inde diſcinditur, aut perfectio minoratur, ſeu virginitas violatur. Quandoquidem membra corvina ad hoc revertuntur, ut ſuo corpori, à quo ad tempus videbantur eſſe disjuncta, reincorporentur, & integerrima permaneat columba illa unica, cui ſe incorporatos, & unitos falsò gloriabantur: & quæ gemebat ſub periculis in falſis fratribus, relevata illorum exitu, per os B. Joannis Apoſtoli liberè proteſtatur: Ex nobis exiêrunt, ſed non erant ex nobis. Nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Qui enim pectus columbæ velut humores mali ſolebant premere, & ad nauſeam jugiter provocare, alicujus acceſſionis, vel occaſionis impulſu egreſſi, vel ejecti, aut potiùs egeſti, comprobantur eam relevare: atque bonæ valetudinis ſtatum ſua diſceſſione eidem revocare.* F

Geneſ. 8. Matth. 4. Cant. 5. 1. Joan. 2.

Quod Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis in Epiſtola quadam ad S. Bernardum de uno quodam Monaſterii ſui Monacho malevolorum ſermonibus traducto & diffamato ſcripſit; id ad univerſum Monaſticæ & Eccleſiaſticæ profeſſionis Ordinem accommodare licebit: *Attendendum fuit*, ait ille, *perſonas illas, à quibus hoc, quod vos movit, dilectio veſtra accepit, jurata adver-* G H

Petrus lib. 3. epiſt. 29.

A *adversùs Cluniacum* (Ecclesiam Catholicam & Monasticam professionem) *tanta animositate ex aliquanto tempore susceptisse, ut nec linguas ab injuriis, nec manus à sacrilegiis continere potuerint. Videndum fuit, si fidem prudentiæ vestræ illorum maledicorum verba facere debuerunt, quorum os locutum est vanitatem, impudenter mentiendo, & dextera eorum dextera iniquitatis, irreverenter innocentes Monachos verberando.* B *Quapropter tantis támque manifestis hostibus fidem dare, nec vestrum, neque aliquorum bonorum est. Credite magis domesticis, quàm extraneis,* (hæreticis) *notis quàm ignotis, amicis veridicis, quàm inimicis maledicis.* Hæc Petrus ad S. Bernardum; ego ad omnes bonæ & candidæ mentis homines; ut id agant, quod Petrus agendum censuit; quando Novatores in Sacerdotes & Monachos nostros conviciis debacchari audiunt.

CAPUT VII.

De miraculis in Catholica Ecclesia patrari solitis.

C QUot miracula Misenicus triumphator, & alii Novatores in Catholica Ecclesia patrari vident; tot sibi cruces fixas non immerirò statuunt. Apertè enim intelligunt, se miraculis egere; Et tamen necessitate adacti clamant, sibi miraculis nil opus esse. *Miracula Prophetarum & Apostolorum testabantur vocationem illorum verè divinam esse;* inquit Basileensis quidam Calvinista, *illos verè à Deo missos esse, & nequaquam fallere.* Ita est. Sed cur eadem fidei faciendæ instrumenta à vobis non exhibentur? Respondet Calvinista. *Stabilita illorum vocatione, non amplius sunt necessaria miracula. Proinde quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit, ùt rectè ait Augustin. lib. 22. de civitate Dei, cap. 8.*

Aman. Polan. in cap. 4. Daniel.

D Fatemur, pro veteris & Catholicæ fidei defensione non ampliùs opus esse miraculis, cùm jam infinitis, omni propemodum ætate, confirmata sit. Quamvis autem absolutè non requirantur ampliùs ad hunc finem miracula; non patitur tamen Deus hoc dono & ornamento Ecclesiam suam carere, quod ex omnium à Christo sæculorum testificatione compertum habemus. Cæterùm licèt Orthodoxæ religioni stabiliendæ nulla necessaria sint miracula; attamen Lutheranis & Calvinianis, & omnibus illis necessaria sunt, qui fidem & religionem, toto priùs orbe receptam & approbatam exterminatum eunt, novámque inducere tentant. Unde enim aliter certus fiam, eos esse veros, & à Deo profectos Doctores, quibus antiqua dogmata abrogandi potestas divinitus concessa sit? Nam quòd ipsi se tales esse ferunt; id nemini scrupulum eximit, ùt nec illud, quod magnis vocibus clamitant, *se non novam; sed veterem & Apostolicam fidem doctrinámque afferre & prædicare:* Nam hujusmodi phaleris utuntur ad populum omnes pseudoprophetæ & falsi Doctores, licèt dissona prorsus, dissentanea & disparia tradant. E

Quocirca à Luthero, Calvino & similibus Hæresiarchis; si nobis fidem facere volebant, factum oportuerat, quod à Moyse factum, quando in Ægyptum à DEO ablegabatur. Animadvertens enim se rem prorsus extraordinariam, & à communi ratione abhorrentem aggressurum; *non credent mihi,* ajebat, alloquens Deum: *neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Cui Deus: *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit; virga. Dixítque Dominus: Projicito eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixítque Dominus; Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, versáque est in virgam: ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus Patrum tuorum,* &c. En extraordinarium legatum suum instruxit Deus facultate patrandi miracula. Quo fine? Ut fidem inveniat apud Israëlitas, séque verè à Deo missum esse, educendo ex Ægyptiaca servitute populo, perspicuè demonstret. *Si non crediderint,* inquit, *tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam; sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.* Exod. 4. F

Ecce quàm diligenter providet & procurat Deus, ne quid legato suo desit, quod ad legationem ritè obeundam faciat. G

Venerunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, & alii Novatores, jussu & impulsu Dei, eductum & liberatum Christianos, ùt ipsi quidem jactabant, ex tyrannide & captivitate longè graviore, quàm fuerit illa in Ægypto. Quæro, an non occurrit eis illud Moysis: *Non credent mihi, neque audient vocem meam. Sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Non venis missu & jussu Dei. Et si illis incidit, cur operam non dederunt, ut gratiam edendorum miraculorum à Deo impetrarent? An credebant, sibi non cum hominibus ratione præditis, sed cum duris stipitibus sudibúsque præustis commercium fore; qui omnia pronis auribus acciperent; nihil ad trutinam revocarent; nihil discuterent aut expenderent, sed ad solam verbi Dei pollicitationem, tanquam larus ad escam, avidissimè hiarent? Profectò nisi hæresiarchæ hæc sibi de futuris auditoribus promisissent, nunquam, nisi necessariis subsidiis instructi, in medium processissent. H

Quid, quòd ipsemet Redemptor noster Christus Dominus antiquæ legi priscísque ritibus

A & cæremoniis finem impoſiturus, non venit in mundum abſque res ſupra naturam efficiendi adminiculo? Quocirca duritiam Judæorum redarguens, dicebat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*
Joan. 10. Neque malè egerunt Judæi, præcisè à Domino ſignum poſtulantes, ùt apud S. Joannem:
Joan. 2. *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* quia eo etiam conſilio venerat Dominus, ut ſignis & prodigiis doctrinæ ſuæ fidem conciliaret, & à vetuſtate legis ad novitatem gratiæ & Evangelii homines traduceret: tametſi Judæi ſæpe perverſo animo & conſilio miracula flagitabant: nimirum *tentantes* Chriſtum; Et ut calumniandi materiem reperirent; vel curioſitatem ſuam inuſitato aliquo ſpectaculo paſcerent; ùt videre licet in Herode; cui videndi Chriſti hæc vel prima cura erat. Quapropter à Chriſto etiam non ſemel reprehenſi ſunt.
Matth. 12. *Generatio mala & adultera ſignum quærit.* *Malam* & *adulteram* vocat, non præcisè, quia ſignum quærebat, ſed quia maligna & perverſa mente quærebat.

B Præterea Apoſtolos ante paſſionem ſuam, prædicatum, regníque cœleſtis gratiam & divitias annunciatum miſit cum hoc man-
Matth. 10. dato: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite.* Neque tantummodo mandatum, ſed & mandati exequendi facultatem dedit, ut novæ doctrinæ veritatem faciliùs audientium animis inſtillarent, & à prioribus ſacris ad hæc recentia mortales transferrent. Simili poteſtate inſtructos ablegavit poſt reſurrectionem ſuam in univerſum mundum; Nam ſi illa ſigna ſequebantur credentes: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis,*
Marc. 16. *ſerpentes tollent; &, ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt*: quantò magis credendum eſt, ipſos Chriſtianæ fidei præcones hæc omnia eximiè præſtitiſſe? præſertim accedente illa Redemptoris promiſſione.
Joan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Cùm ergo Salvator noſter, Apoſtolos & diſcipulos ſuos, novam in orbem doctrinam invecturos, id facere voluerit ſignis ſupra naturæ vires editis; ſtolidus profectò ſit, oportet, qui novis iſtis concionatoribus, & Evangeliſtis, omnibus miraculorum chariſmatis deſtitutis, fidem commodet in re tanti ponderis ac momenti; nimirum in acceptatione novæ doctrinæ ſalutem animarum concernentis; & in rejectione ejus, quæ priùs toto terrarum orbe diffuſa ab omnibus pro divina & cœleſti colebatur & ſuſcipiebatur. Hujus rei pudendam & putidam abſurditatem agnovit non ſemel ipſemet Lutherus.

D Hinc in caput quintum Matthæi contra hujusmodi extraordinarios prædicatores, vel potiùs ſpermologos; hoc eſt, contra ſe ipſum & ſuos gregales hæc monita dedit. E
Neque hoc tibi ferendum eſt, ut aliquis erronum circumforaneorum ſeſe ad te intrudat, ac privatim in ædibus tuis doceat, quod illi commiſſum non eſt. Sin unus aliquis in domum, aut civitatem quampiam venerit, producat teſtes, ſe notum eſſe, aut ſignis, & literis teſtatum faciat, docendi officium ſibi commiſſum eſſe. Neque enim omnibus erronibus fides habenda eſt, Spiritum ſanctum ſe habere jactantibus, & ſe ſe in omnes ædes ingerentibus. Ecce Lutherus ſigna & prodigia ab hujusmodi recens exortis Doctoribus, novam doctrinam oferentibus, & veterem auferentibus exigit. Cur, obſecro, eadem non exigeremus ab ipſo Luthero; & quidem illâ ipsâ formâ, qua ea à Thoma Münzero poſtulanda dixit? Audi Lutherum. *Si dicat Münzerus, ſe à Deo & ſpiritu ejus miſſum, more Apoſtolorum, probet hoc ſignis & miraculis; vel arceatis eum à concionandi miniſterio. Nam quando Deus modum ordinarium mutare inſtituit, ſemper ſimul miracula edit.* Hæc Lutherus non tam contra Münzerum, quàm contra ſe ipſum. Cùm enim Lutherus doctrinæ & religionis ordinariam, & ante Lutherum ubique uſitatam rationem immutârit, admodum ſcire aveo, quibus miraculis Deus hanc mutationem ex ſua voluntate ſuſceptam eſſe declarârit; quandoquidem, ùt Lutherus ipſe confitetur, miracula ſemper extraordinarias mutationes comitantur.

F Luth. Tom. 2. Germ. Ihen. in Epiſt. ad Senat. Mülhuſin.

G Quod dum Lutherus oſtendit, vel parat oſtendere, usque & usque ſciſcitabimur ex Luthero & aſſeclis, verbis ab ipſo Luthero præſcriptis: *Unde venis? Quis te miſit? Quis concionandi munus tibi impoſuit? Ubi habes literas & teſtimonium, quòd ab hominibus ſis miſſus? Ubi ſunt miracula, quibus probes te à Deo miſſum eſſe?* Hæc egregiè adversùs ſe & ſuos Lutherus, ſua vineta ipſemet cædere paſſim conſuetus, qui cùm miracula adſtruendæ vocationi ab adverſariis ſuis, & ùt ipſe loqui ſolet, *Schwvermeris* poposcerit, mirari quis poſſet, cur poſteritas Lutheri à miraculis tam ſit averſa & aliena. Sed vident ſe ſubſiſtere non poſſe, ſi miracula novæ doctrinæ introducendæ neceſſaria affirment, vel notam veræ Eccleſiæ reputent. Quocirca tam furiosè incurrunt in miracula, quæ in Eccleſia Catholica ſuperioribus ſæculis vel edita ſunt, vel adhuc quotidie Sanctorum interceſſione, ope & opera, variis in locis eduntur.

Luth. Tom. 5. Ihen. in Epiſt. von den Schleichern und Winckelpredigern.

H Clamant, *pleráque eſſe Dæmonum præſtigias.* Sed quis non animadvertit, unde hanc calumniam Novatores hauſerint? An non ab illis, qui miracula Chriſti hac blaſphemia inceſſebant? *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia?* At Dæmones poſſunt mira quædam facere, verorum miraculorum ſpeciem & ſimilitudinem præ ſe ferentia. Non abnuimus; At Hæretici necdum demonſtrârunt, ea, quæ à probatis ſcrip-

A tis ſcriptoribus literis prodita ſunt, his Dæmonum vel actionibus, vel ludificationibus accenſeri debere. Non negamus fieri poſſe, ut Dæmon aliquam Podagram, Chiragram, Cholicam, ſimilésve morbos depellat, & naufragum ex undis eripiat, vel carcere & vinculis attentum, inde educat: Sed inficias imus, hoc fieri, cùm quis, implorata alicujus cœlitis ope, vel peregrinatione ad templum miraculis celebre & clarum promiſſa & inſtituta, ex malo quopiam, vel imminente periculo illæſus evadit. Neque enim Dæmon pietatis operibus & inſtitutis mercedem aliquam rependere ſolet, quippe capitalis omnium hujuscemodi actionum hoſtis.

B Verùm ut hæc meliùs perſpiciantur & percipiantur, obſervare oportet; miraculum propriè loquendo eſſe illud, quod vires naturæ ſuperat, & contra communem legem rerúmque curſum accidit: ſive id ex natura ſua, ſive ex circumſtantiis ita comparatum ſit, ut non niſi divina virtute effici queat. Hinc cœco à nativitate lumen, & mortuo vitam reddere; intrinſecè miraculum eſt, quandoquidem omnem naturæ facultatem, & communem curſum tranſcendit. Rurſus nonnulla ſunt, quæ licèt vel ab Angelica natura, vel etiam à naturali cauſa effici queant; non poſſunt tamen hoc

C vel illo tempore, hoc vel illo modo, tam citò, tam integrè, támque expeditè præſtari, & ut abſolutè præſtari potuiſſent, hoc tamen tempore facta non fuiſſent, niſi vis ſupera & cœleſtis interveniſſet. Exempli gratia, bene fieri poteſt, ut dolor capitis, pedum manuum, renum ita ſit conſtitutus, ut à naturali cauſa, nempe ab arte Medica, vel etiam ab Angelica natura, ùt à Dæmone, tolli queat. Sed viciſſim accidere poteſt; malum adeò invaluiſſe, ut tam celeriter & tantillo tempore, támque perfectè & integrè curari nequeat niſi virtute divina. Quo caſu id, quod præter communem rerum curſum contingit, veri miraculi rationem habet, propter eventus modum & periſtaſes.

D Quæ obſervanda & ima mente condenda moneo propter impoſturas ſectarii illius, qui nuper *Diſſertationem de Idolo Hallenſi*, (ſic impius loquitur) adversùs C. V. Juſtum Lipſium ſempiternæ memoriæ virum, publicavit; quam diſſertationem citat Triumphator noſter Miſenicus; profectam ab eo auctore, qui tam honeſtus eſt, ut nec nomen ſuum, nec typographi, nec loci, in quo liber excuſus, profiteri auſus fuerit; ubi miraculorum D. Virginis Hallenſis, quæ Lipſius literis mandavit, triplex genus ſtatuit; *Primum eorum, quæ poſſunt eſſe vera; ſed non ſunt miracula, nec quidquam in ſe habent vel prodigioſum, vel præternaturale; cujuſmodi ſunt illa, quæ capite potiſſimum VI. VII. IX. XIII. XXII. XXIV. XXVII. XXVIII. XXX. XXXI. & XXXIII. referuntur. Si enim Hallenſe oppidum, templúmque adversùs vim, atque impetum hoſtilem, aut periculum incendii defenſum; ſi Zwickio cuidam inter ingruentium globorum grandinem verſanti os denaſatum; aut Ryſelmannus*

E *Fatale aggreſſus ſacrata avellere ſede*
Palladium

mentifrangibulâ glande tactus eſt de muris; ſi neſcio quis uxore, & prole amiſsâ incolumis emerſit ex aquis; ſi, è gravi tempeſtate ſalva navis in portum appulit; aut puer in cymbâ ſecundo flumine delatus, & in ſicco deſtitutus; vel ſuſpendioſus reſtì fractâ, abſciſsáve ſolutus; mulier ſub rota molari ſervata; Bavarus gravi morbo ſuperſtes fuit; ſi auriga mortuo ſimilis reſpiravit; miles multiplicis cladis diſcrimini exemptus; nobilis quiſpiam per funem è carcere delapſus evaſit, & quæ ſunt hujus farinæ alia: in his omnibus quid, quæſo, factum eſt, cujusmodi non quotidie innumera oculis noſtris exhibeantur beneficentiæ divinæ exempla?

Sed Hæreticus duo hîc animadvertere de- G bebat. Primum eſt, miraculi vocem ampliore interdum notione uſurpari; pro illis ſcilicet, quæ divinitus geruntur; interventu & opera alicujus Divi, licèt naturaliter etiam, vel hominum, vel naturæ Angelicæ miniſterio evenire queant. Sic quòd thraſoni illi Zwickio naſus ænea glande eſt ademptus, & alteri cuidam præ cæteris in Divam Hallenſem contumelioſo, ſimili globo os cum mento ablatum; & paulò pòſt etiam vita; ùt refert Lipſius cap. 7. commentarii ſui de Diva Hallenſi; id quidem in ſe nihil ſupra naturæ facultatem continet; cùm non rarò tormentis bellicis ipſi pedes manúsque & capita à reliquo corpore avellantur, & in auras diſpergantur. At H quòd ex tam multis commilitonibus ille potiſſimùm denaſatus eſt, qui blaſphema voce jactaverat; *ſe ſuis manibus mulierculæ Hallenſi naſum abſciſſurum;* quódque mentum illi eſt excuſſum, qui immaniore etiam fævitia, & ore tetriore effuderat, *ſacratam ſe ſtatuam Bruxellam adducturum, atque ibi igne ſubjecto crematurum;* id certè abſque peculiari Numinis providentia, nutu, & deſtinatione non evenit, ùt manifeſtum fiet, ſi quis omnes periſtaſes & adjuncta animo non Calviniano ſecum perpendere velit. Quapropter meritò miraculis annumeratur; hoc eſt, illis, quæ licèt alia etiam, quàm divina virtute contingere queant, in hoc tamen vel illo caſu non niſi virtute divina eveniunt. Sic licèt fieri queat, ut quis ope infra divinam ex gravi morbo, vel naufragio liberetur, vel ex vinculis evadat; vel fune, quo pendebat, facto, vitam & incolumitatem retineat; tamen omnes circumſtantiæ, in caſibus à Lipſio expoſitis, ſuadent,

dent, & tantùm non clamant, omnia illa divinitus esse patrata.

A Secundum, quod Sectarium istum animadvertere oportebat, est hoc; aliqua ex his, quæ ad primum genus refert, ita posse esse constituta; ut simpliciter nulla potestas, ne Angelica quidem; opitulari valeat; sed sola divina. Ut Exempli causa, morbus, quiscunque ille sit; ita se habere potest, ut à nullo, nisi à solo Deo, curari queat, non tantùm spectando curationis modum, ùt celeritatem & perfectionem, & si quæ alia hujus generis adjuncta concurrunt, sed ipsum morbum per se. Quo eventu, id, quod contingit, verè & strictè dictum miraculum est. Et undenam scit dissertator iste an calumniator? nullum ex his, quæ ipse in primo genere collocat, ita, ùt dixi, constitutum & comparatum fuisse, & absolutè omnem creatam facultatem excessisse?

B *Alterum genus*, inquit Dissertator, *magna, & mira complectitur, sed non vera, in quam classem adscribo cap. 10. 16. 17. 18. 20. 21. 26. & alia fortassis nonnulla, eadémque illustrare libet exemplo gemino germano Belì Babylonii, quotidiana cibaria, si sacerdotibus credas, absumentis*, &c.

C Petrus lib. 2. contra Judæos. Nescio, quid aliud his reponendum sit, quàm illud Petri Cluniacensis. *Audio, audio à Judæo*, (ab Hæretico) *quod nec à Diabolo audire possem. Superat ille mendaciis suis, mendacii Principem, & eum, qui non solùm mendax, sed & pater & magister mendacii est, penè filium ac discipulum facit. Scit profectò* (Dæmon) *quamvis non desit ei voluntas fallendi, si de his mentiri vellet, neminem sibi creditурum, & idcirco ne impudenter mendax appareat, minúsque inde homines fallere possit, malitiæ suæ non quidem sapienter, sed dolosè providet. At non ita Judæus* (hæreticus) *qui totum se plusquam Diabolicis mendaciis consecravit. Nihil planè jam reliqui sibi fecit, ut ei, etiamsi quandoque vera proferret, aliquis credat.*

D *Nec hoc mirum de tanto mendace. Nam quod longè minus est, semel in judiciis falsa allegans, vel semel falsus testis inventus, & ab actionibus repellitur, & à testimoniis removetur. Quod ergo fit de semel mentiente, non debet fieri de semper mentiente, pariter & fallente?* qualis est iste Dissertator, qui per fumos mendaciorum & maledictorum totum mundum excœcare nititur, ut, quæ luce palàm, & in omnium oculis, tótque testibus gesta sunt, gesta fuisse non videat: quem miracula, quæ mortuis vitam redditam ferunt, S. August. lib. 22. de civit. Dei cap. 8. Evod. lib. de Mirac. S. Stephan. inficiantem feremus; si ex probatissimis monumentis, præsertim ex D. Augustino & Evodio Uzalensi, demonstrare nequiverimus, similia his à Lipsio recensitis jam olim ad Memorias Divorum patrata esse miracula. *Restat tertium genus*, inquit Calvinisticus dissertator, *cui res cap. 8. 11. 12. 14. 19. 23. 25. 32. commemoratas attribuo. Hæc miracula dici possunt: quia, talia sensibus nostris offeruntur, nec, ùt superiora, semper ab hominibus conficta, sed à malis, & impuris dæmonibus sæpè exhibita reperiuntur: ut plurimùm quidem præstigiis, & ludibriis, non tamen nunquam etiam re, & facto.*

E

Ita profanus disceptator, qui odio miraculorum & gloriæ, quà Deipara fulget, inductus, mavult tam illustria facta vel commentis mendacium hominum, vel ludibriis & potentiæ Dæmonum, quàm Deo, & Deiparenti attribuere; qua impietate isti à Judæis, majoribus suis, quasi per traducem, adaucti sunt, qui incredibili pertinacia, oculis suis potiùs fidem negare, quàm Christi & Apostolorum miraculis assensum præbere voluerunt.

F

G Polan. comment. in Daniel. Verùm enimverò, *utcunque* Novatores *obfirment animum* (utor enim verbis Calvinistæ Basileensis, qui non malè explicat, quomodo infideles, hoc est, ipse & universi sectarii ad miracula affecti sint) *& omnes suos sensus obdurent, tamen, velint nolint, coguntur sentire Dei virtutem, quam superbè & blasphemè elevant.* Nam si in patratione miraculorum non coguntur vel inviti potentiam divinam agnoscere; cur quamprimùm aliquid audiunt de miraculis B. P. nostri Ignatii, vel B. P. Xaverii, vel aliorum sanctitate præstantium virorum, vel de illis, quæ Hallis, Sichemii, Laureti, Oetingæ, alibi patrantur, dentibus frendent & tabescunt, calamósque & stylum exerunt & exacuunt, & mille conviciorum generibus instructi non aliter tonant & boant, quàm si de mentis potestate exîssent, & integris libris veritatem obnubilare contendunt, ùt fecit nuper iste, de quo antea loquebar, Anonymus dissertator, & post illum Anglus quidam, allatrantes aurea duo clarissimi Lipsii opuscula de Miraculis Divæ Hallensis & Sichemiensis. Ego cum S. Augustino clamo. *Si nec scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas vos asserit, abite confusi, & redite confessi.* Quæ mitior imprecatio, quàm illa Calvini. *Qui Ecclesiam contumeliosè subsannant, carnificem, ùt digni sunt, habeant magistrum, & furcas, scholam.*

S. Aug. lib. 13. contra Faust. cap. 6.

Calvin. in lib. de scandalis.

H Non committam autem, ut tacitus præteream pulcherrimam cum Saraceno super hoc miraculorum argumento dissertatiunculam Theodori Abucaræ, cujus opuscula nuper Græcè & Latinè vulgavimus. Is igitur, ut ostenderet inter Moysen & Christum, & Mahumetum, quem Saracenus cum Christo & Moyse comparabat, ingens fuisse discrimen; neque ideo prædicationem & legem Machometi fuisse fide & acceptatione dignam; quia prædicationes & leges Moysis & Christi fuerunt fide & acceptatione dignæ, sic inter cætera scribit. *Non, sicut putâsti, Moyses & Christus digni fuerunt fide, & ap-*

Abuc. opusc. XIIX.

A *& approbatione ; quia prædicabant & docebant, ut jam sic etiam Machometo credatur ; quia prædicabat, & docebat. sed audi, unde uterque habitus est dignus fide. Quando mittebatur Moyses à Deo, respondit ; Ecce vado, & dicent mihi, non apparuit tibi Dominus, neque Deus*

Exod. 3. *misit te ; quid faciam ? & ait ad eum Deus ; quid est hoc, quod habes in manu tua? & respondit, virga. Et dixit ei Dominus ; projice eam ; & projecta conversa est in serpentem. Et rur-*

Exod. 4. *sus, cùm serpentem manu prehendit, versus est in virgam. Postea dixit ei Deus ; mitte manum tuam in sinum tuum ; quam cùm misisset, protulit eam leprosam. Et rursus immissa, edu-*

Ibid. B *cta est sana, & ait Deus illi : Si non crediderint primo signo, neque secundo, fac ex aqua sanguinem. Atque ita fecit Moyses ; & habita est fides verbis ejus, propter opera. Sic est, an non ? Sarr. Sic sanè. Theod. Venit Christus, & se esse à Deo missum, fidem sibi fecit non tantùm testimonio, & prophetia Moysis ; sed post illam missionem, signis etiam, & prodigiis, & variis virtutibus, fidem confirmavit. Sarr. Quibusnam istis ? Theod. Conceptu sine semine, matre sine viro, & ortu ex Virgine : mutatione aquæ in vinum : & post hæc, non obscura, sed omnibus valdè manifesta oculorum*

C *cæcis restitutione, leprosorum sanatione, paralyticorum corroboratione, & variorum morborum curatione : ostensione divinitatis in monte ; dæmonum expulsione, saturitate multorum millium ex paucis panibus, & piscibus : mortuorum tanquam è somno excitatione ; & denique, ut semel dicam, instauratione naturæ, in quibus exciderat, & lapsa erat. Quid ais ad hæc Sarracene ? an minoribus signis, quàm Moyses fidem sui fecit Christus ? Sarr. Nequaquam. Theod. Sic igitur à Moyse prænunciatus, & tot, ac tantis signis à Deo venisse declaratus, edicit discipulis suis : Lex, & Prophetæ usque ad Joannem*

Luc. 16. *Baptistam ; qui habet aures audiendi, audiat. Ubi igitur sit Propheta vester, non est obscurum.*

Ex his omnibus apparet Lutherum, Calvinum & similes novæ legis & religionis

D contra ubique receptam & approbatam fidei formam prædicatores ; tam esse fide dignos, quàm fide dignus est Mahometus. Nam ùt iste nullis penitus miraculis prædicationi suæ fidem conciliavit ; sed tantùm vociferatus est, se à Deo missum, seque cum Angelis nescio quæ colloquia miscere ; & omnia sua dogmata cœlitus accepisse ; ita & novi isti præcones miraculis penitus caruerunt, & adhuc carent, tantúmque Stentoreis vocibus & ferreis frontibus clamitârunt, *verbum Dei, verbum Dei. Evangelion, Evangelion.* Quapropter non immeritò in eadem tribu cum Mahometo collocantur.

CAPUT VIII. E

De variis S. Petri, & id genus aliis apparitionibus.

QUomodo ægrotanti Ignatio B. Petrus Apostolorum Princeps apparuerit, exponunt Ribadeneira & Maffejus. Quæ apparitio admodum Miseno placuit. Quare in prioribus Apologiis eandem non paucis aliis ejusdem generis stabilivi & illustravi. Nunc in gratiam Misenici Triumphatoris unam alterámve adhuc attexam : Et priorem quidem D. Udalrico Episcopo Augustano olim oblatam, exponam verbis Bernonis Abbatis, qui Divi hujus res gestas litteris consignavit. Tu Misene, Bernonis relationi faciles arrectásque aures porrige. *Alio tempore, dum sub cujusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eique dixit : Surge, & sequere me. Et statim eduxit illum in campum, qui ex nomine ibidem decurrentis fluvii, Lecfelt dicitur, ubi sanctum Petrum Apostolorum Principem, velut in synodali colloquio, sedentem invenit cum magna Episcoporum, aliorúmque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primùm, revelante sibi gratia divina, cognoscere cæpit. Ibi inter alia, quæ tractabantur, sicut olim in Apocalypsi S. Joannis, audita est vox animarum, de suis interfectoribus vindictam expetentium ; ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum adhuc vivente, ob destructionem Ecclesiarum, atque monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententia, damnatus est pœna. Proferebantur in medium etiam duo enses : unus quidem cum capulo, alter verò absque capulo. De quibus Princeps Apostolorum ait ad beatum virum : Dic regi Henrico : Ensis absque capulo, significat illum, qui sine unctione regnat in populo. At alter capulatus, illum, qui per sacræ benedictionis ordinem divinitùs fuerit coronatus. Finito sanctorum Concilio, prædicta Dei martyr sanctissima monstravit illi adhuc loca, in quibus Otto Rex postea castra posuit, & generale colloquium cum suis habens, Berengarium regem Longobardorum, cum multis aliis præsentatum, in suum suscepit dominium. Prædixit etiam efferæ gentis Hungarorum irruptionem, durissimámque cum nostris congressionem, nec non & loca certaminum : & licèt cum magno suorum detrimento, tamen victoriæ triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, cœlesti visione dignum, in talibus etiam sanctis Apostolis, Petro videlicet, ac Paulo, conferendum : quorum alter in linteo cœlitùs demisso, electionem gentium per visionem didicit : alter verò, sive in corpore, sive extra corpus, usque ad tertium cœlum raptum se asserit, ubi & arcana Dei audivit, & vidit, &c.*

Hæc Berno. Describit eandem visionem Gebhardus Episcopus in ejusdem sancti Præsu-

A Præſulis Hiſtoria. Meminit ejusdem Diethmarus, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

Dieth. lib. 1. Hiſt.

In epiſt. ad Deſiderium Abbatem. Tom. 3. Biblioth. SS. PP.

Apud Petrum Damianum doctrina & ſanctimonia excellentem virum extat admodum illuſtris D. Petri apparitio, quam non exſcribo; quia malo Triumphatorem legere in ipſo Damiano, ut ex ipſo fonte dulciùs bibat.

B In ejus vicem dabo aliam ex eodem Damiano in epiſtola ad Cadaloum Pſeudopapam. Tu ad audiendum aures exporrige. *Quod mihi à ſenioribus intimatum, refero,* inquit Damianus, *in Babyloniæ partibus poſſeſſionem Apoſtolica ſedes habebat; unde, tantum balſami redditum, per annos ſingulos capiebat, quod indeficiente fomite ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare B. Apoſtolorum principis rutilabat appenſa; quam poſſeſſionem, accepta pecunia, Papa diſtraxit, canonémque aromatis, quam accipere ſolebat, amiſit. Aliquanto pòſt, cùm idem Papa prædicto ſacroſancto altari quaſi devotus aſſiſteret, & oraret, ecce, quidam terribilis, & grandævus ſenex, in cujus etiam facie barbiraſium videbatur, elato brachio colaphum ipſi vehementer incuſſit & ait: Tu extinxiſti lucernam meam, ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum: móxque diſparuit. Ille verò protinus corruit, & paulò pòſt diem clauſit extremum. Sic ſic nimirum meretur corripi, qui illi ſe præbet adverſum, qui cœli, terræque primus paſtor obtinet principatum.*

C Metuo, ne hæc audiens animo linquatur Miſenus, eique, ùt olim Curculioni, *tenebræ oboriantur. Viden, ùt expalluit? datin iſti ſellam, ubi aſſidat citò, & aqualem cum aqua? Properatin ocyus?* interea *facite ventum*, etiamſi clamet, *nolo mihi fieri ventulum.* Ego reficiendo labenti animo, commemorabo aliam D. Petri apparitionem ex Hugone, qui Hugonis Abbatis Cluniacenſis vitam in litteras miſit; qui Adefonſum Hiſpaniæ Regem S. Petri ope ex carcere teſtatur liberatum: *Eum namque frater ejus Sancius regno privaverat, captum, & catenatum carceri*

Tom. 2. Surii.

D *mancipaverat. Illi verò pius Hugo Abbas Cluniacenſis compatiens, pro eo apud Dominum precibus inſtabat; & Apoſtoli Petri confidens meritis, à Domino eum abſolvi poſcebat. Nec mora: B. Petrus Apoſtolus cuidam fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Adefonſi ereptione, Deum admiſiſſe revelavit. Fecit etiam Adefonſo illud in carcere nuntiari. Porrò, Sancio in ſomnis ſub gravi comminatione præcepit, ut citò Adefonſum reſtitueret, nec differre auſus eſſet. Sancius terrore correptus Adefonſum ſtatim reſtituit. Reſtitutus ille, Deo, & liberatori ſuo gratias egit, cenſúmque, quem pater ſuus Ferdinandus quotannis Cluniacenſi monaſterio ſolvendum inſtituit, ipſe duplicavit, ducentas, & quadraginta auri uncias annuatim reddens.*

Gratior fortè erit hæc ejuſdem Apoſtoli apparitio ex Leone Oſtienſi. *Eo tempore*, nimirum anno Domini 1087. cùm Guibertus Pſeudopapa, legitimum Pontificem totámque Romanam Eccleſiam fœdè & miſerè affligeret; *Peregrini quidam, dum orationis gratia ad B. Benedicti monaſterium pergerent, obvium habuerunt canonicum ſenem. Percontantibus, quis eſſet? Petrum Apoſtolum ſe eſſe reſpondit. Sciſcitantibus, quò pergeret? Ad fratrem, inquit, Benedictum proficiſcor, ut cum illo paſſionis meæ celebrem diem. Romæ ſiquidem conſiſtere nequeo; quia Eccleſia mea diverſis procellis agitatur. Quod dum Fratribus viri illi poſtmodum referâſſent, ad ſuccedentium memoriam conſtituerunt, ejusdem Apoſtoli ſolennitatem non minori veneratione, quàm Patris Benedicti celebrandam.*

E Leo lib. 3. Chron. cap. 68.

Vin' & aliam majoris oblectationis cauſa? Audi igitur, Liſiardo referente, quid de ſe jam jam moriturus commemoraverit S. Arnulphus Sueſſionenſis Epiſcopus, poſtquam conclave, in quo jacebat, tertiùm fuerat ingenti fragore & tremore concuſſum. *Sub prima quaſſatione B. Petrus Apoſtolus ad me venit, ſignificans mihi peccata remiſſa, & vitæ januam patere; aderat beatorum frequens cœtus, laudes divinas continenter modulantium. Sub altera quaſſatione cum multis angelicis ſpiritibus ſanctus Michaël me inviſit, pollicens ſe duce, me ad beatam vitam ingreſſurum. Tertia concuſſione affuit Domina noſtra, verè miſericordiæ mater, multis ſtipata ſanctarum Virginum agminibus, benigniſſima me voce certiorem efficiens, de anima mea inter Aſſumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda.*

F

G Et quia jam olim vehementer miratus & iratus eſt Miſenus, quòd Ribadeneira ſcripſerit; totam domum, in qua de vita in melius commutanda, Ignatius ſeriò deliberabat; terræ motu derepentè facto contremuiſſe; fragorem ingentem exauditum, & cubiculum, ubi Ignatius erat, à fundamentis concuſſum eſſe; adjungere hîc libet, quæ idem Liſiardus accidiſſe ſcribit, cùm S. Arnulphus ad ſupremam vitæ horam propinquaret: *Vigeſima die, poſtquam decubuit, qui tum erat feria ſexta, ſub noctis medio, cella, in qua jacebat, mirabili tremore, & horribili fragore tertiò concuſſa eſt, ita, ut à fundamentis everti videretur, & monachi cum famulis, qui apud illum excubabant, intolerabili perculſi timore, cellæq; ruinam formidantes aufugere percuperent. At illos vir Dei verbis conſolans, hortabatur, ut ſe quieti darent, certè nihil ipſos incommodi eſſe paſſuros. Ait autem ad eum Euerolphus presbyter: Domine mi, terra contremiſcit, cella colliditur, oſtium à me jam tertiò obſeratum pateſcit, turbarum murmure locus circumſonat, & quomodonam inter tot terrores nos poſſumus ſomnum capere? Reſpondit vir Dei; ne paveas, dilecte frater; ſunt enim hæc omnia divinæ majeſtatis ſigna. Porrò poſt paullum dicam tibi, quæ vis cellam*

H

Rib. lib. 1. de vita B. P. Ignatii cap. 2.

A *quaſſaverit, & hunc terræ motum effecerit. Proximo inde Sabbatho ſentiens mortem imminere, dixit Fratribus: parate jam funeri neceſſaria, nam ſub noctis initium decedam, ùt mihi Dominus, cui pro viribus ſervire conatus ſum, heſterna nocte revelavit, cùm ille terræ motus, & aëris concuſſio fragorem cellæ excitaret.*

B Non eſt igitur, cur Triumphator noſter frontem narésque adeò corruget; cùm admile quiddam ſub primordia converſionis Ignatii noſtri accidiſſe legit. Necdum clamas Miſene? Ohe jam ſatis eſt. Durato, & temet rebus ſervato ſecundis. An neſcis ipſi etiam Conſtantino Magno Apoſtolos Principes Petrum & Paulum apparuiſſe, & de via ſalutis admonuiſſe, imò & inſtruxiſſe; ùt cùm alii veteres teſtantur, tum altera ſynodus Nicæna, omnibus Calvinianis acceptiſſima & jucundiſſima; & Adrianus Pontifex, cujus hac de re luculentum teſtimonium invenies tomo 2. epiſt. Decretalium.

C Jam finio apparitiones, & ad incorruptionem corporis Xaveriani tranſeo, de qua audire æquè Miſeno eſt volupe, ac de priori argumento. Multa attuli in prioribus Apologiis exempla, quibus id, quod Miſeno incredibile videbatur, probabile efficere ſtudui. Producamus nunc plura, priùs à nobis non commemorata. I. Angilbertus vel Engelbertus, Caroli Magni gener, anno poſt exceſſum XXVIII. indiſſoluto corpore inventus eſt; licèt aromatibus non fuiſſet conditus, teſte Nithardo. II. Simile quid de Edmundo Epiſcopo Cantuarienſi, leges in ejus vita. III. Item de S. Cuthberto, qui etiam noſtro ſæculo corruptionis expers perduravit. Vide Alanum Copum Dialogo tertio cap. 29. His addatur IV. S. Eadmundus Rex Angliæ Martyr: de quo hæc Abbo Floriacenſis in ejus vita: *Cùm*

Nithard. lib. 4.

Tom. 6. Surii.

Tom. 6. Surii.

D *pretioſum illud corpus Martyris putrefactum putaretur, ob diuturnum ſpatium tranſacti temporis, ita ſanum, & incolume eſt repertum, ut, non dicam caput redintegratum, & compaginatum corpori, ſed omninò in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cum reverentia nominandus ſanctus rex, & martyr Eadmundus, integer, & viventi ſimillimus ad prædictum locum eſt translatus: ubi adhuc in eadem forma exſpectat beatæ reſurrectionis gaudia repromiſſa. Tantùm in ejus collo, ob ſignum martyrii, rubet una tenuiſſima riga in modum fili coccinei, &c.*

Tom. 7. Surii. V. Sigeberti Regis Francorum corpus poſt quadringentos annos repertum eſt, *non tanquam mortui, ſed ùt dormientis hominis, planè integrum, & omnis maculæ expers.* Imò cum labentibus annis, hoc eſt, quingentis & ſeptuaginta ab obitu annis ſepulchrum denuò apertum eſſet, *rurſus integrum apparuit, ac ſi dormiens illic jaceret.* VI. Corpus Judoci, Regis Britonum filii, ſexaginta poſt mortem annis incorruptum permanſit. E VII Prædictis junge S. Soſium Martyrem & Levitam. VIII. S. Rainaldum Archiepiſcopum Ravennatem. IX. S. Wenceslaum Ducem & Martyrem. X. S. Ludmillam S. Wenceslai aviam. XI. S. Humbertum Confeſſorem, cujus ſacrum corpus poſt 153. à migratione ex hac vita annos *ita illæſum & incorruptum inventum eſt, ac ſi eadem die ſpiritum emiſiſſet, ut ſi lectulum compoſitum videres, dormire hominem exiſtimares; Et linteamina, quibus ipſe involutus fuerat, nihil in ſe corruptionis habebant. Sed & herbæ, quæ ſepulturæ ejus die appoſitæ fuerant, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeò virides ſunt repertæ, ac ſi terræ radicitùs inhærentes, irriguis aquis vireſcerent.* XII. S. Hermannum Confeſſorem. Quæ omnia tomo ſeF ptimo Surii invenies. XIII. S. Hubertum Epiſcopum Leodienſem, qui ſub Carolomanno Rege Francorum floruit; qui cùm decimo ſexto ab obitu anno transferretur, *glorioſum ejus corpus*, ait, qui res ab ipſo piè geſtas litteris mandavit; *nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione, atque putredine repererunt, & pro tabo, atque putredine, quæ mos eſt mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud ſenſerunt odorifico odore fervere. Caput autem illius perluſtrantes oculis, vident vultum ejus (quod dictu quoque mirabile eſt) ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis. Coronam verò capillorum alienam prorſus ab omni læſione, cæſariémque auctam, & prolixitate, & pulcritudine. Neque enim candore ſenili albebat, ſed colore, & viſione ſui, juvenis caput repromittebat.* XIV. S. Othmarum. XV. S. Urſi- G num primum Epiſcopum Bituricenſem. XVI. SS. Martyres Gervaſium, & Protaſium, *quorum corpora* (ùt eſt in Romano Martyrologio, 19. Junii) *Domino revelante B. Ambroſius ſanguine conſperſa, & ita incorrupta reperit, ac ſi eo die fuiſſent interempti.* XVII. S. Cæciliam Virginem & Mart. cujus corpus integrum, incorruptúmque noſtra memoria ſub Clemente VIII. Pontif. max. denuo repertum eſt: ùt habet Cæſar Baron. Cardinal. tomo nono ad annum Chriſti 821.

Tom. 6. Surii.

H Riſit non ſemel Miſenus Hozium, unum ex primis Ignatii Sociis, ante Societatem conſtitutam Patavii defunctum, cujus mortui ori, tantum ſplendoris decoríſque additum ſcribit Ribadeneira, ut ſocius ejus Joannes Codurius animum aſpectu ſatiare non poſſet. Multa in aliis Apologiis ex Sanctorum monumentis ſimilia exempla protuli, quibus nonnihil profani calumniatoris irriſio coërcita eſt: Nunc adjungo iſta. I. De Edmundo Cantuarienſi Epiſcopo hæc Auctor, qui vitam ejus ſcripſit. *Corpus* (mortui) *detecta facie in medio poſitum, roſeo colore perfuſum videbatur.* De Coleta Virgine Stephanus Juliacus. *Color, qui fuit in ea decedente, perduravit horis duodecim,*

Rib. lib. 2. cap. 12.

Tom. 6. Surii.

Tom. 7. Surii.

A *decim, inde ſubitò corpus ejus mutatum eſt in pulchritudinem admirandam. Erat enim inſtar nivis candidiſſimum, venis colore cæruleo elegantiſſimo paſſim apparentibus. Membra omnia formoſiſſima viſebantur, & quæ poſſent facilè inflecti, odorem mirificum ex ſe diffundentia, ita, ut planè in eis innocentiæ ſtatus & omnimoda puritas reluceret. Iis adeò permoti fuêre plurimi, ut ſupra triginta hominum millia ad eam viſendam confluxerint.* De Epiphanio Ticinenſi hæc Ennodius in ejus vita. *Illud ſilentio præterire non debeo, quòd ejus ſanctæ reliquiæ uſque in diem tertium, quo cum ſumma veneratione reconditæ dinoſcuntur, tanto lumine, & decore veſtitæ cunctorum viſæ ſunt oculis, ut ſplendorem vitæ vultus ſignaret defuncti, & repoſitam gloriam jam tunc percepiſſe glorioſum vas crederetur, in quo verè fuit theſaurus magni Regis incluſus.*

B Fortè ad hæc vociferabitur Miſenus. μέλει μοι τούτων ἧττον, ἢ τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων, *minùs hæc curo, quàm ranas in paludibus.* At ſive curet, ſive non, vel invito oggerenda & ingerenda ſunt; quia Divorum gloriam & honorem adversùs contemptores iſtos decantant, & celebrant: quod nobis ſatis eſt, licèt ſectariis pluſquam ſatis ſit; qui cùm ei, quod non eſt, tenaciſſimè adhæreant, nempe mendacio; non niſi averſis avibus & mentibus hæc talia ex veritatis penetrali deprompta accipiunt. *Mendacium, quia nullam habet eſſentiam, (nihil enim eſt) non ſubſiſtit,* inquit Agobardus. *Porro mendacia, quia non acceperunt, ut eſſent, nullum eſſe habent; ac per hoc is, qui mendacio adhæret, ei rei adhæret, quæ non eſt: quanquam nec res dicendum ſit: qui autem ei adhæret, quod non eſt, non ſolùm ab eo recedit, quod fecit eum, ſed etiam* C *ab eo ipſo, quod factus eſt; quoniam non amplius, quàm duo eſſe ſunt; unum ſummum, quod ſuum eſſe non accepit ab alio; alterum magnum, quod ſuum eſſe à Deo accepit, id eſt, creator, & creatura. Mendacium igitur; quia non eſt creator, non eſt ſummum eſſe; quia non eſt creatura, non eſt magnum eſſe: quia nullam habet eſſentiam, nec eſt ullum eſſe. Qui ergò vult perſiſtere in eo, quod eſt, non recedat ab eo, qui ei dedit eſſe; qui autem non vult recedere ab eo, qui verè eſt, fugiat, quod omnino non eſt, id eſt mendacium.*

Julian. in Miſopog.

Agobard. lib. contra inſuſſ. opin. vulgi de grand. & tonitruis.

Hoc ut agas, tibi Miſenice Triumphator ſuadeo, atque imo pectore exopto.

D Subſannavit alicubi Miſenus non ſine voluptate Archangeli Michaëlis picturam, qua libram manu tenens animarum merita ponderare & examinare repræſentatur; Dæmone altrinſecus obnitente, & partem bilancis, quam occupat, quantum potis, deprimente. Nunc ut majorem voluptatem Lithinus Triumphator capiat, commemorare lubet, quæ ſuper hoc ipſo argumento differit Philippus, Græcus & vetus Auctor in ſua Diop-

tra. *Quis vel ſermo expediet, vel intellectus* E *tandem capiet, quam calamitatem neceſſariò ſubitura es,* (alloquitur animam) *quando inſtabit à corpore ſeparatio? Dæmones malè feriatì cum tumultu advenient; chirographa, & peccatorum acervos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam examinabunt, quibus dæmones graviora tua crimina adjicient. Si juràſti, ſi furtum feciſti,* &c. Totum denique, & ſimpliciter *peccatorum tuorum catalogum ſeu ſciens, ſeu neſciens, ſeu ſentiens, ſeu non ſentiens illa commiſeris. In humeris geſtabunt,* F *& apportabunt omnia maleficè, feſtinabúntque, ut hominum exitio lætantes, & utrum peccatorum lanx deorſum vergat, obſervabunt. Bonì verò angeli in alteram lancem decentì ſpecie bonas actiones imponent. Nempe, ſi miſericors fuiſtì, ſi fratribus peperciſtì,* &c. *Quando igitur actiones tuas in medium protulerint, profanas quidem dæmones, angeli autem bonas, lucidì lucidas, tenebroſi tenebrarum, & iis lances oneraverint, utrorum pars præponderaverit, illos voluptas, & gaudium inceſſet, tanquam victores ſcilicet; at victì contriſtabuntur vehementiſſimè, ùt teſtantur, Gregorius Romanus in dialogis, magnúsque & omnimodis magnus, & divinus Antonius, magiſtrorum reverendiſſimus, & ſanctorum decus.*

Si igitur benignus, & miſericors Deus tunc, G *ô anima, humilitatem tuam viderit, vincentur dæmones, erubeſcent, abſcedent, angelique victores libentiſſimè te accipient, & gaudentes, pro more, in ſedes æthereas inferent,* &c.

Si autem gravitas delictorum lancem deorſum traxerit, tum Principes tenebrarum, & bonis invidentes impudenter te abripient, & audacter ad inferos abſtrahent.

CAPUT IX.

De Voto caſtitatis.

QUæ Miſenus de caſtitate diſſerit, ea H ex hara ſumpſit, non ex Scriptura, aut Eccleſiaſtica diſciplina. Iis ut vicem rependam; (quid enim opus jam pridem refutata, denuo refellere; cùm, ſi mille refutationes afferas, iſti cramben ſuam perpetim recoquant?) Triumphatori meo aliquot porcina axiomata ex Lutheri ſermone *de Matrimonio* contemplanda proponam: Panegyricum namque adornamus, non ἔλεγχον ſeu *reprehenſionem.* Expedit autem hæc ex Luthero, omnium hoc tempore ſectariorum parente, ſæpius iterare, & lectoribus ob oculos ponere, ùt omnes intelligant; vel, ſi jam antea intellexerunt, memoria repetant, quantus Lutherus fuerit porcus; quàm ab omni ſenſu cœleſti alienus; cœno voluptatum, ùt amica luto ſus, ad ambas uſque auriculas immerſus. *Si Deus non vellet mihi dare alium Meſſiam, quàm Judæi optant & exſpectant,* inquit Lutherus, *tunc longè mallem porcus eſſe, quàm homo,* &c. *Et ut maximè nunc*

Extat. Tom. 5. Lat. Witeberg.

Luth. lib. de Judæorum

mendaciis Tom. 7. Lat. Witeberg.

nunc hæc omnia haberem, & possem Imperator Turcarum, aut ipse Judaicus Messias, sicut exspectatur, fieri, adhuc mallem esse porcus.

A Vides, quanto desiderio Lutherus arserit, ut porcus fieret; ídque propter jucunditatem vitæ, qua porcus fruitur; *nam sus*, inquit Lutherus, qui fabrè prorsus & artificiosè suis vitam penicillo suo suillo nobis depingit, *in volutabro fruitur suis deliciis, sordibus & luto, capit somnum, stertit, non metuit ullum regum, aut dominum, non mortem, aut infernum, non pavescit terroribus diaboli, aut iræ divinæ. Vivit adeò sine cura, ut ne de quisquiliis quidem cogitet. Et si Turcarum Imperator cum omni potentia, & exercitu suo iratus incederet, tam superba forsan esset, ut propter ipsum non se tamen moveret, si propelleretur, obgrunniret etiam, & (si posset) jure ipsi Cæsari Turcico insultaret, & diceret: quid tumultuaris? quid tonitrua minaris inepte? non ex decima parte, tam beatus es, quàm ego: non ullus homo uno usquam momento tam suaviter sine omni metu mortis vivit, sicut ego perpetuò, etiamsi deciès tam potens esses, aut dives. In summa, ipsa non cogitat de morte, est mera securitas.*

B *Si verò jam conficitur porca saginata, non sentit mortis terrorem, putat se acu pungi, donec in momento moritur. Sic nec ante mortem, nec inter moriendum, nec post mortem sentit ullum pavorem, sed meram, & perpetuam vitam. In hac parte quidem nullus Rex, neque ipse Judæorum Messias æquabit suem, quantumvis sapiens, sublimis, dives, sanctus, potens. Ipsa de pomo non comedit, quod discrimen mali, & boni nos miseros homines docuit in paradiso.*

C Nimirum hæc tanta porcinæ vitæ suavitas fecit, ut Lutherus potiùs porcus, quàm Judæorum Messias, aut Turcicus Imperator esse optaret; háfque preces ad Deum funderet; *Domine Deus, tibi habe tuum Messiam, aut da eum illi, qui eo delectatur. Me autem transforma potiùs in porcum. Melius est enim esse suem, quàm perpetuò morientem hominem: imò, sicut Christus dicit, melius esse hominem non esse natum*, &c.

Et videtur Lutherus factus voti compos, transformatus in porcum non quadrupedem, sed bipedem; corpore non pronum, sed erectum. Non enim hominis istæ sunt voces, sed porci grunnitus.

D *I. Ex hac sententia: crescite & multiplicamini, certi sumus, oportere coadunari maritum & uxorem, ut se multiplicent: éstque tam durum, atque primum præceptum, magisque contemptui, & irrisioni ademptum primum, quandoquidem huic benedictionem suam addat Deus, & quiddam ultra creationem jungat.*

II. Ut non est in meis viribus situm, ut vir non sim; tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim.

III. Ut in tua manu non est, ut fœmina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas.

IV. Non est libera electio, aut consilium, E *sed res natura necessaria, ut marem fœminæ, fœminam mari sociari oporteat.*

V. Verbum hoc, quo Deus ait: Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plus, quàm præceptum, divinum puta opus.

VI. Non est nostrarum virium, vel ut impediatur, vel omittatur, sed tam est necessarium, quàm ut masculus sim: magisque necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno, & excubiis intentum esse.

VII. Insita est natura, & indoles, æquè, atque membra, quæ eò pertinent.

VIII. Ut nemini Deus in mandatis dat, ut sit mas aut fœmina; sic nec, ut se multiplicent, præcipit, sed homines ita condit, ut mas, aut fœmina sint, útque generationi studeant.

IX. Est hic necessitas, non arbitrii libertas. F

En axiomatum ex media Epicuri officina hauftorum eximiam enneadem. Docet Aristoteles, *nos apud eos, quos contemnimus, non verecundari.* Oportet ergo, ut Lutherus non tantùm omnes suos auditores; sed & totum mundum contempserit, qui hæc tam inverecundè & impudenter non modò pro concione ex suggestu pronunciârit; sed & Tomis suis Latina & Germanica lingua inferere ausus fuerit. Oportet insuper Prædicantes, totum mundum spernere, quando non verentur aut verecundantur, *porcina* hæc Lutheri effata, tanquam divina oracula tueri, & laudibus extollere. Dicit quidem postea Lutherus, posse quosdam, qui sint quasi instar miraculi, cælibem vitam ducere, qui tam *efficax divini verbi regnum in se comperiant, ut illo crescendi præcepto non obligentur*; Sed hos ait *esse admodum paucos, & inter mille vix unum*, quod de Hæreticis verissimum noveris; apud quos rarissima avis & fermè G incognita, castitas. Deinde licèt Lutherus hanc exceptionem addat; seriò tamen non addit; sed tantùm eo consilio, ut flagitiosam suam turpitudinem nonnihil obtegat. Nam sicut nullo miraculo, aut extraordinaria Dei gratia contingit; ut *vir non sit vir, & fœmina, non sit fœmina*; ita ex fundamentis à Luthero jactis, sequitur, nulli contingere, ut castè vivat; quandoquidem utrumque æquè est necessarium, & simpliciter extra liberæ electionis & voluntatis nostræ facultatem. Sequitur etiam, tot ex Lutheranis & Calvinianis castam vitam ducere, quot vitam ducunt absque cibo, potu, sordium excretione, somno. Quandoquidem *crescere* & *multiplicari* magis est necessarium; quàm cibus, potus, & omnia paulò antè nominata; ex flagitioso Lutheri pronunciato. Sed pergamus Aristippica & Sardanapalica axiomata enumerare. H

Aristot. lib. 2. Rhet.

Sed quomodo loquar? inquit Petrus Abbas, de Judæorum turpissimis obscœnitatibus verba facturus. *Indicit pudor silentium: &* Petr. Cluniacens. lib. 2. contra Judæos.

ne

A *ne inhonesta proferens, minùs in verbis honestus videatur, pertimescit. Confunditur turpia ingerere auribus pudicorum: audire sancta & cœlestia assuetis infundere tam nefanda veretur. Sed quid? Deponat inconsultum ruborem Christianus & sobrius sermo, & impios, inhonestos redarguens, saltem in his erubescere cogat. Facit hoc sæpe Deus in lege prima: & in secunda idipsum non tacet,* &c. *Unde nec ego istud intentatum relinquam, ut magis ac magis inimici* Christiani (Catholici) *nominis confundantur, & quàm execrandi sint, qui tam execrandis credunt, sole clariùs videatur.*

B *X. Præclarum & insigne adagium est; Manè surgere, & manè contrahere matrimonium, neminem debet pœnitere.* Et ut omnes vim Lutheranæ hujus paræmiæ meliùs assequamur, Germanicè ad oram libri attexitur. **Frühe auffstehen, und Frühe freyen, das soll niemand gereuen.**

XI. Verum profectò est, eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat: & quî aliter eveniret? Posteaquam marem, & fœminam commistionis, & multiplicationis causa condidit? &c.

XII. Illud crescere, & multiplicari, nec impedire, nec detinere potes. Opus Dei est, quod suum etiam meatum quærit.

XIII. Physici non malè sentiunt, cùm, ubi naturæ hujus opus retineatur, tum in carnem, & sanguinem secedere, & in virus verti confirmant, ex quo ægra, imbecilla, sudore, & fœtore abundantia corpora fiunt.

C *XIV. Nisi ergo ingens fames, aut argumentosus labor, aut eximium donum affuerit, corpori nimium fit, adeò ut malè inde habere tandem illud ipsum oporteat.*

XV. Plusquam satis apparet, quàm imbecilles, & ægræ, steriles mulieres sint, quibus fœcundæ semper validiores, puriores, jucundiorésque.

XVI. Quòd si mulieres defatigentur, & tandem enecentur, ferendo fœtum, nihil est incommodi, sine, ut frequenti moriantur fœtura. Ideo enim adsunt: satius est brevi sanum esse, quàm perdiu mala valetudine torqueri.

XVII. Sed quando ineundum matrimonium? *In tempore operari, & laborare maturet; & postea se Deo confidenter dedat, uxorémque ducat. Adolescens ubi vigesimum ad summum attigerit annum; puella, ubi quindecim, aut duodeviginti annos nata fuerit, sani enim tum sunt: nec ad res gerendas inepti.*

D *XVIII.* At multi dicunt: *Bonum quidem esset, conjugatum fierì; sed, qua via, quáve ratione pascar? Nihil mihi rerum est. Uxorem ducas, & inde comedas.* Sed in promptu est responsio. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo. Desides, voracésque verberones, & nepotes esse gestiunt, qui laboris libenter esse velint expertes. Ideo & contrahere volunt matrimonium, quum divites, formosas, pulchras & amicas uxores habere queunt. Eja; præstolare parùm, depictam hujusmodi tibi sociabimus.*

XIX. Quid si obsequi nolit uxor? *Reperiuntur enim interdum adeò pertinaces uxores, quæ etiamsi decies in libidinem prolaberetur maritus, pro sua duritia, non curarent. Hic oportunum est, ut maritus dicat; si tu nolueris, alia volet. Si domina nolit, adveniat ancilla; ita tamen, ut antea iterum, & tertiò uxorem admoneat maritus, & coram aliis etiam ejus duritiam detegat, ut publicè, & ante conspectum ecclesiæ duritia ejus & agnoscatur, & reprehendatur. Si tum renuat, repudia eam, & in vicem Vasti, Esther surroga, Assueri regis exemplo.* E

XX. Ut cum Gentili, Judæo, Turca, hæretico, edere, bibere, in soporem me collocare, itineri accingi, mercari, loqui, & agere possum; sic & cum iisdem matrimonium contrahere possum, nec stultarum legum id vetantium angâre cura. F

XXI. Gentilis æquè à Deo in marem, & fœminam conditus est, benè & absolutè ùt D. Petrus, D. Paulus, & S. Lucia.

XXII. Qui dicit, aut jubet, ut vir & mulier cohabitent absque copula; is dicit, aut jubet: *Ne sis vir, & ne sis mulier, ignem scilicet & stramina componit, & juxtà vetat, ut ardeant. Apage sis ingentibus cum morionibus istiusmodi.*

XXIII. Quid si *maritus sit impotens, nec mulier publicè alii nubere posset, honorémque & famam obscurari nollet;* quid facto opus? *Sic tunc maritum compellare debet: Ecce, mi marite, debitam mihi benevolentiam præstare non potes, méque, & juvenile corpus decepisti; præterea in famæ, & salutis meæ periculum me adduxisti; neque coram Deo inter nos matrimonium est. Fave, quæso, ut cum fratre tuo, aut proximè tibi sanguine juncto occultum matrimonium paciscar; sic, ut tu nomen habeas, ne res tuæ in alienos hæredes perveniant; ac sine, ut sponte tua à me decipiâre, quemadmodum & tu, præter voluntatem meam imposuisti mihi.* G

XXIV. Honestissimis hisce postulatis *maritus debet annuere, & uxori debitam benevolentiam, spémque sobolis eo pacto reddere.*

XXV. Quid si maritus renuat? Tunc uxor *clandestina fuga saluti suæ consulat, & in aliam profecta terram, alii etiam nubat.* Neque loquitur tantùm Lutherus de impotentia matrimonium antegressa, sed de subsecuta. H

XXVI. Quid si alter conjugum fornicetur? *Pars innocens ad aliud matrimonium transeat.*

XXVII. Quid agendum cum Mœcho? *Occidi debet.* At si non occidatur, nec tamen possit esse cælebs, quid remedii? *In aliam profugere terram mœchus potest, ibique si continere nequeat, uxorem ducere rursum.*

XXVIII. Omninò, inter duo mala, alterum potius est, utpote adulterum, propter scortationem vitandam, in exteris terris, matrimonio copulari permittere. Arbitror enim, eum vel coram Deo tutum esse, quum vita ei relinquatur, nec se continere queat.

XXIX. Quid

A *XXIX.* Quid si alii etiam non adulteri in peregrinas regiones, relicta uxore, aufugerint, & ibi aliam duxerint, valétne Matrimonium? *Esto*, inquit Lutherus. Hoc est, matrimonium validum est; neque enim video, quid aliud istud, *Esto*, sibi velit.

B Ut autem omnes clariùs & dilucidiùs intueantur, quàm mens omnésque Lutheri cogitationes, ab hujus vitæ rebus caducis vanísque commerciis abstractæ; & super omnia sidera; imò & suprà cœlum Empyreum evectæ exaltatæque fuerint, rogo lectorem, ut sequentia axiomata consideret; sed intentè & attentè. Eorum enim altitudo, sublimitas, & profunditas curam amat & exigit.

C *XXX.* *Naturalis ratio est scortum prudens.* Quid illa de matrimonio? *Egóne infantem in cunis motarem? fascias ejus mundarem? lectum sternerem? fœtorem sentirem? noctu excubias agerem? vagitus ejus curam gererem? scabiem, & ulcera sanarem? pòst uxori prospicerem? eam educarem? laborando macerarer? undique solicitudine, undique labore septus essem, &, si quid alind ærumnæ inesset, id ego perferrem scilicet? Adeone captivus essem? ἐς κόρακας ταῦτα.* *O exulem, & miserum te, qui uxorem duxisti; valeant calamitas, injucunda ista. Satius est, liberum permanere, & otiosam, sine curis, vitam ducere. Sacrificus, aut Vestalis ero, meósque liberos æquè eò perducam.*

XXXI. Quid verò, *Christiana*, hoc est, Lutherana, *fides? Optime Deus, cùm certus sim, quòd me marem condideris, meóque ex corpore, puerum hunc eduxeris, certus juxtà sum, quòd tibi summè placeat, tibique confiteor, me indigniorem esse, quàm ut vel in cunis motem, aut fasciolas ejus lavem, aut ejus, vel genitricis illius curam habeam. Quomodo immeritus, ad tantum dignitatis fastigium perveni, ut, ad creaturæ tuæ, amabilissimæq; voluntati tuæ inserviendum certus fierem? Eja, quàm oppidò libenter id faciam? etsi vilius vel contemptius foret. Atqui neque frigus, neque æstus, neque anxia cura, nec laborum magnitudo, molestiam mihi inferent, quandoquidem ita tibi gratum esse, certò sciam.*

D *XXXII.* *Sic & uxorem in suis operibus cogitare decet, dum incunabula movet, aut aliàs operi invigilat, maritúmque juvat, aut morigeratur ei, omnia esse præclara, & planè aurea opera.*

XXXIII. *In hunc modum parturienti solamen dandum est, non divæ Margaritæ vitam, nec alias aniles fabulas prædicando, verùm, ita animando. Memineris, charissima Greta, te mulierem esse, idque operis tui Deo cordi esse, ejus te voluntas consoletur, eique jus suum in te, ne deneges. Redde infantem, idque totis viribus adnitere, quòd si in ea re exhales animam, benè tibi. Nam propriè in precioso opere, adeóque in Dei obedientia morieris.*

XXXIV. *Imò si mulier non esses, jam tamen, ut esses, propter hoc opus, optandum tibi erat, ut in tam precioſa re affligereris, & mortem oppeteres. Adest enim verbum Dei, quod talem te condidit, talem tibi necessitatem insevit. Cedò jam, nónne & hoc, (ut Salomon inquit) beneplacitum est à Domino haurire, etiam in mediis hujusmodi angustiis?* E

XXXV. *Si nunc abiret maritus, & fascias lavaret, aut alioqui spretum opus faceret in infante, & nemo non ideo rideret eum, effæminatúmque judicaret; si tamen suprà memorata mente, & Christiana* (Lutherana) *fide id ageret, cedo, quæso, uter alterum hîc rectiùs subsannat?* F

XXXVI. *Deus cum universo Angelorum cœtu lætatur; non quia fascias lavet, sed quia in fide* (Lutherana) *id agat. Reliquos illusores, qui opus modò, & non fidem contemplantur, cum omnibus item creaturis ridet Deus, ceu omnium longè in terris stultissimos. Imò tales seipsos illudunt, Deique cum sua sapientia moriones sunt.*

Hæc ex unico sermone Lutheri de matrimonio excerpta, an non manifestè ostendunt, Lutherum fuisse Epicuri, Aristippi & Sardanapali de grege porcum: neque quidquam supra carnem & sanguinem aut sapuisse, aut degustâsse; sed totum cor, animúmque ejus fuisse gynæcéum, ut sic loquar, hoc est, mulierum & muliebrium actionum habitaculum & tabernaculum? Nam *ex abundantia cordis, os loquitur.* Ubi ullus unquam Propheta, Apostolus, aut Evangelista, aut sincerus Orthodoxæ Ecclesiæ Doctor similia scripsit his, quæ Venereis flammis succensus Lutherus primùm quidem ex superiore loco in facies auditorum suorum expuit; postea in chartas ejectavit? quæ ne Ethnici quidem extra haram Epicuri, aut Cynicorum æquis auribus & mentibus acciperent; adeò viro gravi, indigna sunt. At iste tertius Helias, iste alter Paulus, iste Apostolus, iste Evangelista, iste Confessor, iste Martyr, (his enim omnibus elogiis afficitur & extollitur Lutherus à Prædicantibus, præsertim à Spangenbergero,) fronte insigniter perfricta, omníque rubore extrito, ore impurissimo hæc talia evomere, & calamo flagitiosissimo ad posteritatem transmittere non erubuit: quæ si quando Misenicus Triumphator studiosis adolescentibus Academiæ Heidelbergensis explanare volet Phocylidem poëtam, commentarii loco adhibere licebit; Et inprimis illa: Μὴ μείνης ἄγαμος, μή πω νώνυμος ὄλῃαι· Δός τι φύσει κ' ἀυτὸς, τέκε δ' ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης. Στέργε τεὴν ἄλοχον. τί γὰρ ἡδύτερον, καὶ ἄριον, Ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι, Καὶ πόσις ἢ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπέσῃ ἄυδιχα νεῖκος; ô monstra, ô protenta; sed Evangelii pigmentis fucata. En qualia frusta egessit in unico sermone vesanus Apostata. Quid si quis ex aliis ejus libris

G

H

Spang. in concionib. de Luthero.

A libris pari modo ſimilia pronunciata decerperet; præſertim ex *Colloquiorum menſalium* titulo de matrimonio? Certè ea proferri poſſent, quæ vix olim tolerâſſent Cynici. Et tamen jam, ô ſtultitiam, propemodum adorantur à Chriſtianis; verùm à novis & recentibus, quos ignorârunt patres noſtri.

B Dic, Miſene, utra profeſſio aptior eſt ad plantandum, fovendum & perſuadendum caſtitatis ſtudium; illáne, quæ ſuillis hiſce axiomatis applaudit, & juventutis animos imbuit, vel potiùs inficit? an illa, quæ Apoſtolorum, & innumerabilium, poſt Apoſtolos, utriusque ſexus, ſanctiſſimorum hominum exempla ſectanda proponit, caſtitatísque, atque adeò virginitatis ſtudium cum gratia divina, quæ omnibus liberaliter offertur, non modò omnibus poſſibile; ſed & jucundum ac delectabile eſſe docet; ídque evidenter ex doctiſſimorum Patrum de Virginitate commentariis demonſtrat; ex Gregorio inquam Nyſſeno, ex Nazianzeno, ex Baſilio, ex Chryſoſtomo, ex Auguſtino, ex Althelmo, ex aliis, qui de hoc argumento aliquid ſcriptis commendârunt?

C Cùm D. Gregorius Nazianzenus per antitheſin Ethnicæ ſuperſtitionis, cujus cultor erat Julianus; & Chriſtianæ religionis, planum feciſſet, illam ſuos ad nullum virtutis officium; hanc verò ſectatores ſuos ad omne honeſtatis genus impellere ac excitare poſſe: *Unde*, inquit, *& à quibus principiis ordientes, quibúsque rationibus utentes ad virtutem eos informare, conſiliísque ſuis, & hortationibus præſtantiſſimos efficere poterunt? Temperantiam doceant, continentiam ſuadeant; in propinquo eſt, qui perſuadeat; Jupiter nimirum propter mulierum amorem, in quamvis formam ſeſe immutans, & Phrygibus adoleſcentulis amatrix aquila factus, ut dii Jovis cynædis pocillatoribus, quàm ſuaviſſimè compotarent: ac triveſperius ille Hercules in quinquaginta Theſtii filiabus una nocte conſtuprandis elaborans; ac decimum tertium hoc certamen conficiens, quod haud ſcio quare in certaminum ipſius numero prætermiſſum.* Temperantiam, Virginitatem, caſtitatem, continentiámque ſuadeat Lutherana ſecta *porcinis* illis ſuis *effatis*, placitísque Cynicis, & dogmatibus Ariſtippicis, & pluſquam Jovinianiſticis, & fermè ante Lutherum & Lutherana tempora inauditis? *Iram Mars reprimat*, inquit Gregorius Nazianzenus, *temulentiam Bacchus, hoſpitum odium Diana, fraudem obliquus Apollo eorum vates, riſus petulantiam Deus ille mœrentibus aliis diis claudicans, rariſque, & infirmis tibiis innitens, ingluviem Jupiter pinguis convivii cauſa ſimul cum reliquis dæmonibus irreprehenſos ad Æthiopas currens, Hercules etiam, qui agricolæ vim attulit, & bovem aratorem devoravit, atque ex eo facinore nomen accepit: dii denique omnes, ad nidores, & libamina ſumma feſtinatione properantes.* Lutherus & Lutherana perfidia cum carnalibus illis ſuis axiomatis libidinis faces extinguat, furentis naturæ impreſſionem cohibeat; æſtus, ne erumpant, compeſcat? *Citiùs profectò*, inquit S. Gregorius, *ex pacatis bellaces, & ex ſapientibus excordes, & phanaticos, quàm contrà, ex audacibus, & ſtolidis moderatos, atque prudentes hujusmodi exemplis effecerint.* Citiùs, ita Deus univerſos amet; ex caſtis inceſtos, ex puris impuros, ex mundis immundos hujusmodi dogmatis & inſtitutis Lutherus effecerit. *Etenim, quos remotis etiam vitiorum illecebris à malo avertere, atque à deteriori parte ad meliorem traducere difficile eſt: quis tandem his perſuaſerit, ut placidi, & moderati ſint, cùm deos perturbationum duces, & patronos habeant? ubi vitium non modò non turpe, ſed honorificum etiam exiſtimatur?* Vitium inquam illud, ut Monachus vel Sacerdos in uxorem ducat Monialem, & Monialis Monachum aut Sacerdotem, aut alium, quamvis votorum vinculis liberum. *Hoc enim omnium indigniſſimum eſt, quòd, quæ legibus vindicantur*, ut ſunt Monialium, & Monachorum nuptiæ; & ſecundum conjugium, vivente adhuc priore conjuge, *ea illi, ùt divina*, & verbo Dei maximè conſentanea, *venerantur. Tanta eſt apud ipſos injuſtitiæ ubertas.*

Nemo verò ex iis, quæ diximus, cum Nyſſeno loquar, *in opinionem veniat, nos matrimonii improbare inſtitutionem: non enim ignari ſumus, neque illud à benedictione Dei fuiſſe alienum: ſed quoniam hoc ipſum ſatis accuratè defendit communis hominum natura, quæ ſua ſponte ad hujusmodi res vim inſerit iis, qui matrimonii via quæſita, ad liberorum procreationem accedunt: naturæ enim quodam modo reſiſtit Virginitas; ſupervacaneum utique eſſet, admonitiones, atque hortationes de matrimonio diligenter conſcribere, cùm voluptas ipſa oſtendat, ſe acerrimum illius patrocinium ſuſcipere.* Non, inquam, hæc diſſerimus, quòd matrimonium legitimum averſemur; ſed quia deteſtamur Lutherum, qui fores ad matrimonium illis pandit, quibus legibus divinis humanísque occluſæ ſunt: ùt Monachis, Monialibus, Sacerdotibus, cunctísque Deo votivis capitibus. Secundò, quia virginitatem & caſtitatem tam facit impoſſibilem, quàm impoſſibile eſt: ut *mas non ſit mas*, & *fœmina non ſit fœmina*; & matrimonium tam neceſſarium, quàm neceſſarium eſt, *ut mas ſit mas, & fœmina, fœmina.* III. Quia de his ipſis tam ſpurcè & ſordidè, & inquinatè loquitur, ut omnes ſyllabæ, non Prophetam, non Evangeliſtam, non puri pectoris doctorem, ſed cynicum canem, ipſiúsque impudentiæ abjectiſſimum mancipium oleant. Neque audimus hîc veteres illas & jam pridem protritas iſtorum nænias. *Multos caſtitatem profeſſos, promiſſis non manere.* Scimus & dolemus. Interim

E F G H

Nazian. orat. 1. in Julian.

Greg. Nyſſ. lib. de Virginit. cap. 8.

terim & hoc ſcimus, multos etiam in Lutheri & Calvini caſtris, matrimonium profeſſos, adulteria commiſiſſe, fidémque conjugalem turpiter violâſſe & in poſtremis habuiſſe. Num ideo iſti matrimonium exterminandum cenſent? *Contuêre ad eum, qui perfectus eſt*, monet D. Gregorius Nyſſenus: *fortíque, ac fidenti animo te optimæ huic navigationi, gubernatore Chriſto, Spiritus ſancti afflatu, temperantiæ navigio vectus, committe. Neque enim, qui mare navigant, mercaturámque mari exercent, hi ab inſtituto ſpei curſu deſiſtunt, naufragio deterriti, quod quiſpiam fecerit: ſed bona ſua ſpe ipſi excitati ad perfecti muneris finem feſtinant.*

Nyſſen. lib. de Virgin. cap. ult.

Idem & hîc agito, ſimúlque in mentem, quæ ſuprà fusè diſputata ſunt, revocato; & hoc ab Agobardo clauſulæ vice habeto. *Quanquam multi bene credentes malè vivendo pereant, nullus tamen malè credens* (qualis omnis Hæreticus) *bene vivendo ſalvatur.*

Agobard. lib. contra Felicem Urgelit.

CAPUT X.

De Imaginibus.

IN prioribus Apologiis tria demonſtravi, primum, effectionem & effictionem imaginum non prohiberi ſimpliciter lege naturali. Secundum: Neque lege poſitiva divina veteris teſtamenti abſolutè fuiſſe prohibitam, ùt multi non ſine magna veriſimilitudine ſentiunt. Tertium: prohibitam fuiſſe utraque lege adorationem imaginum, ſumendo adorationem ſtrictè & preſsè pro cultu divino; Abſolutè enim vetitum erat, & adhuc vetatur, ne quis imagini, per ſe & absque habitudine ad prototypum, honorem divinum deferat. Circa quæ Miſenicus Triumphator multa nugatur, ùt & circa diſputationem de ſynodo Francofordienſi; quæ ſigillatim excutere & diſcutere ſi vellem; chartam & atramentum, & horas alibi fructuoſiùs collocandas perderem. Semper cum iisdem quisquiliis redeunt iſti. Quidquid agas, quidquid reſpondeas, easdem ineptias perpetuò reponunt, & pertinaciſſimè ad ſemel animo imbibitam falſitatem adhæreſcunt. *Moleſta res eſt contentio*, inquit Origenes, *deſtinatáque voluntas reſiſtendi etiam manifeſtis, pudore diſcedendi à conſuetis opinionibus, quibus jam imbuta eſt anima: nec ab ullis conſuetudinibus homo difficiliùs divellitur, quàm ab iis, quæ ad opiniones pertinent: quamvis & alia ægrè negliguntur, quibus aſſueveris, ut domus, urbes, vici: ac ne hominum quidem familiarium facilè relinquimus conſuetudinem. Quo factum eſt tunc quoque, ut Judæorum vulgus reſiſteret manifeſtis prophetiis, miraculisque, quæ per Jeſum facta leguntur. Quod autem ita natura comparatum ſit, liquet conſiderantibus, quàm pervicaces ſint homines in retinendis patriis traditionibus, quibus ſemel occupati ſunt, etiamſi ſint turpiſſimæ. Itaque non citò perſuaderes Ægyptio, contemptum religionis acceptæ à majoribus, ne Deum aliquod brutum animal, néve guſtum ejus carnium magis, quàm mortem horreat.*

Orig. lib. 1. contra Celſum.

Hæc Origenes; quæ non modò in Ethnicæ ſuperſtitionis, ſed & in hæreticæ vanitatis ſectatores perbellè quadrant; inprimísque in hunc meum inſulſum Calviniſtam, ſurculum & ſtolonem veterum Iconoclaſtarum, quorum varia erant genera. Nam ferociores abſolutè omnes imagines, Judæorum inſtar, damnabant, exturbabant, confringebant & comminuebant. Nonnulli, omnes, præter imaginem Crucis. Alii mitiùs agendum rati, tolerabant in templis imagines; ſed abſque cultu; ſolius memoriæ, hiſtoriæ, & ornatus gratia. Calviniſtæ, ut omnes improbitatis numeros expleant, primis ſe aſſociant; quorum tamen impietatem impietate ſua multum exſuperant: nam Iconoclaſtæ illi primi generis, loca, quæ Chriſtus humanitate ſua conſecraverat, colebant & adorabant: iſti noſtri æquè à locis illis ſanctis honorandis averſi ſunt & alieni, ac ab imaginibus colendis. Liquet hoc ex Theodoro Studita, qui inter monſtra illa vixit, & cum illis fortiſſimè conflixit. Nam in Catecheſi decima quinta argumentum ducit à cultu locorum terræ ſanctæ ad cultum & venerationem imaginum in hunc modum: *Si loca, in quibus editus eſt Chriſtus, adoranda atque ſancta & ſunt, & dicuntur; ac pulverem inde, aut lapidem nactus, ceu ſacrum complectitur theſaurum; quanto magis Chriſti venerabilis, & adoranda eſt imago, in qua ineſt, velut in ſpeculo, qui elucet, atque adoratur? Ea eſt enim natura imaginis, ut repræſentati gerat vicem.*

Neſcio, num ſubdere debeam, quod mox ibidem Theodorus ſubjicit. Vereor enim, ne Triumphatori noſtro ſublimi in curru reſidenti vertiginem cieat. Subjiciam tamen. Tu interim cerebrum tuum obfirma. *Quin coli Romæ & Apoſtolorum Principis Petri, claves intelligo, quanquam Dominus ei nequaquam claves eſt largitus; quæ ſub ſenſum ſubjectæ, ſed, quæ intelligentia tenentur ligaturo, atque ſoluturo. At illi, argento fabrefactas proponunt adorandas. Tanta eſt eorum religio. Ibique religionis quaſi quoddam irruptum ſaxum ex Dominica ſententia fundatum eſt.* (occlude aures, Lithe, ne hoc tantum à laudatiſſimo viro profectum Romæ elogium, eas nimiùm verberet ac ſauciet) *hîc* (Conſtantinopoli, ubi tum impietas Iconoclaſtica maximè ſæviebat) *ùt apparet, cumulata irreligioſitas & improbitas.* Æquè jucundum gratúmque erit eidem Triumphatori hoc à Theodoro, imò ab omnibus orthodoxis in Oriente Epiſcopis & Præpoſitis Romanæ Eccleſiæ Encomium,

A mium, in epistola ad Michaëlem Balbum Imp. quem, si quid dubitationis occurrat, quod Patriarcha Constantinopolitanus dissolvere nequeat, Romam ablegant. *Quòd si quid est ejusmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina magnificentia vestra, à Patriarcha dissolvi posse: jubeat magna ipsius, & à Deo confirmata manus ad communem utilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim, & ab initio paterna traditione transmissus mos fuit. hæc enim Christi æmule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

B Idem Theodorus in alia epistola ad eundem Imperatorem, optat, ut qui avii iêrant, *uniantur vertici Ecclesiarum Dei Romæ, & per eam tribus Patriarchis.* Alibi vocat eandem Romanam Ecclesiam, *supremum verticalem thronum, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quem non prævaluerunt unquam, nec prævalebunt usque ad consummationem portæ inferi, ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur.*

Theod. lib. 2. epist. 74.

Theod. lib. 2. epist. 63.

C Verùm ut ad lineam revertar, illorum, qui imagines retinendas, non autem colendas contendebant, opinatio, in Occidentem quoque penetravit, & Gallos maximè infecit, ùt in tertia Apologia dictum: qui multa contra imagines testimonia accumulant; quæ tamen omnia, sive ex scriptura, sive ex Patribus, sive ex historia, sive ex ratione depromantur, nihil aliud probant, quàm imagines non esse faciendas vel habendas, ut colantur honore divino, tanquam dii & numina, quo pacto olim colebantur ab idololatris, quod illicitum, imò sacrilegum esse, omnes Catholici libenter confitentur. Quidquid verò vel integri Iconomachi vel Semiiconomachi, vel nostri Sequiiconomachi Lutheristæ & Calvinistæ contrà vociferentur, nos libenter audimus nominatum jam Theodorum Studitam doctrina & sanctimonia, præstantem, insignem adversùs Iconoclastas pugilem, qui de imaginibus divinè prorsus cùm in Catecheticis sermonibus, tum in epistolis passim disseruit. In cæteris etiam ista. *Ait Judæus, aut Ethnicus Christiano: nega Christum, nega Mariam. Hoc ipsum ait & Iconomachus. Imago enim Christus, & Deipara nuncupatur. Quare, qui imaginem negari jubet: eum, cujus imago est, negari haud dubiè jubet. Non mea hæc sententia; audi, quid Moysi dicat universorum Deus: Fac Cherubim; & tamen Cherubim imagines fieri jussit. Nec enim Cherubim naturam designâsse mentis compos ullus dicet. rursum: Fac serpentem æneum: & hîc quoque serpentis imaginem exprimi jubet. Verùm, hæc est natura prototypi, & exempli ab eo ducti, ut exemplum archetypi nomen sumat, & uno sublato, alterum tollatur, tanquam qui simul sint. Erat angelus, ideo & angeli imago: erat serpens, ideo & imago serpentis, atque ita rei cujusque; & vocantur interdum quidem imagines, quorum re ipsa sunt; interdum verò propter habitudinem, tanquam archetypa ipsa nuncupantur, & non imagines eorum. Hoc modo divinus Apostolus; super eámque, inquit, Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium, prototypi nomen tribuens imaginibus.*

D

Theod. lib. 2. epist. 21.

Exod. 15.

Num. 21.

E

Hebr. 9.

F *Audi & Basilium magnum: Exprimatur etiam in tabula certaminis Præses Christus: non enim ait, exprimatur imago Præsidis certaminum Christi. Audi & Nyssenum Gregorium: Præstò est Isaac, Isaac imaginem Isaac appellantem. Audi Chrysostomum: Vidi angelum in imagine; non enim imaginem angeli à se visam dixit, sed angelum. In imagine quippe prototypum præsentatur, sicut à typo Crucis, Crux ipsa vivifica. Quatenus inseparabile est unum ab altero in adoratione; propterea & archetypi nomen obtinet imago. Crux enim Crucis typus appellatur. Sic de rege, omnique homine, & de omni alia re verè dicere liceat, regem dici etiam regis imaginem, ait divinus Basilius; & Petrum Petri imaginem, & Paulum Pauli imaginem (dicam aliquid sublimius) & Deum quoque hominem dici, tanquam Dei imaginem. Ergò, juxta ea, quæ Basilius docuit, etiam Christus imago Christi. Dixit enim (iterum dico) exprimatur in tabula non imago Christi, sed Christus.* Hæc & plura in hanc sententiam eleganter Theodorus.

G Idem æquè scitè alibi. *Qui sacram Christi imaginem non adorat, Dominum non adorat. Inest scilicet in imagine princeps exemplar, atque in principe exemplari repræsentati cujusque imago elucet, & adoratur. Sin adorare se Iconomachi dicant, mentiuntur; nam confitentur, inquit, se nôsse Deum, factis autem negant. Quare Christum nos, ejúsque imaginem; Deiparam, ejúsque imaginem; Sanctos, eorúmque imagines, adoremus; quam Apostolicam doctrinam à SS. Patribus acceptam, vobis filii, fratrésque, porro ceu depositum, concredo per S. Spiritum, qui inhabitat in vobis, illæsam, & incorruptam conservandam.*

Catech. 51.

Tit. 1.

H Cum eodem Theodoro in suo testamento profitetur hæc quilibet Catholicus: *Fraudem omnem hæreticæ versutiæ detestor; sacra, & OEcumenica sex Concilia secutus, ac Nicææ nuper iterum coactum contra Christianorum accusatores, augustas, atque venerandas Domini nostri JEsu Christi, Deiparæ, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum omnium, justorúmque imagines adorans, & approbans. quorum sine macula preces expeto, Numinis propitias, fide, ac reverentia sacratissimas reliquias amplexus, velut divinæ plenas gratiæ.*

Et cum S. Basilio epistola ad Julianum Imperatorem; *Suscipio & sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad Deum deprecationem,*

A *nem, quæ per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum. Pro quo & figuras imaginum eorum honoro, & adoro. Specialiter hoc traditum est à sanctis Apostolis, & non prohibitum; sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum designari vel historias, &c.*

B Observa autem modum loquendi Semiiconomachorum Occidentis, quando dicunt, *imagines retineri recordationis duntaxat causâ, juxta morem bellorum tum externorum, tum civilium,* esse ipsissimum veterum Iconomachorum & Copronymianorum loquendi modum; cujus rei testem laudo Theodorum Studitam Catech. 15. ubi dicit: *Ac videte, si placet, bipertitam illorum sacrilegam opinationem, nunc Christi imaginem nullam statuendam, nunc statuendam, sed velut quæ belli, ac venatus monimenta locantur. Unde, nec adorandam censent. Siquidem nec equi imago, nec bovis, nec canis, nec leonis, nec pardalis, nec serpentis, nec alitis, nec piscis adoretur. Ecquis sensu imbutus est, qui non his ingemiscat? qui à lacrymis temperet? Itáne, haud vereri imaginem Christi, quam angeli venerantur, horrent dæmones, cum feris quadrupedibus, serpentibus, avibus, & aquatilibus componere, ac condecorare? ô horribilem animi deformationem, atque horribiliorem audaciam! Tum quid autem? hominis imaginem hominem vocant, bovem bovis, asinum asini, camelum cameli, perdicem perdicis, eadémque & in cæteris tam comparibus, quàm disparibus, seu animantibus seu plantis ratio valet: cæterùm Christi, aut Deiparæ, aut cujusque Sanctorum,* ὅτε κατὰ τὸ πρωτότυπον, ὅτε κατὰ τὸ παράγωγον, *id est, neque prototypi vocabulo, neque prototypi vocabuli appositione nominari patiuntur; sed hoc tantùm imaginem vocant; cujus, non addentes, ne hinc teneantur; tanta impietate, & imperitia scatent.*

C Ubi vides istos imaginibus sacris tam fuisse infensos & infestos, ut imaginem Christi; nec Christum, nec imaginem Christi, sed tantummodo *imaginem* appellarent; cùm tamen imaginem Cæsaris; & Cæsarem, & Cæsaris imaginem nominare solerent. Vetuit & Michaël Balbus τινὶ τῶν γεγραμμένων εἰκόνων, κἂν πᾳ γραφόμεναι τύχοιεν τὴν ἅγιος Φωνὴν ἐγχαράττεσθαι, ὡς ἂν ἄλλῳ τινὶ τῆς τοιαύτης ἁρμοζόσης Φωνῆς, ἢ μόνῳ τῷ θείῳ. *Alicui imagini, ubicunque ea picta esset, nomen hoc* SANCTUS *adscribi, quòd arbitraretur id nulli rei, præterquam soli Deo, competere; magno sanè errore;* ùt rectè ait Cedrenus. *Cùm enim Deus homini tribuat vocem Deus, quæ multò est augustior, quàm vox Sanctus, quomodo id nomen, quod longè vilius est, denegaret?*

Cedren. in Compend. Hist. in Theophilo.

D Porrò omnes istæ Iconoclasticæ sordes confluxerunt in sentinam, vel potiùs cloacam Calvini, non sine insigni fœnore. Nam quidam ex illis imagines in templis retinebant, saltem memoriæ & historiæ causa. Isti penitus exturbant. Multi Crucis effigiem non modò retinebant, sed & religiosè honorabant. Ingredere delubrum Calvinianum, & circumspice sis oculis vel attentissimis. Si imaginem Crucis repereris, ipso Argo oculatior mihi eris. Omnia hæc Christianæ religionis argumenta exterminata sunt: ùt olim sub Iconomacho Imperatore Theophilo, cujus mandato, *divinæ imagines omnibus in templis evertebantur,* inquit Cedrenus, *earúmque loco bestiarum & avium simulacra figebantur, belluinam & servilem Theophili arguentia insaniam;* quam omnes orthodoxi, iique doctrina & sanctimonia præstantissimi doctores, liberè & intrepidè in ipso Theophilo, & in antecessoribus ejus redarguerunt; quos Misenus, aliique sectarii Iconoclastico supercilio fastuosè aspernantur, quibus quid aliud occentem, quàm illud Lutheri. *Si rectos, & sinceros Prædicatores fastiditis, tum vobis sit prædicator diabolus, & ejus membra, quæ vos docent mendacia; quæ vobis suspicienda sunt: quorum Dominum, & omnium afflictionum, & plagarum genera vobis, volentibus, nolentibus sufferenda sunt: sicut jam passim in Germania videre est, ubi Evangelium* (Lutheranum) *acceptum est, sed nullo non atrocitatis genere oppressum accidit, ut omnes anguli sectis, & fanaticis Doctoribus, neque non Anabaptistis referti sint; quibus nemo potest resistere.*

E

F Luth. in c. 7. Matth.

CAPUT XI.

Discordia mutua Calvinistarum in usu signi sanctæ Crucis.

G Verùm enimverò quia capite superiore mentio Crucis facta est, demonstrare lubet, quàm pulchrè Calvinistæ in usu signi Crucis inter se concordent; ídque eo consilio, ut hac etiam panegyrica acclamatione triumphalem Miseni celebritatem ornatiorem ac splendidiorem efficiamus. Ante non multos annos ediderunt Ministri Calviniani Embdenses librum vernaculâ linguâ, hac inscriptione. *Instructio & doctrina verbi Dei, quid de cæremoniis & ritibus externis tam in cæna Domini, quàm in aliis exercitiis divinorum officiorum statuendum sit.* Inter cæteros ritus adducitur *signum Crucis* in fronte & pectore jam jam baptizati efformari solitum. Hoc explo-

H ditur & exterminatur istas ob causas. *I. Quia in verbo Dei nec præceptum, nec promissum de hoc Crucis signo exstat. II. Quia ex hac ceremonia fit & nascitur necessarius cultus, Christianæ libertati adversus, qui error jam ætate D. Augustini irrepserat. Tract. 118. in Joannem. III. Quia signum Crucis adhibetur ad superstitiones; signo namque Crucis existimant homines se peculiari modo benedictionem consequi, & à malis defendi; fiduciámque in*

A *hac cæremonia ponunt; exigua habita ratione ſolatii, quod ex vera Cruce, paſſione Chriſti, precibúsque percipitur. IV. Cùm baptiſmus per ſe ex inſtitutione Chriſti efficax ſit ſatísque perfectus, nil opus habet Cruciſignatione, vel aliis additamentis humanis, Marci 16. Matth. 28. V. Quia Crux Chriſti neque per hanc, neque per ullas alias ab hominibus excogitatas cæremonias; ſed tantùm per veram fidem; hoc eſt, per veram certámque fiduciam in Chriſtum & promiſſiones ejus Evangelicas, nobis applicatur. VI. Quia Crux Chriſti verè & legitimè portatur, non quando manibus efformatum vultui imprimitur; vel ex auro argentóve confectum de collo ſuſpenditur; ſed quando in corde geritur; cúinque id, quod Chriſti nomine & amore ferendum eſt, patienter ſuſcipitur ac toleratur.* Hæc Germanici Calviniſtæ in Friſia Orientali nidulantes.

B Quid Calviniſtæ Anglicani, & ii quidem non ex vulgo aut trivio; ſed ex Synodo Londini celebrata anno Domini M.DC.III. Dolent.

I. Præclariſſimum Majeſtatis regiæ ſtudium, & laborem in Colloquio ad Aulam Hamptonienſem circa ſignum Crucis in baptiſmo (inter alia plurima) ſuſceptum, non meliores effectus apud multos conſecutum; quin adhuc in eo hæreatur, ejúsque in baptiſmo uſus tantoperè impugnetur.

Et quinam hanc querelam publicè inſtituunt? Calviniſtæ. Contra quos? Adversùs quoſdam Calviniſtas Britannos, & omnes Germanos; forſan & Genevenſes; nec dubito, quin & Gallos. Quid volunt iſti Calvino-Synodici patres?

C *II. Crucis ſignum in baptiſmo retineri debere; & hunc morem ſcripturæ auctoritate & primitivæ Eccleſiæ exemplo niti.*

III. Addunt; *quod etiamſi Judæi, ac Ethnici Apoſtolos, reliquósque Chriſtianos irriderent, quòd eum prædicarent, in eúmque crederent, qui Crucis morte eſſet affectus, tantum tamen aberat, ut vel Apoſtoli, vel reliqui Chriſtiani Crucis opprobrio ſe ipſos paſſi ſint à profeſſione ſua deterreri, ut in eâdem exultandi potiùs, & gloriandi animos inde ſumerent.*

IV. Imò Spiritus ſanctus per Apoſtolorum ora ipſum Crucis nomen (Judæis utique inviſum) uſque adeò honoravit, ut non modò Chriſtum ipſum crucifixum ſub eôdem comprehenderet; ſed & mortis, & paſſionis Chriſti vires, effectus, ac merita, unà cum ſolatiis, fructibus, ac promiſſis univerſis, quæ nos ex eiſdem aut percipimus, aut in futurum exſpectamus.

D *V. Honor, ac dignitas Crucis nomini acquiſita, etiam & ſigno Crucis vel ipſa Apoſtolorum ætate (neque enim contrarium oſtendi poteſt) exiſtimationem peperit honorificam.*

VI. Adeò, ut Chriſtiani haud multò pòſt in cunctis actionibus ſuis eodem uti cæperint, eo ipſo palàm, & apertè teſtatum facientes (etiam ad ſtuporem Judæorum) ſe minimè ſibi pudori ducere, quòd illum agnoſcerent pro Domino, & ſalvatore ſuo, qui Crucis mortem pro ipſis pertuliſſet, E

VII. Atque hoc Crucis ſignum non modò ipſi, idque cum oſtentatione quadam ſolebant adhibere, quoties Judæis paſſim occurrerent; ſed & liberos ſuos, cùm baptismatis aqua abluerentur, eôdem ſignari faciebant, ut eos per Crucis ſymbolum illius ſervitio dedicarent, cujus in baptiſmo collata in ipſos beneficia Crucis nomine eſſent repræſentata.

VIII. Atque adeò hujus ſigni in baptiſmo uſus in primæva Eccleſia receptus eſt unanimi conſenſu, maximóque omnium tam Græcorum, quàm Latinorum applauſu.

IX. Quo ſæculo, ſi quis huic ſigno ſe oppoſuiſſet, declaratus procul dubio fuiſſet pro hoſte, ac inimico nominis Crucis, & proinde meritorum Chriſti, quorum illi teſſera, & ſignum adeò diſpliceret.

X. Denique hujus ſigni uſum continuum, & generalem extitiſſe, ex multis Patrum teſtimoniis perſpicuè declaratur. F

XI. Dicunt, *crucis ſignum decurſu temporis in Eccleſia Romana graves abuſus pertuliſſe.* (Nimirum judicio Calviniſtarum) Rectè tamen adjungunt. *Rei abuſus legitimum ejusdem uſum nequaquam tollit,*

XII. Inter alias magnæ vetuſtatis ceremonias, etiam Crucis in baptiſmo ſignum in Eccleſia Anglicana eſt retentum, idque ex judicio, & praxi venerabilium illorum Patrum, magnorúmque in primis Theologorum (ſcilicet) *qui regnante Eduardo ſexto in eadem claruerunt, &c. Qui pro hoc ſigno ſemper ſteterunt, ejúsque uſum exemplo, ac praxi ſua perpetuò commendârunt.*

XIII. Atque hoc Eccleſiæ Anglicanæ judicium, & praxis comprobata ſunt, tum per cenſuram, quæ de libro publicæ Liturgiæ tempore Eduardi ſexti ferebatur: tum etiam per confeſſionum harmoniam recentioribus annis publicatam, &c. G

XIV. Propter ipſam Crucis memoriam, quæ apud omnes verè in Chriſtum credentes, plurimi ſemper fuit, & reliquas etiam ob cauſas ſupradictas, Eccleſia Anglicana ejus ſignum in baptizando usque retinendum cenſuit, ſecuta nimirum ea in re primitivas, & Apoſtolicas Eccleſias.

XV. Atque hunc Characterem pro licita externa ceremonia reputans, & ſymbolo honorifico, per quod infans illius obſequio, qui Crucis mortem ſubiit, in perpetuum votus eſſet, & mancipatus: id quod ex verbis in libro publicæ liturgiæ expreſſis facillimè poteſt perſpici.

XVI. Nos freti orthodoxis iis doctrinæ regulis, de rebus mediis, & adiaphoris, quas divino Canoni, ac Patrum antiquorum concordi ſententiæ judicamus eſſe conſentaneas; privati cujusque tum Miniſtri, tum alterius perſonæ cujuscunque, ſtatuimus eſſe, verum ejusdem uſum, publica autoritate præſcriptum, reverenter amplecti, ac recipere; præſertim cùm intelligant res alióqui medias, ac indifferentes, H

A *naturam ſuam aliquo modo mutare, poſtquam ſub legitimi Magiſtratus edictum, vel interdictum venerint, neque pro cujusque libitu præter legem omittendas eſſe, cùm præcipiuntur, nec, cùm prohibentur, obſervandas.*

B En quàm bellè concinant Calviniſtæ. Tu Triumphator Symmyſtas iſtos in concordiam redige, idémque ſapere & dicere doce. Sed diſſolvamus rationes Calviniſtarum Embdenſium.

C Ad primam reſpondeo, licèt in ſacris literis nullum extet præceptum de ſigno Crucis in baptiſmate adhibendo; ſatis tamen eſt, quòd ſacræ Scripturæ & divino Canoni non repugnet, quódque in primitiva Eccleſia uſurpatum ſit, ùt affirmant contra Germanos Calviniſtas Calviniſtæ Anglicani; & rectè quidem. prout apparet ex illis, quæ Tomo primo de ſancta Cruce lib. 4. cap. 11 & aliquot ſeq. copioſiſſimè diſſerui. Et hæc Embdenſium conſequentia, etiam judicio Anglorum, elumbis & enervis eſt: *Non eſt in ſcriptura præceptum; ergo non licitum.* *Arbitror*, inquit S. Baſilius, *Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis traditionibus inhærere.* Et quis iſte Baſilius? *In quo uno plus eruditionis fuit*, ait Miſenus, *quàm in toto Ordine Jeſuitico.* Fidem igitur habeat cum ſuis Calviniſtis Baſilio præter cætera, hæc quoque ſcribenti. *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcriptorum prodita; quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem: nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica. Nam, ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur; imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt, ut id, quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco commemorem; ut ſigno Crucis eos, qui ſpem collocârunt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit?*

S. Baſil. lib. de Spir. S. cap. 29.

Lib. cit. cap. 27.

D Ad ſecundam rationem Reſpondemus, non injuriâ uſum ſigni Crucis in baptiſmate neceſſariam cæremoniam judicari, non quidem neceſſitate baptiſmi, quaſi baptiſmus non ſit validus & efficax, niſi hoc ſigno accedente; nemini enim iſtud in mentem venit; ſed neceſſitate præcepti Apoſtolici, quod jubet, ut, qui per baptiſmum Chriſti membrum jam effectus eſt, conſignetur militiæ Chriſtianæ ſignaculo, pérque hunc externum & aſpectabilem *Characterem devoveatur & mancipetur infans illius obſequio, qui Crucis mortem ſubiit*, ùt loquitur Calviniana Synodus. Eſſe autem præceptum Apoſtolicum de uſu hujus ſigni, diſcimus ex perenni Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine & praxi, cujus non modò vetuſtiſſimos ſcriptores adversùs novos Crucis inimicos; ſed & ipſos Anglicanos ſectarios, habemus teſtes, & quidem in hac controverſia ſatis locupletes. Et ipſi Embdenſes agnoſcunt; jam tempore D. Auguſtini ritum crucis in baptiſmate fuiſſe uſurpatum, tanquam neceſſariò adhibendum; (ſi temporis & aliorum adjunctorum ratio id ſineret,) non quòd eſſentiam baptiſmi aut conſtitueret aut compleret; ſed quia Eccleſia Chriſtiana jam à primis incunabilis rationi conſentaneum cenſuit, ut is, qui ſub Cruce militaturus erat; primo ſtatim in hanc militiam ingreſſu, ſignaculo Crucis conſignaretur. *At hoc repugnat libertati*, inquiunt iſti; Si loquuntur de libertate verè Chriſtiana, negamus; non enim eſt *exlex*, ſeu *illex*, quia nec exſpes. Si autem loquuntur de libertate Calviniana; quæ licentiæ ſoror eſt; non abnuimus. Quanquam ſecus judicant Calviniſtæ Angli, qui & ipſi non minùs quàm Calviniani Galli vel Germani, exiſtimant ſe libertate Calviniana frui; & tamen res etiam *medias & indifferentes* dicunt *naturam ſuam aliquo modo mutare, poſtquam ſub legitimi magiſtratus edictum, vel interdictum venerint, neque pro cujusque libitu præter legem omittendas eſſe, cùm præcipiuntur; nec, cùm prohibentur, obſervandas.*

E

F Advertite animum Calviniſtæ Germanici, & præceptoribus Anglis diſcite, uſum ſignaculi Crucis præcipi poſſe ab aliquo *Calviniſtico conventiculo;* ſicut præceptus eſt ab illo Londinenſi, licèt antea res media & *indifferens* fuiſſet: prout non fuit, quia ſemper ex Apoſtolica traditione adhiberi debuit.

G Ad tertiam reſpondeo, neminem ex Orthodoxorum numero ita Crucis ſignaculum uſurpare, ut ſolatium, quod ex vera Cruce, & morte Chriſti, éxque precibus capitur, vilipendat; imò eo fine Orthodoxi ſignaculum Crucis adhibent, ut, tanquam per canalem, conſolationem ex paſſione & morte Redemptoris noſtri fluentem ad ſe derivent. Neque ſuperſtitio ſed religio eſt, multum ſpei & fiduciæ in hoc ſigno collocare; Teſtantur id vetuſtiſſima exempla, miracula, ſigna, prodigia, virtute hujus ſignaculi patrata. De quibus omnibus fuſiſſimè actum eſt lib. 4. de Sancta Cruce Tom. 1. Cum Ennodio Ticinenſi canit quilibet Catholicus.

H *At mihi Crux, cuſpis; Crux ſcutum; Crúxque corona;*
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.
Hæc mihi dux belli, qua victrix lubrica calcans
Dira cupidinei deteſtor mella veneni.

An non & Lutherus vim Crucis agnovit, quando interdum ex crapula nonnihil exper-

A pergefiebat? Accipite verba ejus ex Collo-
Tit. de variis Miscellaneis. quiis Sympoſiacis. **Wann du in Gefahr kommſt, daß dich der Teuffel will etwann durch die Treppen hinunter werffen, ſo ruffe nur, hülff lieber HErr JEſu Chriſte, und ſchlag das Creutz für dich, jedoch im Glauben, ſo trollet ſich der Teuffel, dann er kan den Namen nicht leyden.** *Si periculum eſt, fore, ut Diabolus te de ſcalis ſeu gradibus præcipitet, è veſtigio clama: Adjuva Domine JESU Chriſte: & muni te ſigno Crucis, attamen in fide; tum mox Dæmon fugam arripit: non enim ferre poteſt hoc nomen.* Ita Lutherus. Etſi alibi longè aliter.

B Ad quartam Reſpondeo cum Anglicanis Calviniſtis, non modò Anglicanam, ſed & Romanam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam *ſemper ſenſiſſe, ac docuiſſe, & hodie etiam ſentire, ac docere, ſignum Crucis in baptiſmo adhibitum, de ipſius Sacramenti ſubſtantia haudquaquam exiſtere. Nam, ut primùm Miniſter infantem immergens in aquam, vel ejuſdem faciei aquam inſpergens, hæc verba recitaverit;* baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *infans continuò plenum, & perfectum baptiſmi Sacramentum conſequitur, adeò, ut ſignum Crucis pòſt adhibitum, ad baptiſmi virtutem nihil adjiciat, nec idem omiſſum, de ejus efficacia, aut ſubſtantia quidquam detrahat.* Cur igitur adhibetur? Cauſa priùs eſt allata ex Britannicis ſymmyſtis: quia decet, ut Cruce conſignetur, qui ſub Cruce ſtipendia facturus eſt. Decet item, ut poſteræ Eccleſiæ *hac in re ſequantur primitivas & Apoſtolicas Eccleſias.*

C Ad quintam negamus, fructum Crucis Chriſti nobis per Crucis ſignaculum non applicari, præſertim ſi pia & religioſa mente uſurpetur, quin adeò efficax eſt, ut aliquando ipſis etiam à fide alienis & baptiſmi adhuc exſortibus, remedio ſit & ſaluti, cujus rei aliquot exempla produximus libro quarto de S. Cruce; quem totum pro ſolutione hujus quartæ rationis Calvinianis Miniſtris reponimus & opponimus. Quod ſi, ùt ajunt, *ſola fide & fiducia in Chriſtum*, abſque ullo alio medio, virtus Crucis Chriſti ad nos delabitur, quo igitur fine baptizantur Calviniſtæ? Qua ſpe ſuam cœnam cœnant?

D Ad ſextam reſpondeo, hoc eſſe faciendum; videlicet ut Crux Chriſti in corde feratur, & illud non omittendum, nempe, ut frons, pectus, cætera membra, & res aliæ, externo Crucis ſignaculo etiam inſignientur & notentur. Neque hæc duo ita comparata ſunt, ut alterum evertat alterum: quin concordiſſimè una in ſede morari queunt; longéque credibilius exiſtimo, eum, qui externo Crucis ſignaculo reverenter utitur; Crucem quoque religiosè in corde circumferre; quàm eum, qui hujus ſignaculi uſum, tanquam ſuperſtitioſum, averſatur & execratur.

Verùm enimverò Calviniſtæ Germanici E
non tantùm rationes reddunt, cur uſus Crucis à Baptiſmo exterminari debeat; ſed & rationes pro uſu hoc retinendo afferri ſolitas refellere tentant; quod quàm efficaciter præſtent, jam diſpicere oportet.

I. Conſuetudo formandæ Crucis antiquiſſima eſt in Eccleſia; quam ferè omnes Patres & antiqui Doctores celebrant, ſcriptísque ſuis decantant. Quod ex quarto libro meo de S. Cruce cuivis manifeſtiſſimum evadet.

Reſpondent Calviniſtæ. *I. Veteres non ha-* F
buiſſe hanc ceremoniam pro neceſſariò obſervanda. Mentiuntur, ùt oſtendunt cùm totus liber quartus de S. Cruce; tum præcipuè cap. 11. 12. 13. 14. quæ ſpeciatim recenſent antiquorum ſententias de ſignaculo Crucis & baptizandis & baptizatis adhibendo.

II. Veteres ſignaculo Crucis absque ulla ſuperſtitione uſos. Reſpondeo. Etiam poſteros eodem absque ulla ſuperſtitione uti; quia non utuntur aliter, quàm veteres.

III. Errâſſe, *Si qui veterum uſurpârint ſig-* G
naculum Crucis, tanquam neceſſariam cæremoniam; neque imitandos eſſe. Sed quorum judicio errârunt? Noctuarum. *Iſtud animal,* inquit S. Ambroſius, *hæreticorum figura eſt,* S. Ambroſ. ſerm. 43.
atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem ſalvatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis cernunt vana, non reſpiciunt ſempiterna. De his, ait Dominus; Oculos habent, & non videbunt; in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad ſuperſtitioſa, hebetes ad divina; qui, dum ſe putant ſubtilibus evolare ſermonibus, tanquam noctuæ veri luminis ſplendore turbantur. Num audiendæ vel ſequendæ iſtæ noctuæ? nequaquam. *Nolo te imitatorem eſſe noctuæ,* monet idem Sanctus Antiſtes, *quæ, licèt per noctem vigilet, per diem tamen pigra, vel cæca eſt; quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit. Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur.*

IV. Reſpondent Calviniſtæ: *Eſſe humanam traditionem.* Quid? num ideo rejicienda? Humana eſt; ſed Apoſtolica: nam ſi H
quid in tota Eccleſia uſitatum ſit, cujus origo neſciatur, id jure optimo ad Apoſtolos, tanquam ad auctores, refertur, ex D. Auguſtini regula. Et quid ſi Apoſtoli morem hunc ab ipſo Chriſto acceperunt poſt reſurrectionem, quando cum illis verſatus multa de regno Dei, hoc eſt, etiam de fu- Act. 1.
tura Eccleſiæ forma inſtituenda, tractabat? Quid ſi Apoſtoli ſignaculum hoc non introduxerunt præcisè, ùt præſules Eccleſiaſtici, humano modo aliquid ſtatuentes; ſed ùt Spiritus ſancti immediata inſtrumenta, impulſi ab illo, ſicuti ſcriptores Canonici agi & impelli ſolent? Quocirca non ſua, ſed Spiritus ſancti ſenſa promunt, & juſſa promulgant.

V. Re-

V. Respondent: *hoc tempore adhiberi Crucis signaculum, tanquam necessarium: jure ergo explodi.* At quomodo adhibeatur, tanquam necessarium, suprà explicavimus. Quæ necessitas minimè profanam istorum impietatem & temeritatem excusat: cùm, ùt Calviniſtæ Angli docent, res etiam *mediæ & adiaphoræ*, quando præcipiuntur, necessariò faciendæ sint. Quantò magis igitur necessariò adhiberi debet in baptismo signaculum Crucis, cùm non heri aut nudius tertius à nescio quo Calviniano Synedrio; sed ab ipsis Apostolis præceptum; & ad nos usque sub præcepti obligatione, per Ecclesiæ perpetuam praxin delatum fuerit.

Secunda ratio. Crucis signaculum est plenum solatii mnemosynon & memoriale; Sicut olim aspersio superliminarium facta sanguine Agni Paschalis, quo filii Israël ab exterminatore Angelo tuti ac immunes fuerunt, ritus erat plenus spiritualis consolationis ac voluptatis,

Respondent Calviniſtæ. *I. Exempla esse dissimilia, Nam sanguinis aspersionem fuisse mandatam à Deo: non autem Crucesignationem.* At unde constat istis Crucesignationem non esse à Deo mandatam? Et ut non esset; at mandata est ab Apostolis, mandata est, ipso usu, à primitiva & Apostolica Ecclesia, ùt ipsi Calviniani in Anglia fatentur; mandata pariter est à subsecuta Ecclesia, quam qui non audit, is jussu Christi in Ethnicorum & publicanorum tribu jure à nobis reponitur.

II. Aspersio illa sanguinis in veteri testamento erat figura & repræsentatio venturi Christi, sed hujusmodi figuræ in novo testamento jam desiêrunt, postquam gratia & veritas per Christum nobis obtigit. Et quid hæc ad rem? Quasi verò ullus Christianus utatur Crucis signaculo, tanquam typo & figura venturi Christi? Quis fidelium nescit, Christum jam venisse, & omnia illa legis antiquæ typica evanuisse? Utimur ergo hoc signaculo; tum ùt monumento Christi passi; tum ùt invicta adversus Diabolum armatura; tum denique, ùt tessera & symbolo ejus, quam profitemur, Christianæ militiæ.

III. Christum in sui commemorationem non instituisse Crucis signaculum; sed sacram cœnam. 1. Corinth. 11. Sed num solam? Num loco citato Apostoli asseritur, Redemptorem nostrum nihil aliud in memoriam sui instituisse, præter cœnam? Et ut Christus hoc signaculum in suæ passionis & mortis recordationem, non instituisset; at ex perpetuo ejus in Ecclesia usu colligeremus, id institutum ab Apostolis; quos bonum factum non feciſſe, nemo nisi non bonus affirmare audebit. Quomodo autem sanguis Agni paschalis postibus ædium illitus, fuerit typus & præsignificatio signaculi Crucis aliquando in frontibus aliisque fidelium membris figendi, ostendimus ex antiquis Patribus lib. 4. de S. Cruce cap. 8.

Tertia Ratio. Ezechielis IX. legimus Angelum percutientem nihil damni intulisse illis, quorum frons signo Tau, quod Crucis similitudinem gerit, notata erat.

Respondent Calviniſtæ. *I. In Ezechiele non fieri mentionem litteræ* T. *sed vocabuli* Tau, *quod Germanicè significet* **ein Zeichen**, *hoc est, signum: & esse hunc sensum; Angelos parcere debere illis, quorum frons signo quopiam ex mandato Dei notata appareat.* Respondeo, etsi non negamus, voculam Hebraicam Thau, significare posse signum, deductam à verbo *Thauah*, quod est, *signare*, neque ignoremus septuaginta Interpretes per Thau non litteram; sed nomen appellativum intellexisse; vertentes σημεῖον, idque secutos esse S. Chrysostomum & Theodoretum; & hodie etiam eidem vocabuli *Thau* versioni & explicationi applaudere novos Bibliorum Versores, ùt Castalionem, Junium, Tremmelium, similes; scimus tamen, gravissimos itidem auctores vocem Thau apud Ezechielem pro littera, seu ultimo Hebraici alphabeti elemento accepisse; quorum agmen ducat noster Interpres; qui est D. Hieronymus, qui idem sentit in Commentario, & ante illum Interpretes Græci Aquila & Theodotio, teste Origene, quamvis S. Hieronymus scribat, Aquilam cum 70. Interpretibus vertisse σημεῖον. Item Tertullianus, Origenes, Isidorus, Ambrosius, Augustinus & alii, quorum testimonia partim libro primo, capite primo, partim libro quarto capite octavo verbatim produximus. Quapropter tam facilè, quàm sibi persuadent, non eludent isti argumentum hoc ex Ezechiele petitum: cùm nitatur antiquissimorum Patrum testimoniis & gravissima auctoritate.

Chrysost. homil. 18. in Matth. Theod. in c. 9. Ezech.

Orig. hom. 8. in Ezech. Hier. in c. 9. Ezech.

II. Respondent; *Etiamsi attenderemus ad litteram* T, *non autem ad ipsam vocabuli significationem; tamen in Hebraica scriptura, prout ea usus Ezechiel, nullam prorsus cum Cruce similitudinem habet. Et quamvis S. Hieronymus conetur ostendere antiquos Hebræos hanc litteram forma Crucis efformâsse, non potest tamen hoc ullo in speciem probabili argumento planum facere, ut proinde hinc ne minimum quidem concludi queat.* Hæc responsio ex mera insciția procedit: non enim loquitur S. Hieronymus de Thau Hebræorum recentiore; sed veterum; cujusmodi in Samaritanorum litteris conservabatur, ipsa etiam D. Hieronymi ætate. A quo isti assertionis suæ probationem postulant. Verùm, an non sat probationis tanti viri auctoritas? qui in Palæstina vixit; Samariam & Samaritanos vidit; & *usque hodie*, id est, usque ad ætatem suam Thau Samaritanorum, Græci elementi T, speciem repræsentare ait. An quisquam tam excors est, qui existimet, D. Hieronymum oculis non usurpâsse, quod de

A de Characteribus Samaritícis affirmat? Idem ante D. Hieronymum affirmavit Origenes, ùt citatur in Notationibus ad Græcam Romanam editionem ſeptuaginta Interpretum. Nam poſtquam dixerat Aquilam & Theodotionem, retento Hebraico vocabulo, vertiſſe Thau, ſubdit. ἑβραῖος δέ τις τῶν εἰς σωτῆρα πεπιϛευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα ϛοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ θαῦ τῷ τῦ ϛαυρῦ χαρακτῆρι. καὶ προφητέυεϛθαι περὶ τῦ γινομένυ ἐν χριϛιανοῖς ἐπὶ τῦ μετώπυ ϲημέιυ ὅπερ ποιῦϲιν οἱ πεπιϛευκότες πάντες ὅτινος ἕν προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιϛα ἐυχῶν, ἢ ἁγίων ἀναγνωϲμάτων. *Hebræus quidam ex fidelium numero dicebat, vetuſta elementa ſimilem habere Thau litteram, ſalvatoris characteri, & prædici ſignum à Chriſtianis in fronte efformari conſuetum; quod fideles univerſi formant, quamcunque tandem rem auſpicentur, maximè initio precum, & ſacræ lectionis.* Hæc Origenes. In gemino tamen Alphabeto veteri Hebraico, quorum alterum ex Rabino Azaria; alterum ex numiſmatis Hebraicis contexuit Villapandus noſter, littera Thau non præfert formam Græcæ litteræ T, ſed X, ſed parùm intereſt; nam & littera X figuram Crucis Chriſti gerit, ùt alibi dictum: Et potior apud me eſt auctoritas priſcorum Patrum, ſimilitudinem veteris Thau Hebræi cum Græco aſſerentium, quàm numiſmatum, aut recentioris illius Rabini Azariæ.

Villap. tom. 3. in Ezech.

Lib. 1. de S. Cruce cap. 2. & 3.

B III. Reſpondent Calviniſtæ: *Longè aliud eſſe, quando quis mandatu & præſcripto Dei conſignatur; & aliud, quando homines ſuopte nutu & impulſu aliquod ſignum ſibi imprimunt, rati, id ſibi præſidio ac benedictioni fore, abſque verbo Dei & promiſſione.*

C Verùm hîc veterem ſuam næniam Calviniſtæ recinunt. Nam unde probant, nihil eſſe licitum, ſalutare ac fructuoſum, niſi quod verbo Dei ſcripto præcipitur? Neque ex cerebro ſuo hoc ſignum effinxerunt orthodoxi; ſed ex traditione Apoſtolica acceptum, religiosè ac reverenter uſurpant; ùt agnoſcunt quoque & palàm fatentur Calviniani Angli. Addunt Embdenſes: *Eandem prorſus eſſe rationem ſigni frontibus plurimorum impreſſi in Apocalypſi.* Reſpondeo, ùt ſancti Patres Thau illud Ezechielis jure tranſtulerunt ad ſignum Crucis, ita iidem non immeritò ſignum illud in Apocalypſi ad idem Crucis ſignum transferunt; quod in baptiſmo olim tam uſitatum fuit, ut inde etiam ipſe *ſignaculi* nomen acceperit, ùt libro quarto de S. Cruce non ſemel oſtenſum eſt.

Cap. 7.

D Quarta ratio. Proditum eſt in Eccleſiaſticis Annalibus, per ſignum erectásque Crucis imagines ingentia miracula patrata: & Dæmones fugatos eſſe.

Reſpondent Calviniſtæ. *I. Deum in primitiva Eccleſia etiam per minimas Chriſtianorum cæremonias, abſque ſuperſtitione uſurpatas, multa miracula edidiſſe ſolandis fidelibus, terrendísque infidelibus & perſecutoribus, hinc tamen non ſequi, hujusmodi cæremonias Canonizandas & quaſi pro peculiari cultu divino habendas eſſe.* Ago inprimis Calvinianis iſtis meritas gratias, quòd ingenuè confitentur, olim per Crucis imagines & ſignum varia miracula fuiſſe patrata; hoc enim veriſſimum eſt, ùt copioſiſſimè demonſtravimus toto libro ſecundo, tertio & quarto tomi primi de S. Cruce; & libro itidem tertio tomi tertii. Non deſunt tamen ex Lutheri & Calvini fanatica ſchola, qui eò impudentiæ proceſſerint, ut hæc omnia Crucis mira vel inficientur, vel Dæmonum ludificationibus adſcribant. Cur verò ſummo in pretio ac honore non haberemus ſignaculum & imagines ſanctiſſimæ Crucis, quibus Deus tam admiranda effecit, licèt hodie nihil horum efficeretur? Et ubinam dixit Deus, ſe nolle, ut Chriſtiani poſt Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ tempora ſignaculo Crucis ampliùs utantur? aut ſe nullam vim & efficacitatem Cruci poſteris ſæculis largiturum, ut proinde uſus ſigni hujus jam omni utilitate careat?

E

Vide verò ſis Calviniſtarum acumen & ſolertiam. Fatentur primis Chriſtianæ religionis exordiis ſignum Crucis piè & ſanctè uſurpatum, multísque miraculis nobilitatum. Et tamen iidem paſſim hîc clamant, *Crucem eſſe humanum inventum vel commentum; verbo Dei & promiſſione deſtitutum.* Si nihil agendum, niſi quod verbo Dei præcipitur, quî fit, quòd primi illi Chriſtiani Cruce ſeſe ſignârunt? An aliquid contra expreſſum Dei verbum egerunt? Quî fit, quòd Deus *humanum inventum, verbo Dei diſſentaneum*, tot miris illuſtravit? Quòd ſi, ùt iſti ſcribunt, Deus olim eo fine Crucis ſignaculum grandibus miraculis decoravit, ut planum faceret, hujusmodi cæremonias longè excellentiores & efficaciores eſſe, quàm idololatrarum præcipuos, & ab ipſis etiam Idolis Dæmonibúsque præſcriptos & præceptos ritus: credibile profectò fit, Deum hodiéque per imagines & ſignaculum Crucis multa mira patrare; Dæmonéſque in fugam dare, ut demonſtret, hoc ſignum longè eſſe præſtantius, validius & potentius, quàm omnia illa cæremoniarum nugamenta, quæ Calviniani ſuis in ſynagogis inſtituerunt, & de pectore ſuo procuderunt.

F

G

Ajunt, *Julianum, Apoſtatam, terrore ſpectrorum perculſum, facto Crucis ſignaculo, Dæmonas fugâſſe, eóque ipſo à Deo monitum fuiſſe, ut cogitaret, etiam minimum Chriſtianorum factum, efficacius ac potentius eſſe.* Dann aller Teuffel beſtes Heiligthum, *quàm omnium*

H

nium Diabolorum vel pretiosissimas reliquias. Si igitur Crucis signum Dæmonibus à deserto-re Juliano objectum, tam validum, præstans, & eximium fuit, ut meritò omnibus Diaboli Cimeliis invèntísque anteferatur; cur hoc itidem tempore pari dignitate & præstantia non existimaretur præditum? Num temporis progressu naturam suam exuit?

Ajunt, *Dæmones non formidine Crucis abscessisse, sed ideò, ut cogerent Julianum omnia religionis Christianæ insignia abjicere; si quidem arcana ab illis discere vellet.* Confitentur ergo, Crucis signaculum esse Christianæ religionis symbolum, Dæmoníque invisum. Cur ergo vos Germanici Calvinistæ hoc professionis Christianæ symbolum abjecistis? An ut Dæmoni gratificaremini? quandoquidem ùt in Juliano illud ferre noluit, ita verisimile est, malum illum genium illud in vobis quoque tolerare non posse. Sed en virus Calvinisticum. Dicunt; *A Dæmonibus sæpè tantùm simulari fugam & formidinem.* Idem deliramentum deliravit quondam Brentius, quem secuti deliratores alii non pauci; quorum somnia & phantasmata dispuli alibi. Nunc Calvinistis objicio Lutherum; qui in epistola quadam ad Illustrissimos Saxoniæ Principes; *Spiritus*, inquit *Alstettinus* (Anabaptisticus) *hoc devitat, ùt Diabolus Crucem.* Si igitur ex sententia Lutheri spiritus ille Anabaptisticus, verè, seriò, & medullitus, publicum examen lucémque fugit; sequitur, ex ejusdem opinione, etiam Diabolum, verè, seriò, & *animitus*, crucem odisse ac detestari; quia fugit Crucem, ùt spiritus Alstettinus lucem; sed iste fugit lucem, seriò: ergo & Diabolus Crucem fugit seriò. Major & Minor sunt Lutheri, qui spiritum Alstettinum optimè noverat; quippe ex utero suo progenitum. Neque Lutherus in epistola illa dicere voluit, spiritum Alstettinum; hoc est, Luthero-Müntzericum, joco duntaxat & simulatè, *dicísque* gratia lucem aversari; Totus in eo est, ut Principibus ostendat, spiritum illum esse lucifugum. Ex quo necessariò concluditur, Diabolum etiam verè & seriò esse (novato utar vocabulo) *Crucifugum.* Idem Lutherus alibi: *Sacramentarii ab hoc magis abhorrent, quàm quispiam Diabolus à sancta Cruce unquam abhorruerit.* Sed Sacramentarii, teste Luthero, seriò, & ex intimis visceribus, abhorrent ab hoc, ut ostendant, in verbis cœnæ: *Hoc est corpus meum;* voculam *Est*, accipi, pro, *significat*, & voculam *Corpus*, pro signo corporis: ergo & Diabolus seriò, & ex penitis præcordiis abhorret à Cruce, ex sententia Lutheri.

Aveo autem ex Calvinistis intelligere, quodnam nomen fuerit Papæ illi, quem Diabolus abstulit, non obstante crebræ Crucis objectu; & quidem cum his *cancrinis*, hoc est, retrogradis versibus.

Signa te signa, temerè me tangis & angis.
Roma tibi subitò motibus ibit amor.

Deinde à Triumphatore nostro Misenico certior effici cupio, an non Melissus huic Dæmoni, *cancrinorum* carminum architecto, lauream poëticam seu Apollinarem decernendam existimâsset; te, Misene, poëta itidem larvato, promotore, & tanti honoris collatore. Quàm sibi gratularetur Orcus, si tuo beneficio *Diabolum laureatum* acciperet.

Quinta ratio. Ad Crucem Christi referuntur istæ & aliæ hujus generis sententiæ. 1. Corint. 1. *Ut non evacuetur Crux Christi.* Philip. 3. *Multi enim ambulant, tanquam inimici Crucis Christi.*

Respondent Calvinistæ, *hujusmodi sententias loqui de passione & morte Christi, non de lapideis, ligneis, aut manu nostra effictis crucibus.* Cur verò non de his quoque? Quid obstat, ô Calvinistæ? An non evacuatur Crux Christi, quando imago & signum Crucis contemnitur & exterminatur? An non inimici Crucis Christi sunt, qui imaginem & signum sanctæ Crucis nullo modo ferre volunt? An nesciunt isti, signaculum Crucis adhibitum à Regina Angliæ Elisabetha in curatione strumosorum, ùt docet Wilhelmus Toocker, Calvinisticus *Capellanus* seu *αἰπόλος*, in libro, quem inscripsit, *charisma, sive donum sanationis:* ubi & hoc effatum invenietis; *Nemo bonus Crucis signum vituperat.* Non ergo boni sunt Calviniani isti, qui crucem ex communi usu proscribunt.

Hæc differere libuit de sacrosancta Domini Cruce, in gratiam Calvinistarum tam bellè mutuò conspirantium; inprimis autem in gratiam Triumphatoris Misenici; qui in Apologiis suis aliquoties Crucem arrosit; sed dentes fortè ejus obstupefacti sunt. Ferebant olim etiam triumphatores Crucem in ipso triumphali curru; quod vel ex grandi illo numismate Heraclii Imp. apud Becanum & Lipsium constat. Forsitan noster Calvinisticus triumphator, crucem quoque manu prætulit, cùm Heidelbergam triumphali adorea redimitus meritáque decorus fronde intravit. At quia sermo hic de cruce Miseno Crux est, agedum finem imponamus, & ad lætiora nos transferamus.

Lib. 4. de S. Cruce cap. 37. & 64. Luth. tom. 2. epist. lat. fol. 226.

Luth. lib. de verbis cœnæ, tom. 7. lat. Witeberg.

CAPUT XII.

De Festis.

LUbet nonnihil cum Triumphatore nostro sermocinari de Festis: & quàm concorditer hîc quoque Calvinistæ concinant; paulò accuratiùs investigare. Dixeram ex Dialogo, qui *Heidelbergensis Calvinismus* indigitatur; Calvinistas (Germanos videlicet) præter dies Dominicos; Natalem quoque Domini & Ascen-

A Aſcenſionem CHRISTI in feſtis ducere. Conqueritur Miſenus, *me loqui ùt ſophiſtam, rudis populi decipiendi cauſa.* Duos enim à me omiſſos dies, nempe diem lunæ, qui proximè Paſcha, & diem lunæ, qui proximè Pentecoſten ſequitur: nam & hos duos dies Calviniſtis ab opere immunes eſſe. Quod equidem divinare non potui, quandoquidem *Calviniſmus* Heidelbergenſis hos duos dies non exprimit. An non bona fide recenſui, quæ in *Calviniſmo* illo reperi? Nam Paſcha & Pentecoſte ſemper in Dominicam diem incidunt, cùm igitur præcisè Pentecoſten & Paſcha nominet, an non jure ſuſpicari potui, vos tantos feriarum hoſtes, ad hanc duplicem ſolennitatem nullum penitus alium diem adjicere, ſed ſola Dominica Pentecoſtes & Paſchatis contentos eſſe? Jam tamen major mihi lux

B alluxit ab hoc Miſenico Phœbo. En Calviniſtæ in *Palatinatu Electorali* quatuor dies feſtos toto anno celebrant, præter dies Dominicos; *Natalem Chriſti: Aſcenſionem ejusdem, & dies Lunæ immediatos poſt Paſcha & Pentecoſten.* Quis non obſtupeſcat ad hanc tantam Calvinianæ pietatis immenſitatem? quæ non minùs elucet ex ſynodo quadam Belgica, cujus hoc decretum prætorium. *Optandum foret noſtros ſex dies laborare, & diem ſolum Dominicum celebrare.* (Quàm cupidi laboris iſti? Quàm acres otii hoſtes?) *Nihilominus cùm alia quædam feſta obſervantur, nempe Nativitas cum die ſequenti* (De hoc die mutus eſt Triumphator noſter) *item duo dies Paſchatis, & in quibusdam locis dies Novi anni,* (at non Heidelbergæ) *& Aſcenſionis: iis diebus erunt miniſtri diligen-*

C *tes, &c.* Quid ergo agent? *Laborabunt, ut communis receptus uſus omnium feſtorum, excepto ſolo die Natalis Chriſti, quantum erit poſſibile, & quàm fieri poterit commodiſſimè, è medio tollatur.* Iidem Calviniſtæ in Synedrio Middelburgenſi in Belgio, anno 1581.

Decret. 51. *Dies feſti abrogabuntur omnes,* (quid verbis opus eſt?) *excepta die Dominica, Nativitatis Chriſti, & Aſcenſionis Domini.* En iſti Aſcenſionem retentam cupiunt, quam alii *commodiſſimè* ſublatam volunt: quam anno Domini 1574. jam ſuſtulerat Dordracenum

Decret. 48. Conciliabulum Calviniſticum hac ſanctione. *Concluſum eſt, ſolam diem Dominicam ſervandam eſſe.* Nimis profectò reſtrictè.

D Liberaliores, vel potiùs profuſi & effuſi ſunt reſpectu horum Anglocalviniſtæ, qui

In lib. publicarum precum in Eccleſia Anglicana. Apud Feuard. lib. 1. Theomachiæ Calviniſt. *Reginæ, & ſupremæ Curiæ Imperio ſtrictiſſimè jubent feſta Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Transfigurationis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, atque etiam nominis Jeſu celebrari: addunt his, Conceptionem, Annunciationem, Viſitationem, & Purificationem intemeratæ Virginis Mariæ; Inventionem S. Crucis, & ejusdem Exaltationem: Natales duodecim Apoſtolorum dies, ſacra ſolemnia Michaë-*

E *lis, Joannis Baptiſtæ, Stephani, Innocentium, Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Martini, Annæ, Agnetis, Agathæ, Magdalenæ, Margaretæ, Luciæ, Cæciliæ, imò & SS. omnium Calendis Novembris feſtum; religiosè ab omnibus obſervari.*

Quæ omnia damnantur ab aliis in eadem Calvini ſchola educatis, tanquam idololatriæ pleniſſima: imò *in Gallico Calendario Sanctorum omnium expuncta ſunt nomina: & horum occupant locum, Pharaones, Nabuzardani, Herodes, Nerones, Mahometi, Solymanni, Huſſi, Wicleffi, Lutheri, Zwinglii, Buceri, Melanchthones, quos univerſus ferè mundus improbat, & ùt fœdiſſimos hæreticos diffugit.* Anglicani itidem Novatores exterminârunt ex ſuis Faſtis Natalem Deiparæ, ſubſtituto in ejus vicem die Natalitio Reginæ ſuæ.

F Sed his omiſſis ſciſcitemur ex glorioſiſſimo Triumphatore noſtro num, ùt apud Anglos Calviniſtas: ita & apud Germanos Gallósque, ſint *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Decani,* non in ſcholis, ſed in templis; *Clerici, Canonici, Guardiani, Capellani, Præbendarii, Beneficiati;* & Eccleſiæ tum *Cathedrales,* tum *Collegiatæ.* Item num Miniſtros veſtros non ordinetis, niſi *Quatuor temporum* diebus, indicto & præmiſſo jejunio, nec ſine titulo, ùt faciunt Angli? Libenter inſuper cognoſcerem, utrum Germanici & Gallicani Miniſtri Calvinum profeſſi, utantur, cùm ſuam cœnam aut cœnant, aut aliis cœnandam anteponunt, *ſuperpelliceis manicatis & capuciis:* aut *Liripipiis ex panno nigro,* præterea num *pileis quadratis.* Certè Parei *myſtax* & *pileus quadratus* multum ſe invicem exornarent.

Vide Synod. Londin. ex qua hæc deſumpta.

G Cave autem, ne hæc Anglicana inſtituta damnes, alioqui non tantùm *excommunicatio;* ſed & (quæ pœna horribilior) *ſuſpenſio* tibi imminebit. At dic, quæſo, Triumphator Maxime, Eccleſia, in qua tu degis, quam ſequitur de excommunicatione ſententiam? Num Bezæ, an ſui Eraſti? Nôſti, opinor, hos de hoc argumento conflixiſſe, primùm, clam, poſtea palàm: illo, moderatum excommunicationis uſum probante, hoc omnem excommunicationem ad Sauromatas & Sarmatas ablegante. Videtur Eraſtus non potuiſſe dormire incœnatus, adeò excommunicationem à cœna Calviniſtica horruit.

H Saraviæ querelam de ſublatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, graduúmque Clericalium diſtinctione abolita, templisque expilatis, & proventibus annuis abalienatis vel largiter decoctis, ais alicubi *eſſe juſtam:* Alibi tui oblitus; dicis, *te nolle tuum de hac querela judicium interponere.* Quæ hæc mentis tuæ ſymphonia? Scilicet Saraviæ gratum jucundúmque foret, ſi ùt Anglocalviniſtæ, ita Belgici quoque, Gallici & Germanici Calviniani *Archiepiſcoporum, Epiſcoporum,*

A *Clericorum*, *Decanorum*, titulis & insignibus clari incederent, opibúsque & Ecclesiasticis reditibus pollerent. Sed satis supérque, si non nimium, habetis. Estote, qui estis, nempe Laici, non tantùm statu, sed & vestitu. Videor alicubi in operibus Zwinglii legisse, Ministros, nulla re, ne habitu quidem, à reliquis discrepare debere. Semper mihi hoc placuit, non enim caret antiquitatis exemplo; quia *Manichæorum*, quos *Paulicianos* appellabant, *Sacerdotes à cæteris, nulla prorsus re, non habitu, non victus ratione, non reliquo vitæ apparatu differebant:* ùt inquit Cedrenus in suo Compendio. Etsi jam Prædicantes, præsertim Lutherani, ad Ecclesiasticum schema arrepere multis in locis occipiunt, non sine multorum risu & irrisu, dum simios istos vestibus propè Sacerdotalibus conspicuos intuentur. Sed de his finem facio, ne Triumphi gaudia interturbem.

CAPUT XIII.

De Examine Conscientiæ.

B Vide, quæ hac de re ex antiquorum monumentis scripsimus Apolog. 1. lib. 2. cap. 1. & Apolog. 2. lib. 2. cap. 1. & Apolog. 3. lib. 2. c. 3.

IN tribus Apologiis fusissimè ostendi ex doctrina SS. Patrum, quomodo Misenus conscientiam suam excutere, & ad examen quotidianum vocare debeat. Sed ùt jam animadverto, inanem operam cepi, quandoquidem Lithus iste conscientia caret. Quomodo autem is, qui nullam conscientiam habet, conscientiæ examinandæ, & ad trutinam revocandæ operam daret? Itaque quidquid de hoc argumento dixero, id non in Misenici Triumphatoris, sed in gratiam aliorum dicam, nec tam meis, quàm Hieroclis & Plutarchi veterum Philosophorum verbis. Adeò enim evidens est utilitas, quam usus discutiendæ & ad tribunal citandæ conscientiæ parit, ut ne ipsos quidem Ethnicos fugerit. Quare Pythagoras in aureis Carminibus.

C Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῇ παρέβην; τίδ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι· καὶ μετ' ἔπειθα
Δεῖλα μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο χρησὰ δὲ, τέρπου.

D Quæ ad verbum sic reddi queunt:

Neque somnum teneris in oculis accipe
Priùs, quàm diurnorum factorum ter unumquodque commemorâris.
Quà sum transgressus? quid feci? quid mihi, quod oportuit, non factum est?
Orsus autem à primo recole, & postea
Mala quidem si feceris, dole: bona verò, gaude.

In hos versus pulcherrimè & planè Chri- E
stianè, alioqui minimè Christianus, commentatur Hierocles; qui primò generatim monet, examen conscientiæ instituendum esse, & quidem ex præscripto legum; quæ nobis, ùt norma vivendi, traditæ sunt. Nam qui aliquid discutit aut examinat, num probum sit an reprobum, is utique id facit intuitu ad nonnullas regulas; quarum ductu adjutus bonitatem vel pravitatem rei explorat. *Hîc volo*, inquit Hierocles, *ut omnia præcepta, quæ priùs Pythagoras præscripsit, quasi in unum fascem comportes; ut in ea, tanquam in divinas leges, intuens; in mentis tuæ interno, velut tribunali, eorum, quæ benè, vel malè gesta sunt, examen facias. Unde enim malis admissis, mordere nos queat commemoratio; vel laudare, patratis bonis, nisi meditatio, quæ præcessit, leges quasdam admittat, ex quarum instituto vitam deceat componere, & ad eas conscientiæ abdita, tanquam ad scopum aliquem, toto vitæ nostræ spacio dirigere?*

Habes igitur, conscientiam in examen vo- F
candam esse.

Quoties? *Singulis diebus examen istud fieri postulat, ut assidua recordatione judicii, id, quod rectum honestúmque est, servetur incolume.*

Quando? *Somni appetente tempore.* Qua de causa? ὅπως ἂν πέρας τῶν μεθημερινῶν πράξεων τὸ τῆς συνειδήσεως καθέζοιμεν δικαστήριον, ἐπικοίτιον ἆσμα θεῷ τὴν τῶν διαθέσεων ἀνάκρισιν ποιούμενοι, *ut ex eo, quod actionum diurnarum terminus est, efficiamus conscientiæ tribunal, Deóque ipsi affectionum examen, quasi canticum, lectum somnúmque antegredi solitum, offeramus.*

Quis judex in hoc judicio? *Judicem ad- G*
hibuit æquissimum simul, atque commodissimum, conscientiam nimirum, rectámque rationem, atque etiam seipsum, cujus omnium maximè pudere superiùs quemque voluit. Quis enim ita alium alius, atque se quisquam commonefacere valeat? Quod enim sui juris est, si naturæ libertate utatur, aliorum consilia facilè respuit; cùm illis parere non statuit. At, non potest non audire se necessariò, quæ intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit, quæ nostri curam gereret. Istam ducem, atque magistram. Istam etiam nunc judicem DIURNORUM OPERUM ratio efficit; & factum ab ipsa judicium amplectitur: ut suum ipsa calculum adjiciat, quidnam in se, vel laude, vel reprehensione dignum judicet, &c.

Quales regulas sequitur hujus examinis H
præses & judex? Quas ὁ νομοθέτης præscribit; τί ἦν ὁ νομοθέτης λέγει; *Quid ergo legislator? Eos honorare, qui naturæ sunt præstantioris, pro cujusque ordine. Parentum, cognatorum, permagnam habere rationem. Probos viros amplecti, atque amare. Corporeis viribus superiorem se præbere. Sui ipsius ubique pudore affici. Justitiam colere. Divitiarum, vitæq; quotidianæ*

A *dianæ proclivem amissionem prænôsse. Sortem amplecti, quæ divino judicio cecidit: lætari autem spiritibus Deo convenientibus; & ad id, quod præstantius est, mentem convertere. Sermonis studium colere, qui verè sermo sit. Non patere fraudibus: non fracto esse animo in virtute servanda. Nihil nisi consultò agere; ut, foris non sequatur pœnitentia. Temerarias opiniones purgare. Vitæ persequi rationem, quæ scientia regatur. Corpus ipsum, & quæ externa sunt, ad virtutis actiones idonea reddere. Leges ista sunt, quæ à mente in animis hominum sanciuntur: quæ, cùm ratio admisit, judex ipsa sui vigilantissimus efficitur.*

B At, qua ratione circa has, similésque leges examen instituitur? *Quà sum prætergressus? Quid feci? quid facere decuit, quod non ipse fecerim? Peccamus enim duplici ratione: vel, cùm facimus, quod non decet, quod transgressionis verbo significatur: vel, cùm non facimus, quod decet; sicuti verbis exprimitur. Aliud enim est, ab eo cessare, quod honestum est; & aliud, id facere, quod turpe. Ibi quidem prætereundo: hîc autem admittendo peccatur. Verbi gratia; decet, benè precari; non autem convitiis afficere. Decet item parentes alere, non arcere contumeliis. Præstat igitur, quæ decet, qui facit, quæ priora sunt: facit autem, quæ non decet, qui altera: licèt utraque ratione quadam, ad idem peccandi genus referantur. Hortatur autem, ut operum nostrorum examen à principio, nullis eorum, quæ media sunt, prætermissis, ordine faciamus; quod percurrendi verbo significavit. Fallit enim judicium sæpissimè ordinis perturbatio; & efficit, ut, quod malè patratum est, memoriæ confusionem libenter excuset.*

C *Est autem admiratione dignum, quòd, cùm expendenda singula præcipiat; quid rectè, quid eorum, quæ decuit, gestum sit, perpendendum non monuit: sed ad id, quod tumoris minus haberet, memoriam traduxit, ut eorum, quæ peccata sunt, judicium faceret.*

D Totam examinis hujus materiam his versibus pulchrè complexus est Ausonius.

Auson. Idyll. 8.

Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit? sic dicta, & facta per omnia
Ingrediens, ortóque à vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam, & præmia rectis.

Quis fructus, hujus examinis? Quæ utilitas? *Studium istud, si singulis diebus excolatur, efficit divinam in iis imaginem, qui illud amplectuntur; dum eos, vel additionibus, vel subtractionibus, ad virtutis decus perducit: & quantum fas est, probum hominem perficit.* E

II. Adfert præterea diurnæ vitæ recordatio ea, quæ gessimus antè, commemorandi solicitudinem, nostræq; sensum immortalitatis.

III. Parit insuper gaudium vel salutarem pœnitudinem in animo. Nam si ratio cognoscat, se juxta præscriptam vitæ normam, diem exegisse, τῆς θείας εὐφροσύνης τοῖς καρποῖς ἀναδεῖ: *lætitiæ quasi sertum sibi nectit & imponit. Sin autem præter rationem factum deprehendat aliquid, monitis se post pœnitudinem, tanquam pharmacis, reprimit.* Igitur

Ταῦτα πόνει ταῦτ' ἐπιμελέτα· τέτων χρὴ
ἐρᾶν σέ·
ταῦτα σὲ τῆς θείας ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει·
Ναὶ μὰ τὸν ἡμετερᾷ ψυχᾷ παραδόντα
τετρακτύν
Παγὰν ἀενάου Φύσεως----.

Hæc facito, hæc satage: Istorum tibi cura geratur.
Hæc te virtutis divinæ ad limina sistent.
Juro te, qui nos docuisti tetrada,
Fontem naturæ æternum----

Damna, quòd non sit aliquid rectè commissum, ùt Arrianus monet: *quo facto, ne propterea despondeas animum, ne id tibi accidat, quod timidis solet, qui, cùm semel remiserunt, abjiciunt se totos, & tanquam fluctibus quibusdam abripiuntur. Usurpato illud, quod pædotribæ solent: Cecidit puellus; resurgens capesse,* inquit, *denuò pugnam, donec robur acquiras. Ita tu quoque sis animo tuo affectus. Nôsti enim anima hominis nihil esse flexibilius. Tantùm velle oportebit, & factum erit, nec pravitati erit locus. Si rursus obdormieris, quæ fuit, rectitudo periit. Intra te est interitus, & salus. Deinde quæris, quid mihi conducit? Nunquid majus illo quæris? Ex inverecundo mutabere in verecundum; ex incomposito, in moderatum, & ornatum; ex infido, in fidelem; ex incontinente, fies continens.* F

Arrian. lib. 4. cap. 9.

Hæc pulchrè Arrianus, quæ adscripsi, ut illustrarem pium illum morem examinandæ in singulos dies conscientiæ; cujus moris Ignatius noster ùt amantissimus, ita & retinentissimus fuit à primo conversionis usque ad supremam horam momento; exemplóque suo & legibus etiam tam suos, quàm alios ad eandem tam salutiferam pietatis exercitationem excitavit & inflammavit. G

Inter opera S. Bernardi extant octo puncta, quorum beneficio ad perfectionem vitæ spiritualis enitendum est. Sub finem adjungitur hujusmodi præceptum: *Tibi ipse esto durus, nunquam aliis. Manè, præteritæ noctis fac à te ipso exactionem, & futuræ diei* H

A *tibi induito cautionem. Vespere, præteritæ diei rationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem. Considera, quantum proficias, quantum tibi adhuc restet itineris?* &c.

B Neque verò hominibus, præsertim Ignatio nostro, perfectionis & salutis suæ procurandæ studiosis hoc tantùm solenne fuit; ut generali examine omnia vitia diligenter & indefessè extirpatum irent; Sed & hoc, ut singulare aliquod vitium, in quod præ aliis propenderent; vel quod totis viribus & absque mora excisum cuperent, singuli quoque Examine, eóque sæpiùs & acri cum discussione, instituto, profligare tentarent. Quem morem Ignatius usitatissimum habuit; & ad posteros suos transmisit; hi autem porrò ad illos, quos cura salutis & internæ puritatis cupido tenet. Qui etiam, sed quasi per nebulam, affulsit & illuxit Plutarcho, optimo magistro morum. *Præter omnia;* inquit, *magnum & divinum mihi illud Empedoclis visum est.* ΝΗΣΕΥΣΑΙ ΚΑΚΟΤΗΤΟΣ. *Abstine ab improbitate.*

Plut. lib. de non irascend. sub fin.

C *Quin & ista pacta, sive vota, ùt non inelegantia, neque aliena à philosopho probavi; cùm per annum pollicebantur se velle re Venerea, & vino abstinere, Deúmque continentia sua venerari. Itémque; per certum tempus mendacio carere, ut animadvertere possent, quomodo & in jocis, & in seriis omnibus veritatem tenerent. His ego animis meam comparans, pietate illis nihilo inferiorem, sacros quosdam initio dies, quibus ira vacarem, paucos institui, tanquam vini, & ebrietatis vacuas, ac si Nephalia (id est sobria sacra) & libatione mellis agerem. Deinde mensem, mox duos eandem tenui rationem. Atque hoc pacto, me ipsum expertus, successu temporis magnos feci ad patientiam progressus, temperanter meipsum attendens, atque custodiens, cum boni ominis precationibus, immunem iræ, & purum omnis pravi sermonis absurdæq; actionis, ac perturbationis, quæ propter voluptatem exiguam, atque ingratam, turbas magnas, turpissimámque afferret pœnitentiam.*

D En quantum emolumenti Plutarchus perceperit ex hac sibi attendendi, & in particularia quædam vitia sigillatim inquirendi sollicitudine. Quid sibi non pollicebitur Christianus tot fidei & gratiæ præsidiis instructus? vel hoc inprimis omnibus clarum testatúmque reddet; se cum vitiis serium bellum suscepisse: *Nam qui vitia aggreditur,* inquit Plutarchus, *& vel, (quod præcipuum est) seipsum ob peccatum damnare, ac castigare novit; vel (quod proximum est) alio castigante, tolerantem se præbet, vitiisque exonerari correctoris opera libenter sinit, eum apparet verè detestarì, & excutere pravitatem.* Tradítque idem Philosophus, non leve profectus indicium esse; *si quis commissâ culpâ, se reprehendentibus offert, vitium exponit, & malum detegit, neque gaudet latendo, contentúsve est, si clam id ferat; sed confitetur, opémque correctoris requirit. quo modo Diogenes dixit, eum, qui servandus sit, quærere debere aut probum amicum, aut infensissimum hostem, ut vel reprehensus vel correctus vitio liberetur.*

Plut. lib. de profect. virt. sent.

E

F Neque ideo cura & discussio conscientiæ repudiari debet, quia Ethnicis quoque curæ, cordíque qualitercunque fuit. *Nam & ipsi gentiles,* inquit præclarè S. Augustinus, *siquid divinum, & rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non improbaverunt sancti nostri; quamvis illi per suas superstitiones, & idololatriam, & superbiam, cæterósque perditos mores detestandi essent, & nisi corrigerentur, divino judicio puniendi. Nam & Paulus Apostolus apud Athenienses cum de Deo quædam diceret, perhibuit testimonium, quòd quidam eorum tale aliquid dixerint, quod utique, si ad Christum venirent, agnosceretur in eis, non improbaretur. Et S. Cyprianus talibus adversùs eosdem ethnicos utitur testibus. Nam, cùm de Magis loqueretur, quorum tamen, inquit, præcipuus Ostanes, & formam veri Dei negat conspici posse, & angelos veros sedi ejus dicit assistere: In quo & Plato pari ratione consentit, & unum Deum servans; ceteros, angelos, vel dæmones dicit. Hermes quoque Trismegistus, unum Deum loquitur, & eum incomprehensibilem, atque inæstimabilem confitetur. Si ergo isti venissent ad percipiendam Christianam salutem, non utique eis diceretur, hoc malum habetis, vel falsum habetis; sed planè meritò diceretur; hoc vobis, quamvis integrum, & verum, nihil tamen prodesset, nisi ad Christi gratiam veniretis.*

S. August. lib. 6. contra Donatist. in fine.

Act. 17.

CAPUT XIV.

De Confessione auriculari.

G POst examen conscientiæ meritò sequitur Confessio, quam Triumphator noster, prout in Catholica Ecclesia usurpatur, cane pejùs & angue detestatur, licèt fortè non abhorreat cum Calvinista quodam Basileensi ab illa Confessione, *quæ libera est, ad quam nemo cogitur: quam faciens, nemo ad Pastoris pedes advolvitur: quam omittens, nemo sacræ cœnæ communione excluditur. Talis est apud orthodoxos fratres in Bohemia, & Moravia, quos Waldenses, vel Picardos, vel Boleslavienses quidam vocant.* Mira, planè mira hîc audio. Picarditas in Bohemia & Moravia esse *Orthodoxos*, hoc est, Calvinistas; Sic enim Calvinista *Orthodoxi* vocabulum usurpat; Idem ergo sentiunt *Picarditæ*, quod Calvinistæ; & hi, quod illi. Damnant igitur Calvinistæ universos judices & Principes; quia hos damnant Picarditæ, ùt patet ex relatione & refutatione errorum Waldensium, quam priùs in Catalogo testium veritatis ediderat Illyricus; postea cum Historicis Bohemis Freherus.

Polan. in disput. de confess. Thes. 25. 26.

H *II.* Docent igitur Calvinistæ, *Maleficos non esse damnandos*, juxta illud: *Nolite judicare*, &c. Et illud: *Non occides.*

III. Jura-

A *III. Jurare peccatum mortale esse*, propter illud, *Non jurare omnino.*

IV. Parvulos non salvari per baptismum.

V. Bonum laicum, etiam mulierem, si scit verba, posse conficere Eucharistiam.

VI. Non in manu conficientis, sed in ore

B *sumentis fieri transubstantiationem.*

VII. Mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant. Docent, inquam, hæc & multa his similia Calvinistæ; quia hæc docent *Picarditæ*, quos Calvinista Basileensis orthodoxos appellat: de quibus eadem Relatio hæc etiam prodidit: *Negotiationes non habent, propter mendacia, & juramenta, & fraudes vitandas: sed tantùm vivunt de labore manuum, ùt Opifices & Doctores ipsorum sunt textores, & sutores.*

C Num in his concordant Calvinistæ cum Picarditis? qui nullam aliam orationem *dicunt aut docent, aut habent, nisi orationem Dominicam. Nec Orationem reputant salutationem Angelicam*, Ave Maria: *nec symbolum Apostolorum: Credo in Deum. Et dicunt, illa, per Romanam Ecclesiam, non per Christum fuisse ordinata, seu composita.* Ut maximè in repudiando usu Angelicæ salutationis consonetis; at de Symbolo Apostolico, honorificentiùs, opinor, vos Calvinistæ sentitis; quàm isti fratres vestri *cerevisiarii*; qui insuper signum sanctæ Crucis super cibum & potum cœnaturi vel pransuri exprimunt. Num idem mos Calvinistis? *Jejunant denique tres aut quatuor dies in hebdomada, in pane & aqua.* Num idem Calvinistæ factitant? Hæc obiter, occasione *Orthodoxorum* Waldensium; Quorum confitendi rationem exponit Calvinista Basileensis his verbis: *In illis Ecclesiis sistunt se Pastori pleræq; oves, quoties sacram Cœnam participare volunt; sed nullam faciunt peccatorum specialem enumerationem. Profitentur, se esse peccatores, se Deum multis peccatis offendisse: &, qui habent impeditam conscientiam, & ob ejus inquietudinem ope ministri indigent, confirmantur in fiducia meriti Christi, illáque, quâ priùs æstuabant trepidatione, liberantur. Alii, qui de dogmate aliquo dubitant, aut nondum rectè sunt instituti, ejus requirunt explicationem.*

D Verùm enimverò non injuriâ dubites, utrum iste Calvini assecla, bona fide orthodoxorum suorum Waldensium confitendi ritum & rationem exposuerit; ut enim ambigam, facit ipsa Waldensium Confessio edita à Frehero, in qua Waldenses de pœnitentia lapsorum istud confitentur. *Ex fide affirmamus, peccatori lapso, Deus si cor contritum, & humiliatum in vita largitus fuerit, fidem Christi veram habenti, &, si animo, intentione, opere, à retroactis vitiis resipuerit, talis in veritate constitutus, si Presbyterum scientem discernere malum, à bono, cujus labia scientiam divinæ legis custodierint, invenerit: hujusmodi Sacerdoti recta intentione, scelera confessione revelare debet; quo velut judice in loco Dei præsidente & Ecclesiæ, jure legis Domini, culpæ ejus gravitas (qua rubore perfundatur) rectè dijudicetur; & correctus consilium pœnitentiæ ad reformationem sui habeat, Christi clavibus aut solutus, aut ligatus humiliter obsequatur. Talem cordis submissam contritionem pœnitentiæ sacramentum, hoc est, signum veritatis gratiæ largitæ pœnitenti*, &c. Vides hîc *Orthodoxos* istos Waldenses velle, ut specialis scelerum enumeratio instituatur: Mentitur ergo Polanus, cùm scribit, eos generatim *duntaxat profiteri, se peccatores esse, séque Deum multis peccatis offendisse.* Quæ generalis confessio valde arridet huic Calviniano; quod ex hac ejus assertione colligas. *Talis sistendi se Pastori ratio* (qualem Waldensibus affingit) *singularem affert fructum Ecclesiæ* (scilicet) *& ideo est probanda; &, ubi fieri potest, observanda.* Et cur fieri nequit, ut observetur Basileæ, inque aliis Helveticis Calvini Synagogis, in Palatinatu?

E

F Audi verò & ride, quàm acriter Calvinista Lutheranorum auricularem confessionem oppugnet; & quàm pulchrè omnium oculis subjiciat; quales Lutherani Prædicantes sint confessarii; *Multi*, inquit, *Ministrorum captant, ut quàm plurimos, maximè ditiores, ad se alliciant, sibique devinciant; ut tanto plus lucri ex audiendis confessionibus ipsorum consequantur.*

G Quid amplius Polane? Per Confessionem auricularem Lutheranam, *introducitur προσωπολη-ψία, aliena à fide Christiana Jac. 2. ver. 1. & seqq. dum pauper Confessionem facere volens, diu sæpe exspectans, diutiùs exspectare cogitur, donec ditiorum ampliori precio absolutionem redimentium, confessiones prius fuerint auditæ. Quin Confessionarii quidam, præteritis, & neglectis pauperibus, ante ipsos stantibus, ditiores signo manu dato ad se accersunt, ut quàm primùm illos absolvant, & dimittant. Nónne isti contumelia afficiunt pauperem, & respectum personarum habent?*

H Nihil supereſt ô Calvinista? Per Confessionem *Lutheranauricularem introducitur invidia, & dissensio inter ipsos ministros; quorum alius alii majorem confitentium, præsertim divitum, numerum invidet. Hinc calumniæ, hinc obtrectationes, hinc contentiones, maximè cùm personæ aliquot ditiores, priore suo Confessionario relicto, alium sibi delegerunt.*

Sile, obsecro, sile, Polane, & ne hæc talia arcana ex Lutheranis adytis in apertum protrahe: ne Lutheranis stomachum, nobis risum moveas. At morem non geris. Majora canis. Per Confessionem *Lutheranauricularem malè consulitur etiam ipsis confitentibus. Nam ministrorum quidam adeò sunt morosi, & impleti invidentiâ, & odio, ut eos, qui alio Confessionario utuntur, sæpe consilio, & solatio juvare nolint: sed ad Confessionarium ipso-*

A *ipſorum ablegent. Quid, inquiunt, mihi tecum eſt rei? abeas ad tuum Confeſſionarium.*

Ohe, necdum digitum ori imponis? Inſanient Lutherani, cùm ſuam Confeſſionem
B ſuósque *Confeſſionarios* tantopere à te, velut in publica ſcena, traductos conſpicabuntur. Verùm tu gratiam eorum nihil morari videris. Quocirca intrepidè ſubjicis: *Per Confeſſionem Lutheranauricularem augetur audacia, & inſolentia eorum miniſtrorum; quì Diotrephico ingenio ſunt præditi: qui graviſſimos, doctiſſimósque viros, & ſe multò meliores, ob levem in doctrina, vel alia quapiam re, diſſenſionem, occaſione confeſſionis, improbè conſtringunt, exagitant, & excruciant: quosdam etiam ab uſu Cœnæ Dominicæ arroganter excludunt, & ſubmovent.*

C Miſeros Prædicantes, qui Prædicantibus confitendo nihil aliud conſequuntur; quàm ut *occaſione confeſſionis conſtringantur improbè, exagitentur, & excrucientur*, & aliquando à cœna Lutherana excludantur. Quæ omnium pœnarum horribiliſſima non immeritò judicatur. At ubi fides & fidelitas & taciturnitas Lutheranorum *Confeſſionariorum*; ſi ubi Symmyſtæ alicujus Confeſſionem audiêrunt, anſam eos *conſtringendi, exagitandi*, & *excruciandi & à cœna ſegregandi arripiunt?* Verùm tolerabilia videntur, quæ hactenus dicta, præ illis, quæ nunc Calviniſta dicere ingreditur. In Confeſſione *Lutheranauriculari adminiſtranda*, *Miniſtri*, (Lutherani) *præſertim novitii, experientia ſpirituali carentes, & in ſchola Crucis Chriſti nunquam verſati, frequenter non tuentur perſonam, ut vel laborantes conſcientiæ vulnere, rectè, & ſolidè ſolari nequeant, vel arcana ſibi commiſſa in privata confeſſione, per imprudentiam, vel potiùs garrulitatem, effutiant, & patefaciant, & confitentibus periculum creent, ſimiles illi, qui ſe plenum rimarum eſſe, & hâc, atque illâc profluere profitebatur.*

D Hîc tandem Calviniſta ipſum rei caput, imò jugulum tetigit. Lutherani Prædicantes *frangunt ſigillum*, ùt nos Catholici ſolemus loqui. Nec fidem ſervant, nec ſilentium; Nec os continent, pleni rimarum & confitentibus periculum creant. Quàm fatui igitur ſunt, qui his *Confeſſionariis* utuntur, quibus nulla *ſecreti Sacramentalis*, vel *naturalis* cura & religio eſt, quique impunè ſcelera audita ſeſe propalare poſſe credunt; ex quorum numero tres illi Prædicantes Saxonici, Confeſſarii Doctoris Crellii Cancellarii, capite mulctati; qui in Concione funebri, qua decollato parentârunt, quamquam poſtea typis excuſam per totam Germaniam ſparſerunt; non erubuerunt, quod in Confeſſione miſeri Crellii cognoverant, coram univerſo mundo prodere, & hanc ſuam proditionem his verbis publicè teſtatam relinquere. Darauff er (Doctor Krell) ſein Beicht gethan, welche alſo beE ſchaffen geweſen, daß ob wir wol das je- In orat. funenige, ſo er bekannt, billich mit uns in die Gru- neb. fol. 57.
ben nemmen, dannoch wir ungeſcheuet ſagen dörffen, daß er (Doctor Krell) für GOtt und uns ſeinen Dienern, ſo vil erkannt, und bekannt, daß er diſen Todt gar wol verſchuldet habe.

F *Poſt hæc confeſſus eſt* (D. Crellius) *quæ ejus confeſſio ita comparata fuit, ut, quamvis id quod confeſſus eſt; meritò reticeri, & cum ſepultis ſepeliri deberet, intrepidè tamen dicere audeamus, ipſum Crellium tam multa coram Deo nobiſque Dei Miniſtris faſſum & confeſſum eſſe, ut ſe hoc mortis ſupplicio dignum judicaret.* In malam Crucem cum iſtis *Confeſſionariis:* qui ut nullam in mente fidem, ſic nullum in fronte ruborem habent. Quibus ſimilis Lutheranus ille Prædicans, de quo Schererius alicubi in ſua *Poſtilla Dominicali.* Cùm his proximis Hungaricis bellis Lutheranus quidam miles, grandis cujusdam furti ſuſpectus, neque tamen compertus, periclitaretur de capite, neque, ut verum fateretur, adigi poſſet, tandem, (ô fatuum, & fungum) Prædicanti, *Confeſſionario* ſuo, in Confeſſione furtum à ſe commiſſum patefecit. Prædicans ab audita Confeſſione adhuc recens calensque, rectà ad Ducem; Et quin tu, inquit, iſtum absque mora ſuſpendis; jam enim mihi Confeſſus eſt, ſe furti hujus reum eſſe. Nil cunctatus Dux miſellum in furcam egit, quámque tutum ſit Prædicantibus confiteri, malè providus ille, gulâ laqueo fracta, comprobare debuit. Nec diu eſt, cùm, clariſſima quadam in Urbe, ipſimet filii, matrem ſuam ob tranſitionem ad Catholica ſacra, graviſſimorum criminum coram magiſtratu inſimulârunt, teſte laudato citatóque Prædicante, matris quondam *Confeſſionario:* Qui coram conſule publicè dixit; Matrem, illa ſcelera ſibi non eſſe confeſſam; ſe enim pro prudentiâ ſua, minimè taciturum fuiſſe; ſi tam enormia piacula in Confeſſione detexiſſet.

G An non igitur ſtolidus meritiſſimò judicabitur, quisquis conſcientiæ ſuæ arcana Prædicantibus committit; cùm omnia fidei & ſilentii repagula, quando & ubicunque lubet, perrumpant, & abrumpant, & quidem ſumma impunitate; Nam ſi quis apud Catholicos ageret, quod *Crelliani* illi *Confeſſionarii* egerunt, forſan linguæ effrenem licentiam capite lueret.

H Ne verò de ſolis Lutheranis loquamur, agedum, videamus, quid Calviniani Patres Londinenſes in ſua ſynodo decreverint: nam poſtquam edixerant, ut peccata notoria ad Epiſcopos deferantur; ſubjungunt. *Proviſo ſemper, quòd ſi quis peccata ſua occultiora alicui Miniſtro privatim confiteatur (conſcientiam ſuam exonerando, quò ab illo ſpiritua-* H Syn. Lond. cap. 113.

A *tualem consolationem, & levamen percipiat) eum hac nostra Constitutione nullatenus teneri volumus, quin potiùs strictè illi præcipimus, ne ejusmodi aliquod crimen, aut delictum fidei, ac taciturnitati suæ taliter commissum cuivis personæ aliquando retegat, nisi sit ex eo genere criminum, quorum occultatio ex legibus hujus regni sit capitalis: qui contrà fecerit, eo ipso irregularis esto.*

B En quàm sanctè sigillum Confessionis custodiunt, & reverentur, Patrati & atri isti Patres. Quædam tegi volunt. Alia non. Et quæ illa? Inter alia *Catholicam fidem sequi. Regem pro capite Ecclesiæ non agnoscere*, & cætera de eodem genere, capitalia effecta; sed à capitalibus fidei avitæ hostibus, à capitali salutis nostræ hoste impulsis & incitatis.

C Hæc quæ de Lutherana auriculari Confessione ex Polano Triumphatoris nostri symmysta, disserui; eidem, ùt spero, ingrata non erunt; variis enim sermonibus augenda est Triumphi jucunditas. Et quamvis forsan Lutherus vel aliquis Lutheranus occlamaturus sit: *Nullo modo ferendum est, ut minores fures* (Lutherani) *à majoribus* (Calviniistis) *suspendantur, & magni nebulones condemnent minores*, hoc est, Calviniistæ, Lutheranos; tamen clamor iste susque deque habendus est, stupórque Lutheranis opprobrandus, qui hujusmodi *Confessionariis* tam infidis, infidelibus, avaris, rapacibus, invidis secreta mentis pandunt. Nec est, quòd Calviniistarum quispiam ogganniat, similia ex orthodoxorum auriculari Confessione incommoda exístere; Nam id à veritate alieníssimum est; cùm Catholici Sacerdotes sciant, sibíque certíssimò persuadeant, *sigillum* Confessionis, simpliciter in omni casu & eventu; si confitentis assensus non accedat; esse sacrosanctum & inviolabile: graviíssimæque pœnæ tam necessarii silentii transgressoribus constitutæ sint. De cætero, si quid abusus vitio & improbitate hominum in hujus Sacramenti administratione irrepit; utimur illa defensione, qua Lutherani & Calviniani suis in causis infinities usi sunt: MANEAT USUS, PEREAT ABUSUS.

Luth. in c. 7. Matth.

CAPUT XV.

Corona Triumphatori nostro ex quinquaginta Eucharisticis flosculis honoris & amoris ergò plexa.

I.

D Pag. 256. MEntitur, Bellarminum ex Corpore Christi facere Spiritum: quòd dicat Bellarminus, Christum in Sacramento existere non per modum corporum; sed per modum spirituum; hoc est, *indivisibiliter*. Quis verò unquam audivit, idem esse necessariò hæc duo: *Per modum spirituum existere; & esse spiritum?* quis, unquam, hoc audivit, præter illos, qui *æneum caput & nasum ferreum habent*; ùt de se alicubi scripsit Lutherus: Nam si Deus à materia prima quantitatem sejungeret; nónne per modum spiritus, hoc est, indivisibiliter existeret? Num ideo spiritus esset? E Luth. contra Sylvest.

II. Mentitur, Bellarminum *ex corpore Christi inane phantasma facere.* Sed cujus judicio? Phantastæ nimirum Calviniani, qui non intelligit divisibilem, hoc est, localem existentiam non tantùm non esse de corporis, sed nec de ipsius quantitatis essentia.

III. Vide hanc insciciam. *Est alicubi: ergo in loco.* Christus in Eucharistia existens est alicubi: ergo in loco. Pulchrè. Supremum cœlum est alicubi: ergo in loco. Sed quis ille locus? Lapis extra supremum cœlum existens, si quis ibi existeret; esset alicubi: ergo in loco. Ingeniosè; sed cedo ambientem superficiem extra cœlum, ubi præter nihil, reperitur nihil? Pag. 255.

IV. Vide & hanc ruditatem. *Extensio & distinctio partium sine distinctis ubi, ne quidem cogitari potest.* Ab illis nimirum, qui nil nisi *pinguem Minervam*, eámque ipsam *pingui Minerva* cogitant. Extensio ad locum sine distinctis *ubi* non consistit; sine quibus tamen optimè consistit extensio partium, quæ est in ordine ad totum. F

V. In meis logicis & physicis didici, inquit Misenus, *quantitatem absque subjecta substantia non posse existere.* Malè didicisti, si hoc didicisti. Repete *Minerval* à tam indocto doctore tuo. Pag. 257.

VI. Corpus de genere quanti à corpore de genere substantiæ separari non posse, nec hoc ab illo: Infelicem te, cui tam ineptus magister obtigerit.

VII. Et neutrum sine altero ne cogitari quidem posse. Ab illis videlicet, qui tam obesi sunt cerebri, ut supra palatum vix quidquam sapiant. G

VIII. Accidens sine subjecto existere non posse. Et hoc imperitorum deliramentum est; non veræ Philosophiæ documentum.

IX. Christi corpus est præsens in cœna; nec tamen est in pane vel sub pane; sed in supremo cælo. Quanta verò intercapedo supremum inter cœlum, & Heidelbergense aliquod fanum, in quo Misenus noster cœnat? Num fides vestra tranfert & vos & templa vestra ad Christum super æthera? Pag. 262.

X. Corpore in diversis locis simul posito, sequi hanc contradictionem: *In uno loco esse, & non uno loco esse.* Ineptiæ. Nam prius membrum falsò affirmatur de corpore in pluribus locis simul posito; non enim est in uno loco, sed in pluribus. H

XI. Quidquid est, id aut finitum est, aut infinitum: ergo corpus non potest esse in pluribus locis, quia si in duobus vel tribus locis poneretur; jam infinitum esset. Argutè hæc, ùt omnia, Lithus.

450

A *XII. Corpus naturaliter circumſcribitur uno loco; ergo nec per omnipotentiam Dei contingere poteſt, ut ſit in pluribus locis.* Probatur evidenter. *Quia Deus nihil ſupra & contra naturæ leges poteſt.* Quomodo ergo ſupra & contra naturæ leges ſupra undas maris Chriſtus ambulavit? Quomodo ſupra naturæ leges idem quadraginta dies & noctes abſque cibo & potu exegit?

XIII. Si Chriſti exiſtentia in Euchariſtia non eſt localis & circumſcriptiva, tunc eſt plane nulla. Probatur. *Quia præter circumſcriptivam exiſtentiam nulla alia invenitur.* Quàm ſolers es, Miſene?

B *XIV. Accidentium multiplicatio fieri non poteſt, ſine corporum multiplicatione.* Ergo Deus
Pag. 264. non poſſet albedinem vel nigredinem v. g. individualiter multiplicare in Socrate; ſine individuali ipſius Socratis multiplicatione? Quàm finibus anguſtis coërces omnipotentiam infiniti numinis?

XV. Corpus eſt in pluribus locis: ergo ſunt plura corpora, non unum. Solidiſſimè.

XVI. Vel acutiùs: *Ergo plura loca ſunt unus locus.* Nil poteſt dici ſolertius.

XVII. Aut eadem manet quantitas in corpore pluribus in locis poſito, aut diverſa? Si ea-
Pag. 265. *dem: ergo etiam manebunt eadem loca.* Probatur. *Quia ex identitate quantitatis locato inhærentis colligitur identitas locorum.* Ex qua Lithina ſubtilitate non malè concludemus, etiam tunc, cùm Socrates ſucceſſivè ad plura loca tranſit, plura illa loca eſſe eundem locum: probatur; quia ſemper eſt eadem quantitas Socratis in omnibus illis locis, quæ diverſo tempore occupat.

C *XVIII. Negatâ causâ, negatur effectus, ùt poſitâ, ponitur. Ergo poſita eadem quantitate in corpore Socratis pluribus in locis exiſtentis, neceſſe eſt, omnia illa loca eſſe unum eundémque locum: quia identitas locorum ſumitur ex identitate quantitatis locato ſubjectivè inhærentis.* Subtilitas, qua nulla major in omnibus ſubtilitatum Cardani libris.

XIX. Ridiculum eſt negare, aëre ſubtracto corpus non fore in loco. Quid ergo locus eſt, ô Lithe? Nónne ſuperficies corporis continentis? ubi hæc erit ſuperficies, ſi omne abſit corpus; ùt in vacuo? niſi tu fortè nobis renovare inſtituis inane illud, ſeu intervallum veterum ab Ariſtotele in Phyſicis funditus everſum.

D *XX. Corpus circumſcribitur ſuo ſpatio, quacunque re ambiatur.* At quid hoc ſpatium? Et ubi eſt; num in ipſo corpore? Quæſo, redde te reformandum & recoquendum Philoſophis, ſed melioribus, quàm fuerunt illi, qui te logica ἄλογα, & phyſica aphyſica docuerunt. Utrum Julius Scaliger vel potiùs Burdonius, fuerit Calviniſta, intelligere potes ex Joſepho Burdonio, filio ejus, tuo in Calvini caſtris commilitone: qui hoc meliùs tibi explicare poterit, quàm ego; cujus parùm intereſt, ſive Calviniſta, ſive Pontificius fuerit, licèt initio Catholicum fuiſſe, nullus dubitem; quia Calvino & Calviniana fide ſenior fuit. Ex cujus armamentario hoc promis valde imbelle telum. E

XXI. Si Ubi duo vel plura non ſunt continua, non ſunt igitur corporis unius termini. Affirmationem audio; ſed ab omni probatione inanem.

XXII. Si dicas, corpus eſt hîc, & ibi idem; ipſum quidem diſtrahis in diverſa, non autem illa contrahis in ipſum. Rurſum, dat ſine mente ſonum. Nugæ, gerræ, λῆροι.

XXIII. Unum corpus non eſt, quod diſtractum eſt. (ſi diſtractum ſit, quoad ſuam *entitatem*) *Diſtractum eſt, quod plura occupat loca vel Ubi.* Diſtractum eſt, non ratione *entitatis*, ſed reſpectu locorum.

F *XXIV. Contradictio eſt factum, non factum: ergo etiam contradictio eſt; eſſe in uno loco, & eſſe in pluribus: nam hoc ipſo, quòd corpus naturâ ſuâ ita effectum eſt, ut ſit in uno loco; ſimul etiam ita effectum eſt, ut nequeat eſſe in pluribus locis.* Quia hoc ipſo, quòd corpus noſtrum ita factum eſt, ut non niſi in ſolido ambulare queat, ſimul etiam ita factum eſt, ut nullo modo ſupra aquas ambulare queat. Quid evidentius?

XXV. Corpus eſt finitum; ergo non poteſt eſſe in pluribus locis; quia hoc ipſo, quòd in pluribus locis exiſteret, jam infinitæ perfectionis eſſet, ſicut Deus. O ſtuporem pluſquam ſtupendum!

G *XXVI.* Sed audiamus mirificiſſimum paradoxum Concedit Miſenus, *fieri poſſe* Pag. 273. *per omnipotentiam Dei, ut anima rationalis conſervetur à Deo in manu, brachio, vel pede abſciſſo; & ſimul maneat in reliquo corpore;* ſed addit, *non manere totam in membro amputato; ſed mutilatam duntaxat.* Quid dicis Miſene? Potéſtne anima humana mutilari? Potéſtne dividi, inque partes ſecari? Erit igitur anima rationalis interitui obnoxia? Quia omnis forma, quæ dividi poteſt; ſimul etiam perire poteſt.

H *XXVII.* Videamus adhuc mirabiliora. *Anima, quæ in membro abſciſſo eſt, non eſt illa, quæ in corpore reliquo.* Atqui paulò antè conceſſeras, *per omnipotentiam Dei fieri poſſe, ut eadem numero anima & in membro abſciſſo, & in reliquo corpore conſervetur.* Quomodo erit eadem anima, ſi non ſit illa, quæ in reliquo corpore manet? Forſan exiſtimas, jam quoque aliam eſſe animam in manu, & aliam in reliquo corpore.

XXVIII. Anima, quæ in membro amputato exiſteret, eſſet tantùm pars animæ in reliquo corpore remanentis. Habétne anima rationalis partes *entitativas*, in quas dividi queat? Potéſtne per ullam potentiam fieri, ut id, cujus nulla penitus pars eſt, in partes dividatur?

XXIX. Si corpus poneretur in pluribus locis, tunc neceſſariò adquireret tot quantitates ſibi in-

bi intrinsecè inhærentes, & non tantùm extrinsecè adhærentes, ùt adhæret locus locato, quot acquireret loca. O acumen Lithinum!

A *XXX.* Cui simile hoc. *Si idem corpus existat in duobus locis, erit extra quemlibet eorum: ergo erit & non erit circumscriptivè in loco.* Planè *Scoticè*, quia ingeniosissimè: nam in utroque loco est corpus circumscriptivè: ergo extra quemlibet illorum existit.

XXXI. Fieri non potest, ut res sit discreta à semetipsa: ergo fieri non potest, ut sit in pluribus locis: quia esset discreta, non localiter, quod libenter concedimus; sed *entitativè*, si modò non delirat Misenus; qui hîc ex Commentario nostrorum Conimbricensium recitat argumenta; quibus probari solet; fieri non posse, ut idem corpus in pluribus locis existat; quasi Conimbricenses hanc sententiam amplectantur; cùm contrariam, hoc est, veram & communem sequantur, neque alio fine hæc pro *negativa* parte argumenta proposuerint; quàm ut oppositarum rationum conflictu veritas magis inclarescceret.

B *XXXII. Prædicamentum quantitatis est de essentia prædicamenti substantiæ, & vice versa.* Ferulam huic seni puero.

XXXIII. Proprietas substantiæ; ut risibilitas passio hominis est in eodem prædicamento, in quo ipsa substantia. ô inscitiam!

XXXIV. Contradictoria sunt. Homo est. Risibilis non est. Numerus est; par vel impar non est. Corpus est. Quantum non est. En novas & inauditas contradictionis leges.

XXXV. Simpliciter impossibile est, finitum, quamdiu finitum, in pluribus, quàm in uno Ubi exsistere posse. Coccysmum cuculi audio, non argumentum.

C *XXXVI. Sacramentum est aliquid visibile; ergo fieri non potest, ut corpus Christi censeatur etiam pars Sacramenti; unà cum visibilibus panis & vini speciebus integrum Sacramentum constituens.* Sed non animadvertit Calvinista, id, quod Orthodoxi scriptores communiter tradunt, ad Sacramenti rationem satis esse, si aliqua ejus pars sub sensum cadat: quod & hîc contingit; quia species panis & vini in sensum incurrunt.

D *XXXVII.* Inscitissimè garrit, *quomodo corpus & sanguis Christi, panisque & vini substantia simul sint.* Et quis dicit simul esse? Nam quo instanti seu momento corpus Christi sub specie panis præsens sistitur; eodem desinit esse substantia panis & vini; ita ut verum sit dicere: jam non est substantia panis & vini; nam substantia non desinit successivè, sed in momento & tota simul; Itaque desinere & desiisse; hîc idem sunt; sicut etiam *fieri* & *factum esse.* Pag. 285.

XXXVIII. Accidentia non continent, sed substantiæ. Ergo locus non continet locatum; sed hoc, locum; quia locus est accidens; locatum, substantia. Id, quod ambit, continere dicitur; non quod ambitur. At externæ istæ species panis & vini ambiunt substantiam panis & vini; continent igitur illam; periculum est, ne Misenus tandem omnia invertat, vinúmque non à cantharo, sed cantharum à vino contineri dicat. E

XXXIX. Si panis species in Eucharistia aliquid continet, sequitur substantiam panis adhuc subesse. Probatur. *Quia species panis nihil aliud continere potest, quàm substantiam panis.* Quid planius & certius?

XL. Sacramentum est signum sacrum: ergo non species panis, sed ipsa substantia panis est Sacramentum; quia species panis non potest esse signum sacrum. Pulchrè, bene, rectè.

F *XLI. Christi corpus non continet; sed significat:* probatur. *Quia significat gratiam, quam efficit: ergo non continet illam; quia causa non continet effectum, quem producit.* Quàm Philosophicè? *O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes! O miseras hominum mentes, ô pectora cæca!*

XLII. Sed jam Syllogismos texit Calvinianus textor. *Quod Dominus visibiliter fregit, & dedit, id monstrat particula* δεικτικὴ Hoc: *& quidem solùm. Sed panem visibiliter fregit, & dedit Dominus. Ergo panem, & quidem solùm, monstrat particula* Hoc. Si Majorem firma aliqua ratione probaret, tum Lithus laude dignus esset. At putat satis esse, si asserat. Verùm, ut hoc satis sit insipientibus, sapientibus profectò non sufficit. Pag. 98.

G *XLIII. Si Christus dedisset discipulis corpus suum & sanguinem, tunc discipuli comedissent corpus Christi, antequam caperetur & crucifigeretur. Sed hoc est absurdum. O miseros auditores, qui his præceptoribus uti coguntur & Doctoribus! O dignos macello Theologos, si modò augusta hac appellatione digni sunt* (Prædicantes Lutherani & Calviniani) *vel Isidis sacerdotibus nequiores!* Agnoscis, opinor, tua verba, domum tuam repetere jussa.

XLIV. Discipuli videbant corpus Christi in mensa assidere; quis ergo, nisi extremè superstitiosus, & idololatriæ Romanæ stupidum mancipium credat, Apostolos existimâsse, se, corpus Christi sub speciebus panis delitescens commanducare? Rursus nil nisi logos audio.

H *XLV.* Mentitur proprium & literalem sensum verborum Christi: ex Catholicorum sententia: *hoc est corpus meum;* esse istum: *Hic panis est verum & essentiale corpus meum, pro vobis traditum. Vel, substantia hujus panis, est substantia corporis mei. Item: hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur: hoc est, hoc vas, quod vobis do, est verus, & essentialis sanguis meus pro vobis effusus; seu, quod idem est, substantia hujus poculi, est substantia sanguinis mei. Item: hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quæ* Pag. 102.

A *ne, qui pro vobis effunditur: hoc est, hoc vas est confœderatio novè sancita, non ùt prior sanguine victimarum; sed sanguine meo, qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum.*

Quot verba, tot mendacia; plana, perspicua, rideri digna; refelli indigna; vanissima lapidei cerebri commenta.

XLVI. Qualia & isthæc: Ex sententia nostra affirmari debere: *Panem esse ex Virgine natum, ambulâsse in Judæa, pro nobis crucifixum, mortuum. Poculum vel vinum in poculo esse substantialiter sanguinem Christi, pro nobis in Cruce fusum.* Nescio quid magis admirari debeam, stuporem; si hæc talia per ignorantiam effundit; an improbitatem; si sententiæ Catholicæ non nescius; tam crassa figmenta chartis illinit.

B

Pag. 62. *XLVII.* Duæ istæ enunciationes sunt contradictoriæ. *Hoc corpus est album. Hoc corpus est nigrum. Invideo magistro tuo*, dicebat Antonio M. Tullius, *qui te magna*

Cic, 2. Phil. *mercede nihil sapere docuit.*

XLVIII. Quidquid finitum est, illud est quantitate præditum; Subsumo ego: *Sed Angelus est finitus.* Infer tu. *Ergo quantitate præditus.*

C

Pag. 105. *XLIX.* Mentitur per nostram de præsentia Christi in Eucharistia sententiam, *duplex corpus affingi Christo: Unum, quod invisibili specie delitescat sub specie panis, vel in Sacramento; alterum, quod visibili specie è cœlis rediturum sit.* Nugæ Misenicæ; nam esse visibile vel invisibile, non geminat corpus: alioqui ipse etiam Lithus duplex corpus haberet; unum, quando omnibus est conspicuus; alterum, quando se stertendi causa in tenebricosum quempiam angulum abdit.

D *L. Si secundùm rationem præsentiæ, quæ sub oculos cadit, abest Christus: ergo corpore abest. Omne enim corpus sub sensum cadit, quando præsens est; alioqui non esset verum corpus:* Sed in Philosophia & Theologia Calvinistica, nugarum nugacissimarum, spissæque insciticæ parente. Hujusmodi ignorantiæ, stupiditatis & insulsitatis Lithino-Misenicæ flosculis abundant omnes pagellæ hujus Calvinistæ, quos omnes curiosè & studiosè decerpere & excerpere velle, nil aliud esset, quàm otio & papyro abuti. Cui enim bono? Num vel ego vel tu doctiores erimus, si singulis propè lineis Misenum mentiri, vel calumniari, vel turpissimè hallucinari intelligamus? Adde, quòd Novatores, ad hæc inscientiæ & mendacitatis suæ probra fronte adeò perfricta jam pridem obduruerunt, ut pudorem omnem non abjecisse, sed abrasisse videantur.

Antè tamen, quàm hinc abeo, facere nequeo, quin Miseno & aliis Calvinistis proponam, quid duo illi Auctores nuper evulgati, Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, & Theodorus Abucara, Episcopus Cariæ, de præsentia Christi in Eucharistia senserint, ut vel ex horum quoque E testimonio liqueat, quàm verè non semel affirmârit Misenus, piam antiquitatem in controversia Eucharistica à Calvinistis stare.

Asserebant Severiani, & in his Timo- F theus, homo pestilens; *Christum sola divinitate constare, utpote naturâ humanâ, quam assumpserat, plenè & perfectè in divinitatem transmutatâ; sicut gutta vini aut aceti in aquam mutari solet, quando in immensum maris pelagus projicitur.* Hanc Eutychianam & profanam assertionem refellit Anastasius Si- Anast, c, 13. naita in suo *Hodego* aliquot rationibus ex Eucharistiæ mysterio petitis. *I. Hinc sequi nullum esse sacrificium corporis & sanguinis Christi; Non enim solam divinitatem: sed corpus & sanguinem Christi immolari. II. Nullam esse communionem corporis & sanguinis Christi; quia sola divinitas nec manducatur, nec bibitur. III. Mentiri Timotheum, quando sacra symbola communicantibus offert his verbis: Corpus & sanguis Domini DEI & Salvatoris JESU Christi;* mentiri inquam, si Christus sola divinitate constet, non autem vero, creato, & terrestri corpore. *IV. Si Timothei sententia vera esset; potiùs hanc formulam in mysteriorum distributione usurpari debere. Sola divinitas Domini nostri JESU Christi. V. Solam divinitatem nec teneri, nec frangi, nec dividi, nec effundi, nec exhauriri, nec transmutari, nec dentibus conteri: hæc autem omnia de Christi corpore & sanguine, prout in Eucharistia existunt, verè affirmari;* ratione videlicet specierum; G nam sub illis tenetur seu continetur corpus Christi; ratione specierum frangitur, dividitur, & dentibus conteritur: & sub illis & cum illis effunditur, & exhauritur sanguis; Corpus item & sanguis Christi mutationem aliquam subeunt, hoc ipso, quòd substantiæ panis & vini sub iisdem numero accidentibus succedunt; quódque postea consumptis speciebus, sub illis esse desinunt. Quorum nihil de sola divinitate verè asseritur; licèt enim divinitas intimè præsens sit *in* & *sub* pane & vino communi; non tamen ideo facto pane, diviso aut comeso & transmutato, ipsa frangi, vel dividi, vel comedi, seu dentibus teri, vel transmutari dicitur; sicut neque effundi aut exhauriri, quando vinum commune effunditur, vel exhauritur. Quod argumento est; inquit Anastasius, *Christum non sola divinitate constare;* ùt delirant Hæretici; *sed vero insuper & humano corpore & sanguine præditum esse.*

Ex quibus manifestum fit, hunc sanctum H Patrem, veram & realem corporis & sanguinis Christi *in* & *sub* speciebus panis & vini præsentiam agnovisse & prædicâsse.

In eodem libro proponit orthodoxus heterodoxo Gajanitæ hanc quæstionem: *Dic mihi, obsecro, si ùt divinitas, ita & corpus* Cap. 23. *Christi ab ipso unionis exordio, immortalitatem habet*

A *habet*, (per converſionem ſcilicet in divinitatem, ùt Severiani ſomniabant) *num communio ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis Chriſti, quam offers, & participas verè, ſit verum corpus, & ſanguis Chriſti, filii Dei, vel nudus panis, qualis oſtiatim venditur, vel vicem duntaxat, & figuram gerat corporis Chriſti, ùt ſacrificium hirci, quod Judæi offerunt.*

B Quid Hæreticus Gajanita? Num ùt Calvinita Calviniſticè reſpondit? Audi: *Abſit, ut dicamus, ſacram communionem eſſe tantùm figuram corporis Chriſti, aut nudum panem, ſed, ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti filii Dei incarnati, & ex ſanctiſſima Deipara, & ſemper virgine MARIA nati, verè accipimus.* Orthod. *Sic credimus, & ſic confitemur juxta dictum Chriſti ad diſcipulos in cœna myſtica dantis illis vivificum panem; Accipite, comedite: Hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem dedit illis dicens: Hic eſt ſanguis meus. Non dixit, hoc eſt figura, ſeu quid vices gerens corporis, & ſanguinis mei. Et pluribus aliis locis ait Chriſtus; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.*

Matth. 26.

Joan. 6.

C Quòd verò ex hac utriuſque partis de Euchariſtia confeſſione colligit Anaſtaſius, Chriſti corpus ante reſurrectionem fuiſſe corruptioni obnoxium; id minùs firmum eſt. Accipe verba Anaſtaſii: *Cùm igitur ipſe Chriſtus fateatur, verè eſſe corpus ſuum, & ſanguinem, quem nos fideles ſumimus, agedum, affer nobis aliquid ex communione veſtræ Eccleſiæ, tanquam ſupra omnes alias eccleſias orthodoxæ, & in vaſe cum omni honore, & reverentia reponemus hoc ſanctum corpus Chriſti, & ſanguinem. Et ſi intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet, vos rectè aſſerere, corpus Chriſti penitus ab ipſo incarnationis exordio corruptionis expers eſſe: ſi verò corrumpatur, aut immutetur, neceſſarium erit, ut unum è duobus fateamini; aut id, quod ſumitis, non eſſe verum corpus Chriſti, ſed, ſolam figuram, & quaſi vicarium quiddam: aut propter perverſam fidem veſtram, ſpiritum ſanctum in illud non deſcendiſſe, aut, corpus Chriſti, ante reſurrectionem corruptioni ſubjectum fuiſſe: utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, diviſum, & manducatum. Nam immortalis natura, neque ſcinditur, neque latere, & manibus vulneratur: neque in partes dividitur, nec morti datur, neque manducatur: neque teneri poteſt, neque tangi, ùt patet exemplo incorruptibilium naturarum angeli, & animæ.*

D Ita Anaſtaſius: minùs ſolidè; quia licèt ſpecies Euchariſtiæ corrumpantur; hæc tamen corruptio nulla ratione attingit corpus Chriſti, quod poſtea, ſpeciebus omnino corruptis, deſinit ſub illis eſſe. Et hoc non modò jam verum eſt, Chriſto ad omnimodæ incorruptionis ſtatum evecto; ſed & in ultima cœna, cùm corpus adhuc geſtaret corruptibile; minimè corpus illius corruptum eſt, corruptis in ſumptione ſpeciebus Euchariſticis; ſed deſiit eſſe ſub ſpeciebus corruptis. E

Ex hac tamen Anaſtaſii oratione diſcimus. I. Eum adeò credidiſſe præſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ut exiſtimârit, corruptionem ſpecierum panis & vini ipſum etiam corpus & ſanguinem Chriſti attingere. II. Sacramentum Euchariſtiæ cultu & veneratione affici poſſe. III. Non eſſe illicitum, in vaſe reverenter illud aſſervare. IV. Non eſſe ſolam nudámque figuram & quaſi vicarium quiddam corporis & ſanguinis Chriſti, ſed eſſe ipſum verum & reale corpus Chriſti redemptoris noſtri. F

Illud inſuper duriuſculum eſt, quod dicit Anaſtaſius, corpus incorruptibile non manducari; cùm ipſemet paulò pòſt, fol. 353. fateatur corpus Chriſti nunc eſſe incorruptibile, neque neget, jam quoque à fidelibus corpus Chriſti in Euchariſtia verè & realiter manducari; licèt omninò ſit incorruptibile per donum gloriæ, cujus luculentum teſtimonium invenies capite 13. Hodegi. Ex quo etiam petere licebit explicationem hujus duriuſculi dicti, prout primo intuitu apparet. quia loquitur Anaſtaſius de tali incorruptibili corpore, quale fingebant Gajanitæ; quod ſcilicet in ipſam divinitatem converſum eſſet, & divinitatis naturam induiſſet, & per conſequens, tam latè diffunderetur, quàm divinitas. Neque quidquam cum corporibus noſtris ampliùs haberet commune, præter nomen, quæ omnia perſpicuè patent ex cap. 13. Et tale corpus planè ſpiritale, & ubique diffuſum negat manducari poſſe, ſicut nec divinitas manducari dicitur; licèt in omnibus rebus, quæ manducantur, exiſtat. Tametſi hoc loco non meminit Anaſtaſius niſi naturæ Angelicæ, & animæ rationalis. Nam & iſta, quatenus merè ſpiritalis, apta non eſt manducari; quia id, quod per ſe primò manducatur, inſinuat aliquid ex corporea mole compactum & materiale: quod in natura Angelica, & anima humana non habet locum. Quod multò magis aſſerendum eſſet de natura humana Chriſti; ſi, ùt Eutychiani inſaniebant, in divinitatem converſa planè ſpiritualis evaſiſſet; tam latè diffuſa, quàm latè ipſa divinitas diffunditur. Et quamvis in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento verè dicere poſſimus, totum Chriſtum, atque adeò ipſum etiam Verbum & divinitatem Chriſti, quæ in Sacramento illo ineſt, manducari, quandoquidem Verbum & divinitas Verbi peculiari modo in hoc Sacramento ineſt; id tamen G H

A nec de Verbo, nec de divinitate per se primò affirmari potest; sed tantùm de corpore Christi; quod per se primò manducatur. quia, ùt antea dictum, manducatio per se significat & exigit objectum corporea mole constans, quod moveri localiter, & ex ore in ventriculum transmitti queat: quale objectum per se primò nequit esse ulla natura merè spiritualis, præsertim, si ubique præsens existat; ùt existit natura divina; cujus respectu affirmat Anastasius, corpus spirituale non posse manducari; corpus videlicet in divinitatem omnimodè conversum, ùt de corpore Christi somniabant Eutychiani: quia tale corpus non potest esse per se manducationis objectum; neque conjungitur cum aliquo, quod per se sit, manducationis objectum, ut ita denominationis hujus capax reddi queat.

B Gravis olim exstitit controversia inter Græcos, utrum jam fidelibus in Sacramento Eucharistiæ detur corpus *passibile*, an *impassibile*; ùt scribit Nicetas in vita Alexii Imperatoris Constantinopolitani; nam alii dicebant, & rectè, corpus incorruptibile sumi; & probabant ex sacra scriptura: quia *Christus semel mortuus, jam non moritur*; &, corruptibile post resurrectionem, induit incorruptionem, teste Apostolo; probabant etiam ex Patribus, ùt patet apud Nicetam. Patriarcha autem Joannes Comatecerus, & multi alii, dicebant sumi corpus corruptibile, & mentis expers; & inanimatum. Probabant. I. Quia mysterium Eucharistiæ, est etiam sacrificium. Oportet igitur corpus Christi, ibi esse corruptibile. Quia id, quod sacrificatur, debet immutari, & consumi: sed, si corpus Christi in Eucharistia, est incorruptibile, non potest immutari, & consumi: ergo nec sacrificari. II. Corpus Christi in Eucharistia tangitur, videtur, dentibus teritur; est ergo ibi corruptibile: & si esset incorruptibile, tangi non posset, nec videri, nec dentibus teri. Hinc inferebant, in Eucharistia non sumi totum Christum, sed tantùm partem; nec ibi esse animam, quam excludebant; ne statuere cogerentur, corpus Christi incorruptibile. Incorruptibilitatem enim putabant necessariò sequi ex præsentia glorificatæ animæ Christi. Sed hæc vana sunt, & contra fidem. Fidelibus enim datur illud corpus, quod est in cœlo, & cum conditionibus, quas habet in cœlo. Hoc autem corpus est jam incorruptibile, mente, & vita præditum. Ad fundamentum hujus erroris dico; corpus Christi in sacrificio Missæ etiam immutari propter illud *esse sacramentale*, quod acquirit; & consumi quoque non in se, sed in suis speciebus, quando sacrificium à sacrificante sumitur; & in se etiam aliquo modo mutari per sumptionem; quatenus corruptis speciebus amittit esse illud sacramentale, quod antea habebat; quia hæc omnia satis sunt ad hoc, ut Christus propriè dici possit sacrificari. Falsum etiam est, quod dicebant, corpus incorruptibile non posse videri, tangi, &c. quia Christus post suam resurrectionem dixit de suo corpore; *palpate, & videte.* Adde, quòd glorioſum & incorruptibile corpus Christi in Eucharistia propriè nec videtur, nec tangitur, nec dentibus atteritur; sed hæc omnia ratione specierum ei competunt.

Rom. 6. 1. Cor. 15.

C

D

E Matth. 28.

F Coronidis loco apponam Triumphatori Lithino elegantissimum Theodori Abucaræ super hoc argumento Dialogum cum cæteris ejusdem auctoris nuper publicatum; qui sic se habet. *In alio conventu Saracenus cæpit percontari: agè Episcope, quare vos Sacerdotes illuditis Christianis? ex una farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis; alterum, in particulas partitum, populis distribuitis, nominatisque Christi corpus; & remissionem peccatorum eis præbere affirmatis. vobisne illuditis, an iis, quibus præfecti estis? Th. Neque nobis, nec illis illudimus. Sarrac. suade mihi non ex tua scriptura, sed ex communibus, & concessis notionibus. Th. Quid ais? panis non efficitur corpus Dei? Sarr. Ad utramque partem contradictionis respondere dubito. Th. genuitne te tam procerum mater tua? Sarr. Minimè. Th. Sed quantum? Sarr. parvum. Th. Ecquis te procerum fecit? Sarr. Alimentum, Deo volente. Th. Panis igitur factus est tibi corpus. Sarr. intelligo. Th. Et quomodo panis factus est tibi corpus? Sarr. Modum ignoro. Th. Cibus, potúsque per guttur in stomachum, tanquam in ollam demittitur. demissus complexu stomachi, & calore hepatis coquitur, & in chylum vertitur, & pars crassior deorsum secedit; pars autem tenuis versa in chylum fluitat; hepar verò ùt calidum, & molle attrahit, & in sanguinem mutat, & per venas, tanquam per ductus aquarum, totum irrigat corpus; alimentum, quod in stomacho mutatum est in chylum, & in sanguinem, in se singulis membris distribuens, ut quodque illorum est, ossibus os, medullæ medullam, nervo nervum, oculis oculum, capillis capillos, cutì cutem, unguibus ungues. atque ita perficitur pueri infantis in virum accretio, mutato illi pane in corpus, & potione in sanguinem. Sarrac. Ita videtur. Th. Eôdem modo cogita mihi, fierì mysterium nostrum. Ponit sacerdos panem super sanctam mensam, similiter & vinum; & precante eo precationem sanctam, descendit Spiritus sanctus in ea, quæ proposita sunt, & divinitate sua panem, & vinum in corpus & sanguinem Christi mutat; non minùs, quàm hepar cibum in corpus alicujus hominis. an amice non das, ut possit Spiritus sanctus perficere, quod hepar tuum potest? Sarr. Do, inquit, & suspirans tacuit.*

G

H

Et

A Et hîc gradum ſiſto; quia *ſuper iis*, quæ in materia Euchariſtica controverti ſolent, *arbitror omni homini* ſatisfactum eſſe, cùm ab aliis orthodoxis ſcriptoribus, tum ab illuſtriſſimo Card. Bellarmino. *Quòd ſi omni homini, tunc & tibi: ſi tamen homo es. Hominem enim te profiteri, ne fortè mentiar, non audeo: quia in te extinctam, imò ſepultam (quæ hominem à ceteris animalibus, vel beſtiis ſeparat) rationem agnoſco. Atteſtatur mihi de his, & Pſalmus tuus: ubi hominem in brutum animal verſum, deplorat. Homo*, ait, *cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; Hoc licèt de univerſali homine, hoc eſt, de genere humano dictum, juxta quendam intellectum accipi poſſit: de te tamen hoc ſpecialiter, de te hoc ſingulariter, in quo omnis ratio obruta eſt, dictum eſſe, negare non potes. Cur enim non dicaris animal brutum? cur non beſtia? cur non jumentum? Adhibe tecum bovem: vel, ſi mavis, aſinum, quo nihil in pecoribus ſtolidius eſt; & ſimul cum eo, quæcunque dici poſſunt, auſcultа. Quid referet: quid diſtabit inter auditum tuum, & aſini? Audiet, nec intelliget aſinus: audiet, nec intelliget Judæus* (Calvinianus) *An ego hoc primus dico? Nónne hoc idem ante multa ſæcula dictum eſt? Nónne hoc idem ſublimis Propheta tuus teſtatur? Aure*, inquit, *audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.*

Petrus Cluniacenſ. lib. 2. contra Judæos c. 5.

Pſalm. 48.

Iſaiæ 6.

C

D

Multis Apologiis jam abundè monſtratum eſt, *quàm juſto Dei judicio datus ſis in reprobum ſenſum: cùm nullo humanorum ſtudiorum labore, aſſentiri velis clariſſimæ veritati: & tam facilè acquieveris tenebroſiſſimæ falſitati. Impleta ſunt in te, tuique ſimilibus, verba Apoſtoli noſtri, qui dicit: Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati; ſed conſenſerunt iniquitati. Mirum planè, & penè incredibiliter mirum: non credere homines (ùt dictum eſt) credibili, & apertiſſimæ veritati, & credere incredibili falſitati. Sed è converſo mirum non eſt: ſi recedente omni prorſus lucis veſtigio, denſæ olim Ægyptiorum tenebræ ab Ægypto fugatæ, Judaica* (Calviniſtica) *corda occupant: quia, juxta veracem ſcripturam, non eſt conventio Chriſti ad Belial: nec aliqua ſocietas lucì cum tenebris.*

Ibid. idem Pet. Cluniac.

2. Theſſ. 2.

2. Cor. 6.

FINIS PANEGYRICI.

STIGMA

STIGMA
EFFRONTI
LITHII MISENI
CALVINISTÆ
FRONTI
A
JACOBO GRETSERO
SOCIETATIS JESU,
THEOLOGO
INUSTUM

Propter

Horribilia mendacia, quibus Jesuitas, quasi nuperæ in Anglia conspirationis aut socii aut conscii fuissent: impudentissimè insectatus est.

S. BASILIUS EPIST. LXXIII.

MEndacium sine timore effutitur, veritas obscurata est. Et qui quidem accusantur, mox sine judicio condemnantur: qui verò accusant, sine omni examinatione fidem inveniunt, &c. Obsecro autem vestram in Christo dilectionem, ut calumnias, quas una pars objicit, non mox, ut prorsus veras admittatis: propterea quòd, ùt scriptum est, neminem judicat lex, nisi primùm audiat, & cognoscat, quid statuat. Quanquam æquo judici, ad veritatis declarationem ipsa rerum cognitio satis est. Itaque potestis vos ipsi, etiamsi nos sileamus, ea, quæ fiunt observare. Qui enim errorum nos insimulant, conspicuè deprehensi sunt hæreticorum favere parti: imò pestilentes hæretici esse.

IDEM S. BASILIUS EPIST. LXXVII.

Qui calumnias nobis quidem offundit, non autem, quæ dicit, certò probat, videbitur sibi ipsi mali nominis arcessere appellationem, ex eo, quòd verbis iniquè, & absurdè utitur. Quo namque alio nomine calumniatorem vocare conveniet, quàm ea appellatione, quam ex re ipsa, cui studet, sibi ipse imponit? Neque igitur, qui nos vituperat, diabolus sit, sed accusator: imò,

imò neque accuſatoris nomen accipiat, ſed frater ſit, in dilectione nos admonens, & ad emendationem reprehenſionem noſtri inducens; nec vos, auditores ſitis conviciorum, ſed redargutionum probatores, & examinatores; neque nos ſine remedio relinquamur, nondum patefacto nobis, quid deliquerimus.

IDEM EPIST. LXXX.

Ἔδοξαν ἔν μοι παραπλήσιόν τι ποιεῖν τῷ αἰσωπείῳ μύθῳ, οἱ τὸ ἀπροσφάσιτον καθ' ἡμῶν ἀναλαβόντες μῖσος. ὡς γὰρ ἐκεῖνος ἐγκλήματά τινα τῷ ἀρνίῳ τὸν λύκον προφέρειν ἐποίησε, αἰσχυνόμενον δῆθεν τὸ δοκεῖν ἄνευ δικαίας προφάσεως ἀναιρεῖν τὸν μηδὲν προλυπήσαντα. τῶ δὲ ἀρνῶ πᾶσαν τὴν ἐκ συκοφαντίας ἐπαγομένην αἰτίαν εὐχερῶς διαλύοντος, μηδὲν μᾶλλον ὑφίεσθαι τῆς ὁρμῆς τὸν λύκον. ἀλλὰ τοῖς μὲν δικαίοις ἡττᾶσθαι, τοῖς δὲ ὀδῶσι νικᾶν. ἕτως, οἷς τὸ καθ' ἡμῶν μῖσος, ὥς τι τῶν ἀγαθῶν ἐσπεδάσθη, ἐρυθρυῶντες τάχα τὸ δοκεῖν ἄνευ αἰτίας μισεῖν, αἰτίας πλάττεσι καθ' ἡμῶν καὶ ἐγκλήματα, καὶ ἑδενὶ τῶν λεγομένων μέχρι παντὸς ἐπιμένσιν. ἀλλὰ νῦν μὲν τῶτο, μετ' ὀλίγον δὲ τὸ ἄλλο, καὶ ἄυθις ἕτερον τῆς καθ' ἡμῶν δυσμενείας τὸ αἴτιον λέγσι, βέβηκε δὲ αὐτοῖς ἐπ' ἑδενὸς ἡ κακία. ἀλλ' ὅταν τέτε τῶ ἐγκλήματος ἀποσεισθῶσιν, ἑτέρῳ προσφύονται. καὶ ἀπ' ἐκείνε πάλιν καταλαμβάνσιν ἕτερον. κἂν πάντα διαλυθῇ τὰ ἐγκλήματα, τῶ μισεῖν ἐκ ἀφίσανται.

Videntur itaque mihi, qui odium hoc inexcuſabile contra nos induerunt, haud diſſimile ab eo facere, quod habet Æſopica fabula. Quemadmodum enim illa lupum culpas quasdam adverſus agnum producere facit, quaſi is turpe ſibi, ac dedecoroſum fore putet, ſi præter juſtam rationem interimat agnum, à quo nihil ſit læſus; ut tamen, licèt omnem, quæ ex adornata calumnia intenditur, accuſationem agnus placidè diluat; nihilo magis lupum ab impetu ſibi temperare; ſed, etiamſi juſtis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem pervincere: ita & qui odio noſtri non ſecus, atque rei honeſtæ ſtudent, turpe forſan putantes, ſi absque ratione nos odio perſequi videantur, cauſas odii contra nos, & crimina fingunt. Nihil autem eorum, quæ contra nos feruntur, conſtanter tuentur; ſed nunc hanc paulò pòſt aliam, & rurſus quoque aliam inimicitiæ cauſam aſſignant; atque ita, nulla in re malitia illorum ſolidè conſiſtit: ſed mox, atque ab hac intentata culpa reſiliunt, alii incumbunt: & rurſus illa neglecta, aliam apprehendunt: & ſi omnia, de quibus me accuſant, diluero, ab odio tamen haud recedunt.

IDEM EPIST. LXXXVI.

Qui novam hanc intentatæ nobis calumniæ fabulam compoſuerunt, videntur prorſus nullam Domino habere fidem; qui rationem nos in die judicii de verbo otioſo reddituros eſſe pronunciavit.

S. HILARIUS IN PSALM. 128.

Omnes humanæ injuriæ, quæ religioſis viris inferuntur, non eosdem habent autores, quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt; ſed diaboli inſtinctus eſt.

STIGMA
MISENICÆ FRONTI INUSTUM OB MENDACISSIMAM ORATIONEM DE CONJURATIONE ANGLICANA EVULGATAM.

A Apud Stob. ſerm. 42. MOnebat veterum quidam, ἡγεῖσθαι καὶ παραγγέλλειν πρεσβυτέρους νεωτέροις τὸ αἰδεῖσθαι καὶ αἰσχύνεσθαι τὰ κακὰ, Φανεροὺς ὄντας αὐτοὺς αἰσχυνομένους καὶ αἰδουμένους, *ut ſeniores junioribus honeſtatis & verecundiæ amore, & improbitatis deteſtatione præluceret; manifeſto nimirum exemplo planum teſtatúmque facientes, ſeipſos pudentiæ & verecundiæ ſtudio à flagitiis abſtinere:* ὡς ἐν αἷς πόλεσι πρεσβυτέρων ἀναισχυντίαι, φύονται παῖδες αὐτῶν καὶ παίδων παῖδες ἀναίσχυντοι: *nam in quibus civitatibus ætate provectiores impudentiæ ſeſe dedunt, frontémque perfricant ac deterunt, in iis & filii, & filiorum filii impudentes effrontésque evadunt.* ἀκολουθεῖ δὲ ἀναισχυντίᾳ καὶ ἀναιδείᾳ ὕβρις καὶ ἀδικία, τούτοις δὲ ἕπεται ὄλεθρος. *Naſcuntur autem ex impudentia pudorísque neglectu, injuria & injuſtitia; ex his porrò ſuprema pernicies.* μηδεὶς δ' ἔσω ἀναιδὴς, ἀλλὰ σωφρονείτω ἕκαστος, ὡς τούτῳ τευξόμενος θεοῦ ἵλεων καὶ σωτηρίαν, ἀδεὴς γὰρ κακὸς θεοφιλής. *Quocirca nullus impudentiæ aſſueſcat, ſed potiùs modeſtiæ, tanquam hac & divinam benevolentiam, & ſalutem adepturus.*

B

C Hæc præclara veteris hujus, quamvis Ethnici ſcriptoris, monita, ſi Calviniſta Lithus Miſenus, non modò in pectus demiſiſſet; ſed & reipſa ſibi obſervanda duxiſſet, nunquam cùm aliàs, tum nuper, tanta impudentiæ & profligatæ frontis ſpecimina palàm edidiſſet, ſuóque exemplo juventuti, cujus ſe doctorem profitetur, ad ſimilia audenda facem prætuliſſet, homo propè jam ſeptuagenarius; Et certè quid de Calviniſtica juventute ſentiendum ſit, docent tam iſte, quàm alii Calviniſtici ſenes; & quidem non qualescunque ſenes, ſed *capulares, depontani*, decrepiti, Acherontici, qui cùm adeò flagitiosè & effrenatè mentiantur, calumnientur, & convicientur, mentíque, & linguæ maledicæ frena liberè laxent; an non minores natu horum licentia & petulantia excitari & inflammari exiſtimandum eſt, ut in iisdem impudentiæ veſtigiis veſtigia ſua ponant, ádque gloriam & laudem Calviniſticam, eadem via, quam duces ſuos inſtitiſſe vident, ſibi graſſandum cenſeant? Oracului enim eſt, id, quod ex Charondæ legibus antea deprompſimus: *In quibus urbibus ſenes, ſunt impudentes*, hoc eſt, mendaces, calumniatores, ſycophantæ, impoſtores, & criminatores; *in iiſdem ipſos etiam adoleſcentulos ejusmodi moribus à tenero ungue imbui oportere;* quia ſeniorum viam ineunt. D

Evulgavit hoc ipſo Anno Sacramentarius Lithus orationem hoc titulo. *Publica gratiarum actio pro admirabili nefariæ proditionis patefactione, & memorabili præter ſpem conjuratorum Regis, regnique Britanici conſervatione: Academiæ Haidelbergenſis nomine, in auditorio Philoſophico, ipſo Electore, multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus præſentibus recitata à Simone Stenio Lomacenſi. VI. Januarii Anno M. DC. VI.*

Qua fide in hoc dicendi genere verſatus eſt? Uno verbo proloquar. *Calviniſtica*, hoc eſt, nulla; nam ſingulas pagellas atrociſſimis & immaniſſimis pſeudologiis, & lœdoriis complevit, vel potiùs conſpurcavit, ut mirer, non erubuiſſe aërem, quando tanta mendacia ex dicentis Lithi ore evolantia excepit, & ad auditorum aures tranſvexit; aut chartam, cui eadem poſtea extremæ impudentiæ argumenta illita ſunt. E

Ait effrons hoc caput, *Jeſuitas fuiſſe conjuratis auctores, ut tantum ſcelus aggrederentur; inque Regis caput regnique perniciem conſpirarent;* & hoc ſuum Diabolicum mendacium aliis ejusdem prorſus farinæ fulcimentis munit ac firmat, de quibus poſtea; Jam enim primarium ac palmarium illud commentum evertam; & principio quidem teſtimonio ipſorum conjuratorum; qui, ùt ex fide digniſſimis relationibus conſtat, in carcere, in quæſtionibus, graviſſimísque tormentis, & in ipſo ſupremo vitæ articulo F

A culo omnes conſtanter & concorditer clam palámque profeſſi ſunt, Jeſuitas fuiſſe conſpirationis hujus penitus ignaros, ſe etiam nulli Jeſuitarum hoc ſuum conſilium patefacere voluiſſe, ne ipſis impedimento foret; neque enim dubium fuiſſe, quin ab his conatibus omnes pro viribus dehortaturi eſſent.

B Et quamvis, ùt ait Ariſtoteles, *ii, quibus adhibentur tormenta, nihilo minus falſa dicunt; quàm vera; interdum obdurantes, ne vera dicant, interdum facilè mentientes, ut cruciatu citiùs liberentur:* neutrum tamen hîc locum habet; nam ut unus aut alter animum adeò obfirmâſſet, ut ne minimo quidem indicio conſcios Jeſuitas proderet; quî tamen veriſimile fit, omnes omnino tam obſtinatos & in ſilendo tam pertinaces perdurare potuiſſe? cùm, ùt ipſimet Hæretici, qui Latina & Germanica lingua Tragœdiam hanc ejúsque cataſtrophen, litteris mandârunt, palàm teſtentur, vel omnes, vel plerosque ex numero conjuratorum ingenti facinoris deteſtatione vivendi finem feciſſe, & à Rege Regnóque ſupplicibus verbis ſuſceptæ proditionis veniam poſtulâſſe, quæ ſi ſeria fuit, ùt profectò fuit (quis enim Catholicus, ſalutísque ſuæ memor, extrema illa hora ludat, ſibíque & hominibus illudat?) nullo modo credibile fit, eos & in tormentis & alibi juridicè interrogatos & examinatos veritatem celare voluiſſe, & mendaci teſtificatione de Jeſuitarum innocentia ſub ipſum animæ ex corpore diſceſſum, divinam bonitatem in ſe irritare & concitare voluiſſe; cùm omni potiùs ratione de placando irato numine cogitandum & ſollicitè circumſpiciendum fuerit? non enim ignorabant illa: *Os, quod mentitur, occidit animam. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

Ariſt. lib. 1. Rhet. c. 34.

Sap. 1. Pſalm. 5.

C Deinde neque ſpes citiùs ex tormentis evadendi ipſos inducere potuit, ut Jeſuitas inſontes pronunciarent. Quia iis, qui quæſtionibus præerant, nihil gratius fuiſſet, quàm ut Jeſuitas etiam confeſſione ſua in communionem criminis pertraherent; hoc unum quærebant, omnibúsque cruciamentis ex nocentibus exſculpere tentabant; & hoc, quantumvis falſum, & ab omni veritate alieniſſimum ἄκεσμα audire geſtiebant: eóque audito, plurimum mox de acerbitate pœnarum remiſiſſent. Cùm itaque ſontes negando, tormenta ſibi auxerint & produxerint; quæ affirmando aut penitus tollere, aut multùm minuere, aut citiùs abrumpere poterant; fatuus ſit oportet, qui contendat, iſtos ſpe velociùs ex cruciatu ſeſe expediendi, Jeſuitarum innocentiæ teſtimonium præbuiſſe.

D II. Extat liber Anglicè, & in ipſa Anglia publicatus, in quo auctoritate publica, totius conjurationis hiſtoria, & ſumptum de conjuratis ſupplicium deſcribitur, qui liber tantum abeſt, ut Jeſuitas proditionis vel participes, vel conſcios faciat, E ut ne ſemel quidem Jeſuitarum meminerit. Quis mente tam bardus & tardus eſt, quis tam obtuſus & plumbeus, qui non clariſſimè videat, auctores libri illius minimè tacituros fuiſſe, ſi & in Jeſuitis culpa aliqua hæſiſſet? cùm ſint capitales Ordinis noſtri hoſtes; intentiſſimi in omnes occaſiones, quomodo noſtros perdere, & ex tota Britannia eliminare queant; quíque pro Calviniſtico genio & ingenio; quando veri machinis nos oppugnare non poſſunt; falſitatis, ut ſic dicam, arietibus in nos incurrere minimè formidant.

F III. Extat inſuper libellus ex Anglico ſermone in Latinum translatus, & Londini M. DCVI. excuſus, qui inſcribitur, *Series detectæ nuper conjurationis;* in eo ſimiliter nulla penitus fit Jeſuitarum mentio: cùm tamen nomina conjuratorum & conſciorum ſpeciatim recenſeantur. Quis adeò rerum omnium imperitus eſt, qui ſibi perſuadere queat; adverſarios noſtros noſtrorum nomina ſilentio præterituros fuiſſe; ſi conjurationis illius comperti fuiſſent?

G IV. Eidem libello inſerta eſt confeſſio Fawckii, & alia Thomæ Winteri conjuratorum. In utraque de Jeſuitis ſummum eſt ſilentium; cùm tamen, præſertim illa Winteri, minutatim & enucleatè totum conjurationis progreſſum deſcribat; oculísque ſubjiciat.

V. Edita eſt Latinè oratio Regis Britanniæ, quam in conventu Ordinum dixit IX. Novembris M. DCV. in qua multa de conjuratione detecta conjuratísque diſſeruntur. Nullum tamen in ea de Jeſuitis apparet verbulum: nulla mentio; nulla vel exilis ullius mentionis ſuſpicio. Num mentio omiſſa fuiſſet; ſi noſtri in conſpirationem illam ſua nomina dediſſent?

H VI. Inter alias quæſtiones, quæ capto jam P. Henrico Garneto, qui noſtris in Anglia præerat; propoſitæ fuerunt; hæc etiam una erat. *An ultima proditio, auctoritate ipſius, conſilio, & approbatione conflata fuerit?* Quid ille? Intrepidè abnuit; & inſuper adjecit, ſe ex intimo pectore tam barbara & immania conſilia & machinamenta abominari & execrari. Ne verò Lithus, aut alius Calvini diſcipulus, occlamet; facile eſſe negare; is noverit; facile quidem eſſe negare; ſi vis externa non adhibeatur; at negare in equuleo; in cataſta; in fidiculis; admotis tædis ardentibus; & aliis, quæ truculentæ feritatis furor in Jeſuitas ſuggerit; id arduum opus eſſe ajo; & non niſi ejus mentis, quæ ſibi conſcia recti, ùt vulgi mendacia, ita & carnificum cruciamenta temnit. Certè quæſitores illos nullis tormentis peperciſſe, ut ex Patre Garneto, id, quod ipſis maximè in optatis

A tis erat, extunderent; vel inde liquet; quòd fama jam pridem tulit, ipsum in vinculis, magnitudine & immanitate tormentorum extinctum esse. Tametsi, quod de obitu ferebatur, verum non erat; verum autem illud, quod de quæstionis truculentia & tyrannide sparsum est. Scilicet Jesuitis cornea fibra est, & pellis ferrea, ut ipsi soli non cedant tormentis; licèt sint nocentes & facinorosi; quibus vel fortissimi quique, & ad omnia cruciatuum genera durati & exercitati cedunt; quando sibi criminis admissi conscii sunt; potiùs eligentes, cita morte vitam terminare, quàm hac crudelissimæ carnificinæ lentitudine paulatim consumi. Unde verò P. Garneto tanta constantia? Unde tam immobilis in inficiando crimine perseverantia? Unde? nisi ex immotæ veritatis fiducia, & ex innocentiæ validissimo & efficacissimo testimonio; quo qui nititur, is occidi potest, perdi aut perire non potest.

B VII. Si P. Garnetus, & alii Jesuitæ aut conscii aut auctores hujus conspirationis fuissent, utique cum octo illis, qui die penultimo & ultimo Januarii hujus anni, capitali supplicio affecti sunt; idem mortis genus subiissent; jam enim P. Garnetus, cum socio in potestatem venerat, ùt patet ex Relatione Germanica, quam duo fratres *Joannes Theodorus & Joannes Israël de Bry*, nescio num ortu, & vultu; mendaciis profectò gemelli; Francoforti hoc ipso anno evulgârunt; quorum cur alter vocetur *Israël*; causam exputare nequeo, nisi quia fortè *Israëlitico* semine cretus est, parente recutito, & apella progeneratus, hominum genere veracissimo, hoc est, calumniarum & impostturarum feracissimo. Sed ad gradum & lineam. Si vel suo, vel con-

C juratorum testimonio participes conjurationis fuêre, cur cum aliis non luerunt pœnas? An fortè misericordes illi Judices ex commiserationis affectu nostris vitam prorogare voluerunt? Atqui tantum abest, ut nobis vitæ terminum prolatum velint; ut si hac hora omnes occidione occidere, stirpitúsque extirpare possent; id minimè in subsequentem horam dilaturi essent. An Jesuitas ideo reservârunt, ut plura arcana ex quæstioni subjectis expiscarentur? Atqui ipsimet probè nôrunt, nullos, etiam

D summis in tormentis, magis sermonum parcos esse Jesuitis, qui veritatis anchora fundati & firmati non patiuntur se ulla vi cruciatuum transversum agi: quod itidem apparuit in fratre quodam coadjutore (alii scribunt fuisse P. Garneti Ministrum) qui cum P. Garneto in istorum naßam incidit; quem tetra illâ & plusquàm Turcicâ torturæ carnificinâ interemptum ferunt; quam suam sævitiam, ut quæsitores nonnihil tegerent, & ad populum excusarent, commenti sunt, invictum illum in tolerandis equu-

leis & catastis fratrem, cultello sibi ventrem, E
more Japonico, discidisse; cultello inquam, qui nescio cui vel lictori vel carnifici per imprudentiam exciderit: Hoc diabolico figmento duo diabolo gratissima præstiterunt; alterum, quia Scythicam suam barbariem aliquo modo velârunt, ne nimiùm propalaretur, hisque tam æquis Æacis odium & invidiam conciliaret. Quod sanè è re & commodo Cacodæmonis non foret. Alterum, quòd fortitudinis & patientiæ, imò & Martyrii laudem fratri illi adimere, immotámque illam animi constantiam falsiloquiis suis obscurare studuerunt. Sed studuerint obscurare; veritatis lux perrumpet omnes istas falsitatis nubes; perrumpet, inquam, & per universum orbem radios suos aliquando sparget.

VIII. Dixerit quis, P. Garnetum jam F
supplicio affectum. Ita ferunt. Sed quod isti supplicium nominant, hoc ego *Martyrium* & *Coronam* interpretor. Sed num conjurationis convictus supplicium subiit? Nónne, ùt antea in tormentis, sic postea palàm contestatus est, se nulli unquam adversus Regem conjurationi nomen dedisse, in nullam unquam consensisse: quippe qui ab ejusmodi sceleribus natura semper abhorruerit, tum à Pontifice, & Superioribus in mandatis habuerit, ne se hoc genus consiliis immiscereret? Sed in Anglia ad impin- G
gendum crimen læsæ majestatis sufficit, si, cætera innocens, Regi primatum Ecclesiæ Anglicanæ nolis tribuere. Et certum habeo, si P. Garnetus verbum unum protulisset, quo, non dico Societatis causam universim, sed suam privatim, ulla ratione gravari posse apud æquos judices, isti putarent, dudum omnibus linguis vulgâssent; sicut Socium P. Garneti Jesuitam se proprio cultro in carcere occidisse sparserunt, ùt suprà dictum. O hæresis. Animam, corpus, famam, quantum in te est, perdere nata.

Cur ergo interfectus Garnetus? Eandem H
ob causam, propter quam olim Campianus, & alii Catholicæ religionis propugnatores fortissimi. Nimirum, quia avitam fidem contra novellam Calvini perfidiam fovebat & plantabat; *omnésque in proposito cordis permanere in Domino hortabatur; erat enim vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide*, ùt de Barnaba Apostolo Act. 11. legimus. Uno verbo, quia Catholicæ Ecclesiæ & Societatis JEsu alumnus erat; quod istis satis, ut crimen læsæ Majestatis alicui impingant. Ridiculum autem est, quòd Patres Calviniani Synodi Londinen. anno M. DCIII. celebratæ *excommunicatione* ipso facto incurrenda mulctant illum, qui summam Regi potestatem & auctoritatem, etiam in causis Ecclesiasticis fideíque quæstionibus abjudicet. Sìccine Calviniani excommunicant? O felicem hujusmodi *Excommunicatum*! O bea-

A beatum, cui nulla nec communio, nec communicatio cum Calviniſtis! Tametſi video, hanc excommunicationem potiſſimùm in eo conſiſtere; ut, qui ea plexus eſt, penſilis in Cruce fiat; & mox præfecto laqueo ſemivivus dejiciatur, ínque varias partes miſerandum in modum dilanietur ac diſcerpatur; Et inſuper etiàm, quod ſuprà dictum, honore Martyrii, quantum pote, per maledicas linguas ſpolietur: prout & olim factum ab Iconomachis, qui, quos imaginum colendarum gratia peremerant, nullo honore dignandos, & à Martyrum conſortio excludendos clamitabant. At
B quid Theodorus Studita eruditione & ſanctitate præcellens. lib. 2. Epiſt. 21. *Sequitur Judaizare revera, & qui ab eis patitur propter Chriſtum, & pro Chriſto, propter Deiparam, & pro Deipara, propter ſanctos, & pro ſanctis quibuſcunque, Martyrem irrefragabilem, & Confeſſorem Chriſti eſſe, qui decertat, & reſiſtit. Nec opponi contra quidquam poteſt. Machabæi Martyres facti, quòd ſuillas carnes edere abnuerent, præcurſor Chriſti propter judicium veritatis, alius qui obolum offerre nollet ad ſtructuram idoli; alius, aliud ob mandatum. Quid enim attinet multa loqui? Et hic, qui manifeſtè decertat, Martyr non erit, ùt miſeri quidam affirmant? Martyr planè verus, nulla re diſcre-*
C *pans ab illis, quos Ethnici, vel Judæi Martyres fecerant: Et Martyr, ac teſtis in cœlo fidelis. Omnino ergo ſi quis Crucis typum ſpernit, in Chriſtum ipſum, contemptum hunc torquet: multò magis, qui imaginem Chriſti negat, negationem in Chriſtum refert. Si, qui martyrium pro alterutrò ſuffert, Martyr veriſſimus, ac magis etiam in imagine: quia typus, ſignum; imago, forma eſt Chriſti.* Hæc pulchrè Theodorus in priſcos Iconoclaſtas; nos, in novos; qui Martyrii coronam illis detrahere nituntur, qui pro tot ſanctiſſimis Chriſtianæ religionis dogmatibus vitam cum ſanguine alacriter profundunt. Revertamur in viam.

D IX. Ne ipſi quidem *Germanici Relatores*; de quibus paulò antè mentio facta, auſi ſunt Jeſuitas immiſcere; quando conjurationis iſtius fundamenta jacta ſunt, totáque confœderatio jurejurando, & perceptione ſacratiſſimæ Euchariſtiæ poſt rem divinam factam auditámque firmata. Quàm proclive fuerat dicere: *Eum, qui tunc Miſſam celebrârit; & conjuratis cœleſtem panem porrexerit; fuiſſe Jeſuitam.* Et ſi fuiſſet; profectò infenſiſſimi iſti Jeſuitarum hoſtes, id taciti non præteriiſſent: imò ſatis mirari nequeo, quomodo pro ſua mentiendi & calumniandi libidine ac impotentia, id non diſertè, quamvis falſiſſimè, affirmârint. *Dolus an virtus*, veritas an falſitas; *quis in hoſte requirat?* Neque etiam iidem Relatores illius Jeſuitæ meminerunt, quando conventus iſtorum deſcribunt, quos aliquando inſtituêre; ut de cogitatis ad effectum conferendis diſpicerent. Num id omiſſuri E
fuiſſent; ſi quid hujus generis in gratiam Jeſuitarum narrationi ſuæ intexere potuiſſent? quos iterum miror, ità à duce & magiſtro ſuo, omnium calumniatorum anteſignano, deſertos fuiſſe, ut non comminiſcerentur, Jeſuitas omnibus illis conventiculis interfuiſſe; quin & præfuiſſe, & ſententiàm primo loco dixiſſe. At improbis non rarò ora & calami, juſto Dei judicio, ligantur; ut etiam inviti vera prodere, & falſa prætermittere debeant.

Nam quòd ajunt *pſeudologi iſti grallatores* F
de Bry, Thomam Winter veniſſe in Belgium ad Jeſuitam quendam, *Ovven* nomine; cui conjuratio hæc nota fuerit; id magna refutatione non eget; nam primò, ſi quæreretur iſte Jeſuita *Ovven* in omnibus Belgicæ Provinciæ Collegiis, forſan nullus hoc nomine reperiretur; quippe ùt Minerva in Jovis; ſic & iſte *Ovven* in *Pultiphagorum* iſtorum *de Bry* malè ſano cerebro progenitus eſt; Deinde ipſimet ſe ipſos pulchrè refellunt. Ajunt iſtum *Ovven* ſciviſſe conjurationem iſtam, quando Thomas Winter in Belgium conceſſit, *Coneſtabilis* adeundi gratia, ut cauſam Catholicæ religionis apud Angliæ Regem ageret; anno Domini 1604. Et tamen paulò pòſt ſubdunt, Guidonem Fawkes anno Domini 1605. in Flandriam profectum eſſe, & omnia conſilia, cùm aliis, tum Jeſuitæ *Ovven* patefeciſſe. Si jam anno ſuperiore Jeſuita iſte conſilium hoc exploratum habebat; quomodo id demum ſubſequente anno ex Guidone Fawkes cognovit? Vide blateronum iſtorum in narrando conſtantiam.

Accedit, quòd in *narratione Anglicana de* G
conjuratione detecta, cujus ſuprà meminimus, Ovvenius iſte nunquam appellatur *Jeſuita.* Quod nomen Anglicani Narratores non ſiluiſſent; quia admodum gravandis & in invidiam vocandis Jeſuitis accommodatum fuiſſet. Unde ergo geminis illis Germanicis nugivendis conſtat, Ovenium iſtum fuiſſe Jeſuitam?

X. Ipſa religioſæ vitæ indoles & natura H
pro innocentia noſtra luculentum dat teſtimonium; Hæc enim tantùm non in ſingulorum pectoribus clamat, nihil ejusmodi vel ſuadendum, vel directè ſeu indirectè procurandum eſſe; non enim hiſce mediis & inſtrumentis, Catholicam religionem propagari; ſed patientia, precationibus, jejuniis, aliísque corporis afflictationibus; denique etiàm profuſione ſanguinis ob fidei Catholicæ defenſionem, voluntariè ſuſcepta, amplificari: ſanguis enim Martyrum ſementis eſt, in lætiſſimam & copioſiſſimam aliquando meſſem exundans.

A Quod D. Basilio olim accidit, cùm Arianos, potissimùm Alexandriæ, in Orthodoxos truculentissimè debaccharentur, id cuivis Sacerdoti & Religioso, vocationis suæ memori, accidit. Quod ille dixit, quódque suasit, hoc quivis palàm profitetur & suadèt. Quid ergo ille? *Insonuerunt utræque nostræ aures, ubi cognovimus impudentem, & humano generi inimicam hæresin eorum, qui vos persequuti sunt: quomodo nec aliquam veneratì sint ætatem, nec molestias canicieì, nec plebis dilectionem; sed corpora verberârunt, & dehonestârunt, inque exilia ejecerunt, ac bona diripuerunt, quæcunque acquirere potuerunt: neque humanam veritì condemnationem, neque terribilem justi judicis retributionem prævidentes, ista nos obstupefecerunt, & ipso propè sensu destituerunt. Accessit autem ad hæsce animì meì disceptationes & ista cogitatio: an Ecclesias suas prorsus reliquit dominus? An novissima hora est, & hoc pacto initium sumit defectio, ut jam deinceps reveletur iniquus ille filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus? Attamen, sive temporaria est ista tentatio, ferte eam ùt boni Christì athletæ: sive omnimodæ res nostræ traditæ sunt corruptioni, ne socordes simus ad ea, quæ accidunt, sed revelationem è cœlis, & apparitionem magni Dei, & salvatoris nostrì JEsu Christi exspectemus. Si namque universa creatura solvetur, & transmutabitur figura hujus mundi, quid fuerit insolentiæ, si & nos, qui creaturæ portio quædam sumus, communes afflictiones tulerimus, tribulationibúsque traditì fuerimus: quas pro mensura potentiæ suæ super nos justus inducit judex, qui nos tentarì non sinet, supra quàm ferre poterimus; sed & cum tentatione proventum dabit, ut ferre queamus. Exspectant vos fratres Martyrum coronæ. Paratì sunt Confessorum chorì, ut manus vobis porrigant, inque numerum suum vos recipiant. Memores estote verum sanctorum, quàm nemo sit illorum deliciis, & assentationibus patientiæ coronis dignus effectus; sed omnes, per magnas tribulationes ingressì, experimentum suì dederint. Alìi enim illusionibus, & flagellis explorati sunt, alìi tentatì sunt, dissectì sunt, occisione gladiì occubuerunt. Hæc sunt, unde decorantur sancti. Beatus est, qui dignus habetur, ut pro Christo patiatur. Beatior is est, qui abundantiores afflictiones tulit. Quocirca afflictiones præsentis temporis pares non sunt ad gloriam, quæ futura est, ut reveletur in nobis.* S. Basil. Epist. 71.

B

C Hæc & alia hujus generis celeusmata audiuntur à religiosis; non illa: *arma, arma;* quia neque Catholicos Sacerdotes, neque religiosos; sed Lutheranos Prædicantes, & Calvinisticos Ministros decent.

D Qui Hæreticorum de Jesuitis mentiendi insaniam aliis in rebus hactenus debacchatam perpenderit, quíque cum animo suo reputârit, Henricum illum Antverpiensem ex sectariorum cerebro progeneratum; & Jesuitas Moguntiâ profectos Cracoviæ in rotam actos, & puerum Monachii olim castratum, & P. Cotonum hoc anno summam in offensionem Christianissimi Galliarum Regis incurrisse, *ob literas proditorias* ipsius in conclavi repertas; (quod ab Hæreticis spermologis, qui magno pretio mendacia vendunt, non semel jam nugacissimis chartis disseminatum vidimus) denique qui sexcenta alia hujus generis figmenta à sectariis ex capitali odio in Jesuitas sparsa consideraverit, is non gravatè sibi persuadebit, hæc de Anglicana conspiratione, eâdem fide & sinceritate, qua cætera, Jesuitis adscribi. *Livore interveniente*, inquit Optatus Milevitanus, *facile est iratis jactare convicium. Sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio.* Opt. lib. 6.

E

F Ad extremum, posito, sed non concesso, aliquem ex Jesuitis conspirationis hujus vel socium vel conscium fuisse; an ideo culpa unius in omnes omnino redundabit? Quid ad nos in Germania? quid ad illos, qui in Belgio, Italia, Hispania, Indiis & alibi, unius scelus? Nullúsne unquam Christianus proditor fuit? An ideo omnes Christiani proditores? Nullúsne unquam Calvinista aut Calvinianus Minister proditor? An ideo Calvinistæ æquis auribus accipient; si quis omnes Calvinianos proditores, Regúmque eversores & parricidas pronunciet?

G At edictum exiit, ut tres Jesuitæ, Joannes Gerhardus, Henricus Garnetus, & Osvvaldus Tesmondt caperentur, tanquam conspirationis socii & conscii; ídque ex confessione reorum; ùt fratres illi in mentiendo gemelli, fabulantur; qui etiam totum edictum recitant. Sed ô cœlum & cœlites, quis innocens erit; si Calvinistarum asseveratione nocens fiat? quibus nullum gratius *Hermæum* obtingere potuit, quàm hæc Jesuitas exagitandi, & in exitium mittendi occasio; qui nisi nostros simul cum conjuratis in idem, ut sic loquar, *moretum* intrivissent, Calvinisticam suam conscientiam immedicabili scrupulo saucIâssent. Reos nihil contra nostros deposuisse, jam suprà ostendimus, & liquet ex Relatione Anglicana, de qua superiùs. Unde ergo illud edictum? ut à pari illo fratrum calumniatorum non fuerit confictum (de quo fidem meam non interponam, ne vitiosam quidem nucem pro fide alicujus Calvinistæ interposuerim) quis non videt, unde prodierit; nempe ex officina infestissimorum Catholicæ fidei hostium, qui aulam Anglicanam obsident, Regémque, Martyris sanguinem ac filium, ad clementiam alioqui propensum, exasperant, & in Catholicos exulcerant, præcipuè in Jesuitas, qui Calvini pullis nihil aliud sunt; quàm quod ulceroso unguis in ulcere; quos si, licèt immerentes, in periculum capitis vocent, obsequium

H

Deo

A Deo longè jucundiſſimum ſeſe præſtitiſſe exiſtimant; quódque deterius eſt, & non niſi à Stygio ſpiritu lividis iſtorum pectoribus inſpiratum; poſtquam & noſtros; & alios Catholicos, nullius etiam facinoris compertos; ſed ob ſolam vitæ fidei propugnationem reos factos, crudeliſſimè excruciârunt, excarnificârunt, necíque dederunt, tum ùt perduelles & proditores calumniantur & traducunt, ne putentur pro Catholicæ fidei defenſione vitam cum ſanguine profudiſſe; ſicque non tantùm vivis vitam, ſed & mortuis gloriam invident, & ex invidia ereptum tendunt; planè veterum Arianorum more; quorum
B Calviniſtæ ſtolones; de quibus Sanctus Baſilius, *Expendimus aſtutiam belli diabolici, quomodo is, ubi eccleſiam ex perſequutione ab inimicis illata, multiplicari, magísque florere vidit, inſidias ſuas mutaverit: ut jam nos non ex aperto oppugnet, ſed occultas inſidias ſtruat, conſilium ſuum per nomen Chriſtianum, quod hæretici prætexunt, obtegens, ut & eadem cum patribus noſtris patiamur, & tamen haud videamur pro Chriſto pati: propterea quòd & ipſi perſequutores noſtri Chriſtianorum nomine cenſentur.*

S. Baſil. Epiſt. 71.

C Alibi idem S. Pater. *Perſecutio nos apprehendit, perſequutionum omnium graviſſima. Abiguntur enim paſtores, ut greges diſpergantur. Et, quod omnium eſt duriſſimum, neque qui affliguntur, per martyrii certitudinem illatas paſſiones tolerant: neque plebs martyrum loco athletas habet, ac veneratur, propterea quòd Chriſtianorum nomine tecti ſunt perſequutores. Unum jam crimen eſt, quod vehementer punitur: ſi paternas quis traditiones diligenter obſervet. Ob hanc cauſam paternis ſedibus abiguntur pii, & ad ſolitudines migrare coguntur. Nulla eſt apud Judices iniquos cani capitis reverentia, non jam ulla conſpicitur religioſæ pietatis exercitatio: nulla converſationis initur ratio, quæ ad Evangelii normam ab adoleſcentia ad ſenectam uſque legitimè perficiatur: ſed, cùm nemo ſceleratus ſine certis indiciis condemnetur: Epiſcopi ſola intercedente calumnia damnantur, & nulla evidenti probatione, aſſertis, ac corroboratis criminationibus, ſuppliciis traduntur. Nonnulli, ne noverunt quidem accuſatores ſuos, neque tribunalia viderunt: neque delati ſunt primùm, ſed, nocte intempeſta abrepti, in exilium fugati ſunt; ſolitudinis calamitatibus ad mortem uſque traditi. Quæ verò iſta concomitentur, neminem latet, etiamſi nos ſileamus: Exilia presbyterorum, exilia diaconorum, totiúſque cleri depopulationes. Neceſſe enim eſt, vel adorare imaginem, vel ſævæ flagrorum flammæ tradi: Gemitus plebis, lacrymæ continuæ, & per ſingulas domos, & publicè, omnibus, quæ patiuntur, inter ſe complorantibus. Nemo enim corde eſt adeò uſque lapideo, ut patre privatus placidè ferat orphaniam. Sonitus lamentantium in civitate, ſonitus in agris, in viis, in ſolitudinibus. Vox una omnium miſeranda, ac triſtia loquentium. Sublatum eſt gaudium, & lætitia ſpiritualis, in luctum mutatæ ſunt feſtivitates noſtræ. Domus precationum clauſæ ſunt. Altaria cultu ſpiritali vacant. Nulli ampliùs Chriſtianorum cætus, nulla ampliùs doctorum præſidentia: ceſſarunt doctrinæ ſalutares: ceſſarunt panegyres, ac feſtivi conventus, publicíque, hymnodiæ nocturnæ non habentur: neque ſupereſt beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in ſynaxi, ac communione ſpiritalium chariſmatum exhilarantur. Nobis jam dicere licet, quòd in hoc tempore neque Princeps ſit, neque Propheta, neque Præſes, neque oblatio, neque incenſum, neque locus, ubi coram Domino poſſit offerri ſacrificium, ac miſericordia acquiri.*

Epiſt. 70.

D Hæc ex S. Baſilio recitare libuit; quia perſecutionem Anglicanam, nunc inſtauratam & renovatam, ùt poſtea oſtendam, ad vivum repræſentant, neque ſolùm ipſam perſecutionem, ſed & perſecutorum mores & ſtudia egregiè omnium oculis ſubjiciunt.

E Verùm, ut ad inſtitutum revertar, Calviniſtici Amanes ſunt, qui hujusmodi decreta in excidium innocentium in aula Britannica impetrant, promulgant, & in omnium civitatum publicis valvis affigunt. Iſtis *deleníficis* verbis Regem demulcentes. *Eſt*, inquiunt, *populus per omnes provincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, novis utens legibus & ceremoniis, inſuper & Regis ſcita contemnens, & optimè nôſti, quòd non expediat regno tuo, ut inſoleſcat per licentiam, ſi tibi placet, decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Hæc Principum auribus inſuſurrant & inſtillant, hi Calviniſtici Amanes, & programmata tyrannidis plena adverſus inſontes affigunt, donec tandem & ipſi vel hîc in furca, vel in altera vita in Ixionis rota ob ineluibilia piacula & ſacrilegia affigantur.

Eſth. 3.

F

G

H *Contra malum bonum eſt, & contra mortem, vita; ſic & contra virum juſtum peccator*, Teſte Eccleſiaſtico: Quia bonum Catholicæ religionis & noſtræ Societatis eſt contra malum Calviniſticum; quia etiam vita Catholicæ religionis, & eorum, qui hujus defenſionem præcipuè ſuſcipiunt, eſt contra mortem Calviniſticam, propterea maximè inſurgunt iſti adverſus illos, quos pro orthodoxi ovilis grege ſollicitè & vigilanter excubare cernunt; nam his diſſipatis & exterminatis, facilem ſibi fore vident ipſius gregis diſperſionem, atque adeò internecionem. *Duo contra duo*, inquit idem Eccleſiaſticus; *& unum contra unum.* Quid eſt *unum contra unum*, niſi verum contra falſum? Catholiciſmus contra Calviniſmum? Quid duo contra duo in Anglia, niſi Catholiciſmus & Jeſuitiſmus contra *Calvinopapiſmum* & *Puritaniſmum.* Ex hac pugna

Eccleſ. 33.

unius

A unius contra unum, & duorum contra duo, naſcitur irreconciliabile illud in noſtros odium, quod iſti ſuxiſſe videntur ex mammis Juliani Apoſtatæ, cui ſimile odium in S. Athanaſium, inſuperabilem & inexpugnabilem avitæ fidei propugnatorem, inerat; Hinc Ecdicio Ægypti præfecto mandavit, ut Athanaſium, *Deorum* (Calviniſmi) *hoſtem Alexandria, vel potiùs ex tota Ægypto expellat; & niſi hoc ante Calendas Decembres faciat, minatur, ſe cohortem Ecdicii centum auri libris multaturum:* Subdit poſtea, *Equidem ex tuis factis, nullum libentiùs videro, imò audiêro, quàm Athanaſium illum ſceleſtum, ex omnibus Ægypti locis pulſum eſſe: qui auſus eſt in meo regno fœminas Græcorum illuſtres ad baptiſmum impellere.*

Julian. epiſt. ad Ecdicium.

B Multò truculentior eſt Calviniſtis in noſtros affectio; neque enim expulſione & exilio contenti ſunt. Sanguinis ſitim, qua æſtuant, non niſi ſanguis & exquiſitiſſima tormenta extinguunt. Et interim manſuetudinem & lenitatem jactant; planè ad Juliani defertoris imitationem, qui & ipſe ferebat, *ſe nolle cædi Galilæos* (ſic enim Chriſtianos appellabat, ùt nunc Calviniani nos, *Papiſtas*) *aut interfici; aut quidquam moleſtiæ perpeti.* At num ſeriò & ex corde hæc prædicabat? Ita nimirum, ùt hodie Calviniſtæ, quorum Apoſtata ille luculentam imaginem nobis exhibet: qui contra hanc ſuam profeſſionem tot, clàm, palàm, trucidandos & è medio tollendos furiosè curaverat.

Julian. epiſt. ad Artabium.

C Hactenus dictum, actúmque ſit adverſus Miſenicam aſſertionem, qua profanus ſycophanta Jeſuitas in crimen inſtitutæ proditionis vocare non erubuit. Cujus effrons impudentia, multùm & ab auditorum, & à ſolennitatis, qua & hanc & alias pſeudologias effutivit, circumſtantia augeſcit. Evomuit Miſenus mendaciſſimam ſuam & omnibus maledicentiæ notis inſignitam orationem ipſo *Epiphaniæ* die, qui licèt profanis Calviniſtis profanus ſit; omnibus tamen orthodoxis feſtiviſſimus eſt, & jure ſuo ſacratiſſimus, quo recens nato Salvatori infantulo obtulêre Magi tria myſtica dona,
D *aurum, thus & myrrham.* Quos Lithus egregiè æmulatus ad incunabula divini infantis vacuus adire noluit. Itaque totidem numero, ſed pondere & pretio longè diverſiſſima dona obtulit. Mendacia ſcilicet immania; calumnias Diabolo potiùs, quàm homini conſentaneas; maledicta & convicia abſque modo & menſura. Túne, ô inſulſiſſime & vaniſſime *Senecio*, cum his donis ad cunas cœleſtis infantuli appropinquare audes? An non times, ne æterna veritas corpuſculo hujus puſilli pueruli incluſa te cum faccis modiisque tuorum commentorum, maledictorum & conviciorum ad eum locum ableget, ad quem olim Dathan & Abiron, tui ſimiles ſycophantæ, ablegati fuêre? Etſi autem mentiri, calumniari & maledictis innocentes infectari ſemper & ubique turpe eſt ac deteſtandum, turpiſſimum tamen meritò cenſetur, ſi id fiat inſpectantibus & audientibus viris magna dignitate conſpicuis, quales multi ex Miſeni auditoribus fuêre, & inprimis ſereniſſimus Elector Palatinus cum quinque aliis illuſtriſſimis Principibus, quorum aures profana ſua vanitate & mendaciloquentia vietus iſte blatero complere, imò & temerare non erubuit, cui non tam diſertè dicenti, quàm ſplendidè ψευδολογοῦντι acclamandum erat illud vetus monitum. Τιμάτω ἕκαστος τὸ καλὸν, καὶ τὸ ἀληθὲς, καὶ μισείτω τὸ αἰσχρὸν, καὶ τὸ ψεῦδος, ταῦτα γὰρ ἀρετῆς σημεῖα καὶ κακίας. *Unusquisque honeſtatem & veritatem colat, & turpitudinem mendaciúmque fugiat; Hæc enim virtutis & malitiæ ſigna ſunt.*

E

F At nunc expendamus & excutiamus rationes, quibus mendaciſſimam ſuam aſſertionem Lithus ſtabilire contendit. Nec eſt tamen, quòd quis alias, quàm aſſertioni ſimiles exſpectet; nam falſum non niſi falſo, & mendacium non niſi mendaciis fulcitur & ſuſtentatur; Abſit enim, ut veritas falſitatem firmet. Ait primò Calviniſta: *Jeſuitas ex ipſo vitæ ſuæ inſtituto, & obedientia, quam vovent ac profitentur, impelli & obligari ad Regum & Principum cædes; non mirum ergo, ſi jam quoque in caput Regis Britannici conjurârint.* Hoc mendacio, vix ipſe omnium mendaciorum parens, tetrius & deteſtabilius eructare potuiſſet. Cedo
G Calviniſta; unde hoc colligis? ex qua ſanctione, ex qua Conſtitutione Societatis noſtræ? *Ex obedientia*, inquis, *quam vovetis & ſpondetis, & ex regula, quæ hanc obedientiam depingit.* Et ùt improbitas & nequitia præceps eſt ac inconſiderata, totam regulam recitat Miſenus, & recitando univerſam pſeudologiarum ſuarum molem & ſtruicem ſubvertit. Præclarè Leontius Byzantinus de Hæreticis. *In eos convenit illud ſcripturæ: ſapientia fatui eſt, ùt ait ſcriptura, ſermones non expenſi, neque conſiderati. Cùm enim ſermones ſuos non mandunt, & idcirco neque concoquunt, ex malis cibis inſipientiæ ructationes vobis, & halitus (quomodò enim ſine nauſea, & faſtidio dicam) non benè olentes emittunt. Cùm enim omnis quæſtio, quod in dubium venit, conſideret, & ex conceſſis rationem concludat; iſti, (non enim ſunt ſapientes, niſi in inſcitia) quod eſt ab omnibus conceſſum, tanquam dubium, in quæſtione ponunt, &, quod manifeſtum, tanquam obſcurum inducunt.*

Leont. lib. 1. contra Neſtor. & Eutych.

H Ex hac cunctis Hæreticis innata ἀπειρο-βλεψία & incogitantia, evenit etiam, ut Calviniſticus Lithus regulam noſtram exſcriberet;

A beret; & ipſe ſua ipſius commenta redargueret. Proponam & ego regulam lectori meo, ut de fronte Miſenica judicet, eíque ſtigma adhibeat.

B *Expedit inprimis ad profectum, & valdè neceſſarium eſt, ut omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant: ſuperiorem (quicunque ille ſit) loco Chriſti Domini noſtri agnoſcentes, & interna reverentia, & amore eum proſequentes: nec ſolùm in executione externa eorum, quæ injungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus obediant, licèt difficilia, & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia jubeat; verùm etiam conentur interiùs reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & judicii habere, voluntatem, ac judicium ſuum, cum eo, quod ſuperior vult, & ſentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) omninò conformantes; propoſita ſibi voluntate, ac judicio ſuperioris, pro regula ſuæ voluntatis, & judicii; quò exactiùs conformentur primæ, ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis, & judicii, quæ eſt æterna bonitas, & ſapientia.*

C Hactenus regula, cujus illa verba: *& ſecundùm ſenſualitatem repugnantia;* hac gloſſa *Diabolicus gloſſator* gloſſat. *Qualis eſt Regum cædes.* Improbe ſycophanta, & flagitioſe impoſtor! an non vidiſti in regula, illa itidem verba; in omnibus obtemperandum eſſe; *ubi peccatum non cerneretur?* An non hæc ipſa verba ipſemet manu & calamo tuo exſcripſiſti, & impuro ore tuo recitâſti? Quis mortalium unquam audivit, Regum cædem, non eſſe maximum parricidium? Quis religioſæ vitæ magiſter & inſtitutor unquam aut dixit, aut ſcripſit, aliter Superioris juſſa capeſſenda eſſe, quàm ſi cum nullo ſint conjuncta ſcelere? Quis autem tam hebes, blennus, & bliteus eſt, qui neſciat intolerabile prorſus & quovis ſupplicio dignum facinus eſſe, ſi quis legitimo Principi manus inferat? Subit memoriam, quod alicubi incredibili Arianorum audacia in admirationem raptus D. Baſilius ſcripſit ad Patrophilum. *Quos* (Arianos) *meo nomine roges velim*, ait ſanctus Baſilius, *an univerſos mortales contemnant, quaſi nec oculos habeant, nec aures, neque cor ſenſu præditum, ut eorum, quæ geruntur, diſconvenientiam conſiderare queant. Vertatur talis quædam in cordibus ipſorum cogitatio.*

S. Baſil. epiſt. 82.

D Mihi itidem ex Miſeno ſciſcitari libet; an omnes ſuos auditores crediderit, fuiſſe excordes, caudices ac ſtipites, cùm hæc de obedientia noſtra, (quæ nobis cum omnibus Religioſis communis eſt) effutivit? An non metuebat, ne quis palàm manifeſtarium hoc mendacium redargueret, diceréntque, Miſenum *brutam* ſuam mentem advertere debere, ad illa Regulæ verba: *ubi peccatum non cerneretur?*

Sed ait ſtygia aura afflatus calumniator. E *Hæc verba tantùm dicis cauſa regulæ inſeri.* Idque liquere ex alia regula, quæ iſthæc præcipit. *Quiſque ſibi perſuadeat, quòd, quæ ſub obedientia vivunt, ſe ferri, ac regi à divina providentia per ſuperiores ſuos ſinere debent, perinde ac ſi cadaver eſſent, quod quoquoverſus ferri, & quacunque ratione tractari ſe ſinit: vel ſimiliter, atque ſenis baculus, qui, ubicunque, & quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inſervit.* F

Sed niſi Miſenus ſtylum, calamum, manum, os, & omnia ſua diaboli miniſterio addixiſſet; & neſcio quàm grandi pretio elocâſſet, vel potiùs vendidiſſet, è veſtigio vidiſſet, hanc regulam poſteriorem intelligi convenienter priori, convenienter itidem naturæ ipſius obedientiæ, quæ virtus eſt; & quidem præſtantiſſima virtus; inclinátque non ad malum, ſed ad bonum; nec malum reddit eum, à quo poſſidetur; ſed bonum; alioqui virtus non eſſet; quia virtus eſt habitus bonus, ad ſolum bonum ex natura ſua propendens ac propenſus. Vidiſſet itidem regulam hanc intelligi conformiter iis, quæ viri ſanctiſſimi & religioſæ vitæ cultores præſtantiſſimi de obedientia tradiderunt; qui omnes conſona voce docent, non eſſe obediendum Superioris mandato, ſi peccatum aliquod præcipiat; in omnibus verò, quæ à peccati culpa vacent, debere ſubditum ſententiam ſuam ad Antiſtitis ſui ſententiam aggregare, & alieno potiùs, quàm ſuo judicio duci. Nónne legiſti, Lithe, hoc B. P. N. Ignatii præceptum, quod ordine tertium eſt, inter illa, quæ de obedientia præſcripſit; & Ribadeneira litteris mandavit? *In quibus rebus peccatum non eſt, in iis omnibus voluntatem illius* (Superioris) *ſequi, non meam debeo:* idem docet in aurea de obedientia epiſtola, ubi etiam hoc S. Bernardi documentum citat ex libro de præcepto & diſpenſatione. *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

Rib. lib. 5. de vita B. P. N. Ignatii.

Itaque, niſi Miſenus demonſtret, cædem Regum & Principum, ex Jeſuitarum doctrina, inſtituto & ſententia, non eſſe peccatum; ſemper luculentiſſimè & profligatiſſimè mentietur, quoties affirmabit, Jeſuiticam obedientiam trucidandis Regibus & Principibus aptam & natam eſſe, ejúsque Profeſſores & ſectatores, hoc etiam tanquam neceſſariò exequendum, exiſtimare, ſi à Superiore præcipiatur. G

Porro, ſi quis tam facilis vel potiùs levis eſt, ut hoc ſibi à Litho Miſenico, vel quocunque alio impoſtore perſuaderi ſinat, is eâdem operâ ſibi ab eodem perſuaderi permittat, duo eſſe *imparia;* tria, *paria;* lucem, tenebras; & tenebras, lucem. Neque Jeſuitæ ſolos Catholicos & Pontifici Romano H

addictos Reges & Principes pro legitimis agnoſcunt & venerantur, ùt Miſenus non ſemel ſycophanticè innuit; ſed & alios, quamvis à Sede Apoſtolica & religione aviata, alienos. Quis Jeſuitarum tres ſereniſſimos S. R. I. Principes Electores politicos, & alios legitimos ſuarum ditionum Dominos eſſe inficias ivit?

Ait Miſnicus agyrta. *Nos obedientiam noſtram à Mahometanis & Aſſaſinis mutuatos eſſe.* At ego dico, Miſenum peſtilentiſſimum hoc mendacium ab ipſo Diabolo mutuatum, ea conditione; ut pro uno ſolvat alia decem aut viginti. Quæſo te, an vis hominibus oculos eruere, ut tuam impudentiam non videant, omnémque mentem ex animo expungere, ne, quàm immanis criminator ſis, intelligant? Turcarum ferunt eam eſſe in Tyranni ſui mandatis exequendis alacritatem, ut, ſi cuipiam ſui ipſius interfectionem imperet, is imperata impigrè & alacriter faciat. Obſecro te, Lithe, putásne ullum Jeſuitam futurum tam, non dicam, promptum, ſed ſtultum & fungum, qui juſſus à Superiore, ut manus ſibi inferat, obtemperaturus ſit? Ego ſanctiſſimè tibi affirmo, me dicto non fore audientem, licèt mihi hoc non modò unus, ſed quot quot ſunt in univerſa Societate noſtra Superiores, in ſingulas horas millies imperarent, etſi ab hujusmodi imperio ſecuriſſimum ago ævum; quia ùt ſubditi ſciunt, non eſſe talia juſſa capeſſenda; ita Superioribus optimè perſpectum eſt, nihil hujus generis eſſe jubendum.

Aſſaſini olim clancularii erant ſicarii, & occultè trucidandis hominibus ſubmittebantur; de quorum nefaria ſecta longam ex ſuo Camerario narrationem contexit Lithus, quam examinare non libet. Quid enim nobis cum *Aſſaſinis*, quorum obedientiam, qui cum noſtra vel cujuscunque alterius Religioſi ordinis obedientia comparat, háncque ex illa natam aſſèverat, is, meo animo, non tantùm eſt *Aſſaſinus*; ſed & demptâ primâ ſyllaba, *aſinus*; Hîc iterum ſanctè juro, jurarémque in præſentia omnium Calviniſtarum, ſi unum in locum cogi poſſent; me morem geſturum non eſſe, licèt Superior meus ſexcenties, & ſæpius, uno die præciperet, ut, non dicam, Regem aut Principem; ſed vel hunc Miſenum; licèt teterrimum ſeniculum, & ſenectutis, alioqui venerandæ, dedecus ac infamiam; interimerem. Non obſequerer; potiùs millies à Miſeno *aſſaſino* & *aſino* me occidi ſinerem; Tantum abeſt, ut ad hæc facinora ex ipſa obedientiæ noſtræ profeſſione obligemur, & ſcio omnibus, qui in Societate degunt, hunc animum ac ſenſum eſſe, ùt & univerſis Superioribus iſtum, nulli ſubditorum hujusmodi mandatum eſſe injungendum. Bone Deus, in quæ tempora devenimus, quibus innocentia non jam occultis tantùm machinis impetitur, ſed & ſole clarioribus mendaciis & calumniis inceſſitur & laceratur; Quamvis non tam mirum, extitiſſe hoc ævo tales tenebriones, quàm exortos eſſe, qui illis fidem habeant, calumniiſque ferro vindicandis pretium ſtatuant.

At vide Calviniſtici nugonis & ſpermologi depoſitam prorſus & deſperatam mentiendi impotentiam. *Haud ignari ſunt Jeſuitæ*, inquit Lithus, *vitam mortalium his duobus tyrannis*, Spei, & Metui, *maximè obnoxiam eſſe, & mancipatam. Ut enim ſpes voluptatum ſecuturarum ad cædes, & mortis contemptum illexit Aſſaſinos; ſic Jeſuitas, ad eadem metus perferendorum cruciatuum; ſi fortè mandatorum executionem negligerent, impulit. Quos enim ex ſuis, vel propter ingenii ſimplicitatem, & credulitatem, vel animi ferociam, ſatis idoneos eſſe putant ad quidvis, quod imperetur, aggrediendum, eos, ùt perhibent, in conclave quoddam deducunt, in quo terribiles pœnarum formæ depictæ, quas pœnas horribili ſpecie diaboli exigunt ab iis, qui non effecerint, vel efficere conati ſint, quæ in mandatis habuerint. Neque tamen ſpem planè omittunt. Nam morem gerentibus, facinore feliciter peracto, ampliſſimas dignitates pollicentur; in ipſa aggreſſione trucidatis, & immunitatem à purgatorio, & canonizationem, qua in numerum ſanctorum, aut beatorum Martyrum referantur.*

Hæc nugaciſſimus Lucumo, quæ, neſcio, num rideam, an refellam. Inaudiit aliquid de noſtra conſuetudine, quæ eſt, ut omnes ſub ingreſſum in Societatem ſejuncti ab aliorum convictu cœleſtibus meditationibus vacent; séque ſeriò ad vitæ religioſæ profeſſionem præparent; quod poſtea rurſus fit, quoties vel Superiores id mandant, vel ſubditorum pietas ultro ejus agendi poteſtatem ſibi fieri poſtulat. Neque harum ſpiritalium exercitationum alius eſt finis, quàm conjunctio cum Deo, rerum caducarum, & ante omnia ſui ipſius deſpicientia, divinóque Numini perpetim ſerviendi & inhærendi cupiditas, & id genus alia, quæ virum religioſum non modò decent; ſed & conſtituunt. Ex hoc more noſtro, vide, quam iſte cudat fabulam. Nam inprimis mendaciſſimum hujus ſeceſſus finem fingit. Audi, *Sacramentiperda* Lithe, quoties aſſeveras, nos vel Regum cædes meditari, vel ad illas patrandas, ſive in uſu *Exercitiorum*, quæ nobis beatus Pater noſter præſcripſit, ſive alibi, inſtitui; toties non Profeſſoris Academici; ſed nequiſſimi & deſperatiſſimi nebulonis partes agis; neque alio te honore dignabimur; donec vel revoces, quod in chartam flagitiosè eructâſti, vel ex ipſo *Exercitiorum* libello, & Ordinis noſtri Inſtituto, dictis tuis fidem adſtruas.

Deinde

A Deinde ait, *quoſdam duntaxat ſeligi, qui privatim meditationis ſtudio excolantur.* At ego viciſſim dico, nec *quoſdam*, nec *omnes;* ſed nullos penitus eo modo & fine in conclave abdi, quem ex mendaciis conſutus Calviniſta comminiſcitur. Si verò agatur de hujus ſeceſſus vero & legitimo fine; quem paulò antea lectori fideliter repræſentavimus; tum non aliqui tantùm; ſed omnes ſimpliciter, nemine excepto, ex ipſo Societatis noſtræ præſcripto his meditationibus operam dare debent, initio initæ Societatis, & poſtea quoties fert vel mos Ordinis, vel Superiorum voluntas, vel propria uniuscujusque probitas, & ſpiritualis profectus deſiderium.

B In cubiculis hujusmodi uſui deſtinatis, nullos ego unquam Diabolos depictos vidi; niſi fortè, ùt paſſim fit, imago aliqua, ſimul etiam hujus Calviniani Magiſtri, & *aulæ*, in qua ſe jactat, hoc eſt, inferni, effigiem adjunctam habeat. Ego certè in poſterum, ſi quid effigiem ſtygii hujus monſtri ad ſpiritalem profectum conducere ſenſero; curabo in meo Muſéo Lithum Miſenum effigiandum & efformandum, in eóque, tanquam in pellucido ſpeculo, & ſpirante imagine, contemplabor omnes diabolos, quotquot complectitur Orcus; in hunc enim velut Dii Heſiodéi in Pandoram, certatim omnia ſua dona contuliſſe videntur.

C Jam verò illa de pollicitatione ampliſſimarum dignitatum, quàm vana, futilia, & ab omni ſpecie veri remota, ùt & illa de *Canonizatione?* Credulus ſit oportet, qui inaniſſimis hiſce commentis fidem commodet, & vaniſſimus, qui ea literis conſignata in publicum proferat. Accidit autem Miſeno, quod olim Ethnicis, qui cùm aliquid auditione vel de Hebræorum, vel de Chriſtianorum rebus accepiſſent, id poſtea falſiſſimis nugamentis & additamentis ſuffarcinatum, infideli vulgo propinârunt: ùt patet de Apione & aliis apud Joſephum: de Celſo apud Origenem; de Tacito & aliis apud Tertullianum & ſimiles, de Hierocle apud Euſebium; quos ſtrenuè imitatur fanaticus iſte Sacramentarius, fidus eorundem in mentiendo & criminando ſodalis & paraſtata, qui extrita ex vultu ſuo omni verecundia hîc Jacobi Clementis, Schatelii, Barrerii facinora & machinamenta occinit, eáque Jeſuitis adſcribit; ſed D bene habet. Gaudeo, mendaciſſimum Miſenum has mendaciſſimas merces, jámque dudum multis Apologiis Gallicanis, Latinis, Germanicis contritas & conculcatas, denuo in forum protuliſſe. Suppetit nobis Apologetes & hyperaſpiſtes inſuperabilis, innocentiæque defenſor irrefutabilis; Is eſt invictiſſimus & Chriſtianiſſimus Galliarum & Navarræ Rex *Henricus IV.* qui cùm de Societate in Gallias revocanda ſollicitè cogi- E taret; varia, quibus abſterreretur, ab altera parte, objecta fuêre; præter cætera etiam hæc, quæ Lithus tangit. Quid Rex ille ùt belli, ita etiam humanitatis & clementiæ laude clariſſimus & cumulatiſſimus? Audi, Miſene; non enim dicam, erubeſce, quia frontem non modò perfricuiſti; ſed & funditus amiſiſti, nec video, quando recuperaturus ſis, niſi à Jano *bifronte* vel *quadrifronte* aliam mutuò ſumas. Audi, inquam, quid Rex ille incomparabilis pro nobis adversùs criminationes veſtras reſponderit. Legi, antequam excuderentur; nunc repeto ex impreſſo exemplari. Sic igitur inclytus Heros infit.

Ex Apparatu R. P. Ant. Poſſevini, V. Societas Jeſu.

Quòd nonnulli Eccleſiaſtici Jeſuitis adverſantur; ſcientiam ſemper odio habuit imperitia. Obſervavi autem, cùm de iis reſtituendis loqui cæpi, duo inprimis genera hominum reſtitiſſe; Hæreticos, & improbos Eccleſiaſticos. Quod quidem acriorem mihi ſtimulum ad eos revocandos addidit.

Quòd de Pontifice Maximo optimè ſentiant, F *eúmque revereantur, id quoque ipſe facio. Attamen non ſum neſcius, nil ab iis ampliùs de ſummi Pontificis poteſtate dici, doceríve, quàm reliqui Theologi, Catholicáque doceat Eccleſia. Neque verò aliquid docent, quòd Eccleſiaſticè mihi non tribuant, quod eſt tribuendum. Nec unquam inventus eſt, qui ab iis necem regum didicerit. Quare totum hoc, quod illis objicitur, nihil eſt. Triginta, & ampliùs annì effluxêre, cùm in Gallia juventutem excolunt, centúmque ſcholaſticorum millia ex eorum Collegiis, aut ſtudia abſolverunt, aut ad ea, quæ Juriſprudentiæ, ſive Medicinæ ſunt, acceſſerunt. Anne iſtorum aliquis id ſe didiciſſe, vel audiviſſe à Jeſuitis faſſus eſt? Addo. Miniſtri exſtant hæreticorum, qui plures annos apud Jeſuitas vixerunt; interrogate eos, quid de vita Jeſuitarum ſentiant. Profectò cenſendum eſt, eos quàm peſſimè de iis locuturos, niſi aliam ob cauſam, certè ut ſuam ab iis emigrationem excuſent. Jam verò mihi liquidò conſtat, id fuiſſe ab iis quæſitum; reſpondiſſe autem, de moribus Jeſuitarum nihil eſſe, quod obloqui quisquam poſſit. Quod verò ad doctrinam attinet, neminem latere, quod doceant. Sanè pauci huic examini ſe ſubjicerent: & conſcientiam ejus opus eſt eſſe ſecuram, qui adverſariì ſententia ſtare velit.*

De Barerio, qui me voluit interficere, tantum abeſt, ut Jeſuita ejus confeſſionem, (quemadmodum dicitis) exceperit, ut à Jeſuita præmonitus de tota re fuerim: Bareriúmque alter Jeſuita monuerit, damnationem æternam incurſurum, ſi id unquam attentâſſet. G

De Caſtello nil unquam cruciatibus, & tormentis extorqueri potuit adverſus Varadæum, neque contra alium quemlibet Jeſuitam. Quòd niſi ita res habet, cur eis peperciſtis, nec ſupplicium de eis ſumpſiſtis, qui & in veſtra poteſtate, & adeò erant in vinculis? H

A *Sed demus (non tamen concedentes) aliquem ipſorum id auſum fuiſſe. Anne omnes Apoſtoli ob unum Judam plectendi fuerint ? aut ego ſatisfaciam pro latrociniis, criminibúsque omnibus, quæ poſthac commiſerint, qui ſub me militârunt? Tunc me Deus reddere & humilem, & ſalvum voluit; quare, ei gratias ago. Ipſe me docet, ut illatas condonem injurias, quod propter eum facio lubens. Quin & quotidie pro meis hoſtibus oro. Tantum abeſt, ut hæc meminiſſe velim, ad quæ parùm Chriſtianè me hortamini. Quod quidem mihi accidit à vobis ingratum. Omnes egemus gratia Dei; hanc eam bono emam precio, ut meæ erga alios gratiæ non parcam.*

B Hæc Chriſtianiſſimus Rex. In cujus apologia & calumniarum veſtrarum amolitione nos quietiſſimè, & jucundiſſimè adquieſcimus. Interea tonate, boate, inſanite, bacchamini, cœlum, terram, maria, ſupera, media, infera permiſcete; unicum tanti patroni verbulum pluris æſtimamus, quàm integros faccos veſtrarum ſycophantiarum & pſeudologiarum plenos. Quibus annúmeres licet illas quoque, quæ de ſtructis inſidiis à Gallicanis Jeſuitis, Elizabethæ Angliæ Reginæ, & de Jeſuita Holtio Lithus fabulatur; ſcilicet, nihil committitur in toto orbe, cujus Jeſuitæ non ſint vel auctores, vel ſocii, vel conſcii, ſi non mentiuntur Hæretici; quomodo autem mentirentur illi, quorum fides nil eſt, niſi mendacium; ſecta, nil niſi falſitas; ſpes, nil niſi vanitas; charitas, nil niſi fucus; ſinceritas, nil niſi vulpina vafricies; clementia, nil niſi lupina rabies?

C Ex quibus fontibus manârunt etiam iſthæc non noſtra axiomata, ſed Diabolica Miſenici Lithi ψεύσματα. *I. Jeſuitis caput Chriſtianæ religionis eſſe, Principum & Regum parricidiis ſeſe obſtringere. II. Indignos & vita, & regno reges eſſe eos, qui Catholico oleo mandatu Pontificis ab Archiepiſcopo aliquo uncti non ſint. III. Eo jure è medio reges poſſe tolli, quòd Pontifex Romanus ſanxit, ut omnia, quæ ſedi Apoſtolicæ ſalutaria eſſent, legitima & juſta haberentur. IV. Reges Pontificio anathemate percuſſos, optimo jure à quovis impunè poſſe interfici.*

D O monſtra hominum, non homines, qui hæc de ullo Chriſtiano vel ſpargunt, vel ſpargentibus aſſentiuntur! Puto ipſo Diabolo tantum confidentiæ & audaciæ non eſſe, ut hæc tam ab omni ſpecie veri abhorrentia ipſe per ſe immediatè in vulgus diſſeminaret; niſi jam ſub larvis Calviniſticis deliteſcens, minùs pudefieret, dum non ipſe per os & chartas eorum, ſed veritas à vulgo nimiùm credulo loqui exiſtimatur. Ipſe communis ſenſus; ipſa Catholicæ fidei profeſſio; omnes ſyllabæ Conſtitutionum noſtrarum; tota vita noſtra, omnéſque actiones noſtræ pro nobis ſtant, adversùs dementiſſimas iſtas infanientium Novatorum vociferationes; Ex quibus non E poſtrema; *omnes illos Principes & Reges, qui Pontificem Romanum non agnoſcunt: pro Tyrannis à nobis haberi.* Mentiris, Miſene; mentiris. Tota Germania te refutat. Quis unquam ex ullo Jeſuita audivit, ullum Germaniæ Principem, quamvis Calvino vel Luthero addictum, qui principatum ſuum legitimo titulo poſſidet, Tyrannis accenſeri, hoc ipſo, præcisè, quòd à Romani Pontificis obedientia diſceſſit? Dic, os exos, quis unquam hoc ex Jeſuitarum ore audivit?

F *Jeſuitæ*, inquit Miſenus; *in ſuis regulis creberrimè ædificationis mentionem faciunt, & ad hanc omnia ſua ſtudia, labores, exercitia, referri, ac tendere ajunt. O egregios fabros! ô præclaros architectos: qui ita ſuos auditores inſtruunt, ut ſubrutis ædium fundamentis, REGES, & REGUM FILIOS, & totius REGNI PROCERES, vivos in aërem, globorum inſtar jaculentur, ut eviſcerati, membris in omnes mundi partes divulſis, in terram redeant.*

Sed ô egregium nebulonem Miſenum! G O egregium atrociſſimorum mendaciorum & infernalium criminationum fabrum & architectum Miſenum! ô inſignem omnium ſcelerum artificem ſatorémque Miſenum! qui Jeſuitis imponit, à quibus ipſorum nocentium confeſſione abſoluti ſunt, nec qualicunque confeſſione; ſed ſanguine purpurata & obſignata, ùt ſuprà fusè dictum. Optat Miſenus, ut Rex Britanniæ diu teneat regni gubernacula; felíxque vivat, & perpetuò valeat. Optamus & nos idem; ſed tum verè felix vivet, quando non in Calvini Synagoga; ſed in Eccleſiæ Catholicæ ſchola vivet. Quam felicitatem ex animo ei precamur, & continuis precibus à Deo efflagitare non deſiſtemus. Sed cur adeò fauſta adprecatur Miſenus Regi? Accipe, non carmina; ſed crimina.

Ut doleant Aſſaſini, Monachique cruenti,
Quælibet exequier juſſa, parata manus;
Quolibet ex nutu Patrum, ſeu ſint pia, ſeu ſint
Impia. Jurandi hoc formula juris habet;
Quâ ſeſe obſtringunt.

Non canis Lithe; ſed mentiris, aut ſi ca- H nis, mendacia canis. Qualis es olor? cujus en manſuetudinem.

Talibus in monſtris tollendis, has iterare
Voces, ſat notas, fas erat, URE, SECA.

Bone Deus, ſi quis Catholicus ſcriptor, præſertim Jeſuita, moneret Pontificem, aut Catholicum quempiam Principem, ut Calviniſtas è medio tolleret, *ut ureret, ut ſecaret*; an non ſublatis ad ſidera palmis clamores ingentes tollerent, & contra hujuscemodi *ſanguiſugas* cœli terræque opem implorarent? Nunc cùm mitiſſimus Calviniſta noſter Britannico Regi ferale hoc carmen

A men accinit; *Ure, seca Jesuitas*, gratulari nobis debemus, quòd Calviniani tantam erga nos benevolentiæ significationem dignantur edere; ùt & tunc, cùm eundem Regem vesanus & amens poëtaster his amusis versibus salutat.

Salve iterum, & deinceps odio tibi, Rex pie, fac, sint,
Qui blandi verbis facta nefanda patrant,
Quales sunt Assasini TRIBUS uncta Papis, &
Usa magisterio, miles Ibere, tuo:
Non tantùm idolis ritè ut sua sacra pararet,
Verùm etiam stricto tolleret ense Duces.
Qui statuant Christum caput esse fidelibus unum.

B *Assasinum*, vel una syllaba breviorem, *Asinum* rudere dicas; adeò non modò sensu, sed & verbis sordet & horret; nil altum, nil sublime, nil cœleste, nihil ex Helicone redolens videas. Omnia ex medio trivio, ex lustris & gurgustiis, ex popinis, tonstrinis & textrinis, ex *Ambubajarum* collegiis, & ex balatronum tenebrionúmque officinis petita.

C Vide autem, mi Lector, Diabolicæ nequitiæ ingenium & artificium, ut pacem, quæ Anglis cum Regibus & Principibus finitimis, *seminiverbius* turbet, vel suspectam reddat, & Concordiam tot annorum votis expetitam denuo exterminet, non modò Jesuitas, sed & alios Principes, in suspicionem institutæ proditionis rapit. Huc enim tendunt ejus amentiæ plena verba: *Brevi, ut spero, comperiemus, quorsum, & quid spectârit hæc conjuratio, quàm latè, non tantùm per insulam, sed etiam per continentem disseminata fuerit; quantum virium habuerit, & quibus in locis. Neque enim crediderim, tantùm in hujus regni venis, & visceribus periculum hoc inclusum fuisse, & ab insulanis solis, quî potuissent tot orthodoxorum millia sine externis auxiliis subitò opprimi? Brevi emanabit, quibus monitoribus, & auctoribus, tam fœdum, & horribile consilium initum fuerit. Quòd si quis suspicetur* μηχάνημα *illud ex remotiore officina prodiisse, conjecturam hujus non facilè reprehenderim.*

D Quæso, quos sceleratus Hæreticus his verbis designat? Quos tantùm non intento digito demonstrat? Quis tam delirus, qui non advertat, in quos hæc viperææ suæ linguæ spicula destinet? Sed has mendaciloquas Lithi fauces contundit edicto suo ipsemet Rex Angliæ; qui cùm animadvertisset, per vulgi ora sermones spargi, quasi proditores conspirationem istam non conflaverint, nisi quorundam Principum ope ac subsidio freti; statim programma publicè proposuit, quo hujusmodi rumusculos ad quietis publicæ perturbationem spectantes, vetuit, gravibus pœnis in transgressores decretis; se enim neque aliunde, neque ex ullius conjurati confessione comperisse, ullum Principem conspirationis hujus aut conscium aut participem fuisse. Programma hoc extat in Relatione duorum fratrum *de Bry*, de quibus suprà: quod nihil est aliud, quàm manifestus elenchus vanitatis & impudentiæ Misenicæ, cui ægrè est, nisi hoc dulce pacis vinculum, quo nuper Reges colligati, dissolvatur, omniáque in antiquum discordiæ chaos recidant. E

Idem profitetur ipse Britanniæ Rex in Oratione habita in conventu Ordinum die IX. Novembris M. DCV. ex Anglico in Latinum translata & anno M. DCVI. Londini excusa. *Quod ad externos*, inquit, *Principes, ac Respublicas attinet, hos omnes, quique illis operam navant, tantò certiùs possum ab hujusmodi fœdi facinoris suspicione liberare, quod ex meo ipsius animo facilè deprehendo; neminem esse Regem, nullum Principem, aut alicujus illustris dignitatis hominem, qui se in eas cogitationum sordes dejecturus sit, ut huic fœdo, & infami facinori, vel minimo animi nutu subscribat.* F

In eadem oratione. *Ut vobis omnibus*, &c. *ardere animos scio hoc negotio accensos*, &c. *ita contingere potest, ut vestris cordibus tanto studio flagrantibus, sinistra temerè in aliquos verba erumpant, quos fortè nulla hujus sceleris contagio pertingit; cùm hoc tamen vobis omnibus cogitandum sit, mihi molestissimum fore, si vel ex domesticis, vel externis aliquis, ignarus hujus Consilii, vel maledictis propterea, vel incommodis lacessatur.* G

Vides, quàm sedulò ipsemet Rex omnem suspicionem hujus criminis à Principibus externis amoliatur, quos sceleratus Calvinista, quasi aversus jaculum jaciens, communione hujus sceleris infamare non erubescit. Vides insuper, Regem seriò velle, ne quis vel internus vel externus consilii hujus ignarus maledictis propterea incessatur, vel incommodis afficiatur. Cujus voluntate spreta immanissimis convitiis grassatur balathro Calvinisticus non modò in insontes Jesuitas Britanniæ in oris degentes, sed & in nos, qui tanto terrarum mariúmque intervallo à Britannis sejungimur.

Adjunctus est ad eandem Orationem libellus, ex Anglico latinè conversus, cui inscriptio: *Series detectæ nuper conjurationis*; in eo continetur confessio Thomæ Winteri unius ex conjuratorum numero; in qua de consiliis conjuratorum præter cætera hæc refert. *Mox id agitavimus, quos Principum externorum, aut ante exitum asciscere in consilii communionem, aut perpetrato facinore in societatem vocari oporteret. Ac ita quidem visum, nullos ex iis in conjurationis fidem recipi, nullo juramento ad silentium posse astringi; cùm præterea nesciretur, quibus placitura consilia essent, qui id factum aversaturi. Quæ si res ab iis probaretur, apparatus profectò, quos ideo molirentur, suspectos maximè fore. Iisdem literis Principes posse & rei eventum discere, & ad auxi-* H

auxilium ſolicitari. Hiſpaniæ lentiora molimina eſſe, quàm quæ in proxima diſcrimina ſpectarentur; Franciam & nimiùm vicinam, & formidoloſam eſſe, quæ nobis cum Batavorum claſſe, maximo timori, ac veriùs unico erat.

Cernis denuo, amice lector, omnes externos Principes ab hoc conſilio immunes liberósque pronunciari; quos viperea ſua lingua, veneno mortifero turgidiſſima, ceraſtes iſte mordet, quaſi proditionis ſocietas ipſos itidem tangat.

Nec ſatis habuit perfidus & execrandus Calviniſta turbare, quantum vires ferunt, extera; quin & domeſtica litibus & diſcordiis implicare ſtudet. Quid enim ſibi volunt illa pacatiſſimi & pacis amantiſſimi hominis monita & hortamenta? *Serpens iſta, ſive Jeſuitica, ſive Capucinica, ſive Pontificia nominetur, in Germania adhuc deliteſcit: in Gallia, & Britannia frequenter, ùt conſtat, ſeſe emergit: in Stiria, Carinthia, Ungaria, plenis faucibus virus evomuit, foràsque projecit.*

Quam hîc ſerpentem deſcribit Lithus? An non illam proditionis & conſpirationis? Apud quos verò illa delituerit; tum intelligemus, opinor, quando conſtabit, unde prorepſerit. Dic, undénam Pannonum adversùs Imperatorem legitimúmque Regem prorepſit conſpiratio & rebellio? Súntne illi, qui rebellant Catholici, an Calviniſtæ? Súntne duces proditorum Calviniſtæ an Papiſtæ? In Stiria & Carinthia nihil ulla de proditione novimus; niſi fortè ſectarii, quibus ob pulſum Lutherum ægrè eſt; occultum aliquod cum Turca fœdus iniêrunt; te non inſcio; Quod ſi ita eſt; tum pietatis Miſenicæ partes hoc exigunt, ut legitimo magiſtratui res patefiat, ne Respublica irreparabile damnum capiat. At quòd Lithinus Sacramentarius proditionis inſimulat Sereniſſimi PRINCIPIS factum; qui ſuis in Provinciis facere voluit, quod Lutherani & Calviniani Principes & proceres quotidie faciunt in ſuis; dum ſcilicet heterodoxos aut ſedem aut mentem mutare juſſit, id reliquis Miſeni audaciſſimis & impudentiſſimis criminationibus & ſycophantiis accenſeatur. Scilicet Principibus alterius partis jus fàsque erit exturbandi orthodoxos ex hæreditariis ſuis Provinciis; & factum hoc laudi dabitur, zelus pro domo Dei tuenda ſuſceptus nominabitur, immenſis laudibus extolletur, & tanquam ad omnem poſteritatis memoriam commemorandum religionis argumentum decantabitur? At ſi Princeps Catholicus ſimile quid in Lutheranos vel Calvinianos decernat; jam proditor, tyrannus, & ſexcenta talia audiet. Si quis Catholicus ſacerdos Heidelbergæ ſacrum, quamvis occultè, faceret, capite, opinor, religionem lueret. Et Principes noſtri ne hiſcent quidem, neque mutient, ſi omnia ditionis ſuæ templa & pulpita Prædicantium boatibus perſonent: quia Evangelio Saxonico & Allobrogico liberæ ſunt permittendæ habenæ; neque quidquam, quod curſum impediat, interjiciendum? O Evangelium, Evangelium (de Lutherano & Calviniano loquor) quantorum ſcelerum & flagitiorum es pallium & tegumentum!

Sed en Miſenus noſter tubam ſuam expedit, & ære viros Calvinianos ad arma concitat. *Ea*, (proditionis ſerpens) *niſi maturè compreſſa, & illiſa moriatur, metuendum profectò eſt, ne ſua peſtifera anima multis id venenum afflet, quo vicina regna infecta, priſtinam ſanitatem, & robur, nunquam, aut difficulter recuperatura eſſe videntur.*

Macte, Miſene tubicen, quo non præſtantior alter, mentiri, & calumniari. Gratum tibi eſſet, ſi Jeſuitæ & Cappucini, omnésque Pontificii opprimerentur; ſed cave, ne votum hoc in tuum tuorúmque caput expetat.

Circumretit enim vis atque injuria quemque,
Atque, unde exorta eſt, ad eum plerunque revertit.

Cogitabat Aman ſuſpendere Mardochæum; ſed ipſe prior penſilis factus eſt. Incidit non in foveam, quem alteri foderat; ſed in laqueum, quam alteri tetenderat, & in crucem, quam alteri erexerat. Quod divus Auguſtinus dixit de Chriſtianis Ethnicorum infectatione impetitis; hoc ego dicam de Jeſuitis, Cappucinis, aliísque Religioſis, in quos Hæretici ſua ſpicula vibrant. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque in conſummationem ſæculi. Quare iſta oportebat, ut dicerentur in ſcriptis? quia futuri erant inimici Chriſtiani fidei* (Jeſuitarum, Cappucinorum & ſimilium) *qui dicerent; ad certum tempus ſunt Chriſtiani* (Jeſuitæ, Cappucini, alii) *poſtea peribunt, & redibunt idola* (Calviniſtica) *rediet, quod erat antea. Quamdiu erunt Chriſtiani*, (Jeſuitæ, Cappucini, alii?) *Uſque ad ſenectam & ſenium, id eſt, uſque in finem ſeculi. Tu enim exſpectas miſer infidelis* (Calviniſta) *ut tranſeant Chriſtiani*, (Religioſi) *tranſis tu ſine Chriſtianis. Et Chriſtiani* (Cappucini, Jeſuitæ, & omnes Pontificii) *uſque in finem ſeculi permanebunt, & tu puer* (vetus Calviniſtice) *per infidelitatem tuam cùm finieris brevem vitam tuam, qua fronte exies ad judicem, quem, cùm viveres, blaſphemâſti?* Sed quid faciamus? *Quamdiu hîc eſt Eccleſia, quandiu gemit triticum inter paleas, quandiu gemunt ſpicæ inter zizania, quandiu gemunt vaſa miſericordiæ inter vaſa iræ facta in contumeliam, quandiu gemit lilium inter ſpinas, non deerunt inimici, qui dicant; Quando morietur, & peribit nomen ejus? Id eſt, ecce veniet tempus, ut finiantur, & non ſint Chriſtiani. Sicut cœperunt ex aliquo tempore, ita uſque ad certum tempus erunt. Sed cùm iſta dicunt, & ſine fine moriuntur, & per-*

S. Aug. in Pſalm. 70. Conc. 2.

Matth. 13.

permanet Ecclesia prædicans brachium Domini omni generationi superventuræ.

A Post hæc uno quasi halitu tot mendacia fundit Misenus, ut timuisse videatur, ne quis sibi mentiendi palmam præripiat. Ait *I. Monachorum istorum*, hoc est, Jesuitarum *non esse humanas aut tolerandas audacias.* Substitue in locum *Monachorum* vel *Jesuitarum* Calvinistas; & mox assentiar. *II. Eos nihil cogitare, nisi bella.* De se suisque loquitur. *III. Nil nisi cædem.* Item se & suos depingit. *IV. Nil nisi incendia.* Calvinisticam imaginem vides. *V. Nil nisi vastationes.* Et hîc vivam Calvinismi effigiem habes. *VI. Nil nisi urbium eversiones.* Quàm scitè & fabrè efformat nobis iste Calvinista Calvinianum genium & spiritum? *VII. Pluris est illis Romani Pontificis auctoritas, quàm omnium Regum majestas.* Quid mirum; cùm omnibus aliis præcellentiis major sit? Sic tamen nobis major est, ut sua jura aliis item Regibus & Principibus integra reserventur. Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari; quæ Regis, Regi; quæ Principum, Principibus reddimus, suo quæque unicuique loco & ordine. *VIII. Pontificia auctoritate sarta tecta manente, quid majestate Regum fiat, non curant.* Tu verò sarta tecta tibi remanente mentiendi libidine, quid de veritatis studio fiat, susque deque habes. Et Pontificis & aliorum procerum auctoritatem & majestatem integram, intactam, illibatámque conservari cupimus, & ut conservetur, quantum in nobis est, annitimur: quia cuivis jura sua constare debent; & ut constent, ab aliis itidem opera danda est.

B *IX. Conciones habendo, confessiones audiendo, missas celebrando, idola venerando, vulgò hoc agere videntur, ut plebs in superstitionis Romanæ cultu, & observatione retineatur. Sed re vera istis monachis religio est* πάρεργον, ἔργον *est, ut Pontifex Romanus supra OMNES MONARCHAS extollatur.*

C Jam supra omnes evectus est in spiritualibus; quippe omnium pater, ac tutor. Quid opus allaborare, ut supra omnes extollatur? Jam extulit, qui dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Jam extulit, qui dixit: *Pasce oves meas.* Si ipsi etiam Monarchæ *oves* sunt: pascendi ergo sunt à summo pastore. Si pascendi: subsunt ergo pastori: Infra illum ergo sunt, non supra.

D *X. Qui Pontificem Romanum pro vicario Christi non agnoscit, ei, ut vel ferro vel veneno, clam palámve animâ eripiatur, procurant.* Funestum mendacium, & non nisi vel seria pœnitentia in hujus vitæ statu expiandum, vel ultricibus inferni flammis vindicandum; quod ab ipsis etiam cordatioribus Calvinistis exsibilabitur, quibus exploratum est, non id, quod nugacissimus fabulator scribit; sed planè contrarium cum vero consonare, & vel inprimis Calvinistico spiritui congruere, ut *ferro* vel *veneno*, quos sibi obsistere suspicatur, è medio tollat.

XI. Recentiorum monachorum facinora manifesta sunt; cædes & molitiones etiam vulgi sermonibus celebrantur. Iterum sua & Calvinistarum decora nobis affricare nititur sycophanta. Tu tibi tuísque tua retine, & diligenter custodi. Laudes vestras non ambimus. Partas corollas ex malefactis, proditionibus; & infinitis adversùs Reges machinationibus vobis non invidemus; quarum tanta copia, ut, si monumenta annalium evolvantur, nullum sæculum crebrioribus, quàm nostrum, hæreticis proditionibus & principum virorum cædibus, infame fuisse videatur, operâ inprimis Calvinistarum, Regibus ipsis propemodum formidabilium. E

XII. Novissimi isti Monachorum ordines ita augent opes, ut videatur rasa illa factio, non tam de monarchia Ecclesiastica, quàm politica cogitare; & hoc agere, ut Pontifex Romanus dominetur tam in profanis, quàm in sacris rebus; quod, si obtinent, nihil defuturum sibi vident, vel ad dignitates, vel ad delicias hujus vitæ. F

At Misenus ita auget mendacia, ut calva Calvinistici cœtus factio, hoc unum cogitare videatur, quomodo strenuè mentiri, & insigniter *Papistas omnes* criminari queat; nulla veritatis, nulla ingenuitatis, nulla calumniatoribus decreti supplicii, &, quod caput, nulla Dei, hominúmve habita ratione. Ajebat veterum quidam, necessarium esse, ut ab ineunte ævo nos ad veri studium assuefaciamus κολάζοντας μὲν τὸς φιλοψευδεῖς, φιλοῦντας δὲ τὸς φιλαλήθεις, ἵν' ἐμφυσιῶται ἑκάστῳ τὸ κάλλιστον καὶ σπερματωδέστατον τῆς ἀρετῆς; *Castigando quidem, quos mentiendi studium tenet; amando autem eos, qui veritatis amore tenentur; ut, quod in virtute optimum & fecundissimum est, animis singulorum innascatur, & quasi in naturam ipsorum convertatur.* Calvinianus Lithus documentum hoc invertit, suósque ad mentiendi exercitationem à teneris unguiculis assuefieri cupit; & tot mendaciis effusis manifestè indicat, suo judicio mentiendi gnaros, non veri studiosos, laude & præconiis dignos esse, & eò magis, quò istud cacoëthes altiores radices in intimis ipsius naturæ penetralibus egit. Et hæc calumniis, sycophantiis, lœdoriis & speudologiis Misenicis retundendis reposita sunto. G

Supereſt, ut de ipsa persecutione, quæ nunc in Anglia grassatur, aliquid subnectam; quæ profectò nec lenior, nec mitior est, quàm superioribus annis, si non sævior; id quod colliges ex his legibus post Elisabethæ Reginæ obitum latis, quæ iisdem, quibus accepi, verbis recitabo, ne quid vel per imprudentiam de sensu mutem, dum verba mutare conor. Vide igitur, H

A tur, mi lector, exleges leges; & Catholici gregis sub tanto jugo gementis miserere; quisquis tibi misericordiam rebus in adversis, præcipuè ad conscientiam verúmque Dei cultum pertinentibus, obtingere cupis.

I. Quòd omnes debeant Regi pendere duas partes bonorum, & possessionum, qui nolint adire Ecclesias, & cœtus suos. Nam hactenus potentiores solverunt tantùm ducentos florenos menstruos; ceteri, minoris fortunæ, duas partes, tertia cedente illis in victum.

B *II. Ut non liceat ulli ducere uxorem, nisi in Ecclesia hæretica, & secundùm hæreticorum ritus.*

III. Uxor catholica perdit dotem ipso facto; & vir, qui possessiones per uxorem acquirit catholicam, eas amittit.

IV. Nullus, qui sit catholicus, potest gerere magistratum sibi delatum, nec ullum retinere officium; non medicus esse, vel advocatus.

V. Quicunque attingens annum decimum octavum ætatis jurare nolit, Regem Angliæ caput esse Ecclesiæ, traditur perpetuo carceri: &, qui disertè eum negat caput esse Ecclesiæ, reus est læsæ majestatis. Præscribitur autem formula juramenti, juxta quam tenentur jurare, & profiteri.

C *VI. Debet quisque profiteri certa formula sibi proposita, Pontificem maximum nec habere, nec habere posse autoritatem excommunicandi reges, vel eos quacunque de causa deponendi. Item, jurare jubet, autoritatem summo Pontifici attributam, nullam esse; sed impiam, detestabilem, atque hæreticam.*

VII. Catholicis nulla omninò arma habere licet.

VIII. Omnes infantes baptizari debent ab hæreticis; vel pendere in pœnam mille florenos: &, ubi duodecimum annum ætatis attigerint, tradi debent instituendi hæreticis præceptoribus parentum impensis.

IX. Quicunque mittat puerum in partes ultramarinas, debet item pendere florenos mille: & omnes ibi degentes perdunt suam hæreditatem; & hæc cedit proximo propinquo. Quicunque verò in illis partibus ultramarinis Ecclesiæ Catholicæ nomen dederit, reus sit criminis læsæ majestatis.

D *X. Nullus Catholicus potest ingredi regiam sub pœna florenorum mille; neque Londinum accedere infra quinque milliaria.*

XI. Quicunque denuntiaverit Catholicum, debet habere ab eo certam pecuniæ summam; &, qui sacerdotem, tertiam partem bonorum illius, in cujus domo repertus fuerit.

XII. Omnes, qui possint, teneantur sub pœna gravi, inquirere de sacerdotibus Catholicis semel in mense, ac pariter de aliis Catholicis, deferréque nomina eorum, qui recusant adire sacra, seu templa hæreticorum.

En tibi leges; quarum similes, quæ unquam vidit ætas? Vix Wandalici, & Arianici furores, qui tamen vehementissimi & acerbissimi fuerunt, ad hanc tantam severitatem progressi sunt. Ut proinde non immeritò Catholici, qui in Anglia, regno olim pietate & religione, & Apostolicæ Sedis observantiâ florentissimo, degunt, ejusdem fidei, spei & charitatis, eorundémque cœlestium mysteriorum consortes, alibi terrarum degentes verbis sanctissimi Præsulis Basilii compellare queant. *Afflictiones nostras, vestras reputate; tanquam germani Domini discipuli. Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliquid aliud rerum temporalium; sed, propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem in certaminis procinctu consistimus arrecti. Lugete nobiscum ô fratrum amantes. Occlusa namque sunt apud nos piorum ora: reserata verò est quælibet audax, blasphemáque lingua, eorum, qui adversùs Deum loquuntur injustitiam. Columnæ, & stabilimentum veritatis dissipantur. Nos, qui tenuitatis gratia despicimur, fiducia loquendi destituti sumus. Ipsi quæso, & pro hisce populis decertatote, & non vestra tantùm spectate: quoniam ad portus appulistis tranquillos, per gratiam Dei, quæ vos à turbine malorum spirituum protegit; sed & Ecclesiis illis, quæ per tempestatem jactantur, manus porrigite: ne quando omni prorsus destitutæ auxilio, fidei naufragium patiantur. Ingemiscite nostri gratia, &c.* E S. Basil. epist. 70. F

Quis dabit capiti meo aquam, & palpebris meis fontem lacrymarum, & deplorabo complures dies populum perversis istis doctrinis ad perditionem adactum? In transversum rapiuntur simpliciorum aures, ac deinceps in consuetudinem transeunt hæreticæ impietatis. In istiusmodi sermonibus doctrinæ plus quàm impiæ educantur Ecclesiæ infantes. Nam, quid aliud etiam facient? Baptismata sunt apud hæreticos. Illi deducunt peregrè quovis progredientes: invisunt infirmos, solantur mœstos, adjuvant laborantes, ac pressos, omnis generis opem afferunt; mysteriorum communionem administrant. Quòd omnia per illos dispensantur, ac perficiuntur, quasi retinaculum quoddam est plebi, quo ad illorum concordiam adstringuntur; ita ut brevi temporis decursu, etiamsi restituatur aliqua libertas, nulla tamen spes reliqua futura sit ad veritatis iterum agnitionem reducendi eos, qui diuturnæ dilectionis vinculo hæreticis obstricti sunt. G

H Hæc igitur persecutionis immanitate moti & exasperati viri illi nobiles consilium ex desperatione ceperunt, quod minimè capiendum erat; Calviniſtæ potiùs, quàm Catholico Christiano consentaneum. Obsecro tamen, ut Lithus Misenicus, & cum illo alii Calviniſtæ, oculos paululùm circumferant per Belgium; & quid in hac Provincia pro amplificatione suæ perfidiæ tentârint & patrârint; attentiùs considerent: Non tangam Scotiam, non ipsam An-

A Angliam, non Galliam, non alias Chriſtiani orbis partes; De ſolo Belgio tria verba dicam, tria, inquam; ut enim plura dicam, vetat ipſa materiæ uberrima copia, & copioſiſſima ubertas. An non Calviniſtæ Belgæ jam prope per quadraginta annos cum legitimo nativóque ſuo Domino propter Calviniſticam ſectam bellum terra marique gerunt? An non eundem ampliſſimis provinciis & regionibus, munitiſſimis civitatibus & arcibus ſpoliârunt? An non aliquot centena Monaſteriorum & templorum pulvere pyrio disjecerunt? An non aliquot hominum myriadas iniquiſſimo ferro trucidârunt, vel, ut trucidarentur, occaſionem dederunt? An non ipſum Hiſpaniæ Regem,
B hæreditarium Belgii Principem, omnésque Proceres Hiſpanos, ſi unum in locum collectos reperiſſent, nitrato pulvere in auras vel diſſipâſſent, vel adhuc, ſi qua offerretur opportunitas, diſſiparent, ídque zelo ſectæ ſuæ, quam propagatam ſtabilitámque cupiunt? An non iidem perduelles, ejuſdem ſui Principis, etiam remotiſſimas regiones, claſſibus inſtructis, invadunt, diripiunt, deprædantur, incendunt, quotieſcunque & ubicunque occaſio offertur? An non theſauros Indicos intercipiunt, & ut intercipiant, omnem operam navant, ipſúmque Oceanum claſſibus infeſtis obſident, in omnes legitimo ſuo Principi damnorum inferendorum opportunitates intentiſſimi, ita ut à Mauris & Turcis multò minus periculi impendeat, quàm à ſubditis iſtis Calvini muſto ebriis?

C Hæc Calviniſtæ indies & faciunt, & fecerunt antea, & quandiu ſupererunt, facient; neque enim ſpiritus Calviniſticus quieſcere poteſt; & tamen tantum abeſt, ut hinc reprehenſionem aliquam exſpectent, ut potiùs fortitudinis & defenſæ religionis laudem ſibi vendicent, & coronas capitibus ſuis depoſcant. At quàm primùm Catholici, etſi duriſſimis legibus adacti, aliquid contra Calviniſtas tentant, mox Calviniſtæ omnes ſturnatim advolant, clamitant, vociferantur, Deúmque & homines obteſtantur, ut Papiſtarum conatibus obviam
D eant; ſibi per Papiſtarum improbitatem non licere eſſe tutis ac quietis; omnia apud Pontificios proditionibus ſcatere, & millena talia. O Calviniſtæ, Calviniſtæ! reddite priùs Regibus veſtris, quæ ſacrilegè rapuiſtis, reædificate, quæ ſceleratè evertiſtis, excitate tot hominum millia, quæ crudeliſſimè interemiſtis, veniam à Principibus, quorum majeſtatem flagitioſiſſimè conculcâſtis, ſubmiſſo animo poſtulate; & tum demum venite, & Catholicis ſive Anglicanum, ſive aliud facinus objicite. Bone Deus! ſi Calvini de grege hirci alicubi exagitarentur; ſicut in Anglia exagitantur Catholici; quid intentatum inauſumve relinquerent? Ipſum Acheronta cie-

rent, ſi ſuperos movere nequirent. Hor- E
ret animus hanc Camerinam tangere. Itaque manum abſtineo, & hoc tantùm moneo, Calviniſtas, quando Regibus inſtillant; à Catholicis, ſeu, ùt ipſi vocant, *Papiſtis*, *pro fundamento religionis ſubſterni*, *licere aut meritorium eſſe*, *violentas principibus aut populis manus religionis cauſa afferre*: non Catholicorum, ſed ſuum genium & ingenium depingere; & oculis Principum, quos hæreſi ſua faſcinârunt, ſubjice . Hoc enim hæreticæ perfidiæ fundamen n eſſe docent funeſta illa & tam diuturna bella Belgica; ut taceam Gallica, Germanica: ſimul atque enim Calviniſmo libertas denegatur, mox ferrum in Principes, quamvis nativos & hæreditarios, ſtringitur, ſi ulla ſpes propoſiti exequendi & obtinendi affulgeat. F
Nec populis ſubjectis parcitur, ſi nolint ululare cum lupis. Teſtis eſto Belgia; quæ vel unica omnia iſtorum ſcelera & plusquam Tartarica contra legitimos Principes machinamenta & facinora apertiſſimè & evidentiſſimè loquitur, & in omne ævum loquetur, ſimúlque teſtabitur, Calviniſtas, hæc, quæ faciunt, impulſu ejus ſectæ, quam profitentur, facere; neque tantorum ſacrilegiorum, parricidiorum & proditionum cauſas in ſola ingenia corruptósque animos conferri poſſe: ſed profeſſionem ipſam Calviniſticam horum omnium fontem ac originem cenſeri debere. Quam maculam iſti in Catholicam Romanam & Apoſtolicam fidem transferre conantur; G
cùm certo certius ſit, improbos orthodoxæ profeſſionis; ſuapte voluntate & indole; non inſtituti inclinatione improbos eſſe. Quare quod iidem dicunt; *contingere non poſſe*, *ut, qui omnia doctrinæ pontificiæ fundamenta, omnia ſcholarum decreta & agnoſcit & tuetur, ſimul poſſit & Chriſtiani & integri ſubditi officium obſervare*; id de Calviniſmo veriſſimè affirmaveris. Qui enim hujus monſtri omnia abdita novit, animóque imbibit; hic profectò neque Chriſtiani, neque fidelis ſubditi officium præſtat; ſed niſi ad ſuum arbitrium, & ad ſpiritus, quo agitatus caleſcit, voluntatem omnia agantur; omnia miſcet, turbat, evertit: & claſſicum adversùs Magiſtratum à Deo præpoſitum canit; mox *tympana tenta ſonant*, & *taratantara* omnia compita complet. E contrà, quò quis Catholicæ religionis ſcita & placita penitiùs penetrat, & profundiùs in præcordia demittit; hòc & Deo & magiſtratui promptiùs morem gerit, tributúmque debitum H
alacriùs pendit. Nónne qui conjurationis detectæ auctor fuit; *Papiſta* eſt? ùt loquuntur Calviniſtæ. Nónne à *Papiſta* ſalutem habent? Cui quis dubitet, orthodoxæ religionis fundamenta & dogmata explorata eſſe, cùm, ùt ipſimet adverſarii prædicant, non ſit qualiscunque *Papiſta*; ſed fervens & ardens. Et tamen *Papiſtæ* hujus à fide &

fidelitate in Patriam, dilaudandi & decantandi Calviniſtæ nullum finem faciunt.

A

At Calviniſtæ, præſertim Anglicani, clementiam & benignitatem præ ſe ferunt. Ita eſt; ſed non diſſimilem ejus, quam præ ſe ferebat æquorea peſtis Scylla, *cujus ſuperiores partes*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *ſuaves, & humanas fuiſſe narrant, nec aſpectu injucundas: (Virgo enimerat cognationis cujusdam neceſſitudine nobiscum devincta) at reliqua capita canina erant, & belluina, atque omninò pernicioſa, claſſes totas arripientia, nec, quantum ad periculum, ab oppoſita Charybdi quidquam differentia.*

Nazianz. orat. 1. in Julian.

B

Similis prorſus eſt Calviniſtarum affabilitas & benignitas, qui in id maximè incumbunt, Juliani Apoſtatæ ſpiritu impulſi, ne Catholici, quos truculenter trucidant, religionis avitæ gratia perimi videantur. Quapropter omnia, etiam optima, honeſtiſſima, imò & ſacratiſſima in læſæ majeſtatis crimen convertunt, ut ſic ſævitiæ ſuæ exerendæ & exercendæ anſam habeant; & quos crudeliſſimæ neci dedunt, Martyrii gloria ſpolient; hinc eosdem implicatis quæſtionibus irretire contendunt, ùt factum à Junæis cum Chriſto, & nuper cum P. Garneto, cui inter cæteras, hanc quæſtionem propoſuerunt: *Poſſitne ſummus Pontifex excommunicare Jacobum præſentem Angliæ Regem: reſpondit autem, omnes Catholicos fuiſſe hactenus, & eſſe adhuc in illa ſententia, licere ſummo Pontifici, tanquam ſummo Chriſti vicario in terris, excommunicare omnes reges, & principes hæreticos. Replicatum eſt, hoc non eſſe directum reſponſum ad propoſitam*

C

quæſtionem. Reſpondendum eſſe præcisè ad hoc, utrum Paulus V. præſenter Romæ exiſtens poſſit juſtè excommunicare Jacobum, hoc eſt, magnæ Britanniæ regem hoc tempore gubernantem; reſpondit: Ego in genere ad propoſitam quæſtionem ex mente Catholicorum omnium reſpondi; in ea reſponſione acquieſco. Nam in individuo reſpondere, aut potiùs definire velle; quid Paulus V. Pontifex max. in Jacobum regem poſſit, id mei non eſt juris; ſed majoris auctoritatis, maturioris conſilii, & ſuperioris arbitrii: peto ergo, mihi ignoſci, quòd falcem in alienam meſſem mittere nolim. Et cur Catholicos Sacerdotes his erotematiis urgent; niſi ut ad eam reſponſionem deducant, quam ipſi *læſæ Majeſtatis* crimen decretis ſuis fecerunt?

D

Dolebat olim ſanctiſſimus Pictavorum præſul Hilarius, à Conſtantio Imp. & Arianis mirum in modum exagitatus & divexatus; nec tamen in equuleum ſublatus, nec morte mulctatus; ſe non incidiſſe in tempora Neroniana aut Deciana, ubi veritatis confeſſioni ſtatim parata erat palma & gloria Martyrii. *Utinam*, inquit, *illud potiùs omnipotens Deus, ut univerſorum creator, & unius Domini noſtri JESU Chriſti Pater ætati meæ, & temporì præſtitiſſes, ut hoc confeſſionis meæ in te, atque in unigenitum tuum miniſterium Neronianis, Decianiſve temporibus explêſſem. Nec ergo per miſericordiam Domini, & Dei Filii tui JESU Chriſti calens eculeum metuiſſem, quì deſectum Iſaiam ſciſſem: nec ignes timuiſſem, inter quos Hebræos pueros cantâſſe meminiſſem: nec crucem, & fragmenta crurum meorum vitâſſem, poſtquam in paradiſum translatum latronem recordarer: nec profundum maris, & pontici æſtus abſorbentem rheumam trepidâſſem; cùm per Jonam, & Paulum docuiſſes fidelibus eſſe in marì vitam. Adversùs enim abſolutos hoſtes, felix mihi illud certamen fuiſſet; quia nec dubium relinqueretur, quin perſecutores eſſent, quì ad negandum te pœnis, ferro, ignì compellerent; neque ad teſtificandum plus tibì nos, quàm mortes noſtras liceret impendere. Pugnaremus enim in palàm, & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes: & nos populi tui, tanquam duces ſuos, ad confeſſionis religionem intelligentia perſequutionis publicæ comitarentur. At nunc pugnamus contra perſequutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum; quì non dorſa cædit; ſed ventrem palpat: non proſcribit ad vitam; ſed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem; ſed intra palatum honorat ad ſervitutem; non latera vexat; ſed cor occupat: non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit; non ignes publicè minatur; ſed gehennam privatim accendit: non contendit, ne vincatur; ſed adulatur, ut dominetur.*

E

F

S. Hilar. lib. I. contra Conſtant.

Quod ſanctiſſimus iſte pariter & doctiſſimus Antiſtes ſibi negatum conqueritur; id Catholicis Anglis, præſertim Sacerdotibus, abundè ſuppetit; tametſi & ipſis res eſt cum hoſte, *qui Chriſtum confitetur, ut neget;* (in quo à Nerone, Decio, Diocletiano, & aliis diſcrepat) *unitatem procurat, ne pax ſit; hæreſes comprimit, ne Chriſtianì ſint: Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint; Eccleſiæ tecta ſtruit, ut fidem deſtruat.*

G

Et hæc hactenus pro veritatis patrocinio adversùs calumniatores, & maledicos impoſtores dicta ſunto. *Ipſe verò optârim*, cum S. Baſilio dicam, *primùm, ut Deus bonus det ſuam pacem vincentem in cordibus omnium, ut iſti, qui fremunt in nos, atrocitérque conglomerati inſurgunt, in ſpiritu lenitatis, & charitatis compeſcantur. Quòd ſi prorſus ſic efferati ſunt, ut non poſſint manſuescere, certè det nobis illorum facta toleranter ferre. In ſumma; quì condemnationem mortis in ſeſe habent, his moleſtum non eſt, pro fide affligi: ſed maximè intolerabile eſt, in ea non certâſſe: quandoquidem athletis non perinde grave eſt, in certamine plagas accipere, quàm omninò non admittì in ſtadium.*

H

S. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 29.

S. HILA-

S. HILARIUS EPISCOPUS PICTAVIENSIS AD CONSTANTIUM IMPERATOREM.

Non alia ratione, quæ turbata sunt, componi, quæ divulsa sunt, coërceri possunt: nisi unusquisque nulla servitutis necessitate astrictus, integrum habeat vivendi arbitrium. Certè voces exclamantium, à tua mansuetudine exaudiri decet; Catholicus sum, nolo esse hæreticus: Christianus sum, non Arrianus, (Calvinianus) *& melius est mihi, in seculo mori, quàm alicujus privati potentia dominante castam veritatis Virginitatem corrumpere. Æquùmque debet videri sanctitati tuæ, glorioſissime Auguste, ut, qui timent Dominum Deum, & divinum judicium, non polluantur, aut contaminentur execrandis blaſphemiis; ſed habeant poteſtatem, ut eos ſequantur Epiſcopos, & Præpoſitos, qui & inviolata conſervant fœdera charitatis, & cupiunt perpetuam, & ſynceram habere pacem.*

Nec fieri poteſt, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, diſſimilia conglutinentur, vera, & falſa miſceantur, lux & tenebræ confundantur, dies quoque, & nox habeant aliquam conjunctionem. Si igitur, (quod ſine dubitatione & ſperamus, & credimus) hæc permovent non inſitam, ſed ingenitam tuam bonitatem: præcipe, ut non ſtudium, non gratiam, non favorem, locorum rectores graviſſimis hæreticis præſtent. Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos putaverint, quos elegerint, audiant docentes, & divina myſteriorum ſolennia concelebrent, & pro incolumitate, & beatitudine tua offerant preces. Non quisquam perverſus, aut invidus maligna loquatur. Nulla quidem ſuſpicio erit non modò ſeditionis; ſed nec aſperæ murmurationis. Quieta ſunt omnia, & verecunda.

At nunc, qui Arriana (Calviniana) *& peſtifera contagione inquinati ſunt, non ceſſant ore impio, & ſacrilego animo Evangeliorum ſyncéritatem corrumpere, & rectam Apoſtolorum regulam depravare. Divinos Prophetas non intelligunt. Callidi, & aſtuti, artificio quodam utuntur; incluſam perniciosam corruptelam exquiſitorum verborum velamine contegunt. Non priùs venenatum virus infundunt, quàm ſimplices, & innocentes ſub prætextu nominis Chriſtiani raptos, atque irretitos involvant: ne ſoli pereant, ſed participes horrendi criminis ſui, reos faciant. Et hoc obſecramus pietatem tuam, ut eos, qui adhuc egregii videlicet ſacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate, aut in exilio, aut in deſertis locis tenentur, jubeas ad ſedes ſuas remeare: ubique grata libertas ſit, & jucunda lætitia. Quis non videt, quis non intelligit? poſt quadringentos ferè annos, poſtquam Dei unigenitus filius humano generi pereunti ſubvenire dignatus eſt, quaſi antè, non Apoſtoli, non poſt eorum martyria, & exceſſus fuerint Chriſtiani. Novella nunc, & teterrima lues, non corruptæ aëris, ſed execrandorum blaſphemorum Arriana* (Calviniana) *effuſa eſt: ita illi, qui antè crediderunt, inanem ſpem immortalitatis habuerunt,* &c.

At verò, quid iſtud, quòd ſacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in cuſtodiam catenati ordinis conſtricta diſponitur, virgines nudantur, ad pœnam: ſacrata Deo corpora publico expoſita conſpectui, ad fructum ſpectaculi, & quæſtionis aptantur. Cogunt, nempe non ut Chriſtiani omnes ſint, ſed ut Arriani (Calviniani) *& confeſſam in Deo fidem ad conſortium piaculi ſui ſceleris compellunt. Autoritate etiam nominis ſui, in errorem Imperatorem transducunt: rectum affirmantes, ut ſub ſpecie timoris Dei, in hac perverſitate ſubditos ſibi tradant.*

Finis Miſenici Stigmatis.

LITHII MISENI CALVINISTÆ *SATYRA PALINODICA*, COMMENTARIO ILLUSTRATA *PER* JACOBUM GRETSERUM SOCIETATIS JESU, THEOLOGUM.

CAPUT I.

Causa hujus Commentarioli. Imago calumniæ, & quid in ea vel ejus explicatione Lucianéa desiderari possit.

A FErunt Antisthenem *inimicis optâsse omnia, præter sanam mentem, quam si*, ajebat, *haberent, confecturi essent omnia, quæ vellent.* Ego verò longè aliter affectus sum; & ante omnia veræ & Catholicæ fidei hostibus sanam & integram mentem votis omnibus à Deo immortali optandam existimo: hanc enim si obtinerent; calumniatores, sycophantæ, obtrectatores, & detractores mox esse desinerent, nec tam longè *de vicinia veritatis*, ùt loquitur Minucius Felix, *errarent.* neque etiam miser meus Misenus, Calviniano cœlo jam proximus, & planè Acheronticus Senecio, post tot criminationes & lœdorias effusas, novum calumniarum centonem consarcinâsset, & consarcinatum foras
B extrusisset, hoc titulo: *Palinodia Satyrica publicè recitata Heidelbergæ in Jacobi Gretseri Jesuitæ, & universæ Societatis gratiam & honorem VI. Januarii Anni M. DC. VII.* quæ Satyra nil aliud est, quàm nusquam interrupta calumnia, contexta ex infami & famoso libello Anonymi cujusdam Calvinistæ, cui Jacobus Sylvanus Austriacus barbam non ita pridem digno pectine depexuit, ùt & Interpres Sylvani Germanicus. Nam quod tenebrio iste soluta oratione in Jesuitas evomuit; eos scilicet esse *proditores, Assasinos, Regum Principúmque interfectores, publicæ pacis perturbatores, patriæ pestes;* C & si quid aliud hujus generis prurigo calumniandi suggesserat; hoc vetulus iste & vietus poëtaster in versus conjecit: in versus, inquam, sed sine *Musa & Apolline natos*, in versus non in Parnasso, sed vel in stabulo vel in macello conditos. Qualia monstra? Quàm amusa, quàm indolata?

Rector magnifice, & digni mihi honore & amore
Collegæ, insignes meritis in commoda nostræ
Nota juventutis, Doctores atque Magistri.

(Secundus versus tolerabilior erit, si ita legatur & interpungatur.

Collegæ, insignes meritis, incommoda nostræ D
Nota juventutis.)
Sexta dies rediit nobis lætissima Jani,
Qua memini ante annum de regno & Rege
Britanno
Dicere me, meritásque Deo persolvere grates
Pro mirabiliter detecta proditione, &c.
Verbáque tunc feci, sicut meminisse potestis,
In perquam illustri cætu Comitúmque Ducúmque
——narravimus omnia verè, &c.
Idolorum hostes, Romanæq; Artolatriæ
Obstabat pietas idolis multiplicandis, &c.
Mirifica hæc ars est dicta æquivocatio nobis, &c.
Quòd si Electorum suffragia Romanorum
Regem justa creent, &c.
Ex iis deductum, quæ commemoravimus ante.

truces

A ——————*truces conatus ne indupedirent*
Vel dissuadendo vel ab incœptis retrahendo, &c.
Et sciat afflatu divino sanctificatum, &c.
Qui mendax à principio fuit atque homicida, &c.
O Monachi, Monachi, resipiscite, non patietur, &c.
Ipsus præcepit Christus, Paulúsque Petrúsque, &c.
Suffragatores Monachis videas Calvinistas, &c.
Artolatriam hanc, ut tueantur, sensibus omnes, &c.

B *Aurea scribis carmina Misene, optime Vatum.* Heus puer vel ferulam vel scuticam septuagenario, & quod excurrit, huic puero prome, ut tot ictus capiat, quot rudissimè tornatos versus eructavit. Mirum, non exclamâsse Gruterum, aliúmve quempiam emunctioris nasi, vel solo audito exordio.

O he jam satis est, ohe viete
Ac delire senex, sat est, sileto.
Isti Dii mala multa dent Poëtæ
Qui nos tot malè versibus dolatis
Perdere ingreditur, mali immerentes.

C Quid Cæsii, quid Aquini, quid Suffeni, quid reliqua venena ad Misenum, & venenum Misenicum? *O seclum insipiens & inficetum*, quod aures tam insulso Choerilo, vel potiùs Choeroboseo patienter præbere potest. *Non, non hoc tibi, Calve, sic abibit.* Inversis tuis versibus & immodicis modis, & numeris innumeris reponam vicem hunc Commentariolum in Satyram tuam. Et cur in Satyram tuam? Quia explicat naturam, mores, genium & ingenium calumniæ & calumniatorum. Quid autem tua Satyra àliud, quàm calumnia? Quid tu aliud, quàm calumniator? In hoc igitur commentario, tanquam in speculo, te contempleris licet.

D Statueram adjungere anagrammatismos in tuis nominibus delitescentes, & nunc Anagrammatographi studio inde eductos. Monui te sedulò, cùm priorem Anagrammatum Lusum publicarem, caveres, ne improbitate tua, & criminandi petulantia plura hujus sortis poëmatia eliceres; copiam enim satis grandem adhuc in scriniis asservari. Sed quia rectè monenti non es obsecutus, dignus sanè eras, cujus stultitia iterum ludibrio exponeretur, & anagrammatis traduceretur. At certas ob causas jam tibi parco: propter quas premo etiam *Thyrsum Misenicum*, tibi à tui studiosissimo concinnatum. Ubi posthac vel mussare ausus fueris, in publicum exire sinam, quæ latent: ingenti Misenici nominis fama & gloria. Interea hac Satyræ tuæ illustratione contentus esto; ista tamen lege, ut quò ei splendidior fax accendatur, Philippicam Sylvani, & Stigma meum ne negligas.

Nunc, quod bene vertat, aspice sis Calumniæ imaginem, primùm quidem pictam penicillo Apellis, qui simulacro Calumniæ calumniatorem suum ultum ivit; postea non minore solertia Luciani calamo efformatam. τὸ δὲ φρόντισμα τῦτο, ἄρισε συκοφαντῶν καὶ τὰ ἄχθη σοι κεφιεῖ τῆς γνώμης, ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς ἑλένης τοῖς αἰγυπτίοις φαρμάκοις. *Lucubratio hæc, optime calumniatorum, molestias mentis tuæ levabit, veluti Helenæ crater medicamentis Ægyptiis.* Nec repetam ea, quæ variis in Apologiis adversùs Misenum & alios calumniatores de natura, more, & genio calumniatorum & calumniæ ex sacris litteris, & variis auctoribus dixi; hîc ferè tantùm persequar, quæ Lucianus & Lutherus suppeditant, à me alibi vix tacta, aut leviter tantùm. E Philostr. lib. 1. de vitis Sophist.

CALUMNIÆ IMAGO
EX
LUCIANO
LIB. CALUMNIIS NON ESSE FACILE CREDENDUM.

F Ἀπελλῆς, ὧν παρεκινδύνευσε μεμνημένος, τοιᾷδέ τινι εἰκόνι ἠμύνατο τὴν διαβολήν· ἐν δεξιᾷ τις ἀνὴρ κάθηται, τὰ ὦτα, παμμεγέθη ἔχων, μικρῶ δεῖν τοῖς τῦ μίδε προσεοικότα τὴν χεῖρα προτείνων πόρρωθεν ἔτι προσιόσῃ τῇ διαβολῇ. περὶ δὲ αὐτὸν ἑσᾶσι δύογυναῖκες ἄγνοιά μοι δοκεῖ, καὶ ὑπόληψις. ἑτέρωθεν δὲ προσέρχεται ἡ διαβολὴ, γύναιον ἐς ὑπερβολὴν πάγκαλον, ὑπόθερμον δὲ, καὶ παρακεκινημένον, οἷον δὴ τὴν λύτταν, καὶ τὴν ὀργὴν δεικνύσα, τῇ μὲν ἀριστερᾷ δᾷδα καιομένην ἔχσα· τῇ ἑτέρᾳ δὲ νεανίαν τινα τῶν τριχῶν σύρσα, τὰς χεῖρας ὀρέγοντα εἰς τὸν ἑρανὸν, καὶ μαρτυρόμενον τὲς θεές. ἡγεῖται δὲ ἀνὴρ ὠχρὸς, καὶ ἄμορφος, ὀξὺ δεδορκὼς, καὶ ἐοικὼς τοῖς ἐκ νόσε μακρᾶς κατεσκληκόσι· τῦτον γᾶν εἶναι τὸν φθόνον ἄν τις εἰκάσειε. καὶ μὴν καὶ ἄλλαι τινὲς δύο παρομαρτῦσι προτρέπσσαι, καὶ περισέλλσσαι, καὶ κατακοσμῦσαι τὴν διαβολήν· ὡς δέ μοι καὶ ταύτας ἐμήνυσεν ὁ περιηγητὴς τῆς εἰκόνος· ἡ μὲν ἐπιβολή τις ἦν, ἡ δὲ ἀπάτη· κατόπιν δὲ ἠκολόθει πάνυ πενθικῶς τις ἐσκευασμένη, μελανείμων, καὶ κατεσπαραγμένη, μετάνοια δὲ καὶ αὕτη ἐλέγετο. ἐπεσρέφετο γᾶν ἐς τὲπίσω δακρύσσα, καὶ μετ' αἰδῆς πάνυ τὴν ἀλήθειαν προσιῶσαν ὑπέβλεπεν. G

Apelles periculi, quod incurrerat, memor, tali est imagine calumniam ultus. Ad dextram considet quispiam auribus prælongis insignis, quales ferè illæ Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti Calumniæ. Circumstant eum mulier- H

A *mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suſpicio. Adit aliunde propera Calumnia, exiſpicio compta, vultu ipſo, & geſtu corporis effe-*
ram rabiem, & iram æſtuanti conceptam pectore præ ſe ferens, ſiniſtra facem tenens flammivomam, dextra ſecum adoleſcentem capillis prehenſum, manus ad ſuperos tendentem, obteſtantémque immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit vir pallidus, in ſpeciem impurus, acie oculorum minimè hebeti, cæterùm planè iis ſimilis, qui ſontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè conjicias Livorem eſſe. Quin & mulierculæ aliquot Calumniam ſequuntur comites, quarum eſt munus, dominam hortari, inſtruere, comere: interpres picturæ ajebat Inſidias, ac Fallaciam eſſe. A tergo lugubri habitu, pullata, laceráque Pœnitentia ſubſequitur, quæ capite in terram deflexo, cum lachrymis, ac pudore procul venientem Veritatem excipit.

B Hæc Calumniæ pictura; cujus ſimul totum comitatum, omnésque Aulicos conſpicaris. Primas tenet vir ille longis, ſeu aſininis auribus, hoc eſt, Miſenus, & ſimiles; calumniam obviis ulnis amplecti, & omnia ejus dicta haurire & intima mente reponere parati. Secundas tenent *Ignorantia* & *Suſpicio;* prædicti Midæ & Miſeni aſſiſtrices. Tertias obtinet *Livor*, calumniæ anteambulo. Quartus locus debetur τῇ ἐπιβολῇ, *Inſidiis*, & *Fallaciæ.* Nam juvenis, quem calumnia violenter manu dextra raptat, ad aulam calumniæ non pertinet; ùt nec *Pœnitentia* & *Veritas;* quibus ſi locus eſſet, calumnia cum ſuis funditus interiret, nec ubi exitialis hæc peſtis pedem figeret, loci quidpiam inveniret.

C Cæterùm, niſi vererer, Apellem ſub velo, ùt olim, deliteſcentem, & judicia ſpectatorum ſua de pictura auſcultantem, acclamaturum: *Ne ſutor ultra crepidam*; liberè dicerem, quid in hac effigie deſideratem. Quid item in deſcriptione & explicatione ſcriptoris Samoſatenſis. Ac inprimis omiſſus videtur parens calumniæ. Oportet namque calumniam habere genitorem: neque enim ipſa ſe ipſam gignit; & notum eſt, in omni calumnia tres concurrere; τὸν διαβάλλοντα' *calumniantem*, hoc eſt, calumniæ patrem; τὸν διαβαλλόμενον, eum, qui calumniam patitur; καὶ ἀκούοντα, *auditorem*, ſeu eum, qui calumniæ & calumnianti patulas vacivásque aures accommodat.

D Διαβαλλόμενος in hac imagine exprimitur, nimirum, juvenis ille, quem calumnia manu inclementer & violenter raptat. Eſt hic itidem calumniæ auditor, nempe auritus ille Midas ex Myſia & Miſnia. At ubi ὁ διαβάλλων? niſi fortè hunc denotet Φθόνος, *Livor*, qui calumniam antecedit; Ex Phthono enim ſeu Livore calumnia præcipuè naſcitur; etſi in locum ejus etiam ſubſtitui poſſit μῖσος ſeu Odium; nam cauſa primaria calumniæ eſt odium. Quamvis autem odium & Livor ſeu invidia propriè loquendo diſtinguantur; non eſt tamen à pictore noſtro exigenda tam accurata nominum & notionum diſtinctio. Liceat alterum vocabulum pro altero uſurpare. Sit ergo, ſi ita lubet; genitor calumniæ Φθόνος ſeu μῖσος. Num genitrices ejus ἐπιβελὴ καὶ ἀπάτη? Ita, opinor; quisquis enim calumniatur, is id eo facit animo, ut alterius famæ, & exiſtimationi inſidias ſtruat, aliúmque εἰς ἀπάτην, *in fraudem* & *fallaciam* inducat, dum per calumnias circumventus, aliter quàm par eſt, de proximo calumniis tradu&to judicat & ſtatuit. E F

Quid porrò *Ignorantia* & *Suſpicio* aurito illi auditori aſſiſtentes, innuunt? Num propter ignorantiam & ſiniſtras, quas interdum de aliis formamus ſuſpiciones, cupidè audiri calumnias? Num calumnias etiam ſpargi & texi ex ignorantia & ſuſpicione, ita ut ignorantia & ſuſpicio tam ad calumniantem, quàm ad audientem ſpectet? Nil obſtat, quò minùs ad utrunque referamus, ſicut & ἀπάτην ac ἐπιβολὴν, vel eo nomine; nam qui avidè calumniis audiendis vacat, de facili calumniator efficitur; quas enim criminationes ſecundis auribus accepit, eas in alios effundere, ei perquam proclive eſt; ídque eodem fine, quo is, qui primus calumniam compoſuit, nimirum, ut inſidias alienæ famæ ſtruat, & labefactando bonum nomen proximi, alios decipiat, dum immeritò exiſtimationem, bonitati ejus debitam, in aliam indebitam calumniis perſuaſus commutat; ita fit, ut, quod in hac calumniæ orcheſtra reſpectu unius eſt cauſa, comparatione alterius ſit, vocetúrque effectus; qui tamen effectus ratione tertii, rurſus cauſæ rationem ſubit, & ita deinceps perpetuo nexu, donec tota calumniæ catena pertexatur.

G Pœnitentia calumniæ ſubſequa, & lamentabili vultu veritatem reſpectans, inſinuare videtur, calumniatores tandem *pœnitentia* duci, & oculos ad veritatem reflectere. Fit hoc quidem aliquando, & olim quoque factum eſt; ſed quàm rarò hac noſtra ætate? ubi Calumniatores hæretici tantò magis jubilant & tripudiant, quantò atrociùs & flagitioſiùs calumniati fuerint; abſque ullo ullius vel modicæ pœnitentiæ argumento, licèt in manifeſtaria & ſolis luce dilucidiore calumnia deprehendantur: Imò fronte indurata; mox ad alias calumnias excogitandas, & quoquoverſus divulgandas, animum adjiciunt, & æquè ſecundas credulásque aures, ac antea, inveniunt. H

Rectè nihilominus Pœnitentia imagini Calumniæ adjungitur; quia licèt jam Calumniatores nulla tangantur pœnitentia, dum utilis ac fructuoſa eſſet; tangentur tamen aliquandò, licèt ſerâ & infructuosâ; cùm

A cùm dies Domini revelabit & reſerabit abſcondita cordium, quámque in innoxios contumelioſi ac injurioſi fuerint; palàm omnibus faciet. Tunc pœnitentia pectus feriet, Tunc ſapient; ſed *cum Phrygibus*; hoc eſt, ſerò, fruſtrà cantillantes illam næniolam: *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam*; & traducebamus, ùt improbitatem & nequitiam. Heu quantum à vero avii ivimus!

B Meo inſuper animo, jure optimo ad Ignorantiam & Suſpicionem; ſive ùt ſunt in calumniante; ſive ùt in audiente, appingetur, *Nequitia*, ſeu *Malitia*, ſeu *Improbitas*, neque enim omnes, qui calumniantur, vel calumniatoribus audiendis benevolas aures præbent, id faciunt ex Ignorantia, vel obſcura ſuſpicione, quæ probabilibus rationibus nitatur; ſed videas nonnullos, qui calumnientur, & calumnias audiant, licèt evidenter ſciant, rem ſecus ſe habere; & ſibi nullam penitus veriſimilem rationem ſuppetere, qua hoc vel ipſi de proximo ſibi perſuadeant, vel aliis perſuadere conentur. Sola nequitia & immenſa prurigo dicendi audiendíque calumnias, illis anſam ſuppeditat, ut hæc talia comminiſcantur, diſſipent, & ſtudiosè audiant.

C Sunt & quæ in Luciani explicatione deſideres, non culpâ Scriptoris; ſed potiùs vitio temporis, quo accidit, ut Calumniæ genius fermè aliter ſeſe ac olim habeat. Tres ad calumniæ ſtructuram conveniunt: ùt ſuprà dictum: *calumniator*, *calumniam patiens* & *auditor*. De primo, quem eleganter vocat ποιητὴν τῆς διαβολῆς, *effectorem calumniæ*, verè affirmat Lucianus, *eum non eſſe virum bonum*: nemo enim bonus cauſa mali proximo eſſe deſiderat; nec malefactis in alios; ſed benefactis in amicos clareſcere cupit.

D Secundò, rectè aſſerit, calumniatorem eſſe *injuſtum*, & *iniquum*, item *impium*, & iis, qui illius conſuetudine utuntur, *exitioſum*. Quæ omnia per ſe liquent: cùm calumniator non modò ſuum cuique non tribuat; ſed & cuivis διαβαλλομένῳ id, quod ſuum eſt, contra juſtitiæ leges, ſceleratè auferat: & animos audientium præoccupet, ita, ut poſtea defenſioni, & apologiæ τῦ διαβαλλομένυ ſeu *calumniam paſſi* nullum vel modicum locum, & ægrè quidem, concedant: eò enim potiſſimùm tendit calumniator, ut audientium aures occupet ac impleat, omníque apologiæ aditum præcludat; quod hoc noſtro ævo ἐξαιρέτως videre licet. Nam ubi calumnia quæpiam in hæreticum vulgus diſſeminata eſt, tam tenaciter eorum mentibus inſidet, ut nullis rationibus, quantumvis manifeſtiſſimis & evidentiſſimis, eam à veritate evelli & extirpari ſinant: Imò Apologias criminationum refutatrices, ne ad oculos quidem admittunt, nedum ad aures: & ſi quando admittunt; mentem tamen ne ſubeant, & calumniæ falſitatem expungant, ſtudiosè cavent, de quo infrà copioſiùs. E

Ait Lucianus, calumnias tantùm fieri λαθραίως, *occultè* & *clanculariè*, & calumniatorem eſſe δειλὸν, *timidum*, ὀδὲν ἐς τὸ ἐμφανὲς ἄγοντα, ἀλλ' ὥσπερ τὲς λοχῶντας ἐξ ἀφανῦς ποθεν τοξεύοντας, ὡς μηδὲν ἀντιτάξασθαι δυνατὸν εἶτε, μηδὲ ἀνταγωνίζεσθαι, *nihil apertè facientem, ſed ex occulto, inſtar illorum, qui inſidias tendunt, tela jacientem, ita ut quis ſui defendendi gratia, repugnare non poſſit*: Venit & hæc Luciani aſſertio in dubium, ob morem noſtri temporis, quod calumniatorum adeò eſt ferax, ut publicè ſcriptis, & toto mundo ſparſis libris calumnientur; & quamvis interdum ſuppreſſo ſuo nomine, vel fictitio appreſſo, utcunque adhuc tenebris ſe ſe abdant, & τῷ λαθραίῳ muniant, invenias tamen innumeros, & in his etiam Miſenum Calviniſticum, ſaltem in poſterioribus ſuis chartis; nulla perſona tectos apertè in calumniatorum ſcenam aſcendere, & partes ſibi à *Diabolo* & *Diabola* impoſitas ſine larva, & abſque velo & ſypario, agere: nec Deum, nec homines, nec Dei hominúmve ſupplicia veritos aut reveritos. F

Arbitratur Lucianus calumniatorem in publicum proditurum, & palàm accuſationem inſtituturum, *ſi conſcius ſibi foret, ſe veritate niti, & ab argumentis idoneis non imparatum eſſe*; ſed cùm nôrit contrarium, ait Lucianus, ideo illum à luce abſtinere, & tenebras ſectari. At noſtræ tempeſtatis Calumniatores adeò pudorem ex vultu, & formidinem pœnæ ex pectore abraſerunt, ut, licèt certo certiùs nôrint, fictum & commentitium eſſe, quidquid prompturi ſint ac prolaturi, non erubeſcant tamen in publicum progredi, publicè calumniari & ſycophantari, quia ſic ſtatuunt; *Vinco ſeu vincor*; habeo, quod inſtitui; calumniari volui; calumniatus ſum. Si & deprehenſus & reprehenſus, quid tum poſtea? Nam genuinus Calumniator non ſit, niſi, ùt ait Plautinus Ergaſilus, *colaphos perpeti potis ſit, frangique aulas in caput*. G

Olim cenſebatur artificium calumniandi multâ ſolertia, circumſpectione, & veriſimilitudine egere, ùt idem Auctor ſcribit. ὃ γὰρ ἂν τοσαῦτα ἔβλαπτεν ἡ διαβολὴ, εἰ μὴ πιθανόν τινα τρόπον ἐγίγνετο. *Neque enim Calumnia tantum detrimenti afferret, ſi non aliqua probabilitate amiciretur.* At jam, quò quis eſt ſtolidior, quò inconſideratior, quò effrenatior, quò ab omni probabilitate deſtitutior, eò audaciùs & projectiùs calumniatur, etiam publicè. Hinc calumnioſiſſimis chartis omnia compita redundant. H

Illud

480

A Illud item noſtri temporis conſuetudo non admittit, quod Lucianus ait; *Calumniatorem non niſi eum, qui vel ſit vel videatur amicus, calumniari;* ἐχθρὸν μὲν ἁδεὶς ἂν τολμήσειε διαβάλλειν, ἄπιστος γὰρ αὐτόθι ἡ κατηγορία, πρόδηλον ἔχουσα τὴν αἰτίαν. *Hoſtem nemo calumniari auſit; indigna enim fide habetur ejusmodi accuſatio, cùm liqueat, ex quonam fonte procedat:* Nam ita nunc comparatum eſt, ut calumniatores neminem magis calumniis inceſſant & inſectentur, ac eos, quos Vatiniano odio palàm proſequuntur, & quos capitales ſuos & audientium hoſtes publicitus proclamant. Neque arbitrantur ii, qui calumniatoribus audiendis vacant, narrationem idcirco minùs eſſe probabilem, quòd odium in calumniam paſſos non ſolùm in corde, ſed & in ore, ínque ſtylo & calamo, omnibus inſpectantibus, circumferant; quin potiùs inde vel maximè calumnioſis figmentis fidem conciliari exiſtimant. Exemplo rem declarabo.

B Calumniatur Lutherus vel Calvinianus quiſpiam, ùt Miſenus, *Jeſuitas eſſe Regum homicidas, patriæ proditores, Germaniæ peſtes nil niſi arma, & cædes moliri; Nil cogitare, quàm ut omnia turbent ac miſceant.* Nullus Lutheranus vel Calvinianus, cùm hæc calumnia ad aures ejus accidit; ſic ſecum ratiocinatur: *Auctor hujus chartæ Lutheranus eſt vel Calvinianus: ergo juratus Jeſuitarum hoſtis, & viciſſim, Jeſuitæ hoſtes illius: non eſt ergo verisimile id, quod ſpargit, quia ex hoſtili animo proceſſit. Quid autem facilius, quid tritius; quàm ut hoſtis de hoſte vana & falſa confingat & diſſeminet?* Nemo, inquam, ita ratiocinatur; ſed omnes, cœco impetu, ſtatim, quà data porta in fabuloſum commentum irruunt, illúdque pleno aſſenſu amplectuntur, & eò interdum pleniore, quò plenius eſt abſurditate.

C His, quæ longa dies in calumniæ natura mutâſſe videtur, ita indicatis, videndum eſt, num ſubſiſtat iſta definitio, διαβολή ἐστι κατηγορία τις, ἐξ ἐρημίας γιγνομένη, τὸν κατηγορούμενον λεληθυῖα, ἐκ τοῦ μονομεροῦς ἀναντιλέκτως πεπιστευμένη. *Calumnia eſt accuſatio, quæ, reo abſente & ignorante, facta, & altera tantùm parte audita, contradicente nemine, creditur.* Quid ſi ſciente reo, ſeu illo, qui calumnia appetitur, fiat, num ideo calumnia non erit? Quid ſi fiat palàm, famosísque libellis longè latéque ſparſis, etiam adſcripto Auctoris nomine, num propterea naturam calumniæ exuet?

D Ergo qui Calumniam *Ethicè*, non *Metaphyſicè* conſiderare volet, is dicat; Calumniam generatim eſſe falſam criminationem, ſive falſa ſit ſimpliciter, quoad objectum; ſive, quoad ſubjectum, vel ſubjecti extenſionem ſive quoad modum, ſive clàm, ſive palàm fiat. Calumnia enim eſt, ſi quis alteri falſum crimen objiciat. Calumnia eſt, ſi verum quidem E crimen oggerat; ſed ſycophanticè ad inſontes etiam derivet, ùt faciunt hodierni calumniatores hæretici, qui paucorum lapſum toti religioni adſcribunt, & ex unius vel alterius facto, de reliquis omnibus judicium ferunt. Calumnia eſt, ſi quis ex *feſtuca trabem*, ex *muſca elephantem*, hoc eſt, ex delicto non grandi grandiſſimum vaniloquentiâ ſuâ concinnet: Imò à calumniæ materia hoc loco non excludam, etiam vera, ſed occulta peccata, quæ criminator propalat, ut reum in invidiam odiúmque vocet, & ex ſtatione ſua deturbet.

CAPUT II.

Quæ cauſa, cur hodie tanta ſit calumniarum & calumniatorum copia,

F

MUltæ eæque veriſſimæ reddi poſſunt. Prima eſt ipſa *hæreſis*, quæ cùm originem ſuam à Diabolo, omnium calumniatorum principe, trahat, mirum foret, ſi non & ipſa parentis ſui naturam imitaretur, & eximia calumniatrix foret, eósque, quorum corda occupat, calumniatores efficeret. Quapropter ſi ſuperioris ævi memoriam percurrere velis, nunquam uberiorem calumniatorum proventum reperies, quàm exorta hæreſi, præſertim admodum peſtilente, & virus ſuum longè latéque diffundente. Cùm igitur hac noſtra tempeſtate plures propemodum ſectæ exſtiterint, quàm ullo ex anteactis, ſeculo; non uſque adeò inſolens nobis accidere debet, ſi pariter cum ſectis copioſiſſima calumniatorum multitudo caput extulit: quia hæreſis ab orthodoxa fide conatibus ſuis infortunium metuit; hinc calumniatoribus ſtipata in theatrum prodit, qui, velut rabidi Moloſſi, avitæ religionis propugnatores dentibus lacerent, exoſósque & inviſos reddere tentent, ut hæreſis interea tyrannidem ſuam propagare & ſtabilire queat, defenſoribus Catholicæ fidei in contemptum adductis, vel multitudine calumniarum ita obrutis, ut nihil apud multitudinis animos, calumniis jam præoccupatos, efficere poſſint. Id manifeſtè apparuit, cùm Lutherana hæreſis primùm ab inferis exſtitit. Quis enim Germaniæ & finitimarum regionum angulus non perſonuit calumniis & ſycophantiis contumelioſiſſimis, in Papam, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, ínque omnes Ordines Catholicos, & in omnia majorum inſtituta? H Quæ cauſa tantarum calumniarum alia, quàm quia calumniatorum choragus καὶ τῆς διαβολῆς genitor Diabolus vidit, hæreſin Lutheranam nullos vel exiguos facturam progreſſus, niſi ei validum & ora frontémque perfrictiſſimum calumniatorum comitatum adjungeret?

Altera

A Altera cauſa eſt ſplendor, gloria, majeſtas & amplitudo Catholicæ Eccleſiæ, & Ordinum, qui in Catholica Eccleſia, quíque præ aliis vel ſcientia, vel in oppugnanda hæreſi vigilantia, & aſſiduitate indefeſſa eminere videntur. διαβάλλεται μὲν ἕν. ὡς τὸ πολὺ μάλιϛα ὁ τιμώμενος, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ὑπολειπομένοις αὐτοῦ ἐπίφθονος. ἅπαντες γὰρ τῷδ' ἐπιτοξάζονται, καθάπερ τι κώλυμα καὶ ἐμπόδιον προορώμενοι. *Calumniis potiſſimùm ſubjacet ille, qui eſt in honore: eam ob cauſam inferiores illo invidia uruntur. omnes enim in illum ſua ſpicula dirigunt, velut in obſtaculum & impedimentum quoddam ſuum.*

B Hæc profectò veriſſima cauſa eſt tot calumniarum & calumniatorum hoc tempore. Qua enim, oro, in re ſunt Lutherani Concordiſtæ, (hos enim ex omnibus potiſſimùm nominabo) ſimiles Catholicis? Num amplitudine & diffuſione ſuæ doctrinæ? Quî hoc; cùm Concordiſtæ vix tertiam partem Germaniæ teneant, & extra Germaniam ne ſtipulam quidem Concordia eorum poſſideat? Nam nec Dani, nec Suedi, neque ulli ad ſeptentrionem extra Germaniæ terminos, Reges & Principes Concordiæ
C libro ſubſcripſerunt, nec paſſi ſunt, ut ſubditi eorum ſuffragio ſuo hæreticam illam
S. Baſil. ep. 72. Farraginem comprobarent. *Ipſum orbem inſpicite*, inquit Baſilius Magnus, *& videte, quàm modica ſit ea portio, quæ hôc* (Lutherano, vel Calviniano) *morbo laboret; reliqua verò univerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus uſque*
S. Baſil. epiſt. 75. *ad fines Evangelium recepit, ſanam hanc & rectam doctrinam ſectetur. Fuerat juſtius*, inquit ille idem ſanctus Antiſtes, *res noſtras æſtimare non ex uno, aut altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, ſed ex multitudine totius orbis Epiſcoporum, qui gratia Chriſti conjuncti nobis ſunt. Requirantur verò Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges, & qui utriuſque ſunt Armeniæ, quotquot vicini vobis ſunt Macedones, Achæi, Illyrii, Galli, Hiſpani, tota ſimul Italia, Siculi, Afri, & qui in Ægypto adhuc ſani ſunt, & quæ reliqua portio eſt Syriæ, qui quidem literas ad nos mittunt, & viciſſim à nobis recipiunt: ex quibus, cùm quæ illinc ad nos feruntur, tum quæ, vice verſa, iſthinc ad ipſos mittuntur, cognoſcere poteſtis, quòd unanimes omnes, eodémque ſenſu præditi ſumus.* Hæc S. Baſilius de diffuſione Catholicæ fidei ſuo ſæculo.

D Audeo dicere; hoc ipſo die, quo hæc ſcribo, longè latiùs propagatam & prolatam Catholicam religionem; & ſi quæ regiones ex his, quas nominat S. Baſilius, interea à recto tramite exerrârunt, at aliæ viciſſim veritatis viam iniêrunt, ùt Germania, quam non nominat S. Baſilius, Polonia, aliæ, & remotiſſima illa Indorum ad occaſum & ortum ſolis, & ad meridiem regna. Hæc igitur Catholicæ Eccleſiæ gloria & majeſtas, quæ in diffuſione ejus conſiſtit, Hæreticos torquet, tótque calumniis & contumeliis fomitem ſuppeditat, adminiculante Invidia, cui ſua egeſtas & anguſtum, quo hæreſis circumſcribitur, ſpatium, ægrè facit, & eò ægriùs, quò intentiùs amplitudinem Catholicæ Eccleſiæ contemplatur. E

Num Lutherani Concordiſtæ ſimiles ſunt Catholicæ Eccleſiæ profectu & incremento? Qua ratione, obſecro, cùm Calviniſmus Concordiam indies magis atque magis depaſcatur, & jam integri Principatus à Concordia ad Calvinum tranſitionem fecerint. Egregium certè *Concordiſticæ* fidei augmentum. At Eccleſiæ Catholicæ doctrina, inſtar lucis ſplendentis, quotidie magis atque magis intenditur & protenditur ad ſolem orientem, occidentem, & meridiem; & in his ipſis locis, ubi jam olim fides ſedem tenuit, Catholici, excuſſo veterno, majore cura hæreſi & hæreticis rabulis obviam eunt, & ſua diligentiùs ab his ex orco miſſis prædonibus cuſtodiunt. F

Extant eruditæ epiſtolæ Barlaami de Seminaria Epiſcopi Gyracenſis ad amicos ſuos in Græcia, in quibus religiosè pariter & ſtudiosè quotidianum Græcorum Latinis dogmatis contumaciſſimè reluctantium decrementum, & Latinorum incrementum conſiderans, ita ſcribit: *Cùm Dominus noſter Jeſus Chriſtus prædixiſſet afflictionem habituros ſuos fideles, & odium ab omnibus, & perſecutionem paſſuros: Chriſtianorum genus ex tunc, usque ad imperium Conſtantini Magni, affligebatur quidem ut plurimùm, & odio habebatur, & perſecutionem patiebatur. Sed, quod erat maximum miraculum, ipſi, qui odio & perſecutionibus affligebantur, de ipſis affligentibus, & perſequentibus, & odientibus multiplicabantur: ipſis affligentibus continuè ſeſe ad afflictos convertentibus. Nam, etſi aliqui, metu tormentorum recedebant à fide; ſed tamen è converſo, multò plures ad fidem omnibus ſententiis convertebantur. Præſentia verò quomodo? quàm miſerabiliſſimè. Ut autem antiquiora omittam, ex quo factæ unioni ſub primo Palæologorum, acquieſcere hujus partis noluerunt; innumerabiles ex ea multitudines ad deteſtabiliſſimam Mahumeticam ſectam converſæ ſunt: non ſolùm his, qui teneræ ætatis erant, neceſſitate ad captivantium, & ementium ſuperſtitionem converſis: verùm etiam perfectioris ætatis per animæ mollitiem fidem aſpernatis. Quamvis, ſi affligeretur hæc gens, & non minueretur; vel, ſi minueretur; ſed, per mortem, & non ad impietatem ſe convertendo, poſſet utique hoc, paternæ caſtigationis eſſe, putari. Tot verò multitudines permitti, ita ſubitò ad captivantium impietatem mutari: hoc non paternæ diſciplinæ, ſed omnimodæ deſertionis manifeſtiſſimum ſignum eſt. Facta verò Latinorum è contrario tunc non modicum creverunt: non ſolùm quod Armenii, relictis paternis erroribus, illi ſe addiderunt, & alii Orientalium gentium, qui per horum prædica-*
G Barlaam. Epiſt. 1.
H

A *tionem similiter his semper consentiunt: sed & copiosissimæ in Occidente civitates Mahometicæ sectæ, & per Regem Hispaniæ captæ sunt: ex quibus, non parvæ multitudines, fide in Christum susceptâ, Latinis additæ sunt. Et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta, illarum fidem sponte receperunt: ut etiam & hi, qui ad Persas conversi sunt.*

Idem meritissimò de Lutheranis Concordistis dixeris; quorum numerus quotidie imminuitur per Calvinismum, ùt Græcorum religio per Mahometismum, cùm Ecclesia Catholica novo semper fœtu multiplicetur, atque adeò lætificetur.

Subdit Barlaamus: *Hæc igitur ego in me*
B *ipso vertens animo, minimè credere valeo, hos ab illis, rationabili aliqua causa divisos esse, tanquam illis in aliqua hæresi, & mala fide existentibus; si enim pars illa Christianorum, quæ concorditer ad constitutum, Dei decreto, ab initio totius Ecclesiæ principium ordinata est, quæ legibus regitur, & Evangelico sermone, & multitudine semper crescit, hæc quidem est in hæresi: quæ verò pars ab hac justè divisa est, per omnia sana est; hæc neque legibus vivit, neque ad unum ordinata est principium, & semper secundùm multitudines, ad alienissimam Dei gentem convertitur, & in ipsa prorsus, quantum ad illiteratos, Evangelicus extinctus est sermo: deseruit ergo Deus omnimodè Christianismum; sed, nullo pacto hoc fieri potest. Verax enim est promissio dicentis, nobiscum*
Matth. 28. *fore, usque ad consummationem seculi, & portas inferi minimè prævalituras adversus Ecclesiam esse: Et, Petri fidem nunquam deficere:*
Matth. 16. *quod etiam de omnibus Petri successoribus in consequentibus temporibus, intelligi dignum est dominica oratione: siquidem oportet credere, magnum aliquid esse, quod ex ea effectum est.*

C Idem mihi sensus, ô Barlaame, respectu Concordistarum, & ejus, quam venditant, Ecclesiæ. Nam si hæc, quæ quotidie decrescit, & ad exitialem Calvini perfidiam degenerat, quæ nec multitudine, nec eruditione, nec sanctimonia, nec aliis tam humanis quàm divinis ornamentis floret, vera est Ecclesia, non est ergo vera illa Christi assertio & promissio: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* nam *Ecclesia radices in cælo potius fixas habet, quàm in terra*, inquit S. Chrysostomus, &c. *Quis, inquis, ista prædicat? Is qui eam fundavit. Cælum & terra transibunt, sed verba mea non transibunt. Hæc non modò dixit, sed & complevit; siquidem latiùs illam fundavit, quàm cælum. Est enim cælo honoratior Ecclesia. Quare conditum est cælum? Propter Ecclesiam. Ecclesia non est condita propter cælum; cælum conditum est propter hominem, non homo propter cælum. Id perspicuum est ex his, quæ fecit Christus. Non enim cæli corpus assumpsit, sed hominis.*

S. Chrysostom. Hom. in illud: Factum est anno, quo mortuus est Ozias Rex, &c.

D Catholicæ igitur Ecclesiæ felix progressio & adauctio his ululis oculos perstringit, útque linguas in calumniosos ululatus resol-

vant, compellit: quibus similiter cordo- E
lium est insignis Catholicorum rerum Philosophicarum & Theologicarum & inferioris itidem litteraturæ cognitio; & lux veritatis, quæ doctiorum opera & studio semper magis accenditur & radios fulgentiores emittit. Scio, quàm sectarii extremè Catholicos contemnant, & vix *asinorum loco* habere dignentur, sibíque plurium, quàm sciri possint, scientiam arrogent: sed longè aliter judicarent, si non cujuslibet ex Prædicantium grege genuina & viva imago esset illa, quam capite primo, longis auriculis præditam, & calumniæ obviam se ferentem nobis repræsentavit ex Apelle Lucianus.

Quia verò Novatores projectissimè ca- F
lumniantur ante Lutherum populo è loco superiore verbum Dei, seu Evangelium non fuisse annunciatum, sed à Luthero demùm ex tenebris in lucem extractum, commemorare placet, quæ paulò antè nominatus Barlaam, Latinos & Græcos inter se comparans, scribit. *In illis quidem* (apud Latinos) *Evangelica doctrina ubique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus divinus sermo prædicatur: non solùm, quòd quàm plurimi, omnia secunda reputant, erga sacram scripturam studii, & meditationis, & disciplinæ; sed quòd & ubique multitudinibus per civitates, villas, oppida, & castella, & in sacris templis, & ubicunque inveniuntur; simul multi* G
aggregati, & præsertim festivis diebus, qui sciunt divina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquelæ, aperientes eis per totum annum & historiale, & narrativum, & sententiale, & morale divinæ scripturæ veteris pariter, & novæ: & quis erat ante incarnationem Domini hominum status, quæ verò hujus Sacramenta, & quid boni ex ea nobis effectum est: Quæ præcepta, & quæ consilia: & cum his sanctorum vitas in natalitiis, & si quod alterum ad pietatem, & virtutem spectat, & ad nostram salutem: ita quòd illorum illiterati, mares simul, & fœminæ, nihil minùs ab his, qui in literis student, habent: certè in H
his, quæ in promptu sunt, & ad salutem necessaria, nostræ religionis, & fidei: sed verbo studiosi: in superfluis, non in necessariis à reliquis differunt. Ex quo contingit, ut gens illa moribus, ut plurimum, sit simplex, & aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans, & in suis judiciis stabilis, in conventis inter se fidelis, non vertibilis, & facilè mutabilis, ad perjurium tardissima, & fide, quæ in Christum est firmissima, & ferventissima. Et pro hac etiam ipsam vitam, si hoc opus fuerit, prodere paratissima. Hic autem quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horum adhuc pauciores, qui sacram scripturam pluris faciunt, plurimis paganorum scientiis, libentiùs operam dantibus. Turba verò illiterata, omnis in communi propositæ salutaris sermonis doctrinæ inexpers remanet. Quare pro uno, qui sciat

sub-

A *ſubſtantialiora ſecundùm nos pietatis : multa millia reperiri poſſunt , eorum , qui penitus ignorant Chriſtianiſmi virtutem. Ex quo contingit , contrario more illis hanc gentem affectam eſſe.*

Hæc Barlaam; qui ſi hodie viveret , eandem Syncriſin inter Catholicos & *Concordiſtas* inſtitueret , Perſona Græcorum *Concordiſtis* jure attributa : præſertim ſi audiret , Lutherum ipſum ſcripſiſſe , ſe ſua in viſitatione in grege ſuo reperiſſe ; qui ob ruditatem & inſcitiam *à beſtiis nihil omnino differrent.* Sed his omiſſis percenſere pergamus cauſas, cur tot jam calumniæ & calumniatores graſſentur.

Luth. præfat. in parvum Catechiſ.

B Tertia ergo cauſa eſt incredibile odium, quo ſectarii in Catholicos , præſertim in Eccleſiaſticos & religioſæ vitæ Profeſſores, eorúmque inſtituta & conſuetudines flagrant : cùm enim pleraque ex his , propoſito , & libidini Novatorum adverſa fronte adverſentur , fieri non poteſt , quin ea oderint & deteſtentur ; éxque deteſtatione , eas , quibus quotidie aures noſtræ pulſantur , calumnias & criminationes eructent. Quia procliviſſimum eſt , calumniari , quod Hæretico , hoc eſt , immani & effero pectore execreris ; hinc flammivomas criminationes vomunt ; neque enim fruſtra facem manu geſtare calumnia pingitur & fingitur. Quales calumniæ ſunt, quando Catholicis vel omnibus generatim, vel ſpeciatim nonnullis affingunt & imponunt proditiones & conſpirationes in patriam , & contra publicam pacem moliti-ones, cædes inſuper , adulteria , ſcortationes , & id genus alia facinora & flagitia, quorum objectu orthodoxos non modò in odium & abominationem, ſed & in periculum vitæ omniúmque fortunarum ſuarum adducere ſtudent , rati , ſuas res nunquam in tuto fore, quamdiu tales adverſarii ſuperſtites maneant. Itáque ſectæ ſuæ tenaciſſimi *flectere cùm nequeant ſuperos , Acheronta petunt ,* calumniásque inde hauriunt, quibus tranſactum dent, quod in optatis habent.

C Pulchrè Samoſatenſis calumniatores comparat cum curſoribus nauci ac nihili, qui cùm animadvertunt , nihil præſidii ſibi in pedum celeritate ad victoriam obtinendam ineſſe, à fraudibus opem petunt, elaborántque, ut pleno curſu ad metam volitantem , obice aliquo interpoſito proſternant ac remorentur, ne optato bravio potiatur. Eadem indole prædíti ſunt calumniatores. Cùm doctrina & virtute adversùs antagoniſtas ſuos non polleant , ſycophantiis & contumeliis rem agunt.

D Quarta cauſa eſt ; quia per calumniam Catholicis attribuunt, quod ipſi vel fecerunt, vel facere cogitant. Ut igitur ſuſpicionem à ſe amoveant , calumniantur orthodoxos hoc vel patrâſſe, vel de patrando E
conſilia agitare. Præclarè Lucianus. καὶ ἐνίοτε οἷς αὐτός τις ἔνοχός ἐσι , ταυτὶ , φθάσας κατηγόρησε τὸ πλησίον , ἐκφυγεῖν ἅτω πειρώμενος τὴν διαβολήν. *Aliquando contingit , ut quorum quis ipſemet ſibi conſcius eſt , eorum inſimulet proximum , hac ratione calumniam effugere cupiens.* Quis enim pro latrone vel proditore reputet illum, qui alterum latrocinii vel proditionis acerrimè poſtulat? Quis pro adultero , vel ſcortatore habeat illum, qui plenis verborum velis in adulteros & ſcortatores invehitur? At nemo his accuſationum nebulis terreatur. *Tentant in nos conferre , quæ ſua ſunt*, inquit Minucius Felix, *iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſunt , quos priùs tædeſcit impudicitiæ ſuæ , quàm pudeſcit. Ea de caſtis fingitis & pudicis , quæ fieri non crederemus , niſi de vobis probaretis.*

Quinta cauſa tantæ calumniatorum multi- F
tudinis eſt ipſa temporum , in quæ devenimus , natura , jam olim à S. Paulo graphicè deſcripta. *Hoc autem ſcito , quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa , & erunt homines ſeipſos amantes , cupidi , elati , blaſphemi , parentibus non obedientes , ingrati , ſceleſti , ſine affectione , ſine pace , criminatorès*, hoc eſt, calumniatores, *incontinentes , immites , ſine benignitate , proditores , protervi , tumidi , & voluptatum amores magìs , quàm Dei habentes ; ſpeciem quidem pietatis , virtutem autem ejus abnegantes.* Nativa Hæreticorum pictura, vivis & vivaciſſimis ſanè coloribus adumbrata. 2. Tim. 3.

Obſervetur illud Epithetum : *Seipſos amantes , Φίλαυτοι.* Ex hoc enim vitio naſcitur hujuſmodi cœcitas, quæ in proximo nil videt, niſi quod vel verè, vel judicio ſaltem cœci illius, ſit culpandum ; in ſe autem nihil cernit , niſi quod vel verè, vel ſaltem opinione ſua , laudem mereatur. Ex hoc fonte manant deinceps calumniæ & criminationes , vitæ alienæ inſectationes. *Jam in mundo* , (præſertim Lutherano) inquit Lutherus , *regnat fædum illud , & ingeneroſum vicium , de quo Paulus loquitur , nempe Philautia , qua quisque ſibi nimis placet. Ut , ſi quis ſuis vitiis diſſimulatis , & non inſpectis , tantùm aliorum errata in reprehenſionem rapit , id quod natura nobis inſitum eſt , nec eo liberari poſſumus , licèt regenerationis lavacro tincti ſimus , ut nobis pulchri videamur , carentes omni nævo , & macula , noſmet excolentes , & ornantes , & quod boni in nobis eſt , videntes , illóque nos ſuperciliosè titillantes , quaſi noſtrum ſit proprium. Atque ut prorſus ſoli pulchri ſimus , non videmus , quæ virtutes , & dona ſint in proximo ; ſed , ea omnia ex oculis removemus , & invento alicubi ulcuſculo , replemus & paſcimus oculos , ídque ita malitiosè & virulentè exaggeramus , amplificamúsque , ut præ eo , nihil boni videamus : quamvis vitæ ſanctimonia ,* G

Luth. in cap. 7. Matth. Tom. 7. Lat. Witeb.

H

A *nia, & integritate, vel Ariſtide incorruptior, imò potiùs quovis angelo ſanctior eſſet. Sicut ſi quem aureo amictu indutum conſpicerem, & futura quædam fortè fortuna albo filo commiſſa eſſet, in quam oculos intenderem, quaſi hoc ipſo tota veſtis omninò reſpuenda eſſet, egóque me in toga mea modico auro ornata ſuperbè, & magnificè efferrem.*

Talium ergo oculorum judicium ſequentes, non niſi in detractionem, & maledicentiam, & perverſa judicia incidimus, alienam vitam arrogantiſſimè inſectantes. Et hujus tragœdiæ inter Chriſtianos choragus, & auctor eſſe conſuevit diabolus, donec eò rem deduxerit, ut nil inter eos reliquum maneat, quàm vitam judicare; ſicut in doctrina quoque fieri ſolet, quò Chriſti regnum (quod unanime, tranquillum, & pacatum regnum eſt) cùm in vita, tum in doctrina juxtà diſcerpatur, & illius loco tantùm diſcordes ſectæ, arrogantia, & contemptus regnent.

B Notavit & olim Lucianus hoc calumniatorum genus, qui infirma duntaxat proximi explorant, & per ea viam ad calumnias ſibi ſternunt; comparans illos cum iis, qui urbem quampiam occupare cogitant. Καθάπερ γὰρ ἐν πολιορκίᾳ ὅτι ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ, καὶ ἀπόκρημνα, καὶ ἀσφαλῆ τῶ τείχους προσίασιν οἱ πολέμιοι, ἀλλ' ἐν ᾗ ἀφύλακτόν τι μέρος, ἢ σαθρὸν αἴσθωνται, ἢ ταπεινὸν, ἐπὶ τοῦτο πάσῃ δυνάμει χωροῦσιν, ὡς ῥᾷσα παρεισδύναι, καὶ ἑλεῖν δυνάμενοι· ὅτω καὶ οἱ διαβάλλοντες, ὅ, τι ἂν ἀσθενὲς ἴδωσι τῆς ψυχῆς, καὶ ὑπόσαθρον, καὶ ἐυεπίβατον, τούτῳ προσβάλλουσι, καὶ προσάγουσι τὰς μηχανάς. καὶ τέλος, ἐκπολιορκοῦσι, μηδενὸς ἀντιτασσομένου, μηδὲ τὴν ἔφοδον αἰσθομένου. εἶτ' ἐπειδὴν ἐντὸς ἅπαξ τειχῶν γένωνται, πυρπολοῦσι πάντα, καὶ καίουσι, καὶ σφάττουσι, καὶ ἐξελαύνουσιν, οἷα εἰκὸς ἁλισκομένης ψυχῆς, καὶ ἐξανδραποδισμένης ἔργα εἶναι.

C *Quemadmodum enim in urbis obſidione hoſtes non aggrediuntur mœnia iis locis, ubi ſunt excelſa, prærupta & probè munita; ſed eam partem oppugnandam deligunt, quam advertunt eſſe infirmam, vel humilem, in eámque totis viribus irruunt, certi eam captu & expugnatu eſſe facilem: ſic & calumniatores id mentis adoriuntur & machinis ſuis quatiunt, quod infirmum, & ſubputre, & ſuperatu proclive vident; tandémque expugnant, nemine repugnante, aut impreſſionem ſentiente. Et cùm ſemel intra muros pedem intulerunt, omnia incendiis, cædibus & exiliis vaſtant, ùt fieri moris eſt occupato jam animo, & in ſervitutem miſerabiliter redacto.*

D Nec prætereundi arietes, quibus calumniator audientis animum expugnat. quorum hic eſt Catalogus. *Impoſtura, mendacium, perjurium,* προσλιπάρησις, *obſecratio & obteſtatio, impudentia,* καὶ ἄλλα μυρία ῥᾳδιουργήματα, *& alia infinita ſcelera,* E ἡ δὲ μεγίστη πασῶν ἡ κολακεία ἐστὶ συγγενὴς, μᾶλλον δὲ ἀδελφή τις ἔσα τῆς διαβολῆς. *Primas verò tenet adulatio, cognata, vel potiùs ſoror calumniæ.* Benè ac probè calumniatorum baliſtas ſcriptor iſte vel nominavit, vel inſinuavit; quibus Lutherus omnium calumniatorum hujus temporis anteſignanus, inſtructus fuit. Quis enim illo fallacior & fraudulentior? Quis mendaciloquentior? Quis magis perjurus? Quis in obſecrando & obteſtando infatigabilior? Quis impudentior, & frontis attritioris? Quis major aſſentator apud illos, quibus ſuas calumnias & ſycophantias venditabat? Quàm dulcia, quàm mellea promebat verba apud ſibi ſuísque Sycophantiis obnoxios?

F Non eſt ſilentio involvendum, quod Lucianus monet, in aulis ac palatiis Regum ac Principum præcipuè vigere calumniam: Non opus multis probationibus. Res liquere videtur, etiam tacente Luciano, tametſi non tacente. An non & in Hæreſeos aula regnat calumnia? Hæreſeos aula eſt Lutheraniſmus. Hæreſeos aula eſt Calviniſmus; Anabaptiſmus, Swenckfeldianiſmus; & quidquid reliquorum monſtrorum reliquum relinquitur. Bone Deus, quantus hic campus calumniæ; quibus ſe mutuò lancinant hæreſeos Aulici Lutherani, G Lutheranos; Lutherani, Calvinianos; hi, illos; Anabaptiſtæ utrosque; univerſi Anabaptiſtas; Nulla pax, nulla fides, nullus candor, nulla ſinceritas in hac Aula, etiam reſpectu eorum, qui ejuſdem ſunt nominis ac ſectæ. Nam ſi quis Lutheranus Prædicans paulò ſublimiùs ſcandiſſe vel ſcandere velle videatur, ut ſymmyſtis ſuis præjudicium creare poſſit, quibus machinis non appetitur; ut & viciſſim ſymmyſtæ ab illo, ne altiùs provehantur, & cornua erigere incipiant? Exempla ubique ſunt in promptu, & ſi nullum aliud nôſti, vel Lutherum & Carlſtadium; Hunnium & Huberum intuere.

H Dixerit quis. Non ſemper Hæretici, Sacerdotes, Monachos & Jeſuitas calumniantur. Eſt, cùm & viros bonos atque adeò profeſſione Catholicos audias non admodum honorifice de iſtis loquentes. Hîc reſpondendi labore liberabit me Lucianus in aureo illo libro ſuo περὶ τῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ, *non facilè credendum calumniæ*, qui liber utinam hodie non in Typographiis; ſed in omnium cordibus imprimeretur. Lucianus igitur hanc ipſam objectionem ſibi objiciens: ἀλλ' ἀξιόπιστός ἐστιν ἐνίοτε ὁ διαβάλλων ἀνὴρ, τότε ἄλλα δίκαιος καὶ σωφρὼν εἶναι δοκῶν, καὶ ἔχρην προσέχειν αὐτῷ, ὅτε μηδὲν ἂν τοιοῦτο κακουργήσαντι. *At verò is, qui calumniatur, eſt vir*

A *est vir aliquando fide dignus, cæteráque justus ac intelligens videtur, & fides ei erat habenda, tanquam nihil præter fas molienti.* Respondet Samosatensis. ἆρ' ἔν τῷ Ἀριστείδῃ ἔσί τις δικαιότερος; ἀλλ' ὅμως κἀκεῖνος συνέσυ ἐπὶ τὸν Θεμισοκλέα, καὶ συμπαρώξυνε τὸν δῆμον, ἧς, Φασιν, ἐκεῖνος πολιτικῆς Φιλοτιμίας ὑποκεκνισμένος· δίκαιος μὲν γὰρ ὡς πρὸς τὲς ἄλλες Ἀριστείδης· ἄνθρωπος δὲ καὶ αὐτὸς ἦν, καὶ χολὴν εἶχε, καὶ ἠγάπα τινὰς, καὶ ἐμίσει. καὶ εἴγε ἀληθής ἐσιν ὁ περὶ τῷ Παλαμήδες λόγος, ὁ συνετώτατος τῶν ἀχαιῶν, κἂν τοῖς ἄλλοις ἄρισος, τὴν ἐπιβελὴν, καὶ

B ἐνέδραν ὑπὸ Φθόνε Φαίνεται συντεθεικῶς κατὰ ἀνδρὸς ὁμαίμε, καὶ Φίλε, καὶ ἐπὶ τὸν αὐτὸν κίνδυνον ἐκπεπλευκότος. ἔτως ἔμφυτον ἅπασιν ἀνθρώποις ἡ περὶ τὰ τοιαῦτα ἁμαρτία. τί γὰρ ἄν τις ἢ τὸν Σωκράτην λέγοι, τὸν ἀδίκως πρὸς τὲς Ἀθηναίες διαβεβλημένον ὡς ἀσεβῆ, καὶ ἐπίβελον; ἢ τὸν Θεμισοκλέα, ἢ τὸν Μιλτιάδην, τὲς μετὰ τηλικαύτας νίκας, ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς ἑλλάδος ὑπόπτες γενομένες; μυρία γὰρ τὰ παραδείγματα. καὶ σχεδὸν, τὰ πλεῖσα ἤδη γνώριμα. *Num aliquis Aristide est justior? Nihilominus & iste insurrexit in Themistoclem, & plebem in eum concitavit, tactus, ùt ajunt, gloria, ejus, qua in Republica florebat. Jus-*

C *tus quidem erat Aristides, sed tamen homo erat, bile præditus, qui nonnullos amabat, quosdam oderat. Et si verum est, quod de Palamede fertur, tum videmus prudentissimum Græcorum, tametsi cætera optimum, insidias ex invidia struxisse, & laqueos tetendisse viro cognato & amico, & bellicorum discriminum consorti. Sic omnibus insitum est ad hæc talia vitium. Quid Socratem commemorem injustè impietatis & insidiarum apud Athenienses postulatum, aut Themistoclem, aut Miltiadem, qui post tam præclaras partas victorias inciderunt in suspicionem, quasi Græciam prodere tentârint? Infinita sunt hujus generis exempla, & vulgo nota.* In hoc Luciani responso adquiesco, neque ullum verbum ampliùs de hac objectione addo.

D Sexta causa, cur calumniatores tam ubertim, ùt herba irrigua, hac nostra tempestate succreverint, est sceleris hujus impunitas & immunitas: ùt enim alia malefacta multiplicantur licentia & impunitate; ita & calumniandi prurigo & cacoëthes eadem ratione amplificatur & diffunditur. Si vigeret vetus illa legum in calumniatores severitas, & mos publicè illos cædendi, præcone acclamante, ἐσυκοφάντησας, pauciores mox comparerent, plerísque evanescentibus, & in tenebras absque mora sese abstrudentibus.

CAPUT III. E

Quales sint calumniatores, de quibus hactenus dictum.

AUdivimus suprà ex Luciano calumniatorem non esse virum bonum; sed impium, injustum, iniquum, & cujus consuetudo utentibus sit damnosa ac noxia. Sed Lutherus, Miseni avus, expressioribus nobis pigmentis Calumniatores depingat oportet, ídque in gratiam sycophantæ & decrepiti criminatoris Misenici. Luth. in cap. 5. Matth.
Quid ergo Lutherus? *I. Et hi* (Lutherus, Calvinus, Misenus) *verè Diabolo prognati sunt, cui etiam inde nomen est inditum, Diabolus, hoc est, calumniator & criminator, quippe, cui voluptati est, ut probrosissimè nos vituperet, & nos inter nos amarulentissimè exulceratos exasperet.* Si judicio Lutheri ex cacodæmone progeniti sunt, qui vitia aliena, suorum obliti, scrutantur, traducunt, efferunt & exaggerant; quantò magis ejusdem furvi genitoris filii censeri debent illi, qui atrocissima de innocentibus confingunt, & conficta disseminant; eo fine, ut illos evertant, vel saltem communi omnium ludibrio & detestationi objiciant? *Et hi quidem verè Diabolo prognati sunt*, ut Lutheri verba repetam.

F *II. Isti sunt araneæ verè venenatæ, ex pulchra & amabili rosa, nil nisi merum venenum sugentes, & tam florem, quàm succum perdentes, ex qua apis tantùm mel longè dulcissimum sugit, flore incorrupto relicto. Non secus quoque faciunt linguæ venenatæ, quæ nihil aliud in aliis conspiciunt, quàm ubi infirmi sunt, aut impuri, quod in reprehensionem rapere queant, dissimulatis, quibus præditi sunt, virtutibus. Quemadmodum quisque mortalium multis virtutibus ornatus est, quas diabolus nequit perdere, attamen ex oculis hominum submovet, & obscurat, quò minùs videantur, &c. Quorsum ergò spectat, quod virtutibus submotis, & exclusis tantùm vitiosa spectamus? atque ea tantùm, quæ contaminata sunt, ob oculos ponimus? quasi voluptati nobis esset, alterius tantùm podicem, (honor sit auribus) intueri, cùm Deus ipse corporis membra maximè inhonorata, potissimùm texerit, &c.*

G Si isti sunt venenati aranei, qui ex aliena vita maculas tantùm & labes excerpunt, aliísque ad intuendum proponunt; quid sentiendum erit de illis, qui ipsi sibi crimina, quæ calumnientur, fingunt & fabricant, ùt millies fecit Lutherus, sexcenties Misenus?

H *III.* Tales calumniatores sunt porci. *Et nos* (Lutherus, Misenus, similes) *ejusmodi porci sumus*, inquit Lutherus, *ut tantùm, quidquid spurcum est, fœdum & sordidum, indagare studeamus, & in eo, more porcorum, volutamus.* Si porci sunt calumniatores, qui ex festuca trabem faciunt, & nil, nisi quod repre-

A hensionem mereatur, ex vita aliena libant, quid tandem erunt illi, qui non criminantur crimina in proximi vita reperta, sed à se calumniosissimè excogitata?

IV. Calumniatores isti laborant fœdo & Diabolico morbo. *Naturâ fœda illa & Diabolica voluptas nobis est insita*, inquit Lutherus, *pessima quæque de proximo audiendi & lorquendi, qua quisque semet ridens titillat defectu aliquo in alio conspecto.* Si hæc est Diabolica voluptas, defectu verè in aliquo animadverso, quantò magis erit Diabolica voluptas, defectu vel potiùs facinore immani & flagitio infami de proximis fraudulenter & impostoriè conficto, sese titillare?

B *V.* Hujusmodi calumniatores laborant vitio muliebri. *Siquidem huic vitio*, inquit Lutherus, *muliebre genus peculiariter est obnoxium, quod aliàs ad fœdissimum detrahendi piaculum vehementer propensum, & proclive est, ut non rarò pestiferæ alicujus linguæ adminiculo multa malorum agmina inducantur. His exaugendis adminiculo sunt amaræ illæ, & pestilentes mulierculæ, quæ verbum aliquod de alia auditum, ita acuunt, augent, amplificant, & exulcerant, erga alias, ut nihil possit dici, aut excogitari virulentius, ex quo deinceps persæpe cædes, & maximæ calamitates oriuntur.*

Si vitium muliebre est indignum viro, carpere, lancinare, lacerare; quale vitium erit illud non veros defectus evulgare & exaggerare, sed prorsus commentitios, eósque non modicos, verùm capitales ex cerebro suo exsculpere, palámque, ùt sinceriſsimam veritatem, omnibus obtrudere?

C *VI.* Calumniatores isti sunt cœci in alienis virtutibus, vitiísque propriis cernendis. *Non vident manticæ, quod in tergo est. Tanta cæcitate corripimur*, inquit Lutherus, *ut neque nos, neque proximum rectis, & sanis oculis intueamur. Nam, quod primum nobis faciendum erat, ut, juxta Delphicum oraculum, nos ipsi nosceremus, & nostros defectus animadverteremus, non facimus, sed habemus nubem obductam oculis, qua hebetatur visus noster, ut nobis pulchri videamur, donum aliquod in nobis cernentes, quo proximus non est præditus. Et hoc ipsum obstaculo nobis est, non videntibus, quod in proximo boni est. Alioquì enim nunquam non tantum inveniremus boni, quantum jam defectus ipsius videmus, quod equidem nobis placere deberet, & ejus gratia defectus simul incurrentes boni consulendi, sicut nobis ipsi placemus; neque gravatim quod in nobis deest, in optimam partem interpretamur.*

D *Ita non videmus propria vitia, quibus non ferendis, neque nominandis scatemus & mademus, nec in aliis quidquam boni perspicere possumus. Hoc naturale malum si Christianos invaserit, tum improba judicia, & censuræ se agminatim promunt; quibus fit, ut alterum protinus fastidiam, & condemnem, vel modicè errantem, & infirmum existentem.* Si isti sunt cœci, quantò rectiùs cœci & excœcati judicantur, Calumniatores primi generis, qui nova sibi crimina architectantur, quibus innocentes gravissimè onerent ac proscindant? E

VII. Calumniatores isti committunt *flagitium calamitosissimum*, quia ùt Lutherus dicit, *in universo terrarum orbe flagitium calamitosissimum est illa vagissima, criminosissimáque detractio, ac alienorum scelerum reputatio. Nam cætera peccata contaminant, & perdunt agentem solummodo; detractor verò miser ac damnabilis, aliorum etiam peccatis sordidari habet, atque damnari, id quod hoc argumento cognosces. Quò major est in peccatis delectatio, & complacentia, hoc enormior est culpa. Peccator autem cùm in totum propter commissa flagitia verecundatur, séque ipsum pro injusto judicat & redarguit, vellet à nemine sciri, atque hoc modo peccati dedecus quantocyùs aboleri; cùm ecce detractor advolans in eandem cœni voraginem prolabitur, inibique socia alacritate veluti sus semet volutat, avidè gaudens, esse admissa scelera, quæ laccrare, dijudicare ac deridere gratulatur. Proinde dixi, quòd qui libenter obloquiis, & detractioni vacat, neminem rectè diligit, sed est communis inimicus humanæ naturæ, ad instar Diaboli. Nihil enim plus amat, quàm audire, narrare, vellicaréque scelera, & dedecora hominum, quorum exhilaratur, ac pascitur malis. Cui autem hæc pestis cordi est, is profectò nil boni optat homini, sed magis eidem infortunium imprecatur, quod & ipsi denique imprecatori mercedis loco præstabitur.* F Luth. in explan. orat. Dom. tom. 7. Lat. Witeb.

Si calamitosissimum flagitium est, ùt G ait Luthierus, etiam vera proximi peccata divulgare ac disseminare; quo nomine indigitabimus illud calumniatoribus tam solenne scelus, cùm, quæ neque sunt, neque fuerunt, scelera & flagitia de innocentibus per summam sycophantiam publicant non tantùm sermone, sed & chartis, ut calumnia eò sit stabilior, & infamia inde redundans, eò diuturnior? *Hi*, inquit Lutherus, *Græcè Diaboli, Latinè criminatores, Hebraicè Satanæ, Teutonicè* **Achter kleppers** *nominantur. Breviter, hoc est maledictum agmen, quod omnes canino dente rodit, contemnit, execratur, idque totum sub specie boni facere vult videri. Quæ quidem Diabolica, Gehennalis, & profligatissima vexatio, jam, proh dolor, per universam Christianitatem crudelius multò, quàm unquam quævis pestilentia grassatur, invalescit, innumerabilésque linguas veneni contagione corrumpit. Neque tamen hoc ipsum, quod apud Deum lamentabili querimonia deponi debet, ulla vel sollicitudine, vel vigilantia attenditur.*

H *Adhuc tamen obtrectatores isti aliud commiscuntur*, inquit Lutherus, *proximisque suis in superliminari portarum frontispicio Diabolum depingunt, ac veluti quidam encaustæ se se candefaciunt dicentes: Ohe, nunquid non verum est? Cur ergo non dicerem, cùm sic se habeat rei*

A *rei veritas? Ego, id ipsum vidi, & procul dubio novi.* RESPONSIO; *Et, te quoque peccâsse, verum est. Cur non etiam tua scelera profiteris? Quandoquidem universam tibi proferendæ veritatis provinciam esse commissam, vis videri? sin autem tua vis flagitia silentio celare, itidem naturali lege, & aliis facere curato. Nec tamen, etiamsi verum, quod dicis, esset, meliore es conditione, nequam, proditor, & sanguinis venditor, qui sæpenumero miscellis etiam hominibus nimis verum deblaterant.*

B Si Lutherus adeò nullam excusationem accipit ab illis, qui vera quidem crimina, sed modo indebito ac illicito propalant; quantò minùs ullam excusationem admissurus fuisset ab illis, qui argumentum & materiam calumniandi ipsi sua in officina sibi cudunt; neque promunt id, quod verè factum, sed id, quod ab illis nefariè confictum est?

C Verùm enimverò, cùm Lutherus in omnis generis calumniatores, & sycophantas usque adeò severus sit ac rigidus, non injuriâ percontetur quis, quî factum fuerit, ut hac severitate & hoc rigore erga se ipsum, toties & tam immaniter, impotenter & petulanter calumniantem non fuerit usus. Hanc quæstionem solvit ipsemet Lutherus: *quia mihi*, inquit Lutherus, *tanquam prædicatori & doctori ad hoc vocato demandatum & injunctum est, dare operam, ne quis falsa doctrina seducatur, &c. & mearum partium est palàm peccantes reprehendere, quò ducti pœnitentia resipiscant:* hoc est, ut obscuriùs dicta clariore commentario illustrem; lex de non calumniando non pertinet ad me, sed ad alios solummodo; nec mihi lata est; sed aliis. Itaque sive in Papam, Cardinales, Episcopos, Clericos, Monachos; sive etiam in ordines politicos calumnias plena manu jaciam, nihil in ullam legem naturalem, divinam vel humanam committo; quia exceptus sum ab illo, qui me vocavit. Et quod ei nomen? Græcè nominatur *Diabolus.* Latinè, *Calumniator.* Hebraicè, *Satanas.* Germanicè, Teuffel. Verùm nos his missis, amplectamur, quæ nobis contra calumniatores subministrat Lutherus; nam quòd iis planè contraria gessit; & Princeps Calumniatorum hac ætate fuit, id nemini insolens videri debet; quia proprium fuit Luthero dicta sua suis dictis, & facta sua suis factis; vel facta dictis; vel dicta factis infringere ac evertere.

D VIII. Illud denique calumniatoribus solenne ac propemodum essentiale est, propter unius vel alterius, paucorúmve vitam non ex honesti præscripto institutam, sed flagitiis aliquibus vel sceleribus inquinatam, omnes universim ejusdem status & ordinis traducere; ipsámque itidem professionem vilipendere ac repudiare: cùm nil vulgatius & verius sit illa D. Hieronymi in Vigilantium assertione: *Paucorum culpa non præjudicat religioni:* ipséque Lutherus, nihil minus ferre quiverit, quàm ut de sua doctrina, statúque Lutheran-evangelico ex quorundam sui gregis lapsibus judicium fieret. Quapropter cùm nescio quo in symposio quidam ei cujusdam Lutherani seu scelus seu flagitium occineret, Lutherus mirabili prorsus & stomachosissimo responso repulit, ut videre est in Colloquiis Convivialibus ad calcem tituli de cælibatu Sacerdotum: & notum est, quomodo idem Lutherus exceperit Sebastianum Francum, quantumvis Evangelico spiritu copiosissimè afflatum, cùm Luthero & Lutheranis morum dissolutionem, & vitæ labes objeciisset. E Tom. 8. Jenen. Germ. præf. in Dialogum Frederi contra Sebast. Francken.

F *Cùm videris sacerdotem indignum*, inquit S. Chrysostomus, *ne traducas sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum, qui re bona malè utitur. Quandoquidem & Judas proditor fuit: verùm, non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus: nec crimen est sacerdotii; sed, malum animi. Et tu igitur, ne sacerdotium vitupares, sed sacerdotem malè re bona utentem. Etenim si quis tecum disputet, dicátque; Vidisti illum Christianum? respondeto; & ego non de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non artem tamen vitupero, sed malè utentem arte. Quot nautæ malè rexerunt navigia? Verùm, non ars navigandi mala est, sed illorum animus.* Si Christianus fuerit improbus, *ne incuses professionem, ac sacerdotium, sed re bona utentem malè.* S Chrys. hom. de Ozia Rege tom. 1.

CAPUT IV.

Cur tantus sit eorum numerus, qui Calumniis & Calumniatoribus faciles & patulas aures præbent.

G DIximus περὶ τῦ διαβάλλοντος, de Calumniatore: Sequitur altera hujus scenæ persona, nempe, auditor. Nec sat scio, uter in graviore culpa hæreat, Calumniator an auditor. Nam si auditores tam proni ad calumnias audiendas non essent, si vultu severo aliísque rationibus à calumniis fundendis alios absterrerent ac cohiberent, pauciores calumniatores exsisterent. Nunc cùm videant se ubique aures tam secundas & apertas invenire, mirum non est, si multiplicentur; quia benevolentia & humanitas audientium alit & auget artes & artifices, non modò liberales, sed & illiberales, in quibus est & hæc ars sycophantica & calumniatoria.

H Prima porrò causa, cur tot hoc ævo calumniatorum auditores numerentur, eadem est, quæ cur omnia calumniatoribus redundent. Nimirum hæresi hoc in acceptis referri debet. Hæresis hoc beneficium in Ecclesiam & Rempublicam Christianam

A ſtianam contulit: ùt enim Hæreſis numeroſos Calumniatores generat, ita iisdem numeroſos auditores exſuſcitat. Non ſolùm Magiſtri, ſed & Hæreticorum diſcipuli, atque adeò univerſim omnes Hæretici pruriunt auribus. Haud gravatè igitur admittunt, qui eas molliter ſcalpat. Quis autem molliùs ſcalpit, quàm calumniator ſuâ calumniâ, cui cognatam vel potiùs ſororem, adulationem ſeu aſſentationem adjungit; ùt ſuprà ex Samoſatenſi audivimus. Et hac aurium prurigine comprehenduntur illa tria, quibus Lucianus cauſam tribuit, cur tam multi támque libenter ac promptè calumniis audiendis vacent. Πρῶτον μὲν, τὸ Φιλόκαινον, ὃ Φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, καὶ τὸ ἀλόγιστον. ἔπειτα δὲ, τὸ πρὸς τὰ παράδοξα τῶν ἀκουσμάτων ἐπόμενον. ἐ γὰρ οἶδ' ὅπως ἡδόμεθα πάντες λαθρηδὰ, καὶ πρὸς τὰς λεγομένας, καὶ μεσὰς ὑπονοίας ἀκούοντες. οἶδα γοῦν τινας ἔτως ἡδέως γαργαλιζομένους τὰ ὦτα ὑπὸ τῶν διαβολῶν, ὥσπερ τὲς πτεροῖς κνωμένους.

B *Primum eſt rerum novarum cupiditas* (qua Hæretici tantopere flagrant, ut inde *Novatorum* nomen trahant) *quæ omnibus naturaliter ineſt. Secundum*, veterum ſatietas *ac nauſea* (qua inſigniter quoque Hæretici laborant; quibus omnia nova, mel: omnia vetera, *nautea*) *tertium eſt propenſio illa animi ad audiendum paradoxa & inopinata. Neſcio enim, quomodo omnes tacitè oblectemur, cùm res ſuſpicionibus plenas narrari audimus. Novi quorundam aures tam ſuaviter calumniis titillari, ac ſi penna ſcalperentur.*

C Hos igitur affectus, quando calumniator in animo auditorum reperit, nullo negotio totum hominem occupat, & ad ſuas partes pertrahit: & cùm noſtro tempore iſti morbi apud Hæreticos potiſſimùm regnent, fit, ut, cùm à calumniatore quopiam fabula aliqua apportatur, certatim arripiatur, & in omnes partes diffundatur, præſertim ſi ſit de illis, vel contra illos, quos peſſimis modis oderunt, perditósque cupiunt.

D Quid fabularum à triginta annis non eſt à calumniatoribus in Germania, Belgio, Gallia & Polonia, ſcriptum, cuſum, pictum, fictum, ſcalptum, ſculptum, in æs inciſum, & quoquoverſus contra Jeſuitas divulgatum? Quanto applauſu eorum, quibus ſycophanticis γαργαλισμοῖς nihil accidere poteſt jucundius? Ut unda undam, ita fabula trudit fabulam, calumnia calumniam, & ſycophantia ſycophantiam. Nec vel manum verterint, licèt ad falſitatis cubilia perveniatur, & innocentiæ teſtimonia publica à Regibus, Principibus & ampliſſimis Rebuspublicis concedantur: imò mox ad aliam ſtropham technámque architectandam ſeſe convertunt. Vix E
fictitius Jeſuita Henricus Antverpienſis circumvolitare deſiêrat; cùm ecce à novo fabulone novum plaſma in publicum protruditur, Monachii in templo D. Michaëlis, puellæ primùm quidem vim; poſtea necem quoque illatam; peremptam, è veſtigio eodem in templo fuiſſe tumulatam. Totum hoc viſum à tabellario, poſt carecta, poſt ſedilia, inquam, latente, & dormiente, & ad tam nefarium & flagitioſum facinus obſtupeſcente & exhorreſcente. Quæ calumnia tam eſt tetra, tam malè formata & conflata, ut ſi hæreſeos naturam, calumniis, etiam inſulſiſſimis, fidem libentiſſimè habere ſolitam, ignoraremus, ingens admiratio nos ſubiret, exiſtere potuiſſe, quibus tam horribile commentum veriſimile accideret. Nunc poſtquam hæreticorum ad calumnias captandas tam proclivis, quin & præceps genius, optimè nobis perſpectus eſt, non miramur, mendacium hoc breviſſimo tempore omnes propemodum Germaniæ & Bohemiæ angulos percurriſſe, támque benignis auribus ubique acceptum, quàm benignas nunquam obtinebit veritas. Et quamvis paulò pòſt Sereniſſimus F
PRINCEPS MAXIMILIANUS, utriusque Bavariæ Dux, &c. & ampliſſimus civitatis Monacenſis Senatus publicis literis palàm innocentiæ noſtræ teſtimonium perhibuerint, id tamen calumniatores, eorúmque auditores ſusque deque habent; illis, in eo duntaxat occupatis, ut quamprimùm novo dramate ſuos exhilarent; his verò ad venturam calumniam, inſtar lari ad eſcam, hiantibus, & nil aliud deſiderantibus, quàm ut ſimili pabulo indeſinenter ſaginentur. Hactenus de prima cauſa, eáque multiplici, cur calumniatoribus à tam multis tam cupidè & ſtudiosè opera detur.

Secunda cauſa eſt illa, quam indicat ſanctus Paulus, cùm vocat Hæreticos, *homines averſos à veritate; ad fabulas autem converſos.* nam qui à veritate averſus eſt, is inſitam quandam veritatis recipiendæ repugnantiam habet: qui verò ad fabulas converſus eſt, is inſita quadam aptitudine, promptitudine & facilitate ad fabulas in mentem ſuam admittendas præditus eſt. Cùm igitur hæretici noſtri ſint homines à veritate averſi, ad fabulas autem converſi, nil à ſua indole alienum faciunt, ſi fabulis quàm citiſſimè & agillimè aures mentémque patefaciant, veritati autem & hanc & illas peſſulis & ſeris occludant. G

Et hæc eſt genuina & primaria cauſa, cur H
calumnioſæ fabulæ tam celeriter varias urbes, imò & Provincias pervagentur, & incolarum depravatos animos inſideant: quia ad fabulas converſi ſunt, fabulas exſpectant, fabulas expetunt, fabulas reſpectant.

A ctant. Ut ergo flamma, cùm in arentem sylvam incidit, breviſſimo temporis ſpatio longè latéque omnia corripit & devaſtat, propter habilitatem materiæ ad incendium: ita cùm calumnia quæpiam, tametſi ex puris putis mendaciis conſuta, ab aliquo calumniatore emittitur, confeſtim reperit ſedes, ubi recipiatur accommodatiſſimas, eorum nimirum mentes, qui à veritate averſi, ad fabulas autem, ad calumnias & criminationes, ad obtrectationes & oblocutiones toto pectore converſi ſunt.

B Et ex hac ad fabulas converſione, & à vero averſione, contingit etiam, ut ad mendaces calumnias tenaciſſimè adhæreſcant, arduúmque prorſus negotium ſit, fabulam tali cuipiam eripere, & veritatem cordi ejus inſerere. Ut enim difficillimum eſt ignem extinguere, qui jam pleno, ut ſic loquar, ore, exſuccam, & probè exſiccatam materiem depaſcitur, propter convenientiam mutuam *ſubjecti* & ignis; ita laborioſum prorſus negotium eſt, Hæreticis ad fabulas converſis criminatrices fabulas eripere; quantumvis licet abſurditas earum & mendacitas in propatulo verſetur, nullósque fugiat, niſi qui falſitatis dulcedine deliniti oculos ad veritatem reflectere nolunt.

C Quid Apologiarum non eſt exaratum publicatúmque Latinè, Gallicè, Germanicè depellendis calumniis, quas Calviniſtæ cuderant, ut nos ex Galliarum regno exturbarent? An non ipſe Chriſtianiſſimus Rex HENRICUS IV. eaſdem abundantiſſimè & factis & verbis refutavit, cùm Societatem non modò in Galliam reduxit; ſed & novis Collegiis ornavit, & auxit, & ut à principibus & civitatibus Regni Gallicani ornaretur, & augeretur, clementiſſimè permiſſit? An non eandem Societatem hodie prorſus paternè fovet ac tuetur? Num ideo Hæreticos creditarum calumniarum, quæ in nos effuſæ erant, pœnitet? Num idcirco Miſenus aliíque ſtylum & animum mutant? Nihil minùs. A veritate averſi ad fabulas converſi manent. Quid cum D his incipias? Quomodo à veritate averſo veritatem perſuadeas? Facillimum foret, ſi faciem à falſitate ad veritatem ſibi retorqueri ſineret. Sed reluctatur. Nullum hújus reflexionis inſtrumentum tolerat. Illud potiùs ſtudet, ut, condita recenti calumnia, ſuos novo commento exhilaret, ùt facit Miſenus in ſordido ſuo Poëmate, qui Venetam ejectionem nobis exprobrat. Sed hujus exprobrationis nos nunquam aut pigebit, aut pudebit; quia maluimus amittere ditionem Venetam, quàm obedientiam & reverentiam Sedi Apoſtolicæ debitam. Cur autem hactenus noſtri in Venetas Provincias non ſint revocati; equidem neſcio; Hoc mihi conſtanter perſuadeo, id non factum culpâ aliquâ Societatis, culpâ, inquam, E Societatis verè culpabili: Nam quid judicio hujus vel illius in hoc vel illo ſit culpabile, id parùm moratur etiam avus Miſeni Lutherus, cùm multa ex ſiniſtro affectu aliter, quàm deceat, æſtimentur, indignúmque prorſus ſit, ut, ſi quis ſive verum, ſive falſum judicium formet de hoc vel illo, id in totius Ordinis præjudicium derivet.

Tu, mi Lithe, ne, oro, te crucies & con- F ficias propter hanc cauſam Venetam. Committe rem Deo, & nobis, quos propiùs tangit, quàm te. Cùm olim nobis inſultares propter Galliam, monui, ut ſtultiloquentiam tuam occluſiorem haberes. Cataſtrophen enim fore lætam & exoptatam. An non vera præſenſi & prædixi? Equidem tam vera præſenſi & prædixi, ut & tu & tui Prædicantes ſine gemitu de hac Cataſtrophe cogitare vel ſermocinari nequeatis? Quid ni eundem eventum & hîc ſperemus? Nobis, ſi neſcis, omne ſolum patria eſt. Tu, ſi ex Palatinatu ejicereris, quò te conferres? Num in Miſniam? Num in Marchiam? Num in Saxoniam? Vix credo; quia ſemel periculum evaſiſſe lætaris. Mente repoſtum circumfers illud: *Fruſtrà Neptunum accuſat, qui bis naufragium facit.* Angliam vel Scotiam, vel Galliam cogitare, ſuperfluum eſt homini onerato annis, familia, nepotibus & neptibus; cui non promptum dicere illud planè Philoſophicum: *Omnia mea mecum porto.*

Similis ratio eſt aliarum calumniarum, G quæ de Jeſuitis ſparſæ vel nuper vel olim fuêre. I tu, & exime Hæretico cuipiam, non eſſe in rotam actos Cracoviæ aliquot Jeſuitas ſub invictiſſimo & religioſiſſimo Rege *Stephano*, licèt Illuſtriſſimus Elector Moguntinus, ex cujus ditione profecti ferebantur; nullos Moguntia in Poloniam ablegatos palàm profiteatur, & ipſe inclytus Rex Stephanus, & cum Cracovienſi civitate Capitaneus ejusdem urbis, publicis litteris teſtentur, nihil ſimile unquam vel Cracoviæ, vel in finitimis Cracoviæ locis cogitatum vel auditum, nedum factum. Unde hæc falſi aſſenſus in iſtis pertinacia, niſi quia à vero ſunt averſi, ad fabulas autem, hoc eſt, ad calumnias & criminationes ementitas converſi? Taceo de aliis fabulis, quarum nec finis eſt, nec modus; nec erit, hæreſi ſuperſtite, quæ hac calumniarum eſca ſe ſuásque res ſuſtentat.

Tertia cauſa. Ad multiplicationem eo- H rum, qui calumnias avida aure combibunt, & in intima præcordia demittunt, multum facit nimius ille amor in hæreſin, & quaſi Zelotypia, qua plerique omnes ſectarii accenſi ſunt. Hinc enim naſcitur odium in omnes, qui pulchram illam amaſiam execrantur, & ut omnibus execrationi ſit, omnibus machinis allaborant. Ex

hoc odio exiſtit facilitas credendi, quæcunque de his hæreſeos adverſariis in medium proferuntur, etiamſi malè cohæreant, & apertis pſeudologiis ſcateant: nam de eo, quem quis antea oderit, perquam pronum eſt, omnia dedecora, flagitia & facinora ſibi perſuadere, à quocunque demum, & quocunque ſchemate colorata evulgentur, præſertim accedente illa, quamvis vera exiſtimatione talem eſſe hoſtem ejus, quod tu efflictim ames ac depereas. *ἀνυσιμώτατον γάρ ἐστι τὸ εἶδος τῆς διαβολῆς τὸ ὑπεναντίον τῆς τοῦ ἀκούοντος ἐπιθυμίας. Efficaciſſimum calumniandi genus eſt id, quod audientis cupiditati adverſatur*, inquit Lucianus.

Quapropter calumniatores ſedulò obſervare ſolent, quonam maximè afficiatur & oblectetur audientis animus. Quod ubi obſervârunt, calumniam tali propenſioni adverſam ſtruunt. Hinc quia Sycophantæ videbant olim Alexandro Magno nil gratius jucundiúsque accidere poſſe, quàm ut Hephæſtion Deus haberetur, & ùt Deus coleretur; ſi quem calumniari, & in odium Alexandri adducere inſtituerant, id potiſſimùm proferebant, Hephæſtionem ab illo nec Deum cenſeri, nec ùt Deum coli. Quod nil aliud erat, quàm pupillam oculi Alexandri tangere. Idem genius eſt hodiernis calumniatoribus. Sciunt ſuis gregalibus nil eſſe optatius, quàm ut hæreſis conſervetur, longéque ac latè propagetur. Huic ergo deſiderio oppoſitas calumnias fingunt, utpote valdè irritabiles & mordaces, nimirum, Catholicos, & cum his Jeſuitas, obſtare, ne hæreſis amplificetur; neque hoc ſolummodo; ſed & ad eam extinguendam pro viribus conferre, quidquid eorum ſit opis ac facultatis. Et quia accuſatio hæc eſt vulgaris, & quam in nullo probro deputant Orthodoxi; ſtimulos & aculeos addunt, quibus auditores magis irritentur & incendantur, inter cæteros etiam hos; eos operam dare, ut ſublata quiete publica & pace, hæreſis armata manu opprimatur contra pacta conventa Imperii. Qua calumnia audita, quid auditor aliud accinat, quàm illud Antéæ Homericæ; *τεθναίης ὦ πρόϊτ' ἠ κάτανε Βελλεροφόντην. Morieris Prœte, vel occide Bellerophontem.* ὁ δὲ ἀκούσας, inquit Samoſatenſis, *ἐυθὺς μύωπι διὰ τοῦ ὠτὸς τυπεὶς, διακέκαυται, ὡς εἰκὸς, καὶ ἀπέσκαπται (τὸν διαβαλλόμενον) ὁ περιμείνας τὸν ἀκριβῆ ἔλεγχον.* &c. *Auditor ceu Oeſtro in aures immiſſo excandeſcit, & eum*, (qui calumniam ſubit) *averſatur, non exſpectatâ legitimâ accuſationis cognitione.* Et quidquid poſtea afferatur; *jam concluſum eſt.* Jam aures ſunt oppletæ & obſeratæ. Quod ſemel credidi, credidi, ajunt iſti; non demuto ſententiam.

Perfidè calumniatur in ſua Satyra & in Oratione Miſenus, noſtros, præſertim, quando ab aliis ſegregati ſpiritalium rerum conſiderationi vacant, *inſtitui ad cædes Regum, Principum, aliorúmque procerum intrepidè patrandas ritu Aſſaſinorum, quos olim Syria progenuit.* Quo mendacio, quid enormius? Et tamen non deſunt, qui cum plauſu id excipiant, exceptúmque & animo inſculptum, nulla ratione ſibi eripi ſinant.

Inter alias calumnias, quas nuper Polycarpus Lauſerus in præfatione geminis concionibus Pragenſibus præfixa effutivit, etiam hæc non eſt in poſtremis habenda. *Jeſuitas Viennenſes incendiſſe proprium Collegium, cùm inſtituto neſcio quo ludo, imaginem Hunnii jaculis ignitis peterent; jacula enim ignifera aliò delata, incendium illud excitâſſe, totámque ædium ſtructuram in cineres redegiſſe.* Et quia periculum erat, ne parùm calumniari videretur, ſi unam duntaxat calumniam proferret, è veſtigio aliam ſubjicit. *Jeſuitas de induſtria domum ſuam flammis ſubjeciſſe; cùm enim vilioris ſtructuræ eſſet, quàm ut ipſis arridere poſſet, neque tamen, formidine communis offenſionis incurrendæ demoliri auderent; hanc ab illis rationem initam, ut faces ſubderent, aptiores miſericordiæ, quàm offenſioni ciendæ: neque enim illos ignorâſſe, unde & ex quibus loculis Collegium exuſtum repararent. Et hac ratione à præcipuo quodam viro Jeſuitas excuſatos eſſe*: qui præcipuus vir videtur mihi eſſe Polycarpus, qui forſan Lauſero Jeſuitas hoc modo purgavit. Aut ſi non eſt Polycarpus, veriſimile mihi fit, eſſe Lauſerum, primarium ſcilicet virum, qui tali Apologia conflagrationem illam apud Polycarpum excusârit. Sed ad rem.

Utraque calumnia tam ab omni veriſimilitudine abhorret, ut in ipſo, ut ſic dicam, frontiſpicio ſuo vanitatem evidenter præ ſe ferat, quam tamen averſi à veritate, & converſi ad fabulas non animadvertunt; ſed ùt à Lauſero proficiſcitur, abſque ulla vel diſquiſitione vel inquiſitione arripiunt, imísque medullis imprimunt. Nam ut à poſteriore criminatione incipiam, cui niſi à calumniis obſeſſo, probabile fiet, Jeſuitas ultrò & ſponte ſua Collegium incendiſſe, cum præſenti periculo totius viciniæ, & cum amiſſione totius ſupellectilis, & concremationè nobiliſſimæ & inſtructiſſimæ Bibliothecæ, & jactura tot Commentariorum, quos incolæ illius Collegii in ſcholis vel dictaverant, ùt magiſtri; vel à dictantibus exceperant, ùt diſcipuli. Ut taceam, flammam illam adeò fuiſſe repentinam & inexſpectatam, ut æger quidam ex valetudinario vix illæſus extrahi potuerit, parúmque abfuerit, quin cum ædibus cinis & favilla fieret. Adeóne ſtulti & excœcati erant, ut antequam flammas tectis ſubjicerent, res ſaltem chariores & pretioſiores

res non efferrent; & in tuto collocarent?

A Quis nisi fungus sibi persuaderi sinat, viros literatos & literarum professores, Hebraicis, Græcis, & Latinis codicibus locupletissimam bibliothecam adeò flocci fecisse, ut, cùm eam eripere possent, in fumum abire permiserint; & ut abiret, ipsimet Auctores & incentores fuerint. Nam ut domus reædificari, útque supellex reparari queat, quando tamen & unde tam nobilis librorum thesaurus reparabitur? Quando hoc tam grande damnum resarcietur? Nôrunt docti, quàm arduum sit, fermè dixeram, impossibile, etiam bene nummatis, etiam principibus viris, instaurare bibliothecam, ita, ut verè nobilis & insigniter instructæ Bibliothecæ nomen mereatur. Et licèt nostri Viennenses totum pretium, quod ex Bibliotheca illa divendita redigi potuisset, in promptu hac hora, & in numerato haberent; non possent tamen eam restituere, cùm res eò rediêrit, ut multos libros adipisci nequeas, licèt triplum vel quadruplum pretium offeras.

B Dicebat olim Lucianus, calumniatores sedulò cavere, ne calumniæ suæ *ἀπῳδόν τι καὶ ἀλλότριον*, *absurdum quidpiam & alienum*, à fide scilicet, admisceant. Hoc nostris Sycophantis non est curæ. Securi de credulitate audientium, quidvis, quamvis ab omni probabilitatis specie remotissimum, & absurditatis plenissimum lœdoriis suis attexunt, gnari jam tempus illud advenisse, quo homines vultum à veritate avertunt, & ad fabulas convertunt.

C Adeò autem hoc, quod de incensa Bibliotheca includitur in calumnia sponte exusti collegii, absurdum & à fide abhorrens est, ut arbitrer, nullum fuisse, qui non libentissimè, etiam per medias flammas, irruisset, si irruptione sua libros salvos præstare licuisset. Ego sanè ita comparatus sum; ut, si quod Deus avertat, incendium excitaretur eo in Collegio, in quo dego, non defugerem ullum laborem, quò libri voracibus flammis eriperentur. Quis enim post spiritualia bona, nulli rogo obnoxia, pretiosior thesaurus homini litterarum studioso, quàm libri? Quis non malit alterius cujusvis ex utensilium numero, jacturam facere; quàm librorum?

D Nec plus verisimilitudinis habet prima calumnia: similis illi, olim ab Auctore Apiarii & aliis Novatoribus vulgatæ, & per Germaniam ditatæ de incendio Monacensis armamentarii, quod calumniabantur natum ex pyra, qua Jesuitæ Lutherum & Lutheranos libros suo in Collegio longissimè à loco incendii dissito, concremâssent. Nuperi calumniarum fabri paulò aliter fabulam concinnârunt. Nimirum, *Jesuitas, ut animos relaxarent, drama dedisse, cujus actores Gretserus & Hunnius inter se disputantes. Hunnii postea imaginem tanquam in certamine victi & prostrati, missilibus ardentibus fuisse impetitam; & hinc horribile illud incendium ortum.* Quæ fabula magna gratulatione Austriam, Stiriam, & circumjacentes Provincias pervasit, simúlque etiam nobilem virum Wolffgangum Grasser Græcensis urbis Prætorem involvit, tametsi immeritò, quasi hoc ipsum ad amicum quendam Augustam Vindelicorum perscripsisset. Quam falsissimam criminationem Senatus civitatis Archiducalis Græcii, cùm alias nonnullas Prædicantis *Odontii* lœdorias & pseudologias publico testimonio refellisset, hanc itidem refellendam censuit, sequentibus verbis: **Nicht weniger kommet uns verwunderlich für, daß ein stirnloser Mensch, er habe Nahmen wie er wölle, von der leydigen beschehenen Wiennerischen Feuers-Brunst, in welcher der Herren** Patrum Societatis JESU **daselbst erbautes** Collegium **im Rauch aufgangen, wider alle Menschliche Vernunfft, auf die Bahn gebracht, und in solchem falschen Wahn zu einem Behelff unser hiesigen Herrn Stadt-Richter, den Edlen und Vesten Herrn Wolffen Grasser ausgeschryen, als wann dieser beschehenen Brunst Particularität er von Grätz aus, einem zu Augspurg zugeschicket haben solte, welche Particularität also lautet:** Wegen des Feurs, so in Wienn in der Jesuiter Collegio auskommen, habe ich bey hiesigem Stadt-Richter zu Grätz ein Particularität, so mir von Wien geschickt worden, gelesen; nemblich, daß sie am Sonntag Quasimodogeniti ein Procession gehalten. Nach demselben haben sie den Hunnium und Gretserum introduciret, und ein Postcolloquium instituirt. Als endlichen Hunnius von dem Gretsero überwunden worden, haben sie ihne zum Feuer condemnirt, und in Saal sein effigiem gestellt, welche zum verbrennen præparirt gewesen, haben sie Rageti lassen anzünden, und daraus schiessen. In dem sie nun mit dem Hunnio umgehen, und aus Frolocken jubiliert, und das Te Deum laudamus singen, schickt es GOtt wunderbarlich, daß ein Rageti in ein Zimmer, darinnen sie ihre Proviant, als Speck, Schmaltz, Oel, und dergleichen Sachen gehabt, kommen ist, hebt es an zu brennen, und kommet das Feuer allernächst darbey in ein Gewölb, darinnen sie, wie man sagt, in die 12. Thonnen Pulffer gehabt, vor dem Thur, und an das Gebäuwerck, und zündet das gantze Collegium an, daß ihr Bibliotheca sampt ihren Privilegiis alles verbrunnen. Und wie sie, die Jesuiter selbst, disen Schaden in die 12. Thonnen Golts schätzen thun, wann dem also, so ist es ein augenscheinliche Straff GOttes. So weit diese Particularität.

Hierüber der Ehrwürdig Herr P. Ferdinandus Alberus, **der Zeit** Rector **zu Wien, uns mit einem Lateinischen Schreiben ersucht, und gebetten, von gemeltem unserm Herrn Stadt-Richter bey seinem Gewissen zu fragen, ob er sich solcher Particula-**

A ticularität zu erinnern habe, welchem nit unzimblichen Begern wir stat gethan. Darüber hat mehr gedachter Herr Stadt-Richter im gantzen versambleten Rath, bey seinem Gewissen, sub juramento, ausgesagt, und deponirt, daß ihme ein solche Particularität niemaln zukommen, hab auch von keinem einigen Menschen dergleichen, wie, und was gestalt dise Brunst auskommen, gehört. Nun ist / vermög eines Ehrsamen Magistrats zu Wien Warheit, Zeugnuß und Kundschafft, eines so schand- und lästerlichen Gedichts, dessen nit allein in Wien kein Andeutung, noch Gedächtnuß, sonder so gar auch von solcher angestelten Procession, und beschehenem Colloquio nie-
B maln einigen Ruff noch Reden gehört, oder auskommen, in massen auch dergleichen Vorstellung des Hunnii oder Gretseri weder zu Wien, noch anderstivo im wenigsten nie attentirt, noch zum Werck gezogen worden. Dises haben wir also hiemit zu Schutz der Warheit, und Stürtzung der ausgesprengten Lugen vom Paulo Odontio, als von der erlittnen Feuers-Brunst in Wien, wie sonders auch zu Anzeigung eines danckbaren, und allezeit wol geneigten Gemüths gegen allen, und jeden der Ehrwürdigen Societät JEsu zugethanen Herrn, und Priestern, so sie um uns gar wol, und anderstivo vielfältig verdienet, mit disem unsern offnen Brieff, und Gezeugnuß, sollen, und wöllen gegen männiglichen urkunden, und bezeugen, neben fürgedruckten unserm grossen Stadtsigill. Beschehen in der Fürstlichen Stadt Grätz in Steyermarck, den 28. Augusti, Anno 1607.

C Hactenus verba testimonii, quo Senatus Græcensis sparsam de incendio Viennensi calumniam retudit.

D Non absimilis est calumnia, quæ nuper Gallicè, & mox Germanicè in theatrum publicum venit. Dederant nostri Lugdunenses, anno superiore, in Augusto Tragœdiam *de extremo judicio.* Accidit fortè, ut altero die tempestas existeret, fulménque turrim quandam procul à Collegio dissitam tangeret, (tametsi absque gravi damno,) cœlo jam per aliquot dies, nubiloso, pluviásque, & propter summum æstum, etiam tonitrua, & fulgura minitante. Ex hoc casu & dramate, arripuit Calvinianus quidam quadruplator occasionem genio suo indulgendi, hoc est, mentiendi & calumniandi. Itaque præter innumeras alias pseudologias & lœdorias, quas effutivit, etiam hanc fœcundo ex pectore extrusit: *multos Actorum ita fuisse terrore perculsos, ut postea lethali morbo contracto, animas exhalârint, idque minimùm de novenis vel denis constare; Et in his numerari eum, qui Christi, & eum, qui Luciferi personas gesserint: idque ob propinquitatem delapsi fulminis; incidisse enim in domum vicinam Collegio Jesuitico & theatro.* E
Et ne Germania hoc mendaciorum & criminationum thesauro careret, repertus est, qui Genevensis circulatoris chartam in Germanicum sermonem transferret, quamvis suppresso nomine. Sed vanitatem hanc Gallico scripto, publicè redarguit is, qui consessus illius pars fuit *Andreas de Gaule:* Eúmque vera scripsisse; tenebrionem verò Calvinistam, insigniter mentitum & calumniatum esse testati sunt subscriptione sua Reverendissimus Dominus *Suffraganeus* Lugdunensis; amplissimíque viri *Seneschalcus* Lugdunensis, ejusdémque urbis *Præfectus & Senatores.* Num erubescunt Novatores? Quomodo rubesceret seu erubesceret frons vel facies, in qua nihil sanguinis? Acuta porrò est illa Calvinistæ collectio. *Pluit, tonuit, fulmen cecidit, Jesuitis tragœdiam* F *de extremo judicio in scenam mittentibus: ergo Tragœdia illa fuit causa pluviæ, tonitruorum & fulminum.* Acumine non abludit hæc consecutio ab illa in veterum scholis trita: *Socrate ambulante pluit, tonuit, cœlúmque ignibus micuit; ergo Socratis ambulatio fuit causa pluviæ, tonitruorum & fulminum:* Scilicet, ut Socrate non ambulante pluvia, tonitrua, & fulgura non exstitissent, ita nec Lugduni eadem orta fuissent, si Jesuitæ à dramate illo abstinuissent. Egregiè prorsus & peritè. Nunquam evenit, ut, dum Calvinianus iste Geneva Lugdunum iter faceret, cœlum magno murmure misceretur, & in pluvias resolveretur? Num instituta profectio tempestatis causa fuit?

Confert idem Lauserus in mendaciloquentissima sua præfatione causam tumul- G tuum Polonicorum in Jesuitas. Idem asserit anonymus Calvinista proprio super hac re scripto, & non ita pridem evulgato. Sed pro Societate stat Rex & præcipui Procerum illius Regni; qui nostros non modò retinent, sed & tuentur ac fovent: nunquam id facturi, si Jesuitas pro seditionum flabellis & pro cornicinibus ad Martem haberent. Auguratur ille Calvini sectator, pacem nunquam in Polonia solidè & constanter coituram, nisi expulsis Jesuitis: tum Saturnia & planè aurea ac gemmea reditura secula.

Mihi in præsenti nil aliud occurrit, quàm H ille apud Libanium apologus. *Lupi* (Calvinistæ) *petebant ab ovibus* (Catholicis) *pacem & quietem. Atque hæc, ajebant, dies magnorum bonorum causa futura est, & nobis, & vobis. Poterimus enim liberati à malis, inter nos absque omni formidine convenire. Quare, fœdus faciamus. Ut autem spes sit, firmum hoc fore, neque injuriâ aliqua mox violetur, improbos illos, & infestos canes vos abigere oportebit; nam & nunc illi omnia turbant, & in causa sunt, ut lupi vobis suspecti sint; sæpe enim prætereuntes tantummodo ovilia, prosilientes*

A tes allatrant. *At noſtrûm quidam vel inviti irritantur, & vobis moleſti ſunt. Quid igitur vobis opus canibus, pace cum lupis inita?* Quid factum? *Seductæ ſunt oves* (illæ Libanianæ, non illæ in Polonia) *eſt autem genus hoc plenum ſimplicitate. Tum canes contumeliosè repelluntur, & admittuntur lupi, ipſæque deſtitutæ, devorabantur.* Subnectit Libanius aureum Epimythium: *Inimicorum verbis non eſt fides habenda, ut illis credatur cuſtodia propria.* Et cum hoc, capiti huic finem impono: Audio enim R. P. Petrum Scargam, Regiæ Majeſtatis in Polonia Eccleſiaſten peculiari Apologetico has criminationes Lutheranas & Calvinianas diſpuliſſe.

CAPUT V.

Quales ſint, qui Calumniatoribus pronas aures præbent.

B Phil. lib. 6. de vita Apoll. c. 7. PUlchrè hoc nobis explicatum dabit Philoſtratus. Nam primùm, *amici ſunt mendaciorum.* πρῶτον μὲν ἀλώσονται ψευδολογίαν τιμῶντες, καὶ ἀξιῶντες αὐτὴν ὑπὲρ τὴν ἀλήθειαν. *Falſiloquentiæ amatores eſſe deprehenduntur, eámque veritati anteponere.* An non hæc calumniatorum nota inſigniter elucet in hæreticis?

Secundò, *leves ſunt & quovis dulci faciles.* εἶτα κηφότητα καὶ εὐαγωγίαν (δηλῶσιν) ἡττᾶσθαι δὲ τούτων καὶ μειρακίῳ αἰσχρόν. *Produnt levitatem & crudelitatem ſuam, à quibus vinci, etiam adoleſcentibus turpe eſt.* Quid levius noſtris ſectariis, quid magis credulum, quid magis præceps in complectendis pleno & firmo aſſenſu calumniis, licèt inſcitiſſimis, inſulſiſſimis, & ab omni veritatis ſchemate abhorrentibus?

C Tertiò, *invidi ſunt.* Φθονεροίτε δόξωσι διδάσκαλον ἀκοῆς ἀδίκως ποιούμενοι τὸν φθόνον. αὐτοί τε μᾶλλον ἔνοχοι ταῖς διαβολαῖς, ἃς ἐφ' ἑτέρων ἀληθεῖς ἡγοῦντο αἱ γὰρ τῶν ἀνθρώπων φύσεις ἑτοιμότεραι δρᾶν, ἃ μὴ ἀπιστοῦσι. *Invidi præterea videbuntur auditionis injuſtæ magiſtram invidiam facientes: cùm ſint ipſi calumniis digniores, qui de aliis allatas veras putaverant. Hominum enim natura, ad ea facienda, quæ non credit, promptior eſt.*

D Apertè igitur demonſtrant iſti calumniatorum tam benevoli auditores, ad quid faciendum propendeant, quando auribus uſque adeò pronis & arrectis à calumniatoribus accipiunt calumnias de proditionibus, de concitatis vel concitandis ſeditionibus, de patratis vel patrandis Regum cædibus, de adulteriis, ſcortationibus, & id genus aliis facinoribus & flagitiis.

Demonſtrat poſtea Philoſtratus calumniatoris auditorem ineptum eſſe, ut ſit Princeps vel Præſes populi; ineptum, ut ſit Judex, nauclerus, belli Dux, Philoſophus: μὴ τυραννεύσειεν ἀνὴρ ἕτοιμος, ταῦτα, μηδὲ προσαιη δήμῳ. τυραννὶς γὰρ καὶ ἡ δημοκρατία ὑπ' αὐτῷ ἔσαι. μηδὲ δικάσειεν. ὑπὲρ μηδενὸς γὰρ γνώσεται. μηδὲ ναυκληρήσειεν. ἡ γὰρ ναῦς, σασιάσει. μηδὲ ἄρξειε στρατῷ. τὸ γὰρ ἀντίξοον, εὖ πράξει. μηδὲ φιλοσοφήσειεν· ἅτως ἔχων. ὁ γὰρ πρὸς ταληθὲς δοξάσει. *Non tyrannidem exerceat vir audiendis calumniis promptus; neque popularem gubernationem gerat. Tyrannis enim, & populi gubernatio ſub ipſo erunt: (hoc eſt, indignationem quandam ex ipſo ſortientur:) neque judicet quidquam, de nullo cùm cognoſcat. neque navim regat: ſeditio enim in navi excitabitur. neque exercitui præſit: nam præclarè agetur cum adverſario. neque philoſophetur, qui ita diſpoſitus eſt. non enim verè de rebus opinabitur.*

Hæc de calumniatorum tam pronis, & morigeris auditoribus Philoſtratus, quibus non injuriâ ſummæ injuſtitiæ notam inurit Samoſatenſis ſcriptor, vel ob id, quòd alteram aurem τῷ διαβαλλομένῳ non reſervent vacuam. ἐσχάτης ἀδικίας τὸ τοιοῦτον, ὡς φαῖεν ἂν καὶ οἱ ἄριστοι τῶν νομοθετῶν, οἷον ὁ Σόλων, καὶ ὁ Δράκων, ἔνορκον ποιησάμενοι τοῖς δικασταῖς τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, καὶ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην τοῖς κρινομένοις ἀπονέμειν, ἄχρις ἂν ὁ τοῦ δευτέρου λόγος παρατεθεὶς, θατέρου χείρων ἢ ἀμείνων φανῇ. πρὶν δέ γε ἀντεξετάσαι τὴν ἀπολογίαν τῇ κατηγορίᾳ, παντελῶς ἀσεβῆ, καὶ ἀνόσιον ἡγήσαντο ἔσεσθαι τὴν κρίσιν. καὶ γὰρ ἂν καὶ αὐτοὺς ἀγανακτῆσαι τοὺς θεοὺς εἰποιμεν, εἰ τῷ μὲν κατηγόρῳ μετ' ἀδείας, ἃ θέλει λέγειν ἐπιτρέποιμεν, ἀποφράξαντες δὲ τῷ κατηγορουμένῳ τὰ ὦτα, ἢ τῷ στόματι σιωπῶντες, καταψηφιζοίμεθα τῷ προτέρῳ λόγῳ κεχειρωμένοι. ὥστε ὁ κατὰ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ νόμιμον, καὶ τὸν ὅρκον, τὸν δικαστικὸν, φαίη τις ἂν γίγνεσθαι τὰς διαβολάς. εἰ δέ τῳ μὴ ἀξιόπιστοι δοκοῦσιν οἱ νομοθέται, παραινοῦντες ἅτω δικαίας, καὶ ἀμερεῖς ποιεῖσθαι τὰς κρίσεις, ποιητήν μοι δοκῶ τὸν ἄριστον ἐπαγαγεῖν τῷ λόγῳ, εὖ μάλα περὶ τούτων ἀποφηνάμενον, μᾶλλον δὲ νομοθετήσαντα. Φησὶ δὲ μήτε δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, ἠπίσατο γὰρ οἶμαι καὶ ἅτος, ὡς πολλῶν ὄντων ἐν τῷ βίῳ ἀδικημάτων, ὃδὲν ἂν τις εὕροι χεῖρον, ὃδὲ ἀδικώτερον, ἢ ἀκρίτες τινὰς, καὶ ἀμοίρους λόγων καταδεδικάσθαι, ὅπερ ἐξ ἅπαντος ὁ διαβάλλων ἐπιχειρεῖ ποιεῖν, ἀκριτον ὑπάγων τὸν διαβαλλόμενον τῇ τοῦ ἀκούοντος ὀργῇ, καὶ τὴν ἀπολογίαν τῷ λαθραίῳ τῆς κατηγορίας παραιρούμενος. *Extremæ hoc iniquitatis eſt, ùt præſtantiſſimi legislatores Solon & Draco aſſerunt, qui judices jurejurando ad hoc adigunt, ut partem utramque*

A *que æqualiter audiant: & utrisque æquè benevolos se præbeant, donec alterius argumenta cum aliis comparata, deteriora vel meliora apparebunt. Judicium autem factum antequam defensio cum accusatione conferatur, omnino impium ac nefastum censuerunt. Etenim non immeritò existimet quis ipsos etiam Deos indignari, si accusatori quidvis impunè dicendi potestas concedatur, reo autem aures occludamus, vel eum tacendo condemnemus captì prioribus accusatoris probationibus. Itaque jure affirmabimus calumnias neque ex justitiæ, neque ex æquitatis, neque ex juridici jurisjurandi præscripto institui. Quòd si legislatores fide minùs digni videbuntur, cùm monent, ut sententia feratur justè & absque in partem affectu, poëtam testem producam, ita canentem, vel potiùs leges ferentem. Neque priùs sententiam feras, quàm utramque partem audiveris. Noverat, opinor, & iste, cùm multa sint in vita injustitiæ genera, nullum esse deterius & injustius, quàm aliquos non auditos condemnare, quod ante omnia calumniator conatur facere, quia eum, quem calumniatur, audientis iræ absque ulla causæ discussione & dijudicatione objicit, sublata se defendendi facultate propter occultam accusationem.*

B Quid accommodatius dici potest in nostros calumniatorum auditores? qui auditâ quapiam calumnia, utramque statim aurem liberaliter præbent, neque τῷ διαβαλλομένῳ, ùt par erat, alteram integram & incorruptam servant: Et quidquid postea calumniæ amoliendæ gratia adducatur, id ventis dant ferre in æquora; nec mente revolvunt dictum S. Bernardi, teste Luthero: *quòd detractor* (seu calumniator) *habet Diabolum in lingua; qui auscultat, in aure.*

Luth. in declar. populari Tom. 1. Lat. Witeberg.

C Apud Philostratum sic alloquitur Apollonius sodales suos Nilum & Thespesionem, quod Euphratæ calumniatori suo aures nimis obsequentes commodâssent. *Vobis Euphrates abstulit esse sapientes.* ὑμᾶς δ' εὐφράτης ἀφήρηται, καὶ τὸ σοφὸς εἶναι. ὃς γὰρ ψεύδει ὑπηγάγετο, πῶς ἂν ἔτοι σοφίας αὐτὸς ἀξιώσειαν, ἧς ἀπέσησε τῷ τὰ μὴ πιθανὰ πείσαντι. *Vobis igitur Euphrates abstulit esse sapientes: quos enim inanibus mendaciis seduxit, quo pacto se ipsos sapientia dignos putabunt, à qua absistunt, non verisimilia persuasi?*

D Dixerat suprà Philostrati Apollonius, *auditores calumniatorum non esse aptos ad Philosophiam; non enim rectè opinaturos*, hoc est, falsas, non veras sententias amplexuros.

Si consuetudo & prurigo calumnias audiendi auditorem ad Philosophiam ineptum reddit, quantò ineptiorem efficiet ad Evangelicam veritatem percipiendam, quæ longè ab effectibus pravis puriorem & expurgatiorem animum desiderat: Et tamen isti, qui à calumniatorum sermonibus toti pendent, præ aliis & supra alios Evangelici videri volunt, sibíque solis genuinam & sinceram Evangelii notitiam arrogant. E

CAPUT VI.

Remedia vitandi calumnias.

EA pertinent vel ad calumniatorem, F
vel ad auditorem, vel ad calumnias patientem. Principio calumniator Apollinis dicto: *Nosce te ipsum*, morem gerat, *atque in suum ipsius sinum inspuat. Et sicut Germani nostri dicunt: In tuum ipsius sinum manum insere, si hominem nequam quærere, & judicare volueris, tum maximum nebulonem, quem unquam terra tulit, invenies: & sic aliorum memoriam facilè depones, quo tibi liceat ex æquo discedere. Nunquam enim in alio tantum flagitiorum, quantum in te invenies. Nam, si multum in alio videris, tum unum atque alterum annum vides; in te verò, totam vitam, potissimum verò nefaria illa scelera, quorum alii sibi non sunt conscii, præquibus ipse tibi pudori es, atque infamiæ. Itaque si retro cogitaret, & semet diligenter excuteret,* ait Calumniatorum hujus temporis princeps Lutherus, *atque ab ipso lare sicut proverbio dicitur, inciperet, quàm turpiter, & deformiter ab ipsis cunabulis vixisset, & adolevisset, ejusmodi historiam inventurus esset, quæ illi nauseam movere possit, libenter in posterum de aliis tacituro:* Et non tantùm falsa non confícturo; sed & vera, si quæ sunt, proximi vitia non disseminaturo, nec dicturo, *Se vera dicere:* nam hæc excusatio est nihili; *quia verum debet verè dici, secundùm illud: Quod justum est, justè exequaris: ergo etiam verum sit mendacium, dum non ubi, quomodo, quando, cui, quantum dici debet, dicitur.*

Luth. in explic. quinti præcepti Tom. 1. Latin. Witeb.

Nec ullo modo tolerandum est, ut, qui G
alienam vitam judicare & calumniari instituunt, talia *velamenta & jactationes prætendant. Equidem illud nullo hominis odio, aut simultate facio, sed amore justitiæ. Hominem amo, causæ infensus sum. Et hoc demum bellè tales nebulones titillat sub honesto velamento, ut propriam trabem in oculo nunquam rescisant. Atqui, multò iniquissimum est, propria animi libidine, non accepto verbo, & mandato Dei velle judicare, ac deinceps gloriam Dei, & justitiam vocare, sed, Diabolicum est auctarium, quì hoc velamento suam improbitatem, & fœditatem tegit, & dissimulat.*

Luth. in cap. 7. Matth.

Quantò Christianæ professioni conve- H
nientius est, *ut proximi defectus & infirmitates portemus, tegamus, & exornare scianus. Et quanquam in eo aliquid perspicerem, quo non admodum delectarer, ut animum, & oculos meos reprimam, ac retraham, ne ipsum intuendo; qua re haud dubiè multa inveniam, aliis hominibus non placentia, quæque libenter velim alios in optimam partem interpretari, & benignè dissimulare. Hac ratione futurum est, ut philautiæ titillatio actutum reprimatur, quæ*

nobis

A *nobis vehementer placemus, infirmitates aliorum contemptim subsannantes & sapientissimi Momi mordacitas mox desinet, censuram relectura. Ecce hæc una esset ratio contra hoc execrandum, & detestabile vitium, scilicet ne tibi placeas, sed Deum ores, ut & tibi, & aliis clementer ignoscat. Deinde, quanquam aliquid mali à proximo committi videas, ne tamen ideo illum respuas, & condemnes; sed contrà potiùs ejus virtutes intuearis, ac tuis bonis, & donis illi opituleris, ipsum tegas, ejus peccata, quoad ejus fieri poterit, celes, illi consulas, & pro comperto scias, quòd, etsi omnium sanctissimus & illustrissimus esses, hoc ipso omnium fias deterrimus, si alium judicaveris:* multò magis si calumniis infectatus fueris. *Et ferè fit etiam, ut is, qui judicat* (& calumniatur) *majoribus peccatis & vitiis sit contaminatus, quàm alii.*

B Illud item menti subjici debet. *Nullum mortalium in tantum desperatè malum esse, quin in se habeat, quod laude dignum sit. Quorsum ergo spectat, quòd virtutibus submotis & exclusis tantùm vitiosa spectamus?*

C Secundum remedium, quo calumniator morbo suo mederi valebit, positum est in consideratione malorum, quæ ex calumniis nascuntur. *Nam rectè dictum est,* inquit Calumniatorum optimus, *quòd susurro seu detractor,* (seu calumniator) *sit ter homicida: tres enim uno ictu occidit, primò seipsum, deinde eum, cui susurrat* (& apud quem calumnias deponit) *tertiò, cui detrahit, quia os, quod mentitur, occidit animam, &c. Secundus occisus est ipse auditor detractoris; quia similiter peccat, præter hoc, quòd ad iram, id est, mortem eum inducit. Tertius, ipse passus est, qui cognito isto malo, similiter ruit in iram, id est, mortem, quòd si non ruit, non detractoris beneficium est, sed Dei. Fecit detractor, quantum in eo fuit.*

Luth. in explic. quinti præcepti Tom. 1. Latin. Witeb.

Quapropter non injuriâ nuncupantur calumniatores *ora Diabolica, aut etiam Diabolæ, quemadmodum ipse Diabolus, nihil aliud, quàm probrosum & venenatum os, hoc est, calumniatorium dicitur.*

Luth. in cap. 5. Matth.

D Sedulò insuper repudianda est illa Calumniatoribus solennis consequentia. *Hic vel ille hujus vel illius Ordinis hoc vel illud facinus flagitiúmve admisit; ergo omnes illius ordinis sunt facinorosi vel flagitiosi; ergo & ordo ipse respuendus & eliminandus:* ne in Dialectica quidem Lutheri valida est hæc consecutio: cui cùm suorum quorundam dissoluta vita fuisset objecta: sic rescripsit ad suum Spalatinum: *An illi nihil unquam designant mali? Et discipuli tulerunt Judæ Ischariotis opprobrium: & quotidie in communitatibus feruntur mali: soli nos sumus, à quibus exigitur, ne canis mutiat. Obsecro, ne speres, nos apologias singulis reddere, quibus displicebit Witemberga: quid enim impossibilius? Non ruet ideo Evangelium, si aliqui nostrûm peccant in modestiam,*

Luther. Tom. 1. Lat. epist. 251.

&c. Cur non spectat nostra meliora, & firmiora? cur spectat pejora, & infirmiora? E

Non ignoro, Lutherum alibi millies hac calumniatoria & sycophantica consequentia usum. Sed non curo hîc, quid ùt calumniator fecerit; hoc in præsenti duntaxat specto, quid ùt calumniatorum corrector faciendum monuerit: de quo extat etiam memorabile Lutheri documentum in symposiacis Colloquiis. Quis ordo salvus subsisteret, si tale argumentandi genus, ùt legitimum, reciperetur, & publicis suffragiis comprobaretur? Etiam de statu conjugatorum actum esset. *Nam plures longè videas lapsos ex conjugatorum,* inquit S. Chrysostomus, *quàm ex Monachorum ordine: neque enim tam multi ex Monasteriis ad matrimonia accedunt, quàm ex jugali thoro ad scorta se recipiunt.*

Tit. vom Ehelosen Leben / in fine fol. 330. a. b. edit. Franc. M. D. LXXI. S. Chrysost. lib. 3. contra Vitup. vitæ Monast.

Ergo Christianus & prædicator, inquit Lutherus, *semper desperet, omnes esse puros in sua Ecclesia, Diabolus semper habet suos intermixtos, qui data occasione erumpunt, licèt ad tempus dissimulent. Semper ex optimis pessima fiunt; sicut ex Angelis Diaboli: ex Christianis, hæretici, ex populo Dei, crucifixores Dei.* Es muß so seyn, darum unerschrocken und ungelassen. Es heist, *inter triticum,* Unkraut soll nicht allein wachsen unter Unkraut, sondern auch unter dem Waitzen. Der Teuffel will auch im Himmel sitzen, und mag nicht *deserta, & arida loca.* Er isset gerne niedliche Bissen, und thut gerne an reine Oerther, dann er hält seinen Unflat für Thessem und Balsam. Das reine Früchtlin will unter den Rosen wohnen. Wir müssens doch so leiden in der Kirchen.

F Luther. in cap. 13. Matth. Tom. 5. Lat. Witeb.

Auditorem calumniatorum his saluberrimis monitis instruit scriptor Samosatensis. τί ἂν χρῆναι ποιεῖν τόνγε νοῦν ἔχοντα, ἢ ἀρετῆς, ἢ ἀληθείας ἀμφισβητοῦντα; ὅπερ οἶμαι καὶ Ὅμηρος ἐν τῷ περὶ σειρήνων μύθῳ ἠνήξατο παραπλέειν κελεύσας τὰς ὀλεθρίους ταύτας τῶν ἀκουσμάτων ἡδονὰς, καὶ ἀποφράττειν τὰ ὦτα, καὶ μὴ ἀνέδην αὐτὰ ἀναπεταννύειν τοῖς πάθει προειλημμένοις, ἀλλ' ἐπισήσαντα ἀκριβῆ θυρωρὸν τὸν λογισμὸν ἅπασι τοῖς λεγομένοις, τὰ μὲν ἄξια, προσίεσθαι, καὶ παραβάλλεσθαι· τὰ φαῦλα δὲ, ἀποκλείειν, καὶ ἀπωθεῖν. καὶ γὰρ ἂν εἴη γελοῖον, τῆς μὲν οἰκίας θυρωροὺς καθίσάναι, τὰ ὦτα δὲ, καὶ τὴν διάνοιαν ἀνεῳγμένα ἐᾶν. ἐκειδὰν τοίνυν τοιαῦτα προσίῃ τις λέγων, αὐτὸ ἐφ' αὑτῷ χρὴ τὸ πρᾶγμα ἐξετάζειν, μήτε ἡ λιχίαν τῷ λέγοντος ὁρῶντα, μήτε τὸν ἄλλον βίον, μήτε τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀγχίνοιαν. ὅσῳ γάρ τις πιθανώτερος, τοσούτῳ ἐπιμελεστέρας δεῖται τῆς ἐξετάσεως. ἃ δεῖ τοίνυν πιστεύειν ἀλλοτρίᾳ κρίσει, μᾶλλον δὲ μίσει τῷ κατηγοροῦντος, ἀλλ' ἑαυτῷ τὴν ἐξέτασιν φυλακτέον τῆς ἀληθείας ἀποδόντα. G H

δόντα, καὶ τῷ διαβάλλοντι τὸν φθόνον, καὶ ἐν φανερῷ ποιησάμενον τὸν ἔλεγχον τῆς ἑκατέρᾳ διανοίας, καὶ μισεῖν ἔτω, καὶ ἀγαπᾶν τὸν δεδοκιμασμένον. πρὶν δὲ τοῦτο ποιῆσαι ἐκ τῆς πρώτης διαβολῆς κεκινημένον, ἡράκλεις ὡς μειρακιῶδες, καὶ ταπεινὸν, καὶ πάντων ἀχ ἥκιστα ἄδικον. ἀλλὰ τούτων ἁπάντων αἴτιον, ὅπερ ἐν ἀρχῇ ἔφημεν, ἡ ἄγνοια, καὶ τὸ ἐν σκότῳ πᾳ εἶναι τὸν ἑκάστᾳ τρόπον. ὡς εἴγε θεῶν τις ἀποκαλύψειεν ἡμῶν τὰς βίας, οἰχοιτο ἂν φεύγουσα ἐς τὸ βάραθρον ἡ διαβολὴ, χώραν ἐκ ἔχουσα, ὡς ἂν πεφωτισμένων τῶν πραγμάτων ὑπὸ τῆς ἀληθείας.

A

Quid igitur virum prudentem, & vel virtutis vel veritatis appetentem facere oportet? Illud, opinor, quod Homerus per fabulam de Sirenibus occultè insinuavit; cùm jubet, ut hujusmodi pernicioſas narrationum voluptates præternaviget, obturatis auribus, nec affectui obnoxiis aures prorsus patefaciat, ſed rationem velut ædium cuſtodem conſtituat, quæ omnia dicta examinet ac trutinet; & proba quidem amplectatur, improba repudiet. Ridiculum enim fuerit, ædibus janitorem præficere, aures autem & mentem perpetuò apertas relinquere. Cùm igitur exſtiterit, qui talia denarret; rem ipſam ſecundùm ſe perpende; nulla ætatis habita ratione; aut vitæ, quam alioqui agit, aut ſolertiæ, qua in dicendo pollet. Quò enim quis veriſimilius dicere videtur, eò accuratiùs dicta ejus diſcutienda erunt. Non oportet igitur alieno judicio, vel potiùs odio accuſatoris credere: ſed veritatis dijudicandæ & inveſtigandæ licentiam nobis reſervare, ita, ut calumniatori debitum reddamus præmium, nempe invidiam, qua gravetur; & ut utriusque mens, hoc eſt, tam calumniatoris, quàm calumniam paſſi manifeſta fiat, illúmque odio, hunc amore proſequamur. Antequam hoc fiat, ad calumniam, & quidem primo ſtatim auditu, concitari, perquam puerile eſt, & prorſus abjectum, & maximè iniquum. Sed horum omnium cauſa eſt, ùt initio dictum, ignorantia, & quod unjuſcujuſque mores tenebris ſint obvoluti. Itaque ſi quis Deus ſingulorum vitam in aperto collocaret, mox calumnia ad Orcum diffugeret, nihil loci reliquum habens, quippe unius cujuſque rebus jam à veritate patefactis. Hæc eleganter Lucianus.

B

C

Sibi etiam Auditor calumniatoris, ſcriptum exiſtimet totum illum Commentarium περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ. Quæ inſcriptio forſan rectior foret, ſi ab Auctore ſuo ita concepta fuiſſet; περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως ἀκούειν διαβολήν, vel potiùs περὶ τοῦ μηδαμῶς ἀκούειν διαβολήν. quia nihil eſt ſatius, quàm aures ad calumniatorum obloquutiones & obtrectationes penitus occludere.

D

E

τῷ διαβαλλομένῳ ſeu *calumniam paſſo* ſalutare pharmacum præſcripſit Redemptor noſter Chriſtus: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in cælis eſt* &c. Matth. 5.

F

Hæc de Calumnia. Si tibi hæc non ſatis, adi, Miſene, Orationem ſummi viri Lipſii de *Calumnia*, in quam incidi, poſtquam hæc à me ſcripta. Qui pulchrè *Aten* Homericam ad Calumniam refert; cujus verba: Finxit Homerus Aten quampiam Deam, à qua in populos derivatæ omnes noxæ. Quo fabulæ involucro Calumniam eum tegere, & tangere voluiſſe tam mihi certum, quàm loqui me nunc, & ſpirare. Nam ita deſcribit:

G

Pernicioſa dea (verba ejus preſsè interpretor) *quæ omnes offendit:*
Quæ terram non tangit, incedit autem per capita virorum.
Quæ Jovem ipſum læſit.

Per veſtram fidem, ullúsne pictor artifice ſuo penicillo, aut Orator ubere ſtilo, clariùs, expreſſiúsque ſignaverit germanam Calumniæ formam? Non opinor. *Quæ omnes*, inquit, *offendit*. nónne hoc ipſum eſt, quod doceo, paſſim, & omnes ab ea lædi? *Terram non tangit*. certè. rarò enim in viles, & humiles incurrit: ſed, quod addit, *incedit per capita virorum:* id eſt, ſumma petit, & ſummates. Denique, *Jovem ipſum lædit*. Quippeni? ſive, quia divinas quoque actiones calumniatur, & carpit; ſive, quod jam dixi, nec religionem immunem habet improbi ſui dentis. Atque hæ noxæ illæ ſunt, quas privatim adhuc ludit. Verè ludit, ſi cum iis compares, quas publicè patrat, & in Principum aulis. Hîc enim ei ſedes: hîc admiſſis equis laſcivit, & currit, ùt in ſuo circo. Hæc Lipſius.

H

FINIS.

APO-

APOLOGETICUS
JACOBI GRETSERI SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

Adversùs

LIBRUM,
QUI INTRODUCTIO IN ARTEM JESUITICAM INSCRIBITUR,

NUPER

A

GABRIELE LERMÆO,
CALVINISTA EDITUM.

SERENISSIMO
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FERDINANDO,
COMITI PALATINO RHENI,
UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCI,
ET ELECTORATUS COLONIENSIS
COADJUTORI, &c.

JACOBUS GRETSERUS SOCIETATIS JESU,
Gratiam & felicitatem à DEO precatur.

SOlent Hæretici, *Sereniſſime & Reverendiſſime Princeps*, veteri more & inſtituto, eos, cum quibus bella gerunt, hoc eſt, Orthodoxæ fidei propugnatores, variis calumniis & conviciis appetere, non modò privatim, ſed & publicè, libris in eum finem ſparſis, ut quos argumentorum pondere opprimere nequeunt, criminationum & mendaciorum mole proſternant. *Iſtæ machinæ hæreticorum ſunt*, inquit S. Hieronymus, *ut convicti de perfidia, ad maledicta ſe conferant. Sic Euſtathius Antiochenus Epiſcopus, filios dum neſcit, invenit. Sic Athanaſius Alexandrinæ urbis Pontifex, tertiam Arſenii amputavit manum; duas enim, qui mortuus prius fingebatur, vivens poſtea habere monſtratus eſt.* Eundem Hæreticorum genium diligenter etiam obſervavit & notavit Maxentius; cujus teſtimonium eò nobis fidelius & verius videri debet, quò certiùs ipſe vaferrimus Eutychianus noverat, quænam ſint Hæreticorum conſuetudines. *Cùm ſuæ*, inquit, *perverſitatis hæretici nequiverint reddere rationem, ad maledicta convertuntur: & propria in eos mala trajicientes, quos pravitati ſuæ ſentiunt inimicos, aditum ſibi per hoc ad decipiendos ſimplices æſtimant aperire. Agunt enim omnia calliдè, quò infamando Catholicos, & obtrectando ſuam valeant tegere turpitudinem; fingentes etiam adversùs eos quædam ſcripta ſub eorum nomine, qui videntur in Eccleſia eminere; quatenus omnium animos contra hos valeant facilè concitare.* Hæc ille, tam verè, ut ab ipſa veritate veriora exſpectanda non fuerint. Cujus vel hæc noſtra ætas teſtis; qua tot maledici & famoſi libelli paſſim circumvolitant, præſertim in nos, qui Societatis JESU inſtitutum ſequimur, in quos, ut quisque Hæreticus ſcommatis dentatísque & contumelioſis chartis maximè graſſatur; ita ſeſe Deo maximum obſequium præſtare arbitratur. *Hinc* Adverſarii *vulgus in odium noſtri nominis cogunt, ut nos incipiant homines odiſſe, antequam nôſſe; ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint*; ut quod de Dæmonum in Chriſtianos machinamentis ſanctiſſimus Martyr Cypria-

S. Hieron. lib. 3. in Ruffin.

Maxent. Apolog. pro Monach. Scyth.

Cyprianus ſcriptum reliquit,id ego ad hoſtium noſtrorum malevolentiam & maledicentiam transferam. *Sed non mirum, ſi Catholicos perſequuntur* falſorum dogmatum *patroni, cùm falſitas non poſſit non perſequi veritatem. Non mirum, ſi in Orthodoxos ſæviant, quibus poteſt cum cunctis hæreſibus convenire, & univerſis erroribus amici, non poſſint, niſi ſolis eſſe non errantibus inimici. Pravitatis complex non poteſt, niſi eum perſequi, qui eſt pravitatis inimicus.* Itaque nobis contingit, quod olim Iſraëlitis ab exilio Babylonico in terram lacte & melle manantem reverſis; altera manu ædificabant, altera tenebant gladios reprimendis hoſtium, imò calumniatorum inſultibus; quales enim calumnias Sanaballat, Tobias, Beſelam Mithridates & Tabeel adversùs Nehemiam, totúmque Dei populum, confinxerint, quantis eosdem mendaciis cùm apud alios, tum apud Reges Perſarum onerârint, cuivis ſacros Eſdræ libros evolventi manifeſtum evadèt. Pari modi & nos ob Hæreticorum in Ordinem noſtrum, calumniarum ſpiculis irruentium multitudinem & impudentiam, cogimur altera manu ædificare, hoc eſt, officia noſtra & miniſteria quotidiana obire: altera, gladios ſtringere, Apologiásque & defenſiones parare, quibus inimicorum impreſſiones repellamus, qui in id unum intenti ſunt, ut nos ab opere incœpto remorentur, invisósque cunctis mortalibus reddant, maximè Regibus & Principibus. Nec pudet eos, huic ſuæ improbitati, criminandique cupiditati boni publici ſtudium, & obſervantiam ſuam in Reges & Principes prætexere; imitantur enim gnaviter illos impoſtores, quorum hæc ſunt in epiſtola ad Artaxerxen plena ſycophantiis verba: *Nos memores ſalis, quod in palatio comedimus, & quia læſiones Regis videre nefas ducimus, idcirco miſimus & nunciavimus Regi*, &c. Quamvis autem meritò quemlibet conviciatorem refutare liceret, brevi illa oratione, qua Nehemias præcipuum ſuum Calumniatorem repulit; *Non eſt factum ſecundùm verba hæc, de corde enim tuo tu componis hæc.* Tamen, quia hac tam conciſa defenſionis ratione plerisque minùs ſatisfieret, ipsáque adverſariorum mentiendi prurigo oculis veri honeſtíque amantium tam perſpicuè non ſubjiceretur, neceſſarium eſt, ut ſingula ſigillatim excutiantur, quò omnibus liqueat, jam maximè adveniſſe ea tempora, quæ Apoſtolus vocat *periculoſa*, cùm propter alios ſceleratos, quorum ubique proventus longè uberrimus, tum propter criminatores; quos Apoſtolus nominatim, tanquam temporum illorum fructum, commemorat. Ex horum calumniatorum numero non infimus eſt Lermæus quidam, qui famoſo libello in Jeſuitas non ita pridem diſſeminato, *ad primum & ſolum opus*, ignotus priùs, *temeritate factus eſt nobilis.* Cujus convicia cùm ſuperioribus diebus refutâſſem, jámque inibi eſſet, ut Apologia in lucem exiret, non diu mihi circumſpiciendum fuit, cujus nomine inſcripto eam prænotarem & exornarem: Serenitatem V. *Sereniſſime* & *Reverendiſſime Princeps* FERDINANDE delegi. Cauſas percenſere ſupervacaneum fuerit, tam multæ, tam juſtæ, támque notæ ſuppetunt, ſive eas petamus ab Academia Ingolſtadienſi, quam tot annos Serenitas V. clariſſima ſua indole illuſtravit: ſive à Societate noſtra, quam à teneris amare, fovere, & tueri aſſuevit: ſive à munere, quod gerit; ſive à ſpe, quam apud omnes concitavit: ſive ab eximiis dotibus, quibus cœleſte numen Serenitatem V. cumulavit. Verè dicam, *Sereniſſime Princeps*, & quia verè, ideo & liberè. Cùm lego encomium S. Athanaſii optimi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Alexandrini, conſcriptum ab optimo & ſanctiſſimo Conſtantinopolitano olim Archiepiſcopo, Gregorio Nazianzeno, Serenitatis V. effigiem quandam mihi videre videor depictam à præſtantiſſimo illo Theologo, præſertim quando ad illa verba pervenio, quibus Athanaſium penitiùs & interiùs deſcribit. Sunt autem iſta: *Erat Athanaſius vita quidem ſublimis, verùm animo humilis, atque virtute, ut*

S. Cyprian. lib. de Idol. vanitate.

Symmach. Apologet. ad Anaſtaſium Imperatorem.

2. Eſdræ 4.

2. Tim. 3.

nemo ad eam adspirare posset: cæterùm ea comitate, ut ad ejus congressum facilè omnibus aditus pateret, clemens, ab ira alienus, miseratione præditus, sermone jucundus, moribus jucundior, forma angelicus, animo magis angelicus, in objurgando placidus, in laudando erudiendi vim habens, sic utrumque temperans, ut neutram virtutem immoderatione labefactaret; verùm & objurgatio paternam benevolentiam, & laudatio gravitatem atque auctoritatem præ se ferret, nec aut mollities, aut severitas fastuosa & importuna esset; quin potiùs illa humanitatis & clementiæ, hæc prudentiæ nomen haberet; utraque verò laudem sapientiæ obtineret. Hæc & alia hujus generis non pauca Nazianzenus in commendationem S. Athanasii, quibus mihi, ùt dicebam, Serenitatis V. expressa imago videtur. Quæ ut indies perficiatur, expoliatur, solidioribúsque & illustrioribus coloribus magis atque magis spectabilis & admirabilis reddatur, primùm ope & opera divinæ gratiæ, deinde studio Serenitatis V. suas quoque partes cum cœlesti gratia conjungentis, Deum immortalem ex animo precor, simúlque hanc Apologeticam lucubratiunculam Serenitati V. dico, & consecro. Ingolstadii Kalendis Martii 1600.

AD LECTOREM.

Eccles. 7. NOta est, *amice Lector, illa sapientissimi Salomonis sententia:* Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius. *In quæ verba S. Gregorius Nazianzenus:* Calumnia gravissimum malum est; hæc enim sapientium animabus insidias struit, ac generosam bonorum virorum constantiam, obluctationémque labefactare molitur. *Quibus significat, calumniam ita quidem comparatam esse, ut virum sapientem turbare, robúrque triplex circum præcordia atterere queat, attamen virum fortem & sapientem, contra audentiùs eundo, omnem calumniæ impressionem superare & debellare posse;* Est quædam in fabulis planta, *inquit S. Gregorius Nazianzenus,* quæ excisa floret, & adversùs ferrum certat, & morte vivit, & sectione pullulat, & cùm absumitur, crescit. Mihi verò, *ait Nazianzenus,* hujusmodi quiddam videtur esse vir philosophica, *hoc est, religiosa,* mente præditus; afflictionibus enim inclarescit, ac vitæ molestias *(& calumnias)* virtutis segetem existimat, contrariísque rebus ornatur, sic nimirum se comparans, ut nec dextris justitiæ armis efferatur, nec sinistris inflectatur: sed in diversis rebus idem semper suíque similis permaneat, atque adeò probatior, tanquam aurum in fornace, reperiatur. *Quod de singulis Nazianzenus verè affirmat, id de integro itidem Ordine non minùs verè asseri potest, præsertim de nostra Societate, quam tot undequaque calumniæ & calumniatores maledicentiæ jaculis appetunt, ut vix annus, imò vix semestre abeat, quo chartas infames in nos non evulgent, fandáque & infanda dissèminent. Et quamvis Ordini ab hujusmodi calumniatoribus nihil periculi immineat (quippe qui velut sol nebulam, fulgore suo tandem omnium contumeliarum quasi caliginem disjiciat) quia tamen hoc potissimùm seculo, (quo plerique* Magistros prurientes auribus, *sequuntur, &* à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur) *multi sunt, qui his mendaciis pascuntur, librósque in Jesuitas editos cupidissimè legunt, & aliis perlegendos obtrudunt* (neque enim quidquam mortalibus tam suave & jucundum est, quàm de rebus alienis garrire, *inquit Gregorius Nazianzenus) abs re non est, ut vicissim alii istos suis coloribus depingant, & quantos fumos mundo vendant, clarè demonstrent; nam calumniæ non sunt sùsque déque habendæ. Omittam plurima, quæ in hanc sententiam adducere liceret, & inprimis exemplum veterum Patrum, Athanasii, Cyrilli, Hieronymi, Luciferi Calaritani, Symmachi Pontificis, & aliorum, qui & ipsi Apologeticos libros, pro nomine & fama sua, aut aliena, adversus calumniatores publicârunt. Ipsorum Ethnicorum monita hæc sunt;* ὰ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν, ἐὰν ἂν σφόδρ' ἡ ψευδής. Calumnia negligenda non est, licèt valdè falsa sit. *Mox causa additur,* ἐπίσανται αὐξάνειν αὐτήν τινες, sunt, qui eam nôrint amplificare, & magnis incrementis adaugere; *Nihil verius. E vestigio enim advolant, qui commenta commentis addant. Subjungit Comicus.* δὶ ὃς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ' ὀρθῶς ἔχει. Propter quos rationi consentaneum est, ut hæc talia, *quantum licet,* vitentur & caveantur; *quod fit, dum convicia refelluntur, fraudésque & sutelæ Hæreticorum deteguntur & redarguuntur. Alius non Poëta, sed Orator seu Rhetor,* εὐλαβοῦ, *inquit,* τὰς διαβολὰς κἂν ψευδεῖς ὦσιν. οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι. Cave calumnias, licèt falsæ sint; nam multi veritatem ignorant, famáque & opinione ducuntur.

Nazianz. orat. in Maximum.

Nazianz. Apolog. 1.

Isocrates.

Porrò licèt non inficier, quod alius quidam verè scripsit: διαβολὴν καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεσθαι τοῖς ἀκούσι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστέραν γίνεσθαι, calumniam occasione oblata, firmam quidem suspicionem auditoribus injicere; temporis autem progres-

Demosthenes.

progreſſu, langueſcere & evaneſcere, *tamen donec deficiat & penitus intereat, multis exitium parit, inſtar peſtis, quæ & ipſa temporis diuturnitate non modò mitigatur, ſed & planè ſedatur; Et tamen antequam abeat & exſtinguatur, plurimos acerbo funere mergit, & niſi antidotus præſto ſit, lugendas ſtrages edit, neque ideo ſegnius parandis medicamentis plerique inſiſtunt, quia ſciant, contagionem illam aliquando ſopitum iri; quin potiùs eo ipſo, quòd peſtifera lues adeſt, variis pharmacis & amuletis adverſus venenatum malum ſeſe muniunt. Idem faciendum, cùm hæc calumniæ peſtis graſſari incipit; quandoquidem animis non minus nocumenti adfert, quàm illa corporibus. Neminem quidem fugit, quinam calumniarum tabe potiſſimùm inficiantur, id enim jam pridem Comicus veriſſimè docuit:* ὅσις δὲ διαβολαῖσι πείθεται ταχὺ, ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐσι τὰς τρόπας, ἢ παντάπασι παιδαρίῳ γνώμην ἔχει. Qui citò calumniis aſſenſum præbet, is aut moribus improbus eſt; aut puerilem animum gerit. *Nihilominus neque his medicina neganda eſt. Experientia enim comperimus, non paucos, notata & animadverſa adverſariorum impudentia, & ſumma calumniandi importunitate, meliora conſilia cepiſſe, & mutata velificatione curſum aliò inſtituiſſe. Quæ cauſa me impulit, ut hunc etiam calumniatorem Lermæum ſuſciperem refellendum; neque enim Medici, exorta peſte, antiquis decretis & conſtitutionibus contenti ſunt, ſed pro luis, quæ exorta, conditione, alia atque alia excogitant, præſcribunt, & obſervanda ſanciunt, neque idem ſemper malum eſt, quamvis ejuſdem nominis, nec iidem homines, qui eo malo inficiuntur, aut infici periclitantur; nec eadem adjuncta & circumſtantiæ. Quia verò jam aliquoties in hac arena depugno, & eaſdem criminationes ſæpiùs refello (etſi ùt quivis novus calumniator eſt, ita etiam novas non rarò calumnias adducit) operam dedi (& quoties neceſſe fuerit, dabo) ut eaſdem quoque calumnias non eadem ratione refutarem, ne Lector eadem lectitando, tædium conciperet. Oro autem cum S. Hieronymo*, quæſóque Lectorem, ut ſi paululò in proponendis diluendísque criminibus longior fuero, neceſſitati det veniam; non enim alterum accuſo; ſed me *(& Societatem noſtram)* nitor defendere, & objectam calumniam refutare. S. Hieron. lib. 1. in Ruff.

IN LERNÆUM HÆRETICUM.

MONSTRUM horrendum, informe, ingens, puto dixerat olim,
Deſcripſit formam qui, Polypheme, tuam.
Sed licuit priſcis portenta hæc fingere ſæclis,
Noſtris nulla licet fingere, vera vident.
Aſpice Lernæum: Monſtro ſpectabis in uno
Quicquid Lernæas ſibilat inter aquas.
Mille per exſertam diffundit toxica linguam,
Sed quò plura vomit toxica, plura coquit.
Lambit, & attactu fœdo ſacra quæque venenat,
Et cùm feſſa nequit lingua nocere, cupit.
Fallimur, enectam, qui Lernæ credimus Hydram;
Tu, Lernæe, vetas credere, Vivis adhuc.

APOLOGIA
PRO SOCIETATE JESU
CONTRA
GABRIELEM LERMÆUM CALVINISTAM.

CAPUT I.

Examinatur titulus libri; quæritur, undénam nomen JESUITÆ originem trahat. Quædam falſæ notationes & derivationes refelluntur.

A NE quid indiſcuſſum relinquamus, ordiri placet à titulo libri, qui talis: INTRODUCTIO IN ARTEM JESUITICAM, *in eorum gratiam, qui ejus artis myſteriis aut jam initiati, aut propediem initiandi ſunt, conſcripta.* Nomen *Introductionis* ſeu *Iſagogæ* Porphyrium mihi in mentem revocat. Fortè Lermæus noſter hac inſcriptione Porphyrius & fieri & ſalutari voluit: quod ſi ita eſt, equidem non invideo nominis hujus honorem; quin potiùs conſilium & propoſitum valde laudo; nam ex veteri dicto; *ſimilis ſimili gaudet;* non tantùm convictu & conſuetudine; verùm etiam inſtituto & nomine. Porphyrius deſertor fuit Chriſtianæ, hic religionis Catholicæ; & niſi me omnis conjectura fallit, Ordinis Religioſi. Nec deſertor tantùm fuit Chriſtianæ diſciplinæ Porphyrius; verùm etiam egregius calumniator; ſcriptis, publicatísque non paucis adversùs Chriſtum & Chriſtianos voluminibus; Competit & hæc Porphyriana nota Lermæo, qui brevi B

A hac Isagoge, quantus Catholicorum & JESUITARUM criminator sit, satis supérque docuit; Et si quid præmii studium mentiendi, & conviciandi mereretur; aut pritiendi, & conviciandi mereretur; aut primas obtineret iste, aut certè à primis proximas. Ergo, quod antea dicebam; id nunc repeto; tam præclaræ Introductionis scriptori, nomen Porphyrii optimo jure tribui censeo, & ut Calviniſtæ videant, me cum Lermæo planè liberaliter agere, *Malchi* etiam nomen eodem jure eidem dandum assero; cùm sit hæres ex asse Porphyrii; cui quidam *Malcho* nomen fuisse tradunt. Optandum certè fuisset, ut sicut Malcho illi summi Pontificis famulo, Petrus auriculam dextram amputavit, ita his duobus Malchis Isagogicis abscinderet Divûm quispiam manus dextras; ne tot in Deum blasphemias, & in homines innocentes contumelias effunderent.

B Sed satis de introductione & introductore; Videamus, quò nos iste introducat; *In artem*, inquit, JESUITICAM. Arbitror Typographum, qui hæc mortuo jam Lermæo, &, nisi sub vitæ finem resipuit, ad Orcum introducto, excudit, deceptum esse; partim obscuritate literarum, quibus autographum Lermæi exaratum; partim obscuritate suæ Officinæ, & loci, in quo degit; (tam enim & ipse, & locus, ubi habitat, obscurus est, ut non in aliqua clara & nobili civitate; sed in antro quopiam Ætneo Typographeium habere videatur; alioquin minimè puduisset eum, & suum, & officinæ, & urbis, cujus incola, nomen designare) & pro his verbis: *Introductio in artem mentiendi & calumniandi;* legisse; intolerando sanè errore: *Introductio in artem* JESUITICAM; nam tam parùm introducit hæc introductio ad artem JESUITICAM, hoc est, ad regulas, constitutiones, ordinationes, consuetudines, vivendíque rationem

C JESUITARUM, quàm parùm introducunt fabulæ Æsopi, vel aureus asinus Apuleii ad Logicam Aristotelicam. ad artem verò mentiendi, criminandi, insontes traducendi, Deum hominésque irridendi; tam apta & appósita est hæc introductio, ut mihi quidem ad hanc artem magis necessaria esse videatur, quàm Isagoge Porphyriana ad Categorias Aristotelis. Nec dubito fore, quin Isagogen hanc ad mentiendi artem, commentariis ex Luciani Philopseude quidam mendaciorum studiosi illustraturi, *& mulum de asino* picturi, hoc

D est, mendacia mendaciis accumulaturi sint. Imò ipse Lermæus hac introductione, velut navi quadam ad ulteriora mendacia provehi, in animo habuit; sed benè factum, tantum spatii Pluto non concessit, priùs, quàm quæ animo designârat, perficeret, Lermæum, ad cœlum Calvinianum introduxit, ubi *Centauri stabulant, Scyllæq; biformes, & Centumgeminus Briareus ac bellua Lernæ;* à qua Lermæo nostro nomen.

Additur in titulo: *Pro iis, qui ejus artis* E *mysterio jam initiati, aut propediem initiandi; conscripta:* Duplicis generis homines statuit, quibus hæc introductio serviat: alteros, qui jam sint JESUITÆ; alteros, qui JESUITÆ sint futuri. Ineptè; duplici nomine; Nam JESUITIS; hoc est, iis, qui jam *in artem* JESUITICAM introducti sunt, quid opus est introductione? Tironibus Logicæ ad Logicam introductor est Porphyrius; non iis, qui jam introducti, hoc est, qui Logicis præceptionibus probè sunt exculti. *Introductoris* & *Introductionis* ministerium & vocabulum indicant, nondum eò, quò perveniendum sit; perventum esse: si ergo quis metam attigit, & ad intima penetralia penetravit, introductione ampliùs non eget. Omnibus igitur illis, qui ante hanc Lermæi introductionem in Societatem JESU adsciti sunt, introductio hæc inutilis est, quippe qui absque ea ad Societatem JESU introducti sint, ac proinde non apparet, quomodo in gratiam eorum, qui jam artis JESUITICÆ mysteriis initiati sunt; hæc introductio conscribi potuerit; ùt titulus libri pollicetur.

Sed nec illis usui est, qui, ùt hæreticus lo- F quitur, *artis* JESUITICÆ, hoc est, instituti nostri mysteriis propediem initiandi sunt. Sanctè enim assero, eum, *furem* & *latronem* fore, quisquis per hanc *introductionem* in Societatem JESU introduceretur. Joan. 10. Dictum Domini est, *Qui non intrat per ostium in ovile ovium: sed ascendit aliundè, ille fur est & latro*, ostium in Societatem, ùt & in alios Religiosos Ordines, pietas est, contemptus mundi, contemptus sui, amor Crucis, desiderium cœlestis patriæ: his aliísque id genus portis introducitur quis. Qui G aliundè ascendit, hoc est, qui per introductionem Lermæi introducitur, ille hypocrita est, aliud promptum in lingua, aliud in pectore clausum gerit, ille, ut verbis Domini utar, *fur est & latro; & non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat;* Lermæo ergo non satis fuit omnibus propè libri sui verbis mendacem esse, ipso etiam libri titulo mentiri voluit: imitatus videlicet Celsum, qui & ipse non satis mendacem in ipso orationis decursu sese fore arbitratus est, nisi libri sui vestibulum insigni mendacio exornaret, & vanissima sua in Christianos commenta, *Veri sermonis* inscriptione prænotaret, quod ei meritò non semel Orig. in lib. exprobravit Origenes. Hæc de libri titulo. contra Celsum.

Nunc ad ipsam introductionem accedamus, in qua, ne omnia improbare videar, H illud mihi placet, quod nominis originem, hoc est, unde JESUITÆ dicantur, primò inquirit, túmque definitionem artis JESUITICÆ adducit. Tritum, omniúmque ore celebratum est illud Marci Tullii, *Omnis*, Cic. lib. 2. *quæ à ratione suscipitur, de aliqua re, institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur:* Etsi enim offic.

Lermæ-

A Lermæus noſter totam hanc diſceptationem ſine ratione ſuſcepit; neſcio tamen, quo pacto hic aliquis rationis radius ei affulſerit, licèt pertenuis; nam ſtatim ad ingenium, hoc eſt, ad inſaniam Calviniſticam, omnis rationis expertem, ſeſe recepit. *Plerique*, inquit, *hanc artem Gieziticam, ac ejus Profeſſores Giezitas appellârunt, nimirum â Giezi Heliſæi famulo, qui donorum ſpiritualium mercedem à Naamano Syro flagitavit.* Si Lermæum arguerem hoc loco mendacii, nullus Calviniſta mihi id jure vitio verteret. *Plerique*, inquit; ſi plerique, ergo major pars; at tantum abeſt, ut major pars JESUITAS, *Giezitas*, & ſocietatem JESUITICAM, *Gieziticam* appellet; ut ex mille hominibus, etiam hæreticis, ne unus quidem nôrit, *Giezitæ* nomen ab ullo calumniatore JESUITIS affictum eſſe; imò plerique hac calumnia aut lecta, aut intellecta, ſtatim exclamabunt cum ſancto illo Epiſcopo: *Maledicta ſunt iſta; non nomina; maledicta iraſcentium; maledicta petulantium.* Ego cum eodem Antiſtite, *Vide*, ajo; *ſi vocari aliquis eo nomine potuit, quod ſibi neſcit impoſitum.* Nos verò *Giezitæ* nomen à Giezi nobis impoſitum neſcimus; JESUITÆ nomen à JESU nobis impoſitum ſcimus; non à parente noſtro Ignatio, non à Pontifice, ſed à plebe & conſuetudine, quæ compendiorum avida, cùm videret, Societati noſtræ nomen JESU inditum; inde JESUITÆ vocabulum cudit, & in uſum induxit, ita, ut omni populo teſte, JESUITA à JESU, non à Giezi deſcendat. Quis autem meliùs novit Etymologiam nominis; quàm qui nomen invenit & indidit? Plerumque illi, qui tanto pòſt, reperto jam & indito nomine, novas origines quærunt, ſimiles ſunt illis, qui olim Chriſtum nominabant *Chreſtum*, Chriſtianos, *Chreſtianos*, Cyprianum, *Caprianum*; ſeu Copria-

B Pacian. epiſt. 2.

num, Chryſippum Philoſophum, *Cheſippum*, *penes quos ne nominis quidem noſtri*, nedum inſtituti, *vera notitia eſt.*

Tertull. Apolog. cap. 3. Juſt. orat. ad Anton. Pium. Lactan. lib. 4. cap. 7. & lib. 5. cap. 1. Cic. lib. 1. de natura deorum.

Sed non eſt opus derivationem hanc operoſiùs refellere, quando ipſe adverſarius me hoc labore levat. *Hæc Etymologia*, inquit, *à ſanioribus rejicitur; ipſa cum ſcribendi ratione, tum rerum analogia repugnante.* Ergo ab inſanioribus & ſtultioribus tantùm recipitur; & ſi ſaniores rectè faciunt eam rejiciendo, neceſſè eſt, ut malè agant inſipientiores eam recipiendo. Cæterùm quòd nominis origo, & ſcribendi ratio repugnet, per ſe liquet ei, qui oculis non caret. Quòd autem rerum quoque analogia adverſetur, ita probat Lermæus: *Giezi ſibi munera appetiit, at quidquid* JESUITÆ *ſuis artibus corradunt, non tam ſibi, quàm Papæ quærere videntur.* Miſces falſa veris, &

C

D vera falſis; Verum eſt, JESUITAS labore ſuo nihil quærere, ex quo conſequens, Giezitas dici non poſſe; nam auri argentíque talenta ſibi quæſiit Giezi, ut emeret *oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas.* At falſum eſt Jeſuitas id, quod quærunt, Pontifici quærere; quia ſtudio & opera ſua nil temporale & perituram quærunt. Nihil ergo hujus generis convehere poſſunt in Pontificis ærarium. Nec eget in hunc uſum Pontifex JESUITARUM ſubſidio. Alios habet, qui Rempublicam externam ſeu civilem curent. JESUITÆ poſt gloriam Dei, nihil potius ducunt, quàm, ut gloriam ſedis Apoſtolicæ quærant: eámque apud omnes gentes, quibuscunque incrementis licet, amplificent.

E 4. Reg. 5.

Altera ratio, cur JESUITÆ nequeant dici Giezitæ, eſt iſta, ex ſententia Calviniſtæ; *Papa Heliſæo non ſatis reſpondet, neque lepram Papa ſanat ullus:* Addamus nos conſecutionem: *ergo JESUITÆ non rectè appellantur Giezitæ à Giezi:* Vera eſt conſequentia ex antecedente & falſo & inepto. Sed patiamur Calviniſtam ex falſo verum concludere, quandoquidem id ex Dialecticorum præſcripto conceditur. At non ſinamus, ut falſa pro veris, inepta pro aptis, & inſcita pro ſcitis producat. *Papa*, inquit, *non ſatis reſpondet Heliſæo:* Quid tum poſtea? Fortè ideo non ſatis reſpondet, quia Papa major eſt Heliſæo. Liceat hîc uſurpare illud Domini. *Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam: Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Tibi dabo claves regni cælorum;* quod de Heliſæo divinæ literæ nuſquam prodiderunt: *Neque lepram*, inquit, *ullus Papa ſanat;* ſi objiciam, Sylveſtrum ſanâſſe à lepra Conſtantinum Magnum: expeditè occurrit his verbis: *Quod enim eſt in fabulis de Conſtantino ſanato, jam dudum explosum eſt.* Si in fabulis erat, jure explosum eſt; ſi literis, monumentis, & traditione immemorabili continebatur, non niſi injuria explosum eſt, ab iis, quibus non tam curæ explodere fabulas, quàm veritatem. At benè habet; hiſtoricum eſſe, non fabuloſum, quod de Conſtantini lepra ab antiquis traditur, abundè oſtendit Illuſtriſſimus Baronius, quò, ne & actum agam, & extra terminos defixos longiùs evâger, lectorem ablego.

F Matth. 11. Matth. 16.

Subjungis; *Memoriæ proditum non eſt, munera unquam recusâſſe Papam.* Tacitus præteribo alios Pontifices; Primus certè Papa ſanctus Petrus, te hoc fide Calviniana ſcripſiſſe, liquidò docet; qui oblata ſibi à Simone Mago, Hæreticorum coryphæo, munera, conſtantiſſimè repudiavit, addita hac imprecatione: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.*

G Actor. 8.

Sed quia jam demonſtravimus & ego & tu, JESUITAS *Giezitas* nec eſſe, nec appellari poſſe; agedum probemus; nomen hoc in Calviniſtas & Lutheranos multis nominibus perquam appoſitè convenire; primò ob lepram: quia hæretici leproſi ſunt, lepra enim hæreſis eſt, plena peſſimæ contagionis. Jure ergo dicuntur Giezitæ à le-

H

proſo

A profo Giezi. Secundò, quia Giezi & mendax & insignis simulator fuit. *Unde venis Giezi?* ajebat sanctus ille Vates; *Qui respondit: non ivit servus tuus quoquam;* qui à perpetrato scelere jam jam rediêrat. Giezitæ igitur Hæretici, quibus mendacia & hypocrisis testamento à Giezi videntur esse legata. Tertiò, Giezi credebat Prophetam ea tantùm videre, quæ oculis & pedibus obversarentur, neque ea vi pollere, ut aciem mentis in dissita dirigeret, alioquin facinus, quod præsente Helisæo ausus non fuerat; absente illo nequaquam aggressus fuisset. An non verissimi Giezitæ Hæretici, qui pertinacissimè contendunt, Sanctis in cœlo cum Christo regnantibus res nostras ignotas esse; ac proinde incassum preces ad eos
B fundi. Quartò, Simonitæ & Giezitæ synonyma sunt; sicut Lutherista & Confessionista; Calvinista & Hugonotha, vinum & temetum: Quo fit, ut qui jure vocatur Simonita, is etiam jure vocetur Giezita; At hæreticis justissimè Simonitarum nomen tribuitur, à Simone Mago Patriarcha Hæreticorum novæ legis, à quo genus trahunt, & non pauca dogmata mutuati sunt; nominatim illud: *hominem libero arbitrio carere, &, sola fide justificari:* meritissimò igitur Giezitarum glorioso cognomento decorantur. Nec tam facilè à suis hanc appellationem Lermæus depellet, quàm facilè eam depulit à nobis. Nunc progrediamur.

C *Alii*, inquit, *JESUITARUM nomen à Jesuatis Monachis repetitum volunt*: At hos, quicunque tandem sint, falli certissimum est; nam si à JESUATIS Monachis nomen hoc ad nos derivatum esset, id aut Pontificis nutu & voluntate; aut Ignatii jussu & consensu; aut populi usu, & consuetudine loquendi factum esset: At Pontifex nec JESUITAS, nec Jesuatas, seu Jesuatos nos appellavit; sed Societatem nostram nomine JESU insignivit; similiter neque Ignatius aut hoc, aut illud nomen nobis tribuit; cùm in constitutionibus, quibus totum Societatis quasi ædificium efformavit & descripsit, neutrius nominis ulla memoria extet. Populus, fateor, Religiosos Societatis JESU JESUITAS appellavit. Sed unde, oro, occasionem hujus nominis formandi accepit, nisi ex ipsius Societatis ti-
D tulo; qui JESU nomen præ se ferebat, & etiam nunc præ se fert, præ se ferétque, JESU propitio, aliis etiam in annis. Quòd si à JESU JESUATIS nomen venit, cur JESUITIS ab eodem JESU nomen venire nequeat ἀμέσως, & nullo ad JESUATAS respectu? Nam faciamus eo tempore, quo Societas nostra extitit, JESUATAS nondum fuisse exortos, attamen nulla me dubitatio tenet (& quemlibet, qui rem attentiùs considerare volet, mihi assensurum puto) nihilominus futurum fuisse, ut JESUITÆ à vulgo nominaremur. Quod argumento est, JESUITÆ vocabulum non ab JESUATIS ad nos, unius literæ immutatione translatum; sed à JESU deductum, nobísque tributum communi hominum usu, quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi. E

Cæterùm Jesuatarum, seu, ùt alii vocant, Jesuatorum nomen à JESU deductum, & amore JESU Ordini illi inditum fuisse, testatur Antonius Corsetus Siculus; *Quia infantes, qui vix poterant formare verba, cùm aliquem ex primis illius Ordinis Auctoribus, insolito vestitu viderent; quasi divinitùs impulsi, ecce, ajebant, JESUATÆ, Ecce JESUATÆ. Hoc vir Dei Joannes Columbinus; primus familiæ illius parens, cùm illud Psalmi meminisset; Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem; ad laudem nominis JESU retulit, & velut oraculo quodam accepto, à JESU ordinem suum cognominari voluit.* Ad extremum, licèt nomen hoc à Jesuatis ad nos delatum esset; quid in eo, quæso, esset criminis? quid culpæ? An non æquè à JESU derivaretur, atque jam? Et si Jesuatæ sine ullius quærimonia nomine hoc insigniuntur; cur JESUITIS de eodem nomine, unica dempta litterula, tantæ lites & quæstiones moventur? At quid sibi vult, quod de JESUATIS subdis, *eos, ceu torrentes, statim sub ortum suum, pessum iisse, & his novissimis temporibus rursus ex abysso erupisse.* Jesuatarum ordo durat adhuc in Ecclesia, à tempore Urbani V. ab annis ducentis & amplius: nec, si esse desiisset, in abyssum seu Orcum abiisset, quia res resolvitur in sua principia; at Orcus non fuit principium hujus Ordinis. Hæreses desinunt in Avernum, quia ex Averno prodeunt; & si quando rursus exoriuntur, quod non rarò fit, non nisi ex tartaro erumpunt. Cùm igitur Jesuatarum Ordo nunquam periêrit, non potuit his novissimis temporibus renasci, multóque minùs renasci ex abysso; quia renasci, supponit rem periisse; & renasci ex abysso, supponit rem in abyssum præcipitatam fuisse. Sed video, quò tetenderit Hæreticus; Insinuare scilicet volebat, Ordinem nostrum ex Ordine Jesuatarum procreatum esse; quod quàm vero affine sit, non fugiet ullum, qui utriusque Ordinis vivendi & agendi formam compertam habet. Hæc de JESUATIS sufficiant; quandoquidem ipse tandem Lermæus agnoscit, JESUITAS aliundè, quàm à JESUATIS suum nomen accepisse. F G

Anton. Corset. lib. 30. qq. apud Turrian. contra Boquinum.

H Dic ergo, oro, unde acceperint, ut tandem ad ipsa veritatis cubilia penetremus; consule, si lubet, libros Etymologiarum Isidori; aut Varronis de analogia. Forsan juvabunt, ad veræ originationis investigationem. *Alii*, inquis, *totidem litteris & syllabis* IESUITARUM *nomen in sacris libris scriptum reperientes, quasi de semine Abraham satos interpretantur*: Parùm abest, quin tibi, Lermæe, gratias agam pro tam honorifica nominis nostri derivatione & origine; sive tu Num. 26.

eam

A eam probes, sive improbes, mihi satis est, esse, te indice, quorum suffragio probetur. Utinam Calviniſtæ tam insignem appellationis suæ rationem reddere possent. Quid enim glorioſius, quàm Jesuitarum nomen deduci à *Jessui* filio *Aser*, cui à fatidico parente dictum; *Aser pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Hoc certè præscius ille futurorum Patriarcha Jacob non modò de ipso Aser, sed de tota posteritate ejus; hoc est, de JESSUI & JESSUITIS præcinuit; quorum profectò *pinguis panis*, & *præbet delicias Regibus.* Quid glorioſius, quàm esse de ejus stirpe & cognatione; qui Aser, hoc est, *beatitudo* & felicitas est, ex cujus stirpe *duodecim millia signati;* & ad sempiterna illa gaudia destinati: saltem hoc solatii JESUITÆ habent, quòd Hæreticorum quoque testimonio, sint
B ex illa familia, cui vel ipso nomine beatitudo, & æterna felicitas promissa est; quippe JESSUITIS, JESSUITÆ autem ex cognatione Aser sunt; de cujus stirpe, Sancto Joanne revelante, tot millibus cœlestes illas sedes decretas esse cognovimus. Ostendant Calviniſtæ similem nominis sui originem, & meliùs sentire incipiemus de Calviniſtarum nomine; quàm hactenus senserimus. Deinde, quid miratur à JESU vero Dei filio nomen JESUITÆ formari? cùm in veteri Testamento à JESSUI, Typo & figura nostri JESU,
C nomen JESSUITÆ formatum sit. Nam JESSUI fuisse typum nostri JESU, ut nominis similitudo deesset, at res ipsa id convinceret: JESSUI enim filius Aser, hoc est, *filius beatitudinis*, fuit. At quis iste Aser; quæ ista beatitudo? nisi de quo JESUS: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti JESUM Christum*, Pater cœlestis, verus noster Aser est, ex quo genitus JESSUI. Quis iste Aser, & quæ hæc beatitudo; nisi cujus *panis pinguis est*, & *qui præbet delicias Regibus?* Quas delicias? Corpus & sanguinem JESU; JESSUI filii sui; panem illum, *qui de cælo descendit; quem qui manducat, vivit in æternum.*

D Ab hoc seu JESU, seu JESSUI, JESUITÆ nomen sortiuntur. Testes non advoco alios, quàm ipsos Calviniſtas, quorum hæc opinio; licèt eam refellere conetur Lermæus, sed inani argumento: *Quia novi isti JESUITÆ*, inquit, *non sequuntur fidem Abrahæ; non ergo ab antiquioribus illis JESUITIS, qui ex domo Abrahami erant, nomen trahunt; sed aliundè.* At novos JESUITAS sequi fidem Abrahæ, Calviniſtas autem fidei illius planè exsortes esse, testatur Apo-
Jacob. 2. stolus Jacobus: cujus hæc verba: *Abraham pater noster, nónne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?* Ex quibus breviter sic rationem concludo. Illi fidem Abrahæ sequuntur, qui sequuntur fidem operum feracem, non otiosam, non solam, non mortuam; non operibus destitutam. JESUITÆ novi sequuntur fidem operum feracem; non otiosam, non solam, non mortuam, non operibus destitutam. ergo novi JESUITÆ fidem Abrahæ sequuntur; atque adeò nomen & gloriam veterum JESUITARUM, posterorum Abrahæ, sibi vendicare possunt; nam & Christus Dominus non illos filios Abrahæ pronunciavit, qui *solam fidem*, sed qui opera Abrahæ sectarentur. *Si filii Abrahæ estis*, inquit, *opera Abrahæ facite.* Porrò licèt hæc verissimè à me dicta & disputata sint, quia tamen in impositione & formatione nominum spectandum est consilium imponentis, noménque formantis, planè mihi persuadeo, JESUITAS non esse hoc nomen adeptos, à priscis illis Jessuitis; sed à JESU Salvatore nostro, directè, & sine respectu ad figuras & imagines JESUM nostrum repræsentantes, ídque ex communi plebis Christianæ sensu & existimatione satis planum fieri arbitror: quemadmodum sequenti capite occasione calumniarum Lermæi fusiùs demonstrabitur.

E

Joan. 8.

F Interim antequam capiti huic finem imponamus, operæ pretium erit paucis discutere, undénam Lermæi Typographus JESUITARUM nomen derivet. Etsi enim hominis, qui nomen suum non prodat, quique ater sit, an albus, ignores; nulla videatur habenda ratio: quia tamen atrum esse video, hoc ipso, quòd calumniatorem esse video; abs re non erit, audire, quid de JESUITARUM nomine adducat. JESUITAS igitur in præfatione sua, qua adversùs nos arma fremit, JESVVITAS semel atque iterum vocitat, & dum convitium facere
G cogitat, majore nos, quàm agnoscamus, honore honorat: nos enim, quibus JESUS *via, veritas & vita est*, vitas JESU nominat; nam quid aliud est JESVVITA, quàm vita JESU; transpone, ùt lubet, nihil aliud ex his vocabulis expones. Fortè, ùt sunt Calviniſtarum ingenia acria & subtilia; vidit in sacris litteris homines appellari, divinæ sapientiæ, hoc est, JESU Salvatoris nostri, *delicias.* Ipsius enim cœlestis Sapientiæ hæc vox est, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Proverb. 8.
Si igitur JESU deliciæ homines sunt, ipso
H JESU id attestante, cur nequeant esse JESVVITÆ? Deinde JESVVITA rectè dicitur illa vita, quæ JESU tota consecrata est: Ergo homo ille, qui vitam suam totam Deo dedicavit, rectè vocabitur JESVVITA: Si enim homo vivens dici aliquando solet *vita*, cur homo JESU vivens non dicatur JESVVITA? Talis JESVVITA erat ille JESVVIVENS, qui ajebat: *mihi vivere Christus est;* quasi diceret, vita mea est JESVVITA, & ùt ego vita sum per naturam, ita & JESVVITA sum per gratiam. Sed fortè exclamabit Typographus verbis suis vim fieri; non hanc, sed aliam sententiam eis subjici, se interpretaturum sua verba. At quæ hic vis, ubi nulla syllaba,

A nulla litterula immutatur? Quæ interpretis iniquitas, ſi verba benignè, & in meliorem partem interpretetur, id quod me in Jeſvvitæ vocabulo præſtitiſſe, vel ipſum Typographum arbitrari volo. Tam malignus non ſum, ut verbis alienis malignam mentem aſſuam, quando licet tribuere bonam.

B Poëta, qui Lermæi librum exornavit Elegia, non in Parnaſſo, ſed in Caucaſo nata, ne & ipſe aſymbolus ad hanc calumniarum cœnam accedat; Aliud non etymon, hoc eſt, veriloquium, ſed falſiloquium, comminiſcitur. Ait, *Sathanam, cùm JESUITAS ex Erebo emitteret, térque quatérque inclamâſſe: procul ab JESU ite, patrémque Ignatium accurriſſe, &, accipio omen, dixiſſe, procul ab JESU ite, propago digna patre, ab JESU vos procul ite meæ. Ab JESU ite dehinc hominum volitate per ora; Hinc factum, ut nomen duxerit iſta cohors.* Huic Pſeudologiæ nihil aliud opponam, quàm quod Lermæus oppoſuit illis, qui JESUITAS à Giezi, quaſi *Giezitas* dictos volebant, *Repugnat ſcribendi ratio, & rerum analogia:* Illa, quia non vocamur Ab JESUITE, ſed JESUITÆ, nec ſi de uno ſermo ſit, vocari poterit AbJeſui, ſed vocabitur JESUITA. Futilis ergo eſt iſta ſomniantis poëtæ phantaſia, qui ita comparatus videtur, ut quidvis ex quovis formare queat. Secundò, repugnat analogia re-

C rum, quia JESUITÆ non ab JESU eunt, ſed ad JESUM quàm proximè accedere, & alios ad eundem adducere nituntur, quantum divina gratia conſequi poſſunt. Quocirca longè veriſimilior eſt illa opinio, quæ vult, JESUITÆ hanc ſubjici notionem: JESU ite, ut hac ſua appellatione quivis moneatur, ſe, quócunque eat, non ſibi ſuæque gloriæ, ſed JESU, ejúsque gloriæ ire debere: JESUITE; clamat Apoſtolus verbis illis; *Omnia in gloriam Dei facite*; nam

1. Cor. 10. omnia ad gloriam JESU facere, eſt JESU ire, & qui nos, ut omnia ad gloriam Dei faciamus, cohortatur, is hac ſolenni formula utitur. JESUITE. Ille autem iter facit Domino Chriſtianus, inquit S. Ambro-

S. Ambroſ. ſerm. 65. ſius, qui Profeſſionis ſuæ ei exhibet fidele ſervitium, & caſtitatem, quam promiſit, cuſtodit tam mente, quàm corpore.

Obſervet ad extremum Lector genium

D Hæreticorum, quibus ſatis non eſt inſontes innumeris conviciis lacerare; niſi in ipſa itidem nomina impetum faciant, eáque ſarcaſmis, & ſannis, & ſibilis excipiant; Imitantur nimirum priſcos illos Ethnicæ ſuperſtitionis cultores, quibus Chriſtiani nomen à Chriſto ludus erat, ùt nunc Calviniſtis noſtris Jeſuitæ nomen à JESU. Sed quod Theophilus reſpondit Autolyco, hoc quilibet Jeſuita reſpondere poterit Lermæo, aliísque Hæreticis: *Mihi crimini vertis, quòd ſim Chriſtianus* (Jeſuita) *& inſigne præclarúmque hoc nomen geram. At ego quidem liberè confiteor, me eſſe Chriſtianum* (Jeſuitam) *gaudeóque iſthoc nomine, quod Deo gratum & acceptum eſt, appellari: Et nihil æquè in votis habeo, quàm ut ſim* εὐχρηστος, *hoc eſt, bonus erga Deum. Non enim, ùt tibi videtur, odioſum & moleſtum nomen illud eſt.* E

CAPUT II.

Blaſphema Lermæi ſententia de origine nominis JESUITICI, eiúsque refutatio.

F PRincipiò accuſat nos Lermæus; *quaſi originem noſtram ſtudiosè celemus; nec propalare velimus, undénam hoc nomen ſortiti ſimus.* At quàm injuſta ſit hæc accuſatio, docent Ribadeneira, & Maffejus, ut alios ſileam, qui accuratiſſimè ortum, progreſſum, & inſtitutionem, noménque Societatis, & cauſam nominis exponunt: *Narrant tamen*, inquit, *in ſuis myſteriis nomen illud à JESU derivari.* Imò Societatem noſtram à JESU nominari, non intra privatos tantùm parietes narramus; ſed publicè, ſcriptis & viva voce profitemur, Jeſúque ſacroſanctum nomen Societati ab Ignatio inditum, adeò non ſupprimimus, ut tam præclaro nomine Societatem inſignitam eſſe, plurimùm nobis gratulemur, & ad communem gratulationem alios itidem excitemus, Deóque & Ignatio ob hoc beneficium immortales gratias agamus.

Ribad. & Maff. in libro de vita N. P. Ignatii.

G Sed ait Lermæus: *Societati non eſſe nomen impoſitum ab illo JESU, qui ſit filius Dei:* Qua de cauſa verò? An Calviniſtæ, ùt olim Manichæi, multiplicem Jeſum habent? Nos unicum duntaxat novimus; ſi tu duos plurésve habes, eſt, quod ubertati Genevenſis Evangelii, beneficium hoc acceptum referas. *Nomen*, inquis, *filii Dei nulli ſectæ ſine blaſphemia communicari poteſt;* Aſſentior, ſi per ſectam intelligas Hæreticorum factionem; *quia omnia conciliabula Hæreticorum ſunt foveæ Diaboli,* ùt veriſſimè ait S Hiero-

Hieron. in Pſalm. 7. nymus. At ſi per ſectam intelligas, vivendi aliquod genus divinitùs inſtitutum, tunc te toto cœlo aberrare affirmo. An non nomen

H Chriſti, nomen filii Dei eſt? An non tribuitur hoc nomen Religioni Catholicæ? an non fidei noſtræ? An fides & religio Catholica, non eſt fides & Religio Chriſti & Chriſtiana? An non eſt fides & Religio JESU? Nónne populus fidelis, populus Chriſti eſt; & Chriſtianus, & populus JESU? Dices fortè, tribui poſſe univerſo Chriſtianorum inſtituto, non alicui peculiari. Verùm, cur non & peculiari; ſi communi omnium fidelium fidei, atque adeò Chriſto Jeſu nihil repugnans tradat aut complectatur? *Qui non* Luc. 11. *eſt mecum,* inquit Chriſtus, *contra me eſt.* Ergo qui eſt cum Chriſto, is eſt pro Chriſto. Si ſit cum Chriſto & pro Chriſto; poterit & à Chriſto nominari; & aut Chriſtianus dici, aut ſervus & miles Chriſti. Quod ſingulis jus fásque concedit, cur id negaret alicui hominum Congregationi, quæ cum Chriſto

A sto & pro Chriſto eſt ; & pro Chriſto arma fert, próque ejus gloria viriliter decertat? Quis autem non rideat Lermæi inſulſum Mævium, dum ita canit, an rudit?

Chriſtus homo, Jeſusque Deus ſunt unus & idem,
Una ſuum agnoſcit quem ſacra turba caput.
Non tamen ex Jeſu, ſed Chriſti ex nomine ductum,
Sanctorum cœtus nobile nomen habet :
Quà Deus eſt etenim & ſolus ſervator Jeſus,
Hoc ſoli nomen vendicet ipſe ſibi :
Sed quà Chriſtus homo eſt, tot eo cognomine fratres
Dignatur, toto ſunt quot in orbe pii.

B *A Chriſto*, inquit, *fideles nomen acceperunt, ita ut cœtus Chriſti, & Chriſtiani, & Religio eorum, Chriſtiana appelletur.* Cæterùm Eccleſia non modò Eccleſia Chriſti, ſed & Eccleſia JESU dici poteſt, & fidelis quisque non modò ſervus *Chriſti* eſt, ſed & ſervus JESU, ſeu conjunctim *Chriſti JESU.* Quo titulo toties gloriatur Apoſtolus; & ùt fideles Antiochiæ primùm à Chriſto Chriſtiani appellati ſunt; ita contingere potuiſſet, ut à JESU vocarentur JESUITÆ; ſicut illi ex familia Aſer à Jeſſui Jeſſuitæ; & quæ impietas in hac appellatione fuiſſet? Falſum igitur canit poëta iſte, cùm ait; Chriſtum, nomen JESU ſoli ſibi reſervâſſe : Falſum item ſcribit Lermæus, cùm nugatur, nomen hoc nulli inſtituto ſine blaſphemia tribui ; tribuitur enim ; etſi, ut ita loquar, *in obliquo*, religioni Chriſtianæ, quæ rectiſſimè religio JESU nominatur; tribuitur cuivis Chriſtiano, qui ex vitæ ſuæ inſtituto eò tendere debet, ut ſit ſervus JE-
C SU & quidem *fidelis* & *prudens.* Cur ergo idem nomen JESU nequeat *in obliquo*, ut ſic dicam, tribui noſtræ Societati, quæ Catholicæ Religionis pars eſt & membrum, ita, ut dicatur Societas JESU, & ii, qui in hac Societate degunt, ſint & vocentur ſervi JESU? nam *in recto*, fateor, nomen hoc JESU eſſe ex communi piorum more incommunicabile; quis enim ſeſe JESUM vel vocet, vel vocari ſinat ? idque ob venerationem huic ſacroſancto nomini debitam. At neque Societas noſtra appellatur JESUS, ſed Societas JESU, nec ſocii hujus Societatis dicuntur JESUS, ſed JESUITÆ, ſicut famulus Regis non vocatur Rex, ſed famulus Regis & Regius ſeu Regalis ; Aliud autem eſt JESUS, aliud JESUITA, ſicut aliud eſt Chriſtus, aliud Chriſtianus, aliud Rex, aliud Re-
D gius, & qui ſine arrogantiæ nota Chriſtianus audit, is non ſine ſuperbi ſpiritus ſuſpicione appellari ſe ſineret Chriſtum ; etſi quod uni nationi inſuetum eſt, uſitatum eſſe poſſit alteri, quo pacto, quibusdam in locis, infantibus in Baptiſmo imponitur, ùt Joannis, Jacobi, Petri, ita & nomen Salvatoris, nec quidquam reprehenſione dignum hæc conſuetudo continet; Ergo ſicut ſine ſcelere nomen Chriſti communicatur E
rebus à Chriſto inſtitutis, ita & nomen JESU, & ſicut ſine ſcelere, vulgi & communis conſuetudinis jure, à Chriſto Chriſtiani nomen derivatum eſt, ita eodem jure à Actor. 11.
JESU nomen JESUITÆ eſt formatum.

Nec eſt, quòd Calviniſtarum quiſpiam miretur, quod aſſero, Chriſtiani nomen à Chriſto deductum jure vulgi & conſuetudinis : Certè enim ſcriptura non tradit, nomen id ab Apoſtolis, aut ab ipſismet fidelibus factum & inditum, ſed cùm vulgus tam Ethnicorum & Judæorum, quàm jam credentium, videret Antiochiæ in dies ſingulos eorum numerum augeri, qui Religionem, fidémque Chriſti profitebantur, unico vocabulo, compendii cauſa, Chriſtianos appellare cœperunt, à Chriſto videlicet, in cujus fidem & diſciplinam conceſſerant; nam apud Ethnicos & Judæos potiùs, quàm fideles Chriſtiani nomen initio invaluiſſe, non exiguam ſuſpicandi occaſionem præbet ipſe Apoſtolus, qui fideles nunquam nominat Chriſtianos, ſed vel *ſanctos*, vel *fratres*, vel alio de genere eodem vocabulo ; & tamen jam tum, cùm S. Paulus epiſtolas ſuas ſcribebat, nomen Chriſtiani in orbem introductum fuerat, quod indicio eſt, nomen hoc initio potiùs ab externis datum eſſe fidelibus & uſurpatum, quàm à Domeſticis fidei ; Hinc & Agrippa Rex, audita Pauli diſputa-
G tione, *in modico* ajebat, *ſuades me Chriſtia-* Actor. 26.
num fieri ; videlicet ùt Judæus, nullum nomen meliùs nôrat, quàm Chriſtiani. Eodem alluſit ſanctus Petrus, cùm beatum præ- 1. Petr. 4.
dicat eum, qui non ùt *fur aut homicida*, ſed ùt *Chriſtianus* patiatur, quia perſecutores Eccleſiæ nominabant fideles *Chriſtianos*, eósque ob Chriſtiani tantùm appellationem exquiſitis tormentis excruciabant. Meritò igitur à multitudine, impulſu tamen divini Spiritus, nomen Chriſtiani primò cuſum creditur, quæ eodem jure à JESU JESUITÆ vocabulum formare potuiſſet, & fortè feciſſet, ſi JESU nomen tunc tam tritum & obvium, plebíque tam notum fuiſſet, quàm nomen Chriſti. Quid quòd S. Epiphanius Epiphan. Hær. 29.
putat, Chriſtianos, antequam Chriſtiani appellarentur, dictos eſſe Jeſſæos, non tam à Jeſſe, Davidis patre; quàm à JESU Salvatore noſtro. Si ergo nomen Jeſſæi, licitè formatum eſt à nomine JESU, communi loquentium conſuetudine ; cur Jeſuitæ vocabulum inde non liceret deducere ? Et ſi illi, qui diſciplinam JESU ſequuntur, rectè diſcipuli & famuli JESU nominantur, quæ injuria JESU infertur, ſi nomine inde deducto vocentur, ùt olim Jeſſæi, ex ſententia S. Epiphanii ; ita nunc Jeſuitæ?

Sed ajunt, nomen JESU, commune H
omnibus Chriſtianis, non poſſe ſine piaculo ab una quadam familia uſurpari, & tanquam digna quoddam gentilitium oſtentari. Sæpè reſponſum eſt à noſtris ad hanc calumniam ; hac videlicet nominis JESU

A usurpatione, neminem ab ejus communione excludi. An quia Paulus *servus JESU Christi* erat, & hunc titulum plerisque suis epistolis præfigebat, excludebat à sacrosancti nominis JESU participatione beatum Petrum, ut non ipse & verè esset, & verè diceretur *servus JESU Christi?* Christiani nomen utique omnibus commune est, & tamen inter ipsos quoque sectarios reperias nonnullos, quibus Christiani nomen, nec aliud præterea. Quòd si Calvinistæ alium hoc nomine non nôrunt; non ignorabunt, credo, domesticum fidei, *Christianum Simonem Lithum Misenum.* Trinitatis nomen, sancti Spiritus nomen, Salvatoris nomen, usu & fructu communia sunt omnibus Christianis, & tamen certis Ordinibus & locis attribuuntur sine ullius injuria. Insigniant alii etiam sodalitates suas & congregationes, collegia, domos, scripta, dicta, facta nomine
B JESU. Vocentur, si placet, JESUITÆ; à nemine nostrûm in jus vocabuntur; Non sunt enim JESUITÆ, sicut illi, qui Eldad
Num, 11. & Medad prophetantes prohiberi & prohibere cupiebant; sed cum Moyse liberè exclamant; *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Quis tribuat, ut omnes Calvinistæ JESUITÆ fiant, quia si JESUITÆ fierent, Calvinistæ esse desinerent, optabili sanè interitu.

Sed revisamus Lermæum; qui non abnuit nomen JESUITÆ à JESU nobis impositum, *at non ab* illo, qui filius Dei est, *sed ab alio quodam mirabili JESU, qui*, ùt Calvi-
C nista blasphemat, *Ignatio vertigine correpto, dum Romam proficiscitur, secus viam apparuit, os habitúmque gerens Monachi, simúlque vocem hanc dare visus est: Romæ me videbis, aut Romæ ero tibi propitius. Quod spectrum is, cùm sociis renunciâsset, audacior Romam profectus est, ibique, eo JESU duce & auspice, artem hanc instituit, ab eóque JESUITICAM denominavit. Ejus autem alumnos Romanus Pontifex, ejus JESU, qui secus viam apparuit, Vi-*
D *carius, longè deinceps latéque propagavit.* Excutiamus priùs mendacia, tum impietatem refellamus: Primum mendacium est, JESUM specie Monachi apparuisse Ignatio, vel etiam specie Monachi JESUITICI. Nihil hac de re scriptores rerum ab Ignatio gestarum; nihil ipse Ignatius, cum sociis, hoc visum sibi divinitùs oblatum pandit; hoc tantùm illi; JESU Crucem gestanti Ignatium sociósque à cœlesti Patre commendatos esse: quo ore, quo habitu apparuerit, silent: Unde ergo Lermæus tanto pòst tempore scit, habitu Monachi, aut novi, aut veteris Christum Ignatio apparuisse? videlicet, ut apud Calvinistas apparitioni fidem detrahat, opportunè Monachum in scenam introducit; placere enim voluit populo Calvinistico, quas feciset fabulas: Non dubito tamen, Christum, quandocunque apparet, faciliùs induere os habitúmque Monachi, quàm Prædicantis aut Ministri Calviniani.

Alterum mendacium est, *Ignatio vertigine correpto* hanc cœlestem speciem objectam esse; objecta enim est, preces ex intimo pectore ad superos fundenti. Quòd si precari, & quidem intentissimo studio, & animo precari, est Calvinistis *vertigine corripi:* tum non inficior, ex Calvinistis nullum esse vertiginosum; etsi alia quadam immedicabili vertigine laborant; ea nimirum,
Isaiæ. 19. *cujus spiritum* olim Dominus *in medio Ægypti miscuit.*

Tertium mendacium est, hanc visionem ab Ignatio *secus viam*, visam; In templo quodam non procul ab urbe, non *secus viam;* hanc apparitionem Ignatio obtigisse Ribadeneira refert; cui potiùs credendum, quàm tibi, cùm memoret ea, quæ vel ab Ignatio audivit, vel certè ab aliis, qui ex Ignatio cognôrant.

Quartum mendacium est, Ignatio à Christo hæc verba dicta: *Romæ me videbis.* Hæc G Lermæus apud Ribadeneiram aut Maffeium non legit; sed ex malè sano suo cerebro extudit.

Quintum mendacium est, Ignatium hac visione audaciorem factum, Societatem instituisse, & JESUITICAM denominâsse; nam ùt suprà demonstratum, Ignatius, nos nec JESUITAS, nec Societatem à se institutam JESUITICAM vocavit; Vulgus & loquentium consuetudo hæc vocabula reperit, nobísque & nostro Ordini indidit: licèt certum exploratúmque sit, Ignatium, hoc tam eximio divinitùs in se collato beneficio, permotum fuisse, ut Societatem sacrosancto nomine JESU exornaret.

Sextum mendacium, ídque non modò turpissimum; sed & planè impium effutit H hæreticus, cùm ait: Eum, qui Ignatio spectandum sese præbuit, non *fuisse JESUM Salvatorem nostrum, sed Diabolum.* Nefariam hanc blasphemiam duplici modo in præsentia refellere licet, tum ex odio, quo omnes Hæretici & scelerati in JESUITAS ardent, tum ex ipsa JESUITARUM vivendi ratione & instituto: Primùm enim, si Diabolus auctor hujus Societatis esset, & si Ignatius non JESU; sed Diabolo duce & auspice, hanc Societatem instituisset, utique Diabolus tanto conatu sese huic Societati non opponeret, per suos satellites & emissarios, per Lutheranos & Calvinianos rabulas: confictis tot calumniis, mendaciis & figmentis, quæ non nisi à Patre calumniarum & mendaciorum proficisci posse luce clariùs liquet, cùm calumniæ & mendacia Deum auctorem non habeant. Memorabilis est illa Domini sententia: *Si de mundo*
Joan. 15. *fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Pari modo, si Diabolus Ignatio promissionem illam fecisset, *Ego vobis Romæ propitius ero*, promissísque postea manens Societatem condidisset, utique Diabolus, *quod suum erat, diligeret.*

A *geret.* At tantum abeſt, ut hanc Societatem diligat, ut ejus evertendæ gratia, omnes interdum inferorum copias evocet, & irreconciliabile bellum cum eadem gerat.

B Cauſas quidem odii ille ſatis juſtas habet, quia ab hac Societate non paucas prædas ſibi eripi videt & dolet, ut proinde de illo minimè queamus dicere; *Odio habet nos gratis:* At certè, de hominibus, qui eundem Deum, quem nos, habent, qui eandem beatitudinem ſperant, qui eodem baptiſmate, quo nos, abluti ſunt, meritò uſurpare poſſumus illud Domini; *Odio habuerunt nos gratis:* id eſt, ſine cauſa, ex parte quidem noſtra; nam ex parte ſua, cauſam habent improbitatem, & obligationem, qua patri ſuo Diabolo ſe ſe obſtrinxerunt: ſicut & Judæis ex parte ſua cauſæ non defuerunt, cur Chriſtum capitali odio proſequerentur; quia *ex patre diabolo* erant; cujus proinde nutui & voluntati libenter obtemperabant. *Natura comparatum eſt*, inquit Athenagoras, *ut malitia ſe opponat virtuti, & divina quadam lege, quæ inter ſe contraria ſunt, depugnent, non contra nos tantùm*, inquit idem Auctor, *ſed omnibus retrò ſeculis, morem hunc fuiſſe ſcimus, divina quadam lege & ratione, ut contrariam ſibi virtutem improbitas impugnaret; ſic & Pythagoras cum trecentis aliis igne combuſtus eſt; Democritus ab Epheſiis pulſus: Heraclitum Abderitæ, tanquam inſanum, exilio: Socratem Athenienſes morte affecerunt. Verùm ùt illorum virtus nihil eſt imminuta propter exiſtimationem vulgi; ſic nobis etiam temerariæ quorundam calumniæ ſanctioris vitæ inſtitutum non obſcurant, neque per eas gloriæ noſtræ coram Deo aliquid decedit;* Hæc Athenagoras universè de Chriſtianis, ego de JESUITIS.

Joan. 15.

Athenag. Apolog. pro Chriſtianis.

C Video Societati evenire, quod ſancto Hieronymo & Athanaſio evenit, de quo Sulpicius; *concivit odia perditorum, oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non deſinit, quippe cui jugis adverſus malos pugna, perpetuúmque certamen, oderunt Clerici, quia vitam eorum inſectatur & crimina, ſed planè eum omnes boni admirantur & diligunt; nam qui eum hæreticum eſſe arbitrantur* (eo modo, quo Prædicantes JESUITAS, ùt hæreticos traducere ſolent) *inſaniunt. Verè dixerim Catholica hominis* (Societatis) *ſcientia, ſana doctrina eſt, totus ſemper in lectione, totus in libris eſt, non die, non nocte requieſcit, aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit.* Ut ergo hæc ſtudia ſancto Hieronymo Diaboli invidiam, & improborum inimicitias conciliârunt, ita eadem conciliant nobis odium diaboli, ejúsque adminiſtrorum, ut proinde ex hoc odio perſpicuè colligamus, à Deo per Ignatium Societatem hanc inſtitutam eſſe, cùm ſupremi numinis adverſarii, omnísque virtutis hoſtes eidem tanta contentione adverſentur.

Sulpicius Dial. 1.

D Ex eodem illo immani & plusquam barbarico odio, quo Hæretici adversùs nos flagrant, perſpicuè colligimus, poëticam, hoc eſt, falſam eſſe, & fictitiam illam comparationem, quam nuper neſcio quis poëtaſter, non in Muſarum, ſed in Caci antro inter JESUM & JESUITAS inſtituit; nam ſi JESUITÆ diaboli commentum & inventum eſſent; nunquam paſſus fuiſſet diabolus, ut Calviniſta ille in hos non cantus, ſed crocitus erumperet.

E

Presbyteri à ſocio geritis qui nomina JESU, Diſpeream, ſi vos JESUS amare poteſt.

Imò verò diſpeream, ſi JESUS tam inſulſum calumniatorem amare poteſt, qui nec modulos ſyllabarum, nec rationem ſcribendi, quam Orthographiam dicimus, novit; quíque ſocium noſtrum appellat JESUM: qui Pater & Dominus noſter eſt, non ſocius: non tam ſublimi nos dignamur honore: Nec quia Societas noſtra Societas JESU dicitur, ideo hinc nos ſocios JESU appellari conficitur; Socii enim inter nos ſumus in Societate, quæ JESU nomen, tanquam inſigne, præfert. Ergo ſicut ſi ſocietas aliqua ſub ſanctiſſimo Trinitatis nomine iniretur, nemo rectè inde concluderet, Religioſos illos eſſe ſocios Trinitatis; aut Trinitatem eſſe, ut ſic dixerim, eorum ſocium; ita idem, quod ad JESUM attinet, non rectè concluditur ex hoc, quòd Religio noſtra Societas JESU appellatur; quemadmodum, ſi appellaretur fraternitas JESU, nemo nobis Jure exprobrare poſſet, quaſi aut nos pro fratribus JESU, aut JESUM pro fratre noſtro venditaremus; ſed ipſa verba ſtatim primo aſpectu oculis non limis aut lippis ſubjectam ſententiam indicarent.

F

Quocirca tam iſte Calvinianus Chœrilus, quàm alter Calvinianus, vel potiùs Lucianicus Peregrinus conviciis ſuis ſuperſedere potuiſſent; cùm mentiuntur, nos gloriari; quaſi aut JESUS noſter ſocius; aut nos ſocii JESU eſſemus. Nec ullum demonſtrabunt Jeſuitam; qui hunc titulum uſurpet. Quòd ſi qui alii Jeſuitas, aliquando *ſocios JEſu* vocitant; id nimirum menti eorum minimè liventi condonandum eſt; Præſertim cùm ſe tueri queant auctoritate S. Joannis; qui, *quod vidimus*, inquit, *& audivimus, annunciamus vobis; ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio ejus JESU Chriſto.* Quibus verbis planum facit S. Joannes, eſſe quandam ſocietatem non tantùm JESU nomine conſpicuam; ſed ita quoque comparatam; ut cum ipſomet JESU inſtituta ſit; ut ipſe JESUS ſit unus ex illius ſocietatis ſociis; atque adeò ſocius eorum, qui in illa ſocietate vivunt; ipſique viciſſim ſocii illius. Quòd ſi ratione hujus Societatis, Chriſtus omnium Chriſtianorum ſocius eſt; omnésque Chriſtiani ſocii Chriſti; utique etiam Jeſuitæ, quia Chriſtiani ſunt; ratione communis hujus ſocietatis ſocii Chriſti erunt; & Chriſtus eorum ſocius. Neque mentitur Chriſtianus; qui ſe ſocietatem cum JESU habere profitetur; Si *Jeſuvitam* agat; licèt *mentiatur* & *veritatem non faciat;* ſi ſe ſocietatem cum

G

1. Joan. 1.

H

A JESU habere, hoc eſt, ſi ſe ſocium JESU eſſe ferat; & tamen *in tenebris ambulet;* ùt idem S. Joannes docet. Ad hanc ergo ſocietatem reſpiciunt, qui Jeſuitas aliquando *ſocios* JESU nominent, etſi ad noſtram quoque peculiarem fortaſſis oculos convertunt, quam non immeritò credunt, non modò eſſe ſocietatem nomine JESU inclytam; ſed & cum JESU, talem videlicet, qualem S. Joannes deſcribit; etſi non tam longè latéque diffuſam, nimirum, ùt peculiaris quædam cum JESU ſocietas eſt, neque ad omnes mortales pertinens.

B Porrò cauſæ, quas non Cycnus, ſed Coccyx noſter affert, cur Jeſuitas JESUS amare nequeat, ejusmodi ſunt, ut, ſi ad Calvinum & Calviniſtas applicentur, tam veræ & aptæ ſint futuræ; quàm falſæ & ineptæ nunc ſunt, cùm Jeſuitis accommodantur; id ut lector videat; partem earum adſcribere placet; nomine Ignatii duntaxat in Calvini nomen commutato.

C *Hæretici à Calvo geritis qui nomina patre,*
Diſpeream, ſi vos Chriſtus amare poteſt.
Humano generi fons & dator ille ſalutis;
Vos contrà innocuis omnibus exitio.
Cauponantum agmen flagris templo expulit ille:
Et dixit: precibus eſt ſacer ille locus.
Templa dicata Deo per vos ſpelunca latronum,
Per vos facta Dei eſt, magna taberna, domus.
Fraternum paſſim lex Chriſti inculcat amorem;
Exulat à veſtris, quàm procul ille locis.
Non uſtor Chriſtus, non ſector; vos dare flammis
Corpora, vos Chriſti membra ſecare juvat.
Plebem juſſa Patrum, natos ſervare parentum,
Exemplis Chriſti nos monet ordo ſuis.
Contra in honore magiſtratus, vel habere parentes
Calvini patris vos documenta vetant.
Calvini, in cujus juratis verba Magiſtri,
Spernere vos homines, hinc juvat, inde Deum.

Cætera ſuo loco examinabimus. Nunc ad totius Heliconis judicium appello; an non hæc in Calvinum & Calviniſtas aptiùs quadrent; quàm in Ignatium, Ignatiíque filios, quorum monita his, quæ prædictis verſibus explicantur, ex diametro ſunt oppoſita. Sed jam revertamur ad Lermæum, ne ſe negligi conqueratur.

D Altera ratio, cur Societas hæc à diabolo non ſit excogitata, & in mundum invecta, adeóque cur firmo aſſenſu nobis perſuadeamus, illum, qui Ignatio apparuit, non fuiſſe Diabolum, ſed JESUM filium Dei; ſumitur à concordia & Charitate; quæ in hac Societate JESU inter diverſiſſimas nationes, à quinquaginta jam annis, conſtanter perſeverat: Nam Diabolus non eſt pacis & concordiæ auctor; ſed ille, qui *Deus* & *Princeps pacis* ab Apoſtolo & Propheta nominatur; Non nego, à Diabolo ſectas & congregationes inſtitui poſſe; at ſine mora, propter rixas & immortalia diſſidia, parentem ſuum produnt, & documenta edunt, quanam ſint origine natæ. Non longè abierim. Teſtem laudo hujus ævi ſectam Lutheranam; quæ vix orta, tot ſectas peperit, E quot difficile numerare; quæ ſectatores ſuos ita inter ſe commiſit, ut rixandi nec finis ſit, nec modus. Quòd ſi qui pauci conſpirare, & concordibus animis ſimul jam degere videntur, fiat hujus tam arctæ conjunctionis periculum; degant ſimul in eadem domo; eadem menſa utantur, omnia in commune conferant, nemo uſurpet *meum* aut *tuum.* Videamus, utrum multitudini ita congregatæ futurum ſit *cor unum* & *anima una;* an tot corda, Actor.4. quot capita; tot animæ, quot perſonæ; tot rixæ, quot noctis dieíque horæ; tot jurgia, quot momenta.

F Idem iſtis contingeret, quod olim electis Manichæis, quos, cùm quidam ejuſdem ſectæ auditor & diſcipulus, Romæ, ob diſſolutos mores, unum in locum cogere; & diſciplinæ jugo aſtringere, vitámque ex regula Manichæi agere vellet, experientia didicit, quàm mutui pacificíque convictus impatiens ſit hæretica licentia; & quàm arduum ſit, parietem ullum firmum conſiſtere, qui *abſque temperamento linitur:* cùm enim Ezech. 13. auditor ille Manichæus apud nonnullos, inter quos etiam quidam Epiſcopus Manichæus, effeciſſet, ut eadem in domo, communíque lege & more vivere vellent, multis hoc ipſum detrectantibus; *Cæpit ita vivi, ùt placuerat*, inquit ſanctus Auguſtinus, in communi nimirum, & ſub diſciplina, & S. Auguſt. lib. 2. de moribus Manich. regula Manichæi, *& ut tanta præſcribebat auctoritas: cùm interim auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad id, quod non prior ipſe ſuſciperet: interea rixæ inter electos oriebantur creberrimæ, objiciebantur ab invicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabátque operam, ut ſeipſos in jurgando incautiſſimè proderent. Prodebant nefanda & immania. Ibi cognitum eſt, quales eſſent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum ſubeundam ſibi putaverunt eſſe. Jam de cæteris, quid ſuſpicandum erat, aut quid potiùs judicandum? Quid plura? Coacti aliquando murmuraverunt, ſuſtineri illa mandata non poſſe: Inde in ſeditionem. Agebat auditor cauſam ſuam complexione breviſſima, aut illa omnia eſſe ſervanda, aut illum, qui talia ſub tali conditione præcepiſſet, quæ nullus poſſet implere, ſtultiſſimum exiſtimandum. Vicit tamen; non enim aliter poterat, unius ſententiam effrænatiſſimus plurium ſtrepitus. Poſtea etiam ipſe ceſſit Epiſcopus, & cum magno dedecore aufugit. Hujus ſanè cibi præter regulam clanculo accepti, & ſæpe inventi ferebantur, cùm ei de proprio ſaculo diligenter occultato pecunia ſuppetceret.* Hæc ſanctus Auguſtinus de illo Manichæorum collegio, Sathanæ conciliabulo; ac proinde pacis & charitatis experte.

G

H An non idem contingeret Lutheranis & Calviniſtis, ſi ſimul degere cogerentur? probet, qui volet; exemplum Auditoris illius Manichæi ſecutus. Niſi ſimili eventu incepta & cogitata ſua irrita reddi viderit, non

recuſo

A recuſo; quò minùs me vanitatis redarguat. Quo ipſo planum faciunt, quo genitore ſint prognati; illo videlicet, qui omnis diſcordiæ ſator eſt & artifex, quíque mortalium corda ita diſtrahit, ut nullo amoris vinculo coaleſcere queant; Cùm interim oculis noſtris ſummam conſenſionem animorum in Religioſorum Ordinibus, & in hac noſtra Societate vigere intueamur; & quidem inter ingenia diſparia, inter homines diſparis alioquin ſortis, ita, ut, quod Iſaias de pace inter homines Evangelicæ legis futura vaticinatus eſt; jam veriſſimè de iis, qui in Societatis noſtræ diſciplinam adſcripti ſunt, dici queat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ovis ſimul morabitur; & puer parvulus minabit eos; vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo.* Verùm unde tantus amor, tantáque concordia, inter naturas tam diſcordes? unde tam admiranda commutatio, ut Leo robore confidentiſſimus ſeſe à puero parvulo, hoc eſt, à ſuperiore, unico verbo regi, duci & reduci ſinat? Num à Diabolo hæc tanta immutatio, hæc animorum conſociatio, hæc feritatis innatæ depoſitio proficiſci poteſt? certè nihil minùs. Propheta in gratiam & ſcientiam Domini cauſam conſenſionis refert: Ideo, inquit, hæc peraguntur, *quia repleta eſt terra ſcientia Domini.* Ergo ut hanc rationem concludam: ipſa conjunctio animorum, quæ in Societate noſtra durat, & viget, ſat argumenti cuivis intelligenti ſuppeditat, Lermæum impium & blaſphemum Sycophantam eſſe, cùm criminatur, non JESUM, ſed Diabolum Ignatio apparuiſſe, nec JESU, ſed diabolo duce, Societatem hanc ab Ignatio conditam eſſe. Uſque adeóne Calviniſta *obdurâſti frontem, ut mendacium ponas ſpem tuam, & exiſtimes te protegi poſſe mendacio, & quidquid finxeris tibi credendum putes?*

Iſaiæ 11.

B

S. Hier. contra Ruff.

C Cur verò Pontificem Romanum *Diaboli Vicarium* nominas? An & S. Petrus *Diaboli Vicarius* fuit? quia Pontifex Romanus Petri ſucceſſor eſt. Ergo diabolo promiſſæ ſunt claves regni cœlorum, verbis illis: *Tibi dabo claves regni cœlorum*; & collatæ verbis illis: *paſce oves meas.* Sed hæc tam impia ſunt & nefaria, *ut ea etiam replicare, ſit criminis.* Ait Lermæus, Ignatium *duodecim ſocios habuiſſe, iisque tanquam duodecim Apoſtolis ſeptum de mundi facie evertenda cogitâſſe.* Tam verſati ſunt in noſtris rebus, qui noſtras res criminandas ſibi delegerunt. Novem primos ſocios Ignatius habuit, decimus ipſe; non duodecim, decimus tertius ipſe; nec de alia mundi facie evertenda cogitavit, quàm de illa monſtroſa, quam hæretici mundo, velut larvam, ſuperinduxerunt. Nam nativam illam rerum faciem omni ope conſervandam, & ſi quibus maculis aut nævis infecta eſſet, pro virili expoliendam ſuſcepit.

Matth. 16.

Joan. 21.

D

Pergit ineptire Lermæus; *In primis illis JESUITIS nomen Apoſtoli ita invaluit, ut à Luſitanis, apud quos illi primi conſederunt, atque inde ad Indos navigârunt, ad totum Ordinem propagatum ſit, illúdque proprium JESUITIS fecerint: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Refert ſanctus Ignatius Epiſcopus Antiochenus & Martyr, veteris cujuſdam tale dictum: μηδεὶς ἀγαθὸς λεγέσθω κακῷ τὸ ἀγαθὸν κεραννύς. *Nemo aut habeatur, aut dicatur bonus, qui bonum malo miſcet*, ſeu, *qui bono admiſcet malum:* pari modo, nemo aut judicandus, aut appellandus eſt vir bonus, qui vero admiſcet falſum; quod Lermæus hoc loco præclarè facit. Verum eſt, Xaverium & Simonem Rodericum, qui primi ex noſtris in Luſitaniam venerunt, paſſim à vulgo Apoſtolos eſſe vocatos; At falſum eſt, nomen hoc inde ad univerſum Ordinem, etiam extra Luſitaniam, manâſſe: Falſum præterea eſt, Luſitanos oraculum illud: *in omnem terram exivit ſonus eorum, &c.* noſtris proprium feciſſe; quî enim potuerunt, cùm non ignorarent ante hos Evangelicæ doctrinæ præcones, alios extitiſſe; quorum ſonus in omnem terram exiverit? At Luſitani accommodârunt illud vaticinium noſtris Patribus. Non abnuo: Cæterùm aliud eſt aliquid accommodare, aliud tanquam proprium aſſignare. Prius illud fecerunt Luſitani; non autem poſterius. Sed etiam prius illud videtur Lermæo nimium. At ut ei nimium ſit, verum tamen eſt; Fortè ideo ei nimium eſt; quia verum eſt; quis enim terrarum tractus, quò Societatis noſtræ vox non penetrârit? Obi omnes mundi hujus plagas, ſive ad ortum, ſive ad occaſum; ſiſie ad ſeptentrionem, ſive ad Auſtrum; ſonus Societatis hujus, velis, nolis, aures tuas percutiet, licèt eas occludas aſpidis inſtar obturantis aures ſuas, *ne exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

E

F

G

Falſum denique eſt, primos Patres apud Luſitanos conſediſſe: nam ex primis Patribus duo tantùm in Luſitaniam, miſſu Ignatii, vocatúque Regis abiêrunt; Franciſcus Xaverius, & Simon Rodericus, quorum ille in Indiam trajecit, hic in Luſitania conſedit. Reliqui partim Romæ remanſerunt, partim in varias orbis partes, Pontificis mandato, diſceſſerunt. Sed ne Lermæus lectorem ſuis figmentis decipiat, veritatem hujus rei tranſcribere libet, ex Horatio Turſellino Societatis noſtræ Presbytero, qui vitam Xaverii litteris mandavit; is ergo cùm expoſuiſſet, quænam fuerit Xaverii & Simonis Roderici in Luſitania vivendi & agendi ratio, quódque inſtitutum, hæc verba ſubjecit: *Ad extremum eximia illorum virtus, rerúmque humanarum deſpicientia cuncta civitati miraculo fuit. Jam in vulgus relatum erat, duodecim Romæ ſacerdotes (duo enim ad decem illos acceſſerant) ſocietatem inter ſe coiſſe.*

H

Turſell. lib. 1. de vita Xaverii, cap. 10.

A *se. Ex quo numero, in duobus illis, quos apud se habebant, intueri sibi videbantur, nescio quod specimen vitæ Apostolicæ. Itaque eos populus, sive ex pari numero, sive ex quadam vitæ similitudine, Apostolos, nimis amplo scilicet vocabulo, appellare cœpit, & quamvis invitos & reclamantes vocitare perseveravit. Quippe natio Lusitana non minùs in cœptis constans, quàm in consiliis pia, nullis perpelli rebus potuit, ut revocaret, quod semel dedisset, ùt credebat, veritati. Quin etiam eò progressa res est, ut ad cæteros quoque è Societate tota fermè Lusitania idem cognomen perveniret.* Hæc Turſellinus.

B Hæretici ergo tum jure noſtris ſuccenſerent, ſi Apoſtoli honorificum nomen, aut ipſi ſibi arrogâſſent, ùt Lutherus fecit; aut ut ſibi imponeretur, fraudulenter procurâſſent. Quòd ſi inſigni vitæ ſanctimonia & ardenti Evangelicæ doctrinæ propagandæ deſiderio, Luſitanos permoverunt, ut primos illos Patres nominarent Apoſtolos; id non magis eis vitio vertendum eſt; quàm quòd Germani ſanctum Bonifacium; Norici, ſanctum Severinum; Bavari, ſanctum Rupertum; Angli, ſanctum Auguſtinum A-
C poſtolos nominârunt. Ut enim hæ nationes Bonifacium, & alios, ideo Apoſtolos vocârunt, quia eos Apoſtolicè vivere, & ab Apoſtolica ſede, Evangelii prædicandi cauſa, miſſos eſſe videbant, ita Luſitani, Xaverium & alios, eaſdem ob cauſas Apoſtoli nomine affecerunt. Utinam Calviniſtæ tam ſanctè viverent, ut Apoſtoli nomine digni eſſent: Quàm promptè & alacriter ſalutarentur à nobis Apoſtoli; ſed cùm eis deſit, quidquid ad rationem Apoſtoli pertinet, non niſi æquivocè dici poſſunt Apoſtoli; aut cum adjectione: *Apoſtoli Diaboli*: Ab hoc enim miſſi ſunt. Certè quocunque veniunt, digniſſimi ſunt *Apoſtolis*, ſed illis, qui apud Jureconſultos celebrantur; & nihil aliud ſunt, quàm *litteræ dimiſſoriæ.*

D Addit Lermæus, *cùm Pontifex de JESUITARUM fide dubitaret; ad ſexaginta eos coarctavit; ut fato quodam rurſus cum numero diſcipulorum Chriſti æquari viderentur. Quis ergo in his numeris divinum quiddam non agnoſcat?* primùm, Pontifex non dubitavit de fide noſtrorum; quia probè ſciebat eſſe Orthodoxos. Secundò, non dubitavit de fide, hoc eſt, de fidelitate noſtrorum, quia peculiari voto ſibi vel jam obſtrictos, vel propediem obſtringendos noverat. Cur ergo intra ſexageſimum numerum noſtros ſe ſe continere voluit? Non fidei probandæ cauſa, ſed ut probaret, utrum è re Eccleſiæ foret, talem Ordinem in Eccleſiam inducere: ideo etiam numerum illum præſtituit, quia prudentis eſt, res magni momenti lentè & deliberatè ſuſcipere vel inſtituere: ne poſtea magno dedecore eas, vel deſerere, vel abrogare cogaris. Itaque definitio illa non fuit argumentum diffidentiæ, ſed prudentiæ & circumſpectionis. Cùm ſanctus Franciſcus & ſanctus Dominicus Ordinum ſuorum approbationem à ſummo Pontifice E
peterent, non modò non impetrârunt eum, quem Ignatius impetravit, ſexaginta ſociorum numerum, ſed omnino repulſam tulerunt, donec Pontifex cœleſtibus monitis impulſus, eos, quos à ſe amandârat, ultrò advocaret, & poſtulata concederet, & quidnam celeberrimis illis familiis hæc Pontificis cunctatio damni attulit? An non plus lucis inde eis obvenit, quàm ſi absque difficultate & tergiverſatione res omnes ex animi ſententia ſtatim ſucceſſiſſent?

At qua ratione ſexageſimus numerus, numerum diſcipulorum Chriſti tibi repræſentat? Chriſtus præter Apoſtolos habuit diſci- F
pulos ſeptuaginta duos, ùt teſtatur ſanctus Lucas, cujus hæc verba: *Poſthæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Lucæ 10.
Patrum autem noſtrorum erant tantùm ſexaginta, ex Pontificis præſcripto. Nec effugies, ſi dicas, in horum numero numerare te etiam duodecim illos; Primùm enim non fuerunt duodecim primi; ſed decem tantùm, ùt antea dicebamus, licèt poſtquàm Romam veniſſent, duo ad decem primos acceſſiſſent, ùt ex Turſellino audivimus. Deinde, ſi ad ſexaginta adjicias duodecim, conficientur quidem ſeptuaginta duo; ſed falsò; quia additis quoque decem vel duodecim primis Patribus plures eſſe nequibant, quàm ſexaginta. Hos enim limites à Pontifice fixos tranſcendere non licebat; Non ſatis itaque diſpicio, quo modo huic Calviniſtæ numerus noſtrorum occaſionem dederit, tam piè G
de numero diſcipulorum Domini meditandi. Liquidò tamen mihi videre videor, Lermæum noſtrum non fuiſſe diſcipulum Chriſti, alioquin numerum diſcipulorum Chriſti meliùs tenuiſſet. Interim conſiderare velim Lermæum, vel loco ejus Calviniſtas, admirandam divini Numinis in præſtituendo illo, per Pontificis miniſterium, numero providentiam: ſi enim ſub initium Filius Dei duodecim duntaxat Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos ſibi ex tot millibus elegit, ita ut in univerſum prima illa Societas JESU (liceat ita, Calviniſtæ, veſtrâ patientiâ collegium illud Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti appellare) tantùm octoginta quatuor ſocios & collegas complexa ſit; Quid mirum, hanc alteram Societatem paulò anguſtioribus terminis initio circumſcriptam fuiſſe; cùm, ùt in aliis, ita etiam in numero ad exemplum JESU auctoris ſui accedere debuerit.

Sed nunc à numero noſtrorum reſilit Ler- H
mæus ad apparitionem Chriſti Ignatio factam, nec certo loco conſiſtit; ſed modò huc, modò illuc, quocunque furor rapit, defertur. *Quis*, inquit, *in ſpectro illo Angeli præſentiam non agnoſcat?* Imò præſentiam Angelorum Domini; Velis, nolis. Calviniſta, ùt ſuprà fusè oſtendi, & fuſiùs adhuc, cùm anno ſuperiore calumnias Miſeni, fratris tui, adversùs eandem apparitionem,

A nem, refutarem. *Angelus Satanæ*, inquit Lermæus, *transfigurare se solet in Angelum lucis.* Sciebamus hoc ex Apostolo, antequam Lermæus hanc introductionem scriberet. Quare causæ nihil erat; cur nos rei, nequaquam ignotæ, commoneret. Nam ut alia deessent, quæ perspicuè docent, eum, qui apparuit Ignatio, non fuisse Cacodæmonem; signum certè sanctæ Crucis id non improbabiliter testatum faceret. Vix enim proditum est, Diabolum aliquando, salutis nostræ trophæum humeris gestantem, spectandum sese præbuisse. Cùm capitalis ille hostis noster quadam vice sancto Martino oranti insidias tendere cogitaret, aspectabilis eidem astitit, os habitúmque Christi ferens, & simulans. Sed Martinus Crucem & Crucis stigmata videre desideravit, B neque sine his in animum inducere voluit, ut, quem coram cernebat, Christum esse crederet; Rem his verbis commemorat Sulpicius: *Prætereundum non videtur, quanta Martinum sub iisdem diebus diabolus arte tentaverit. Quodam enim die, præmissa præ se, & circumjectus ipse luce purpureâ, quò faciliùs claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auróque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, ut nihil mixtùs quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cúmque Martinus primo aspectu ejus fuisset hebetatus, diu multúmque silentium ambo tenuerunt. Tunc prior diabolus. Agnosce, inquit, Martine, quem cernis, Christus ego sum; descensurus ad terram, priùs me manifestare* C *tibi volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, nec quidquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine quid dubitas credere, cùm videas? Christus ego sum. Tum ille, revelante sibi spiritu, ut intelligeret diabolum esse, non Deum: Non se, inquit, Jesus Dominus purpuratum, & diademate renitentem venturum essè prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu formáque, qua passus est, nisi crucis stigmata proferentem, venisse non credam. Ad hanc ille vocem, statim, ùt fumus, evanuit, & cellulam tanto fœtore complevit, ut indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse.* Hæc Sulpicius. Crede mihi, Lermæe, Ignatius speciem illam, si diabolica fuisset, eodem modo, quo Martinus, spiritu oris sui dispulisset & dissipâsset.

D *Solet*, inquis, *diabolus perditos homines in ipso desperationis articulo deprehendere, ac deprehensis, si se audiant, opem suam polliceri.* Puto te hæc propria experientia edoctum, scribere. Cæterùm Ignatius perditus non erat, ùt perditis hæreticis videtur: Nec ad desperationem redactus fuerat; Quare hoc perditorum & desperatorum adjutore minimè egebat; deinde perditi & desperati, calamitatibus obruti, non confugiunt ad preces; quia precari sperantis est, non spem abjicientis: at Ignatius in vota precésque fusus, cœleste auxilium, à via digressus imploravit, nulla peculiari tunc adversitate E pressus; sed tantùm de Societate instituenda sollicitus. *Bruto*, inquit Brutus noster, *extrema quæq; cogitanti, idem spiritus adfuit, verbisque simillimis, visurum se Philippis denunciavit.* Ille Ignatio non procul à Roma adfuit, qui & beato Petro Roma abeunti, non procul à Roma adfuit: Nec dixit, ùt iste fingit; *Romæ me videbis*, sed; *Romæ vobis propitius ero.* Bruti genium relinquimus Calvinistis, qui, vereor, ne & Lermæo ægrotanti, animámque agenti adstiterit, eidémque hæc verba: *In Calviniano cœlo te videbo;* in aurem insusurrârit. Addit nugator, *dispari sorte eundem spiritum Ignatio & Bruto visum; nam Brutum Philippis præsens exitium reperisse; Ignatium Romæ in tabem medicis omnibus incognitam incidisse, quæ miseris & inusitatis modis affectum vix tandem enecârit. Ex hoc uno capitulo comprobabo,* utar enim verbis sancti Hieronymi, *ferream te frontem possidere fallaciæ.* Itáne Ignatius tabe lenta, medicis omnibus ignota, vix tandem enectus est? qui grandis jam natu, quippe sexagenario longè major, confectus tot laboribus, quos partim antè, partim post initam Societatem exantlavit, cùm pauciſſimos dies decubuisset, ex hac vita placidissimè migravit, morbi genere usitatissimo & quotidiano: cujus rei multi adhuc supersunt in Germania, Italia, & Hispania testes. Adeat lector Ribadeneiram, qui non modò vitam Ignatii sanctè transactam, sed & felicem ex hac vita excessum accuratè describit. S. Hieron. lib. 3. in Ruffin.

Quæ est autem ista Calvinistæ hujus mentiendi temeritas, *cui non sufficit contra omnes detractio; nisi specialiter contra beatum & insignem Ecclesiæ sacerdotem styli sui lanceam dirigat;* & quidem non modò contra ejus vitam, sed & contra mortem. Dicere solebat nescio quis, impudentem in oculis non habere κόρας, hoc est, *pupillas virgines*, sed πόρνας, hoc est, meretrices. Hinc & in sacris litteris frons perfricta & impudens, frons *meretricia* est. Certè tam projectè mendacia & convicia Calvinianus iste calumniator fundit, ut & frons & oculi, & tota facies, nihil aliud esse videantur, quàm πορνεῖον & prostibulum. Adeò inde catervatim impudentia emicat. Sed quid mirum, Calviniſtas non abstinere criminatrices linguas ab exitu Sanctorum; cùm ne ipsi quidem Salvatori morienti pepercerint; quem tradunt in Cruce, aut desperâsse, aut desperationis stimulis valdè exagitatum fuisse. *Non est major servus Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum.* Joan. 13.

Hactenus JESU & JESUITÆ nomina Lermæus maledictis fixit. *Nunc*, inquit, *pauca attingenda sunt, cur Societatis nomen cum JESU conjunxerint, nec enim ratio multis nota est.* Attinge ergo pauca, sed cura, ut ea pauca, & sine paucis, & sine multis mendaciis attingas; si tamen benè monenti obtemperare potes. Ais: *Cùm JESUS ille, qui se-*

F

G

S. Hieron. lib. 3. contra Ruff.

Plutarch. lib. de vitiosa verecundia.

H

A *cus viam Loiolæ apparuerat, ſub forma canis ſe aſpectandum præberet, eúmque emphaſibus horribilibus non rarò percelleret; myſterio id non carere, arbitrati ſunt:* Siſte gradum Lermæe; & jam hinc comprime greſſum; alioquin, ſi, quo cœpiſti, modo progrediaris, in inextricabilem mendaciorum, conviciorum, & blaſphemiarum voraginem præcipitaberis. Illéne JESUS, qui Ignatio viſus in templo, ſub canis ſpecie aliquando, ſeſe Ignatio ſpectandum præbuit? Linguam fræno dignam! Sed quali? Horret animus cogitare tantam, & tam intolerandam blaſphemiam. Sed ais: *JESUM illum fuiſſe Diabolum.* At non fuiſſe diabolum; ſed illum, qui in Cruce pro nobis mortuus eſt; illum, qui Stephano, cùm lapidaretur, viſus eſt; illum, qui aparuit aliquoties Apoſtolo Paulo; illum, qui ſe ſpectandum obtulit ſancto Petro Roma diſcedenti: illum, qui alios interdum ſanctitate præſtantes viros præſentia & aſpectu ſuo dignatus eſt; illum, inquam, ipſum, & ſi ita vis, ipſiſſimum Ignatio apparuiſſe, ſuprà duobus perſpicuis argumentis oſtendi, quæ cùm Calviniani refutaverint, plura proferemus.

B Deinde quis hiſtoricus ſcriptum reliquit, Ignatio diabolum, ſpecie canis, ſæpiùs aparuiſſe, & horribilibus emphaſibus percuſſe? Aut enim hoc tu finxiſti, aut ab Ignatio ipſo, aut ab aliis fide dignis accepiſti. Ex Ignatio te id cognoviſſe, qui Ignatium nunquam videris, quî credam? Ab aliis fide dignis ſi hoc accepiſti, nomina, oro, illos fide dignos, prodeant in medium; ſed quî prodirent, qui nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt? Reſtat ergo tertium, videlicet ex eodem fonte, ex quo cætera, figmentum hoc fluxiſſe. Sed faciamus, diabolum Ignatio ſpecie canis ſæpiùs apparuiſſe; quid tùm poſtea? omni culpa vacat ille, cui diabolus apparet, ſi non appareat ùt amico, non ùt confœderato, ſed ùt hoſti, & quidem capitaliter diſſidenti, & ſtatim armaturam Dei, ſcutúmque fidei arripienti, totóque impetu ad ſpirituales illas nequitias debellandas ſeſe accingenti. Non eſt in hominis poteſtate, ut diabolus ſeſe non objiciat ſpectandum ſub hac vel illa forma; parúmque intereſt, ſive ſerpentis, ſive hirci, ſive canis, ſive porci, ſive Prædicantis Lutherani aut Calviniani habitum aſſumat. Nihil culpæ contraxit Adamus ex hoc præcisè, quòd Cacodæmonem ſub ſpecie ſerpentis vidit: ſed quiâ malè ſuadentis conſilia non repulit; alioquin & Chriſtum culpa, cui ſpectabili forma impoſtor ille illudere tentavit. Culpa & alios ſine numero Sanctos, qui coràm ſæpè inſidiatorem illum contuiti ſunt. Sed *ſuperfluum puto, apertas ineptias confutare.* Videamus igitur, quid Lermæus ex his tartarei canis, à ſe confictis, apparitionibus concludat.

D *Itaque ſic ratiocinantes,* inquit, *canem eſſe animal ſociale maximè, animálque, ùt ille ait:* Φιλοσοφώτατον, *ſuorum turbam Societatem appellandam cenſuerunt, eandémque ob cauſam Philoſophiam & cynicam ita exercuerunt, ut omnes ante ſe homines longè ſuperaverint.* Occurrit mihi hîc, quod quodam loco in nugantem Celſum ſcribit Origenes: *Quæ anus mulcens infantulum non erubeſceret dicendo talia, qualìa hîc in opere, cui Veri ſermonis* (introductionis in artem Jeſuiticam) *inſcripſit titulum? Cùm enim deberet ſeriò contendere, omiſſis ſeriis ludit & ſcurratur, putans ſe mimos ſcribere, aut dicteria, non videns hoc alienum ab inſtituto volentis nos à Chriſtiana pietate ad ſua dogmata traducere. Qui ſi graviter loqueretur, fortaſſe credibiliora diceret; nunc quia cavillatur, ludit, ſcurratur, dicemus eum hoc facere; quod meliora non habeat, alioquin in tantam nugacitatem non incideret.* Exagitavit calumniator antea nomen JESU, ídque ſumma impietate à diabolo natum ſcripſit. Nunc alterum nomen ab eodem fonte derivat pari ſcelere; adeò enim nos oderunt hæretici, ut nomina etiam honeſtiſſima & ſanctiſſima propter nos oderint, & tamen *nomina odio digna non ſunt*, inquit Athenagoras; *niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis*, ait Tertullianus, *aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum;* quorum nihil in his nominibus Societatis JESU: Quid enim JESU, hoc eſt, Salvatore felicius? quid benedicentius? quid caſtius & integrius? cui ſimile nomen JESUITÆ; quippe à JESU Salvatore noſtro deductum, ùt ſuo loco jam probavimus. Quòd autem JESUITÆ nomen à JESU formatum eſt, id, ùt ſuprà docuimus, non accidit nobis procurantibus, ſed ſtudio & cura populi. *Quid verò novi*, inquit Tertullianus, *ſi aliqua diſciplina de Magiſtro cognomentum ſectatoribus ſuis inducit? Nónne Philoſophi de auctoribus ſuis nuncupantur; Platonici, Epicurei, Pythagorici? Nec tamen quemque offendit profeſſio nominis, cum inſtitutione transmiſſa ab inſtitutore. Planè ſi qui probat malam ſectam, & ita malum etiam auctorem, probabit & nomen malum, dignum odio de reatu ſectæ & auctoris.* At nomen Societatis, & ſacris literis, & omnium ſcriptorum monumentis celebratum eſt; illísque libris, quibus jus fáſque continetur, decantatum. Laudat Apoſtolus Deum, ob vocatos Corinthios *in ſocietatem filii ſui JESU Chriſti Domini noſtri.* Annunciat ſanctus Joannes Chriſtianis, quæ vidit, quæ audivit; *ut & vos Societatem habeatis nobiſcum*, inquit, *& Societas noſtra ſit cum Patre, & filio ejus JESU CHRISTO.* Omitto alia hujus generis teſtimonia. Illud miror; hunc Calviniſtam tam fuiſſe inſulſum & inſcitum, ut toto mundo audiente, Societatis nomen à cane, ſeu à diabolo, ſpecie canis viſo, Ordini noſtro impoſitum publicè ſcriberet. Quæ enim umbra veritatis in hoc figmento? quæ ſpecies probabilitatis in hoc mendacio? Primùm enim Ignatio nunquam apparuit diabolus ſpecie canis, & ut maximè appa-

Orig. lib. 6. contra Celſum.

Athen. apolog. pro Chriſt.

Tertull. in apolog. c. 3.

Tertull. loc. cit.

1. Cor. 1.

1. Joan. 1.

A apparuiſſet, quænam ratio impuliſſet Ignatium, ut à canibus Societatis nomen mutuaretur? An quia tanta & tam arcta Societas inter canes, præſertim inter ignotos & peregrinos? Quàm inter ſe ament canes Calviniani, mihi non ſatis compertum eſt. Apud noſtros certè valet illud, *quì pote, plus urget*, valentior jus omne Societatis in rictu & morſu conſtituit: Infirmior, ſalutem in fuga ponit. Ni faciat; fruſtrà ſeſe parùm ſocialiter acceptum clamabit & latrabit.

B At canis eſt animal admodum ſociale; Non nego: non tamen erga omnes, ſed erga certos; hoc eſt, in heros & benè de ſe merentes; ſed ſocialius, ut ita dicam, animal homò eſt, quàm canis, ùt vel cæco manifeſtum. Si ergo Ignatius ab aliquo animali, convictûs & conjunctionis ſtudioſo, nomen Societatis ad familiam ſuam tranſtuliſſet, credibile profectò eſt, eum reſpecturum, mentémque converſurum fuiſſe ad illud animal, quod natura ſua ſocietatis eſt cupidiſſimum; hoc autem homo eſt, non canis; præſertim cùm non canum cum canibus, nec canum cum hominibus, nec hominum cum canibus ſocietatem inſtituere cogitaret, ſed ſocietatem hominum ratione utentium, Deóque ſervire volentium. Nec

C nomen hoc à canibus tartareis accipere potuit. Quæ enim inter illos Societas, quæ amicitia? quæ voluntatum conſpiratio, niſi in improbitate, & exitio mortalibus ſtruendo? Quæ conſenſio, num ſocietatis vocabulum mereatur, meritò quivis, cui cor modeſtè ſitum eſt, ambigat; Ut enim ſummus Orator negat, conventum hominum ferorum & immanium, fugitivorúmque ac latronum unum in locum congregatam multitudinem, civitatem dicendam eſſe, eò quòd jus & æquitas, quæ vincula ſunt civitatis, ab omni hujusmodi cœtu exulet; ita dæmonum illam in nefariis cogitatis & cœptis concordiam, jure quis ſocietatem eſſe abnuat; cùm ſocietatis anima, nempe honeſtas, deſit.

Cic. in parad.

D Sed occurret Calviniſta, Societatem noſtram eſſe ſimilem illi, quali quali, ſtygiæ; quippe quæ ad malum duntaxat omni ope tendat: bonísque interitum perpetuò machinetur. Verùm hæc non niſi Calviniſtæ, aliíque Hæretici dicent: qui *nunquam non pergunt contra nos, à quibus ipſo* noſtro vivendi inſtituto *offenſi ſunt, nefanda quævis excogitare, & ſemper aliquid mali in nos patrare cupiunt:* libet enim uti defenſionis gratia, verbis Athenagoræ. Nam ſi ſcelerum gratia Societas hæc inſtituta eſſet, minùs profectò hæretici eam odiſſent; minus caninas linguas in eam exererent: Nunc cùm omnium improborum ſpiculis expoſita ſit, meritò inde conjicimus, eam eſſe probam & probitatis cauſa conſtitutam. Neque etiam Ignatius noſter familiæ à ſe collectæ, Societatis nomen indidit, quòd ipſe ſuo & poſterorum ſuorum nomine cum canibus Aver-

Athenag. apolog. pro Chriſtian.

ni fœdus & amicitiam iniiſſet, nósque eidem ſubſcribere voluiſſet; quæ enim *ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Qui conſenſus templo Dei cum idolis?* An credunt Calviniſtæ, nos adeò immemores eſſe ſeveriſſimi illius judicis & tribunalis, ad quod omnes ſtabimus; ut fœdus cum dæmone inire velimus: & ut hoc commodiùs præſtemus, mundo, omnibúsque, quæ in mundo quisque poſſidere poterat, valere juſſis, Religionis diſciplinam ſubeamus, Deóque paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſempiternam voveamus? ubi commodiùs diabolo ſervitur, in mundo; an in Ordine Religioſo?

E

F Eadem criminatio olim in Chriſtianos conjecta eſt; quam à nobis his verbis jam dudum depulit Athenagoras. *An verò*, inquit, *niſi Deum genus humanum reſpicere, eique præeſſe putaremus, adeò puritati & innocentiæ ſtuderemus? Nequaquam: ſed quoniam perſuaſi ſumus, Deo, qui & nos, & mundum hunc condidit, tranſactæ hîc vitæ totius rationem nos reddituros, moderatum, benignum, & plerisque contemptum vivendi genus delegimus, quippe nullum in vita tantum malum, etiamſi capitis periculum agatur, ſupervenire nobis poſſe arbitramur, quod non omnino ſit minimi, imò nihili faciendum; præ illa, quam à ſummo judice expectamus olim felicitate, manſuetæ, benignæ, moderatæq; vitæ cauſa, nobis promiſſa. An verò illi, quibus hæc ſententia inſedit,* (caſtitatem ſervatu eſſe impoſſibilem: ſola fide hominem juſtificari; Bona opera ad ſalutem non eſſe neceſſaria) *pietatis in Deum ſtudioſi videntur: nos non videmur; qui innocentia & ſanctitati vitæ omnem operam damus, ut devitemus judicium? Nos, inquam, qui præſentem vitam minimè magni facimus, &* G *illum duntaxat ducem pertranſeuntes ſequimur, quem utpotè Deum, cum Verbo ſuo cognoſcere optamus, ut quænam filii ad patrem ſit unio, intelligamus: quid Pater cum Filio communicet, quid ſit Spiritus ſanctus: quæ unitas trium: quæ unitorum, ſpiritus ſcilicet, filii & patris; & qui longè præſtantiorem, quàm verbis exprimere quiſque valeat, eam, quæ nos excipiet vitam, agnoſcimus; ſi puri ab omni crimine ad ipſum tranſierimus; qui denique adeò benigni ſumus, ut non amicos tantùm, ſed etiam inimicos diligamus. Tales, inquam, nos cùm ſimus, exiſtimamur impii. Et hæc quidem parva è magnis, pauca ex multis retulimus, ne nimiùm importuni aut moleſti eſſemus. Nam qui mel aut vinum explorant, exigua tantùm parte guſtata, de toto judicant.* Hæc Athenagoras pro utraque Societate JESU, videlicet illa omnibus Chriſtianis communi, & pro hac noſtra.

Athenag. loc. cit.

H Refutatis igitur Lermæi de nomine Societatis criminationibus videndum eſt, quænam ratio Ignatium permoverit, ut Religionem abs ſe in Eccleſia Catholica inſtitutam, Societatem nominaret, ídque percommodè,

A modè, ex Societatis notione & definitione intelligemus. Definitur Societas ab eruditis: *Duorum pluriúmve conventio, inita ob commodiorem usum & quæstum.* Hanc Societatis rationem intuens Ignatius Ordinem suum Societatis titulo indigitavit. Voluit enim eam esse plurium conventionem, ob commodiorem usum; *Frater enim, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Item ob commodiorem quæstum; quia tum quæstus, qui ad nos propriè redit, amplior est Societate inita, quandoquidem quis particeps est *omnium* Deum in illa Societate *timentium;* tum etiam quæstus, qui ad proximos redundat, multis nominibus uberior esse solet. Has igitur utilitates, quæ Societatis definitione continentur, spectans Ignatius, familiam suam Societatis vocabulo insignivit; quæ commoda multò expressiùs describuntur in ea Societate, quam Judæi, Auctoribus Machabæis, cum Romanis & Spartiatis contraxerunt. Nam quæ

B leges illius Societatis fuerunt, has etiam Ignatius inter socios hujus familiæ observari desideravit. Ita autem verba Societatis illius sese habent: *Si insti terit bellum Romanis priùs, aut omnibus sociis eorum, in omni dominatione eorum: auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno: Similiter autem, & si genti Judæorum priùs acciderit bellum; adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit.* Et in litteris Societatis initæ inter Judæos & Spartiatas, talis effectus & fructus describitur: *Nos in omni tempore, sine intermissione, in diebus solennibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri, in sacrificiis, quæ offerimus, & in observationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum. Lætamur itaque de gloria vestra.*

C Spartiatæ vicissim in epistolâ sua ad plebem Judæorum; quæ sint veræ societatis emolumenta, verè declarant. *Pecora nostra & possessiones nostræ,* inquiunt, *vestræ sunt, & vestræ, nostræ.* Ergo cùm hos & id genus alios fructus tantámque animorum consensionem, mutuúmque subsidium Ignatius in Ordine suo florere cumprimis cuperet; Societatis titulo eum exornavit, ut socii ipso nomine, quid sui muneris esset, condocefierent. Quæ autem sociorum sint munera, vivis coloribus depingit Societas illa inter

D Romanos & Judæos, intérque hos & Spartiatas. Qui volet, singula latiùs deducat, & à civili illa societate ad spiritualem, qualis nostra, transferat: habebit copiosam meditandi & salubribus cogitationibus pascendi animi materiem. Ego ad alia propero, ne Lermæum nimis diu morer, qui, quòd Societatem nostram appellat Cynicam, agnosco latratum à cane editum, cui aliud non oppono, quàm illos Poëtæ versus: *Non scis Hecubam quapropter canem Graii esse prædicant? Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis; omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat, itaque jure adeò cœpta est appellari canis.* Sed E ramen dum rem attentiùs considero, nihil causæ esse video, cur Lermæo succenseam: dummodò eo sensu Cynicam canúmque appellationem nobis attribuat, quo sanctus Gregorius Nazianzenus Heroni, cùm eum his verbis alloquitur: *Adesdum canis non petulantia atque impudentia, sed vitæ libertate, non oblatratione, sed recti custodia, noctibúsque illis, quas pro animarum salute pervigiles traducis, atque eo etiam nomine canis, quia virtutis familiares ac domesticos mulces, externos latrando insectaris.*

Proverb. 18.

Nazianz. orat. in Heronem.

CAPUT III.

Refutantur ea, quæ Lermæus de JESUITICÆ artis definitione nugatur.

QUa fide tractavit Lermæus notionem F & etymon nostri nominis tam Societatis, quàm JESU & JESUITÆ, eadem explicat nunc definitionem *artis*, ùt vocat, JESUITICÆ, in quam lectorem, hac sua introductione introducere pollicetur: JESUITICA, inquit, *est monachismus practicus, à Monachismo non magis differens, quàm species à genere.* Subtilis sanè definitio, & ex intima Dialectices arte profecta, & cui Porphyrius nullam in tota sua introductione parem attulit; nam nec genere, nec differentia, nec materia propria, nec forma, nec proprietatibus, nec accidentibus constat, & præterea nugax est & ruris plena; nam nominato positóque in definitione, genere, & differentia, qua res à cæteris secernitur, non opus est longam orationem texere, à quibus res definita distinguatur, & quanam ratione; nam ipsa definitio ritè tradita hæc omnia pandit. JESUITICA, inquit, *est monachismus;* perinde ac si diceret; *Leo est equus,* G aut, *equus, leo;* speciem per speciem definiens; nam *Monachismus* non est genus *Jesuitismi:* (libet enim in gratiam Lermæi nova nomina fabricare) sed uterque species est comprehensa sub communi quodam genere, quod si videtur, *Religionem* seu *Religiosum* vocemus; nam Religiosorum alii Clerici sunt; alii, Monachi; sub priori specie quasi subalterna, continentur cùm alii Regulares Clerici, tum JESUITÆ, atque adeò H JESUITICA; sub posteriore variorum Ordinum Monachi. Societatem autem nostram contineri sub specie *Clericorum Regularium*, testem inprimis do Concilium Tridentinum, quod Religionem hanc, *Religionem Clericorum* nominat; deinde varios Pontifices, qui vel instituerunt, vel confirmârunt hanc Societatem; nunquam enim Monachorum, sed Clericorum Ordinem appellant. Cæterùm id, opinor, res est, quod eam rei auctores & Pontifices esse voluerunt: non quod calumniatoribus visum est. At institutores hujus Societatis voluerunt, hanc Societatem esse congregationem Clericorum regularium. Talis ergo erit, licèt Calviniste

Concil. Trid. sess. 25. c. 16.

A viniſtæ dentibus frendeant & tabeſcant. Interim, ſi de ſolo nomine pugna eſt, síque nos ideo capitali odio Calviniſtæ oderunt, quia Clerici, non Monachi ſumus & appellamur, libenter in eorum gratiam Monachiſmo nos annumerari, Monachósque nominari ſinemus; ùt enim appellatio hæc antiquiſſima, ita & ſanctiſſima eſt. Si ſolum nomen Clerici Calviniſtas à nobis alienat, Monachi Calviniſtis fieri & appellari volumus: imitati Apoſtolum, qui omnibus omnia factus eſt, ut *omnes lucrifaceret;* Sed alia cura coquit hæreticos; Quantum amant nomen Clerici; tantum diligunt etiam nomen Monachi, & quanti faciunt homines Clericorum nomine ſignificatos, tanti faciunt homines nomine Monachorum ſignificatos; in quos ſanè eximii cujuſdam amoris luculenta documenta hoc noſtro ſæculo ediderunt.

B Sed ad definitionem regrediamur: ut definitio proba ſit, & ex arte, oportet etiam, ne ulli; niſi rei, quæ definitur, competat; Quod vel Logicæ tironibus notum, apud quos frequens illud: *ne definitio latiùs pateat definito.* Ad præceptionem hanc egregiè conformavit ſuam definitionem Lermæus: Nec ſecus ac ille, qui definiebat, *hominem eſſe animal implume bipes;* nam ùt hæc definitio in gallum deplumatum perfectiſſimè quadrat: ita & definitio JESUITISMI à Lermæo tradita, examuſſim convenit in ordinem, ſeu, ùt hæreticus loquitur, *in artem Franciſcanam, Dominicanam,* & in omnes alios Monaſticos cœtus, qui actionem cum contemplatione conjunxerunt, & proximo operam navare inſtituerunt; eſt enim Ordo ſancti Franciſci *Monachiſmus practicus, à Monachiſmo non magis differens, quàm ſpecies à genere:* Ordo ſancti Dominici eſt *Monachiſmus practicus, à Monachiſmo non magis differens, quàm ſpecies à genere,* & ſic

C de cæteris. An non præclara hæc Lermæi definitio? quæ tam commutabilis, ut vix tritiſſima illa regula Lesbia, tam commutabilis fuiſſe videatur; & tamen hunc ſuum fœtum reputat iſte ſimius tam pulchellum, ut dicat eſſe, qui huic definitioni invideant: *Definitio hæc,* inquit, *non caret invidia.* Ego certè ei non invideo, potiùs miſereor illius, tam eſt miſera, & inepta. Video tamen, quo ſenſu verum ſit, eam non carere invidia; quia invidia in JESUITAS eam Lermæo dictavit; eadem invidia tabe ſua eam tinxit: cúmque domus invidiæ, in qua hæc definitio nata eſt, ſit *imis in vallibus antri abdita, ſole carens,* &, *quæ igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet,* nulli mirum videri debet, ſi tam inſulſa definitio inde exſtiterit; Quid enim probi prodeat ex ſpelunca invidiæ?

D *Definitio,* inquit Lermæus, *à JESUITIS & Monachis ſimul oppugnatur.* Meritò, quia monſtrum eſt informe; nec JESUITIS, nec Monachis tolerabile. Et hæc legitima cauſa eſt, cur definitio hæc ab utrisque oppugnetur, non autem, quam tu aſſignas. E

JESUITÆ, inquit, *indignantur, ſe in idem album cum atratis Monachis referri.* Adeò non indignantur, ut ſibi hoc etiam nomine gratulentur, quòd ab improbis accenſeantur & annumerentur probis, hoc eſt, monaſticæ vitæ profeſſoribus: cum quibus nobis ſocietas, amicitia, & fraternitas; quia militamus ſub eodem ſupremo Imperatore, licèt ſub diverſis ſignis. Uſurpare poſſumus illud, quod Spartiatarum Rex Onias ſcripſit Hieroſolymam ad Jonatham ſacerdotem Magnum: *Inventum eſt in Scriptura de Spartiatis & Judæis* (JESUITIS & Monachis) *quoniam ſunt fratres, & quòd ſunt de genere Abraham,* quia *opera Abrahæ faciunt.* 1. Mach. 12.
Nos itidem Monachis (& illi nobis) tanquam ſociis, amicis, & fratribus precamur, quod Romani Judæis, ſocii ſociis, amici amicis, fratres fratribus. *Benè ſit Romanis & genti Judæorum, in mari & in terra in æternum: gladiúsque & hoſtis procul ſit ab eis.* Quin & hoſtes illorum pro noſtris hoſtibus ducimus; omnibúsque, qui eis negotium faceſſere audent, denunciamus, id, quod Romani denunciârunt Regi Demetrio: *Quare gravâſti jugum tuum, ſuper amicos noſtros & ſocios Judæos? Si ergo iterum adiêrint nos adverſum te, faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum terra marique.* Certè Bellarminus inter diſputationes ſuas, integrum pulcherrimúmque librum defendendis, & ab injuriis hoſtium aſſerendis Monachis tribuit. Deinde JESUITÆ non indignantur, quòd à Calviniſtis Monachi vocantur, licèt non ſint *Monachi.* Si enim æquo animo ferunt, Domino ita jubente, quando à Calviniſtis, aliísque hæreticis nominantur *ſeductores, impoſtores, hypocritæ, nebulones, patriæ turbatores, parricidæ,* cur venerabile Monachi nomen eis bilem cieret? Joan. 8. 1. Mach. 8. F

G Ait Lermæus: *Indignantur Monachi ſua privilegia JESUITIS communicari, à quibus, ceu majorum gentium Epiſcopis in infimum Ordinem amandantur.* Unde novit Lermæus Monachorum privilegia nobis conceſſa, & hanc conceſſionem Monachis moleſtam eſſe, & ſtomachum movere? An quia ipſe nos Monachos, & Poëta, qui Lernæum librum epigrammate ornavit, ſeſquimonachos appellat, ideo ſtatim privilegiorum, vel ſeſquiprivilegiorum, quibus Monachi gaudent, nos participes fieri credit? Quaſi videlicet Calviniſtæ cum nomine privilegia nobis tranſcribere queant. Sed valdè vereor, ne quo jure nobis Monachorum nomen attribuunt, eodem privilegia Monachorum donent. Quòd ſi Societati huic privilegia nonnulla à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, id nimirum ſine Monachorum injuria factum eſt; tum quia privilegia non deſinunt eſſe privilegia, licèt cum aliis communicentur; tum quia ſupremus Eccleſiæ gubernator & præſes, liberalitatis ſuæ fon-

H

A tes aperire poteſt, omnibus, quos hoc beneficium mereri judicaverit: & ſi qui eſſent, qui illud objicerent: *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.* Idem meritò reſponſum reportarent, quod retulit ille à Domino vineæ. *Amice, non facio tibi injuriam, volo autem & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi.* Nec Monachi indignantur, Societatem hanc privilegiis à ſummis Pontificibus exornatam, ſed Calviniſtæ Monachos indignari mentiuntur: Ordines, inquam, Monachorum; nam quoſdam privatos reperiri, quos livor *tabificum malis venenum* agitet, quid mirum in hac naturæ corruptione, morúmque perverſitate?

Matth. 20.

B Quòd verò ait: *Monachos à nobis, tanquam majorum gentium Epiſcopis, in infimum Ordinem amandari*, id videlicet tam verum eſt, quàm verum eſt, nos majorum vel minorum gentium Epiſcopos eſſe. An non retinent Monachi locum & ſtationem ſuam in Eccleſia, quam tenebant, antequam Societatis JESU nomen mundo innoteſceret? Quos, quæſo, de gradu ſuo dejecit Societas, omnium Religioſorum familiarum *minima?* quod elogium à parente noſtro Ignatio acceptum ſtudiosè retinemus, & retinebimus, non dicis tantummodò gratia, ſed ex animo.

C *In Tridentina Synodo*, inquit Lermæus, *cùm de proëdria lis inter patres verteretur, aſſignatum ſibi inter Monachos locum, ſuæ dignitati imparem exiſtimârunt.* Quo auctore hæc narras Lermæe? Vulgo fortaſſis & fama vulgi. At *multum in utramque partem crebrò fama mentitur, & tam de bonis mala, quàm de malis bona falſo rumore concelebrat*, ùt veriſſimè ait ſanctus Hieronymus, toties & ipſe in ſe expertus, quale monſtrum ſit fama: cujus tu perquam fidus famulus; promptus non tam legere, & ſpargere vera, quàm falſa, ùt ille apud Comicum, qui hæc de ſe ipſo: *Quæ vera audivi, taceo & contineo optimè. Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt; continuò palam eſt.* Res ita ſe habet, ùt cognovi ex Patre Julio Priſcianenſi Societatis noſtræ presbytero, qui eo ipſo tempore Tridenti degebat; & ea, quæ gerebantur, non modò auditione accepit; ſed & coram ſpectavit, ut proinde non ſit auritus modò, ſed & oculatus teſtis, quem decem auritis, & mille nec auritis, nec oculatis præſtare Lermæis, veteri verbo monemur.

S. Hieron. epiſt. 131.

D Pius IV. Pontifex Maximus cum Cardinali Ferrarienſi Legato ſuo miſerat Patrem Jacobum Laines, Societatis noſtræ Præpoſitum Generalem, in Galliam; addito hoc mandato, ut confectis in Gallia negotiis, ſine mora ſeſe Tridentum ad Concilium reciperet. Quò cùm veniſſet, Magiſter cæremoniarum, & alii Antiſtites conſultârunt de loco, ordine, ſeſſione, & ſtatione hujus Generalis. Cùm enim Generalis eſſet Clericorum; Clerici autem ex antiquo Eccleſiæ more, in Eccleſiaſticis conventibus & conſeſſibus Monachos antecedant, omnino decere arbitrabantur, ut ſedem reliquis Ordinum Generalibus priorem capeſſeret. Ipſe verò Laines ultimum locum ſibi depoſcebat; eo argumento, quòd Religio, cui præerat, ùt ortu, ita etiam dignitate poſtrema eſſet. Sed huic tam modeſtæ voluntati & petitioni Cardinales Legati locum non dederunt, rati, ſummiſſionem hanc & modeſtiam fraudi fore Clericis. Decreverunt ergo, ut Pater Laines non cum reliquis Generalibus; ſed cum Epiſcopis ſederet, ultimus poſt ultimum Epiſcopum: quia verò hæc res, ùt fit, uberem ſermonibus materiam ſuppeditabat, quaſi Pater Laines locum illum malis artibus quæſiviſſet & ambiviſſet, Illuſtriſſimi Cardinales, ad Concilium Tridentinum Pontificis nomine Legati; Gonzaga, Hoſius, Seripandus, Simoneta, ampliſſimum teſtimonium & publicum inſtrumentum confici curârunt, adjunctis propriis ſigillis & Chirographis, quo teſtati ſunt, totam hanc rem ſuo, non Patris noſtri Generalis nutu & impulſu ita inſtitutam, actam & tranſactam eſſe. Quod clariſſimorum Principum teſtimonium adhuc apud noſtros aſſervatur, & ipſe *diligenter vidi & legi*, inquit ille idem, quem antea teſtem laudavi, Pater Julius Priſcianenſis. Quis ergo *credet, aut te*, Lermæe, *verum dicere, aut illum potuiſſe mentiri*, ut de te, & illo uſurpem: quod ſanctus Hieronymus dixit de Ruffino, & ſancto Epiphanio. Deberent Calviniſtæ hujuſcemodi *deliramenta dimittere, & prandiorum cœnarúmque fabulas non tenere pro argumento veritatis*; fieri enim poſſet, *ut, etiamſi verum audiſſent, alius, qui hujus rei ignarus eſt, dicat, ab ipſis eſſe compoſitum, & quaſi Philiſtionis vel Lentuli ac Marilli ſtropham* Calviniano *ſermone confictum.* Quod periculum multò magis jam eis imminet, quando nihil aliud, quàm fabulationes narrant.

E

F

G

S. Hieron. lib. 2. contra Ruff.

H *Urgent*, inquit Lermæus, *ut JESUITÆ depoſita tandem perſona Monachis aut Epiſcopis ſe adſcribant.* Quinam urgent? Monachi an Epiſcopi, an Calviniſtæ? Qui fortè legationem miſerunt ad JESUITAS, ſicut Judæi ad Joannem, ut interrogarent; *tu quis es?* Fortè inter hos Legatos non infimum locum tenebat Lermæus. Sed ùt Joannes libera voce profeſſus eſt, ſe neque Chriſtum, neque Propheram, neque Heliam eſſe, ita quivis JESUITA rogatus luce palàm fatebitur, ſe neque Monachum, neque Epiſcopum, ſed Clericum, & quidem Regularem Clericum eſſe, non quòd aut nomen Monachi, aut nomen Epiſcopi non ſit ſat honorificum, ſed quia unaquæque res muneri & origini ſuo convenienter appellanda eſt. Nomina *Chriſti, Prophetæ*, & *Heliæ* pulcherrima ſunt, nec in ſpeciem tantùm, ſed re ipſa ſpecioſiſſima; & tamen nullum ex iis admiſit Joannes; quia id, quod erat, vocari,

Joan. 1.

A cari, & ſuo, non alieno nomine, affici volebat.

JESUITÆ, inquit, *neutris ſe adjungunt, ſed modò ad hos, modò ad illos divertunt, amborum, ùt lubet, participes.* Præter Monachos & Epiſcopos ſunt in Eccleſia Clerici, inferioris gradus & Ordinis, quàm ſint Epiſcopi, his ſe adjungunt JESUITÆ; Monachis nos adjungimus tanquam commilitones, commilitonibus; amici, amicis; fratres, fratribus. Epiſcopis autem, ùt ſervi heris: ſubditi ſuperioribus. Mirari verò ſubit, cur iſte Calviniſta nos novo calumniæ genere Epiſcopos, aut Semiepiſcopos eſſe mentiatur; Nam ſi loquatur de Epiſcopis, qui primas in Hierarchia Eccleſiaſtica tenent, tam liquet, nos non eſſe
B Epiſcopos, quàm Lermæum non eſſe virum probum. Epiſcopus & Epiſcopatus ſeſe mutuò reſpiciunt, ponúntque ſimul & tollunt. Ubi noſtri Epiſcopatus? Certè ſi ſinguli JESUITÆ Epiſcopi eſſent, vix totius Europæ Epiſcopatus ſufficerent. Quid ergo veris & legitimis Epiſcopis reſtaret? Fortè amandabit nos in Aſiam & Africam: iſthic enim nobis Epiſcopatus deſignatos eſſe, ſaltem titulo tenus. At quî ſcit Lermæus, quod nemo noſtrûm ſcit? Quod de Chriſtiano dicit Tertullianus, *Chriſtianus non naſcitur, ſed fit*; id de Epiſcopo dicere licet; *qui non naſcitur, ſed fit.* Si igitur JESUITÆ ſint Epiſcopi, oportet, ut tales fiant, & creentur. At quando? An cùm in Societatem
C adſcribuntur? Nihil profectò minùs tunc eis proponitur, quàm honos Epiſcopalis. An cùm ſacerdotio initiantur? At alia eſt ſacerdotum conſecratio, alia Epiſcoporum. Et ſi JESUITÆ hoc ipſo fierent Epiſcopi, quòd ſacerdotum honore inſigniuntur, ſequerentur duo, Lermæi pronunciatis non ſatis conſentanea: Alterum, omnes omnino ſacerdotes, etiam non JESUITAS Epiſcopos eſſe, quod ipſe minimè concedit; quippe qui nôrit, plurimos ex Monachorum Ordine, ſacerdotes eſſe, nec tamen Epiſcopos. Alterum, non omnes JESUITAS Epiſcopos eſſe; quia multi ex eorum numero, ſacerdotio non ſunt initiati. At Lermæus noſter contendit, omnes JESUITAS, nemine excepto, Epiſcopos eſſe.

Quòd ſi JESUITÆ non ſunt Epiſcopi, ea
D notione, qua apud orthodoxos ex Apoſtolica traditione, usúque communi tam doctorum quàm indoctorum nomen Epiſcopi uſurpatur, neceſſariò inde conficitur, JESUITAS nec Seſquiepiſcopos, nec Semiepiſcopos eſſe; quia in Catholica Eccleſia, quisquis Epiſcopus eſt, is unus & ſimplex, non Seſquiepiſcopus eſt: idem etiam totus, non ſemiepiſcopus eſt. Viderint Calviniani ſemihomines Caci, ſemiferíque Dii, ſemideíque feri, num quòd ſunt, dimidiati tantùm eſſe queant. Fortè JESUITAS vocat Epiſcopos eo ſenſu, quo Calvinianus ille miniſter ſeſe τῆς ἐν μοντιλίῳ αἱμαρίθ ἐκκλησίας ἐπίσκοπον; *Eccleſiæ, quæ eſt in Montilio Æmarii Epiſcopum.* Sed apage hujusmodi Epi- E
ſcopos, non ſunt Epiſcopi, ſed ἀλλοτριοεπίσκοποι, quo vocabulo utitur S. Petrus; interpres vertit: *Alienorum appetitores;* Rectè; nam gregi non ſuo, ſed Chriſti, quia Chriſti ſanguine redempto, furaces oculos prædandi cauſa adjiciunt. Non ſunt Epiſcopi, ſed *Epiſcoti;* tenebriones & lucifugæ; quo nomine ſanctus ille Martyr Stephanus, quem juniorem dicunt, Iconomachorum Epiſcopos indigitat. Non ſunt Epiſcopi, ſed Cataſcopi, hoc eſt, *exploratores & proditores;* quod nomen Pſeudoepiſcopis Arianis tribuit ſanctus Athanaſius: Denique Epiſcopi non ſunt, ſed *Apoſcopi;* quia à ſcopo Chriſtianis præſtituto, & à toto cœlo aberrant, aliósque (quod dictu miſerandum) ab eodem abducunt.

I. Petri 4.

In vita S. Stephani, inter opera Damaſceni.

Sed nunc audiamus, quo modo Lermæus F
probet, JESUITAS amborum, hoc eſt, Monachorum & Epiſcoporum participes eſſe. *Cùm Monachum*, inquit, *ſolitudo juvet & otium, ipſi quoque ſe à populo ſegregant, ne curarum terrenarum contagione afficiantur.* Profeſſione & mente à turba ſejuncti ſumus; non habitatione & victu; nam quî nos à populo ſegregamus, qui in mediis & frequentiſſimis urbibus domicilia poſuimus? Neque ad ſolitudines Ægypti aut Thebaidis migrare poſſumus, ſi miniſteria nobis præſcripta obire velimus. Et ut in vaſtis deſertísque locis degeremus, an ob id neceſſe eſſet, nos otioſos vitam tranſigere? Nullúmne negotium extra forum ſtrepitúsque humanæ ſocietatis eſſe putas? Plus negotii in
G ſuo illo ſeceſſu habuiſſe arbitror ſanctum Paulum primum Eremitam, & ſanctum Antonium, quàm unquam habuerit Lermæus, atque adeò nunquam minùs fuiſſe otioſos, quàm cùm otioſis iſtis & Calviniſticis ventribus videntur fuiſſe maximè otioſi. *E diverſo*, inquit Hæreticus, *cùm Epiſcopi munus actione contineatur, ipſi quoque animi gratia ad populum declamant; Sacramenta ſua ſanis, ægris, publicè ac privatim ingerentes.* Non ſolùm Epiſcopi munus actione continetur, ſed & aliorum Clericorum, imò & plerorúmque Monachorum, qui actionem cum contemplatione junxerunt. JESUITÆ igitur praxin cum theoria copulantes non modò Epiſcopos, ſed & alios in Eccleſia Dei Ordines, gradúsque & imitantur, & imitati ſunt, & ut maximè praxin ab Epiſcopis mutuati eſſent, num ob id Epiſcopi eſſent, præſertim cùm multa gerant Epiſcopi ratione Ordinis & juriſdictionis, quæ nulli inferioris ſtatus ſacerdoti, nedum communiter omnibus JESUITIS, competere queant.

H

Adhæc, num tu Epiſcoporum vitam, qui in ſummo perfectionis culmine conſiſtunt, à quibus toti commiſſo gregi ſalus manat, in ſola actione poſitam cenſes? Certè ſi ullis ſubſidium contemplationis neceſſarium eſt, iis vel maximè neceſſarium eſt, ut videant,

deant, quid facto ſit opùs, atque rebus agendis per orationes ad ſuperos fuſas quaſi ludis
A men accendant. Moyſes ingentis multitudinis Epiſcopus erat, & Superintendens, licèt non Calvinianus aut Lutheranus; vitam agebat negotioſiſſimam. An theoriam neglexit, qui quadraginta dies in monte poſuit ſolus cum ſolo Deo colloquens, quíque rerum divinarum contemplationi tam deditus fuit, ut à Græcis vulgo θεόπτης, *contemplator Dei*; & in titulo Pſalmi, *homo Dei*,
Pſal. 89. nominetur, propter ſtudium orationis & contemplationis, ùt eo loco explicat ſanctus Gregorius Nyſſenus. Si ergo JESUITÆ ſuam vivendi rationem ita temperârunt, ut praxin cum theoria, quaſi ſtabili connubio jungerent; id videlicet, nec primi febles, qui utriusque curam ſuſciperent, ne-
B que id ſine veterum exemplo fecerunt, ut proinde nihil cauſæ videam, cur Lermæus vociferetur, JESUITAS *inauditum & inuſitatum vivendi inſtitutum in mundum introduxiſſe*, ea ſolum de cauſa; quòd non ſibi tantùm; ſed & aliis vacant, operámque & induſtriam ſuam intra privatos parietes non coërcent. Nam & ante JESUITAS non modò Epiſcopi, verùm etiam alii Eccleſiaſtici, & plurimi quoque Religioſi populum ex ſuperiore loco erudiebant, & Sacramenta adminiſtrabant publicè & privatim, & in ſcholis Philoſophiam & Theologiam profitebantur. Quòd ſi Societas paulò plures functiones ſuſcepit, praxínque latiùs protulit, quàm fortaſſis cæterarum Religionum Profeſſores, id ideo factum eſt; quia conditio & neceſſitas hujus ævi id exigebat, omnium prudentum judicio. Solet autem tam Deus, quàm Dei Vicarius in inſtituendis Religioſis familiis, temporis rationem habere, ut ex novarum religionum inſtitutione, quàm uberrimus fructus ad Eccleſiam redundet.
C Quapropter, quòd Societas juventuti bonis quoque litteris erudiendæ tam impensè ſtudet, id non eſt πολυπραγμοσύνη & curioſitas, ſeu ſuperfluarum occupationum vanus amor; ſed ſi juventutem ſpectes, & ſæculi hujus genium, neceſſitas eſt; ſi noſtros ſpectes, Charitas eſt. Quod enim majoris charitatis indicium, quàm ut vir religioſus, juventutis gratia, ad litterarum, quaſi incunabula regrediatur; & cum pueris quodammodo repueraſcat; quæ ſanè res adeò non eſt πολυπραγμοσύνης apta materia; ut plerique, quos meliora ſapere amor
D Dei non docuit, quidvis potiùs, quàm hoc facere malint. Ignoſco tamen Lermæo, quòd nos πολυπραγμονεῖν ob noſtras functiones arbitratur. Etiam lupo ſedulus paſtor πολυπραγμονεῖν videtur; cùm oves ſollicitè cuſtodit, cùm lupo aditum cautè obſepit, cùm non modò oves jam robuſtiores diligenrer tuendas ſuſcipit, ſed & agnos, adhuc tenellos, & in nullis luporum periculis verſatos magna cura protegit, & quaſi E
ad futura diſcrimina evitanda erudit.

Quòd ſi πολυπραγμοσύνης rationem penitiùs introſpicere velimus, perſpicuè intelF ligemus, hoc vitium, quod nobis Lermæus tribuit, Lermæo & Calviniſtis ineſſe. Ait Plutarchus, πολυπραγμοσύνην eſſe φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν ὅτε φθόνε δοκοῦσαν καθαρεύειν, ὅτε κακοηθείας, *curioſitatem eſſe cupiditatem indagandi aliena mala; neque ab invidia, neque ab improbitate morum planè liberam.* Qui ergo πολυπραγμονέστεροι, quàm Hæretici? quibus id unum curæ in JEUITARUM vitam & actiones inquirere, qui cùm ſcelera vera non reperiant, falſa fingunt, & ut durent, ſcriptis libris conſignant, & in mundum ſpargunt, & criminum acervos adversùs non deblaterant, quæ neque in mentem unquam nobis venerunt, *ſed in ipſos potiùs, eisque ſimiles dici oportebat*, ut, quod de Ethnicis Chriſtianorum calumniatoribus dixit Athenagoras, ego de Hæreticis JESUITARUM criminatoribus uſurpem. Tota hæc πολυπραγμοσύνη ex invidia & malevolentia proficiſcitur. Verè enim Comicus. *Curioſus*, hoc eſt, πολυπράγμων, *nemo eſt, quin ſit malevolus.* Plutarch. lib. de curioſitate.

Triplex genus Monachorum eſt, inquit Ler- G
mæus, *alii tantùm vivunt, ùt frutices, alii vivunt, & ſentiunt, ùt beſtiæ. Tertii, ad humanitatem propiùs accedunt quidem & ratiocinantur, ſed non emendatè;* Diviſio hæc mihi videtur aſſignata ab eo, qui nec vivit, nec ſentit, nec quidquam intelligit, qui proinde neque planta, neque beſtia, neque homo ſit, ſed prædurus quidam & impolitus lapis. Nec ſancto Hieronymo, nec ſancto Auguſtino, nec Caſſiano, nec aliis, qui de Monachis multa præclara memoriæ commendârunt, diviſio hæc unquam in mentem venit. Ubi ergo cuſa eſt, ubi excogitata? An non in Epicuri hara; hoc eſt, in Lutheri & Calvini ſchola: ubi diviſiones non inſtituuntur rerum naturæ convenienter, ſed dictantur ex mentiendi prurigine, & ex im-
menſa quadam Monachos traducendi, & H
ludibrio exponendi cupiditate, nec deſumuntur ex ipſa Monaſtica profeſſione, ſed à paucorum licentia; qui fortè vitam ſuæ vocationi minùs conſentaneam agunt: ob horum vitia quotquot ſunt, in crimen vocantur, frutices & beſtiæ nominantur, quaſi mancipia ventris, ad ſolum pabulum projecta & abjecta; magno ſanè errore: nam ùt contra Miſenum fuſiùs diſſerui, improbitas hujus, vel illius non creat ipſi Ordini præjudicium, alioquin tollamus Chriſtianiſmum, in quo non pauci, qui tantùm vivunt inſtar fruticis, nihilque prorſus rerum cœleſtium ſentiunt, trunci inutiles & ſtipites. Alii vivunt & ſentiunt, ùt beſtiæ, ſed *utinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent.* Alii vivunt, ſentiunt, & ratiocinantur, ſed *non emen-*

A *emendatè*, ùt Lermæus loquitur. Intelligunt quidem, quid agendum, quid vitandum, meliora vident, deteriora ſequuntur: Ergo culpanda eſt Chriſtiana Religio, cujus auguſtiſſimum nomen iſti præ ſe ferunt. Si hîc quivis cordatus abnuit; cur annuit, cùm ex privatorum flagitiis interitus toti ordini Religioſo ineptè ratiocinando ſtruitur? *Poſtquam improbitas alicujus detecta fuerit, pœnas luit*, inquit Athenagoras, *nec ullum ex eo in Philoſophiam redundat crimen: malitia enim in ipſo eſt, qui non legitimè philoſophabatur, profeſſio autem crimine vacat*. Applica hæc Lermææ ad Monachos & Monaſticen, & concidet tua criminatio.

Athenag. apolog. pro Chriſtian.

B Ne tamen rigidiùs æquo cum Lermæo tranſigam, omnésque definitiones & diviſiones, quas adducit, repudiem; paucis ſententiam meam explicabo, quo ſenſu hanc diviſionem tanquam probam & veram admittendam arbitrer. Igitur ſi diviſio hæc accommodetur ad Monachos Lutheranos & Calvinianos, hoc eſt, ad Apoſtatas noſtros, Evangelii Lutherani & Calviniani auctores & præcones, pedibus manibúsque in ſententiam Lermæi abeo, & pleno ore pronuncio, quoſdam Monachorum Lutheranorum & Calvinianorum, tantùm vivere, ùt arbores, truncos & caudices, expertes omnis ſenſus cœleſtis; quoſdam, eósque pauciores, inſtar beſtiarum vivere & ſentire ſolam C carnem, & ſanguinem ſolum, poculenta & eſculenta, prætereáque nihil; in hócne ſecundo, an primo ordine colloces Lutherum, non magni refert: eſt enim Zoophyton; ſive Phytozoon, generísque dubii, ut neſcias, beſtiam an caudicem nominare debeas. Quoſdam vivere, ſentire & intelligere, ſed perparùm, & ut verbo Lermæano utar, non *emendatè*; Et quia, ùt Jureconſultum ſine lege, ita Theologum ſine teſtimonio Scripturæ, turpe eſt quidquam pronunciare. Confirmemus hos tres Monachorum Calvinianorum & Lutheranorum gradus ex epiſtola ſancti Judæ Apoſtoli, ubi iſtos Monachos vocat *arbores autumnales*, *infructuoſas*, *bis mortuas*, *eradicatas*, utpotè ex Religionis paradiſo ad Hæreſeos & licentiæ hortum translatas: item, *muta animalia*, hoc eſt, bruta & beſtias, quia homo eſt animal vo- D cale, & quidem articulatim vocale. Quia verò eodem loco idem Apoſtolus ait, eosdem Monachos, *epulas apparare*, & convivia inire, indicat, eorum nonnullos intelligere & ratiocinari, ſed non *emendatè*, ùt ait Lermæus, quia ratiocinantur tantùm de iis, quæ ad ſaginam corporis pertinent, quo modo vix *æſtimativam* brutorum tranſcendere videntur, & illud ipſum ita præſtant, ut ſint *maculæ ſuis in epulis*, timoris omnis expertes, & *ſeipſos paſcentes*, quod propriè pecudum eſt, quibus ignotum illud Apoſtoli monitum, quo jubet, ut quidquid agimus, id gloriæ divinæ amplificandæ gratia agamus.

Nec repugnavero Lermæo, ſi altiùs aſcendere, & quartum genus Monachorum, his omnibus ſuperius ſtatuere velit, quod videlicet conplectatur eos, qui nec vivunt, nec ſentiunt, nec intelligunt, ſed ſunt duntaxat inſtar lapidum omnis vitalis actionis expertium: cujusmodi Monachos inter Calvinianos & Lutheranos reperiri, ſi quis ambigeret, ego ſanè vel ipſum Lutherum pro genere, ſtirpe & ſtipite horum Monachorum ſtatuere nequaquam dubitarem. Sed ſatis de Monachis Lermæanis ſeu Lernæis; verè enim Lerneæ hydræ capita ſunt, quibus amputandis unus Hercules non ſatis. *Tres hos gradus*, inquit Lermæus, *JESUITÆ eximiè complexi ſunt*. Meliora Deus Lermææ: abſit, ut quidquam de his tuis Monachis attingamus: abſit, ut cum illis vel vivamus tantùm, vel ſimul vivamus & ſentiamus. F Abſit, ut cum illis non *emendatè* (tua verba uſurpo) intelligamus & ratiocinemur. Nihil nobis, nihil cuiquam bono cum illis commune. Illos æmulamur, illos ſectamur, quos deſcribit ſanctus Auguſtinus, qui, ùt ipſe ait; contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris, *in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimámque congregati ſimul ætatem agunt; viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus; nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam, & intentiſſimam in Deum, gratiſſimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt.* Horum & ſimilium Monachorum vitam, ſenſum & intelligentiam, ut aſſequamur, omni ope enitimur, & ab his aliísque hujus generis Religioſiſſimis & ſanctiſſimis viris, parens noſter Ignatius, Societatis abs ſe inſtitutæ formam & ideam accepit.

S. Auguſt. lib. 1. de moribus Catholicæ Eccleſiæ.

Ab his autem, quos ſanctus Auguſtinus G tantus & talis teſtis, tam amplis verbis dilaudat, accepiſſe videtur, ut, ſicut illi, ita & Societatis hujus homines vivant in *orationibus*, *in lectionibus*, *in diſputationibus*; & ut illi, qui nobis præſunt, non vocentur *Domini*, ſed *Patres*, nósque non habeant ſubditorum, ſed filiorum loco. Teſtatur enim ſanctus Auguſtinus, eos, qui Monachis à ſe tam copiosè celebratis præerant, Patres, eósque, quibus præerant, filios appellari conſuêſſe. *Hi Patres* inquit, *non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiam divina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis, quos filios vocant, magna ſua in jubendo auctoritate: Magna illorum in obtemperando voluntate.* Hæc & alia id genus non pauca in laudem Monachorum ſui ævi ſanctus Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ.

JESUITICÆ artis, inquit Lermæus, *repertor* H *& princeps eſt Loiola Hiſpanus, qui turbam quandam hominum collegit, jurejurandóque adſtrictam ex artis hujus præſcripto & formula vivere coëgit.*

A *coëgit.* Nec piget, nec pudet nos parentis noſtri Ignatii, imò quò magis Calviniſtis diſplicet, hoc magis nobis placet. Qui enim ſcit Calviniſtas, *intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum ab illis damnari.* Ignatii ſocios, quòd *turbam* vocas, agnoſco convicium ex turbido animi motu profectum. Turba, Lermæe, non eſt, ubi ordo eſt: At in Ignatii diſciplina maximus ordo eſt. Qua autem fronte ſcribis, Ignatium ſuos ad Sacramentum dicendum adegiſſe? Nuſquam viſum, nuſquam auditum eſt, ut quis coactus in Religionem nomen ſuum daret. *Nam quod neceſſitate extorquetur*, inquit præclarè S. Gregorius Nazianzenus, *præterquam quod tyrannicum eſt, & improbandum, ne firmum quidem ac ſtabile eſt; quidquid enim violenter agitur, non ſecus ac planta per vim manibus inflexa atque diſtricta, ſimul ac miſſum factum eſt, rurſus ad ſeſe redire conſuevit. Quod à libera voluntate proficiſcitur, æquiſſimum ſimul ac certiſſimum eſſe ſolet, utpotè benevolentiæ vinculis adſtrictum atque ſervatum.*

Greg. Nazianzen. apolog. 1.

B Sed nunc exponit Lermæus, qualis fuerit Ignatius, & qua occaſione animum ad Societatem inſtituendam adjecerit. *Primùm*, inquit, *miles fuit*; ita eſt, miles fuit Ignatius, non ſine omine futuræ ſpiritualis militiæ. Licet hic uſurpare illud Apoſtoli:

1. Cor. 15. *Non priùs, quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Mox*, inquit, *perfoſſa tibia belli pertæſus, ad ſcholas litterarias, à ſcholis deinde ad peregrinandum ſe contulit, ſemper ſuum finem animo verſans, quod erat cum dignitate otium.* Mendacia miſces cum imperitia: bellum faſtidiit, non ob læſum crus, (nam generoſo militi, qualis Ignatius, vulnera vel inprimis ſtimulos ad caſtra addunt) ſed ob cor, cœleſti gratia divinitùs percuſſum & immutatum. Nec à

C ſcholis ad peregrinationes, ſed à peregrinationibus ad ſcholas ſe contulit: Verùm præpoſterus iſte hiſtoricus, ùt mendacia, ita & ὕσερα πρότερα ſúsque déque habet, ídque ex Calviniano inſtituto, quod & ipſum eſt ὕσερον πρότερον, in quo omnia naturæ contraria legibus ire quis neſcit, præter ipſos inverſos Calviniſtas? Nec animum Ignatius ad dignitatem & otium appulit ſub initia converſionis, ſed ad pœnitentiam, ad vitæ ſingularem aſperitatem, ad lacrymas, quibus ſuperioris vitæ errata caſtigaret; in quo, quòd tantum otii ineſſe credit Lermæus, id, opinor, ideo fit, quia

D loquitur non expertus, alioquin non ignoraret, quàm pœnitentiæ ſtatus minimè ſit otioſus. Jam verò quid dignitatis in eo ſtatu, in ſpeciem tam vili & abjecto, ſibi potuit polliceri Ignatius, cùm ſtatus pœnitentiæ ante omnia eò tendat, ut omnes dignitates & honores, quàm longiſſimè amoliatur, quippe cui gratius & optabilius ſit, humilem & deſpicabilem verſari *in domo Domini*, *quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Nec dignitatem & otium, tanquam finem ſibi præſtituit Ignatius poſt Hieroſolymitanam, aliásque peregrinationes obitas & abſolutas; nam litteris operam dedit, ſimúlque nonnihil operæ, ubi ſe dabat occaſio, proximis pietate informandis impendit. Utrumque negotii plenum eſt: Utrumque nocturno & diurno labore eget, ùt nôrunt, qui hoc ſaxum volvunt. Otium litterarium *plus negotii habet, quàm cùm eſt negotium in negotio*, ut, quod neſcio quis veterum de languido otio verè ſcripſit, id ego de otio Muſarum veriùs pronunciem. Neque dignitates ullas per ſcientiam adipiſcendas ſibi propoſuit, ſed in unam divini Numinis gloriam, proximíque ſalutem intentus fuit, nec niſi poſt multos annos de Societate inſtituenda cogitavit: in qua jam inſtituta, adeò nullam dignitatem ambivit, ut Societati huic atque adeò ſibi ad honores Eccleſiaſticos omnem aditum diligentiſſimè obſepſerit, & dignitatem Generalis Præpoſiti ſibi à primis ſociis oblatam, majore contentione repudiavit, quàm ambitioſiſſimus quisque ſoleat vel ſummos honores ſectari. Nec plura de his; quia lector hæc omnia apud Ribadeneiram copioſiſſimè explicata reperiet, cui ſi mendacia & calumniæ Miſeni obſtent, adjungat & noſtram pro vita B. M. P. N. Ignatii Apologiam, nullóque negotio ſtatuet, quales ſint iſti, qui ne unam quidem vitæ Ignatii partem, ne unum quidem factum à calumniis liberum eſſe ſinunt; quidquid enim agat Ignatius, ſeu miles, ſeu peregrinus, ſeu litterarum ſtudioſus, ſeu ſacerdos, ſeu Societatis Auctor, & Generalis Præpoſitus; uno verbo, ſeu vivus, ſeu mortuus, id iſti barbara quadam immanitate criminantur: & quod aliis dant laudi, id dant Ignatio crimini, & cùm, ut alios celebrent & extollant, nihil non excogitent, in Ignatio contraria via incedunt, quem ut indeſinentibus conviciis appetant, nihil non comminiſcuntur, & ementiuntur; qui licèt de palma impudentiæ inter ſe certent; neſcio tamen, num ullus eam meliori jure mereatur, quàm iſte Lermæus, in quo cum ſumma ignorantia, ſumma mentiendi libido conjuncta eſt: ut anceps hæreas, inſulſiórne ſit an mendacior, cujus rei mox novum dat ſpecimen, cùm hæc ſubjungit.

H *Societati naſcenti omnes obſtrepuêre Monachorum turbæ, atque adeò ipſe Pontifex in ea primùm confirmanda titubavit.* Ex Ordinibus in Eccleſia non infimum locum tenentibus, ſunt Dominicani, Franciſcani, & Carthuſiani, qui tantum abeſt, ut Societati ſub prima exordia obſtrepuerint, ut ejus inſtitutum, vivendíque rationem omnibus ſummoperè commendârint, propriis in eum finem confectis litteris, quæ apud Ribadeneiram extant: Ordo item Carthuſianorum adeò Societati naſcenti non obſtrepuit, ut nos in communionem omnium bonorum operum, quæ in ſanctiſſimo illo

Ordine

A Ordine fiunt, adſciverit, cujus rei ille ipſe Ribadeneira teſtis. Nec titubavit Pontifex, utrum Societatem confirmaret, ſed leges prudentiæ ſecutus, periculum facere voluit, rei non ſatis ſibi perſpectæ, quippe novæ: & experiri in paucis, quidnam multi præſtituri eſſent; quod certè Pontificis conſilium nemo bonus culpat, ſed quiſquis ſapit, ſummoperè commendat, utpotè non ignarus rerum humanarum bonitatem & emolumenta, non niſi experientia conſtare poſſe, tutiúsque eſſe, ut ab exiguo principio procedatur in magni momenti rebus, (ſemper enim creſcere licet,) quàm ut initia ſint grandia ſine ſucceſſu, grandibus nimirum cœptis in irritum recidentibus.

B Qui hanc Pontificis prudentiam nobis vitio vertunt, quos clamores tollerent, ſi Ignatius à Pontifice repulſam tuliſſet, quod aliis quibuſdam Religionum fundatoribus, viris ſanctiſſimis, primo conatu & aditu accidit. Tradunt veteres, Chriſtum & Chriſtianam Religionem à Senatu Romano, hoc eſt, à Senatu orbis terræ repudiatam fuiſſe. Quid hæc repulſa religioni Chriſtianæ obfuit? *Tiberius*, *cujus tempore*, inquit Tertullianus, *nomen Chriſtianum in ſæculum introivit*, *annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina*, *quòd illic veritatem illius revelaverat*, *detulit ad Senatum*, *cum prærogativa ſuffragii ſui*; *Senatus*, *quia non in ſe probaverat*, *reſpuit*. *Timuit*, inquit Lermæus, *ne*, *ſi hæc Societas incrementa ſumeret*, *ampliſſimæ illæ Franciſcanorum familiæ*, *& id genus aliæ deſolarentur*. Nihil minùs Pontifex timuit, Lermæe, ſed id, quod antea dixi, ſpectavit, & nihil aliud; neque unquam, quocunque te vertas, efficies, ut alia mens, quàm quæ fuit, Pontifici fuerit: ſi enim

C ne ſuperis quidem facta infecta reddere licet, multò minùs id licebit his inferis Calvinianis. Liceat dicere Lermæe, ab ortu Societatis tantum abeſt, ut vel Franciſcanorum, vel aliorum Religioſorum familiæ imminutæ ſint, ut non modica etiam hominum acceſſione ſint locupletatæ, plurimis pietate & ingenio eximiis adoleſcentibus & viris ad Ordines illos ex ſcholis noſtris, & diſciplina noſtra tranſeuntibus. *JESUITÆ*, inquit, *quos harum angustiarum jam tædebat*, *omnes nervos contenderunt*, *ut ex iis eluctari possent*. Non opus fuit magna contentione, Pontifex periculo Societatis facto, lubens volénsque terminos præfixos refixit, liberámque poteſtatem quoſcunque indefinitè cooptandi in hoc Societatis corpus, Ignatio fecit: ídque non eò tantùm, quòd, ùt nugatur Lermæus, *valde ſacris Sacramentis ſuam fidem*, *ſuáque corpora Pontifici JESUITÆ devoverint*, ſed quia Pontifex experientia ipſa edoctus, didicerat, è re Eccleſiæ fore, ſi Ordo ab Ignatio cœptus, nullo numero definiretur.

D *Dedit ergo veniam Æolo*, inquit hæreticus, id eſt, eodem hæretico interprete, *Ignatio*, *ventorum Regi*, *uti ſocios ſuos per provincias divideret*, *arte ſua uſuros paſſim ſtragémque daturos*. Admitto, quod dat Lermæus: Sit Ignatius Æolus, hoc eſt, Rex ventorum, ſed eorum, quos, ùt inquit B. David, & Hieremias Propheta, Deus *de theſauris ſuis producit*, *& educit*; Regi ſuo, qui fœdere certo, & premere & laxas novit dare juſſus habenas, ad nutum obtemperantes. Hos ergo ventos de theſauris divinis depromptos miſerit Ignatius, arte ſua contra Calviniſtas, aliorúmque hæreticorum monſtra uſuros; ſtragémque hæreſeos & hæreticorum & ſcelerum ſceleratorúmque daturos; probis autem quaſi *ventum roris* leniter *afflantem* futuros. Quid tum poſtea Lermæe? Quod tu *maledictum vehemens exiſtimas*, *eam laudem ego duco maximam*: ùt & illud, *quà data porta ruunt*; non enim exeunt hi venti, niſi miſſi & juſſi, nec omni via, ſed quæ à ſupremo moderatore præſcribitur; nec exeunt, niſi ut proſint mortalibus, juvéntque eos, qui per hoc mare magnum ad patriam navigant, quò plenis oſtia velis obtineant, & ad pacatiſſimum æternæ felicitatis portum cymbam ſuam appellant. Utinam tales venti eſſent præcones hæretici Calviniani & Lutherani: utinam talem antiſtitem haberent, qui eos emitteret, in commodum, non in perniciem mortalium. Nunc tanquam preſteres & turbines terrarum orbem perflant, totúmque à ſedibus imis ruunt, & *vaſtos volvunt ad littora fluctus*; nec ad virtutis decus, & honeſtatis amorem navigantes impellunt, ſed ad immanes Læſtrygonas; ἐὴ ἄνδρεσσιν ἐοικότας, ἀλλὰ γίγασι, ùt canit Homerus, & ad inſulam Circes; hoc eſt, ad barbaram crudelitatem, ad homicidia & latrocinia, ad libidinem & impuritatem: Quod præ cæteris Calvinianus ventus præſtat: *ventus* verè *urens*, quem toties Deus Prophetarum ore miſſurum ſe minatur, ut exſiccet omnia pietatis & Religionis fluenta: *Ventus* verè *peſtilens*, qui venenatiſſimo ſuo afflatu tot myriadas animarum funditus perdit. Et quanquam Deus ventos iſtos, *ſpeluncis abdidit atris*, nimirum ſtygiis, molésque & montes inſuper altos impoſuit; ſemper tamen tum inſita nequitia, tum impulſu ſui Æoli, hoc eſt, diaboli, tum improborum hominum curioſitate erumpunt, & maria ac terras cœlúmque profundum ſecum rapiunt, verrúntque per auras: Tales venti eſtis, Lermæe, quales in utre vexiſſe fertur Ulyſſes, qui curioſitate, vel potiùs rapacitate ſociorum Ulyſſis emiſſi, quantas ſtrages ediderint, & quàm longè ab optatiſſima patria Ulyſſem abſtulerint, ſatis ſupérque te docebit Homerus, licèt inſtitutione Homerica mihi non videaris egere: incolis enim, niſi fallor, Æoliam, *loca fœta furentibus auſtris*, & fortè unus es ex ſex filiis Æoli, qui, ùt ait Homerus, αἰεὶ παρὰ πατρὶ φίλῳ καὶ μητέρι κεδνῇ δαίνυνται, παρὰ δὲ σφὶν

E F G H

Hier. 10. 51. Pſalm. 134. Hier. 10. 51.

A σφιν ὀνείκτα μύρια κεῖται, ac proinde fugere te non poteſt, quid Trojanis & Ulyſſeis temporibus terra maríque ſit actum.

CAPUT IV.

Refutatio eorum, quæ Lermæus de utilitatibus artis JESUITICÆ cavillatur.

B ABſoluta notione & definitione JESUITARUM & Jeſuitiſmi, gradum facit Porphyrius, hoc eſt, calumniator noſter ad *artis* JESUITICÆ utilitatem; apta profectò mentiendi & cavillandi methodo. *Utilitates*, inquit, *nunquam tot & tantas ſibi & Papæ JESUITÆ ſpoponderant, quot & quantas ſibi, & Papæ JESUITÆ ſua arte pepererunt.* Loxias es, Lermæe, verum & falſum ſimul loqueris, ſed verum quaſi aliud agens prætérque mentem; falſum conſultò & deſtinatò. Omnino, JESUITÆ nunquam auſi fuiſſent Sedi Apoſtolicæ polliceri tot & tanta emolumenta ad Eccleſiam Catholicam reditura, quot & quanta, univerſo mundo teſte, ex hac minima Societate à ſexaginta jam annis ad Chriſtianam Rempublicam redundârunt; Quòd ſi JESUITÆ hæc tanta commoda Pontifici quaſi futurorum conſcii, promiſiſſent, non modò omnium mortalium vaniſſimi, ſed & arrogantiſſimi meritò habiti fuiſſent. Modeſti & ſubmiſſi animi eſt, induſtriam non in lingua gerere, ſed in dextera, & pauca de ſe polliceri, multa autem & grandia præſtare. Verum inſuper eſt, Jeſuitas, nec ſibi, nec Papæ ampliſſima palatia, rerúmque & hominum copiam & affluentiam ſpopondiſſe, quia Societas hæc non eo fine, aut ab Ignatio inſtituebatur, aut à Pontifice confirmabatur, ut magnifica & ſpatioſa palatia conſtrueret, & in ea magnam opum vim conveheret: Non ea mens Ignatio, non Pontifici; nec poſtquam JESUITÆ, nonnullis in locis, ampliora & elegantiora domicilia incolunt, quàm Calviniſtis placeat, utilitatem ſui inſtituti domiciliis illis metiuntur, aut reditibus, quos pia fundatorum liberalitas munificè contribuit. Abſit hoc à cogitationibus noſtris, ſed fructum Societatis à ſe initæ æſtimant converſione Ethnicorum & Hæreticorum, propagatione & conſervatione Catholicæ Religionis, ſalute animarum, extirpatione vitiorum, inſtitutione juventutis, profeſſione omnium illarum diſciplinarum, quæ à religioſa diſciplina non abhorrent. His & id genus aliis præclarè factis, utilitates Societatis noſtræ metimur, tanquam regula certa & minimè fallaci, non autem opulentia & omnium rerum abundantia, quam nec avemus, nec habemus.

D Quocirca mera convicia ſunt hæc, quæ ſubjungis verba: *Qui ſerpentum in morem initiò pulverem terræ eſitabant, & inopiâ adacti ſolum ſolo identidem vertere cogebatur, nunc in ampliſſimis palatiis habitant, rebus & hominibus florentes, eorúmque longè diſſimiles, qui devotione quadam deſperationi proxima, ad ultimos Indos navigabant.* Hæretici ſerpentum in morem pulverem terræ eſitant, tum quia filii ſunt ejus ſerpentis, à quo primi parentes noſtri in fraudem inducti ſunt: paſcitur autem filius eodem, quo parens, pabulo; deinde, quia initiò occultè in urbes & domos ſeſe inſinuant, ſerpentum more, nec quidquam publicè tentant, donec collecta manu, ex latebris erumpant, jámque illis, quos antea formidabant, formidinem incutiant. Et ubinam JESUITÆ, inopia adacti, ſolum olim verterunt? Certè quoſcunque quocunque Pater Ignatius ſub Societatis primordia mitteret, etiam abſque viatico, eò abſque ulla tergiverſatione ibant, *mittentes ſemina ſua*, nec agrum ſibi commiſſum deſerebant, niſi revocati, & ſi exemplo Domini interrogâſſet Ignatius: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera; nunquid aliquid defuit vobis?* Expeditè Matth. 10. reſpondiſſent cum Apoſtolis: *Nihil.* De ampliſſimis palatiis, & copia rerum, qua circumfluimus, multa diſſerui, cùm ſimiles calumnias Haſenmilleri refellerem; Lector inde petat, ſimúlque ſibi perſuadeat, longè plura in Societate reperiri Collegia, quæ dici poſſint Magalia, quàm quæ palatia.

G Cur verò diſſimiles eorum ſumus, qui olim ad Indos navigabant? An non idem nomen, eaſdem regulas, idémque vitæ genus ſequimur, iiſdem votis obligati? An non JESUITÆ adhuc quotannis in Indiam & Japoniam navigant? In quo, oro, veſtigia parentum ſuorum deſerunt? Moneat Lermæus, ſalubritérque monenti parebimus, *qui monet, quaſi adjuvat*, inquit vetus poëta. Sed tanti, primos JESUITAS pendit, quanti poſteriores, aliàs tot maledictis primos non inceſſeret, nec diceret, eos, *devotione quadam deſperationi proxima*, Indos petiiſſe. Ergóne, Calviniſtarum judicio, deſperat, vel deſperationi vicinus eſt, qui Ethnicis ad fidem Chriſtianam traducendis ſe ſuósque labores conſecrat? Ergo Apoſtoli Thomas, Bartholomæus, Matthæus (quos Indis Evangelium prædicâſſe accepimus) *devota* quadam *deſperatione* adacti, tot marium terrarúmque tractus tranſmiſerunt, ut Indos ab idolis ad verum Dei cultum transferrent? Mihi longè veriſimilius fit, hæc & ſimilia dicta, deſperatæ cujuſdam conſcientiæ non obſcura argumenta eſſe. *Irrepsêre*, inquit, *primùm in gratiam hominum auſcultandis confeſſiunculis, unde miſerè victum ſuum excerpebant.* Victum ex confeſſionibus nunquam quæſivimus: ùt nec ex aliis noſtris functionibus. Dictum illud Domini: *gratis acce-* Matth. 10. *piſtis, gratis date;* nobis dictum exiſtimamus, exiſtimârúntque primi parentes noſtri: quibus non ignotum, veritatis teſtimonio, *operarium dignum eſſe cibo ſuo.* Si operarius cibo ſuo dignus eſt, facilè cogitare poterant, Deum, aliquorum animos impul-

A impulsurum, ut sibi, quæ ad vitam necessaria sunt, suppeditarent: ùt fecit tùm, cùm Apostolos suos sine ullius pecuniæ subsidio regnum Dei annunciatum misit: *Infirmos curabant, mortuos suscitabant, leprosos mundabant, dæmones expellebant*, & alia munera obibant; nec obolum mercedis, vel etiam gratæ mentis testandæ gratia oblatum capiebant, & tamen rogati à Domino, professi sunt, sibi penitus nihil defuisse. Tam insciì rerum divinarum non fuerunt primi Patres nostri, ut hæc eos fugerent. Quare ad tam præclarum exemplum, quoquo licebat modo, sese conformârunt, operámque proximis juvandis, absque ulla salarii spe, impigrè impenderunt: Aut nomina, Lermææ, unum ex illis primis JESUITIS, aut etiam ex posterioribus, qui ob confessiones auditas, aliquid lucelli captârit.

B *Mox ubi aliquid firmitatis accessit*, inquit Lermæus, *pueros sine mercede docendos, susceperunt, quo artificio non vulgarem vulgi, favorem emeruêre, criminandis præsertim aliis doctoribus, utpotè quorum doctrina venalis esset, quorum scholæ nulli sine mercede paterent.* Societas à primo statim ortu, ingenuarum artium disciplinas tradendas sibi sumpsit; non alio consilio, quàm eo, quo olim Origenes non modò sacras litteras, sed & Grammaticam, & alias inferioris subsellii facultates auditoribus suis explanabat. De quo hæc S. Hieronymus: *Illud de immortali ejus ingenio non tacebo, quòd Dialecticam quoque & Geometriam, Arithmeticam, Musicam,* S. Hieron. lib. de viris illustrib.

C *Grammaticam, & Rhetoricam, omniúmque Philosophorum sectas ità didicit, ut studiosos quoque sæcularium litterarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione sæcularis litteraturæ, in fide Christi eos institueret.* Hoc Origenis consilium. Idem quoque nostrum. Nec pueri tantùm gymnasia nostra terunt, sed & juvenes, aliique maturioris ætatis, qui Philosophiæ & Theologiæ mysteriis initiantur: At quod ais, *nos criminari alios doctores*, inanis quædam criminatio est, ludum litterarium aperiat, quisquis volet, parùm moramur; *in medio omnibus palma est posita, qui tractant artem Musicam;* nec ad *famem quemquam ab studio studemus rejicere;* rem suam illi faciant, non obstamus, nobis liceat, majoris lucri gratia, lucrum negligere, etsi non eo sensu, quo calumniantur hæretici. Nec vulgus tantùm hanc nostram docendi operam gratam & charam habet, sed & majores vulgo principes viri; quo vel potissimùm nomine isti tam sunt in nos lividi. Sed mirum non faciunt: scitè Poëta: *Est miserorum, ut malevolentes sint, atque invideant bonis.*

D At nunc speciatim recensetLermæus, utilitates, quas ex functionibus nostris percipiamus: *In hac juvenum frequentia*, inquit, *Jesuitis facile fuit continuò aliquos institutis suis implicare.* Quod Christus universè pronunciavit de vocatione ad Christianam legem & gratiam divinam: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* id & hîc valet, & quidem tantò magis necessarium est, ut quis ad hoc vivendi genus à cœlesti Patre trahatur, quantò asperius est, minúsque eorum complectitur, quæ sensibus blandiri solent. Ut tamen Deus, dum ad gratiam suam mortales incitat, id partim internis instinctibus, partim etiam externo ministerio hominum agit, ita eandem rationem observat, dum ab hujus seculi illecebris ad Religiosæ disciplinæ severitatem aliquos ducere parat. Qui aliter vocatus venit, frustrà venit; nisi post adventum de integro vocetur & trahatur, mentémque aliam divinitùs missam induat: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, ait Dominus. Talis homo *avi ferè consimilis est, semel fugiendi, si data est occasio, satis est, nunquam pòst illa possis prendere.* Matth. 15.

E

F *Ea*, inquit Lermæus, *est ætas juvenum, quæ blanditiis simul & doctrinæ admiratione permovetur, & propediem ad operam navandam præsto esse potest.* Blanditiis humanis nihil efficitur, *nihili coactio est*, inquit quidam ex antiquorum numero. Ergo, *nihili blanditiæ humanæ*, nisi blandiatur animo ille, qui supra homines est; quod sanctus Augustinus Psalmo illi; *Ecce quàm bonum & quàm jucundum fratres habitare in unum;* tribuit; id ego generatim ad divinam vocationem transferam: *Ista verba psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupiêrunt, iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui divisi erant, congregati sunt in unum.* Hæc sanctus Augustinus, tantus ac talis doctor; ex cujus scriptis liquidò liquet, in ea Ecclesia, in qua ipse Presbyter & Episcopus vixit, fuisse Monachos & Moniales, monasteria & parthenonas. Cur igitur Calviniani, si sunt in Ecclesia, in qua Augustinus fuit, monasteria & parthenonas evertunt, & in profanos usus, ne dicam, in stabula equorum, & in prostibula convertunt? sanctus Augustinus S. Augustin. in Psal. 132.

G cùm Ecclesiæ Catholicæ mores describeret, S. Augustin. lib. 1. de moribus Cath. Eccles.
intrepidè Monachos & Moniales Ecclesiæ Catholicæ Manichæis objecit, tanquam veram
H notam, &, ut sic appellem, naturam & morem quemdam Ecclesiæ Catholicæ: quorum sanctitatem, castitatem, temperantiam, cæterásque virtutes amplissimis verbis prædicat: quæ adscribam, non in gratiam Lermæi, qui jam stabilem statum habet, *placida*, ùt inquit Calvinianus typographus, hoc est, *Calviniana morte*, *sublatus;* sed in gratiam eorum, qui cursum vitæ nondum confecerunt. Ita igitur Augustinus: *Jam accipite Manichæi*

A *perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm; sed etiam capescenda visa est, mores & continentiam singularem: ne vos impudenter jactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis; sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem, per totum orbem indies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere? Nihil de iis dicam, quos paulò antè commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio DEI, cui puris mentibus in-*

B *hæserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest: Nihil, inquam, de his loquar, videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum & supervacaneum puto: nam hoc tam excellens sanctitatis fastigium, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri quî potest? Tantùm isti admonendi sunt, qui se inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam & continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines revocanda videatur, usque adeò supra homines illorum animos evasisse, ab his etiam, quibus id displicet, judicatur.*

C *Sed si hoc excedat nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis,*

D *quos Decanos vocant, eò quòd sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ùt assolet, valetudini. Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, & præstò facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus; sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo, de suis quisque habitaculis,* E *dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimùm, hominum millia: nam etiam multò numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio: affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu, vel fletu; sed modesto, & clamore vacuo gaudium significantes.*

Corpus deinde reficitur; quantum saluti & F *salubritati sat est, coërcente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa, quæ præstò sunt, parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent, pro sufficientia domandarum libidinum; sed ab his etiam, quæ tanto concitatiùs ventris & gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur, quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpitérque defendi. Sanè quicquid necessariò victui redundat; nam redundat plurimum ex operibus manuum & epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi* G *abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat, quod abundaverit, usque adeò, ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere. Hæc est etiam vita fœminarum, Deo sollicitè castéque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate junguntur, & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est; neque ipsorum quamvis gravissimorum & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestésque ipsas fratribus tradunt, ab his invicem, quod victui opus est, resumentes.* Hæc S. Augustinus.

H Si Calviniani in eadem Ecclesia sunt, in qua Augustinus fuit, quæso, cur nulli tales apud illos Monachi; cur nullæ tales Moniales? Cur nulli tales vidui & viduæ, quales sequentibus verbis sanctus Augustinus commemorat? Certè aut Augustinus non fuit in vera Ecclesia, aut isti non sunt in vera Ecclesia. Dicere autem Augustinum non fuisse in vera Ecclesia, id nihil aliud est, quàm insanire; sicut & illud, Augustinum Scripturas non intellexisse; quomodò enim Scripturas non intellexit, qui plus studii in scripturis posuit, & plus ingenii ad easdem attulit, quàm posuerint & attulerint omnes novatores, quotquot, hoc infelici sæculo, ex Averni faucibus exstiterunt. Hîc occinent nobis veterem illam suam cantilenam: Hodiernos Monachos esse dissimiles priscis illis, quos S. Augustinus tam magnificè laudat. At jam non agitur, quales sint nostri Monachi; sed hoc, utrum Hæretici sua in Ecclesia tales Monachos habeant; quales tempore S. Augustini vivebant in tota Ecclesia Catholica. Si hodierni Monachi

non

A non placent; inſtituant tales, quales S. Auguſtinus depingit. Sed hæc per non intempeſtivam digreſſionem.

B Pergit Lermæus: *In quo Monachorum error emendatus eſt, qui puſiones vix dum ex incunabulis egreſſos ad ſe admittebant, totósque quindecim aut viginti annos nutriebant, antequam ad praxin admovere poſſent. Hoc ſolerter animadvertentes JESUITÆ, ſuos in eo ætatis flexu intercipiunt, qui jam ad adultum vergit.* Hoc mendacium non eſt puſionis ex incunabulis vix egreſſi; ſed unius ex eorum claſſe, quos Poëta *veteres pueros* nominat; Iſaiæ 65. quósque Propheta *pueros* mori aſſerit, licèt centeſimum annum attingant; Deinde Celſum hîc agit Lermæus, qui inter cæteras calumnias hac etiam Chriſtianos onerabat, quaſi cum cætera fæce hominum puerulos ad ſua ſacra pellicerent. *Satis apparet*, inquit ille Epicureus, *quòd ſolos fatuos, ignavos, ſtolidos, mancipia, mulierculas, pueros captent & pelliciant.* Tertiò, ſi Lermæus Ordinum Religioſorum monumenta evolviſſet, intellexiſſet non tantùm tenerioris ævi adoleſcentulos religionis habitum ſæpe induiſſe, ſed & viros, tum doctrina & pietate, tum annis graviſſimos, mediæque ætatis juvenes absque ullo numero. Quòd ſi qui Religioſi minores natu admittunt, at non admittunt *puſiones*, ùt iſte cavillatur, & ſi quos minores natu admittunt, non admittunt tamen ad profeſſionem, niſi certis expletis annis; imò ne ad ſortem quidem & conditionem Novitii, ubi Tridentinæ Synodi decreta in uſum introducta ſunt, niſi cùm ad eam ætatem pervenerunt, ut uno anno poſt habitum acceptum elapſo, profeſſionem edere queant: Nec quisquam tam parvus natu in ullum, opinor, monaſterium adſciſcitur, 1. Reg. 2. quàm parvus natu Samuel tabernaculi miniſteriis addictus fuit; ut valdè metuam, ne Lermæus culpet etiam Heli ſacerdotem; quòd Samueli adhuc *puſioni* aditum ad templi munera patefecerit, ſimúlque reprehendat illum Prophetam, qui canit, perquam utile eſſe, *ſi homo jugum Domini ab adoleſcentia portet.* Thren. 3.

D Periculum inſuper eſt, ne verum & tritum illud dictum inficietur; *à teneris aſſueſcere multum eſt.* Et quàm verum eſt, Heli ſacerdotem quindecim aut viginti annos expectâſſe, antequam Samuelis opera uti potuerit, tam verum eſt, Cœnobiorum Antiſtites quindecim aut viginti annos expectare debere, antequam ullum emolumentum ex laboribus ejus, qui tam tenera ætate admittitur, capiunt. Varia enim ſunt laborum genera, in iis præſertim Religionibus, quæ divina officia Deo cantu perſolvunt, Ubi denuò impletur illud vatis: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos* (Hæreticos Calvinianos & Lutheranos) *ut deſtruas inimicum & ultorem.* Pſalm 8. Periculum denique eſt, ne Lermæus in judicium vocet S. Baſilium, quòd pueros in Monaſteria ſuſcipiendos docuerit, his verbis: *Cùm Dominus dicat: Sinite pueros venire ad me; & Apoſtolus laudet eum; qui à puero ſacras litteras didicit, & rurſus præcipiat educare liberos in diſciplina & admonitione Domini omni tempore: etiam primæ ætatis tempus ad accedentes ſuſcipiendos idoneum eſſe cenſemus: ita ut deſtitutos parentibus, à nobis ipſis aſſumamus, ut ſecundùm æmulationem Job pupillorum patres fiamus. Eos verò, qui ſub parentibus ſunt, dum ab illis ipſis adducuntur, coram multis teſtibus ſuſcipiamus.* Cauſam hujus rei reddit ſanctus Baſilius: *Dum adhuc*, inquit, *facilè formari poteſt, & tenera eſt anima, & velut cera leviter cedit, & convenientes formæ ipſi facilè imprimuntur, ad omnem bonorum exercitationem, ſtatim & ab initio ipſam induci oportet. Omnis ætas perfecta Chriſto eſt*, inquit ſanctus Ambroſius. *Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur. Parvuli etiam Chriſtum intrepido adversùs perſecutores ore confeſſi ſunt.*

E Marci 10. 2. Tim. 3. Epheſ. 3.

S. Baſilius quæſt. fusè explic. q. 15

S. Ambroſ. ad Valentin. Imper.

F Cur igitur, inquit Lermæus, JESUITÆ idem non faciunt? Duas ob cauſas; prima eſt, quia non deſunt nobis & annis, & prudentia provectiores. Altera, quia ea Societatis noſtræ ſunt munera, quæ vel planè doctum & maturum hominem requirant, vel certè talem, qui jam aliquos progreſſus in litteris fecerit, ut finito probationis tempore, neceſſe non ſit, ab imis diſciplinarum fundamentis exordiri; quia aliàs tot ſcholis Magiſtros ſubmittere non poſſemus, ſi ab ipſis literarum incunabulis educandi & educendi eſſent. *Illiciuntur*, inquit Lermæus, *illi, qui aut ingenio, aut opibus valent;* Fallacia alia aliam trudit in hac Iſagoge; Jam dixi, nullam humanam pellaciam ſatis efficacem eſſe, ut alicui Religionis ingreſſum perſuadeat, aut ſi perſuadet, ut conſtanter perſuadeat; ſi deſit illex internus, à Spiritu ſancto in pectore excitatus: Quòd ſi homo per profeſſionem Religionis nulla re alia ſeſe abdicaret, quàm libertate, profectò nullius ſuadelæ vi ad hujus abdicationem perpelli poſſet. Ex communi omnium ſenſu protulit illud Comicus: *Omnes profectò liberi lubentiùs ſumus, quàm ſervimus.*

G

H Quod ad ingenium attinet, non abnuimus, nos ingenii non poſtremam curam habere, quia id inſtituti noſtri ratio exigit: illud de opulentia, calumnia Gallicana eſt, jam dudum refutata à Franciſco Montano, & ab Auctore, qui Apologiam pro Societate JESU in Gallia ad Henricum IV. Chriſtianiſſimum Galliæ & Navarræ Regem compoſuit: ipsóque uſu & praxi quotidiana Ordinis noſtri refellitur, cui non multum curæ, utrum Candidatus ſit dives opum, & claro ſanguine progenitus, dummodo ſit dives virtutis & ingenii, & honeſtis natalibus ortus. Hæc de prima Lermæi potiùs futilitate, quàm noſtra utilitate. Nunc ſecundam audiamus.

Franciſc. Mont. Apolog. contra Arnaldum.

Altera

A *Altera utilitas eſt, quòd reliquos juvenes ita penitus doctrinæ Papæ flore imbuunt, ut lana ſaturata Babylonico veneno tenacior non ſit coloris & odoris.* Laudas, dum vituperas. Utinam id ita ſit, quàm libenter patiemur hoc dedecus nobis à Calviniſtis exprobrari. Sed cùm tu Lermæe, ùt typographus ait, in noſtra diſciplina diu ſis verſatus, mirari ſubit, cur tincturæ noſtræ tam impatiens fueris, ut eam vel omnino non receperis; vel tam negligens, ut eam non retinueris. Fortè, ùt *nigræ lanarum nullum colorem bibunt;* ita & mens tua nigra, atérque animus, coloris & odoris diſciplinæ noſtræ capax non fuit. *Tertia*, inquis, *utilitas eſt, quòd docendis interalios ſenatorum filiis, tandem obtinuerunt, ut mulctarum ea portio, quæ in cauſas pias erogari ſolebat, ipſis, nullo oneroſo titulo, adjudicetur.* Tot annos in Societate, & in ſchoB laſticis functionibus verſor, neque quidquam unquam de iſta applicatione mulctarum audivi, ſive cum *oneroſo*, ſive ſine *oneroſo* titulo. Quod fortè ſemel alicubi factum, id iſte, more ſuo, perpetuò fieri clamitat, & ex particulari facto univerſalem legem concludit: iſte nimirum, cui *una hirundo*, contra vetus proverbium, *ver facit:* & unica, eáque pertenuis experientia artem; Si aliquibus in locis mulctarum pars in egenos inſumi ſolet, adeò ut magiſtratui interdicere velis, ne ſua liberalitate Jeſuitas egentes aliquando levet, aliàs audies à me illud antiqui vatis: *Qui invident, egent; illi, quibus invidetur, rem habent.*

C Nunc omiſſis utilitatibus, docere inſtituit Lermæus, quibus in caſibus Jeſuitæ *Monachiſmum*, ùt inquit, *emendârint.* Monachiſmus neque noſtra, neque aliorum emendatione eget: Eſt enim ſtatus ſanctus, ſtatus Deo gratus, ſtatus Eccleſiæ utiliſſimus, quem qui emendare nititur, is eadem opera *ebur atramento candefaciat.* Sed probas emendâſſe: *quia receſſerunt*, inquis, *à Monachiſmo:* Egregia ratio; ergo quicunque monachi non ſunt, ii monaſticen emendant: Ergo & tu *Monachiſmum emendâſti*, quia Monachus non fuiſti; aut ſi fuiſti Monachus, certè à Monachiſmo, quem deſeruiſti, vel maximè receſſiſti. Quo fit, ut maximè Monachiſmum *emendâris*, eo videlicet modo, quo Lutherus & Calvinus doctrinam Evangelicam emendârunt, hoc eſt, ſuſtulerunt, quantum quidem in ipſis erat.

D Monachis, inquit Calviniſta, *ex teſtamento ſuorum, aut ab inteſtato, legaticapio nulla erat; at Jeſuitæ id juris ſibi reſervârunt, ut hæreditates ad ſe devolutas, nomine quiſque privato adire, ac præteritione teſtamenta rumpere poſſent.* Contrarium ſi ſcripſiſſes, verum ſcripſiſſes; primùm enim Profeſſi apud nos, & Coadjutores Formati nullius penitus hæreditatis capaces ſunt, nec Societas eorum nomine, id, quod diſertè & perſpicuè à Patre noſtro Ignatio in Conſtitutionibus ſancitum eſt; Mentitur ergo Lermæus, cùm generatim ſine ulla exceptione affirmat, Jeſuitas, hæreditates adire; cùm qui inter Jeſuitas præcipui ſunt, ab hæreditatibus tam ſuo privato, quàm publico Societatis nomine adeundis excluſi ſint. Mentitur etiam, cùm ait; *Monachis ex teſtamento ſuorum, aut ab inteſtato nullam legaticapionem convenire;* cùm explorati juris ſit, pleraque Monaſteria jus in omnia bona ſuorum profeſſorum acquirere, eísque ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuccedere. Quod ad novitios attinet, nihil in eorum facultates juris ſibi ulla religio vendicat, cùm tales non tam ſint in Religione, quàm in via ad religionem: ſicut autem aliis Ordinibus Tirones ſua, vel donare, vel teſtamento legare poſſunt, ita poſſunt & noſtri noſtro; ut taceam, non deeſſe, qui putent, mortui tironis bona pertinere ab inteſtato ad Monaſterium; quia qui moritur in Monaſterio, nullo teſtamento condito, cenſetur Religioſus, ac proinde ejus bona tacitè in Monaſterium tranſeunt; perſeverantia enim in Religione uſque ad mortem, declarat animum ipſius; Quo tamen jure Societas nunquam uſa eſt; neque utetur etiam in poſterum. Porrò ſicut aliæ Religiones legata vel donationes à tironibus factas admittere poſſunt ſine ullius injuria, ita poteſt & noſtra Societas.

Jam ſi eos, qui in noſtra Societate tria G ſimplicia vota Deo nuncupârunt, quibus Novitii eſſe deſiêrunt, veréque & propriè religioſi eſſe inceperunt, comparemus cum profeſſis eorum Ordinum, qui bona in communi poſſident, clarè deprehendemus, quàm Calviniſta iſte ubique occaſionem, licèt ſine occaſione; Societatem criminandi quærat. Nam ejusmodi Ordines jus acquirunt in eorum opes, quos jam in corpus ſuum cooptârunt: at licèt iſti, qui apud nos tria ſimplicia vota poſt tirocinii tempus ediderunt, verè ſint in Societatis corpus, vel in gradum aliquem ſocietatis cooptati, Societas tamen nihil juris in eorum facultates ſibi vendicat, & ſi moriantur ab inteſtato, non ſuccedit Societas, ſed ipſimet dominium retinent, non tamen uſum, vel ſi uſum aliquem, à Superioris voluntate non independentem. Quòd ſi tempus ſeſe rebus illis omnino abdicandi adveniat, quod fit, cùm vel profeſſio facienda, vel vota Coadjutorum emittenda, vel cùm Superior id imperat, licet unicuique bona ſua diſtribuere, cum ea moderatione & cautela, quam & ipſius rei magnitudo exigit, Chriſtíque conſilium præſcribit.

Quòd autem iſti adhuc capaces ſunt hæ- H reditatum & legatorum, id non mirum, quia adhuc capaces ſunt dominii; & ſicuti ea bona, quæ habebant, quando ſimplicia vota primùm ediderunt, non hoc ipſo Societati tranſcribuntur; ita neque tranſcribuntur eidem alia, quæ poſtea ad illos

illos teſtamento, vel per ſucceſſionem ab inteſtato devolvuntur: ſed ùt illa priora, ita & hæc poſteriora ſuo tempore in egenos ſunt diſtribuenda, neque ullus Societati, vel obolum dare cogitur, ſi malit Societati alios egenos anteferre. Adeunt igitur iſti hæreditates, ſed adeundo Societati nullum jus & dominium acquirunt, ſed ſibi, abſque uſu, vel cerè dependente à Superioris arbitrio, in quo Societas longè minus habet, quàm alii Ordines; Nam hæreditas Monacho, etiam profeſſo, delata, ad Monaſterium pertinet (loquor autem de Monaſterio, quod bona in communi poſſidet,) & quamvis Monachus, antequam hæreditatem adiret, mortuus ſit, ejus tamen loco Monaſterium hæreditatem petere & adire poteſt, imò invito & repugnante Monacho eam adire poteſt. Quæ omnia liquent ex his, quæ de hac materia ex utriusque Juris fontibus; & ex communi Doctorum ſententia diſputat Clariſſimus Juriſconſultus Andreas Fachineus.

Fachin. lib. 6. controverſ. Juris, cap. 16. & ſeqq.

Ex his ergo judicet Lector, quàm verè Lermæus Societatem inſimulet, quaſi legatorum & hæreditatum nimiùm appetentem, cùm ſponte ſua ſe iis privârit, quibus cum aliis Ordinibus Religioſis meritò gaudere poterat, cúmque ad Societatem nihil penitus emolumenti perveniat, niſi his duabus viis, donatione videlicet, vel teſtamento, ùt ſi quis Novitius vel Scholaſticus Societatem hæredem ſcriberet. Sed diſplicet Lermæo, quòd noſtris nondum profeſſis ea ſit facultas, ut, ſi prætereantur in teſtamento, conqueri poſſint tanquam de teſtamento inofficioſo, imò & teſtamentum rumpere. Sed immeritò hoc diſplicet Lermæo. Annè enim æquum eſt, ut is, qui Religioſus eſt, eo ſolùm titulo à teſtamento excludatur, & omni hæreditate privetur, quia Religioſus eſt, & quidem talis Religioſus, cui adhuc dominium rerum, permiſſu Superiorum, convenit? An virtus & pietas tali Religioſo fraudi erit? Non deſunt Auctores, qui putent, fas non eſſe exhæredare filium, ſi poſt culpam ingratitudinis commiſſam, & pœna exhæreditationis dignam, Monachus fiat. Cur igitur ab hæreditate repelleretur, qui nullum facinus tali ſupplicio dignum commiſit? Sed Calviniſtæ agunt cum Jeſuitis, ùt olim Ethnici cum Chriſtianorum ſacerdotibus, videlicet eos ab omni legato, ſucceſſione & donatione, ſimpliciter excluſos diſcupiunt, ſe verò ſuósque Miniſtros à nullo emolumento arceri ferunt: *Scribuntur teſtamenta*, inquit ſanctus Ambroſius, *templorum* (ididolatricorum) *miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ*, (Miniſter Calvinianus) *ſoli ex omnibus Clerico* (Jeſuitæ) *jus clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur, nulla legata, vel gravium viduarum, vel donatio:*

Vide Andr. Fach lib. 6. controverſ. Juris, c. 81.

S. Ambroſ. contra Symmachum.

Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præſcribitur. Quod ſacerdotibus fani (Calvinianis Miniſtris) *legaverit Chriſtiana vidua, valet, quod miniſtris Dei, non valet.*

Non adſtringunt ſe, inquit Calviniſta, ad *recitandas manè & veſperì nænias, neque cadaveribus Divorum delubra funeſtant.* Qui nænias omittit, is benè, non malè agit; ſi benè agit, reprehendi non debet; Cur ergo reprehendit Lermæus Jeſuitas, ſi à næniis abſtinent. Deinde judicet lector, quid de Calviniſta ſentiendum ſit, qui laudes divinas pro næniis habet, ſive næniarum nomine intelligat ea officia, quæ ſpeciatim pro defunctis decantari ſolent, ſive ea, quæ generatim divinæ gloriæ celebrandæ gratia inſtituuntur. Et quamvis Jeſuitæ benè de ſe merentibus grates non rependant canendo; at rependunt, dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium offerunt, aliásque preces Deo gratas & animabus fidelium defunctorum ſalutares, tam privatim, quàm publicè in templis recitant. Sed Calviniſtæ parùm morantur, ſive officia divina pro defunctis canendo peragantur, ſive non, id unum ſpectant, ut calumnientur. In næniis enim numerant, quidquid pro his, qui ad alteram vitam translati ſunt, ſuſcipitur, quos etiam Lermæus *damnatos* vocat: *pro anima*, inquit, *damnati deprecatiunculas modulantur Monachi.* Abſit à Catholico pectore, ut pro damnato quicquam precum fundat. Aliter inſtituti ſumus, aliter de iis, qui in Catholica communione excedunt, ſentimus, quos pro *damnatis* nemo habet, niſi ille, qui proprio judicio damnatus eſt, & cujus damnatio jam nunc incipit, ut tempeſtivè ſummam miſeriam incipiat. Quòd autem ait; JESUITAS, *non funeſtare cadaveribus* ſua templa, neſcio quid ſibi velit; nam ſi per cadavera intelligit Reliquias Cœlitum, verè dicit; his enim non funeſtantur templa, ſed decorantur, neque quidquam nobis optatius contingere poteſt, quàm ut ſacroſanctis Divorum oſſibus templa noſtra non funeſtare, ſed exornare queamus: Nam Divûm lipſanis ædes ſacras nemo niſi funeſtus funeſtari credit. Nec corporibus aliorum fidelium, qui ex hac vita in Catholica Eccleſia migrant, templa funeſtantur: loca enim, ubi Catholici ſepeliuntur, pro ſacris & Religioſis ducimus, tantum abeſt, ut ullius Orthodoxi exangui corpore locum ullum funeſtari putemus. Hæreticorum corpora, quidquid tangunt, funeſtant, quia funeſtorum corpora ſunt, quare non immeritò ab omnibus conſecratis locis arcentur, & eò, quò merentur, amandantur, neque ullis Hæreticorum cadaveribus templa noſtra funeſtari ſinimus.

Reformârunt, inquit Lermæus, *eam turpitudinem Monachorum, qui mantica per vicos onuſti, ſtipem & annonam oſtiatim mendicabant.* Primùm, non omnes Monachi oſtia-

A ostiatim; aut jam mendicant, aut olim mendicârunt; multi enim precariò non victitant, sed ex annuis, iísque non modicis vectigalibus. Secundò, ostiatim mendicare non reputant Jesuitæ pro turpitudine, quia eorum Novitii id ipsum faciunt, item omnes illi, qui professionem aut vota Coadjutorum Deo sunt nuncupaturi: præterea illi, qui in domibus professis degunt; nam cùm his nulli in genere aut specie reditus suppetant, oportet, ut piorum eleemosynis & liberalitate subleventur: Ostiatim denique mendicare omnes debent ex Constitutionum nostrarum præscripto, quoties id aut necessitas, aut ejus, qui præest,
B voluntas postulat. Quomodo igitur Jesuitæ sustulerunt id, quod ipsimet agunt, & ex instituti sui præscripto agere debent. Mirari verò subit, cur mendicare ostiatim adeò turpe huic Calviniſtæ videatur? Si turpe est mendicare, turpe itidem erit mendicum stipe adjuvare; nemo enim honestè eum juvat, qui turpe aliquid exercet, ídque eo tantùm fine, quia turpe quid exercet. Ergo, ùt video, virtus misericordiæ tantoperè celebrata, nihil loci habebit in locis Calviniſticis. Et Christus ipse, qui se apud Prophetam *egenum & pauperem* vocat, nihil opis & subsidii à Calviniſtis sibi polliceri posset, ob turpitudinem, quam mendicatio vicatim, vel etiam ostiatim instituta
C complectitur. Quocirca necesse erit, ut Christus secundùm Evangelium Calvinianum supremam ultimæ retributionis sententiam aliter concipiat, ídque, quod damnatis adscripserat, benedictis attribuat: *Venite, possidete paratum vobis regnum, esurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, sitivi, & non dediſtis mihi bibere:* Reprobis autem, igníque æterno adjudicatis hæc verba intonet: *ite in ignem æternum, esurivi enim, & dediſtis mihi manducare, sitivi, & dediſtis mihi bibere:* Hoc enim turpe est, quandoquidem mendicare turpe est. At illud turpe non est, cùm pulchrum & laudabile factum sit, turpe quid agenti, nihil subsidii administrare. Epithetum illud, *turpis egestas*, Lermæe, non à Christianis, sed ab Ethnicis manavit, quibus, quanti in paupertate à Christo & Apostolis dedicata, thesauri laterent, ignotum erat: Christiani meliora divinitùs edocti, longè aliter de paupertate, voluntaria præsertim, sentiunt. Omnis ergo Religiosus, qui mendicat, *habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi licere id facere, quod illi fecerunt, putat.*

Matth. 25.

D *JESUITÆ*, inquit, *domi & foris, nil nisi nitorem & lautitiam præ se ferunt.* Si per nitorem, munditiem, sordium expertem, intelligis, non abnuo, nos nitoris studiosos esse; quia munditiem externam amamus, & domi forísque curamus; quia & ad valetudinem, & ad proximorum ædificationem facit. Si autem per nitorem intelligis id, quod vocabulum præ se ferre videtur, exquisitam videlicet elegantiam, tum id, quod hoc loco scribis, cæteris, quæ hactenus effutivisti, mendaciis meritò adscribetur. Nobis illud sancti Hieronymi curæ est & cordi: *Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* De lautitia nostra scripsi multa contra Misenum: Vetus est hæc hæreticorum cantilena. Quod Aristoteles ait de stupidis quibusdam Philosophis; *eos sensu egere, non ratione;* idem de hæreticis hoc loco affirmare licet; ut hanc calumniam deponant, *sensu egent;* nam rationibus non videtur effici posse, ut persuasionem mutent; si tamen calumnia hæc ex defectu experientiæ, & ex ignorantia, non, ùt cæteræ pleræque, ex sola mentiendi libidine proficiscitur. Religioso viro, ùt quidvis satis est, ita quidvis etiam lautum est, nec in lautitiis, quas vulgò lautitias æstimant, felicitatem, sed in animo modicis contento, collocat, hósque versiculos, Philosopho quàm Poëta digniores in ima præcordia demittit: *Profectò, ùt quisque minimo contentus fuit, ita fortunatam vitam duxit maximè. Ut Philosophi ajunt isti; quidvis satis est.*

E

S. Hier. ad Nepot.

Sext. Turpil.

F Quod Philo de Jessæis prodidit, hoc & de Jesuitis sibi hæretici persuadeant: *Temperantiæ tanquam fundamento in anima jacto, virtutes cæteras superstruunt; contenti placare dominas à natura mortalibus additas, famem, sitimque, absque omnibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet vivere: edunt igitur, ne esuriant; bibunt, ne sitiant; saturitatem cavendo, ùt inimicam animo pariter & corpori.*

Phil. lib. de vita contempl.

G *Suppresserunt Jesuitæ*, inquit Calviniſta, *quasdam mei & tui appellationes, quæ jam inter Monachos gliscebant.* Jesuitæ non modò quasdam, sed & omnes *mei* & *tui* appellationes suppresserunt, & diligentissimè in Ordine suo supprimunt, & tanquam infelix lolium stirpitus evellunt; si enim *meum* & *tuum*, ùt Philosophus quidam ait, turbant totum mundum, quantò magis turbarent, & in maxima discrimina conjicerent Ordinem religiosum. Quocirca meritò advigilant Religionum Antistites, ut hæc duo vocabula, seu provocabula è medio tollant, si vel paululùm caput efferant; neque recens est hæc vigilantia; sed antiquissima, & cum ipsis Religiosis Ordinibus nata: De qua, ut unum ex multis nominem, ita Cassianus: *Hanc regulam videmus strictissimè usque nunc servari, ut ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnúmque sit crimen ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, próque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per surreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.*

Cassian. lib. 4. de instit. Renunciant.

H *Jesuitæ*, inquit Lermæus, *soli reperêre modum, quo nihil possidentes omnia possideant.* Ergo soli Jesuitæ monito Apostoli obtemperârunt; qui vult omnes esse, ùt *nihil habentes, & omnia possidentes.* Ergo Christiani in pri-

A prima Ecclesia, qui suas facultates divendebant, pretiúmque in commune conferebant, non fuerunt *nihil habentes*, & *omnia possidentes*. At fuisse *nihil habentes*, manifestè liquet ex narratione sancti Lucæ; qui ait, *eos omnia sua vendidisse*, rerúmque venditarum pretium ad pedes Apostolorum detulisse. Fuisse item illos, *omnia possidentes*, clarum fit ex eodem sancto Luca: ait enim, *nullum inter eos fuisse egenum:* qui nullius rei eget, is profectò omnia possidet; igitur non soli Jesuitæ repererunt modum, quo nihil possidentes, omnia possideant; sed & alii quàm plurimi, omnésque verè Religiosi.

Actor. 2.

Actor. 4.

B *Quocunque gentium Jesuitæ*, inquit, *proficiscuntur, omnem supellectilem, & corporis cultum inter suos opportunum nanciscuntur.* Primùm, nostri non degunt in omnibus civitatibus, nedum ubique gentium: non ergo ubique gentium reperiunt supellectilem, & corporis cultum inter suos opportunum. Nam quando in Orientis solis Indiam navigant, nullum, opinor; Collegium inveniunt ante Goanum, nisi fortè in insulis Tertiis, si eò naves appellantur. Vides ergo immensum marium terrarúmque tractum permetiendum esse, antequam *tuam illam supellectilem*, & tuum illum corporis cultum opportunum reperiant: *Tuum* voco, quia ex cerebro tuo cultus iste prognatus est, & depromptus, non ex nostro vestiario; nam cultum corporis nullum novimus, aut toleramus, nisi moderatum, eúmque, de quo C sanctus Paulus loquitur, cùm jubet; ut *victum & vestitum* habentes, his contenti simus. Imitamur ubique exemplum sancti Augustini, de quo hæc Possidonius: *Vestis ejus, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm.* At quòd nostri, ubicunque ad nostros divertunt, amanter excipiuntur, & necessariis rebus adjuvantur, quid mirum? *Nostrum est*, ait ille, *quodcunque nostrorum est.* Nec insolens hoc videtur nisi ei, qui leges hospitalitatis & fraternitatis nescit, quique degit iis in locis, ubi nec hospes ab hospite tutus, & ubi fratrum quoque gratia rara, vel potiùs nulla. Subjungit Lermæus.

Possid. in vita S. August.

Tertull. lib. de reveland. virginibus.

D *Monachi informi quodam habitu incedentes tetricum quiddam & inhumanum sapiebant:* (tetricis nimirum & inhumanis Calvinistis) *at Jesuitæ formam communem tenuerunt.* Si communem formam tenuimus, nihil ergo reprehensione dignum admisimus; qui enim retinet sui status formam communem, is laudem meretur; At Jesuitæ, vel Calvinista teste, retinuerunt formam communem Clericorum, quod ad habitum attinet; cur ergo traducuntur? Si terrebat habitus Monasticus Calvinistas, ùt inhumanus, eóque Monachos expulerunt, & monasteria everterunt, facilè impetrâssent mutationem illius habitus; quandoquidem verum est, quod vulgò dicitur: *Habitus non facit Monachum.* Certè satius fuisset habitum E Calvinistis amicum & gratum induere, quàm ex tot regionibus exterminari. Cur ergo, si de solo habitu agebatur, sententiam suam Monachis non patefecerunt? Cur Clericos non retinuerunt? Cur Jesuitas non tolerant iis in urbibus, quas Calvinus occupat, cùm Jesuitarum habitus nihil *tetricum*, nihílque *inhumanum* sapiat, ùt ait iste Calvini discipulus. Quòd si habitus Monachorum, qui nunc in Ecclesia militant, istis nescio quam *inhumanitatem* olere videtur, quidnam pronunciâssent de habitu Monachorum, quem optimus harum rerum pictor Cassianus depingit? Lermæus, procul dubio, quovis velociùs Euro aufugisset, si fortè fortuna incidisset in Monachos Ægyptios *cucullis*, *collobiis*, *rebrachiatoriis masortibus*, *melotis*, *& pellibus caprinis* conspicuos, non sine baculo gressuum rectore. Idem fecisset, si in Joannem Baptistam incidisset, cujus vestitus humanissimis istis Calvinistis adhuc censebitur inhumanior; qui habebat *vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Fortè Lermæus, ùt Julianus Apostata in spelunca, terrore compulsus, signum Crucis fronti impressisset, etsi æquè ac Julianus Crucis hostis & osor.

Cassian. lib. 1. de Instit. Renunciant.

Ut Tertulliano *à toga ad pallium* transgresso, scribendus fuit Apologeticus liber pro pallio, seu de pallio; ita Jesuitis pro suo amictu defensio paranda erit, ni calumniatores Calviniani calvere desinant, qui nobis non illud Tertulliano objectum, *itáne à toga ad pallium*, sed, itáne à vestibus Monachorum ad communem Clericorum vestitum? perpetuò occinunt. Sed si, ùt ajunt, *inhumanus*, ille vestitus, merititò non ægrè ferunt, si à nobis sit desertus, ùt suprà dicebam. At nulla in illo inhumanitas, sanctus amictus est; quia à sanctissimis viris consecratus, sed ut suum cuique vitæ, ita etiam proprium genus vestis est. Apostoli aliud vestimenti genus usurpârunt, quàm aut Joannes Baptista, aut Helisæus, aut Helias, nemo id eis vitio vertit, nisi fortè Calvinistis similes sycophantæ. F

Sed benè habet, quod Tertullianus de G suo pallio, id ego de nostro & Monachorum vestitu; *ipse habitus sonat. Sic denique auditur Philosophus* (Jesuita & Monachus) *dum videtur. De occursu meo vitia* (hæreses) *suffundo; Quis non æmulum suum, cùm videt, patitur? Quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest? Grande pallii* (habitus Jesuitici & Monastici) *beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores, vel erubescunt.* Hæc Tertullianus pro suo pallio; ego pro nostro habitu, aliorúmque Religiosorum.

Interim animadverto convicium novum, H quo nos Calvinistæ afficiunt; cùm *Fibulatos*, & *vestem*, *queis fibula nectit*, appellant; ab Ethnicis in Christianos conjectum esse; vel

A vel certè potuisse conjici, occasione pallii; quod ùt Tertullianus ait; *in fibulæ morsu humeris adquiescebat;* ut proinde peregrinus ille Batavus, qui ὁδοιπορικὸν conscribere volens, λοιδορικὸν scripsit, non sine exemplo Ethnicorum, nos *Fibulatos* nominet; qui fortassis tam dissolutus non fuisset; si fibulas habuisset; sed quia nec fibulis, nec jugulis constrictus est, mirum non est, si jugulis constrictus est, mirum non est, si jugulis investis adhuc, & ùt Vulcanus ille ait; βέπαις, tam dissolutus in illa sua viali Epistola fuerit. Quòd si, quo est acumine, aliò *fibulæ* & *fibulati* appellatione alludit, castitatisque professionem hoc vocabulo nobis exprobrare contendit; facilè convicium fero; quid enim aliud grunniat, Calvini de grege porcellus, cui Deus, venter. Dea, caro, omnis fibulæ, hoc est,
B obicis & remoræ ad libidinem impatiens. Tantùm doleo, hunc Calviniſtam, eò necessitatis adigi, ut cogatur, eos Eunuchos ore Domini laudatos, qui *se propter regnum cælorum castravcrunt*, *fibulatos* per contumeliam nominare; quin & Apostolum, qui omnes voluit esse, sicut semetipsum, hoc est, ab omni voluptate carnis abstinentes; Calvinianus glossographus nihil aliud voluisse dicet; quàm ut omnes sint fibulati; quia & Paulus fibulatus erat. Optarem profectò, Calviniſtas fibulatos esse: neque enim Janus suis in poëmatis omnem frontem amisisset; si non bifrons aut quadrifrons, ùt olim; saltem unifrons, vel saltem non adeò effrons esset. Verùm hæc obiter & aliud agentes.

C Nunc operæ pretium jam est audire causas, cur communem formam vestis retineamus. Causas, inquam, non veras, sed à Lermæo confictas, quarum duas reddit; Prima est, *ut Jesuitæ turbis hominum ultrò citróque sese misceant, & rumusculos impunè captent.* Altera, *ut vigilum & speculatorum munus exequantur.* Ad utrumque munus habitus Jesuitarum tam ineptus est, ut quocunque Jesuita, suo vestitu amictus venit, statim ab ipsis, hæreticis, & ab iis, qui Jesuitas nomine magis, quàm habitu nôrunt, agnoscatur. Sanctus Hieronymus de Ethnicis: *Ubicunque viderint Christianum, statim illud de trivio:* ὁ γραῦκος ἐπιθέτης, *vocant impostorem, detrahunt.* Et, *si tunica non canduerit, statim illud è trivio, Impostor & Græcus est.* Idem sanè de nostro habitu dicere licet; statim, etiam ignoti, ab ignotis cognoscimur, & conviciis à petulanti hæreticorum lingua ferimur, ut proinde rumusculis captandis, arcanisque explorandis habitus noster minimè sit accommodatus. Speculandi munus aliud nobis commissum non est, quàm ut quivis nostrûm diligenter speculetur, quomodo & se, & alios possit salvos facere, &
D ab ovili Christi lupos Calvinianos & Lutheranos arcere; Quivis sibi dictum putat id, quod Dominus speciatim ad Ezechielem dixit; *Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me.* Quivis cavet, ne *cæcus speculator sit*, quem Deo summoperè displicere ex Isaiæ oraculis didicimus.

S. Hier. ad Furiam.

S. Hier. ad Marcell.

Ezech. 33.

E Isaiæ 56.

Inde est, inquit Lermæus, *quòd in extremas oras nullo penè sumptu abeunt, & gravissimas à Papa legationes obeunt, quæ Cardinalibus antea demandari solebant.* Vide, oro, quàm scitè ratiocineris. Jesuitæ communem Clericorum vestitum amplectuntur: ergo nullo sumptu in extremas orbis oras abeunt. Jesuitæ Clericali habitu utuntur: ergo Papa mandat illis gravissimas legationes, antea à solis Cardinalibus obiri solitas. Acuminata profectò Calviniani acuminis argumenta! Fortè, qui Clericali habitu vestitur, minùs famet ac sitit, quàm qui utitur monastico, quocirca ille minore, quàm hic sumptu, in longinquas regiones penetrabit. Quòd si Pontifex propter habitum Jesuitis tam honorificas legationes defert, quî fit, quòd aliis Clericis, eodem habitu utentibus, similes legationes non demandet? Ne tamen mendacii hoc loco accuseris ab illis, qui rerum sunt peritiores quàm Calviniſtæ, necessarium erit, ut nomines Jesuitam, qui aliquando legatus Pontificis *de latere* fuerit in Europa, aut nuncius cum potestate *Legati de latere.* Quod ni feceris, fidem jam dudum amissam, nondum recuperabis.

F

Inter Monachos & Jesuitas, inquit Lermæus, *quod ad habitus victúsque formam attinet, tantum interest, quantum inter veteres meretrices aulicas & recentiores. Illæ, in jejuna quadam corporis exilitate pulchritudinem constituebant, unde miserè genium suum affligebant: Hæ corpus suum intus & in cute splendidè curandum, neque quidquam in fraudem genii de demenso detrahendum censuerunt.* Differentias & consuetudines meretricum libens me ignorare, fateor. Nec invideo Calviniſtæ, pulcherrimæ scilicet rei scientiam, partam, ùt apparet, experientia, quotidiano victu, & familiaritate cum utriusque generis scortis. Nec plura de his. Ego cum sancto Hieronymo ajo: *Ille loquatur spurcitias, qui potest spurca committere.* Addo insuper, te multò citiùs reperturum Jesuitam, qui propter continuos labores ossa atque pellis totus sit, quàm qui sit *Eglon crassus nimis.* Ad extremum, de vestimentis nostris repono tibi illud Cassiani, *ea*, ejusmodi sunt, *quæ corpus operiant tantùm, non quæ amictus gloria blandiantur. Ita vilia, ut nulla coloris vel habitus novitate inter cæteros hujus propositi viros* (Clericos) *habeantur insignia: ita studiosis accurationibus aliena, ut nullis rursum sint affectatis per injuriam sordibus decolorata.*

G

Jud. cap. 3. Cass. lib. 1. de instit. Renunc. cap. 3.

CAPUT V.

Discutitur disputatio Lermæi de objecto, fine, & præstantia artis JESUITICÆ.

H SI nescivissem hactenus, quàm verus sit ille Publii Syri versiculus: *Fidem qui per-*

A *perdit, nil poteſt ultra perdere:* clarè ejus fidem mihi comprobâſſet Lermæus, qui ſemel amiſsâ divinâ & Catholicâ fide, omnium aliarum virtutum naufragium fecit, ita ut vix ullius veſtigium in eo appareat, uſque adeò mentiendi, calumniandi & cavillandi libidine non modò tenetur, ſed & furit, non ſine inſigni quodam ingenii ſtupore, quem ſingulis propemodum verbis prodit, hîc tamen potiſſimùm, ubi *amphora cœpit inſtitui, currente rota, tandem urceus exit.* Nam propoſita diſputatione de *objecto artis*, ùt vocat, *Jeſuiticæ*, diſſerit ipſe de habitibus intellectus, extra quidem inſtituti, ſed non extra criminandi propoſitum.

B *Ex multiplicibus habitibus intellectus*, inquit Lermæus, *ars Jeſuitica præcipuè fide, ſcientia & opinione conſtat.* Quàm verò ſunt multiplices habitus intellectus Lermæe? ſi ſupra quinque aut ſex generales repereris ex illis, qui naturæ viribus comparantur, tum fatebor te acutiorem eſſe Ariſtotele, qui in Ethicis, ubi habitus intellectuales exſequitur, quinque tantùm certos, & à vero nunquam aberrantes ſtatuit: intellectum ſeu habitum principiorum, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam, artem; fidem & opinionem iis habitibus annumerat, qui & fallunt, & falluntur. Ex numero habituum intellectualium, qui divinitùs menti infunduntur, quorum perquam pauci, neſcio, num vel unum admittes. Hoc ſcio, te nullo præditum eſſe, quia animus, quem fidei habitus non decorat, capax non eſt prudentiæ infuſæ, ſapientiæ, ſcientiæ & intellectus, quæ ſunt dona ſancti Spiritus, & quidem habitualia, in intellectu inhærentia; *Ars*, inquit, *Jeſuitica conſtat fide, ſcientia & opinione.*

C Doctè profectò. Quærere tamen lubet, ut planiùs & meliùs te explices, quînam fieri poſſit, ut ars aut fide conſtet, aut fides ſit? Ars certa eſt; fides incerta: humana, inquam, fides; nam divina multò minùs ars eſt, aut arte conſtans, prout ars peculiarem habitum intellectus ſignificat; qua notione nomen Artis à Lermæo uſurpatur. Præterea, ſi Jeſuitiſmus eſt ars, tum neque erit, neque continebitur ſcientia, ob diſcrimina, quæ Philoſophi cum Ariſtotele inter artem & ſcientiam conſtituunt. Multò minùs erit Jeſuitiſmus *opinio*, quia ars certa eſt, & fallere neſcia; opinio anceps eſt, & inter utrumque verſatur. Fortaſſe Lermæus tam perfectam cenſet eſſe artem Jeſuiticam, ut & artem, & fidem, & ſcientiam, & opinionem complectatur: ſed ut demus eundem habitum ſecundùm rem poſſe, & artem, & ſcientiam dici; at nec eſſe, nec dici poterit opinio aut fides, quia habitus, qui certorum duntaxat, & evidentium actuum principium eſt, non poteſt eſſe principium actuum incertorum, & æquè ad falſum ac ad verum propendentium.

D Quòd ſi Lermæus artis vocabulum non accipit ſtrictè pro habitu intellectuali à cæteris diſtincto, ſed pro collectione qualicunque plurium præceptionum ad unum finem tendentium, vel pro aggregatione habituum *ſcientiæ*, *fidei*, & *opinionis*, tum non dicit nihil, quia dicit aliquid: ſed mirari ſubit, cur arti huic hos tres tantùm habitus concedat; cur non adjicit prudentiam? Cur non ſaltem intellectum, ſeu habitum principiorum? Quanquam hunc concedit, hoc ipſo, quòd ſcientiam concedit, quæ non eſt niſi per principia. Deinde cur fidem & opinionem diſtinguit tanquam diverſos habitus? cùm unus & idem habitus dicatur fides & opinio: fides ùt nititur auctoritate dicentis; opinio, ùt nititur probabilitate rationis; ut taceam non deeſſe, qui negent opinionem aut fidem eſſe habitum, cùm natura ſua facilè mobilis videatur; nolim tamen Lermæum ad has ſpinas nimiùm adigere, ne pungatur: quamvis ſi pungatur, ſua culpa pungitur, qui in has ſpinas nudus, & ab omni eruditione imparatus ſeſe conjicit, quod vel hæc, quæ proximè ſubjungit verba, teſtatum faciunt. *Fides*, inquit, *in Romanum Pontificem, inque Romano Pontifice recumbit.* Si fidei nomine intelligat Calviniſta, fidem divinitùs infuſam, falſum ſcribit, & vel ſuæ ipſius menti repugnantia effutit; nam *objectum* fidei Deus eſt, non Pontifex; ſi autem fidei nomine intelligat, fidem humanam, tum non modò eſt Jeſuitarum fides in Romanum Pontificem, ſed in quemcunque alium, qui vel verbo, vel ſcripto aliquid narrat; nam omni hujuſcemodi homini aliquid narranti aut aſſentiendum, aut diſſentiendum eſt fide humana. Si autem fidei nomine intelligat *fidelitatem*; tum primùm ignorantiæ accuſo Lermæum, qui fidem hac notione habitum intellectus vocet. Fides G enim, hoc eſt, *fidelitas*, non eſt in intellectu, ſed in voluntate. Deinde cùm Jeſuitæ cum aliis & ſui Ordinis, & non ſui Ordinis verſentur, oportet, ut non modò fideles ſint, fidémque ſervent Romano Pontifici, ſed & ſibi mutuò, aliísque, quibuscum agunt, inprimis autem Deo; nam & hunc, & quidem præcipuè fides, hoc eſt, *fidelitas* ſpectat; eſt enim *dictorum conventorúmque conſtantia & veritas*; quam cur non credamus ideò appellatam *fidem*, *quia fiat*, *quod dictum eſt.*

Scientia, inquit, *ex demonſtratione naſcitur.* Quis neſcit hoc, niſi qui, quid ſit H demonſtratio & ſcientia, neſcit. Subdit; *Hæc autem eſt certiſſima demonſtratio.* Audiamus igitur certiſſimam hanc demonſtrationem, quæ certitudine cum quavis demonſtratione Euclidis, Theodoſii aut Apolonii certet. *Quamdiu ſuperſtitio florebit, tamdiu & ſanctitatis doctores, ſemper autem in regno Pontificio florebit, ſemper ergo Jeſuitæ ſanctitatis doctores inibi florebunt.* Hæc demonſtratio tot vulnera & ulcera habet, ut iis curandis, ne ipſe quidem medicorum parens Æſculapius ſuffecerit. Primùm enim

A major propositio falsa est; nam si superstitio floreat, doctores sanctitatis non florebunt; sicut quamdiu floret, ut ita dicam, *caligo*, lux solis non floret: è contrario, quamdiu lux solis floret, non floret caligo. Floret, inquam; lubet enim Lermæi vocabulum retinere; & nisi me fallit memoria, legi alicubi apud probatum auctorem *florem lucis*. Qualis ergo est illa demonstratio, cujus Major manifestè falsa? Verba summi Oratoris sunt: *Quid est minus, non dico oratoris, sed hominis, quàm objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longiùs progredi non possit, qui objecerit.* Multò magis hoc occinendum est illi, qui certissimam demonstrationem pollicetur, cujus Majorem si negaveris, vox faucibus hæreat, nec quò se vertat, nôrit.

Cic. 2. Philipp.

B Deinde in conclusione apparent Iesuitæ, qui non in Majore; quod ipsum etiam non exiguum vitium est. At tacita mente includebat illos demonstrator. Hac ipsa de causa non apparent, quia si inclusi sunt, quomodo apparerent? Apparere autem aliquid in conclusione, quod non apparuerit in Præmissis, vitiosum esse nôrunt vel illi, qui primis labris artem syllogisticam degustârunt. Quòd si hoc modo demonstrationem instituisses: *Quamdiu sanctitatis doctores florebunt, tamdiu non florebit superstitio: at in Ecclesia Catholica semper sanctitatis doctores florebunt: nunquam igitur in Ecclesia Catholica florebit superstitio:* tum gloriam & lauream certissimi demonstratoris meruisses.

C *Opinio*, inquit Lermæus, *in eorum multis residet, qui nesciunt, quid faciant: sed sola opinione ducti majorum funem ductúmque sequuntur.* Griphos nectis Lermæe. Qui aliquid ex opinione agit, is agit ùt homo; si ùt homo, ergo propter finem: si propter finem, scit igitur, quid faciat. Nemo quod facit, nescit, inquit S. Hilarius. Deinde opinari est *intelligere*; nullus enim canis aut bos opinione ducitur: ergo aliquid ex opinione agere, est intelligenter agere, seu bonum sit, seu malum, id, quod ex opinione geritur; nam adeò necessarium est, ut malum agatur ab intelligente, ut, si intelligens non sit, malum non sit. Præterea, qui majorum suorum vestigia sequitur, is scit, quid agat: si ergo illi, qui apud Jesuitas majorum vestigia sequuntur, *opinione tantùm ducantur*, ùt ait Hæreticus, oportet, ut, quod agunt, intelligant. Ad extremum; qui in majorum vestigiis sua signa ponit, eósque, quantis potest passibus, assectatur, is non opinatur, sed certò scit se benè agere: sacris enim litteris certò edocti sumus, non esse certiorem & securiorem semitam eà, quam majores calcant, ita, ut, si quis antegressos subsequi velit, minimè sit à vero termino aberraturus.

Hilar. libr. contra Constant.

D *Inter eos*, inquit, *qui fide præditi sunt, & eos, qui scientia, hoc est, inter quatuor & trium votorum professos, discrimen tale est, quale inter Craterum & Hephestionem Alexander Magnus constituebat. Illi sunt* Φιλαλέξανδροι: *hi verò* Φιλοβασιλῆες: *illi in personam Pontificiam inhiant; hi statum Pontificium adorant.* Ergo ùt video, Professus quatuor votorum fide præditus est, Professus trium, scientia: ille, dignitatem Pontificiam & Pontificem non colit, & æstimat, & tuetur absolutè; sed hunc vel illum, atque adeò Φιλογρηγόριος, aut Φιλοκλήμης est: Hic personam non intuetur; sed potestatem & majestatem, ideo jure, Φιλαρχιερεὺς, aut Φιλοπάπας audit. Vereor, ne lectoris patientia, aut potiùs otio, & tempore abuti judicer, si operosiùs refellere tentem tam insulsas nænias hominis, qui, ùt sanctus Hieronymus de simili quodam ait, *nunquam erubescit, nec considerat quid; sed quantum loquatur.* Quem enim fugit, ab omnibus Jesuitis, pari reverentia Pontifices coli, & quamvis Professi quatuor votorum peculiari Sacramento Pontifici obstricti sint, alios tamen amore & observantia erga Sedem Apostolicam illis inferiores non esse, & quod professione deest, affectione compensare: nec tam in Pontifice personam privatam, quàm eum, cujus personam gerit, considerare, ejúsque intuitu Pontifici omne genus obsequii deferre. Testatur Deus apud Ezechielem, quosdam esse, qui *in die ortus sui non sint sale saliti.* Ex horum classe unus, si non primus, est Lermæus, in quo ne mica salis, cujus omnia dicta & facta incondita quadam insulsitate scatent: quam testantur & hæc ejus verba.

E

F

S. Hieron. epist. 51. ad Domnionem.

Ezech. 16.

G *Ultimi, qui sola opinione ducuntur, vel fidem certè & scientiam admodum obscuram habent, miseri homunciones sunt.* Perstringit videlicet illos, qui apud nos domesticis ministeriis destinantur & occupantur, quos usitato nomine *Coadjutores* appellamus. Hos *miseros homunciones* nominat. At miserum esse, judicio miseri, non est satis perspicuum miseriæ argumentum: præsertim si miser ille, qui judicat, simul sit hæreticus; is autem, qui judicatur, sit Catholicus. Fortassis quando Lermæus Acta Apostolorum evolvit, miseris etiam homuncionibus septem illos primos Diaconos annumerat, quorum functio, præter cæteras, *ministrare mensis*, ut Apostoli eò expeditiùs Evangelio propagando operam dare possent. *Non est æquum*, ajebant, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Cur verò miseri illi nostri? *Quia*, inquit, *aquam hauriendo, sordes everrendo, patinis eluendis, muscis abigendis dant operam, non sine magno humilitatis merito apud superos inferósque.* Si nostri, qui domestica & viliora in speciem ministeria obeunt, ideo miseri sunt, miseros certè fuisse oportet omnes illos Religiosos, qui

Actor. 6.

H

jam

jam à conditis religionibus functiones has promptissimis & lætissimis animis susceperunt: At nemo probus eos, vel esse, vel fuisse miseros judicat: soli miserrimi Hæretici cum Ethnico Rutilio exclamant:

Rutil. lib. 1. Itinerarii.

Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur;
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat.

Non ita sanctus Basilius, non ita alii viri sanctitate præstantes senserunt. Solius Basilii auctoritate & nostros defensos, & Lermæi impudentiam refutatam dabo. Hæc ergo sanctus Basilius: *Convenit porrò Ascetam seu Religiosum, etiam viliora opera, cum multa eligere promptitudine ac studio, hoc scientem, quòd, quidquid propter Deum fit, non est parùm, sed magnum & spirituale, & cælo dignum, & mercedem illinc nobis trahens. Itáque etiamsi jumenta oneraria ad communem utilitatem sequi oporteat, reluctari non convenit, ita ut cogitemus, quomodo Apostoli promptè obediverunt Domino pullum adducere jubenti, & reputemus, quòd etiam hi, propter quos nos jumentorum curam suscipimus, fratres servatoris sunt, & benevolentia ac studium erga hos relationem ad Dominum habet, qui dixit. In quantum feciſtis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi feciſtis. Si verò ea, quæ minimis fiunt, nos Deo conjungunt, multò magis ea, quæ electis fecimus, nos ipsi conjungent. Modò non ministerium indifferentiæ occasionem putaverimus, verùm in omni vigilantia nos ipsos muniverimus, ut & nobis ipsis, & conversantibus nobiscum utilitas contingat. Si verò aliquod viliorum operum facere oportuerit, nôsse oportet, quòd Servator discipulis servivit, & vilia opera facere dedignatus non est. Et profectò magnum est homini imitatorem fieri Dei, dum per humilia hæc in altitudinem imitationis illius perducitur. Quis verò dixerit de cætero humilia ea, quorum Deus actionem attigit?*

S. Basil. in constitut. Monast. capite 22.

Ex his D. Basilii verbis habet Lermæus, opera hæc, quæ ab hæreticis ludibrio habentur, maximi apud superos esse meriti, imò & apud inferos: ut maledictum Lermæi in *benedictum* convertam. Nam apud inferos hoc merentur hæc opera, ut Religiosus, quia talia opera agit, inferis sit odio & detestationi: quæ sanè non exigua meriti hujus merces; quid enim optabilius est, quàm stygiis monstris non amori, sed execrationi esse? Nec ignorârunt veteres Religiosi, nec ignorant recentiores, quanta præmia his operibus à Deo sint constituta, idcirco ea explere *tanta devotione, & humilitate deproperant*, inquit Cassianus, *quanta nullus servorum durissimo domino ac præpotenti exhibet suum famulatum; ita ut ne ipsis quidem solis contenti obsequiis, quæ Canonico iure solvuntur, etiam nocte surgentes, illos, quos specialiter hæc cura manet, relevent, & ea, quæ ab ipsis perficienda sunt, furtim prævenientes, implere contendant.* Eandem ob causam res ad suum ministerium spectantes fideique suæ creditas non aliter quàm sacras tractant & asservant. *Vasa*, inquit Cassianus, *tanta sollicitudine curáque suscipientes custodiunt, ne quid ex eis imminuatur vel pereat, ut credant, se etiam pro minimis quibúsque vasis, tanquam pro sacrosanctis, rationem non solùm dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex eis negligentia eorum fuerit imminutum.* Alibi idem Cassianus; *Non solùm se ipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit in Monasterio semel illatum, ùt sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari. Tantáque fide universa procurant, atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectui habentur, parváque reputantur ac vilia, si vel loco moverint, vel competentiùs collocaverint, si gillonem aqua impleverint; si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, si tenuem festucam de oratorio celláve submoverint, mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant.* Hæc Cassianus de illis, quos Lermæus *miseros homunciones* appellitat. Cassiano majorem adjungo Gregorium Nazianzenum; qui de officiis, quæ miseri isti obeunt, ita scribit: *Quemadmodum Christus salutis tuæ causa, omnia quæcunque ipse es, peccato excepto, factus est; ita vel minima tua officia in se recipit, ac sibi expensa fert.*

Cassian. lib. 4. c. 20.

Nazian. in Maximum.

Sed ut singula Lermæi exempla excutiamus, & quanti ea ipsa, quæ ridet, apud Deum sint meriti, ostendamus, placet singula percurrere. *Miseri*, inquit, *sunt, quia aquam hauriunt.* At miseros non esse, qui obedientiæ studio & amore hoc exequuntur, docet vel unicum factum Abbatis Joannis apud Cassianum: qui jussu sui Antistitis lignum aridum humi depactum, advecta aqua, integrum annum quotidie rigavit, *& præceptum hoc veneratione solita*, inquit Cassianus, *ita quotidianis diebus explevit, ut aquam per duo fermè millia indesinenter apportans, nullatenus lignum rigare cessaret, atque per totum anni spatium non infirmitas corporis, non festivitas solennitatis, non occupatio necessitatis ullius, quæ illum etiam honestè excusaret, ab executione mandati; non denique hyemis asperitas intercedens, ab hujus observatione præcepti potuerit impedire.* Miseros vocat Lermæus, qui *sordibus everrendis* dant operam. Contrarium suo exemplo docuit sanctus Joannes Damascenus, Monasterium recens ingressus, & Abbas Pynufius apud Cassianum, qui hortulani *munus obiens, sarculo deorsum incurvus, laxabat oleribus terram; deinde stercus humeris suis advectans, eorum radicibus ingerebat, & universa officia, quæ cunctis erant aspera, vel indigna, atque ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie sedulitate complebat.* Sanctus Basilius eos, qui sordes everrebant, adeò pro miseris non reputabat, ut in regulis, & quæstionibus de vita Monastica, sigillatim quoque tradiderit, qui se gerere debeat

Cassian. lib. 4. c. 24.

Vide vitam S. Joan. Damasc Cassian. lib. 4. cap. 30.

S. Basilius quæst. compend. explicatis q. 146. & seqq.

Cassian. lib. 4. de Instit. Renunciant. c. 19.

A debeat is, qui *culinæ* præpositus est, item is, qui *lanæ*, & qui rebus promendis & condendis. At coquum, & qui similes functiones obeunt, sordes everrere debere, non negabit, opinor, is, cui notum, quæ sunt partes coqui.

B Tertium exemplum, in quo Lermæus miseriam nostrorum constituit, est, *patinas eluere*. Sed, nisi fallor, cocis, & œconomis, & dispensatoribus, quos, ùt beatos ascetas & Monachos, laudat & prædicat sanctus Basilius, patinæ quoque & ollæ ex officio abluendæ fuerunt, nisi fortè putat Lermæus, Monachos illos, semper ex illotis patinis cibum sumpsisse, eo modo, quo ipse ex illoto semper ore mendacia & criminationes fundit.

C Quartum miseriæ exemplum ponit in hoc, quòd *muscis abigendis* dant operam. Ego nullum hujus generis officium apud nos usitatum novi; nam muscas, si quæ molestiam creant, quivis à se abigit, quoquo potest modo, & eo muscario, quod unicuique à natura tributum est, & quinque cuspidibus constat. Nisi fortè Lermæus muscarum nomine intelligit noxias aut perversas cogitationes, aut muscas hæreticas; has nostri studiosissimè abigunt, nec abigendo fiunt miseri, imò longè miserrimi essent, si eas non abigerent: Si etiam muscas illas, quarum encomium Lucianus scripsit, abigere miserum est, Lermæi judicio, facilè adducor, ut suspicer, Patriarcham Abrahamum ab hoc Calvinista miserum censeri, qui tam diligenter *volucres* à victimis abegit, nisi contra hæc excipiat Lermæus, muscásque inficietur esse *volucres*.

Genes. 15.

D *Corporis Jesuitici*, inquit Lermæus, *professi quatuor votorum cerebrum obtinent*. Fateris ergo corpus nostrum non carere cerebro, sicut corpus Calvinianum cerebro caret, *Professi*, inquit, *trium votorum obtinent cor & pectus*. Fateris ergo corpus nostrum non esse excors, sicut corpus Calvinianum excors est, vel certè vecors. *Ultimi*, inquit, *sunt pedes & pediculi*. Pediculos tibi reserva, non opus est pediculis ad integritatem corporis, nisi fortassis eâdem cavillandi impudentiâ, in corpore Ecclesiæ, pulcherrimis coloribus, ab optimo harum rerum pictore, expresso, statuas quoque pedes & pediculos. Pedes corpori nostro à Calvinista attribui, libenter patimur; indicant enim corpus hoc cùm integrum, tum non uni loco affixum esse. Si corpus Calvinisticum expes est, non eò formosius aut felicius est. Quid autem criminis, si in corpore uno sit cerebrum, cor, pedes & alia membra? *Corpus non est unum membrum, sed multa*, inquit Apostolus; *Quòd si omnia essent unum membrum, ubi corpus? nec potest oculus dicere manui; opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii*. Quid ergo? quod ab Apostolo fieri solitum in Ecclesiæ corpore accepimus, id etiam in hoc corpore Jesuitico usuvenit.

1. Cor. 12.

Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, E
necessariora sunt, & ea, quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus.

Unum tamen os, inquit Hæreticus, *cunctis atque unus venter est*. Quid mirum, si uni corpori sit unum os, unúsque venter. Vidistíne aliquando corpus trifauce aut gemino, vel tergemino ventre? Geryonem fortè quempiam, aut Cerberum tria guttura pandentem nominabis. Ego verò, si vel Calvinianæ synagogæ corpus nomines, contentus ero; est enim verè *Cerbereum*, Geryoneum, & instar Briarei alicujus centimanum. Interim unitas oris in corpore Jesuitico, significat unitatem doctrinæ, ita ut omnes *idem sapiant*, & sentiant, idémque *loquantur*, quod Apostolo vel maximè in optatis est. Quanta apud vos, Lermæe, oris diversitas? quàm multiplex sonus? quàm inconstans & variabilis doctrina? quia corpus vestrum, horrendo & informi monstro, plura ora habet, & plura capita, instar Lernææ hydræ, genitricis tuæ, Lermæe.

F

Omnium, inquit, *connexio habitum constituit Jesuiticum, ab aliorum omnium habituum natura diversum*. Scitè; quasi habitus intellectuales, de quibus differit, vel potiùs nugatur hoc capite Lermæus, existant ex ipsa membrorum corporis coagmentatione & conformatione. *Cùm ex Philosophorum regulis*, inquit Lermæus, *omnis habitus intra cognitionem aut actionem consistat, aut alterutri adminiculetur, hic* (nempe habitus Jesuiticus) *simul actionem & contemplationem complexus est, atque adeò omnes alios habitus speculativos, practicos, neutros sibi servire coëgit;* quod deinceps pluribus ostendit Lermæus. Si ars seu habitus Jesuiticus omnes alios habitus, tam practicos quàm theoricos complectitur, ùt ait Lermæus, sequitur, habitum hunc valdè præstantem & perfectum esse. Quia res eò est perfectior, quò plures perfectiones continet. Quare scientiam Dei dicimus, & verè dicimus perfectissimam esse; quia perfectiones omnis cognitionis tam practicæ quàm speculativæ complectitur. Videat igitur, ne, dum nos vituperare studet Lermæus, majoribus, quàm agnoscamus, præconiis cumulet, qui *neutros habitus* ideo fortassis statuit, non contentus speculativis & practicis, quia & neutrum quendam intellectum habet, non tantùm *speculativum* & *practicum*, more aliorum hominum, aut certè *neutrum habitum* habet, id est, nec speculativum, nec practicum, bonum saltem & laudabilem, boníque & laudis principium: ita, ut ipsam utriusque privationem stabilem & constantem *habitum neutrum* vocet: quo sensu fieri nequit, ut habitum, aut habitus neutros habitus Jesuiticus includat. Nolim tamen nimiùm cum Lermæo hac de re contendere; novi enim, qua & auctoritate & ratione hoc suum de neutris habitibus placitum tueri queat.

G

H

Sed

A Sed jam ille ipſe Lermæus, qui dixerat, habitum Jeſuiticum omnes habitus complecti, nonnullos excipit, quos habitus noſter non contineat. *Inferiores artes*, inquit, *quas mechanicas vocant, nequaquam attingunt.* Mechanicas artes, nec docemus, nec diſcimus; quia Religioſi ſumus, non opifices. At ſi quis in noſtrum Ordinem cooptetur, peritus alicujus artis mechanicæ, cujus uſus à Religioſo inſtituto non ſit alienus, nobísque poſſit eſſe uſui, tam ingrati in has etiam artes non ſumus, ut earum ope & ſubſidio non utamur, ſeu ad rem familiarem, ſeu ad ſupellectilem ſacram & Eccleſiaſticam, exemplo veterum Aſcetarum & Religioſorum, qui & ipſi variorum opificiorum doctos recipiebant, quod nominatim liquet ex ſancto Baſilio, qui in quæſtionibus fuſiùs explicatis ex profeſſo docet, quænam artes mechanicæ Aſcetis ſeu Religioſis conveniant.

S. Baſil. q. 30.

B Sed cur artes mechanicas non attingamus, cauſam reddit Lermæus, falſam videlicet aſſertionis falſæ; nam falſi non niſi falſa cauſa redditur, ait enim: *Cùm mechanicarum artium ſit, non tam naturam perficere, quàm imitari, Jeſuitæ ſolius perfectionis æmuli, eas, ùt ſe indignas abjurârunt.* Malè, ùt video, legiſti, vel certè intellexiſti ſecundum librum Phyſicorum Ariſtotelis, & commentarios tuorum Magiſtrorum; malè etiam, ùt video, intelligis te ipſum, qui paulò antea dixeras, naturam ab arte perfici: Dices fortè, perfici naturam ab arte, ſed non ab arte mechanica. Cur verò non ab arte mechanica? *Quia hæc*, inquis, *imitatur naturam, non perficit;* imò verò, ſi qua ars naturam perficit, mechanica maximè perficit; quid enim eſt naturam perficere, quàm ea, quæ
C natura non tribuit ſupplere, & id, quod naturæ beneficio non habemus, præſtare? Architectonica enim perficit naturam, quia ædificia, quæ natura negavit, ipſa fabricat, & ita perficit naturam, ùt non imitetur naturam; quod enim exemplar à natura præſcriptum habet, ad quod in effectione ſui operis reſpiciat? Non abnuo eſſe artes, quæ naturam imitentur, &, ſi ita lubet, imitentur tantùm, ùt ars pingendi. Hoc contendo, à veritate procul abhorrere, quod ais, generatim artes mechanicas non perficere naturam.

D *Mechanicum*, inquit, *eſt domos conſtruere, at intellectui practico conſentaneum eſt domos ſibi quærere, omni apparatu & ſupellectili inſtructas, ideo non ædificia Jeſuitæ, ſed ædificiorum invaſiones meditantur.* Convicia hæc ſunt, & quidem imperitiſſima convicia; nam cùm ex ſententia Lermæi, omnis intellectus ſit, aut ſpeculativus, aut practicus, aut neuter, neceſſe eſt, ut artis opus, quale ædificium, aut à ſpeculativo, aut à practico, aut à neutro intellectu proficiſcatur. At primum nemo ſanus aſſeret; quis enim præcisè ſpeculando opus externum producit? Nec tertium rectè quis aſſeverabit, tum quia neuter E intellectus nullus eſt, niſi apud Lermæum, & alios neutros homines, qui hanc ſuam diſtinctionem intellectus & habitus didiciſſe videntur ab illo Grammatico, qui novis conjugibus precabatur & *maſculini & fœminini, generisque neutri liberos.* Sequitur ergo, ut ædificare domos, opus ſit intellectus practici. Auſon. in Epigramm.

At Jeſuitæ, inquit, *non ædificant; ſed invadunt jam abſoluta ædificia.* Alii Hæretici F nos nimiùm ædificiis extruendis deditos clamant, hic tantùm occupandis. Utrique & in hac & in illa calumnia ſuum ſolenne tenent. Impudentior tamen cæteris Lermæus eſt, qui nobis violentiam objicit. Cedo enim, ubinam domum ullam occupaverimus, nolentibus & reluctantibus illis, quorum intererat? Si à me petas, quot templa, quot monaſteria, quot collegia, quot xenodochia, Deo hominibúsque invitis, occupaveritis, inſtructa omni apparatu & ſupellectile, innumera tibi paucis horis annumerabo.

Superiori rationi cur artes mechanicæ à G nobis non uſurpentur, addit & hanc, priori gemellam; *Mechanicarum artium vilis eſt merces*, inquit, *& ejus quidem naturæ, ut non niſi exacto labore reddatur. Jeſuitæ verò antequam manum operi admoveant, operæ ſuæ pretium flagitare ſolent.* Quàm pulchrè hæc Lermæi verba conveniunt cum his ejuſdem Lermæi verbis, ſi tamen homo inconſtantiſſimus, idem eſt in uno, qui in altero capite. Sed faciamus eſſe eundem, ſi non conſtantiâ, certè inconſtantia; Si non re, certè nomine. Ita ergo Lermæus ſuprà: *Papæ ſervi Jeſuitæ procul à Giezi ſordibus abſunt, Aurum & opes súsque déque habent, ultro ſui copiam faciunt, operámque ſuam & merita, gratis impertiuntur.* Alibi: *Pueros ſine mercede docendos ſuſceperunt, quo artificio non vulgarem vulgi favorem emeruêre.* Aliam refutationem non adduco, ſatis mihi eſt Lermæum à Lermæo refutari, mendaciíque argui: Nam ſi operam noſtram gratis quibuſvis petentibus impendimus, ſi ſtudioſam juventutem ſine mercede inſtituimus, ùt Lermæus affirmat; fictitium igitur erit, nos, *antequam operi manum admoveamus, operæ noſtræ pretium flagitare*, ùt hoc loco Lermæus ſcribit, qui & addit, *artem audiendi confeſſiones Jeſuitis longè eſſe quæſtuoſiorem, quàm ſit ulla ars mechanica.* Sed de hac calumnia infrà ſpeciatim agendum erit.

Interea quærere lubet ex Lermæo, an ex- H pertus hæc ſcribat, an tantùm ex relatione aliorum, levísque vulgi rumoribus? Expertum ſe hæc ſcribere, vix audebit profiteri; ſtatim enim petemus, ut Jeſuitam nominet, qui ob auditam confeſſionem mercedem poſtulârit. Petemus præterea, ut explicet, quanta illa merces fuerit; grandem enim eſſe oportet, alioquin lucrum hoc, quod

A quod ex confessionibus percipitur, non superaret omnium mechanicarum artium emolùmenta. At si se nihil præter auditum habere ferat, tum meritò mirabitur quivis prudens, Lermæum, tam similem esse illi, qui hæc de se publicè prædicavit. *Quæ vera audivi, taceo, & contineo optimè, sin falsum, aut vanum aut fictum est, continuò palàm est. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.* Cùm Athenagoras calumnias in Christianos refelleret, ita præter cætera scribit: *Si quis ab eis rogitet, an viderint ipsi, quæ dicunt, nullus tum adeò impudenter mendax est, ut se vidisse fateatur.* Idem & hîc de pecunia à nostris ob confessionis Sacramentum administratum accepta, usurpare licet.

Athen. Apolog pro Christian.

B Jam tandem, post tot ambages, ad objectum accedit Porphyrius noster, sed ita, ut statim recedat. *Objectum*, inquit, *superius innuebamus, cum dignitate otium.* Neque hìc alio defensore utar, quàm Lermæo; is enim suprà ajebat, *Jesuitismum Monachismo adjunxisse praxin & πολυπραγμοσύνην*: at nec praxeos, nec πολυπραγμοσύνης objectum est otium: nemo enim minùs otiosus est, quàm practicus & polypragmon. Deinde Lermæus asseruit, habitum Jesuiticum complexum esse omnes alios habitus tam practicos quàm speculativos. At finis habitus & objectum non est otium, sed negotium & opus, cùm habitus sint energetici & *operativi*, idque vel ἀμέσως, vel interventu alterius.

C Idem Lermæus affirmat, Jesuitas *pueris erudiendis vacare*, item *hauriendæ aquæ, sordibus everrendis, patinis eluendis, muscis abigendis operam dare.* At hæc ex diametro repugnant otio: falsum igitur est, vel Lermæo teste, quod Lermæus ait, Jesuiticæ professionis esse otium. Nec plura addo, lubens enim acquiesco, mecúmque acquiescet lector, si Lermæus Lermæi vineta cædat, ipséque sibimet suram præbeat. Pergit Lermæus: *Objectum aliud ex toto, aliud ex partibus definire oportet.* Fac igitur, quod facere oportet; nobísque objecta *partialia* singularium partium artis Jesuiticæ assigna, & unum quoddam *totale* & *adæquatum.* At nihil minùs facit Lermæus, oblitus ejus, quod faciendum esse dicebat, aliud, de quo nunquam cogitârat, agit, adeò infirmæ est memoriæ, ut Curio ille Romanus, præ isto videatur fuisse Cyneas aliquis aut Themistocles.

D *Jesuitarum*, inquit, *duo sunt genera. Tironum & veteranorum.* Suprà statueras triplex genus Jesuitarum, primò, Professos quatuor votorum; secundò, Professos trium; tertiò eos, qui ministeriis domesticis addicuntur. Hîc vel duo genera omittis, vel tria in unum conflas, novúmque suprà à te non commemoratum adjicis. Sed nihil novi, eundem Lermæum, de eadem re non idem dicere. *Licèt*, inquit Lermæus, *Jesuitæ in unum, eundémque finem tendere videantur, non tamen una eadémque ratione pergunt.* Quis finis hujus Societatis sit, his E verbis explicavit Pater Ignatius: *Finis hujus Societatis est, non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum, cum divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Ad hunc finem eadem ratione, iisdem mediis tendimus, nisi, si quæ diversitas existit ex peculiari officio, quod quis obit.

Sed probat, Lermæus, nos non eadem via F ad finem nostrum tendere, si tamen affirmare tantùm, & quidem temerè affirmare, est probare. *In hac Jesuitarum colluvione hic cæco religionis studio, hic doctrinæ specie trahitur, omnes ad generalem finem remis velisque contendunt, quod est cum dignitate otium.* Non sola doctrina medium est obtinendi finis nostri, virtus quoque & probitas requiritur. Itaque si quis sola eruditionis specie contentus, cæteras assequendi finis rationes negligeret, is haud recta via ad finem sibi propositum grassaretur, multóque minùs rectè, & Jesuiticæ institutioni convenienter ageret, si in doctrina, quæ via ad finem est, conquiesceret, & ex via ad terminum, terminum sibi præpostera ratione constitueret.

Per cæcum religionis studium, intelligit ca- G lumniator promptam obediendi alacritatem, de qua paulò pòst plura. Non negamus, accuratam obediendi rationem, esse viam perveniendi ad nostrum finem; at non solam, nec aliquibus tantùm spectandam & usurpandam, sed omnibus, quotquot in hac Societate degunt: nemo enim ab obedientia, & quidem perfectissima, eximitur, ne ipse quidem Generalis Præpositus, qui Christi Vicario, summo Pontifici, eam, quam ipse ab aliis exigit, obedientiam præstat. Nec tamen, vel obedientiæ, vel doctrinæ via tendimus ad otium, ùt Calvinianus sycophanta deblaterat; quia otium non est finis noster, sed salus & perfectio tum propria, tum proximi, quæ, nisi fallor, aliud quiddam est, quàm otium. *Finem hunc*, inquit, *non omnes, sed soli veterani perspicuè vident.* Quem finem Lermæe? *Otium*, inquit. At finem hunc nec juniores, nec antiquiores vident; non enim est noster finis, & si quis otium sibi tanquam finem præstitueret: is à fine nostro penitùs aberraret, nec Jesuita veteranus, sed veterator esset. *Nullus Christianus malus est*, inquit Athenagoras, *nisi qui hanc professionem simulârit.* Pari modo nullus Jesuita otiosus est, & ut maximè quis otium sibi proponeret, nunquam tamen id assequeretur in Societate, à qua omne otium in perpetuum est proscriptum hoc inviolabili edicto: *Omnes, quamdiu bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur; ne otium malorum omnium origo, domi nostræ locum habeat.*

Suos, inquit, *ita placidæ servituti assue- H faciunt, ut eis omnis dignitatis & servitutis sensum*

A *ſenſum auferant.* Benè faciunt Lermæe; qui, quod religionis natura poſtulat, faciunt: At religionis natura vel imprimis hoc poſtulat, ut quis omnis dignitatis appetitionem ſtirpitus evellat, & ab aliis etiam ſibi evelli patiatur: quia eſt ſchola humilitatis & ſubjectionis, non dignitatis & prælationis. *Honores quærere, nullo modo convenit Aſcetæ ſeu religioſo*, inquit ſanctus Baſilius; *Si enim hîc laborum & rectè factorum retributiones quærit, verè miſerabilis eſt, ob mercedem jam acceptam, propter temporalia æternorum damnum patiens. Si autem noluerit, hîc quidem decertare, in cœlo autem coronas ferre, non ſolùm honores quærere non debet, ſed eos etiam, qui dantur, recuſare ac repellere, ut ne præſens honor, gloriæ, quæ illic eſt, imminutio fiat.* Nec malè faciunt ii, qui religioni præſunt, aſſuefaciendo tirones ad divinam ſervitutem, quam, quòd Lermæus *placidam* vocat, placeret, niſi ſuprà idem Lermæus, eos, qui hanc ſervitutem ſerviunt, *miſeros* appellâſſet. Fieri autem nequit, ut qui placidam ſervitutem ſervit, miſer ſit.

S. Baſil. lib. de conſtit. Monaſt. cap. 44.

B Sed fortaſſe Lermæus id, quod priùs dictum, corrigit hoc loco; non enim tantùm priora edicta per contraria poſteriora revocantur & emendantur, ſed & verba. Quod ſi ita eſt, lætor, Lermæo tantum luminis divinitùs conceſſum, ut religioſam ſervitutem *placidam* eſſe & agnoſcere potuerit, & *placidam* publicè nominare voluerit. Nam verè placida eſt; non enim falſum eſt illud pervulgatum: *Domino ſervire eſt regnare.* Verè *placida* ſervitus, in qua *communis Deus, communis pietatis negotiatio*, inquit S. Baſilius,

C *communis ſalus, communia certamina, communes labores, communes coronæ; multi unus; & unus non ſolus; ſed in pluribus. Quid huic vitæ comparandum? Quid beatius? Quid conjunctione & unitate ſincerius? Quid morum & animorum conſpiratione gratioſius? Homines ex diverſis generibus, ac regionibus orti, ad tantam conjunctionis ſinceritatem coaptati ſunt; ut una anima in multis corporibus conſpiciatur. Et multa corpora unius animæ ac ſententiæ inſtrumenta oſtendantur. Qui infirmus eſt corpore; multos habet affectu ſimul ægrotantes. Qui anima ægrotat ac concidit; multos habet ſanantes ac erigentes ipſum: inter ſe mutuò æqualiter ſervi; æqualiter domini.* Hæc ſanctiſſimus ille doctor in hac divina & religioſa ſervitute verſatiſſimus.

S. Baſil. conſtit. Monaſt. c. 18.

D *Senſum*, inquit Calviniſta, *dignitatis & ſervitutis eximunt illis, primò æqualitatis cujusdam inter ſe prædicatione. Deinde obedientiæ cujusdam commendatione.* Ita eſt, ſed non his duabus duntaxat rationibus; plura enim, tum quis ſibi, tum alii ipſi adhibere debent emplaſtra, donec appetitus honoris comprimatur, & amor divinæ ſervitutis excitetur: ita ut quis ex Prophetæ monito *Domino in lætitia* ſerviat, minúsque alienam voluntatem ſequendo difficultatis ſentiat, quàm alii ſequendo ſuam. Nec falsò tironibus aut æqualitas, aut obedientia commendatur. Nam præter eam inæqualitatem, quam officium ejus, qui præeſt, & ejus, qui ſubeſt, neceſſariò annexam habet; hoc ipſo, quòd oportet, ut inter eum, qui imperat, eúmque, qui imperata capeſſit, diſtinctio ſit: cætera omnia communia ſunt & æqualia. Victus, veſtitus, habitandi ratio, operum & meritorum communio, & id genus alia, *quæ, qui amplectuntur, ſinceri imitatores Salvatoris & vitæ ipſius in carne exiſtunt*, ùt inquit S. Baſilius, *quemadmodum enim ille, congregato diſcipulorum cœtu, communia omnia, & communem ſe ipſum Apoſtolis exhibuit, ſic & hi præceptori obedientes, qui probè regulam vitæ obſervant, Apoſtolorum Domini vitam ſinceritate imitantur. Hi Angelorum vitam imitantur, ſocietatem, velut illi, exactè, obſervantes: non eſt inter Angelos lis, non contentio, non ambiguitas, ſed unusquisque, quæ omnium ſunt, habet, & omnes integra apud ſeipſos bona recondunt, & ob id bona apud ſingulos integra manentia omnes æqualiter divites efficiunt, minimè ambiguam & citra contentionem ipſis propriam poſſeſſionem exhibentia.*

E F S. Baſil. loc cit.

G *Non appellantur ſervi*, inquit Lermæus, *ſed ſocii & coadjutores.* Nec tu intelligis, nec alii commodè intelligere queunt, quid loquaris. Inſtitueras loqui de tironibus ſeu Novitiis, quibus primum locum in ultima tua diviſione dederas. Nunc ad eos delaberis, qui domeſticis curis & officiis diſtinentur, quos, cur *ſervos* appellaremus, cùm ſervi noſtri non ſint, ſed fratres, & ſocii, quippe in eandem ſocietatem adſciti? Quærit S. Baſilius, *quo affectu ſervire debeamus fratribus.* Ad hanc quæſtionem reſpondet ſanctus ille Pater, his verbis: *Velut ipſi Domino exhibentes miniſterium, qui dixit: Quamdiu uni feciſtis ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Hoc præceptum ſancti Baſilii iſti fratres noſtri ſibi dictum exiſtimant. Statim autem ſubjungit idem S. Baſilius hujusmodi quæſtionem: *Qua humilitate debet quis miniſterium ſuſcipere à fratre?* Reſponſum in his verbis conſiſtit: *Velut ſervus ab hero, & qualem oſtendit Petrus Apoſtolus, Domino miniſtrante.* Hoc tanti doctoris documentum omnes illi ad ſe pertinere putant, quibus fratres illi miniſtrant, tantum abeſt, ut eos ſervorum loco ducant.

S. Baſilius quæſt. brevior. q. 160. Matth. 25. Joan. 13.

H Addit Lermæus, *ne ſervilium operarum, quibus miſeros ſuos aſſeclas onerant, eos tandem defatigatio caperet, eas veterani non tam ſibi, quàm Chriſto exhiberi commenti ſunt, ne quisquam mandata ipſorum detrectaret, ſed ultrò exequeretur.* Nullum hîc animadverto commentum, niſi Lermæanum. Si enim Chriſtus ſibi conferri reputat, quidquid officii vel beneficii in quemvis mortalium, etiam minimæ ſortis & conditionis homuncionem, confertur, cur quis ſibi non perſuaderet, ſe ea officia, quæ vel in unum, vel in plures Religioſos operando confert, in ipſum Chriſtum conferre, atque adeò ſe non tam hominibus,

A quàm ipsi Christo servire? An non paulò antè idem ex sancto Basilio audivimus? Eodem pertinet hæc sancti Pauli admonitio:
Coloss. 3. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad nutum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum, quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino* (nota hoc Lermææ) *& non hominibus, scientes, quòd à Domino recipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite*, serviendo videlicet hominibus amore Christi, ùt faciunt Religiosi. Ergo cùm Præpositi Religionum adhortantur subditos, sibi ut persuadeant, officia præstita, non tam præstari hominibus, quàm Deo: non commenta sua eis obtrudunt, sed documenta Christi, Apostolorum, sanctorúmque Patrum.

B *Volunt veterani*, inquit Calvinista, *Christum latentem in seipsis adorari, ejúsque ceu* ὑποφῆται *obedientiam se velle clamant, non sacrificium.* In *adorandi* verbo latet calumnia: nullus Superior vult se *adorari*, sed loco Christi, cujus personam gerit, coli; nec instruuntur Subditi, ut Antistitem suum adorent; sed ut venerentur, & in eo Christum Dominum, tanquam in Vicario agnoscant, eique debitam reverentiam exhibeant. Verba Christi sunt: *qui vos audit,*
Lucæ 10. *me audit, qui vos spernit, me spernit.* Ex quibus sequitur, Christum in iis, quos ipse mittit, aliisque præficit, repræsentatione quadam inesse, & velut in imagine relucere, ita ut tam honos, quàm contemptus ad ipsum pertingat. Si in illis inest, jure igitur in illis colitur & observatur. Mirum certè est, hæreticos Lutheranos & Calvinianos tantum non concedere Christianis Dominis & Præpositis, quantum ipsi, ex doctrina Apostoli, necessariò vident esse con-
C cedendum Ethnicis. Vult enim Apostolus, ut servi serviant dominis, etiam à religione nostra alienis, & ùt sanctus Petrus loquitur; *discolis*; vult, inquam, ut serviant his dominis, non tanquam *hominibus*, sed tanquam *Christo*: Si ergo obsequia illa & honoris argumenta, quæ servus Ethnico domino præstat, Christo præstantur, eò quòd Christus, ceu in imagine quadam, sit in illo domino: cur Christianus aliquid alienum à ratione faciat, si Christiano Antistiti, ùt Christo ipsi, serviat, Christúmque, cujus ille vices gerit, in illo colat, & debito cultu prosequatur.

D Meritò autem exigunt Præpositi obedientiam à subditis; quia, ùt sanctus Augustinus ait, *una obedientia plus valet, quàm omnes virtutes.* Et sanctus Gregorius: *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertásque custodit. Exigunt*, inquit
S. August. lib. de obedient. & humilit. c. 1. Lermæus, *obedientiam; at qualem, bone Deus, cæcam, surdam & mutam.* De surda obedientia nihil unquam me audire vel legere memini, quia obedientiam oportet esse valdè auritam, ut in *auditu auris* ad jussa cadem, si velis, *mutam* voces, quatenus muti instar, nihil quærit, nihil queritur, nihil Superioris mandato obloquitur, in unam præcepti executionem intenta. Nec multùm repugnabo, si *surdam* nominare libeat, eo sensu, quatenus nullis obtrectantium, & à cœptis revocantium voculis absterretur, propositi tenax, ut proinde obedientiæ studiosus, quando propter alacritatem obtemperandi irridetur, cum sancto Davide Psalm. 37.
psallere queat; *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Non audiebam*, videlicet calumnias obtrectantium, & non *aperiebam os meum*, ut curiosè exquirerem, cur hoc vel illud à Præposito meo mihi injungeretur.

Talis obedientia cuivis Religioso (imò F
cuivis Christiano, etiam in rebus Politicis) adeò necessaria est, ut sine ea quis vix operæ pretium facturus sit, quidquid tandem inceptet. *Nunquam rationem veritatis intrabit*, inquit ille apud Cassianum, *quisquis à* Cassian. collat. 18. cap. 3.
discussione cæperit erudiri, quia videns eum inimicus suo potiùs quàm Patrum judicio confidentem, facilè in id usque propellit, ut etiam illa, quæ maximè utilia atque saluberrima sunt, superflua ei videantur & noxia. Atque ita præsumptioni ejus callidus hostis illudit, ut irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhærendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque justissimum suæ tantùm obstinationis errore censuerit.

Sed hæretici mirantur nimirum obe- G
dientiam *cæcam*, *mutam*, *surdam*: nempe videndi, loquendi & audiendi nobilissimis functionibus destitutam. At nôsse debent illam ipsam obedientiam, quæ ratione quorundam *cæca* est & *muta*, & *surda*, respectu aliorum esse oculatissimam, vocalissimam, & eloquentissimam, & maximè auritam. Oculatissima est ad hoc, ut videat, quænam sit mens Superioris, & ut *imperium herile ita discat, ut, quod os velit, oculi sciant.* Vocalissima & eloquentissima est, cùm Superio- H
ris mandatum à calumniis oblocutorum vindicandum est. Rationes enim semper in promptu habet, quibus Præpositi sui mandata defendat. Aurita maximè est, ad accipiendum videlicet imperium, ita ut non tantùm vocem jubentis, sed & minimum indicium innuentis è vestigio exaudiat, licèt non sit sonorum: nam obedientiæ aures non modò sonum, sed & alia quæcunque, vel levissima voluntatis internæ signa percipiunt. Non enim perfectæ obedientiæ laudem meretur ille, qui nil agit, nisi verborum quasi stimulis excitetur: *qui manet*, inquit

A quit Poëta, *ut moneatur ſemper, ſervus homo, officium ſuum, nec voluntate id facere meminit, ſervus is habitu haud probus eſt.*

Neque eſt, quòd Calviniſtarum quiſpiam hæc, quæ ſibi mutuò planè adverſari videntur, in obedientia reperiri miretur. Nónne eadem inſunt in juſtitia? Quæ perſpicaciſſima eſt ad diſcernendum æquum ab iniquo, jus ab injuria; eadem tamen cæca eſt, ſed ad munera: cæca eſt, quia perſonas non reſpicit. Quare vulgò pingi ſolet juſtitia, facie obnuptâ, quo velo duplex hæc cæcitas indicatur.

B Juſtitia facundiſſima eſt, & quovis Cicerone aut Demoſthene in dicendo copioſior, cùm innocentiam defendere oportet: eadem muta eſt, quia nihil loquitur ad gratiam, nunquam ſervit auribus: muta eſt; quia improbitati ne verbulo quidem patrocinari novit. Juſtitia ſurda eſt, quia nullis clamoribus ſeſe abduci ſinit à recto. vim tamen acutiſſimam habet audiendi ea, quæ ſibi, hoc eſt, recto & æquo ſunt conſentanea. Eodem modo ratiocinentur hæretici de obedientia, & fortè, nonnullis ſaltem, criminationibus ſuperſedebunt.

C Subjungit Lermæus: *Nihil tam abſurdum, ineptum, & à communi ſenſu abhorrens imperari poteſt, quod à tironibus non ſumma cum laude capeſſatur.* Nihil, quod cum peccato conjunctum ſit, capeſſitur; quia non imperatur, & ſi imperaretur, non capeſſeretur; quia obedientia non eſt cæca ad peccatum, ſed vel aquila perſpicacior. Cætera omnia, fateor, capeſſit obedientia, ſinè ulla diſcuſſione aut inquiſitione: & poſito, abſurdum, aut ineptum eſſe, quod Antiſtes mandat, ſubditus tamen parendo omnem abſurditatem & ineptiam vitat, quia paret Superiori in omnibus, excepto peccato, quod eſt munus virtutis obedientiæ. At qui facit id, quod virtus jubet, is nihil agit, quod ſit abſurdum aut ineptum: nullius enim virtutis actus, abſurdus aut ineptus eſt. Sed Calviniſtæ etiam id, quod valdè pulchrum eſt & aptum, libenter annumerant abſurdis & ineptis.

D Caſſian. lib. 4. de inſtit. Renunciant. Itaque factum Joannis illius, qui imperio ſui Abbatis lignum aridum, toto anno, rigavit, judicio Calviniſtarum, abſurdum eſt, ineptum, & à communi ſenſu abhorrens, ùt & alia nonnulla, quæ ibidem recenſet Caſſianus, eximia perfectæ obedientiæ documenta. Abſurdum etiam, & ineptum, & à communi ſenſu alienum eſt factum illud Mauri, qui juſſus à ſancto Benedicto, ex lacu eduxit eum, qui jam à fluctibus hauriebatur. Sed mirum eſt, Deum abſurda iſta, inepta, & à communi ſenſu abhorrentia facta, tam claris miraculis nobilitâſſe, eósque, qui hæc obediendi ſtudio fecerunt, tantis virtutum donis cumulâſſe, ut toti Orthodoxæ poſteritati & ſint & fuerint, omnibus ſæculis, admirationi & veneratio-

S. Gregor. lib. 2. Dialog. ni. Cur Calviniana obedientia, cujus eſt, decentia tantummodò, & apta, & communi ſenſui conſentanea ſectari, nullos hujus generis fructus parit? Quàm vereor, ne Lermæus id, quod Abrahamo Deus præcepit, pro abſurdo, inepto, & à communi ſenſu alieno habeat. Quid enim communi ſenſui magis eſt contrarium, quàm ut quis filium, & quidem *unigenam* immolet; At Abrahamo longè alia mens fuit, ùt & illi Mucio apud Caſſianum, qui juſſu Antiſtitis, filium ſuum in profluentem abjicere properabat, de quo idem Antiſtes: *Divina revelatione edoctus didicit, quòd hac obedientia Abrahæ Patriarchæ opus impleverit.* E Geneſ. 22. Caſſian. lib. 4. de inſtit. cap. 72.

F *Nihil*, inquit Lermæus, *tam ſanctum ab iisdem per ſe ſuſcipi poteſt, quod non vitio vertatur.* Religioſi officium eſt, ut, quidquid agit, id agat ex obedientiæ præſcripto: ergo, ſi quid ageret, quamvis in ſpeciem ſanctum & rectum, quod obedientiæ præſcripto & ſententiæ adverſaretur, is minimè ſanctum & laudabile opus ſuſciperet; quia licèt alioquin ſanctum & laudabile eſſet, deſinit tamen ſanctum eſſe ex *circumſtantia* ſeu adjuncto, hoc ipſo, quòd ab obedientiæ norma diſcedit. *Optimi*, inquit Hæreticus, *Jeſuitæ cenſentur, qui maximè veteranorum dicto audiunt.* Meritò, Lermæe, quia ùt antea ex S. Gregorio audiviſti, *obedientia cæteras virtutes animo inſerit, inſertásque cuſtodit.* Qui ergo obedientiæ valdè retinens eſt, is non modò hac pulcherrima, ſed & aliis virtutibus ſeſe præditum eſſe declarat.

G *Hanc obedientiam*, inquit Lermæus, *ſuperis gratam eſſe miraculo comprobatum eſt;* móxque miraculum nobis denarrat de quodam, qui imperfectam literam ſtudio promptè obediendi reliquerat, quam poſtea reverſus perfectam reperit, in teſtimonium videlicet & approbationem tam expediti obſequii. Lermæus fabulæ loco ducit ejuſmodi narrationem. Non mirum facit. Ei enim, qui fabuloſam ſectam ſequitur, omnia videntur fabuloſa præter fabulas. At ne putet novum, & à Jeſuitis excogitatum ejusmodi obediendi ſtudium, adſcribere placet ex Caſſiano, quænam veterum Religioſorum & Monachorum hac de re fuerit ſententia: Ita ergo ille: *Conſidentes intra cubilia ſua, & operi ac meditationi ſtudium pariter impendentes, cùm ſonitum pulſantis oſtium ac diverſorum cellulas percutientis audîerint: ad orationem eos ſcilicet, ſeu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus ſuis unuſquiſque prorumpit, ita ut is, qui opus ſcriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoâſſe litteram, finire non audeat, ſed in eodem punctо, quo ad aures ejus ſonitus pulſantis advenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem, ſed imperfectas litteræ lineas derelinquens, non tam operis compendia lucráve ſectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio atque æmulatione feſtinet. Quam*

Caſſ. lib. 4. cap. 12.

H

A *non ſolùm operi manuum ſeu lectioni, vel ſilentio & quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia poſtponenda, & univerſa diſpendia habere contendeantur.* Hæc Caſſianus. Vides, Ignatium noſtrum nihil præter morem & inſtituta Religioſorum præcepiſſe, cùm hanc legem tulit: *Signo campanæ conſtitutis horis audito, omnes ſtatim, vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, ſe conferant.*

B Axioma eſt, inquit Lermæus, *potius eſſe, ipſam orationem Dominicam, aut quodvis aliud bonum opus inchoatum relinquere, etiamſi parùm à fine diſtet, quàm vel tantillum ſuperiorem demorari.* Axioma hoc veriſſimum eſt, nec à Jeſuitis fictum; ſed vetuſtiſſimorum Monachorum uſu & more introductum, imò & ore Dei comprobatum, qui diſertè teſtatur, *meliorem eſſe obedientiam, quàm victimam, & auſcultare melius eſſe, quàm offerre adipem arietum.* Si obedientia præſtantior, Deóque gratior eſt, quàm ſacrificium, quod excellentiſſimus quidam Religionis actus eſt, & cultus latriæ: paradoxum videri non debet, ſi dicamus, obedire melius, Deóque acceptius eſſe, quàm neglecta obedientiæ Dominicæ orationi percurrendæ vel lege, Dominicæ orationi perficiendæ inſiſtere: licèt enim precari dignum ſit laude, at ex eventu vitioſum effici poteſt, ſi ſcilicet aliud eo tempore ſit agendum. Quò pertinere videtur illud Salomonis; *Multò melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ, qui neſciunt, quid faciunt mali. Stultos* appellat, qui neglectis obedientiæ juſſis *victimas mactant*, hoc eſt, orant; Cùm enim malè agant, non intelligunt ſe malè agere, & plerunque etiam tales ſunt, ut intelligere nolint, ſe malefacere, Quaſi verò actio valdè ſancta & laudabilis vitiari nequeat, ſiqua prava circumſtantia accedat.

1. Reg. 15.

Eccleſ. 4.

C Addit Lermæus; *Ex his initiis profecti Pater Xaverius, & Pater Laines; hic reconditiſſima ſcientia, ille Θαυματουργία à Deo donati ſunt.* Non nego, Lermære, Jacobum Lainem fuiſſe virum eruditiſſimum, cujus ſingularis doctrina cùm alibi ſæpiſſimè, tum præcipuè in Concilio Tridentino ſpectata fuit. At Franciſcum Xaverium ſanctitate & miraculis claruiſſe, clarius eſt, quàm ut ullis Calvinianarum criminationum tenebris inobſcurari queat. Nec dubito, tam hunc, quàm illum cœleſte illud donum, quo enituerunt, meritis etiam obedientiæ à Deo obtinuiſſe. Quid obedientia Abrahæ apud Deum promeruerit, novimus ex ſacris literis. Quanta mercede aliorum itidem obedientiam Deus remunerârit, ſatis Eccleſiaſtica monumenta loquuntur.

D *Hæc*, inquit, *& alia veterani minoribus identidem inculcant.* Quid ni Lermæe? In ſchola obedientiæ, quid aliud auditoribus inculcaretur, quàm obedientia, quæ ut diſcatur, multis cohortationibus & exercitationibus, obedientiæ adipiſcendæ accommodatis, eget; neque enim quibuſcunque rationibus obedientiæ amor comparatur; ſed ad hunc finem propriè inſtitutis. *Nam neque fabrilis ferrariæ finis*, inquit S. Baſilius *per figulinæ opera contingere ſolet, neque coronæ athleticæ ex tibia canendi ſtudio acquiruntur, ſed unicuique fini proprius ac congruus labor requiritur.* Quid mirum, in Eccleſia juſtorum obedientiam prædicari? *Filii ſapientiæ*, inquit Eccleſiaſticus, *Eccleſia juſtorum, & natio illorum obedientia & dilectio.*

E

S. Baſilius quæſt. 5. fuſ. Explic.

Eccleſ. 3.

F *Sed ne ſubditos*, inquit Calviniſta, *defatigatio capiat, variis exercitiis faſtidium levare inſtituerunt.* Varia exercitia obimus, ne otioſi, hoc eſt, ne inter vivos mortui ſimus, & ut deſidiæ omnem occaſionem intercludamus. *Exercitia*, inquis, *aut ſanitatis ſunt, aut litteraturæ, aut ſanctitatis. Exercitia, quæ ad ſanitatem ſpectant, confabulatione & ambulatione continentur.* His continentur, at non his tantùm. Anguſtos profectò terminos tuendæ ſanitatis præfinis. Ubi reliqua, oro, exercitia domeſtica, & neceſſaria, quæ non tantùm valetudinis, ſed neceſſitatis gratia, ùt in Collegio, obeunda & ſuſcipienda ſunt? Num putas omnes illas functiones, quæ ſuſcipiuntur ab illis, quos tu miſer, *miſeros* vocas, tantùm ſuſcipi valetudinis conſervandæ gratia? Deinde cur colloquia noſtra, quæ certis horis, animo laxando, & à gravioribus curis reficiendo inſtituuntur, *confabulationes* nominas? Non expoſtularem tecum de hac appellatione, niſi ſcirem, te, ſub hoc ipſo confabulationis vocabulo, calumniam celare. Labores litterarii & ſcholaſtici relaxationem hanc efflagitant, alioquin mens tantis curis impar eſſet, tandémque faſtidio perenni erga hujusmodi occupationes afficeretur. Veriſſimum enim eſt illud: *Jucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.* Nec novus hic mos, dare aliquid temporis collocutioni, potiſſimùm ſtatim à prandio aut cœna; idem factitârunt veteres Cœnobitæ, teſte ſancto Hieronymo; qui de Monachis in communi degentibus, & in decurias diviſis, *dehinc*, inquit, *conſurgunt pariter* à menſa) *& hymno dicto ad præſepia redeunt; ibi uſque ad veſperam unusquisque cum ſuis loquitur; & dicit: Vidiſti illum & illum, quanta in ipſo ſit gratia? Quantum ſilentium? Quàm moderatus inceſſus? Si infirmum viderint, conſolantur; ſi in Dei amore ferventem, cohortantur ad ſtudium.* Quid Gregorius Nazianzenus fecerit, cùm in eremo verſaretur, ipſemet his verbis exponit: *Inambulabam egomet mecum, ſole jam in occaſum vergente, atque in littore ſpatiabar: hujusmodi enim relaxatione ad relaxandas diſcutiendásque laborum moleſtias, uti ſoleo,* Et mox cauſam hujus exercitationis ſubjungit: *Quandoquidem*, inquit, *nec perpetuam contentionem nervus ferre poteſt, ſed laxari nonnun-*

G

H

S. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtoch.

Nazianz. orat. in Maximum.

A *nunquam arcus extrema neceſſe eſt, ſi quidem rurſus intendendus ſit, ac non ſagittario inutilis futurus, cùm tempus inciderit, ut eo utendum ſit.*

B *Litteratura*, inquit Hæreticus, *multiplex eſt.* Non ignota refers. Quis enim neſcit, Societatem hanc, diſciplinas omnes, à Religioſo homine non abhorrentes amplexam eſſe? Addis; *Exercitia pietatis hæc ſunt; Frequentes aquæ luſtralis aſperſiones.* Nihil occurrit mimo, niſi luſtralis aquæ aſperſio, ut riſum moveat iis, quibus uſus aquæ benedictæ riſui eſt & ludibrio; quaſi caput & ſumma totius pietatis noſtræ ſita ſit in hac externa, pia quidem & commendatione digna, cæremonia, ejusmodi tamen, qua & hypocrita uti poteſt. Alia ſunt, Lermæe, pietatis apud nos uſitata exercitia; ex quo genere, ut quædam indicem, eſt quotidiana rerum divinarum meditatio, oratio aſſidua, conſcientiæ cura perpes, Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſedulus uſus, mortificatio, ſui abnegatio, obedientia perfecta & integra; & alia his ſimilia veræ pietatis vera argumenta. Itaque non aſſequor, quid tibi in mentem venerit, ut, inter pietatis noſtræ exercitia, poneres *miſerabiles oculorum converſiones, incurvicervicas flexiones, attonitum vultum, ad ſtuporem & admirationem comparatum.* Hæc ſi exercitia pietatis eſſent, tum quò quis magis eſſet Strabus, Myops, & Therſites, eò magis in *pietate ſeſe exerceret. Contorquere, quaſi circulum, caput ſuum*, non numerat Iſaias, vel potiùs is, qui per Iſaiam loquebatur, inter pietatis argumenta. Cur nos *oculorum converſiones, virorem, livorem*, cervicis ineptas flexiones, vultus animíque ſtuporem pietatis indicia eſſe crederemus? Ut quis pius ſit, non oportet, ut ſit ceritus, aut à, neſcio, qua aura afflatus. Sed hæreticus modeſtiam oculorum, totiúsque vultus religioſam compoſitionem animíque quietem & collectionem, ex ipſo vultu emicantem, interpretatur pro ſua in Calviniana Phyſiognomia, eruditione ſtuporem, & hypocriſin.

C

Iſaiæ 58.

D Nec dubito, quin eodem ſtilo & penicillo deſcripſiſſet pietatem Eſſæorum, ſeu Jeſſæorum, ſi eorum conventibus interfuiſſet, de quibus Philo. *Diſcunt ſanctitatem, juſtitiam, curam rei, vel domeſticæ, vel publicæ, verorum bonorum, malorúmque ſcientiam, atque rerum indifferentium inſuper, quid expetendum, quid contrà fugiendum, quæ triplici regula examinant, amore Dei & virtutis & hominum. Pietatis erga Deum argumenta præ ſe ferunt plurima, Caſtitatem in tota vita perpetuam* (nota hoc Lermæe, tanquam pietatis genuinum indicium, non *miſerabiles oculorum converſiones*) *à jurejurando mendacióque abſtinentiam, & quòd ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt*, ùt faciunt Lutherani & Calviniani, qui Deum peccati auctorem ſtatuunt. *Virtutem quoque ſibi eſſe cordi, ſatis declarant*, (incurvicervicas flexiones dixiſſet Lermæus) *dum pecunias, honores, voluptatésque contemnunt fortiter, vivúntque continenter in laboribus, complexi frugalitatem, ſimplicitatem, facilitatem, modeſtiam, legum reverentiam, conſtantiam, & id genus cætera. Charitatem porrò eorum erga homines, indicat benevolentia, mira dictu æquabilitas, & omnium rerum ſocietas.*

Phil. lib. quòd omnis probus ſit liber.

E

F *Hæc omnia*, inquit Hæreticus, *duplex merces ſequitur.* Imò nulla, nedum gemina; quia ſtupor, & *incurvicervicæ flexiones, hypocriticæ* vel *ſtupidæ* nullam mercedem merentur. Videamus tamen, quam mercedem iſte Calvinianus Paterfamilias his operibus aſſignet; dignam videlicet dignis. *Laus*, inquit, *ſequitur illos, & indulgentia in eos. Veteanorum laus, aut activa, aut paſſiva eſt.* Cùm hæc, & quæ apud Lermæum ſequuntur, percurro, Pſeudolum ebrium, apud Plautum, mihi audire videor. Multò enim major verborum ordo & connexio, ſenſúsque multò planior in illa ebrii Pſeudoli oratione apparet, quàm in verbis hujus Calviniſtæ, qui odio & veſania ebrius, quid ſcribat: aut quid dicat, minùs novit, quàm inſana Baccha. Quaſi verò homo Religioſus, ea, quæ piè agit, laudis adipiſcendæ gratia agat. Aliud, Lermæe, ſpectat; aliò collimat; ad alium finem omnem ſuam operam & induſtriam confert, laudis humanæ oſor & contemptor, ne laudem & gloriam apud Deum amittat. *Vanam gloriam, quàm maximè fugere convenit*, clamat ad Religioſum S. Baſilius, *quæ non ante labores à laborando abducit; nam hoc minus mali erat, ſed poſt labores coronis ſpoliat, ſalutis noſtræ inſidiatrix. Fugiamus igitur vanam gloriam, dulcem illum ſpiritualium divitiarum prædonem, jucundum animorum noſtrorum hoſtem, virtutum vermem, cum voluptate noſtra deprædantem, qui propriæ fraudis venenum melle colorat, & mentibus hominum pernicioſum poculum porrigit.* Quòd ſi Religioſum piè agentem, nihílque minùs, quàm de laude & populari aura cogitantem, laus aliquando ſequitur, id inſuetum non eſt; natura enim laudis & gloriæ eſt, inſequi fugientem, & inſequentem fugere: *Laus*, inquit, *activa eſt & paſſiva.* Diviſio hæc laudis, non videtur petita ex morali Philoſophia, ſed ex Grammatica. Periculum erit, ne Lermæus, ùt ſuprà *neutrum habitum*, ita hîc tandem *neutram laudem* ſtatuat, aut *neutropaſſivam*, aut *deponentem.*

G S. Baſil. conſtitut Monaſt. cap. 10.

H Subjungit: *Laus paſſiva locum habet, cùm ſe minores ultrò jactant, éque ſuis facinoribus magnam à veteranis gratiam inire volunt;* Avidè expectabam *laudis paſſivæ* definitionem; jam intelligo eam eſſe, quam quis ſibi ipſe tribuit, more Thraſonis, gloriando & ſua facinora decantando. Duo tamen me remorantur, quò minùs hanc *laudis paſſivæ* notionem admittam. Primùm, quia ſe ipſum laudare, & magnificis verbis deprædicare potius eſt agere, quàm pati. Laus igitur hæc potiùs

potiùs *activa* quàm *passiva* erit. Deinde, quia quivis Religiosus illud Salomonis memori mente tenet: *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua:* Quo fit, ut laudi huic in Religione nihil loci relictum sit. Quamvis autem laudum suarum præcones ubique sint invisi & odiosi, imò & ridiculi; in Religione tamen, quæ modestiæ & submissionis schola est, longè magis sunt intolerandi.

Proverb. 27.

Efferre se ipsum non exigua portio Cenodoxiæ est, quam *nos vanam sive inanem gloriam possumus appellare,* inquit Cassianus, quam Religiosi longissimè à se repellunt; quippe, quibus exploratum, *non solùm fructum laborum nostrorum, nos penitus amissuros, quoscunque cenodoxiæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos, æterna supplicia, velut sacrilegos, soluturos, utpotè, qui ad injuriam Dei, opus, quod ejus obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere, ab eo, qui occultorum est conscius, homines Deo, & gloriam mundi, gloriæ Dei prætulisse convicti.*

Cassian. libro 11. c. 1.

Cassian. lib. 11. cap. 18.

Quantum, inquit Lermæus, *præconium meretur hæc celsitudo animi, quæ fundos, opes, affinitates, Patrum servitio posthabuit, ac spes inanes & ludibria, cum sorte Societatis JEsu certa commutavit.* Præconium meretur magnitudo illa animi, quæ perruptis omnibus difficultatibus, non Patrum, sed Dei servitio sese addicit, contemptis cunctis, quæ in mundo habebat, vel habere poterat: Cæterùm si quis hoc præconium affectet, si ambiat, & multò magis, si præco sui ipsius fiat, hoc ipso indignum jam se se præconio reddit; nemo enim minùs laudem meretur, quàm qui laudem gloriosè captat. Quòd autem hæc animi excelsitas præconio digna sit, cùm ex aliis plurimis, tum inde liquet, quòd summi viri, eam summis laudibus & præconiis extulerint; utique non facturi hoc, nisi eam dignam, quæ omnium ore celebraretur, existimâssent. Silebo alios, unicum Philonem adduxisse contentus; qui in Jessæis (à Jesu sic appellatis, teste sancto Epiphanio) duobus libris hanc animi magnitudinem amplissimis verbis prædicavit, eósque omnibus aliis longè antetulit: præter alia ita scribit: *Illud hominum genus* (therapeuticum) *semper in contemplatione divinitatis proficiet, nec unquam suum ordinem deseret, tendentem ad felicitatem perfectissimam. Huic vitæ studio, qui se addicunt, non ex more aut rogati id faciunt, sed amore correpti rerum cœlestium, & quasi furore divino perciti, donec ad contemplationem illam desideratissimam perveniant. Deinde præ immortalis, beatæq; vitæ cupidine, quasi jam hac mortali defuncti, facultates suas relinquunt liberis, aut cognatis, ultrò eis possessione cedendo, atque etiam sociis & amicis, si cognati desint. Oportet enim, ut, qui perspicaces divitias adeptus est, cæcas illas relinquat mentibus cœcutientibus. Anaxagoram & Democritum celebrant Græci, quòd præ amore Philosophiæ prædia sua pecori compascua reliquerint. Probo hos viros contemptores pecuniæ, at quantò præstantiores, qui non pecoribus suas possessiones depascendas permiserunt, sed impenderunt ad sublevandam egestatem hominum cognatorum amicorúmque, ut egere desinerent. Illud enim inconsideratum, ne dicam insanum, factum fuit virorum Græcis laudatorum sapientiæ nomine; hoc verò sobrium & magnæ prudentiæ.* Infrà idem Philo: *Relictis facultatibus & avocamentis omnibus, fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, uxorúmque, & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias, in quibus geniti educatique sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos.* Vides Lermæe, quantis laudibus Philo Judæus, hanc animi magnitudinem decantârit in Jessæis Christianis. Ita loquor; nam Christianos fuisse fusè probavi alibi: tum auctoritate, tum ratione.

Lib. 1. contra Misenum.

Veterani, inquit, *approbant, quando se juniores jactant, adduntq;, quantum difficultatis in ejusmodi tentationibus profligandis sit, se expertos esse.* Jactantiam nemo approbat, nisi similis sit Artotrogo Plautino, pugnas Pyrgopolynicis nunquam pugnatas approbanti, quæ mens absit à Religioso, qui ex disciplinæ suæ instituto, & ex modestiæ præscripto, nec ipse sua facta prædicat, nec fert æquo animo, ut alii sua, quæ benè gesserunt, proclament; Neque enim nisi naris obesæ Naso, patienter tolerare potest graveolentiam, quam laus propria halat. At quòd antiquiores aliquando narrant junioribus, quid difficultatis ipsi subiêrint, id fit exemplo veterum Ascetarum & Religiosorum, quibus id in more positum, imò & hoc, *ut omnium vitiorum certamina*, inquit Cassianus, *vel illa, quæ patiuntur, vel illa, quæ passuri sunt juniores, relatione sua, tanquam qui adhuc ea sustineant, apud eos detegant, atque denudent, quò exponentibus eis, illusiones omnium passionum, quicunque incipientium sunt, ac ferventium spiritu, colluctationum suarum arcana cognoscant, & ea tanquam in speculo contemplantes, & causas vitiorum, quibus pulsantur, & remedia doceantur: futurorum quoque certaminum congressibus antequam superveniant eruditi, qualiter præcavere & occurrere eis, vel confligere debeant, instruantur. Ut solent peritissimi medicorum, non solùm mederi præsentibus morbis, verùm etiam futuris peritia sagaci occurrere, eósque præceptis, vel poculis salutaribus prævenire. Ita hi quoque verissimi animarum medici emersuras valetudines cordium, spiritali collatione, velut quodam cœlesti antidoto prænecantes, in juniorum mentibus, non patiuntur adolescere, aperientes eis, & causas imminentium passionum & remedia sanitatum.* Hactenus de laude *passiva*, nunc de *activa*.

Cassianus lib. 11. c. 16.

Activa, inquit, *laus ex duplici capite ducitur, aut ex universæ Societatis commendatione, aut ex virtute, quæ in singulis maximè enitescit.* Hîc si primùm quæras ratio-

A rationem nominis, cur laudem *activam* vocet, eam, quæ alicui tribuitur, aut ratione Ordinis, in quo degit, aut ratione virtutis, qua eximiè pollet: obmuteſcat, opinor, Lermæus, aut ſi rationem afferat, eam afferat, quæ riſu dignior ſit, quàm approbatione: omnis enim laus, qua quis afficitur, proficiſci debet ab aliquo laudante; & ſic nimirum *activa* erit. Rurſus omnis laus ad aliquem terminatur; & ſic *paſſiva* erit, ut proinde non ſatis diſpiciam, cur Lermæus tanta cura laudem *activam* & *paſſivam* diſtinxerit: Cùm, ſi ineptire velimus, omnem laudem *activam* & *paſſivam* nominare liceat. Sed mittamus inſcitiam nominis, vel potiùs Lermæi in nomine. Rem ipſam expendamus.

B An putas ratione Ordinis non poſſe juſtiſſimis & veriſſimis laudibus affici Religioſum? At aliter cenſuit ſanctus Auguſtinus, qui laudes Cœnobitarum & Religioſorum ductas ex natura religioſi ſtatus & inſtituti, pulcherrimè & elegantiſſimè decantat, in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ. Aliter cenſuit ſanctus Hieronymus, qui & ipſe Monachos ſummis laudibus ob ſtatum illum proſequitur. Aliter cenſuit Philo Judæus, qui Jeſſæos, veruſtiſſimos illos Therapeutas, hoc eſt, Monachos & Religioſos, copioſiſſimè, & propè dixerim, ad invidiam usque, ſaltem Lutheranorum & Calvinianorum, extollit: Omitto alios innumeros ſtatus Religioſi præcones, ne rem certam videar probando facere incertam. Non eſt iniqua laus, quæ alicui ob virtutem tribuitur. Virtus enim laudabilis eſt, in quocunque inſit.

S. Auguſt. lib. 1. de moribus Cathol. Eccleſiæ.

C *Laus hæc*, ait Lermæus, *duplicem comparationem recipit, aut cum externis hominibus, aut cum domeſticis & ſodalibus Jeſuitis.* Suſpicabar initio Introductionem hanc ſcriptam & excuſam in aliqua ſpelunca, quam ſol radiis ſuis nunquam illuſtret; tantum obſcuritatis non modò ſingulæ ſententiæ, ſed & ſingula verba habent. Nunc quò magis progredior, eò magis in ſuſpicione ſemel concepta confirmor. Quid ergo dicere inſtituiſti Lermæe? An Jeſuitam dupliciter laudari poſſe; nimirum, vel per comparationem cum externis, vel cum domeſticis? At quem hoc fugit, niſi quem ratio fugit? Verè hoc aſſeris, neſcio quàm

D verè id, quod ſequitur: *Laus, quæ ex externorum comparatione naſcitur, aliquantò remiſſior eſt, præſertim ſi ſeculares ſint; quæ cum Monachis, acrior, quæ cum ſuis, acerrimè pungit.* Si pungit, & quidem acerrimè, tunc non eſt laus, niſi fortè, ùt S. Hieronymus appellat, *figurata & diaſyrtica*, quia laudis eſt pectora mulcere & oblectare, non vellicare. Fortè vis Jeſuitas juniores tam invidos eſſe, ut moleſtè ferant laudari ſeculares, moleſtiùs adhuc Monachos, moleſtiſſimè ſocios ſuos. At hanc mentem non præ ſe ferunt tua verba, & ut præ ſe ferrent, falſa eſſet & mendax. Cur enim quiſpiam E
probus, nedum Religioſus, invideat alteri promeritam laudem, ſive is ſit ſecularis, ſive Monachus, ſive Sodalis? Et quænam hæc ſocietas eſſet, ſi ſocius ſocii laudem iniquis auribus, & animo adhuc iniquiore acciperet?

An vis, Juniores Jeſuitas iniquè ferre, ſi F
eorum laus conjungatur cum laude ſecularium, Monachorum & Sodalium ſuorum: ita ut altera ex alterius oppoſitu magis eluceſcat, unóque quaſi intuitu appareat, quæ ſit major, & quæ minor? At hæc mera eſt calumnia; Cùm enim Religioſo præcipiatur, ut maledicta quoque commodus & patiens ſuſtineat, cauſæ nihil habet, cur indignetur, ſi cum ſecularibus, Monachis aut Sodalibus laudetur, etiamſi laus illorum major eſſe videatur; quia juſtam cauſam ſuccenſendi non haberet, ſi omnino non laudaretur, quippe laudis contemptor. Deinde, ſive plus, ſive minùs laudetur quàm alius, tantus eſt coram Deo, quantus eſt, neque uno pilo melior, aut deterior fit magnitudine, vel parvitate laudis. Ut enim nemo ad ſtaturam corporis quicquam adjicere poteſt, quibuſcunque tandem verbis declamet, ita nihil adjungere poteſt laudatione ſua ad magnitudinem perfectionis & virtutis, ex qua vera & ſolida laus enaſcitur.

Necdum porrò contentus eſt Lermæus G
his, quæ hactenus cum exigua laude, de laude noſtrorum diſſeruit. Plura addit, ſed prioribus ſimilia, hoc eſt, *inſulſa, & inepta: Domeſticæ*, inquit, *comparationis materia rurſus duplex eſt; aut enim ingenii fit aut ſanctitatis.* Tenebras mihi legere videor, non litteras; Quis enim ſenſus ſubeſt his verbis? *Comparationis materia duplex eſt; aut enim ingenii fit, aut ſanctitatis.* Quid fit ingenii aut ſanctitatis? Materia an comparatio? Invitus facio, ut cuiquam, etiam hæretico, vitia verborum objiciam; iſte tamen tam intricatus, & tam tenebricoſus ſycophanta patientiam meam expugnavit, impulítque, ut agerem, quod ſanctus Hieronymus cum Ruffino, æquè intricato calumniatore, aliquoties egit, dum ei ſermonis nebulas & implicatiſſimam loquendi rationem non ſemel objecit. Ergo laus comparata, vel ab ingenio, vel à Societate ſumitur.

Sanctitas, inquit Lermæus, *aut in habitu,* H
aut in actibus conſideratur. Jam hoc loco non ſatis intelligo, quid habitus vocabulo indicare velit Lermæus, an veſtimentum, an qualitatem, quæ in animo reſidet; ſi veſtimentum, tum ſatis prodit, quantum in Luciani Philopſeude profecerit; non enim metimur ſanctitatem habitu, qui in eadem provincia omnium idem eſt; ſanctitas mentis eſt & morum, non veſtis & externi habitus. At ſi habitus nomine intelligat gratiam ſanctificantem animo inhærentem,

A tunc parùm convenienter Calviniano dogmati agit, cui hujusmodi placitum adversa fronte repugnat; Adhæc soli Deo constat, quis majorem gratiam & charitatem *in actu*, ùt scholæ loquuntur, *primo* habeat: homines id assequi nequeunt: nisi incertis & sæpe fallacibus conjecturis. Quo fit, ut neque sanctitatis magnitudinem inde æstimare queant. Ex actibus & operibus, tanquam sensui notioribus & manifestioribus, metimur quidem bonitatem, sed non sine cautione, quæ nunquam satis magna, in his tam abditis rebus, adhibetur.

B *Qui sedulitate*, inquit Lermæus, *zelo, devotione, intemperiis magis grassatur, à numine magis impelli dicitur.* Nihil minùs Lermæe, sanctitas nullis agitatur intemperiis, Tisiphone omnis abest, & omnis inconsideratus impetus, nullus hîc grassator, nullus θεόληπτος & ἐμβρόντητος. Quem spiritus Domini complevit, super eum *requiescere* dicitur; si quiescit, quietè igitur omnia in ejusmodi homine agit, & ut quietè omnia peragat, impellit. Abest & abesse debet omnis ille furor, sine quo Pythia, aut Sibylla nihil agere posse existimabatur. Verùm ut Calvinistæ sciant, quibus rebus Religiosi sanctitatem æstiment, noverint hujus rei non esse certiorem & minùs fallacem regulam, quàm sit contemptus mundi & sui ipsius despicientia, humilitas, amor & desiderium cœli, rerúmque cœlestium, studium obedientiæ, sui abnegatio, & id genus alia, quæ improbi quidem simulare possunt ad tempus; at continuare non possunt: Nam ùt nullum violentum, ita nullum simulatum est perpetuum.

C Quid verò illud, quod subdit? *Qui languidior est, veluti jam quæsito sanctitatis habitu, laudatur.* Quis unquam, non dixit, sed vel somniavit *languorem* & *desidiam* esse argumentum sanctitatis? Quærebat olim Lucianus, cur aliqui tanta mentiendi libidine tenerentur; neque satis sese ex hac quæstione expedire potuit, cùm multi ad mentiendum nulla spe quæstus, aut voluptatis illiciantur, quæ duæ causæ vel maximè aliquem ad mentiendum impellere posse videntur. Si ingenium Lermæi hujus videret Lucianus, in majorem adhuc dubitationem conjiceretur: nisi fortè ex innata, éxque sola improbitate, hæc tanta ab eo mendacia spargi statueret.

D *Ingeniorum vis*, inquit Hæreticus, *in compositionibus, aut in disputandi subtilitate cernitur.* Non est melior ratio cognoscendi ingenii, quàm scriptio aut disputatio; *Loquere, ut te agnoscam*, ajebat ille: *scribe, aut disputa*, ut videam, quid alta mente repostum lateat. At non à solis Jesuitis hæc ratio explorandi ingenia usurpatur; tenent & cæteri eandem rationem, tenuerúntque semper, & in posterum tenebunt. Quòd verò ait, *à Jesuitis nullam majorem beatitatem desiderari, quàm disputandi gloriam;* id tam falsum est, quàm verum est, nullam majorem famam à Lermæo appeti, quàm mentiendi & calumniandi gloriam, si qua est ea gloria. An non desiderant Jesuitæ vitam venturi sæculi? An non ultimum finem præstitutum habent Deum, ad cujus imaginem, imò & fruitionem, vel potiùs usumfructum omnes conditi sumus? Quàm stultum esset, beatitudinem collocare in re tam incerta, instabili, à levis vulgi, vel certè ab eruditorum judicio pendente, quam nec obtinere, nec retinere arbitrii nostri esset. Huc usque de laude gerras & nænias suas attulit Lermæus: nunc ad indulgentiam accedit, quam suprà alteram sanctitatis Jesuiticæ mercedem fecerat. E

F *Multum*, inquit, *de severitate sua erga eos, qui aut ingenio, aut obedientia promptiore sunt, remittere solent.* Superiores propter eruditionem aut ingenium præcisè nemini quidquam condonant, si culpa castigatione digna committatur: imò, quò ingenium felicius & fertilius est, eò ei excolendo majorem diligentiam impendunt: ùt frutices, & quidquid inutilium herbarum excrescit, radicitus evellant. Nec ægrè fert hanc curam, quisquis non desipit, memor monitis illius à sancto Basilio profecti: *Oportet eos, qui curantur non ad inimicitiam suscipere pœnam; neque tyrannidem putare curam, quæ ex misericordia ad animæ salutem adhibetur. Turpe est enim, eos, qui corporibus ægrotant, tantùm medicis confidere, ut sive secent, sive urant, & amaris medicamentis medeantur, benefactores reputent. Nos autem erga animarum nostrarum curatores, cùm per ærumnosæ vitæ ductum salutem nobis efficiunt, non eundem affectum habere.* S. Basilius quæst. 52. ex fus. expl.

G Cæterùm, ut Superiorum indulgentiam erga ingenioſos oculis clariùs subjiciat Lermæus, aliquot exempla affert, non indulgentiæ nostrorum in nostros; sed Lermæi ad mendacia, quibus sanè perquam liberaliter indulget.

H *Si quis*, inquit, *Monachis, aut sibi non assurgentibus, aut de via non decedentibus convicium fecit, leve est, zelo Jesuitico exarserat.* Possent Monachi non injuria dicere Lermæo, quod Moyses ministro suo; *quid æmularis pro me?* Num. 11. Nec Jesuitæ de Monachis, nec Monachi de Jesuitis hac in parte conqueruntur. Quid quiritatur Lermæus, qui Monachos tantum amat, quantum Jesuitas; aut si amat, amat, ut perdat, eo modo, quo lupus amat ovem. Deinde convicia facere viris Religiosis, non est Religiosorum, sed hæreticorum, quia Religiosus, ne *maledicentibus* quidem convicia dicit, tantum abest, ut quid injuriosum profetat in eos, qui sibi non assurgunt, aut de via non decedunt. Ad hæc, Religiosi paulò altiùs in præcordia demiserunt documentum illud Apostoli; *Honore invicem præ-* Rom. 12. *venien-*

A *venientes;* quàm Calvinianus quiſpiam Curculio clamare ſolitus: *Date viam mihi noti atque ignoti; fugite omnes, abite, & de via ſecedite. Nec quiſquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in via de ſemita.*

B Ad extremum ſanctè tibi affirmo Lermæe, nullum impunè laturum, ſi ulli Religioſo convicium faciat, ob locum eminentiorem, vel ob honoris officia minùs ſibi exhibita; neque ullum fore, qui perverſum hunc affectum, nimiámque cupidinem honoris interpretaturus ſit *zelum Jeſuiticum:* ſcelus eſſet, non zelus, ſi quis tale quid committeret. Alterum exemplum indulgentiæ eſt hoc, Auctore Lermæo; *Falſa miracula plebi obtruſit; At bonus dolus fuit.* Qui veris miraculis carent, coguntur falſa populo obtrudere. At Catholicis non deſunt miracula veriſſima & teſtatiſſima. Quare nihil opus eſt, ut fictitiis imperitæ multitudini imponant, niſi quòd eò jam proceſſerunt Calviniſtæ, ut impudenter inficientur, quidquid in hoc genere, vel ab antiquis ſcriptoribus olim litteris mandatum; vel à poſteris proditum eſt; nimirum quia ipſi miraculis deſtituuntur, fingunt ab Orthodoxis fingi, quidquid Deus ſupra communem naturæ curſum in Eccleſia Catholica per homines ſanctitate præſtantes, patrat.

C *Subditos*, inquit, *ad rebellandum Regi concitavit; at regi nullo Sacramento tenebatur.* Neque hîc exemplum indulgentiæ video, ſed potiùs ſpecimen Calvinianæ impudentiæ. Primùm enim non toleraremus eum, qui domeſticas lites ſereret, multò minùs igitur quemquam inter nos verſari pateremur, qui integra regna perturbaret, & bellicis tumultibus implicaret. Deinde, nimis notum eſt univerſo orbi, quis bella Germaniæ, Galliæ & Belgii hoc ſeculo excitârit; Quis Principes & Reſpublicas adverſus Imperatores & Reges legitimos concitârit; Calumnia hæc jam ſæpè ab hæreticis in Jeſuitas conjecta, tam vera eſt, quàm vera erat illa, cùm hoſtes Chriſtiani nominis olim mentirentur, bella, quibus Romana

D Reſpublica propemodum everſa fuit, propter Chriſtianos exſtitiſſe. Quam criminationem copiosè refutat ſanctus Auguſtinus. Hæretici, eorum, qui olim fingebant de Chriſtianis, flagitia, ſeditionésque concitatas, poſteri, ſimilia hodie comminiſcuntur de Jeſuitis, eodémque conſilio; *Illi etiam epulas deteſtandas, & concubitus inceſtos de nobis fingere audent*, inquit Athenagoras, *partim ne temerè nobis offenſi videantur: partim quòd ita exiſtiment, vel nos metu perculſos à noſtra profeſſione abduci, vel Principum animos propter flagitiorum magnitudinem adverſus nos concitari & exaſperari poſſe. Nos verò illudi nos intelligimus, & non tantùm contra nos, ſed omnibus retrò ſeculis morem hunc fuiſſe ſcimus, divina quadam lege & ratione,*

S. Auguſt. lib. 1. de civit. & ſeqq. lib.

ut contrariam ſibi virtutem improbitas impugnaret.

Quartum exemplum indulgentiæ his verbis proponit Lermæus; *Diu inſanis quibusdam cogitationibus indulſit, Deúsque eſſet nec ne, dubitavit; at ſanctiſſimis quibuscunque, Jeſuitis potiſſimùm, id evenire ſolet.* Etiam quid Jeſuitæ cogitent, novit Lermæus, adeò perſpicax eſt & oculeus; nec mirum, quia Lernææ hydræ proles eſt, cui ſeptem capita, & plures quàm cæteris beſtiis oculi. Peccata cogitationum nulla indulgentia excuſari queunt. Quòd ſi non puniantur ab homine, at Deus impunita non relinquet. Monſtro verò ſimile eſt, ſanctiſſimos quosque dubitare, utrum *Deus ſit;* Tantum abeſt, ut ſanctiſſimus ſit, qui de re, & fidei, & rationis lumine tam teſtata, dubitat, ut ne initium quidem ſanctitatis habeat. Nec ullum Jeſuitam vidi, qui non toto pectore confiteretur id, quod tota hæc rerum natura conſono clamore confitetur. Ipſum nomen Societatis Jeſu & Jeſuitæ hujusmodi dubitationem procul à nobis excludit, & ſi quis dubitaret, jam hoc ipſo à Societate Jeſu excideret, & ad ſocietatem diaboli tranſiret, in qua & Lermæus meruit, cùm viveret.

E

F Quomodo dubitant, utrum Deus ſit, qui, ùt ait Athenagoras; *Omnibus non modò factis, ſed etiam cogitationibus, & ſermonibus noſtris, tum noctu, tum interdiu Deum adeſſe ſciunt, eúmque & totum eſſe lumen, & quæ in cordibus noſtris latent, videre; & hac mortali vita defunctos, alteram hac terreſtri longè meliorem, nempe cæleſtem ſe victuros, perſuaſi ſunt.* Quomodo dubitat Religioſus, utrum Deus ſit, à cujus cultu, jam ab Apoſtolicis temporibus Therapeuta eſt appellatus? Nomen enim hoc Religioſi adepti ſunt, *quia didicerunt*, inquit Philo, *à natura, & à ſacris legibus, colere illud Ens, & bono melius, & uno ſincerius, & unitate in generando antiquius & principalius.* Sed ùt alibi, ita & hîc ſolenne ſuum tenent hæretici; Vitium, quod ſibi ineſſe ſciunt, id aliis ineſſe prædicant; Atheiſmum, quo vel clam, vel palàm laborant, aliis attribuunt, ſolatii cauſa, quaſi multitudo Atheorum, aut de Deo dubitantium, minuat tanti ſceleris immanitatem. Nimis ferax eſt Calvinianum Evangelium, non modò eorum, qui ancipites hæreant, utrum ſit Deus, ſed etiam eorum, qui corde, ùt ille *inſipiens*, imò, quod, majoris adhuc inſipientiæ indicium eſt, qui impudentiſſimo ore dicant; *non eſt Deus.*

Philo lib. de vita contemplat.

G

H Quintum indulgentiæ argumentum prioribus ſimile; *Cupiditate ſolum ſolo vertendi laboravit, ac ſuæ impatientiæ valetudinis cauſam prætexuit. Verùm pulchrum deſiderium eſt paſſim toto orbe videndi, quæ trophæa patres excitârint.* Quid de his, qui locum, non animum, frequenter mutant, quacunque tandem ſpecie, ſcriptum reliquerit ſanctus Baſilius, non ignorant illi, qui nobis præſunt, ac proinde morbo huic, omni morbo peri-

S. Baſil. conſtitut. Monaſt. cap. 8.

A bo periculosiori, habenas nullo modo laxant. Quòd si vitium videatur immedicabile; ense potiùs recidunt, quàm ferant, ne pars sincera trahatur. Si tamen valetudinis ratio postulare videatur mutationem loci, & cœli; eam non negant, præsertim quando medicorum judicium accedit; Si enim, ùt præclarè differit sanctus Basilius, valetudinem conservare, amissámque recuperare Religioso licet, beneficio medicinæ, cur non etiam mutatione loci? Neque fit ulla ullius mutatio, ut alibi alius sit, quàm domi & in patria, ùt mentitur Lermæus: quia præsidia nostra non tam sunt decora alta parentum, & gentilitia stemmata, & longa majorum series, rerum gestarum gloria insignis, quàm virtus & eruditio; His duobus ornamentis, qui excellenter prædi-

B tus est, is nobis & Dux & Comes est, & longè nobilissimus; *Nobilitatem porrò cùm dico*, inquit Gregorius Nazianzenus, *non eam opinione vulgi metior. Absit. Neque enim nostrum est, eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & sepulchris, supercilióque jam pridem corrupto ac putrefacto manat: nec eam, quæ sanguine ac diplomatibus comparatur, quippe quam noctes afferant, ac regum ignobilium quoque fortasse manus, nobilitatem, velut quiddam aliud, impetrantium atque decernentium; sed eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas, vitæq; sanctimonia, ascensúsque ad primarium illud Exemplum, ex quo originem traximus, insculpit.* Ita Nazianzenus.

Nazinaz. crat. in Heronem.

C Hactenus de junioribus Jesuitis Porphyrius noster, *nunc*, inquit, *ad veteranos venio*, sed sine veteratoriis artibus. *Quorum*, inquit, *scopus longè alius.* Imò idem; nam omnibus Jesuitis finis idem præstitutus est, ùt docui suprà, adductis ipsius regulæ de fine nostro verbis: *Majorem*, inquit, *quandam Monarchiam animo meditantur, quæ Papatus imaginem usquequaque gerat.* Omnis Monarchia gubernationi Ecclesiasticæ similis est, quia nihil similius est Monarchiæ, quàm Monarchia, optima optimæ. Si igitur in Societate Monarchicum imperium potissimùm usurpatur, nihil habet Lermæus, quod in nostro Ordine culpet; cùm omnium sanorum & peritorum judicio, forma Monarchici imperii cæteris omnibus longè sit anteferenda. εἷς κοίρανος ἔσω *Rex unicus esto*, clamabant illi, qui re ipsa experiebantur, quantum confusionis & cladis ἡ πολυκοιρανίη, id est, multorum dominatio, pareret.

D Post hæc ostendit Lermæus, quomodo imperium Societatis sit Monarchicum; *quia*, inquit, *Generalem habent, qui præest omnibus, huic assistunt assistentes. Sub Generali curant Provinciales, sub his Rectores, sub his alii inferioris gradus administri.* Quid criminis in hoc ordine? Religiosus status ordo dicitur; si ordo est, utique ordine constare debet. Si ordine constat, oportet, ut à DEO sit, quia *quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Neque ex locis, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror* inhabitat, ordo proficisci potest. E *Quemadmodum in corpore*, inquit præclarè S. Gregorius Nazianzenus, *aliud membrum principatum tenet, ac velut præsidet; aliud subest, ac sequitur; ad eundem quoque modum Deus, vel æqualitatis lege, qua meritum cujusquam perpendit, vel etiam providentiæ, qua universam rerum molem, velut quibusdam vinculis adstringit, hoc in Ecclesiis constituit, ut alii pascantur, alii contra ad concinnitatem perfectionémque Ecclesiæ, pastorum, magistrorúmque munere fungantur.* S. Gregor. Nazianz. Apolog. 1.

Hæc Monarchia, inquit Calvinista, *à parvis* F *initiis profecta, totum fermè orbem terrarum occupavit.* Vel hinc ergo colligere deberes, eam, Deo auctore, niti. Licèt enim, ùt copiosiùs contra Misenum disputavi, velox instituti alicujus propagatio, non sit absolutè signum divini favoris & subsidii, attamen quando institutum illud bonum & sanctum est, carni & sanguini adversum, virtutis omnísque honestatis amans & retinens, legum divinarum & humanarum observans, & nihilominus citò in omnes orbis partes diffunditur, tum certè satis evidens est, illud genus vitæ à Deo esse, & à Deo amplificari, & multiplicari: Quia bonum, nisi peculiari ope à Deo adjuvetur, lentè crescit, & tardo pede procedit; malum è contrà, properè; tum ex natura sua, tum ob naturam hominum, qui proclives ad malum. G *Virtus ejusmodi est*, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus, *ut eam homines non nisi summo labore adipisci queant; quemadmodum nec humida materia ignem facilè excipere solet: contrà ad vitii perceptionem omnes ferè mortales prompti & idonei sunt; non secus ac stipula quædam ad scintillam & ventum ob naturæ siccitatem, facilè accenditur & consumitur. Citiùs enim exiguum vitium uberrimè largissiméque impertiri queat, quàm vel copiosissima virtus parcè communicari. Nam & exiguum absynthium amaritiem suam melli celerrimè impertiêrit: mel contrà, ne duplo quidem majus, dulcedinem suam absynthio infuderit, ac parvo quidem lapide submoto, flumen in pronum trahitur, ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi, reprimique vix potest.* Nazianz. Apolog. 1.

Addit Lermæus: *Hæc Monarchia tot Abbatias, Scholas, Prioratus, Monachatus, minutos denique serpentes tot devoravit, ut draco jam omnibus metuendus videatur.* Mirum dictu, Calvinianos & Lutheranos tam effrontes esse, ut objiciant Jesuitis occupata Monasteria & Sacerdotia, cùm ipsi tot millia Monasteriorum & beneficiorum Ecclesiasticorum, divinis humanísque legibus invitis, & reclamantibus, occupârint & profanaverint, & innumera Monasteria funditus everterint, ità, ut præter ruinas, vix quidquam amplius superfit: Jesuitæ autem nullum Monasterium aut Sacerdotium possideant, quod non legitimo titulo, Principum videlicet & summi Pontificis voluntate & auctoritate possideant. Ut taceam H

A ceam illud alterum discrimen, quòd, cùm hæretici Monachis aut Sacerdotibus per summam injuriam succedunt, impii succedunt piis, impuri, puris; hirci, ovibus; sacrilegi, sacris: At cùm Jesuitæ succedunt, succedunt Catholici, Catholicis, Religiosi, Religiosis, & ita succedunt, ut cultum divinum non aboleant, sed conservent, vel si, ùt interdum fit, collapsus fuit, diligenter instaurent; nec contra mentem & voluntatem fundatorum succedunt, sicut hæretici; quia quisquis aut beneficium Ecclesiasticum, aut Monasterium fundavit, is eo consilio fundavit, ut Catholica religio sarta tecta custodiatur & propagetur, & ut divina gloria semper magis atque magis amplificetur.

B Hunc finem consequuntur etiam tunc fundatores, cùm Ecclesiastici Magistratus sententia, ab Ordine ad alium Ordinem Ædes religiosæ & facultates transferuntur, quandoquidem talis translatio nunquam fit, nisi majoris boni ad Rempublicam & Ecclesiam inde redundantis, intuitu. Cùm autem Fundatores non sint immortales, sed sæpe ante aliquot centenos annos ex hac vita migraverint, nec ipsi jam judicium ferre possint, utrum magis è re Christiana futurum sit, si hoc vel illud beneficium aliis transcribatur; ideo reliquerunt hoc judicium summo Ecclesiæ præsidi, qui tanquam *fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, maturo judicio definit, quid pro variis temporibus & necessitatibus; item pro variis hominum locorúmque circumstantiis hac in re facto sit opus, ne munifica fundatorum liberalitas suo fine privetur, & expectationi tam piæ non satisfiat.

C De hæreticis in Monasteria intrudendis, nemo unquam fundator, ne per somnium quidem cogitavit, cùm hæretici consilio Fundatorum directè repugnent, cúmque ex tot millenis cœnobiorum & redituum Ecclesiasticorum Fundatoribus, nullus Lutheranus aut Calvinianus fuerit; quia fundare Monasteria non est hujus Evangelii, sed diripere & expilare: At de Jesuitis cogitârunt Fundatores, hoc ipso, quòd dotationes suas vel disertis verbis, vel tacitè
D & *interpretativè* ita instituerunt, ut rem totam arbitrio Ecclesiæ permiserint, & commiserint, ut dispiceret, quidnam magis ad gloriam Dei expediat. Quod judicium sibi à Fundatoribus delatum, Ecclesia, hoc est, Pontifex, qui Ecclesiæ præest, sæpiùs, multò antè, quàm Jesuitarum nomen in orbe audiretur, exercuit, dum monasteria & reditus ab hoc vel illo Ordine ad alias Religiosas familias transtulit, quod interdum necessariò esse faciendum, etiam ex ipsa Fundatoris intentione & proposito, inde manifestum est; quia alioquin Monasteria sæpe omnino fuissent deserta, eò quòd huic vel illi Ordini, hoc vel illo loco, non supperterent homines, quibus familiam suam conservaret & perpetuaret. Deinde, quia accidere potuit, ut disciplina Religiosa hoc vel illo loco, penitus dissolveretur & laxaretur, nihílque minùs, quàm DEI laus & gloria celebraretur & amplificaretur; quia, ùt ille ait; *Ingenium est omnium hominum ab labore proclive ad libidinem.* Utroque casu necessarium est, ut, quod pio & laudabili proposito majores instituerunt, mutetur à posteris, alióque transferatur, alioquin majorum voluntati non modò non satisfieret, sed & quiddam penitus adversum fieret. E

Ausi sunt, inquit Calvinista, *Pontificiam cathedram ruentem, aut certè ruinam meditantem pingere, quam ipsi suis humeris, densa testudine conferti, sustinerent.* Quinam hoc ausi? Jesuitæ? At nemo hoc unquam affirmaverit, nisi Lermæus, hoc est, calumniator mendax. Non Jesuitarum, sed hæreticorum pictura hæc commentum est, quam non modò per Galliam sparserunt; sed & per Germaniam, ut sibi laudem, Jesuitis odium conciliarent. Laudem sibi, quasi tam robustis lacertis essent, ut cathedram Petri concuterent, & in ruinæ periculum conjicerent: odium Jesuitis, quasi ipsorum tantùm humeris salus cathedræ Apostolicæ nitatur. Cæterùm is, qui hæc promissa Ecclesiæ fecit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam;* simul etiam diversis temporibus diversos propugnatores dedit, qui vim ab Averni copiis contra Petri cathedram immissam arceant & excipiant. Et ut Jesuitæ nunquam extitissent, non tamen ideo falsa fuisset hæc promissio: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, quia alia auxilia Deus laboranti Ecclesiæ submisisset, cujus solido substant *adamante columnæ, vis ut nulla virûm, non ipsi excindere ferro* Tartarei hæretici *valeant.* F Matth. 16.

Dehinc dimissis paulisper Jesuitis, stilum vertit in Pontificem & Cappucinos: Pontificem non modò *diaboli vicarium* nominat, sed & eundem *immanis in Ecclesiam tyrannidis fastus exuperantis & profusæ in omnem luxum intemperantiæ accusat.* At de Hæreticorum in Pontificem Romanum conviciis pluribus egi, cùm calumnias Miseni refellerem. Lector inde petat, & clarè intelliget, quanti ponderis apud prudentes & sint, & esse debeant convicia in Pontificem ex odio plusquam barbarico profecta. Ægrè ferebat olim S. Chrysostomus Hæreticorum licentiam & impudentiam eò processisse, ut Pontifices non vocarent Pontifices, Episcopos, Archiepiscopos, religiosissimos, Sanctos; sed tantùm communibus illis titulis uterentur; Reverentia tua, sapientia tua, justitia tua, &c. Quid diceret Chrysostomus, si videret, istos nostros Hæreticos, Pontificibus non modò communes illos titulos denegare; sed, quod longè deterius est, immanissimis præterea conviciis afficere- G H

A ficere, & non paulò honorificentiùs de Turca, quàm de Pontifice loqui. Verba Chryſoſtomi hæc ſunt: *Quilibet Hæreticus vehementiſſimus, tempore perſecutionis loquens cum Pontifice; nec eum vocat Pontificem, nec Archiepiſcopum, nec Religioſiſſimum, nec Sanctum. Sed quid? Reverentia tua, ſapientia tua, prudentia tua, juſtitia tua, & nomina illi adducit communia, ejus negans auctoritatem.* Et hoc ait, eos facere exemplo & inſtitutione diaboli; qui & ipſe Deo nomen Dei ſubtraxit; & in locum ejus ſubſtituit nomen *Altiſſimi.* *Ero*, inquiens, *ſimilis Altiſſimo.* Si ergo Hæretici prædictos titulos, *Reverentia tua, &c.* didicerunt auctore Diabolo, ùt ait Chryſoſtomus, quæſo, ubinam didicerunt conviciorum illas Chiliadas, quas in Pontifices & Catholicos Epiſcopos conjiciunt.

Chryſoſt. in Pſal. 13.

Interim non injuria miretur quis, cur Calviniani & Lutherani, tam æquo ſint animo in Patriarchas Græcos ſchiſmaticos, & tam iniquo in Epiſcopos noſtros, præſertim Pontificem Romanum Catholicum & Orthodoxum. Cùm Lutherani ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribunt, contenti non ſunt nominare ἁγιώτατον πατριάρχην, ſed παναγιώτατον, *omni modo ſanctiſſimum*; & *æcumenicum* ſeu *univerſalem Patriarcham* intonant; imò & κύριον τιμιώτατον, *Dominum ſuum ſummoperè honorandum*, & σεβασμιώτατον *reverendiſſimum*, & ἀγαπητότατον *dilectiſſimum*, & θεοφιλέσατον, *Dei amantiſſimum.* Hîc piaculum ſit non honorificentiſſima verba uſurpare: ἡ ἁγιότης σου, ἡ ἁγιωσύνη σου, *ſanctitas tua*; ἐρρῶσθω μετὰ τοῦ σεμνοτάτου πρεσβυτερίου; *valeat cum toto venerabiliſſimo Clero* ſeu *Presbyterio*; quin quod magis mirandum; patiuntur, ſe etiam *mediocritatis illius Patriarchalis filios* appellari; & nuper Græcus quidam Papa, vel potiùs ſchiſmaticus Popa, litteras dedit ad quendam Calviniſtam hoc titulo Latino: *Mediocritatis noſtræ filio dilecto*, & in alia epiſtola Græca: υἱῷ ἐν τῷ κυρίῳ ἀγαπητῷ, *filio in Domino dilecto:* & quod auribus, Calvinianis præſertim, magis adblanditur; Γεώργιε τέκνον, *fili Georgi:* à quo idem Patriarcha non ſemel *beatiſſimus* & *doctiſſimus Præſul* audit, & *vir, in quo pietas cum doctrina certet, & qui non deſidiosè titulum Patriarchæ ſuſtineat, ſed diligentiſſimè omnes ejus partes expleat*, ut alia hujus generis præteream, quæ ille plenis tibiis decantat.

B

Vide ſcripta & acta Tubing. & Hieremiæ Patriarch. Conſtantinop. Impreſſa Wittemb. 1584.

C

Vide epiſt. G. Douſæ de itinere Conſtantinop.

D Nec offenduntur illo titulo; κριτὴς τῆς οἰκουμένης, *Judex univerſi orbis*; quo Græcus ille ſuis in litteris utitur. At cùm Romanus Pontifex nominandus eſt, aut Clerus ejus, tum deſunt omnia honoris & reverentiæ debitæ vocabula; nihil aut menti, aut ori, aut calamo occurrit, præter atrociſſima convicia; Hîc *Diaboli vicarium*, *meretricem Babylonicam*; *Antichriſtum*; *filium perditionis*, & millena talia ingenti vociferatione inclamant: Pontifex Maximus, univerſalis Epiſcopus eſt; at titulo hoc abſtinet; *ſervum ſervorum Dei* ſe ſe inſcribit; & tamen virulentiſſimas hæreticorum linguas evitare nequit: At cùm Patriarchæ Græci ſe ſe *Oecumenicos* appellitant, cùm mortalium miſerrimi, tanquam *judices totius terrarum orbis*, ſe ſe venditant & indigitant, arrectis auribus Hæretici noſtri adſtant; nihilque faſtus aut arrogantiæ notant, omnia plena videntur Chriſtianæ humilitatis & modeſtiæ, imò hujusmodi titulis indebitis & arrogantiſſimis ſolenne illud adſcribunt & accinunt: *Bonum factum.*

E

Quæ cauſa diverſitatis ô Hæretici? An quòd Græci vobiſcum in Religionis controverſis capitibus conveniant? Certè nihil minùs. Nam quomodo conveniant, ſatis ſupérque liquet ex ſcriptis ultrò citróque miſſis Tubingenſium & Hieremiæ Conſtantinopolitani Patriarchæ, quæ Græcè & Latinè exſtant; ubi tandem his verbis Patriarcha Tubingenſibus valedicit; ἀξιοῦμεν δὲ ὑμᾶς τὸ λοιπὸν μὴ κόπους παρέχειν ἡμῖν, μηδὲ περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν καὶ ἐπιστέλλειν. ἔγε τὰς τῆς ἐκκλησίας φωστῆρας καὶ θεολόγους ἄλλοτε ἄλλως μεταχειρίζεσθε· καὶ τοῖς λογοις τιμῶντες αὐτὰς καὶ ἐπαίροντες, τοῖς ἔργοις ἀθετεῖτε· καὶ τὰ ὅπλα ἡμῶν ἄχρηστα ἀποδεικνύετε, καὶ τὰς λόγας αὐτῶν τὰς ἁγίας καὶ θείας, δι' ὧν ἂν ἡμεῖς γράφειν καὶ ἀντιλέγειν ὑμῖν εἴχομεν. ὥστε τὸ καθ' ὑμᾶς ἀπηλλάξατε τῶν φροντίδων ἡμᾶς. τὴν ὑμετέραν ὃν πορευόμενοι, μηκέτι μὲν περὶ δογμάτων γράφετε. *Rogamus vos, ne poſthac moleſti nobis ſitis, neque de iiſdem ſcribatis, aut epiſtolas mittatis. Nam Eccleſiæ lumina, arbitratu veſtro tractatis: quos verbo quidem honoratis & extollitis; re ipſa autem deſpicitis: & arma, ſancta videlicet & divina eorum monumenta, quibus vobis reſiſtere poſſumus; nobis eripere ſtudetis. Quare quantum in vobis eſt, liberâſtis nos omni cura. Veſtram igitur viam euntes; ne amplius de dogmatis, rebúsque ad fidem pertinentibus ſcribite.* Hæc ille Schiſmaticus.

F

G Qui etiam eoſdem Hæreticos tanquam Judæorum quoſdam ſurculos egregiè his verbis tangit: πάντε ἐπίκλησιν τῶν ἁγίων ματαίαν λογίζεσθε, καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῶν, καὶ τὰ σεπτὰ λείψανα, καὶ τὴν προσκύνησιν ἀθετεῖτε, ἀπὸ τῆς ἑβραΐδος πηγῆς λαμβάνοντες ἀφορμάς. *Invocationem Sanctorum vanam arbitramini, & eorum imagines, & venerandas Reliquias, & cultum contemnitis, à Judæis occaſione accepta.*

H Quàm verò *Judex ille orbis terrarum*, Meletius cum Hæreticis, præſertim Calviniani, conſentiat, liquet tum ex communi Græcorum doctrina; cui ipſe addictus, quæ in tribus libris Hieremiæ Conſtantinopolitani

A tani Episcopi comprehenditur, tum speciatim ex judicio de Calviniana perfidia, circa negotium Eucharisticum; quod Meletius ille, ad *mediocritatis suæ dilectum filium* Oratorem Reginæ Angliæ, in aula Turcica Constantinopoli degentem misit, quódque ego non semel legi; allatum huc ante paucos annos Constantinopoli à Doctore Cyriaco Lucio Academiæ Ingolstadiensis Professore Medico; qui eo tempore, quo Constantinopoli partim liber, partim captivus tenebatur, magnam cum hoc *Orbis terrarum judice*, familiaritatem contraxerat. Si nunc censura illa ad manum esset, ostenderem *dilectis istis filiis*, quantoperè à *beatissimo* suo *patre* in Eucharistiæ mysterio discedant: planúmque facerem, non legitimos, sed spurios esse, & in Græcorum amicitias irrepere, ùt vulpes illa *frumenti in cameram*; hoc est, dolosè & hypocriticè; dissimulando suam perfidiam, ùt solent, cùm eò veniunt, ubi Lutherum & Calvinum nihil loci habere nôrunt, nisi quòd Græcorum levitas & mendicitas tanta jam est, justo Dei judicio, scelera nationis illius vindicantis, ut quemlibet Orthodoxos & Romanos calumniari solitum, nummulísque instructum *filii* loco ducant; verbis certè, si non pectore, quidquid tandem de aliis religionis capitibus sentiat.

B Sed ut ad propositum regrediar, odium in Romanum Pontificem, convicia illa in eundem, & præconia in Græcos exprimit: Extollunt enim Græcos mercenarios, ut deprimant Pontificem Maximum, verum & legitimum ovilis Christi pastorem. Sed benè quidam veterum vatum:

Rutil. lib. 1. Itiner. *Quæ mergi nequeunt, nixu majore resurgunt,*
Exiliuntque undis altius alta vadis.

C Eodem immenso in Latinos, Latinámque Ecclesiam odio adductus ille idem Calvinista, de quo paulò antea, impudenter scribit, Legationem illam Patriarchæ Alexandrini Gabrielis, ad S. D. N. Clementem VIII. Pontif. Max. (quam sexto Annalium tomo Illustrissimus Baronius attexuit) esse fabulam. *Mera est fabula*, inquit ille. Sed quis? Ille nimirum, qui tanquam βάπαις & investis, ne in negotio quidem levioris momenti testis, aut accusator esse posset; ne dum in re gravissima, & quæ ad summum Ecclesiæ Præsulem, & ad amplissimum Cardinalium Collegium pertinet. *Mera*, inquit, *fabula est*. Qua de causa verò? Causam affert duplicem. Prima est

D ista: *Orientales quidam impostores, ut stipem emendicarent, Romanis nimis credulis imposuerunt.* Si quæras, unde id nôrit; aliud non respondet; quàm, *ita ego puto. Puto Orientales quosdam impostores Romanis nimiùm credulis imposuisse; nemo ergo dubitet, quin, quod ego* βάπαις *puto, longè sit verissimum.*

Altera causa est ista. *Jesuitæ mendaciorum architecti, ut hoc modo Christianis fucum facerent, ac glaucoma ob oculos objicerent, tenebrionum istorum opera abuti voluerunt.* Si hujus causæ causam, assertionísque probationem petas; aut nullam adducet; aut ipsam assertionem probationis loco adducet; aut suum illud *puto*, occinet. Si illo Calviniano *puto* contentus non sis, oportet, ut malè contentus abeas; quia præter *puto*, nihil unquam ab illo extundes. Vanissime Calvinista, ne dicam *impudentissime*; Possem enim convicium, quod tu viro gravissimo facis, in caput tuum regerere. An putas Summo Pontifici, Cardinalibus, & Catholicæ Ecclesiæ meliùs non constare, quis sit Patriarcha Alexandrinus, quàm tibi tuísque Calvinianis? An omnis recentioris historiæ tam imperitus es, ut nescias jam à Pii IV. Pontif. Max. temporibus semper actum esse, ut Alexandrina Ecclesia cum Romana conjungeretur? Quo consilio non modò Pius IV. Legatos suos Alexandriam misit; sed & Gregorius XIII. & F Sixtus V. & ipse Clemens VIII. An putas Legatos caruisse oculis, ut non viderent, quis Patriarcha Alexandrinus esset; quisque S. Marci cathedram teneret? An non disputandum, privatímque & publicè agendum fuit, ut Alexandrini manus darent, & abjecto schismate cum Romana Ecclesia in gratiam redirent? An nullos mercatores Italos, & aliarum nationum, Alexandriam accessisse censes, qui, quid publico Ecclesiæ nomine ageretur, intelligerent, quíque domum reversi hanc tantam fraudem & impostúram; si impostura subfuisset, patefacerent, & de ea Summum Pontificem, & Cardinalem Baronium commonerent? An nullos fraudem hanc animadversuros fuisse credis, donec tu Constantinopolim venires, & cum beatissimo patre tuo filius Calvinianus colloquereris?

G At Meletius dicit & scribit, se esse Patriarcham Alexandrinum. Crederem, nisi Meletius Cretensis schismaticus esset. Crederem, nisi Epimenides, Callimachus, & inprimis S. Paulus illud acclamarent: κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι. *Cretenses semper mendaces.* Crederem, nisi scirem, Meletium esse Patriarcham Alexandrinum, eo modo, quo in nonnullis Germaniæ civitatibus, Lutherani Prædicantes & Calviniani Ministri sunt Parochi, unà cum veris & legitimis Parochis. Ut enim isti juxta templa orthodoxa, & Catholicas Parochias, exstruxerunt sua seu domicilia, seu latibula; noménque Parochi, & si superis visum, quiH busdam in locis, Episcopi titulum sibi arrogârunt; ita Meletius, & quidam alii, juxta legitimum S. Marci thronum, alium thronum sibi fabricârunt, & Samaritanorum more, contra Hierusalem, novum altare, novúmque templum erexerunt: & cùm

A. cùm nationis duntaxat Græcæ, hoc eſt, peregrinæ, & in Ægypto exteræ Antiſtites eſſent, Patriarchas Alexandrinos & Judices orbis terrarum ſeſe appellitârunt.

Etſi autem jam dudum ſuſpicabar, imò & pro certo mihi perſuadebam, Meletium mercenarium intruſum: Gabrielem autem; qui cum Clemente VIII. & in Clemente cum tota Eccleſia Catholica, junctis dextris, pacem iniit, verum & genuinum paſtorem eſſe populi Ægyptiaci; (qui Patriarcha Coptorum, ſeu Copticæ nationis nominatur, ùt videre eſt in Legatione à Baronio edita,) nuper tamen ſuper hac re conſultus Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, rem anteà certam, certiorem adhuc reddidit; cùm totius hujus negotii ſcientiſſimus in hæc verba ad nobilem & magnum quendam in Germania virum reſcripſit: *Dubitatio propoſita*
B *tam levis eſt, ut duobus verbis reſolvi poſſit. Nam Meletius, mihi notiſſimus, nominatus eſt Patriarcha Alexandrinus nationis Græcæ: ſed eſt alius quidam verus & legitimus Patriarcha populi Ægyptiaci dictus Patriarcha Coptorum, de quo ego ſcripſi; qui patitur perſecutionem à Meletio, ob concordiam cum Latinis initam, & ea de cauſa in partes interiores Ægypti ſeſe recepit. Et hic eſt ille; qui communionem cum Æthiopibus habet, cujus nepos Archidiaconus Alexandrinus Romæ nunc degit; cui Pontifex omnia neceſſaria ſuppeditat. Quæ res luce meridiana clarior eſt; quia Summus Pontifex ablegavit in Ægyptum totius negotii explorandi gratia nobilem quendam Florentinum linguæ Ægyptiacæ benè peritum; additis Apoſtolicis litteris ad prædictum Patriarcham Gabrielem; qui reverſus omnia veriſſima eſſe confirmavit; ſecúmque Archidiaconum, Patriarchæ nepotem adduxit, cum duobus aliis Monachis Ægyptiis; ita ut nihil dubitationis amplius relinquatur.* Hæc illuſtriſſimus Baronius.

C I nunc Calviniſta, & ſuperbis illis te jacta verbis: *Hîc memini Meletium Patriarcham, cùm fortè Schedæ illius legationis fabuloſæ Venetiis Byzantium ad eum eſſent transmiſſæ, videre ſuaviter renidentem, & admirantem levitatem Latinorum temerè credentium; aut malitiam Jeſuitarum, talia comminiſcentium. Equidem tum temporis nemo Alexandriæ Patriarcha Gabriel nomine, ſed ſacrorum Antiſtes erat Meletius, aut certè ejus anteceſſor Sylveſter.* Nimirum hæc omnia & dicta & ſcripta ſunt fide Græca; vel, ſi nimis hoc generale; Cretica; vel ſi mavis, Calviniſtica, quæ fides mendacii ſynonymum eſt. Sed ſatis de Legatione
D Alexandrina; quam eo ſolùm conſilio inſectandam ſuſcepit iſte Calviniſta; quia Franciſcus Coſterus Societatis noſtræ Sacerdos, virtute & doctrina non ignotus, ſcripſerat, Epiſtolam quandam à Meletio Latinè ad patrem hujus Calviniſtæ ſcriptam, fictitiam eſſe; Hoc iſte ferre non potuit. Ea ſolùm de cauſa, quidquid irati Poëtæ in Jeſuitas evomuerant, in Epiſtolam ſuam E
comportavit; Jeſuitásque atrociſſimis conviciis proſcidit; Ea ſolùm de cauſa, virum, quem coràm, ùt ille ait, ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτίβλεπεν non auderet, *impudentiſſimum Syncophantam* nominat. Ea ſolùm de cauſa, Illuſtriſſimus Baronius, cujus laus, & ſummæ pietati, & ſummæ ejus eruditioni debita, in Eccleſia floret, & ſeclis innumerabilibus florebit, perſtringitur ab iſto inſulſo & inſcito Calvini diſcipulo, quaſi in Annalium ſuorum tomis eundem finem ſibi propoſuerit, quem Terentius in Prologo Andriæ: *Poëta, cùm primùm animum ad ſcribendum appulit, id ſibi negotii credidit ſolùm dari, populo ut placerent, quas feciſſet, fabulas.* Ergóne Calviniſta, totam antiquitatem Eccleſiaſticam, F
quam in opere ſuo Baronius fideliſſimè repræſentat, pro fabulis habes? Baronius, vir, ùt doctiſſimus, ità & modeſtiſſimus, & ab omni inanis gloriæ appetitione alieniſſimus, teſtatur non ſemel, ſuis in Annalibus, ſibi alium finem propoſitum non eſſe, quàm gloriam Dei, animarum ſalutem, Eccleſiæque incrementum & amplificationem; quam utrum ſuis in Comœdiis ſpectârit Terentius, explicabit nobis aliquando iſte Calvinianus, cùm Terentii fabulas commentariis illuſtratas dabit. G

Quòd autem Coſterus cenſuit, Latinam illam epiſtolam Meletii eſſe commentitiam, quid mirum? Nam qui ſexaginta, & ampliùs mendacia in ſententia Leidenſi effutiverant; an religioni duxiſſent, ſi epiſtolam, ſub nomine hominis, qui nunquam extitiſſet, finxiſſent? Non abhorret ab ingenio Hæreticorum, epiſtolas, imò libros comminiſci. Teſtis epiſtola Vigilii ad Theodoſium Epiſcopum Eutychianum, & alios. Teſtis epiſtola Sylverii, de Roma prodenda, ab Eutychianis ſumma fraude, excogitata. Teſtis epiſtola de cælibatu, ſpecioſo S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani titulo inſignita. Teſtes integri Evangeliorum libri; qui ab Hæreticis Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti nomine fuerunt publicati. Teſtes libri Carolini, de Imaginibus. Teſtes alii ſine numero, qui clarè oſtendunt, quàm benigna & larga ſit hæreticis in hoc genere, commentandi, ne dicam mentiendi facultas. Sed finio: & ad Lermæum me recipio.

Quod ad Patres Cappucinos attinet, mea H
defenſione non egent: ipſi ſe, vel ſolo aſpectu ab omnibus hæreticorum calumniis vindicant. Quis enim primo intuitu non ſtatim intelligat, eos eſſe viros *ſecundùm cor Dei, Dei laudem celebrantes:* Utar enim laudibus divi Gregorii Nazianzeni, quas ipſe omnibus monaſticæ vitæ profeſſoribus tribuit; *Legem Dei die noctéque meditantes, exultationes Dei in gutturibus ſuis ferentes, atque hæc eſſe vitæ ad Dei normam exactæ luculenta*

S. Gregor. Nazianz. orat. 1. de pace.

A *culenta indicia & argumenta, tacitósque præcones, pedes nudos, Apostolicísque similes, nihil mortuum circumferentes, vestem, fastum coërcentem, zonam vilitate ipsa decoram, tunicámque nonnihil restringentem, ne videlicet incessus gravitatem restringat, oculum minimè palantem, risum suavem & placidum, vel risus potiùs impetum quemdam petulantem cachinnum comprimentem, sermonem à ratione impulsum, silentium sermone præstantius, laudationem sale conditam, non ad deliniendum adulationéque permulcendum animum; sed ad vitæ melioris studium in nobis excitandum, objurgationem laudatione gratiorem, modum tristitiæ animorúmque relaxationis; atque utriusque permixtionem & connexionem, mollitiem*
B *fortitudine, asperitatem pudore temperatam, sic quidem ut neutra ab altera labefactetur; sed utraque alterius opera inclarescat, modum tum in publicum prodeundi, tum ab hominum frequentia secedendi (istud, ut alios erudiant, hoc, ut spiritus mysteriis imbuantur) & quidem utrumque adeò præclarè, ut & in media hominum luce versantes, solitariæ vitæ rationem servent, & in solitudine agentes, charitatis humanitatisque officia tueantur. Atque ut his adhuc majora & sublimiora proferam, eorum opes in egestate, possessionem in peregrinatione, gloriam in contemptu, potentiam in*
C *infirmitate, prolem egregiam in cælibatu (siquidem præstantiores sunt fœtus illi, qui secundùm Deum exsistunt, quàm qui à carne originem ducunt:) qui delicias aspernari pro deliciis habent, qui regni cœlestis causa humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent, & mundo superiores sunt, qui cùm in carne sint, extra tamen carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regni spem inopia laborant, & propter inopiam regnant.* Hæc pro Cappucinis, & pro omnibus Religiosis S. Gregorius Nazianzenus.

CAPUT VI.

Refutatio eorum, quæ Lermæus scribit de Confessione, quam magnam Jesuitarum machinam appellat.

D HUc usque multas Lermæi nænias & calumnias refutavimus, supersunt non pauciores, quas tamen breviùs expediemus: Quia jam pleræque alibi à nobis refutatæ sunt, non quidem in Lermæo, sed in Miseno, Hasenmillero, & Calvinopapista, seu Lutherocatholico, fratribus Lermæi, qui mendacia & cavillationes suas de confessione his verbis exordiritur: *Nullam arcem Philippus Macedonum Rex inexpugnabilem censebat, in quam asinus onustus auro introire posset. Nullam itidem ego arcem tutam esse puto, ad quam confessionis machina à Jesuitis admoveri possit.* Verùm, ut & ego, quid putem, Lermæo aperiam, pu-

to nullam innocentiam tam insignem & E
conspicuam, nullam rem tam sanctam & divinam reperiri, in quam asinus Calvinianus, fraudibus, impostoris, sycophantiis, & mendaciis onustus, nequeat impetum facere. Non longè abierim. Exemplum in promptu est, sacratissimum videlicet Pœnitentiæ Sacramentum, quod unico vocabulo, interdum *confessio* dici solet, partis nomine ad totum translato. Lermæus contumeliosè *machinam* vocat, & quidem ejusmodi, *cui nulla vis queat resistere.* Non video, quo jure vel arte; nam machina *vim* & *coactionem* denotat, præsertim jam admota. At confessio nihil nisi *voluntarium* & *liberum* sonat. Nam qui confitetur, liberè confitetur, & qui nostris confitetur, liberè nostris confitetur. Neque enim quisquam extra Ordinem nostrum est, cui præscriptum sit, ut Jesuitis confessariis utatur.

Præterea actum confitendi, atque adeò F
machinam confessionis, exercet non confessarius, sed confitens, quem Lermæus *arci* comparat. At inauditum est, ut ipsa arx sternenda & dejicienda sibi machinam applicet; foris enim machinam advenire oportet. Nec confessarius in *confitentem* hanc machinam torquere potest, quia confitens arbitratu suo accedit ad Jesuitam confessarium, & si accesserit, cogere eum nequit, ut dicat, quæ nolit, nisi fortasse Lermæus existimat Sacramentum confessionis, ùt à Confessario administratur, esse machinam eo sensu, quo vinum à Poëtis dicitur *tormentum*, sed *lene*, quia sine vi mentes vera fateri subigit.

Hujus machinæ tractandæ artem, ait, G
à Jesuitis veteranis teneri, déque modis ejus ad quosvis muros applicandæ, bis quavis hebdomade disputare consuevisse. Ut ars militaris, & aliæ, usu & exercitatione discuntur & perficiuntur, adeò ut miles veteranus belli sit peritior, quàm tiro: ita etiam usu assiduo discitur & perdiscitur ars tractandi, versandi & expurgandi conscientias, seu, ùt Lermæus loquitur, *ars machinæ*, quæ confessio dicitur, *tractandæ.* Non mirum, si Jesuitæ de hac arte, quæ omnium difficillima, scholas & disputationes, quot hebdomadibus instituant. Vulgatum est, optimum scribendi magistrum esse stylum: sic optima hujus artis discendæ ratio est disceptatio & collatio.

Arces, inquit Hæreticus, *caducas & ruinosas potissimum appetere solent, veteres fœneratores, meretrices obsoletas, nuper nuptas puellas, tenera ingenia, & quidquid facilè everti potest.* Confessio medicina est, itaque nulli H
ea magis egent, quàm qui ægrotant. Licèt ergo JESUITÆ hos, quos Hæreticus nominat, ad confessionem invitarent, facerent nimirum id, quod & natura hujus Sacramenti postulat, & charitas erga proximum

A ximum suadet. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*, ajebat Dominus, Matth. 9. cùm Lermæo similes Pharisæi accusarent Christum, quòd cum *publicanis & peccatoribus* manducaret, qui & aliàs sæpe Christo objecerunt, quòd *veteres & ruinosas arces* appeteret, Publicanos videlicet, & alios peccatores. Sed quod Dominus respondit Pharisæis, hoc nos respondemus Calvinistis: *Amen dico vobis, quia publicani & me-* Matth. 21. *retrices præcedent vos* (ô Calviniſtæ) *in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes* (Catholici Concionatores & Doctores) *in via justitiæ, & non credidistis ei, publicani autem & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.*

B Criminabatur etiam Celsus Epicureus, à Origen. lib. 3. contra Celsum. Christianis tantummodò sceleratos, multisque flagitiis coopertos advocari. Itáque comparatione inter Ethnica & Christiana sacra instituta, hæc in Christianos convicia evomuit. *Ad alia mysteria* (Ethnica videlicet) *sic solent initiandi per præconem invitari. Quicunque est purus manibus, & voce sapiens. Rursùm aliter: quicunque est purus ab omni scelere, & cuicunque est anima nullius mali sibi conscia, & quicunque benè ac justè vixit: & hæc proclamant pollicentes sacra lustralia: nunc è diverso audiamus, quosnam isti vocent. Quisquis peccator, quisquis insipiens, quisquis puerilis, in summa, quisquis infelix est, hunc regnum Dei capiet. Peccatorem dicendo, an non injustum, furem, veneficum, sacrilegum, parietum sepulchrorúmque perfossorem dicitis?* Quid ad hæc Origenes? Non negat hos vocari, sed ad medicinam, & ad pœnitentiam. *Christianus*, inquit, *vocat, ut eorum vulnera salubri sermone obliget, & animæ vitiis inflammatæ infundat remedia, tanquam vinum & oleum, & malagmata, & reliqua medicorum auxilia.*

C Idem responsum habeant Calviniſtæ à Jesuitis, cùm eis crimini dant, quòd usurarios, & id genus alios peccatores ad confessionem vocant. Quo facto, Dominum, sub cujus signis merent, imitantur, qui de se: Matth. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores;* ad pœnitentiam, videlicet. Sed ùt olim Ethnici ridebant, cùm Deum peccatoribus missum esse audirent, ita hodie rident sectarii, cùm iis, qui infirmantur, hoc est, qui se multis scelerum maculis polluerunt, tam salutarem medicinam divinitùs præparatam esse audiunt, *qui perinde faciunt*, inquit Origenes, *ac si accusarent* (& riderent) *eos, qui propter malè affectos in urbem missum medicum* (& medicinam) *ab humanissimo Rege dicerent.*

D Denique ut locum istum finiam; non fœneratores, aut scortatores, aut scorta tantùm ad confessionis Sacramentum nostri accersunt; sed omnes omninò homines, qui hac medicina indigent; quis autem non indiget? quandoquidem, sacræ litteræ E non rarò monent, & propria uniuscujusque, quam de se habet, experientia satis testatur, neminem esse, qui à peccatis vitam prorsus immunem degat. Sed Lermæus usurariorum, meretricum, & similium duntaxat mentionem fecit, quia serviebant struendis calumniarum machinis, quas pectore fraudulento machinabatur; nam horum confessiones ideo cupidè audiri à nostris ait, *quòd multas utilitates cum voluptate conjunctas inde percipiant. Quid enim*, inquit, *æquè volupe est, curiosis præsertim hominibus, ac rerum occultissimarum veritatem elicere, quam ne suppliciis quidem summi Judices extorquerent.*

Dare operam confitentibus tam certè ju- F cundum est, ut pleríque quidvis aliud, quàm hoc agere mallent, si sensum & inclinationem suam sequi vellent; multósque vidi & novi, qui si hoc munus studio obedientiæ, & amore proximi juvandi non obirent, nullo pretio, quantumvis magno induci possent, ut illud susciperent, adeò laboris & molestiæ plenum est: quod non nego temperari dulcedine, non illa curiosorum, sed illa, quam Dominus fidelibus operariis cœlitus mittere solet, ne *deficiant in via*, hoc est, in opere & opera. Nec curiositas in hoc foro conscientiæ locum habet, quia Christus, fori hujus auctor, sanandis animis, & vitiis depellendis tribunal hoc instituit: At curiosus occulta vitia, quæ indagat, non eo consilio indagat, ut medicinam adhibeat, sed ut vel tantùm sciat, & hac alieni mali notitia sese oblectet, vel G ut etiam propaget & propalet. Verissimè enim Plutarchus: *Necessariò cum curiositate connexa est garrulitas & malorum alienorum commemoratio:* ἃ γὰρ ἡδέως ἀκούσιν, ἡδέως λαλοῦσι, καὶ ἃ παρ' ἄλλων σπουδῇ συλλέγουσι, πρὸς ἑτέρους, μετὰ χαρᾶς ἐκφέρουσι. *Quæ enim curiosi libenter audiunt, libenter etiam produnt, & quæ magna diligentia ab aliis conquirunt, magna itidem voluptate ad alios efferunt.* At in confessione fieri non potest, ut quis quidquam ex iis, quæ cognovit, effecerat, aut aliis recenseat, ùt paulò pòst dicemus. Nihil ergo hîc campi, in quo exspatietur, curiositas reperit. Plutarch. lib. de Curiosit.

Nec illud prætereundum, Calviniſtas, & H alios hæreticos, non aliter de confessione loqui, ac de Rhadamanthi tribunali, qui *castigátque auditque dolos subigitque fateri, quæ quis apud superos, furto lætatus inani, distulit in seram commissa piacula mortem;* Loquuntur, inquam, de confessione, quasi nescio quibus tormentis & equuleis arcana cordis extundantur, quod tamen, ùt suprà dicebamus, secus est, cùm omnia in confessione liberè pandantur, & si quando rogent confessarii, id ita fit, ut omnis coactio quàm longissimè absit. Et quis nolentem cogat? Ausim dicere, ei, qui invitus

sua

A sua vulnera patefaceret, hanc tam salutarem medicinam nihil penitus profuturam; quippe quæ ita comparata sit, ut non sanet nisi lubentes & volentes. Itaque modum audiendi confessiones, quem Rhadamanthus observat, nullus Catholicus Sacerdos adhibet, quia modus hic non competit Catholicis, sed Hæreticis reservatur; quos rigidus ille confessarius aliquando, velint nolint, subigat fateri fraudes & dolos, & commissa piacula: nec tamen, quamvis fassos, absolvet à facinoribus, sed suspendet ex rota Ixionis, vel epulis Tantali, loco cœnæ Calvinianæ, accumbere jubebit.

B Addit Lermæus: *Quid dulcius, quàm à fœneratoribus, & id genus aliis emungere, quod ipsi multo labore hinc inde corraserunt. Ecquid in homine tutum sit*, inquit sanctus Hieronymus, *si innocentia criminosa sit?* Ego; & quid in Jesuitis tutum sit, si crimine non vacat, quòd usurarios ad restitutionem malè partorum inducunt, ad restitutionem jure naturali, divino & humano mandatam? *Dulce est hoc*, inquit Lermæus. Omnino dulce, non quòd ille quæstus redeat ad Jesuitas, sed quia dulce est, ut *peccatores pœnitentiam agant*, & tam dulce est, ut Angeli in cœlo magis *super uno peccatore pœnitentiam agen te gaudeant, quàm super nonaginta novem pœnitentia non indigentibus.* Si conversio peccatoris tam dulcis est Angelis, cur non & hominibus? Dulcis etiam C est restitutio pecuniæ fœnebris iis, quibus restituitur; quis enim non lætatur, cùm sua recuperat? *Cur*, inquit, *si quis diu de peculatu, aut aliis malis artibus locupletatus est, ad eum potissimùm machinam adhibere laborant?* Perinde est, ac si quis quæreret, cur medicus ægrotanti potissimùm medicinam facere desideret? An non is maximè curandus est, qui cura maximè eget? *Cur non in pauperibus*, inquit, *æquè vitiorum ansas præcidere student?* Si æquè vitiis laborent; æquè curationem adhibere properamus. Nam in hoc mentis foro eadem pauperis est ratio, quæ divitis. Neque arbitror, reperiri Jesuitam, qui inopis curam suscipere abnuat, solis opulentis intentus, cùm sciat æquè illum atque hunc ad cœlestis illius opulentiæ immensos thesauros creatum.

S. Hieron. lib. 2. contra Ruffin.

D Pergit Hæreticus. *Quò autem arcana eruant, mirum quàm astutè machinam suam admoliantur:* Quàm verò astutè, ô Calvinista? Tam opinor, quàm Apostolus, quando dixit: *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Sed audiamus astutiæ exemplum. *Negant imprimis arcana confessionis à se revelari posse.* Rectè negant: quia quod lex naturalis, divina & humana prohibet, id profectò facere non possunt; At ut ea, quæ in confessione cognoscuntur, aliis patefiant, id lex naturæ, Dei, hominúmque vetat. Nullus

2. Cor. 12.

igitur Jesuita quidquam eorum, quæ cognovit ex pœnitente, alteri manifestare potest: nam si usquam fides requiritur, hîc maximè requiritur, & si usquam ἐχεμυθία necessaria est, in confessione maximè necessaria est. Hîc rursus meritò quivis miretur, cur Calvinista Jesuitas ob silentium, &, ùt vocant, *sigillum*, promissum & servatum accuset? An non laudabile est, quavis in re, præstare quod promiseris; & quod præstare obligaris? Nec Jesuitæ solùm hîc elingues esse debent, sed omnes, quotquot audiendis confessionibus operam navant; nec opus est hîc magna silentii pollicitatione, quia omnes nôrunt, quæ sit confessionis sanctitas, & quàm inviolabilis majestas. E

Si sociis quidquam revelare cupiunt, inquit Calvinista, *rogant confitentes, ut easdem ipsas res extra confessionem enarrare velint.* Mentiris Lermæe; Nullus Jesuita id facit, nisi gravissima causa adductus, tantum abest, ut id faciat, si quid sociis recensere velit: Quid enim ad socios, quid alter in confessione intellexerit? Et quamvis roget confessarius, ut aliquid, quod in confessione cognovit, revelare liceat, si tamen pœnitens annuere nolit, alter revelandi potestatem non habebit. Quare falsa sunt illa, quæ subjungis. *Quod cùm ingenuè confitens negare non possit, locum & horam accipit, qua ipsos adeat, atque adeò eos omni animæ scrupulo liberet, si quid earum rerum deinceps aperire cupiant.* Imò cuivis confitenti liberum est facere, vel non facere revelandi copiam, neque quisquam tam impudens est, qui hanc potestatem sibi fieri cupiat, nisi cùm id, aut in confitentis, aut in alicujus tertii utilitatem notabilem cedit, sine ullo ejus, qui confessus est, detrimento. F

Quàm verò immane mendacium illud, G cùm ait; *Jesuitas, cùm quid restituendum est, sibi id vendicare, & loco rei restitutæ indulgentias pollicerì;* Jesuitæ enim hanc sibi præscriptam regulam diligenter & religiosè observant. *Nemini aut petere, aut accipere quidquam liceat, sive ab iis, quorum confessiones audiverit, sive ab aliis, quod vel in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat.* Deinde Jesuitæ & legem, & ordinem restituendi accuratè nôrunt, & accuratè custodiunt; & quod publicis libris de restitutione profitentur, id opere ipso observant. Res ablata Domino suo restituenda est; si domino restitui nequeat, facienda est restitutio Christo in pauperibus, & quidem eo fine, ut restitutio hæc, tanquam beneficium quoddam in egenos collatum, redundet in utilitatem H Domini, cui vel ob mortem, vel ob aliam legitimam causam, restitutio fieri nequit. Indulgentiæ non liberant à restitutione, alioquin multi fortassis ex Calvinianis, hoc Jubilæo, Romam proficiscerentur; ne vel

depoſita, vel commodata, vel furto ablata, vel alio quocunque juſtitiæ titulo aliis debita, reſtituere cogerentur. Vulgatiſſimum eſt illud ex divo Auguſtino: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Si peccatum non dimittitur, niſi reſtitutione facta, non equidem pœna peccato decreta remittetur, niſi reſtitutione facta; quamdiu enim peccatum durat, tamdiu durat etiam pœna propter peccatum exſolvenda; Ergo Jeſuitæ efficere nequeunt, ut quis ab obligatione reſtitutionis per indulgentias exſolvatur, niſi fiat id, quod jus naturale & divinum præſcribunt, à quo nemini, ne latum quidem unguem diſcedere licet, alioquin occineretur illud: *Si videbas furem, currebas cum illo.*

Jam peccatorum circumſtantias exagitat, vel potiùs Jeſuitas ſub velo circumſtantiarum: *Perveſtigandis omnibus, quas vocant, circumſtantiis*, inquit, *crimine ab uno diſcunt omnes criminis participes, quos ſtricto nexu obnoxios tenent, corúmque capiti, & cervicibus ſemper impendent.* Calumniatores noſtri adeò frontem perfricant, & eò invereundiæ procedunt, ut ea nobis criminis loco objicere incipiant, quæ omnes Orthodoxi, & plurimi etiam ex ipſis adverſæ partis hominibus, perſpicuè nôrunt aliter ſeſe habere. Quid enim apud Catholicos certius & exploratius, quàm nefas eſſe, in confeſſionis Sacramento, de ullo ſceleris ſocio inquirere? Quid certius, quàm confeſſàrios, ſi quando vel per ignorantiam, vel per imprudentiam, pœnitenti ſocius criminis excidit, ejusmodi ignorantiam vel imprudentiam increpare, ut eam, tanquam novum, & quidem non leve peccatum, vitet. Quid, quòd plurimi & graviſſimi Theologi cenſent, peccatum reticeri poſſe ſine ullo ſacrilegio, ſi id patefacere nequeas, niſi ſimul patefacias eum, qui delicti particeps fuit? Quid certius, quàm nulli mortalium quicquam periculi imminere ex rebus apud confeſſàrium quaſi depoſitis, etiamſi confeſſàrius judici ejusmodi res proderet; nam confeſſàrius proditor ſibi, non autem prodito periculum grave crearet. Quid certius, quàm confeſſàrium ingens ſcelus concipere, ſi ob auditam confeſſionem aliquid mali alicui machinetur, vel etiam aliter ſeſe quoad benevolentiam animi gerat erga alterum, quàm ſeſe geſſiſſet, ſi confeſſionem ejus non audiviſſet? Bone Deus, eóne improbitas hominum proceſſit, ut oſtendere cogamur, nos ea ſervare, quæ ſi non ſervaremus, & nomine & gradu Sacerdotum & Religioſorum longè indigniſſimi eſſemus? Quis Catholicorum, ex his, qui ſacerdotibus noſtris arcana conſcientiæ ſuæ credunt, nos unquam accuſavit violati ſacroſancti hujus Sacramenti? Quis unquam conqueſtus eſt, aut ſe aut ſocios peccati à noſtris proditos eſſe? Soli hæretici, qui vel nunquam confeſſi ſunt, vel noſtris confeſſi non ſunt, hujus noxæ nos inſimulant. Et ſi quis ex hæreticis, unquam noſtris, cùm Catholicus eſſet, ſcelera ſua per confeſſionem aperuit; nullus tamen extitit, qui ſibi hanc injuriam factam eſſe quereretur: ne Lermæus quidem, quem noſtris ſæpius confeſſum eſſe non dubito, cùm in ſcholis noſtris diu ſit verſatus, teſte typographo, ſed anonymo.

Produnt, inquit, *alios.* Qui ſunt illi alii? Nominentur, prodeant, videamus os & frontem eorum. Cui unquam Jeſuitæ ob confeſſionem auditam *minas intentârunt;* ùt tu calumniaris, quem coëgerunt, ut *proditionis periculum pecunia redimeret?* Vetus dictum Publii Mimi: *Fides, ùt anima, unde abiit, nunquam redit*, ſemper arbitrabar falſum: at nunc experientia diſco, verum eſſe; poſtquàm enim ab hoc Calviniſta ſemel diſceſſit, nunquam, ùt video, redit, nec rediit; cùm in Calviniſmo animam exhalârit, ínque tota hac Iſagoge ſui ſit ſimillimus, ità ut nec ulla fides, nec ulla fidelitas in eo eluceſcat.

Nunc venio, inquit, *ad alteram uſus hujus machinæ partem, quæ voluptas eſt.* Voluptas videlicet tanta eſt, quanta utilitas, *nulla* videlicet: loquor autem de voluptate & utilitate eo ſenſu, quo iſte Calviniſta, qui his nominibus lucrum & oblectationem curioſorum hominum intelligere ſolet. Alioquin non ſum neſcius, officium confeſſiones audiendi & utiliſſimum ſaluti animorum, & jucundiſſimum eſſe iis, qui jucunditates non metiuntur corpore, ſed cœleſtibus quibusdam ſolatiis animo quàm corpori ſuavioribus. *Nemo ignorat*, inquit Lermæus, *quàm dulce malum ſit curioſitas.* Neſcio, num nemo id ignoret; imò multos eſſe exiſtimo, qui putent curioſitatis malum eſſe perquam moleſtum, & fellis quàm mellis plenius. Quas enim curioſus moleſtias devorare cogitur, ut curioſam ſuam cupiditatem expleat? Dixi ſuprà, curioſitati in hoc foro conſcientiæ nihil loci eſſe; idem hîc repeto, cùm ob cauſas ſuprà commemoratas, tum quia curioſitas non amat ſolitudinem, qualis inter confeſſàrium & pœnitentem; ſed frequentiam & celebritatem. Quocirca negat Plutarchus, curioſum ruri degere vel poſſe, vel ſolere, eò quòd ob infrequentiam nullum iſthic curioſitas pabulum reperiat. οἱ πολυπράγμονες, inquit, Φεύγοντες τὴν ἀγροικίαν, εἰς τὸ βῆμα, καὶ τὴν ἀγορὰν, καὶ τὸς λιμένας ὠθῶνται, μή τι καινόν. *Rus fugiunt, roſtráque & forum & portus adeunt, quærentes, num quid novi?* Deinde curioſitas eſt ἀπογύμνωσις τῶν ἀποῤῥήτων, *arcanorum revelatio & manifeſtatio:* At nulli confeſſario,

A rio, secreta, quæ in confessione audivit, eloqui licet; quo fit, ut curiositati nihil loci hîc relictum sit.

B Addit Calvinista. *Solet etiam hominum vanitas ad anteactæ vitæ suæ commemorationem gestire, magnámque voluptatem cogitatione usurpare.* Rectè adjungit, *hominum vanitas*, id est, homines vani & Calvinistæ: nam homines non vani *recogitant omnes annos suos* vanè transactos *in amaritudine animæ suæ;* & quoties memoria redeunt ad præterita, toties ex intimo pectore ingemiscunt, ob errata à se commissa, tantum abest, ut vel exiguam voluptatem inde hauriant; improbus enim est, cuicunque peccata vitæ anteactæ placent, neque quisquam eo consilio ab ineunte ætate confessionem instituit, ut se superioris vitæ sceleribus oblectet, sed ut ea per salutarem pœnitentiam expiet, & absolutionis beneficio ab illis exsolvatur.

C *Contenti*, inquit, *non sunt simplici malefactorum historia, sed eosdem habitus, vultus, accentus sibi repræsentari volunt.* Mentiris Lermæe, ut paucis id, quod res est, indicem, téque non multùm morer: Peccata sigillatim explicanda sunt, in specie & in individuo: Cæterùm nullæ circumstantiæ patefaciendæ sunt, nisi quæ speciem peccati mutant, aut si multùm, illæ etiam, quæ peccati gravitatem notabili incremento adaugent. *Habitus, vultus, accentus,* & id genus alia, ad propositum confessarii penitus nihil faciunt, etsi multum faciunt ad propositum Calviniani calumniatoris, cujus calumniis hæc etiam meritò adjicitur, cùm ait:

D *Quasdam fœminas ad honestatem paulò propensiores lachrymis, & pudore suffusas, putidas Jesuitarum interrogatiunculas abrupisse.* Aliquot millia fœminarum nostris confiteri solent variis locis: Quî fit, quòd tam paucæ de hujusmodi *interrogatiunculis* conqueruntur, & illæ etiam paucæ tantùm apud Calvinianos; quia querelam hanc nec audivi nec legi, nisi apud Calvinianos? Nos paucis istis plurimas opponere possùmus, quæ testabuntur, sibi hujusmodi *interrogatiunculas* nunquam fuisse propositas. Quis plurimis non potiùs credet, quàm pauculis? Deinde has ipsas pauculas, si Calviniani sistere juberentur, fortè non sisterent nobis fœminas, sed cerebri sui inanes chimæras: nam cùm cogitant, quid ipsi interrogaturi essent, si fœminarum confessiones audirent, fingunt eos, qui fœminarum confessiones audiunt, jam hæc talia, qualia ipsi animo efformant, sciscitari. *Callidi & versuti homines*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *facilè adducuntur, ut vitia ea, quibus ipsi tenentur, de aliis partim suspicentur, partim credant.* Nazianz. orat. in Maximum.

Addo ad extremum, quod & Miseno dixi, non cuivis mulierculæ hac de re aliquid asseveranti temerè credendum esse; quis enim mulierum ingenia nescit? sempérque apud prudentem judicem melior est confessarii conditio; quem, ea rogare, quæ pudor rogare vetat, quæque ad legitimam confessionem faciendam nihil penitus pertinent; viro prudenti non fit credibile. *Malus*, inquit Gregorius Nazianzenus, *celerrimè adducitur, ut bonum etiam virum condemnet. Contra vir probus ne malum quidem facilè condemnaverit; qui enim ad vitium minimè proclivis est, is nec facilè ad malum de alio suspicandum movetur.* S. Gregor. Nazianz. orat. de laud. S. Athan.

E

F *Doctrinam*, inquit, *de casibus reservatis conscripserunt, quorum solutio extra ordinem olim ab Episcopis, interdum à Cardinalibus, atque adeò ab ipso Pontifice petenda erat; nunc penes Jesuitas tota est, magno id quidem suo ipsorum merito.* Quæ hæc doctrina Lermæe? Quis doctrinæ ejus auctor? Quinam isti casus ad Jesuitas solos jam delati non sine quæstu? Ad has quæstiones, sat scio, obmutesceret Lermæus, etiamsi viveret; nam nullum librum de casibus conscientiæ, aut reservatis à nostris publicatum vidi, præter directorium Polanci, & nuper editos aphorismos Emmanuelis Sa, & Summam Francisci Toleti, & Henrici Henriquez Theologiam moralem, quorum tamen libros non arbitror visos à Lermæo, utpotè, qui priùs, quàm ederentur, ex hac vita ereptus fuerit, & funere mersus acerbo, verè acerbo; quia Calviniano. Privilegia absolvendi à quibusdam reservatis casibus, quid mirum Societati fuisse concessa, cùm nullus sit Ordo, quem Apostolica benignitas non soleat nonnullis privilegiis exornare; Neque hanc facultatem habet Societas à Paulo IV. sed à Paulo III. Julio III. & Gregorio XIII. Quare fabellis, & quidem vanissimis annumerandum est, quod hîc de Paulo IV. cui ante Pontificatum Petro Caraffæ nomen, Lermæus his verbis attexit.

G *Cùm Jesuitæ Venetiis primùm artem confessoriam agerent, ubi tunc Petrus Caraffa famæ sanctitatis serviebat, ad eum tanquam ad oraculum confitentes amandabant, si quid τῶν ἀλύτων inciderat; qui à Jesuitis clanculum monitus libros promptos inibique apertos habebat, ubi de quæstione sermo erat, ut, cùm consulentes adventarent, divinitùs id accidisse videretur, quo artificio & Prophetæ suspicionem tulit, gradúmque sibi ad Pontificiam dignitatem fecit: cujus deinde compos factus, cùm beneficii tanti recordaretur, Jesuitas hac omnipotente facultate remuneravit.* Ad hanc fabellam, quid respondeam, nisi illud B. Davidis? *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ùt lex tua,* quæ longissimè abest à fabulis, ùt & illi, qui hanc legem tanquam regulam sibi sequendam proponunt. A qua cùm deflectant hæretici, mirandum non est, si in *fabulas* & *insanias falsas* effundantur. Nam primùm Ribadeneira nihil aliud dicit, quàm Ignatium, cùm Venetiis socios ex Gallia adventuros præ- H Psal. 118.

A ſtolaretur, conſuetudinem contraxiſſe cum Joanne Petro Caraffa; qui poſtea Pontifex Maximus, Pauli IV. appellationem tulit, & quidem eo tempore, quo Ignatius nondum erat ſacris initiatus. Deinde Ribadeneira nullum penitus verbum ſcribit de auditis confeſſionibus Venetiis, cùm plerique ex illis Patribus nondùm eſſent Sacerdotes, quando Venetiis degebant, ſuſceptóque ſacerdotio Venetiis diſceſſerint, ut ſe ad primum ſacrificium Deo offerendum quietiùs præpararent. Tertiò, ut maximè Venetiis confeſſionibus audiendis operam dediſſent, cauſæ nihil erat, cur confitentes ad Caraffam ablegarent; aut enim ablegâſſent eos ad illum ob *caſus reſervatos*, aut ob enatas difficultates, quas B varii caſus in illo foro conſcientiæ parere ſolent. At primum dici nequit; quia Caraffa non erat Ordinarius loci, neque etiam Vicarius Ordinarii, neque Nuncius Apoſtolicus; ſed relicto Epiſcopatu Theatino privatam vitam agebat cum Cajetano Vicentino, Bonifacio Pedemontano, & Paulo Romano, à quibus Ordo Clericorum, qui Theatini vocantur, inſtitutus eſt. Nec ſecundum aliquid hîc loci habet; nam primi illi Patres doctiſſimi erant, præſertim Jacobus Laines, Xaverius, & Salmeron, ac proindè ſi quis nodus intricatior exſiſteret, non opus erat *Deo ex machina*, ſed adhibito ſtudio & diligentia, facili negotio ex quibuſvis dubiis caſibus ſeſe explicabant.

C Præterea, ſi quis caſus occurrat, qui confeſſario non ſit ſatis perſpectus, tum aut ipſe confeſſarius doctiorem ſe adit, conſiliúmque expoſcit, ſuppreſſo confitentis nomine: nam & hîc confeſſionis ſigillum religioſiſſimè obſervandum eſt, aut ipſum pœnitentem ad aliquem hujusmodi difficultatum peritiorem mittit. Sed tunc religio non permittit, ut ipſe cum illo altero confeſſario agat, eúmque inſtruat, aut talem, hoc vel illo perplexo peccato implicatum adventurum denunciet, imò ſi hoc faceret, violatæ fidei & Sacramenti reus eſſet, niſi confitens conſentiret, ejúsque rei faciendæ copiam faceret.

D Calvinianum igitur commentum eſt, quod hoc loco Lermæus ſcribit, & tam impudens, ut mirum ſit, credidiſſe eum, repertum iri lectores, qui dictis tam vanis fidem adhiberent. Nec his artibus Caraffa viam ad ſummum Pontificatum ſibi muniviſſet, ſed potiùs obſepſiſſet, nec eo etiam tempore de Pontificatu ſomniare potuit Caraffa, nedum cogitare, neque poſtea Pontifex factus ſtudium hoc noſtrorum inſigni benevolentia compenſare valuit; quia ſtudium hoc commentitium eſt, & à Calvinianis confictum, cui fictitiam itidem mercedem tribuunt. Nam poteſtatem abſolvendi *ab omnibus caſibus reſervatis*, exceptis illis, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur, conceſſit noſtris ante Paulum IV. Paulus III. & Julius III. Sed ſatis de Caraffa.

Ribad. lib. 1. cap. 6.

Supereſt, inquit Lermæus, *referre rationem ejus machinæ, ad verſandos juvenum animos adhibendæ.* Medicina cuivis morbo, & cuivis ætati convenienter adhiberi debet, imperitus enim medicus eſt, qui omnes morbos, omnésque ægros, etiam eodem morbo affectos, eodem modo curat. Cùm igitur confeſſio ſit *medicina*, & confeſſarii, ſpirituales medici, & profeſſione ſua *Therapeutæ*, hoc eſt, *curatores*, qui, ùt ait Philo de Jeſſæis, *profitentur medicinam, præſtantiorem iſta vulgata per omnia oppida, quippe quæ animas liberat morbis gravibus, & adverſus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiſcentiæ, dolores, timores, avaritiæ, inſipientiæ, injuſtitiæ & cæteræ perturbationes, vitiorúmque agmen innumerabile;* oportet, ut & pro varietate ægrorum medicinas & rationem medendi varient, alitérque juvenes, aliter provecta jam ætate viros, aliter doctos, aliter indoctos ſanent. Utinam verò ſincerè & ingenuè deſcripſiſſet modum Lermæus, quem Jeſuitæ cum juvenibus obſervant, non refutationem, ſed gratias à me retuliſſet. Nunc omnia involvit ſcommatis, ſannis, irriſionibus, maledictis & mendaciis, ut ſcurram potiùs, quàm *introductorem* ad artem Jeſuiticam reperias. Perſpicuè docet me hîc Calviniſta, quàm verè dictum ſit illud: *Nihil eſt, quin malè narrando poſſit depravarier.*

Philo lib. de vita contemplat.

E F

G

Sua, inquit, *omnia juvenes Jeſuitis enunciant, caſus, inſomnia, cogitationes, lætitias, iras, impetus, quidquid otium, ignorantia & juventus ſuggerere poteſt.* Quò meliùs & accuratiùs æger medico morbos ſuos exponit, eò facilior & felicior redditur curatio. Optandum profectò, omnes juvenes id agere, quod omnibus religioſam vitam jam amplexis agendum eſſe docet S. Baſilius, cùm ait: *Oportet unumquemque ex ſubditis, ſi quidem memorabilem profectum efficere velit, & in habitu vitæ ſecundùm Domini noſtri JESU Chriſti præceptum eſſe, nullum animæ motum occultum apud ſeipſum ſervare, nullúmque ſermonem citra examinationem proferre, ſed occulta cordis denudare his, qui fide & auctoritate præditi ſunt, ſic enim quod laudabile eſt, confirmatur, quod verò reprobum, conveniente medela curatur, & ex tali exercitatione, acceſſione paulatim facta, perfectio ipſa nobis accedit.* Hæc S. Baſilius.

S. Baſilius quæſt. 26. fuſ. explic.

H

Nec ſanctus Gregorius Nazianzenus juvenes iſtos irrideret, ſed ſummoperè commendaret; Cùm enim doceret, cur animorum curatio longè ſit difficilior, quàm corporum, præter cæteras cauſas etiam hanc reddidit; *quòd plerumque morbos animi medicis occultemus, morbos autem corporis promptiſſimè patefaciamus.* Quantum, inquit, *ſtudium à nobis*

S. Gregor. Nazianz. Apolog. 1.

A *nobis adhiberi conveniebat, ut morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in noſtram perniciem fortes ſumus, & adversùs ſanitatem noſtram periti. Turpiter enim & abjectè peccatum ſupprimimus, non ſecus ac malignum quendam morbum, & ſubputridum in intimis animæ receſſibus occultantes; perinde ac magnum quoque Dei, virtutisque illius ultricis oculum fugituri, ſi homines fefellerimus.* Quantis igitur laudibus extuliſſet Nazianzenus illos juvenes, quos ſua vulnera tam promptè & alacriter manifeſtare conſuetos conſpexiſſet.

Jeſuitæ, inquit Calviniſta, *ſingulis malis*
B *ſuas medelas adhibent.* Laudem ergo merentur, non reprehenſionem, *nam ars quædam artium, & ſcientiarum mihi eſſe videtur*, inquit ſanctus Gregorius Nazianzenus, *hominem regere* (& curare) *animal maximè varium & multiplex, & nihil perinde arduum & difficile eſt; ut mores, & affectus, & vitam, vitæq; inſtituta atque alias hujusmodi res inteſtinas perſpicere ac medicari, atque agreſtibus omnibus belluinisque vitiis expulſis, id omne, quod manſuetum eſt, & Deo gratum in eorum locum ſubrogare & confirmare, eáque æquitate corporis & animæ controverſiam diſceptare, non ut præſtantior pars in deterioris imperio eſſe permittatur, quæ injuſtitia omnium maxima eſſet, Verùm ut ei, quæ Principis ac Ducis naturam habet; ea, quæ natura inferior eſt, pareat.* Hæc Nazianzenus.

Naz. loc. cit.

Pergit Lermæus; *Jeſuitæ ſua pietatis ad-*
C *minicula juvenibus adminiſtrant, Cruces ligneas, imagunculas, corollas verſatiles, agnos benedictos, libellósque mirificos.* Hæc, Lermæe, externa pietatis adjumenta fulcra & excitamenta ſunt. Cur interna, eáque potiora præteris? Nimirum ea nominare placuit, quæ Calvinianis novit eſſe ludibrio, ut populo placerent, quas feciſſet fabulas, ut alius ſuccineret, *Illic* (apud juvenes) *religio per ſola ſilentia creſcit. Nec res verbo agitur, juſſit ùt ille, Dei. Conſita ſed granis in ſacra roſaria ramos Fundit, & in ramis muta ſigilla gerit. His quibus inter nos perit artibus, incipit illic Relligio, in cunis mox peritura ſuis. Eſte novi procul hinc hominum deliria cultus, Et quæ ſponte ſibi numina quiſque facit.*

Ubi juvenes ineſcârint, inquit Lermæus,
D *eos ad ſe pertrahere conantur, propoſito Herculis bivio.* Si quando juvenem præclara virtute & indole Deo lucrifacere, & ex mundo ad religionis portum perducere conaremur, non video, quid culpæ admitteremus; Hujus enim facti noſtri duces haberemus non Calvinianos, qui omni ſtudio contendunt, ut ex Religione ad mundum Religioſos revocent, ſed tum alios innumeros ſanctitate eximios viros; tum ſanctum Hieronymum, & ſanctum Auguſtinum, quorum ille plurimas epiſtolas ad nobiliſſimos viros & fœminas ſcripſit, quibus tota ſua facundia, & eruditione ſumma, nihil aliud efficere contendit, quàm ut illis religionis & monaſticæ vitæ ingreſſum perſuadeat. Auguſtinus autem in pulcherrima illa ad Licentium epiſtola, quid aliud molitur, quàm ut Licentium juvenem doctum & nobilem à ſæculi vanitate ad Deum convertat, ut nudus nudum Chriſtum ſequatur, rebúſque mortalibus valedicat. Nec ad ſuum duntaxat Ordinem vir Religioſus adoleſcentes invitat, ſed liberum relinquit, ut quò ſancti Spiritûs aura vocat, ſe ſe conferant, re maturè deliberata; neque enim ullus eſt, qui temeritatem vel ſuadentis, vel etiam conſilium temerè ſequentis probet, hac præſertim in re, quæ omnium graviſſimam conſultationem, & quaſi totius vitæ ſummam complectitur. *Certum ſibi vitæ genus conſtituere, tanti momenti eſſe duco*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *ut totius vitæ, vel rectè ac proſperè, vel malè ac infeliciter traducendæ fundamentum in eo poſitum eſſe putem.*

E S. Auguſt. epiſt. 39.

Naz. orat. in Heronem.

F

Quæ de cæteris Ordinibus Lermæus annectit, ea haud ſunt Jeſuitarum dicta, qui omnes Religioſos Ordines, tanquam Dei opera, venerantur, ſed Calviniani nugatoris maledicta. *Multiplices*, inquit, *ad otium vias oſtendunt. Hinc fratrum Chordigerorum & Benedictinorum ſodalitates. Hinc Cappucinorum, Carmelitarum, Carthuſianorum, Angelicos greges, quibus tamen ſingulis ſua adhærent vitia.* Nulla Religio otiandi cauſa inſtituta eſt, aliàs, ùt Miſeno me dicere memini, Apoſtatæ, *pigri ventres*, & *malæ beſtiæ*, non profugerent ex Religioſis familiis ad Lutheranorum & Calvinianorum caſtra. Non enim otium, ſed negotium pertæſi, habitum fidémque mutant. Nec vitia ulla in illis religioſis Ordinibus novimus. Nam Ordines vitiis carent, ſi quæ irrepunt, ea hominum ſunt, non Ordinum: & hoc differunt Ordines Catholici ab ordine Calviniano & Lutherano, in quo omnia vitia ipſius ordinis ſunt, non tantùm hominum; & ſi quid virtutis & probitatis in aliquo hæretico interdum elucéſcat, id totum non ordinis eſt, ſed hominum, qui inſita à natura virtutis ſemina non penitus per malitiam obruerunt.

Chordigeri, inquit, *petulantes ſunt & va-* G
gi. Judicio videlicet petulantis & vagi Calviniani; *Benedictini, Simoniaci toti*, judicio Calviniani, qui Simonianus & Simonita quantus quantus, quippe Simonis Magi primi Hæretici nepos, & leproſus Giezita; ùt jam alibi dixi; quia, ùt rectè ait Iſidorus; *Lepra doctrina eſt falſa. Proinde leproſi non abſurdè intelliguntur Hæretici, qui unitatem veræ fidei non habentes, varias doctrinas erroris, veráque falſis admiſcent. Sicut & lepra veris falsísque locis humana corpora variando commaculat.*

Iſid. in Levit. cap. 11.

H

Carmelitæ, inquit Hæreticus, *ſunt jurium liguritores, & tanquàm ex Apitii ſchola:* Judicio Calviniani, cui Deus venter, &

Apitius

560

A Apitius Sanctorum ſupremus, cujus tota
S. Hier. lib. 2. contra Jovin. *vita & ars ſagina eſt, cujus anima ſanguine & adipibus, quaſi luto, involuta, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu, & ventris ingluvie cogitat,* cui, ùt Diogeni Cynico, *iniquiſſimum eſſe videtur, cùm porcelli agnique venales ſaginentur diligentiùs, hominem præſtantiſſimum animal ingentiùs, hominem præſtantiſſimum animal ingedia macerari.*

Carthuſiani, fœdum quid & porcinum olent. B judicio Calviniani, cui *Polypus aut gravis hirſutis cubat hircus in alis. Cappucini totì ulmei ſunt;* judicio Calviniani ulmitribæ, qui dignus, ut eò ducatur, *ubi lapis lapidem terit, ubi vivos homines mortui incurſant boves. Sola Societas Jeſu omnium profeſſionum ſeveritatem, amœnitatem, diſciplinam, laxitatem, opes, paupertatem, uſum & abuſum complexa eſt: Quid ni ergo huic ſubſcribat juvenis?* Quid ni ergo non ſubſcribat juvenis, *ſi uſum* & *abuſum, diſciplinam* & *diſſolutionem* Societas hæc complexa eſt? Nemo enim probus *abuſui* ſubſcribit, nemo honeſtus *diſſolutioni.* Schola religionis & virtutis non continet vitia ſibi oppoſita; ſicut frigus non continet calorem, nec calor frigus, nec cæcitas viſum, nec viſus cæcitatem.

Philo lib. Quòd omnis probus ſit liber.

Quod Philo de virtute, hoc ego de qua-
C vis approbata Religione; *Comites eam ſequuntur pietas, ſanctitas, veritas, religio, caſtitas, utráque juſtitia, tum quæ Deo debetur, tum quæ hominibus: juris æqualitas, fides, liberalitas, taciturnitas, ſobrietas, honeſtas, temperantia, manſuetudo, frugalitas, facilitas, reverentia, fortitudo, generoſitas, ſecuritas, prudentia, providentia, jus conſulendi, diligentia, tranquillitas, comitas, benitas, ſuavitas, humanitas, lenitas, clementia, magnanimitas, beatitas, dies me deficeret percenſentem ſingularum nomina, protegentium latera dominæ ſuæ more ſatellitii.*

Phil. lib. de merced. meretric. non recip.

At hæreſin tanquam pediſequæ comitan-
D tur ea vitia, quæ Philo tribuit voluptati, *vafritia, inconſtantia, nequitia.* Sicut ergo is, qui voluptatem ſectatur, *vafer* efficitur, teſte Philone, *audax, incompoſitus, inſociabilis, moroſus, iniquus, difficilis, iracundus, pervicax, moleſtus, inobediens, levis, malitioſus, ineruditus, injuſtus, nefarius, ſibi vivens, infidus, fœdifragus, avarus, malè moratus, neminì amicus, exul, ſine lare, ſeditioſus, perfidus, impius, profanus, inconſtans, inſtabilis, execratus, piacularis, ſceleſtus, ſcurra, peſtilens, noxius, illiberalis, refractarius, ferus, ſervilis, pavidus, perditus, turpis, probroſus, propudioſus, immoderatus, immodicus, inexplebilis, arrogans, ſibi placens, ſuo judicio ſapiens, ſordidus, invidus, calumnioſus, contentioſus, delator, vanus, ſallax, circulator, temerarius, indoctus, inſenſatus, nemini conveniens, inobſequens; contumax, præſtigiator, diſſimulator, ſimulatórque, cerops, ſuſpicioſus, infauſtus, inſcrutabilis, inevitabilis, perniciosus, malevolus, inconcinnus, importunus, loquax, nugax, inaniloquus, aſſentator, piger, luctuoſus, durus, meticuloſus, inſidioſus, incircumſpectus, imprudens, improvidus, negligens, imparatus, bonarum rerum imperitus, ſuperfluus, errabundus, offenſator, indiſpoſitus, inacceſſus, guloſus, vagus, futilis mobilis, doloſus, bilinguis, animi ambiguus, impoſtor, ſubſeſſor, petulans, incorrigibilis, ſemper indigus, incertus, circumforaneus, ſeductor, inconſultus, obnoxius, inſanus, faſtidioſus, vitæ avidus, glorioſus, irritabilis, iræ tenax, infenſus, procraſtinator, ſuſpectus, implacabilis, ſuppuratus, malè ſperans, lachrymoſus, alienis gaudens calamitatibus, rabidus, adulterinus, informis, machinator, turpis lucri cupidus, amans ſui, ſervitutis patiens, ſimultatis appetens, ambitioſus, de re domeſtica parùm ſollicitus, cervicoſus, effœminatus, inanis, profuſus, mordax, pugnax, fatuus, vinolentus, infortunatúsque;* ita omnibus his elogiis merito ſuo quàm primùm exornari poteſt, quiſquis hæreſin, Calvinianam præſertim, amplectitur.

E F

Ex quibus facile erit cuivis Monachos & G
Religioſorum Ordinum Profeſſores, quos Lermæus tantis conviciis hoc loco inſectatus eſt, & Calvinianos inter ſe comparare. Quanquam, ut, quod ſanctus Auguſtinus dixit de Monachis ſuæ ætatis, & de Circumcellionibus hæreticis; ego ad noſtros Monachos, & adverſarios hæreticos transferam: *Quid opus eſt, ut verbis noſtris comparentur ebrioſi cum ſobriis, præcipites cum conſideratis, furentes cum ſimplicibus, vagantes cum congregatis; ſed tamen dicere conſueverunt; Quid ſibi vult nomen Monachorum? Quantò meliùs dicemus nos, Quid ſibi vult nomen Circumcellionum,* (& Calviniſtarum, & Lutheranorum?)

S. Auguſt. in Pſal. 132.

CAPUT VII.

In quo excutiuntur calumniæ Lermæi in ſpiritualia exercitia.

H

Si quis, inquit Lermæus, *præfractior eſt, ac paulò duriore cervice renititur, eum in Trophonii antrum conjiciunt, ut in exercitiorum ſpiritualium madore, tanquam æs, rubiginem contrahat, ac viru contracto ſibi ipſi contemnendus evadat.* Ut lector meliùs intelligat Calviniſtæ hujus criminationes, proderit legiſſe ea, quæ Ribadeneira de libro exercitiorum ſpiritualium à Patre Ignatio noſtro, ſub ipſa converſionis ſuæ primordia conſcripto, memoriæ prodidit, adjunctis iis, quæ pro earundem ſpiritualium meditationum defenſione, adversùs Miſeni Lithi ſycophantias & fraudes, ſuperiore anno, ſcripſimus & publicavimus, quarum uſum hoc capite exagitandum Calviniſta ſuſcepit; Ubi imprimis ita loquitur; quaſi

Ribad. lib. 1. cap. 8.

Lib. 1. Apolog. contra Miſenum.

A quasi istæ cœlestium rerum contemplationes solis illis offerantur & proponantur, qui mundo valedicere, & religiosam vitam amplecti statuunt, vel ut statuant, à multitudine aliquandiu sese abducunt, ut, quid facto sit opus, sine interpellatoribus quietè dispicere queant: cùm tamen his exercitationibus omnis conditionis homines excolantur; Religiosi & Ecclesiastici, & seculares, etiam conjugati, quibus nihil minùs, quàm de religionis habitu induendo deliberare licet, ob statum, in quo versantur. Nos ipsi, qui jam in Societatem adsciti sumus, his exercitiis aliquando operam damus. Itaque non illis duntaxat serviunt, qui de statu vitæ consultant, ùt hîc innuit Lermæus, sed omnibus, qui in quocunque tandem statu & gradu humanæ societatis piè in Christo vivere desiderant.

B Sed displicet Lermæo hæc tam salutaris & sancta exercitatio, ludibriique gratia *antrum Trophonii*, & *puteum sancti Patritii* ingerit. Non dubito, quin speluncam, in qua tot annos exegit Paulus primus Eremita, & illas, in quibus diversis locis S. Hilarion rerum cœlestium contemplationi vacavit; & illas, in quibus Joannes Baptista divinæ Philosophiæ sese dedidit, (nam antra deserti teneris sub annis petiit) multò magis pro antro Trophonii habeat: quia quisquis apud nos spiritualibus exercitiis excolitur, is ejusmodi conclavi utitur, quo nos, in nullum antrum conjicitur; in nullum *malignum gurgustium*, ùt loquitur Lermæus, compingitur, *quod ambulanti neque sat spatii, neque sat lucis subministret*, quod libenter testabuntur, quicunque in hac palæstra aliquando sese exercuerunt.

C Semnéa & habitacula Jessæorum annumerabit Lermæus eodem jure Trophonii antro; at non Philo, qui hæc de Jessæis: quasi depingeret eum, qui separatus à turba, Ignatii nostri orandi & meditandi præceptis eruditur; *Singuli*, inquit Philo, *habent sacras ædiculas, quæ Semnéa vocant, ubi solitarii sanctæ vitæ mysteriis dant operam, nec cibi potúsque quicquam eò inferunt, aliúdve in usum corporis, sed legem tantùm & Prophetarum oracula divinitùs prodita, hymnósque, & quædam alia pietati scientiæq; promovendæ utilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quàm imagines divinarum pulchritudinum, &* D *sunt in his, qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias. Quotidie bis precari solent, manè ac sub vesperam, oriente sole petentes diem verè felicem, utq; mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente verò, ut anima in totum exonerata sensibus, moléque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico; medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Et infrà: *Per sex dies seorsum quisque in suis illis modò dictis Semnéis philo-*

Philo lib. de vita contemplat.

sophantur, non progredientes foras: imò ne prospicientes quidem; Hæc Philo. En Lermæe antrum Trophonii, cujus cùm tam gnarus sis, suspicari subit, te aliquando eò descendisse. Fortè cum Pausania. Si tibi accidisset id, quod Demetrii Regis satelliti evenit; bonam profectò operam Reipublicæ Christianæ Trophonius navâsset. E Pausan. in Bœot.

Nulli, inquit, *ad eum patet aditus, præterquam Patri spirituali, qui semel bisve in die eum ad machinam admovet; & deinde breves chartulas, in quibus sententiæ sunt, devorandas obtrudit: quas benè nec ne concoxerit, ex responsis ejus cognoscit.* Scribit Homerus, socios Ulyssis mutatos à Circe in porcos, habuisse tantùm externam formam & vocem porcorum, mentem autem & rationem integram permansisse: F

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήντε δέμασε
Καὶ τρίχας, αὐτὰρ νῶς ἦν ἔμπεδος, ὡς τοπαρόσπερ.

Hæresis è contra, relicta specie externa, stygiis suis herbis & succis ipsas mentes transmutare, & in suillam animam convertere videtur. Quis enim ratione præditus ita de rerum divinarum meditatione aut loqueretur, aut scriberet, sicut Lermæus iste loquitur & scribit; verè animalis homo, *qui non percipit ea, quæ Dei sunt. animalis.* inquit Apostolus, hoc est, bestialis animo nimirum & cogitatione. Etsi homo; Sed externa corporis constitutione. Quo fit, ut isti duntaxat instar Caci semihominis, sint semihomines, ut proinde mirer, Lermæo, ob cognationem & necessitudinem cum Caco, non incidisse antrum Caci, ex Virgiliana Æneide. Cur, ut antrum inveniret, in Bœotiam usque abiit? Sed rem ipsam consideremus. G

Quis de paulò majoris momenti negotio accuratè cogitaturus non petit solitudinem, abstractus ab omni eo, quod quoquo modo turbare quietem posset? Quis locum ab omni strepitu liberum non expetit: ut mens nihil aliud, nisi quod instat, meditetur? Quis non omnes sensuum portas diligenter custodit, ne quid aliud animo repræsentent? *Multi Philosophorum*, inquit sanctus Hieronymus, *reliquerunt frequentias urbium, ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo molleseeret, & Pythagorei hujusmodi frequentiam declinantes in solitudine & desertis locis habitare consuevcrunt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud, quàm de virtutibus cogitarent.* Et ut Ethnica exempla mittamus, nónne Moyses, Helias, Joannes Baptista, Christus Dominus, & sanctissimi Eremitæ & Anachoretæ & Jessæi illi veteres tantoperè à Philone Judæo, & à Christianis scriptoribus celebrati loca sola adiêrunt, ut eò quietiùs divinarum rerum consideratio- H S. Hier. lib. 2. contra Jovin.

ni intenderent? *Helias libenter in Carmelo cæleſti Philoſophiæ operam dabat*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *& Joannes in deſerto, & Jeſus ipſe, ut actiones multitudini hominumque frequentiæ, ita preces quieti locisque ab hominum commercio ſemotis ferè tribuebat, hoc, opinor, exemplo præſcribens, ac velut lata lege promulgans nobis quoque nonnunquam faciendum eſſe, ut quietem amplexemur, ac nos ex hominum frequentia in ſolitudinem aſſeramus, ac ſine ulla fœce Deum alloquamur, mentémque à rebus fluxis incertisque paulùm reducamus. Neque enim ipſe ſeceſſu opus habebat, verùm ut & actionis & ſublimioris occupationis tempus eſſe diſceremus.* Si igitur quiſquis ſerias cogitationes ſuſcipit, ſeceſſum quærit, & locum ab omni turba immunem, quis niſi Calvinianus criminator crimini det illis, qui, ut res ad ſalutem ſuam pertinentes accuratiùs perpendant, & penitiùs introſpiciant, paucis diebus ab hominum convictu ſeſe abjungunt, ut audiant, *quid loquatur in ipſis Dominus:* clariúsque perſpiciant, quod genus vitæ aut ſectari, aut quomodo eam, quam jam amplexi ſunt, inſtituere & conformare debeant.

Naz. contra Maximum.

B Nam quòd Calvinianus ſcurra ait: his, qui in hoc ſtadio decertant, has & ſimiles ſententiolas proponi. *Quis Religioſorum ordo de Deo ſuperisque ſit optimè meritus: Utrum majora ſint Franciſci Chordigeri, an Loiolæ Jeſuitæ facinora; an melius ſit vigilando ſomniare, an ſomniando ea intueri, quæ vigilantes vident. An ſacra hoſtia recepta dormiendo idem operetur atque vigilando*, id ex veterum & novorum Lucianorum chartis deprompſit, quibus ſolenne eſt & ſuperos & inferos ridere, & quidquid agitur, quantumvis ſerium, in ludum & jocum vertere.

C Liber exercitiorum generatim his duabus ſententiis, quaſi periochis, continetur; altera: *Utinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent.* Altera, *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* His, inquam, duabus ſententiis, quaſi ſummariis, comprehenditur totus liber exercitiorum. Nam meditationes primæ ſunt de ultimo fine, & de peccatis, quæ hominem ab ultimo fine remorantur, & de illis, quæ vulgò *noviſſima* nominamus: cujusmodi eſt *mors, judicium, infernus, cæleſtis gloria:* Reliquæ meditationes omnes circa Chriſtum, ejúsque vitam ſanctiſſimam, & beneficia in nos collata occupantur, ut is, qui exercetur, perfectiſſimo illo vivendi exemplo ſibi propoſito, toto pectore mores & actiones ſuas ad illud exigere & conformare properet, invitatus cùm ipſa virtutum pulchritudine, tum beneficiorum immenſitate, quibus unusquisque à Deo cumulatus eſt: Et tamen tam impudentis oris eſt iſte Calviniſta, ut mundo Chriſtiano id perſuadere conetur, quod ne Turca quidem gravitatis & honeſtatis paulò amantior, creditурus ſit, qui, ùt jam aliquoties monui, ita loquitur: ut ne ipſe quidem, quid voluerit, intellexiſſe videatur: Quis enim ſenſus ſubeſt huic quæſtioni: *An Bellerophon ſomnis, an alis volaverit?*

Deut. 32.

Matth. 11.

D *Exacto myſterio*, inquit Lermæus, *emittitur juvenis in lucem vivus vidénsque ſomnians, non caput; non pes, non mens ſatis officium ſuum facit; qui ex hoc antro redeunt, ne vigilantes quidem cum aliis communi mundo fruuntur, novos etiam mundos, novásque formas, tragelaphos, chimæras, & hippocentauros loquuntur.* Putat, opinor, Lermæus, iis, qui ex hac pietatis ſchola educuntur, idem evenire, quod ſibi evenit, quando ex antro Trophonii cum Pauſania aſcendit, *multo terrore attonitus, & ſuimet atque omnium adſtentium & circumſtantium oblitus.* Interim agnoſco hîc in Lermæo Rutilium Ethnicum, qui de Chriſtianis Monachis in inſula Capraria & Gorgonia philoſophantibus, & cœleſtium rerum meditationi vacantibus, eodem penitus modo loquitur, id adeò ut lector videat, placet ipſius Rutilii carmina adſcribere, ex quorum cum ſcommatis Lermæanis collatione, planum fiet, quàm pulchrè Ethnicis & Calviniſtis conveniat. Ita igitur Ethnicus ille, qui ſub Honorio Imperatore vixit, cùm iter ſuum enarrat:

E

F

Rutil. lib. 1. Itinerarii.

G

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit,
Squalet lucifugis inſula plena viris.

En, Lermæe, *lucifugos viros, quos tu ne vigilantes quidem communi cum aliis mundo frui, ais:* Rutilius:

Ipſi ſe Monachos, Graio cognomine dicunt,
Quòd ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt; dum damna verentur.

Phil. lib. de vita contemplat.

En finem, cur illi in ſolitudinem ſeſe abdiderint; videlicet, ne quid detrimenti ex convictu cum cæteris caperent; nam ùt Philo ait; *Quævis civitas, vel optimis ornata legibus, plena eſt tumultu plurimo, quem nemo ſapientiæ ſectator ſuſtineat; extra mœnia degunt*, inquit Philo de Jeſſæis, *in hortis aut villis ſolitarii, amantes ſolitudinem, non hominum odio, ſed ad cavendos congreſſus cum diſſimilibus, quos ſciunt moribus bonis officere.* Ergo metu detrimenti vitabant illi, quos ridet Rutilius, conſortia hominum, quos & hac interrogatione exagitat:

H

Quisquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?

Ergóne quisquam eſt, qui, ne in miſeriam incidat, miſeriam ſpontè ſubeat? Ita enim ille monaſticam & religioſam vitam interpretatur, cujus veſtigia inſtant nunc egregiè Calviniani, qui non modò vitam religioſam miſeriam, ſed & inſaniam reputant.

Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formidet, nec bona poſſe pati?

Agnoſcis, niſi fallor, Lermæe, tuum ſtylum,

Aut

A Aut Rutilius *Lermæizat* & *Calvinizat*; aut Lermæus & Calvinus *Rutilizant.*

Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum aſſignavit Homerus
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris.
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

En quibus cauſis mutationem vitæ adſcribat Rutilius, pœnæ videlicet à fatis inflictæ; aut melancholiæ, qua Bellerophon adactus, commercia hominum vitabat, *ipſe ſuum cor edens.* An non ſimili modo de mutatione vitæ ſæcularis in Religioſam philoſophatur Lermæus? An non eam adſcribit furori, ſtupori, lymphatæ cuidam deſperationi? Macte Lermæe hac nova cum Ethnicis affinitate.

Idem Rutilius de alio quodam ſanctiſſimo Inſulæ Gorgoniæ incola & Eremita, viro antea inter ſuos nobiliſſimo, & opulentiſ-
B ſimo, ipſius Rutilii cive, ita canit non tantùm Ethnicè, ſed & Calviniſticè:

Aſſurgit Pontì medio circunflua Gorgon,
Inter Piſanum Cyrniacúmque latus,
Adverſus ſcopulos damni monumenta recentes.
Perditus hic vivo funere civis erat.

En perditus Poëta, ſanctiſſimum virum *perditum* nominat, & *vivum funus*; non multò aliter Lermæus:

Noſter enim juvenis nuper majoribus amplis
Nec cenſu inferior conjugióve minor.
C *Impulſus furiis homines divósque reliquit.*

Nota Lermæe, nota, quia ore tuo canit hic vates:

Et turpem latebram credulus exul agit.

Antrum videlicet Trophonii; ſi Lermæo credimus:

Infelix putat illuvie cæleſtia paſci;
Séque premit læſis ſævior ipſe Deis.

An non Lermæe *infelices* & *miſeros* appellas, qui, Dei amore, omnibus rebus ſeſe abdicant, ridésque, quòd hæc Deo grata & accepta eſſe exiſtiment?

Num rogo deterior Circæis ſecta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

D Imò longè efficacior eſt hæc, non ſecta, ſed religio, quàm ulla vis Circæa; quia illa ex intemperantibus temperantes, ex inceſtis, caſtos; ex rapacibus & avaris liberales, ex iracundis & furioſis manſuetos, uno verbo, ex vitioſis virtute prædictos efficit. At vis Circæa, hoc eſt, hæreſis, contraria prorſus via graditur, & quidquid boni religio menti inſerit, id illa continuò ſtirpitus evellit: Quid, quòd hæc vis mutandi in melius ipſos animos, tanta libertate prædictos, non obſcuro argumento & Ethnicis & Calviniſtis eſſe debet; Religioſos Ordines à Deo inſtitutos, & in mundum introductos eſſe; quia ſi aliundè extitiſſent, haud tanta vi mentes ad honeſtatem incitandi & perpellendi, valerent.

CAPUT VIII.

De diſputationibus cum hæreticis & lectione librorum hæreticorum.

CAput hoc inſcripſit Lermæus, *de cautione Jeſuitica adversùs hoſtes*; nimirum, qua ratione & arte Jeſuitæ, hoſtium ſuorum Calviniſtarum & Lutheranorum vim & impetum devitare ſoleant. Ait; *his extremis temporibus exortum eſſe odioſum quoddam hominum genus, originem ſuam ad Apoſtolos referens, quod Jeſuitis ſupra modum infeſtum ſit, eorúmque artes mirabiliter eludat.* Quibus verbis deſcribit Calvinianos & Lutheranos, quos rectiſſimè *odioſum hominum genus* vocat; ſunt enim DEO hominibúsque odioſiſſimi. Rectiſſimè itidem dicit, *eos nuper exortos eſſe.* Novitii enim ſunt, & plus quàm duobus ſæculis diſtant adhuc ab ætate Pylii Senis; nec unquam tempus fore puto, quo poſſint verè *Triſecliſenes* appellari.

Porrò, cùm, ùt ipſe Lermæus fatetur, *nuper primùm exſtiterint*, quo, quæſo, jure originem ſuam ad Apoſtolos referunt, à quibus plus quàm quaternis denis ſæculis diſtant? Perinde profectò faciunt, ac ſi quis nudius tertius ex tenebris & contemptibus in lucem egreſſus, venditaret ſe pro uno ex poſteris Achillis: Ut quis genus & ortum ſuum ad Apoſtolos verè referat, oportet, ut continua & nuſquam interrupta ſerie, ab illis deſcendat, ſingulósque gradus, quibus inde ad hæc uſque tempora deducitur, cuivis cupienti monſtrare & deſignare queat. At verò ubi ante centum annos genus Calvi- Tertull. lib. de præſcript.
nianum aut Lutheranum? *Ubi tunc Marcion, ubi Valentinus?* quærit Tertullianus, cùm iſti genus quoque ſuum ad Apoſtolos referrent; ubi Calvinus, ubi Lutherus? *nam conſtat, illos neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè* (Caroli V.) principatu, *& in Catholicam primùm doctrinam credidiſſe, apud Eccleſiam Romanenſem*, (nam alter Monachus, alter Clericus fuit) *donec ſub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti* (Leonis decimi & ſequentium) *ob inquietam eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ejecti ſunt.*

Hoc hominum genus, inquit, *Jeſuitis odioſum eſt.* Non nego, Calviniſtas nobis æquè G
eſſe inviſos atque nos Calviniſtis: at non eam ob cauſam, quòd nobis ſint formidini, quis enim vel paululùm eruditus metuat tam ineptos & inſulſos nugatores, lingua quàm mente potentiores? ſed quia fidei & virtutis hoſtes ſunt, prædonésque animarum truculentiſſimi, & lupi, qui circum ovile Chriſti perpetuò fremunt, circumeuntes, more ejus, à quo miſſi ſunt, quærentéſque, quem devorent.

Adverſus hos collatis ſignis & cominus aliquando certatum eſt, inquit Lermæus, *ſed cum hominibus ferreis & impenetrabilibus certamen iniquum fuit.* Benè *ferreos* nominas: tum quia ex aureo ſeculo fecerunt *ferreum*; tum

A quia *ferro* & *ferrum* Evangelizant; tum quia veritati penitus sunt impervii, non secus ac ferrea claustra soli; at ferrei non sunt ad ictum & vulnera. Quis enim Calvinianum aut Lutheranum Drancem, argumentorum sagittis, non dicam non facillimè vulneret, sed & conficiat: nec tamen vel capti, capi: vel confossi, confodi possunt: quia sunt instar hydræ, confecto & amputato uno capite, renascuntur derepentè alia.

B Video tamen, quo sensu verè dici queant *ferrei* & *impenetrabiles*, videlicet ob summum mentis stuporem, quo ùt Vulcaniis armis Achilles & Æneas, efficiuntur, ferri instar, durissimi & impenetrabiles. Ferunt Poëtæ, Achillem recens natum nescio quo fluvio à matre ablutum, eáque lympha invulnerabilem & telis impenetrabilem effectum; iisdem undis ablui videtur ratio & intellectus Hæreticorum, adeò nullius institutionis, quæ ad veritatem ducit, capaces sunt, cum quibus profectò omne certamen iniquum est: Quid enim proficiat, qui cum caudice & trunco disputat?

C S Hieron. epist. 37. *Antiquus sermo est*, inquit S. Hieronymus, *mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus, credatur:* Vetus hoc dictum, ego hîc non probo; Lermæo enim, cùm Calvinistas *ferreos* & *impenetrabiles* nominat, cúmque omne certamen cum illis initum, *iniquum* esse asserit, pleno assensu assentior, licèt tot jam mendacia effuderit, quot in æthere sydera lucent. *Tirones*, inquit Lermæus, *juvenili confidentia congredi gestiunt, & veterani pugnam detrectant, scripturámque sacram susque déque habent.* Mi Lermæe, nullus nec tiro, nec veteranus spicula vestra & imbelles sariss metuit, nullus, inquam, qui vel primis labris Theologiæ mysteria degustavit; omnibus enim vestræ eruditionis tenuitas nota est. Bona causa, qualis Catholica, ubíque triumphat. Quocirca quocunque ad prælium vocentur Jesuitæ à Calviniss, æquis disputandi legibus & conditionibus propositis, libenter sese sistent, & cum *ferreis* istis in arenam descendent.

D Etsi illud meritò quemlibet à quovis congressu absterrere potest; quòd experientia constat, parùm fructus & emolumenti sperandum, si quis certamen ingrediatur cum his, qui in reprobum sensum dati, qui post adinventiones suas eunt, qui credunt, quod volunt, & quamdiu volunt, cum quibus *congressio scripturarum ad nihil proficit, nisi planè, ut aut stomachi quis ineat eversionem aut cerebri*, ùt sapienter ait Tertullianus. *Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus; Quid pro-*

Tertull. lib. de præscript. *movebis exercitatissime scripturarum, cùm, si quid defenderis, neget ex diverso: si quid negaveris, defendat. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.* Hæc quæ Tertullianus ante tot secula scripsit, verissima esse testimonio nostri seculi comprobatur, quo tot Hæreticorum cum hæreticis, & Catholicorum cum hæreticis disputationes & velitationes institutæ sunt. E

Ait Lermæus, *nostris, præsertim tyronibus, prohiberi lectionem librorum, quos pars adversa publicat.* Meritò prohibetur, Lermæe; cujus tamen prohibitionis Auctores Jesuitæ non sunt, sed Ecclesia, quæ generatim filiis suis has chartas vetat, ne inficiantur; An non piè & benignè facit, si quis à tactu rei pestiferæ & venenatæ te arceat? Quid pestilentius libris hæreticis, qui virus suum vel eminus affiant, & ossibus ignem diabolicum inspirant. Nec nova est hæc sanctio, semper moris fuit Hæreticorum libros proscribere, flammísque adjudicare. F

De libris Nestorianis ita edixerunt Theodosius & Valentinianus. *Nec verò impios libros nefandi & sacrilegi Nestorii* (Calvini & Lutheri) *adversus venerabilem Orthodoxorum sectam, decretáque sanctissimi cœtus Antistitum Ephesi* (Tridenti) *habiti, scriptos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat, quos diligenti studio requiri, ac publicè comburi decernimus.* L. Damnate. C. de hæret.

G Valentinianus & Martianus contra Eutychianos hanc legem tulerunt. *Nulli contra venerabilem Chalcedonensem* (Tridentinam) *Synodum liceat aliquid dictare vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo hujusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quòd si qui fuerint in his criminibus deprehensi, perpetua deportatione damnantur.* Quid fiet Lermæe cum Examine Kemnitii, & Antidoto Calvini contra Concilium Tridentinum? Addunt Imperatores; *Omnes hujusmodi chartæ ac libri, qui funestum Eutychetis & Apollinaris* (Calvini & Lutheri) *complexi fuerint dogma, incendio concrementur, ut facinorosæ perversitatis vestigia flammis comtusta depereant.* Hæc Imperatores Romani.

H Quoties Origenis libri variis in Conciliis fuerunt proscripti, præsertim libri περὶ ἀρχῶν? Quid mirum igitur, si Principes Ecclesiastici & Politici vestros quoque libros legibus notent, & vetent; non enim meliores & saniores sunt libris veterum Hæreticorum; quia nec vos uno pilo meliores estis omnibus illis Hæreticis, quos Imperatores in Codice, titulo *de Hæreticis* & *Manichæis* & *Samaritanis* proscribunt, & ex Romano Imperio exterminant: Licèt revera veteres Imperatores, vos, libros, vestrásque lucubrationes, in majoribus vestris, vestrorúmque majorum libris damnaverint; nam ùt Gratianus, Valentinianus, & Theo-

A & Theodosius Augusti ajunt, *Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Nec deest nostris Præsulibus vestrum exemplum. An non Lutherani prohibent libros Zvvinglianorum & Calvinistarum? An non utrique Catholicorum?

B *Delent*, inquit Lermæus, *nomen Auctoris, & quilibet liber, Homerus, Virgilius, Marcus Tullius, dirus sacérque habetur, donec Genevæ nomen atramento circumductum sit, aut alterius urbis, hominisque nomen ipsis injucundum.* Nos hujus edicti auctores non sumus, sed Ecclesiæ id præcipienti libenter morem gerimus; & nomina Hæreticorum expungimus, ùt & loca; quia hæresis etiam hoc meretur, ut ne nomina quidem suorum assectarum ad posteritatem transmittantur. Quanquam quod ad Genevæ nomen attinet, liberârunt nos plerunque Typographi illi labore nominis illius expungendi. Cui enim ex tot voluminibus, quæ Henricus Stephanus excudit, nomen Genevæ præposuit? Non satis scio, quo consilio, nisi fortè non tam Catholici lectoris rationem habuit, quàm Mercurii, quem suis operibus parùm propitium fore existimabat, præsertim in Italia, & Hispania, si nomen Genevæ in limine appareret; alioquin si per hanc hederam merci suæ gratiam accessuram credebat, cur eam non appendit?

C Quod autem Lermæus ad extremum ait, *nos optare, ut omnes fratrum Ignorantium sint similes, qui fidei articulos tenere hæreticum, aliud supra Ave Maria scire nefas ducant*, id magna refutatione non eget: Scholæ nostræ tot locis apertæ, non sine Hæreticorum stomacho, ab hac calumnia nos liberant, nec quidquam causæ habemus, cur eruditionem aversemur. *Quid mali est eruditum esse*, inquit Origenes, *disciplinis optimis excoluisse ingenium, prudentem esse & haberi? Quid hæc obstant cognitioni Dei? An non potiùs conducunt ad assequendam veritatem? Est igitur res non mala eruditio vera, quippe quæ ad virtutem via est. Nemo non fatetur bonum studere disciplinis* optimis, *sed quas tandem dicemus disciplinas optimas, nisi veras & ad virtutem excitantes? Prudentia quoque res egregia est, & adeò non obstat cognitioni Dei; eruditio, optimarum disciplinarum studium, prudentia, ut adjuvent etiam.* Hîc finem dicendi simul & vivendi fecit Lermæus: *placida*, ùt ait Typographus, *morte sublatus*. Quod utinam verum esset; si enim mors quorumcunque peccatorum pessima est, quantò pejor erit mors Calviniani, & tanti calumniatoris, & impostoris, quantum se se in ista Introductione Lermæus exhibuit.

Orig. lib. 3. contra Celsum.

D

CAPUT IX.

Refutatio Locustæ.

AD introductionem Lermæi additum E est carmen, quod *Locusta* sive *Jesuita* inscribitur, incertum, mihi quidem, utrum ipso Lermæo, an alio quopiam auctore. Cujuscunque sit, tam certè inconditum, rude & impolitum est, ut canenti nec Musæ, nec Apollo, nec Gratiæ adfuerint, multóque minùs faverint. Mœvius totus in eo est, ut ostendat Jesuitas esse locustis similes, quod tam miserè facit, ut dignior videatur commiseratione, quàm refutatione. Itaque parcam illi misericordia erga ineptissimum poëtastrum commotus. Nequeo tamen à me impetrare, quò minùs unum mendacium redarguam, & locustam ad suos Auctores remittam; mendacium his versibus continetur:

F *Lusitaniacis forsan regnabat in oris*
Emmanuel, idémque plagam, quæ vergit ad Indum,
Quam totam aut astu, totámve subegerat armis,
Nec jam vafritie poterat, nec Marte tueri.
Anxius ergo, modus rebus qui dexter agendis
Esset, ad effrænes populos ditione tenendos,
Terrendos demùm pietatis imagine duxit.
Hæc ubi sedisset penitus sententia menti,
Quosque rei huic posset dignos adhibere ministros
Quærenti locusta suam Regi obtulit ultro
Militiam gentémque animis in utrumque paratam,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti. G

Quid ais Poëta? Itáne Emmanuel invictissimus Lusitaniæ Rex Jesuitas in Indiam misit? Itáne eorum opera usus, Indos in officio continuit? Itáne jam de Indiæ possessione retinenda, ejúsque finibus proferendis desperaverat, nisi Jesuitæ opem tulissent? Itáne fortissimorum Ducum Almeidæ, Albuquercii & aliorum vivida virtus elanguerat, ut, nisi ab Jesuitis sustentaretur, hostibus repellendis & profligandis sat potens non esset? Vahissime mortalium! An nescis, Regem Emmanuelem minimùm tredecim, aut quatuordecim annis priùs defunctum, quàm Societas JESU institueretur? An nescis, Regem Emmanuelem priùs ex hac vita ad meliorem evocatum, quàm Ignatius noster de Societate instituenda ullam cogitationem susciperet? An ignorat ille, qui introductioni Lermæanæ epistolas Jesuiticas ex Hasenmillero confectas adjunxit, quo tempore, quo Lusitaniæ Rege nostri in Indiam penetrârint? An non vidit historiam Maffæi & Ribadeneiræ de vita Ignatii, in qua hæc omnia enucleatè explicantur? An non Joannes Rex, Emmanuelis Regis filius & successor, Franciscum Xaverium primus H

A primum è noſtris in Indiam ablegavit? An non hoc tota Luſitania, imò tota Europa novit? Pudeat igitur Calviniſtas, cùm tanta mendacia de Ordine noſtro ſpargunt, quæ quivis, qui communi ſenſu non careat, ſtatim deprehendat. Nam qui in re tam aperta & manifeſta tam ſplendidè mentitur, quid ei credendum quis cenſeat, cùm res abſtruſiores narrat, ubi plures & tenebricoſiores pro mendacio latebræ.

B Sed qua fronte hæc mendacia de noſtris à Rege Emmanuele in Indiam miſſis, & de cauſa mittendi finxerunt, eadem perfricta fronte & impudente ore repetiverunt nunc in epiſtolis Jeſuiticis ex Haſenmillero conſarcinatis, Ignatium noſtrum expuliſſe dæmonem ex Cardinalis Farneſii famulo, cùm ei duntaxat *granum* ſeu *globulum* de Roſario, olim Pii V. Pontificis Maximi precibus conſecrato, admoviſſet; & tamen quis rerum omnium adeò ignarus eſt, qui neſciat, Ignatium noſtrum non paucis annis antè ex hac vita exceſſiſſe, quàm Pius V. cum hoc nomine Summum Pontificatum adipiſceretur? Sed iſtis perinde eſt, quàm ingeniosè temporísque ordini conſentaneè mentiantur, dummodo mentiantur; quia ſemper reperiunt ſimiles lactucæ ſimilia labra, & ſimilia labra ſimiles lactucas. Semper ſunt, quos magis delectent ſermones Celſi contra Chriſtianos, quàm libri Origenis pro Chriſtianis. Semper reperias, qui magis credant Ruffino, quàm Hieronymo; Symmacho, quàm Ambroſio aut Prudentio; Parmeniano, quàm Auguſtino aut Optato: Symphoriano, quàm Paciano; Eunomio, quàm Baſilio aut Nyſleno. Sed ſatis de mendacio: Nunc locuſtam, eò, unde exſtitit, remittamus.

C Hæreticos locuſtas eſſe pulcherrima & doctiſſima oratione jam dudum demonſtravit Bellarminus: Hæretici legant; illúdque in foribus Delphici templi: *Noſce te ipſum*; fortaſſe cognoſcent, & perſpicaciùs intelligent. Mihi hoc loco animus non eſt repetere, quæ Bellarminus præclarè diſſeruit. Unius Hieronymi auctoritate Hæreticos locuſtas eſſe demonſtrabo: qui ita ſcribit: *Locuſta noxia eſt, & ſic inimica mortalibus, ut famem faciat, & ſegetum culta populetur, in tantum, ut arbores quoque, & vineas decorticet, & huic locuſtæ, & nubi matutinæ, & rori, & pulveri Hæretici comparantur.* Hæc ſanctus Hieronymus.

Bellar. Tomo 3. in fine.

S. Hieron. in cap. 13. Oſeæ.

D Ex cujus verbis habes, Hæreticos locuſtas eſſe; & cauſam; quia *locuſtæ famem faciunt, & ſegetum culta populantur.* Quis majorem penuriam cœleſtis doctrinæ induxit, quàm hæretici? Quis templorum culta & urbium tantùm populatus eſt, quantum Hæretici? Quis arbores virtutum plantatas ſecus decurſus aquarum, quæ fructum dabant in tempore ſuo, quorum folia non decidebant, perpetuo virore jucunda, magis decorticavit quàm Hæretici? Quis vineam Domini, quam de Ægypto tranſtulit, quam tanto ſtudio *paſtinavit*, imò & proprio ſanguine rigavit, quis, inquam, vineam iſtam magis deturpavit, quàm hæretici? E

Animal vorax locuſta eſt, fruges & quidquid terra educat, conſumere natum: *Ecce ego inducam cras locuſtam*, ait Dominus, *in fines tuos, quæ operiet ſuperficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandini, corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Locuſtæ omnia morſu erodunt*, inquit Plinius, *& fores quoque tectorum.* Quid edacius & voracius Hæreticis? qui magnas cum mœnibus urbes exedunt, qui tot millia templorum, monaſteriorum, altarium abſumpſerunt, & inexplebili quadam cupidine devorârunt, ipſo paſtu magis ad paſtum irritati.

Exod. 10.

Plin. lib. 11. cap. 29.

Locuſta peculiaris quædam pœna Dei eſt, vindicantis ſcelera mortalium; quapropter inter pœnas Ægyptiis inflictas non defuit locuſta: & Deus cùm mala commiſſa ſe ſe puniturum minatur, præter cæteras pœnas, minatur quoque locuſtam; Ita enim ore Moyſis loquitur ad Iſraëlitas, ſi legem ſibi divinitùs præſcriptam derelinquant: *Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, quia locuſtæ devorabunt omnia.* Et alibi diſertè profitetur Dominus, ſe præcipere locuſtæ, ut terram devoret. *Si præcepero*, inquit, *locuſtæ, ut terram devoret: Ego Exaudiam de cælo;* Imò apud Joëlem vocat Deus locuſtam *fortitudinem ſuam magnam*, eò quòd ſit flagellum Dei, quo vitia hominum egregiè caſtigat. Plinius præterea locuſtam *peſtem iræ Deorum* appellat. F

Deut. 28.

2. Paral. 7.

Joël. 2.

G Hæc ratio pœnæ, quæ in locuſtis ineſt, planum facit, hæreticos eſſe locuſtas, quia quis neſcit, hæreſin eſſe pœnam, & quidem peculiarem; qua Deus malefacta mundi punit? Si hæreſis pœna eſt, utique & hæretici pœna ſunt; quia hæreſis non eſt, niſi in hæreticis, qui, ùt antea dicebam, locuſtarum more, devorant, quidquid floret & viret; *Locuſtis*, inquit ſanctus Hieronymus, *nihil invium eſt, cùm & agros, & ſata, & arbores, & urbes, & domos, & cubiculorum ſecreta penetrent.* Idem genius hæreticis, nihil illis clauſum præter cœlum, quò penetrare nequeant.

S. Hieron. in cap. 2. Joëlis.

H *In Cyrenaica regione*, inquit Plinius, *lex eſt, ter anno debellandi locuſtas, deſertoris pœna in eum, qui ceſſaverit.* Eandem conſuetudinem habent adversùs hæreticos locuſtas, quicunque fidem & innocentiam ſalvam cupiunt: ſtant *ſuccincti lumbos ſuos in veritate, induti loricam juſtitiæ,* & *calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei*, ut poſſint deprædatrices iſtas locuſtas exterminare.

Epheſ. 6.

Locu-

A *Locuſtæ gregatim ſublatæ vento in maria & ſtagna decidunt*, inquit Plinius, & Ægyptias illas locuſtas *ventus ab occidente vehementiſſimus* projecit in mare rubrum, *non remanſit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti:* Idem exitus manet hæreticos, qui in ſtygia ſtagna tandem præcipitantur, & in dies magis præcipitabuntur, ita, ut ne unus quidem ſuperet, & hoc potiſſimùm fit, fiétque piorum precibus. *Noſtris temporibus*, inquit ſanctus Hieronymus, *vidimus agmina locuſtarum terram texiſſe Judæam, quæ poſtea, miſericordia Domini inter veſtibulum & altare (hoc eſt, inter Crucis & Reſurrectionis locum ſacerdotibus & populis dominum deprecantibus, atque dicentibus, parce populo tuo) vento ſurgente, in mare primum & noviſſimum præcipitatæ ſunt.*

Exod. 10.

S. Hier. in c. 2. Joël.

B Quod accidit his veris locuſtis, idem accidit & accidet noſtris metaphoricis. Hæretici igitur locuſtæ ſunt tum has ob cauſas, tum ob alias plurimas, ſi tamen malint vocari Attelabi aut Bruchi, quàm locuſtæ, per me licebit, non equidem invideo eis hunc honorem nominis.

CAPUT X.

De Epiſtolis JESUITICIS.

C PRæter locuſtam addidit Typographus ad Iſagogen Lermæi ſeptem epiſtolas, quas Jeſuiticas inſcripſit, decerptas ex hiſtoria Jeſuitica Haſenmylleri; quæ à quodam innominato Calviniſta, ad alium Calviniſtam miſſæ; niſi fortè probabilius eſt, non eſſe miſſas, ſed fingi tanquam miſſas; cùm auctori illi nihil aliud propoſitum fuerit, quàm ut mendacia Haſenmylleri jam propemodum ſepulta & oblivione obruta denuò renovaret; & quia videbat, id commodè fieri non poſſe, ſi ipſam hiſtoriam Haſenmylleri mundo iterum obtruderet, novo aſtu antiquis mendaciis novam formam, epiſtolarem videlicet, ſuperaddidit, ut lectores non Haſenmyllerum, quem deteſtantur, ſed novum quoddam opus ſe empturos & viſuros crederent. Quia verò impudentiſſima Haſenmylleri commenta jam dudum ad verbum à me ſunt refutata, ùt & à Reverendo & Clariſſimo viro Doctore Petro Stevartio, ſacræ Theologiæ in Ingolſtadienſi Academia Profeſſore: non immorabor his figmentis iterum refellendis, ne actum agam, ſed Apologias & meam & D. Stevartii, quæ Latinè & Germanicè exſtant, his epiſtolis opponam: Cùm hæretici refutationes illas refutaverint, tum reſponſum à me exſpectent. Certè Lutheranæ & Calvinianæ Synagogæ fructuoſiorem operam navâſſet iſte, quiſquis eſt; ſi priùs Haſenmyllerum liberare ſaltem conatus fuiſſet, à tot centuriis, ne dicam chiliadibus mendaciorum, quorum manifeſtiſſimè impurus ſycophanta convictus eſt. Nunc pro defenſione Haſenmylleri ne verbum quidem facit; ſed judiciorum, quæ ſubiturus erat, ſecurus, repetit antiqua transfugæ illius mendacia, niſi quòd, ne planè nihil egiſſe videretur, ſeptimam epiſtolam inferſit quibuſdam impoſturis & figmentis novis, ſi tamen nova dicere oportet, quæ priùs à Miſeno allata fuerunt, quæque iſte poſterior calumniator à priore illo calumniatore accepit.

D

E

F *In Indicis*, inquit, *epiſtolis, nec non in vitis Ignatii, Xaverii & aliorum Patriarcharum Jeſuiticorum innumera pœnè miracula nobis depingunt, quibus novam ſuam ſectam toti orbi commendarent.* Tam multa, opinor, non ſunt, quàm multa commemorare potuiſſet, ſi voluiſſet, ſanctus Auguſtinus facta ſuo tempore, tum alibi, tum potiſſimùm in Eccleſiis ſeu Memoriis ſancti Stephani Protomartyris: *Si miracula ſanitatum, ut alia taceam*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ea tantummodò velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, id eſt, glorioſum Stephanum, facta ſunt in colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri.* Et fortè, qui vitam Ignatii & epiſtolas Indicas ſcripſerunt, potuiſſent cum eodem Auguſtino dicere: *Quid faciam? urget hujus operis implendæ promiſſio, ut non hîc poſſim omnia commemorare, quæ ſcio, & procul dubio plerique noſtrorum, cùm hoc legent, dolebunt, me tam multa prætermiſiſſe, quæ utique mecum ſciunt.*

S. Auguſt. lib. 22. de civit. Dei. cap. 8.

G *Innumera*, inquit, *ſunt*. Hæreticis, puto, quibus vel duo Ignatii aut Xaverii miracula videntur nimia, atque adeò innumera, quia numerare piget. Nec memoriæ prodita ſunt eo fine, ut iis noſtrum Ordinem commendemus; ſed ut DEUM, qui ùt olim, ita & jam glorioſus & mirabilis eſt in Sanctis ſuis; celebremus, & hæc beneficia, eò, undè manârunt, remittamus.

Alia nova cudant, inquit Hæreticus, *quantum voluerint, occurret nobis interea præceptum Jehovæ Deuteron. 13. & Servatoris noſtri Matth. 24. 2. Theſſ. 2.* Nulla cudimus miracula, nulla comminiſcimur, ſed ea, quæ DEUS, per Ignatium & Xaverium patravit, literis mandamus, & ab oblivione, ùt decet, vindicamus. *Neque enim pium, neque tutum eſt*, inquit præclarè ſanctus Gregorius Nazianzenus, *cùm impiorum hominum vita memoriæ prodatur, pietate præſtantes viros ſilentio tranſmittere.* At quodnam eſt præceptum tui illius *Jehovæ* in Deuteronomio?

S. Greg. Nazianz. orat. in laudib. S. Athan.

H Audiamus DEUM ore famuli ſui loquentem. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: eamus & ſequamur Deos*

Deut. 13.

A *Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris.* Hæc ibi, & alia in eandem ſententiam. Quæ quid ad Ignatium aut Xaverium? Neuter ullis miraculis, aut viſionibus à vero DEO, ad Deos alienos quenquam traducere molitus eſt. Neuter ſua miracula venditavit. Neuter prætextu objectúque miracu-
lorum, ſanctitatis famam ſibi conciliare, aut diſcipulos adjungere ſtuduit, ùt Pſeudoprophetæ & Somniatores faciunt.

B Nec Ignatius in Europa, nec Xaverius in India & Japonia clamavit: *Eamus, & ſequamur Deos alienos:* ſed eamus, & ſequamur DEUM unum & verum Creatorem cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium. An non enim Xaverius multa millia Indorum & Japponum ad DEUM verum convertit, fractis & comminutis idolis? Quo alio fine immenſos illos terrarum, mariúmque tractus emenſus eſt, quàm ut Indis & Japponibus ſuaderet & perſuaderet veri DEI verum cultum, derelictis Diis gentium, Diis verè alienis, quippe Dæmoniis: niſi fortè Ethnicos, ad cognitionem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti adducere, Calviniſtæ hujus judicio, ſit eos ad Deos alienos adducere.

C Si Claviniſta iſte vixiſſet eo tempore, quo Chriſtus & Apoſtoli tam grandia miracula patrabant, vociferatus fuiſſet cum Judæis; *ne credite miraculis, occurrat vobis præceptum Jehovæ.* Deuter 13. de Pſeudoprophetis & ſomniatoribus. Nec dictum illud Domini: *Videte, ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent;* Ignatium aut Xaverium ferit: quia nec ex ore Ignatii in Europa, nec ex ore Xaverii in India unquam exiit iſta vox: *Ego ſum Chriſtus*, ſed iſta: *Ego ſum ſervus Chriſti*, aut certè iſta: *cupio eſſe ſervus Chriſti.* Acutè autem ex illo Salvatoris monito: *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia:* concludit noſter Calviniſta: ergo Ignatii & Xaverii miracula ſunt fictitia.

D Eodem acumine colliget omnia illa miracula eſſe fabuloſa, quæ commemorat ſanctus Auguſtinus, & quæ, ſi voluiſſet, commemorare potuiſſet, ùt ipſe fatetur lib. 22. de civit. Dei, cap. 8. *Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & prodigia magna.* Ergo falſa ſunt illa omnia, vel certè Diaboli vana ludibria, quæ S. Auguſtinus copioſiſſimè & elegantiſſimè loco illo recenſet. Tui muneris erat Calviniſta, probare, Ignatium & Xaverium Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas fuiſſe; & tunc aliquid roboris tua argumentatio habuiſſet.

Suppoſui hoc, inquis. Quaſi verò tuæ ſuppoſitiones & hypotheſes mutent naturas, & ex Propheta faciant Pſeudoprophetam, & ex ſervo Chriſti Pſeudochriſtum. E

Si ego ſupponerem; te eſſe nebulonem, an ex vi meæ ſuppoſitionis nebulo eſſes? Etſi vel ob has ipſas ſuppoſitiones non temerè ſuſpicor, te abſolutum, non hypotheticum nebulonem eſſe. Par ingenium redolet tua illa tacita collectio ex epiſtola ad Theſſalonicenſes. *Apoſtolus prædixit Antichriſti adventum fore ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, ergo miracula, quæ ab Ignatio & Xaverio edita feruntur, aut fictitia ſunt, aut certè fallacia.* Expeditam profectò rationem habes, Calviniſta, inficiandi & tollendi omnia miracula, quæcunque Eccleſiaſticis monumentis continentur. Uno enim verbo poteris ea, qualiacunque ſint, & quantacunque, Dæmonis actioni & potentiæ adſcribere. Sed quo jure, id tu ſcilicet non curas, ſatis tibi eſt, ſi calumnieris, & miracula Ignatii & Xaverii tuis ſuſpecta reddas. *At*, inquis, *Xaverius & Ignatius fuerunt diſcipuli Antichriſti.* Quî probas hoc? non probas, ſed ùt certum vel ſumis vel ſupponis. Sed jam dixi, ſumptiones tuas & hypotheſes nullius eſſe ponderis: aliàs facilè conficere poteris, lucem eſſe tenebras: bonum Angelum, cacodæmonem, Chriſtum, Antichriſtum & Pſeudochriſtum. Oſtendat, non pro explorato ſumat, Ignatium & Xaverium fuiſſe miniſtros Antichriſti, oſtendat, inquam, & ſi oſtendat, *ut non dicat; verum eſt, quia hoc ego dico, aut, quia hoc dixit ille collega meus* (Beza) *aut illi collegæ mei* (Haſenmyllerus, Miſenus) aut illi Prædicantes, vel miniſtri, vel laici noſtri. F S. Auguſt. lib. de unit. Eccleſiæ, cap. 16.

G *Jeſuitarum oſtentationi opponemus*, inquis, *Auguſtinum.* Oſtentationi noſtræ nunquam oppones Auguſtinum: nam qui res geſtas Ignatii & Xaverii ſcriptis conſignârunt, id non oſtentationis gratia, ſed eo conſilio fecerunt, quo alii ſcriptores aliorum ſanctimonia & innocentia excellentium virorum vitas, poſteritati ad exemplum & ſolatium prodiderunt. *Opponemus*, inquis, *Jeſuitarum oſtentationi Auguſtinum:* at non volentem & lubentem, quia nihil minùs didicit, quàm pro hæreticis adverſus Orthodoxos ſtare, hoſtis omnium Hæreticorum, etiam Calviniſtarum, quos in priſcis illis ſectariis Donato & Donatiſtis, Pelagio & Pelagianis, Manete & Manichæis jam dudum depinxit, redarguit, & generoſa dextera proſtravit.

H Audiamus tamen, quomodo candidum candido, orthodoxum Doctorem orthodoxis opponas; novo & inaudito opoſitionis genere. *Jeſuitarum oſtentationi opponemus Auguſtinum lib. de unitate Eccleſiæ cap. 16. dicentem, Eccleſiam ſuam demonſtrent, ſi poſſint,*

A *possint, non in Conciliis Episcoporum suorum, & non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ea verbo Domini præparati & cauti redditi sumus, sed in legis præscripto, in Prophetarum prædictis, &c. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallaciùm spirituum. Aut enim vestra non sunt, quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quod cùm dixisset Dominus quosdam futuros fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans.* Et ait: *Ecce prædixi vobis. Audiant etiam, quæ narrant pagani de Diis & templis suis mirabiliter vel*
B *facta vel visa.* Hæc S. Augustinus; quæ sanè valerent in Ignatium & Xaverium, & in eos, qui Ignatii & Xaverii miracula memoriæ commendârunt, si Ignatius fuisset Petilianus; Xaverius Parmenianus; Maffæius Crescónius; Ribadeneira Gaudentius; nam S. Augustinus verba illa scripsit in Donatistas & similes Hæreticos, qui miraculis hæresin suam adstruere contendebant, quæ miracula, rectè ait S. Augustinus aut planè conficta, aut fallacia & mera Diaboli ludibria fuisse: nam Hæretici aut nulla penitus miracula faciunt, aut certè fallacia faciunt, ut non tam sint miracula, quàm ludibria. At Xaverius & Ignatius in Catholica Ecclesia & sanctè vixerunt, & sanctè obiêrunt, in qua vera miracula fieri, & veras cœlestésque visiones videri non ignoravit
S. August. lib. 22. c. 8. S. Augustinus. Ait enim: *Nunc etiam fiunt miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per Orationes, vel Memorias Sanctorum ejus;* & eô ipsô locô, ubi miracula & visiones Donatistarum rejicit, commemorat & approbat *revelationem Martyrum factam S. Ambrosio*, & miraculum de cœco toti Mediolanensi civitati notissimo ad reliquias illorum Martyrum illuminato.

C Nec ad miracula apud Catholicos facta hoc responsum unquam dedit, quod dedit ad miracula à Donatistis hæreticis jactata, sed ea veneratus est, & plurima ex illis in suis operibus, ne silentio obruerentur, consignavit, maximè in libris de Civitate DEI, ubi etiam disertè scribit, miracula, in Catholica Ecclesia fieri solita, comprobare Catholicæ fidei veritatem. *Cui*, inquit, *nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne?*

D Certè miracula illa, quæ Augustinus narrat, non confirmâsse fidem Lutheranam aut Calvinianam, vel inde liquet, quia pleraque facta referuntur ad memorias & reliquias Martyrum, præsertim S. Stephani Protomartyris. Item invocatione Martyrum, signo sanctæ Crucis, reliquiis terræ sanctæ, oblatione sacrificii corporis & sanguinis Domini, & id genus aliis, quæ Calviniana & Lutherana synagoga detestatur, tantùm abest, ut ea tanquam miraculorum instrumenta colat. Ergo sicut hæc & id genus alia miracula non repudiavit Augustinus, ita nec repudiaret, si viveret, miracula Ignatii aut Xaverii, quia facta sunt in ea Ecclesia, in qua facta sunt illa, quæ ipse Augustinus recenset miracula, nempe in Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, & quod Augustinus de suo ævo dixit, id de quovis alio, etiam de nostro, dicere licet. *Fiunt etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult, quæ & illa, quæ legimus,* (in sacris literis) *fecit.* Lib. 22. de civit. Dei, cap. 8.

E

F *Summum,* inquit Hæreticus, *miraculum Jesuitæ* esse dicunt, *Ignatium, militem illiteratum potuisse instituere Societatem, qualem antehac orbis nunquam viderit.* Ignatius, cùm Societatem instituit, illiteratus non fuit, quippe jam omnibus disciplinis probè excultus. Illiteratus fuit, antequam literis operam daret, qualem etiam hunc Calvinistam fuisse mihi persuadeo, nisi fortè, ùt malitia, ita & doctrina sit ei à primo ortu insita & indita, felicitate cæteris magis optanda, quàm speranda. Nec potest, qui rem perpendit, meritò inficias ire, hanc felicem Societatis propagationem, tali sæculo, tali rerum statu, talibus locis, frementibus & furentibus undequaque Hæreticis, aut miraculo, aut certè alicui, quod miraculi similitudinem habeat, annumerandam esse.

G Occurrit Calvinista responso ex Hasenmyllero accepto. *Palearum dispersionem, & Zizaniorum copiosum proventum non probare religionis veritatem. Hæreses fœcundas esse, Arianismum olim, & hodie Mahometismum, totum fermè orbem occupâsse.* Huic responsioni acquiescerem, nisi ei deesse viderem id, quod vel maximè adesse & inesse oporteret, nempe demonstrationem, qua perspicuè demonstretur, Ordinem nostrum ad paleas, non ad triticum; ad zizania, non ad frumentum; ad hæreticam sectam, non ad orthodoxam Religionem pertinere. Hoc nisi evidenter ostendatur, oculísque subjiciatur, nunquam patiar à me ullis clamoribus obtineri, ut propagationem Societatis, ordinis Catholici, ad virtutem & religiosam disciplinam strictè & rigidè observandam conformati & comparati, cum suprà recensitis circumstantiis spectati, desinam miraculis, & quidem non exiguis miraculis annumerare.

H Addit: *Miracula quædam Ignatii ex Ribadeneira & Maffæio enumeremus.* Utinam enumerares ex his auctoribus, sine tuis glossis & conviciis, non esset, cur factum tuum ægrè ferremus. Ne quid tamen te celem, suspicor, te multò diligentiùs legisse Miseni scholia, quàm Ribadeneiræ & Maffæi scripta. Causa, cur ita suspicer, non levi moveor: non enim convicia tantùm ex Miseno sublegisti, sed & verba calumniatoris illius surripuis-

A ripuisti, ne à tam insigni, perfecti criminatoris typo, vel latum unguem discederes. Sed audiamus jam te Ignatii miracula denarrantem.

I. *Clarissima beatissimæ Virginis Mariæ, unà cum sancto puero JESU, species Ignatio objecta est: qua aliquandiu permanente, mirificè recreatus est, & divina quadam voluptate perfusus.* Hîc Hæreticus. *Species seu idolum*, inquit narrator Maffæius, *cui somnia sua relinquamus.* Species & idolum, Calvinista, non idem sunt Ecclesiastico scriptori. Quando D. Virgo & Joannes Evangelista apparuerunt S. Gregorio Thaumaturgo, teste S. Gregorio Nysseno, species quædam divina & cœlestis ei objecta est, non idolum, & quando Paulo adhuc Saulo, apparuit Christus, non idolum, sed species divina Saulo apparuit, nisi Calvinianus iste Christum pro idolo habeat. Scio quid idolum, si vertatur, latinè significet, spectando primam nominis impositionem & vim, sed scio etiam, quo sensu Patres usurpent hoc vocabulum, & qua ratione idem Hæretici Catholicis objectent.

B *Relinquamus*, inquit Calvinista, *Maffæio sua somnia.* Somnia sunt, sed judicio somniatoris, qui levi opera impelli posset, ut ad Actor. 2. illud Joëlis & sancti Petri: *In novissimis diebus, &c. juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt;* adjiceret hanc admonitionem: *Relinquamus Ioëli & Petro sua somnia.*

C *Imaginem, quam adorârat interdiu*, inquit Hæreticus, *per quietem sibi fingit, & voluptates fanaticas.* Eandem rationem rationis expertem dedit jam antea Misenus. Rationis expertem voco, quia species illa D. Virginis, non est Ignatio dormienti objecta, sed vigilanti, ùt expressè Ribadeneira scribit. Nec plura hìc, quia plura jam contra Misenum; tantùm quæro ex hoc Calvinista, an Innocentia religiosissima fœmina, & de primariis Carthaginensium matronarum vanô spectrô illusa fuerit, fanaticámque voluptatem ceperit, cùm immedicabili cancri morbo laborans, admonita est in somnis, *appropinquante Pascha*, inquit S. Augustinus, S. Augustin. lib. 22. de civitate Dei cap. 8. *ùt in parte fœminarum observanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitùs occurrisset, signaret ei locum signô Crucis Christi, fecit, & confestim sanata est*, inquit S. Augustinus. An & hîc Calvinista suum illud intonabit: *Relinquamus Augustino somniatori sua somnia.*

D II. Maffæius narrat cap. 8. lib. 1. de vita Ignatii Lojolæ, Ignatium semel divina quadam luce ita illustratum fuisse, ut multa tam de rebus divinis, quàm humanis intelligeret, quæ alioquin homines post multas vigilias non comprehendere soleant. At ejusdem libri cap. 16. Maffæius fatetur, diabolum, crebra intelligentiæ lumina obtulisse Ignatio, & recondita patefecisse scripturæ sanctæ mysteria. *Hæc*, inquit Calvinista, *vel Maffæius, vel quispiam alius Jesuita nobis explicabit.* Quid opus est explicatione? an non sat clara Maffæi verba? Sed video, quid velit hæreticus. Existimat, hæc duo non cohærere, aut priores illas illustrationes, quas Maffæius radiis divinitùs missis adscribit, processisse etiam à Diabolo, quandoquidem capitalis ille hostis, sæpiùs Ignatio, clara intelligentiæ lumina obtulit, ùt scribit Maffæius. E

Cæterùm, si hæreticus animum promptiorem ad intelligendum, quàm criminandum attulisset, explicationem & conciliationem horum locorum minimè desiderâsset. Cùm enim Ignatius literarum tyrocinia poneret, & grandævus jam Rudimenta Grammaticæ disceret: tum demum metuens, ne fieret, quod postea factum, crebris & intempestivis illuminationibus rerum divinarum, ab incepto literarum cursu, Ignatium avertere tentavit. Ex quo tacitè colligit iste Calvinista, etiam ea intelligentiæ lumina, quæ Ignatio in rerum cœlestium contemplationem incumbenti cœlitùs obvenerunt, ad diabolum auctorem referenda esse: Perinde ac si fieri non possit, ut eundem hominem & Deus vel solandi vel erudiendi gratia, & dæmon decipiendi, vel à majore commodo impediendi causa, illuminet, quamvis posteriora ista lumina potiùs sint illusiones, quàm illustrationes. Multò igitur meliore jure petimus nos, ut vel iste, vel alius Calvinista, nobis rationem hujus consecutionis explicet. *Dæmon aliquoties intempestivis illustrationibus animum Ignatii, dum studia literaria tractaret, aggressus est, ergo quando rebus divinis ex instituto vacans, divinitùs aliqua intelligentiæ lumina accepit, ea similiter à diabolo profecta sunt.* F

III. *Encomiastæ Ignatiani*, inquit Hæreticus, *narrant præterea, Ignatio à Virgine Maria concessum esse, per maximè illustria symbola Trinitatis ipsius numen augustissimum cernere, distinctum personis, unum essentiâ.* Vellem, ut, si quid ex Maffæio refers, id sine tuis commentis referres. Non dixit, non scripsit Maffæius, hoc divini luminis beneficium Ignatio à D. Virgine concessum esse, sed Ignatio hoc evenisse, cùm beatissimæ Virgini psalleret, Minoressæ in gradibus templi Dominicani. *Quid Apostolus Paulus præ isto?* inquit Hæreticus. Imò quid Ignatius præ Paulo? qui vel sacrosanctam Trinitatem *quidditativè* & clarè & *facie ad faciem*, & ùt in scholis dicimus, intuitivè vidit, ùt multis placet, quod Maffæius de Ignatio nunquam sensit aut scripsit, imò, si ùt Maffæius ait, per symbola quædam mysterium illud vidit, non vidit illud *intuitivè*. Vel si, ùt alii volunt, S. Paulus divinam essentiam intuitivè non vidit, eo modo, quo à beatis in cœlo videtur, clariùs tamen illud vidit & per symbola & notas longè G H

A gè illuſtriores, quàm Ignatius; neque enim neceſſe eſt, ut omnes, qui vident infinitum illud bonum aliquo modo, pari etiam claritate id videant, præſertim quando non in ſe, ſed in ſymbolo & in ſpecie aliqua conſpicitur.

Ait Maffæius, Ignatium hoc viſo incitatum, aggreſſum eſſe ſcribere librum de Trinitate, tanta ſimilium exemplorúmque copia & varietate, ut omnes obſtupeſcerent. Hæreticus dicit, *librum hunc reſervatum eſſe, vel editum in Utopia.* Putas fortaſſis, editum ab illo Typographo Utopiano, qui Utopianum librum Lermæi, & has tuas Utopianas veriùs, quàm Jeſuiticas epiſtolas & ſcholia Utopiana Miſeni excudit? Sed falleris: nam nec in Utopia, ubi Typographi nomine carent, nec extra Utopiam, ubi Typographi nomina ſua, & loca, ubi degunt, profiteri ſolent, liber iſte excuſus eſt, quia nusquam excuſus eſt. Non enim Ignatium tenebat prurigo illa vulgandi libros, quæ Calvinianos & Lutheranos tenet.

B *Ignorare*, inquis, *cogimur, quæ ſint iſta ſymbola, quæ ſimilia exempla, cùm Maffæius reticeat.* Ignores, oro, patienter etiam hæc, quandoquidem plurima alia tibi longè magis neceſſaria patientiſſimè, ùt videtur, ignoras. Condona tibi hanc ignorantiam cum cæteris non paucis. Cur enim ægrè feras, te ignorare ea, quæ Ignatius de ſacratiſſimo illo myſterio differuit, cùm tibi vitio non vertas, quòd ignores ea, quæ S. Auguſtinus & S. Hilarius de SS. Trinitate ſcripſerunt.

C *Oſtendant*, inquit, *notis nonnullis, quomodo quis in carne conſtitutus, Deum unum eſſentiâ, perſonîs diſtinctum mente complecti poſſit.* Dixi ſuprà de Paulo, quòd, ùt Patres aliqui volunt, Deum trinum & unum clarè viderit, & tam probabile eſt, quòd *in corpore*, quàm probabile eſt, quòd *extra corpus*, cùm ipſe affirmet, ſe hoc neſcire. Moyſen ſimiliter ſunt, qui tradant, divinam eſſentiam non per ſpeculum in ænigmate, hoc eſt, non per figuram & ſymbolum, ſed facie ad faciem vidiſſe. Utique in corpore, quia de exſtaſi ejus & raptu extra corpus nihil ſcriptura prodit. Si igitur iſti, ſingulari Dei beneficio, animô ſuô eò usque evehi potuerunt, etſi adhuc mortali corpore circumdati, cur

D aliis idem beneficium divino munere non poſſet obtingere? Quanquam, ùt ſuprà monui, nec Maffæius, nec Ribadeneira tantum Ignatio tribuit, nec cupimus, ut quis tantum illi tribuat. Satis eſt, quòd, ùt inquit Maffæius, eò contemplationis dulcedine proceſſit, ut per maximè illuſtria ſymbola, ipſum auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium cerneret.

At hoc fieri nequit, inquit Hæreticus, *dum homo vivit.* Rurſus objicio Paulum & Moyſen, qui minimùm hoc poſteriore modo viderunt divinam eſſentiam; ſi illi potuerunt, cur non & alii? non propriis viribus, ſed ope divina adjuti. Et quid adeò miraris hominem in corpore verſantem, mente complecti poſſe Deum unum eſſentiâ, diſtinctum perſonîs: an non quivis fidelis, dum vivit, mente hoc divinum myſterium per fidem complectitur? An non illud intuetur, quamvis *à longè?* An non oculos in immenſum illud bonum intendit? Quòd ſi cui clarius aliquod lumen divinitùs mittatur, ut luculentiùs myſterium illud ei in aliqua ſpecie, &, ùt Maffæius appellat, ſymbolo reluceſcat, nihil omnino fit, quod vel intellectus in corpore conſtituti, vel ipſius corporis naturæ adverſetur. Quid enim ad corpus intellectio, non F à Phantaſmatibus, ſed à divina quadam irradiatione nata? Itaque neceſſe non eſt, *ut*, quod ait Calviniſta, *nova Biblia cudamus, novúmque Deum fabricemus, quò apparitiones iſtas veras eſſe perſuadere poſſimus:* Nam ſi fidem derogant Calviniſtæ antiquis Bibliis, in quibus prædictum, diſcipulos Chriſti ingentia facturos miracula in nomine Chriſti; qua ratione fidem commodarent Bibliis novis? Licet hìc uſurpare illud Abrahami ad Epulonem: *Si Moyſen & Pro-* Luc. 16. *phetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

IV. *Pergit Maffæius*, ait Hæreticus, *&* G *Ignatium Chriſto non ſine ſumma blaſphemia conſocians, per ſignificationes arcanas inquit, & myſtica quædam exempla, oblatus eſt Ignatii menti modus ipſe, quem in hujus mundi molitione ſummus ille rerum opifex tenuit.* Videor mihi audire Caipham, qui auditô Chriſti reſponſô, in hæc verba inſanus prorupit: *Blaſphemavit, quid adhuc egemus te-* Matth. 26. *ſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur?* Ut enim blaſphemus iſte Judæus, ſine ulla cauſa, immanis blaſphemiæ Chriſtum accuſavit; ita blaſphemus iſte Calviniſta, ſine ulla cauſa, Maffæium, quaſi ſummæ blaſphemiæ reum proclamat: Quibus enim verbis conſociat Maffæius Ignatium Chriſto? Quibus verbis comparat Ignatium Chriſto, Lector videat Maffæium, & de fronte Calviniſtæ hujus judicet. Nam quod ait, Ignatio modum ob- H latum, quem Deus tenuit in procreatione hujus univerſi, quæſo, quid hîc blaſphemiæ? An non ipſe etiam Calviniſta hunc modum perſpectum habet? An non credit, Deum omnia produxiſſe ex nihilo, & quidem dicendo, ita ut dicere & facere ejusdem apud Deum efficaciæ fuerint? Quòd ſi Ignatius hunc modum cœleſti luce colluſtratus clariùs intellexit, quàm iſte Calviniſta, quid mirum? Capacior fuit cœleſtium radiorum animus Ignatii, quippe candidus, & purus, & ſubtilis, quàm Calviniſtæ animus, opacus, ſordidus, & craſſus.

A V. *Missam*, inquit Hæreticus, *novo tibicine fulciens Maffæius addit, cùm sacrificio Missæ in templo Dominicano interesset, dum à sacerdote hostia, de more, attollitur, apertissimè vidit Ignatius, illa specie Christum Deum, eundem & hominem verissimè conteneri. Quomodo ista cum fidei articulis de veritate naturæ humanæ Christi, de ejus in cælos ascensione, de Sacramentorum doctrina consentiant, piorum esto judicium.* Si appelles ad piorum, hoc est, Catholicorum judicium, piè & expeditè respondebunt ea, quæ de Ignatio Maffæius scribit, optimè cum his omnibus consentire. At si piorum nomine impios Calvinianos compelles, tum jam dudum scimus, quid ad hanc compellationem responsuri sint, illud videlicet Judæorum: *Reus est mortis tam Ignatius quàm Maffæius.* B *Quos ludos*, inquit Calvinista, *illa specie Maffæius faciat, ne ipse quidem Maffæius, si velit, explanare valeat.* Credo, quia nullos ludos facit, nullos igitur explanare valet. *Cùm epistolæ modum excedere non ferat animus*, inquit Calvinista, *Jesuitis sua ænigmata relinquamus.* Religioni ducis, si excedas modum epistolæ: at cùm omnes limites honestatis mentiendo & calumniando excedis, manum non verteris, quippe boni, hoc est, viri Calviniani officio egregiè, tuo judicio, perfunctus.

C Subjungis: *Tantùm nobis perspicuè explicent Jesuitæ, utrùm Deus re aliqua contineatur.* Non multis te morabor, sed quod petis, perspicuè declarabo. *In qualibet re continetur Deus.* Exclamabis cum Miseno: *ô scelus!* Audésne dicere, *contineri* Deum re aliqua? Quid ni ausim dicere? Repeto, quod Miseno dixi, Deus non est, qui non continetur in re qualibet; nam contineri, non est, ita esse alicubi, ut non sit alibi; sed est, esse ibi, sive alibi sit, sive non sit. Et cùm Calvinistæ alioquin valdè sint acuti verborum aucupes, miror, eos non animadvertere, hanc notionem vocis, quam nos Catholici defendimus, ipsi voci quàm maximè consentaneam esse. Continere enim, ùt & Græcum συνέχειν, *est simul tenere*, sicut concurrere, *simul currere*; colloqui, *cum altero loqui*; colludere, *cum altero ludere*; conjungere, *simul jungere*, sicut ergo unus non dicitur colloqui, seu colludere, seu concurrere, ita nec unus continere; si igitur plura loca Deum quasi teneant, tunc maximè continere dicentur, quia singula loca tenent Deum cum cæteris, & sic continent, quia *simul tenent.* Hæc in gratiam Calvinianorum Vocabulariorum.

D VI. Calvinista noster concoquere nequit nostri Ignatii extasin, quæ integram hebdomadem tenuit. Nec tamen supperit, quod objiciat, tantùm hoc oggannit, nullum testem nominatim à Maffæio exprimi. At nec S. Paulus ullos testes sui raptus nominatim expressit, & tamen credis, ni fallor, quæ de se ipse commemorat. Credis, inquam, & quidem fide humana, cùm jam dudum fidem Divinam amiseris. Crede ergo & hoc, nec propterea levis corde eris. Deinde si Maffæius testes nominâsset, num credidisses? Tuam appello Calvinista conscientiam. Tuam conscientiam non voco ad aliud, quàm ad suum proprium tribunal. Cur obmutescit? E

Ignatio precationi intento, inquit Maffæius, non semel tum Christus Dominus, tum Virgo mater se ostendit. Ad quæ verba Calvinista. *Millies potuit scribere Maffæius, & idem per idem exprimere: nam idem est.* Fortè tibi idem est, at aliis idem non est. *Non semel & millies.* Nam si quid decies vel vicies accidit, *non semel* accidit; at millies non accidit. Itaque Maffæius dicendo, *non semel* hoc accidisse, non potuit dicere, millies accidisse, nisi tui similis esse voluisset; nam de te, si quis diceret, te *non semel* mentiri consuevisse, is facilè posset dicere, te millies mentiri solitum, quia illud *non semel* minimè exiguum mendaciorum numerum apud te designat. F

G VII. De Ignatio, inquit Hæreticus, hæc mira narrat Maffæius: Fœminam principem, faciem Ignatii in templo quodam, fæci plebis, quæ concionem audiebat, immisti, peregrini Hierosolymam petentis habitu, videre sibi visam esse, eximio quodam fulgore splendentem. *En alter Moyses*, inquit Calvinista, *aut Christus transfiguratus, si fabulatori mulierem obtendenti fides adhibetur.* Mater Stephani Junioris, qui sub Copronymo Martyrii coronam adeptus est, vidit in templo Sophiæ, ex ore S. Germani, Patriarchæ Constantinopolitani, flammam prosilientem, ùt refertur in vita S. Stephani. Et S. Ephræm vidit linguam igneam loquentem per os S. Basilii. Cùm Thomas, Apameæ Episcopus, sacrosanctæ signum Crucis per templi ambitum circumferret, flamma caput ejus circumdare à tota multitudine conspecta est, ùt Procopius & Evagrius scribunt, simile quid de S. Martino refert Sulpitius, & tamen nec S. Germanus, nec S. Basilus, nec Thomas, Episcopus Apameensis, nec S. Martinus, aut *Moyses*, aut *Christus transfiguratus* fuit; potuit ergo & Ignatius noster, Ignatius esse, non *Moyses*, aut *Christus*, licèt à nobili illa matrona visus fuerit, eximio quodam fulgore splendescere. Vereor, ne illa verba, *si fabulatori mulierem obtendenti, fides adhibetur*, adjicias etiam ad locum sacri Evangelii, ubi commemorat S. Marcus, quomodo Christus Mariæ Magdalenæ apparuerit; *& illa*, inquit Evangelista, *vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerunt.* Vereor, inquam, ne illa tua verba huc transferas, quia

Maff. lib. 3. cap. 14.

In vita S. Stephani inter opera S. Damasc.

Amphiloch in vita S. Basilii.

H

Marc. 16.

A quia S. Marcus, ut probet resurrectionem Domini, obtendit Mariam Magdalenam, quam mulierem fuisse non inficiabitur, puto, noster Calvinista.

VIII. *Audiamus*, ait Calvinista, *alia miracula.* Visitans ægrotum quendam sopore oppressum, febricitans è somno excitatus, repentè uxorem inclamans; quis novus hic splendor, quæ tanta lux cubiculum complet? At illa simpliciter, id, quod erat, unum Ignatium introiisse respondit. Hoc miraculum. Sequitur censura hæretici: *De splendore & luce, quam agitatum illud cerebrum sibi finxerat, apud simplicem & sanam illius uxorem altum est silentium.* Censura in hoc consistit: uxor non vidit fulgorem illum. Aut si vidit, marito non exposuit: aut si exposuit, Maffæius eam exposuisse non scribit. Falsum est ergo, quod Maffæius de illo splendore scribit. Item ille, ad quem Ignatius intraverat, æger erat, & cerebrum agitatum habebat: finxit ergo sibi splendorem, qui nullus
B erat, nisi fanaticus. An non hæc insignia argumenta sunt, & validissima, ad rem tam miram funditùs evertendam? Quasi verò, quod unus videt, necesse sit, omnes videre; aut quia hæreticus iste *agitatum cerebrum* habet, necesse fuerit, Alexandrum Petronium (cui hoc evenit) etsi ægrum *agitatum cerebrum* habuisse, qui cùm & Medicus & Philosophus insignis fuerit, meliùs, opinor, novit causam illius splendoris, quàm Calvinista iste, qui præter calumnias aut nihil, aut certè perparum novit. Interim qui splendore ex Moysis vultu emicante præstringebantur, forsan *agitatum* quoque habebant *cerebrum*, nec tam vero splendore movebantur, quàm commentitio ex cujusvis aspicientis cerebro prodeunte, ùt & Apostoli in monte Thabor: nam quod nunc de splendore Ignatii fabularis, id, si aliquis Celsus aut Porphyrius esses, sicut fortassis es, pari facilitate & futilitate affirmares de splendoribus illis, qui sacrarum literarum testimoniô firmantur.

C IX. Miracula, quæ Maffæius fusè persequitur, iste in Epitomen redigit, additis ubique cavillis & calumniis. Ait: *Ignatius sacrificiis & preculis cacodæmones ex domo Jesuitis Romæ concessa, lemurúmque terroribus & Faunorum ludibriis infesta recedere coëgit.* Impetus conviciandi, non sinit te attendere ad verba Maffæi, non Romana domus, sed Lauretana à spectris liberata est, sacrosanctô Missæ sacrificiô ab Ignatio sæpiùs immolatô, & precibus, non *preculis*, ùt tu cavillaris, ardenD tibus ad superos fusis. Adhibuit nimirum Ignatius ea expellendorum dæmonum remedia, quæ olim presbyter ille apud S. Augustinum. *Vir Tribunitius Hesperius*, inquit S. Augustinus, *qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret,* E *cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa vexatio, Deóque protinùs miserante cessavit.* Hæc S. Augustinus. Præstent Calviniani cum sua cœna, suísque Psalmis simile quid, si possunt, dæmonésque ex infestis locis exterminent.

S. Augustin. lib. 22. de civit. Dei, cap. 8.

Adolescenti, inquit Hæreticus, *quem osculatus fuerat*, F *prædixit Metoposcopus vel Chiromantes, futurum, ut adultus uxorem duceret, multisque incommodis afflictaretur, quæ juveni postea acciderunt.* Facis, quod calumniatores solent: Recitas historias addito, dempto, arbitratu tuo, quidquid lubet, ut honestissimo Ignatii facto impudicitiam aliquam assuas. Et ut videat Lector frontem hujus Hæretici, ipsa Maffæi verba integra adscribam: *In iis, qui Barcinone Ignatium maximè coluêre, ac præcipuum ex ejus consuetudine & monitis fructum utilitatémque cepêre, vidua quædam fuit nomine Agnes, è Paschala familia. Hæc cum cætera caritate Ignatium adjuvit, ejúsque sustentavit inopiam, tum Parisios proficiscentem, ad usque templum S. Andreæ tria millia ab urbe passuum, officii causa prosecuta est, unà cum Joanne filio optima spe, summæ virtutis ac pietatis adolescentulo. Hunc in digressu cùm oscularetur Ignatius, eique præcepta in reliquam vitam paterna daret: Cur, inquit ille, cùm alii abs te exculti, tuísque monitis incitati, vel Christi consilia sint secuti, vel certè in virtute magnos progressus effecerint, me unum, parens optime, rudem informémque destituis? Quid misero mihi, te absente, futurum est? Atqui bono animo esto fili, respondit Ignatius, nequaquam tibi deerit exercendæ patientiæ, déque Deo bene merendi materies. Namque ubi adoleveris, uxorem duces, multisque incommodis afflictaberis, quæ te solvi deliciis, & in auxilio divino implorando torpere minimè patientur.* Hæc Maffæius. Itaque osculum illud non libidinis, ùt innuit impurus Hæreticus, sed amicitiæ & pacis fuit. Cujusmodi osculô multæ nationes adhuc sub digressum sibi valedicere, & sub adventum sibi mutuò gratulari solent; ídque ex antiquissima etiam Christianorum consuetudine, *quibus osculum*, inquit Athenagoras, *ùt pia salutatio, vel potiùs adoratio habebatur.*

Maff. lib. 3. cap. 14.

Quod de Chiromante aut Metoposcopo G adjungit, periculum est, ne omnes præsensiones & prædictiones tam Prophetarum, quàm aliorum sanctitate præstantium virorum, ad Chiromantiam aut Metoposcopiam Calviniста iste revocet, atque adeò ex omnibus Prophetis Chiromantas & Metoposcopos faciat, cùm causæ nihil sit, cur solius Ignatii vaticinia ad has artes referre conetur.

Post hæc, recensitis, consueto candore, H aliis Ignatii miraculis, subjungit sycophanta: *Hæc sunt præcipua Ignatii miracula, quæ Maffæius loquentia sua amplificat, ita tamen, ut se cordatis lectoribus ridendum propinet, ut quì cum stipitibus & idolis sibi putet esse negotium.*

A Non opus eſt, verbis miracula Ignatii amplificare, quia ipſa ſe ſatis amplificant: nec magis amplificatur miraculum, quàm ſi ſine amplificatione ſimpliciter & nudè proponatur: quod Maffæius fecit, à cujus ingenio omnis amplificatio multùm abhorret, cùm, ùt ſolent prudentiſſimi quíque ſcriptores, plurima breviſſimè complectatur, omniáque in anguſtum quaſi cogat, ne latiùs diffundantur. At quod Maffæio *loquentiam*, non eloquentiam tribuit, id videlicet judicium eſt hominis, qui multum loquentiæ, nihil eloquentiæ, & multò adhuc minus ſapientiæ poſſidet. Auſim dicere, Maffæium, omnibus Calviniſtis, quotquot unquam fuerunt, aut erunt, eloquentiorem eſſe. Quod meum judicium cujusvis, etiam eloquentiſſimi judicio, dijudicandum libenter committo, nec me tanquam judicii inopem condemnatum iri confido.

B *Cordatis*, inquit, *lectoribus ridendum ſe propinat:* Cordatis, id eſt, *Calvinianis*, vel cordatis per antiphraſin, hoc eſt, *excordibus*; quia ſi cor haberent & ſaperent, utique Maffæium talia memorantem non deriderent. *Putat*, inquit, *ſibi cum ſtipitibus & idolis negotium eſſe.* Cui negotium eſt cum Calviniſticis criminatoribus, is non injuria credit ſibi cum *ſtipitibus* negotium eſſe. Adeò duri ſunt, roborei, omníſque ſenſus ad humanitatem & veritatem reſpicientis & inclinantis expertes. Imò etiam cum *idolis*: ùt enim Idola *oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, manus habent, & non palpant, pedes habent, & non ambulant, nares habent, & non odorantur*: ita & Calviniani hæc omnia habent; nec tamen quidquam veritatis, candoris & ſinceritatis, vident, audiunt, tangunt, odorantur, neque vel pedem tollunt, ut ad veritatem, candorem & ſinceritatem perveniant.

C X. *In Indicis epiſtolis Franciſci Xaverii, novi Apoſtoli, miracula nova omnis generis finguntur*, inquit Hæreticus. Miracula hæc non eſſe ficta, fuſè demonſtravi, cùm Miſeni calumnias in Xaverium refellerem. Non repeto. Nec cauſam repetendi habeo, cùm hæreticus iſte dicat tantùm, non probet, Parmeniani inſtar; & hoc ideo, quia & ipſe dicenti tantùm Calvino, & non probanti credidit. Hinc ſibi etiam dicenti tantùm, & non probanti alios credere flagitat. Sed fallitur; nec Calvinus nec Calvinianus tantum auto-

D ritatis apud nos obtinet, ut convicia arbitremur oracula, & criminationes, veritates. *Xaverius*, inquit Hæreticus, *fuit virgo impollutus, in adverſis infractus, hi ſunt eloquentiæ Jeſuiticæ floſculi.* Verba Ribadeneiræ hæc ſunt: Fuit vir admirabilis, neque Chriſtianis tantùm, ſed ipſis etiam gentibus venerabilis. Virgo prorſus & impollutus. Ex quibus apparet fraus hujus Calviniſtæ, qui verba Ribadeneiræ ita proponit, quaſi dixerit, Xaverium fuiſſe *virginem impollutum*, cùm id non dixerit, quia duo Epitheta Xaverio tribuit, E quorum neutrum ad alterum ſecundùm Grammaticæ leges pertinet. Alterum eſt, quòd Xaverius fuerit virgo prorſus: alterum, quòd idem Xaverius fuerit planè *impollutus*, ita ut vox *impollutus* non ſit attributum virginis, ſed Xaverii: in quo, quid oro, criminis Grammatici? ut taceam Ribadeneiram, ſi dixiſſet virgo *impollutus*, id facturum fuiſſe non ſine exemplo S. Hieronymi & aliorum Patrum, quorum veſtigiis inſiſtens Ribadeneira, ſcripſit etiam, Xaverium in adverſis fuiſſe *infractum*: nam & S. Hieronymus eodem ſenſu S. Hilarionem Eremitam *infractum* nominavit. Arbitror autem, neminem eſſe, qui neſciat, pulchriores floſculos ex pratis Hieronymi legi, quàm ex Calvinianis fimetis.

Quæ præterea Calvinianus criminator ad- F jungit, ad verbum propè ex Miſeno deſumpta ſunt, quæ cùm ego ad verbum anno ſuperiore refutaverim, pluribus verbis in præſentia ſuperſedebo. Tantùm à Lectore notari velim, ſingularem hujus Calviniſtæ devotionem, precandíque ardorem; qui ex his verbis ejus emicat: *Utinam Jeſuitæ ipſi tandem reſipiſcant, & ad Chriſtum revertantur, ut ſit illis (quemadmodum optamus & humili corde petimus à Deo) verè Jeſus, nempe unicus Servator & Mediator.* Cæterùm, ſi quem oderis, ei precare, quæ nobis precaris, nimirum ut tui ſimilis, hoc eſt, Calvinianus fiat; Hoc enim, tuo judicio, eſt *reſipiſcere*; hoc eſt, ad Jeſum *unicum Servatorem & Mediatorem converti.* Sed hæc, ùt dixi, hoſtibus tuis impre- G care, non nobis, ſi noſtram ſalutem amas: Nam quid aliud eſt iſtud *reſipiſcite*, quàm Lutherani, aut Calviniani eſtote; Et iſtud ipſum Lutherani aut Calviniani eſtote; quid aliud eſt, *niſi evellite corda*, (utar enim Calari- Lucif. Calarit. lib 1. proS. Athanaſio.
tani Antiſtitis verbis,) *tollite vobismet ſenſus; ultrò jugulate veſtras animas; licèt videntes, quia fovea eſt, fingite vos cæcos; præcipitésque vosmet date in æternam voraginem, mergite in eam foveam, à qua non vos eripi poſſe cernitis, vobis ipſis vitam auferte, ſumite perpetuam mortem. Quid eſt aliud dicere, reſipiſcite*, Lutherani aut Calviniani eſtote; *niſi, eſtote inimici Dei, acquirite vobis Diabolum amicum, date operam, ne conſequamini paradiſum, ne deinque regnum cœlorum, quod vobis promiſit, ſi mandata ejus ſervaveritis, Deus: amate inferna, dilegite ſtagnum ardens: deſiderate eſſe cum omnibus, qui ſunt ſemper dantes pœnas, deſiderate dici homines diaboli. Hæc ſunt præmia, quæ tua egregia con-* H *quirunt conſilia* & vota; *Hæc illa optima, quæ mortem pariunt ſempiternam; hæc, quæ demergunt hominem cœlo jam proximum ad inferna. Nolumus*, Calviniſta, *eſſe tecum maledicti, te magis cupientes ſumus, nobiscum benedictum in ſancta inveniri Eccleſia.*

Habes ergo, Lermæe, & tu, Calviniſta, quis- S. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincent.
quis es, Apologiam, *prolixiorem fortaſſe quàm velles. Eſſet autem multò brevior, ſi te tantùm in reſpondendo cogitarem, nunc verò etiamſi tibi nihil proſit, non puto nihil eis profuturam, qui eam legere cum Dei timore, & ſine perſonarum acceptione curaverint.*

Laus DEO Virginíque MATRI.

JA-

JACOBI
GRETSERI
SOCIETATIS JESU
THEOLOGI,
LIBRI DUO
DE
MODO AGENDI
JESUITARUM
CUM PONTIFICIBUS, PRÆLATIS,
PRINCIPIBUS, POPULO, JUVENTUTE,
ET INTER SE MUTUO.
OPPOSITI
EJUSDEM ARGUMENTI
LIBELLO ANONYMO ET FAMOSO.

REVERENDISSIMO
ET
ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
JOANNI CONRADO,
EPISCOPO AICHSTADIANO,
&c. &c.
JACOBUS GRETSERUS,
SOCIETATIS JESU,
GRATIAM ET FELICITATEM A DEO PRECATUR.

CUm libros iſtos Apologeticos nuper conſcriberem, REVERENDISSIME & ILLUSTRISSIME PRINCEPS, diverti interdum, tædii, quod concipiebam, diſcutiendi gratia, ad Epiſtolas ſanctiſſimi & vetuſtiſſimi Epiſcopi & Martyris Cypriani; quarum lectione animum, tot criminationibus legendis & refellendis fatigatum, reficiebam, ut promptior & alacrior ad telam, quam ſemel exorſus fueram, detexendam, reverterer. Quod dum facio, perſpicuè intellexi cùm alia multa; tum quàm moribus S. Cypriani diſſimiles ſint hodierni quorundam mores, quod attinet ad famam & exiſtimationem alieni nominis, ex charitatis, & juſtitiæ præſcripto defendendam, & à calumniatorum injuriis aſſerendam. Cùm Legati Novatiani Antipapæ libellum conviciis & criminationibus refertum, adverſus Cornelium, legitimum D. Petri ſucceſſorem, obtrudere conarentur Cypriano, aliisque Epiſcopis Africanis, quid egerunt illi? Num aures præbuerunt impoſtoribus? Num chartas illas infames pronis manibus & mentibus exceperunt, variisque exemplaribus, librariorum ope, auctas in vulgus diſſeminârunt? Minimè verò. Epiſt. 42.
Quid igitur? *Honoris communis memores*, ait S. Cyprianus, *& gravitatis ſacerdotalis, ac ſanctitatis reſpectum tenentes, ea, quæ ex diverſo in librum ad nos transmiſſum congeſta fuerant acerbationibus criminoſis, reſpuimus: conſiderantes pariter & ponderantes, quòd in tanto fratrum, religioſoque conventu, conſidentibus Dei ſacerdotibus, & altari poſito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda ſunt, & incautè ac temerè publicanda,*

quæ

quæ diſcordioſo ſtylo ſcripta audientibus ſcandalum moveant; & fratres longè poſitos, ac trans mare conſtitutos incerta opinione confundant. Viderint, qui vel furori ſuo, vel libidini ſervientes, & divinæ legis ac ſanctitatis immemores, jactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt; & cùm innocentiam deſtruere atque expugnare non valeant, ſatis habent fama mendaci, ei falſo rumore maculas inſpergere. Certè quod Præpoſitis & Sacerdotibus congruit, danda opera eſt, ut talia, cùm à quibusdam ſcribuntur; per nos reſpuantur. Imò cùm illi ipſi Schiſmatis & Hæreſeos ſatores & fautores, *in ſtatione invidioſis quoque conviciis & clamoribus turbulentis proruerent, & flagitarent, ut crimina, quæ ſe adferre ac probare dicebant, publicè à nobis, & à plebe cognoſcerentur, gravitati noſtræ negavimus convenire,* inquit S. Cyprianus, *ut collegæ noſtri jam delecti & ordinati, & laudabili multorum ſententia comprobati, ventilari ultrà famam ore maledico, & æmulantium voce pateremur.* Epiſt. 41.

Quàm nihil iſtis de Cypriani ſenſu, qui, ubi Jeſuitis detrahitur, arrectis auribus adſtant, intentíque ora tenent: Et ſi quem librum nacti ſunt, qui Societatis noſtræ nomen proſcindat & lancinet, inſtant urgéntque, ut à quàm plurimis evolvatur; exemplaria vel typîs vel calamô exarata, invitis etiam obtrudunt: & ex conviviis ſympoſiísque, apophoretorum loco, abſportanda offerunt. Nec admodum mirarer, ſi Hæretici tantùm, & ab Eccleſia alieni hoc facerent. Quid enim aliud à juratis hoſtibus exſpectem? In eadem navi navigant nonnulli, qui Orthodoxorum nomine ſibi blandiuntur. Occurrit hoc loco querela D. Hieronymi: *Si gentiles hanc vitam carperent; ſi Judæi; haberent ſolatium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus. Nunc verò, prô nefas, homines Chriſtiani, prætermiſsâ domorum ſuarum curâ, & proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo feſtucam quærunt: lacerant ſanctum propoſitum, & remedium pœnæ ſuæ arbitrantur, ſi nemo ſit ſanctus: ſi omnibus detrahatur: ſi turba ſit pereuntium: ſi multitudo peccantium.* Epiſt. 99.

Præclarè S. Cyprianus ad Antonianum, falſis rumoribus de ipſo Cypriano nimis credulum: *Quamvis multa multorum vocibus ventilentur, & mendacia adverſus ſacerdotes Dei, de Diaboli ore prolata, ad rumpendam catholicæ unitatis concordiam ubique jactentur, te* tamen *oportet, ut bonum fratrem atque unanimem conſacerdotem, non quid maligni atque apoſtatæ dicant ſuſcipere, ſed quid Collegæ tui modeſti & graves viri faciant de vitæ & diſciplinæ noſtræ exploratione perpendere.* Epiſt. 52. Hoc monitum præſtantiſſimi Doctoris & Martyris, iſti in præcordia demittere deberent, ſi quid Chriſtiani pectoris haberent. Quod maximè nuper factum oportuit, cùm librum *de Modo agendi Jeſuitarum*, jam fermè ſepultum, ab inferis revocârunt: & ingentis theſauri loco non paucis pervolutandum obtulerunt: Quem olim à me viſum contempſi. Nunc ubi à criminatoribus tanti fieri cognovi, refutandum, iísque, qui hauſtu veneni delectantur, hoc antidotum propinandum cenſui; quos ſpero ſanatum iri, ſi tam cupidum animum ad reſponſionem meam attulerint; quàm attulerunt ad anonymi obtrectatoris ſycophantias. Veſtræ porro Celſitudini, REVERENDISSIME & ILLUSTRISSIME PRINCEPS, hunc meum quantulumcunque laborem dedicare, & obſcuro alioquin operi, lucem aliquam à claritate tanti Antiſtitis mutuari volui. Quod ut auderem, invitavit me benevolentia C. V. in Societatem noſtram, cœpta ab eo tempore, quo in Gymnaſiis noſtris & diſciplina, ejus dignitatis, qua nunc eminet, literarum & virtutis ſtudiô, fundamenta feliciter jecit; quæ cum honoris incremento minimè, ùt crebrò fieri ſolet, imminuta; ſed potiùs magna acceſſione adaucta eſt. Ita nimirum conſueverunt generoſæ animæ: quos ſemel amare inſtituerunt; eos, quidquid Sectariorum voculæ contra obloquantur, dum amore digna

Epiſt. 52. digna faciunt; amare non deſinunt. *Graves viros*, inquit, quem jam aliquoties nominavi, S. Cyprianus, *& ſemel ſupra petram ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aura levi, ſed nec vento aut turbine commoveri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incurſantium flatibûs, frequenter agitetur, & à propoſito ſuo cum quadam levitatis reprehenſione mutetur.* Deinde cùm Collegium Ingolſtadienſe, in ea Diœceſi, cujus adminiſtratio C. V. divino nutu obtigit; proximorum ſaluti procurandæ privatim & publicè, in ſcholis & templis, ea, quam vires ferunt, ſedulitate inſiſtat: officium exigere videbatur; ut Præſulem, cujus auſpiciis omnia gerit, publico quodam teſtimonio recognoſceret, & in omnium conſpectu aliquod obſervantiæ monumentum figeret. Taceo Academiam Ingolſtadienſem, quæ partem fructuum, quos ſubmittit, C. V. jure conſecrat, cùm à primo ſuo ortu alium CANCELLARIUM non habeat, quàm eum, qui S. Wilibaldi thronum tenet; nullíque Candidato hîc ad ſupremam Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ & Philoſophiæ lauream aditus pateat, niſi PRINCIPIS Aichſtadiani auctoritate & beneficio. Nec diſſimulare queo, me etiam fama virtutum C. V. impulſum, ut huic lucubrationi alium Patronum non quærerem, præter C. V. Neminem fugit, quas Apoſtolus boni paſtoris internoſcendi notas & conditiones præſcribat; quæ ad has geminas, vitæ nimirum integritatem & eruditionem, tanquam ad ſumma capita, revocantur. His nullus eſt, qui inficietur, C. V. divinitùs excellenter ornatam eſſe; magnô Eccleſiæ Aichſtadianæ emolumentô, & majore adhuc labentibus annis futurô, ſi paſtorale hoc munus, quod florente ævo cœpit, ad affectam usque ætatem, Deo adjuvante, longævámque lucis hujus uſuram largiente, gerat. Quod nobis omnibus eſt in optatis. Ingolſtadii, Kalend. Novembribus, Anno Jubilæo M DC.

AD LECTOREM.

LIber, quem hac Apologia refellendum ſuſcepimus, amice Lector, editus eſt quinto propemodum abhinc anno Francofurti, ſed Germanicè, adſcripto fictitio Georgii Heckelii nomine, tanquam interpretis ex Latino. Latinum exemplar, nunquam, quod ſciam, vulgatum eſt. Sed fortè prodiiſſet in publicum, niſi apud Hæreticum quendam, clariſſima in urbe, à Magiſtratu interceptum, noſtríſque traditum fuiſſet: quod penes me jam eſt, éxque eo latina calumniatoris verba deſumpſi, ut ſua lingua, quæ ſanè perquam elegans eſt, loquatur. De Interprete non habeo, quod conquerar. Malum librum malè vertit, maledicum, maledicè; calumnioſum, calumniosè. Nec potuit meliùs, quia nec libri, nec interpretis genius ferebat aut ſinebat. Quòd ſi locis non paucis immiſcuit non pauca mendacia, eáque nova; neque id culpandum: quis enim reprehendat, ſi mendaci ſcriptori ſimilem ſe præſtet interpres? Et ùt fidus interpres verbum verbo non reddit ex poëtæ monito; ita nec iſte commentum, commento; ſed ſua adjicit, ut non modò bonæ, vel potiùs malæ fidei metaphraſtes, ſed & paris notæ paraphraſtes haberi poſſit. Quod, niſi fallor, eo fecit conſilio, ut *cirratorum turba, Mileſiorum in ſcholis hæc figmenta decantet, & teſtamentum ſuis Beſſorum cachinnô membra concutiat, atque inter ſcurrarum epulas nugæ iſtiusmodi frequen-*

S. Hieron. lib. 1. contra Ruffinum.

tentur. Non refutâſſem has chartas, niſi adverſarii, ùt ad Illuſtriſſimum Principem præfatus ſum, eas renovâſſent, multísque magna dignitate viris evolvendas obtuliſſent; quibus hac defenſione planum facere volui, qualis ſit auctor libelli famoſi, quem tam avidè lectitant, quàm vanus, quàm fallax, quàm mendax, quàm ſuæ & alienæ famæ prodigus: & hanc operam eò libentiùs ſumpſi, quia perſuaſus ſum, eos alteram aurem, & quidem dexteram, nobis reſervâſſe: auditísque rationibus, facilè mutaturos ſententiam, & benigniorem animum in nos accepturos. Eſt, quando oblocutoribus ratio reddi debet, ita, ut hoc officium ſine gravis piaculi periculo, omitti nequeat. *Quia ſedari hoc ipſum ſtultorum hominum murmur tranquilla ratione poteſt*, inquit S. Gregorius, *eſſe peccatum credo, ſi ne bonum, quod valet fieri, negligitur, ut fiat. Nam cùm placare inſanas mentes, atque ad ſalutem reducere poſſumus, ſcandalizare eas minimè debemus. Sunt enim quædam ſcandala, quæ omnino deſpicienda ſunt; quædam verò dum vitari ſine culpa poſſunt, deſpicienda non ſunt, ne cum culpa ſerventur.* Quare Theotiſtam, clariſſimam fœminam, monet ille idem ſanctus Pontifex, ut quosdam detractores ſuos, ſecretò vocet; iisque innocentiam ſuam exponat. *Spontè vobis ſecretò vocandi ſunt*, inquit, *atque ipſis ratio reddenda, & perverſa quædam capitula, quæ tenere vos exiſtimant, coram ipſis anathematizanda. Quòd ſi etiam, ſicut dicitur, dari à vobis anathema fictè ſuſpicantur: etiam jurejurando firmandum eſt, vos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuiſſe.* Quod S. Gregorius Patritiam iſtam privatim factitare jubebat; id egò facio his duobus libris publicè. Si, ùt ſolent, obtrectatores calumniis præoccupati, defenſionem ad aures & mentem non admittant; tum illud Domini ad me pertinere arbitrabor: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Simúlque Lectorem benevolum rogatum volo, ut hæc aurea D. Gregorii dicta alta mente mecum recondat: *Si fuerunt, qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent, quis rogo nunc Chriſtianus debet indignum ducere, pro Chriſto injurias audire? Quantæ autem virtutis præcurſor noſtri Redemptoris fuit, novimus, qui per ſacrum eloquium non ſolùm plus quàm Propheta; ſed etiam Angelus vocatur; & tamen ſicut mortis ejus hiſtoria teſtatur, poſt mortem à perſecutoribus corpus ejus incenſum eſt. Sed quid iſta de ſanctis hominibus dicimus? De ipſo Sancto Sanctorum, id eſt, de Deo, qui pro nobis homo factus eſt, loquamur, qui antè mortem, injuriam, quia Dæmonium haberet, audivit. Poſt mortem verò à ſuis perſecutoribus ſeductor appellatus eſt. Quanta ergo nos peccatores à lingua vel manibus iniquorum hominum portare neceſſe eſt, qui in adventu æterni judicis judicandi ſumus, ſi & ipſe tanta tam antè, quàm poſt mortem pertulit, qui & judex venit?*

Lib. 9. epiſt. 39.

Matth. 15.

S. Gregor. loco cit.

IN CALUMNIATOREM ANONYMUM.

QUid te poſſe putas noſtros depingere mores,
Duntaxat mores pingere docte tuos?
Deſine: Cecropias cùm fingit pica loquelas,
Semper Cecropias noſcitur inter aves.

Possis ut mores alienos scribere; mores
Vel dedisce tuos, vel priùs abde tuos.
Nam tua lingua cupit dum nostros prodere mores,
Incepit mores prodere lingua suos.

IN EUNDEM.

CUm tibi sit nomen nullum, cognomina nulla,
Optio sit, tribuas nomen ut ipse tibi.
Pseudolus esse cupis? sis Pseudolus. esse Dolonem,
Si lubet, esto Dolon. ψεῦδος *es atque* δόλος.
Si Romana juvant te nomina; Porcius esto,
Verres, aut Brutus, Bestia, Latro, Stolo.
Aut si, quod simile his, veterum relegendo libellos,
Videris appositum moribus esse tuis,
Usurpa intrepidè, ne sis sine nomine truncus:
Nam satis est corpus, quod sine corde geris.

INDEX CAPITUM.

Libri Primi.

CAP. I. *De Jesuitarum propagatione & prospero progressu.*
CAP. II. *De rationibus Jesuitarum agendi in communi.*
CAP. III. *De Jesuitarum cum summis Pontificibus agendi ratione.*
CAP. IV. *De Jesuitarum agendi ratione cum Prælatis.*
CAP. V. *De rationibus Jesuitarum agendi cum Clero.*

Libri Secundi.

CAP. I. *De ratione Jesuitarum agendi cum Principibus.*
CAP. II. *De rationibus Jesuitarum agendi cum Populo.*
CAP. III. *De rationibus Jesuitarum agendi cum Juventute.*
CAP. IV. *De rationibus Jesuitarum agendi inter se.*

LIBER

LIBER PRIMUS
DE
MODO AGENDI JESUITARUM
CUM PONTIFICIBUS, PRÆLATIS, PRINCIPIBUS, &c.

CAPUT I.

De Jesuitarum propagatione & prospero progressu.

A MOnebat veterum quidam, ut, si quò *pellis leonina* penetrare non possit, vulpina induatur, fraudi enim & dolo sæpè patere eò aditum, quò aperta vis pervenire frustrà nitatur. Hujus consilium tu quoque, in hoc tuo scripto, tibi sequendum putâsti: cùm enim videres, calumniis & criminationibus tuis, è vestigio fores occlusum iri apud eos, qui re & nomine *Catholici* censentur, astutè Catholici personam induisti, viámque tibi hac machina ad Catholicorum animos muniviſti; qui tamen, animadversa fraude, te magis detestabuntur, vel ob hanc simulationem; tanquam
B improbum impostorem. Verè enim ille: *Malus, ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.* Hæreticus, ubi Catholicum se simulat, tunc est perversissimus. Verè & illud idem vates: *Bonitatis verba imitari, major malitia est.* Dicam ego: Catholici titulum ementiri; major nequitia est. *Gravior enim fit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata velamine;* ùt rectè
C ait S. Ambrosius. Catholicus es; videlicet, ùt ille, qui *Rationale Jesuiticum* edidit, qui & ipse, quò chartas suas Catholici titulo vendibiliores redderet, Catholici hederam appendit. Sed quod aurito illi pecori, exuviis leonis exornato accidit, id & istis evenire consuevit: statim vel auribus, vel voce produntur, & Hæretici esse deprehenduntur, non sine jactura sua; nam *doli non doli sunt, ni astu colas, sed malum maximum, si id palàm fiat:* nec sine Catholicorum commodo: *Nam nota mala res, optima est.* Polypum imitaris, dum Catholici formam subis; ut, *quos vi obtinere non potes, circumscribas dolo, & fuco quodam artis obducas. Fraudulentum illud Polypi ingenium non præteribo*, inquit S. Am- D
brosius, *qui vadoso in littore petram nactus, affigitur ei, atque ejus nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine ulla suspicione fraudis allapsos, dum natando non præcavent, & saxum opinantur, cassibus furtivæ artis includit, & sine quodam suæ carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, & talibus capitur argumentis: qualia sunt eorum, qui ingenium suum sæpe commutant; & diversas nocendi artes movent.* Talis es tu Polypus, *speciem induens* orthodoxi, *ut, qui te audiunt aut vident, incauta facilitate se credant, eóque citiùs labantur, dum distinguere non nôrunt, nec cavere, quod noceat.*

Ambr. loc. cit.

Fingit calumniator se esse Catholicum.

S. Ambr. lib. 5. in Hexaem. c. 8.

Cæterùm quia Catholicus audire vis, & E
Catholicus etiam es, sed solo vocabulo; re autem, sententia, & professione Hæreticus; tractabo te nec ùt Catholicum, nec ùt Hæreticum; sed ùt Amphibium, seu, ùt Zoophytum, seu, si mavis, ùt Tragelaphum, hoc est, ùt Calvinopapistam, seu Papistocalvinistam, qualia monstra natale tuum solum procreare solet. Si & *ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfiet*, libet enim cum Tertulliano protestari de futuro: *Multa sunt sic digna revinci,* F
ne gravitate adorentur. Vanitati propriè festivitas cedit (hoc est debetur) *congruit & veritati ridere; quia lætans, de æmulis suis ludere; quia secura est.* Ego; ut tibi mentem meam explicem, mallem sanè te esse apertum, imò & natum hæreticum, quàm fictum Catholicum, & factum Hæreticum; sicut olim etiam Cassianus maluisset, ut Nestorianus, quem in libris de Incarnatione Christi, refutat, fuisset natus Hæreticus, quàm factus: *Nam minùs dolerem in malis editum, quàm de bonis lapsum: minùs fidem non habitam; quàm amissam: minùs veterem Hæreticum, quàm novum Apostatam; minus enim intulisses sanctæ Ecclesiæ vel labis vel pestilentiæ; minùs denique esses*

Tertull. lib. contra Valentin.

Cassian. lib. 6. de Incarnat. cap. 5.

Magis ferendus, qui semper Hæreticus, quàm apostata à fide.

A *vel acerbus ad dolorem, vel gravis ad exemplum, ſi popularis potiùs tentare, quàm ſacerdos Eccleſiam poſſes.*

B Sed nunc audiamus, & æquâ trutinâ expendamus tua verba. Ais ergo: *Lucè clarius eſt novum Jeſuitarum ordinem, ſummâ omnium admiratione, omnibus hominum ſtatibus atque ordinibus prævalere, perinde ac intelligentibus exoſum eſſe.* Res mihi erit, ùt videò, cum Ruffino aliquo, hoc eſt, cum implicato & intricato in verbis, ut de ſententia divinandum ſit & conjectandum. Quid ergo hîs tuîs tam tenebricosîs verbîs vis dicere? An Jeſuitarum Ordinem omnibus *ſtatibus prævalere*, hoc eſt, ſuperiorem eſſe? At mendacii ſtatim, vel ipſa luce clarioris, redargueris. Anne enim ſtatus noſter ſuperior eſt ſtatu Pontificio, Cardinalitio & Epiſcopali? An ſtatibus aliis & dignitatibus, quarum non paucæ in Eccleſia? An ſtatu aliorum Ordinum religioſorum? Quibus ut profeſſione par eſſet hic Ordo, attamen antiquitate, ſtatione, loco & gradu omnibus lubens C volénsque ſeſe poſtponit. An vis nullum unquam Ordinem tam longè latéque diffuſum eſſe, & tam brevi tempore tot Provincias adiiſſe, easdémque regiones, quas ſol luſtrat, luſtrâſſe? At ut id verum eſſet, certè non odii & obtrectationis, ſed amoris potiùs & laudis argumentum eſſet: neque enim ſine divino nutu fieri potuit, ut Societas hæc ad virtutis & religioſæ diſciplinæ amplificationem, & ad bonarum literarum propagationem nata, tam exiguo temporis ſpatio, tam felicibus incrementis adaugeretur: Nam hæreſes Lutherana & Calviniana, ad omnem licentiam & petulantiam, morúmque diſſolutionem effictæ, vix oras illas, in quibus exſtitêre, transſcenderunt; licèt alioquin vitium & improbitas, naturâ ſuâ multò faciliùs multiplicetur, quàm virtus, ſicut lolium & zizania, ſemper citiùs & uberiùs proveniunt, quàm ipſæ lætæ, hominúmque uſui accommodatæ ſegetes.

NumSocietas omnibus aliis ordinibus antiſtet.

D An vis Societatem Jeſu omnibus aliis ſtatibus *prævalere*, ita, ut ſecundùm illud: *Plus poteſt, qui plus valet*, omnes alios ſtatus opprimat & peſſundet? At quem ſtatum politicum oppreſſit? An non Imperator & Reges, Jeſuitis exortis, adhuc ſua ſceptra tenent? An non Principes, aliíque populorum rectores, & paſtores ſubditos ſuos adhuc ditione tenent? Et, ut ad Eccleſiaſticos ſtatus veniam, Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, aliíque Prælati Eccleſiaſtici hactenus nunquam nos accusârunt, aut de nobis conqueſti ſunt, quaſi noſtrâ violentiâ ſub jugum miſſi ſint. Jus ſuum ſingulis integrum conſtat; aut ſi nôſti vim alicui ſtatui aut gradui à noſtris allatam, ede nomen, dicámque ſcribe, & de vi E nos poſtula. Ais: *Luce clarius eſſe, omnibus intelligentibus hunc ordinem exoſum eſſe. Stultum eſt*, inquit ille, *objicere, quæ unicâ negatione poſſunt refelli.* Nego verum eſſe, quod ſcribis. Quomodo probabis? Nec plus, quàm negationem à me quisquam jure poteſt exigere, cùm *reſpondere accuſantibus*, ùt Lactantius auctor eſt, *in defenſione aut negatione ſola poſitum ſit.* Ut tamen ſingulis, quæ nobis objiciuntur, reſpondeam, *neque ſimpliciter ea negando* (quod olim metuebat Athenagoras) *riſu excipiar*, ab iis, qui, quid ſit reſpondere accuſantibus, neſciunt, reſpondeo: Si *intelligentium* nomine intelligas Calviniſtas, aut Calvinôpapiſtas, aut Lutheranos, aut alterius cujuscunque ſectæ Hæreticos (*quibus etſi eſt in appellatione diverſitas, tamen eſt in hæreſis pravitate conjunctio, & diſpar quidem nomen, ſed idem ſacrilegium*) tum non eo inficias, Ordinem hunc omnibus *intelligentibus* eſſe odioſum; hoc tamen contendo, hos *intelligentes*, eo ſenſu dici *intelligentes*, quô olim quidam Hæretici dicebantur *Gnoſtici*, hoc eſt, *cognoſcentes & periti*, cùm eſſent rudiſſimi & imperitiſſimi; Quidam, Cathari, hoc eſt, *mundi*, & *puri*, cùm eſſent immundiſſimi & impuriſſimi; Quidam Noëtiani, à mente & intelligentia, quaſi *intelligentes*, cùm eſſent ſtupidiſſimi, & quovis trunco hebetiores. Si ergo iſtos tuos nominas eadem antiphraſi *intelligentes*; itémque ea, qua nos Germani *fatuos* & *amentes* vulgò appellamus *Doctores*; tum aſſentior, palámque profiteor, Ordinem hunc, omnibus his *intelligentibus* odioſum eſſe & inviſum.

NumSocietas ſit omnibus invia.

Lactant. lib. 5. c. 4.

Athenag. Apolog. pro Chriſtian.

Quos nomine intelligentium intelligat Hæreticus.

L. Quicunque C. de Hæreticis.

F

G At ſi *Intelligentium* vocem uſurpes ea notione, qua ab intelligentibus uſurpari ſolet: tum affirmo, luce clarius liquere, omnibus *Intelligentibus* Ordinem hunc gratum & acceptum eſſe; & ſi qui reperiantur, alioquin intelligentes, qui minùs benigno in nos ſint animo, id inde provenire, quod inſtitutum noſtrum parùm intelligant: ſi intelligerent, non modò non odiſſent, ſed & impensè amarent. Hujus rei alium teſtem non laudabo, quàm experientiam, & hanc tantam, quam tu deploras Societatis propagationem. Si H enim *Intelligentes* intellexiſſent Ordinem hunc literis, probis moribus, & Catholicæ fidei ſacroſanctis ſcitis tradendis, conſervandis, ſerendis, & amplificandis non eſſe appoſitum, & apprimè utilem, utique eum nunquam tam paternè defendendum, ornandum & propagandum ſuſcepiſſent. Cæterùm cur Ordo noſter omnibus admirationi, tuis autem *intelligentibus* etiam inviſus ſit, duas cauſas reddis, *opes ſcilicet & honores, præclariſſimos*, ùt ais, *Reipublicæ flores.*

Ac

A At enim si probis admirationi sumus, certè propter opes & honores admirationi non sumus, sed (liceat vera fateri, quandoquidem ita cogit adversarius) propter virtutem & eruditionem, quæ in hac Societate claret, & ob singulare illud Dei patrocinium, quo cœpta hujus Societatis provehuntur. At improbis easdem ob causas odio sumus; non propter opes, quas nullas in specie possidemus, in communi autem, si quas habemus, illæ nec adeò immodicæ sunt, ut tantam admirationem vel invidiam ciere queant, nec magis ad privatum quemque pertinent, quàm bona totius Reipublicæ communia ad singulos cives. Honores autem præ cæteris eximios nullos admittimus, nisi fortè tam invidendus honos istis videatur, munus docendi in scholis & templis; quo honore non soli Ordinis nostri homines insigniti sunt; sed & alii, qui cathedras vel scholasticas vel Ecclesiasticas obtinent.

B Sed ut ipsum fontem opum nostrarum ostendas, *quorumlibet*, inquis, *parentum & cujuslibet cognationis adolescentes sibi abripiunt*. Non abripimus, sed petentes & volentes recipimus, nec fortunas ipsorum, sed ipsos quærimus, hoc est, virtutem & indolem disciplinis aptam, sive à fortunæ bonis instructi sint, sive secus. Satis nobis opulentus est, quisquis probus & ingeniosus est. *Virtus omnia in se habet*, ait ille, *omnia adsunt bona, quem penes est virtus.* C *Quot*, inquis, *à Pontificibus prælaturarum incorporationes, quot ab aliis religiosis Ordinibus monasteria & prædia; quot à reliquo clero per assistentiam principum decimationes; Quot vacantium bonorum confiscationes, quot adolescentum ab ipsis pellectorum hæreditates, quot piorum simplicium donationes & Eleemosynas, quot laborum, operæque veluti stipendia, ex seminariorum gubernatione, obtinuerunt? ita quidem per universum mundum opibus abundant, ut hoc in genere, vix sint ullo hominum ordine inferiores.* Tam verum est, quod his tuis interrogationibus subnectis, ut nullo negotio tria quatuórve notissima monasteria tibi nominare liceret, quorum quodlibet sigillatim, annuos proventus plures & ampliores habet, quàm omnia collegia, quæ in Provincia superioris Germaniæ incolimus, habemus autem in universum sedes tredecim, & incolæ non pauciores quinqua- D ginta supra trecentos censentur. Jam verò, si vel quatuor vel quinque hujusmodi monasteria simul cum reditibus nostris comparemus, tum fidenter affirmo, annuum vectigal, quod capiunt, grandius esse, quàm sint reditus omnium Collegiorum, quæcunque in Belgio, Rheno, superiore Germania, & in Austria exstruximus. Quàm ingens igitur mendacium tibi excidit, cùm Jesuitas opibus ita abundare scribis, ut *vix ullo hominum ordine sint inferiores?* Nónne infinitis partibus inferiores sunt Ordine Benedictino, Cistercienси, & id genus aliis? Testatur Trithemius, sua ætate, hoc est, ante centum viginti annos, in sola Provincia sua Moguntina exstitisse adhuc *centum & viginti quatuor* integras Abbatias, addítque; fuisse tempus, quo familia Benedictina habuerit *quindecim millia Abbatiarum*, præter *Præposituras* & minora cœnobia. Quid nostri reditus ad istos? E

Sunt non pauci, quorum singuli vel ratione officii, vel sacerdotii longè largiores proventus habent, quàm integrum Collegium; Quot enim reperire est Collegia, quæ vix mille aureos quotannis capiant: vel mille quingentos pro quindecim aut viginti personis alendis? cùm è contrario multos multi nôrint, ad quos, ùt dixi, seu ex officio, seu ex beneficio, bis, ter quater & amplius mille aurei in singulos annos redeant; nec hæc eo fine à me commemorantur, quasi cuiquam sua commoda invideamus, non adeò lividi sumus; sed ut demonstrem, istum criminatorem, nullum calumniandi modum facere, cùm scribit, nos vix ullius Ordinis hominibus, quoad divitias, inferiores esse. Quæso, G sumúsne ditiores Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, aut religiosis Familiis, quas antea recensui, & aliis, quas non recensui? sumúsne ditiores Imperatoribus? Regibus, Principibus, Rebuspublicis? nam & his gazas nostras præfers, *cùm*, ùt ais; *Jesuitæ divitiis vix ullo hominum ordine sint inferiores.* Et ne de solis Summatibus loquamur, superátne opulentia nostra opulentiam plurimorum, qui privatam vitam ducunt, nulláque vel generis claritudine vel officii dignitate præ cæteris sunt insigniti? lege, oro, quæ de immensis nostrorum in Gallia thesauris in Apologia adversùs Arnaldum, scriptis mandavit Franciscus Montanus. Adjunge & illa, quæ ipsimet Gallicani Jesuitæ de eodem argumento recensent in Apologia sua ad Christianissimum Franciæ Regem. Utraque Apologia Gallicè & Latinè exstat. Evolve, forsan commentum tuum agnosces.

Sed ut singula exempla tua excutiam, H & ex interrogationibus, quibus ea involvis, evolvam; *Multas*, inquis, *obtinent Prælaturarum incorporationes;* ita enim tu tricorporis Geryonæ frater loqueris: Addis tamen, *à Pontificibus.* Jure ergo eas obtinemus, quandoquidem voluntate & consensu summi Pontificis eas obtinemus, summi inquam Pontificis, cui in Ecclesiastica bona jus & facultas transferendi & per-

De opibus Jesuitarum.

Quo jure Societas possideat bona Ecclesiastica.

A permutandi ea, prout usus Ecclesiæ & animarum salus expetit. Quis vobis seu Calviniſtis seu Calvinopapiſtis, tot Prælaturas, quas occupâſtis, *incorporavit?* Tuis enim verbis utar, ut me intelligas, quis, nisi diabolus, pater & summus Pontifex vester?

B *Multa*, inquis, *ab aliis Ordinibus Religioſis Monaſteria & prædia obtinent.* At certè non tot, quot Calviniſtæ & Calvinopapiſtæ. Non tot, quot Lutheriſtæ, quos inter & nos, hoc etiam discrimen intercedit, quia nos, volente & annuente Pontifice, ea obtinemus, ùt ipse confiteris, ergo licitè. Edite vos vicissim titulum, qui probet, vos tot Monasteriorum & Monasticorum prædiorum non prædones, sed legitimos possessores esse, ut taceam hîc, quod Lermæo fusiùs expoſui: cùm quid ad nos transfertur, succedere Catholicos Catholicis, Religioſos Religioſis: at cùm vos bona Ecclesiastica invaditis, subire in locum piorum, impios: purorum, impuros: proborum, improbos, & sceleratos. Sed de translatione Monasteriorum infrà copioſiùs.

In Apolog. contra Lermæum Calviniſtam.

C *Multas*, inquit, *obtinent decimationes per aſſiſtentiam Principum.* At neque tot & tantas, quot & quantas Calviniſtæ per summam injuriam occupant, Clericis & Monachis summo scelere ereptas. Deinde, si ope Principum decimas habemus, si quas habemus; jure ergo illas habemus: quia Principes Catholici, nihil contra jus faciunt in hujusmodi donationibus & translationibus, cùm id non faciant, nisi graviſſimis cauſis impulsi, nec inconsulto Pontifice, si rem sua auctoritate transigere nequeant.

De decimis.

D *Multas*, inquis, *Adoleſcentum ad ſe pellectorum hæreditates obtinent.* At multò plures inter nos reperias, qui nihil hæreditatis attulerint, quàm qui attulerint, quandoquidem cuivis liberum est, ut suam hæreditatem relinquat, cuicunque velit, Societásque neminem cogat, ut quidquam Collegiis noſtris de fortunis paternis destinet. Quia verò ex hæreditatibus noſtrorum, adeò nos locupletatos credis, optarem mihi nominari aliquos, qui tam opimas hæreditates attulerint, quàm opimam attulit sanctus Gregorius Magnus, qui Monachus factus ex patrimonio suo septem monasteria condidiſſe & fundâſſe fertur. Sed ponamus, aliquot ad Societatem attuliſſe patrimonium decem, viginti, triginta aut quadraginta millium: quæso, quî hæc hæreditas tot & tantos locupleter? Quadraginta millia conficiunt quotannis duo millia, quot, ùt antea dixi, multi Ecclesiastici & sæculares ratione muneris, quo funguntur; vel ratione beneficii, quo fruuntur, quotannis percipiunt. Et divitiæ plus quàm Persicæ reputabuntur, si viginti aut plures incolæ ex hujusmodi censu sustententur?

De hæreditatibus.

E

F *Multas*, inquis, *obtinent piorum ſimplicium donationes & eleemoſynas.* Pii sunt, sed *ſimplices*, qui Jesuitis benignè faciunt; verùm judicio hominis duplicis, cui Ecclesiasticus his verbis benè ominatur: *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis* (quæ cum duplici corde semper conjuncta) *& manibus malefacientibus* (scribendo libellos famosos) *& peccatori terram ingredienti duabus viis*, more tuo, qui Calviniſta es & Catholicus. *Ditantur*, inquis, *ex eleemoſynis ſimplicium*: quia religioſis aliquid largiri, simplicitati adscribitis; at rapere & suffurari, quæ *ſimplices* illi religioſis donârunt, id videlicet, te judice, artis est & ingenii. Videris mihi, probare illam Plauti sententiam, quam Lactantius non injuria *deteſtandam* nominat: *Malè meretur, qui mendico* (Jesuitæ) *dat, quod edat, nam & illud, quod dat, perit, & illi producit vitam ad miſeriam.*

De donationibus.

Ecclesiast. 2.

Lactant. lib. 7. c. 2.

G *Laborum*, inquis, *operúmque veluti ſtipendia ex ſeminariorum gubernatione, & copioſæ juventutis convictu capiunt.* Cœptam instas viam, ùt video, semel mentiendi campum ingressus, alacri pede pergis, ut mihi meliorem frugem, & veritatis amantiorem mentem de te, progressu orationis, nequaquam polliceri possim. Omnî stipendiô nobis beatæ memoriæ Pater noster Ignatius interdixit hoc edicto: *Omnes meminerint, ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec poſtulando vel admittendo ſtipendium vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel confeſſiones, vel prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compensari videatur, ut ſic majore cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione in divino obſequio procedere.* Nec quidquam emolumenti redit ad Collegia ex convictorum domibus; sed si quid per rectam rei familiaris administrationem supereſt, id in usus ipsorum convictorum expenditur; itémque in sarta tecta domus; & in alia, quæ quotidie in numerosa aliqua familia occurrunt. Quod Gregorius Nazianzenus de se; hoc & Societas generatim, & quivis in Societatem adscriptus speciatim profitetur: *Melius est mihi mori, quàm ut gloriatio mea evacuetur, ac mihi promulgati Evangelii merces pereat, si hîc laborum meſſem fecero. Evangelii enim prædicatio neceſſitatis eſt: munificentia autem & laus in eo ſita eſt, ut gratis hoc munus obeamus.* Hæc ita sese habere, novimus non modò nos, sed & alii, qui propiùs res noſtras nôrunt, nec ignotum esse potuit huic Apoſtatæ.

Num ex Seminariis, quibus præeſt, Societas aliquid lucri capiat.

H

Nazianzen. orat. contra Maximum.

Ac

A At si id sibi notum esse dixisset, tum mendaciis ingenii sui exercendi materiem sibi præcidisset. Pergis: *Ad honores ipsorum quod attinet, primas ubique obtinent cathedras.* Non sumus ubique, quomodo ergo ubique primas obtinemus cathedras? Deinde plurimis locis, ubi degimus, primas cathedras nos non tenemus: testis Salmantica, Complutum, Patavium, Bononia, Lovanium, imò & ipsa Roma, ut alias Academias præteream. Accedit, quòd primas cathedras tenere, & legitimè sibi delatas acceptare, omni crimine vacat, alioquin nullus licitè eas teneret; at primas cathedras ambire, & non tam virtute & eruditione, quàm honoris cupidine eas quærere, id demum cuivis rectè datur crimini.

De honoribus Jesuitarum.

B *Vix*, inquis, *aliquem reperies, qui eosdem contristare aut eorum voluntati repugnare facilè audeat.* Nimis felices essemus, si id ita esset, & propè dixerim, Deo majores; cujus voluntati quot repugnare audeant, sine meo admonitu, satis, ùt opinor, intelligis. Quàm multi etiam eundem, tot sceleribus & flagitiis contristent, (quantum quidem in ipsis est) notius est, quàm ut multis verbis sit explicandum. Deinde, te solenne tuum hîc tenere, hoc est, mentiri, ipsemet probè animadvertis; si enim nemo nostræ voluntati repugnare audet, unde tot adversùs nos famosi libelli? Unde tot picturæ & sculpturæ? unde tot Prædicantium, Ministrorum, & poëtastrorum in nos maledicta, convicia, scommata & dicteria? unde tot obtrectationes, detractiones, & irrisiones? *Jesuitarum*, inquis, *favorem ad quælibet*
C *consequenda, necessarium sibi plerique existimare videntur.* Falluntur, qui ita existimant: sicut & tu falleris, dum plerosque ita existimare, seu joco seu seriò existimas. Quî enim *plerique* ita existimant, cùm plerique familiariter nobiscum non agant? & quî *plerique* ad quælibet consequenda nostro favore nituntur; cùm nec rationes conscientiæ, nec Religiosæ vitæ permittant, ut quemlibet ad quælibet consequenda juvemus? Quid si quis speret insulam, si purpureum galerum, si, quod amplius, triplicem coronam; si speret regnum, *principatum*, &, ut ad minora descendam, Dynastiam aliquam inferiorem, num Jesuitarum ad hæc omnia obti-
D nenda egebit subsidiô? Quòd si quis speret regnum cœlorum, & gloriam illam interminatam; non quidem nostro egebit favore, quandoquidem sine illo sempiternas illas opes nanciscì poterit, si tamen eo uti velit, non patiemur, nostras partes desiderari.

Cupio autem, ut mihi consocies ista tua

dicta; cùm ais, *plerosque Jesuitarum favorem, ad quælibet consequenda, sibi necessarium ducere, & ut eundem captent, honorem Jesuitis exhibere.* Et rursus: *Omnes Jesuitis infensissimos esse;* Fieríne potest, ut si omnes sint Jesuitis infensissimi; eosdem prensent, & tot honoribus cumulent? Tibi ergo aut in limine tui libri contradicis, aut plerosque hypocritas facis, qui aliud promptum in lingua, aliud in pectore conclusum circumferant; quomodo enim insignis simulator non est, qui eum, quem pessimis modis odit, prensat & affectatur? qui multas & magnas honoris significationes edit, qui denique aliud loquitur, & aliud sentit, ingentî pectoris & linguæ dissidiô?

E Contradictio adversarii.

In adolescentibus, inquis, *à majoribus suis avocandis, adeò sunt periti, ut nec seniores quoque plerique sibi ipsis tuti ab illis esse possint.* Nos à majoribus adolescentes non avocamus, sed Dominus tam parentum, quàm juvenum avulsos à stipendiis mundi ad sua castra vocat; ille, inquam, Dominus, qui dixit: *Veni separare hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suam.* Cui impediendo, nemo, licèt quâvis Sibyllâ annosior, satis peritus est: simul atque enim ignis ille, *quem venit mittere in terram*, exardere cœperit in intimis animi recessibus, morâ nullâ vocatos, & divino æstu calefactos retardare potest, quin ad vexillum Crucis evolent; licèt cacodæmon, ejúsque satellites hæretici, & pseudocatholici frendeant contra homines, qui vocantis aliquando duntaxat sunt organa.

F De adolescentibus in Ordinem nostrum adlegi solitis.

Matth. 10.

Verùm his commodius responsum non dabimus, quàm illud divi Ambrosii, quod dedit, cùm simili de re accusaretur: *Accusati*, inquit, *sumus, criminis autem invidia hæc est, quia suadeo castitatem; qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit.* (Nota hoc, Calvinopapista,) *Virginitatem, inquit, doces, & persuades plurimis. Utinam convincerer, utinam tanti criminis probaretur effectus, non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque utinam, me*
H *exemplis potiùs redargueretis, quàm sermonibus cæderetis.* Paulò pòst: *In me factâ conditio mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat, quod semper spectavit ad gratiam sacerdotum, jacere semina integritatis, & virginitatis studia provocare: quæro enim, utrum quasi improbum hoc, an quasi novum, an quasi inutile reprehendant: si quasi improbum, improba ergo sunt vota omnium, improba est vita Angelorum, quam gratia resurrectionis imitatur. Qui enim non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli in cælo: qui hoc utique reprehendit, resurrectionis vota condemnat.*

G S. Ambros. lib. 3. de Virginit.

A *demnat. Itaque improbum videri non potest, quod hominibus pro præmio constitutum est, nec potest ejus rei species displicere, cujus veritas & in fructu est, & in voto.* Habes ad tuam calumniam non meam, sed sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Ambrosii defensionem, qui pulcherrimè deinceps ostendere pergit, neque novum, neque inutile esse, ut homines ad castitatis, hoc est, ad religiosæ vitæ professionem incitentur.

B Quo consilio Hæreticus suum librum scripserit. Vanitas ejus.

Subjungis: *Hæc cùm ita sint, ac communi in Republica Christiana omnium admiratione, & insolita quoque animorum commotione non careant, operæpretium erit, ordinis hujus rationes, toti mundo, ad commune bonum Ecclesiæ, & bonorum omnium exponere.* Quasi verò ante tuas calumnias mundus nesciverit, quô artificio, & quibus mediis Jesuitæ, homines ad Deum, ad virtutem, & ad omnem honestatem adducant. An non docebant in scholis & templis? An non privatim versabantur cum cujusvis conditionis hominibus, antequam desertor iste
C cum veste religiosa frontem exueret? *Toti*, inquit, *mundo operæ pretium erit exponere, rationes ordinis hujus.* Multum tuis chartis polliceris; vanus augur; vix unus aut alter nescio quis calumnias tuas evolvit, aliisque perpaucis in angulis & gurgustiis evolvendas obtrudit; tantum abest, ut totus mundus arrectîs auribûs ad tuas criminationes adstet; nam librum Germanicum ex latino tuo versum, & ab hæreticis publicatum, si qui legent, Hæretici Germani legent, qui, ùt opinor, non sunt totus mundus, cùm tota Germania, cujus bona pars Catholica, non sit totus mundus.

D At lepidum est, quod ais: *Te hunc laborem cæpisse, incitatum desideriô promovendi boni Ecclesiæ.* Cujus, oro, Ecclesiæ, Christi, an Calvini? si Christi, tum certè Celsum quoque Epicureum, & Julianum Apostatam, boni Ecclesiæ Christi promovendi studiô, animum ad scribendum appulisse credam; mecúmque quivis æquus rerum arbiter credet. Si Calvini, tum non abnuo, te synagogæ illi præclaram operam navâsse, coronámque vel *muralem* vel *obsidionalem* meruisse, quam sine dubio Ecclesia Calvini tibi jam decrevit, aut propediem decernet, cùm tam feliciter explanáris, qua viâ & ratione Jesuitæ ad tantas opes & honores pervenerint, Ordinémque istum, ùt Neptunus Trojam, eximis fundamentis everteris; quod tamen dum facis, seponis interea Ecclesiæ auctoritatem: *Omitto*, inquis, *interea Ecclesiæ sanctæ confirmationem.* Rursus imitaris, *verba bonitatis*, quod ùt ille ait, *major malitia est.* Quid enim Ecclesiæ sanctæ vocabulo intelligis? An Ecclesiam Catholicam E
Romanam? An Calvini Ecclesiam, quæ per antiphrasin *Sancta* dicitur; sicut Furiæ Eumenides? Videris quidem, Ecclesiam Romanam intelligere. Sed quî tibi *sancta*, quam deseruisti? Si hæc sancta, ergo illa, ad quam te transtulisti, non est sancta: Quia Ecclesia est una, sancta, Catholica. Video tamen, te, dum hypocritæ personam insigniter agis, verum dixisse, seu gnarum, seu ignarum: *Omitto*, inquis, *dum Societatem Jesu oppugno & traduco, Ecclesiæ sanctæ confirmationem.* Verè omittis, hoc est, spernis & vilipendis; quia si Ecclesiam sanctam, vel unius assis æstimares, quo ore oppugnares Ordinem ab Ecclesia sancta tot diplomatis approbatum, & confirmatum, tótque privilegiis exornatum, Ordinem, ipsius Ecclesiæ judicio, Ecclesiæ fructuosum & utilem, & iisdem, quibûs Ecclesia finibûs circumscriptum?

Ecclesia, inquit, *ùt de apertis tantùm* F
judicat, quæ ab illis apertè proponebantur, ita etiam tantùm confirmavit ea, quæ à Jesuitis apertè proponebantur, legem nimirum charitatis, ad quam se omnia composituros recipiebant, studium scientiæ, & curam salutis proximorum promovendæ. At modos opes corradendi, honores ambiendi, juventutem seducendi non approbavit Ecclesia. Ergo institutum nostrum, ùt video, & media juvandi proximi, quibûs utitur, non oppugnas; quia hæc omnia ab Ecclesia sancta approbata & confirmata sunt. Itaque tantùm abusus quosdam, seu potiùs vitia, eversum & oppugnatum is, *avaritiam* videlicet, *ambitionem, & juventutis seductionem.* Cæterùm hîc aliud loqueris, aliúdque G
tus tuus liber loquitur & agit; qui non abusus & vitia quædam inspersa, sed ipsum, ut ita dicam, Societatis jugulum petit. Secundò, si de nævis quibusdam duntaxat laborabas, cur non ordine charitatis servato, priùs nos privatim commonuisti, ùt jubet Christus, cùm legem Matth. 18.
fraternæ correctionis tradit? Si monendo nihil profeciſſes, tum dicere licebat Ecclesiæ, sed Catholicæ, non hæreticæ, tum libellum scribere poteras, & offerre Ecclesiæ Præsulibus, non calendariorum & mendaciorum, nescio, cui opifici, & scatophago Machaoni, aliisque sectariis, qui libellum tuum in Germanicam linguam converterunt, & sub nomine commentitio cujusdam *Georgii Heckelii* publicârunt.

Tertiò, si Catholicus esses, non fuge- H
ret te, quàm sub prætextu *abusuum* & *vitiorum*, quæ irrepserint, multa millia Monasteriorum & religiosarum Ædium sustulerint Novatores; & quàm vanè abusus prætendant, ut Deo dicatas familias funditùs

A ditùs evertant. Debebas ergo hanc rationem nos oppugnandi vitare, ne prudentiores ſuſpicarentur, te ſub abuſu, tanquam ſub teſtudine, ad ipſa Societatis noſtræ fundamenta ſubruenda adrepere velle; more aliorum hæreticorum; neque vulgo levi danda erat occaſio, ut rem cum rei vitio, uſúmque cum abuſu præpropere, ùt ſolet, damnaret: quippe quod aut neſciat, aut nolit, inter uſum & abuſum, rémque ipſam & vitium adventitium diſcernere; ſolitum, dum vitem putat, radicitùs eam excindere.

B Quartò, ſat manifeſta documenta edis, qui ſis, & quid moliaris, ſcilicet ob gazas Perſicas, ob honores immenſos, ob juventutis depravationem, nos tot conviciis inſectaris. Hæreticorum iſta cantilena eſt. Vox tua profeſſionem & mentem tuam arguit. Hæretici opes Midæ aut Crœſi nos poſſidere ſomniant; quia etiam modicæ illæ facultates, quas patronorum noſtrorum munificentia & liberalitate poſſidemus, nimiæ ſunt, eorum judicio, qui fame & egeſtate enectos nos diſcupiunt. Hæretici, cùm vident, adhuc reperiri, qui nobiſcum honorificentiùs agant, quàm ipſis placeat, immensîs honoribûs nos cu-
C mulari exclamant. Hæretici, cùm vident, nos, juventutem litteris & bonis moribus informare, & aliquando conſiliîs noſtrîs eò adducere, ut rebus mortalibus valedicant, portúmque Religionis ſubeant; vociferari ſolent: juvenes à nobis *depravari*, *ſeduci*, *circumveniri*. Ergo quorum voces imitaris, eorum etiam nomen ne perhorreſcas. Quod es, id & eſſe, & dici velis. Ut tua vita, quam vivis, taceret; at chartæ iſtæ hæreticum te eſſe, planum teſtatúmque facerent.

D Quo fundamento res Societatis nitantur. Videndum eſt, inquis, *quibus fundamentis hic rerum progreſſus nitatur*. Si de progreſſu & propagatione Societatis loqueris, aliô fundamentô non nititur, quàm divinæ benevolentiæ propitia aura. Si loqueris de progreſſu ad *immenſas opes, honores, juventutisque depravationem*, nullô aliô fundamentô nititur hic progreſſus, quàm fanatico tuo, tuíque ſimilium calumniatorum cerebrô; fictitius enim totus iſte progreſſus eſt, & excogitatus ab his, qui nos perditos volunt. Addis, *ſi communi ratione religionis niteretur, æqualis eſſet aliorum religioſorum conditio. Si communi pietatis aut doctrinæ fundamento, neque hæc aliis ordinibus deſunt*. Cauſa, cur unus Ordo aliis magis multiplicetur, non eſt præcisè ipſa religionis ratio, alioquin omnes omnino Ordines parî incrementô amplificarentur: ſed cauſa vel in modum Ordinis illius, rationémque vivendi, &

E in plura media procurandæ ſalutis proximi, quibûs utitur, vel in ſingularem Dei benevolentiam, vel in multitudinem piorum, qui hujusmodi Ordinem amplectuntur ipſi, aut erectîs & dotatis domiciliîs ad ſeſe advocant, vel in hæc omnia ſimul referenda eſt. Easdem ob cauſas vel omnes vel aliquas, fit, ut unus Ordo hominibus quoque gratior ſit & charior, quàm alius: útque majorem exiſtimationem de hoc, quàm de illo concipiant, útque hujus profeſſores plùs, quàm alterius ſuſpiciant, revereantur & venerentur.

F Quæ cauſa ſit, cur noſter Ordo, tam brevi tempore, tantîs ſucceſſibûs excreverit, & tam multitudine hominum, quàm opinione & fama virtutis & eruditionis adauctus ſit, meum non eſt dicere, aut ſi dicam, nihil aliud, quàm illud Davidis dicam: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Totum iſtud beneficium ad originem ſuam, unde proceſſit, remittam, ad divinam videlicet gratiam & clementiam, quæ, his noviſſimis temporibus, per Ignatium, huic Societati, inter familias Dei minimæ hanc gratiam contulit, ut gratiam inveniret in oculis Eccleſiæ, & quidem tantam, quantam invidi Eccleſiæ hoſtes capere & concoquere nequeunt. Itaque non eſt, quòd à me expectes reſponſum, quod hîc tibi ipſe fingis: *Dicent fortè illi*, inquis, *hæc propria ſuæ religionis, pietatis ac doctrinæ ratione niti.* Nemo noſtrûm hanc noſtram felicitatem pietati & doctrinæ noſtræ adſcribit. Nemo pius & doctus tam magnificè ſeſe circumſpicit, criſtásque adeò erigit. Nemo pietatem & eruditionem, propriam noſtræ Religionis eſſe aſſerit. Floruit pietas & eruditio in aliis Ordinibus, antequam nos naſceremur, & floret adhuc, florebítque in dies magis, licèt inferorum portæ & copiæ gemant & fremant.

Pſalm. 113.

G

H Sed cur pietas & eruditio Societatis, non ſit cauſa tam proſperi ſucceſſus, aliam tu cauſam reddis his verbis: *Qui inter ipſos religionis ſuæ obſervantia, pietate, & doctrina excellentiores ab ipſis quoque judicantur; ad progreſſum hunc, de quo loquuntur, & ad ipſorum uſum, & ad gubernationem minùs idonei cenſentur.* Non utar multis ambagibus, ſed *ficum*, nominabo *ficum*, & *ſcapham*, *ſcapham*. Mentiris, pſeudocatholice. Nullos ad uſus noſtros aptiores judicamus, quàm qui obſervantia regularum, pietate & doctrina maximè excellunt. Nulli magis Societatis commoda propagant, nulli plus emolumenti proximo afferunt; nulli electiora & magis appoſita divinæ actio-

A actionis inſtrumenta ſunt; quàm qui obſervantia Regularum, pietate & doctrina maximè excellunt; Nulli Societati hoc, quidquid habet vel nominis, vel auctoritatis; magis conciliârunt, aut adhuc conciliant, quàm qui obſervantia Regularum, pietate & doctrina maximè excellunt.

B At tu mendacium mendaciô probas: *Argumento*, inquis, *eſt, quòd ex primis illis decem, qui ordinem hunc erexerunt, nonnullos, ac alios quosdam profeſſos, omnium opinione, viros integerrimos, ad conſultationes & congregationes non admittant.* Quamdiu ex primis illis decem Patribus aliqui ſuperſtites fuerint, jus habuerunt, venienti ad Congregationes totius Societatis, quas *Generales* nominamus. Quilibet item, tanquam Profeſſus jus habuit, ut intereſſet Congregationi ejus Provinciæ, in qua degebat; quod jus cuivis adhuc quatuor votorum Profeſſo integrum manet, niſi quod non ita pridem ſancitum eſt, ut Profeſſorum numerus 40. vel 50. numerum non excedat, quando ad Provincialem Congregationem convenitur, ita ut profeſſione antiquiores antecedant recentiores, ſi plures ſint, quàm quadraginta aut quinquaginta. Quid ergo tu fabularis de primis Patribus, aliísque multis Profeſſis, *viris integerrimis*, excluſis à Congregationibus & à conſultationibus?

Qui admittantur ad Congregationes Societatis.

C Nam quòd ad Congregationes Procuratorum, vel etiam Generales, non admittuntur omnes Profeſſi, quicunque ſunt in Societate, vel etiam Romæ; id ideo fit, tum quia contrarium fieri nequit; quomodo enim omnes Profeſſi Romam proficiſcerentur? tum, quia hoc, quod fit, ita à Patre noſtro Ignatio in Conſtitutionibus præſcriptum eſt, cujus veſtigiis inſiſtemus, licèt tu, cum tui ſimilibus malè contentus murmures. Tum denique, quia ex Profeſſis, ipſorum Profeſſorum ſuffragiis, eliguntur, qui Romæ Congregationibus interſint; ita ut illi, qui mittuntur, ſint quaſi ſingulorum Vicarii. Non ergo æquum, ut quis ſe excluſum queratur, cùm admittantur illi, qui locô omnium legantur, omniúmque vice funguntur.

D Quare calumnia eſt, quod ſcribis: *Aliquos ex primis Patribus, aliósque Profeſſos, viros integerrimos, velut inutiles, & nimis ſimplices fuiſſe excluſos.* Nullus enim excluditur, qui legitimè ad hoc, ut Congregationibus interſit, eligitur, quicunque ille ſit: Si non eligitur, non excluditur, quia non cupit intereſſe, cùm ſui muneris non ſit intereſſe. Excludi autem is dicitur, cui volenti aliquò pervenire, ſeu jure, ſeu injuriâ, aditus occluditur: nam ſi nec cupias nec tentes alterius ædes ingredi, non excluderis, licèt alter fores obſeret. Quòd E ſi quis non electus intereſſe conaretur, jam *vir integerrimus* non eſſet, & tum diceretur *excluſus*; ſed excluſus jure optimo, cùm ſe eò loci ingerere velit, quò licitè nec poteſt, nec debet.

Pergis: *Aliis igitur practicis factiunculis,* F *ſeu aſtutiis quibusdam rem totam niti, ipſorum quoque loquendi modus indicat.* At quis iſte modus loquendi, ex quo tam argutè conjicis, Societatem noſtram non niti divinâ gratiâ & benevolentiâ, ſed *practicis quibusdam*, ùt ais, *factiunculis? Ubi nonnullos viros*, inquis, *apprimè religioſos, pios & doctos ad res ſuas intimè tractandas non admittunt, aliam rationem non adhibent, niſi quòd nimis ſimplices illos eſſe aſſerunt.* Falſum ſcribis; Si qui non admittuntur ad Congregationes, cauſa eſt, quia nec Profeſſi, nec Superiores ſunt. Quando in numerum Profeſſorum aut Superiorum allegentur, tunc admittentur. Qui autem non admittuntur ad Congregationes Generales, vel eas, quibus ſingularum Provinciarum Procuratores conveniunt, propterea non admittuntur, quia à Profeſſis & Superioribus ſuæ Provinciæ ad id deſtinati non ſunt; & cauſa, cur deſtinati non ſint, non eſt *ſimplicitas*, ſi ſunt *viri apprimè religioſi, docti & pii*, ùt ais: ſed quia fortaſſis alii ſunt religioſiores, doctiores, pietate præſtantiores & aptiores ad hoc munus; vel certè æquè religioſi, docti, pii, apti.

Sed jam notionem ſimplicitatis nobis G explicas. *Simplices*, inquis, *illos vocant,* Qui vocentur ſimplices. *non quidem ſimplicitate, quæ prudentiæ opponitur; nam præterquam, quòd ipſi non ſolent ſtultos ad Societatem ſuam admittere, tanta, quanta in illis eſt, religio, pietas & doctrina non poteſt eſſe ſine prudentia. Superest igitur, ut ſimplices intelligant ea ſimplicitate, quæ aſtutiæ opponitur.* Primùm, ſi quos unquam pios & doctos audiviſti vocari *ſimplices*; forſan eo ſenſu nominabantur tales, quo Job, & Jacob Patriarcha, Job, 1. Geneſ. 25. *viri ſimplices* in Scriptura nominantur, quales Servator noſter deſiderat, cùm jubet, ut *ſimus prudentes ſicut ſerpentes, &* Matth. 10. *ſimplices ſicut columbæ.* Si duplex non eſſes, occaſio hanc ſimplicitatis appellationem ſanctè explicandi tibi non defuiſſet, cùm divinæ literæ, præſertim Salomonis ſcripta, ſimplicitatem iſtam miris laudibus extollant.

Secundò, ne te diu diſtineam, néve H peram, quod te improbitas præſtare non ſinit, ſi qui *pii, apprimè religioſi & docti* vocantur *ſimplices*, non adimitur eis laus *particularis prudentiæ*, quæ procul dubio in quovis pio, religioſo & docto viro ineſt, unà

A unà cum annexis ſpeciebus: ſed laus prudentiæ gubernatricis, cujus una ſpecies *legislativa* ſeu *regnativa* appellari ſolet, cui tanquam adjutrices *Eubulia*, *Syneſis* & *Gnome* famulantur, virtutes diſtinctæ ab iis, quæ eodem nomine ad *prudentiam particularem* pertinent. Hac prudentia ad gubernationem ſpectante, bonúmque ſubditorum intuente, luce clarius eſt, multos apprimè *religioſos*, *pios* & *doctos* non eſſe præditos, vel quia nunquam elaborârunt, ut in hac virtute excellerent, Theoriæ potiùs, quàm actionis, bonum publicum tractantis, ſtudioſi: vel quia natura donum hoc eis negavit: nam ùt eadem tellus non fert omnia, ita nec eadem indoles omnia fert: non ſunt omnes Neſtores, aut Ulyſſes. Quidam ſpeculatione valent, quidam praxi, eáque circa bonum publi-

B cum, aliósque regendos & dirigendos occupata. Quid multa? *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Quare commentum tuum eſt, ſimplicem à nobis vocari eum, qui careat aſtutiâ. Simplex vocatur, ſi quis *pius*, *apprimè religioſus* & *doctus*, hoc nomine apud nos vocatur, qui donô gubernandi & conſultandi caret, nec quidquam ideo de laude ejus detrahitur, quia nemini unquam, alioquin, ùt tu loqueris, *apprimè religioſo*, *pio* & *docto*, crimini datum eſt, quòd conſilio vel gubernandi peritia non valeat, imò apud Religioſos benè ſubeſſe & juſſa capeſſere, majoris virtutis cenſetur, quàm benè præeſſe, & mandata aliis edere, & ipſe ſtatus religioſus ſtatus humilitatis & ſubjectionis eſt, & ſi rerum natura, humanæque conditionis modus ferret, nullus præeſſet, ſed omnes pari

C jure viverent. Quia tamen quælibet familia corpus eſt, oportet, ut caput habeat, ne ſit corpus monſtroſum: oportet, ut membris ſit diſtinctum, ne ſit rudis indigeſtáque moles. Aſtutiâ, quæ vitium quoddam eſt prudentiæ per exceſſum oppoſitum, neque nos, neque noſtra ſuſtentamus, & illos *ſimplices*, qui hac aſtutia carent, maximè prædicamus & extol-

De Aſtutia. limus, quia, ùt Philoſophus inquit, *aſtutia & aſtutus, non eſt prudentia neque prudens.* Etſi aſtutiam illam non refugimus,

Ariſtot. l. 1. magnorum Moral. cap. 33. de qua Sapiens Proverb. 1. *Ut detur parvulis aſtutia.* Et S. Paulus: *Cùm eſſem aſtutus, dolô vos cepi.* Hæc & id genus alia

2. Cor. 12. S. Thom. 22. q. 47. & ſeqq. non ignorâſſes, ſi vel quæſtiones S. Thomæ de prudentia, vel 6. Ethicorum, &

D alia monumenta Ariſtotelis evolviſſes. Porrò quod ais, *ſtultos à Jeſuitis non admitti*, optarem, ut ſaltem te excepiſſes; quia, quando admiſſus es, aut ſtultus eras, aut ſtultus futurus eras. *Perinde*, inquit, *faciunt, quaſi dicant, ad hanc rem idoneos non eſſe, niſi factioſos & aſtutos.* Imò nulli magis ad propagationem Societatis inepti ſunt, quàm *factioſi & aſtuti.* Si enim E *factioſi* ad nullius boni amplificationem conducunt, quomodo ad bonum religionis promovendum conducerent? cùm *factioſi* nihil aliud, quàm lites & jurgia ſerant, imò & omnibus ſuis conſiliis nihil aliud ſpectent, quàm ut jurgia excitent, & excitata alant. Quis factioſus ulli Reipublicæ unquam profuit? Neque *aſtuti* bono Societatis promovendo apti ſunt, quia ſimulatè agunt, quicquid agunt. At verum & ſolidum bonum, quale bonum Societatis, non conſtat ſimulatione & aſtu. Nemo eorum, qui ad Societatis clavum ſedent, ſibi non dictum putat illud Apoſtoli: *Non ambulantes in aſtutia, neque adul-* 2. Cor. 4. *terantes verbum Dei.*

Necdum de aſtutia finem facis, aſtuto F ſanè, hoc eſt, Calviniſtico, vel minimùm Calvinopapiſtico conſilio. *Conſtat*, inquis, *illos, qui apud ipſos rem obtinent, aſtutiâ magis quàm religione, pietate & doctrina, aut virtute ſolida excellere.* Quibus conſtat? nobis certè hoc non conſtat, ſed contrarium; Dignum autem admiratione eſſet, ſi vobis magis conſtaret, qui nos regant, quàm nobis, qui regimur. Si ullo in Ordine opera datur, ut *aſtuti* & *verſipelles* ab adminiſtratione rerum repellantur, in hoc profectò Ordine vel maximè opera datur, ubi nulli minùs ad hoc officium, quàm aſtuti & vafri apti ſunt: virtutibus, & quidem ſolidis, pietate & religione eos excellere oportet, quicunque in hac Societate aliis præficiuntur; ubi ingenia, naturâ & cultû tam diverſa: ubi amore potiùs, quàm rigore duci & regi volunt. Si usquam difficilis eſt gubernan- G di provincia & ſummæ prudentiæ indiga, in Societate difficilis eſt, & prudentia vel inprimis eget. *Cùm difficile ſit, ſcire parere*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *tum multò difficilius eſſe videtur, hominibus imperare, ac præſertim in hoc noſtro Imperio, quod in lege divina verſatur, hominésque ad Deum ſubvehit; cujus, quò ſublimius eſt faſtigium, majórque dignitas & amplitudo, eò gravioris quoque periculi metus impendet prudenti utique homini & cordato.* Superiores noſtri ad ejus ſimilitudinem accedunt, quem hîs verbîs deſcribit S. Gregorius: *Nam neque ab eo, cui hæc cura commiſſa eſt,* H *hoc ſolùm requiritur, ut à vitiis alienus ſit, (quod ſubditorum quoque plerisque turpiſſimum eſſe cenſent) verùm etiam, ut virtute præcellat, juxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere jubemur. Nec ſatis habere debet, vitioſas animæ formas obliterare, niſi meliores quoque notas ipſis ſubſtituat, vitæque integritate magis, quàm dignitate atque auctoritate præſtet, nec modum ſibi ullum honeſtè vivendi, & in virtute progrediendi conſtituat, nec lucro potiùs id, quod*

Munus gubernandi difficile. S. Gregor. Nazianzen. Apolog. 1.

A *quod complexu tenet, quàm detrimento id, quod effugit, deputet.* Hæc Nazianzenus.

De Epilogo præfationis

Nunc tecum accedamus ad Epilogum præfationis tuæ, tam elegantem, quàm elegans est totus tuus libellus, qui præ elegantia Solœciſmis & Barbariſmis ubique ſcatet, ut non mirer, te in Germania non didiciſſe ſapere, cùm ne loqui quidem didiceris, licèt alioquin & ſapiendi & loquendi optima magiſtra ſit Germania. *Eſto igitur*, inquis, *Ordo iſte in admirando ſuo progreſſu practicis factiunculis & aſtutiis nititur.* Conſtruat tua verba, & coagmentet, qui volet, & cui plus otii, quàm mihi; ego te nolim docere loqui, opera inani, cùm non ſapias, quia fons benè loquendi eſt benè ſapere. *Eſto*, inquis, *Ordo iſte nititur practicis factiunculis;* Quas *practicas factiunculas* ſomnias tu tuis *mendaciunculis?* nolim enim dicere *mendaciolis*, ne à rhythmo diſcedam. Si *factionibus* niteretur hæc Societas, jam dudum collapſa eſſet, ad ſolis Ortum & Occaſum, ad Septentrionem & Meridiem non perveniſſet. Vidiſtíne unquam familiam, vel ſectam aliquam, factionibus nixam amplificari, & dilatari? An ignoras tritum illud: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ,* hoc eſt, factione & factiunculis, *dilabuntur:* Ubi cerebrum tuum, ô Calvinopapiſta, quando hæc & ſimilia ſcribebas? Fortè ad ultimam Thulen peregrinatum miſeras. Fortè cum Dracone Britannico in novam Hiſpaniam & Americam trajecerat. *Cùm igitur aſtutia*, inquis, *nihil ſit aliud, quàm ratio agibilium non recta, ubi oſtenderimus, quibus rationibus boni iſti viri in agendo utantur, ſatis de illorum fundamentis mundo & Eccleſiæ conſtabit.* Certè ex hoc tuo ſcripto de tuis mendaciis & calumniis, de tua tam effronte fronte, de tuo tam excorde corde, plus quàm ſatis, mundo & Eccleſiæ conſtabit. Deinde, obſecro, quis ita definivit aſtutiam, ut diceret, *eſſe rationem non rectam agibilium?* ſi hæc definitio proba eſt, tunc *ſtultitia*, *inſipientia*, *imprudentia* & *ignorantia* erit aſtutia, quia quævis harum eſt *non recta agibilium ratio.* Lege, oro, D. Thomam, aut Ariſtotelem, qui te aſtutiùs de aſtutia verba facere docebunt.

S. Thom. 2. 2. q. 55. artic. 3. 4. & 5.

D Quod ergo benè vertat, ad finem Proœmii tui venimus. De cætero veſtigia tua fideliter ſubſequemur, in tuis ſignis ſigna noſtra ponemus, videbimúsque, quomodo nos agere mentiaris cum Pontificibus, deinde cum Prælatis, poſtea cum Clero, Principibus, Populo, Juventute, & mutuò inter nos, ducto initio à ratione noſtra agendi in communi, quæ tibi in generali propoſitione, aut per incuriam, aut per oblivionem excidit. Etſi ſtatim pòſt incidit, ùt ex inſcriptione ſecundi capitis liquet.

CAPUT II. E

De rationibus Jeſuitarum agendi in communi.

ITa hoc caput inſcripſit calumniator, ut à calumniis in genere deferatur poſteà ad calumnias in ſpecie. Ais: *Hierarchico Eccleſiæ ordini hactenus ſacris legibus ex longo uſu conſtituto, boni iſti viri minimè favere videntur.* Occurrit mihi vulgatum illud proverbium, ab Athenagora quoque uſurpatum: *Meretrix pudicam.* Quæſo te, quis magis favere videtur Ordini Hierarchico, illíne, qui Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Religioſos, & alios ad Eccleſiaſticam Hierarchiam pertinentes, in templis & ſcholis, publicè & privatim, verbô & ſcriptis libris acerrimè defendunt; qui diſciplina ſua & inſtitutione, innumeros Epiſcopos, Presbyteros, alios Clericos & Religioſos perpetuò formant? An illi, qui & verbis & ſcriptis, & ubicunque per vim licet, facto ipſo Hierarchicum Eccleſiæ Ordinem lacerant, opprimunt, & ita peſſundant, ut ne veſtigium quidem ejus amplius ſuperſit? Prius faciunt Jeſuitæ, poſterius tui Calviniſtæ, Calvinopapiſtæ, Machiavelliſtæ, Politici, & cæteri hujus claſſis.

Athenag. Apolog. pro Chriſtianis.

F Num Societas favear Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

G *Videntur*, inquis, *Hierarchico Ordini minimè favere.* At quibus videntur? Tibi, opinor, tuíque ſimilibus, quos paulò antè nominavi, quorum judiciô favere Hierarchico Ordini, eſt non favere; & non favere, eſt favere, ordine præpoſtero, quem vos homines præpoſteri valdè amatis. Sic paſtor non videtur favere ovibus, ſed judicio lupi. Gallina *congregans pullos ſuos ſub alas*, non videtur favere ſuis pullis, ſed judicio rapacis milvi. Verùm ne temerè aſſeruiſſe videaris, nos Ordini Eccleſiæ Hierarchico minimè favere, probas aſſertionem ratione tanti pretii, quanti eſt ipſa aſſertio. *Nulli*, inquis, *Ordini, niſi ubi è re ipſorum fuerit, debitum honorem & reverentiam exhibent.* Gravis accuſatio, H ſed tam falſa, ut ab ea totus Hierarchicus Eccleſiæ Ordo libentiſſimè nos, concordi ſententia, ſit abſoluturus. Cùm antiquis Chriſtianis ab Ethnicorum vulgo per calumniam objiceretur, quòd Imperatorem Romanum deſpicatui haberent, debitáque obſervantia non colerent, provocat Tertullianus ad divinas literas: *Inſpice*, ait, *Dei voces, literas noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum eſſe nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris bona precari.* Pari jure poſſem & ego provocare ad ſacram Scripturam, in qua nobis præcipitur, reddite omnibus debita,

Tertullian. Apolog. cap. 31.

Rom. 13.

cui

A *cui honorem, honorem.* Possem provocare ad Regulas & Constitutiones nostras, quæ nobis idem gravissimè mandant. Possem provocare ad ipsum Hierarchicum Ecclesiæ Ordinem, qui præstitæ sibi à nobis reverentiæ & observantiæ, non gravatè testimonium nobis daret: sed non utar his defensionibus; utar ea, quam tu mihi ultrò subministras. Ais, *nos aliis Ordinibus non exhibere debitum honorem & reverentiam, nisi quando est è re nostra.* At semper è re nostra est, ut aliis Ordinibus debitum honorem & reverentiam exhibeamus: semper igitur aliis Ordinibus debitum honorem & reverentiam exhibe-
B mus. Hîc quò te vertes, oro? An negabis *majorem?* Lubet enim paululùm Philosophari. At tu eam ore tuo pronunciâsti. Tu tua manu chartæ commendâsti. An negabis *minorem?* At stultitiæ notam tibi inures, si neges: nam facere id, quod lex naturalis, divina & humana jubet, semper est è re nostra, sempérque emolumentum longè maximum affert: at aliis Ordinibus debitum honorem & reverentiam exhibere, jubet lex naturalis, divina & humana; semper igitur è re nostra est, aliis Ordinibus debitum honorem & reverentiam exhibere.

C *Non sunt*, inquit, *contenti locô suô, ultimò nempe genitorum.* Griminationem hanc refellit epithetum, quô P. Ignatius Societatem suam insignivit, vocavit enim *minimam.* Si minima est, ortúque postrema, minimô igitur & postremô locô contenta erit. Si non, cedo, quem Clericalium aut Monasticorum Ordinum de loco suo dejecerit. Quis stationem, quam ante Jesuitas natos tenebat, jam non tenet? Quòd si Jesuitas ultimô locô, tanquam ultimò genitos, non ais, esse contentos propter opinionem virtutis & eruditionis, quam nonnulli de illis conceperunt, iniquè agis, quia penes Jesuitas non est, ut ipsi cujusvis opinionem impediant. Sæpè fit, ut minor præferatur majori; non olim tantùm, sed & jam minor Ephraim præponitur Manasse, & Jacob pluris fit, quàm Esau, & David pluris, quàm fratres ejus, similiter & Joseph; ùt & Benjamin ab ipso Josepho. Erat Josephus post Ben-
D jamin, & tamen plus cæteris diligebatur à patre. Ex fratribus suis nulli plus benevolentiæ Joseph exhibuit, quàm Benjamin, de quo Scriptura: *Major pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Et tamen, quod ad locum attinet, *Sederunt coram eo primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam.* Quid si & hîc idem fiat, ut quamvis Societas minima sit, & juxta *ætatem suam sedeat*, magis tamen æstimetur, quàm alii natu grandiores. Non dico, id accidere, sed tamen, quia Pseudocatholicus iste, & alii
E Hæretici existimare videntur, id accidere, tantùm moneo, nihil esse causæ, cur adeò admirentur, cùm non semel evenerit, ut minimus ætate, prior fuerit fama & existimatione. Nec frustra dictum illud: *Erunt novissimi primi.* Item & illud: *Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi.*

Matth. 20.

F *Inter cives*, inquis, *Sanctorum & domesticos Dei, malunt potiùs, ùt hospites & advenæ, delicatiùs tractari.* Malè & insipienter mallent, si mallent: at non malle eos, argumento est, quod ùt suprà testatus es, Jesuitæ *stultos* & *insipientes* in suam Societatem non recipiunt. Quô fit, ut in eos tanta stultitia non cadat, ut malint esse *hospites & advenæ*, quàm cives *Sanctorum*, & *domestici*, & filii. Quis enim humaniùs, benigniùs & liberaliùs tractatur, quàm domesticus & filius? Et quamvis hospes aut advena aliquando, uno vel altero die, lautiùs & amiciùs accipiatur, quàm civis aut domesticus; illa tamen lauta & amica, & opipara tractatio, paucis diebus terminatur; cùm hospes eo loco stabilem sedem non habeat; aut si sedem figat, jam hospes in incolam migret. Ut taceam civem & domesticum, spe commodorum communium & publicorum totius civitatis, vel familiæ; vel si filius sit, spe ipsius hæreditatis sustentari, eáque de causa suam fortunam cum hospitum & advenarum conditione nullo modo prudenter permutare posse.

G *Sacrorum*, inquis, *canonum aliarúmque legum decretis se, quantum licet, subtrahunt, eadémque mille artibus eludunt.* Sacros Canones appellas, quos avus tuus Lutherus, Calvini parens, exussit, ustulandus ipse; ut lectori oculos perstringas, quasi Catholicus sis, cùm sis aut Calviniста, aut Calvinopapista. Nos eos Canones, qui ad nos pertinent, religiosissimè custodimus, neque contrarium unquam probare poteris, etsi contrarium asseras, sed mendaciter, quia multò facilius est, asseverare aliquid, præsertim per calumniam & injuriam, quàm probare per veram & solidam rationem. Sed animadverto, quid
H spectes. Quia enim varia nobis privilegia à summis Pontificibus concessa sunt, & quia Institutum Societatis aliquibus in rebus, à communi jure, recedit, idcirco Calviniстæ hujus judicio, à legum decretis nos subtrahimus; idcirco sacros canones eludimus; quasi verò tituli *de Privilegiis* non sint etiam pars sacrorum Canonum. Quasi verò sacros Canones eludat, qui ab eo, qui supra Canones est, privilegium legitimè impetrat. Quasi verò à Canonum observatione sese subtrahat, qui beneficio ejus, cui jus est & potestas condendi Canones,

Genes. 48. Minimus aliquando honoratissimus.

Genes. 43.

Utrum Societas observet Canones?

A nones, privilegio aliquo fruitur. Si privilegio aliquo gaudere, eſt Canones eludere, & à Canonum obedientia ſeſe eximere; dic, quæſo, mihi, cur tituli *de Privilegiis* relinquuntur in Jure Canonico? Cur non eximuntur, ſi non & ipſa *Privilegia* ſunt pars Canonum, & Juris Canonici? Exſcinde ex *Decretalibus*, ex *Sexto*, ex *Clementinis*, ex *Extravagantibus*, titulos de Privilegiis.

B Forſan etiam, tuò judiciò, Franciſcani, Dominicani, & alii, à Canonum decretis ſeſe ſubtrahunt, Canonúmque vim eludunt, quia multis Privilegiis à Sede Apoſtolica meritò adaucti ſunt. Et *titulus de verborum ſignificationibus* in *Extravagantibus* ferè nihil aliud continet, quàm ea, in quibus Minorum Ordo à via & jure communi recedit. Et quibus oculis intueris Extravagantem illam ex communibus, titulo *de Privilegiis*, cujus initium: *Inter cunctas ſollicitudines noſtras*; in qua nihil aliud invenies, quàm Privilegia Ordinum Sancti Dominici & Sancti Franciſci? *Quod Principi placuit*, inquit Jureconſultus, *legis habet vigorem.* Cur non itidem, quod Pontifici cum Concilio, vel ſoli Pontifici, placuit, *vim Canonis*, hoc eſt, legis & ſanctionis Eccleſiaſticæ habeat? Ad-

L. Quod principi. ff. de Conſtitutionibus.

C dit Jurisconſultus: *Quodcunque Imperator per epiſtolam vel ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edictô præcepit, legem eſſe conſtat. Hæc ſunt, quas vulgò Conſtitutiones appellamus.* Idem, ſi, ſeu verè, quod non credo, ſeu fictè, quod planè mihi perſuadeo, Catholicus es, de Pontifice, reſpectu Canonum, aſſerere debes, ſeu verè, ſeu fictè, cùm Canones ſint à Pontificibus, ùt leges ab Imperatoribus. Si ergo vim legis habet, quando Imperator prædictis modis aliquid alicui concedit, cur non haberet etiam vim legis id, quod alicui à Principe Eccleſiaſtico conceditur? Et ſicut is, cui juſtis de cauſis aliquid ab Imperatore ſeu Principe contra jus commune conceditur, non ob id in leges eſt injurioſus,

D nec ob id leges eludere dicitur: Ita & is, cui aliquid conceditur, juſtis de cauſis, à Principe Eccleſiaſtico quod à jure communi Eccleſiaſtico nonnihil abeat: non propterea meritò dicetur ſe à ſacrorum Canonum decretis ſubtrahere, eorúmque vim eludere, aliàs, ùt dicebam antea, *Privilegia* penitùs tollenda, & tituli *de Privilegiis* ex jure Canonico funditùs expungendi eſſent. Deinde quis jus antiquum Canonicum condidit, niſi Pontifex? ſicut ergo initiô id condere potuit, ita etiam potuit in eo legitimis de cauſis diſpenſare, imò novum jus condere; non enim hac in parte Pontifex minor eſt Juſtiniano, vel alio Principe; quod non in-

ficiaberis, ſi verè Catholicus es. At ſi E Catholicus es per ſimulationem; oportet, ut ſaltem per ſimulationem hoc concedas, hoc eſt, ore, licèt corde diſſentias, alioquin his, qui Catholicam fidem profitentur, tuis criminationibus non poteris imponere.

Ac nunc exemplum promis, quô pla- F num facere vis, quomodo nos à Canonum decretis ſubtrahamus, eorúmque vim eludamus. Concilium Tridentinum De Concilii Trid. decreto. hujusmodi decretum edidit: *Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant; aut è Monaſterio eos ejiciant.* Ita Synodus, Seſſ. 25. cap 16. de Regul. quæ mox hanc exceptionem ſubjungit: *Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jeſu juxta pium eorum inſtitutum, à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino, & ejus Eccleſiæ inſervire poſſint.* Hæreticus ægerrimè fert hanc ex- Hæreticus eludere conatur decretum Trident. ceptionem. Sed ut eam ægerrimè feras, nunquam tamen ægrè ferendo efficies, ut exceptio facta, fiat infecta. Ais, *precibus fuiſſe impetratam.* Quid tum? Privilegium non deſinit eſſe Privilegium, licèt precibus impetretur. An putas tu, Patres G Ordinis Sancti Franciſci & Sancti Dominici omnia ſua Privilegia, quæ in jure Canonico extant, ſine precibus impetrâſſe? *Admodum*, inquis, *ſollicitârunt, ut ab hac lege exciperentur.* Quàm verò *admodum*? An interfuiſti? An importunè, opportunè Jacobum Lainem, & Alphonſum Salmeronem, qui Concilio interfuerunt, inſtantes vidiſti? Res juſta & æqua, qualis erat hæc, non indiget multa precum importunitate; ſciebant autem Patres Tridentini Concilii, juſtiſſimam eſſe hanc petitionem, cùm Sedes Apoſtolica hoc vivendi inſtitutum jam non ſemel approbâſſet, & Apoſtolicis diplomatis confirmâſſet. *Communi Eccleſiæ ſenſui*, inquis, *contrarium aliquid priùs ſtatuerunt, ut nempe juvenes poſt tempus Novitiatus jam allectos, & conſilii per ætatem inopes, ſibi per vota quædam ſimplicia obligarent.* Quid? An H ſenſui totius Eccleſiæ contrarium eſt, quod ſummi Pontifices ſtatuunt & approbant? An corpori contrarium eſt, quod caput decernit? Caput, inquam, hoc eſt, Rector, Paſtor, & Gubernator totius corporis? An non jam ante Concilium Tridentinum, Paulus Tertius & Julius Tertius hæc vota ſimplicia, poſt annos tyrocinii emitti ſolita approbârant? An non Concilium Tridentinum Oecumenicum hanc Societatis conſuetudinem & ſolennem morem repudiâſſet, & in æternum tempus condemnâſſet, ſi vidiſſet, eum, communis Eccleſiæ communi ſenſui eſſe contrarium? At tantum abeſt, ut ita judicârit, ut etiam verbis honorificentiſſimis

A mis significârit, morem Societatis communi Ecclesiæ sensui esse consentaneum, quia vocat *pium institutum;* Quomodo autem *pium institutum* est, quod communi Ecclesiæ sensui repugnat? Quasi verò ullum sit institutum *pium*, quod Ecclesiæ sensui non sit convenientissimum. Ait Synodus, *hoc institutum à sancta Sede Apostolica fuisse approbatum.* An tu putas ullum institutum à sancta Sede Apostolica approbari, quod communi Ecclesiæ sen-
B sui adversetur? Fortè affirmabis. Mirarer, si Catholicus esses; at quia hæreticus es, non miror, illud miror, te, cùm judicium Sedis Apostolicæ & Concilii Tridentini nihili facias, tam impudentem tamen esse, ut videri velis, quasi Apostolicæ Sedis non sit major patronus, quàm tu. Ait Synodus Tridentina: *Se nolle impedire, quò minùs Clerici Societatis Jesu, Domino & ejus Ecclesiæ inservire possint, juxta pium eorum institutum.* An ullum institutum, quod communi Ecclesiæ sensui repugnat, Domino & ejus Ecclesiæ inservit? An Ecclesiæ Christi ullum emolumentum affert?

C *Juvenes*, inquis, *ad se allectos votis simplicibus obligant.* Imò allectos & vocatos à Deo, nec nos illos obligamus, sed ipsi semet ipsos obligant: nisi enim vovendo se ipsum quis obliget, nemo illum obligare poterit. Cur verò *inopes consilii* vocas, qui ad hæc vota simplicia admittuntur? An non omnes admittuntur tum demum ad hæc vota, cùm ex præscripto Concilii Tridentini ad Professionem admitti possunt, hoc est, non ante decimum sextum annum expletum? Vix enim fit in Societate, ut quis ante hanc ætatem vota simplicia Deo nuncupet, cùm ea non emittat, nisi absolutô biennii tyrociniô. Quare necesse esset, ut quis anno decimo quarto in Ordinem nostrum cooptaretur. At inauditum est, mihi saltem, puto etiam aliis, ut quis hac ætate ad Societa-
D tem aggregetur. Cùm ergo, qui vota simplicia scholasticorum vel coadjutorum apud nos edunt, minimùm decimum sextum annum attigerint, quæ ætas ex Concilii Tridentini decreto ad Professionem sufficit, qua fronte tu *inopes consilii* nominas, qui in Societate nostra vota simplicia emittunt; cùm judicio Oecumenici Concilii sat consilii & prudentiæ habeant, ad Professionem solennem, in aliquo ab Ecclesia approbato Ordine, edendam; cúmque iidem, ex legum Ecclesiasticarum & civilium præscripto, libertate sua sese abdicare valeant, contracto matrimonio? *Jesuitæ*, inquis, *quocunque tempore, pro voluntate eosdem aut retinent aut abjiciunt. Quo effectum videmus frequenter, ut multi post multam ætatem & valetudinem per labores deploratam, bonáque vel in ipsos, vel ad ipso-*

Quando in Societate emittantur vota.

rum nutum, in alios exposita, aut ab ipsis crudeliter ejecti, aut per eorum intolerabiles insultus abire coacti, in extrema tandem ætate, rebus omnibus imparati, sibi vivere coacti sint. Multa hac tua accusatione accumulas crimina, quæ figillatim inspicere oportet, ne quis arbitretur non esse criminationes, sed crimina verè objecta. Ais: *Societatem, arbitratu suo, ejicere eos, qui vota simplicia voverint, vel habere potestatem arbitratu suo illos ejiciendi;* Quod tam falsum est, ut ne ipsa quidem falsitas falsior sit. Quid enim? An quisquam est, qui non sit Cyclops, & Ætneis in antris satus & educatus, qui sibi persuadere possit, Societatem, Societatem, inquam, tam esse immitem; Et quid dico, immitem? Nimis mitis hæc vox est, tam esse sævam, crudelem, & tyrannicam, tam ab omni humanitatis sensu derelictam, ut arbitrio suo extrudat illum, qui se, & omnia sua Deo in Societate consecrârat; qui se vitam finiturum in Societate statuerat, qui Deo *perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate Jesu promiserat, omnia intelligendo, juxta ipsius Societatis constitutiones?* Absit hæc mens à Societate, quæ in spiritu amoris, non in spiritu timoris procedit. Mater est, non injusta noverca: Patres sunt Superiores, non vitrici.

Quos Societas dimittat, & qua ratione.

E

F

G

Ergo quòd interdum aliqui post simplicia vota edita (nam Novitiorum nulla hîc habenda ratio, cùm in probatione versentur) à nobis recedunt; accidere potest, primò; quia, omnibus consideratis, judicatur satius, ut tales propter ingenii vel valetudinis conditionem, vel alias justissimas ob causas, eò, unde venerunt, revertantur; vel ad alias hominum Religiosorum familias transeant; quippe ad illas, quàm ad hanc aptiores & firmiores. Ut enim non quivis ad quamvis artem habilis est & idoneus; ita nec quivis ad has vel illas religiosas functiones, quas hic vel ille Ordo obit, sat roboris aut indolis habet. Quo tamen casu, nemo exauctoratur, si alioquin virtutis & religiosæ disciplinæ studiosus sit & amans: Sed ita res instituitur, ut, qui abit, volens lubénsque abeat: ídque fit cùm inveterato jam Societatis more; tum etiam constitutionum nostrarum præceptione. Secundò; causa dimissionis est aliquando non progressus in virtutibus, sed potiùs regressus à virtutibus: non incrementum religiosæ gravitatis & modestiæ, sed decrementum; quia *spiritu incipiunt* & *carne consummant.* Incipiunt ùt Saul; parvuli sunt, modesti, humiles, obedientes, ùt erat Saul sub regni sui exordium; postea mutantur, eo modo, quô Saul mutatus fuit; ex parvulis gigantes fiunt, ex morigeris, immorigeri; Incipiunt ùt Salomon, Deo chari & grati:

Causæ dimissionis.

H

A ſed everruntur, ùt Salomon: ſpiritu fervent initio converſionis; ſed poſtea primam charitatem amittunt: Nec aures præbent Deo clamanti: *Memor eſto, unde exciderís, & age pœnitentiam, & prima opera fac*: Quid mirum igitur, ſi Deus faciat, quod ſe facturum minatur? Quid mirum, ſi moveat *candelabrum* hujuscemodi hominis de loco ſuo? Fateor ingenuè, tales in Societate non retineri; imò ea de cauſa ad tot annos Profeſſio & ſtatus Coadjutorum ſpiritualium & formatorum differtur; ut, ſi qui fortè magis deficerent, quàm proficerent, votorum nexibus exſolvi & B dimitti poſſint. Sed hoc interpretatur Hæreticus *crudelitatem;* At ego interpretor prudentiam & juſtiſſimam cautelam, ne Societatis corpus tam languidis & morbidis membris gravatum, paulatim eò miſeriarum procedat, ut nulla medicina ſubvenire queat; quippe immedicabili jam vitio. Porrò tantum abeſt, ut Societas eos, qui vota ſimplicia emiſerunt, temerè ſeu pro arbitrio ſuo expellat, ut interdum, non paucis annis, toleret nonnullos, quibus fortè ſatius eſſet, ſi bonum publicum duntaxat ſpectaretur, ſine mora miſſionem dare. Exſpectat tamen Societas patienter, more Dei, ut vinea, quam *plantavit*, *faciat uvas;* quòd ſi *labruſcas* ſubmittere pergat; quid reſtat niſi illud: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* Aliquando etiam accidit, ut non modò tres anni ſint (ùt de ſe ait ille, qui arborem fici in ſua vinea plantatam habebat) *ex quo venit quærens fructum* in ejusmodi homine, & non inveniat, ſed C longè plures. *Expelluntur*, inquis, *poſtquam valetudinem amiſerunt.* Nullum unquam exauctoratum vidi ob amiſſam valetudinem: ſed ob amiſſam primam pietatem & charitatem. *Coguntur*, inquis, *aliquando abire propter intolerabiles eorum inſultus.* Inſultus vocas correctiones & correptiones, quæ medendi cauſa ægris adhibentur; quas non fugerent, ſi ſaperent: ſævire, ut ſerves, paternæ benignitatis eſt, non hoſtilis immanitatis. Si ulla Religio, Societas certè omnem vim procul habere conſuevit; nam quos religioſos non ſanat amor, & ſpiritus manſuetudinis, eos rarò ſanat vis & carcer, & id genus alia acerbiora medicamenta.

Apocal. 4.

Lucæ 13.

D Nec novum, nec inſolens eſt, ut ex Religione exterminentur, qui Religioni plus damni, quàm boni, moribus non bonis afferunt: ídque exemplo naturæ, artis & omnium rectè conſtitutarum Rerumpublicarum facere jubemur: An non ex corpore humano natura, quidquid noxium eſt, expellere nititur? Et ſi ſat virium non ſuppetat, an non artis medicæ opem implorat, ut à conſortio ejus, quod pernicioſum eſt, liberetur? Ex prima illa, &

Probatur, expelli poſſe eos, qui Ordinibus ſunt pernicioſi.

Variæ probationes.

A politia.

A natura.

tam ordine, quàm civium numero pulcherrima Angelorum Republica, ſeditioſos & improbos, ut ſic dixerim, cives expulſos novimus, & quidem in ſempiternum tempus, omni ſpe reditus ſublata. *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant;* clamat Apoſtolus. Quid eſt iſta abſciſſio, niſi turbatorum expulſio? Et excommunicatio, jam ab Apoſtolico ævo uſurpata; nihil aliud eſt, quàm improborum à probis ſegregatio & excluſio: ignis & aquæ interdictio, deportatio, relegatio, exilium & ſimiles pœnæ, olim factioſis & turbulentis civibus decretæ, & hodie etiam partim decerni ſolitæ, expulſiones ſunt ſceleratorum ex Reipublicæ Societate: nec alio conſilio uſurpantur, quàm ut Respublica illæſa perſtet; Et ut popiùs ad propoſitum noſtrum accedam; Ordines Religioſi, Eccleſiaſticam & Politicam Rempublicam imitati ſemper hoc in more habuerunt, ut communitati pernicioſa membra, arrepto ferro, amputarent, veriti, ne peſtis paucorum, ùt fieri aſſolet, ad plures manaret. Teſtem do inprimis D. Baſilium, qui quid agendum ſit, quídque ipſe cum hujusmodi hominum genere egerit, his verbis explicat: *Ei, qui ſegniter affectus eſt ad obediendum mandatis Domini, primùm omnes condolere oportet, velut morboſo membro, & per proprias ac privatas cohortationes Præfecti, conari, ut ipſius infirmitatem corrigant. Perſeverantem verò in inobedientia, & correctionem non admittentem, graviùs coarguere coram tota fraternitate, & cum omni exhortatione adhibere ipſi medelas. Ubi verò nihil veretur poſt multam admonitionem, neque ſe ipſum in operibus ſanat, velut ipſum ſui ipſius peſtem, juxta proverbium, cum multis quidem lachrymis & lamentis, attamen velut membrum corruptum, & penitus inutile, ad medicorum imitationem, à communi corpore reſecare. Nam & illi, quodcunque membrum repererint, incurabili affectu occupatum, ut ne detrimentum ampliùs diffundatur, & vicinas partes ob continuitatem corrumpat, ſectionibus & uſturis eximere ſolent. Id quod etiam nobis in adverſantibus mandatis Domini, aut impedientibus ipſa neceſſariò facere licet, juxta ipſius Domini præceptum, qui dixit: Si oculus tuus dexter te offenderit, erue ipſum, & projice à te. Nam humanitas erga tales conſimilis eſt ineruditæ benignitati ipſius Heli, qua erga filios præter voluntatem Dei uſus, reprehenditur. Proditio igitur veritatis eſt, & fraus, quæ tenditur communitati, & aſſuefactio ad id, ut vitia indifferentia eſſe putentur, benignitas erga malignos oſtenſa.*

E Ab Angelis.

Ex Scriptura. Galat. 5.

A teſtimoniis Patrum. S Baſil. q. fuſ. explicat. q. 29.

F

G

Baſilio Caſſianum adjungo, qui teſtatur apud veteres monachos, *aperta convicia, manifeſtos contemptus, contradictiones tumidas, liberam & effrænatam proceſſionem, familiaritates apud fœminas, iras, rixas, ſimul-*

H Caſſianus lib. 4. de Inſtitut. cap. 16.

A *multates, & jurgia, operis peculiaris præsumptionem, philargyriæ contagionem, affectum atque possessionem rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinariam ac furtivam cibi refectionem, & his similia vel plagis emendata, vel expulsione fuisse purgata.* His accedat S. Augustinus, qui jubet, ut, si quis pœnas debitas persolvere pertinaciter nolit, expellatur. *Quam* (emendatoriam vindictam) *si ferre recusaverit*, inquit S. Augustinus, *etiamsi ipse non abscesserit, de vestra Societate projiciatur: Non enim ei hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Ejecit ex suo Monasterio S. Benedictus monachum inquietum, ut scribit S. Gregorius. Etsi postea eundem ad saniorem mentem, objectu Draconis, reductum, recepit; S. Pachomius celeberrimus in Ecclesia Orientali Abbas, monachum quendam, Syllanum nomine, ex suo cœtu expulit, licèt viginti annos in Monastica Professione posuisset. Sanctus Equitius, teste S. Gregorio, jussit, ut sine mora Basilius monachus ex suo Cœnobio exterminaretur, eò quòd divinitùs instructus didicisset, quidnam ille pseudomonachus moliretur. Dices fortè; hunc fuisse tum Novitium: non nego; sed quod exemplum sanctus ille vir in tyrone statuit, idem statuisset in veterano, si quem similis improbitatis inter suos degere comperisset. Sanctus Bernardus Abbatem quendam monet, ut fratrem, si monitis & reprehensionibus emendari nolit, ejiciat: juxta illud Apostoli: *Auferte malum ex vobismet ipsis*: qui & his verbis Epistolam concludit: *Melius est, ut pereat unus, quàm ut unitas.* Idem docet S. Thomas. Non enim hujus auctoritatem repudiabis, quandoquidem Catholicus es, tuò quidem testimoniò, at non meo, nec ullius rectè sentientis. *Latitat lupus ore cruento; lacteolam mentitus ovem sub vellere molli cruda per agninos exercens funera rictus.* S. Thomæ adstipulatur S. Bonaventura: qui ait; *Nec à Sede Apostolica cogi posse Religionem, ut retineat homines noxios, quia occasionem daret corrumpendo & evertendo Ordini.*

B

C

D In eandem sententiam conspirant sacri Canones: nam in cap. ultimo, extra *de Regularibus* agitur de ejectis & fugitivis, ubi Panormitanus cum Joanne Andræa dicit: *Fugitivum* vocari, qui moratur extra proprium Monasterium, suóque Abbati celatur: *Ejectum* verò, qui à Superiore suo propter admissum crimen ejicitur: Et in Cap. *Cùm ad Monasterium*, ext. *de statu monachorum*, sancitur, *ut monachus proprietarius ejiciatur ex monasterio, regulari monitione præmissa; nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam.* Et eodem tit. cap. *Ea, quæ*, mandatur monasteriorum visitatoribus, ut non parcant rebellibus ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum, *quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat oves sanas.* Quod confirmat Glossa, testimoniò Canonis *Resecandæ* c. 23. quæst. 3. Ubi S. Hieronymus. *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Nec est istud à religiosa mansuetudine alienum; nam *quæ ista bonitas, quæ ista misericordia, uni parcere, & omnes in discrimen adducere?* ut dicitur ex Origene, d. 45. c. *sed illud*; Nostine Calvinista, illum Glossæ versiculum: *Morbida sola pecus inficit omne pecus?* At fortè libentiùs audies Justiniani leges, quàm Ecclesiæ Canones: Gratificabor ergo tibi, & quid Justinianus hac de re decreverit, non gravatè adscribam: Etsi enim Justinianum non agnosco pro eo, qui sacris religiosorum hominum Ordinibus leges præscribere queat; hoc enim non est Imperatorii, sed Pontificii muneris: Attamen ex eo etiam, quod sine jure statuit Justinianus, cognosces, quàm nihil contra jus faciant, si Religionum Antistites, religiosæ disciplinæ damnosos, procul abire jubeant. Ita ergo Justinianus, postquam monachis & sanctimonialibus multas leges, modúmque imponendæ & subeundæ pœnæ præscripserat: *Si delictum*, inquit, *atrocius sit, quàm quod medela reparari possit, tunc prorsus monasterio ipsum expellito: ut cùm seipsum à melioribus ad deteriora contulerit, ipse solùs improbitatis suæ fructum capiat, neque vitiorum suorum cæteris aliquid contagione affricet, quemadmodum peste laborantia, & incurabiliter ægrotantia solent pecora.* Nec hac causa contentus est Justinianus; Addit insuper, & verè addit, Deo, Ordines monasticos fore gratiores, Reipublicæ fructuosiores, majorisque auctoritatis & venerationis apud homines, si improbi & disciplinæ religiosæ impatientes excludantur: *Si enim*, inquit, *puris illi mundisque manibus pro Republica preces Deo obtulerint; manifestum sanè, quod & res militaris pulchrè se habebit, & civitates in bono statu erunt: Deo item propitio ac benevolo constituto, quo modo non omnia in summa pace & recta legum moderatione vigebunt? Terra quoque nobis fructum feret, & celeriùs bona sua edet per Dei benevolentiam, precibus illorum universam Rempublicam in unum colligentibus; sed & communis hominum figura venerabilior erit, quærentque, quod præstantius est, illorum puritatem reveriti. Unde una fiet conspiratio; omnibus simul ad hoc concurrentibus, & (quoad fieri potest) exterminata omni malitia, melioribus sanctioribúsque studiis introductis, & dignitatem habentibus.*

E

F

G

H

1. Cor. 5.

S. Thom. Quodl. ult. artic. ult.

Prudentius.

S. Bonavent. quæst. 14. in Reg. S. Francisci.

Ex Canonibus & Canonum Interpretibus.

S. Hieron. in cap. 5. Epist. ad Galat.

Orig. Homil. 7. in Josue.

Ex Legibus civilibus.

Justinian. Novell. 113. de Monachis & Asceteriis.

A Ad extremum accedant Religionum fundatores, ut suô suffragiô idem confirment. S. Augustinum & S. Basilium sententiam suam dicentes jam audivimus. In Regula S. Benedicti cap. 28. dicitur: *Posse aliquos, prævia admonitione, ob gravia crimina dimitti.* Hinc Ostiensis & Archidiaconus colligunt ex duobus Capitulis Regulæ S. Benedicti, nempe ex 23. & 28. septem pœnæ modos, quorum ultimus est *de monasterio expulsio.* Ex Ordine S. Dominici posse dimitti Professos, testatur S. Antoninus, & habetur in ejusdem Ordinis Constitutionibus d. 1. cap. 19. Idem de Regula S. Francisci satis liquet ex iis, quæ S. Bonaventura ex communi Ordinis illius praxi & consuetudine disputat, cùm quæ-
B rit: *An liceat Ordini Minorum ejicere aliquem pro demeritis, vel egresso, pœnitenti & petenti receptionem denuò denegare.* Eruditè enim ostendit, licere, & quidem jure optimo, quamvis redire volenti aditum intercludere: *Si autem allegatur*, inquit S. Bonaventura, *quòd misero est miseratio adhibenda, ut iterum recipiatur in Ordinem; Dici potest: Crudelis est miseratio, unde plures & meliores graviter offenduntur; sicut, qui furem liberaret, unde pauperes spoliarentur: maximè cùm tales longo usu tepefacti, rarissimè verè & perseveranter emendentur, & faciliùs remissio aliis præbeat audaciam delinquendi. Nec potest allegare, sibi injuriam fieri, si non recipiatur; quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quòd recipi sit indignus, quin potiùs Ordo habet causam contra eum agendi, quòd sic se dehonestavit.* Hæc & plura alia in eandem sententiam S. Bonaventura: qui etiam prima vice, licèt pœnitenti receptionem negandam docet, si ita
C criminis atrocitas exigat. Ex Regula tamen S. Benedicti, *si expulsus veniat ad portam pœnitens, iterum recipiendus & reconciliandus est, usque ad tertiam vicem tantùm; nam secundùm eandem Regulam ter recipitur, & non ultra*, inquit Ostiensis & Archidiaconus loc. cit. Fusiùs ista persecutus sum, ut ostenderem, quàm iniquus sit in nos calumniator iste, dum nobis vitio vertit, quod aliis Religionibus concessum est, quódque necessariò concedi debet, nisi
D Religionem pessum ire velimus. Quòd si alii Ordines potestatem habent expellendi Professos; cur adeò ringuntur invidi, si Societati idem jus constet in non Professos, hoc est, in omnes illos, qui vota duntaxat simplicia ediderunt: imò & in ipsos Professos, si quis ex eorum numero vocationis suæ oblitus, retrò respiciat, & ad anteriora, eo, quo par est, modo, se se non extendat. Priore illo jure inferior est Societas nostra aliis Deo dicatis familiis, quandoquidem minus jus est, posse dimittere non Professum, quàm Professum: posteriore iisdem par est.

A Religionum fundatoribus.

Ostiensis Ext. cap. final. de Regular. Archid. 18. q. 2. c. Abbates. n. 5.

S. Bonaventura quæst. 14. in Reg. S. Francisci.

Dicet fortassis Hæreticus: Ab aliis Ordinibus relegari tantummodo pervicaces, contumaces, jámque depositos & desperatos; uno verbo, *incorrigibiles*, ex nostro autem exterminari aliquando, etiam corrigi paratos; eósque, qui ob delictum quamvis pœnam exsolvere promittant. Respondeo, etiamsi jure communi *incorrigibilitas* & contumacia tantummodo esset idonea causa expellendi Professum: tamen minor causa sufficere posset ad ejiciendum non Professum, quales in nostro Ordine omnes illi, qui simplicia duntaxat vota Deo nuncupârunt. Deinde olim non tanta habebatur ratio, utrum aliqua, an nulla correctionis spes supereset, sed criminis admissi gravitas spectabatur: quæ, si videretur, mereri ejectionem, reus ejiciebatur, sive meliorem frugem polliceretur, sive secus. Liquet id ex verbis Cas- F siani suprà adductis, ubi recenset vitia vel *plagis*, vel *expulsione* purgari consueta. Et Justinianus Imperator, monachum in cau- Novell. 113 pona deprehensum, ex monasterio ejici jubet simpliciter, sive emendationis spem faceret, sive non: *Illud quoque modis omnibus observari volumus*, inquit, *ut si quis reverendissimorum monachorum in caupona aliqua versari videatur, illico is tradatur civitatum defensoribus, aut hîc judicio excellentiæ tuæ, castigetúrque convictus, certiórque ea de re reddatur antistes, ut eum, qui hæc deliquit, & turpem vitam cum Angelico hoc statu permutavit, expellat monasterio.* Me- G ritò autem non tolerantur, qui enormia crimina perpetrant, licèt meliorem mentem induant, quia gravem notam Ordini inurunt, & infamiæ macula innocentes, quantum quidem in ipsis est, aspergunt: & alios ad similia audenda exemplô suô incitant: præsertim, ubi veniæ locum vident reliquum; qui longè tardiores ad flagitia efficiuntur, cùm certò sciant, non esse, quòd indulgentiam expectent, si grandiore aliquo delicto sese obstringant. Quòd si jure communi veritum esset, Professum, de quo spes correctionis affulgeret, expellere; attamen, novo jure, con- H ditor juris id Religioni alicui concedere posset, prout Societati à variis Pontificibus concessum est; nam si, ùt ait D. Gregorius Nazianzenus: *Velle Imperatoris lex est non scripta; imperii & potentiæ patrocinio subnixa, & quidem scriptis legibus, quæ potentiâ non fulciuntur, longè firmior atque valentior:* Cur Pontificis, Ecclesiastici Legislatoris voluntas non sit lex? Cur si quid lege justè lata concedat, id non ejusdem sit roboris, cujus est lex Imperatoris in foro civili, apud eos præsertim, qui Pontificem, ea, qua par est, reverentia & honore prosequuntur; ex quorum tu quidem numero videri cupis, sed histrionicam factitas; scenæ tuæ servit hæc simulatio,

Nazianzen. Orat. 1. contra Julian.

A latio, dum Jesuitas insectaris, ubi in aliud theatrum conscenderis, aliam personam sumes. Denique, si, ùt ex S. Bonaventura antea docuimus, Ordo licitè potest alicui, qui culpâ suâ expulsus est, reditum negare, licèt sese emendârit, verbísque prolixè saniorem mentem, & diligentiorem Religiosæ disciplinæ observantiam spondeat, eò quòd ob præteritum piaculum recipi sit indignus, ùt ait S. Bonaventura; cur idem Ordo eundem, idem ob crimen, non queat ex cœtu suo extrudere; quamvis correctionis neque sit impatiens, neque etiam incapax, potissimùm ubi id boni publici ratio exigit; & quia id boni publici interest, Pontifex, ejus faciendi specialim & nominatim potestatem tribuit; imò, quæ ratio suadet, cur Ordo nolentem regredi repellere queat, eadem ostendit, posse illum, etiam antequam expulsus est, expelli, saltem speciaB li Pontificis privilegio: *Sedes enim Apostolica*, inquit B. Bonaventura, *quæ jus suum unicuique servat, & vult Ordinem in sua puritate persistere, non cogit Ordinem retinere illos, quorum conversatio nociva esset in Ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foveret, & occasionem daret corruptioni Ordinis per tales pestiferos, si eos recipi oporteret.* Sicut ergo ejus receptio, qui semel graviter deliquit, in Ordinis damnum redundare potest, licèt jam pœnitentiam egerit, & saniora consilia cœperit: ita etiam ejusdem retentio Ordini detrimentum insigne afferre potest: minimùm enim hoc incommodum inde emergit, quòd facilis remissio aliis præbet audaciam delinquendi, ùt verè ait S. Bonaventura; sed satis de hoc.

C Nunc videamus, quid Pseudocatholicus noster adducat; ait: *Non esse mirandum amplius, si Ecclesia Jesuitis concesserit hoc privilegium, ut absoluto probationis tempore ii, qui tyrones fuerant, non teneantur Professionem edere.* Ita est, non valdè mirandum, & multò minùs criminandum, ùt tu criminaris; *Non mirandum est*, inquis, quia æqua ab æquis impetrare non admodum ardui negotii est; æquissimum autem fuit, ut, sicut aliis religiosis familiis sua Privilegia concessa sunt, ita & hoc, & alia D concederentur huic novo Ordini. Tu aliàs hujus rei causas assignas, te, qui vanissimus es, propè vaniores, sed tam ambiguè & obscurè, tanquam alter Loxias, loqueris, ut nec tu te ipsum videaris intellexisse, nec te Germanicus interpres tuus: Prima causa, quam tu non tam exprimis, quàm innuis, *Ecclesiam errâsse*, cùm hoc Privilegium concessit, *non enim immunem esse à periculo erroris, nisi in iis, quæ ad Jus divinum aut naturale pertinent, hoc autem esse juris positivi Ecclesiastici;* Et ut errorem minuas, addis: Patres Concilii Tridentini, *Jesuitarum importunitate, in errorem inductos esse, ut statuerint id, quod satius fuerit, non statuisse.* Verùm nisi aliam probationem afferas, ægrè lectoribus hanc tuam persuasionem persuadebis. Quis enim credat, inclytum illum orbis Christiani Senatum, tanta sanctitate & judiciorum maturitate præpollentem, videre non potuisse, quid è re Ecclesiæ foret: te verò id vidisse, te, inquam, qui si non cœcus, certè Rex inter cœcos, hoc est, luscioSus es. Nam ut Spiritus sanctus numine suo Patres illos non præservâsset ab errore, etiam in iis statuendis, quæ ad praxin & mores spectant, neque aliàs jure naturali vel divino jussa sunt aut vetita; nemo tamen est, qui non animadvertat, te longè citiùs falli & fallere posse, quàm florem illum pietatis & eruditionis: quàm tot numero inclytos Antistites, quorum summam breviter complexus est Caspar Vilalpandæus his verbis: *Adsunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi.* Deinde ut maximè Sacer ille Confessus, Jesuitas à communi lege excipiendo errâsset, non debebas tamen, si vel micam prudentiæ Christianæ haberes, Patres illos erroris accusare, insanísque vocibus flagitare, ut decretum, quod fixerunt, refigant. Nam, ùt præclarè G docet Aristoteles, solo naturæ lumine colluStratus: *Mutare leges videri posset multæ cautionis. Ubi enim utilitas, quæ ad mutandas leges adducit, parva est, assuescere autem cives legibus mutandis, malum: procul dubio nonnulla peccata & Legislatorum & Magistratuum ferenda atque intacta relinquenda sunt; non enim tanto erit ei mutâsse leges emolumento, quanto assuevisse Magistratibus non parere detrimento.* Paulò pòst: *Itaque à legibus receptis & usitatis ad alias & novas leges facilè migrare, vim legis infirmare ac debilitare est. Lex enim nihil roboris habet, ut ipsi pareatur, præter id, quod accipit à consuetudine: hoc verò non contingit ipsi, nisi longo temporis spatio.* Hæc ille.

Olim Imperatores, Gratianus, Valentinianus & Theodosius *sacrilegii instar* reputabant, si quis de Principis judicio disputaret, & hoc etiam lege lata vetuerunt; cujus hæc verba: *Disputare de principali judicio non oportet, sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* Hæc illi: sed tu susque deque habes crimen sacrilegio non absimile admittere: dum in judicium vocas, imò dum manifesti erroris accusas, judicium tot Principum Ecclesiæ, Jesuitásque Privilegio illo indignos vociferaris, quo tamen digni *à principali judicio*, hoc est, ab Oecumenico Concilio judicati sunt. Quod

Vilalpand. disp. 5. de Concilio Trident.

Quid Aristoteles de mutatione legum senserit. Arist. lib. 2. polit. cap. 6.

H L. Disputare C. de crimine sacrilegii.

Reverentia Pseudocatholici in Concilium Tridentin.

A Imperator Martianus de Synodo Chalcedonensi dixit, hoc ego de Tridentina: *Injuriam facit judicio Reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè dispositа revolvere & publicè disputare contenderit.* Sed tu hæc nihil moraris, & quæ Concilium Tridentinum decrevit, non rectè decreta ais. At cujus judicio? tuo videlicet, tuique similium, quorum judicium, & his, & aliis de rebus tam rectum est, quàm linea curva.

L. Nemo. C. de summa Trinit.

B Præterea an non monstra te loqui vides, cùm ais: Jesuitas tres, quatuórve (tot enim in Concilio fuisse arbitror) *importunitate sua*, Concilium eò adegisse, ut ejus, quod bono communi videbatur esse conducibile, contrarium decerneret. An non ipsa Concilii verba vanitatem tuam perspicuè redarguunt, cùm dicant Patres: se non prohibere, quò minùs *Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & Ecclesiæ ejus inservire possit?* Ergo Patres agnoverunt institutum hoc, atque adeò morem differendi Professionem, quamvis exacto probationis tempore: *Pium* esse & *laudabilem*, & quod hinc sequitur, Ecclesiæ Dei utilem; nihil enim pium vocari potest, quod vergit in Ecclesiæ detrimentum. Ex quo rursus conficitur, Patres illos importunitate Jesuitarum non fuisse compulsos, ut illam exceptionem Ordinis nostri, præter, imò adversùs animi sui sententiam facerent, nisi fortassis tam excors es & vecors, ut Patres illos tui similes facias, hoc est, aliud loquentes, & aliud sentientes, more tuo, cui mos, nunquam serio loqui, nisi cùm mentiris & calumniaris. Verùm tu ipse animadvertere tandem videris, quàm inane sit hoc tuum effugium. Igitur Patres Concilii Tridentini post accusationem admissi erroris, iterum ab errore absolvis, & dum fumum vitas, in flammas manibus pedibúsque irruis; Ais: *Privilegium illud esse suppositititium, & à Jesuitis, insciò Concilio, communi omnibus legi affixum, ac proinde tanquàm spurium vero & obelisco configendum; facilè enim fieri potuisse, ut Jesuita quispiam irreperet, & autographo, seu, ut vocant, Protocollo Concilii hanc appendicem assueret.*

C

D Hæc tua est pro Concilio Tridentino defensio: Cæterùm cùm excusas, gravissimè accusas; quæ enim major socordia, quæ intolerabilior negligentia, quàm ex tot Patribus, nullum exstitisse, qui fraudem hanc criménque gravissimum *falsi* animadverteret, præsertim cùm in Conciliis, ea, quæ semel decreta sunt, repeti & relegi soleant, adhibitis tot Notariis & testibus, & tot cautelis, ne quid falsi obrepat, ut rerum omnium imperitum, ne dicam insanum, esse oporteat, qui hujusmodi fallaciam comminiscatur, aut si comminiscatur, tanquam verisimilem aliis credendam proponat? Deinde, si hæc præter Concilii voluntatem adjecta fuerunt, cur nullus præter te, & similes omnis religiosi instituti turbines, hujus rei ullum indicium fecit? An putas, tot Patres Concilii immemores fuisse, ut, quod de Jesuitis statutum fuerat, penitùs oblivioni mandarent? Cur nullus ex Prælatis, quibus jus dicendi suffragii in Concilio, contradixit? Cur tu solus post tot annos, ex antro, nescio quo, proserpens, id in dubium vocas, de quo hactenus nullus sanæ mentis dubitavit: nam ne ipsi quidem hostes Ordinis nostri, & Fidei Catholicæ dicere ausi sunt, hæc verba, quæ in Concilio Tridentino leguntur, à nostris furtivè fuisse inserta. Non injuria abs te petimus, vel unum exemplar, quod his verbis careat, vel caruerit, ut inde fraudis vestigia persequi, & ad ipsa cubilia pervenire liceat. Ad hæc, cùm Jesuitis gravissimum *falsi crimen* intentes, oportet, ut nisi hoc liquidò probes, iisdem pœnis, quibus falsi criminis rei, subjaceas; si non nôsti illam legem Honorii & Theodosii, vel jam post tot mendacia discas: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi; cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii; quia juxta formam juris antiqui* (& legitimi) *aut vindicta* (reis) *proposita sit, aut supplicium; si* (accusator) *fefellerit.* Si crimen falsi committunt, atque adeò gravissimam pœnam merentur, quicunque aut testamentum, aut quodvis aliud Instrumentum, sive privatum, sive publicum, scribunt, subscribunt, obsignant, effingunt, recitant, auferunt, immutant, corrumpunt; quod supplicium non mererentur illi, qui publicum sancti Spiritus, ut sic vocem, instrumentum, hoc est, Oecumenicum Concilium depravarent, & vel detractione, vel adjectione corrumperent? Nimis impudens calumniator es; nec scio, quæ benignitas tibi opem ferre queat, si ex legibus contra calumniatores latis judicandus sis. Videntur ad te pertinere illa Imperatorum: *Fallaciter incusantibus, maximè post accusationem accusati, nullus juris color, veluti derivata excusatione, proficiat, non publica quidem abolitio, non privata talibus proficiat subveniátque personis, non specialis indulgentia, nec beneficium quidem generale eos subducat.* Hæc lex. Si ego abs te percontarer, undénam tibi compertum esset, Jesuitas Privilegium illud, insciò Concilio, annexuisse, quodnam, oro, responsum dares? An ullum exstat Concilii Tridentini exemplar, in quo exceptio illa non exstet? An fortè nactus es antiquissimum Concilii Tridentini codicem, literis Longobardicis & planè fugientibus, in vetustissima membrana, ante annos mille, aut minimùm nongentos

L. Quisquis. C. de Calumniat. L. Non priùs. C. eod.

L. Fallaciter. C. de Calumn.

E

F

G

H

Utrum Jesuitæ decretum Concilii Tridentini falsârint.

A tos exaratum, in quo Privilegium illud, quod tibi bilem tantoperè commovet, non reperiatur? An aliàs tam odora naribus tuis vis ineſt, ut, ubi nullus odor falſitatis eſt, ibi tu nihilominùs falſitatem odoreris, ſpuriúmque eſſe deprehendas id, quod maximè genuinum eſt & germanum? An ex quadam cognatione, ùt balbus balbum facilè intelligit; ita tu ſpurius ſpurium mullô negotiô agnoſcis; quippe admodum exercitatus in eo Athenienſi Gymnaſio, quod Cynoſarges nominabatur, ſolísque nothorum exercitationibus deſtinatum erat? An ùt equiſones ſolent, inſpectis equorum dentibus, de eorum ætate pronunciare, ita tu inſpectis Conciliorum chartis, ſtatim agnoſcis, quidnam domi ſit natum, quid aliunde aſſutum? An, quod verius eſt, imitaris Hæreticos, nominatim Fauſtum Manichæum, qui preſſus teſtimoniô loci alicujus ex ſacra Scriptura deprompti, expeditè excipere ſolebat, & locum illum non à Spiritu ſancto dictatum, ſed ab aliquo malè feriato intruſum eſſe reſpondebat? Sed quod S. Auguſtinus reſpondit Fauſto de Scriptura, hoc tu reſponſum à me habeto de Synodo Tridentina: *Ubi ſic manifeſta veritate iſti præfocantur*, inquit præſtantiſſimus ille Doctor, *ut obſeſſi dilucidis verbis ſanctarum Scripturarum* (Synodorum) *exitum in eis fallaciæ ſuæ reperire non poſſint, id teſtimonium, quod prolatum eſt, falſum eſſe reſpondent. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem: usque adeò invicta ſunt, quæ adverſùs vos de divinis Codicibus proferuntur, ut non ſit aliud, quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Quæ auctoritas literarum aperiri, quis ſacer libet evolvi, quod documentum cujuslibet ſcripturæ ad convincendos errores exeri poteſt, ſi hæc vox admittitur, ſi alicujus ponderis æſtimatur? Aliud eſt, ipſos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod Pagani de omnibus libris noſtris, quod Judæi de Novo Teſtamento faciunt, quod denique nos ipſi de veſtris & aliorum hæreticorum, ſi quos ſuos & proprios habent, vel de iis, qui appellantur Apocryphi, non quòd habendi ſint in aliqua auctoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorum præſumptione prolati ſunt; Aliud eſt ergo, auctoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri, & aliud eſt, dicere, iſte quidem vir ſanctus omnia vera ſcripſit, & iſta epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc ejus eſt, hoc non ejus eſt, ubi cùm ex adverſo audièris proba, non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium Codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum eſt, inde probo, hoc illius eſſe, illud non eſſe; quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Hujus ergo regula veritatis, quidquid contra te fuerit, non eſt verum, quid ſi alius ſimili inſania, ſed tamen, qua tua duritia confringatur, exiſtat & dicat, imò illud, quod pro te ſonat, falſum eſt, hoc autem, quod contra te eſt, verum eſt, quid actu-rus es?* Hæc ex S. Auguſtino exſcribere placuit, ut conſtaret, te Concilium Tridentinum eo modo tractare, quo fratres tui Hæretici tractant ſacras literas, in quibus genuinum & τὸ γνήσιον non eſt tale, niſi ipſis ita videatur. Verùm quæ tua ſit de toto Concilio Tridentino ſententia, ſatis liquet. Tanti videlicet id facis, quanti Calvinus aut Kemnitius: ſed ſimulas, quaſi maximi à te fiat, ut Jeſuitas conviciis inſectari queas; etſi dum videri vis, quaſi ſummo loco apud te ſit hoc Concilium, ſummo dedecore & probro illud afficis, ùt ſatis ſuperque hactenus demonſtratum eſt. Sed progrediamur.

Nazianzen. Orat. 1. contra Julianum.

S. Auguſtin. lib. 11. contra Fauſt. cap. 2.

Sunt, inquis, *in hoc genere & alia plurima, quæ ab omni Clero tam ſæculari, quàm Regulari obſervantur, à quibus, ut per ſummorum Pontificum indulgentiam liberi fiant, modis omnibus ſatagunt.* Non omnibus, ſed licitis & juſtis; neque injuſtum eſt, ut quis privilegium petat, ſi juſtæ cauſæ ſuppetant: Quis enim unquam Ordo in Eccleſia Dei exſtitit, qui non fuerit variis privilegiis à Sede Apoſtolica exornatus, vel propter preces Pontifici pro impetrandis Privilegiis oblatas, vel ſine precibus propter Ordinis merita in Rempublicam Chriſtianam? Si cares libris, quibus Privilegia variorum Ordinum continentur, inſpice ſaltem Titulos de Privilegiis, qui in obviis juris voluminibus reperiuntur. At nimis multa tibi videntur noſtra Privilegia: *Plurima*, inquis, *ſunt;* ſed novi invidiæ oculos; quidquid intuentur in eo, quem oderunt, id nimium & immodicum judicant, vel unum privilegium, pro innumero privilegiorum numero, reputant. At non ita Legislator, cui Jus Privilegia conferendi, & à communi lege excipiendi, cui probè cognitum, quis modus hac in re ſit obſervandus, & qui pluribus paucioribúsve Privilegiis ſint cohoneſtandi.

Omnes Ordines ſua habent Privilegia.

Cæterùm, ut lectori privilegiorum noſtrorum guſtum aliquem præbeas, nonnulla ſpeciatim recenſes: *Hujusmodi*, inquis, *eſt divinorum officiorum ad Dei gloriam, populi conſolationem, ac Eccleſiæ ædificationem decantatio: & ſupplicationum communium pro ſuo Ordine ingreſſus.* Sæpè à noſtris ratio reddita eſt, cur noſtri choro non utantur: nec unquam oſtendunt hoſtes noſtri, rationem illam, vel potiùs rationes, ratione carere, ſed ſine ratione, ùt cœperunt, gnaviter calumniari pergunt: quaſi Jeſuitas ſummo amore complecti velint, ſi laudes divinas publico cantu concelebrent. Cauſæ hujus noſtri inſtituti ſunt potiſſimùm iſtæ: Prima, ut noſtri ſtudiis, lectioni & prædicationi inſiſtere

Cur Societas non utatur Choro.

A sistere queant, quæ ratio redditur à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, in peculiari hac de re Constitutione, & à P. N. Ignatio in Constitutionibus Societatis. Quòd si reliqui Ordines, iis à Choro dant immunitatem, qui vel Concionibus habendis, vel confessionibus excipiendis, vel literis discendis vel docendis dant operam, aut etiam domesticis ministeriis ad totius familiæ emolumentum distinentur, cur integer Ordo, qui se, quantus, quantus, his functionibus consecrat, non posset ab hoc cantandi munere liberari? Præsertim cùm ipse S. Thomas scripserit & docuerit, posse Religionem institui ad opera *activæ vitæ*, ùt ad militiam, pro fidei & justitiæ patrocinio, ad propagationem fidei Catholicæ, & perfectionis Christianæ per Evangelii prædicationem, per Confessionum audiendarum operam, & per literarum studia: ùbi S. Thomas, nullum penitùs verbum facit de obligatione cantandi horas Canonicas: imò tanquam certissimum præsupponit, sine hac obligatione Religiones B ad prædictos fines institui posse: Qualem ergo Religionem animo efformavit S. Thomas, talem instituit Deus his novissimis temporibus per nostrum Ignatium; concessu & consensu Sedis Apostolicæ, cùm ætas hæc opera supradicta *vitæ activæ*, nempe: Evangelii prædicationem & Fidei Catholicæ defensionem & amplificationem, & juventutis institutionem exigere videretur; & quod hinc est consequens, literarum perpetuum & indesinens studium; cùm sine hoc cætera C præstari vel obiri nequeant. Nec est de Religionis essentia, ut horæ Canonicæ decantentur, quod adversarii, velint, nolint, fateri coguntur; aliàs Religiosi literarum & cantus imperiti non essent Religiosi; Et ipsi Ordines mendicantes, maximè S. Dominici, non fuissent sub sua primordia Ordines Religiosi; quia plerique tradunt, eos sub primum ortum choro caruisse: Et plurimi ex antiquis monachis non fuissent Religiosi, nominatim illi, quos D. Augustinus elegantissimis laudibus prosequitur, cùm de moribus Ecclesiæ Catholicæ adversùs Manichæos disputat; nam horum quotidiana studia describens S. Augustinus, D ait: *Eos simul ætatem agere in Orationibus, in Lectionibus, in Disputationibus*, nec ullam fecit mentionem, quasi convenire fuerint soliti ad hymnos, Deo, certis horis, decantandos; imò contrarium non modò obscurè insinuat, sed & clarè indicat; cùm ait; eos convenire solitos, extremo diei tempore, ad audiendum Antistitem de rebus divinis disputantem. Idem ex Philone liquet de Jessæis, qui Christiani, & quidem religiosi fuerunt, ùt doctissimi quique sentiunt, & alibi à nobis demonstratum est; quorum vivendi ratio à Philone scriptis est prodita: si igitur & isti, & innumeri alii, sine Choro religiosam vitam duxerunt, cur Societas sine Choro Religiosis Ordinibus annumerari non posset, & si Chorus, voluntate eorum, qui Ordines fundârunt, vel jussu Pontificum Ordinibus Religiosis annexus est: cur consensu nostri Parentis, & approbatione Summorum Pontificum, non potuisset Chorus à Societate nostra jure excludi; cùm tota Societas iis, quas antea diximus, *vitæ activæ* functionibus occupetur, cum quibus hoc munus, quamvis pium & sanctum, consistere nequit? Non video igitur, cur tu hoc Privilegium nostrum, vel potiùs *Institutum*, F tanquam iniquum vellices, cùm ejus approbatorem, contra tuam futilem improbationem, laudare etiam possimus Sanctissimum Pontificem Gregorium cognomento Magnum, qui decrevit, ut Diaconi & Presbyteri sint à Choro liberi, quò suo munere rectiùs fungantur. De quo non vereor dicere: eum, si viveret, vel si post Ordinem nostrum conditum vixisset, non minùs promptè à Choro Societatem liberaturum fuisse, atque eam liberavit Paulus III. & alii Pontifices, qui Societatis institutum confirmârunt: præsertim Gregorius XIII. & XIV.

S. Thomas 22. q. 188. Posse Religionem institui ad opera vitæ activæ.

S. Gregor. lib. 4. epist. 84.

Sed ais, *ex hac omissione Deum privari* G *gloriâ, populum consolatione, Ecclesiam ædificatione:* Primùm, si ego vicissim dicerem: Deum privari gloria, populum consolatione, Ecclesiam ædificatione, eò quòd alii Ordines non obeant ea ministeria, quæ nos obimus, & quorum gratia à Choro abstinemus, quæso, quodnam responsum mihi dares? Ergo, quod mihi daturus esses responsum ad meam querelam; hoc tibi do ad tuam: nec postulabis aliud. Secundò dico, nec proximos consolatione, nec Ecclesiam ædificatione, nec Deum gloria privari; quia non desunt alii plurimi & sanctissimi Ordines, qui hæc omnia abundè præstent & procurent, cantu indesinentî, diurnô & nocturnô: Et ut ma- H ximè nos gloriam Dei, & proximi consolationem, & Ecclesiæ ædificationem, hoc cantus medio non promoveamus, at promovemus, & totis viribus promovere elaboramus, aliis mediis, iisque plurimis & efficacissimis, ùt omnibus notum, quibus Ordo noster notus est, quæ ita ex natura sua sunt comparata, ut non minor ad Deum gloria, ad proximum consolatio, & ad Ecclesiam ædificatio redundet, quàm ex cantandi munere; ut taceam, nostris in templis, ubi paulò numerosiora sunt Collegia, Sacrosanctum Missæ Sacrificium à variis Sacerdotibus, ita quotidie immolari, ut augustissimus ille Dei cultus quatuor aut quinque integras horas, sine ulla interruptione, duret: Ex quo certè

S. Augustin. lib. 1. de Moribus Catholicæ Ecclesiæ.

Philo lib. de vita contempl.

non

A non modicus honor ad Deum, non exigua consolatio ad proximum, nec tenuis fructus ad totum Ecclesiæ mysticum corpus manat. Hæc de Cantu.

De Supplicationibus. Quod ad Supplicationes attinet, nescio quare nos interesse velis, præsertim cùm nos adeò oderis; periculum enim est, ne si cum cæteris conspiciamur certo loco & ordine, tu & tui similes, quibus Jesuitarum aspectus infaustus est, & malè ominatus, à supplicationibus absterreamini; non sine boni communis detrimento, cui amplificando ardentissimus vester precandi
B fervor plurimum servit. Deinde causas, cur à processionibus exemerit nos Pontifex, ipsemet his verbis exponit: *Nos,*

Cur Pontifex nostros à supplicationibus exemerit. *qui Religiosos dictæ Societatis à studiis, lectionibus, prædicationibus, confessionibus audiendis, & aliis verbi Dei ministeriis & pietatis operibus, quibus continuè laudabiliter incubuerunt, & incumbere non desistunt, quavis ex causa distrahi nolumus; considerantes, in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines Religionum, qui vel ex instituto, vel absque propriarum functionum impedimento, supplicationibus hujusmodi interesse, aliáque publica divina officia exercere sanctè continentérque valeant; in præmissis opportunè prævidere volentes, personas omnes dictæ Societatis, ubique locorum existentes, ab interessentia Supplicationum, seu Precum, aut Processionum hujusmodi, perpetuò eximimus & liberamus.*
C Hæc Gregorius XIII. Sed tibi displicet Pontificis voluntas, quia magnô desiderio teneris, ut Concilium Tridenti-

Concil. Trid. Sess. 25. cap. 13. de Regul. num observetur; quod jubet, ut *exempti omnes tam Clerici Seculares, quàm Regulares, quicunque etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiore clausura perpetuò vivunt.* At non minore desiderio exequendi id, quod Concilium statuit, tenebatur Gregorius XIII. & tamen, hoc desiderio non obstante, exemit nos ab hoc decreto, tanquam major Conciliô, non ignarus, ipsum Concilium hanc exceptionem facturum fuisse, si nostri, tempore Concilii, sese eximi flagitâssent. Quod si accidisset, tu calumniam in promptu haberes: Diceres enim, Concilium aut errâsse, aut Jesuitas Privilegium illud per summam fraudem, insciô Conciliô, attexuisse: ita semper conviciis, ut sic dicam, cornutis instructus incedis, ut sive hoc, sive contrarium eveniat, tu criminandi materiâ non destituaris.
D *Nec illud*, inquis, *Concilii Tridentini decretum observant, quo cavetur, ne qui Sacer-*

Concil. Trident. Sess. 21. cap. 2. de Reform. *dotes sine sufficienti provisione, hinc inde, contra honorem Ordinis, quandoque divagari cogantur, quia multos ex suis ante Professionem ad Sacerdotium promoveri faciunt: quô fit, ut contra Concilii intentionem multi vagabundi sacerdotes reperiantur;* Primùm, qui tria vota Societatis, Deo in Societate nuncu-
E pant, ii verè sunt Religiosi, & in Religione degunt: poterunt ergo titulô Religionis; etiam ante Professionem, majoribus Ordinibus initiari; quia æquè benè & commodè illis prospectum est, atque iis, qui beneficium Ecclesiasticum, quod ad victum honestum sufficiat, pacificè possident, aut aliunde habent, unde commodè possint vivere, quod Tridentinum Concilium à Clericis sæcularibus requirit.
F Dices, *istos expelli, atque adeò excidere posse ab hoc statu, hincque sequi, ut, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogantur; quibus incommodis, ut Concilium Tridentinum obviam iret, legem hanc tulit.* Cæterùm etiam Professi, si criminis admissi gravitas id postulet, ejici possunt, non modò ex nostro, sed & ex aliis Ordinibus, ut etiam antè ostendimus; & tamen non obstante, quòd ex statu, in quo degunt, excidere possunt, initiantur titulô Religionis seu paupertatis. Secundò, ut Religiosus ab Ordine exter-
G minari, ita Clericus propter scelera, beneficio privari potest, & ejici, ut eat, quò pedes rapiunt & auræ; potest etiam variis casibus, seu jure, seu injuria, spoliari patrimoniô, vel aliis quibuscunque bonis & obligationibus, quibus, tanquam *titulo*, ut vocant, *mensæ* ad sacros Ordines ascendit. Ergo ex Concilii Tridentini sententia, satis est, ut, dum quis initiatur, habeat, unde debita decentia & honestate, vitam sustentare queat, déque eo in posterum quoque sit certus & securus, quantum futuris in rebus licet: quæ omnia apud nostros itidem locum habent. Certissimus enim quilibet est, postquam Deo vovit in Societate Jesu perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, se & vitæ præsidia habiturum, (nisi suo merito iis indignum sese reddat) ut periculum non sit, ne quid sacerdotio minùs consentaneum admittere, aut exercere
H cogatur. Accedit, quòd Concilium Tridentinum, eo loco, tantùm de sæcularibus Clericis, non de religiosis, loquitur: Et quamvis Pius V. Pontifex Maximus, decretum illud postea extendit ad Religiosos non Professos, ex plenitudine potestatis Apostolicæ: cui jus fásque, aut restringere, aut extendere Conciliorum decreta: prout ratio temporum postulare videtur: attamen Gregorius XIII. idem decretum, optimis rationibus adductus, iterum contraxit, & ut ante Pium V. ita & in posterum concessit, ut Clerici Regulares Ordinis nostri, licèt non Professi, sacris Ordinibus initiari queant. Quòd si tibi placuit Pii V. extensio, placeat tibi etiam Gregorii XIII. restrictio: quia utraque ab eadem Sede & potestate manavit.

De promotione ad sacros Ordines.

A Verùm tu fortè Pontifices, ùt ſolent Hæretici, inconſtantiæ argues, dum poſterior prioris decreta retractat. Sed quod potentiſſimus ille Rex reſpondit pro ſe, hoc ego tibi aliísque Hæreticis dictum volo pro Pontificibus. *Nec putare debetis, ſi diverſa jubeamus, ex animi noſtri venire levitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, ùt Reipublicæ poſcit utilitas, ſententiam ferre.* Huic excuſationi ſimilis eſt illa Pontificis, quæ fortè magis tibi arridebit, tanquam ſummo Canonum æſtimatori & amatori: *Quia nonnunquam, quod conjectura profuturum credidit, ſubſequens experientia nocivum oſtendit: non debet reprehenſibile judicari, ſi Canonum conditor, Canones à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus editos, vel aliqua in iisdem contenta Canonibus revocare, modificare vel ſuſpendere ſtudeat, ſi ea obeſſe potiùs videat, quàm prodeſſe;* nam ùt idem Pontifex ait; *Ad conditorem Canonum non eſt dubium pertinere, cùm ſtatuta à ſe vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potiùs, quàm prodeſſe, ne ulteriùs obeſſe valeant, providere.* Accedit tandem, quòd Concilium hoc ipſo nos excepiſſe videtur, quòd conceſſit, ut noſtri, finito probationis tempore, Profeſſionem differrent: hoc ipſo enim, quòd hanc conſuetudinem approbavit, videtur etiam approbâſſe illam alteram de Sacerdotio ſine ſolenni votorum Profeſſione ſuſcipiendo: non enim ignorabat Concilium, Societati hunc morem eſſe, ut ſuos ad ſacros Ordines mitteret, quamvis ſimplicium duntaxat votorum obligatione adſtrictos: imò Concilium Tridentinum, licèt potiſſimùm inſtitutum noſtrum commendârit, & ampliſſimis verbis laudaverit occaſione Profeſſionis differri & proferri ſolitæ; tamen non obſcurè ſignificat, ſibi propoſitum non fuiſſe, ut quidquam in noſtro inſtituto innovet, aut etiam prohibeat, quò minùs Deo & Eccleſiæ inſerviamus, eo more & modo generatim, quem Sedes Apoſtolica jam antea confirmârit, & graviſſimo ſuo ſuffragio ratum habuerit. Fortè hæc ampliatio Privilegii videbitur tibi nimia? Ut ut ſit, certè aliena non eſt ab illa lege, quæ jubet, ut *beneficium Imperatoris quàm pleniſſimè interpretemur:* L. Beneficiis ff. de Conſtitut. nec ab illa Regula juris, quæ monet, *favores ampliandos, & odia reſtringenda.* Sed ais; *Hinc effici, ut multi circumvagentur Sacerdotes rerum omnium penuria preſſi.* Primùm, vix ſtatuere poſſum, plurésne Regulares Clerici, an Sæculares vagabundi circumvolitent: Niſi admodum me fallit animus, quocunque venias, plures errones hujus poſterioris, quàm prioris illius claſſis invenies. Secundò, hujusmodi hominum mendicabula, ſuâ culpâ in egeſtatem illam incidunt, quia plerumque ſunt Apoſtatæ, nec noſtri duntaxat Ordinis, ſed & aliorum. Quid mirum autem, Apoſtatam circumcurſitare, cùm non modò ſit inconſtans animò, ſed & ſolò; profugus inſtar Cain *à facie Domini.* Quid mirum, Apoſtatam facere, quæ Sacerdotio non conveniunt, cùm ſi Sacerdotii rationem duxiſſet, duxiſſet & Ordinis; ſi & Ordinis, nunquam à Deo & Ordine deſciviſſet. Addis: *Jeſuitas Mediolanenſes hac de re cum ſanctiſſimo Cardinale Borromæo contentionem habuiſſe, potiúsque ſuos, Ordinum ſuſcipiendorum gratia, aliò mittere, quàm Concilio Tridentino, & ſancti Prælati zelo acquieſcere voluiſſe.* Primùm, Concilium Tridentinum de Clericis Sæcularibus, non de Religioſis loquitur; ùt verba Concilii ſatis ſupérque docent; & quamvis, ùt antè dictum, Pius V. decretum illud extendit etiam ad Clericos Regulares, attamen Gregorius XIII. extenſionem illam reſtrinxit in gratiam Ordinis noſtri. Itaque ſub Pio V. nec Mediolani, nec alibi ulli ex noſtris ſacris Ordinibus initiabantur, niſi priùs edita profeſſione, ídque ob Pontificis Conſtitutionem, cui, ùt par erat, obtemperandùm fuit. Controverſia ergo hæc inter noſtros & illuſtriſſimum Cardinalem Borromæum exiſtere non potuit ſub Pio V. Neceſſe igitur eſt, ut extiterit, ſi unquam extitit, ſub Gregorio XIII. At quomodo quæſo probabile eſt, quod ſcribis, cùm Gregorius XIII. primô ſtatim ſui Pontificatus anno Conſtitutionem illam Pii V. revocârit, & antiquum Privilegium Societati reſtituerit? Quis credat, Cardinalem verè ſanctiſſimum, & Apoſtolicæ Sedis obſervantiſſimum, noluiſſe admittere id, quod maturô conſiliô prudentiſſimus ſimul, & ovilis Chriſtiani amantiſſimus Pontifex Gregorius XIII. conſtituerat? Longè propior ſum exiſtimanti, te conſuetam artem mentiendi factitare, quàm præſtantiſſimum illum Cardinalem noſtris quidquam controverſiæ, quoad iſtud caput, moviſſe: poſt Gregorii XIII. Conſtitutionem. Quòd ſi Cardinalis ille Privilegium agnoſcere noluit, quod nefas credere; mirari non debes, noſtros eâ, qua par, modeſtiâ, ſeſe defendiſſe, quia id à natura omnibus inſitum eſt, ut ſua, quæ legitimô titulô obtinuerunt, tueantur, nec adimi ſibi ſinant, niſi ſupremi Præſulis auctoritas interveniat, præſertim, ſi quid ejusmodi ſit, quod aut à primo parente, tanquam hæreditatem, aut partem hæreditatis, aut à ſummis Pontificibus, tanquam immunitatem ad functiones rectè obeundas neceſſarium acceperunt.

Ais: *Sanctionem quoque Concilii de denunciationibus ante ſacros Ordines, perinde ac ante matrimonium ferre non poſſunt, déque eadem re, poſtquam diu cum ſanctiſſimo Borromæo contendiſſent, elegerunt potiùs, quos Me-*

Quare Pontifices contrarias aliquando conſtitutiones edant.

Eſth. 16.

Joan. 22. Extravag. Quia. Ext. Ad conditorem.

De Cardinale Borromæo.

A *Mediolani ordinandos haberent, aliò pro Ordinibus ablegare, quàm Concilii decretò & ſancti Prælati zelo acquieſcere.* Non eſt, cur ſuccenſeas, quòd noſtri hac in re Cardinalis, quamvis ſanctitate eximii, voluntati ſatisfacere noluerint: cùm enim ipſum Concilium Tridentinum profeſſum fuerit, ſe non obſtare, quò minùs Societas Jeſu, à Sede Apoſtolica comprobata, juxta pium inſtitutum ſuum, Deò & Eccleſiæ ejus inſerviat; Societati autem à Paulo III. hoc conceſſum fuerit, ut idoneos & comprobatos ab ipſa Societate, *quibuscunque mallet Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus præſentare poſſet, qui illos ſic præſentatos, absque ulla promiſſione vel obligatione, ad Ordines hujusmodi promoverent:*
B Non eſt, quòd quis inſolentiam aut pervicaciam, factum illud noſtrorum interpretetur, quandoquidem ita à natura omnes comparati ſumus, ut Privilegia nobis legitimè à majoribus conceſſa, non patiamur à minoribus adimi aut imminui. Nemo negaverit, Cardinalem optima mente impulſum, voluiſſe, ut decretum illud Concilii obſervaretur, etiam à nobis. At noſtri non minore æquitate nixi, juri ſuo renunciare noluerunt: *Suus cuique mos; ſuus cuique ritus eſt,* inquit ille;
C Quid diſſenſionis inter Barnabam & Paulum exſtiterit, quis ignorat? Barnabas volebat ſecum aſſumere (fratrum viſitandorum gratia) Joannem, qui cognominabatur Marcus: *Paulus autem rogabat, eum non debere recipi. Facta eſt autem diſſenſio,* inquit S. Lucas, *ita, ut diſcederent ab invicem; Et Barnabas quidem aſſumptô Marcô, navigaret Cyprum; Paulus verò, electo Sila,* aliò abiret; & tamen conſilii ſui tam Barnabas, quàm Paulus juſtas & probabiles cauſas afferre poterat. Nec dubito, quin Spiritus ſanctus hæc divo Lucæ dictaverit, ne poſtea, pro re inaudita & intoleranda, duceremus, ſi quando inter viros Dei, & pietatis amantes, controverſiæ enaſcerentur. Nec plura de hoc attexam, Tantùm
D quæro: an iſte calumniator ignoret, ſecundùm quamnam partem Pontifex poſtea, re intellecta, ſententiam pronunciârit? Nam Gregorius XIII. major Cardinale, cui optimè perſpectum erat, quanta boni nominis, & famæ ſecundæ, & integritatis cura in Societate haberetur, nobis cauſam adjudicavit, & Privilegium vetus literis Apoſtolicis renovavit: & Antiſtitibus, qui inquiſitionem illam & teſtimonium ſuper vita, moribus, ætate, & natalibus noſtrorum requirebant, in perpetuum, præcepit atque interdixit: *Ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis, pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis, habuerint, quidquam prædictorum, requirant, vel exigant.* Nunc cætera expendamus.

Act. 15.

Similem contentionem, inquis, *habuerunt, cum eodem ſanctiſſimo Cardinale de Poteſtate abſolvendi à caſibus, quos, pro diſciplina diœceſis ſuæ, ipſe ſibi reſervârat.* Lubricæ fidei homo es, quia Calvinianæ, cui falſis criminationibus Jeſuitas gravare, adeò non eſt inſuetum, ut nihil ſit uſitatius. Quocirca ſi aſſenſum ſuſpendam, non erit, cur id mihi vitio vertas. Et quia ſimilem dicis hanc contentionem præcedentibus, túte ipſe tibi ex iis, quæ ad præcedentes calumnias, huic, te judice, ſimiles, dicta ſunt: reſponſionem ſimilem facilè colliges, videlicet, aut digna fide non eſſe, quæ narras: aut te, ſi res penitus conficta non eſt; nonnulla tamen adjeciſſe, quæ non adjecta: aut ſubtraxiſſe, quæ non ſubtracta oportuit: Certè quidem F
hoc ſanctè teſtari poſſum, quod omnibus, qui Societatem nôrunt, eſt notiſſimum, non tam noſtræ Societati curæ eſſe, ut multa Privilegia adipiſcatur, quàm ut adeptis ſine cujusquam, præſertim Ordinariorum, quibus omnem ſe reverentiam debere, meritò cognoſcit, offenſione utatur. Et ſi ullus Præſul fuit, qui à noſtris offendendus non fuit, propter abſolutionem caſuum reſervatorum, is Cardinalis Borromæus fuit, tum propter excellentem viri ſanctitatem, tum propter ejus inſignia in Societatem promerita: tum quia hoc ejusmodi Privilegium eſt, cujus uſus, ſi impediatur, non tollit aliquid Societati noſtræ, quaſi inſitum & cognatum: nec ipſius inſtituti noſtri, ut ſic dicam, eſſentiam violat. Quare cauſæ nihil fuit, quantum ad hoc caput attinet, ut cum tanto Præſule dimicationem ſuſciperemus, ejúsque animum in nos concitaremus, cujus benevolentia, vel quibuscunque officiis mercanda, & quibuscunque opum theſauris anteponenda fuit.

E De poteſtate abſolvendi à caſibus reſervatis.

Nec eſt, quòd mihi unum vel alterum nomines, qui fortè zelô indiſcretô ductus, longiùs, quàm conveniebat, ſit provectus; non nego enim, quædam imprudenter committi poſſe; hoc dico, talia errata Ordini non eſſe adſcribenda, nec ſi unus aut alter modum non tenuit, elata voce vociferandum eſſe; Jeſuitas erga Cardinalem Borromæum parùm reverenter ſeſe geſſiſſe, cùm luce clarius liqueat, ſi quid in hoc genere, hoc eſt, in immoderato uſu privilegii, à caſibus reſervatis abſolvendi, actum ſit, id non actum eſſe, conſentientibus & approbantibus Societatis moderatoribus, quibus nihil eſt gratius, quàm ut volentibus & lubentibus Ordinariis miniſteria noſtra obeamus. Non H
ignoro quasdam inter Cardinalem Borromæum & noſtros controverſias exortas. Sed de his infrà. Hîc tantùm de abſolutione Caſuum Epiſcopalium quæſtio eſt, in qua non dubito, te verſari fide & ſinceritate conſueta, hoc eſt, Pſeudocatholica, omnis candoris experte: Nec mirum, te omni candore deſtitui; Es enim ſicut Chamæleon,

A qui, ùt ait S. Gregorius Nazianzenus: *Omnes colores recipit, præter candorem.* Ut tamen mendacia nonnihil tegas, non niſi honorificô *Sanctiſſimi* titulô Cardinalem appellas: ubi, ſicut Julianus ſummæ ſuæ iniquitati larvam Minois prætexebat, ùt de eo ſcitè dixit Gregorius Nazianzenus, ita tu mentiendi & calumniandi pruriginem hoc ornatiſſimo cognomento velas: quaſi non loquatur Calviniſta, ſed Catholicus, & ſummus Cardinalitiæ dignitatis admirator. At nulla unquam ratione Hæreſin tuam ita occultabis, ne promicet, ne ſi *Orci quidem*, ùt dici ſolet, *galeam* induas, aut *Gygis annulô*, *& palæ converſione*, te ex conſpectu noſtro eripias, niſi fortè Cardinalem Borromæum ridendi cauſa ſanctiſſimum nominas; ùt olim Madaurenſes Ethnici Auguſtinum, *Patrem* & *Dominum*, quem *in Deo & Chriſto ejus per multos annos ſemper in Clero ſuo gaudere* optabant: cùm & Deum, & Chriſtum, & Auguſtinum, totúmque Clerum deſpicatui haberent.

Nazianzen. Orat. 1. in Julianum.

S. Auguſt. epiſt. 42.

B Verùm nondum ſatis exemplorum tibi attuliſſe viſus es, quibus planum facias, quàm Jeſuitæ ſacros Canones aſpernentur: Unum aut alterum adhuc addis: quorum primum ſatis arguit, quantô calumniarum deſideriô tenearis. Ais: *Sed & ipſis Miſſæ Canonibus ſatis docent, quàm ſint Canonum amatores; in illis enim, inter cætera, ſtatuitur, ut ad differentiam Prælatorum ſimplices Sacerdotes ipſi à cornu epiſtolæ librum, ad Evangelium legendum, ad alteram deferant partem: illi verò, veluti ſimplicibus Sacerdotibus majores, è dignitate ſua hoc non eſſe putant; Itaque Canonem negligunt, ſtatuúntque, id officii à miniſtris ſibi præſtandum eſſe.*

De translatione Miſſalis ab una parte altaris ad alteram.

C Revocas mihi in memoriam calumniatores Scribas & Phariſæos, proavos tuos; qui cùm gravioribus calumniis deſtituerentur, & tamen ſumma cupiditate calumniandi arderent, minutiſſima quæque Chriſto & diſcipulis Chriſti objectabant: Itaque modò carpebant, quòd diſcipuli *panem manducantes non lavarent manus;* imò, ùt S. Marcus ſcribit: *Cùm vidiſſent quosdam ex diſcipulis ejus communibus manibus*, id eſt, non lotis, *manducare panes, vituperaverunt.* Interdum carpebant, quòd diſcipuli, Sabbatho per ſata tranſeuntes eſurientésque, ſpicas vellerent, *confricantes manibus*, & manderent. *Phariſæi enim videntes, dixerunt Chriſto: Ecce, diſcipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbathis.*

Matth. 15. Marci 7.

Marci 2.

D Aliquando vitium dabant, quòd eâdem mensâ cum publicanis & peccatoribus uteretur: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter?* Modò alias criminationum minutias proferebant: Veriti, opinor, ne ſi minima quæque calumniari omitterent, calumniandi artem deſuetudine dediſcerent. Nam ùt ille ait: *Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia vetustum parit: Tragœdis adeò* (& conviciatoribus) *ni quotidie proclament*, (& convicientur,) *claritudo arteriæ obſoleſcit. Igitur identidem boando* (& conviciando) *purgant raucum.*

E

F Similibus calumniarum puerilibus jaculis appetiit olim in Concilio Matiſconenſi Agreſtinus Pſeudomonachus Regulam S. Columbani, ejusdémque diſcipulos, ùt ſcribit Jonas: *Superflua*, ajebat, *& Canonicæ inſtitutioni quædam contraria in eorum ſtudiis teneri, Cochleam videlicet, quam lamberent, crucis ſignô crebrò ſignari, & in ingreſſu cujuslibet domus intra cœnobium tam introëuntem, quàm egredientem benedictionem poſtulare: Columbanum etiam à cæterorum Eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra Miſſarum ſolennia, multiplicatione orationum vel collectarum celebrare.* Hæc accuſator ille; tibi ad omnia gemellus; pſeudomonachus & pſeudocatholicus, deſertórque Ordinis & Monaſterii Luxovienſis, quem miror S. Columbano non objeciſſe graviſſimum crimen, quod tu nobis objicis, de libro ab una parte altaris ad aliam, non Sacerdotis manû, ſed Miniſtri operâ transferri ſolito, cùm tam enormia alioquin crimina objecerit; & digna profectò, quæ in Epiſcoporum Concilio diſcuterentur: quàm enim grande ſcelus eſt, cochlear, quô cibum ſumpturus es, ſacroſanctæ Crucis ſignaculô conſignare: quàm grande ſcelus eſt, benedictionem ſive ingrediendo ſive egrediendo poſcere: quàm grande ſcelus eſt, Miſſam, multiplicatis precibus & collectis, protrahere & longiorem reddere, præſertim, ſi adſint, quibus brevia Sacra, quàm brevia convivia gratiora accidant; qualis procul dubio erat Agreſtinus ille, & tu novus meus Agreſtinus. Sed dic, oro te, ubi exſtat ille Canon, qui mandat, ut ipſemet Sacerdos ſimplex, ùt tu *compoſitus* ſacerdos loqueris, librum ad partem Evangelii transponat? An non Miſſale Romanum, quod nos ſequimur, hæc diſertè verba habet: *Celebrans, ſi privatim celebret, ipſemet, ſeu Miniſter, portat librum Miſſalis ad alteram partem altaris, in cornu Evangelii?* An hæc verba non legiſti, odio & livore in Jeſuitas excæcatus? An fortè, ſi legiſti, non intellexiſti? An non Regula hæc celebrantibus præſcripta, arbitrio celebrantis permittit, ut aut ipſe, aut Miniſter librum transferat? Quis tantam *mentiendi cæcitatem dicam an conſuetudinem?* ferat? Nec aliud addo, quàm quod ſanctus Cyrillus de Juliano, Chriſtianorum communi calumniatore, dixit: *Tam temerè iſte loquitur, inque eam pervenit vituperandi conſuetudinem, ut quantum in ipſo eſt, nulla pars vitæ noſtræ* (& inſtituti) *crimine vacet.* Eversô igitur fundamentô ſponte ruunt inanes criminationes, quas ſuperſtruxiſti.

Jonas in vita S. Euſtaſii apud Bedam.

G

H

S. Cyrill. lib. 7. contra Julian.

Ita-

A Itaque ultimam hujus Capitis (utinam totius libri) criminationem examinemus. Ais: *Ubi aliquid in aliorum fortè præjudicium cupiunt, viam illam tritam, perinde à gentilium, quàm Christianorum sapientibus, veluti legis naturæ documentum observatam, (ut nempe, parte audita, ac secundùm allegata & probata, semper agatur,) rebus suis parùm accommodatam vident, ab eóque modis omnibus divertere conantur.* Maledicísne, an accusas? Nam *aliud est maledicere, aliud accusare*, inquit summus orator. *Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumentô probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositum præter contumeliam:* quam tu certè unicam spectas; alioquin vel unicum tribunal nominâsses, ubi secundùm Jesuitas pronunciata fuerit sententia, non auditis partibus? hoc est, non secundùm *allegata & probata*, invito jure naturali, divino & humano. Nec in solos Jesuitas, sed & in alios, maledictis tuis injuriosus es. An non gravissimi criminis reos facis judices, cùm insinuas, Jesuitarum fraudibus persuasos, à recto juris tramite abripi, viámque æquam & planam deserentes, in invia & avia injustitiæ præcipitia conjici; nisi enim Jesuitæ eos, qui judiciis præsunt, Patronos & conatuum suorum adjutores habeant, nunquam efficere poterunt, ut, quod tu illos mendaciter scribis appetere & eniti, id re ipsa consequantur. Sed absit, ut aut nos isthæc conemur, aut judices, ut in hunc modum judicent, inducamus. Nolumus esse similes Constantii Imperatoris, nec ut alii similes fiant, optamus; cui, cùm hac mente esset, meritò Calaritanus Antistes ista occinuit: *An divinitùs poteris asserere permissum, absentem, inauditum, & quod est maximum, innocentem damnari? Quomodo enim arbitraris divinitùs permissum puniri inauditos, quando videas Adam & Evam, principes nostri generis, auditos sententiâ percussos Dei? Cùm igitur hujusmodi formam judicandi dedisse Deum advertas, cùm è latebris evocatis confessisque, Deum sententiam dedisse de sacris Scripturarum collegeris fontibus, cujus fuisti atque es impudentiæ, judicandi Dei servos eam dare formam, quæ non fuisset de lege veniens Domini?* Hæc ille.

Utrum Jesuitæ Ordinem Judiciorum pervertant.

Lucif. lib. 1. pro S. Athanasio.

D Nec tam stupidi sunt Jesuitæ, ut non intelligant, quanta incommoda in omnes civitates & Respublicas tam politicas, quàm Ecclesiasticas, quasi agmine facto, irruptura è vestigio essent, si hæc juris repagula perfringerentur: ínque foro externo judici, ex privata, non ex publica scientia, (quæ ex *allegatis* & *probatis* nascitur,) judicandi potestas concederetur. At fortè tibi displicet, quòd nos ipsi in Societate, dum quis dimittendus est, hunc ordinarium Juris Processum non observamus. Novi & alios, quibus hoc displicuerit, sed tibi similibus, hoc est, turbatoribus & Apostatis. At non displicuit summis Pontificibus, & in primis Paulo III. qui primus Societatis Institutum calculô Apostolicô comprobavit. Nec, ut alios præteream, displicuit Gregorio XIV. qui quemadmodum cætera, ita & hoc Caput, ab hostibus oppugnatum, denuò sanxit, & novô Decretô corroboravit. Quod ille de nescio quo, hoc ego vel de uno Pontifice: εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι, οἱ δ' ἀνάριθμοι, ἀδεὶς. Unius Pontificis judicium pluris facio, quàm multorum millium pervicaciam, & seditiosorum audaciam, ne dicam impudentiam: maximè cùm si quis propter culpam dimittendus sit, non dimittatur, nisi de culpa evidenter constet. Et si ulla in re cautio adhibetur, ne quid temerè & præcipitanter statuatur, hîc profectò vel maximè adhibetur; ùt omnibus compertum est, quibus res Societatis compertæ sunt.

E F

CAPUT III.

De Jesuitarum cum summis Pontificibus agendi ratione.

G Quemadmodum citharædi proludere solent, ut mox secuturæ harmoniæ specimen edant, & auditoribus, ut sic dixerim, gustum quendam præbeant: ita & tu hactenus mendaciorum tuorum fabulæ Prologum duntaxat præmisisse videris; nunc tandem, duce eo, qui omnis mendacii genitor est, rem ipsam aggrederis, & impudentiæ ora laxas, & quàm benigna tibi sit fandi an fabulandi? facultas, ipsa commentorum multitudine & immanitate abundè doces: non enim tam nostrum cum Pontificibus agendi, quàm tuum mentiendi modum luculentissimîs coloribûs depingis, & si quis tibi ullam fidem commodaret, is suspicari posset, Pontificem Romanum, ùt olim Athenienses, *ad nihil aliud vacare*, quàm ut aut novi aliquid à Jesuitis audiat, aut ipse iisdem narret. Ais: *Quò se magis à Pontificibus pendere intelligunt; eò sollicitiùs eorundem favorem captant.* Remove *captandi* vocabulum, sub quo tegis convicium, & non invitus fatebor, nos operam dare, ut Pontificis benevolentiam nobis conciliemus; quod non mirum, cùm Christi sit Vicarius, Petri Successor, Ecclesiæ militantis Princeps, cœli claudendi & recludendi Arbiter; namque, ùt verè canit ille Poëta, quamvis præter mentem suam, etiam in *stygios jus habet ille lacus.*

H *Inculcant*, inquis, *sedulò, in illorum gubernatione nihil aliud esse, quàm legem charitatis; studia verò & omnia ipsorum exercitia eò tendere, ut quisque suæ inprimis perfe-*

A *ctioni studeat, deinde saluti proximorum intendat.* Quid opus, hæc Pontifici percensere, cùm in Formula Instituti, Paulo III. & aliis Pontificibus oblata, ea disertè perscripta contineantur? posset Pontifex cuivis talia memoranti dicere illud: *Non ignota refers.* Deinde, ùt maximè verum esset, nostros Pontificibus hæc, ùt tu loqueris, *sedulò inculcare*, quivis tamen cuivis id sibi vitio vertenti, Paulinum illud
2. Cor. 12. jure opponeret: *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam.* Adjungis: *Felicissimos successus apud Sanctissimos, omni occasione, nunc suprà, nunc præter verum decantant; adversa verò tegere omnino & occultare satagunt.* Quasi Pontifici nihil aliud sit negotii, quàm ut Jesuitas, prosperos successus Ordinis sui decan-
B tantes, perpetuò auscultet. Quòd verò Pontificibus adversa, si quæ patitur Societas, non pandant, id & supra, & præter, & contra verum est: cui enim filii potiùs, opis implorandæ causa, ærumnas suas revelent, quàm parenti: & quidem filiorum amantissimo parenti? Eadem ratione, qua filii parentibus fausta nunciant, ut eos lætitiæ participes reddant: nunciant quoque infausta, vel subsidii, vel consilii gratia: Est enim veri amoris, cum eo, quem ames, non modò læta, sed & tristia communicare, ínque ejus sinum omnia, quæcunque tibi eveniant, expromere. Perge jam:

C *Ita ex lege charitatis evenire ajunt, ut Superiores subditos suos ament, foveant atque educent, perinde ut filios, & ut vicissim subditi Superiores suos observent ac colant, veluti patres, ac se mutuò perfectissimo fratrum amore complectantur, ut Superiores cauti sint in imperando, ac ad opus exemplô suô potiùs, quàm imperiô suô provocent; inferiores verò sint ad obsequendum & imitandum perfectissimi, mutuisque officiis totis diebus certent, ita, ut in ipsorum monasteriis nil, nisi perpetua pax & tranquillitas, visatur.*

Amor mutuus in Societate.

Adversùs hæc, quod dicam, nihil habeo, quia vera sunt, & si à nostris prædicarentur; verè prædicarentur, licèt tu tam insulsè & inscitè scribas & loquaris, ut pulcherrimæ virtutes videri possent vitia, ob
D sordidam, qua à te amiciuntur, vestem. Amor amorem gignit, ex veteri dicto; Nil ergo mirum, si subditi, cùm se amari à Superioribus animadvertunt, eosdem pari affectu redament: Nec solùm parit amor amorem, sed & observantiam & obedientiam. Ejus enim jussa, quem amamus, facilè & libenter capessimus; *Nam leviora facit jussa jubentis amor.* Ad hæc, cùm

Quales veri Superiores.

Nazianzen. Orat. de cathedr. Constantinop.

exemplô Superiores præeunt, quis tam socors est, qui in præeuntium vestigiis vestigia sua nolit ponere? *Opus sermone fortius est*, inquit, & verè, S. Gregorius Nazianzenus. Quocirca Apostolus cùm multa documenta Tito tradidisset, quibùs sibi E commissum gregem ad perfectionis studium excitaret, tandem subjecit: *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum,* Tit. 2. *in doctrina, in integritate, in sanctitate,* non ignarus, exemplum longè efficacius esse, quàm exhortationes, longis verborum ambagibus, sine exemplo, contextas. Ex quo fit, ut qui in omnibus se præbent exemplum, *non solùm sanctissimi moribus,* (utar enim verbis S. Augustini,) *sed etiam di-* S. August. *vinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus* lib. 1. de *excelsi, nullâ superbiâ consulant his, quos* Mor. Cath. *filios vocant, magna sua in jubendo auctorita-* Eccles. *te, magna illorum in obtemperando voluntate;* nam ùt Philo de Jessæis ait: *Hi tan-* F *quam germani filii libenter ac certatim ministrant* (& obediunt) *haud secus ac parentibus; hanc conjunctionem arctiorem ducentes, quàm sanguinis; quandoquidem rectè sapientibus virtute nihil est antiquius.* Ex quo rursus sequitur, *ut*, quod idem S. Augustinus ait, *in communem vitam castissimam, sanctissimámque congregati, simul ætatem agant, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidi, nullâ invidentiâ lividi, sed modesti, verecundi, pacati.*

Verùm tu ista negas esse vera: *Vix,* in- G quis, *monasterium invenies, quo Rectores eorum & Ministri, ùt vocant, sibi ipsis, præter singularem necessitatem, meliùs non prospiciant, quàm cæteris, qui magis indigerent, & meliori ac proprio potus & reliqui victus ac vestitus ratione utantur.* Hæc tu, homo, qui *pro arte atrocitatem & contumeliam habes;* nam ego, qui geminam annorum decadem in Societate, Dei beneficiô, jam exegi, nihil hujus unquam vidi; Et ne putes, mè meam causam agere, noveris me nec Rectorem nec Ministrum unquam fuisse: quin potiùs semper vidi Superiores nostros non modò communi victus & vestitus ratione contentos vivere, sed & sese necessariis aliquando defraudare, ut esset, unde imbecilliorem aliquem ex Collegii incolis recrearent, & reficerent: Et tamen 1. Cor. 8. Apostolus tantam beneficentiam non requirit, ut *aliis sit remissio*, benefacienti autem *tribulatio*, *sed ex æqualitate*, inquit. Illud etiam notissimum est, multos ex Superioribus, ne tum quidem diversum quid à communi consuetudine admittere, cùm valetudinis ratio perspicuè id exigit, neque ut consentiant, adigi posse; donec vel Medico ità præcipienti, vel alterius Superioris mandato obtemperare cogantur. Nam H si ullam Regulam, eam profectò, quæ jubet, ut communem vivendi rationem sequantur, quàm diligentissimè custodiunt, utpote, in qua magnum præsidium ad vitæ religiosæ disciplinam conservandam, collocatum probè nôrint. Quod olim Samuel coram universo Israële liberrimè

Superiores Societatis communi cum subditis victu & vestitu utuntur.

aje-

Ajebat: hoc quivis Superior, memor sui muneris, usurpare potest ad suos subditos. 1. Corinth. 12. *Conversatus coram vobis usque ad hunc diem, ecce præsto sum, loquimini de me coram Deo, & Christo ejus, si de manu cujusquam munus tuli:* si usitata & quotidiana victus & vestitus ratione contentus non vixi: non dubito, ut Samuelem, ita & Rectorem illum, communi omnium suffragio immunem ab omni transgressione proclamatum iri. Quòd si unus aut alter turbidior & cerebrosior prosiliat, (possent enim fortasis enasci tui similes, quorum judicio *fertilior seges est alienis semper in arvis; vicinúmque pecus grandius uber habet;*) qui contrarium asserat, ejus certè non major habenda esset ratio, quàm ejus, qui adversùs communem Israëlitarum consensum Samuelem injustitiæ insimulâsset.

B Pergis mentiri: *Si ipsi infirmentur, nulli sumptui parcendum; si subditorum aliquis, opportunè monendus est medicus, ut à medicinis & cibo sumptuosiore abstineat.* Nihil à veritate alienius; quod testabuntur omnes illi medici, qui nostris, dum ægrotant, medentur. Nam quod B. Job de se verè prædicabat: *Ab infantia sua crevisse secum miserationem;* hoc & Societas nostra verè gloriari potest, quæ à primo suo ortu singularem ægrorum curam habere consuevit, edocta cùm à suo Parente Ignatio, cui hic semper animus; tum ab ipsa unC ctione sancti Spiritus. Nec hîc habetur ulla personarum ratio, sed necessitatis & ægritudinis: nec quidquam, quod opis & facultatis nostræ sit, intermittitur, ut infirmus pristinas vires recipiat, licèt infimæ sit conditionis; imò, vix mihi tempero, quò minùs illud Apostoli usurpem: 1. Corinth. 12. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem* (& curam) *abundantiorem circundamus. Qui valetudinarii sunt,* inquit de Philo lib. Quod omnis probus sit liber. Jessæis Philo, *non negliguntur, paratum habentes è publico infirmitati subsidium, quam securè sustentant ex communi copia.* Idem ego verè adversùs commenta tua dixerim, quia, ùt illis, ita & nobis omnibus unum est *promptuarium, unde vestitus & mensa,* (& medicina) *communis sumitur.*

D *In laboribus,* inquis, *sustinendis aliis imponunt, quæ ipsi, ne digito quidem, attingere volunt.* Falsum: Nam Superiores nostri illud sibi dictum existimant: 1. Timoth. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate,* uno verbo, in omni opere. Apud Religiosos locum non habet illud: L. princeps. ff. de legibus. L. digna. C. de legibus. *Princeps non est subjectus legibus;* Sed illud: *Digna vox majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeò de auctoritate juris nostra pendet auctoritas; & revera majus imperio est, submittere legibus principatum.* Et illud Pontificis: C. omnes, Ext. de Constitut. *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet.* Etsi hæc non ita accipienda sunt, quasi is, qui præest, omnia illa subire aut possit, aut debeat, quæ subditus: nam Pastoris est, pascere, subditi, pasci; Rectoris regere & imperare, subditi regi & imperata capessere; quæ utique distincta munia sunt: sed sensus est, ut, quantum licet per officium Superioris, sese cum subditis conformet, neque se omni legum metu & observatione solutum existimet: præsertim quando materia legis aut præcepti ad ipsum etiam pertinere potest; tunc enim culpa non caret, id oneris imponere subditis, quod Rector suscipere nolit, aut velit quidem, sed verbo, non re; nam tunc in illum quadrat illud Domini: *Dicunt, & non faciunt.* Quales erant non modò Pharisæi olim, sed & Manichæi, qui suis præcipiebant, *ne æs in zonis ferrent,* ipsi autem vanissimæ sectæ Antistites aurô & argentô abundabant: Et si fortè ideo hoc præceptum suum sanctè custodivisse credendi sunt, quia *non æs in zonis, sed,* ùt inquit S. Augustinus, *aurum in arcellis & in sacculis possidebant & circumferebant.* S. August. lib. 5. contra Faustum, c. 5. *Hinc,* inquis, *perpetua subditorum erga Superiores amaritudo, hinc murmurationes, hinc persecutiones, hinc frequenter tandem discessiones.* De dissidiis. Si quæ ex prædictis vitiis apud nos existunt, ea certè non ex eo, quo tu ais, fonte existunt, quòd scilicet Superiores alligent onera subditis *importabilia,* ipsi verò ea, *ne digito quidem attingant;* sed aliunde nascuntur; inde videlicet, unde omnia zizania prodeunt, ab *inimico* nimirum *homine;* qui in id unum incumbit, ut Moysi & Aaroni, æquissimô imperiô populum gubernantibus, excitet aliNum. 16. quem Core, Dathan & Abiron; qui, ùt illi Moysi, ita isti suis Antistitibus impudenter verbis illis insultent: *Sufficiat vobis,* G *quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?* Qui si vocentur à Moyse, respondeant: *Non venimus: nunquid parùm est tibi, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat,* (ex Ægypto scilicet,) *ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum; An & oculos nostros vis eruere? Non venimus.* Quæro ex te, unde isti murmillones murmurandi contra Moysen & Aaron occasionem sumpserint? ánne inde, quòd Moyses & Aaron præciperent nimis aspera & dura? ita fortè ipsis videbatur; At non Domino, qui fecit servo suo Moysi *judicium & justitiam;* satísque, notissimo illo seditiosorum nebulonum interitu, declaravit, quàm chari & grati sibi sint, qui adversùs Magistratum insurgunt, jugúmque parendi à cervice sua excutiunt. H

Cæterùm, si in illa Ecclesia Dei, in illo Electo populo, quem sibi Deus, tanquam pecu-

A peculium, ex tot totius orbis nationibus, ſecreverat, tótque miraculis & portentis liluſtrem reddiderat, tales exortæ ſunt amaritudines, murmurationes, impudentiæ & irreverentiæ ſtolones; quid mirum, reperiri in Religioſis familiis, qui ſimilia audeant, & vetera ſcelera novis exemplis innovent? Ne prima quidem Angelorum congregatio hîs monſtrîs carere potuit; quid enim Apoſtatæ illi ante Apoſtaſiam aliud fuerunt, quàm amaræ mentis murmuratores, & divinæ Majeſtatis detractores: pleni rancore adverſus Deum & invidiâ? Nec Corinthiorum Eccleſia ab his immunis fuit. *Timeo*, inquit Apoſtolus, *ne fortè cùm venero, non quales volo, inveniam: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos:* Sed quàm parùm tulit Moyſes illos ſuſurrones: quàm parùm *Michaël & Angeli ejus prœliantes cum dracone*, tulerunt ſeditioſos ſpiritus; quàm parùm Apoſtolus inter Chriſtianos hæc vitia ferre conſueverat: B tam parùm tolerantur iſti in Societate. Cum Caſſiano dicam: *Aut plagîs aut expulſione purgantur.* Tu *perſecutiones* nominas. At perſecutio non eſt, ubi culpa eſt, quia perſecutio innocentiam deſignat: caſtigatio eſt, & quidem meritiſſima caſtigatio: Eodem jure nominares *perſecutionem* prælium illud, quo Michaël & Angeli ejus, Luciferum & copias ejus perſecuti ſunt, & de cœlo deturbârunt in tartara; ubi, velut in ſpeculo, clarè contemplari potes, qui exitus maneat turbatores, murmuratores & detractores; *Neque locus amplius eorum inventus eſt in cœlo*, inquit S. Joannes, *& projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas* (hoc eſt calumniator & adverſarius) *qui ſeducit univerſum orbem*, ſi non effectu, certè conatu; *Et projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi*, ut, quos culpâ junxerat, pœna quoque non disjungeret.

2. Corinth. 12.

Diſſidia non tolerantur in Societate.

Apoc. 12.

C *Hinc*, inquis, *frequenter diſceſſiones*; omnino hinc, hoc eſt, ex murmurationibus, detractionibus & ſeditionibus adversùs Præſules excitatis; quia hæ & ſimiles noxæ, via certiſſima, ad defectionem ducunt. At iſtæ diſceſſiones, vel potiùs ejectiones & abjectiones, non magis obſunt Religioſo Ordini, quàm cœlo proD ſcriptio obfuit Luciferi & ſociorum. Nam tunc primùm, velut victoria adepta lætis vocibus clamamus: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum* (& Superiorum) *qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte;* Sed eo jure, quo Core, Dathan & Abiron accusârunt Moyſen & Aaronem in conſpectu Domini. Porro ſi hujusmodi turbines non expectent, donec ejiciantur, ſed ultrò abeant, tunc idem dico, quod olim S. Bonaventura, cùm ſimile argumentum tractaret: *Quòd ſi, Deo permittente*, inquit, *talis ſeipſum ejiceret, gratiæ ſunt Deo referendæ, non quia ille peccavit, ſed quòd oves ſuas à peſtifera contagione liberavit; Utinam & abſcindantur, qui vos conturbant, ſcilicet puritatem veſtram, pacem, & famam.* Hæc S. Bonaventura. At quòd ita loqueris, quaſi hujusmodi amaritudines & exulcerationes animorum erga Superiores ſint apud nos perpetuæ & quotidianæ, id ideo facis, quia ex eorum es numero, quorum non modò os, ſed & calamus *maledictione & amaritudine* ſcatet; ſi enim ullus eſt Ordo, qui operam dat, ne qua *radix amaritudinis ſurſum germinans* impediat ſubditorum cum Superiore nexum & conjunctionem, & *per illam inquinentur multi;* in eo certè Societas quoque noſtra nomen ſuum profiteri poteſt: Et meritò nihil loci amaritudini F relinquit; quia, ùt verè ait Eccleſiaſticus, *non eſt ſenſus, ubi eſt amaritudo:* Quare & Apoſtolus ſeriò monet, ut omnis *amaritudo* è medio tollatur: Deinde tantum abeſt, ut hæc amaritudo ſubditorum adverſus Antiſtites ſit aut frequens, aut apud multos, aut etiam plerosque uſitata, ut verè teſtari poſſim, tot annorum experientia edoctus, ſubditos erga ſuos Rectores non aliter affectos eſſe, atque olim erant Galatæ in Apoſtolum; quorum incredibili amori hoc ipſemet teſtimonium dedit: ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum: *Teſtimonium perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.*

S. Bonavent. q. 14. in Reg. S. Franciſci.

Hebr. 12.

Eccleſ 21.

Epheſ. 4.

Amor erga Superiores.

Galat. 4.

G *Ipſi quoque ſubditi*, inquis, *inter ſe dimicant, dum unus alterum, alter eundem ſuperbum prædicat, omnia inter ipſos in ſuis congreſſibus obtrectatione, ſcommatibus, irriſione & rixis plena eſſe ſolent.* Non nego, reperiri poſſe, qui, ùt pacem cum Superiore ſcindunt, ita eandem cum proximo violent; & qui prius illud peccatum admittunt, iis admodum proclive eſt, & in hoc alterum incurrere; Quomodo enim pacificè viveret cum membris, cui nulla pax cum capite? Sed nec hoc novum & inſolens videri debet, in quavis familia, quamvis ſanctiſſima, exſiſtere tales, qui pacem & concordiam in poſtremis ducant. Quid ſanctius Eccleſia & Chriſtiana H profeſſione? Et tamen quantæ in hoc tam ſancto inſtituto diſſenſiones, quantæ rixæ, ſceleratorum improbitate ſuſcitatæ? *Audio ſciſſuras eſſe inter vos*, ait Apoſtolus, de prima illa Corinthiorum Eccleſia; *& ex parte credo; nam oportet hæreſes*, hoc eſt, diſſenſiones, non modò in quæſtionibus fidei, ſed & in quotidiano convictu *eſſe*; *Ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Nam ùt verè ait S. Auguſtinus: *Omnis*

1. Cor. 11.

S. Auguſt. in Pſalm. 54.

A *nis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Cæterùm licèt nullus Ordo sit, in quo similia peccata aliquando imbecillitate, aliquando improbitate hominum exoriri non consuêrint; Rectores tamen diligentissimè advigilant, ut, quoad licet, non oriantur; vel orta, è vestigio, ne ulteriùs serpant, compescantur; Illud enim Apostoli monitum in corde & in ore indesinenter ferunt: *Corripite inquietos.* Quòd si correptionibus nihil proficiant, faciunt id, quod fieri optat idem Apostolus: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant.* Nec parcimus ulli, quisquis sit, quia, ùt suprà cum sancto Bernardo dicebam. *Melius est, ut pereat unus, quàm ut unio: Judicatur,* inquit Tertullianus, de veteri Ecclesia, *magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summúmque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* At quòd omnia apud nos *rixis circumsonare* scribis, nil præter solitum facis, semel mentiri ingressus, cœptum cursum tenes. C Sed commentis tuis oppono inprimis judicium ipsorum etiam hostium nostrorum, qui persuasi sunt, nos conjunctissimè vivere; planéque fraternè inter nos amare, quódque uni aut lætum aut adversum accidit; id singulos pro suo ducere: Et quod olim Ethnici, mutuo Christianorum amore obstupefacti, usurpare solebant. *Vide, ut invicem se diligant?* Id etiam adversarii nostri hodie, nostram concordiam intuiti, usurpant. Deinde si tanta discordia inter nos regnaret, quomodo Societas nostra consisteret? An nescis illud veritatis: *Omne regnum in se divisum desolabitur?* Quomodo Societas indies magis atque magis propagaretur, non sine tuo, tuique similium fremitu & gemitu? Nihil profectò ad amplificationem alicujus familiæ ineptius est rixis, dissensionibus, mutuísque obtrectationibus.

f. Thessal. 5.

B

Tertull. Apolog. cap. 39.

Sed probas mendacium tuum exemplô D Italorum & Hispanorum, *quos*, ais, *Capitali odio inter se dissidere.* Item: *Chartas famosas (pasquillos* vocant) *in collegio Romano, adversus Superiores aliquando disseminatas fuisse.* Verùm Hispani illi & Itali fortè tui fuerunt similes, hoc est, turbatores, & seditiosi; Vocationis suæ aut immemores, aut ignari; nam verus Religiosus nationum discrimina non novit: quippe apud quem, ùt & apud Deum, non sit distinctio *Barbari & Græci*, quia *non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber: Non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu,* inquit Apostolus: Et ut maximè sint à natura affectus sinistri nationis in nationem; attamen gratia, quàm natura potentior est, ejusdémque vitia corrigit; Et à primis Religiosæ vitæ

Rom. 10. Galat. 5.

rudimentis instillatur nobis illud P. N. Ignatii mandatum; quo jubetur: *Ut omnes sibi caveant ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistrè, aut loqui solent,* quin *potiùs & benè sentiant,* inquit Regula: *Et peculiari affectu diversas à sua nationes prosequantur. Non ubi prognatus, sed ut moratus quisque sit, spectandum,* ait quidam Philosophus, *nec qua regione, sed qua ratione vivere inierit, considerandum est.* Quod Religiosi vel inprimis considerant; Hinc Germanus cum Italo, Italus cum Hispano, Hispanus cum utroque conjunctissimè degit, uno eodémque Religionis jugo devinctus; impletúrque denuo illud Isaiæ oraculum; *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabitur; Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Hæc nimirum gratia Religionis est, & Evangelicæ perfectionis; quæ diversas & naturas & nationes in unum quasi conflat, quam unitatem, qui discindere nititur, is tanquam communitati perniciosus, exterminatur: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei,* inquit Apostolus; qui & alibi clamat; *Auferte malum ex vobis ipsis.* Et ad hanc animorum conjunctionem viam nobis præiverunt primi Patres nostri; qui arctissimô charitatis vinculô colligati fuerunt; licèt oriundi essent ex diversis admodum regionibus.

Isaiæ 11.

E

F

1. Cor. 11.

1. Cor. 5.

Ille, qui schedas dentatas, dentati animi indices, spargit, talis procul dubio existitit, qualis tu, qui publicè facis, quod ille privatim egit, nisi quòd publicus conviciator tantò deterior est privato, quantò publicum crimen conspectius est in se; quàm privatum. Quamvis autem, qua sorte & conditione ille fuerit, ignorem; hoc ipso tamen, quòd ejusmodi chartas conscripsit, liquidò liquet, quo ingenio fuerit: Nullus enim probæ notæ, nedum Religiosus, hoc committit, quod etiam legibus politicis gravissimè interdicitur: *Si quis*, inquit lex, *famosum libellum sive domi, sive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum, si verò non statim eisdem chartulas vel corruperit vel igni consumpserit, sed vim earum manifestaverit; sciat, se quasi auctorem hujusmodi delicti, capitali sententiæ subjugandum.* En quid mereantur hujusmodi libellorum non modò auctores, sed & lectores & propagatores. Quam legem tu saltem eò religiosiùs observare debueras, quò major vindex & assertor sacrorum Canonum adversùs Jesuitas videri cupis. *Est enim*, ùt inquit Glossa quædam, *hæc lex canonizata*, hoc est, in corpus juris Canonici translata. Exstat namque apud

G

De chartis & libellis famosis L. Si quis. C. de fam. libell.

H

A Gratianum 5. q. 1. c. *Si quis.* Quòd si pœna hæc nimis tibi dura videtur, accipe mitiorem ex Canonibus. *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumelioſa confinxerit, & repertus ſcripta non probaverit, flagelletur; & qui ea priùs invenerit, rumpat, ſi non vult auctoris factì cauſam incurrere.* Alius Canon hoc præmium his decernit: *Si qui inventi fuerint famoſos libellos in Eccleſia ponere; anathematizentur.* Sed tu, & frater ille tuus, nec verbera, nec anathematum fulmina, nec capitis diſcrimina metuitis, dulcedine calumniandi in præceps abrepti. Ex quibus

B cuivis manifeſtum evadit, quam exiſtimationem, canonum & legum conditores, de hujus farinæ hominibus habuerint, cùm eos, tanquam nocentiſſimos & mendaciſſimos, graviſſimis pœnis addicant: hoc ipſo, quòd ſuppreſſo ſuo nomine, illicita via & ratione, aliorum famam proſcindunt, *Quia quisquis veraciter loquitur,* inquit S. Gregorius, *ſemetipſum innoteſcere non debet formidare; oportet, ut publicè exeat, & quæcunque in conteſtatione ſua loqui præſumpſit, oſtendat.* Quæ verba S. Gre-

C gorius dixit & ſcripſit tunc, cùm ſimili audacia & impudentia quidam anonymus contra Caſtorium Notarium & Reſponſalem ejus, & contra ipſam S. Gregorii perſonam, famoſum libellum diſſeminâſſet; quem etiam ſanctiſſimus Pontifex, juſtiſſima indignatione commotus (ùt & illos, qui *in tantæ iniquitatis conſilio conſenſum præbuerant*) *participatione corporis & ſanguinis Chriſti privavit.* Cæterùm, ſi tanti Pontificis ſanctiſſima & planè Angelica vita, hujusmodi infames chartas vitare non potuit, quid mirum, Religionum Antiſtites ſimilibus aliquando improborum ſchedis exagitari? Nunc gradum ad alia faciamus: nam quid præterea Pontificibus de noſtro vivendi inſtituto percenſere ſoleamus, ſolitis tibiis decantare pergis.

D *Simile omnino eſt, quod apud Sanctiſſimos adeò gloriosè buccinant, ex propriæ perfectionis ſtudio, tantam in ſuis etiam juvenibus puritatem ſequi prædicant, ut vel Angelicæ ſit comparanda: tantum orandi, ſeque mortificandi deſiderium naſci, ut fræno, non calcari ſit opus. Quosdam verò adeò in oratione elevari, ut vel ad viſiones quandoque ventum fuerit.* Quæſo, interfuiſtíne, cùm hæc aliquis ex noſtris Pontifici commemoraret? Si non interfuiſti, quod, meo judicio, extra controverſiam eſſe debet, unde hæc tam accuratè nôſti? Nam ne te ſcriptorem Canonicum eſſe credam, qui à Spiritu ſancto ducatur, & non tam agat quàm agatur, obſtant mendacia, quæ hactenus effudiſti plurima; quæque in poſterum copiosè, ſine more modóque, effundes, Si autem intellexiſti ex alio hæc & ſimilia Pontifici à noſtris percenſeri, cognoſcere aveo, quis ille ſit: Ede nomen, E ut quid de homine ſtatuendum ſit, ſtatuere liceat. Produces forſan illum, qui chartas criminatrices, de quibus paulò antè dictum, ſparſit. At hujus tanta eſt, erítque apud me fides, quantam meretur. Quis enim tam levis eſt, ut quidquam credendum exiſtimet calumniatori, frontis & pudoris tam prodigo? *Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem ſcripſerit, ait lex, compoſuerit, ediderit, dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine; uti de ea re agere liceret, & ſi condemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe jubetur.* Dices fortè, illum *tuum* nondum eſſe condemnatum; At ut ab aliis non fuerit condemnatus, certè à ſe, & à pro- F pria conſcientia condemnatus fuit, qua non video, cur major condemnatio expectanda ſit. Deinde, ſi rem ſine exaggeratione & hyperbolis exponeres; fortè invenires, quibus fidem faceres; nunc cùm nullos penitùs tibi mentiendi terminos figas, neſcio, quis tam credulus ſit futurus, ut tibi talia blateranti fidem ſit accommodaturus. Qualis enim hyperbole noſtros de noſtris prædicare, quaſi ea puritate G clareſcant, quæ vel *Angelicæ* ſit comparanda? Monet quidem P. Ignatius, ut omnes enitantur *Angelicam puritatem* imitari, & corporis & mentis noſtræ munditia: unde opinor, calumniæ tuæ anſam arripuiſti: ſed aliud eſt ad Angelicam puritatem exhortari, vel etiam eniti: aliud eſt, quaſi ad Angelicam puritatem perveneris, gloriari: Primum cujusvis religioſi eſt, qui carni & mundo valedixit: alterum thraſonis, & ubi vivat, & qua lege vivat, ignorantis. Sed tibi, ùt & aliis nimium videtur, quòd parens noſter Ignatius, nos ad Angelicam puritatem ſectandam commonefacit. At niſi fallor, ma- H jus quiddam eſt, quòd Chriſtus ad perfectionem ſui cœleſtis Patris nos cohortatur, & ipſe Deus in Veteri Teſtamento hoc præceptum populo ſuo dedit: *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum;* Dic mihi Cal- Matth. 5. vinopapiſta, utrum difficilius creaturæ aſ- Matth. 11. ſequi, divinámne perfectionem & ſanctitatem Dei increatam, infinitam & nullis limitibus circumſcriptam: an puritatem Angelicam, creatam, finitam, finitisque terminis comprehenſam? Et tamen non obſtante illa perfectionis & ſanctitatis immenſitate, ad illam pro modulo noſtro æmulandam divinis vocibus incitamur: Cur igitur non incitaremur, humano ſaltem parentis noſtri celeuſmate, ad laudem & decus Angelicæ caſtitatis perſequendum: præſertim cùm Nazianze- vita cælibum, ſit vita cœlitum? *Angelorum* nus orat. *vitam elegiſti*, inquit S. Gregorius Nazian- in dict. zenus, virginem alloquens, *in eorum or-* Evang. *dinem te aggregâſti, qui jugum neſciunt,* Et Matth. 19. infrà: *An non planè Angelicum, eam, quæ carnis*

5. q. 1. c. qui.

L. Lex Cornelia. ff. de injuriis.

S. Greg. lib. 5. epiſt. 30 5. q. 1. c. quidam.

A *carnis vinculis alligata sit, non secundùm carnem vivere, sed natura ipsa excellentiorem esse?* Alibi idem sanctus Pater, his ad virginem verbis utitur: *Spirituales virtutes imitata, Angelicam vitæ rationem in terra consectata es.* Sciens prætereo alios Patres, qui eodem præconio vitam cælibem condecorant; quia ad te propero, ut audiam, quonam pacto hæc & id genus alia falsa esse demonstres. Nec multùm repugnarem, si falsa esse doceres, prout à te proponuntur & exponuntur: quia revera falsa sunt; sed quoniam eò tendis, ut calumniarum tuarum cuniculis, quidquid apud nos laude dignum reperitur, subvertas: ideo conatibus tuis occurrendum est.

Nazian. Exhort. ad virg.

B Ais; *Quod ad Angelicam illorum puritatem attinet: notissimum est, plurimos ex illis, dum in illorum monasteriis viverent, cum puellis matrimonium de præsenti contraxisse. Multos quoque, qui ab illis discedunt, primo etiam die, ad scorta impudentissimè se conferre.* Subit memoriæ illud Tertulliani: *Piget jam cum talibus congredi, pudet & jam de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est.* Citat & laudat S. Cyrillus hunc veteris poëtæ versum: χαλεπὸν παμφίλη ἐλευθέρα γυναικὶ πρὸς πόρνην μάχη. *Gravis & molesta res est, honestæ & pudibundæ matronæ pugna & concertatio cum effronte scorto: nam cùm non possit,* inquit S. Cyrillus, *justè sanctam, & honestam, ac ingenuam illius vitam arguere, suorum criminum sordes in illam emungit, dicacique & abominabili lingua invadit.* Quàm verè hæc & à poëta, & à S. Cyrillo dicta sint, cùm aliàs sæpe expertus sum, tum maximè cum hoc impuro & impudente conviciatore experior. Sed tamen vel cum jactura verecundiæ in hanc arenam pertrahor.

De castitate.

Tertullian. lib. de jejun.

C

S. Cyrill. lib. 7. contra Julian.

D Ac primùm gravissimam, & planè divinam S. Augustini orationem calumniatoribus nostris oppono: nam cùm de Venereo flagitio, quasi sua in familia perpetrato S. Augustinus ageret, ita præter cætera ad Clerum & plebem Hipponensem scribit: *Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, homo sum; & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est; aut melior sit, quàm domus Abrahæ, ubi dictum est: Ejice ancillam & filiam ejus; aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit, quàm domus ipsius Jacob, ubi lectum patris, filius incestavit; aut melior sit, quàm domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit; cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen, si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superiùs commemoravi, foris pugnæ, intùs timores; nec diceret, cùm de sanctitate & fide Timothei loqueretur, neminem habeo, quæ germanè de vobis sollicitus sit, omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Jesu Christi: Aut melior, quàm ipsius cohabitatio Dominæ Christi, in qua undecim boni, perfidum & furem Judam toleraverunt; aut melior sit postremò, quàm cœlum, unde Angeli ceciderunt.* Hæc Augustinus pro sua & nostra familia.

S. August. epist. 137. ad Clerum & plebem. Hipp.

E

F Addo ego; non est sanctior domus nostra, quàm locus, in quo Salvator noster natus est, & tamen in hac ipsa spelunca ad flagitium Sabinianus Diaconus, virginem sacram sollicitavit, & cum ea quasi matrimonium *de præsenti*, ùt tu loqueris, contraxit. Quod scelus D. Hieronymus his verbis deplorat, vel potiùs detestatur. *Infelicissimè mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius puer natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro conducturus ingrederis? Non times, ne de præsepi infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & tu cubiculum virginis decepturus virginem irrepis? paveo, ô miser, & tam mente, quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum. Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diversarum gentium linguis, unus in laudibus Dei spiritus concinebat, tu inter ostia quondam præsepis Domini, nunc altaris, amatorias epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inveniret & legeret, & stabas deinceps in Choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Prô nefas, non possum ultrà progredi, prorumpunt lachrymæ, antequam verba; & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium, spiritus coarctatur.* Ubi

S. Hieron. epist. ad Sabinianum.

G

H *mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenis? nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret: inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec Mimus fingere, nec scurra ludere, nec Attellanus possit effari. Moris est in Ægypto & Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcârint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato orent. Nec hoc quispiam præter tondentes novit & tonsas, nisi quia, quod ab omnibus fit, penè scitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam, vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore nôrunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & con-*

A *& concretis ſordibus opprimantur. Videamus igitur tu, vir bone, inter iſta, quid feceris. Futuro matrimonio, in ſpelunca illa venerabili, quaſi quosdam obſides, accipis capillos, ſudariola infelicis, & cingulum dotale pignus deportas: jurans ei, te nullam ſimiliter amaturum: deinde curris ad paſtorum locum, & Angelorum deſuper ſtrepitu concinente in eadem verba teſtaris. Nihil dico amplius, quòd in oſcula rueris, quòd amplexatus ſis. Totum quidem de te credi poteſt, ſed veneratio præſepis, & campi non me ſinunt plùs credere, quàm te voluntate tantùm & animo corruiſſe. Miſer, nónne quando in ſpelunca cum virgine ſtare cœpiſti, caligaverunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutavit inceſſus? Poſt Apoſtoli Petri Baſilicam, in qua Chriſti ſtammeo conſecrata eſt, poſt Crucis & Reſurrectionis, & Aſcenſionis Dominicæ ſacramenta, in quibus rurſum ſe in monaſterio victuram ſponderat: audes crinem ejus accipere, tecum noctibus dormituræ, quem Chriſto meſſuerat in ſpelunca? Deinde à veſpere usque manè feneſtræ illius aſſides, & quia propter altitudinem hærere vobis cominùs non licebat, per funiculum,*

B *vel accipis aliquid, vel remittis. Vide, quanta diligentia Domini fuerit, ut nunquam domi virginem, niſi in Eccleſia videris: & cùm talem uterque veſtrûm habuerit voluntatem, niſi per feneſtram nocte facultas vobis non fuerit colloquendi. Oriebatur tibi, ùt poſtea didici, ſol invito, exanguis, marcidus, pallidus, ut ſuſpicione omni careres, Evangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabas. Nos pallorem jejunii, exangue os, contra inſtitutum ac morem tuum, quaſi confectum vigiliis mirabamur. Jam tibi & ſcalæ, per quas deponeres miſeram, parabantur: jam iter diſpoſitum, decreta navigia, condicta dies, fuga animô pertractata, & ecce Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus, curam, qua tanta*

C *faciebas, prodidit. O funeſtos oculos meos, ô diem illum omni maledictione digniſſimum, in quo epiſtolas tuas, quas huc usque retinemus, conſternata mentè legi. Quæ ibi turpitudines, quæ blanditiæ, quanta de condicto ſtupro exultatio? Hæccine Diaconum non dicam loqui, ſed ſcire potuiſſe? Ubi miſer iſta didiciſti? qui in Eccleſia te nutritum eſſe jactabas? Niſi quòd in eisdem epiſtolis juras, te nunquam pudicum, nunquam fuiſſe Diaconum.* Hæc S. Hieronymus de ſcelere, ſuo in cœtu, ſi non perpetrato, certè deſtinato & concepto.

D Apoſtolus de Corinthiis ita ſcribit: *Omni-*
1. Cor 5. *no auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat.* Et alibi metuens, ne in Co-
2. Cor. 12. rinthiorum Eccleſia reperiret, qui libidinis labes pœnitentiæ lachrymis non eluiſſent. *Timeo,* inquit, *ne iterum, cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui antè peccaverunt, & non egerunt* E *pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Hæc eo conſilio adduxi, ut demonſtrem, extra beatorum Ordinem, nullum ſtatum eſſe tam ſanctum & immaculatum, cujus Profeſſoribus hoſtes noſtri, Diabolus, caro & mundus nequeant inſidias ſtruere, & pedicas tendere, incautósque in interitum præcipitare: nec eſſe mirandum, ſi homo, quamvis Profeſſione Religioſus, ruat, & qui priùs Angelorum eſca veſcebatur, nunc porcorum ſiliquis ingurgitetur. Scio eſſe, F qui iſthæc mirentur, quibus quid aliud dicam, quàm illud Tertulliani: *Solent iſti mi-* Tertullian. *riones etiam de quibusdam perſonis ab Hæreſi* lib. de Præſcript. (& Venere) *captis, ædificari in ruinam. Quare illa vel ille fideliſſimi, prudentiſſimi & uſitatiſſimi in Eccleſia in illam partem tranſierunt? Quis hoc dicens, non ipſe ſibi reſpondet; neque prudentes, neque fideles, neque uſitatos æſtimandos, quos hæreſes* (& carnis flagitia) *potuerint demutare? Et hoc mirum opiner, ut probatus aliquis retrò poſtea excidat? Saul bonus præ cæteris, livore poſtea evertitur: David, vir bonus, ſecundùm cor Domini, poſtea cædis & ſtupri reus eſt. Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio ſervabatur, ſine delicto permanere.* Ita Tertullianus.

Ergo Ordini non eſt dandum vitio, ſi G qui fraude dæmonis in vitia prolabantur: illud vitio daretur non immeritò, ſi Ordo tales toleraret, ſi non ſeveriſſimè talia piacula expiaret: ſi non omnem, quæ humanæ induſtriæ poſſibilis eſt, induſtriam adhiberet, ut hujusmodi vitiis aditum intercludat. Qua de cauſa S. Apoſtolus vehementer Corinthios increpat, quòd promeritas pœnas in libidinoſum illum non è veſtigio ſtatuiſſent, etiam expulſione ab Eccleſia; *Et vos inflati eſtis,* inquit, & *non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit.* Et infrà, quid cum his agendum ſit, præſcribit in hunc modum: *Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum* H *hujusmodi nec cibum ſumere.* Præterea nemo prudens neſcit, quid & quantum credendum ſit hæreticis; cùm in hoc argumento verſantur: Nam ſi usquam mendaciis habenas laxant, hîc vel maximè laxant, præſertim cùm Jeſuitas ſibi delegerunt, quos hac infamiæ macula aſpergant. *Ad quid enim aliud ſedent iſti,* (utor verbis S. Auguſtini) *& quid aliud captant, niſi ut* Epiſt. 137. *quisquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm au-*

A *autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſitatis ſonuerit, vel verè patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur, Hos ergo de noſtris doloribus ſuavitatem ſuæ linguæ captantes, facile eſt, ut illis canibus comparemus, ſi fortè in malo intelligendi ſunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante januam divitis jacebat, & quousque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa & indigna omnia tolerabat.* Imò quod idem Auguſtinus rectè ſcripſit: *Hæretici non habendo, quod in cauſa ſuæ diviſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè jactant, ut quia ipſam divinæ Scripturæ veritatem, qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit,*

B *poſſunt.* Hæc S. Auguſtinus, quæ quàm vera ſint, docent cùm alii Sectarii, tum iſte noſter, qui, quod pauciſſimi fecerunt, plurimos feciſſe, ait; ſed quales iſti, ipſemet deſcribit: non opus eſt deſcriptione noſtra: Apoſtatæ videlicet, vel qui jam Apoſtaſiæ proximi. Hos, qui miratur, talia flagitia committere, is genium & ingenium Apoſtatarum ignorat. Apoſtatas eſſe impuros, non eſt magis novum, quàm excrementa corporis eſſe impura; nam ſi pura eſſent, excrementa non eſſent. Quid mirum, Apoſtatas eſſe vinoſos & luxurio-

Eccleſ. 19. ſos, cùm *vinum & mulieres apoſtatare faciant etiam ſapientes*, quantò magis truncos & ſtipites? Mirandum magis eſſet, ſi Apoſtata templum, quàm popinam & proſtibulum magis amaret. *Homo Apoſta-*

Proverb. 6. *ta vir inutilis*, Salomone teſte. *Simpliciter fateor charitati veſtræ, coram Domino Deo*

S. Auguſtin. Epiſt. 137. *noſtro*, inquit S. Auguſtinus, *qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quàm qui in monaſteriis*

C *ceciderunt. Ita ut hinc arbitrer ſcriptum in Apocalypſi: Juſtus juſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Hæc S. Auguſtinus veriſſimè. Sed audiamus, quid inſtructionis cauſa ſubjungat. *Etſi*, inquit, *contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, unde Apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur.* Hæc in præſentia de hoc argumento ſatis: nam infrà dabit nobis calumniator occaſionem plura dicendi, addendíque, ſi quid hîc præteritum videtur.

D De oratione. *Nec tantus eſt*, inquis, *orationis fervor, vix enim dies dabitur, quin aliquem caſtigent, vel quòd ad orationem tardiùs ſurrexerit, vel in ipſa oratione dormierit.* Si caſtigantur, qui ſeriùs ad preces ſurgunt, aut inter orandum obdormiunt; ſignum igitur eſt orationis ſtudium fervere: cùm nullus toleretur tepidus, nullus ſocors & ſomnolentus; nam ſi orationis nulla cura eſſet, Superiores profectò à negligentibus pœnas non repoſcerent. Interim acumen tuum ſatis mirari nequeo; nam ſi pœna à delinquentibus exacta, argumentum eſt negligentiæ, tum ſequitur, in ea civitate non florere juſtitiam & æquitatem, ubi injuſti & iniqui puniuntur, nec temperantiam, ubi temulenti merita ſupplicia expendunt: Et ut ad propoſitum noſtrum paulò accommodatius exemplum adducam; apud veteres illos Monachos orationis ſtudium non fervebat, quia deſides, pœnitentiis ad ardentiùs precandum, excitabant. Ita enim F Caſſianus, cujus auctoritatem non deſpicies, ſi non modò ore, ſed & corde Catholicus es: At ſi ore tantùm fidem orthodoxam profiteris, ſaltem ore auctorem hunc non repudiabis: *Is verò*, inquit Caſ- Caſſian lib. 3. de Inſtit. cap. 7. ſianus, *qui in tertia, ſexta, vel nona, priusquam Pſalmus ceptus finiatur, ad orationem non occurrerit, ulteriùs Oratorium introire non audet, nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus: ſed Congregationis Miſſam, ſtans pro foribus, præſtolatur, donec egredientibus cunctis, ſubmiſſa in terram pœnitentia, negligentiæ ſuæ vel tarditatis impetret veniam, ſciens, nequaquam ſe poſſe deſidiæ ſuæ noxam aliter expiare; ſed ne in ea quidem, quæ poſt tres horas erit ſecutura ſolennitas, admittendum, niſi pro negligentia præſenti, confeſtim vera humilitate ſubnixiùs ſatisfacere feſtinaverit. In nocturnis verò conventiculis usque* G *ad ſecundum Pſalmum præbetur tardanti dilatio: ita duntaxat, ut antequam, finito eodem Pſalmo fratres in oratione procumbant, ſemetipſum Congregationi inſerere, atque admiſcere feſtinet, eidem procul dubio increpationi ac pœnitentiæ, quam prædiximus, ſubjiciendus, ſi ultra præſtitutam dilationis horam vel modicum tardaverit.* Inter pœnas delinquentibus Religioſis decretas à S. Baſilio hæc primo loco legitur: *Si quis ſanus corpore neglexerit orationes, excommunicetur, aut unam hebdomadem jejunet.* Num & apud S. Baſilium orationis fervorem refrixiſſe dices; eò quòd in frigidos hanc pœnam ſtatuerit? Quòd autem ais, quosdam *ſeriùs ſurgere*, id ita eſt, quando vel ætatis, vel valetudinis ratio hoc efflagitat. At quòd iſtos *liberos eſſe ab oratione* ſcribis; H falſum ſcribis: nemo enim à re, omnibus tam neceſſaria, liberatur; ſed tempus certum & præfinitum precandi habent, æquè ac alii, qui una hora citiùs rerum cœleſtium meditationi vacant, nec ab Inſpectore eximuntur, niſi vel ratio officii, vel conditionis, & perſpectæ virtutis hanc immunitatem concedat. Nec id tibi tam paradoxum videri debet: in nulla enim Republica pari ſorte vivit is, qui præeſt, &

A qui ſubeſt, nec eadem prorſus onera portat Antiſtes, quæ ſubditus; ſed cum ſubdito quædam habet communia, quædam ſibi propria: ſicut & ſubditus viciſſim peculiaria habet, quorum pondere Superior non urgetur.

B *De ipſorum viſionibus*, inquit, *donec rationem aliquam probabilem afferant, ad prudentiam potiùs dubitare, quàm ad pietatem credere pertinere videtur.* Ergo quamdiu tu non credes, alicui ex noſtris precanti cœleſtem viſionem oblatam eſſe, tamdiu non offeretur: & quàm primùm credes, tum offeretur. Crede igitur, obſecro, id fieri poſſe, aut factum eſſe, ne eos, qui ardentiores preces fundunt, tanto fructu, ob tuam incredulitatem, prives: crede, inquam, & tunc ego in gratiam tuam libenter, & niſi fallor, prudenter credam; te, cùm oras, ſomnia ſomniare, & viſiones videre; non quidem illas à Joële Prophetа promiſſas, & à S. Petro, Pentecoſtes feſto, repetitas: ſed illas, quæ naſcuntur in domo Somni ab Ovidio in Metamorphoſeων libris pulcherrimè depicta, quas formare & menti objicere ſolet Phantaſus aut Morpheus, aut Icelus, & ſimiles tibi non ignoti de ſoporis aula aulici. Etſi fortè tibi injuriam non facio, ſi te ſimilem dicam Æmyliano apud Apulejum, qui nulli unquam Deo ſupplicavit, aut Faſelo Catulli, qui, *licèt veniret à mari noviſſimo, hunc ad usque limpidum lacum*, gloriabatur tamen, *nulla vota littoralibus Diis ſibi eſſe facta. Jactant*, inquis, *apud Pontificem, quaſi Italiam & Hiſpaniam ab hæreſi præſervarent; imò prædicant, quòd niſi ipſi fuiſſent, jam portæ inferi prævaluiſſent adverſùs Eccleſiam.* Ait veterum quidam: *Mendacium eſſe tenue, & facilè perlucere.* Hoc ſanè, meo judicio, tenue non eſt, ſed craſſiſſimo filo contextum; perlucet tamen inſigniter, & primo ſtatim aſpectu ſe prodit. Quis enim non animadvertat, te perquam ſplendidè, quamvis craſſè, mentiri, cùm Jeſuitas, eò impudentiæ progreſſos ſcribis, ut ſibi ſalutem totius Italiæ & Hiſpaniæ, imò totius Eccleſiæ adſcribant? An neſcire cenſes Jeſuitas, ſupra quem Eccleſia ædificata ſit? An etiam tam excordes credis, ut non percipiant, quænam vis ſubjiciatur verbis illis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* (ſeu ſuper hunc Petrum) *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* D *non prævalebunt adversùs eam.* Stupidum profectò te eſſe oportet; tum quia non attendis, quàm indoctè & incautè mentiaris, tum quia non vides, quidnam ſequeretur, ſi quis Jeſuitarum apud Pontificem gloriaretur, quaſi Eccleſia ſupra Jeſuitas ædificata eſſet. An non enim talis ad Inquiſitorum tribunal curriculò raperetur, tanquam peregrinæ & hæreticæ doctrinæ auctor? An non tam ſtolida jactantia, ſine mora debitum præmium acciperet? E Neminem tamen fugit, unde tam tu, quàm tui ſimiles hæretici occaſionem arripueritis, ad hanc calumniam excogitandam. Quia enim Jeſuitæ profitentur, & præ ſe ferunt, ſuæ vocationis eſſe, laboranti, & ab hæreticis oppugnatæ Eccleſiæ opem ferre, ideo ſcilicet jactant, ſupra ſuam Societatem Eccleſiam extructam eſſe: ideo ipſi ſeipſos *fundamenta* Eccleſiæ prædicant. At falleris, mi homo; aliud eſt, eſſe arcis alicujus defenſorem & propugnatorem; aliud baſin & fundamentum: prius, ut, Deo adjuvante, ſimus, enitimur: poſterius Chriſto, ſancto Petro, ejúsque ſucceſſoribus relinquimus, niſi fundamentum eo ſenſu accipias, quo omnes, qui Chriſtianam fidem docent & amplificare ſtudent, *fundamenta* Eccleſiæ dici ſolent; ſed, ut quis ſit hac notione *fundamentum*, F frons tamen & modeſtia non permittit, ut ſe hujusmodi fundamentum eſſe magnificè prædicet; quia jure optimo, multa quis & eſſe & habere poteſt, de quibus non niſi jure peſſimo gloriari poteſt; nec ullum hujus generis fundamentum gloriari valet, absque ſe fuiſſet, futurum fuiſſe, ut *inferorum portæ adverſùs Eccleſiam* prævalerent: nam licèt Eccleſia doctoribus & defenſoribus egeat; non eget tamen his vel illis determinatè; quia quamvis iſti non exſtitiſſent, nihilominus Eccleſia robore ſuo ſecura perſtitiſſet; Deus enim alios ſubmiſiſſet, qui fortè utiliorem operam Eccleſiæ navâſſent: hocipſo enim, quòd Deus Eccleſiæ ſtabilitatem usque ad *conſummationem ſæculi* promiſit, ſimul etiam promiſit ea, ſine quibus Eccleſia non perſeveraret, jugem videlicet idoneorum Paſtorum & Doctorum proventum.

Actor. 2.

C

De Eccleſiæ fundamento.

Ais: *Juvant quidem Jeſuitæ nonnihil ad* G *Eccleſiæ Catholicæ propagationem. Alii tamen etiam juvant;* Quis negat? *Et plus illis efficiunt.* Nec de hoc tecum contendimus, dummodo nobis quoque in hac vinea excolenda ſtationem aſſignatam relinquas. Non enim quæritur, quis plus altero labore ſuo proficiat; ſed quis proficiat; liceat illis dicere cum Apoſtolo: *Abundantius illis omnibus laboravi:* nobis, ubi omnia, quæ officii noſtri ſunt, præſtitimus, ſufficiat dicere: *ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Inter Duces, H milites, & propugnatores Regis Davidis & regni ejus varii fuerunt gradus: nam ut non ſimus inter tres primos, quorum excellentiam, ne excellentiſſimi quidem adæquare poterant; at fas ſit nobis, bona tua cum venia, eſſe inter illos, qui ſaltem trigeſimum ſeptimum locum obtinent; *Nam omnes*, inquit ſacra Scriptura, *triginta ſeptem.* Fateor tamen, me neſcire, quandonam tibi hæc provincia ſit demandata, ut lance accepta, ſicut ille apud Ho-

1. Cor. 15.

Luc. 17.

2. Reg. 23. 1. Paral. 11.

me-

A merum hominum fata: ita tu Religiosorum merita, & exantlatos labores trutines; & cuivis pro operum dignitate aut magnitudine, locum assignes: nam judicium hoc, si ritè recordor, hactenus semper ad Deum pertinuit: aut si & ad homines, non nisi ad illum, qui Christi in terris vices gerit. *Jesuitæ*, inquis, *omnia, quæ faciunt, etiam minutissima, omnibus in angulis prædicant, & plus quàm res est, frequenter decantant: At alii Religiosi rectè factorum conscientia contenti, aut facta sua reticent, aut minùs fortè præ modestia sua, quàm res est, prædicant.* Nihil de Jesuitis sine figmentis & maledictis proferre potes. Ut mihi proinde, cùm de nobis loqueris, sacra Herculis cum Lindiis celebrare videaris. *Lindiis*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *Herculem diris devovere, pium habetur; ac Deum illum non alio, quàm conviciorum & maledictorum honore afficiunt.* Ita & tu, nisi convicia conviciis jungas, cùm de Jesuitis scribis, statim scrupulus, quasi violatæ Religionis mentem tuam angit, aliósque laudas, non ut laudes, sed ut Jesuitas deprimas, quibus, fateor, mos, si quid ad gloriam Dei illustre, & ad Ecclesiæ emolumentum proximíque consolationem commemorabile, gestum est; id cum sociis ejusdem instituti, aut etiam publicè cum omnibus Christianis communicare, sed sine thrasonica exaggeratione; nec alio consilio, quàm ut Catholica fides confirmetur & amplificetur, Deóque ob benefacta gratiæ debitæ ab omnibus persolvantur. Neque hoc vetitum est, aut fœtidum, alioquin contra modestiæ leges peccâsset Apostolus, qui cùm alibi, tum ad Corinthios, labores suos & fructus, ex Evangelii prædicatione à se relatos, copiosissimè, ne dicam minutissimè, prosequitur: cui aliquis Celsus aut Julianus, livore cæcus, facilè id objecisset, quod tu Jesuitis objectas: nisi forte eò impudentiæ processisti, ut tu ipse Apostolo id vitio vertere audeas, quod, ut de fronte tua mihi persuadeam, satis argumentorum habeo. David ingressurus singulare certamen cum Gigante Goliath, Κατορθώματα sua, longa oratione, coram Saule, percensebat; quia ut percenseret, gloria Dei, & instans necessitas perurgebat: *Pascebat*, inquit, *servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant adversùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos; nam & leonem & ursum interfeci.* Quid tibi de hac Davidis oratione videtur? An & hic tuum illud adduces: *Alii silent: iste facta sua effert, & accuratissimè enumerat?* Nunquam legisti, quid Paulus & Barnabas Apostoli egerint, cùm ab Antiochenis Hierosolymam ad Apostolos mitterentur? *Illi*, inquit S. Lucas, *deducti ab Ecclesia pertransibant Phœniven & Samariam, narrantes conversionem gentium* (nota hoc Calvinista) subdit S. Lucas. *Cùm autem venissent Hierosolymam, susceptí sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus, annunciantes, quanta Deus fecisset cum illis. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos.* Ecce ubique memorant, quid effecerint, quídque Deus, ipsorum ministerio, patrârit; imò iidem, cùm Antiochiam pervenissent, & *congregâssent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei.* Ergo nihil à Religiosa modestia alienum Jesuitæ faciunt, cùm similia, eodem fine, quo Apostoli, Christiano orbi annunciant: præsertim, si quid sit de conversione gentium ex India vel Japonia, aut ex Europa, de hæreticorum ad Ecclesiæ unitatem regressione.

An liceat Ordinis præclarè facta prædicare.

Nazianz. orat. 1. contra Julian.

1. Cor. 11. & 12.

Actor. 14.

Sed ais: *Alios Religiosos id non facere.* Primùm: nostra nihil refert, idémne faciant an secùs: nobis justæ causæ suppetunt, faciendi; ipsis, si non faciunt, non faciendi. Deinde, aliud testantur diversorum Ordinum Annales, quibus enucleatè consignantur fructus, quos ex agro Dominico in Ecclesiæ horreum, & ut sic dicam, granarium, invexerunt. Quidam sanctissimi Ordinis Generalis Minister verè hæc in præfatione operis cujusdam: *Et quis, quæso, quantos in Ecclesia Dei fructus nostri faciant fratres, ulla oratione satis explicârit? nam non solùm, quæ Christo parta sunt, suo labore tuentur, verùm etiam nova quotidie regna, novas Provincias ejus imperio subjiciunt & acquiruut.* Et infrà: *Sed quid facio? ingens enim scribendus esset liber, si ea, quæ per fratres nostros ab octoginta annis in convertendis gentibus, facta sunt, describere velim.* Tandémque subjungit: *Dolet certè mihi, quòd nullus ex fratribus nostris conversionis utriusque Indiæ Ecclesiasticam scripserit historiam.* Hæc ille, quæ eo animo adduxi, ut appareat, Calvinopapistam istum in aliis commendare, quod in Jesuitis carpit. Dices fortasse; *Alios sua modestè commemorare: Jesuitas modestiæ leges transgredi.* Sed cujus judicio? Ejus nimirum, qui ab omni modestia tam procul distat, ut eam, ne eminùs quidem, unquam aspexerit: tantum abest, ut propiùs cognôrit, cognitámque sibi stabili nexu despondendam putârit.

Sed jam trajiciamus in Angliam. Negat nostros in Anglia ullos Hæreticos ad Professionem Catholicæ Religionis reduxisse. *Negare factum*, inquit ille, *facilis res est, & nullo Patrono indiget*, præsertim, si quis ferrei sit oris, & plumbei pectoris, & quo jure negat, nostrorum operâ, aliquos

De Anglia.

A quos in Anglia ad Catholicæ Religionis communionem revocatos; eodem inficiaretur: si ita luberet, (& cur non luberet?) olim ab Augustino, adjunctísque sociis, in eadem Anglia, ullos incolas, ab Ethnica superstitione, ad Christiana sacra traductos; nam hoc longè magis à memoria nostra abest, quàm illud alterum, ac proinde ad probationem magis arduum & difficile: cùm id, quod iste, odiô Jesuitarum, abnuit, gravissimis eorum testimoniis, qui adhuc inter vivos vivunt, confirmari queat. Nec in re clarissima immorari lubet; lector evolvat librum, qui inscribitur: *Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia adversùs Calvinopapistas, & Puritanos, sub Elizabetha Regina, quorundam hominum doctrina & sanctitate illustrium renovata:* Et nullo negotio intelliget, quid de hujus impuri Calvinopapistæ criminationibus statuendum sit. Placet tamen verba

Impress. Treviris 1588.

B Campiani adscribere, quæ eò cuivis veriora & fideliora videri jure optimo debent, quòd non tantùm atramentô, sed & sanguine effuso consignata, & ut Tertulliani vocabulo utar, *russata* sunt. Ita ergo ille: *Londinum attigi. Duxit me bonus Angelus nescientem in eandem domum, quæ P. antea Robertum exceperat. Accurrunt nobilissimi juvenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex urbe: Partem aliquam regionis obequito penè quotidie. Ingens omnino messis est.* Sub finem epistolæ: *Etiam nunc plurimi restituuntur Ecclesiæ, novitii milites dant nomina, veterani sanguinem profundunt.* Hæc Martyr Campianus: cui nunc vestrûm lector assensum præbebit? *Tibine* an Campiano? usurpabo enim verba Calaritani Antistitis, etsi paululùm ad propositum nostrum immutata: *Tibine Apostatæ sacrilego; an illi, qui jam fudisse sanguinem, propter unitum Dei filium, inveniatur? Tibi, qui operibus tuis, te aut Judæum, aut Ethnicum esse declaras, an illi, qui jam consecutus sit, per hanc, quam execraris fidem, regna cœlestia?*

Campian. Epist. ad P. Generalem Societatis Jesu.

Lucif. lib. 2. pro S. Athanasio.

C Sed probas tuum mendacium: *Nam cùm se, mutato habitu, ac incogniti eò contulerint, fieri non potuit, ut sine sui manifestatione cum hæreticis, de ipsorum conversione, verba facerent; quo facto, necesse erat, re infecta, eos intercipi.* Hoc argumento conficies, ne alios quidem Sacerdotes, qui Roma, Rhemis, & aliunde in Angliam abiêrunt, ullos Sectarios cum Ecclesia Catholica reconciliâsse, quia *mutato habitu* & *incogniti* in illam insulam trajecerunt.

D Quare necessarium fuit, ut si vel unicum verbulum apud Hæreticos de fide facerent, confestim proderentur, caperentur, & in carceres compingerentur. Si ergo hoc plùs quàm falsum est, quod ad alios Sacerdotes attinet; si tot monumenta, Latina, Anglicana, Gallica, Germanica testantur, & sæculis futuris testabuntur, innumerabiles ab hæreseos laqueis expeditos, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium aggregatos esse, operâ sacerdotum, eruditione & virtute præstantium: licèt habitum, ob periculum, commutâssent: cur tam lividus es, ut Jesuitas, qui eorundem Sacerdotum, in eadem vinea adjutores erant, idem præstare potuisse abnuas, præsertim, cùm, æquè ac illi, fuerint Anglirerum Anglicanarum, linguæ, Regionis & Reipublicæ æquè periti? Ex eadem mendaciorum officina manat & illud, quod scribere non verecundaris; *Jesuitas in Anglia aliud operæ pretium non fecisse, quàm quòd pacem Catholicorum turbârint; effecerintque, ut qui priùs libere, etsi privatim, rei divinæ operam dabant, postea, ne id facerent, severissimis edictis & suppliciis prohibiti fuerint. Frons Hæreticorum, non est, frons,* inquit alicubi S. Augustinus, *si hoc vocabulum non corporis membrum, sed pudorem intelligamus;* si antea dicti hujus veritatem ignorâssem, tu eam mihi planam testatámque reddidisses. Quis enim nescit, multis annis, antequam Jesuitæ in Angliam proficiscerentur, Anglos ob sacrificium Missæ auditum, ob sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum perceptum, ob peccata Sacerdoti per Confessionem exposita, ob alia id generis pietatis exercitamenta, immanissimè & crudelissimè acceptos, fortunis, libertate, patriâ, imò & vitâ spoliatos? Provoco ad librum, quem suprà testem, contra perfrictum tuum vultum, laudabam. Item ad illum

E

F

G Andreæ Philopatri, qui inscribitur: *Responsio ad edictum Elizabethæ Reginæ Angliæ, promulgatum Londini 29. Novembris: Anno Domini M. D. XCI,* Provoco ad ipsos Hæreticos, Angliæ chronographos, quorum unus Holinfedus, Anno 1574. suorum chronicorum hæc habet verba: *Anno Reginæ 16. Aprilis 4. Dominica Palmarum, Londini comprehensæ fuerunt tres illustres fœminæ, (dum in ædibus suis Missæ celebrandæ interessent) Baronis nimirum Morlæi uxor, cum liberis suis, & multis aliis; & in altera civitatis parte, eadem ipsa hora deprehensa est equitis aurati vidua Guiltorda, cum aliis multis fœminis insignioribus: eodémque momento capta est, in parte diversa, alterius equitis uxor (Bruna nomine) cum aliis item in ejus domo permultis.* Quæ omnes propter

H *hoc idem delictum, carceri traditæ fuerunt, & inde accusatæ, convictæ, & juxta formam legis condemnatæ.* Hæc *perditissimus* ille sectarius; hoc enim elogio decoratur ab Andrea Philopatro. An tunc Campianus, aut Personius, aut alius Jesuita in Anglia degebat? & tamen nobilibus istis fœminis per impios non licuit esse piis. In vincula abreptæ sunt, quasi veneficium, aut simile maleficium commissent; &

quod

A quod istis evenit, id innumerabilibus aliis ante Jesuitarum adventum evenit.

Cæterùm cùm semel verecundiæ, & veritatis fines transcenderis, mirum non est, si ad lineam revocari nequeas; & ex mendaciis semper ad alia luculentiora & turpiora devolvaris. *Namque peccatum semel, ùt bonus quisque postea sollicitiùs cavet, ita qui ingenio malo est, confidentiùs integrat, & jam de cætero, quò sæpius, eò apertiùs delinquit: pudor enim veluti vestis, quantò obsoletior est, tantò incuriosius habetur:* Negas verum esse, quòd quidam ex nostris in Anglia in catasta tortus sit Religionis gra-
B tia; Sed ne ambiguitate mentis & vocis tuæ nos fallas; quæro ex te, quid inficieris: an negas quendam ex nostris sacerdotibus priùs equuleo immaniter cruciatum & excarnificatum, postea ex patibulo suspensum, móxque in quatuor partes, plus quàm Turcica & Ethnica feritate dissectum esse? Si hoc negas, tunc totus Christianus orbis consono clamore te condemnabit. Quis enim ignorat, quanta tormenta in Britannia invictus ille pugil Edmundus Campianus, Societatis nostræ sacerdos, subierit? Quis nescit, quàm crudeliter à nefariis Calvinistis sit in carcere habitus, & extra carcerem trucidatus? Quæ lingua Christiani orbis Campiani Martyrium non decantat? Nam quòd ais; *Omnes, quos ex Anglia venientes videris, contrarium asseverare;* id penitùs nihil moror: aut enim more tuo mentiris, aut alii tecum mentiti sunt; quia fratres tui erant, eodem pa-
C tre Tartareo progenerati. Si autem negas Campianum excruciatum & interfectum, Catholicæ Religionis ergò, tunc te novum Julianum salvere jubeo, quippe, qui, ùt ille Martyribus sui ævi, ita tu Martyribus nostri sæculi, nomen & decus Martyris invides. Deinde, cedò; si non fidei Orthodoxæ causa Campianus tam barbarè peremptus est, cujus gratia peremptus est? Dices fortassis, *proditionis & læsæ Majestatis gratia:* At dices tantùm, & quia tantùm dices, neminem tui dissimilem, qui tibi assentiatur, invenies: quia idem olim de priscis Martyribus dicebant Ethnici; Idem Julianus: idem Calvinistæ de omnibus Orthodoxis, quot in Britannia jugulârunt: sed dicunt hoc fide Ethnica, & Calvini-
D stica, omnis perfidiæ genitrice. Nec plura, quia præclarissimi Martyres mea defensione non egent. Defensi sunt ab aliis; defenderunt ipsi olim se, cùm viverent, & etiamnum sanguine suo sese defendunt: & contra quosvis obtrectatores, etiam labentibus annis, sese defendent: & quidem elegantissimè, quia, ùt Statium Cæcilium dicere solitum accepimus, *Innocentia est elegantia;* & summa innocentia, summa elegantia: Nec tacemus & supprimimus, ùt fabularis, si qui vel in tormentis deficiant, & ad adversarias partes transeant; aut si ovem mentiti, rapaces lupi fuerint: eóque solùm consilio Romæ aut Rhemis vixerint, ut postmodum in Angliam reversi, sacerdotes prodant, & ad Magistratum deferant. An non enim aliquot hujus generis exempla extant, cùm alibi, tum in libellis, quos Auctor concertationis Ecclesiæ Anglicanæ collegit, & uno volumine conclusos publicavit?

Nec Collegium Anglicanum intactum præteris, placeret tibi institutum, si tria Jesuitæ observarent; Primum est: *Si emolumenta sua ex collegio illo non quærerent.* Secundum: *Si non immaturos in Angliam mitterent.* Tertium: *Si, dum juvenum causas suscipiunt, exules Anglos, qui sponte sua ex patria excedunt, necessariis vitæ subsidiis non privarent;* Si ergo Jesuitæ hæc tria præstent, num contentus eris cum Collegio Anglicano? num calumniandi artem factitare desines? Nam quod ad primum attinet: quodnam, oro, nostri temporale commodum ex administratione cùm aliorum, tum Collegii Anglicani percipiunt, præter labores immensos, & molestias infinitas: quas vel ex hoc uno capite æstimare licet, quod, ùt rectè inquit S. Gregorius Nazianzenus: *Ars quædam artium & scientiarum sit, hominem regere, animal maximè varium, & multiplex, quia,* ùt idem ait, *fit interdum, ut, qui reguntur cupiditatibus, animique impetu magis inter se differant, quàm corporum figuris & lineamentis, aut si mavis, elementorum, ex quibus constant, mixturis & temperamentis, ac proinde nec facilè regi gubernarique possunt. Alios movet oratio, alii Antistitis exemplo componuntur; alii calcaribus opus habent; alii fræno. Nam qui lentè & segniter ad virtutem moventur, hi verborum stimulis excitandi sunt: qui verò spiritu plus quàm par sit, incalescunt, ac præcipiti animorum impetu feruntur, velut equulei generosi, procul à meta cursitantes, hos utique orationis frænô coërcere, ac velut obstrictô collô retardare præstiterit. Aliis laus prodest, aliis reprehensio: modò utraque tempestivè adhibeatur: nam intempestivè & stultè adhibita nocumentum attulerit. Alios cohortatio ad officium ducit, alios* H *objurgatio. Atque hæc rursus alios, si palàm arguantur: Alios, si remotis arbitris, increpentur; sunt enim, qui nihil curent privatas castigationes, publica autem reprehensione emendentur: sunt rursus, qui liberiùs reprehensi, pudorem omnem abstergant, contráque privatis castigationibus meliores fiant; iisque, quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant. Quidam ita studiosè acturatéque observandi sunt, ut ne minima quidem & levissima eorum errata dissimulentur; nimirum qui eo, quòd peccata sua nemini cognita fore putant, (quandoquidem id moli-*

E

F De Collegio Anglicano.

G Nazian. Apolog. 1. Quàm difficile sit regere alios.

C Nazian. orat. 1. in Julianum.

D

A *molientur) prudentiæ calliditatisque laudem sibi insolenter arrogant: contra in aliis ad nonnulla connivere satius fuerit (ita ut videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui ipsi crebris nimiùm objurgationum aculeis confixi, & obruti, ad desperationem incitentur: tandémque projecto pudore, quod ad inflectendos alliciendósque homines mirè efficax medicamentum est, ad quodvis nefas perpetrandum au-*
B *daciores reddantur. Quin etiam, cum nonnullis ita agendum est, ut irati hominis & contemmentis, ac de salute eorum desperantis, speciem præ te feras, cùm tamen revera nec ipsis irascaris, nec contemnas, aut pro perditis ac deploratis habeas, quorum videlicet natura id requirit: alii rursus lenitate & humilitate curandi, conjunctáque animi alacritate & promptitudine ad meliorem spem revocandi. Alios vincere, aliis cedere plerumque utilius fuerit.* Hæc S. Gregorius. Quæ omnia præstare, quanti oneris res sit, is demum probè intelligit, qui aut benè præfuit, aut benè subfuit, aut qui saltem scit, quid sit benè præesse, & benè subesse.

C At quòd queritaris, Collegii Anglicani alumnos, immaturos in Angliam ablegari, libenter profectò ex te cognoscerem, quamnam tu tandem maturitatem requiras. An non satis maturus vineæ Britannicæ excolendæ, ille, qui Philosophiæ & Theologiæ spatia emensus, solidos & in doctrina & in virtute progressus fecit; æsque collegit, quod exstruendæ turri, quam ædificare statuit, sufficiat? nam Jesuitæ minimè omnium solent vel socios suos, vel alumnos implumes ex nido extrudere, certóque ruinæ discrimini expo-
D nere: Hæreticorum iste mos est, quibus, Nazian. Apolog. 1. ùt præclarè ait S. Gregorius Nazianzenus; *Nullus docendi discendique statutus est terminus, qui priùs ferè docent, quàm lanuginem ingressi sint, priusquam sacra volumina vel de nomine noverint, priusquam novi veterisque testamenti signa notásque cognoverint; non enim dico, priusquam impuræ flagitioséque vitæ cænum absterserint, eásque animæ fœditates, quas peccatum asperserit;* (quia his immoriuntur.) *Si duas aut tres pias voces edidicerint, ac ne id quidem ex lectione, sed ex auditione, aut Davidi nonnihil operæ dederint, aut pallium* (Prædicantium & Ministrorum) *scitè contrahant, statim ad cathedram & pulpitum prosiliunt.* Cæterùm ne quid te celem, valde suspicor, nullum Catholici Angli in Angliam reditum, satis maturum tibi videri; quia improbitati nunquam, nisi immaturè, venit probitas; hæresi, veritas; vitio, virtus; tenebris, lumen. De tertio, nescio, quid tibi velis. Quæ est enim ista consecutio? Jesuitæ curam & administrationem habent Seminarii, in quo Angli literarum studio-
E si aluntur, eruditur, literísque & pietate informantur: ergo alios exules Anglos subsidio ad vitam sustentandam necessario privant. Quòd si Pontifex his juvenibus, literarum studiosis, attribuit aliquid, quod olim pro peregrinis Anglis fundatum & constitutum erat, nemini profectò ullam injuriam irrogavit; quia isti etiam juvenes peregrini sunt & exules, neque aliis, si Romam adeant, sua desunt adjumenta; & relictæ patriæ solatia. Hactenus de Anglia.

F Nunc Oceano transmisso, navigandum De Lusitania. est mihi vel reluctanti in Lusitaniam, quia eò te impetus venti, vel potiùs furor mentis rapit: *Multorum*, inquis, *opinio est, cladem illam Lusitanicam à Jesuitis initium habuisse.* Verùm non multorum, sed omnium rectè sentientium sententia est, te ab ingenio tuo ne latum quidem unguem discedere: & quod ab exordio libri facere occœpisti, id hoc itidem loco facere; hoc est, mentiri, ut sine verborum anfractibus me explicem. Nam pri- G mùm ab hac calumnia tota nos Lusitania liberat, hoc ipso, quòd post illam verè miserandam stragem, Lusitani Societatis Religiosos suis in ditionibus retinuerunt, & non minori benevolentia, quàm antea foverunt: quod nunquam feciissent, si Africanæ illius calamitatis auctores exstitissent. Deinde, quis Regem Sebastianum impulerit ad illam expeditionem, longè veriùs, quàm tu, explicat Petrus Fonseca Lusitanus, in Epistola ad Regem Hispaniarum Philippum, qua secundum commentariorum in Metaphysicam tomum eidem dedicat Regi: cujus exordio hunc in modum scribit: *Primam hujus nostræ commentationis partem, Rex potentissime, Sebastiano Regi, sororis tuæ filio, justis de causis, ac penè necessariis, ante decem annos dicavi. Sed vix ad ejus manus volumen illud pervenerat: cùm Romæ, ubi tum degebam, renunciatum est, illi cum tota penè regni nobilitate, luctuosam illam & infelicem Africanam* H *expeditionem, interitum attulisse. Quam expeditionem ille susceperat, non eorum, quos parentum loco habebat, hoc est, tuo, & Henrici Patrui maturo consilio, quod propter juvenilem ardorem, & fallacem, ac periculosam, in illa præsertim ætate, gloriæ cupiditatem suspectum habebat: Non salutari familiarium hortatu, à quibus fuerat diligentissimè institutus & educatus, quos jam à se removerat; atque ablegaverat; sed arte & industria eorum, quibus incautus se penitùs addixerat; quòd blandiendo spem ejus alerent gerendi res maximas, quique magnitudinem & celsitudinem animi, quæ certè fuit in eo singularis, intempestivè extollebant, ut ejus gratiam aucuparentur.* Objicies fortasse, Fonsecam esse testem domesticum. Quid tum? An propterea minus fidei apud prudentem lectorem

A ctorem merebitur, quàm Natalis Comes, aut tu, aut neſcio qui alii Gallicani & Anglicani, ſeu Logographi, ſeu Mythologi? non verſamur hîc in foro, extra quod neceſſarium non eſt, ut veritatem legibus civilibus metiamur. Certè cauſa nulla erat, cur Fonſeca, ad tantum Regem ſcribens, quidquam vanitatis orationi admiſceret: quin potiùs cauſæ plurimum erat, cur rei veritatem ſine fuco panderet. Adhæc, ſi expeditio illa tam feliciter ceſſiſſet, quàm illa olim Juſtiniani, duce Beliſario, in eandem Africam, aut Heraclii in Perſidem; an cauſam adeò proſperi ſucceſſus Jeſuitis adſcripſiſſes? Sat ſcio, etiam te tacente, quid videas te reſponſurum, ſi reſponſurus
B eſſes. Quæ igitur improbitas eſt, jam, cùm res malè ceſſit, infortunatum eventum in Jeſuitas referre: felicem verò exitum, ſi eveniſſet, iisdem abjudicare? His adde, quòd, licèt Jeſuitæ interrogati, num ad gloriam Dei & Eccleſiæ amplificationem expeditio illa pertineret, ſententiam ſuam Regi fideliter expoſuiſſent; non deberent tamen aut à te, aut ab alio quoquam in crimen vocari: quia quidquid aut tu, aut alii ſentiatis: ſi victoria à Luſitanis ſtetiſſet, ingens utilitas & ad Luſitaniæ regnum, & ad totam Chriſtianam Rempublicam re-
C dundâſſet. Qui ergo in hanc utilitatem intentus, ſuaſiſſet Regi, ne tantam rei bene gerendæ occaſionem abire ſineret, is nihil ab homine alienum feciſſet: non enim ſcimus futura; ſed de futuris conjectamus: & ſi futurorum incertitudo obſtaret, quò minùs bellum ſuſciperetur; nullum utique bellum ſuſcipiendum eſſet, niſi quis divina revelatione certus victoriæ redderetur. Non debebat Juſtinianus ducere in Orientem contra Perſas: nec in Africam contra Vandalos: nec in Italiam contra Gothos: uno verbo: arma ponenda, & in vomeres conflanda eſſent, & totus Chriſtianus orbis Barbarorum rapacitati objiciendus.
D Quàm infeliciter ceſſerunt multæ expeditiones in Syriam, & Palæſtinam, ab Imperatoribus, Regibus, tot populis & nationibus inſtitutæ; nominatim gemina illa Chriſtianiſſimi & ſanctiſſimi Francorum Regis Ludovici? Et quis, niſi improbi Hæretici, Pontificibus, & aliis, etiam viris Religioſis, vitio vertit, quòd Principes, conſilio & adhortationibus ſuis induxerint, ut prælia illa Domini præliarentur? Improbi, inquam, Hæretici, ſugillant Pontifices, & alios Religioſos, quia malunt, ut Saraceni terras illas occupent, quàm Chriſtiani. Sanctus Ludovicus ſuo in exercitu multos Religioſos habebat, nominatim ex Ordinibus ſancti Dominici & ſancti Franciſci, quibus ille erat addictiſſimus. An non putas credibile, eosdem Regi ſæpiùs ſuaſiſſe, ut bona ſpe plenus pergeret cum Deo, & Eccleſiæ laboranti opem fer-

ret? Quos labores in hoc ipſo negotio, E non ſubiit ſanctus Bernardus? & tamen alius finis omnia hæc bella non excepit, quàm quòd tandem poſt immanes acceptas clades, poſt infinitas Chriſtianorum ſtrages editas, poſt captum à Saracenis ſanctum Ludovicum, & tandem etiam peſte extinctum; Chriſtiani, tota Syria & Palæſtina pulſi ſunt, ita, ut ne veſtigium quidem proprium iis in locis poſſideant, in quo veſtigia ponere queant. Num propterea nemo ampliùs cohortabitur, ut *militemus & laboremus?* Nemo prudens ita ſentiat. *Quis enim ſapiens*, inquit ſanctus F Ambroſius, *non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negotia, quia non eosdem ſemper habent ſucceſſus, ſed variant ſtatus, & mutant vices. Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miſerunt? At is, cùm tribus triumphis terrarum cinxiſſet orbem, pulſus acie, bello profugus, & ſui terminis exul imperii, Spadonis Canopei mana occubuit. Quem nobiliorem Cyro Perſarum totius Orientis terræ Regem dederunt? is quoque cùm Principes potentiſſimos adverſantes viciſſet, victos reſervâſſet, muliebribus armis fuſus interiit. Et ille Rex etiam, qui ſuperatos conſeſſus honore donaverat, exſecto capite, & inter utrem plenum cruoris ſatiari juſſus incluſo, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeò in iſtius vitæ curriculo non paria paribus, ſed longè diverſa referuntur. Quem etiam magis ſacrificiis deditum quàm Carthaginenſem ducem Hamilcarem reperimus? qui cùm, toto prælii tempore, inter acies poſitus dimicantes, ſacrificium faceret, ubi partem ſuorum victam eſſe cognovit, in ipſos, quos adolebat ignes, ſe præcipitavit, ut eos vel cruore ſuo reſtingueret, quos ſibi nihil profuiſſe cognoverat.* Hæc ſanctus Ambroſius. *Judicia tua abyſſus multa:* exclamat ſanctus ille Rex ad Dominum. Quis ſanctior Oſvvaldo Anglorum Rege? Quis laude dignior Oſvvaldi anteceſſore Eduino, qui primus gentis illius Regum, ſalutari baptiſmatis unda tinctus eſt? Et tamen uterque ab impiis & paganis, miſerandum in modum, trucidatus eſt, cæſo & profligato, toto, quem ducebant, exercitu.

S. Ambroſ. contra Symmach.

Pſalm. 35. Vide Bed. lib. 2. hiſt. Angl. c. 14. & ſeq. & lib. 3. cap. 3. 6. 9. Geneſ. 25.

Necdum ex Luſitania abis. *Dum*, H inquis, *Regem Sebaſtianum caſtimoniam docerent, à conjugio abhorrere fecerunt, quo factum, ut hæredem nullum relinqueret.* A conjugio ſcilicet abhorruit; quia diutiùs, quàm tibi placeat, uxorem ducere diſtulit. Fortè accuſas itidem Patriarcham Iſaac, qui, cùm quadraginta eſſet annorum, duxit uxorem *Rebeccam, filiam Bathuelis*, exemplo non tantùm Prædicantibus, ſed & omnibus Lutheranis & Calvinianis magis admirando, quàm imitando, quibus neque Ariſtotelis decretum illud arridet; cùm tradit, puel-

Ariſtoteles lib 7 polit. cap. 16.

A las circa decimum octavum annum matrimonio jungendas; masculos autem circa trigesimum septimum. Heu nimis longa est hæc Evangelicis nostris mora; nisi enim, primo pubertatis exordio, nuptiis sese illigent, mundum ruiturum formidant, quin priùs *robusti sunt scelere* & libidine, quàm tempore: *antè nocentes, quàm potentes, vi-ridi pueritia, cana malitia*: semper metuunt, ne si cælibem vitam ducant, in pœnas Papiæ sive Popeæ, sive, ùt alii vocant, Papiæ Popeæ, legis incurrant; à quo tamen pavore jam dudum liberati sunt, si modò vellent, lege quadam Constantini, Constantii, & Constantis Imperatorum: quæ his verbis concepta est: *Qui jure veteri cælibes habebantur, imminentibus legum terro-*
L. Qui jure C. de infer. pœn. cælib. *ribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur; sitque omnibus æqua conditio capessendi, quod quisque mereatur.* At nullum reliquit hæredem. Quæso te, si ante tristissimam
B illam cladem, matrimonium iniisset; an certus fuisset de hærede? An non hoc æquè in fortuna, vel, ut rectiùs loquar, *in manu Dei* situm est, atque victoria? Et ùt loco victoriæ parari potest, ἥτλα, sic loco hæredis, orbitas. Sed tu præscius nimirum futurorum, Regi illi, si duxisset uxorem, dicere potuisses, quod Dominus dixit Abrahamo: *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium*
Genes. 18. *uxor tua.*

Nunc ex Lusitania, imò ex Africa, vo-
C las in Germaniam & quidem Fuldam, per
De Fulda. immensos marium terrarúmque tractus, quovis velocior Euro, ita ut Pegasus præ tua pernicitate sit testudo tardigrada. Ais, *in Jesuitis culpam hærere, cur Princeps Fuldensis ditione sua exciderit.* At Jesuitas omni culpa carere, téque impudenter mentiri, testabitur libenter ipse Reverendissimus & Illustrissimus Princeps, qui causam in nostros nunquam retulit. Imò idem jam testatur hoc ipso, quòd post adversitatem illam, Societatis Patronus & defensor esse nunquam desiit. Adeamus simul ad illius tribunal, ejúsque judicio stemus, aut cadamus. Quid tergiversaris, calumniator? Nemo meliùs scit, quo auctore quidquam acciderit, quàm is, cui accidit. Certius hoc multò testimonium erit, quàm quod tu ex levis vulgi rumore captas: *Vanæ voces populi non sunt audiendæ,*
L. Decurionum. C. de Pœnis. *nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari desiderant.*

D Porrò, qua velocitate ex Lusitania ve-
De Prussia. nisti Fuldam, eadem inde proficisceris in Prussiam. *Elbingæ*, inquis, *occupârunt Hæretici templum quoddam Catholicum, ejectis ex eo Jesuitis.* O grande Jesuitarum piaculum! Quis non obstupescat ad tan- E
tam Jesuitarum nequitiam? At Jesuitæ dederunt Hæreticis occasionem, templum illud invadendi; quia si Jesuitis traditum non fuisset, Hæretici manus abstinuissent. Nescio certè, num abstinuissent. Quàm enim prompti sint & expediti, ad invadenda & profananda Catholicorum templa, quotidie non ex relatione aliorum audimus; sed nostris oculis intuemur: ubi vel minima occasio datur, rapaces ungues injiciunt. Nónne Elbingenses jam templum primarium illius urbis, sordibus perfidiæ suæ conspurcârant, antequam Jesuitæ, missu magni illius Cardinalis Hosii, eò accederent? Nónne Sigismundus, Rex Polo- F
niæ, autoritatem suam interponere debuit, ut ex hæreticorum sacrilega possessione eriperetur? quod ut lector videat, & simul de candore tuo judicet, claréque perspiciat, quales Elbingenses in Jesuitas advenas, ab Hosio, legitimo loci illius Pastore, eò destinatos, sese exhibuerint; exscribere, & huc transferre operæ pretium duxi: quæ Stanislaus Rescius de hoc toto Elbingensi negotio literis prodidit, cujus relatio eò fide dignior videri debet, quia in Prussia vixit, & Cardinalis Hosii familiaris fuit: ita igitur ille, de indefesso Ho-
sii Episcopi studio loquens: *Ad Elbingen-* Rescius lib. 2. de vita Hosii, c. 20. *sium quoque civium salutem omne suum studium convertit, qui Lutheri verbum, pro Dei verbo receptum, palàm in templis profitebantur, & aliquot Ecclesias, cæteráque loca sacra & religiosa, Augustanæ Confessionis & doctrinæ fœditate, profanisque ritibus audacissimè contaminaverant, nullam occasionem prætermisit, nullum finem fecit, & publicè in Provincialibus Comitiis, & privatim in omni congressu docendi, monendi, rogandi, obsecrandi, ut Ecclesiam matrem agnoscerent, eique dicto audientes essent in terris, si Deum vellent habere Patrem in cælis. Sed cùm El-* G
bingenses Pastoris & Episcopi sui vocem, minimè audiendam existimarent, minórque in dies fieret ad fovendas hæreses, & ad quidvis audendum apud illos verecundia; cùm nil in spiritu lenitatis proficeret, potestatis legitimæ à Deo constitutæ, vindicis, ùt ait Paulus, in iram ei, qui malè agit, auxilium imploravit, ac obtinuit etiam ab optimo Rege Sigismundo, ut missis aliquot senatorii Ordinis viris, Commissariis, ùt vocant, suis, gravibúsque pœnis propositis, Ecclesiæ Parochialis possessio legitimo Episcopo, ad primævum usum convertenda redderetur: in qua statim, insigni pietate & doctrina viros, ex Societate Jesu collocavit: qui populum errantem tum H
privatis sermonibus, tum publicis concionibus ab errore suæ viæ revocare non cessarent, verbóque veritatis pascerent, & exemplis Christianæ vitæ, & Angelicæ conversationis institutis, ad omnem pietatem informarent. Cæterùm, ut uberiorem fructum faceret Evan-

gelii

A *gelii prædicatio, neceſſarium quoque fuit nutantem, ùt ait Cyprianus, multorum fidem martyrii veritate, & perſecutionum tolerantia ſolidare. Vox enim prædicantium, Chriſtianæ fidei Confeſſione illuſtrata, tolerantiæque laude probata, ad Dei aures faciliùs penetrat, & aperto ſibi cælo, de Domini bonitate, errantium converſionem celeriùs impetrat. Sæpè igitur accidit, cùm quidam ex Societate vir, totus Deo deditus, Petrus Phaë, Germanus, ex ſuperiori loco verbum Dei, juxta ſenſum & conſenſum Eccleſiæ Catholicæ prædicaret, ut turmatim irruerent Catholicæ veritatis inimici, ac prægrandia ſaxa, toto impetu, in faciem Evangelizantis intorquerent, omnibúsque modis riſu, cantu, cachinnis, ululatu, plauſu, ſtrepitu, ne à quoquam poſ-*

B *ſet exaudiri, obſtreperent. Sed una præcipuè die, facinus aggreſſi ſunt memorabile, & ei, quod profitentur, Evangelio, valdè conſentaneum: cùm enim tremendum illud Miſſæ ſacrificium pater Petrus celebraret, irruentes in Eccleſiam Hæretici, actionem univerſam Sacerdotis, omnibus cachinnis irridebant. Cùm autem ad Euchariſtiæ elevationem ventum eſſet, dum Sacerdos pretium illud redemptionis noſtræ ſuper caput elevatum, Deo Patri immolat, & aſtanti populo videndum & adorandum exhibet, aliquot ponderoſos lapides in dorſum celebrantis impegerunt, & alios præterea, quibus ſacra myſteria diſſiparent, in altare projecerunt: neque tamen vel Sacerdotem impedire potuerunt, quò minùs inſtitutam actionem expediret, vel ſacra illa myſteria disjecerunt.*

C *Alio præterea tempore, eodem illo Patre, in eodem loco, celebrante, & ſacram itidem Euchariſtiam elevante, auſus eſt homo quidam, depoſitis in medio templi caligis (ô mores Lutheri Cacangelio digniſſimos) obſcæniſſimas corporis ſui partes, quod apud homines honeſtos, etiam in occulto turpe ducitur, altare versùs exponere: niſi quòd audaciam hominis ſecuta eſt ultio divinitùs irrogata. Nam ilico in eodem loco concidit, cùm pes unus ignem concepiſſet, ſociorúmque manibus in proprias ædes deportatus, graves pœnas ſuæ in Deum*

D *contumeliæ perſolvit. Quadam etiam nocte, ex eodem Lutheranorum cœtu, ſodales aliquot congregati, facta inter ſe conſpiratione, multos itidem & ponderoſos lapides in cubiculum ejusdem Patris, multo conatu, refractis omnibus repagulis, per feneſtras injecerunt; Sed eum tamen, & alios præterea ſocios, divina ab omni læſione bonitas mirabiliter conſervavit. Poſtea verò in cellam vinariam ingreſſi, in dolium, de quo bibere ſolitus erat, fœdiſſima ſtercora injecerunt, ac tandem etiam, oblato veneno, egregii Satanæ milites perfecerunt, ut uſum utriusque manus Pater ille venerandus amitteret: quem tamen poſt menſes aliquot magna adhibita diligentia, & exquiſitiſſima cura, ac etiam ſumptibus optimi & innocentiſſimi viri, D. Joannis Hoſii de Bezdanus, ejus, de quo nunc agimus, fra-* E *tris germani, & in omnibus vitæ ſtudiis tanto fratre digniſſimi (Baſilium & Gregorium diceres) ſummâ cum omnium gratulatione in villâ Smolanenſi recuperavit; Nec ullam morbi vehementiam, aut perſecutionis acerbitatem minùs moderatè tulit, quàm quòd eum Dominus tantoperè expetito Martyrii honore dignari noluerit.*

Joannes quoque Aſſermannus, ejusdem So- F *cietatis Sacerdos, ad prædicandum in ea civitate Evangelium legitimè deputatus, cùm in templo ſuburbano verba ad populum faceret, multis & ipſe lapidibus petitus, coactus eſt in cathedra, ictus illos vehementes, capite in pallium involuto declinare: cúmque præterea furibundi homines mortem illi certiſſimam minarentur, ſtatim ut extra Eccleſiam prodiiſſet, ſeque ad deſignandum facinus, quod animo conceperant, & animis & telis armaviſſent, admonitus ea de re Aſſermannus, abſoluta concione, poſitis in terram genibus, ipſe quoque ſeſe ad certam mortem, Chriſti cauſa, oppetendam, & animo & voluntate armavit: Deóque gratias egit, quòd tandem expetitum calicem pro ejus Evangelio bibiturus eſſet, & ſigno ſanctiſſimæ & vivificæ Crucis fronti ſuæ pectorive impreſſo, in confertam illam homicidarum aciem eſt ingreſſus. Verùm illi (ô Dei providentiam!) tantum abeſt, ut conceptum animo flagitium perpetrârint, ut ne verbô quidem læſerint per medium tranſeuntem. Paſſi ſunt venerandi Patres iſta, & alia multa, quæ, longum eſſet, ſingula recenſere.* Huc usque Reſcius. I nunc Calviniſta, & cum hac Elbingenſi tragœdia triumpha.

Sed, ùt video, triumphare non vacat; G nam ex Pruſſia ſolita levitate, Romam advolas, modúmque tractandi & verſandi Pontificis animum, pluribus coloribus depingere pergis, at non veris ſed imaginariis; quia in cerebro tuo factis & paratis. Ais ergo: *Ubi beatiſſimos Patres, opinione hac de ſe, rerúmque ſuarum hujusmodi felicibus ſucceſſibus imbuerunt, ad gratias ab iisdem impetrandas pergunt.* Dixi jam ſuprà; nullum eſſe Ordinem, cui non ſint ſua privilegia. Si non credis, excute titulos Juris Canonici, de privilegiis; Non igitur adeò mirandum, ſi & noſter Ordo à Sede Apoſtolica ſit nonnullis inſignitus; quæ petimus à Pontifice tunc, cùm indigere videmur; & non tam rebus proſperis, quàm adverſis, cùm Inſtitutum & hæreditas à B. P. noſtro Ignatio nobis relicta, & à Paulo III. approbata, oppugnatur. Argumento ſint bullæ Gregorii XIII. H & XIV. quibus Societatem denuò Apoſtolica auctoritate confirmant: Prioris initium eſt: *Aſcendente Domino & Salvatore noſtro in naviculam:* Exſtat apud Ribadeneiram. Poſterioris; *Eccleſiæ Catholicæ, cui, Deo auctore præſumus;* Quæcunque verò privilegia exorantur, ea, ùt par eſt, ſine

Ex Pruſſia Romam migrat calumniator.

De Privilegiis Societatis.

A sine ullo dolo exorantur. Non enim fugit nos illud Pelagii Pontificis: *Ea, quæ* 22. q. 2. c. dicenti. *surreptione, vel falsis precibus forsan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium;* Gratianus loc. cit. *Mendax enim precator debet carere impetratis,* inquit ille: *& quibus scripta diriguntur, sunt puniendi; si precum mendacia vetuerint argui.* Adjungis. *Primò institutum ipsorum, ejúsque formam simul & privilegia sæpè ab iisdem approbari petunt.* Non mirum; quia nihil potius & charius ipso instituto habemus. Jure igitur, ejus, quo nihil nobis antiquius, confirmationem à posterioribus Pontificibus postulamus, à quibus proinde tanquam ab humanissimis Patribus illud responsum ferimus, quod Arcadius & Honorius dederunt. *Quæcunque à parentibus nostris* (& B prædecessoribus) *diversis sunt statuta temporibus,* 25. q. 1. c. quæcunque lib. 16. C. Theod. tit. 2. leg. 29. & 30. *manere inviolata atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias* (Societatem Jesu) *præcipimus. Nihil igitur à privilegiis immutetur, omnibúsque, qui Ecclesiis* (& Societati) *deserviunt, tuitio deferatur: quin temporibus nostris addi potiùs reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præstita sunt, immutari: nec tam novum aliquid præsenti sanctione præcipimus, quàm illa, quæ olim indulta videntur, firmamus. Privilegia igitur, quæ olim reverentia religionis obtinuit, mutilari, sub pœnæ etiam interminatione prohibemus.*

C *Dicuntur,* inquis, *his Pontificum approbationibus non parùm abuti; dum multa deinde infarciunt, quæ probabile est, sanctissimos, si rectè exponerentur, nunquam probaturos.* Iterum audacissimè crimen falsi nobis objectas: si enim crimen falsi est, *si quis* L. Hodie. L. Quid sit. L. Pœna ff. ad L. Corn. *Imperatorum & magistratuum edicta proposita, dolo malo, corrumpat, & si alienum chirographum imitetur, aut libellum, vel rationes intercidat vel describat;* Si crimen falsi admittunt, *qui in rationibus, tabulis cerisve, vel alia qua re etiam sine consignatione, falsum fecerint, vel rem amoverint;* quantò magis crimine falsi teneretur ille, qui summi Pontificis, Christi Vicarii, Ecclesiasticæ Hierarchiæ Principis Constitutiones corrumperet, & aliquid menti Legislatoris adversum, per summam impo- D sturam intruderet. Cùm autem falsi crimen nobis duntaxat objicias, non autem ullo, vel in speciem verisimili argumento probes; oportet, ut ex legibus, pœnas illas subeas, quas subire coguntur, qui L. Pœna legis ff ad leg. Corn. crimen falsi admiserunt. Est autem *pœna falsi* vel *quasi falsi*, ùt ait Jureconsultus, *deportatio, & omnium bonorum publicatio: Et si servus eorum quid admiserit, extremo supplicio affici jubetur.* Hoc posterius ad te pertinet, quia servus peccati es; *à* 2. Petr. 2. *quo enim quis superatus est, hujus & servus est:* inquit Apostolus. Quòd si pœna tibi nimis severa videtur, facile patiemur, ut exsolvas veterem illam, quæ jubebat, ut falsi convictus de saxo dejiceretur; quæ & in illum statuta est, qui alterum hujus criminis accusat, nec tamen idoneo argumento probat, ùt tibi accidit; qua enim ratione probas, nos Pontificum Constitutiones additione vel detractione depravare? An non eadem formula est Instituti nostri, quæ oblata est Paulo III. & quæ hodie adhuc in Societate teritur & legitur, quæque posterioribus Pontificibus oblata est? An non sunt hodie quoque eædem Constitutiones, à Patre nostro Ignatio conscriptæ, & Apostolico suffragio approbatæ? An non privilegia nobis concessa, in curia & archivo Romano asservantur, sicut & privilegia aliorum Ordinum; ut temporis successu, constare possit, quid huic vel illi Ordini Sedes Apostolica indulserit, ut, si controversiæ exsistant, recurrere liceat ad autographum; & inde veritatem discere? An Pontifices F negligentiores existimas, quàm priscos illos Romanos, qui acta in archivis diligentissimè custodiebant, ùt ex Tertullia- Tertullian. in Apolog. no liquet: aut quàm Reges Persicos & Babylonicos, qui rerum gestarum commentarios suis in Bibliothecis, magna cura, asservabant, ne quis fraudi relinqueretur locus? Et illi ipsi commentarii tum Judæis generatim, tum speciatim Mardochæo saluti fuerunt, ùt sacra Esdræ & Estheris historia docet. Quid igitur facilius esset, quàm Jesuitas manifestæ corruptelæ convincere, si vel unum jota literis & privilegiis Apostolicis adjicerent?

Præterea anno tertio Sixti V. Pontificis, G privilegia omnia, quæ eò usque Pontifices scriptis diplomatis concesserant, visa revisa, & cum autographis comparata sunt operâ Augustini Cusani Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, Romanæque Curiæ judicis ordinarii: qui instrumento publico super hac re confecto; *Dictas*, inquit, *literas Apostolicas, ad nostras manus recepimus, vidimus, legimus, tenuimus, & diligenter inspeximus, illásque sanas, & integras, & illæsas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, & aliàs, more solito debitè & legitimè expeditas, omnique prorsus vitio & suspicione carere invenimus.* Quid igitur H tu de fraude & suspicione garris? Dices; judicem istum à nostris fuisse corruptum. At hìc iterum non nobis, sed tibi pœnam criminis falsi conscisces; nam *qui duobus* L. qui duobus, ff. ad L. Cornel. *in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit: pœna falsi coërcetur:* cui adjungitur & is, *qui judicem corrumpit.* Quæ pœna te manebit, si judicem hunc à nobis corruptum dicas: quia, quod dices, nullo unquam idoneo argumento, satis scio, testatum facies.

Ad

A Ad extremum, non animadvertis, quanta injuria Pontifices afficias, dum eos talia privilegia concedere blateras, quorum vim & pondus non intelligant? Hæc nimirum reverentia est, quam Sedi Apostolicæ exhibes. Interea veneno mel misces, & *sanctissimos Patres* intonas, ingenti cordis & oris dissidio: Sed fortassis injuriam tibi facio, dum te injuriosum in Pontifices esse assero: Es enim ex numero furiosorum, quos negat Ulpianus; *Injuriam facere posse, sive pulsent, sive convicium dicant*, non sunt enim rationis compotes. At nunc ordine percensere ingrederis, quænam, tuo judicio, Pontifices non videantur approbare. *Prohibent*, inquis, *in forma instituti, ne quis ad professionem aspiret.* Non hoc tantùm, mi homo, sed & hoc generatim, ut postquam quis in corpus Societatis cooptatus *fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi non curet, sed in suo perficiatur, & obsequio Dei & gloriæ sese impendat.* B Nam veri religiosi est, *ut jactet cogitatum suum in Dominum*; illúdque Davidis semper usurpet: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. At professio*, inquis, *perfectionis status est, licet ergo illam appetere:* Etiam Episcopatus; plus dicam, etiam summus Pontificatus status est perfectionis: ergo Religiosus licitè Episcopatum, aut summum Pontificatum appetet, útque eum assequatur, enixè elaborabit, suósque superiores, ut ad assecutionem subsidio veniant, perpetuis precibus fatigabit? Ais: *Dicuntur etiam in eadem forma habere, ut, qui vota simplicia edunt, obligent se illis in* C *Societatis ingressum.* Omnino; quia formula votorum simplicium hanc etiam promissionem continet: *Promitto, me Societatem ingressurum, ut vitam in ea perpetuò degam:* non quòd jam non sit absolutè in Societate: sed quia nondum ad altiorem Societatis gradum ascendit, qualis est Professorum: & eorum, quos *Coadjutores formatos spirituales* & *temporales*, appellamus; & respectu horum, vovet ingressum in Societatem. *At*, inquis, *si postea talis jure suo petat professionem, ajunt, quòd non teneantur illum admittere, neque tamen illum à voto suo liberum manere: Et hæc dicunt à Pontificibus probari.* Planè ista à Pontificibus probata sunt; à Paulo III. à Julio III. & denuò confirmata à duobus Gregoriis XIII. & XIV. Constitutionem XIII. D habes apud Ribadeneiram. Deinde ista ipsa probat quivis, qui vota simplicia Deo nuncupat; vovet enim Deo perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate Jesu, & ingressum in eandem Societatem: sed cum hac clausula: *Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones.* At Societatis Constitutiones hoc vel inprimis à Religioso nostri Ordinis exigunt, ut suo in gradu Domino Deo in *sanctitate & justitia* serviat, neque sollicitus sit de ulteriore; sed totam hujus rei curam superioribus demandet. E

Si, inquis, *jure professionem petat.* Nescio profectò, num quis apud nos jure petere possit, cùm voverit, se contentum fore statione sua, donec ab his, qui præsunt, ad aliam evocetur. Hæc enim illorum verborum vis est, *omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones*, quæ, ut antè dicebam; hoc iterum atque iterum præcipiunt, ut quis omnem hanc sollicitudinem procul abs se arceat. Aut enim quis dignus est professione aut non; si dignus, ratio ejus habebitur; maximè, si dignus sit superiorum judicio: Nam si suo tantùm judicio dignus sit, jam hoc ipso indignus erit, etiamsi alioquin dignus sit: si autem revera sit indignus, tunc quo jure tantum gradum ambiet? Accedit, quòd nostri, qui domesticis ministeriis non addicuntur, dum vovent ingressum in Societatem; non vovent definitè professionem faciendam: sed aut professionem, aut Coadjutorum formatorum vota publica. Igitur neque ex hoc capite petet quis jure professionem, & hoc ipso, quòd potiùs cupit esse Professus, *quàm Coadjutor formatus*; satis ostendit, quo spiritu agatur. Nec insolens tibi videri debet; eos, si petita professione non exaudiantur; non exsolvi votorum simplicium obligatione: quia ea vota nuncupârunt Deo, cum hac appendice; *Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones*: quibus nihil magis est adversum, quàm ut, si quis ad professionem postulatam non admittatur, derepentè liber ab omni simplicium votorum religione fiat. *Hæc dicunt*, inquis, *à Pontificibus confirmari.* Dicimus & dicemus, hæc & plura hujus generis non ab uno, sed à pluribus Pontificibus, & ab universali Ecclesia, & à sacrosancto Concilio Tridentino approbari & approbata esse: hoc ipso enim, quòd Concilium Tridentinum nihil voluit innovare, nec prohibere, quò minùs Clerici Societatis Jesu, Deo, & Ecclesiæ juxta pium suum institutum, à Sede Apostolica approbatum, inservirent; Societatis mores, & in his etiam hunc, de quo agimus, gravissima sua sententia confirmavit. F G

Res, inquis, *dubitatione non caret;* Sed H apud quos? videlicet apud illos, qui dubitant, utrum meridie sol luceat, utrum nix alba, & ignis calidus; *Cùm nemo*, inquis, *teneatur, statum vitæ plus satis suspensum ducere: jure Canonico, in his casibus, jam olim provisum est:* Qui in nostra Societate degunt, votis simplicibus obstricti, illi non fluctuant, incerti de statu vitæ: jam enim in statu religionis versantur; jam verè & propriè dicti religiosi & sunt & nominantur: & ut tales ab Ecclesia habentur & colun-

L. illud. ff de injuriis.

A coluntur: jam perpetuam voverunt paupertatem, castitatem & obedientiam in Societate Jesu: Quomodo ergo ancipites, quasi salo agitati, & nondum in Religionis portum subducti, fluctuant? At progredi possunt ad altiorem statum. Ita est, sed in eodem Religionis statu, non in diverso: & tum, cùm ab eo, qui præest, audiunt illud: *Amice, ascende superiùs.* Quòd si fluctuent: quia retrò respicere incipiunt, id non fit vitiô status, sed culpâ animi inconstantis: neque hæc fluctuatio his est peculiaris: quia etiam Professi cujuscunque Ordinis ita fluctuare possunt: nisi à divina gratia præserventur. Quòd si quis fluctuet eò, quòd suo gradu contentus non vivat, id similiter non provenit ex statu; sed aut ex ambitione, aut ex parvo in virtutibus profectu, aut ex oblivione ejus, quod quis promisit, dum vota simplicia emisit: promisit enim sua sorte se contentum fore, neque aliter se vota sua interpretari velle, quàm omnia *intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutio-*
B *nes.* Licèt autem in aliis Ordinibus, ratione gradus altioris, hæc fluctuatio non habeat locum, quandoquidem omnes votis solennibus obligati sunt: attamen aliis modis fluctuare quis potest. Quid enim, si quis appetat dignitates vel extra vel intra Ordinem? quid si summo conatu enitatur, ut Doctor creetur, Professor, aut Antistes Ordinis; aut ut ad Episcopatum, aut aliam dignitatem Ecclesiasticam evehatur, hujúsque cupiditatis æstu accensus, nihil non tentet, nihil non turbet & audeat? Quæso te, undénam hujus fluctuatio proficiscetur? Indéne, quòd dubius animi de statu vitæ hæreat, an ex corde parùm religioso, cui arrogantiæ multum, humilitatis nihil aut parùm?

C *Si quis*, inquis, *votum simplex Religionis ingrediendæ fecerit, & à Superioribus non admittatur, ubi per annum expectaverit, jure ipso à voto fit liber: oportet ergo, ut & apud istos idem jus obtineat.* Respondeo, aliud esse votum simplex ejus, qui adhuc extra Religionis statum manens, vovet se Religionem ingressurum, qualia vota facere possunt Sæculares & Novitii Ordinum, quatenus nondum sunt in ipsum Religionis corpus cooptati: Et aliud esse, Religionis votum simplex, ejus, qui per ipsum votum simplex in corpus Religionis cooptatur; eíque, tanquam membrum, propriè unitur: ita ut verum sit dicere, talem non esse ampliùs sæcularem, sed veri nominis
D Religiosum. A voto simplici prioris generis, non nego liberari tunc aliquem, cùm à Superioribus Ordinis aditus ad Ordinem ei non referatur: At per vota posterioris generis, ita quis obligatur, ut, licèt ad gradum altiorem tunc, cùm petit, non admittatur, resilire nullo pacto liceat, quasi jam à votis sit expeditus; Quia per hæc E
vota verè in Societatis corpus adscriptus est, & cùm vovet, se Societatem ingressurum, non vovet ingressum in Religionem, sicut aliquis Sæcularis, sed vovet se in ea Religione, cujus jam per vota simplicia membrum factus est, ad alium gradum progressurum: ita ut cum Religione, cujus jam pars est, excellentiore adhuc modo conjungi velit: *Sed omnia intelligendo juxta ipsius Societatis,* hoc est, tunc, cùm à Præposito Generali ad hunc gradum evocabitur: Et hunc excellentiorem, & ut sic dicam, interiorem conjunctionis cum Societate modum, vocamus in formula votorum simpliciúm, *ingressum in Societatem.* Itaque tantum abest, ut quis, si non admittatur tunc, cùm petit, ad altiorem gradum, à votorum nexibus absolvatur; ut obligatio votorum nunquam cessatura sit, licèt tota vita sua nunquam ad majorem gradum admitteretur.

Non videtur, inquis, *credibile, Pontifices jus hoc per ipsorum Privilegia immutâsse.* F
Non opus fuit ulla mutatione: quia jus illud de voto simplici ingrediendi Religionem emisso, durat adhuc, & in posterum etiam durabit. At vota nostra simplicia non sunt de Societate ingredienda, nisi eo sensu, quem paulò antè explicavimus: sed dum quis hæc vota, exacto probationis tempore, facit; hoc ipso Societatem ingreditur: hoc ipso pars & membrum Religionis efficitur; nec obstat veræ & intrinsecæ notioni partis, ut alia pars fieri possit; nam & sanguis pars corporis humani est, & tamen fieri potest in eodem corpore pars alia longè nobilior, quippe vivens, ùt si fiat caro. Quòd autem ais: G
Multos doctos & pios viros dubitare: utrum Pontifices Ordini nostro hoc concesserint, ut, qui vota simplicia emittunt, verè sint Religiosi, detinerique possint vel inviti, licèt ad Professionem non admittantur. Suspicionem mihi moves, tuos illos doctos & pios viros vix esse semidoctos & semipios, dum de re clarissima dubitant. Nam ut vel unicam Gregorii XIII. Constitutionem nominem, cujus initium, *Ascendente Domino,* quid planius, quid dilucidius, quàm Pontificem illum, hæc & plura alia nobis concedere, vel, ut rectiùs dicam, pleraque jam olim à Pontificibus concessa, denuò confirmare? Sed tui *pii* & *docti viri* audent etiam Pontificis diplomati glossas addere. At quid non audeat homo effrons, in quo H
ignorantia cum temeritate certat? *Ex hoc,* inquis, *multa in Ecclesia Dei offensionis materies generatur, dum quidam sine Professione, jam progressu ætatis prudentiores, diutiùs apud ipsos vivere recusant; illi verò eosdem nec ad Professionem admittere, nec dimittere in animum inducant.* Vereor, ne scriba, qui tuum commentarium tumultuariè

De Votis simplicibus

A rièe descripsit, per oscitantiam errorem commiserit: nam quos progressu ætatis *prudentiores*, eos progressu ætatis deteriores factos esse, scribere debuit; idque nihil dubito ex tua etiam sententia. Nam & tu unus es ex tribu Judæ, cujus contribules non eunt, progressu ætatis, *de virtute in virtutem;* sed de virtute in vitium, more Galatarum, quibus proinde meritò illud occinitur: *Currebatis benè, quis vos impedivit veritati non obedire? sic stulti estis, ut, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Et cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus iterum servire vultis? Prudentiores*, inquis, *facti:* nimirum prudentia carnis, *quæ*, ùt ait Apostolus, *mors est:* non prudentia spiritus: quæ *vita* & *pax;* Et quænam materies offensionis inde nascitur, si liber abire non sinatur ille, qui sui voti & vocationis immemor, cursum in Ægyptum reflectit? imò non exigua offensionis materia exsisteret, si contrarium fieret. Dices fortè: *Istos initio non intellexisse obligationis magnitudinem, progressu autem temporis prudentiores & intelligentiores esse factos.* B At qui non intellexerunt, cùm formula instituti, regulæ, diplomata Pontificia omnibus legenda, perpendenda; imò & ediscenda tradantur, cúmque toto tyrocinii tempore, cùm in aliis ad religiosam vitam pertinentibus, tum in his, quæ uniuscujusque vocationem concernunt, sedulò informentur, ita, ut licèt quis rationem instituti & obligationem ignoraret, rebellio ejus inde non minueretur, quia regula est, *juris quidem Ignorantiam cuique nocere, maximè, si sit deperditi & nimiùm securi hominis.*

Galat. 2. 4. & 5.

Rom. 8.

L. Regula. L. Plurium. ff de Juris & facti ignor.

Pergis: *Ferunt etiam in forma instituti, naturalem parentum & consanguineorum amorem prohiberi.* C Prohibetur nostris ille amor, quem Dominus vetuit his verbis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Nónne videtur tibi etiam Christus in formula sui instituti prohibuisse naturalem erga parentes & consanguineos affectum? Sed probas hoc exemplo cujusdam Angli, cujus frater cùm Romam venisset, fratrísque opem imploraret, hoc mandatum à Rectore accepit; ut ne rebus fratris se immisceret. D O exemplum pietatis in consanguineos neglectæ inauditum; sed Calvinistis, non nobis: nos enim in Ecclesiastica antiquitate tam rudes non sumus, ut similia, & his majora præcepta, subditis crebrò data ignoremus. Tam peregrini in veterum monumentis non sumus, ut quomodo plurimi Religiosi erga parentes & cognatos sese gesserint, æterna nominis sui gloria, nobis sit inexploratum: Vel unicum factum Abbatis Apollo, viri sanctissimi, absterrere te poterat, ne hanc accusationem texeres, si, quod simulas, Catholicæ professionis esses: Non exscribo, lector ipsemet apud Cassianum legat. E

Cassian. Collat. 24. cap. 6.

At jam ex calumniatore confestim in Achitophelem commutaris, totiúsque Ecclesiæ consiliarius effectus, quid cum Jesuitis agendum sit, ornatissimis profectò verbis declaras: Sed cave, ne si fortè acclametur: *Melius est consilium Chusai Arachitæ, quàm Achitophel,* tu idem facias, quod Achitophel, qui videns, *quòd non fuisset factum consilium suum, stravit asinum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in civitatem suam, & disposita domo sua, suspendio interiit.* Sed quidquid eventurum sit, audiamus consilium tuum. *Quòd si fortè summorum Pontificum gratia, & rerum suarum approbatione abutantur, sanctissimum esset, ne ullus hoc in genere artificiis locus relinqueretur; omnia expressè revideri & examinari, ac tandem, quæ probant, in protocolla ad sacrum archivum referri, ad cujus exempla omnia deinde approbari possent.* G Sapientissimus sanè consiliarius es, nec mirarer, si Pontifex votum illud Agamemnonis de Nestore usurparet: αἰ γάρ Τοιῶτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν ἀχαιῶν. Τῶκε τάχ' ἠμύσειε πόλις πριάμοιο ἄνακτος: aut illud Darii, qui optabat *tot Zopyros, quot sunt mali punici grana.* Videris talis Consiliarius, qualis Epimenides Propheta, ùt enim isti de præteritis vaticinabatur, ita tu de præteritis, quæ dudum facta, & de præsentibus, quæ quotidie fiunt, novus πολύμητις Ulysses, consilia fundis. Augustinus Cusanus, de quo suprà, anno Domini 1587. 26. Augusti, Anno tertio Pontificatus Sixti V. Privilegia Societatis vidit, revidit, recognovit, *sana, integra, illæsa, non vitiata, non cancellata nec in aliqua parte suspecta reperit.* Num acquiescis? Et quis dubitet privilegia à Pontificibus concessa asservari in archivis? ut, si quid olim controversiæ exsistat, inde ejus decisio peti queat.

Hom. Iliad. 2.

Sed habent, inquis, *Jesuitæ, multa vivæ vocis oracula.* H Non abnuo, sed habent etiam alii Ordines: & fortè plura, quàm nos; Porrò in rebus levioris duntaxat momenti; nam quæ primaria sunt alicujus Ordinis, ea prudentiæ est, ut quis Pontificum editis sanctionibus muniri & roborari curet. *At periculum est, ne istis vivæ vocis,* ùt vocant, *Oraculis Jesuitæ abutantur.* Periculum est apud tui similes; non apud dissimiles, quales religiosi. Hoc ipso, quòd ubique fraudes & impostúras somnias, ostendis, quomodo animus tuus comparatus sit. Præclarè enim S. Gregorius Nazianzenus: *Minimè is malitiam fraudémque*

De oraculis vivæ vocis.

Nazian. orat. 1. contra Julian.

A *démque ſuſpicatur; cujus animus à malitia liber eſt & immunis.* Crimen falſi eſt non modò Pontificum conſtitutiones, ſed & reſponſa, absque ſcripto data, addendo aut demendo depravare. Et ſi is, qui falſis conſtitutionibus, *nullo auctore habito, utitur*, lege Cornelia, aqua & igni interdicitur: certè non minorem pœnam mereretur ille, qui falſa Pontificum reſponſa uſurparet, idque fingeret, quod ſummo Sacerdoti nunquam in mentem veniſſet. Reverentiores ſunt viri religioſi & Dei & hominum, quàm ut hujusmodi criminibus ſeſe reddant obnoxios.

L. Si quis. ff. ad Leg. Cornel.

B Cæterùm jam explicare aggrederis, quid per Pontificem efficere conemur, apud Principes politicos: poſtquam videlicet Pontificis mentem rerum ſecundarum narratione occupârunt: *Petunt*, inquit, *litteras ad principes, præſertim transmontanos.* Puto aliquot centenos Jeſuitas ex urbe cùm aliò, tum in partes ſeptentrionales profectos, qui ne verbulum quidem commendatitium attulerint: ſatis ubique commendatus eſt, quem virtus & eruditio commendat: quæ commendatio, ſit deſit, parùm prodeſt Pontificis commendatio.

De litteris commendatitiis.

C Quòd ſi interdum Pontifices dederunt litteras ad Principes, eásque per noſtros miſerunt, id non niſi publica, eâque graviſſimâ causâ, factum eſt; Et verò adhuc fit, cùm ſcilicet Pontifex, noſtrorum opera, in legatione aut miſſione quapiam utitur: Ne tu cogites Pontificem, quaſi Ludimagiſtrum aliquem, nihil aliud agere, quàm ut Jeſuitis, ex urbe abeuntibus, teſtimonia ſcribat, ut eò gratiores Principibus adveniant: *Mirificè*, inquit, *prædicant apud Principes, Pontificis in Principes amorem, paternumque affectum: eúmque non parùm, ſuo etiam labore & ſtudio augeri & foveri dicunt, ut hac ratione gratiam à Principibus ineant.* Ita loqueris de Principum colloquiis, quaſi aliquis Princeps feciſſet te ſuum *auricularium à ſecreto:* ſicut David

D Banajam, *filium Jojadæ.* Interfuiſtíne aliquando hujusmodi colloquio? Cedo, ubinam gentium? Ede nomen loci, Principis, Jeſuitæ, temporis & aliorum adjunctorum. Et ut Jeſuitæ maximè prædicarent Pontificum in Principes, ultramontanos præſertim, benevolentiam; haud quidquam à vero alienum facerent. Etſi enim Pontifices, tanquam patres, paterno affectu omnes Principes complectuntur, experientia tamen jam didicimus; eos, ſingulari propenſione, in harum regionum Principes ferri, quippe, qui non ignorent, quàm bene de Eccleſia mereantur; qui inter tot hæreſes avitam religionem illibatam cuſtodiunt, ſuáque ſalute & incolumitate, tot populorum ſalutem & incolumitatem curant. Nec egent Principes commendatione & encomiis Jeſuitarum, ut Pontificis favorem promereantur; quia ipſi ſua virtute, Catholicæque Religionis & juſtitiæ zelo, ſatis ſupérque Pontifici ſe ſe commendant.

2. Reg. 23.

E

Addis: *His ita conſtitutis ad rerum bonorúmque acquiſitionem pergunt. Obſervant igitur in primis diligentiſſimè, ubi monaſteria religioſis vacua reperiantur, ut ea per Pontificis auctoritatem occupent.* Quia verò hoc loco multa ſcribis de monaſteriis à Jeſuitis occupatis, paulò fuſiùs hic locus à me tractandus eſt, ut tam tibi quàm aliis obtrectatoribus os obſtruatur. Ac principio quod ais, *vacua à nobis monaſteria occupari*, id oſtendit nos Lutheranis & Calvinianis eſſe diſſimillimos, qui plena magis amant, quàm vacua. Secundò, quod ais, nos *monaſteria occupare, Pontificis conſenſu;* jam non tantùm nos Lutheranis & Calvinianis diſſimillimos, ſed ab iis toto cœlo, & quod vulgò dici ſolet, *totis prædicamentis* diverſos eſſe confiteris: nam ex tot monaſteriorum chiliadibus, & beneficiorum myriadibus, ne unum quidem juſto titulo poſſident; ſed omnia, more prædonum, divinis & humanis legibus invitis, in ſuam poteſtatem redegerunt & rapaciſſimis ungulis expilârunt & diripuerunt. At Jeſuitæ ne unum quidem monaſterium, aut ſacerdotium obtinent, quod non aſſentiente legitimo magiſtratu obtineant. Et quia hac de re non ita pridem ſcripſi adverſus Gabrielem Lermæum Calviniſtam, non gravabor eadem hîc repetere: præſertim cùm ad ſycophantæ hujus impoſturas refellendas ſint cumprimis neceſſaria. Ita igitur tunc Lermæo, eandem querelam de monaſteriis proferenti reſpondebam: Mirum dictu, Calvinianos & Lutheranos, tam effrontes eſſe, ut objiciant Jeſuitis occupata Monaſteria & Sacerdotia cùm ipſi tot millia monaſteriorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, divinis humanísque legibus invitis & reclamantibus occupârint, & profanaverint, & innumera Monaſteria funditus everterint; ita ut præter ruinas, vix quidquam amplius ſuperſit: Jeſuitæ autem nullum Monaſterium aut Sacerdotium poſſideant, quod non legitimo titulo, Principum videlicet & Pontificum voluntate & auctoritate poſſideant. Ut taceam illud alterum diſcrimen, quod cùm hæretici Monachis aut Sacerdotibus per ſummam injuriam ſuccedunt, impii ſuccedunt piis; impuri, puris; hirci, ovibus: ſacrilegi, ſacris: At cùm Jeſuitæ ſuccedunt: ſuccedunt Catholici Catholicis; Religioſi, Religioſis: & ita ſuccedunt, ut cultum divinum non aboleant, ſed conſervent: Vel, ſi, ùt interdum fit, collapſus fuerit, diligenter inſtaurent: nec contra mentem & voluntatem fundatorum ſuccedunt, ſicut hæretici

F

De translatione Monaſteriorum ab Ordine ad Ordinem.

G

H

A ci; quia quisquis aut beneficium Ecclesiasticum fundavit, is eo consilio fundavit, ut Catholica religio sarta tecta custodiatur & propagetur, & ut divina gloria semper magis atque[a] magis amplificetur. Hunc finem consequuntur etiam tunc fundatores, cùm Ecclesiastici Magistratus sententia, ab Ordine ad alium Ordinem Ædes religiosæ & facultates transferuntur; quandoquidem talis translatio nunquam fit, nisi majoris boni ad Rempublicam & Ecclesiam
B inde redundantis intuitu. Cùm autem Fundatores non sint immortales, sed sæpè ante aliquot centenos annos ex hac vita migraverint, nec ipsi jam judicium ferre possint, utrum magis è re Christiana futurum sit, si hoc vel illud beneficium aliis transscribatur: ideo reliquerunt hoc judicium summo Ecclesiæ præsidi; qui, tanquam *fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; maturo judicio definit, quid pro variis temporibus & necessitatibus; item pro variis hominum locorúmque circumstantiis; hac in re facto sit opus, ne munifica fundatorum liberalitas suo fine privetur, & expectationi tam piæ non satisfiat.

C De hæreticis in Monasteria intrudendis, nemo unquam fundator, ne per somnium quidem cogitavit; cùm hæretici consilio fundatorum directè repugnent, cúmque ex tot millenis cœnobiorum & redituum Ecclesiasticorum fundatoribus, nullus Lutheranus aut Calvinianus fuerit; quia fundare Monasteria non est hujus Evangelii, sed diripere & expilare. At de Jesuitis cogitârunt fundatores, hoc ipso, quòd dotationes suas vel disertis verbis, vel tacitè & interpretativè ita instituerunt, ut rem totam Ecclesiæ arbitrio permiserint & commiserint, ut dispiceret, quidnam magis ad
D gloriam Dei expediat. Quod judicium sibi à fundatoribus delatum, Ecclesia, hoc est, Pontifex, qui Ecclesiæ præest, sæpius multò antè, quàm Jesuitarum nomen in orbe audiretur, exercuit, dum monasteria & reditus ab hoc vel illo Ordine ad alias familias religiosas transtulit; quod interdum necessariò esse faciendum, etiam ex ipsa fundatoris intentione & proposito, inde manifestum est; quia alioquin monasteria sæpè omnino fuissent deserta, eò, quòd huic vel illi Ordini, hoc vel illo loco non suppeterent homines, quibus familiam suam conservaret & perpetuaret. Deinde, quia accidere potuit, ut disciplina religiosa hoc vel illo loco penitùs dissolveretur & laxaretur, nihílque minùs, quàm Dei laus & gloria celebraretur & amplificaretur, quia ùt ille ait: *Ingenium est omnium hominum ab labore proclive ad libidinem.* Utroque casu necessarium est, ut, quod pio & laudabili proposito majores instituerunt, mutetur à posteris, alióque transferatur; alioquin majorum voluntati non E modò non satisfieret, sed & quiddam penitùs adversum fieret. Hæc ego Lermæo Calviniistæ, quæ tibi etiam Calvinopapistæ dicta existimes velim.

Quis verò nescit, translationem istam F Monasteriorum & bonorum Ecclesiasticorum ab Ordine uno ad alterum, vel ab hoc hominum genere ad alterum; semper in Ecclesia fuisse usitatissimam? Quot templa & reditus jam Canonicorum, olim erant Monachorum? Quot Monasteria olim diversos ab hodiernis incolas habebant? Contexuerunt Monasteriorum catalogos Bruschius, Germaniæ; & clarissimus Hundius, Bavariæ: Hos evolve, si discere delectat Monasteriorum mutationes & translationes; sed quia monenti non obtemperabis, operæ pretium erit hoc loco singula enotare; & ex catalogis illis catalogum texere: ne saltem æquus, si non iniquus lector, arbitretur, nunquam factum esse, ut ullum Monasterium ab uno Ordine, Pontificum Principúmque jussu & voluntate, ad alium transferretur; Igitur celebre Monasterium est in Bavaria, *Inferior Altha seu Althaich*: ad ripam Danubii. Hoc pro Patribus Benedictinis primò fun- G datum, postea ad Canonicos Regulares pervenit, & ab his rursus ad primos possessores Benedictinos. *Alerspachium* incolebant primò Clerici Sæculares, (hos enim Aventinus affectato, ùt solet, vocabulô *populares mystas* vocare videtur,) his expulsis, ibidem Ordo Cisterciensis institutus est, agente id D. Bernardo. *Althonis Monasterium* incoluerunt, saltem postquam reparatum est à Guelphone, Benedictini. His aliò migrare jussis, successerunt ejusdem Ordinis Sanctimoniales: in horum locum subiit Ordo Salvatoris, seu S. Brigithæ, qui adhuc Cœnobium illud tenet. Monasterium *Andecense*, seu *Montis sancti*, incolit nunc Ordo S. Benedicti, priùs septem Sæcularium Canonicorum Collegium erat. *Beihartingæ Cœnobium* primò virgines Deo dicatæ habitabant, nunc Canonici Regulares Ordinis S. Augustini. *Beu-* H *rense*, ditionis Salisburgensis, non procul à Salza flumine, tenuerunt quondam Augustiniani; pòst Benedictini. Monasterium *Chiemseense* ab initio D. Benedicto dedicatum fuit, postea cessit Canonicis Regularibus S. Augustini. Contrarium evenit *Eberspergensi* Monasterio. Locum, quem nunc Ratisbonæ tenent Augustiniani Eremitæ, tenebant primitùs duo Sacerdotes Sæculares. *Metense* Monasterium à fundatore Benedictinis ædificatum est, successerunt Canonici; pulsis istis, restituti sunt Benedictini. *Mospurgum*, olim erat Monasterium, nunc Canonicorum Collegium. Idem de veteri *Oetinga* constat. Idem tradunt nonnulli de Collegio Canonicorum

Quæ Monasteria ad diversos Ordines sint translata. Bruschius Cent. 1. de Monast. Germaniæ. Hundius in Metropol. Salisburg.

A *Matiſcovenſium.* Contrarium accidit *Oſterhovio:* nam ex Collegio Canonicorum Sæcularium commutatum eſt in Monaſterium Præmonſtratenſe, quamvis Aventinus ſcribat, à Benedictinis primò tranſiiſſe ad Auguſtinianos. *Päringenſe* Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini poſſident nunc, Pontificis & Principis voluntate, Patres Benedictini, qui in Monte ſancto rem divinam curant. *Monaſterium S. Petri* in Matrona monte, olim erat Benedictinorum, poſtea in Præpoſituram abiit, *quam Princeps plerumque alicui ex aulicis Sacerdotibus confert*, inquit Hundius. Eandem aleam, vel certè ſimilem, ſubiit Cœnobium *Pfaffenminſterienſe*, Ordinis S. Benedicti: nam in Collegium Canonicorum
B Sæcularium deſiit. *Pollinga*, prima inſtitutione, ſacrarum virginum erat domicilium; nunc Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ùt & *Schlechdorffium*. *Brielium*, juxta Ratisbonam, hodie Carthuſia, ſuperiori ſæculo Benedictinorum Cœnobium. *Reicherſperga* jam ad Canonicos Regulares S. Auguſtini pertinet, olim Sæcularium Sacerdotum erat. *Monaſterium S. Salvatoris*, quot mutationes ſubiit, donec tandem cum *Oſterhovenſi* in perpetuum tempus
C conjunctum eſt? *Schefflarienſe* olim erat Benedictinorum, hodie Præmonſtratenſium, ùt & *Schlierſenſe*, quod hoc tempore pro Benedictinis Canonicos Regulares habet. Sic *Veltenburgum* à Benedictinis ad Canonicos Regulares, & ab his rurſus ad Benedictinos venit; ùt & *Veſſenbrunnium*, niſi quòd hoc à Sacerdotibus Sæcularibus occupatum fuerat, ejectis Benedictinis. *Monaſterium Biburgenſe*, *Münſterienſe*, *Päringenſe*, *Schamhaptenſe*, *Mallerſtorphenſe* cùm vacarent, vel certè pauciſſimos incolas haberent, tradidit ſummus Pontifex Sereniſſimo Bavariæ Duci, ut eorum reditus in pios uſus converteret: prout præſens Eccleſiæ ſtatus exigere videbatur.

D Habes ergo ex ſola Bavaria ſupra triginta Monaſteria, quæ variis temporibus, auctoritate Pontificum & Principum, ad alios Ordines aut ſtatus translata fuerunt: vidésque ſucceſſiſſe Monialibus Monachos; & his, Moniales: Monachos diverſi Ordinis; Monachis alterius Ordinis; Monachos Sacerdotibus Sæcularibus; & Sacerdotes, monaſticæ vitæ Profeſſoribus: ut proinde inſolitum videri nequeat, niſi invidis & imperitis, ſi ejusdem Pontificis & Principum, ſeu aliorum Magiſtratuum nutu, ad Jeſuitas quoque Monaſteria devolvantur: præſertim, ſi alioquin incolis ſint deſtituta: aut ſi religioſa diſciplina adeò conciderit, ut ſpectato præſenti Eccleſiæ ſtatu, Pontifices & Principes ſatius eſſe judicent, novos colonos in veterem coloniam inducere, quàm priſcorum ſocordiam tolerare. Semper hoc in Eccleſia

Quot monaſteria in ſola Bavaria ab Ordine ad Ordinem translata.

Dei uſitatum fuit, ſempérque uſurpabitur, E
nec unquam ſuis obtrectationibus, Hæretici, & alii Ordinum hoſtes efficient, ut Monaſteria & bona Eccleſiaſtica ab Ordinibus ad alios Ordines non transferantur; quando id è re Chriſtianæ Reipublicæ eſſe crediderint, ii, qui ad Reipublicæ Chriſtianæ gubernacula ſedent: nullus eſt Ordo, qui hujusmodi benevolentiam, & liberalitatem Pontificum & Principum, ipſemet non ſit expertus, ſaltem ſub ſua primordia. Quòd ſi ſint ejusmodi Ordines, qui nec in communi quidem bona ſtabilia & certos reditus admittant; ùt eſt Ordo S. Franciſci de Obſervantia; ii ſaltem, beneficio Sedis Apoſtolicæ liberaliúmque fundatorum, Monaſteria aliorum Ordinum & templa, & quæ aliàs ad quotidianam & commodam habitationem neceſſaria erant, ſæpius acceperunt. Teſtem do, ut F
alios prætéream, Seraphicum S. Franciſci Ordinem, qui cùm propterea malè vulgò apud imperitos & obtrectatores audiret, hiſque etiam verbis & ſimilibus Patres illos exagitarent: *Quid dicitis ad hoc, quòd in pluribus locis dicuntur Fratres veſtri, alios Religioſos, vel Clericos ejeciſſe, violenter de propriis Eccleſiis, vel Monaſteriis, & ibidem, eis invitis, ſibi manſionem feciſſe; quomodo poteſt hoc excuſari ab injuria & violentia?* S. Bonavent. in Apolog.
Reſpondit loco omnium D. Bonaventura: *Ubicunque hoc factum eſt, non eſt per fratrum violentiam factum; ſed vel per Epiſcopum loci, vel ex juſſu Domini Papæ, qui intelligens Clericos illos, vel Religioſos, ibi minùs honeſtè ſe gerere, vel ad tantam paupertatem redactos eſſe, quòd divinum ſervitium ibi eſſet delapſum; quòd per ipſos non erat ſpes reſtaurationis; auctoritate Apoſtolica mandavit, illos alibi locari, aſſignatis ſibi certis reditibus, unde poſſent congruè ſuſtentari, & fratres noſtros ibi habitare, & divina officia ibi celebrare, cùm ad ipſum ſpectet de omnibus locis religioſis ordinare, ut ſacra ibi religio reſtauretur, ſive per illius Ordinis perſonas, ſive per alias alterius Ordinis, ſicut viderit expedire.* Hæc S. Bonaventura pro ſuo & noſtro Ordine.

Quamvis autem cuivis candido rerum G
æſtimatori ſatis eſſe queant hæc, quæ ex Hundii Metropoli adduximus; lubet tamen Monaſteriorum translatorum ex Bruſchio, octo alia exempla addere: ne in ſola Bavaria hoc accidiſſe cenſeatur. Igitur ut à celeberrima & antiquiſſima S. Benedicti Abbatia *Elvacenſi* incipiam, quis neſcit, Monaſterium illud in *Præpoſituram*, & monachos in *Canonicos ſæculares*, verſos eſſe? ùt ait Bruſchius; quod & *Hieredenſi* Abbatiæ & *Weiſſenburgenſi*, earúmque incolis accidit. *Martalenſe* Canonicorum Collegium in Præmonſtratenſe Cœnobium mutatum eſt, ùt & *Oeningenſe* Benedictinorum in Canonicorum Regularium S. Auguſtini domi-

Exempla Monaſteriorum translatorum ex Bruſchio,

H

A domicilium: & *Monaſterium S. Lucii*, in Rhetia olim Benedictinorum; poſtea Præmonſtratenſibus traditum eſt; tandem in Xenodochium deſiit: *S. Maximini Monaſterium* juxta Treviros: Benedictini inſtituti profeſſoribus aſſignatum eſt: cùm antea Regulam & Ordinem Orientalium monachorum ſequeretur; quippe S. Benedicto longè antiquius. Monaſterium, quod *Auguſtæ Vindelicorum* viſitur ampliſſimum, & à *S. Udalrico* cognominatur, primùm Canonicos Regulares indigenas habuit, poſtea ad hunc usque diem Patres, qui S. Benedicti regulam profitentur; Nec opus eſt plura exempla accumulare: ſi enim hæc non ſufficiant ad meliorem mentem huic calumniatori injiciendam, non improbabiliter ſuſpicari licebit, nullum omninò, quamvis grandem, mutatorum Monaſteriorum numerum, ſatis ad hoc fore, ut à criminationibus deſiſtat, nósque
B conviciis inceſſere ceſſet: *Eò quòd*, ùt inquit, *Jeſuitæ Viennæ incolant & poſſideant cœnobium Carmelitarum, Moguntiæ, Treviris, & Braunſpergæ Franciſcanorum: & Romæ itidem ex Abbatia quadam annuos reditus capiant:* Sed quæſo te, cur adeò doles vicem Monaſteriorum paucorum, quæ Jeſuitæ tenent, conſenſu & approbatione ſummi Pontificis, & aliorum Principum, quibus jus & poteſtas in illa Religioſorum domicilia erat? Cur non derivas partem doloris tui, ad tot Centurias Monaſteriorum, quæ Britanni, populares tui, in Anglia, Scotia, & Hibernia, per ſummum ſcelus, invaſerunt, & per inaudita ſacrile-
C gia diripuerunt? Cur tam durus es & ferreus, ut nulla te cura tangat aliquot millium Monaſteriorum, quæ fratres tui Lutherani & Calviniani, per utramque Germaniam & Galliam, perfidia ſua contaminârunt; & in dies adhuc contaminant? Quot centena Franciſcanorum, Dominicanorum, & Benedictinorum cœnobia everterunt, aut in profanos uſus converterunt? Verùm tu hæc omnia nihili pendis, nec unius aſſis æſtimas, ſola illa paucula Monaſteria, quæ Jeſuitæ, fidei Catholicæ profeſſores & propugnatores, juſtiſſimo titulo tenent, animum tuum cruciant & peſſimè afficiunt. Quæ cauſa, ô pſeudocatholice? in promptu cauſa eſt, *Rumperis invidia.* Cauſa liquet, *lupus* es, *vellere tectus ovis.*

Moguntiæ, inquis, *fregerunt Sanctorum*
D *ſtatuas.* Non dubito, quin antiquum hoc loco teneas, hoc eſt, mentiaris. Jeſuitæne Sanctorum imagines frangant aut deturbent? quibus ubique terrarum hoc in primis curæ & cordi, ut templa, quàm fieri poteſt maximè, Divorum picturis & imaginibus condecorent? Quæſo, quis vel ex ipſis Sectariis talia tibi narranti aut aures aut fidem adhibebit? Deinde cur non doles vicem tot imaginum dejectarum, conculcatarum, flammísque voracibus E tandem exuſtarum à tuis contribulibus, in iis Religioſorum domiciliis, quæ ipſi, ùt antè dicebam, ſceleratiſſimè inceſtârunt? non enim habeo mitius verbum, quo tantum facinus exprimam. *Omnia*, inquis, *prioris religionis monumenta deleverunt, inverſis ſepulchrorum lapidibus. Res quædam conſiderationis expers eſt malitia*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *nec ulla ratio iniri poteſt, qua homines nequam & flagitioſos quisquam meliores efficiat.* Id adeò jam sæpius, quàm optem, experior. Túne ais noſtros prioris Religionis, omnia monumenta obliterâſſe? Atqui, niſi ex ipſis fundamentis Monaſterium aliquod evertatur, ínque ejus ſtationem nova prorſus ædes ſubſtituatur, (quod Moguntiæ non factum, eo tempore, quo tu has calumnias effudiſti, mihi certò conſtat) fieri profectò nequit, ut omnia monumenta Ordinis alicujus expungantur. At noſtri; quod novis F inquilinis in more poſitum, domum illam & templum ſibi à legitimo magiſtratu, legitima ratione, traditum & tranſcriptum, fortè renovârunt; & ad uſus ſuos accommodârunt. Cæterùm, quæ hæc in priorem Religionem injuria, quæ contumelia? An non quivis, cùm domicilii alicujus dominium accipit; illud, quoad fieri poteſt, quotidianis uſibus & functionibus adornat? cujus rei gratia, oportet, ut aliquando moveantur loco monumenta ſepulchralia, quò templum elegantius vel capaciùs, vel lucidius reddatur, vel de integro, novo & æquabili pavimento ſternatur, vel aliam ob cauſam, quæ rem architectonicam tractantibus non paucæ occurrere poſſunt. An verò, mi Calvino- G papiſta, ullum locum nôſti, ubi Jeſuitæ, etiam cum abjectiſſimi homuncionis tumulo, egerint, eo modo, quo fratres tui Calvinopapiſtæ, & Puritani in Britannia, & Hugonoti in Gallia, & Geuſii in Belgio egerunt cum ſepulchris plurimorum Cœlitum, cum ſepulchris maximorum Regum & Principum? Si exemplum proferre potes, non inviti feremus, ut omnibus illis pœnis mulctemur, quas jam olim leges, ſepulchrorum violatoribus & perfoſſoribus ſtatuerunt; niſi fortè unum aut alterum Hæreticum, loco conſecrato ſacrilegè defoſſum, & poſtea piè refoſſum, adductu- H rus es. At quid ad te Catholicum Hæretici? Cur ægrè feras exhumationem, quam ſacri Canones, quorum tu tantus æſtimator, & obſervator, non modò laudant, ſed etiam mandant? *Extorquent*, inquis, *à Pontificibus & Principibus iſta Monaſteria.* At tu profectò non extorques, neque, velut trochleis quibusdam, mendacia ex pectore extrahis, ſponte ſua profluunt: ſponte ſua numeros ad aptos veniunt. Nec puto Naſonem tanta facilitate ſcripſiſſe

libros Metamorphoseon, (etsi quidquid conabatur scribere, versus erat) quanta agilitate & promptitudine tu calumnias fingis. Tantum abest, ut à Pontifice, aut à Principibus Monasteria extorqueamus, ut certò sciam, aliquando, cùm ultrò, non petentibus offerrentur, constanter repudiata esse. Tantum abest, ut extorqueamus Monasteria, ut aliquando Principes & Mœcenates nostri prius rem cum Pontifice transigant, quàm assensum nostrum requirant. Tantum abest, ut extorqueamus Monasteria, ut Monasticam disciplinam in omnibus Monasteriis florere & vigere peroptemus: eáque propter Prælatos etiam, quibuscunque modis possumus, exhortemur & incitemus, ut ad Academias, bonarum literarum gratia, suis ex conventibus aliquot ablegent, qui domum postea reversi, variis disciplinis exculti, monasticæ professionis dignitatem tueantur, & antiquum decus sanctissimi instituti, aut conservent, aut si intercidit, reparent.

B Sed jam in specie commemoras, quænam Monasteria per vim extorquere & occupare conati simus: Etsi irrito conatu. Ais: *Augustæ Dominicanorum, & aliud sanctæ Crucis Canonicorum Regularium sancti Augustini Monasterium, adeò improbè acquirere tentârunt, ut communi voce populi quæreretur, an boni isti viri in octavo, nono & decimo decalogi præcepto à Domino Deo dispensationem obtinuissent, adeò mendacibus objectis calumniis res alienas concupiscere videbantur.* Gravis accusatio, ac proinde diligenti studio amolienda. Ac primùm quæro ex te, si illi, qui Augustanam Confessionem sequuntur, duo ista Monasteria occupâssent, suíque juris fecissent; mutirésne, & vel unicum verbulum contrà proferres? Si te id iniqua mente laturum affirmes, statim quæro, cur ergo jam tam æquo animo feras, eadem in urbe ab iisdem duo Monasteria occupata; alterum Carmelitarum, alterum Franciscanorum? Cur non doles Monasteria illa priscis inquilinis fuisse à Lutheranismo re ipsa erepta; sicut jam doles & excandescis, cùm audis, tentatum duntaxat esse, ut in hæc Monasteria Dominicanorum & S. Crucis, pulsis veteribus incolis, Jesuitæ, novi indigenæ, introducerentur? Quæ est ista tua æquitas? ut aliis, & quidem à Catholica Religione alienis, factum ipsum in laude ponas: vel certè non in vitio: Nobis autem Orthodoxis & Religiosis ipsum conatum sine effectu tam malignè interpreteris, ut totius propemodum Decalogi violati reos nos esse proclames? Aliis profectò oculis nos intueris, & aliis Calvinianos & Lutheranos. Ais: *Communem fuisse populi vocem, nostros hoc tentâsse.* Venit in mentem ejus, quod sapienter dixit & scriptum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, cùm accusaretur, quasi cathedram Constantinopolitanam affectâsset & ambivisset. *In gratiam,* inquit, *cum veritate redeant, qui me alienæ uxoris cupiditate flagrâsse dicunt, cùm ne propriam quidem habere voluerim; sint etiam Gabaonitæ meliori conditione, quos tamen, ne ad id quidem munus Spiritus sanctus admissurus est, ut ligna atque aquam portent, quamdiu cum hujusmodi & sermonis & vitæ maculis ad sacra accesserint. Atqui multis secùs videtur, inquies; Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, queinadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais: Quid verò? An iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? An ebriis, qui sobrii sunt, integra mente esse, ac non potiùs in caput incedere, ac sursum deorsumque moveri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est? nempe morbo laborantibus, maleque affectis? At non propterea res ita se habent, ut, qui hoc statu sunt, arbitrantur. Quocirca* F *fac priùs fidem sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, ut meliorem mentem induamus: aut condemna, nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia perstemus. Non ita multis videor? at Deo ita: imò non videor, sed perspicuus & manifestus sum ei, qui omnia, priusquam oriantur, novit, qui corda nostra sigillatim fingit, qui intelligit omnia opera nostra, omnes motus & cogitationes, cum quibus res à nobis geruntur, intelligit, quem nihil eorum, quæ sunt, latet, aut latere potest, qui aliter res nostras intuetur, atque mortales solent, (Homo enim, si Scripturæ fides habenda est, videt in faciem; Deus autem cor intuetur;) cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum est, quàm omnium aliorum in unum coactorum.* Hæc præclarè Nazianzenus. E S. Greg. Naz. orat. de cathed. Constant.

De Monasteriis Dominicanorum & sanctæ Crucis Augustæ.

Cæterùm ut totam rem candido lectori candidè patefaciam, ídque ex relatione P. Gregorii Roseffii, Augustæ in primario templo aliquot supra triginta annos Concionatoris, qui toto illo tempore, quo de Collegio erigendo consultabatur, Augustæ vixit; noverit inprimis lector, istum ab ingenio suo ne latum quidem unguem abire, sed omnia dolis & figmentis implicare; & tamen non sine levissimorum quorundam applausu: quia *his*, ùt Comicus ait, *nunc præmium est, qui recta prava faciunt.* Amplissimus enim Cardinalis Otho Truchsessius, Augustanus pariter Episcopus, & alii nobilissimi & clarissimi viri, cùm id unum in optatis haberent, ut Augustæ, bono Catholicæ fidei & juventutis, Collegium Societatis Jesu conderetur, petiêrunt à Pontifice Pio V. non ipsum Cœnobium Dominicanorum, ùt iste mentitur G H

A tur, ſed aream quandam Dominicano Cœnobio contiguam, & ad ipſum Cœnobium pertinentem, ut in ea Collegium ædificarent: nec gratis petiêrunt, ſed eam pecuniæ ſummam obtulerunt, quæ cujusvis prudentis & periti æſtimatoris judicio ſufficeret. Hoc conſilium eò feliciùs & faciliùs ſucceſſurum videbatur, quòd ipſis Patribus Dominicanis id loci ſpatium non eſſet uſui, quippe extra ambitum Monaſterii ſitum, ſed unà cum ædibus & ſtabulis, quæ in eo exſtructa viſuntur, civibus & aliis locari conſuevisſet, conſtituto annuo cenſu, à ſingulis inquilinis pendendo, quem Religioſi illi Patres æquè quotannis percepturi erant, ex ea pecunia, quæ ad ipſos, venditâ areâ, perveniſſet, ac capiant ex locatione ipſius fundi & domiciliorum.

B Sed cùm inceptum hoc in irritum caderet, Deo aliquid opportunius reſervante illis, (quos iſte, quaſi metam & ſcopum ſibi delegit, in quos conviciorum ſuorum ſpicula vibret,) tum iidem Patroni & Fautores Ordinis noſtri & fidei avitæ, præſertim illuſtriſſimus Cardinalis Otho, tanquam loci Ordinarius, inſtare cœperunt apud Pontificem, ut Canonici Regulares S. Auguſtini, qui ad S. Crucis degunt, transferrentur ad S. Georgium, ejusdem Ordinis, in eadem civitate, Monaſterium, cum omnibus bonis tam mobilibus, quàm immobilibus. Cætera enim ſe curaturos ſpondebant, dummodo locus iſte Societati tranſcriberetur, auctoritate Pontificis, qui tum erat Gregorius hoc nomine de-

C cimus tertius. Non diſplicuit Pontifici conſilium, & res jam inibi erat, ut decretum de translatione facienda ederet; noſtris interea negotii hujus curſum neque adjuvantibus, neque etiam præpedientibus; non enim par erat, ut Cardinali Othoni, Auguſtanæ Diœceſeos Ordinario, præſcriberent, quid facto opus videretur. Verùm poſtquam Pater Gregorius Roſeffius intellexiſſet, in quonam ſtatu res verſaretur, è veſtigio prolixas literas ad P. Everhardum Mercurianum, Societatis Jeſu tunc Præpoſitum Generalem, dedit, quibus fuſiſſimè, tanquam Superiori ſuo, explicabat, cur neque è re Eccleſiæ, neque etiam è re Societatis translatio illa foret, multísque precibus ab eodem Patre contendebat, ut ſine mora Pontificem adiret, eíque id, quod facere inſtituerat, diſſuaderet. Nec incaſſum miſſæ literæ, aut preces ſuſceptæ. P. Generalis Pontificem acceſſit, rationes à P. Roſeffio perſcriptas expoſuit: Quid multis opus? Pontificis animum aliò deflexit, & ita inflexit, ut, quod jam propemodum confectum erat, infectum redderet.

D Nec tamen Pontifex, de inſtituendo Auguſtæ Collegio, cogitationem ſimul cum hac mutata ſententia, poſuit, ſed Nuncium Apoſtolicum Reverendiſſimum E Dominum Bartholomæum Comitem Parliliarum Auguſtam deſtinavit, ut cum *venerabili & nobili primariæ Ædis Canonicorum capitulo*, diſquireret, num quæ alia ratio condendi Collegii ab Ordinario, aliísque ſummis viris tantoperè expetiti occurreret. At cùm poſt multas deliberationes, nihil proficeretur, ceſſatum eſt, cùm ab illis, tum à Pontifice: donec tandem Deo viſum, ardentiſſimo ampliſſimi Cardinalis jam in cœlum recepti, aliorúmque procerum deſiderio ſatisfacere, noſtrorúmque in Hæreticorum & invidorum tolerandis calùmniis & ſcommatis patientiam remunerare, oblata ejusmodi exſtruendi Collegii occaſione, qualem, non dico, antè nemo ſperare, ſed nec per ſomnium optare potuiſſet: quo manifeſtè eluxit, non F eſſe famulis Dei deſperandum, ſi quis Semei *per jugum montis ex latere contra illos* 2. Reg. 16. *gradiatur, maledicens & mittens lapides adverſus eos, terrámque ſpargens*, & hoc funeſtum carmen accinens: *Egredere, Egredere vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul, quoniam invaſiſti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua. Dimitte, ut maledicat*, aiebat David, *ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna.* Quis ſcit, an non Deus pro maledictis & tuis & omnium aliorum, qui vociferabantur, & adhuc vociferantur, Jeſuitas *nec octavum, nec nonum, nec decimum Decalogi præceptum ſervare:* miſerit inſignem illam benedictionem, quæ omnium Calvinianorum & Lutheranorum oculos & animos cruciat. Hunc in modum, benevole lector, res acta eſt; quod attinet ad duo illa Mona- G ſteria Auguſtana, S. Dominici & S. Crucis; ut proinde Societas, & in primis P. Gregorius Roſeffius ob litteras à ſe Romam ſcriptas jure uſurpare poſſit illud Davidis: *Feci judicium & juſtitiam, nec tradas* Pſalm. 118. *me calumniantibus me: ſuſcipe ſervum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi.* Iſte autem conviciator noſter, qui veritatis lucem ubique mendaciorum ſuorum caligine obnubilat, ἀμετροεπὴς, ὅσσ᾽ ἔπεα φρεσὶν ἧσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ἤδη, quam mercedem promeruit, ob has & ſimiles criminationes, niſi illam, quæ promiſſa & prædicta eſt Therſitæ ab Ithaco, cùm fidem ſuam teſtatus eſt: Quam pœnam meretur iſte impoſtor. Iliad. 2.

μήτ᾽ ἔτι τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλήμενος H
εἶην,
εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν φίλα εἵ-
ματα δύσω
χλαινάντ᾽ ἠδὲ χιτῶνα.
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω.
πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῆσι.

Si eum denuò in optimos quosque, calumnias, ore petulanti, fundentem deprehen-

A prehenderet. Hanc, inquam, pœnam promeruit; quam ſi expendere cogeretur Auguſtæ à Monaſterio S. Crucis, usque ad Cœnobium Dominicanum, vel, ſi mallet, vice verſa: vix opinor, cum his commentis & ſycophantiis iterum in medium prodiret, imitatus ſui ſimilem Homericum Therſiten; qui poſt pœnæ illius comminationem conticuit, modeſtiórque factus non induxit animum amplius; νεμεῖσιν βασιλῆας ὀνειδίοις ἐπέεσσιν.

B Nunc Auguſta Romam abis, quò longè citiùs venis, quàm Mulciber in Lemnum, cùm ab irato Jove è cœlo ejectus eſſet: *Pontifex*, inquis, *Jeſuitis Romanis opulentam Abbatiam donavit.* Jure igitur illam poſſident; cùm ejus beneficio eam poſſideant, cui in hæc Eccleſiaſtica bona jus eſt & poteſtas, tanquam fideli ſervo & prudenti diſpenſatori; *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Dic, oro, cujus nutu & juſſu Britanni tui tot ditiſſimas Abbatias poſſident? cujus auctoritate, non pauciores, Germani, qui à germana fide deſciverunt? Illud etiam ſcire velim, an ſoli Jeſuitæ Romani in Italia poſſideant Monaſterium diverſi Ordinis? *Poſuerunt*, inquis, *inſignia Pontificis pro Collegii foribus.* Mirum profectò, in veſtibulo Collegii illius non eſſe depicta gentilitia ſtemmata tua, tanquam de Societate noſtra calumniis tuis optimè meriti, aut Reginæ Anglicanæ, aut Quabacondoni Japonici. Vix ullus eſt tam exiguæ conditionis homo, qui, ſi vel imaginem pingi aut fingi, aut altare; & quid dico altare? imò ſi vel unicam feneſtram renovari, aut refici curet, qui non generis aut artis ſuæ, ſeu vera ſeu uſurpata ſtemmata & digmata appendi aut appingi jubeat: Et nobis exprobrabis, ſi inſignia Pontificis, qui tam multa beneficia cùm in univerſam Eccleſiam, tum in Societatem noſtram contulit, primus aditus Collegii Romani præferat, & gratam mentem erga optimè meritum teſtetur? An non leges præcipiunt, ut operi publico nomen *principis, aut ejus, cujus pecunia id opus factum ſit, inſcribatur?* Sed diſplicet tibi magnificentia Collegii Romani. Utinam magis diſpliceret; magis autem diſpliceret, ſi Pontifex ille, memoriæ nunquam intermorituræ, cœpto operi extremam manum imponere potuiſſet. Non ægrè ferrem, etiamſi tibi ob ſplendorem ædificii illius ægrè eſſet, qui ita comparatus es, ut ne humilem quidem caſam, quæ Jeſuitas incolas habeat, non limis oculis intueri queas. Quidquid noſtrum eſt, id nimis ſumptuoſum arbitraris, & ad nos, tuo judicio, non ad Megarenſes pertinet illud Diogenis dictum: *Obſonant quaſi craſtina die morituri, ædificant verò, quaſi nunquam morituri.* At verò, ut ſcomma in ſerium convertam, ingenuè fateor, nos ædificare quaſi nunquam morituros; non enim tantùm pro nobis, ſed & pro poſteritate noſtra ædificamus: quam fore, ope Dei, perpetuam confidimus. Opinionem nimii ſumptus minuet tibi dictum illud Tertullianicum, ſi non modò ad aures admittas, ſed & in pectus demittas. *Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine ſumptus facere.* Hac exiſtimatione imbutus Gregorius XIII. gymnaſium magnificentius, quàm pro tuo guſtu, condidit, Collegiúmque & ſe & ſua Majeſtate dignum inchoavit, quod tamen, morte intervenente, inchoatum remanſit.

De Abbatia Romano Collegio tradita.

L. Opus. ff. de Operibus publ.

E Tertull. Apol. c. 39.

Nec probas, Collegia Germanicum & F
Anglicanum ab eodem Pontifice liberaliter fundata & dotata. At mirum non facis, quia religio tua magis gaudet, ſi expilentur, quàm ſi dotentur collegia: gaudet, ſi quis in Monaſterium vacuas manus inferat, plenas efferat; gaudet, ſi potiùs exportet, quàm importet; nec ambivimus adminiſtrationem horum Collegiorum, ùt tu fabularis, ſed delatam ad nos à Pontifice non inviti ſuſcepimus: nam quid utilitatis ex hac provincia potiſſimùm capiamus, jam ſuprà tibi expoſui; ab ipſo munere, infinitas curas & moleſtias; ab in- G
vidis, obtrectationes; ab Hæreticis & pſeudocatholicis, criminationes; ab Alumnis ipſis aliquando, admodum exiguas gratias, *ſed in his omnibus ſuperamus; propter eum, qui dilexit nos.* Cur autem Pontifex collegia hæc annuis proventibus munificè inſtruxerit, & multis Privilegiis exornârit, & qua de cauſa nobis potiùs eorum gubernationem quàm aliis commiſerit; ipſum interroga & examina; nam noſtrum non eſt hujus rei cauſas exquirere. Quia verò ſuſpicor, valde arduum tibi fore aſcenſum ad ſuperos, cum quibus jam beatiſſimus ille Pontifex ævum agitat immortale: expeditiorem tibi monſtrabo viam, qua, quod aves, cognoſcas. Conſule literas Pontificias, de utriusque Collegii erectione & dotatione editas. Extant in *Bullario*, inter bullas Gregorii XIII. Adjungere inſuper licebit orationem H
popularis tui Roberti Turneri, viri diſertiſſimi, quam Romæ habuit ad Everhardum Mercurianum, Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu, cùm ei, Pontificis voluntate, adminiſtratio Seminarii Anglicani traderetur. Nec adeò invidere debes commodis Germanorum, aut tuorum Anglorum: ut doleas collegiis illis ampliſſima Privilegia eſſe conceſſa. Non modò Pontifices, ſed & Imperatores, & Principes id in more habent, ut collegia vel templa à ſe erecta, Privilegiis & immunitatibus cohoneſtent: quod te docebit liber primus Codicis & Novellæ Juſtiniani; ubi Eccleſiis & Eccleſiaſticis, Gerontocomiis;

De Collegiis Germanico & Anglicano.

Rom. 8.

Inter orat. Roberti Turneri Devonii.

A miis, Ptochotrophiis, Brephotrophiis, Orphanotrophiis, Nosocomiis, Xenonibus, seu Xenodochiis, Parthenonibus, & id genus aliis domiciliis, eorúmque curatoribus & œconomis ampliſſima Privilegia conceduntur.

B Ais: *invenirì Collegia, quæ fortaſſis ſine Jeſuitis, ſolidiore virtute conſerventur & gubernentur.* Non negamus; quin, ut ita ſit, ex animo optamus. Interim neque nos noſtris partibus deſumus, ubi nobis juventus commiſſa: Quo etiam non obſtante, ſapientiſſimus Pontifex hoc elogio Collegii Germanici adminiſtrationem Societatì jam olim traditam, & confirmavit, & de integro tradidit: *Cùm Societatis Presbyterorum Jeſu in hoc educandorum, inſtituendorúmque puerorum munere diligentia, fides, integritas, & in aliis hujusmodi Collegiis, & in hoc ipſo ſatis cognita ſit atque perſpecta, volumus idem Collegium atque Scholares, ſub ipſorum, ſicut adhuc fuit, regimine, inſtitutione, doctrina atque obedientia eſſe.* Hæc Pontifex. Quæ ſi ſtomacho tuo minùs ſunt jucunda, offer libellum ſupplicem Sedi Apoſtolicæ, ut expungantur ex Gregoriana Conſtitutione, ne te crucient. Ais: *A Jeſuitis falſum obtrudi Pontificibus, quando gloriantur, Societati ſuæ à Principibus varia*

C *Collegia erigi & fundari.* At te falſum ſcribere, luce clariùs liquet; Unde enim tot Collegia, ſi non à Principibus viris & Rebuspublicis? An conflari putas noſtras domos ex fortuito atomorum concurſu, ſicut mundum Epicuri? An naſci ex arboribus, ùt vermes quosdam, quos nonnullæ *Regiones Venetiæ comedunt*, ùt inquit S. Auguſtinus. An ex pluvia, ùt ranas? quas quia terra repentè ex una pluvia progignit, eleganter S. Auguſtinus *cæli terræque filias* nuncupat. *Principes*, inquis, *non tantum otii à graviſſimis negotiis habent, ut de Jeſuitarum Collegiis condendis, ditandis &*

D *dotandis cogitare queant.* Si Principes vobis Hæreticis & Pſeudocatholicis ſimiles eſſent, tum lubens concederem, tantum vacui temporis non reperturos, ut de ædificandis Collegiis cogitationem ſuſciperent: Nullus enim hæreticus, jam à ſexaginta annis, ſat otii invenit, ut de Religioſo aliquo domicilio extruendo, & annuis vectigalibus inſtruendo deliberaret. Quamvis ſatis ſuperque temporis ſuppetat ad hoc, ut expilent & diripiant: ſed quia Principes & Respublicæ Catholicæ conſervationem Orthodoxæ fidei & antiquæ pietatis ad ſuam itidem curam pertinere credunt, facilè ab aliis negotiis exemptum tempus reperiunt, quo ſeriò & de novis Religioſorum hominum Collegiis condendis, & de veteribus tuendis cogitent. *Pauciſſimi*, inquis, *ſunt, qui ſine bonis Eccleſiaſticis, à Pontifice conceſſis, Collegia illis erexerunt.* Non refert: unde, dummodo licitè & ju-

In bulla de erect. & fund. Colleg. Germ.

De Collegiis Societatis.

S. Auguſt. lib. 6. contra Fauſtum, c. 8.

re; jure autem ex bonis Eccleſiaſticis erexerunt, ſi id ſummo Pontificis conceſſu fecerunt, quem bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatorem eſſe, tibi jam ſuprà oſtendi. Deinde non eſt apud me dubium, quin hoc loco agas, quod jam veteri conſuetudine in naturam abiit, hoc eſt, mentiaris. Etſi enim ego non inſpexi literas, quibus ſingula Societatis Collegia fundata ſunt; tamen nec tu inſpexiſti, ut tam aſſeveranter pronunciare poſſis, pauciſſima Collegia eſſe, quæ non capiant annuos reditus ex bonis Eccleſiaſticis, mihíque certò compertum eſt, pro plurimis illuſtriſſimis fundatoribus, more Societatis, preces fundi & fuſas eſſe, qui ex propriis fortunis, vel hæreditate, vel alio juſto titulo comparatis, Collegia ſatis ampla ædificârint, & anniverſariis proventibus munificè inſtruxerint, & in hac noſtra Provincia minimùm quinque Collegia novi, quorum incolæ nihil penitus ex bonis Eccleſiaſticis percipiunt.

E

Addis. *Illud quoque aſtu non caret; ſi captato quandoque à Sanctiſſimo, verbulo, Officiales eò impellant; (illos enim habent de ſe ſollicitos) quo nunquam Sanctiſſimi intentio ferebatur, qui tamen, re facta, diſſimulare cogitur.* Tres uno pugno verberas, vel potiùs pulſas, (non enim dolemus; nam inter *verberationem* & *pulſationem* hoc intereſt, ùt Ofilius ſcribit: *Verberare eſt cum dolore cædere; pulſare ſine dolore:*) Pontificem, Miniſtros Curiæ Pontificiæ, & Jeſuitas. Pontificem imprudentiæ & ſtupiditatis & injuſtitiæ condemnas, dum eum tam facilè circumveniri, & in impoſtorum telas conjici poſſe ais: & quod plus eſt, tam pavidum & iniquum eſſe, ut, animadverſo dolo, mutire non audeat, ſed volens nolens diſſimulet. Macte Calvinopapiſta. Hic honos eſt, quem Pontifici defers. Hæc reverentia, quam tegis ſub *Sanctiſſimi* cognomento, quod toties hypocriticè uſurpas. Officialibus Pontificis perfidiæ crimen impingis. Quid enim magis perfidum, quàm nomine Principis literas ſcribere & tradere aliis, quarum ſenſus ſententiæ Principis adverſetur? ſi hoc fidelitatis ſacramento, quo hujusmodi adminiſtri Pontificibus obligati ſunt, non repugnat; tum à te diſcere aveo, quidnam præſtito fidei & candoris juramento repugnet. Præterea, an tam fatuos cenſes iſtos, ut ſe in capitis, omniúmque fortunarum diſcrimen conjiciant propter Jeſuitas? An nunquam legiſti vel audiſti, in quas, variis locis, calamitates incurrerint illi, qui ſimile quid tentare auſi? ut enim quis Deum & ſalutem æternam in poſtremis ducat; quæ tamen in primis habenda ſunt, profectò non facilè invenies vitæ tam prodigum, qui eam, nulla ſpe quæſtus, certiſſimo & propemodum ine-

F

Calumniæ in Pontificem & Curiam Romanam.

L. Lex Cornelia ff. de injuriis.

G

H

A vitabili periculo exponat: ſed *plerique alios homines affectibus ſuis metiuntur*, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Perfidi Calvinopapiſtæ, & Puritani, quibus hoc ſymbolum, quod olim Priſcillianiſtis; *Jura, perjura, ſecretum prodere noli:* alios itidem eodem crimine teneri cupiunt, quaſi mundus non ſatis perfidorum habeat, dum Calviniſtas habet, At quòd Jeſuitas, & perfidiæ, & fraudis, & impoſturæ intolerandæ ſimul accuſas, id mihi inſolitum non accidit; magis inſolitum eſſet, ſi vel ſemel frontis & ingenuitatis aliquid in te
B conſpicarer. Quidquid criminum lubet, id arripis, móxque in Jeſuitas evomis. *Tu pueri puſilli ſimilis es*, inquit vetus Poeta, *quia ad os fers, quicquid nactus es, & mox iterum expuis*, ne præfoceris: Sed jam ſuprà ſatis reſpondi de hoc perfidiæ crimine: An tu Jeſuitas eò impudentiæ progredi cenſes, ut ludant cum Pontifice, vel potiùs ei illudant, ínque chartas & bullas ea referri ſtudeant, de quorum expreſſa conceſſione expreſsè non conſtet? Næ tu Jeſuitas de ſua Societate nimis parùm ſollicitos eſſe credis. Quæ enim certior via ad interitum Societatem duceret, quàm ſi noſtri, Pontifices eo, quo comminiſceris, modo circumvenirent, ementitísque Privilegiis Rempublicam ſuam ſtabilire niterentur?

Nazian. orat. 1. contra Julian.

C De Collegio Olomucenſi. Sed jam ex Italia migras in Moraviam, & exemplo Epiſcopi Olomucenſis decepti probas, quomodo Pontificem decipere, & in fraudem illicere ſoleamus; *Cùm enim Antiſtes ille optimus*, inquis tu peſſimus Poëta, *jam in ædificio multùm progreſſus fuiſſet, ac ob nonnulla Reipublicæ negotia peregrè proficiſceretur, rem totam Jeſuitarum cuidam commiſit; Is verò rem gerendi occaſionem nactus, eam ſibi futuri effinxit Collegii ideam, ut, quæ priùs ædificata eſſent, funditùs demoliretur, totámque ædificandi rationem inverteret, ita quidem, ut optimus ille Epiſcopus conquereretur, viginti florenorum millia plus, quàm voluiſſet, aut neceſſarium judicaret; hac ipſorum factiuncula inſumpta fuiſſe:*
D *re tamen facta, diſſimulare cogebatur.* Si conqueſtus eſt, quomodo diſſimulavit? Si diſſimulare coactus eſt, quomodo conqueſtus eſt? apud te fortaſſe, quem poſuerat *ad auriculam ſuam*, ſicut David Banajam. Secundò, immenſitas expenſæ pecuniæ ſatis arguit, qua fide hæc ſcribas: Qualem enim mutationem fuiſſe oportuiſſet, ſi viginti millibus aureorum conſtitiſſet; quandoquidem hac ipſa æris ſumma Collegium integrum, & quidem ſatis amplum à fundamentis exædificari poſſet. Tertio, ſi unus ex imprudentia tale quid commiſiſſet, num cæteros adſcripturos fuiſſe credis, & acclamaturos illud ſolenne: *Bonum factum?* Et poſito, non conceſſo, nullum repertum eſſe in Collegio Olomucenſi, qui
E reclamaret; num Jeſuitas, qui alibi degunt, tale conſilium approbaturos fuiſſe arbitraris, poſtquam id intellexiſſent? Igitur licèt in hac narratione mendax non eſſes, injuſtè tamen culpam unius aut paucorum ad omnes Jeſuitas derivares. Quartò, quis obſecro, rerum tam imperitus eſt, qui ſibi perſuadeat, ullum Jeſuitam auſum eſſe, ſine Patroni conſenſu aggredi, rem tanti momenti, ut ſupra viginti millia aureorum à nihil cogitante, imò & ab invito extorqueret? Et quî ſcit, quòd nullus Aulicorum aut Conſiliariorum tantis conatibus obſtitit? Ais: *Epiſcopum mandâſſe, ut omnes, ſe abſente, morem gererent illi Jeſuitæ, neque quidquam ulla in*
F *re repugnarent.* Quò plura dicis, eò magis te intricas & involvis. An putas, tacituros fuiſſe, cum tanto Epiſcopalis ærarii detrimento? Perſpicuè profectò ſciebant, hoc velle Epiſcopum, ut, ſi concepta jam & conſtituta ratio ædificii mutaretur, ipſi non conniverent, ſed pro ea, quam Domino ſuo debebant, fidelitate & obſervantia, ſine mora, ut nihil innovaretur, edicerent, aut etiam miſſis nunciis, Epiſcopum certiorem redderent: non enim, opinor, Præſul ille ad Sinas aut Japonas abiêrat, ut tempeſtivè moneri non poſſet, nec uno die tanta mutatio ſuſcipi aut peragi, dupléxque aureorum chilias abſumi potuit. Quintò, qui morem veſtrum &
G inexplebilem illam Jeſuitas carpendi libidinem novit, is minimè mirabitur, hanc calumniam à vobis, ex tenui principio excogitatam & fabrefactam eſſe: Quod Ariſtoteles ait de legibus, *vetuſtiores eſſe rudiores*, idem de exemplaribus & typis ædificiorum meritiſſimò dicitur, ubi etiam veriſſimè uſurpare licet illud: *Poſteriorem diem eſſe prioris diſcipulum; Nihil enim omnino eſt;* inquit ille, *quod poſſit in primordio ſui perfici: ſed in omnibus fermè antè eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.* Egregiè Comicus: *Nunquam ita quisquam benè ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usque ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias; &, quæ tibi putâris prima, in experiundo*
H *repudies.* Ergo cùm is, qui fabricæ Collegii præerat, fortaſſis nonnihil à prima delineatione receſſiſſet, ídque juſtiſſimis de cauſis: tu quando per Olomucium in Poloniam, profugus jam, iter habebas, aliquid fortaſſe hac de re à tui ſimilibus accepiſti: & ne ſine auctario fabulam venderes, aliquot millia aureorum adjeciſti, ita ut tota fabella, quam vitioſa nuce non emetim, ad viginti millia aureorum pervenerit. Sed cur quæſo, niſi quia improbus es, criminationes iſtas tam cupida aure bibis, & cupidiùs adhuc aliis propinas? *Difficilem oportet aurem habere ad crimina*, inquit

1. Paralip. 11.

A quit Syrus, & longè difficiliorem mentem ad credendum, & difficiliorem adhuc manum, quæ audita & credita crimina chartis illinat, per mundum ſpargat, & bibliothecas tot mendaciorum fœtore contaminet. Non malè ille Poëta, meo quidem judicio, neſcio num tuo: *Homines, qui geſtant, quique auſcultant crimina, ſi meo arbitratu liceat, omnes pendeant; geſtores linguis, auditores auribus*, niſi fortè tu malis collo, de quo non contendam tecum, præſertim, ſi agatur de tuo. Pergis, & quod Heraclitus ajebat de Epheſiis: τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώτταις ἔχων, *arma in*
B *lingua geſtans*, pugnas. *Illud inſolens omnibus judicatur, quod cùm duo illa profiteantur, ut nempe velint ſimplicium Sacerdotum officia ſedulò præſtare, ac juventutem cum virtute educare, ſimplicium Sacerdotum ac Pædagogorum honore, ædificiis, ac proviſione non ſunt contenti.* Neſcio, ubi in noſtris Conſtitutionibus legeris, nos profiteri ſtatum *ſimplicium* Sacerdotum & *Pædagogorum*, ut proinde deſciſcere videri queamus à noſtra Profeſſione. Quæro enim: quidnam intelligas *ſimplicium* Sacerdotum nomine? ſi Sacerdotes non *curatos*, ſed ſimplicibus, ùt vocant, beneficiis inſtructos, aut Curionum cooperatores, aut his majoris notæ Canonicos: tum non video, quidnam Profeſſioni noſtræ adverſum committamus; neque enim in Sacerdotibus *ſimplicibus* hac notione nomen noſtrum profi-
C temur. Si *ſimplicium* Sacerdotum nomine intelligis indoctos, ineptos & ſtupidos, neque horum Ordini noſtri Ordinis Profeſſio accenſeri poteſt; profitemur enim nos, omnem liberalem eruditionem, viro religioſo dignam, ſequi, quam ut ſinguli non aſſequantur, conantur tamen aſſequi. *Sicut autem ad pœnam*, inquit ille, *ſufficit meditari punienda; ſic ad laudem ſatis eſt conari prædicanda:* At ſi per *ſimplices* Sacerdotes intelligis non compoſitos & conſutos ex dolis & fraudibus, tum fatemur, nos eniti, ut monito Chriſti ſimus Sacerdotes *ſimplices*, ſicut columbæ, ſed ſimul *prudentes*, ſicut ſerpentes: Et ſi ab hac Sacerdotum, imò omnium Chriſtianorum, mixta cum prudentia ſimplicitate excidimus; cupimus, ut in integrum nos reſtituas, tanquam is, qui claves & ad ſimpli-
D citatem & ad prudentiam poſſideas. Si autem *ſimplicium* Sacerdotum nomine intelligis Sacerdotes non Epiſcopos, non Summates & Primates, nulla Eccleſiaſtica dignitate aut functione, præter Sacerdotium, conſpicuos; tum nec ſic quidem video, cur nos quaſi ſtationis deſertæ accuſes. An non enim profitemur, nos eſſe Clericos? An non habitu, victu & convictu Clericorum vitam ſequimur, & quidem Clericorum Regularium? An Epiſcoporum honores & prærogativas ambimus; aut nobis deferri appetimus? *Non ſunt*, in- E quis, *contenti proviſione ſimplicium Sacerdotum.* Quid tandem hac tua *proviſione* ſignificare inſtituis? An non contenti ſumus reditibus iis, qui Clericos, nulla Eccleſiaſtica dignitate eminentes, decent? Atqui nihil facilius eſſet, quàm plurimos *ſimplices Sacerdotes* nominare, quorum quivis plures reditus annuos habet, quàm decem vel duodecim Sacerdotes Jeſuitæ, ſi reditus aliquorum Collegiorum in ſingula capita diſtribuere velis.

Palatia, inquis, *ædificant;* Multa vide- F licet in Italia, & Gallia Collegia cum palatiis, pulchritudine & amœnitate certantia, vidiſti. Si quæ alicubi magnificentiora ſunt, quàm mens tua livida probet, ita tecum ratiocinari debes. Principes viros non nobis, ſed ſibi, ſuæque amplitudini & magnificentiæ conſentaneum monumentum ſtatuere voluiſſe: cúmque tot elegantiſſima & ampliſſima Monaſteria hæreſis veſtra, his in locis, vel deſtruxerit, vel profanaverit, privatísque uſibus ſacrilegè deſtinârit, meritò excitavit Deus alios, qui contrariis factis oſtenderent, priſcam illam in Religioſos Ordines Germanorum pietatem & reverentiam, nondum penitus eſſe ex Germanorum finibus proſcriptam, etſi inferorum portæ jam dudum totis viribus in id incubuerint.

Cæterùm ferè mihi excidiſſent *pædagogi* G *& pædagogia*, quam nobis aſſignas. Obſecro te, nullúmne honeſtius vocabulum reperiebas, quo munus juventutis inſtituendæ deſignares? nedum odio excæcatus, ingenti convicio Jeſuitas percellere niteris, ad alios quoque convicium à te miſſum penetret. Súntne Profeſſores Academici, Philoſophiæ & Theologiæ, itémque Eloquentiæ, Græcæ & Latinæ literaturæ, poëſeos & ſimilium diſciplinarum Doctores, Pædagogi? Non urgerem vim nominis, niſi ſcirem, te hoc nomine, calumniandi cauſa, pædagogicè uſum. Nec H compertum habeo; ubinam vel in formula inſtituti, vel in Pontificiis diplomatis videris, nos aut *Pædagogos* nominari, aut nominari velle, niſi ex omnibus Gymnaſiorum & Academiarum Profeſſoribus *Pædagogos* facere velis; eo ſenſu, quo tu accipis hanc vocem, & quo hodie vulgò uſurpatur, pro privato puerorum inſtitutore & Magiſtro, licèt olim honeſtior notio huic nomini ſubjecta fuerit: ſed ùt folia in ſylvis, ſic cadunt non modò vocabula, ſed & vocabulorum ſignificata: Ne tamen *Pædagogi* appellationem penitus repudiare videar, æquo animo feremus, ut à te, Hæreticorum Pædagogi nominemur, eo modo, quo Clemens Alexandrinus Pædagogus fuit, & ne cum Clemente Pædagogi officium interiret, librum hoc titulo inſignitum ad

A omnem posteritatis memoriam transmisit.

Nec victus noster à te intactus præteritur, advolas tanquam dira Celæno, ut sordidissima oris tui ingluvie, eum contamines: *Victus*, inquis, *ratione plerisque Ordinibus antecellere dicuntur. Verbo victus*, inquit Jurisconsultus, *continentur, quæ esui potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem Labeo ait.* In his nos plerisque Ordinibus antecellere tam falsum est, ut vix quidquam veritati magis adversum scribi potuerit: nam vestitus noster non latet, sed omnium con-

B spectui patet. Judicent oculi, num mentiaris, hócque judicio, aut stes aut cadas. De victu mensæ, res quidem est occultior, & ab externorum notitia remotior. At si de rebus tam apertis & in propatulo positis tam projectè fabularis, quis credat te ulla veritatis cura tangi, cùm de ignotioribus loqueris? De nobis videlicet, ùt & Ethnicorum judicio de veteribus Christianis dictum est illud Diogenis: *Obsonant Megarenses, quasi crastina die morituri.* Sed de hoc argumento fusè jam egi contra Misenum, quem adi. Lautitias epulorum nemo nobis objicit: præter illos, quorum vita, ùt inquit Clemens Alexandrinus, nihil aliud est, quàm *comessatio, crapula, balnea, temetum, matulæ, otium, potus.* Quod Philo de Jessæis, hoc ego de Jesuitis: *Remittunt paululùm illam Laconicam disciplinæ duriciem, semper & ubique probantes liberalem frugalitatem, totis viribus aversando corporis illecebram.*

L. Verbo. ff. de verb. signif.

Clem. L. 2. Pædag. c. 2. Philo lib. de vita contemplativa.

C Cæterùm, cùm notius sit, quàm ut inficias ire queas, Ordinem nostrum à Pontificibus & Principibus defendi, foveri & ornari; tuóque judicio, hoc reprehensione non careat, ut Principes excuses, in eorum occupationes, & in Jesuitarum importunitatem culpam refers: *Si quid*, inquis, *minùs rectum hoc in genere contigerit, ipsorum factionibus potiùs, quàm principum aliò distractorum ac respicientium inconsiderationi est imputandum.* At verò, dum Principes ab omni labe purgare niteris, eosdem fœdissima calumniæ macula aspergis: An non enim gravissima eos criminatione feris, cùm ita aliis rebus immersos nugaris, ut ab hac, quæ ex potissimis non infima, mentem prorsus abducant; ubi vel præcipuè advigilare debent, ne quid statuant, quod publico obsit, néve aliquibus suas in ditiones aditum patefaciant, quos

D excluisse longè satius fuerit? Quis enim non reprehendat Principem, rerum suarum & publicarum tam negligentem & incurium, ut Collegia vel ipse conderet, vel ab aliis condi sineret, si erga Jesuitas tuum animum gereret, hoc est, si sibi persuaderet, Jesuitas plus damni, quàm commodi Reipublicæ allaturos. Adhæc, E nimis malè de Orthodoxis Principibus sentis; nam si tui Proceres, qui Lutheranam & Calvinianam sectam sequuntur, adeò non distrahuntur publicis negotiis, ut evertendis Monasteriis, Monachisque exterminandis sedulam operam dare possint, mirari non debes, si Principes Catholici partem aliquam suæ sollicitudinis derivare queant ad vetera Religiosorum hominum domicilia custodienda, & ad nova itidem, si ita usus ferat, ex fundamentis ædificanda; idque sponte sua, nulla ullarum precum importunitate adacti. Quis enim F tam validus sit, qui Principes, si nolint, cogat? quin hoc ipso, quòd importunè cogi asseveras, ex Principibus non Principes nobis cudis, quæ qualis calumnia sit, túte cogita: si tamen tantum tibi lucis, ut calumnias intueri possis; apud quem Principibus maledicere *haud pluma interest:* facis fortè hoc fretus veteri lege, qua jam olim Principes calumniatoribus suis veniam clementer tribuerunt: *Si quis*, in- L. Si quis. quiunt, *modestiæ nescius, & pudoris ignarus* C. Si quis Imp. maled. (nota encomia tua) *improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit esse lacessenda, ac temulentia turbulentus* (nota Calviniane) *obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, nec durum aliquid, nec asperum volumus sustinere, quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, commiseratione dignissimum.* Hîc tibi Calvinista datur op- G tio, ut vel *levis*, vel *insanus*, esse velis. Sed fortè terret te illa clausula: *Si ab injuria, remittendum;* hoc est, ùt glossa explicat, *ad nos:* ne putes *remittere*, hoc loco esse *condonare:* subditur enim in lege: *Unde integris omnibus, hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus.* Sed non est, quòd expallescas; pars hæc legis nihil ad te, quia insanus es, insani autem injuriam non faciunt, ùt suprà dicebam: *Cùm enim injuria* L. Illud. ff. *ex affectu facientis consistat*, inquit Jure- de Injuriis. consultus, *consequens erit dicere, hac lege furiosos, sive pulsent sive convicium dicant, injuriam feciisse non videri, quia nemo potest facere injuriam, nisi qui scit se injuriam facere: Insanus es*, inquit ille apud Comicum, *jube te piari.*

At non obtemperas, pergis insanire: H *Etsi*, inquis, *à Pontificibus multa beneficia acceperunt: ubi tamen ob Universalem Ecclesiæ ordinem bonum, ipsorum instituto contrarium decreverint, mille artibus repugnant, perstringunt, atque eludunt.* Pontificibus, ea, qua par, reverentia & submissione, paremus, & quam Superiores nostri obsecundandi alacritatem à subditis exigunt; eandem præstant Pontifici, tanquam omnium Superiorum supremo: & hoc etiam jussu & præscripto B. P. N. Ignatii, in au-

rea

A rea illa de obedientia epiſtola. Sed ut nos ex ipſis tabulis convincas, exempla aliquot animi noſtri Pontificibus parùm morigeri profers: *Cùm Paulus IV.* inquis, *ad certum Religioſorum habitum eos redigere vellet, mox ſanctiſſimo reſtiterunt.* Nihil unquam de hac inter noſtros & Paulum IV. controverſia audivi: cur enim Paulus IV. nobis alium, quàm Clericorum habitum præſcribere tentâſſet; cùm Theatini, ex quorum Ordine ipſe fuit, non gerant habitum, ab aliorum Clericorum habitu diverſum, niſi quòd candida tibialia ferunt: quæ perparva ſanè eſt diſtinctio à reliquorum Clericorum cœtu: Et quæ tandem ineſt veriſimilitudo in hoc tuo commento; cùm ais: *Pontificem, ad hoc decernendum, inductum eſſe; quòd judicaret nos Calvinizare, ſeu Calviniſtas Puritanos imitari; ùt enim illi Miniſtros ſuos, habitu à Laicis non ſecernunt, ita nec nos habitu à ſæcularibus internoſci.* Quæſo te, cui hæc tua figmenta probabis? Tempore Pauli IV. vix Calviniſtarum nomen innotuerat, nedum illa nominum portenta; *Puritanorum & Calvinopapiſtarum*, quæ in Anglia poſt Pauli IV. mortem nata ſunt, ùt ex hiſtoriis Anglicanis liquet: Adhæc nónne habitu diſtinguimur à ſæcularibus? Nam habitus Clericorum, proprius utique habitus eſt, & diſtinctus ab habitu ſæcularium. *At non eſt diſtinctus*, inquis, *ab habitu Clericorum ſæcularium.* Ita eſt; Interim tamen, neſcio quo fato; accidit in his Septentrionalibus regionibus, ut quocunque Jeſuitarum aliquis venit, ſtatim ex habitu agnoſcatur non tantùm Clericus, ſed & Jeſuita Clericus; ita ut in noſtro habitu ſat notæ eluceſcat, quo & à Laicis ſæcularibus, & à Clericis, nullam regulam profitentibus, internoſcamur. Accedit, quòd de ratione religioſi Ordinis non eſt, ut habitu à Clericis ſæcularibus diſtinguatur; quia habitus non eſt de eſſentia Ordinis, & ùt non facit hominem religioſum, ita nec Ordinem religioſum; quamvis non abnuo decens eſſe, ut Religioſi decenti habitu utantur; At niſi fallor, Clericorum habitus, quem ex decreto Canonum & Conciliorum ferre debent, non poteſt indecens cenſeri. Verùm, ut non tantùm nos, ſed & Puritanos tuos à tuis calumniis vindicem, & ut, vel hoſti preſſo opem feram, injuria à te Puritanos (vel ſi alio nomine monſtroſo, ipſorum tamen moribus magis conſentaneo, *Impuritanos* appellare libeat) affici conſtanter affirmo: Cur enim crimini das, quod ſummæ laudi dandum? Nam cùm Popæ & Præcones iſti ſint puri & impuri Laici, nec *ſale ſaliti*, nec aqua tincti, nec chriſmate uncti, cauſæ nihil eſt, cur ſe à reliqua Laicorum turba, habitus diverſitate, ſeparent: Repugnat naturæ, ut pardus, leo, urſus, lupus, & aper aliam pellem induat, quàm naturæ ſuæ conformem. Adde, quòd à ſcriptura, Puritano more intellecta, haud quidquam alienum hac in re Puritani faciunt. Cùm enim nihil recipiant, niſi quod puro Dei Verbo eſt traditum; in eo autem nihil præceptum ſit de veſtimentorum differentia inter Clericum & Laicum; meritò nullam admittunt.

De Paulo IV. Pontif. Max.

De habitu Societatis.

Sed ut ad lineam revertar; cauſa diſſenſionis inter Paulum IV. & Societatem, non fuit hæc, quam tu ex cerebro tuo extundis, ſed alia; volebat enim Paulus IV. Theatinos cum noſtris conjungere, ita, ut uterque Ordo in unum coaleſceret, iisdem legibus vivendíque inſtitutis devinctus. Tu ais, *cauſam hanc eſſe commentitiam.* At te, dum alios commenti arguis, egregium commentatorem eſſe, teſtari poterunt plurimi ex antiquioribus Societatis noſtræ: qui adhuc ſuperſunt: & tempore Pauli IV. vel in urbe, vel alibi vixerunt, non ignari omnium eorum, quæ ultro citróque, in hoc negotio, geſta ſunt. Deinde teſtem do tibi, auctorem hiſtoriæ Jeſuiticæ: cui non gravatè, ùt ſpero, aſſentieris. Nam ut *balbus balbum* facilè intelligit, ita mendax mendaci facilè fidem adhibet, etiam tunc, cùm verum dicit: *At iſtud ipſum*, inquies, *crimine non vacat, quòd Pontificis voluntati non acquieviſtis.* Primùm, Pontifex non mandavit abſolutè, ut Ordo ille cum noſtro jungeretur, ſed voluntatem & propenſionem ad illam conjunctionem faciendam expoſuit: ſi abſolutè, edito mandato vel edicto, id fieri juſſiſſet; ne dubites, noſtri multò promptiùs morem geſſiſſent, quàm ſoleant Lutherani & Calviniani Regum, Principum & Magiſtratuum ſuorum præceptis morem gerere; ſi quid præcipiant, quod ad eorum palàtum minùs facit. Secundò, quòd noſtri, re nondum à Pontifice conſtituta & definita, ſed deliberata tantùm, mutationem hanc deprecati ſunt: non adeò inſolens tibi videri debet; quia ne Deum quidem precari nefas eſt, ut ſi quid circa nos vel noſtros velle videatur, quod fortè nobis minùs acceptum ſit, clementer id avertat, conſiliúmque, ut de divinis humano modo loquar, mutet. Non opus eſt exemplis, obvia ſunt & quotidiana. Tertiò, neminem fugit, quàm grave cuivis ſtatus ſui amanti & tenaci accidat, ſi quæ innovatio tentetur, aut terminos, quos progenitores fixerint, aliquis transferre conetur. Quoties tentata eſt conjunctio duorum Ordinum S. Franciſci *Conventualium*, inquam, & eorum, qui de *Obſervantia?* At res necdum confecta eſt: & tamen ambo eundem parentem agnoſcunt, & venerantur, nec moribus, inſtitutis, & natalibus tam diverſi ſunt, quàm nos & Thea-

A Theatini. Si ergo duæ familiæ tam ſimiles & cognatæ in unam non convenerunt; & ſi ipſæ familiæ ad Pontificis voluntatem, quoad licuit & decuit, voluntatem ſuam non adjunxerunt, (quandoquidem licet ſempérque licebit, in re tanti momenti, contrarium optare & urgere, quoad ultimam & definitivam ſententiam Pontifex proferat) nemo jure factum noſtrorum in malam partem interpretabitur, quod inſtituti ſui retinentes, ſub ipſa quaſi incunabula, operam dederunt, ne quid præter morem in Societatis mores induceretur.

Hier. 35. Conſtantia Rechabitarum.

Neſcis, quàm grata Deo fuerit conſtantia Rechabitarum, qua ita obfirmati fuerunt, ut ne culmum quidem à mandatis paternis diſcedere voluerint: ceſſuri procul dubio, ſi abſolutum à Deo mandatum accepiſſent, quod quamdiu datum non eſt, Hieremiæ monenti, ut vinum biberent,

B intrepidè reſponderunt: *Non bibemus vinum, quia Jonadab, filius Rechab, pater noſter, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri usque in ſempiternum. Obedivimus ergo voci Jonadab in omnibus, quæ præcepit nobis.* Hæc conſtantia adeò Deo placuit, ut eam toti populo Judaico ad imitationem propoſuerit, ipſisque Rechabitis ampliſſima præmia promiſerit. Quantò magis igitur Deo gratum

C erit, ſi familiæ Religioſæ, mutationis expertes, conſerventur; prout ab auctoribus divino inſtinctu inſtitutæ, poſterísque traditæ fuerunt: cùm Ordines iſti ſine ulla dubitatione longè excellentiores ſint, & perfectioris rationis, quàm illa Rechabitarum vivendi ratio; ut, quod de paratura ſacerdotali Aaronica dixit Eccleſiaſticus,

Eccleſiaſt. 45. etiam poſſit de Societate dici: *Non eſt indutus illa alienigena aliquis, ſed tantùm filii ipſius ſoli: & nepotes ejus per omne tempus.* Nec Pontifex hanc noſtrorum in propoſito perſeverantiam immotam ægrè ferre viſus eſt; cùm Ignatium animam agentem, Apoſtolica benedictione & indulgentia humaniter dignatus ſit, non ſine ſignificatione paternæ benevolentiæ & doloris ex obitu Societati immaturo concepti: ùt ſcribunt Ribadeneira & Maffejus.

D Ais: *Paulum IV. noſtros ad chorum ſeu horas Canonicas adegiſſe: Pium IV. ab iisdem liberâſſe: Pium V. rurſum ad chorum nos amandâſſe & alligâſſe.* De Paulo IV. quòd Societati negotium faceſſiverit propter cantum, nihil mihi unquam auditum: neque de Pii IV. exemptione, & in integrum reſtitutione: nec, opinor, me præteriiſſet, ſi quid ſimile actum, & ſaltem diploma aliquod Pii IV. extaret, ùt extat Gregorii XIII. qui nobis horas privatim extra chorum dicendi facultatem reſtituit, ademptam à Pio V. cujus præcepto de precibus Canonicis publicè & communiter perſolvendis, nónne Societas paruit, ùt debuit? Tu, more tuo, à criminandi arte non diſce- E dens; *ita eluſerunt*, inquis, *Pontificem: ut per ſolos Novitios, qui ex ipſis non ſunt, rem peragerent:* Primò: Pontifex non præ- De Pio V. Pontif. Max.

De Cantu in choro.

cepit, per quos divinæ laudes perſolvendæ eſſent, ſed ut in choro perſolverentur, juſſit: quod ſanctè factum. Secundò, falſum eſt, ſolos Novitios muneri huic vacâſſe; vacârunt enim & alii Romæ, quibus otium & cantus peritia. Tertiò, non omnes ad chorum veniſſe, non eſt, quòd queraris; quia plerique aliis occupationibus detinebantur: cùm ne in aliis quidem Ordinibus, Concionatores, Profeſſores & alii, qui publicis functionibus addicuntur, horas in choro pariter cum aliis canere aut recitare cogantur. Quartò, cùm choro & cantu adeò delecteris, mirari ſubit, cur Anglis, popularibus tuis, auctor non ſis, ut cantum divinarum laudum, tot locis ſublatum, reſtituant; & cur à Jeſuitis exigas, quod tu & tui ſuperſtitioni deputatis? Pari modo, eidem Pontifici morem geſſimus, cùm imperavit, ut profeſſionem facerent, qui ſacros Ordines erant ſuſcepturi. Tu hanc F obedientiam noſtram vocas *eluſionem*. Et qua tandem ratione? *Novum*, inquis, *Profeſſorum Ordinem inſtituerunt, quos vocabant Quintinos.* Si novus fuit, non noſtra culpa, ſed Pontificis conſtitutione novus fuit: Etſi novus ſimpliciter non fuit, niſi quoad modum, tempus, & auctoritatem, profeſſionem hanc mandantis. Nam profeſſio trium votorum ſolennium, non eſt Societati inuſitata: ſed tamen absque certi temporis præfinitione: Itaque profeſſio illa nova fuit, quatenus non ex formula Inſtituti noſtri, ſed ex Pontificis præſcripto fiebat. Hos autem Profeſſos ali- G quando appellatos eſſe à nonnullis, compendii gratia, ùt fieri ſolet. *Quintinos*, tam grande ſcelus non eſt, ut propterea Jeſuitis omnibus diem dicere, & quaſi Majeſtatis Pontificiæ reis dicam ſcribere debeas: Quis loquentium conſuetudini vitio vertit, quando audit, Cardinales à Pio V. creatos *Quintinos*; à Gregorio, *Gregorianos*; à Sixto, *Sixtinos*; à Clemente, *Clementinos*, appellari? Quis conſtitutiones & bullas ab iisdem editas, non indigitat nominibus ab eorum nomine formatis?

Ejusdem, inquis, *Pontificis tempore, cùm* H *contentio illis eſſet cum Dominicanis Toleti de Collegio in Hiſpania intra limites erigendo, & utrique ſua Privilegia obiicerent, tandemque ad Pontificem ventum eſſet; is verò pro Dominicanis decreviſſet, & Jeſuitas cedere juberet, ita ſe oppoſuerunt, ut per Officiales literarum miſſio & traditio differretur, donec ſanctiſſimus diem ſuum obiret: illi verò perinde, ac ſi nihil de Pontificis voluntate ſcivi ſſent, poſſeſſione loci interea fruebantur, defuncto verò Pontifice, omnia à ſucceſſore retractari fecerunt.*

De controverſia quadam Toletana.

A *fecerunt.* Hæc tu: Cæterùm quòd noſtri domum illam Toleti à *Comite de Orgaz* Societati donatam acceperunt,& incoluerunt; id fecerunt freti & muniti Privilegiis Pauli III. & Julii III. & Pii IV. quorum duo priores ſpeciali Privilegio conceſſerunt, ut noſtri quascunque domos, Eccleſias & Collegia ædificare, vel ædificata jam recipere & inhabitare poſſent; & Pius IV. id ampliavit, ut etiam intra centum quadraginta *cannas Ordinum Mendicantium* liceret; ubi ſimilis controverſia cum Fratribus Minoribus in urbe Palentina extitiſſet; Et ne, ùt tuus eſt mos, dicas, Pontificem à Jeſuitis blandis ſermonibus in fraudem inductum, audi Pontificis verba: *Motu proprio, non ad veſtram vel alicujus pro vobis, nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra certa ſcientia, & ſpontanea voluntate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudi-*
B *ne.* Cùm ergo noſtri tot & tanta Privilegia haberent, meritò cedere noluerunt; nam Privilegia non dantur alio fine, quàm ut quis iis fruatur, aliàs inania & otioſa forent. At Pius V. contrarium decreverat. Vereor, ne mentiaris: nam ſi contra nos decreviſſet, Officiales vix ſibi tantum licentiæ, an confidentiæ? ſumpſiſſent, ut literas retinerent, & non quàm primùm in Hiſpaniam transmitterent: non enim is erat Pius V. qui fraudulentas dilationes toleraret; & ſatis conſtabat, non ſatis tutum fore, ſi quis tale quid machinaretur; maximè impulſus eorum precibus, contra quos ſententia eſſet pronun-
C ciata. Itaque longè probabilius eſt, aut lite adhuc pendente, aut dato quidem reſponſo à Pontifice, nondum autem expeditis, & in Hiſpaniam transmiſſis literis, Pium V. è vita exceſſiſſe. Quocirca nil mirum, aliter poſtea à ſucceſſore Gregorio XIII. judicatum, aut etiam priùs decretum, reſciſſum eſſe. Cùm autem tantus Pontifex ſtet à noſtris partibus, non eſt, quòd impreſſionem tuam, quam conſuetis tuis calumniis inſtructus facis, multùm reformidemus; Nam ſi objicias: *Gregorium Pontificem à nobis de recto juris tramite abreptum:* cernes inprimis tu ipſe, ùt arbi-
D tror, quò ſtultitiæ proceſſeris. At ego uſurpabo illud cujusdam Afri: *Non eſt in accuſando verſutia, ac ne impudentia quidem: Quid igitur? furor infelix acerbi animi, & miſera inſania* (Calvinianæ perfidiæ.) Cùm enim videri velis Catholicus, admodum ſtolidè agis, dum tantis in optimum & ſanctiſſimum Pontificem conviciis, hæreticam tuam mentem prodis. Deinde ipſemet Pontifex commentum tuum redarguet. Nam cùm lis illa Toletana necdum quieviſſet, quamvis Pontifex literas Apoſtolicas confeciſſet, ſeveréque mandâſſet, ut nos Privilegiis jam dudum conceſſis frui pacificè ſinerent; denuò aliam generalem Conſtitutionem promulgavit, & po- E
teſtatem, etiam intra *cannas* aliorum Ordinum, ædificandi benignè denuò conceſſit; Ad cujus Privilegii conceſſionem, à quo inductus ſit, iisdem penè verbis, quibus Pius IV. teſtatum facit. *Motu proprio,* inquit, *ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed de noſtra mera deliberatione,* Si ergo ſine ullius rogatu hanc generalem legem in noſtram gratiam tulit, potuit ſimiliter particularem illam de cauſa Toletana controverſiam, non rogatus à nobis, ſed ſponte ſua definire. Et quam- F
vis à nobis rogatus fuiſſet, num propterea criminis aliquid aut à Pontifice, aut à nobis admiſſum eſſet? An non licet rogare juſta? *Non ambigitur ſenatum jus facere poſſe,* inquit Jureconſultus; Et tu, ſi Orthodoxus es, ambiges, num Gregorius XIII. Pontifex Opt. Max. potuerit jus hoc ſive particulare ſive generale condere? Quod Ulpianus de Imperatore; hoc ego de Pontifice, etſi jam ſuprà à me dictum: *Quodcunque Imperator* (Pontifex) *per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt:* (nota pro oraculis vivæ vocis) *vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat. Hæc ſunt, quas vulgò Conſtitutiones appellamus.*

L. non ambigitur. ff. de legibus. L. Quod principi. ff. de Conſtit.

Concludis tandem hoc caput his ver- G
bis: *Mirum certè illud eſt, quòd cùm quidam Pontificum diſſimulare non potuerint, quid ipſis in illorum inſtituto diſplicuerit: mundo tamen illi occlamant, omnia ipſorum ſemper Pontificibus fuiſſe probatiſſima.* Hæc maximè dicis propter Pium V. qui, ut circa vota & chorum; ſuas rationes, eásque, ùt à ſancto viro profectas, non improbabiles ſecutus: aliud, quàm prædeceſſores, aut etiam ſucceſſores ipſius ſtatuerit: ipſum tamen Societatis inſtitutum mirificè, velis, nolis, probavit, commendavit, & prædicavit: ampliſſima enim Societati Privile- Qualis Pius V. in Societatem.
gia dedit, adverſùs *Apoſtatas, de Contractibus capitulariter non celebrandis: de Prælectionibus habendis in Collegiis, etiam illis in urbibus, ubi ſunt Academiæ,* & alia multa conceſſit in favorem Scholaſticorum, qui noſtras ſcholas adeunt. Ipſe Societatem *mendicantium Ordinibus* accenſuit: præmiſſo hoc elogio: quod ſine bile ut legas, H
oro: *Cùm indefeſſæ conſiderationis intuitu perſcrutamur, quantam Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem attulerint, dilecti filii presbyteri Societatis Jeſu, ac planè conſpicimus, eos, verè mundi hujus relictis illecebris, adeò ſervatori ſuo ſe dedicare, ut conculcatis theſauris, quos erugo & tinea comedit, lumbisque paupertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus uſque ad Orientales & Occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita amor Domini perſtrinxerit, ut etiam proprii ſanguinis prodigi, ut*

ver-

A *verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint, pérque eorum ſpiritualia exercitia etiam regna ipſa fidem Chriſti agnoverint, ut tam inibi, quàm ubique terrarum, charitatis & miſericordiæ opera exercere ſtudeant, facere nullo modo poſſumus, quin eos tanquam veros palmites, in Chriſto per charitatem conjunctos, & benignè amplectamur, & ea ſibi ſpecialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emiſſæ voto, & eorum inſtituto, ac commoditati credimus profutura.* Hæc & alia in eandem ſententiam Pius V. Pontifex. Similibus præconiis celebrat idem Pontifex Societatem in Bulla de Contractibus *capitulariter* non celebrandis. Quæ num ab eo proficiſci potuerint, qui noſtrum Inſtitutum non pro-

B bârit, æqui lectoris judicium eſto. Taceo inſignem illam Pii V. in Societatem benevolentiam, ſeu potiùs de Societatis hominibus præclaram æſtimationem: qua impulſus officium Pœnitentiariorum in S. Petri templo commiſit noſtris, ſubſtitutis in locum Patrum Dominicanorum, ex qua familia ipſe ad Cardinalatum & Pontificatum aſcenderat. Et tu adhuc garrire & gannire audes, quaſi Pio V. Societatis Inſtitutum diſplicuerit? Sed abjungo, & ca-

S. Auguſtin. lib. 6. contra Fauſt. cap. 8. piti huic finem impono; *Fortaſſis autem paulò prolixior iſta reſponſio, ſic adversùs* (calumnias tuas) *lectorem inſtruet, ut in cæteris reſponſionibus, non à nobis tam multa verba requirantur.*

CAPUT IV.

De Jeſuitarum agendi ratione cum Prælatis.

C Orat. 1. contra Julianum. REfert S. Gregorius Nazianzenus ex veterum monumentis, conſultum Apollinem, quænam rerum genera palmam inter cætera ferrent: reſpondiſſe, *equam Theſſalicam, mulierem Lacænam, & viros Arethuſæ aquam bibentes*, hoc eſt, Siculos inter omnia, quæ ſunt ejusdem generis, primum locum tenere. Non improbo hoc oraculum; nam nec S. Gregorius Nazianzenus

D improbat. Tantùm addo: Pythium, ſi rogatus fuiſſet, quisnam primas teneret inter calumniatores, procul dubio delaturum fuiſſe, tibi aut primas, aut certè ſecundas, aut ſummùm tertias, adeò ubique criminationibus abundas, ut nullum ſenticetum tot horreat & rigeat aculeis, quot tu impoſturis & ſycophantiis; ut proinde ſimillimus videaris ſpinis, quas ſi quis tangere voluerit, *armabitur ferrô &*

2. Reg. 23. *lignô lanceatô*, ùt B. David canit, qui etiam prævaricatores, hoc eſt, Apoſtatas, qualis tu es, comparat cum his ſpinis; ſed addit ſimul, quis eos exitus maneat: *Prævaricatores quaſi ſpinæ evellentur univerſi, quæ non tolluntur manibus*, quia *ferro* & *ligno lanceato* opus eſt, *ignèque ſuccenſæ combu-* E *rentur* iſtæ ſpinæ, *usque ad nihilum.* Cùm ergo tam aſper & horridus ſis, ut manu leni tractari nequeas, quin vulnerer; pergam, ùt hactenus, *ferrô & lignô lanceatô* te putare, imò fraudes, ſutelas & convicia tua amputare: ſi ſeverior & aſperior videbitur tractatio, tu naturæ tuæ id imputa, aliter cum dumis & vepribus ubique pungentibus non agitur: placet autem, quòd calumnias tuas in hoc Capite conaris ſaltem ordinatè proferre: nam primùm, quæ noſtra ſit cum Cardinalibus a- De modo Jeſuitarum agendi cum Cardinalibus. gendi ratio exponis: poſtea, quæ cum Epiſcopis locorúmque Ordinariis. Ubi ſimul perquam ingenioſè Cardinales in duas Claſſes dividis: nam alios, ais, *ſua ſorte contentos vivere*, ſine ſpe majoris dignitatis; alios, *ad celſiores honoris gradus aſpirare,* & quoquo poſſunt modo eniti. Mirabi- F lis Cardinalium diſtributio; quam, puto, Cardinalium nemo hactenus aut legit, aut audivit. Hactenus enim exiſtimatum eſt, Cardinalatum eſſe proximam à Pontificatu dignitatem, ut proinde Cardinalis non habeat, quò ulteriùs progrediatur, niſi Pontificiam Majeſtatem. *De hac ipſa*, inquies, *loquor, & ſanè hanc ipſam ſperant & procurant aliqui Cardinales; alii ſpem jam poſuerunt.* Nimirum, tu Romæ oſtiatim circuiſti, ſingulósque Cardinales ſigillatim examinâſti, num ſpem Pontificatus conceperint, an abjecerint: & fortè, nonnulli ſpem tibi pretio vendiderunt: alioqui vix tam perſpicuè ſcires, quibus ſpei aliquid affulgeat, quibus nihil.

Ais: *Cardinales primi generis, Jeſuitas* G *nec ad familiaritatem admittunt.* Qua de cauſa verò? *quia non ſperant Pontificatum.* Qui cauſæ hujus vanitatem non videt, is tantum videt, quantum tu & ſimiles Cæcilii. *Si tamen*, inquis, *Cardinales illi faciliores fuerint, ſe primò inſinuant; deinde ſi quid ad rem ſuam animadvertunt, illud ſedulò proſequuntur:* Et ut totam fabulam oculis ſubjicias: exempla ſubnectis: *Si quem de ſui poſt mortem celebranda memoria, de ſubditorum bono regimine, aut de aura populari ſollicitum videant; in eo ſe occupant, cui eundem deditum exiſtimant. Quod ſi in hoc* H *genere non multum affici aliquem obſervent, inculcant ſedulò, ſuadéntque, donec ad hujusmodi aliquid impulerint: ubi id effecerint, obſervatis interim tempore & occaſione, eò rem paulatim adducunt, ut ipſos quoque ad rem propoſitam conſequendam plurimum prodeſſe & obeſſe, credat. Tum verò ad rem ſuam quidlibet animoſius aggrediuntur, ac iis, quos hiſce artibus acquiſiverunt, ad plurima utuntur, ad amplas nimirum eleemoſynas, ad ſcribendum, loquendum, agendum: ac prout opus fuerit ſatagendum, quæ ad ipſorum favorem ac utilitatem ſpectare credunt.* Hæc tam inſulſa & inſcita recitare ad verbum libuit,

libuit, ut oſtenderem, ne Mæandrum quidem fluvium, per tot anfractus delabi, per quot mendaciorum & calumniarum gyros balbutiens iſte impoſtor, ad ruinam nomini noſtro ſtruendam, tendit. Primùm enim, ſi quis nominis ſui memoriam apud poſteros celebrari velit palatiis, Mauſoleis, ludis, ſpectaculis, pyramidibus, & id genus aliis ruituris & perituris monumentis, tantum abeſt, ut aut Jeſuita; aut quivis alius Religioſus, nominis & vocationis ſuæ memor, quempiam ad hæc cohortetur; ut etiam, quacunque licet ratione, dehortetur: non enim hæc eſt legitima celebrandæ memoriæ ratio, cùm quidquid caduca manu factum eſt, tandem ruat, & tempore ita oblitteretur, ut vix veſtigium, aut tenuis fama illius ſuperet. *In memoria æterna erit juſtus*, clamat B. David. Juſtitia illa, quæ *eſt declinare à malo, & facere bonum*, genuina via eſt ad æternitatem nominis. Ad hanc Jeſuitæ excitant & invitant, ſi quos Cardinalium, deſiderio memoriæ ſuæ celebrandæ teneri, animadvertunt, ſuadéntque, ut liberali eleemoſynarum in pauperes erogatione, Eccleſiarum, monaſteriorum, xenodochiorum, ptochotrophiorum, & ſimilium contuberniorum erectione nova, aut veteris dotatione; aut dotationis jam factæ incremento adjecto, fiant *viri miſericordiæ*, quorum quidem *corpora in pace ſepeliuntur:* at *nomen eorum vivit in generationem & generationem.*

Eccleſ. 44.

Ad quam perennitatem multum etiam facit, juſtum & æquabile in ſubditos, ſi qui ſint, imperium. Quare ſi ad hanc imperii moderationem, Jeſuitæ Cardinales commonefaciant, neſcio, cur boni ſuaſoris aut conſultoris officio fungi non videantur, niſi fortè magis tibi arrident illi, & mente & ætate juvenes, qui Roboamo, Salomonis filio, auctores immitis & duræ dominationis extiterunt: quàm illi prudentia & ævo cani conſiliarii, qui monebant, ut benignè cum populo ageret, nimiásque exactiones à parente impoſitas, minueret. Convicium de levi aura, ipſa aura levius eſt. Quid enim? An tu Cardinales gloriæ mancipia; & ùt ille ait, *animalia* reputas? An Jeſuitas tam immemores Dei, ſuíque cenſes, ut tantæ dignitatis virum, quantæ Cardinalis, ducant & dirigant ad rem tam futilem, incertam, quovis Euro mobiliorem, & ab ipſis etiam Ethnicis irriſam; & ſæpe conſtanter contemptam: tanquam omnis virtutis & liberalis animi certiſſimam peſtem? Apage agyrta, cum aura populari: non noſtrum eſt auræ hujus captandæ leges præſcribere, imò ne Ethnici quidem Philoſophi, à vera Religione alieni, ſi paulò modeſtiorem frontem habeat. Ejus auram & favorem captare, & ſtudioſiſſimè aucupari doce-

3. Reg. 12.

mus, & iterum iterúmque monemus, in cujus domo *gloria & divitiæ;* cujus favor non abit in fumum, vel potiùs in nihilum, ſed in fulgorem, eúmque ſolis fulgori æquiparandum, nulláque temporis diuturnitate terminandum. Neque amicitias Summatum compendii noſtri gratia expetimus, ùt tu conviciaris, ſed bonum publicum ſpectamus. Quis autem neſcit, quantum viri Principes meritorum in Rempublicam Chriſtianam conferre poſſint, ſi ſint, qui ad talia præclarè facta viam monſtrent? Multis enim deeſt benefaciendi voluntas, quia ùt ille hominem non habebat, à quo, motis undis, deferretur in piſcinam; ita iſti aliquando carent duntaxat monitore, ad opera miſericordiæ ſuſcipienda: virtutísque actiones exercendas. Talis conſiliarius Herodis Regis, erat Joannes Baptiſta, quem Rex ille, licèt impius & mœchus, *libenter audiebat*, ùt inquit ſanctus Marcus, *& audito eo multa faciebat.* Apoſtoli monitum eſt, *nemo, quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius;* Dei videlicet, aut proximi: cui adhortationi ipſemet obtemperavit; *Non quærens, quod mihi utile eſt*, inquit, *ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* Alibi: *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Interim fatemur, nos itidem opulentiorum beneficentiam non repudiare, ſi manum munificam & miſericordem ad nos quoque extendere velint. Nec quisquam, niſi cui cor livore tabet, hoc carpit. Nam & ipſe S. Paulus, *qui quærebat, non quæ ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti*, non reſpuebat, ſi quid ſuum in uſum, à piis contribueretur: id cùm aliundè, tum ex epiſtola ad Philippenſes manifeſtum evadit, ubi Philippenſes, ob ſubſidium ſibi præſtitum commendans ita ſcribit: *Verùntamen bene feciſtis communicantes tribulationi meæ, ſcitis autem & vos Philippenſes, quòd in principio Evangelii, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli, quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis. Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in rationem veſtram. Habeo autem omnia & abundo, repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo,*

1. Cor. 10.

2. Cor. 12.

Philip. 4.

Nec amicitias Principum virorum & Cardinalium reſpuimus; etſi enim Religioſi, Deo potiſſimùm nituntur, oportet tamen, idque Deo ita inſtituente, ut humana etiam præſidia accedant: quæ potiſſimùm ex eorum, qui in Republica Chriſtiana primas tenent, benevolentia exiſtunt. Neque enim *αὐτάρκεις* ſumus, & ut maximè quis ſibi ſufficiens eſſet, non immeritò tamen ſtatuit Ariſtoteles, eum nihilominus egere amicitia. Adjungit nugator. *Cum aliis Cardinalibus, & Curiæ Romanæ admini-*

Ariſt. Lib. 2. Magn. Mor. cap. 18.

A *administris aliter agunt; cum illis videlicet Cardinalibus, qui Pontificatum sperant: enituntur enim, ut eos ad consecutionem dignitatis, quam animo informârunt, adjuvent; tum prædicatione virtutis apud imperitam multitudinem, tum commendatione apud Reges & Principes: ubi verò volunt aliquem deprimere, deteriora decantant.* Æsopus interrogatus, quid agat Jupiter, respondit, τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψοῖ. *Alta deprimit, & depressa exaltat.* Idem videris responsum daturus, interrogatus de nostris negotiis: quandoquidem in manu nostra & ope positum est; Pontifices & Præsules creare, vel ne creentur præpedire: hósque ad celsissimum illud honoris culmen subducere; aliis, ne evehantur, obicem opponere, aut evectos jam deturbare. Stolide nugator! an ineptias tuas tam crasso filo contextas ipse non sentis? Eligúntne Jesuitæ Pontificem?
B Habéntne jus suffragii? Ingrediuntúrne conclave cum Cardinalibus? Mittúntne Cardinales ad Jesuitas, ut significent, quis ipsorum judicio, potissimùm sit eligendus? Præterea cùm plures sint ex numero Cardinalium, qui fortè Pontificatum sperent, Jesuitæ autem eos, qui hunc honoris gradum appetunt, adjuvent; ùt tu fabularis, necesse erit, ut omnes Jesuitæ vel unum adjuvent: & hoc non; quia *omnes adjuvantur*, ùt tu ais; aut alii hunc; alii, alium; alii rursus tertium; & sic studia in contraria tendent, & graviora bella inter ipsos Jesuitas exorientur, quàm inter Homericos Deos propter Trojam & Helenam; cùm fieri nequeat, ut plures uno, uno tempore, ad Pontificatum ascen-
C dant. Et quamvis Regum favor & gratia, & populi communis sensus, aliquando multum conferant, ut quis dignitatem illam adipiscatur: oportet tamen, ut favor ille existat ex opinione virtutis & sanctitatis, ad tam grave & divinum munus necessariæ. Jesuitarum munus est, cùm Pontifex eligitur, jejuniis & precibus vacare, ut Deus Ecclesiæ suæ pastorem mittat, *qui*, ùt Propheta ait, *quod perierat, requirat; & quod abjectum erat, reducat, & quod confractum fuerat, alliget; & quod infirmum fuerat, consolidet, & quod pingue & forte, custodiat, ovésque in judicio pascat.* Ezech. 34.

S. Greg. Lib. 1. Epist. 56. Quod olim D. Gregorius præceptum Ariminensibus dedit, hoc & nobis dedit. *Vos autem unanimes orate, fideliter, ut quicunque fuerit ordinandus, & vobis utilis possit existere, & dignum Deo nostro sacerdotale exhibere servitium.*

D De Suffraganeo Brixinensi. Ais: *Jesuitas* OEnipontanos *olim obstitisse, ne F. Joannes Nasus Franciscanus, Suffraganeus Brixinensis fieret.* Et tamen factus est Suffraganeus Brixinensis. Falsum est ergo, Jesuitas posse deprimere illos, quos deprimere student; quia hunc Religiosum & celebrem Ecclesiastem impedire nequiE runt, (licèt, ùt tu ais, *conarentur*;) quò minùs ad pedum & infulam perveniret. Sed more tuo calumniaris Hæretice. Nullum Jesuitæ ab Episcopatu consequendo dignum impedire conantur. Sed animadverto, quid agas, nempe quod hactenus actitâsti sæpius: Hoc scilicet, ut quem pessimi quique similes tui pessimè oderunt Ordinem, optimis quoque invisum reddas, & inter ipsos Religiosorum Ordines dissidia excites. Sed meministi credo, quo loco tales à Deo habeantur. *Sex sunt,* in- Proverb. 6. quit Salomon, *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus, Oculos sublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium sanguinem, Cor machinans cogitationes pessimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia testem fallacem. Et eum, qui seminat inter fratres discordias.* In sex illis egregiè tuam ope- F ram navâsti, sed in septimo palmam sanè reportare videris, ut non solùm exosus, sed etiam detestabilis Deo factus fueris. Verùm nihil proficis Charitatis impugnator, hostis amicitiæ, nihil apud pios efficit impietas. Non indiget, nec clarus ille Ecclesiastes, nec sanctissimus Ordo, hæretico procuratore vel propugnatore, præsertim ubi nullus est Actor, nullus Impu- G gnator. Ad hæc quid ad Jesuitas OEnipontanos, quis Proëpiscopus Brixinensis constituatur? Quicunque enim sit, is Jesuitis OEnipontanis, qui in illa diœcesi versantur, nihil incommodi afferet, si, quæ sui muneris sunt, præstent, ùt viros Religiosos decet, quibus D. Gregorii con- S. Greg. suetudo quàm commendatissima esse debet, Lib. 2. qui, licèt summus esset Pontifex, hunc Epist. 29. tamen morem tenebat, ut de nullius persona ad Episcopatum evehenda, vel non evehenda sententiam diceret, sed electionem precibus ad Deum fusis adjuvaret: Ita enim ad presbyteros, diaconos & clerum Mediolanensis Ecclesiæ, cùm de Episcopo H designando consultarent. *Quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram: ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præscius, talem vobis pastorem præbeat, in cujus lingua & moribus, exhortationis divinæ pascua valeatis invenire: in cujus mente & humilitas cum rectitudine fulgeat, & veritas cum pietate, qui vobis viam vitæ non solùm legendo vel loquendo, sed etiam vivendo possit ostendere, quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare.* Hæc S. Gregorius. Addis: *Jesuitas ideo F. Naso fuisse infestos, quòd coacti fuerint, ipso annitente, partem Monasterii, quam occupaverant, restituere.* Atqui nos non occupaveramus, sed traditam partem am-

A ampliſſimi Monaſterii à Principe, & legitimo Magiſtratu; pro uſu, non noſtro, ſed publico ſcholarum, accepimus, retinuimúsque, quoad à Patribus illis repeti cœpta: tum enim ceſſimus, pacis & concordiæ amore; licèt Gymnaſium jam pridem promiſſum, necdum eſſet exſtructum: ſcholásque, in anguſtiis Collegii noſtri, ſummo cum incolarum incommodo, adornavimus, moderationem Patriarchæ Abrahæ imitati; qui commemorabili ad omnem poſteritatem exemplo, cùm propter tabernacula & fines contentio eſſet
Geneſ. 13. orta. *Ne quæſo*, ajebat ad Lot; *ſit jurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus; ſi ad ſiniſtram ièris, ego dexteram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Ita Abraham.

B At tu OEniponto & Brixina Romam iterum pergis, quod iter Romanum toties, ísque redísque, ut ne Caſtor quidem & Pollux, videantur toties emenſi & remenſi viam ab inferis ad ſuperos. *Curia-*
De Officialibus Curiæ Romanæ, *les*, inquis, *de ſe ſollicitos habent, quibus proinde, ùt volunt, utuntur & abutuntur.* Hoc quàm verum ſit, nôrunt, qui forum & Curiam Romanam nôrunt: Nihil Curia ad nos, niſi cùm neceſſitas juris noſtri defendendi, aut id, quod æquum eſt, impetrandi, ad Curiam nos pertrahit: quo caſu, ſicut aliis jus dicunt, ita & nobis causâ
C cognitâ. Quæ verò hæc linguæ tuæ rabies, nemini parcere conſueta; cùm mentiris, *Curiales* eſſe Jeſuitarum mancipia, & quaſi ex veteri Comœdia *Davos; Cùm ſe*, inquis, *Curiales veluti captos & obſtrictos animadvertunt, non minùs eosdem oderunt, quàm metuunt, ſeque in ſervitutem quandam à pauperibus iſtis ſcholaribus abductos mirantur.* Propter hoc convicium in Curiam Romanam Prætor non invitus judicium in te dabit, etiam in ipſa Curia Romana, ſi Romam venias. *Ait Prætor: Qui adverſus*
L. Item apud. ff. de injuriis. *bonos mores, cui feciſſe, cujusve operâ factum eſſe dicetur, quo adverſus bonos mores convicium fieret, in eum judicium dabo;* Dices fortè, Hoc tuum convicium non eſſe adversùs *bonos mores.* At eſſe, oſtendit Ul-
L. cit. pianus, qui omne illud convicium adversùs bonos mores fieri tradit, *Quod ad infamiam, vel invidiam, vel injuriam alterius ſpectat.* Quid autem majorem parit infamiam Curiæ Romanæ, quàm vociferari; *Curiæ illius præſides & adminiſtros, ſub Jeſuitarum dominatu, & duriſſima ſervitute captivos teneri?* Et adhuc Catholicus, & Curiæ Romanæ reverentiſſimus ſalutari cupis?

D *Sed ad locorum Ordinarios veniamus jam,* inquis; ſequamur igitur, quando ita jubes. *Cum his, ſubactâ jam curiâ, liberiùs agunt.* At tu necdum mentem ſubigere potes, ut ori tuo procaci præcipiat, ne in Curiam Romanam convicia fundat, &
De modo agendi cum Epiſcopis. conviciis ſuis alios itidem ad vociferandum adverſùs Romanam Curiam convocet & concitet: *Convicium enim dicitur,* L. Item apud. ff. de injuriis. ùt inquit Ulpianus, *vel à concitatione, vel à conventu, hoc eſt, à collatione vocum: cùm enim in unum plures voces conferuntur, convicium eſt, quaſi convocium.* Quid autem Hæretici conviciando aliud moliuntur, quàm ut alios ſui ſimiles, ad ſimilem efE frænatæ linguæ procacitatem exſuſcitent? *Habitis*, inquis, *ſubinde ex Curia ad Ordinarios literis, quales ad rem ſuam ipſi exiſtimant, nihil non audent;* Nimirum, Pontifex alios non habet nuncios, quàm Jeſuitas, per quos literas & Brevia Apoſtolica ad Epiſcopos transmittat, nec Jeſuitas, aliud quod agant, urget, quàm ut ſummi Pontificis epiſtolas circumferant, præſertim proprii quæſtus & compendii gratia. Addis: *Si quis Ordinarius eis benè faciat, &* F *honoribus, fortunisque augeat, laudant, ad ſydera extollunt, & omnia illius ſcelera tegunt; ſin ſecus, ſecus & ipſi agunt, & quidquid in vita indecens advertunt, id plenis buccis amplificant.* Præclarè Gregorius: S Greg. lib. 9. epiſt. 39. *In omni, quod agimus, vel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus: Et ſi omnes vituperent; liber eſt tamen, quem conſcientia non accuſat.* Ergo cùm cor noſtrum de his, quæ nobis objectas, nos non arguat, cúmque ipſi locorum Ordinarii, præſertim in Germania, innocentiæ noſtræ libenter ſint daturi teſtimonium, non multum nos criminationes tuæ angunt. Operam noſtram nulli invito obtrudimus, multò minùs vendimus, ut Lutherani & Calviniani miniſtri *multibarbi*, qui *linguam habent venditariam;* quia ſatis multi, Dei gratia, ſunt, qui noſtros labores, tanquam Diœceſi ſuæ fructuoſos, multis precibus expetant; nec opus eſt, ut Jeſuitæ labores admodum ſtudiosè conquirant & mercentur, etiam non quæſiti, turmatim offeruntur. Ea, quæ minùs G rectè aguntur, nihil ad nos; Alii ſunt, quorum munus, iſta curare: Malè commiſſa tegimus: ſive nobis benefaciant, ſive ſecus; non enim ſumus ex ſanguine Chami, hoc eſt, Lutheri & Calvini, qui, ùt verè ait ſanctus Gregorius Nazianzenus, *rerum ſuarum tardi ſunt judices, in alienis tamen cen-* Nazian. orat. de moderat. in diſput. *ſoriam notam celerrimè arripiunt. Citiùs aliis* (hoc eſt, ſuis,) *graviſſima errata, quàm nobis* (Jeſuitis, imò & locorum Ordinariis) *leviſſima conceſſerint. Et licèt ipſi rudiores atque indoctiores ſint, citiùs tamen aliis impietatis crimen impegerint, quàm ut ignorantiam ſuam accuſent: Qui*, ùt S. Gregorius alibi ait, *quemadmodum muſcæ vulneribus,* Nazian. orat. citat. ita Epiſcoporum & Jeſuitarum, *calamitatibus, aut ſi mavis, erratis, inſident.*

Ad extremum, neque ſumus, neque H videri volumus, Ordinariorum inſpectores & viſitatores. Tanto nos non digna-

A mur honore: nec ullus Pontificum munus hoc nobis commisit, nec nobis non commissum ultrò vendicamus: Nec tu Pontifex es, ut committere possis per tua mendacia, qui *falsum pro vero insimulas, infectum pro facto criminaris, & quos innocentes liquidò scis, accusas ùt nocentes*, & sine more modóque convicia jacere pergis: ùt cùm ais: *Nos conqueri de Ordinariorum negligentia & incuria, ut nobis Monasteriorum visitatio credatur.* Item: *Non esse illum genus hominum, qui Ordinariis minus honoris & reverentiæ habeant, quàm Jesuitas:* Quis neget, hæc nimia esse mendacia? Nomina enim vel unum in tota Germania Monasterium, cujus visitatio à Sede Apostolica nostris sit demandata,
B posthabito loci *Ordinario?* Ad honorem quod attinet, minúsne colunt Jesuitæ *Ordinarios*, quàm Lutherani & Calviniani? non enim comparabo eos cum Catholicis. Certè, quo honore hoc hominum genus *Ordinarios* prosequatur, id tam manifestum est, ut optandum sit, ne tam manifestum esset. Rectè S. Cyrillus: *Nihil est facilius*
S. Cyrill. lib. 10. contra Julianum. *scurræ, quàm mentiri, & temerè vituperare:* quod si nescivissem antea, tua in hac arte facilitas, verum id esse, mihi comprobâsset. Non exciderunt nobis, ô calumniator, exempla & præcepta reverentiæ erga Episcopos, quæ omnibus Societatis hominibus olim præscripsit eximius
Vide vitam Xaverii lib. 2. cap. 2. & lib. 6. c. 12. ille Indorum & Japonum Apostolus Franciscus Xaverius; cujus monitis eò promptiùs paremus, quò certius est, quidquid in hoc genere Xaverius aut fecit aut scripsit; id non nisi Spiritus sancti impulsu
C factum & scriptum esse. *Id sanctissimè observant*, inquis, *ne Ordinarii ipsorum privilegia videant.* Quid opus videre? Etiam non visa probant; neque enim fidem in oculis duntaxat habent, more tuo. Affirmantibus nobis libentiùs credunt, quàm vobis jurantibus; memores illius: *Inter bonos*, quales ipsi, & omnes Ordines Religiosi, *benè agier oportet.* Deinde, si qua controversia de hac vel illa re nasceretur, haud gravaremur Ordinario privilegii illius authenticum exemplar demonstrare.
D Præterea multa de nostris privilegiis, & immunitatibus reperire est in Bullis Pontificum Pauli III, & Gregorii XIII. quæ publicè extant, tum apud Ribadeneiram, in historia de vita & rebus gestis B.P.N. Ignatii, tum in Bullario Pontificum. Et nuper Hæretici Calvinistæ publicârunt compendium privilegiorum Jesuiticorum, & libello, cui titulus; *Speculum Jesuiticum*, attexuerunt, qui liber nihil aliud est, quàm versio in Germanicam linguam Invectivæ Antonii Arnaldi, clamatoris an declamatoris? causidici an maledici? Parisiensis, verissimum Calvinisticæ impudentiæ speculum: Etsi compendium illud non sit tam nostrorum privilegiorum epitome, quàm E mendaciorum Calvinisticorum Ilias.

Occultant, inquis, *Privilegia, ut sub Privilegiorum prætextu faciant, quidquid lubet.* Nihil minùs, mi homo: causa non publicandi est; quia nec Societatis, nec Ecclesiæ, nec Hæreticorum interest, ut omnia passim evulgentur; nam multa, quæ ad ipsum Institutum pertinent, jam in vulgus manârunt. Quæ, oro, Respublica tam exigua est, quæ sua Privilegia lippis & tonsoribus, peregrinis & advenis notificet? Nec est periculum fraudis apud eos, quibus veritas amori; falsitas odio; quales Religiosi. Nam ut iste aut iste fallat: at F integrum Ordinem, Ordinario, per ementitum Privilegium, imponere velle, id non solitis fallere & mentiri, nunquam probabile accidet. *Ipso jure*, inquis, *constitutum est ad exemptionis jura ostendenda requisitos teneri.* Benè addis: *requisitos:* at utrum exempti simus à Jurisdictione Ordinariorum, Ordinariis certò jam constat, tum ipsa temporis diuturnitate, tum ex literis Apostolicis hac de re editis. Quid opus, Privilegium ab eo requirere, de cujus Privilegio nemo dubitat? Quod autem addis, *jure constitutum esse, ut Privilegia priùs ab Ordinariis examinentur, quàm executioni mandentur:* id suspicor, non à jure sancitum, sed à tuo cerebro excogitatum esse. Quæ enim isthæc foret Ordinario- G rum erga Sedem Apostolicam reverentia, si immunitates, ab eo concessas, in judicium & examen vocarent? Miraris, *Ordinarios ab hoc examine hactenus abstinuisse.* Mirarer & ego, si mihi cor tuum esset, & animus: ipsi etiam Ordinarii mirarentur hanc suam prætermissionem, si pseudocatholicam & Calvinopapisticam mentem sub Papistica & Catholica infula gererent.

Nunc ad Borromæum te recipis, de quo H. De Cardinale Borromæo. suprà: Hîc addo, ut fidem ibi datam liberem hoc loco, Borromæum, sanctissimæ vitæ Antistitem, à Societate non fuisse alienum, ùt iste vel invito lectori persuadere conatur. Ejus enim benevolum in Societatem animum ex multis iisque perspicuis argumentis colligere licet; Amplissimum enim Ordini nostro Mediolani Collegium, & domum probationis Aronæ erexit, dotavit, & annuis proventibus instruxit: & nostrorum operâ gravissimis in rebus crebrò & libenter usus est: & ex Ordine nostro Confessarium habuit usque ad finem vitæ, testémque vitæ summa asperitate transactæ, cui etiam non diu post suum ex hac vita discessum apparuit, foréque prædixit, ut non longo pòst tempore subsequeretur, quod & factum, ùt testatur auctor ille, qui res gestas Caroli Borro- L. 7. de vita Borromæi, cap. 24. mæi literis consignavit. Idem Cardinalis in

A in Mesaucis Societati Collegium instituere cœpit: Etsi postea incœptum, improbis renitentibus, & Cardinale, præter opinionem, ex hac vita abrepto, in irritum
Lib. 6. c. 4. cecidit, ùt idem Auctor testatur.

B Quòd autem inter Borromæum, & quosdam ex nostris quædam controversiæ exortæ sunt; quid mirum? Quis nescit dissensionem inter Paulum & Barnabam; inter Chrysostomum & Theophilum Alexandrinum; inter Chrysostomum & Epiphanium; inter Augustinum & Hieronymum; inter Hieronymum & alios multos, alioquin sanctitate & eruditione præstantes viros; quia, ùt suprà dicebam, *suus cuique mos. Diversa sunt eorum, qui religiosè vivunt, instituta,* ùt rectè ait de hoc ipso argumento tractans auctor, qui vitam Car-
Lib. 5. c. 1. dinalis Borromæi conscripsit: *Imò diversæ ipsius sanctitatis viæ; hic ad severitatem duritiémque; ille ad comitatem, suavitatémque proclivior. Intra fortitudinis, temperantiæ, omnium denique virtutum gradus, alius ad summos nititur, alius inferioribus contentus est.* Et ut usurpem in vera & bona causa, quod Symmachus dicebat in mala: *U-*
Symmach. epist. ad Valent. Imperatorem. *no itinere non potest* (vel saltem non solet) *pervenirì ad tam grande secretum* (perfectionis) & regni cœlestis.

C Ut autem os tibi magis obstruam, placet hoc loco adscribere pulcherrimam, si non, quoad verba, certè quoad sententiam D. Bonaventuræ orationem; quæ rem,
S. Bonaventura q. 20. in Reg. S. Francisci. de qua agimus, mirificè illustratam dabit. *Bonì*, inquit, *si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consuevit: nam cùm non omnes agnoscant æqualiter veritatem, in omnibus contingit, quòd aliquis intelligit illud in aliqua parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens, quàm illud. Et dum uterque hoc, quod ipse melius judicat, vult promovere, & quod nocivum credit, vult impedire: sic dissensio fit inter eos, hoc est, diversa sensio, non perversa, cùm uterque benè intendit. Sicut inter Paulum & Barnabam pro Joanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ; sed Paulus prohibuit, timens, ne non perseveraret in continuatione laboris: & sic per eum impe-*
D *diretur, & sic dissentiebant. Et Barnabas Joannem secum sumpsit, ubi minores haberet labores. Paulus verò Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum, ut diversis partibus divisi pluribus prædicando prodessent. Sic in expositione B. Gregorii, orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captivitate Babylonica, Angelus dixit, quòd ejus oratio esset jam dudum exaudita; sed Princeps Persarum, id est, Angelus illius gentis custodiæ deputatus, resisteret sibi viginti uno diebus, ne statim liberarentur, sed diutiùs afflicti pleniùs à peccato purgarentur. Quid ergo mirum, si boni aliquando dissentire videntur,* E *ratione diversarum considerationum, si Apostoli & Angeli eadem ratione dissentire inventi sunt? Nam juxta hunc sensum sancti quandoque rationabiliter à Deo dissentiunt, ùt cùm Deus vult aliquem morì, quem ipsi diutiùs desiderant vivere pro aliorum profectu; vel cùm ipsi putant, citiùs morì, quos Deus vult pro eorum salute adhuc diutiùs in corpore laborare. Unde Apostolus dicit: Desiderium habens dissolvi &c. Alia causa est, quando* F *unus non videt intentionem alterius, quæ bona est, putat, eum alia intentione aliquid facere, & displicet sibi, & dissentit ab eo; quì si sciret, non displiceret sibi, quod facit, & esset pacatus cum eo. Sic Moyses iratus est filiis Ruben, & dimidiæ tribui Manasse, cùm peterent terram Basan & Hesebon in possessionem. Et Josue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Jordanis, antequam agnosceretur, intentionem utrobique fuisse bonam: talis autem ignorantia non est semper culpabilis; dum tamen non sit judicium nimis præceps.* Hæc S. Bonaventura.
Num. 32.
Josuæ 22.

G Quòd si quis adversùs Borromæum imprudentius quid ex loco superiore effudit, ùt fecit fortassis concionator ille, de quo tu hîc tragicè declamas, & quem notat etiam Auctor vitæ Borromæi; is nec Superioribus Societatis rem gratam fecit & acceptam, neque etiam Ecclesiæ utilem, neque nos eum defendendum, aut à culpa purgandum suscipimus, *quia*, ùt rectè ait S. Bonaventura, *de his, quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua. Unde, si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio, nisi eorum imperfectio, & quia habitus mentis non habet interiùs, quod ostendit habitus vestis exteriùs, & tonsuræ capitis.*
S. Bonaventura l. c.

CAPUT V.

De rationibus Jesuitarum agendi cum Clero.

H NOvum caput auspicaris, & cum novo capite nova mendacia; nisi quòd huc usque tam multa effutivisti, ut non tam nova videaris afferre, quàm vetera renovare. *Universum*, inquis, *Clerum in odium adducere conantur.* Quæso te, cùm sub exordium sectionis hujus tam luculenter mentiri incipias, cur non præfaris honorem? cur non benevolentiam & faventiam lectorum tibi concilias? An non *summa con-*
Apulejus. *tumelia*, ô lectores, *vobis imponit, qui vos arbitratur maledictis optimi cujusque gaudere, qui vos existimat mala & vitiosa verba non intelligere, aut si intelligatis, boni consulere?* Universum, inquis, *Clerum in odium adducere conantur.* Mendacium hoc refel-

A lunt tot Scholæ, & tot Seminaria, in quibus juventutem literis & moribus informamus, eo etiam consilio, ut Clero suppetias inde mittamus, sicut & mittimus: innumerabiles enim Clerici ex nostra disciplina prodeunt; & quis Magister tam improbus est, ut Alumnos institutionis & educationis suæ in odium vocare nitatur? Quis non omni ope contendit, ut omnibus potiùs sint amori & venerationi, quàm odio & detestationi? Nec causa suppetit, cur universo Clero odium creare velimus, licèt tu causas tres assignes, sed ipsa assertione tua vaniores. Una est, *quòd sacra ministeria non obeunt gratis, sed pacto stipendio:* At quis Jesuitarum privatim & publicè, in scholis & in templis, non docet & fatetur cum Apostolo: *Operarium sua mercede esse dignum?* Quis nescit illud Apostoli: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, de altari participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere?* Altera: *Quòd impuram ducant vitam.* At certissimum est, etiam Jesuitarum judicio & prædicatione plurimos ex Clero castissimam & integerrimam vitam agere; Et hoc Jesuitas longè certiùs nôsse, quàm nôrint Calviniani Sycophantæ, *quorum oculum malevolus error in solam paleam nostræ segetis ducit; nam & triticum ibi viderent, si & esse vellent*, ut, quod de Manichæis dixit S. Augustinus, ego ad istos accommodem.

Mendacia calumniatoris.

1. Cor. 9.

S. August. lib. 5. contra Faust. cap. 11.

C Porrò quod addis: *Jesuitas Pharisaico supercilio impudentissimè effutire, reliquum Clerum, ipsis solis exceptis, in statu peccati mortalis vivere.* Scisciatari primùm ex te lubet, utrum Jesuitæ cum Pharisæo preces suas ita concipere soleant: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri;* & num aliquem Jesuitarum hac precandi formula utentem tuis oculis videris, tuísque auribus audiveris? Deinde quomodo Jesuitæ affirmare possunt vel audent, quod soli Deo compertum? quomodo gloriabuntur, alios omnes peccatis mortalibus obstrictos, se verò solos ab hac tanta labe immunes; cùm sine peculiari revelatione divinitùs missa, nulli de se ipso perspicuè & certò constet, utrum gratia Dei præditam vi-

D tam ducat? Et ut quis, quantum ad se attinet, hujus rei evidentiam haberet, quomodo haberet evidentiam de aliis, quorum ipse abdita sensa nescit, nec pectoris recessus intuetur? si *pravum & inscrutabile cor nostrum*, quantò magis impenetrabile nobis erit cor alienum, cùm in id oculos inferere nulli mortalium sit concessum? Gloriari de propria sanctitate, & de munditie ab omni mortalis culpæ macula, non est nostrum, sed sectariorum Lutherano-

Luc. 18.

rum & Calvinianorum cum sua *speciali fide* E justificante: qua in re imitantur, ùt solent, vestigia veterum; sed Hæreticorum, præsertim Manichæorum, qui suavissimis verbis sibi de justitia & sanctimonia, morúmque integritate blandiebantur: *Vides*, ajebant, *in me Christi beatitudines illas, quæ Evangelium faciunt, & interrogas, utrum illud accipiam? Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutionem & odia sustinentem propter justitiam, & dubitas, utrum accipiam Evangelium? Si hoc esset justum esse, justificare seipsum*, inquit S. Augustinus, *verbis suis volâsset in cælum homo iste, cùm hæc loqueretur.*

S. August. lib. 5. contra Faust. cap. 7.

Ad hæc Jesuitis, ùt paulò antè dicebam, F certò exploratum est, ea certitudine, qua in hac mortalis vitæ caligine, arcana cordis nostri & alieni cognosci queunt; plurimos ex Clero esse, instar illius Job, *viros simplices & rectos, & timentes Deum, & recedentes à malo.* Denique Jesuitæ immemores non sunt illius Apostolici moniti: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit uniuscujusque à Deo.* Tertia causa est, ùt ais: *Ignorantia rerum, quæ ad res sacras ritè tractandas pertinent.* At neque hæc est idonea causa, G cur Jesuitæ universo Clericorum Ordini odium conciliare velint. Quia non omnes Clerici sunt indocti; imò, quæ Dei benignitas, multis in locis reperire est sacerdotes, literis & eruditione insigniter excultos: ad quod, si scholas nostras itidem & attulisse aliquid subsidii, & adhuc quotidie afferre dicerem, falsitatis meritò argui non possem. Secundò, stultissimum esset, Clericos propter ignorantiam apud leve vulgus traducere: Quo enim fine id fieret? An ideo doctiores & rerum divinarum intelligentiores fient, si eorum insscitia omnium conspectui exponatur, an potiùs nihil aliud inde existet, quàm contemptus Cleri, & ex hoc contemptu propensio vel impulsio ad hæresin? Prudentis Medici non est, multum de morbis vociferari; sed dispicere, quomodo quàm primùm opem ferat; quod præstare licebit, licèt mali gravitatem in triviis & circulis otiosorum non proclamet. Cùm S. Bo- H naventura rationem redderet, cur Ordinis sui Concionatores Clericorum vitia è superiore loco non æquè tangant & carpant, ac vitia Laicorum: præter cæteras etiam hanc causam attulit: *Ne si populus perderet omnino fidem in Clericis, Hæretici insurgerent & attraherent sibi populum, quasi oves destitutas pastoribus, & facerent eos Hæreticos, gloriantes, quòd nostro quasi testimonio tam viles essent Clerici, quòd nullus eis obedire*

1. Cor. 4.

S. Bonavent. Apol. q. 1.

A *dire deberet, nec doctrinam eorum curare; omnis enim Hæreticorum intentio ad hoc tendit, quòd spreto Clero eis credatur, & ad hoc non convenit, nos ipsorum esse cooperatores, quin potiùs debemus contra eos, quasi lupos rapaces, Clero & Ecclesiæ esse propugnatores, contra eorum versutias populum præmuniendo, errores ipsorum veritatis testimoniis ex scripturis authenticis confutando.* Ita S. Bonaventura.

B *Hæc*, inquis, *capita dilatant copiosè, omnique occasione repetunt, ea fortè intentione, ut ipsi tandem novam Hierarchiam Ecclesiasticam instituant.* Tam verum est, nos hæc capita in odium Cleri amplificare, quàm verum est, nos de nova Hierarchia Ecclesiastica introducenda cogitare: quis enim nisi Hæresiarcha de nova Hierarchia somniat? quæ si nova est, Hierarchia non est, sed Anarchia, aut Hæresiarchia, non Ordo, sed confusio; non corpus, sed chaos; Una enim est in Ecclesia Hierarchia, à Christo instituta, & ab Apostolis posteritati tradita: præter hanc quisquis aliam fabricare molitur, is turrim Babylonicam molitur. Ais: *Reliquos Religiosorum Ordines ita sibi subjiciunt, ut ferantur, scriptis quibusdam publicis attestari, Ecclesiam aliquando in deliberationem vocare voluisse, an expediret alios omnes Ordines ad unam Jesuitarum Religionem redigi.*

C At quis hoc fert? Ede nomen ejus. *Feruntur*, inquis, *à quibusdam.* A te videlicet, & ab aliis calumniatoribus nostris. Et quæ sunt illa publica scripta, ubi hoc à nostris scribitur? Cur tu, vel illi, qui hoc *ferunt*, & circumferunt, scriptum illud nomine suo non designant? Olim Prætor edixit: *Qui agit injuriarum, certum dicat, quid injuriæ factum sit, quia, qui famosam actionem intendit, non debet vagari cum discrimine alienæ existimationis, sed designare, & certum specialiter dicere, quam se injuriam passum*

L. Prætor. ff. de Injuriis.

D *contendit.* Idem & multò magis ab accusatore postulari potest. Deinde ea, quæ fieri nequeant, non cadunt in deliberationem; at ut omnes Ecclesiæ Ordines conflentur in unum Ordinem Jesuiticum, non magis fieri potest, quàm ut ex omnibus Nationibus & Provinciis fiat & constituatur una Provincia & Natio; qua ergo fronte E scribis: *Publicis scriptis à Jesuitis vulgatum esse, Ecclesiam voluisse hac de re deliberationem suscipere & dispicere, num ipsa seipsam spoliare possit polymita & variegata illa veste*, qua à Christo, tanquam dilectissima sponsa, circumdata est & circumornata? Non opus, ut exquirat, qua ratione ipsa suum decorem perdere queat, vos Calvinistæ & Lutherani satis de hoc funditùs abolendo solliciti estis.

Prædictis criminationibus dignam im- F ponis coronidem: *Cum plebanis*, inquis, *ita agunt, ut sibi non secùs à Jesuitis, quàm ùt à Cacodæmone cavendum ducant.* Ita tu quidem, Cacodæmonis, non dubito, impulsu, qui & menti tuæ hanc calumniam injecit, & manum, ut chartæ illineres, movit, rexit & direxit: nam & plurimi Parochi nostrorum operâ libentissimè utuntur, nósque amant & tuentur, vicissímque à nobis amantur; & licèt nonnulli ex Clero nos odissent, id inauditum non esset, usque ad nostra tempora semper hoc Religiosis Ordinibus accidit: *Quamvis nonnulli de Clero*, inquit S. G Bonaventura, *plùs oderint Religiosos, quàm Judæos, Christi adversarios; tamen si saperent, potiùs diligerent nos pluribus de causis, tam pro temporali utilitate, quàm etiam pro spirituali utilitate sua.* Quod S. Bonaventura pluribus deinceps ostendit, allatis ad hoc probandum octo rationibus: Et si qui sunt à nobis alieniores, id fit; vel quia nos & nostra ignorant, vel fama Hæreticorum, invidorum & æmulorum præoccupati, tales nos esse animo & cogitatione informant, quales si essemus, meritò à nobis abhorrerent. Sed finio, húncque pri- H mum librum cum his verbis Calaritani Præsulis concludo: *Non miramur, si vos* (ô Calviniani & Lutherani calumniatores,) *ex quo receditis à Dei voluntate, & facere non desinitis desiderium Diaboli, benè vobis fieri poscentibus Deum atque cupientibus, repræsentatis mala: quandoquidem sit vobis insitum malè agere: quippe qui à bono ad malum feceritis transitum, hoc est, ad Diabolum.*

S. Bonaventura Apol. q. 22.

Lucif. lib. de non parcendo delinquentibus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS
DE
MODO AGENDI JESUITARUM
CUM PONTIFICIBUS, PRÆLATIS, PRINCIPIBUS, &c.

CAPUT I.
De ratione Jesuitarum agendi cum Principibus.

A NEscio, undénam librum hunc aptiùs auspicaturus sim, quàm à verbis S. Augustini, cùm l. 2. de civitate Dei c. 1. in hunc modum scribit: *Si rationi perspicuæ veritatis infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obsistere: sed doctrinæ salubri languorem suum, tanquam medicinæ subderet, donec divino adjutorio, fide pietatis impetrante, sanaretur; non multo sermone opus esset ad convincendum quemlibet vanæ opinationis errorem, his, qui, rectè sentiunt, &*
B *sensa verbis sufficientibus explicant. Nunc verò, quoniam ille est major & tetrior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, sive nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur; sive obstinatissima pervicacia, qua & ea, quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem veritatémque defendunt; fit necessitas copiosiùs dicendi plerumque res claras, velut eas, non spectantibus intuendas, sed quodammodo tangendas palpantibus & conniventibus*
C *offeramus. Et tamen, quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Nam qui vel non possunt intelligere, quod dicitur: vel tam duri sunt adversitate mentis, ut, etiamsi intellexerint, non obediant: Respondent, ùt scriptum est: & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria, si toties velim refellere, quoties obnixa fronte statuerunt, non curare, quid dicant, dum quocunque modo nostris disputationibus contradicant, quàm sit infinitum, & ærumnosum, & infructuosum, vides.* Hæc
D præclarè S. Augustinus. Quæ & ego usurpare possum; tam multa enim superiore libro pro Societatis defensione dicta sunt à me, & tam multa criminatoris hujus patefacta mendacia, ut cæcum esse oporteat, qui Ordinis nostri innocentiam, & impostoris hujus nocentiam non videat, ut proinde cæteras criminatoris calumnias despicere, & silentiô refellere meritò potuerim: præcipuè, cùm vix novas afferat, sed veteres, jámque profligatas identidem repetat: pergam tamen, ne fortè, *si quid ex frivolis quoque præteriêro, videar id cuipiam* Apulejus.
ignovisse potiùs, quàm contempsisse. Est enim E
pudentis animi & verecundi, vel falsa vituperatione gravari, cùm etiam hi, qui sibi delicti alicujus conscii sunt, tamen cùm malè audiunt, impendiô commoveantur & obirascantur: quanquam exinde, ubi malefacere cæperunt, consueverint malè audire. Nunc ad rem.

Principes sæculares, inquit calumniator, F
iisdem ferè artibus aggrediuntur, quibus Pontifices ac præcipuos Cardinales. Et tu De literis commendatitiis.
nos iisdem hîc figmentis oneras, quibus suprà, cùm de Pontificibus & Cardinalibus sermo esset; quæ ego iisdem etiam argumentis, quibus suprà usus sum, refutata dabo. *A Principibus*, inquis, *ad Pontifices, aliósque Principes commendationem impetrant.* Quid in hoc culpæ? licèt hæc tua commentatio vera esset? Cùm enim Principes prudentia admodum valeant, hominúmque prudentissimorum consilio utantur, non facilè adduci poterunt, ut Pontifici aut aliis Principibus commendent immerentes, præsertim cùm magnis viris indignos commendare, sit opus periculosæ plenum aleæ. Minimùm enim subit quis G
apud istos jacturam existimationis de judicio & prudentia, si commendet eos, quos satius fuerat amandâsse, quàm commendâsse: *Has commendationes*, inquis, *solent aut ipsi dictare, aut ad vim suam meliore modo accommodare.* Nimis malè de Principibus & sentis & scribis, Calvinopapista. An putas Principibus non esse alios Secretarios & Cancellarios, quàm Jesuitas? An putas Jesuitis in aulicis *Cancellariis* licere, quidquid libet? ut arbitratu suo componant, dictent, scribant & rescribant epistolas commendatitias, Principésque tam fatuos esse, ut literas mitti patiantur, si quid veritati dissentaneum contineant? Et quia tam sagax es ad investi- H
gandum, quænam literæ commendatitiæ scribantur à commendatis, & quæ à commendantibus: suspicari subit, te, eadem sagacitate, facilè assequi, epistolam, quam tulit Naaman Syrus, à Rege Syriæ, ad 4. Reg. 5.
Regem Israëlis, fuisse ab ipso Naamane dictatam, & eò usque interpolatam, donec ad Naamanis stomachum faceret: Et si interfuisses, quando Nehemias venit in 2. Esdræ 2.
Palæstinam cum literis commendatitiis, ab Artaxerxe Persarum Rege: tu statim dixisses: Nehemiam, literas illas dictâsse, do-

A doloremque tuum & querelas junxisses cum Sanaballat Horonite, & Tobia servo Ammanite, egregiis calumniatoribus, qui allatis illis commendatitiis, contristati sunt *afflictione magna*, quòd veniisset homo, *qui quæreret prosperitatem filiorum Israël. Ex literis*, inquis, *occasione arrepta, quæ volunt Principum responsa effingunt, & in Principum familiaritates facilè, velut principum interlocutores, admittuntur.* Calumniaris.

L. Accusatorum ff. ad ſ. c. Turpili. Nam, ùt ille ait, *calumniari est falsa crimina intendere;* quid autem falsius, quàm nos responsa, Principum nomine, ad alios Principes effingere? *Nemo potest hoc credere, nisi qui possit audere.* Quid enim minùs tutum, quàm his technis aditum ad gratiam Principum sibi patefacere velle? Crimen falsi non modò committitur, cùm Principum constitutiones falsantur, sed & cùm, eorum nomine, responsa ad alios feruntur, de quibus ipsi nihil unquam co-

B gitârunt. Neque nos sumus Principum *interlocutores*, ùt tu loqueris. Nihil enim nobis negotii cum negotiis politicis, neque Principes tam à ministerio fido destituti sunt, ut Jesuitas pro rerum suarum internunciis adhibere cogantur: quòd si id quandoque aut fit aut factum est, id videlicet gravibus de causis factum est, nec tam in iis, quæ ad politiam externam, quàm in iis, quæ ad Ecclesiæ emolumen-

C tum spectant. Nam quod ais, *nos quasi Principum Jureconsultos, aut consiliarios esse*, id nimirum ex eodem, quo cætera mendacia, fonte prodit: Et Jureconsulti, & Consiliarii aulici munus cum munere Ordinis nostri pugnat; & si controversiæ de imperio oriantur, inter Prælatos Ecclesiasticos & Principes Politicos, nos nec Prælatis nec Principibus operam nostram addicimus: Nihil enim ad professionem nostram tales disceptationes; sed aliis harum controversiarum notionem libentissimè relinquimus: tantum abest, ut, quod tu nugaris, *contemptis Ecclesiæ præsulibus, à parte sæcularium Principum stemus.* Quid Religioso cum foro externo, & litibus, quibus forum illud perpetuò perstrepit?

D De censu quinque pro centum. *Constat*, inquis, *illos Augustæ & Monachii ob Principum virorum favorem, turpiter à justitiæ tramite, in materia usurarum deviâsse, ita quidem, ut opus fuerit Pontificis auctoritate, quid in ea re verum esset, contra ipsos declarari.* Quæstio Augustæ & Monachii potissimùm erat *de quinque pro centum*, hoc est, de annuo censu in Germania valde usitato, quo quinque aurei pro centum mutuo datis, salva forte, quotannis accipi solent. Quæstio, inquam, erat, utrum contractus iste simpliciter damnandus esset, tanquam usurarius; an verò modi & rationes iniri possent, & inveniri, quæ illum à crimine usuræ vindicarent; &legi-

E bus justitiæ non contrarium esse demonstrarent. Aliqui, absque ulla distinctione, hunc contractum damnabant, tanquam fœneratitium, juríque & æquo ex diametro repugnantem, ducti suis quibusdam rationibus. Alii mitiùs sentiebant, & mitiùs etiam iis, qui consilium super hac re exquirebant, respondendum arbitrabantur, rationésque multas, eásque bonas & solidas excogitârunt, quibus contractus ille honestari, & licitus fieri posset; quas lector videat apud Gregorium de Valentia, qui præ cæteris in hoc argumento usurarum & contractuum explanando versatus est, tum in schola publicè docens, tum privatim à Principibus viris consultus, quas suas commentationes postea magna ex parte publici juris fecit, in tertio tomo disputationum Theologicarum in Secundam Secundæ S. Thomæ: ubi justitiam variorum contractuum, ùt Censuum, Cambiorum, Societatis, & hujus ipsius, de quo agimus, eruditè ostendit. Nec quidquam definivit Pontifex pro hac vel illa

F parte, ùt tu fingis. Nam si quid constituit, ubi tandem est illa constitutio? Quî fit, quòd à nemine ex nostris visa? & si quid definivit, quid tandem definivit? An contractum illum esse simpliciter illicitum, ita ut nulla conditione licitus fiat? At certo certius est, Pontificem hoc non definivisse, alioquin Gregorius de Valentia in Commentariis publicis nunquam discessisset à definitione Pontificis: nec alii Provinciæ hujus nostræ Doctores, cùm cursu prælectionum Theologicarum ad illam materiam deferuntur, eandem auditoribus explanarent, & sequendam proponerent, sed potiùs omni contentione refellerent. An definivit contractum istum posse fieri licitum, prout statuit sententia, quæ, ùt jam dicebam, apud Theologos in scholis horum locorum, & apud Confessarios in templis obtinuit & invaluit? Atqui, si Pon-

G tifex hoc definivisset, scivisset id etiam Gregorius de Valentia, qui semel sub Gregorio XIII. hac potissimùm de causa Romam profectus est, ut super hac disceptatione Romanorum Theologorum judicium & sententiam exquireret, & exquisivit quoque: nec à sua sententia Theologos illos dissidentes reperit: quod ipsemet sæpius testatur in disputatione de contractibus: nec omisisset gravissimo Pontificis testimonio suam opinionem confirmare, si talis definitio Pontificis exstaret, nec nos omitteremus, quando in scholis Theologicis idem argumentum auditoribus explicamus.

H Cæterùm sive quis damnet simpliciter illum contractum, sive dicat, eum iniri posse certis modis & conditionibus: quid, obsecro, contra justitiam delinquit? Nam si prius facias, tunc omni injustitiæ & usuræ,

A usuræ, quod ad hoc caput attinet, viam obstruis; quandoquidem sublato simpliciter contractu, nulla inde usura existere potest. At si secundam sententiam quis amplectatur, tum, tuo fortè judicio à justitiæ tramite deviat, quatenus probat contractum, ex quo, tuo judicio, sequitur postmodum in praxi & usu usura: cúmque ita comparatus sis, ut *tam turpium oderis præceptores, quàm ipsa præcepta*, quod de se olim profitebatur Faustus Manichæus: hinc fit, ut Jesuitas, tanquam à justitiæ tramite aberrantes, traducas. Sed mi homo, aliis tibicinibus opus erit, ut persuadeas, hanc sententiam, usurarum patronam & propugnatricem esse: solvenda tibi erunt firmamenta & argumenta, quibus fulcitur, quod tum opinor facies, cùm *duræ quercus sudabunt roscida mella.*

S. August. lib. 6. contra Faustum, c. 1.

B De monasteriis & reditibus.

Progrediamur jam: *Postquam*, inquis, *Principum animos occupârunt, ad bonorum acquisitionem pergunt, & interposita auctoritate Pontificum, Monasteria, si quæ vacant, aut quasi vacant, invadunt, & ex Episcoporum manibus eripiunt, divisis aliquando cum Principibus spoliis.* De translatione Monasteriorum actum jam est suprà satis superque. Si Jesuitæ non carent apud te culpa, quòd Monasteria quædam possident, cum summi Pontificis & Principum, in quorum ditione sunt, consensu, quo loco apud te erunt sectarii, qui tot Monasteria per summam injuriam, Deo & hominibus invitis, diripuerunt, & sub jugum suum miserunt? Deinde nomina, quæso, aliquod Monasterium, ab incolis desertum, quod Jesuitæ ex Episcoporum manibus eripuerint, ipso Episcopo relu-

C ctante. Sed quid ego queror, quòd nos maledictis incessis, cùm ipsos Principes lingua petulanti verberes? *Dividunt*, inquis, *Jesuitæ aliquando spolia Monasteriorum cum principibus.* *Si*, ùt inquit Jureconsultus, *calumniæ causa puniuntur, qui in fraudem alicujus librum vel testimonium, aliúdve quid conquisisse vel scripsisse, vel in judicium protulisse dicuntur*, quanto magis pœna legis seu Rhemmiæ seu Memmiæ de calumniatoribus affici debet, qui Catholicos Principes *raptores* & *prædones monasteriorum esse*,

L. ab accusatione ff. ad S. C. Turpill. L. Accusatorum. ff. eod.

D publicè vociferatur. Quòd si quos alicubi reditus ex Monasteriis Principes percipiunt, faciunt id, approbante summo Pontifice, nec proprii quæstus causa, sed ut vel alumnos in bonum Ecclesiæ alant, idoneósque rerum divinarum administros educent; vel ut ex illo vectigali alia expediant, quæ ad gloriam Dei potiùs, quàm ad aulæ magnificentiam spectant. At cur, obsecro, non vertis oculos ad tuos Ministros? qui, ùt canit Poëta: *Hæc habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga, bibe, es, fuge, hoc est eorum opus.* Idem tibi respon-

sum volo de decimis & aliis reditibus; E ubicunque enim tales reditus possidemus, eos, & Principum & Rerumpublicarum consensu, possidemus, non sine Pontificis summi approbatione. Edite vos similes titulos, libentérque non inter raptores, sed inter legitimos possessores à nobis numerabimini.

Verùm quòd indignaris, ex *Cameris*, ùt F vocant, seu ex ærario Principum, pendi aliquando nostris Collegiis annuum reditum: id mihi neque mirum neque insolitum accidit, quia quorum perniciem & interitum optas, eorundem vitæ tolerandæ rationem aliquam probare non potes. Unde enim tandem vis, ut reditus nostros capiamus? Non placet, si ex prædiis Monasteriorum, aut sacerdotiorum aut decimis, & id genus aliis pensionibus, nec ut ex ærario Principum, ipso Principe aut Republica id ita jubente & decernente. Explica ergo tandem, quos reditus nobis, & unde assignare velis: Fortè mandabis, ut precariò victitemus: Atqui domus Professæ Societatis nostræ precariò victitant. Num tibi propterea placent? sed quid verbis opus? Eo modo erga nos affectus es, quo Nicephorus Phocas, monstrum illud hominis in omnes Monachos & Monasteria, qui lege edita sancivit, ne quis ullum Monasterium construeret, aut dotaret, néve quis hæredem scriberet Monasterium: aut etiam Xenodochium, aut Gerontocomium, aut Metropolim, aut Episcopium. ἀδὲν γὰρ ἀδὲν ἐκείνοις λυσιτελές. *Nihil enim hoc, nihil penitus eis expedit*, ajebat ille impius. Hanc legem tu, & tui similes renovabitis nimirum, exorsi à Jesuitis, tum ad alios quoque paulatim progrediemini: imitati videlicet Manuelem Comnenum, qui cùm jam constitutio Nicephori antiquata videretur, eandem renovavit; Monachis tam parùm propitius, quàm Nicephorus, ùt ex Niceta Choniate liquet. At nôsse debes, hanc ipsam legem, à Basilio Porphyrogenito Imperatore Græco, abrogatam, & tanquam malorum omnium causam perpetua ignominia notatam. *Nam ex quo lex ista robur habuit*, inquit inter cætera Basilius, *nihil boni penitus in hodiernum usque diem, vitæ nostræ contigit, sed potius è contrario nullum omnino genus calamitatis intermisit.* At extremum ægrè fers, quòd Principes aliquando Societatem civitatibus & Rebuspublicis commendant; & hortantur, ut ejus opera ad juventutis & populi institutionem utantur. At non est, quòd succenseas, si enim possunt Lutherani aut Calviniani Principes, pace tua, civitatibus & Rebuspublicis commendare, quos credunt valere ad eversionem Catholicæ religionis, liceat itidem nostris Principibus, bona cum tua venia, commendare civi-

Novell. 2. Extat post Eclogas juris.

Nicet. l. 7. de rebus Manuelis.

Basil. Imp. in propria Novella.

G H

tatibus

A tatibus & Rebuspublicis illos, quos credunt fidei avitæ conservandæ & propagandæ prodesse posse. Nam ad ignotos potissimùm eget quis commendatione: ubi virtus & eruditio jam civibus probata est & perspecta, tum licet cum Apostolo dicere: *Nunquid egemus commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* 2. Cor. 3.

CAPUT II.

De rationibus agendi Jesuitarum cum populo.

B QUod S. Augustinus dixit de Fausto Manichæo, hoc ego pari jure dicere possum de isto pseudocatholico. *Eadem sæpè vana repetere istum non pudet; sed eadem sæpe quamvis vera respondere me piget. Nobiliores populi captant*, inquis, *eo modo, quo Curiales.* Tu verò, eo modo, quo antea, mendacia captas. Nec iliud Salomonis reputas: qui *nititur mendaciis, hic pascit ventos. Idem autem ipse, sequitur aves volantes.* Simile quiddam dixit de mendaci alicubi Aristoteles. S. August. l. 10. contra Faustum, cap. 1. Proverb. 10

C *Ut sibi*, inquis, *nobiles devinciant, promittunt favorem Principum, & promotionem in aulis. Noli amare mendacium adversus fratrem tuum*, monet Ecclesiasticus, *neque in amicum similiter facias.* Aliter instituti sumus à Patre nostro Ignatio, de quo hæc Ribadeneira: *Religiosi hominis officium affirmabat esse, ab aulica vita (ad quam, tanquam ad Sirenum scopulos quidam adhærescunt) homines, ad Christum potius abducere, quàm in illam quenquam inducere; Ipse verò operam suam ad Principum grátiam aucupandam, vel in eorum aulas intrandum petentibus, respondebat; Ego quidem præstantiorem Dominum nullum scio, quàm eum, quem mihi ipse elegi: ad hunc vos si applicare cupitis, libentissimè meum omne studium præstabo.* Eccl. 7. Ribad. l. 5. cap. 11.

D *Eosdem*, inquis, *compellunt ad sua templa adeunda & frequentanda:* Monet Ecclesiasticus: utinam monenti obedires? *noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim ejus, non est bona.* Nomina vel unum, nobili stirpe progenitum, qui coactus fuerit sacra, nostris in templis, obire. Addis: *Iisdem utuntur adjutoribus & administris, si qua in civitate nidificare velint.* Non est opus anxiè nidos quæritare: etiam non quærentibus, plures offeruntur, & exstruuntur, quàm Hæretici, aut pseudocatholici, aut invidi ferre queant: Non tantùm ad Abrahamum pertinet illa promissio Dei, etiam jurejurando firmata: *Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te:* sed & ad Religiosos, qui secundùm fidem filii sunt Abrahæ. *No-* Hebr. 6.

E *lunt se*, inquis, *ubi degunt, obligare cuiquam: ut omnia pro sua libidine agant.* Quid tum? licèt nos non obligemus, attamen non minùs omnia fideliter præstamus, quàm si omnium obligationum vinculis ad hoc essemus adstricti: sat obligationis arbitror est ipsa religionis, & gratitudinis, & charitatis in Deum & proximum obligatio, quæ tam firmis nexibus nos ligant, ut nihil eorum intermittamus, quæ instituti nostri ratio, & grata mens in fundatores exigunt. Deinde hîc etiam doces, quàm *suavis tibi sit panis mendacii*, quo infarciris, licèt postea *os tuum impleatur calculo.* Non enim omnes obligationes vetant nostræ Constitutiones; nam obligationes dandi concionatoris, confessarii, professoris, Generali consentiente & approbante, suscipi possunt, ùt nôrunt, qui Constitutiones & consuetudines Societatis nôrunt. Gravior est accusatio, quæ F sequitur, sed non minùs à veritate abhorrens: *Si ob certarum rerum penuriam, communi edicto caveatur, ne quis in eo genere, quantum voluerit, sed ad certam mensuram, personarum habita proportione, coëmat; eáque ratione, ad majus incommodum vitandum, minùs singuli libenter subeant, nolunt omnino illi his legibus teneri, tandémque per fas & nefas, nobilium & Principum interventu, easdem excutiunt, ac contra ipsorum privilegia esse decantant.* *Qui loquitur mendacia, peribit*, inquit Salomon; Eundem finem verearis oportet, nisi cum vero in gratiam revertaris. De obligationibus Societatis. Prov. 20. Prov. 19.

G Sed ipsam accusationem excutiamus; primùm, si à Principe aut Legislatore, à lege illa excipimur, immeritò igitur nos arguis, quòd legem illam non observemus. Nam dispensatio tollit obligationem. *At injustè*, inquis, vos eximit Princeps. Jam ergo tibi non tam nobiscum, quàm cum Principe contentio est, quem ab omni pravo affectu liberum, credibile est, meliùs perspicere, quosnam à lege lata excipere meritò queat, quàm te, qui livore excæcatus es, sicut Polyphemus ab Ulysseo stipite. At *Jesuitæ blandis precibus Principes à recto dimovent.* Rursus cum H Legislatore pugnas; An tu tam mobilem censes, ut patiatur, se toties transversum abripi, dispensationésque toti communitati noxias aut imperet, aut ipsemet impertiat? Secundò, éstne contra privilegia nostra, si Princeps aut Magistratus quispiam, boni publici causa, legem ferat? Anne Privilegia nostra bonum commune impediunt? Nullum certè novi Privilegium, quod nos eximat ab observatione legis in publicum commodum evidenter rogatæ, & ad res emendas vel vendendas in foro rerum venalium pertinentis. Tertiò, si lex permittat, ut quis tantum emat, quantum familiæ necessitas postulat, considerato

A rato personarum numero, igitur nihil in legem committimus, quia in foro nihil emimus, quod amplius sit, quàm incolarum multitudo poscat. *Etsi animas,* inquis, *se quærere profiteantur, in locis obscuris & pauperculis, sit quantavis animarum multitudo; habitare nolunt.* Si locus sit accommodatus nostris ministeriis Scholasticis & Ecclesiasticis, nullum locum, quantumvis obscurum & ignobilem, refugimus, quod testantur multa Collegia non admodum claris & magnis in urbibus exædificata; Cùm verò in celebrioribus oppidis major functionum nostrarum obeundarum occasio submini-stretur; mirum non est, si in his potiùs, quàm in aliis nostri sedes figant. Nullus tamen locus, nullúsque pagus tam abjectus est, quò nostri promptè se non conferant, si vel concionum, vel confessionum, vel alterius pii ministerii gratia advocentur. Nam

B quod ais? *Nos Religionis & pietatis opera pauperculis non ita facilè exhibere, neque ipsos ad nos admittere:* doleo inprimis, te unum, vel potiùs duo esse ex illis sex, quæ

Prov. 6. odit Dominus: *Linguam* videlicet *mendacem*, & proferentem mendacia testem fallacem; Ut & paulò pòst, cùm testaris, *pauperiores ex scholis nostris excludi, vel ita tractari, ut cogantur abire:* Secundò; quotidianus Societatis usus, & omnia Gymnasia, quæ per Germaniam aperuimus, falsitatis te coarguunt. Tertiò, quod sine arrogantia dictum volo, si audes, huc venito, & è vestigio efficiam, ut plures egeni te circumstent, qui Societatis beneficentiam prædicent, téque mendacii convincant, quàm circumsteterunt sanctum Petrum; ut Tabithæ liberalitatem, & eleemosynas extollerent. Quartò, idem, quod tu hîc nobis; objecerunt jam olim calumniatores Religiosis Ordinis Minorum, quibus his verbis satisfacit ejusdem Ordinis eximius Doctor S. Bonaventura; *Respondeo, Deus pusillum fecit æqualiter & magnum, & æqualiter est illi cura de omnibus, in quantum factura ejus sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam. Ideo igitur nos omnes diligere debemus in Domino, & tam divitum, quàm pauperum salutem desiderare, & pro posse nostro promovere, sicut expedit his & illis; Unde si pauper melior est divite, plus debemus eum diligere, tamen divitem plus*

D *honorare quadruplici ratione. Una, quia cùm Deus in hoc sæculo divites & potentes prætulit pauperibus, quoad mundi gloriam, ubi est necesse alios aliis subesse vel præesse, nos honorando potentes, ejus ordinationi concordamus, quos & ipse Deus honoravit in hac parte. Alia ratio, propter infirmitatem ipsorum divitum, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & gravamen nobis, & aliis pauperibus, inferrent, ne quod offendiculum demus infirmis, ne per nos deteriores fiant; qui omnes* E *debemus potiùs ad meliora trahere & provocare. Tertia: quia major utilitas provenit ex correctione unius divitis, quàm plurium pauperum. Pauperis enim salus sibimet prodest, dives autem emendatus multis prodest, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur & provocantur ad bonum, quàm propter alia bona, quæ per eum promoventur in aliis, & mala impediuntur. Qualis rector civitatis, tales habitantes in ea. Conversio Constantini Imperatoris ad fidem, plus profuit Ecclesiæ in pluribus, quàm multorum aliorum. Quarta: Cùm à divitibus plus recipiamus* F *de corporali subsidio, eò quòd magis abundant in talibus, justum est, ut & eis vicem rependamus, & proniores simus eis ad obsequia specialia impendenda: pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur, divites verò pluribus laqueis irretiti, frequentioribus & diligentioribus indigent consiliis, ideo necesse est, nos circa illos studiosiùs occupari, ne profundiùs in peccato mergantur; Nam ùt dictum est jam, qui potentem in bono promovet, multos juvat: sic è converso, ipsius subversio multorum est detrimentum.* Hæc sanctus ille Doctor.

In concionibus dicuntur, inquis, *singulare* G *aliquid in populo observare, quod carpant, idque egregiè dilatare, ubi populum ad voluntatem suam compositum non habeant: ubi verò omnia pro voluntate consequuntur, omnia, ùt integra, probare.* Primùm, nescio, quid sibi velit istud tuum *dicuntur, feruntur, fertur,* & similia, quæ antea parciùs usurpans, nunc tertio quoque verbo inculcas. An nullum Jesuitam, ex superiore loco, ad circumfusam coronam verba facere audivisti in Italia aut Germania? An convicia, quæ fundis, ex auditu solo fundis? An isto tuo *dicuntur* & *fertur,* putas te improbitatem tuam celare posse, ut suspicemur, te minimè esse eum, qui es; cùm de Jesuitis ita scribas & loquaris, quasi nullum unquam Jesuitam in cathedra scholæ aut templi videris? Ita nimirum agere consueverunt improbi. Ita uxor Hiero- H
3. Reg. 14. boam commutat habitum, hortatu mariti sui, ne cognoscatur, *quòd sit uxor Hieroboam:* sed deprehensa à viro Dei audit illud: *Quare aliam te esse simulas?* sic Spa- S. Greg. l. 2. Dial. c. 14. tharius Regis Totilæ, dum Totilam se mentitur, à S. Benedicto proditur his vocibus: *Pone fili, pone hoc, quod portas, non est tuum.* Pari modo & tu, pone larvam, qua vultum obnubis. Scimus primùm quis sis; scimus item te Hæreticum, non Catholicum esse, quare alium te esse simulas? Verùm ut ad commenta tua regrediar: quæ, oro, hæc populi conciliandi ratio, populum, ejúsque vitia pro concione exagitare? An criminum enumeratio aut exprobratio benevolentiam parit; præsertim

Societas non negligit egenos.

Act. 9.

apud

A apud imperitam multitudinem, quæ si ullius rei est impatiens, hujus quàm maximè impatiens esse solet? Quæ item levitas dicentis esset, si quod priùs summa vocis & laterum contentione improbâsset, postea comprobaret, & eisdem auditoribus amplectendum proponeret? Nunquid
Jacob. 3. *fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* ait S. Jacobus.

B Sed probat commentitiam suam assertionem exemplo cujusdam Concionatoris Mediolanensis, qui primùm acriter in mundum & comptum fœminarum invectus, postea vela vertit, eundémque summoperè extulit, &, ut mulieres sese eximiè ornarent, hortatus est; Et si perconteris, unde hoc nôrit, expeditè respondet: *Fertur.* Occurrunt hîc verba S. Hieronymi, in Joannem Hierosolymitanum:
S. Hier. epist. 62. ad Theoph. *Sycophantam jactitat, & ne probare cogatur, audîsse se dicit,* (fertur, inquit,) *ô si & mihi liberet dicere, quæ multi clamitant, & aliorum maledictis acquiescerem, jam & nos intelligeret scire, quæ omnes sciunt, & me quoque audire, quæ nullus ignorat.* Acriùs opinor, Ecclesiastes ille invectus non est in mulieres, earúmque ornatum, quàm
Eccles. 25. Ecclesiasticus; & Isaias, & in multis Homiliis S. Joannes Chrysostomus, & in suo
Isaiæ 3. Pædagogo Clemens Alexandrinus, ubi in-
Clem. lib. 3. cap. 2. ter cætera ait: per cultum & mundum *ex fœminis effici meretrices, & ex viris androgynos & adulteros.*

Calumnia de mundo muliebri.

C At quòd postea ad luxum ornamentorum exhortatus sit, à quo priùs fuerat dehortatus, quis credat, qui te cauponem calumniarum esse nôrit? *Difficilè exuitur negotians à negligentia,* inquit
Eccles. 26. Ecclesiasticus, *& non justificabitur caupo à peccatis labiorum.* Quid per *peccata labiorum* intelligat, intelligis, nisi fallor, quia, ùt dicebam, *cauponaris.* Quis sibi persuadeat publicum concionatorem, tali loco, tam celebri & frequenti, ubi tot eruditione præstantes viri singula etiam dicentis verba ponderant, commendare aliquid, quod Apostolo adversa fronte adversetur? Iste enim Spiritu sancto instinctus, ornatum mediocrem mulierum non modò laudat, sed & mandat, nimium non modò
1. Tim. 2. non probat, sed & damnat: *Similiter & mulieres,* inquit, *in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, pro-*
D *mittentes pietatem per opera bona.* Hoc præceptum Apostolicum, quia observavit concionator ille, primúmque ab immodico comptu fœminas absterruit, & postea ad modicum & honestum commonuit, hinc tibi visus est, ex eodem pulpito contraria sparsisse, & vituperationem vitii in prædicationem commutâsse; & quidem *ob missa munera.* Non te terret terribilis illa
Apoc. 22. in Apocalypsi vox, quæ à cœlesti civitate scelestos, & in his etiam mendaces, ex- E
cludit? *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat aut facit mendacium.* Quid enim à vero alienius, quàm ullum virum probum, nedum Religiosum, muneribus eò abduci posse, ut, quod Apostolus dissuasit, ipse suadeat; quod reprehendit, ipse commendet? Fortè à S. Paulo donis impetratum fuit, ut mulieribus ornatum habitum præscriberet. Lupus Cappuci- F
nus, quem testem laudas, acriter, morderet te, nihil dubito, si viveret; Et Cardinalis Borromæus à te citatus testimoniô suô te non juvaret, sed legem illam Valentiniani & Martiani adversùs te implorareret. *Eos, qui Ecclesiarum Catholicarum Cle-* L. Eos. C. de Apostatis.
rici, vel Orthodoxæ fidei Monachi, relicto vero Orthodoxæ Religionis cultu, Apollinaris vel Eutychetis (Lutheri vel Calvini) *hæresin & dogmata abominanda secuti fuerint, omnibus pœnis, quæ prioribus legibus adversùs Hæreticos constitutæ sunt, jubemus teneri, & extra ipsum quoque Romani Imperii solum repelli, sicut de Manichæis præcedentium legum statuta sanxerunt.*

G Addis: *Illud quoque dicuntur in concioni-* De Concionibus nostrorum.
bus opportunè injicere, nec nobiles apud Principes, nec fœminas apud viros nec servos apud Dominos, bonæ fidei opinionem meliùs acquisituros & conservaturos, quàm si frequenter confiteantur apud eos, præsertim, qui hoc sacramentum accuratè tractant, seipsos intelligunt. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, ait B. David, Deum alloquens; Psalm. 5.
Quis unquam talia ex ullo Jesuita ad auditores suos verba faciente audivit? quasi verò Confessio obeunda sit, ut quis Principes sibi addictos & faventes habeat? quasi hunc duntaxat in usum hoc salutis remedium sit paratum & institutum? *Dicuntur,* inquis: Ergo ex aliis duntaxa hoc audivisti? sed jam dixi, quid sub hoc tuo *dicuntur* delitescat. *Poteram & ego,* inquit S. Hieronymus in Ruffinum, *in te falsa* S. Hieron. lib. 3. contra Ruffin.
congerere & dicere, me vel audivisse, vel vidisse, quæ nullus nôrat, ut apud ignorantes impudentia, veritas; & furor, constantia diceretur. Quibus de rebus potissimùm no- H
stri concionatores verba facere debeant, ita præcipitur iisdem ex institutione nostri P. Ignatii: *Ea populo proponant, quæ ad captum & utilitatem auditorum erunt accommodata, iisque insistant, quæ ad Christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia & inserendas virtutes valent, & à rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant. Commendare debent Confessionis & Eucharistiæ frequentem usum, in bonis operibus profectum & perseverantiam: Ecclesiasticarum cæremoniarum observationem, & cætera, quæ ad cultum divinum pertinent.* Hæc Regula. Ubi nihil de illo Confessionis fine, quem tu comminiscéris.

A Porrò, quæ adjungis de modo, quem teneamus cum confitentibus, & de expilatione vetularum, & de aucupatione bonorum; si quæ fortè sint restituenda legitimis dominis, meræ criminationes sunt, contra illud Domini: *Non eris criminator, nec susurro in populo;* quibus refutandis non immorabor; quia easdem à Lermæo Calviniſta allatas non pridem fusè refelli, lector inde petat. Illud tamen, quod in specie adjungit de Caſparo Lambertengo, non est prætereundum silentiô. Mortua conjuge dicaverat is se, suásque fortunas, quæ satis copiosæ, Deo, in Societate Mediolani; unica filiola, quam ex matrimonio susceperat, in Monasterio quodam collocata, ut ibi educaretur, donec grandior natu deliberare posset, quodnam genus vitæ amplecti vellet, destinata etiam eum in finem, ùt par erat, satis grandi pecu-
B niæ summa. Hoc factum iste concoquere nequit, duplici de causa: tum quia Caspar ille Societatis institutum sibi delegit, tum quia eidem res suas consecravit. Ait: *Fuisse à Jesuitis deceptum & dementatum.* Hæc vetus cantilena est omnium Hæreticorum & hostium religiosi nominis, qui vitæ in melius commutationem insaniæ deputant, & quidquid opum in religiosas ædes infertur, perditum censent. Non ita veteres, quibus pietas & religio cordi. Hinc Justinianus res Monachorum & Monialium ita Monasteriorum esse voluit, ut, licèt postea inde discederent, facultates tamen semel illatæ, ex-
C euntes minimè sequerentur. *Si quis autem semel dedicatus habitúque potitus, deinde à monasterio discedere voluerit,* inquit Imperator, *& privatam fortassis eligere vitam; ipse quidem sciet, quam pro hoc dabit Deo satisfactionem: Res autem, quascunque habuerit, dum in Monasterium intrabat, eæ dominii sint Monasterii, & nihil inde penitùs efferat. Illud quoque decernimus, eum, qui in Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere,*
D *suis uti, quo voluerit modo: Ingredientem namque simul sequuntur omnino res, licèt non expressim, cùm introduceret eas, dixerit; & non erit Dominus earum ulteriùs ullo modo. Si verò filios habuerit, si quidem contigerit, jam eum res aliquas donâsse eis, aut per antenuptialem donationem, aut per dotis occasionem contulisse, & faciant hæc quartam ab intestato ejus substantiæ partem, nullum in reliquis rebus habeant participium filii; sin autem nihil eis donaverit, aut minùs quarta, & postquam abrenuncians conversatus fuerit inter Monachos, nihilominus quarta debetur filiis, ut aut in totum eis detur, aut si contingat eos jam aliquam accepisse, suppleatur. Si autem uxorem habens, deinde eam relinquens, in Monasterium ingrediatur, & dos mulieri servetur, & ex morte pactum; ùt in alia nostra sancivimus constitutione. Omni-* E *bus, quæ super Monachis dicta sunt, & in mulieribus Monasterium ingredientibus valituris. Si verò relinquens Monasterium ad quandam veniat militiam, aut ad aliam vitæ rationem: substantia etiam sic in Monasterio, secundùm quod à nobis priùs dictum est, remanente; ipse inter Officiales clarissimi Provinciæ judicis statuetur, & hunc habebit mutationis fructum, quòd pro sacro ministerio despecto, tribunalis terreni observet servitium. Si verò relinquens Monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat Monasterium: etiam sic quidem ejus substantia maneat, & vindicetur à priori monasterio, ubi abrenuncians hanc reliquit.* Ita Justinianus. Similia decrevit Novell. 123. & exstant apud Gratianum. 20. q. 3. c. Si qua.

Hæc eo consilio adscripsi, ut calumniatores videant, olim non tantùm bona eo- F
rum, qui Monachi fiebant, tunc fuisse monasterii, cùm ipsi ea liberè donarent, sed eo ipso pertinuisse ad Jus Monasterii, quòd quis monasterium ingrederetur, quod longè majus est, quàm id, quod conviciator iste tantô studiô in nobis & aliis quibusdam Religiosis carpit. Quasi verò novum sit, ut ii, qui Religionem ampleCtuntur, eidem sua bona, si quæ habent, vel liberè donent, vel etiam dare debeant, si in Ordinem velint recipi. D. Bene- G
dictus, ùt in vita S. Placidi legitur, bona, quæ fuerant Monachorum suorum, *non sinebat aliò derivari, quàm ad sua monasteria, ut inde multos alios Dei servos alere posset:* Quàm opulentum patrimonium idem Placidus ad monasterium secum attulerit, docebit te vita illius, si evolvere velis. *Ostenditur*, inquit S. Bernardus, *terra, quæ cum illo & pro illo dicitur data fuisse.* Perspicuum itidem est ex variis S. Augustini testimoniis, priscis monasteriis usitatum fuisse, ut acciperent, si quid ii in commune dare volebant, qui Monachi fiebant. Hinc epist. 109. ad Sanctimoniales ita scribit: *Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.* Alibi: *Vivunt*, inquit, *in Societate nobiscum communi, & nemo eos distinguit ab iis, qui aliquid attulerunt.* Alibi ait: *Divites non teneri ad opus manuum, quia monasterio bona sua contulerunt.* Simi- H
lia in Regula. Cæterùm hos omnes tu in numero *dementium*, & *dementatorum*, & *fascinatorum* pones; ùt & illos, qui in primæva Ecclesia res suas vendebant, & pretia in commune conferebant, & *ad pedes Apostolorum ponebant.* Solus tu cum Juda, Anania & Saphira, aliisque ex eadem tribu, sapis, quibus major est voluptas ex monasteriis manibus vel propriis, vel alienis clepere, quàm aliquid invehere.

At quod ais, nostros tentâsse, ut *reluctantem quoque filiam Caspari in Monasterio deti-*

In Apolog. contr. Lermæum.

Historia de Caspare Lambertengo.

Justin. Novell. 5 Similia in Legibus Francicis, lib. 5. cap. 226. & seq.

S. Bernard. epist. 1. ad Robert.

S. Augustin. Serm. 2. de comm. vita Clericorum. Lib. de Opere Monach. c. 25.

A *detinerent, & ad Professionem adigerent*, quò hæreditate illius potirentur: id cæteris tuis figmentis accenseatur: Nec effutivisses hoc,
Prov. 12. si illud Salomonis perpendisses: *Abominatio est Domino labia mendacia.* Aut illud
Sapient. 1. Sapientis: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Quis enim, non dicam Religiosus, sed vel modicè Christiana Religione tinctus, nescit, fas non esse, ut quis repugnans & invitus cogatur ad monastici status Professionem, quæ cùm totius vitæ decursum amplectatur, & sub alterius nutum, & quasi ditionem redigat, non nisi summa deliberatione & voluntate suscipi
B debet. Et si usquam locum habet illud: *Voluntariè sacrificabo tibi*, hîc maximè locum habet. De S. Augustino memoriæ
Possid. in vita S. Augustini. prodidit Possidonius, eum, *nunquam cuiquam uxorem poscere, aut in militiam nomen suum dare volenti, commendationem dare solitum*, cujus hanc reddebat causam: *ne dum inter se conjugati casu jurgarent*, inquit Possidonius; *& eum maledicerent, per quem conjuncti essent. Et ne militiæ commendatus suam culpam malè agens suffragatori tribueret.* Si S. Augustinus tantam cautionem adhibuit in temporali matrimonio & militia concilianda, quanta adhibenda erit, in spirituali: quæ longè gravior, nec missionem sperare potest propter perpetuitatem; nec quietem propter sacramentum, quo quis sese ad labores adstrinxit, quoad vi-
C ta durat. *Nullus per vim tondeatur*, inquit
C. Nullus de Regul. vide Can. Cùm simus, eod. tit. Jus Canonicum, *nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate:* quia, ùt rectè ait Nicolaus Pontifex, de hoc ipso argumento tractans: *Quod quis non eligit, non diligit; quod autem non diligit, facilè contemnit: nullum quippe bonum, nisi voluntarium. Idcircò Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcipit.*
20. quæst. 3. Ca. Præsens Cleric. Hæc & id genus alia non ignorant nostri: quare credibile est, te hîc esse eundem, qui es ubique: hoc est dolosum, calumnioſum, & mendacem, præsertim cùm
Concil. Tridentin. Sess. 25. de Reg. cap. 18. nostros non latuerit, quid Concilium Tri-
D dentinum de hac re decreverit: *Anathemati sancta Synodus subjicit omnes & singulas personas, cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos, Sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coëgerint aliquam virginem, aut viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam Professionem, quique consilium, auxilium, vel favorem dederint: quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut Professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Hæc Concilium Tridentinum.

Nunc ad Scholas nostras conviciis tuis E infamandas progrederis: *Omnem*, inquis, De Scholis Societatis. *dant operam, ut ditiorum filii ad ipsos mittantur: eos mirificè apud parentes laudant, & singulari ingenio præditos esse decantant: E contrà pauperiores, nisi corporis formâ excellant, mox ingenio carere, & tempus inutiliter perdere decantant, meliúsque esse, ut arti alicui addiscendæ tradantur. Sapientibus & insipientibus debitor sum,* inquit Apo- Rom. 1. stolus; noster item Ordo opulentis & egenis: à quo, debitum hoc fideliter exsolvi, testantur ipsæ nostræ Scholæ: adeat, qui volet, & videat, num inopes excludantur; vel an illis minùs amoris, diligentiæ & operæ impendatur, ac iis, quos sanguis opésque decorant. Non opus est mea F defensione: non est necesse, rem planam *argumentando*, & convicia amoliendo *dubiam facere:* Societas Jesu, illud Jesu usurpat tam in Scholis, cùm literas, quàm extra Scholas, cùm Christianæ fidei rudimenta tradit: *Sinite parvulos*, hoc est, despectos & ignobiles, *venire ad me, talium enim est regnum cælorum.* Nec magis prædicamus ingenia divitum apud parentes, quàm pauperum, si æqualem laudem mereantur: paríque industria ad literas & decus virtutis tendant: nec multùm curamus, sive quis sit Nireus forma, sive Thersites: dummodo moribus & ingenio non sit Thersites: quandoquidem, ùt sub agre- G sti forma corporis aliquando summa ingenia latent; ita sub pulchella specie nonnunquam vel nihil vel parùm cerebri reperitur; Apud te, tuíque similes Terentianos Chæreas, *formosa facies muta commendatio est;* apud Religiosum; commendatio est formosus, & ad disciplinas capessendas facilis & idoneus animus: sed convicium, & quidem atrox Jesuitis facere debuisti, quasi essent *spectatores formarum.* Verùm nihil præter consuetudinem tuam actitas, quia, *isthic est thesaurus stultis in lingua situs, ut quæstui habeant, malè loqui melioribus.* Ex quo thesauro mox largiter rursus maledicta depromis, cùm de Collegiis Convictorum & de Seminariis loqueris.

Ais enim, nos contraria facere iis, quæ H profitemur. *Profitentur*, inquis, *se nihil* De Collegiis Convictorum. *emolumenti inde accepturos.* Ita est, profitemur hoc, &, nisi fallor, quod profitemur, præstamus. *Alunt*, inquis, *in iis Rectores, Ministros, Viceministros, Repetitores & Præfectos.* Quid tum? An propterea violamus id, quod promittimus? An propterea ad Societatem redit ullum ex hujusmodi domiciliis emolumentum? Nam quòd illi, qui juventuti præsunt, ex ejusmodi sumptibus sustentantur, id tam æquum est, quàm quod æquissimum. Cujus enim Collegii aut Rector, aut Regens, aut Præsidens in ulla Academia non vivit ex

A ex Collegii, quod administrat, proventibus, sive illi sint fixi & stabiles, sive incerti, & pro numero incolarum crescere aut minui consueti, ùt ferè fit in domibus Convictorum in his ultramontanis regionibus? Quis non ex iisdem proventibus tot sibi adjutores adsciscit, quot sibi ad rectam gubernationem necessarios esse videt? Cur ergo crimini nobis das, quod in aliis laudas: vel potiùs non laudas, dum enim nos reprehendis, illos etiam, vel inscius, reprehendis, imitatus Celsum Epicureum, qui & ipse reprehendendo Christianos, eò, furore ebrius, procedebat, ut non animadverteret, se suos etiam eadem reprehensione ferire: nam cùm calumniator ille accusaret Christianos, quòd

Orig. lib. 4. contra Celsum.

B dicerent: *Omnia facta à Deo propter hominem;* Respondit Origenes: *Videtur mihi perinde loqui, atque hi, qui odio inimicorum vituperant etiam, quæ in Amicis ipsorum sunt laudatissima; nam sicut hos excæcat odium, ne videant interim, à se accusari homines amicissimos, dum putant, se inimicis malè loqui: Eodem modo Celsus, confusus ratione, non vidit, se obtrectare Stoicis, rectè præponentibus hominem, & in totum rationalem naturam, brutis omnibus: quandoquidem propter hanc ajunt, à providentia omnia condita.*

C Dices fortè: *Alios non profiteri, se nihil emolumenti inde capere; at hoc nos profiteri.* Utique profitemur hoc, at Professionem non violamus; quæ enim ad domos, quæ Societatis sunt, inde utilitas redundat? imò potiùs magna incommoda hinc Societati existunt, cùm alias ob causas, tum quia non rarò eorum operâ, quos huic administrationi addicit, alibi, & quidem fructuosiùs, uti posset. Nam quod insinuas, nostros, qui Philosophiæ & Theologiæ studeant, in his Seminariis educari, ne Collegiis nostris sint oneri, id falsum est. Nullus enim unquam ad ædes Convictorum, aut Seminaria habitandi causa ablegatur, nisi ejus ope Rector aut Regens egeat, ita, ut, quod Sapiens ait de forti illa muliere,

Prov. 31.

D hoc quivis de se verè prædicare queat: *Panem otiosus non comedi. Accipiunt*, inquis, *aliquando mutuò ab his ædibus, nec in rationum libros referunt, & libenter oblivioni tradunt, quandoque etiam largas eleemosynas inde exportant:* At licèt nostri in libros dati & accepti id non referrent, Deus certè referret, qui hoc obliviscì nec posset, si vellet, nec vellet, si posset: dicerétque tam ei, qui dedisset, quàm ei, qui accepisset: *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim ampliùs non poteris villicare;* háncque rationem eò severiùs exigeret, quò certius est, nostris prohibitum esse, ne quid hujusmodi ex ædibus aut Seminariis intervertant, & suos in usus convertant. Nec pro Generali, nec pro *Secretaria Romana*, nec pro Novitiis, (quæ tria tu per parenthesin

Luc. 16.

in crimen vocas,) quidquam ex his vestigalibus decerpere licet. At quod ais, *nostris facilè mutui restituendi oblivionem obrepere;* ea oblivio tam facilis non est, quàm tibi videtur; Non enim desunt monitores, qui moneant, cùm externi, tum interni: Et debita, præsertim grandia, tam facilè in oblivionem non veniunt, nisi crassam, supinam aut affectatam, quæ nullo jure à solutione excusat. Optabat Themistocles, nisi fallor, potiùs artem *obliviscendi*, quàm *reminiscendi;* quasi illa sit longè difficilior, quàm ista. Quòd si ex te sciscitarer, utrum F nominare possis locum, ubi nostri ex Convictorum Collegiis aut Seminariis tam grandem summam pecuniæ, aut mutui nunquam reddendi, aut eleemosynæ nomine acceperint, satis scio, nullum locum signatè exprimere posses, nisi ea fronte, hoc est, perfricta, mendaci & impudenti, qua ipsum factum asseris: licèt, si locum & personas denotares, nullius negotii esset, ad fraudis & sycophantiæ tuæ cubilia pervenire: propterea diligenter das operam, ut in thesi verseris, relicta hypothesi, tanquam tibi valdè adversa, & instituto mentiendi non admodum accommodata. Quòd si hujus, G quo nos teneri conviciaris, delicti convincere nos poteris, non deprecabimur pœnas peculiatoribus decretas Lege Julia, qua cavetur, ne quis *ex pecunia sacra, religiosa, publicáque auferat, néve intercipiat, néve in rem suam vertat, néve faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat:* Nam & nobis pecunia Seminariorum & domuum, quas Convictores incolunt, sacra est & religiosa. Vis autem scire, quæ pœna istos maneat? *Peculatus pœna*, inquit Lex, *aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet: Porrò, qui in eum statum deducitur, sicut omnia pristina jura, ita & bona amittit.*

L. Lege Julia ff. ad Leg. Juliam pecul.

L. pecul. ff. eod.

Publicè profitentur, inquis, *se neminem è* H *Convictoribus aut Alumnis ad Societatem suam sine eorum, quorum interest, consensu admissuros.* Quod ad Alumnos attinet, si ali- De iis, qui in Societatem adscribuntur.
cui Domino & Mecænati obligati sint, publicè fatemur, nos nullum in Societatem adscripturos, nisi cum Patronorum consensu: & quod profitemur, id sanctè servamus; neque tu ullum unquam produces Alumnum, quem Patrono invito & insciente, nostri in nostrum Ordinem cooptârint, si Patrono peculiari aliqua obligatione obstrictus fuerit: tales enim in nostrum Album referre, repugnat directè nostris Constitutionibus, quarum longè rigidiores custodes sumus, præsertim hoc casu, quàm tu arbitreris. Inter cætera enim, quæ proponuntur eis, qui Societatem petunt, etiam hoc unum caput est, *num aliquas obligationes habeant.* Reliquos Convictores non facilè admittimus, nisi impetrato eorum consensu, quorum id interest.

A est. Cæterùm non nego, eas loci, temporis, personarum circumstantias incidere & concurrere posse, ut etiam, insciis parentibus, aut aliis, sub quorum cura degunt, voti compotes fiant: & ex sæculi hujus tempestatibus, ad quietum Religionis portum subducantur: At tu hoc in crimine ponis. Ita videlicet solent Hæretici. Ita & illi, quibus mundus cum suis concupiscentiis potior & charior, quàm Deus. Aliter qui non carne, sed spiritu ducuntur; Nam filiis licitum esse, parentibus invitis, religionem ingredi, res certa est, ex sacris literis, ex Canonibus, ex doctrina sanctorum Patrum, & partim quoque exemplo, ac ex ratione: nam potest quis, invitis parentibus, non modò validè, sed & non rarò licitè contrahere matrimonium: quod nec ore, nec mente inficiaberis, si Catholicam fidem sincero corde sequeris: si autem, ùt es, pseudocatholicus es, saltem verbis non prodes, quod animo tegis. Cur igitur invitis parentibus nequeat quis, mundo multa salute dicta, religiosum ha-
B bitum induere? Potest alter conjugum matrimonio rato, non consummato, conditioni renunciare, & statum sæcularem in Religiosum commutare, quantumvis altera pars reclamet, & obluctetur: id quod sacrorum Canonum decretis firmatum est, & usu fidelium comprobatum. Cur igitur alicui, si nullo adhuc vinculo irretitus est, non sit potestas amplectendi statum religionis, quantumvis parentes obsistant; si ad eum se transferre potest, quantumvis conjunx obsistat; cui ut adhæreat, non injuria (quippe jure divinitùs concesso) *relinquere potest homo patrem suum & matrem suam*, etiamsi desertionem illam ægrè ferant? Sed ne actum agam, supersedeo de hoc argumento plura dicere: quia copiosè à Bellarmino tractatum est, quem consulat, qui secus sentit, & fortassis in sententiam saniorem concedet.

Genes. 2.

Bellarm. lib. de monach.

C Quod autem annectis, pauperes excludi à nostro Ordine, vel certè non habere tam facilem aditum, quàm opulentos, hoc nimirum solita fide dicis. Nam si inops, honestis tamen natalibus ortus, probitate, & ingenio, & cæteris dotibus ad institutum nostrum idoneis polleat; æquè promptè ac benignè suscipitur, ac dives opum, & claro stemmate conspicuus. Cui rei probandæ luculentius argumentum non suppetit, quàm ipse Societatis usus; Quotidie enim tales in militiam nostram adlegimus,
D ùt nôrunt omnes, qui res nostras non intuentur calumniatorum oculis. Pergis. *Alumnos se ita educaturos profitentur, ut utiliter deinde Ecclesiæ inserviant: Neque id præstant.* Quid ita verò? *Nam scientiis ad rem Ecclesiasticam parùm utilibus plus satis detinent, eósque erga Prælatos parùm reverentes, & erga curam animarum parùm affectos reddere dicuntur.* Quænam sunt istæ E scientiæ ad rem Ecclesiasticam parùm utiles? An literæ humaniores, Philosophia & Theologia? his enim nostri alumnos sibi creditos erudiunt: Cæterùm, ut tu ita judices, aliter tamen judicat Concilium Tridentinum, quod rationem alumnos Episcopalium seminariorum instituendi præscribens, hæc tradit: *Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarúmque bonarum artium disciplinam discent, sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè, quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediscent.* Hæc Concilium. In his omnibus alumni F fidei nostræ commissi informantur. Nam omnes, postquam ex scholis politioris literaturæ emerserunt, aut morali Theologiæ, sedulam navant operam, aut scholasticæ, post emensum Philosophiæ curriculum, adjuncta crebra sacræ Scripturæ, & veterum Patrum lectione. Quibus quidem studiis, qui exercetur; si ad Ecclesiasticum ministerium idoneus non fiat, quibus tandem idoneus fiet? Verùm & hoc, & duo alia convicia, in nos & alumnos conjecta, refellunt vita, virtute, moribus, eruditione, observantia erga Præsules; zelo animarum, & ardentissimo salutis proximorum promovendæ desiderio, tot præstantes viri, qui ex seminariis Italicis, Germanicis, & aliarum nationum prodiêrunt, & indies adhuc prodeunt: qui omnes & pro se, & pro institutione & fide nostra, adversus invidiam tuam testimonium publicè reddunt: & in posterum quoque reddent.

Concil. Trident. Sess. 23. cap. 18.

Cùm sanctus Gregorius Nazianzenus ab G æmulis variè exagitaretur, & quasi parùm sedulus & industrius pastor esset, accusaretur; non alios diligentiæ testes citavit, quàm ipsum gregem, quem pascebat. *Jam ad vos*, inquit, hoc est, *gregem meum se convertit oratio: Facite, ut, quemadmodum ait Paulus, gloria mihi sitis, & gaudium, & gloriationis corona, & defensio ad eos, qui me interrogant & dijudicant: ut quemadmodum iis, qui fabricandi aut pingendi artem profitentur, cùm artis rationem exposcuntur, fabrile aut pictorium opus ostendere sufficit, ut negotio omni ac molestia liberentur; sic ipse quoque vobis in medium productis, obtrectatorum meorum maledicta superem.* Item & nos, si faciamus, nullo negotio omnes criminationes, quas isti odio & livore excæcati, evomunt, depellemus, ùt & Apostolus fecit, qui ipso suo opere se defendit: *Nónne opus meum vos estis in Domino? nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino, mea defensio apud eos, qui interrogant, hæc est.*

Nazianz. orat. de Cathedra Constant.

Fertur, inquis, *Cardinalis Borromæus dicere solitus, alumnos se Jesuitis tradidisse, ut in rebus Ecclesiasticis instructos haberet, accipere verò ab illis post multos annos Rhetores,* H

De Cardinale Borromæo.

A *Dialecticos & Poëtas.* Iterum ades cum tuo *fertur*, ſub quo regis, ùt ſoles, anguem. Non eſt credibile hoc ſapientiſſimum Cardinalem vel ſemel dixiſſe, nedum ſæpius dicere conſueviſſe: uter enim aptior eſt ad miniſteria Eccleſiaſtica; illéne, qui præceptis & inſtitutis Eloquentiæ, Poëſeos & Dialecticæ probè excultus eſt; an qui his omnibus præſidiis caret? nam qui priora callet, is nullo negotio, & tempore exiguo non modò diſcet, ſed & perdiſcet, quæ Canones à ſacerdote requirunt. Et quænam illa? Audi Canonem: *Quæ ſacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, id eſt, liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canon pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per circulum anni dominicis diebus, & ſingulis feſtivitatibus aptæ.* Hæc Canon: Ut taceam, Cardinali Borromæo, ignotum non fuiſſe noſtra in diſciplina alumnos non tantùm informari in Dialectica, verùm etiam in reliqua Philoſophia; ſiquidem ingenio valeant, item in Theologia ſcholaſtica: aut in quæſtionibus, quæ ad officium Chriſtiani hominis, & veri paſtoris potiſſimùm pertinent: quibus, qui probè excultus eſt, ille etiam ſine Magiſtro, ſuopte ſtudio diſcet, quæ citatus Canon, aut Concilium quoque Tridentinum à futuris ſacerdotibus poſtulat. At fortè tu tam rigidus Canonum cuſtos es & obſervator, ut cupias ſacerdotes prorſus imperitos eſſe omnis humanioris & elegantioris doctrinæ, ita, ut eam nec diſcere, nec ex iis libris, quibus traditur, lectitando

C. Quæ ipſis. d. 38.

B haurire queant. *At turbat acumen legentium* (& diſcentium) inquit Canon, *& deficere cogit: qui eos* (Clericos) *à legendis* (& diſcendis) *ſæcularibus literis omnimodo æſtimat prohibendos, in quibus, ſi quæ inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet, alioquin nec Moyſes, nec Daniel ſapientia vel literis Ægyptiorum paterentur erudiri, nec ipſe Magiſter gentium aliquot verſus poëtarum ſuis vel ſcriptis indidiſſet, vel dictis. Si quis artem Grammaticam noverit vel Dialecticam*, inquit alius Canon, *ut rationem rectè loquendi habeat, & inter falſa & vera dijudicet, non improbamus.* Et paulò pòſt: *Grammaticorum doctrina etiam poteſt proficere ad vitam, dum fuerit in meliores uſus aſſumpta.* Non ſcis, quanta vehementia & contentione S. Gregorius Nazianzenus Julianum exagitet, quòd conatus eſſet, Chriſtianis adimere facultatem legendi libros oratorum, poëtarum & philoſophorum? Arcuítne Gregorius Nazianzenus ullum Clericum à ſtudio eloquentiæ, Poëſeos aut Dialectices? Quòd autem Cardinalis Borromæus curam ſui ſeminarii aliis tradidit, id noſtris libentibus, imò exoptantibus, & procurantibus factum eſt, non autem ob eam cauſam, quam tu fingis, quaſi Cardinalis ille noſtros non habuerit pro idoneis alumnorum ſuorum inſtitutoribus:

C. Turbat. d. 37. Ex Beda in l. 2. Reg. c. 9.

C. Si quis. d. 37. ex S. Hier. in c. 1. ad Titum. Et Iſidoro lib. 3. de ſum. bono. cap. 3

D

Nazianz. orat. 1. & 2. contra Julian.

nam & poſtquam adminiſtratione illa abierunt noſtri, non deſierunt alumni ſcholas noſtras adire; & variarum diſciplinarum Profeſſoribus operam dare. Hæc de calumniis hujus capitis, quod cùm inſcripſeris *de modo Jeſuitarum agendi cum populo*, explicandum tibi fuit, quo modo agant cum ſcholaſticis & alumnis; & hoc non obſtante ſequenti capite doces, quem modum agendi teneamus cum juventute, quaſi qui ſcholas noſtras adeunt, quique in ædibus convictorum vel ſeminariis degunt, ſint extra Juventutis cenſum. Sed furor & odium, quo ubique debaccharis, nil ordinatum habent: & ſi quis te in ordinem redigere tentet, nihilò plus agat, quàm ſi det operam: *ut cum ratione inſanias.*

E

CAPUT III.

De rationibus Jeſuitarum agendi cum Juventute.

F *UBI juventutem*, inquis, *ad ſeminaria, convictum aut ad ſcholas admittunt: primò pollicerì illos oportet, ſe ipſorum legibus ac correctioni ſubjici velle: leges verò ubique ferè easdem habent.* Quæ Reſpublica tam exigua eſt, & quæ Academia unquam exſtitit, quæ legibus careat, & quæ à civibus ſuis obſervantiam & obedientiam non exigat? imò ne una quidem familia ſine legum præſidio rectè adminiſtratur: Hinc Philoſophi, nominatim Ariſtoteles, fusè explicant *leges mariti erga uxorem; leges Domini erga ſervos; leges œconomi, leges probæ & pudicæ mulieris*, & id genus alias. At quòd iisdem ferè legibus ubique utimur, id concordiæ & conſenſionis ſummæ argumentum eſt; ac proinde, non culpandum, ſed laudibus potiùs proſequendum: *Alumnis*, inquis, *plus imponunt.* Nos G non imponimus; ſed enitimur, ut id, quod fundatores Seminariorum imponunt, alumni ferant. Quocirca ſi leges alicujus ſeminarii obligent ſubditos ad ſacros Ordines: operam damus, ut legibus ſatisfiat; & initio cuique denunciamus, quid promittendum, & quæ onera ſubeunda ſint, ſi in Album ſeminarii referri velit. *Obligant*, inquis, *Anglos, ut in Angliam abeant.* Nos non obliga- De alumnis Collegii Anglicani.
mus; ſed Pontifex, qui Anglicanum Collegium erexit; qui iſto, & non alio fine Anglos in id Collegium recipi voluit, quàm ut confecto ſtudiorum curriculo, in patriam revertantur, opem Eccleſiæ Britannorum afflictæ laturi: quemadmodum Germanos quoque ſimili conſilio educat in Collegio Germanico; & Græcos in Græco; & Maronitas in Maronitico; ut ſinguli nimirum nationi ſuæ tandem emolumento eſſe queant.

H At hoc tuo judicio eſt ridiculum. Qua de cauſa verò? *Quia*, inquis, *ipſi Jeſuitæ non ſunt obligati, nec obligari volunt, ut eant in Angliam.* Primùm, Jeſuitæ non ſunt alumni Col-

Ariſt. in lib. OEcon.

A Collegii Anglicani, nec omnes Jesuitæ sunt Angli; quare non mirum, si ab illa obligatione sint immunes. Secundò, Jesuitæ Pontifici obstricti sunt, ut quocunque illos miserit, eant. Itaque si mittere velit in Angliam, nullus erit, etiam non Anglus, qui *in auditu auris non obediat*, quique corde & ore non sit dicturus: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et quænam dic, oro, major est obligatio, illáne, quæ totum terrarum orbem respicit, qualis nostra: an illa, quæ solam Britanniam; qualis illa alumnorum? Tertiò: jam suprà dixi, novitque totus mundus, nostros sæpius in Angliam trajecisse, & Catholicis solatio, & adjumento fuisse, non modò Sacramentorum administratione, piisque adhortationibus, sed etiam carcere carcerisque molestiis subitis constantérque toleratis, & tandem vita cum sanguine pro-
B fusa. Nec in Angliam tantùm nostri, sed & in Scotiam crebrò penetrârunt, non sine summo discrimine, quod à Calvinisticis prædonibus imminebat. Quocirca inane est, quod tu hîc comminiscéris, ideo Jesuitas nolle obligari, ut in Angliam proficiscantur, *quòd Simoniacum sit, cum obligatione & pacto, alicui operas spirituales locare seu addicere:* non est ista ratio, sed ea, quam dixi: quia nos non sumus Collegii Anglicani alumni, nec omnes Jesuitæ sunt Angli, ut ad solam Angliam adstringi debeant; & hoc ipso ad Angliam obligati sunt, quòd, ùt dicebam, ad
C totum mundum obligati sunt; Est autem Anglia quoque pars mundi, nisi fallor. Cæterùm quis unquam Theologorum, aut Canonistarum asseruit *Simoniam esse;* si quis alumnum eo fine educet, instituat & erudiat, ut sacerdotium tandem suscipiat; Hæreticis viriliter obsistat, & ad certam aliquam regionem, quæ talium adjutorum & defensorum opera præ cæteris eget, sese, cùm missus fuerit, conferat, hócque ipsum etiam alter promittat, & si ita necesse sit, majoris cautionis causa, jurejurando interposito: quæ hîc emptio, quæ venditio?

D De juventutis gubernatione. *Juventutem,* inquis, *quantum volunt, vexant, affligunt, castigant, flagellant.* Non quantum volunt, mi homo, sed quantum decet & licet. In omni Republica præmia & pœnæ sunt propositæ: nil ergo novum, si & in Republica literaria, quæ tamen ad lenitatem semper pronior, quàm ad severitatem. Bene ille: *Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu; quia malo coactus, qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit. Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit, studet par referre, præsens absensque idem erit; Hoc patrium est potiùs assuefacere filium, sua sponte rectè facere, quàm alieno metu. Hoc Pater & Dominus interest, hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis.* Hunc certè modum Patres nostros in juventutis informatione & institutione tenere, non inficiabuntur tot clarissimi viri, qui ubique terrarum, nostra ex disciplina exstiterunt. Hinc, qui liberali, &, ut sic appellem, *filiali* erga magistros & Antistites suos est animo, is, si quando *effectus socordior, scutica vapulaverit,* (utar enim verbis sancti Gregorii Nysseni,) *non propter verba audacior redditur & insolentior, neque fractis præceptori tabulis recedit, sed cùm parumper præ dolore amaram effuderit lachrymam; disciplinarum studia insequitur, in iisque meditandis intentior redditur, non negligentior. Rursus cùm aliquando, ùt juvenis, fuerit negligens; jubetur manere jejunus, faméque damnatur ejus negligentia, manet autem solus in ludo literario, cùm alii pueri recesserint ad prandium, præceptum observans, summa cum reverentia.* Hæc sanctus Gregorius Nyssenus. Quibus similes ferè pœnæ & apud nos receptæ, quas qui spernit, is serviliori est indole, quàm Musæ & liberales disciplinæ ferant. Potiùs igitur talem aliò ablegamus, quàm servilem in modum castigemus, quia ejusmodi modus & à religiosa vita, & à sacerdotum mansuetudine, & à paterna Magistri in discipulum benevolentia, planè est alienus. E S. Greg. Nyss. orat. ad eos, qui ægrè ferunt reprehens.

F Ais: *Romæ Jesuitam quendam lethale vulnus accepisse, inflictum cultello scriptorio seu graphio à puero grandiusculo, quem ad pœnam deposcebat & pertrahebat.* Non video, quid culpæ pater hic admiserit, totum crimen, & quidem capitale, in adolescente hærere video. Quid ergo? An nullus unquam præceptor, aut institutor, aut paterfamilias à procaci juvene pœnas repetet ob commissa piacula; eò quòd verendum sit, ne sicam sub veste tegat, qua homicidium perpetret: & si tale quid eveniat, quis jure accusabitur, occisor an occisus? Et si puer ira inflammatus, minetur alicui interitum, num propterea statim arma ponenda sunt, & noxa condonanda? An non pœnæ magis se reddit G obnoxium, hoc ipso, quòd in tales minas erumpit? Si Arcadius filius Theodosii Imperatoris, punitus à sanctissimo viro Arsenio, ipsum, ùt statuerat, interemisset; quis gravissimi sceleris reus fuisset, Arcadiúsne an Arsenius? *Non parvum aliquod delictum commiserat Arcadius, Imperatoris filius,* inquit auctor, qui vitam Arsenii conscripsit, *& quod non merebatur veniam, flagris eum cecidit, castigans divinus Arsenius. Ille non tulit hoc* H *leviter, injuriam potius, quàm castigationem arbitratus. Ipse certè indignabatur, iram apud se alens, & præceptori suo mortem moliens; Cùm itaque haberet quendam Spatharium, qui ei ministrabat, quique ei videbatur benè velle, dignúsque esse, cui sua secreta communicaret; ei aperit, quæ in animo habebat, incitátque, ut quibus mediis posset, de medio tollat Arsenium.* Sed immane consilium divinitus impeditum fuit: si tamen impeditum non fuisset, tu pœnam in Arsenium, non in Arcadium Apud Sur. Tom. 4.

A contuliſſes: dixiſſésque, Arſenium debuiſſe cedere Arcadio, nec tam inclementer cum regiò, imò cum feroci, juvene agere.

Alii, inquis, *conſtituuntur, qui cum juvenibus blandè, molliter & familiariſſimè agant.* Si alii adeò ſævi ſunt in eos, ſi *vexant, affligunt, caſtigant, flagellant*, ſine more & modo, ùt ais, nullis certè unquam blandimentis adduci poterunt juvenes, ut erga Jeſuitas benè afficiantur: cui enim fidant, ſi tam inclementer accipiantur & habeantur, & quid ipſi etiam Jeſuitæ efficerent? *Unus ædificans & unus deſtruens; quid prodeſt illis, niſi labor?* Nimiùm verò blandè tu modum agendi cum juventute deſcribis. Religioſus religiosè & graviter B agit, memor perſonæ, quam ſuſtinet; & ſtatus, quem profitetur. Blanditias Plautinis adoleſcentibus relinquit. Ipſe Apoſtoli exemplo *parvulis lac præbet*, ſed ſalva religioſa modeſtia, & ſi quæ diligentiæ præmia tribuit, id non alio conſilio fit, quàm ut magis atque magis ad virtutis & literarum decus excitentur; & hæc ſunt *cruſtula*, quæ dant doctores pueris, *elementa velint ut diſcere prima. Jeſuitæ*, inquis, *juvenibus nihil magis inculcant, quàm Ordinis ſui admirationem, excellentiam, & exiſtimationem.* Verum ſcripſiſſes, ſi ſcripſiſſes, Jeſuitas juventuti nihil magis inculcare, quàm literarum & virtutis pulchritudinem, vitiorúmque fœditatem & turpitudinem. C Deinde nil reprehenſione dignum facit, ſi quis religionem, etiam illam, in qua vivit, commendet, bonámque apud alios exiſtimationem de ea conciliet: quandoquidem *profeſſio religioſa res planè ſacra eſt*, ùt ait Imperator, *& quæ ſuapte natura animas ad Deum adducat, neque iis tantùm, qui eam colunt, commodet, ſed etiam omnibus aliis puritate ſua, & apud Deum interpellatione competentem de ſe utilitatem præbeat.* Et alibi idem Imperator: *Converſationis monaſticæ vita ſic honeſta eſt, ſic commendare novit Deo ad hanc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat; & purum ac rationali naturæ decentem, & plurima ſecundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem reddat.* Quid ni igitur talis profeſſio laudibus extollatur, ubicunque data fuerit occaſio?

Ecclef. 34.

Horat.

Poteſt quis ſtatum religionis commendare.

Juſtin. Novell. 113.

Novell. 5.

D Cùm olim Patribus Ordinis S. Dominici & S. Franciſci objectum eſſet à malevolis, quòd Ordines ſuos commendarent, fusè refellit S. Thomas hanc obtrectatorum objectionem, licitúmque eſſe oſtendit, aliquando, & ſe & ſtatum, in quo quis verſatur, prædicare & efferre: nam præter cætera, quæ doctè, ùt ſolet, diſſerit, adducit etiam exemplum S. Pauli, qui, ùt ait S. Thomas, *ſtatum, quem profitebatur, commendavit 2. Cor. 3. qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu, & ibi multa alia ſubjungit ad commendationem Apoſtolicæ dignitatis; & ita patet, quòd Religioſo licet religionem ſuam commendare, & per hoc* E *alios ad ſuam Religionem adducere. Item Apoſt. 1. Corinth. 7. Virginitatis perfectionem commendans, & alios ad virginitatis ſtatum, in quo erat ipſe, hortabatur; dicens, volo omnes homines eſſe, ſicut me ipſum; ergo & religioſi in ſtatu perfectionis, poſſunt ſuam religionem commendare:* & poſt alia in eandem ſententiam ſubdit S. Thomas: *Præcipuè autem licet perfecto viro perfectionis ſtatum commendare, ut alii ad perfectionem inſequendam inflammentur, ſicut Chriſtiano licet Chriſtianam religionem commendare apud infideles, ut ad fidem convertantur, & quantò ſunt magis perfecti, tantò hunc zelum convertendi alios ad ſtatum perfectionis, magis habent. Unde Paulus dicebat Actor. 26. Opto* F *apud Deum, & in modico & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie tales fieri, qualis & ego ſum.* Hæc S. Thomas jam dudum ad tuas *novantiquas* calumnias. Ex quibus etiam una; quod ais; *Alios Ordines à nobis vituperari, juvenésque odio aliorum Ordinum imbui.* Contrarium enim manifeſtè docent ſcripta noſtrorum pro Religioſorum Ordinum auctoritate & exiſtimatione apud omnes tuenda & aſſerenda. Ex quorum numero in præſenti ſatis erit nominâſſe tres illos pulcherrimos libros Hieronymi Plati, *de bono ſtatus Religioſi*, in quibus accuratè diſputat, non de præſtantia Ordinis noſtri, ſed de excellentia omnium in communi, nullo penitus excepto. Item, juvenibus inſtillari G à nobis amorem & debitam exiſtimationem erga alios Ordines, teſtati ſunt plurimi, & adhuc indies teſtantur, qui ex noſtra diſciplina progreſſi, varios Ordines, divini ſervitii cauſa, ingreſſi ſunt. Quòd autem Ordo interdum Ordini præfertur, & proprius Ordo alieno, id non eſt illicitum; *Sicut Sancti non commendant ſeipſos*, inquit S. Thomas, *ut gloriam propriam habeant, ſed propter utilitatem aliorum; ita & quandoque ſe aliis præferunt, ſic enim quandoque Sancti ſe præferunt malis, ut mali evitentur à populo, qui Sanctos imitatur: Sicus Apoſtolus 2. Corinth. 11. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego, ut minùs ſapiens dico, plus ego. Quandoque etiam bonis præferunt ſe, ut in auctoritate apud homines habeantur, à quibus ſi contemnuntur, proficere in eis non poſſunt, & ſic Apoſtolus ſeipſum prætulit etiam veris Apoſtolis, quantum ad aliquid 1. Corinth. 15. Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi. Sed adhuc magis ſine* H *reprehenſione, præferunt ſtatum ſuum ſtatui aliorum minùs perfecto, in quantum talis comparatio minus ſapit privatam gloriam. Et hoc modo Apoſtolus 2. Corinth. 3. prætulit miniſtros novi teſtamenti, miniſtris veteris. Hoc etiam modo, 1. Tim. 5. ſtatum Doctorum, de quorum numero erat, aliis ſtatibus Eccleſiæ præfert: dicens; Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant verbo & doctrina.* Hæc S. Thomas.

S. Thomas loc. citat.

S. Thomas opuſc. 19. cap. 13.

Tu

A Tu sequentia: *Creditur à multis excellentiori perspicacia præditis, juventutem non tam à Jesuitis ad virtutem & literas solidas educari, ac illi hoc ipsum vendicant, & de eodem mundo fucum faciunt.* Nimirum isti tui *excellentiori perspicacia prædití* aut sunt Hæretici, aut Pseudocatholici, aut malevoli & invidi, qui malevolentiæ & livoris affectus tantum conducunt ad veritatem perspiciùs scilicet introspiciendam, quantum conducit nox offusa oculis ad accuratam colorum inspectionem & contemplationem. *Utinam ex hominum vita sublata atque extincta esset hominum invidia*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *tabes possessorum, virus ac rubigo eorum, qui ea exagitantur, sola ex omnibus animi perturbationibus æquissima simul & iniquissima: illud, quia bonis omnibus infesta est, hoc, quia Dominos suos exedit & conficit.* Sed his, qui ὀξυδερκείᾳ sua vel talpam in certamen vocare audeant, opponimus judicia omnium eorum, qui filios suos in nostram disciplinam tradunt, qui neque pauci, neque vulgares sunt, quod tibi ipsi longè, quàm velis, liquidiùs liquet, quos sanè hactenus consilii sui non pœnituisse, illud est indicio: quia ab incepto non desistunt; desisterent autem, si liberos, quibus nihil habent charius; æs & otium frustra in nostris Gymnasiis conterere viderent.

Nazianzen. Orat. de Cathed. Constantinop.

B

C *Nulli*, inquis, *dissolutiores sunt, quàm qui inter Convictores apud Jesuitas degerunt:* Hæc tu satis *dissolutè*, quia mendaciter; nam si dissolutorum juvenum, qui in Academia, aut alio publico Gymnasio versantur, rationem subducere velimus, semper dabo tibi malè moratorum & perditorum semidecadem, cui tu vix unum, moribus tam corruptum Convictorem reponere queas: quia, si quis ingenio sit tam depravato, ut nullam culturam admittat, nullámque spem profectus præbeat, eum nostris in Collegiis non toleramus, sed exterminamus, ne exemplo suo aliis noceat. At quòd, ubi ex nostra disciplina evaserunt, in vitia aliquando proni ruunt, id nostræ institutioni non

D potest esse fraudi. Primò, quia plurimi virtutis & doctrinæ semina apud nos concepta fovent, & conservant, & eò usque tuentur, quoad *uberrimam & lætissimam messem afferant.* Secundò, quia hoc omnibus accidit, quibus juventutis erudiendæ cura, non tantùm nostris. Nemo enim est, qui discipulum suum præceptis ita firmare & obfirmare possit, ut, si velit, nequeat à virtutis tramite decidere, & vitiorum abrupta persequi. *Cuivis homini*, ait Comicus, *vel optimo, vel pessimo, quamvis desubito, facile est facere nequiter.* Ubique contingit, ut aliquando *imberbis juvenis tandem custode remoto*, qui antea gaudebat virtutis & literarum exercitationibus, gaudeat postea *equis, canibúsque, & aprici gramine campi. Cereus in vitium flecti, monitoribus asper; Utilium tardus provisor,*

Horatius.

prodigus æris; Sublimis cupidúsque, & amata E *relinquere pernix.* Multi de se dicere possunt, quod Plautinus ille adolescens, qui se cum novo ædificio, & postea neglecto comparans: *Ego*, inquit, *ad id frugi usque & probus fui, in fabrorum potestate dum fui: posteaquam immigravi in ingenium meum, perdidi operam fabrorum illicò, oppidóque venit ignavia, ea mihi tempestas fuit; ea mihi adventu suo quàm primùm grandinem imbrémque attulit. Hæc verecundiam & virtutis modum deturbavit, texit, detexitque, me illicò, post illa obtegere negligens fui, nunc simul res, fides, fama, decúsque ac virtus deseruerunt, ego sum in usu factus nimiò nequior.* Hæc ille F Comicus juvenis; Ignorásne, quid ex Clemente Alexandrino referat Eusebius, de juvene, jussu Apostoli Joannis, optimè educato & instructo, à quodam Episcopo, quem postea non solùm liberior potestas vivendi, *quam fuerat paulò ante tempus adeptus: verùm etiam quidam adolescentes, ejus æquales, otiô languidi, inertiâ dissoluti, & omni malorum generi assuefacti corruperunt: ac primùm exquisitis conviviorum opiparorum deliciis illum alliciunt, invitántque: noctu deinde educentes ad furti societatem coëundam abstrahunt: tum majora moliri flagitia hortantur. Iste pedetentim assuescit, & propter generosam animi magnitudinem, tanquam equus effrænatus, & nimiùm sibi suisque viribus præfidens, extra rectam viam impetu fertur, frenáque acriter præmordens, procliviùs in profundum vitiorum gurgitem se præcipitat. Atque cùm* G *omnino jam in desperationem salutis in Deo sitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitavit, sed magnis quibusdam ac nefariis facinoribus admissis, ubi semel omni improbitate & nequitia perditus evaserat, nullam non sceleris labem, ex æquo cum aliis contrahere secum statuit. Istis igitur in familiaritatem adscitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratóque, se ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, severitate denique acerbissimum præbuit.* Hæc Eusebius ex Clemente. An tu hîc disciplinam Joannis Apostoli & Episcopi, quem *curatorem* instituerat, culpabis, eò, quòd ex illa tam dissolutus juvenis exstiterit?

Eusebius. l. 3. Hist. Eccles. cap. 17.

Ais: *Discipulos nostros esse ineptos ad Reipublicæ gubernationem: nec ulla re magis pollere, quàm arrogantia & fastu.* Cave, ne H Jambos Hipponactæos, mordacésque Satyras in te concites; jam enim tibi non cum Jesuitis, sed cum tot ornatissimis, lectissimis & nobilissimis adolescentibus, qui Scholas nostras obeunt, certamen est; nec cum adolescentibus tantùm, sed cum summis viris, iísque innumerabilibus, & cum Principibus Ecclesiastici & Politici Ordinis, qui Jesuitis Magistris usi sunt, & nunc ad Reipublicæ clavum feliciter sedent. Nimis perfricti capitis calumniator es, cùm tot millia, omnis conditionis, tantis conviciis

A proſcindere, & in te irritare audes. Sed Jeſuitici diſcipuli videntur arrogantes, præſertim Philoſophi & Theologi, quia clariùs cognoſcunt, quàm illis, qui Hæreticis & Pſeudocatholicis dant operam, ſit curta ſupellex; quàm exiguus ſolidæ doctrinæ apparatus; quàm ſæpè ſint craſſi ſine pectore trunci, ac proinde cùm larvam vobis detrahant, & veris pretiis vos æſtiment, faſtu turgere videntur, ut taceam rudes & ignaros, quales plerique tui Ordinis; ſi non omnes; à natura ita conſtitutos eſſe, ut putent, ſe à Jeſuiticis auditoribus deſpicatui haberi; verè Poëta: *Omnes, quibus res ſunt minùs ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo ſuſpicioſi, ad contumeliam omnia accipiunt, magis propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi.*

B Addis: *Auditores noſtros diu in humanioribus & Rhetoricis detineri; in Philoſophia verò & Theologia violenta quadam celeritate protrudi, ita, ut in his ſtudiis biennio, aut triennio expleto, facilè Magiſtri aut Doctores creentur. Hinc omnia Magiſtellis & Doctorculis redundare.* Plerisque in Academiis noſtris, qui triennium in Philoſophia poſuit, is, ſi velit, & aptus ſit, ſubito priùs accurato examine, Philoſophici Magiſterii honore inſignitur: Quod tempus doctiſſimorum hominum judicio ſatis eſſe viſum eſt, ad hoc, ut aliquis gradus philoſophicos conſequatur: cùm aliquot nominare liceat Academias, ubi Jeſuitæ Philoſophiam non docent; quæ tempus hoc intra biennii ſpatium concluſerunt; ſed iſti cum ſuo biennio non videntur tibi properare: ſoli Jeſui-

C tæ cum ſuo triennio properant. Et ſi olim aliquibus in locis biennio contenti erant, ipſi, non alii, tuo judicio, citis quadrigis curriculum illud decurrebant; quia fortè Jeſuiticum biennium brevius eſt, quàm biennium aliorum Profeſſorum; fortè noſtrum eſt *lunare*; illorum, *ſolare*. An vis, ut Studioſi viginti integros annos ſcholas Philoſophicas terant, ut imitentur Ariſtotelem, quem totidem annis in Platonis ſchola ſeſſitâſſe ferunt? Theologiæ curſus quadriennio conficitur; Quo abſoluto, omnes Italiæ Academiæ Doctores creant eos, qui hunc honorem petunt; & quidem illæ Academiæ, in quibus docendi munus noſtris non eſt commiſſum: ne fortè culpam hu-

D jus rei in Jeſuitas conferas. Et ut de noſtra Ingolſtadienſi Academia loquar, etiam expleto quadriennio, vix quisquam ſuprema in Theologia laurea ornatur, niſi priùs aliquot annis proximo & Eccleſiæ, in aliqua functione Eccleſiaſtica, fidelem operam navet: & quæ intra ſcholæ ambitum audiverat, eo tempore recolat & repetat. Certè tot annis, quibus in hac Ingolſtadienſi Academia vivo, non memini, me videre ullum creari Doctorem, qui non vel quinque integros annos in ſtudio Theologico

Quales Magiſtri & Doctores creentur in Academiis Catholicis.

conſumpſiſſet, vel poſt confecta Theologici ſtudii ſpatia, priùs aliquot annos, alibi, in ſacris concionibus, & id genus aliis miniſteriis non poſuiſſet: tantum abeſt, ut immaturi, prudentiáque & ætate juvenes, ad hanc tantam dignitatem evehantur: Cæterùm, niſi *ſcirem, ſtipulam in alieno oculo* Tertullian. *faciliùs perſpici, quàm in proprio trabem*, valdè mirarer, te tam curioſè in res Jeſuitarum inquirere, & tuorum adeò obliviſci, ut neque vel alterum oculum eò vertere poſſis. Quæſo enim te, qui & quales Do- F ctores & Magiſtri in Academiis Lutheranis & Calvinianis creantur? Qui, ubi compendium aliquod Logices aut Phyſices, pſittacorum inſtar, edidicerunt, & memoriter deblaterant, jam Magiſterio maturi habentur; ſi ulteriùs progrediantur, & aut examen Philippi, aut Corpus doctrinæ, aut Herbrandinum compendium teneant, & in Iſaia aliquot radices Hebraicas; aut in S. Paulo græcè ſcripto aliquot vocabulorum themata inveſtigare nôrint, jam Doctores ſalutari avent, imò tanquam Doctores Doctorum, mirifico, ne dicam Thraſonico, vultu ſeſe circumſpiciunt: Et illud Davidicum intonant: *Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?*

Quales Magiſtri & Doctores Hæretici.

CAPUT IV.

De rationibus Jeſuitarum agendi inter ſe.

G INitio hujus capitis exponit calumniator officia & ſtatus, ſeu gradus Societatis; at non ſine admixtis calumniis & mendaciis, quæ boni ominis cauſa præmittit, ut deinceps ori habenas ad conviciandum non laxet, ſed penitùs tollat, quò ſine fræno liberè feratur, quocunque rapit furoris impetus. Prætereo errores, quos committit, dum gradus Societatis diſtinguere & deſcribere conatur: Lector Ribadeneiram conſulat, qui hæc ac- Ribadeneira l. 3. c. 22. & 23. curatiùs perſpecta habuit, quàm iſte impoſtor, ac proinde fideliùs etiam literis mandare potuit: Quid autem criminis, ſi H in Ordine ſit ordo officiorum & diſtinctio, cùm, quod anima præſtat corpori, id ordo præſtet Religioni, nempe ornatum, pulchritudinem, aptámque ſingularum partium inter ſe cum diverſitate conſenſionem? *Ordo in Eccleſiis conſtituit, ut alii oves* Nazianzen. Orat. de Moder. in Diſput. habenda. *ſint*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *alii paſtores, alii præſint, alii ſubſint, atque imperia accipiant, alius caput ſit, alius pedes, alius manus; alius oculi; alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Eccleſiæ concinnitatem & ornatum, utilitatémque vel ſubditorum, vel Præfectorum. Et quemadmodum in corporibus, licèt membra inter ſe abrupta atque diſtracta non ſint, verùm tota illa congeries unum corpus ſit, ex diverſis membris conflatum: non tamen eſt eadem omnium vis & facul-*

A *facultas, tametsi alioqui ad benevolentiæ concordiæque necessitatem, honorisque parem in disparibus rationem, alia aliorum opera ex æquo indigeant. Neque enim oculus incedit, sed viam commonstrat, nec pes prospicit, sed ingreditur, ac loca permutat; nec lingua voces accipit; id enim auriun munus est, nec rursus auris loquitur, quod linguæ officium. Et naris quidem eorum, quæ olfactu sentiuntur, organum est; guttur autem, sicut Job ait, cibos degustat, manus porrò dandi & accipiendi instrumentum est: mens denique omnibus præest atque imperat, nimirum à qua vis sentiendi proficiscitur, & ad quam sensus omnes tendunt & referuntur. Ad hunt quoque modum apud nos, hoc est, in communi Christi corpore, res se habent; omnes enim corpus unum in Christo sumus, singuli autem Christi, atque alii aliorum membra. Alii enim dominantur & præsunt, alii parent at*

B *reguntur. Et quanquam non eadem sit utrorumque actio, nisi quis idem esse contendat præesse, quod parere, sunt tamen utrique in unum Christum ab eodem Spiritu constructi atque compacti. Ac rursus, quemadmodum inter eos, qui subsunt, permagnum discrimen reperitur, ut, qui & doctrina, & usu, atque exercitatione, & ætate inter se distent: Eodem modo inter Præfectos quoque non parva differentia est.* Hæc elegantissimè Nazianzenus.

C Nunc te audiamus. *Ad habitationem*, inquis, *dicuntur loca commodissima quærere: omnia volunt salubria, & quantùm fieri potest, non modò elegantia, sed & magnifica.* Commoditatem Collegiorum non tantùm nostra causa quærimus; sed & causa proximi, ut, qui Scholas nostras aut Ecclesias adire volunt, id cum suo commodo facere possint; quod non liceret, si locis incommodis Collegia nostra conderentur. Aristot. l. 7. Polit. c. 5. Quod Aristoteles spectandum docet, cùm civitas ædificatur, id in exstructione domiciliorum nostrorum non negligimus: *Posituram autem urbis*, inquit Aristoteles, *si oportet condere illam ex sententia, ad mare convenit sitam esse, rectè & ad agrum. Unus quidem finis est, qui dictus est; oportet enim ad auxilia mittenda communem esse omnibus locis, reliquus autem ad exportationes fructuum, qui ibi nascuntur. Adhuc autem materiæ lignorum, & si quam aliam rem, operâ hominum factam, regio possidet, ut sit facilis exporta-*

D *tu.* Hæc Aristoteles de urbe, in qua temporalia peraguntur. Eadem ad ædes illas accommodari possunt, quæ sunt vel literarum simul & pietatis quasi emporia, vel solius pietatis & virtutis; debent enim ita esse constitutæ, ut omnibus facilis sit ad eas accessus, facilisque commoratio & habitatio, & facilis aditus ad importandas & exportandas spirituales merces, quæ ad vitam benè beatéque instituendam & decorandam sunt necessariæ. Præterea Aristoteles docet, ædibus sacris locum aptum

E attribuendum esse: *Ea, quæ rebus divinis,* Aristot. l. 7. cap. 12. inquit, *attributa & consecrata sunt domicilia, convenit, locum idoneum habere.* Quid ergo à ratione alienum Jesuitæ faciunt, si & Collegiis & Templis non ineptos locos eligant? Nam de cura salubritatis, quod addis, mirum certè est, ni nos jubeas, cum antiquis quibusdam Philosophis, corporis magis affligendi & macerandi causa, habitare in locis insalubribus, & quæ brevem vitam citámque necem afferant & nobis, & iis, qui nobis dant operam, sive in Scholis, sive in Templis. Si Eremitæ & Anachoretæ essemus, fortè non gravatè consilio tuo obsequeremur: nunc quoniam vivimus inter homines, hominum causa, & homines inter nos; magis auscultamus Aristoteli, qui ex quatuor conditionibus, quas cùm urbs ædificatur, considerandas esse monet: primo loco ponit, *ut sit apta ad corporis sanitatem.* Hinc jubet, *ut sit*

F *ad Orientem, & ad Aquilonem; nam quæ ad* Aristot. 7. Polit. c. 11 *Orientem vergunt, & ad ventos, qui flant ab ortu, salubriores sunt,* inquit Aristoteles, *deinde ad Aquilonem, hæ namque hyeme commodiores sunt.* Quod Aristoteles universim tradit de civitatibus, id in Oeconomicis speciatim accommodat ad ædes privatas. *Ædes ita parandæ sunt,* inquit, *ut & rerum* Aristot. l. 1. Oecon. c. 6. *possessarum, & salubritatis, commoditatisque rationem habeamus, ut æstate quidem ventorum afflatum, hyeme verò solem recipiant.*

G Ad alia, quæ addis de elegantia, magnificentia & amplitudine Collegiorum nostrorum, respondebo tibi non meis, sed S. Bonaventuræ verbis; cùm enim calumniatores hanc quæstionem Ordini Minorum ponerent: *Cùm sancti Patres laudentur in casellis & vilibus habitaculis habitâsse, quid est, quòd vos altas & magnas domos erigitis, & Oratoria sumptuosa, & areas latas, magnò pretiò comparatis, cùm sitis pauperes & mendici; & contemptores mundanorum esse debeatis.* Respondit S. Bonaventura: *Cùm in-* S. Bonav. q. 6. Reg. S. Francisci. *ter homines nos manere oporteat, aut ergo extra muros civitatis, aut intra;* Et cùm fusè ostendisset, cur in solitudine extra hominum societatem non vivant Ordinis S. Francisci Patres; addit: *Quòd si intrà muros ha-* H *bitamus, ubi propter frequentiam populi areæ cariores sunt, oportet & nos areas cariùs emere, quantùm sufficiant pro claustro, Oratorio, & officinis congruis, pro Conventu, hospitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quàm pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, & sani conserventur, & lassi in spiritualibus recreentur. Sæculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris. Religiosi verò, qui in cellarum recluforiis religantur, nisi aliquam intùs habeant aëris recreationem, citò langueścentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur; ita quòd nec sibi, nec*

aliis

A *aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in ſapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina ſalutis. Et quamvis perfectis omnis locus aptus ſit pro diſciplinæ internæ exercitiis, imperfectis tamen, & adhuc egentibus eruditione virtutis, opus eſt etiam exteriori diſtinctione officinarum clauſtralium, ut ſciant, ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, ſcribere, vel comedere; ubi ſit requies infirmantium, ubi repauſatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in Collegiis ſunt neceſſaria, ne, ſi confusè indifferenter omnia fierent pro libitu, jam nec diſciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fratres, ſicut expedit, ſervaretur, quod eſſet in magnum detrimentum Religionis, & in ſcandalum alienis, & in deſtructionem ſalutis, quia nec minores diſcerent, à quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent.* Ita S. Bonaventura pro Ordi-

B ne ſuo & noſtro. Quod libro primo dicebam, id hîc itero, te, ſi Collegia noſtra obire velis, mente tamen non livida, ſed candida, longè plura reperturum, quæ ſint magalia, quàm quæ palatia. Sed de hac re pluribus contra Auctorem Hiſtoriæ

In Refutat. cap. 6. Jeſuiticæ, ùt & de querelis ob ædes multis locis emptas & dirutas: nam ſi emptæ ſunt, juſto igitur titulo acquiſitæ ſunt; nunquam enim emuntur, vel à nobis, vel à noſtris Patronis eo modo, quo Jezabel emit *vineam Naboth;* Et meritò etiam dirutæ ſunt, cùm Domino licitum ſit, ædes ſuas arbitratu ſuo vel demoliri, ut novas ſubſtituat; vel antiquas renovare & concinnare, ut functionibus publicis & privatis accommodet.

C Adjungis: *Quanquam Collegia & ædificia ſua in bona communia referri velint, cavent tamen diligenter, ne Respublica iisdem bonis communibus, imò ne & privatis ſubditorum bonis utatur.* Non ſcio, ubi unquam Jeſuitæ Collegia, Templa & Gymnaſia ſua inter bona communia retulerint, ea notione, qua bona, quæ ſunt totius Reipublicæ, vulgò communia bona appellamus. Etſi non negamus, Collegia, Scholas & Templa noſtra pertinere ad bona communia, quatenus ad commune bonum exſtruuntur: Scholæ præſertim, quibus utendi & fruendi omnes poteſtatem habent: ſunt enim *Univerſitatis* non minùs *ac theatra & ſtadia.* Et quamvis Jureconſulti di-

D Inſtit. de rerum divis. cant: *Res ſacras, & religioſas, & ſanctas nullius in bonis eſſe;* nos tamen Eccleſias noſtras in omnium bonis eſſe cupimus, ita, ut omnibus ſint bono & ſaluti. *Si de Principe,* inquis, *aut Legato, aliisque perſonis publicis in domos ſuas recipiendis agatur, manibus pedibúsque contendunt, ne id fiat, & Privilegia objiciunt.* Omnibus à natura ſua inſitum eſt, ut Privilegia ſua defendant: ſi ergo immunes ſumus ab hoc onere, & legitimè excepti, ùt certè ſumus, quia Pon-

De Legatis hoſpitio recipiendis. tificis benignitate excepti ſumus, mirandum non eſt, ſi jus noſtrum tueamur. Juſtè enim agit, qui à jure ſuo non diſcedit. Nec novum eſt hoc Privilegium. Idem jam olim Clericis conceſſerat Conſtantinus Magnus: *Juxta ſanctionem,* inquit, *quam dudum meruiſtis, & vos, & mancipia veſtra, nullus novis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis, præterea neque hoſpites ſuſcipietis.* Et ante Conſtantinum eadem immunitas Profeſſoribus literarum conceſſa eſt: *Magiſtris,* inquit Jureconſultus, *qui civilium munerum vacationem habent, item Grammaticis & Oratoribus, & Medicis, & Philoſophis, ne hoſpitem reciperent, à Principibus fuiſſe immunitatem indultam, & D. Veſpaſianus, & D. Hadrianus reſcripſerunt.* Et hanc immunitatem F Medicis primus conceſſit Auguſtus, liberatus gravi periculoſóque morbo, ùt ſcribit Dio. Eandem Medicis, & maximè Archiatris, Grammaticis, & aliis literarum Profeſſoribus, & Doctoribus legum contulit Conſtantinus Magnus: Confirmârunt eandem prædictis, & ad Oratores præterea, & Philoſophiæ Præceptores extenderunt Honorius & Theodoſius. Nihil ergo præter jus fecerunt illi, qui hoc Privilegio Jeſuitas quoque ornârunt, cùm & ipſi politioris literaturæ, Philoſophiæ & Theologiæ ſint Profeſſores.

L. Juxta, C. de Epiſcopo & Clericis. L. Munerum ff. de Muneribus. Dio, lib. 53. L. Medicos, C. de Profeſſoribus, L. Grammaticos, C. eod.

Addis: *Lucernæ in Helvetia noluerunt re-* G *cipere Reverendiſſimum Vercellenſem, Nuncium Apoſtolicum, qui proinde ad arma ſpiritualia confugere cogitabat.* Calumniatores illos, qui impulſu impiæ Jezabelis innocentem Naboth de crimine impietatis & læſæ majeſtatis poſtulârunt, vocat ſacra Scriptura *filios Belial, filios diaboli,* & *viros diabolicos,* eò quòd nihil propemodum magis ſit Diaboli proprium, quàm innocuos variis criminationibus & calumniis infamare, & in diſcrimen non modò exiſtimationis, verùm etiam capitis adducere. Hos tam egregios viros cùm toto tuo libro ſtrenuè & impigrè imitatus fueris; eos neque jam deferendos eſſe ducis; quia impigrè mentiris. Et quamvis pauculis illis Nehemiæ H verbis: *Non eſt factum ſecundùm verba hæc, de corde enim tuo componis hæc;* rem totam tranſigere liceret, alium tamen mendacio tuo expugnando arietem admovebo, aliísque ſpiculis te conficiam. Anno Domini 1579. menſe Junio, miſſus eſt Joannes Franciſcus Bonhomius, Epiſcopus Vercellenſis, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, Nuncii Apoſtolici titulo & nomine, ad Catholicos Helvetiæ Ordines, qui rectà Badam contendit, ubi tum Ordines convenerant; hinc Lucernam petiit: Quem cùm Lucernenſes, pro eximia ſua in Sedem Apoſtolicam reverentia & obſervantia, debito cum honore ſalutare & excipere ſtatuiſſent; jámque Clerus & pars Senatorum

De Joanne Bonhomio, Epiſcopo Vercellenſi 3. Reg. 21.

do-

A domi, quæ ad ingreſſum neceſſaria erant, præpararent; pars autem, ſub veſperum, ùt ferebatur, adventuro, obviam longiùs ab urbe proceſſiſſet, derepentè fama vulgatur, Reverendiſſimum in Monaſterio Murenſi, proximam noctem acturum, & poſtridie demùm Lucernam perventurum. Quo rumore, à non falſo, ùt videbatur, auctore accepto, ſinguli domum ſeſe receperunt, dilato ſalutationis officio in craſtinum, cúmque nihil minùs, quàm de adventu Nuncii Apoſtolici cogitaretur, ecce tibi ſub crepuſculum, tenebris ſe jam intendentibus, cùm quietis tempus adeſſet, advolavit Reverendiſſimus cum ſuo comitatu, rectáque ad Collegium Societatis Jeſu petrexit; cúmque noſtri precibus, ùt fit, priusquam cubitum itur, intenti, nihil penitus de hac re compertum haberent, & Janitor Rectori, pro more, claves collegii
B tradidiſſet: paulò diutiùs extra portam Nuncio expectandum fuit, ùt cuique contingit, quacunque ſit dignitate, ſi intromitti velit tunc, cùm is, qui foribus præeſt, clavibus caret. Quam moram ægrè ferens Reverendiſſimus Rectori excommunicationem minitari cœpit: qui cùm cauſas tarditatis attuliſſet, & humi itidem poſitis genibus veniam petiiſſet; nec tamen Reverendiſſimi animum inflectere poſſet, manavit res, ùt evenire ſolet, ad aures ci-
C vium & Senatorum; qui cùm poſtridie ad Collegium veniſſent, Nuncium ſalutaturi, adventúmque gratulaturi, ſimul etiam rogârunt, ut Rectori ignoſceret, eúmque ab excommunicationis timore liberaret; non enim contemptu factam illam moram, ſed caſu; nec tam culpam, ſi qua ſit, hærere in Rectore, quàm in tempore: vix enim aliter contingere, ſi quis aditum poſtulet, abſente Janitore & clavibus Rectori redditis: Nec hoc tantùm illi; ſed & adjecerunt, niſi à conſilio deſiſtat, ſe proprium tabellarium ad Pontificem miſſuros, qui Rectorem excuſet, abſolvátque ab excommunicatione, ſi eam, ùt minabatur, infligat. Motus Reverendiſſimus tantorum virorum interceſſione, ipſiúsque rei æquitate, ad lenitatem ſeſe dedit, & Re-
D ctorem in gratiam recepit. Ita res acta eſt, mi pſeudocatholice, & ita actam eſſe, teſtem do eum, qui interfuit, nobilem & eximium virum Dominum Renvvardum Cyſat, Equitem auratum & Comitem Palatinum; inclytæ Reipublicæ Lucernenſi à Cancellis, qui teſtimonium, manu ſua ſcriptum, & ſigillo ſuo ſubſignatum, hoc ipſo anno M. DC. de hac re, XIII. Februarii noſtris tradidit, quod ſervo, & cuique id inſpicere volenti, libens volénsque monſtrabo; cujus fides cuivis prudenti potior erit quàm tua futilis mendacitas, præſertim, cùm etiam ſine hoc teſtimonio narratio tua vanitatem oleat; quis enim credat, ullum Rectorem tam eſſe inhumanum, & erga Sedem Apoſtolicam tam parùm reverentem, qui Nuncium Apoſtolicum, ſub ipſam noctem, excludat; præcipuè talem, qualis erat Vercellenſis. Fuit enim cùm publicè de Eccleſia, tum privatim de Societate noſtra optimè meritus, non modò in Italia, ſed & in variis Germaniæ locis, & ejus ferè ſolius impulſu & hortatu Collegium Friburgenſe in Helvetia conditum eſt, & fundatum: qui & ex ſingulari amore, quo noſtros complectebatur, ad noſtros plerunque divertere ſolebat, miſſa famulorum turba ad hoſpitium, quem & ego, ſemel atque iterum, in hoc Ingolſtadienſi Collegio hoſpitem vidi. Hactenus de Vercellenſi. E

Jam tu perge. *Eccleſias habere procurant, quantum fieri poteſt, contra piæ antiquitatis morem, lucidiſſimas.* Reprehendis, ùt video, hunc morem, quia *piæ antiquitati* repugnat. Si ulla te piæ antiquitatis cura tangeret, Calvinianus aut Calvinopapiſta non eſſes. Adeóne depuduiſti, ut Jeſuitis, *piam antiquitatem* objicias, de qua tu ne micam quidem habes? Deinde ſi lucida templa piæ antiquitati repugnant, cur ergo Juſtinianus Imperator, Sanctis Coſmæ & Damiano templum valde lucidum condidit; *Veterem ſtructuram permutans*, ait Procopius, *impolitam planè & indignam tantis cælitibus, elegantia, magnitudine, & fulgore luminis templum illuſtravit.* Idem Imperator, auctore Procopio, *Michaëlis Archangeli* templum, parvum admodum & tenebricoſum, *in eam formam, qua nunc apparet*, hoc eſt, *in ſplendidam & lucidam tranſtulit.* Duo itidem templa, quorum alterum fuit Divis Petro & Paulo Apoſtolis; alterum Divis Sergio & Baccho Martyribus ſacrum, non obſcura eſſe oportuit, *quia utrumque*, ùt ait Procopius, *fulgore lapillorum ſolem vincit.* Et templum S. Acacii, *ejusmodi erat ſplendore, ut eam de ſe opinionem præberet, quaſi totum nivibus perflueret.* De principe templo Conſtantinopoli, quod Sophia appellatur, ita Procopius. *Lumine & ſplendoribus ſolis mirificè abundat. Diceres locum illum, non externo ſole illuminari, ſed fulgorem in ipſo templo enaſci, tanta copia luminis templo affunditur.* F

DeEcclefiis Societatis.

Procopius lib. 1. de ædif Juſtiniani.

G

Cæteris minus, inquis, *luce indigere videntur, cùm divina officia in illis Eccleſiis non celebrentur.* Quid? non celebrantur divina officia in noſtris Eccleſiis? Quid ergo eſt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, ſi non eſt divinum officium, quod in templis noſtris quotidie à non paucis ſacerdotibus immolatur, ùt ſuo loco dictum? Quaſi verò templa propter ſolos cantores oporteat eſſe lucida; *Multorum*, inquis, *peccatorum, ùt fama eſt, occaſionem præbent:* At tu paſſim multorum mendaciorum & conviciorum occaſionem, etſi non præ- H

A bitam, arripis. Secundò, quæ iſthæc tua eſt ratiocinatio; *templa Jeſuitica ſunt lucidiſſima, ergo Jeſuitæ multis flagitiis patrandis occaſionem ſubminiſtrant?* Dic mihi, quænam loca aptiora ſunt flagitiis, obſcura an lucida? Lucémne magis ſectantur, qui malè agunt, quàm tenebras? Vereor, ne ex Evangelio expungas illud pronunciatum:
Joan. 3. *Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Pulcherrimas quaſque fœminas*, inquis, *ad ſuas Eccleſias allicere dicuntur, illas una, in medio Eccleſiæ, parte omnino lucidiſſima, ſcamnis ad id diſpoſitis, includunt, ita quidem, ut puellarum formâ juvenum oculis depaſcendis, nullibi major quàm in Eccleſiis Jeſuitarum, præſtetur commoditas.* Nos ad templa noſtra neminem allicimus, patent omnibus, omnibus vel veniendi vel emanendi eſt æqua poteſtas; ſive ſint viri, ſive fœminæ, ſive ſenes, ſive juvenes, ſive opulenti, ſive
B egeni. Nec obſtare poſſumus, quò minùs tu aut tui ſimiles, laſcivum oculum alicui adjiciatis, quia oculi alieni non ſunt in noſtra poteſtate; Effode tibi, ſi placet, oculos, ut habeamus novum Democritum: fortè alii, quibus tam petulans viſus, exemplum tuum imitabuntur. Neque hæc eſt culpa lucidi templi, ſed impuri animi. Quid ſole lucidius, & aëre à ſole illuſtrato? num propter improbos, ſoli & cœlo tenebras inducemus, ne oculus impudicus peccet? Et dum oculis paucorum libidine æſtuantium, conſulimus auferendo lucem; majorem opportunitatem flagitia conſciſcendi, ſuppeditabimus indu-
C cendo caliginem. Præterea ſi, ùt fit in quibusdam Provinciis, locus proprius, & à virorum ſtatione, ſepto ſegregatus, fœminis deputatur; jam ergo, quantum licet, malo huic remedium adhibetur; cùm mutui conſpectus nulla ſit facultas; & qui hoc modo fœminas à viris ſejungunt, veteris Eccleſiæ ritum obſervant, cui in more poſitum, mares à fœminis muro ſeu tabulato intermedio diſtinguere, id quod ex hiſtoria Eccleſiaſtica liquet, & ex Philone de Jeſſæis, & ex Procopio de ædificiis Juſtiniani: quamquam hujus conſuetudinis nullus eſt in Germania, quod ſciam, uſus, nec apud Catholicos, nec apud Hæreticos, quia nationis genius tantam cautelam
D requirere non videtur. Nec templa ſcenæ ſunt, aut theatra, ut eò homines, turpitudinis cauſa, confluant, ſed ſunt orationis & divini cultus domicilia. Quocirca licèt Satan aliquis ſtet inter filios Dei, hoc eſt, nebulo impudicus, inter pios; qui, quæ ad ſalutem deſtinata ſunt, ſibi vertat ad exitium: is non magis eſt morandus, quàm Chriſtus morabatur illos, de quibus dicebat; *ſinite eos, cæci ſunt;* nam nemo propter iſtos templa occludet, ſicut etiam in Bethleem, ad præſepe Domini, non eſt intermiſſus cultus divinus, eò quòd in ſa- E
cratiſſimo illo loco, Diaconus quidam, ſanctimonialem nutibus & nictibus ad illicitum congreſſum incitâſſet, ùt ſuprà ex S. Hieronymo retulimus. Nullus locus tam ſanctus eſt, quem flagitioſi contaminare nequeant, & nulla perſona tam caſta, integra & innocens, quam Venereis oculis luxurioſus furcifer aſpicere non poſſit.

Viennæ, inquis, *res eò devenit, ut meretrices, quæ videri cupiunt, ad Eccleſias* F *Jeſuitarum libenter ſe conferant; abuſu verò deprehenſo, honeſtiores fœminæ vel ſponſæ, maritorum juſſu, abſtineant.* Libenter quærerem ex te, an noviſſes & numerâſſes illa ſcorta: nam ſi noviſti; unde tibi tanta meretricum notitia, niſi ex familiaritate? & unde familiaritas, niſi ex conſuetudine? At ſi tu non noviſti, ſed ex aliorum relatione cognoviſti, tum de illis itidem ſciſcitabor, unde tam accuratè, tanta in turba, meretrices noverint, niſi ex familiaritate; quæ familiaritas, unde, niſi ex conſuetudine? & jam vel hinc eluceſcit, quantæ fidei ſit tota illa narratio. Nam meretriciis Porciis tanti eſt mentiri, quanti tuſſire; tanti calumniari, quanti ſcreare; tanti puris & caſtis maledicere, quanti manum vertere: quod enim ipſi fieri, aut factum optant, id quaſi fieret, aut factum eſſet, commemorant. Scorta profectò, ut ſpectent & ſpectentur, tem-
pla non eligunt. Fornicem & popinas, & G
ſimilia tibi non ignota tecta, petunt, quaſi ad hoc propoſitum longè accommodatiora. Qui cum conſule Conſtantinopolitano quintum illum progreſſum ſeu proceſſum agunt: quem, ùt inquit Inſtinianus, *pornas* quaſi *Floralia* appellant, ii non Novell. 105
adeunt templum *Sophiæ*, aut *Irenes*, aut *Anaſtaſeos*, aut D. Virginis *Blachernium*, aut illud ad *Fontes;* ſed ad theatra properant, *ubi & his, qui in ſcena riſum concitant, locus eſt, & tragœdis pariter, & Thymelicis ſaltationibus, & id genus aliis*, quibus paſcuntur ſpectatores pulchrarum formarum. Præterea, licèt, quæ ſcribis, veritas tibi dictâſſet, quæ, obſecro, noſtrorum culpa eſt? Num ad fores publicæ Eccleſiæ adſtare, & ſingulos ingreſſuros & egreſſuros examinare licet, eo modo, quo olim Abſalon ſtabat ad portas Regiæ, & ex ſingulis, quid cuperent, percontabatur; ut intelligamus, qui genus, unde domo, qua mente in templum concedant; quibus moribus vitam
agant; Virginésne ſint, an matronæ, an H
adulteræ, an proſtibula? ut taceam, non rarò evenire, ut quæ in templum venerat peccatrix, abeat jam non Thais aut Lais, aut Phryne; ſed aut Magdalena, aut Maria Ægyptiaca; & (quod S. Auguſtinus ait de muliere illa, quæ erat in civitate peccatrix) *accedat ad templum immunda, ut redeat munda: accedat ægra, ut redeat ſana; accedat*
S. Aug. lib. 50. Homil. Homil. 23.

A *dat confessa, ut redeat professa.* Si quis in templo Hierosolymitano, ipso festo exaltatæ S. Crucis, Mariam Ægyptiacam, aut Mariam Magdalenam in domo Simonis, impuris oculis aspexisset, quonam jure culpam adscriberes iis, quorum in cura templum illud, aut domus erat? Nónne etiam ille ipse impurus, deceptus fuisset, aspiciendo, ut impuras illas, quæ jam per pœnitentiæ lavacrum contractas maculas eluerant, & ex servitute Diaboli ad jugum Christi transiêrant, sicut deceptus est ille Pharisæus, qui iniquis oculis publicanum intuens, eundem in prioris adhuc vitæ sordibus hærere existimabat? Nimis impotens & impudens sycophanta es, dum calumnias ex iis rebus texis, quæ num accidant, certò non scis; & si accidant, non tantùm nostris in templis accidere possunt, sed in omnibus, imò ubique locorum, & quidem longè faciliùs ac frequentiùs.

B De gradibus Societatis. At nunc propiùs ad singulos gradus nostri Ordinis exagitandos accedis. *Alumni*, inquis, *sive in Novitiatu, sive etiam illo exacto, majore sollicitudine cæteris instituuntur.* Nescio, unde tibi *alumni* nomen, quod nostræ Constitutiones nulli ex nostris, quod sciam, tribuunt. Nam qui in probatione versantur, ii tyrones aut Novitii audiunt: qui finito tyrocinio vota simplicia nuncupant; ii appellantur *scholares* aut *scholastici*, si aut jam docti sunt; aut literarum studiis addicuntur, ut docti fiant. At qui domesticis ministeriis destinantur, & Marthæ sortem sectantur; ii Coadjutores temporales non *Formati* nominantur. *Alumni* nomen tu tibi retine, quod cùm olim quidam non Professis, & nondum in Coadjutorum Formatorum catalogum adscriptis tribuerent, tolerandum erat; quia bona mente id faciebant. A te nomen hoc non accepto; quia mala mente id usurpas, nobisque attribuis, ut materiam calumniandi habeas. *Ex universa,* inquis, *juventute alliciunt ad se pulcherrimos, ditissimos, nobilissimos, præstantissimos, ac donis excellentissimos.* Non modò Calvinianus es, ùt video, sed & hyperbolicus Calvinianus, cui nihil nisi *superlativum* placet. Dixi jam suprà, quales conditiones exigamus ab iis, qui in Societatem alleguntur: nec mirum, cautionem adhiberi; quanta enim cura olim legebantur tyrones ad arma illa Martia; cur non & ad nostra spiritualia, ubi amissio victoriæ eò periculosior, quò major est salus animæ, quàm corporis? *Qui delectum acturus est*, inquit ille, *vehementer intendat, ut ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris* Et nos sine discrimine, *Tros Rutulúsve fuat*, quosvis in Societatem nostram adscisceмus? Vetuit olim Deus

C Quales in Societatem adscribantur.

D Veget. lib. 1. cap. 6.

Exod. 13. & 34.

sibi immolari *asinum*, ovem loco ejus postulavit. *Primogenitum*, inquit, *asini ove redimes*, nec ferre voluit hostiam, quæ haberet maculam, quæque clauda esset, vel cæca, aut aliqua parte deformis, aut debilis; *non immolabitur Domino Deo tuo*, inquit. Cur igitur quivis, Deo in religione dedicarentur & consecrarentur? Delectu itaque opus est, &, ùt rectè monet doctor ille militaris disciplinæ, *à magnis viris magna diligentia eligi idoneos convenit juniores.* Nec Christus quosvis suum in Collegium adscivit; nominatim excluſit quendam, quem à spiritu immundo liberârat; licèt magnis precibus flagitantem, ut reciperetur. *Cúmque adscenderet navim,* inquit S. Marcus, *cœpit illum deprecari, qui à Dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & non admisit eum; sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos. Pulcherrimi*, inquis, *alliciuntur.* Corporis dotes non negligimus, quia nec Deus in postremis eas habuit, cùm, quinam sacerdotio fungi deberent, præscripsit his verbis: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si vel grandi, vel parvo, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si hernioſus, omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Non quærimus tamen Aglaiæ filios, Parides, Narcissos, Adonides, aut Absalones, quia *vana est gratia, & fallax pulchritudo:* juvenis *timens Dominum*, ipse *laudabitur:* satis est corporis totius constitutio & conformatio talis, qualem olim Deus desiderabat in iis, qui templo & altari ministraturi erant. νῦν χρὴ θεάσασθαι, ait ille, ἐδέν τι τῆς ἐυμορφίας ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας ἔχῃ. *Animus spectandus est, nihil pulchritudo juvat, cùm quis mente caret. Longè arbitror pellendos à castris;* inquit Vegetius, *piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnésque, qui aliquid tractâsse videbuntur, ad gynæcea pertinens.* A nostris item castris, tui illi *pulcherrimi* meritò excluduntur, si pulchritudo ingenii externæ speciei non respondeat; quia imbelles sunt. Hinc & Homerus, cùm dixisset Nireum, post Achillem, fuisse omnium formosissimum eorum, qui ad Trojam venerant; mox addidit; ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἦεν, *sed erat imbellis*, & effæminatus ad prælia.

E

Veget. lib. 1. cap. 7.

Marc. 5.

F

Levit. 21.

G Eurip. Oedip.

Veget. lib. 1. cap. 7.

Iliad. 2.

H *Ditissimi*, inquis, *alliciuntur & nobilissimi.* Nec divitias, nec nobilitatem cupimus, aut captamus, satis nobis est, si candidatus sit cæteris animi & corporis ornamentis exornatus, dives & nobilis probitate & moribus. Nobis placet de nobili-

A tate ſententia S. Gregorii Nazianzeni, quam his verbis explicat. *Magnis omnibus & excelſis viris una patria eſt Hieruſalem, in quam municipatum noſtrum, vitæque funCtionem recondimus. Omnibus genus unum, ſi inferiora hæc ſpectare velis, pulvis & limus: ſi ſuperiora, ſpiraculum illud, cujus participes facti ſumus, quódque incorruptum ſervare jubemur, & cum quo inibi ad tribunal ſiſti neceſſe eſt, ut divinitùs inditæ nobilitatis imaginisque rationem reddamus. Quisquis igitur recta ratione vivendi, animique ad exemplar ſuum inclinatione ac defixione ſpiraculum illud conſervaverit: huic demum nobilitatis ratio conſtabit. Contrà, qui vitiis illud ſceleribúsque fædaverit, formámque alteram, hoc eſt, ſerpentis ſibi induxerit, ille verè ignobilis & obſcurus erit exiſtimandus. At terrenæ hæ patriæ, atque hæc generum diſcrimina, brevis hujus & caducæ vitæ noſtræ & ſcenæ ſunt ludibria. Quam enim quisque terram, ſive per tyrannidem, ſive per calamitatem antè occupaverit, ea patria dicitur, cujus omnes æquè hoſpites & advenæ ſumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus. Jam genus illud nobile cenſetur, quod vel olim opibus & copiis excelluit, vel quod nunc ſuperbè intumeſcit; ſordidum contrà & ignobile, quod à parentibus pauperibus ducitur, vel propter calamitatem, vel propter animi probitatem. Quid enim afferri queat, cur ſuperna hæc nobilitas eſſe poſſit, quæ partim nunc incipit, partim extinguitur, aliis quidem negatur, aliis autem reſcripto conceditur? Hæc mea de his rebus eſt ſententia: eámque ob cauſam tibi quidem per me licet, ut ſepulchris & fabulis inſoleſcas, magnificéque de te ſentias. Ipſe verò meipſum pro viribus ab errore & impoſtura repurgare nitor, ut vel incolumem nobilitatem tuear, vel amiſſam recuperem.* Hæc ſanctus Gregorius Nazianzenus.

S. Gregor. Nazian. orat. ad Arianos.

B C

D Jam perge. *Docentur ex inſtituto meditari & contemplari divina, & vitia odiſſe, virtutes amare.* Nihil dum video, quod reprehenſione dignum; pergamus ergo; *Capitibus illorum Magiſtri infarciunt captivationem, præcipuè intellectus, in obſequium ſuperiorum, tanquam Societatis propriam, & religionis fundamentum, quam & mortificationem excellentiſſimam, & voluntatis reſignationem Deo gratiſſimam vocant.* Loqueris de his rebus ſicut ſurdus de ſuavitate Muſices & harmoniæ. Religioſæ vitæ fundamenta, ſunt *abrenunciatio*, ſeu *renunciatio* ſeu *abnegatio*, ſeu *abdicatio*, ſeu *reſignatio*, & *abjectio* omnium, quæ quis poſſidet, ut ad propoſitum finem liber ab omni impedimento contendere queat. Et quia non modò externa bona poſſidemus, ſed & interna, in quibus principem locum tenent voluntas & intellectus, ideo & his itidem *renunciandum* ſive *abrenunciandum*

Quomodo inſtruantur tirones Societatis.

eſt, ut velimus id, quod vult Deus; & bonum eſſe judicemus, quod bonum eſſe judicat Deus, & is, qui Dei loco nobis præeſt; útque nolimus, quod Deus non vult, & expedire non judicat, & is, qui nobis Dei loco præeſt, tanquam divinæ voluntatis interpres, ita ut noſtrum *velle* & *nolle* & *judicium*, cum Dei & Antiſtitis *velle* & *nolle* & *judicio* concordet: Ut quivis veriſſimè dicere poſſit Deo: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac.* Nihil mihi reſervavi, omnia tibi tranſcripſi & reſignavi. Et hæc omnium rerum *abdicatio* & *abnegatio*, omnis Religioſæ vitæ & familiæ fundamentum eſt, non tantùm noſtræ, ùt tu nos docere fingis. Etſi B. P. N. Ignatius ſpeciatim nobis, tanquam obedientiæ filiis, præcepit, ut in abnegatione intellectus & proprii judicii excellere ſtudeamus. At nunquam dixit, hanc *abrenunciationem* non pertinere etiam ad alios Religioſos. Utinam omnes tam ſedulò eam ſequerentur & amplecterentur, quàm omnibus Religioſis, vel propter unicum obedientiæ votum, neceſſaria eſt. Chriſti monitum eſt; *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Inter hæc omnia etiam judicium proprium, & quidem præcipuè, numeratur, non enim fruſtra appellatur *proprium.* Nec requirunt ſuperiores hanc intellectus & voluntatis reſignationem ſuâ causâ, ùt tu hîc nugaris, ſed cauſa Dei, cujus vices gerunt; & cauſa ſubditi, cujus ſalutem, & ſpiritualem profectum procurant. Si ſubditus proprii judicii & voluntatis adhuc tenax aliquando calcitret & refragetur, in promptu eſt Antiſtitibus cum Moyſe & Aarone dicere: *Nos verò quid ſumus, quia muſſitâſtis contra nos? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.*

E F

Pſalm. 118.

Lucæ 14.

Exod. 16.

G

Ais: *Noſtros cum hac ſua intellectus captivatione, nihil aliud ſpectare, quàm quòd quantum reverentiæ erga ſuos ſuperiores habent, tantum contemptus erga alios omnes ordines præferant.* Benè vetus vates; ἀπ' ἔς ἀναιδὲς ζῶον ἐυθαρσέσερον. *Nulla beſtia eſt homine impudente audacior.* Quæ enim audacia, tam falſa chartis illinere, & mundo obtrudere? *O hominem*, ait S. Auguſtinus ad Fauſtum, & ego ad te, *ſe cogitantem dictorem, & alium non cogitantem contradictorem. Ubi eſt acumen tuum? An in mala cauſa non poſſes aliter? Sed mala cauſa, te vana loqui coëgit, malam verò te habere cauſam nemo coëgit.* Quid enim à Religioſa modeſtia, & ſubmiſſione alienius, quàm ſe vel uni anteferre; nedum verbo, vel facto alios in eandem militiam, etſi non ſub iisdem ſignis, adſcriptos, arroganter aſpernari; quaſi tu doctior aut melior, Deóque ſis acceptior? Profectò, qui ita comparatus eſſet, is ne fundamentum

H

S. Auguſt. lib. 16. contra Fauſtum, cap. 26.

A tum quidem religiosæ vitæ jeciſſet: tantum abeſt, ut omnibus renunciâſſe ex Chriſti præſcripto cenſeri poſſet. Sed tu & tui ſimiles impoſtores id unum ſtudetis, ut apud alios Ordines in odium nos adducatis, atque adeò efficiatis, ut non ſolùm à vobis injuria nobis inferatur, ſed & ab aliis. Nam ùt Herodotus ait: *In calumnia, quæ res eſt graviſſima, duo ſemper ſunt, qui injuriam faciunt, is nimirum, qui calumniatur, & qui calumnianti fidem habet, antequam verè rem cognoſcat. Alter autem injuriam patitur tum à calumniatore, tum ab illo, quì ipſum, aures calumnianti præbens, pro malo reputat.* Sed tam craſſo filo contexis mendacia, ut ſperandum ſit, paucos fore, præſertim ex Religioſis familiis, quibus oculos perſtringere & fucum facere queant.

Herodot. lib. 7. Refert Stobaus ſerm. 40.

B Nunc convicia ex lupanaribus haurire incipis: *Fama eſt*, inquis, *per aliorum pulchritudinem, aliorum verò juventutem, otium, & rerum abundantiam, obſcæna frequenter omnium Ordinum inter ipſos intervenire.* Etſi de hoc argumento ſatis fuſè ſuprà ſcripſi, hîc tamen neceſſariò addenda ſunt nonnulla, ut lector honeſtatis amans clarè perſpiciat, quàm intolerandi ſint iſti calumniatores, quibus nulla religio, tam in-

De Caſtitate.

C fanda flagitia Religioſis affingere. Ac primùm nec privatim nec publicè profitemur, ùt iſte mentitur, nullum ex noſtris, peccato, quod caſtimoniæ adverſetur, inquinari poſſe; ſcimus enim, quos inter hoſtes degamus; ſcimus, quàm cautè agendum & ambulandum ſit, ut, qui ſtat, ne cadat: ſed hoc profitemur publicè & privatim, & quidem veriſſimè, nos non modò in Societate nullam impuritatem, ſed nec ullum impuritatis indicium ferre: ac proinde, ſi quis quid in hoc genere committeret, etiam Profeſſus, etiam doctiſſimus, nobiliſſimus, multísque præclarè geſtis celeberrimus, non toleraretur, ſed eis, quas tam turpe Religioſo nomini flagitium meretur, pœnis ſubjiceretur, tandémque penitùs ex Ordine exturbaretur. Nec mirum, exiſtere poſſe, qui, vocationis ſuæ immemores, retrò reſpiciant, & ad ollas

D Ægyptiacas ſuſpirent. Nullus cætus tam ſanctus eſt, in quem ſe non inſinuare queat aut Judas, aut Nicolaus Antiochenus, aut, ſi talis non veniat, in quo talis effici nequeat. Hæc enim mortalis hujus vitæ ſors eſt & ratio. Hæc cujuscunque ſtatus conditio. *Etiam de olivæ nucleo*, inquit Tertullianus, *mitis & opimæ, & neceſſariæ, aſper oleaſter exoritur. Etiam de papavere ſici gratiſſimæ & ſuaviſſimæ, ventoſa & vana caprificus exſurgit. Luſtravi Monaſteria Nitriæ*, inquit S. Hieronymus, *& inter Sanctorum Choros aſpides latere perſpexi. Neque in bona ſegete nullum eſt ſpicum nequam*, ait Varro,

Tertullian. lib. de Præſcript.

S. Hieron. lib. 3. contra Ruffin.

neque in mala, non aliquod bonum. Cujus dicti partem priorem probo, poſteriorem non item, propter Hæreticos, quia, ùt Propheta canit: *Qui optimus in eis eſt, quaſi Paliurus; & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.* E

Mich. 7.

Sed iſti, quod rariſſimè contingit, id frequenter contingere clamant; & quod unus aut alter admiſit, id ab omnibus aut admitti, aut admiſſum eſſe vociferantur, fraude calumniatoribus Religioſorum jam dudum uſitata, & à S. Thoma itidem notata: *Extendunt*, inquit, *crimina Religioſorum quoad perſonas, ut ſcilicet, quod ab uno vel duobus geritur, toti Religioni imponere præſumant, quæ etiamſi ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus ſunt totali Collegio imponenda; Non ergo propter hoc infamandum eſt Religioſorum Collegium, ſi aliquì ex eorum numero gravia etiam peccata committunt, aliàs ſimili modo & Apoſtolorum Collegium vituperabile fuit, propter hoc, quod dicitur Joannis 6. Nónne duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? Unde etiam Canticorum 2. dicitur: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Hæc S. Thomas. F

S. Thomas opuſc. 19. cap. 20.

Cæterùm, ſi quis accuratiùs inveſtigare velit cauſas, quibus Hæretici calumniatores adducti, nobis & aliis Religioſis flagitia Venerea tam libenter & cupidè objectant, is neque paucas, neque improbabiles reperiet. Primùm namque, cùm ipſi ſibi perſuadeant, caſtitatem *obſervatu eſſe impoſſibilem;* facilè fit, ut alios ſuo pede metientes, *alienósque animos ex propriis æſtimantes,* Religioſos caſtè vivere negent, déque iis ea ſuſpicentur, imò & evulgent crimina, quæ ipſi conſciſcunt; & ſi quos videant, quibus melior ætas dat meliores vires & ſanguinem; à ſe impetrare nequeunt, ut tales vitam publicam agere credant; probè enim ſciunt, quàm ipſimet impudicam vitam vivant. Qua in re impuriſſimum illud humani generis monſtrum imitantur, *Neronem*, inquam, qui putabat, neminem poſſe eſſe pudicum, neminem caſtum, quia ipſe flagitioſiſſimus & impuriſſimus erat. Idem de Magis & Philoſophis Ethnicis ſcribit S. Athanaſius. Idem S. Hieronymus de Epiſcopis quibusdam Vigilantianis, qui non ordinabant Diaconos, niſi priùs uxores duxiſſent: *Nulli cælibum credentes pudicitiam*, inquit, *imò oſtendentes, quàm ſanctè vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur, & niſi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantésque de ulnis matrum vagientes, Chriſti Sacramenta non tribuunt.* G

Sueton. in Nerone.

S. Athanaſ. Orat. de Paſſione Domini.

S. Hieron. contra Vigilant.

Secundò, quia natura ita comparatum eſt, ut vitium oderit & accuſet virtutem; libido, caſtitatem; impuritas, puritatem; impurus, purum; & libidinoſus, caſtum. Quocirca nil inſuetum, ſi illud, quod ſolent, con- H

A consilium capiant: *Circumveniamus ergo juſtum*, (& caſtum,) *quoniam inutilis eſt nobis,* Sapient. 2. *& contrarius eſt operibus noſtris, factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum: gravis eſt etiam nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis.* Sit ergo *fortitudo noſtra adversùs illum lex injuſtitiæ*, & calum-
B niæ, & mendacii. Senſit hoc olim, & claro experimento didicit S. Gregorius, qui ob magnitudinem miraculorum, quæ patrabat, *Thaumaturgi* cognomentum tulit; de quo iſta ſanctus Gregorius Nyſſenus: Nyſſenus in vita S. Gregorii. *Cùm degeret in Ægypto, in magna Alexandri urbe, in quam ex omnibus partibus Philoſophiæ & Medicinæ ſtudioſa juventus confluebat: moleſtum ſpectaculum æqualibus erat adoleſcens, ſuper ætatem ſobrietate temperantiáque ornatus. Ejus enim vitæ puritatis & integritatis laus, impurorum probrum ac dedecus erat. Ut igitur aliquam excuſationem intemperantes ac libidinoſi haberent, ſi ipſi non ſoli tales eſſe viderentur; inſidias comminiſcuntur, & vafrum quoddam conſilium excogitant, ut aliquam notam & maculam magni illius viri*
C *vitæ inurerent. Ac producitur ab eis, quæ illum calumniaretur muliercula meretrix, quæ corpore quæſtum faceret, infamia irrogata, ex carcere dimiſſa. Cúmque ille pro conſuetudine cum viris doctis atque delectis, in habitu gravi & honeſto, de quadam quæſtione Philoſophica diſpiceret, unáque ſe cum illis exerceret, muliercula accedit, ineptis geſtibus formam oſtentans, & mollitiem luxúmque præ ſe ferens, & per omnia, quæ & dicebat & faciebat, ſeſe conſueſcere cum eo ſimulans: tandem dicebat, ſe mercedibus fraudatam eſſe, adjiciens etiam cauſas, præ impudentia, pro quibus querebatur, ſe mercedibus eſſe fraudatam.*
D *At cùm illi, qui ejus vitæ puritatem & continentiam non ignorabant, indignarentur, & irâ adversùs mulierculam commoverentur: neque unà perturbatus eſt cum iis, qui ipſius nomine ſtomachabantur: neque quidquam ejusmodi dixit, cùm calumniis premeretur, quale pronunciare par eſſet eum, qui graviter moleſtéque rem ferret; non teſtes vitæ advocavit, non jurejurando probrum à ſe rejecit; non malitiam eorum, qui hæc adversùs eum machinati erant, convicit; ſed ſubmiſſa atque ſedata voce, converſus ad quendam familiarem; Heus tu,* inquit, *numera ei pecuniam, ne diutiùs importunitate ſua propoſitæ quæſtionis tractatum perturbet. Cùm autem is, cui hoc injungebatur, à meretricula ſciſcitatus, quantam pecuniam ab illo poſceret, ſine mora omnem adnumerâſſet: atque ab laſcivis & protervis adversùs ſobrium & continentem inſidiæ peractæ eſſent: & jam in manibus illius infamis lucrum eſſet, tunc divinitùs & continentia adoleſcentis probatur, & calumnia æqualium patefit. Simul enim atque manu pecuniam accepit, ſpiritu infelici atque maligno correE pta, fremitúque immani atque ferali, diverſo à voce humana ſono, ingemiſcens, collabitur prona, in medio cœtu congregatorum, ſpectaculum horrendum atque terribile præſentibus repentè facta, cùm & capillus, quem ſuis manibus vellebat, dilaceratus atque disjectus, & oculi inverſi eſſent, & os ſpumam emitteret. Ac non priùs à dæmonio ſuffocari deſiit, quàm magnus ille Deum pro ea invocâſſet atque placâſſet.*

Tertiò, non latet Hæreticos, nullum F propemodum vitium excogitari poſſe, quod Religioſis majorem notam inurat, inſignioremque apud plerosque contemptum pariat, quàm ſit libido. Quocirca, cùm Religioſorum exiſtimationem, quibuscunque modis poſſunt, labefactare conentur, hanc potiſſimùm machinam adhibent, fandáque & infanda comminiſcuntur ſeu verè, ſeu falſò, parùm morantur: *Dolus an virtus, quis in hoſte*, & in calumniatore, *requirat? Non ſunt contenti*, inquit ſanctus S. Thomas opuſc. 19. cap. 22. Thomas, *quælibet mala confingere, ſed graviſſima, quibus eos ſuſpectos reddant & hominum ſocietate indignos, & omnibus odioſos, &, ut eos ſua detractione pleniùs opprimant, eis imponunt mala illa, quæ in Eccleſia peſſima inveniri poſſunt.*

Quartò, cùm, ùt in aliis, ita & in ca- G lumniis hodierni Hæretici & calumniatores ſequantur veſtigia veterum Ethnicorum, hæreticorum, & calumniatorum, nihil ab ingenio ſuo alienum faciunt, ſi eosdem etiam impigrè imitandos ſibi proponant, Venerea probra, & dedecora Orthodoxis, Religiosísque objectando: quæ enim flagitia Ethnici olim Chriſtianis objecerint, teſtes locupletes habemus, Juſtinum Martyrem, Athenagoram, Origenem, Minutium Felicem, Tertullianum & alios: *Dicimur*, inquit Tertullianus, *ſceleratiſſimi, de ſacramento infanticidii, & pabulo inde: & poſt convivium inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum & libidinum impiarum, inverecundia procurent;* Orig. lib. 6. contra Celſum. Tertullian. Apolog. cap. 7. & 8.
Quos refutans, præter cætera, ita ſcribit: H *Dicimur tamen ſemper; nec vos, quod tam diu dicimur, eruere curatis: aut ergo eruite, ſi creditis, aut nolite credere, qui non eruiſtis: de veſtra vobis diſſimulatione præſcribitur, non eſſe, quod nec ipſi audetis eruere.* Paulò poſt: *Diſcumbens dinumera loca, ubi mater, ubi ſoror, nota diligenter, ut cùm tenebræ ceciderint caninæ, non erres; piaculum enim admiſeris, niſi inceſtum feceris. Talia initiatus & conſignatus vives in ævum. Cupio reſpondeas, ſit tanti æternitas, aut ſi non, ideóne credenda? etiamſi credideris, nego te velle; etiamſi volueris, nego te poſſe: Cur ergo alii poſſunt, ſi vos non poteſtis? Cur non poſſitis, ſi alii poſſunt? Alia nos, opinor, natu-*

A *natura Cynophanes aut Sciapodes, alii ordines dentium, alii ad inceſtam libidinem nervi. Qui iſta credis de homine, potes & facere, cùm homo es & ipſe, quod & Chriſtianus: qui non potes facere, non debes credere; homo eſt enim & Chriſtianus, & quod & tu.* Hæc Tertullianus pro defenſione Chriſtianæ innocentiæ. Quantùm autem hic de Chriſtianorum impudicitia ſparſus rumor, & ex eo in mentibus multorum progenerata ſiniſtra exiſtimatio, rei Chriſtianæ obfuerit, his verbis docet Origenes: *Hæc falſa & iniqua opinio dudum valdè multos à religione noſtra alienos tenuit, perſuaſos, quòd tales ſint Chriſtiani: nec deſunt hodiéque impoſtores, qui hoc pacto deceptos à ſe non ſinant vel ſimplex colloquium habere cum Chriſtiano*
B *homine.* Quid alius Ethnicus, & quidem dux exercitus, ſub Maximino Tyranno, contra Chriſtianos commentus ſit, in hunc modum refert Euſebius: *Alius dux exercitum apud Damaſcum Phœniciæ, mulierculas*
Euſebius lib. 6. cap. 7. *quasdam infames, impurásque, è medio foro arripit, illisque adeò gravia ſe tormenta inflicturum interminatur, ut eas aſſeveranter dicere cogat, cùm quòd olim fuiſſent Chriſtianæ, tum quòd nefandi ſceleris cum Chriſtianis conſciæ exſtitiſſent, tum quòd in ſuis ipſorum templis, quæ Græci κυριακὰ vocant: res obſcœnas & libidinoſas geſſiſſent: & alia etiam, quæ eas in noſtræ Religionis reprehenſionem & ignominiam falsò effutire voluit. Quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam oſtendendas curavit.*

C Sed veniamus ad Hæreticos: *Quid Ariani* contra divum Athanaſium hoc in genere finxerint; quid contra Euſtathium, Epiſcopum Antiochenum; quid contra Euphraten & Vincentium, Orthodoxos Epiſcopos, dixi alibi. Lector Theodoretum conſulat, & S. Hieronymum. Quantas Gregorius Patriarcha Antiochenus, vir ſanctus, perpeſſus eſt ab Hæreticis criminationes? & inter cæteras etiam hanc, quòd *cum propria ſorore alteri viro in matrimonium data*, rem habuerit: quæ calumnia, ne evaneſceret, libello conſignata eſt, & oblata ab argentario quodam, ipſi Orientis
D Præfecto. Stephani, quem Græci Junio-
In vita ſancti Stephani inter opera Damaſceni. rem vocant, exiſtimationem & famam ſanctitate celebrem, Iconomachi calumniatores, eadem arte everſum iêrunt; namque libello, quem peſſimi impoſtores contra ſanctiſſimum virum ſcripſerant, hoc itidem flagitium inſeruerunt, *quòd mulierem quandam nobili loco natam* (Annam nomine) *fraude circumventam, monaſticis inſtitutis initiâſſet, atque in inferiore monaſterio teneret, cúmque ea noctu ad ipſum aſcendente conſuetudinem haberet. Adhæc, ipſius ancillam pecuniâ corrumpunt*, inquit Auctor, *eique tum libertatem, tum aulici cujusdam connubium pollicentes, perſuadent, ut adver-*
In Refutat. Hiſt. Ordinis Jeſuitici Theod. l. 2. hiſt. cap. 9. S. Hieron. lib. 3. contra Ruffin. Evagr. l. 6. cap. 7.

sùs eam, ſimul ad ſanctum virum, conſentanea iis diceret, quæ illi in illo calumniis pleno libello contexuerant. Similibus calumniis exercuerunt iidem impuri Hæretici Methodium, Patriarcham Conſtantinopolitanum, morum integritate & animi conſtantiâ præcellentem: *Nam mulierculam quandam*, ùt ait Zonaras, *multô auro corruptam ſubornârunt, quæ ſe corruptam eſſe ab inclyto illo viro quereretur.* Hæc de Hæreticis è plurimis pauca.

E

Zonaras in Michaele & Theodora.

F Nonnulla promamus de Catholicis ſeu potiùs Pſeudocatholicis ad calumniandum nimio plus propenſis, qui invidiæ flammis ſuccenſi ipſum S. Hieronymum infamare ceperunt, quaſi nobiles & divites matronas, Paulam & Melaniam, lucri & amoris inhoneſti cauſa, ſanctioris vitæ prætextu, decepiſſet, & Hieroſolymam, explendæ libidinis gratia, duxiſſet. Subornatus eſt, quò facilius res crederetur, nugigerulus, qui ſe neſcio quid inhoneſti de Hieronymo cum Paula vel vidiſſe, vel audiviſſe aſſereret, eóque factum proceſſit, ut calumniator ille captus quæſtionibus ſubjiceretur. Negavit ille, quod priùs affirmârat, & inſontem clamavit in tormentis, quem antea tanquam ſceleſtum infamaverat. Inter Epiſcopos Galliæ ſanctitate admodum claruit Arnulphus, Epiſcopus Metenſis, quem tanti faciebat Rex Clotharius & Regina, ut eo inconſulto nihil agerent: hinc calumniatores viri ſancti traducendi occaſionem arripuerunt: Nam quidam *ſceleſtus homo, nomine Notto*, inquit Jonas Abbas, *auſus eſt irrogare cum complicibus ſuis viro ſancto injuriam, aſſerens ſcilicet, eum non eſſe cultorem Dei, ſed potiùs hominem deditum voluptati, ad cujus lectum nocturnis horis non ſolùm Rex, verùm etiam Regina, tanquam conſilium flagitantes, interdum properarent.* Qualis autem iſte calumniator vita & moribus fuerit, declarat paulò pòſt ille idem Jonas: *Nec multò pòſt auctor hujus detractionis, præfatus videlicet Notto, in hujusmodi criminibus diffamatur apud Regem, ut ſcelera ejus unà cum vita regalis gladius amputaret, nec non & filius ejus eidem ſententiæ ſubjaceret.* Hæc Jonas.

In vita ſancti Hieron. ex Epiſt. 99. Ejusdem.

G

Jonas Abb. in Actis Arnulphi Epiſcopi Metenſis.

H Cùm igitur & Ethnici, & Hæretici, invidíque & æmuli, ſpecioſo Religionis nomine tecti, ſemper conſueverint viros Religioſos libidinis macula adſpergere, inſolens videri non debet, ſi idem ſcelus noſtri Hæretici & ſycophantæ audeant. Cùm de S. Cornelio, Pontifice & Martyre, fidei deſertores ſiniſtra quædam diſſeminâſſent; his verbis eum S. Cyprianus defendit: *Quòd quædam de illo inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris; cùm ſcias, hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut ſervos Dei mendaciô laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen in-*

S. Cyprian. Epiſt. 52.

A *infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* Qualia non finxerunt de Jesuitis in hoc genere? Qualia non fingit iste impurissimus calumniator? quæ, si tormentis subjiceretur, ùt ille S. Hieronymi impostor, falsa esse tam asseveranter pronunciaret, quàm impudenter nunc eadem vera esse asseverat.

B *Artificiosè,* inquit, *tegere & occultare satagunt, si quid existat.* Primùm, non opus magna occultatione, quia vos talia, multò sæpiùs, quàm contingant, mentimini contingere, idque non sine gaudio, quo ipso satis ostenditis, cujus spiritus sitis: Verè enim S. Augustinus: *Qui de talibus gaudent, abundat in eis iniquitas diaboli.* Secundò, occultantur, ne si vos posteà resciscatis aliquem Religiosum in libidinem lapsum, vobis ruinæ exaggerandæ & amplificandæ occasio detur, quódque unus fecit, id solito multiplicandi studio, aut omnes, aut plerosque facere aut feciisse clamitetis. Procul dubio propter unum Judam omnes itidem Apostolos proditionis accusaturi fuissetis, si eo tempore

S. Augustin. Epist. 137.

C vita vobis obtigisset. Ad extremum, quando Religiosi hæc & similia celant, non faciunt deteriùs, quàm S. Augustinus, qui, cùm quidam ex sua familia turpitudinis admissæ insimularetur, tegere illud studuit, ne in vulgus manaret: *Nam hoc est,* inquit, *quod præcavere conatus sum, ut, si fieri posset, hoc malum nec vitandum negligeretur, nec in vestram notitiam proferretur, ubi infructuosè cruciarentur firmi, & periculosè turbarentur infirmi:* atque adeò *ædificarentur in ruinam,* ùt Tertullianus loquitur. Sed satis de hoc argumento, præsertim, si adjungantur ea, quæ libro primo copiosè adversùs tuas calumnias disserui.

S. Augustinus loc. cit.

D *Alumni,* inquis, *diu à Professione retardantur:* Tamdiu videlicet, quoad Societati se, suámque virtutem & eruditionem satis probent. Calumniare hanc moram, quantum voles, propter te nihil innovabitur, sed Societas potestate sibi à Pontificibus & Concilio Tridentino concessa uti perget, licèt tu ad ravim usque reclames. *Abhorrent,* inquis, *alumni à statu Coadjutorum spiritualium.* *Alumni* fortassis non benè aliti, non Societatis culpa, sed sua. Nam verus Societatis alumnus totum hujus rei arbitrium Superioribus committit, nec Professionem, nec ullum alium statum ambit, sed indifferens est; quocunque vocatur, eò se alacriter confert, ut proinde Antistites usurpare queant illud Centurionis: *Habeo sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit.* Si refractarius sit, aut ambitiosus, idque temerè appetat, quod patienter exspectandum, non procurandum aut extorquendum est, audeo dicere, talem, eo, quem petit, gradu indignum esse. Usurpabo hîc verba S. Bonaventuræ, quibus ille insigniter depingit Religiosos, qui sua sorte non contenti, altiora quæritant: *Qui se ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes, si ad ea tardiùs promoventur; quàm sint imprudentes, perpendere nolunt aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt & reddunt indignos. Nam si digni fuerint & idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modestè expectare, quò usque per inspirationem Dei à Prælatis suis & fratribus ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni vel nondum idonei, tum si se ingerunt, primò quidem temerarii sunt, quòd, antequam vocentur, ad tantum officium currere præsumunt. Unde Hieremias: Ipsi currebant, cùm ego non mitterem eos,* scilicet prædicare. *Et Paulus: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Idem alibi: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron &c. Et Christus dicit in Joanne: Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit,* scilicet *Pater. Secundò, superbi, qui seipsos reputant dignos & idoneos, ad quod fortè nec Deus, nec fratres, vel Prælati sui judicant eos idoneos, sicut Chore, qui voluit sibi Sacerdotium vendicare. Tertiò, Stulti, quia cùm talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, & internæ devotionis exstinctionem, & alia plura pericula, quòd ipsimet se talibus incautè ingerunt, nimis stultè se tantis periculis sine necessitate exponunt, cùm fugere magis deberent à periculo, quàm illud appetere, nescientes, quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quartò, non carent rancore invidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promovere possunt, & non faciunt; vel qui fortè impediverunt, imputantes illorum malevolentiæ magis, quàm suæ insufficientiæ, quòd non promoventur, cùm ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quàm illi, quos vident, jam promotos esse, quibus in scientia, & aliis se reputant aptiores.* Hæc præclarè sanctus Bonaventura.

De Professione Societatis.

Matth. 8.

E

F

G

H *At Professio,* inquis, *est status perfectionis, licet ergo illam appetere.* Non nego, sed ita appetenda est, ut acceptetur, si ab iis, qui potestatem habent, offeratur: non autem ita, ut quis eam sive per fas, sive per nefas, sibi procuret, contra Ordinis, in quo vivit, ordinem & consuetudinem, & contra sua ipsius promissa; nam cùm quis in Societate vovet Deo paupertatem, castitatem & obedientiam, simul etiam addit: *Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones,* quorum sensus iste est: ut quis respectu celsiorum graduum non suo, sed Superiorum ducatur & regatur judicio, útque eam stationem accipiat & tue-

A tueatur, non quam ſibi elegerit, ſed quam Antiſtes aſſignârit, nec quando ſibi videbitur, ſed quando Superiori. Hæc ſunt promiſſa & pacta, contra quæ qui agit, is initum cum Deo & Societate pactum violat. Deinde, ſi, quia ſtatus Profeſſi perfectior eſt, quàm ſit ſtatus ejus, qui ſimplicibus duntaxat votis Deo eſt obſtrictus, licet eum ſtatum procurare *importunè* & *opportunè* (ita enim tu intelligis) tum poſſet Profeſſus etiam appetere *Epiſcopatum*,
B aut, *ſummum Pontificatum*, quia eſt perfectior ſtatus. Illi, qui erant ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, potuiſſent ambire Apoſtolatum, tanquam ſtatum perfectiorem, & ipſi undecim Apoſtoli potuiſſent appetere ſimilitudinem cum Petro, ut ſcilicet eſſent Paſtores univerſales à Petri Jurisdictione excepti, cum Privilegio transmittendi hanc ſuam poteſtatem ad ſucceſſores: quia hoc eſt quiddam longè perfectius. Si iſtæ tuæ appetitiones licitæ ſunt & honeſtæ, appetat miles gregarius eſſe Centurio: Centurio, Chiliarcha: hic, tribunus; tribunus, ſummus Imperator; civis petat eſſe conſul; conſul, dictator; pes, oculus: manus, caput: ſenſus, intellectus: appetitus ſenſitivus, voluntas: Quod chaos; quæ confuſio ex his perfectionis majoris cupiditatibus exiſtet? Ordo Religioſus nihil minùs, quàm Ordo erit; præſertim ſi talis ſit Ordo, qui pluribus, iisque diſtinctis gradibus conſtet. Ubi cæteri erunt gradus, ſi omnes velint eſſe vel ſummus, vel in ſummo?

C *Agitur*, inquis, *favore & gratia in his gradibus conferendis.* At cujus judicio? tuo videlicet & tui ſimilium, qui favore & gratia agi credunt, quidquid in favorem & gratiam ſuam non cernunt agi, qui ſemper credunt ſe negligi, & infimo loco reponi; quæ eſt natura ambitioſorum, ſibíque quidvis deberi exiſtimantium. Verus Religioſus, etiam infima, ſumma putat. Hoc animo qui non eſt, neſcio qua ratione Religioſi nomen & exiſtimationem tueri queat. *Profeſſi*, inquis, *opprimunt alumnos, & varia à Pontifice impe-*
D *trant, quæ alumnis ſunt fraudi.* At te mentiri fatebuntur omnes alumni, (vocemus enim hoc nomine, quandoquidem ita vocas) qui verè ſunt alumni, hoc eſt, qui nec turbati, nec turbatores. Quàm parùm enim membra ſuperiora opprimunt ſubdita, tam parùm opprimunt Profeſſi alumnos, nec ulla Privilegia adverſus illos impetrant, quia quidnam Profeſſis debeatur, & quid ſcholaſticis, jam definitum eſt, à P. N. Ignatio: ut proinde Pontificiis diplomatibus nihil ſit opus. Imò multis in locis Profeſſi ſubſunt iis, quos tu *alumnos* vocas, hoc eſt, non Pro- E
feſſis, & libentiſſimè ſubſunt, Chriſtúmque in ipſis præcipientem & prohibentem agnoſcunt. Ais: *Quosdam fuiſſe, qui conqueſti ſint apud Pontificem libello eidem oblato de Profeſſionis dilatione, & quòd viderent ſe ita eſſe circumventos, ut nullam ſibi rem ſuam benè agendi viam permitti animadverterent;* addis tamen, *imprudenter* id eos aggreſſos: in quo pleno tibi aſſenſu aſſentior. Talia enim non niſi *imprudentiſſimè* tentantur, præſertim cùm tentantur contra Ordinem à Sede Apoſtolica, & univerſa Eccleſia approbatum. At quòd hu- F
juscemodi conatus nominatim duos accuſas Joannem Maffeium, & Benedictum Juſtinianum, quorum alterum dicis *miſſum in Luſitaniam*, alterum, *in Siciliam, quaſi exilii nomine;* id qua fide ſcribas, mihi incompertum eſt, vel potiùs compertum; poſtquam enim tot mendacia tam craſſa & turpia effutiviſti, neſcio, cur mihi perſuadere debeam, te hoc loco nihil falſitatis narrationi admiſcuiſſe: præſertim cùm ſciam, utrunque horum, quos tu traducis, adhuc ſuperſtitem eſſe, Deóque in Societate ſervire: & Juſtinianum quidem ab eo tempore etiam aliis præfuiſſe, quem Carolus Tapia Jureconſultus tractatu de Religionis rebus, hoc elogio exor-
G nat: *Benedictus Juſtinianus Januenſis Theologicæ diſciplinæ peritiſſimus explanator, in Romano Collegio, vir ſuaviſſimus ac politiſſimus, verbique Dei prædicatione inſignis.* Maffeium autem, cùm ob alia elegantiſſima ingenii monumenta, tum ob vitam Parentis noſtri Ignatii ab eo literis commendatam, ubique celebrari; qui cur in Luſitaniam profectus ſit, ipſemet exponit in Epiſtola ad Regem Catholicum Philippum, quam hiſtoriis Indicis præfixit. At quòd aliquando quidam ſunt, qui res novas moliuntur, terminósque à Patribus fixos transferre, & immota loco movere nituntur; id non eſt mirum; accidit hoc in ipſa Eccleſia, quæ *tota pulchra*, & omnis maculæ expers: Accidit hoc populo Iſraëlitico, cùm aliàs, tum temporibus Oniæ Pontificis. *Nam cùm ſancta civitas* H
habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala; Simon præpoſitus templi conſtitutus, contendebat iniquum aliquid in civitate moliri: Et ut turbas, quas parturiebat, pareret; ad Apollonium ſeſe contulit, *pecuniarum & patriæ delator*, neque Oniam ſummum ſacerdotem maledictis inſectari deſtitit. Accidit hoc aliis Religioſis familiis. Quantæ enim diſputationes exortæ ſunt circa regulam & inſtitutum S. Franciſci, ut hunc Ordinem multorum loco nominem, ex- 2. Machab. 3. & 4.

A citatæ non modò ab his, qui foris erant, ſed etiam à domeſticis fidei? Nec immeritò inter eos, à quibus multa perpeſſus ſit; numerat S. Paulus *falſos fratres*. Nec de nihilo clamat: *Corripite inquietos: Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Hujusmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Qui quidquid machinentur; nihil efficiunt, niſi apud *inquietos*. Nam quod Tertullianus ait de hæreſi, id, mutatis paculis vocibus, ad noſtrum propoſitum accommodari poteſt. *Hæreſes de quorundam infirmitatibus habent, quod valent; nihil valentes, ſi in benè valentem fidem incurrant.* Talis enim, quidquid alii ſtatuant, fidenter cum Joſue clamat: *Ego autem & domus mea ſerviemus Domino.* Cùm Jonathas ſummus ſacerdos & dux populi Iſraëlitici veniſſet Ptolomaidem ad Alexandrum Regem, *convenerunt adverſus eum viri peſtilentes ex Iſraël, viri iniqui interpellantes adverſus eum:* At quo profectu? *Et non intendit ad eos Rex. Et juſſit ſpoliari Jonathan veſtibus ſuis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocavit eum Rex ſedere ſecum. Dixitque Principibus ſuis: exite cum eo in medium civitatis, & prædicate, ut nemo adverſus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei moleſtus ſit de ulla ratione. Et factum eſt, ut viderunt, qui interpellabant, gloriam ejus, quæ prædicabatur, & opertum purpura, fugerunt omnes.* Ecce quid effecerint ſeditioſi iſti cum ſuis criminationibus adversùs populi Ducem & Antiſtitem.

1. Theſſ. 5. Rom. 16.

Tertull. de Præſcript.

B Joſue 24. 1. Machab. 10.

C Ais: *Ex hoc ordine alumnorum, quos volunt, etiam poſt multorum annorum labores, dimittendi poteſtatem ſibi reſervant, atque etiam quandoque infirmitatis inter ipſos acquiſitæ, aut aliorum quorumlibet nulla habita ratione, liberrimè non ſine gravi ſcandalo dimittunt.* Primò, non tantùm ſcholaſtici & ſimplicibus votis obſtricti, ſed & Coadjutores formati & Profeſſi dimittuntur, ſi cauſa dimiſſionis legitima ſupperat, ùt libro primo fuſiùs dictum: & hanc miſſionis dandæ poteſtatem habet Societas ab iis, qui eam dare poſſunt, hoc eſt, à

De poteſtaté dimittendi.

D ſummis Pontificibus. Deinde hoc tibi ſanctè affirmo, nullum præter fas & æquum dimitti, cauſa juſtiſſima ſupperat oportet; nam quod ais, *propter morbum* in Societate contractum aliquos invitos & reluctantes expelli; id à vero tam remotum eſt, quàm quod maximè, niſi fortè loquaris de incurabili, morbo animi, aut morum: talem ægrum, ùt antea profeſſus ſum, non retinemus; ſi medicinæ ſit impatiens. Non enim patimur, ut in E ſchola Chriſtianæ diſciplinæ aliquis potiùs deficiat, quàm proficiat, potiùs regrediatur, quàm progrediatur.

Sed ais: *Iſtos tranſacta jam meliore ætatis* F *parte, incidere poſtea in multas miſerias ſub extremam vitæ partem, quippe imparatos à rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis.* At ſi incidunt, ſua culpa incidunt. Cur enim vitam religiosè non inſtituunt? Cur mores ſuos ad eam normam, quam ſpontè ſibi delegerunt, non componunt? Cur non ambulant dignè vocatione, qua ſunt vocati? ſi officium faciant, nihil periculi imminet. *Non vidi juſtum derelictum*, ait Propheta, *nec ſemen ejus quærens panem.* Quòd ſi Deum & vocationem deſerant, & in religione parùm religiosè vivant, juſto Dei judicio fit, ut aliquando in graves calamitates incurrant, ut, quos benignitas Dei retinere intra honeſti terminos non potuit, caſtiget jam, tanquam prævaricatores, ſeveritas. Benedictiones, quas G olim Deus promiſit obſervatoribus legis; Deut. 28. & maledictiones, quas minatus eſt transgreſſoribus legis; pertinent quoque ſuo modo ad Religioſos, qui promiſſa faciunt; & ad eos, qui fidei immemores, reſiliunt & excedunt. Illis acclamatur: *Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro:* His, *maledictus eris in civitate, & maledictus in agro.* Illis; *Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.* His, *Maledictæ reliquiæ tuæ, & maledictum horreum tuum.* Illis: *Benedictus eris ingrediens & egrediens:* His: *Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te, & perdat propter adinventiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me.*

Eſt & aliud, inquis, *ex hoc in Republica grave incommodum, ubi qui juvenes Societatem ingrediuntur, ac aliquandiu ibi morantur, ſolent familiæ ita de bonis diſponere, ac ſi mortui illi eſſent, ubi verò denuò extruduntur aut egrediuntur, facta nova rerum partitione omnia confunduntur, gravi familiarum incommodo: Nam ſi ab initio aliter res partiti fuiſſent, quilibet, rerum proportione habita; longè aliter ſibi providiſſent.* Re- De Hæreditatibus. ſpondeo, aut familiæ illæ dividunt hæreditatem ſeu patrimonium conſcio, volente & conſentiente illo, qui Societatem amplectitur, aut inſcio; aut ſi conſcio; certè invito & reclamante: ſi primum; tunc ſi talis non perſeveret in Ordine, immeritò poſtea conqueritur de partitione facta; quandoquidem facta eſt legitimè, jubente & conſentiente illo: pono enim

H

ejus

A ejus esse ætatis & conditionis, cujus consensus faciat partitionem illam legitimam. Si secundum; tunc dico, partitionem illam fuisse iniquam; nemo enim jus habet in bona alterius Domino nolente & inscio: at ille, qui Societatem amplectitur, adhuc Dominus est sui patrimonii, tum tempore tyrocinii, tum exacto jam tyrocinio, quando votis simplicibus obligatus est.

B Nam ingressus in nostram Religionem, non privat aliquem Dominio suarum rerum, etsi privat Professio, aut cooptatio in numerum Coadjutorum formatorum; quo casu, si de bonis suis non disposuerit, poterunt ea cognati & hæredes, arbitratu suo dividere, nec quisquam illis litem intendet; licèt in aliis nonnullis Ordinibus, ipsum etiam patrimonium profitentis non ad cognatos, sed potiùs ad Monasterium devolvatur. Ergo, si quis postea ex Ordine excedat, cujus bona inter cognatos, ipso non approbante, fuerint distributa; meritò, quæ sua sunt, repetet, nec major inde nascetur perturbatio, quàm oriri soleat, cùm quod injustè detinetur, legitimo Domino restituitur. Quo enim jure, isti, in non sua involârunt, nisi quòd jam eò ventum est, ut quàm primùm quis religionem ingreditur, plerique bona illius prædam Mysorum reputent; milvinísque & aquilinis ungulis diripiant; & hoc ipso etiam se obsequium Deo præstare putent; si diligenter caveant, ne qua portio ad Monasterium perveniat?

C

D Pergis: *Qui in alumnorum gradu vivunt, præ cæteris omnibus exagitantur, exercentur, vexantur, affliguntur, publica depressione castigantur, si telæ araneæ in fenestra, aut cubili conspiciantur; si omnia non sint exactè curata; si in temporis puncto non sint in locis, ad quæ signo campanæ vocantur; si lectum statotempore non straverint; si scutellas non rectè laverint, si celerius comederint; aut inter comedendum circumspexerint; si celerius aut liberius incedant; si cum extraneis sine facultate loquantur; cibum quandoque vel potum in pœnam detrahunt, disciplinas, aliásque, quas volunt, pœnas imponunt.* Eheu quales *exagitationes*, quales *exercitationes*, quales *vexationes*, quales *afflictiones*, quales *depressiones*, quales & quàm atroces *castigationes*, quales *latomiæ!* Mirum, ni cum Tyndaro dicas: *Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acheronte fierent cruciamenta, verùm enimverò nullus adæquè est Acheruns, atque ubi ego fui in lapicidinis, illic demum est locus, ubi labore lassitudo omnis exigunda ex corpore. Etiam cibum*, inquis, *& potum subtrahunt.* O intolerandam carnificinam! præsertim si quis fameat aut sitiat, aut patre bibulo sit progenitus. Sed tamen ne

De pœnitentiis.

E

F

G

H

has pœnas in solis Jesuitarum Collegiis usitatas arbitreris, non te mittam ad variorum religiosorum Ordines, neque ad Basilium, Cassianum, & alios, qui de disciplina religiosa scripserunt; neque ad quamlibet benè constitutam Rempublicam, quæ præmia rectè factis, & mulctas iis, quæ secus fiunt, decernit: neque ad privatam quamque domum aut familiam, quæ sine animadversione in delinquentes, rectè administrari & gubernari nequit: tantùm rogabo, ut ad externam illam militiam, qua pro perituris bonis certatur & disceptatur, oculos flectas: & postea, ubi omnia inspexeris, oculos ad hanc nostram spiritualem militiam, & ad hæc castra Dei reflectas. Vix ullam pœnam reperies in militia spirituali, cujus similem: vel potiùs, qua longè graviorem non sis reperturus in illa Martia. Nam si quid milites deliquissent; aut *hordeo pascebantur*: testes Livius, Suetonius, Plutarchus, Dio, Vegetius; aut *stantes cibum capere jubebantur*: AuctorLivius: aut *fossam fodere*, testisPlutarchus in Lucullo; aut *in itinere cum impedimentis iter facere*; ùt exAmmiano liquet, aut *tendendi locum mutare*, testis Livius libro vigesimo quinto; aut *extra oppidum aut castra hybernare*; testis idem Livius, libro trigesimo quinto, & Valerius Maximus libro secundo, capite septimo, aut *stare per totum diem ante prætorium, interdum tunicati discinctique; nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes*, ùt Livius tradit libro vigesimo septimo, aut *à castris segregari*, quod manifestum ex Vegetio libro tertio, capite quarto, aut *militiam mutare*, ùt cùm eques in peditum numerum redigebatur: Mittebantur præterea cum ignominia, ùt notum omnibus. Fuit hæc quoque antiquitus *militaris animadversio*, inquit Gellius, *jubere ignominiæ causa militi venam solvi, & sanguinem mitti.* Loco hujus, si placet, accipere potes religiosam illam pœnam, quæ *disciplina* dicitur; licèt huic aliæ, etiam militares, longè sint similiores, ùt *virgis cædi, vite aut fuste verberari.* Si igitur hæ, & id genus aliæ pœnæ delinquentibus statutæ sunt in militia illa temporali; cur in hac spirituali nullæ pœnæ essent, cùm *pœnis & præmiis*, ùt ille ait, *omnia optimè regantur*: aut si sunt, cur tanquam tyrannicæ, & quasi ex Phalaridis officina profectæ essent, traducuntur, cùm sint mitissimæ & planè paternæ? Non enim apud Religiosos locum habet *decimatio*, non *manuum amputatio*, non *ad bestias damnatio*; non *in crucem sublatio*, non *capitis pœna*, non *vivocomburium*, non *lapidatio*, non cætera de genere eodem necis genera, sed omnes, apud Religiosos, præsertim in Societate, usita-

E Vide Refut. hist. Jesuit. fol. 43. & seq.

F Livius l. 37. Suet. August. Plutarch. Marcell. Dio lib. 49. Veget. lib. 1. cap. 14. Livius lib. 34.

G Gell. lib. 10.

A usitatæ correctiones, planè clementes sunt & paternæ; quarum, qui impatiens est, & negligens, is satis prodit, quo spiritu agatur. *Si extra disciplinam estis*, inquit Apostolus, *ergo adulteri, & non filii estis.* Hebr. 12. Nec soli alumni puniuntur, si quid errati admittant, ùt tu fabularis, sed omnes simpliciter, sine ulla exceptione: omnes enim sese filios Societatis profitentur, & sibi dictum existimant illud: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris*, per Superiores videlicet, quibus Christi loco pares. *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit: in disciplina perseverate: Tanquam filiis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?*

B *His*, inquis, *pœnis adigunt quosdam, ut fugam meditentur, & data occasione arripiant:* Nempe tui similes, de *generatione mala & adultera*, qui *remissas manus*, & *soluta genua non erigunt*, nec *gressus rectos pedibus suis faciunt*, ut non *claudicantes errent: qui exosam* habent *disciplinam, & timorem Domini non suscipiunt; nec acquiescunt consilio Dei, & detrahunt universæ correptioni ejus.* Proverb. 1. Qui vocem illam spernunt; *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias; nec deficias, cùm ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Quosdam*, inquis, *his pœnis ad insaniam redigunt.* Nisi insanus esses, nunquam convicium tam insanum effutivisses.

C Sed probas calumniam tuam exemplo ejus, qui mente captus, Coloniæ tres ex nostris peremit. Profectò satis mirari nequeo frontem tuam, qui ausis in medium proferre hanc tragœdiam: cùm toti mundo constet, hominem illum redactum ad insaniam, non vexationibus & afflictionibus, quæ nullæ erant, sed nimia animi in studiorum laboribus contentione, & præterea insita quadam, ùt contingit quibusdam ingeniis, ad maniam inclinatione; ùt enim aliqui ad stultitiam quædam semina à natura habent insperfa: ita & ad insaniam; quibus facili negotio rationis usus intercludi, & vel in amentiam, vel in furorem degenerare potest. Ex quorum D numero & iste unus erat. Quid mirum autem, si furiosus obvios trucidet? Non solus exstitit, qui furiis actus tale facinus conciverit: nec inauditum, licèt familiarissimos furiosus perimat; non enim distinguit furor notos ab ignotis, nec necessarios à non necessariis. Obi, quæso, historias, & circumspice, utrum nulla exempla occurrant, ubi parens furiis impulsus, etiam proprios liberos trucidârit, & miserandum in modum discerpserit? Consule Medicos; an non inter proprietates furiosorum has etiam enumerant; *quòd sint temerarii & injurioji, ita ut familiaribus insidias parent, & eos vulnerent, & quandoque occidant?* Qui & monent, non facilè illis fidem adhibendam, *licèt sapere videantur, esse enim hunc maniacorum dolum, ut à vinculis & flagellis evadere possint.* Quod Medicorum monitum si nostri observâssent, meliùs fortè vitæ suæ consuluissent, sed dum misericordia religiosa moti, potiùs furibundi illius, quàm sui rationem habent, in manus ejus incurrerunt, quod tu sceleribus illorum adscribendum suspicaris. At ego eò sceleratiorem hanc tuam F suspicionem duco, quò certius est, illos, qui perempti sunt, fuisse viros innocentissimos, & religiosissimos, & toti Colonensi civitati ob virtutem venerandos. Mirum dictu, te tam atrocem calumniatorem esse, ut ne à mortuis quidem petulantem & maledicam linguam abstineas: quod illis accidit, id & tibi improbo, & cuivis probo evenire potest: nam ab hujusmodi incertis casibus, & improvisis periculis nemo mortalium exceptus est.

Addis: *Tota hæc affligendi ratio, eò maximè tendere videtur, ut alumni magis ad Professorum obsequia, quàm ad virtutem instituantur.* Falsum: quia finis hujusmodi pœnarum alius non est, quàm ut disciplina religiosa conservetur, & omnia ordine & decenter fiant, vitiisque, etiam minutis, aditus studiosè intercludatur, ut, quidquid virum religiosum deformat, corrigatur & amputetur. *Plura*, inquis, *faciunt alumni, quàm Professi.* Fortè ideò, quia sunt plures. Item, quia ætate & viribus plerumque validiores: *Opera*, ait ille, *& hastæ juvenum sunt, consilia & preces senum.* Nescis fuisse Rempublicam, in qua triplex, certis temporibus, constituebatur chorus: primi canebant: se *strenuos & invictos viros fore:* Alteri, *se esse:* Tertii, *se fuisse.* Etsi nemo apud nos otiosus; nam & ipsis Professis sua sunt & in scholis, & in templis munera, publica & privata. In hac Domini vinea, non auditur illud: *Nos portavimus pondus diei & æstus*, quia hoc murmuratorum est; quibus non omnia communia, sive labor, sive quies.

Retrahuntur, inquis, *alumni ab iis exercitiis, quibus rerum exactior acquiri posset experientia, ne scilicet plures ad gubernandum fiant idonei.* Nihil minùs, mi homo, imò Societati nihil esset gratius, quàm ut omnes, iis doribus ornati essent, quæ ad gubernacula requiruntur: eò felicior Ordo esset; sicut eò instructior & fortior est exercitus, cujus etiam sin-

Historia Colonensis de insano.

Vega lib. 3. de arte Medendi, cap. 15.

Quis sit finis pœnitentiarum.

De laboribus Societatis.

A ſinguli gregarii milites, virtute & belli peritia, ita excellunt, ut Ducum & Capitaneorum officiis cum laude fungi queant.

B Subjungis: *Profeſſorum quidam ingenuè fatentur, quàm pauciſſimos deinceps ad profeſſionem admittendos, ne videlicet nimia multitudine vileſcant.* Tot admittentur, quot apti fuerint, judicio Superiorum: ſi autem apti fuerint, periculum non eſt, ne vileſcant, quia multitudo aptorum non parit contemptum, ſed ineptorum. Neque multitudo idoneorum ea *turba* eſt, quam à profeſſione removet noſter P. Ignatius, ſed eſt *caſtrorum acies ordinata & gens electa.*

C *Plurima*, inquis, *ex his Jeſuitæ incommoda* incurrunt. Quæ illa? percenſe: *Poſtquam alumni aliquot annis cum ipſis vixerint, ac pòſt diſcedunt, jam conſcii eorum, quæ inter ipſos fiunt; in vulgus, non ſine gravi ſcandalo ac Ordinis infamia, ſpargendi facultatem acquirunt. Quòd ſi mox, abſoluto Novitiatus tempore, quo nihil ſiniſtri advertere ſolent, vel profeſſi fierent, vel dimitterentur, nihil hujusmodi evenire poſſet.*

De Apoſtatis. Prudentiſſima, ita me Deus amet, ratio: quam ſi in Concilio Tridentino propoſuiſſes; perſuaſiſſes proculdubio Patribus, ut Jeſuitis ſtatim à Tyrocinio profeſſionem imperarent: Sed tamen quærere ex te lubet, an non etiam Profeſſi ab Ordine deficere poſſint, ita ut vel ad alium Ordinem tranſeant; vel quod interdum contingit, ad ipſos Hæreticos transfugiant? An non & iſti infanda evulgandi copiam tunc haberent, ſi nefanda in Ordine perpetrarentur? Deinde, quantum fidei mereatur Apoſtata, cùm Ordini, quem deſeruit, maledicit; probatione non eget. Notus eſt transfugarum genius, quod ipſi agunt, aut agere cogitant, id per ſummam impudentiam Ordini affingunt, ut Apoſtaſiam

D ſuam & flagitia excuſent & velent. Cùm de S. Cornelio Pontifice à deſertoribus fidei ſparſum eſſet; eum paſſim *communicare ſacrificatis*, reſpondit S. Cyprianus: *Hoc de Apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur. Neque enim poſſunt laudare nos, qui recedunt: aut exſpectare debemus, ut placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles ſollicitandis de Eccleſia fratribus violenter inſiſtunt?* Præterea quod Hæretici de Ordine ſuſpicantur, & comminiſcuntur, id iſti refugæ, graves ſcilicet teſtes, confirmant: in gratiam nimirum Hæreticorum, quibus falſos teſtes adverſus religioſas familias ſubornare, tanti eſt, quanti fuit Jezabeli, cùm innocuum Naboth damnare meditaretur. Calumniabantur olim Ethnici, Chriſtianos, ſuis in conventibus, *infantem trucidare, ſanguinémque ejus excipere & epotare*, & poſt convivium *promiſcuè miſceri* ſine ullo conſanguinitatis reſpectu. Hæc paſſim in triviis jactabantur ab improbis, & hoſtibus Chriſtiani nominis. Ergo ſi deſertor ad Ethnicos transfugiens, hæc tam horribilia facinora à Chriſtianis perpetrari dixiſſet; cujusnam rei teſtis fuiſſet, ſuæne impudentiæ, an Chriſtianorum nequitiæ? Certè, quàm parùm primi illi Chriſtiani verè inſimulari poterant horum criminum: & quàm parùm etiam de hujusmodi Apoſtatarum criminationibus ſolliciti erant; tam parùm itidem Ordo noſter (quod divinæ bonitati acceptum referimus) accuſari poteſt nefariorum ſcelerum; Et æquè parùm moramur; quid Apoſtatæ ſpargant; non enim viderunt apud nos *Eleuſinia* aut *Samothracia ſacra.* *Multi*, inquis, *creſcente judicii maturitate, jugum hoc pertæſi, illud excutere conantur, & de facto etiam excutiunt.* Scribere debuiſſes, *creſcente judicii malitia & perverſitate.* Creſcit nimirum in his judicii maturitas, ſicut creverat in eo populo, cui dicitur: *A ſæculo confregiſti* Hierem. 2. *jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti; non ſerviam;* ſcilicet, judicii maturitas eſt: *derelinquere fontem aquæ vivæ, & fodere ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* At, quòd multi ſunt, quid mirum? quàm multi deficiunt à fide Chriſtiana? oraculum Chriſti eſt: *Multi vocati, pauci verò electi. Avolent,* G inquit Tertullianus, *quantum volent, paleæ levis fidei, quocunque afflatu tentationum, eò purior maſſa frumenti reponetur in horrea Domini. Nónne ab ipſo Domino quidam diſcentium diverterunt? nec tamen propterea cæteri quoque diſcedendum à veſtigiis ejus putaverunt: ſed qui ſciverunt illum vitæ eſſe verbum, & à Deo veniſſe, perſeveraverunt in comitatu ejus, uſque ad finem, cum illis, ſi vellent & ipſi diſcedere, placidè obtuliſſet. Minus eſt, ſi & Apoſtolum ejus, aliqui, Phygellus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt. Ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit. Miramur de Eccleſiis ejus,* (& religioſis Ordinibus) *ſi à quibusdam deſeruntur; cùm ea nos oſtendunt Chriſtianos, quæ patimur ad exemplum ipſius Chriſti. Ex nobis, inquit, prodièrunt; ſed non fuerunt ex nobis: ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Tertull. lib. de præſcript.

S. Cyprian. epiſt. 52.

Perſequuntur, inquis, *eos, qui diſcedunt,* H *tanquam Apoſtatas.* Meritò, ſi absque Superiorum permiſſu abeant, quia veriſſimi ſunt Apoſtatæ: ex declaratione cùm aliorum Pontificum; tum nominatim Pii V. cujus tu judicio, quaſi multum tribuas, videri cupis. Nôſti autem, quæ pœnæ in

A jure Canonico Ordinum desertoribus sint constitutæ. *Grave crimen reputant*, inquis, *si quis ab ipsis discedat*. Meritò, quia Apostasia ab Ordine, non est leve crimen, nisi apud ipsos Apostatas: sicut furtum apud fures, & latrocinium apud latrones. Pythagorici Apostatas à Philosophia pro mortuis habebant; & ideo iisdem Cenotaphia seu columnas erigebant: ùt testantur Origenes & Clemens Alexandrinus: qui addit: *Etiam in barbara Philosophia vocant mortuos, eos, qui exciderunt à dogmatibus, & mentem subjecerunt animæ perturbationibus.* Quantò meliore jure mortuis annumerantur, qui reflexo cursu à divina & religiosa vita, ad vanam & mundanam desciscunt.

Orig. lib. 2. & 3. contra Celsum. Clemens lib. 5. Stromatum.

B Ais: *Non desunt, qui existiment, alumnos ipsorum ne simplicia quidem vota emittere, de illorum suscipienda religione, & professione, sed simplici tantùm promissione sese adstringere, sicut in sponsalibus contingit: à qua promittendi ratione dubium non est, quin certis de causis possit se quis excutere, sive ob expectatæ partis moram, sive ob alia, quæ judicio bonorum virorum ad id sufficientia intervenire contingit.* Egregium scilicet desertorum defensorem agis, cùm super evidenter falsum fundamentum, totam commenti tui fabricam struis. Quid enim inanius, quàm nostros ne simplicia quidem vota nuncupare? An non enim formula, qua sese obligant, in hunc modum concipitur? *Voveo paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam.* Non dicitur, *vovebo*, sicut in sponsalibus illud usurpatur: *Ducam*; vel *habebo te:* sed ùt in matrimonio de præsenti dicitur, *Duco te, accipio te*, ita & hîc; *voveo*, cum animo sese obligandi, Deóque in perpetuum consecrandi. Quæro ex te, an non veri nominis votum simplex edat, si quis extra religionem voveat Deo perpetuam castitatem verbis de præsenti: dicendo videlicet: *Voveo tibi Deus perpetuam castitatem?* si is verum votum simplex emittit, cur non & nostri, cùm iisdem verbis utantur; eundémque animum sese perpetuò obstringendi habeant? Licétne illi, qui tale votum simplex castitatis fecit, resilire, aut matrimonium contrahere, quamvis longissimo tempore vivat? si huic non licet, cur nostris liceret votum simplex retractare, pedémque referre? Et quod de voto castitatis affero, intellectum itidem volo de paupertate & obedientia, si quis hæc Deo voveret extra religionem.

De votis simplicibus Societatis.

C

D Secundò, vota nostra non modò simplicia vota sunt de *præsenti*, & non promissio de votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, aliquando nuncupandis; sed præterea hominem verè religiosum efficiunt, & in Religionis statu constituunt, eúmque & Deo, & Societatis superioribus actu tradunt; ita ut jam non ipse, sed Superiores in ipsum potestatem habeant: & in hoc non modò differunt à voto, quo quis se obligat ad ingressum Religionis, sed differunt etiam à votis simplicibus castitatis, aut paupertatis, aut obedientiæ, quæ quis extra Religionis statum vovere posset; per hæc enim non fit aliquis religiosus, nec tradit Dominium sui alteri homini, licèt revera de præsenti tradat, & consecret se Deo; at per nostra fit veri nominis Religiosus, & exuit se jure suo; illúdque Superiori volens lubénsque transcribit; cùm in Religione à Sede Apostolica approbata emittantur. Etsi conveniunt etiam in hoc, quòd non tantùm sint *promissoria*, sed etiam de præsenti, alicujus rei *exhibitoria*: nam qui in sæculo vovet castitatem, v. g. is de præsenti abdicat se usu sui corporis, & totum Deo dedicat; quod multò magis in nostra religione contingit, dum quis castitatem, paupertatem & obedientiam vovet: quo ipso desinit jam esse suus, & alterius esse incipit, & alterius itidem est; quàm primùm vota vovit: Dei videlicet, & Superiorum: nostra enim simplicia vota præter exhibitionem, quæ fit Deo: complectuntur etiam exhibitionem, qua quis se Superioribus, loco Dei, exhibet, & de præsenti tradit. Quamvis illud quartum votum, quod formulæ adjungitur his verbis, *& promitto eandem* (Societatem) *me ingressurum, ut vitam in ea perpetuò degam*, tantùm sit *promissorium*, & *de futuro*, cùm sit obligatio ad futuram Professionem, vel statum Coadjutorum formatorum, judicio Superiorum; sed tamen etiam in præsenti obligare incipit, quatenus scilicet statim obstrictus sum, ut alterutrum gradum acceptem, tunc quando mihi à Superioribus offeretur; sicut qui in sæculo vovet, se ingressurum Religionem post annum, aut continentiam post obitum uxoris; is statim obligatus est, ut elapso anno Religionem ingrediatur, & mortua conjuge, ab alio matrimonio abstineat. Verùm in Societate nostra cum hoc voto simplici de futuro, & promissorio, tria conjunguntur de præsenti: etsi, ùt dicebam, simplicia; quibus homo ita adstringitur, ut Deo & Societati jam totus sit consecratus, nec sine Apostasiæ nota resilire, nec etiam matrimonium licitè & validè contrahere queat: idque ex peculiari constitutione Gregorii XIII. & hanc conditionem, nempe ut vota simplicia irritum reddant matrimonium, posset etiam Ecclesia addere voto simplici castitatis à sæculari emisso, cùm hæc ab Ecclesiæ auctoritate pen-

E

F

G

H

A pendeant. Verùm ſatis de his ad retundendas calumnias tuas, qui temerè ſimul & imperitè blateras, vota noſtra, ne propriè quidem eſſe *vota ſimplicia;* adeò livor cor tuum exedit, & adverſus nos facibus ſuis exſtimulat. Nunc reliqua videamus.

B Ais: *Hoc etiam nomine alumnis licitum eſſe diſceſſum, quia apud Jeſuitas non inveniatur, quod à Religioſo vel inprimis quærendum: & cujus adipiſcendi gratia, quivis religionis jugum ſubit: quod genus, ſtudium perfectionis, amor virtutum, fuga vitiorum, cultus divinus.* Ita ſcilicet dictitare ſolent Apoſtatæ, aut Apoſtaſiam meditantes, *ad excuſandas excuſationes in peccatis:* qui tum putant ſe meliores fore, ſi defectionem ſuam mendaciis tueantur: & quod minimè quærebant aut deſiderabant; id ſe non potuiſſe reperire fingant; eo planè modo, quo Lutherus & alii hujus ætatis Apoſtatæ dicebant, ſe pietatem nullam ſuo in Ordine C inveniſſe. Quàm autem pietatis cupidi fuerint, quis ignorat? Vita, quam vivunt, ſatis ſupérque docet cùm iſtis, tum aliis transfugis Venerem & ventrem magis fuiſſe curæ & cordi, quàm virtutem. Deinde fieri non poteſt: ut in Ordine ab Apoſtolica Sede approbato, & quem Concilium Tridentinum *pii inſtituti* nomine cohoneſtat, nihil aliud reperiatur, quàm officina improbitatis & vitiorum: aliàs Eccleſia approbaret Ordinem Eccleſiæ perniciosum; quod tu, ſi es, qui videri cupis, Catholicus, nunquam affirmabis: ergo hæc deſertorum defenſio nulla eſt: & licèt alicubi religioſa diſciplina collabi queat, aliorum tamen improbitas & diſſolutio non facit, ut tibi itidem liceat eſſe improbum & diſſolutum; ita ut vota, quæ *diſtinxerunt labia tua,* non perſolvas, & in Ægyptum, unde veneras, denuò revertaris.

D *Quòd tantoperè,* inquis, *cum pulchellis agere, eósque ad ſe, aliis rejectis, allicere ſatagunt, non tam animarum religioſo Zelo curam illos exercere, quàm aliud aliquid captare indicium eſt.* Cùm toties *pulchellos* inculces, neſcio quæ meum animum de candore tuo & integritate ſuſpicio pulſet. Quid tibi, Ballio, cum *pulchellis?* Nobis pulcher eſt, quisquis virtute & ingenio ornatus eſt, & qualem corporis conſtitutionem ab iis exigamus, quos in noſtrum Ordinem adſcribimus, jam alibi expoſui. *Iſta, quæ paulò pòſt laudem omnem amittent,* inquit ille, *defloreſcente forma, minimè curanda ſunt vero Laconi,* & multò adhuc minùs vero Religioſo; Alioquin eidem occineretur illud ejusdem: *Videris mihi neque Laconicum* (Religioſum) *habere animum, neque animatus eſſe, ùt decet virum modeſtum: neque veram & juſtam laudem reſpicere. Si de animabus ageretur,* inquis, *omnium animas habentium, eadem, Apoſtolorum more & exemplo, eſſet habenda ratio.* Etiam ubi de animabus agitur, non omnium habetur eadem ratio, ex ipſo prudentiæ & charitatis præſcripto, ùt notum eſt: quin aliquibus juſtiſſimas ob cauſas majus ſtudium, quàm aliis impendere licet, more & exemplo non modò Apoſtolorum, & omnium rectè ſentientium, ſed etiam ipſius Dei, qui licèt omnium ſalutem ſedulò procuret, aliis tamen majora, quàm aliis adjumenta ad ſalutem ſubminiſtrat: ita ut veriſſimè cum Propheta canere poſſint; *Non fecit taliter omni nationi.* Ergo licèt Jeſuitæ his, quàm illis, excolendis, & inſtituendis diligentiorem operam, juſtas ob cauſas, navarent, nihil alienum à recta ratione facerent. E

Religioſi, inquis, *ùt præclara quædam in veſtibus, ùt byſſum & purpuram Regum domibus relinquunt, ita etiam collectis miſellis, qui facilè ſolent à cæteris deſpici, contenti eſſe debent, pulchellósque aulis & palatiis relinquere.* Video, te ita comparatum eſſe, ut fæces tribui velis Deo, vinum mundo; paleas Deo; triticum mundo; putamina Deo, nucleum mundo: quia ſolos *miſellos* ad Religionem deſtinas; miſellos, inquam, non modò corpore & fortunis, ſed & ingenii dotibus. Miſellos, hoc eſt, G ſtupidos, ſtipites & plumbeos. Horum nulla, quod ſciam, Religio ſe profitetur aſylum & receptaculum, & omnium minimè noſtra, cujus functionibus obeundis nemo ineptus eſt idoneus: Etſi his etiam miſellis Societas ſuam operam non neget, ſed extra Ordinem, eo modo, quo quoscunque alios, extra religioſam profeſſionem degentes, ope ſua adjuvare ſtudet: *Pulchellos* illos tuos, ſi ſub externa ſpecie parùm indolis ad literas & virtutes gerant, nec tibi nec aliis invidemus, nec ut Ordinis noſtri candidati fiant, optamus; tantum abeſt, ut ambiamus. δύσμορφον εἶην μᾶλλον ἢ καλὸς κακός. ait neſcio quis veterum Tragicorum. *Cincinnatulos pueros,* inquit S. Hieronymus, *& calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quaſi quasdam peſtes & venena pudicitiæ, virgo devitet.* S. Hier. ad Demetriad.

Nunc iterum vicem Apoſtatarum doles: H *Puniuntur,* inquis, *& exagitantur innumeris modis.* Tuam cauſam agis, cùm transfugis vis parci, ita & olim Julianus, teſte S. Cyrillo, deſertores veræ religionis debitis ſuppliciis affici, concoquere nequibat, quia & ipſe Apoſtata erat. *Fortaſſis abſo-*

A *absonum videtur Juliano*, inquit S. Cyrillus, *quòd Apostatæ supplicia luere debeant, benè enim in illorum numero seipsum esse novit, eò quòd non sit extra pœnam summam, abjecto scuto, & reipsa habitus à virtute alienus & transfuga, & in via errorum, in impietatis barathrum devolutus.* S. Cyrill. lib. 5. contra Julian. *Conantur*, inquis, *eos omnibus exosos reddere.* Nemo Apostatam magis exosum facit, quàm ipse se ipsum, & cùm Deus habeat illos exosos, non mi-

B randum, si & homines. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal*, ait Dominus ore vatis, *quia ibi exosos habui eos, propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos, non addam, ut diligam eos, Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient, abjiciet eos Deus meus, quia non audiverunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Osee. 9. Quare quod ais, *istos incertis sedibus vagari:* id non est Jesuitarum culpa, sed Apostatarum natura; Jam enim audisti, eos esse *vagos in nationibus.*

C *Coadjutores temporales*, inquis, *etiam post professionem dimitti possunt.* Volebas, opinor, dicere, post vota simplicia publicè edita. Non abnuo. Verùm hoc non proprium Coadjutorum temporalium: sed & spiritualium (qui & ipsi votis simplicibus, sed publicis, obligati sunt) imò & Professorum; ùt libro primo ostendi. Nôsse tamen debes, quod jam alibi testatus sum, nullum sine justissima causa dimitti: quæ si tibi, aliisque non sit explorata, at illis explorata est, qui jus missionis dandæ habent: id quod tibi persuadeas velim, etiam de illo coadjutore temporali, qui post multos annos sub *P. Generali Conrado*, ùt tu dicis, vel ùt dicere fortè volebas; *Eberhardo*, dimissus est, cujus tu sortem flebilibus modis deploras, non ut illius miserearis, sed ut Jesuitas inhumanitatis & sævitiæ insimules. Sed criminare, ùt lubet, & quantum lubet, propter criminationes tuas nunquam adducemur, ut eos, qui moribus suis plus obsunt Ordini, quàm prosunt, feramus, útque erga *murmuratores queruloso*s (sic enim Judas Apostolus nominat) *& secundùm desideria sua ambulantes*, non utatur Societas jure suo.

D Mendacia Pseudocatholici. L. Semper. ff. de jure immunitatis. Cætera, quæ adjungis, mera sunt mendacia & convicia. Ordine numerabo quædam, I. *Senibus nullum honorem, nullámque reverentiam haberi:* Licet enim & verè licet usurpare illud Jurisconsulti: *Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit, namque majores nostri pœnè eundem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant.* II. *Professos ubique regnare & gubernare;* nam plurimis locis præsunt Collegiis non Professi: Professique, reliquorum instar, subsunt. III. *Professos otiosos esse.* Si otiosi sunt, ùt E tu ais, quomodo ubique regnant & gubernant? An regnare & gubernare, est otiari? Deinde, plurimis locis Professi docent in scholis & templis, ùt notum est. IV. *Professos obstare, ne alii rebus administrandis præficiantur:* falsum: quia ipsi Professi, hoc est, Generales & Provinciales creant sæpe Rectores & Superiores non Professos, & sæpe etiam tales, qui nunquam sunt futuri Professi. V. *Professos reditibus collegiorum magis frui, quàm cæteros.* Professi, ne facultatem quidem habent degendi in Collegiis, nisi munus aliquod obeant: quo casu, aliter non habentur & tractantur, quàm alii non Professi, nisi valetudinis ratio aliud postulet: quæ indulgentia nemini negatur: nam & non Professis, si afflictæ vires peculiare quid desiderent, Superiorum paterna sollicitudo debitum subsidium non subtrahit. VI. F *Juniores Rectores diligenter operam dare, ut, qui antea fuêre Rectores, aliò amandentur, propter importunitatem, nolle enim eos subesse.* Cæterùm si tales sunt, qui nolint subesse: tunc non fit illis injuria, si aliò mittantur, ubi nihilominus cervix jugo subdenda erit. Sed absit à viro Religioso, ut præesse tantùm velit, subesse nolit. Qui non benè subest, nec benè præest, & qui illud alterum benè non didicit, is nec hoc benè didicit; inseparabili enim nexu cohærent; & quomodo alios exemplo suo ad subjectionem incitaret, si subjici non didicisset? *Quem invenias*, inquit ille, *qui docere possit, quod ipse non didicit?* VII. *Alumnos abhorrere à gradu Coadjutorum spiritualium.* G Veget. lib. 1. cap. 8. Falsum; nam cùm vota simplicia Deo nuncupant, ad hunc gradum, vel ad professionem indefinitè, voto sese obligant. An autem voto se quis adstringit ad id, à quo abhorret? nec magis sese ad professionem obligant, quàm ad hunc statum, quia indifferentes sunt, tam ad illam, quàm ad hunc, judicio Superiorum. VIII. *Multos ad maxima quæque gerenda aptissimos opprimi, ne emergant.* Videlicet tuo, & fortè eorum judicio, qui se aptissimos judicant: plerunque autem fit, adeò amor proprius facilè fallit, ut non nisi inepti, se judicent esse aptos; & ineptissimi, aptissimos: id videlicet in omni propemodum statu, rerúmque genere usuvenire solet. Quod H autem optas hæc tua convicia *cedere ad nostram utilitatem*, tecum etiam id opto: & spero futurum; *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* sæpe prodest hostis, si non ex proposito suo, certè ex proposito patientis. At quòd eadem commenta tua redundatura putas ad Ecclesiæ ædificationem, majorémque gloriam Dei, de eo ego vehementer dubito: Nam Ec-

clesia

A cleſia non ædificatur calumniis & mendaciis, neque his inſtrumentis gloria Dei creſcit, niſi fortè & hoc planè per accidens, & ad hanc, & ad illam aliquid conferas, cùm videlicet æquus lector videns, quàm perfricti ſis oris, & profligati cordis, magis ſibi à tam pernicioſo impoſtore cavebit, & alios, ut caveant, monebit, Deúmque laudabit, qui malitiæ quidem tuæ permiſit, ut tot calumnias ſcriberes, non autem permiſit, ut, quod ſcribendo ſpectaveras, obtineres. *Benè, quòd malitia non habet tantas vires, quantos conatus*, inquit ſanctus Hieronymus, *periêrat innocentia, ſi ſemper nequitiæ juncta eſſet potentia, & totum, quidquid cupit, calumnia prævaleret. Sic igitur divina auxiliante gratia* (utar enim Epilogo, quo S. Thomas opuſculum pro Religioſis, adverſus impugnatores Religionum, concludit,) *malignorum detractionibus repreſſis, evidenter apparet, quòd nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu: qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed crucem Domini bajulantes operibus ſpiritualibus inſiſtunt, carnalia deſideria contemnentes. Pateret ſiquidem locus multa replicandi contra prædictos detractores: ſed eos divino judicio reſervamus; cùm eorum nequitia poſſit eſſe omnibus manifeſta ex his, quæ corde ſuo nequiſſimè protulerunt, ſecundùm ſententiam Domini dicentis, Matth. 12. Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, ùt habetur 2. Timoth. 2. eorum iniquitati non conſentiens, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Qui verò eis conſentiunt, cæci cæcos ſequentes ſimul cum eis in foveam cadent. A qua, ut liberemur, hæc dicta ſufficiant, Domino adjuvante, cui ſit honor & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum, Amen.*

S. Hieron. in Rufin.

B

FINIS LIBRI SECUNDI.

RELATIO
DE
STUDIIS
JESUITARUM
ABSTRUSIORIBUS,
NUNC
IN GRATIAM
PRÆDICANTIUM LUTHERANORUM,
QUI
AUGUSTÆ VINDELICORUM QUINTUM EVANGELIUM
PRÆDICANT,
AD LYDIUM VERITATIS LAPIDEM
ADMOTA ET PROBATA
PER

JACOBUM GRETSERUM,
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM.

ADMODUM REVERENDO, MAGNIFICO ET EXIMIO DOMINO, DOMINO GEORGIO LAUTHERIO,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, MONACHII AD D. VIRGINEM PRÆPOSITO, &c.

JACOBUS GRETSERUS.

PRæclarè mihi Hæreticos depinxisse videtur Fridericus II. Imperator, *admodum Reverende & Magnifice Domine PRÆPOSITE*, cùm hoc penicillo eos efformavit: *Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eò usque mansuetudinem ovium prætendentes, quousque ovile possint subintrare Dominicum, quod post ipsorum introitum desiderant demoliri: hi sunt angeli pessimi, hi pravitatum sunt filii à patre nequitiæ, & fraudis autore, ad simplices animas destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt: hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine, virus evomere, ac vitæ cibum se simulant ministrare; à cauda feriunt, & mortis periculum, velut quoddam dirissimum venenum, immiscent.* Fridericus Imperator lib. 1. Epist. cap. 26.

Quorum improbitas & nocendi cupiditas fæpiùs *in aciem nos educit*, inquit S. Chryſoſtomus, *non ut illos ſtantes proſternamus, ſed ut jacentes erigamus. Ejusmodi namque noſtrum eſt bellum: non ex vivis mortuos reddit, ſed ex mortuis vivos efficit, manſuetudine, ac multa redundans benignitate. Non enim factis inſector*, (ait idem S. Pater,) *ſed verbis perſequor; non hæreticum, ſed hæreſim; non hominem averſor, ſed errorem odiô proſequor, & allidere conor; non eſt mihi bellum ſuſceptum cum ſubſtantia, (Dei ſiquidem opus eſt ſubſtantia,) ſed corrigere mentem volo, quam diabolus corrupit. Sic & Medicus, dum ægrotum curat, non corpus oppugnat, ſed corporis vitium tollit. Ita igitur ego quoque, ſi cum hæreticis bellum geſſero, non cum hominibus bellum gero, ſed errorem expellere volo, ac putredinem expurgare.* Præſertim tetram illam & abominabilem, cujus prurigine Novatores incitati in optimi & innocentiſſimi cujusque famam & exiſtimationem horrificè graſſantur & debacchantur; quam prorſus barbaram & ab omni humanitate remotam criminandi & conviciandi petulantiam cùm alii Orthodoxi crebrò experti ſint, tum Societas Jeſu quotidiano propemodum experimento diſcit; in cujus mores, inſtituta ac leges tot libelli famoſi indeſinenter cuduntur, & in vulgus extruduntur, tanto majore cum approbatione & gratulatione, quantò grandioribus Pſeudologiis & Lœdoriis conſtant. His paſcuntur, *qui à veritate auditum averterunt; ad fabulas autem converterunt*: his jucundè animos ſaginant; ab his ad veras & bonas dapes ſeſe abduci non ſinunt.

S. Chryſoſt. Hom. de S. Phoca.

Demophon, qui Alexandri menſæ ſtructor erat, cùm ad ſolem ſtabat, aut in balneo erat, algebat; in umbra, caleſcebat, ùt ſcribit Sextus Philoſophus. Idem planiſſimè iſtis evenit; cùm veritas apponitur, frigent; cùm falſitas, calent; Præpoſterè, vel potiùs monſtrosè. Teſtis eſt hæc ipſa, quam hac Apologia refello, Relatio mendaciſſima, quæ ſummo applauſu à Sectariis excepta eſt, licèt ipſe titulus nomine Auctoris, typographi & typographiæ deſtitutus tantùm non palàm clamet, Relationem iſtam nihil aliud eſſe, quam improbiſſimarum & flagitioſiſſimarum criminationum promptuarium; quod nunc in gratiam Prædicantium excuſſum ivi; Et hoc, quidquid eſt laboris & operis Apologetici, tuo, *admodum Reverende Domine PRÆPOSITE*, mihi ſemper venerando & obſervando nomini dicavi.

Cauſas percenſere quid attinet? A gemina, qua luces, lampade, virtutis & eruditionis huic meæ obſcuræ lucubratiunculæ lumen accendere volui. Utriusque teſtem habes totam Bavariam, quam doctrinâ tuâ plurimis annis ex Eccleſiaſtica cathedra feliciter erudiiſti; & temporibus periculoſiſſimis à luporum incurſu fortiter tutatus es; in illud unum intentus, ut Bavaria fidem à majoribus acceptam, illibatam inviolatámque retineret, & ad poſteritatem transmitteret. Et conſtitit operæ fructus, ùt hodie orthodoxi vident cum gaudio: heterôdoxi cum gemitu.

Inter virtutes porrò quis non admiretur perpetem illam tuam in omnibus actionibus moderationem, faſtúsque omnis & elationis penitùs expertem vivendi conſtantiſſimam rationem? Non te ſummorum Principum ſummus favor, non te Eccleſiaſtici & Politici honores ac dignitates; non te opima ſacerdotia, (quibus jam pridem tam cupidè valedixiſti, quàm cupidè alii ea ſectantur,) non te popularis applauſus unquam à tuo inſtituto dimoverunt, aliúm-

aliúmve reddiderunt; & ſi in ullo pervulgatum illud verbum: *Honores mutant mores*; nihil loci habuit, in te profectò nihil habuit; qui ita Eccleſiæ & Reipublicæ operam navâſti, ut, quidquid temporis ſupererat, id in illa tua optimorum & ſelectiſſimorum tàm ex Græcia, quàm ex Latio voluminum divite Bibliotheca legendo & lucubrando conſumeres: quin neque jam, quamvis extrema ætate, amor ille & ardor aſſiduæ lectionis in animo tuo refrixit.

Accipe igitur, *admodum Reverende & eximiè Domine PRÆPOSITE*, benevolenter hoc meæ in te obſervantiæ teſtimonium. Et æquo animo patere, ut & alii ſciant, *Gretſerum* ex Societate illa, quam diligis & defendis; inculpatæ vitæ, & præſtantis doctrinæ tuæ non modò admiratorem, ſed & cultorem fuiſſe. Vale. Ingolſtadii, 15. die Octobr. Anno 1609.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS

Hom. 8. in cap. 3. epiſt. 2. ad Timoth.

SI quis nunc indignatur, quòd Hæretici ſint, conſideret, eos à principiis atque primordiis fidei erupiſſe, Diabolo ſemper veritati mendacium clam inſerere moliente. Promiſerat initiò Deus primis hominibus bona; acceſſit Diabolus, promittens itidem bona: plantaverat Paradiſum Deus; ſeduxit hic, dicens: Eritis ſicut Dii; *& qui rebus nihil poterat, verbis promittit ingentia: hujusmodi quippe ſeductores ſunt. Poſt fuerunt Cain & Abel; deinde filii Seth, & filiæ hominum; poſtea Cham & Japhet; Abraham & Pharao; Jacob & Eſau; Moſes & Magi; Prophetæ & Pſeudoprophetæ; Apoſtoli & Pſeudoapoſtoli; Chriſtus & Antichriſtus; & priùs igitur, atque ab ipſis incunabulis mundi, & Apoſtoli temporibus iſta contigêre: tunc enim Theudas, & Simon, & Apoſtoli, & Hermogenes, & Philetus. Nunquam igitur fuit, quin mendacium veritati ſe latenter inſereret. Non itaque feramus graviter: jam dudum iſta prædicta ſunt; unde hîc dixit:* Hoc autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.

INDEX CAPITUM.

I. Quis fuerit Auctor famoſi illius libelli, qui inſcribitur, RELATIO de ſtudiis Jeſuitarum abſtruſioribus.

II. Relationem Cambilhonicam fide eſſe indignam, quia eſt libellus famoſus.

III. Relationem iſtam non mereri fidem, quia caret nominibus Auctoris, Interpretis, Typographi, & venerabilis Miniſterii Auguſtani, cui ab Auctore dedicata fuit.

IV. Mentiri Auctorem Relationis, cùm ſe Jeſuitam fuiſſe aſſerit.

V. Nugæ & Pſeudologiæ Cambilhonianæ de Jeſuitarum Muſæo, Bibliotheca, & Provincialis examine.

VI. Quæ crimina in ſpecie Relator Jeſuitis objiciat? depulſio primi, quod eſt, de ſcortatione.

VII. Refellitur criminatio de Magia.

VIII. Refutantur mendacia & calumniæ de ſanguinariis Jeſuitarum conſiliis.

IX. De apparatu bellico ſupra templi, déque ingentibus theſauris infra templi fornicem, & de ſubterraneis carnificum officinis.

Appendix contra Volcium, Prædicantem Auguſtanum, unà cum legibus Imperatorum contra libellos famoſos, eorúmque Auctores & fautores.

Altera Appendix de libro, qui ſpeculum ſive Theoria & Praxis doctrinæ Jeſuiticæ inſcribitur.

Lib. 5. Leg. Francic. cap. 183.

OMnes, qui in fide Chriſti vel Catholica ſuſpecti ſunt, in teſtimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur, nec eis eſſe credendum, qui veritatis fidem ignorant.

APPROBATIO MAGNIFICI RECTORIS IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

JUre optimo contra Prædicantium inſanas vociferationes, & à vero alieniſſimas criminationes Apologeticus iſte in lucem exit.

PETRUS STEVARTIUS,
SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Procancellarius, & hoc tempore Rector Academicus.

RELA-

RELATIO
DE
STUDIIS JESUITARUM
ABSTRUSIORIBUS,
NUNC
IN GRATIAM PRÆDICANTIUM,
QUI AUGUSTÆ VINDELICORUM
QUINTUM EVANGELIUM PRÆDICANT,
AD EXAMEN VOCATA.

CAPUT I.

Quis fuerit Auctor famosi illius libelli, qui inscribitur: Relatio de Studiis Jesuitarum abstrusioribus.

A PRodiit iste libellus Anno Domini MDCVIII. Latinè & Germanicè; sed sine Auctoris, Typographi & loci, ubi excusus fuit, nomine. Ingenti mox applausu exceptus & circumlatus est à Sectariis; non tantùm in Germania, sed & in Bohemia & Hungaria; antè etiam, quàm typis subjiceretur, non defuêre, qui describerent, & exempla calamô exarata hinc inde missitarent ac spargerent, aliísque, seu volentibus, seu nolentibus, perlegenda obtruderent: cujusmodi exemplar chirographum ad meas quoque manus devenit. B Nec miratus fui, Relationem tam fœdam & mendacem, támque ab omni verisimilitudinis specie alienam usque adeò benevolas & pronas aures ubique reperisse; quia notus est mihi hæreseos genius, qui non alio pabulo magis saginatur, quàm quod ex crassissimis lœdoriis, pseudologiis, probris & contumeliis confectum est: *Sues libentiùs in lutum se immittunt graveolentissimum*, inquit Sextus Philosophus, *quàm in aquam puram & limpidam.* Et *cicuta*, quæ homini venenum est, *coturnices pinguefacit; sicuti hyosciamus porcos*, ait idem Philosophus.

Sext. lib. 1. Pyrrhon. hypothes.

C Bono certè ac firmo stomacho Novatores esse oportet, qui tot ac tanta mendacia tam facilè digerere ac concoquere queant. *Fuisse, ajunt, anum quandam Atticam, quæ cicutæ triginta holcas sine damno sorberet. Lysis autem etiam succi papaveris quatuor holcas nulla cum molestia hauriebat. Fuit & Rufinus quidam apud Chalcidem, qui bibens helleborum, neque postea vomebat, neque ullo modo purgabatur, sed ùt consuetum aliquem potum sumebat & concoquebat.* Sext. lib. 1. Mira sunt isthæc, quis neget? Sed longè mirabiliora, quæ hodie evenire videmus; ubi à fide devii & avii; non triginta duntaxat holcas, sed ingentia pestilentissimorum mendaciorum & teterrimarum criminationum plaustra tam facilè deglutiunt & digerunt, ínque succum & sanguinem suum convertunt, quàm non gravatè milvus pullum gallinaceum devorat, ínque carnem suam transmutat. Nec vel exiguam nauseam sentiunt.

D *Chrysermus Erophilius, si quando piper edisset, cardiacus erat, & quidem periculosè; Et Soterichus chirurgus quidam, si quando Siluri nidorem percipiebat, cholera corripiebatur.* Nihil horum accidit istis. Nec cardiaci fiunt; nec cholerâ efferveſcunt,

A veſcunt, quamvis non tantùm ſentiant, ſed & intra viſcera ſua recipiant quidquid mendaciorum & calumniarum ullus Haſenmyllerus, ullus Lauſerus, ullus Lermæus, ullus Arnaldus, ullus Miſenus, ullus Burdo vel Burdonicus pullus; ullus alius Novator & criminator, ſive nominatus ſive innominatus in Jeſuitas eructavit: amor & odium omnia hæc dulcia & jucunda reddit; mendaciorum, inquam, & calumniarum amor; (qui ubi admiſcetur, *fel*, *quod eſt amarum; id mel faciet*, ùt rectè dicit Comicus,) & inexſaturabile illud in Societatem Jeſu odium; quid enim proclivius, quàm ut falſa quæque de eo, quem oderis, vel ipſe fingas, vel ab aliis conficta credas, & quoquoverſùs diſpergas? Nil autem novum & inſolens, ſi Hæreticus Jeſuitas, totúmque eorum inſtitutum oderit, & infamare

B contendat. Num lupus amare poteſt agnos? *Non communicat mendacium veritati*, inquit præclarè ſanctus Irenæus, *ſicut non communicant tenebræ luci, ſed præſentia alterius excludit alterum.* Quis ſanctior Davide? Et tamen exclamare coactus eſt: *Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me, multi inſurgunt adversùm me.* Item. *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*, hoc eſt, immeritò; cùm nullam eis dederim odii cauſam. Quis in nominis divini cultu propagando ſtudioſior fuit ſancto Paulo? Et tamen hoc de ſe ipſe

2. Tim. 1. ad Timotheum ſcripſit: *Scis hoc, quòd averſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt.*

C Quis Deo dilectior & acceptior eo diſcipulo, qui ſupra pectus magiſtri ſui recubuit? Et tamen ſuos ipſe oſores, & oblocutores, & quidem infeſtiſſimos habuit; nam *is, qui amat primatum gerere in eis* (in Eccleſia) *Diotrephes, non recipit nos &c. verbis malignis garriens in nos, & quaſi non ei iſta ſufficiant: neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia ejicit.* Si ergo ſanctiſſimi quique ſpiculis obtrectatorum & maledicorum ſemper expoſiti fuerunt; inuſitatum videri nequit, ſi & illis, qui hac ætate pro vero contra falſum, & pro pietate contra impietatem decertant, eadem alea ſubeunda ſit.

D Porrò, ut ad rem propiùs accedamus, & perſonatæ *Relationi de ſtudiis Jeſuitarum abſtruſioribus*, larvam detrahamus, Auctorémque ejus, & totius fabulæ choragos ſub ſipario deliteſcentes in conſpectum univerſæ caveæ producamus; Pater mendaciloquentiſſimæ illius Narrationis eſt quidam Agyrta, qui ſe vocavit *Joannem Cambilhon.* Is Anno ſalutis M DC VIII. Auguſtam Vindelicorum venit; Et ut à Lutheranis Prædicantibus clariſſimæ illius urbis, homo famelicus, non tantùm gratiam iniret, ſed & offulam impetraret; finxit, ſe fuiſſe Jeſuitam in Collegio Græcenſi in Stiria; ſéque lectione poſtremi Colloquii Ratisbonenſis permotum, ut & Jeſuitis & toti *Papiſmo* valedicere cogitârit: Mox duo ſcripta latinè concepit, & Prædicantibus tanquam liberaliſſimis ſuis Mecænatibus ac Patronis dedicavit: quorum prioris hæc eſt inſcriptio:

E

Expoſitio cauſarum, quibus motus Joannes Cambilhon, olim Græcenſis Collegii Jeſuita, ex pernicioſo illo conſortio ſe ſubduxit, & ad Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiam ſe contulit; Ad venerabile presbyterium Auguſtæ Vindelicorum, anno reparatæ ſalutis M DC VIII. Mox ſubditur: *Brevis & perſpicua expoſitio cauſarum, & circumſtantiarum, quibus motus, ego Joannes Cambilhon peſtiferam, & impiam Jeſuiticam ſectam deſerendam duxi.* Expoſitionem G iſtam claudit hac clauſula Auctor: *Hiſce vos ego, Reverendi, & clariſſimi viri, & in Chriſto patres honorandi; Deo, & Patri omnis miſericordiæ, méque precibus veſtris demiſsè commendo, & hanc meam confeſſionem propria manu à me exaratam, ad futuram rei memoriam apud vos ſequeſtro. Valete, Auguſtæ Vindelicorum, 10. Martii, M DC VIII.*

F

Veſter in Chriſto
ad Obſequia
Joannes Cambilhon.

Alterius ſcripti eſt iſte titulus:

De ſtudiis Jeſuitarum abſtruſioribus & de Conſiliis ipſorum ſanguinariis; Ad venerabile Presbyterium Evangelicum Auguſtæ Vindelicorum Anno M DC VIII.

H Vix ab Auctore ſuo in Prædicantium manus gemina hæc charta pervenerat, cùm varia ejus apographa per Lutheranorum circulos & compita circumvolitare cœperunt; omnibus ſibi de hoc Proſelyto gratulantibus; ejúsque horrifica & diabolica prorſus mendacia & convicia cupidiſſimè amplexantibus & exoſculantibus; Nam genus hoc hominum mel ſibi *lingere videtur*, quoties vel legit vel audit nova in Jeſuitas maledicta, Scommata, Satyras, Invectivas.

Tan-

A Tandem posterius scriptum Latinè est evulgatum, & mox in Germanicam linguam conversum. Et publicatum cum hac Epigraphe. **Von der Jesuiten geheimbsten Sachen kurtze** Relation. **Aus dem Lateinischen verteutscht:** Metuebant scilicet sectarii, ne fructus tam horribilium mendaciorum solummodo ad latinè doctos manaret; si famosus ille libellus latinè duntaxat exisset. Quare operæ pretium visum est; si Germanicè itidem loqueretur, quò à rudi plebecula intelligi posset. Subticuit versor suum nomen, pudore, opinor, tam flagitiosi laboris absterritus; *nam omne malum aut timore aut pudore natura perfudit*, inquit Tertullianus; *hinc malefici gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati; ne torti quidem facilè aut semper confitentur; nolunt suum esse, quia malum agnoscunt.*

Tertull. Apolog. c. 1.

B Utrum prior Tractatus, quo apostasiæ & fidei, seu potiùs perfidiæ suæ causas reddit, in lucem exierit, nescio. Ineptus certè est, insulsus, & inficetus; suique patris simillima proles; partus non indignus, qui Prædicantibus obstetricantibus ex lumbis sui genitoris processerit.

C Quæres: quid tandem novus iste confessionis Augustanæ candidatus credat. Respondeo; Quæcunque Prædicantes jusserint. Omnia paratus est amplecti; hac tamen lege, ut non tantùm credenda præscribant, sed & edenda cum credendis apponant. *Credimus ac edimus, sic bene cedit opus.* Huc enim tendunt lamentabilia illa postulata. *Rogo per Christum venerabile ministerium hujus amplissimæ civitatis, ut exilij mei, ac extremæ nuditatis beneficam ineant rationem, ut inter reliquos pios homines, honestè conversari possim. Et pro hoc ipso sanè, quod jam in me collatum est, gratias habeo sempiternas. Deus erit, qui rependet. Et si aliqui nebulones, & agyrtæ pessimi Ecclesiæ Christi malitiosè imposuerunt, nolim tamen eorum levitatem, & projectam audaciam miseriæ meæ præjudicare. Nam seriò rem ago, pro qua jam plura, quàm nemo olim Cynicus perpessus sum.* Ferte citi panem, ô Prædicantes, alioqui Proselytus vester fame enecabitur. Ferte citi vestes, alioqui frigore obrigescet. Non displicet, quòd se cum Cynicis confert. Magis placuisset, si se omnino Cynicum, imò & Cynocephalum, ac κυνώπην nominâsset; séque κυνὸς ὄμματ' & σόμα possidere affirmâsset: Quid enim illo impudentius? Quid maledicentius? Qua utraque nota prisci Cynici vel inprimis claruerunt.

D In specie credit iste, vinum *ex genere suo* esse melius, quàm aquam: Dulcius item esse non esurire, quàm esurire; non sitire, quàm sitire; non obstante illo Evangelico. *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini.*

Luc. 6.

E Credit insuper, melius esse indui bonis vestibus, quàm laceris. Aquam benedictam rejicit; at non vinum benedictum; neque enim ideò hausturn vini vel cerevisiæ non haurit; quòd is, cui propinavit, solennia illa apprecatus est. *Prosit, proficiat; sit saluti, Deus benedicat;* vel quid assimile. In his & id genus aliis suæ fidei articulis adstipulatores habet omnes Prædicantes; In tribus tamen sequentibus vix est, ut suffragium Volcij, Rühelii, & aliorum de venerabili Ministerio sibi polliceatur. *Deiparam Virginem Mariam, & reliquos Sanctos, post Deum maximè colendos arbitror: & quia pro nobis orant, ùt ex Apocalypsi colligitur; vicissim æquum censeo ipsos invocari, sed non ùt Deum; & testantur tot miracula, non irritas esse preces. Statuarum cultum reijcio.*

F *Crucis signum eodem modo, quo nomen Jesu, honorari posse, salva conscientia, credo: & quia more antiquissimo receptum, crucis signo se commonefacere crucifixi Jesu Christi; nec id Lutherus improbat, retineri hunc morem posse puto.*

Patrum aliquem fuisse limbum ex priore Pet. cap. 3. manifestè colligitur; quæ causa fuit, cur sancti in veteri Testamento non fuerint invocati.

G Hos tres articulos obelo confodient absque mora Prædicantes; & suum Candidatum ad palinodiam adigent, quam canet non invitus, ùt hæc ejus verba indicant. *Licèt, ùt submetuo, adhuc multis & crassis possim teneri erroribus, quia in Papatu natus & educatus sum, tamen incredibili lætitia perfundor vel tantillum luminis consecutus: Ut idem mihi nunc accidat, quod cæco, cui Dominus oculos aperuerat, qui ex longinquo cernens homines tanquam arbores & carduos, est intuitus.* De arboribus meminit quidem Marcus cap. 8. sed unde, nisi de suo, huc carduos intulit proselytus? Utcunque sit; Prædicantes suo Candidato offam melle saporatam objiciant cum triobolaris Zythi pocillo; nec morabitur, quò minùs Christum, Deum; & beatam Virginem, Deiparam esse abnuat. Nihil est tam à fide alienum, quod ventris causa non sit promptissimè sibi persuasurus.

CAPUT II.

Relationem Cambilhonicam fide esse indignam, quia est libellus famosus.

H Si quis unquam in rerum natura libellus extitit, cui nomen Famosi libelli examussim quadrârit; is certè est ille ipse, de quo in præsentia loquimur: nam primò atrocissimè lacerat vitam, mores, & famam non unius & alterius privati hom-

A hominis, ſed integri Ordinis, qui per totum Chriſtianum orbem diffuſus eſt.

Secundò libellus iſte publicè ſparſus & diſperſus eſt non tantùm manu exaratus, ſed & typis excuſus, nec Latinè duntaxat, ſed & Germanicè; ut eò plures mendaciloquentia ſua inficeret, & venenatiſſimo tabo corrumperet.

Tertiò caret Auctoris nomine. Nec
B apparet nomen typographi; nec loci, in quo prælo ſubjectus fuit; nec ejus, qui ex Latino in Germanicum ſermonem tranſtulit. Quæ omnia manifeſto ſunt indicio, iſtos non vera ſcribere & prodere; ſed iis, quos odêre, calumnias ſtruere, ínque bonum eorum nomen ac famam ſycophanticè graſſari & bacchari voluiſſe; ſi enim quæ in hanc Relationem congeſſerunt, crimina ſunt, & quidem vera; non criminationes: & ſi probationes ſuppetunt, quibus freti Jeſuitas tantorum ſcelerum convincere queant; cur non in medium progrediuntur? cur non id, quod agere poſſunt, agunt, Rémque publicam & Eccleſiam factione & coitione hominum tam ſceleratorum liberant? *Si quis devotionis ſuæ ac ſalutis publicè cuſtodiam gerit*, inquiunt Valentinianus & Valens Imperatores; *nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio dicat: ita ut abſque ulla trepidatione accedat; ſciens, quòd ſi aſſertionibus ſuis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam, & præmium à noſtra clementia ſit relaturus.* Cur
C hanc rationem agendi contra Jeſuitas non iniêrunt Relationis hujus Auctor, Interpres, fautores & editores? Cambilhon Augustæ erat; Auguſtæ hunc famoſum libellum conſarcinavit: Auguſtanis Prædicantibus dedicavit. Quæ cauſa, quòd ad ampliſſimum & æquiſſimum ejus urbis Senatum hæc tanta crimina non detulerunt, ſi eorum veritatem monſtrare poterant? Magnam profectò ſolidámque à Senatu illo iniiſſent gratiam, & ſe una eadémque opera liberâſſent Prædicantes à perpetua illa moleſtia, quam
D capiunt ex aſpectu Collegii Auguſtani; neque enim juſtitiæ & honeſtatis amantiſſimus Senatus vel ad horam, ſua in civitate, Jeſuitas toleraret, ſi eorum Collegia, non virtutis & religionis, ſed talium ſcelerum & flagitiorum latibula forent, qualia Relatio iſta de Jeſuitis impudentiſſimè comminiſcitur: An Cambilhon cum ſuis Prædicantibus timuit illam legis appendicem? *Si verò minimè hæc vera oſtenderit, capitali pœna plectetur*; & ideo ad Senatum Auguſtanum accuſationem illam ſuam deferre horruit? Ita, opinor; Quare incolumitati ſuæ tutiorem viam ingreſſus eſt, procul dubio Prædicantium ſuaſu & ductu; qui tamen, ſi Evangelium in pectore, non in

L. ſi quis famoſum. C. de Fam. lib.

ſolis labris haberent; manibus pedibúsque
E eniti debuiſſent, ne Cambilhon potiùs famoſi libelli Scriptor & Auctor, quàm legitimus accuſator, & in publico foro contra Jeſuitas Actor eſſe vellet. Nam ſi *veri fides aſſertionibus ejus opitulabatur*, præter *laudem maximam*, præmium quoque à Senatu reportâſſet: nec fieri poterat, quin tam laudis, quàm præmii portio aliqua ad Prædicantes redundaret.

Quàm autem famoſis libellis nulla ſit F
habenda fides; multis rationibus ex lege, *Si quis Famoſum*, deſumptis oſtendi poteſt. I. Quia hujuſmodi libellus, eum, in quem ſcriptus eſt, non efficit infamem. Ita enim edicit lex: *Hujusmodi autem libellus alterius*, hoc eſt, ejus, in quem ſcriptus eſt, *opinionem non lædat*. Nihil ergo infamiæ ei inurit. Habetur igitur à Lege pro falſo, mendaci, ſycophantico & criminatorio. II. Quia lex Auctori capitalem pœnam decernit. III. Nec authori tantùm, ſed & inventori & lectori; qui tam nefariam chartam è veſtigio non aboleverit. Ita enim Lex. *Si quis famoſum libellum ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit; aut corrumpat priùs, quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non ſtatim eaſdem chartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit; ſciat, ſe quaſi auctorem hujuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum.* Væ capitibus veſtris, ô Cambilhon, ô Prædicantes, ô Verſor Germanice, ô Typographe, ſi legum ſeveritate vobiſcum agatur. Quam ergo fidem mereatur ille libellus, cujus Auctor, & propagator ſupremo ſupplicio afficitur?

Nec jus civile ſolummodo omnem hu- G
juſmodi libellis, & in iis etiam *Relationi* Prædicanticæ fidem abjudicat; ſed & jus Canonicum; ùt planum fit ex pœnis, quas in ejuſmodi libellorum architectos ſtatuit. V. Q. I. *Qui in alterius famam publicè ſcripturam, aut verba contumelioſa confinxerit, & repertus ſcripta non probaverit, flagelletur; & qui ea priùs invenerit, rumpat, ſi non vult auctoris facti cauſam incurrere.*

Videt ergo venerabile Miniſterium Au- H
guſtanum, ſe cum ſua Relatione & Relationis Fabro, neque Civilis, neque Canonici Juris beneficio fidem mereri. Quam enim fidem mereatur ea charta, cujus Auctori, propagatori & approbatori flagellatio decernitur? Jam nunc ſuſpicor, audito flagellationis vocabulo, comam ſtare Volcio, Lutherani Miniſterij Auguſtæ Antiſtiti; & vocem faucibus intercluſam hærere: cùm enim uſque adeò horreat & abominetur liberalia illa flagra, quibus nonnulli pietate ducti ſua in terga animadvertere conſueverunt, ùt in Virgidemia Volciana vidimus; multò magis exe-

A execrabitur illa, quæ à lictoris validamanu proficiſcuntur ; & tamen horum ſe reum fecit unà cum ſuis collegis ; hoc ipſo, quòd hanc famoſam Relationem ſibi inſcribi inſcriptámque evulgari & per Lutheranorum conventicula diſſipari paſſus eſt: nam aliter cum ſuis ſymmyſtis evadere non poteſt ; niſi ut ea, quæ Relatio illa complectitur, vera eſſe juridicè probet. At quando hoc præſtabis Volci ? Nunquam poteris. Non, *ſi te ruperis.*

B Dices. Quid ad me, & gregales meos illa Relatio ? Taceo alios titulos, quibus te concernit. An non vel hoc unico nomine ad te & tuos pertinet ; quia inventam, imò vobis oblatam, & miniſterij veſtri nomenclatura inſignitam, *non rupiſtis*, ùt loquitur Canon, vel, *non corrupiſtis, neque igne conſumpſiſtis*, & vim Relationis *hujus manifeſtâſtis*, ùt loquitur lex civilis ? Quo ipſo in communionem facinoris, quo ſe obſtrinxit; & pœnæ, cujus ſe Relationis Auctor reum fecit, veniſtis ; niſi Volcius cum ſuis pœnam Cæſarei Juris malit amplecti ; de quo ei nullam litem movebimus.

C In eodem loco Juris Canonici ſeu Decreti percenſetur ex S. Gregorio libelli Famoſi caſus, & quid in ejus opificem conſtituerit idem ſanctus & ſummus præſul. *Quidam maligni ſpiritus conſilio repletus contra Caſtorium Notarium, ac reſponſalem noſtrum nocturno ſilentio in publico civitatis loco conteſtationem poſuit in ejus crimine loquentem, mihique etiam de facienda pace callidè contradicentem. Et quia, quiſquis veraciter loquitur, ſemetipſum innoteſcere non debet formidare, oportet, ut publicè exeat, & quæcunque in conteſtatione ſua loqui præſumpſit, oſtendat. Quòd ſi non exîerit, neque publicè confeſſus fuerit, quiſquis ille ſit, qui hoc agere præſumpſit, vel conſenſum in tantæ iniquitatis conſilio præbuit, ex Dei, & Domini noſtri JEſu Chriſti ſpiritu definimus, ut Sancti ejus corporis, & ſanguinis participatione privatus ſit. Si verò, quia latet, & quoniam neſcitur, teneri ad diſciplinam non valet, ſi tanti mali conſcius, etiam prohibitus, corpus ac ſanguinem Domini percipere præſumit anathematis ultione percuſſus ſit ; ut fallax, ac peſtifer à ſanctæ Eccleſiæ corpore ſit diviſus.*

D Hæc in Auctorem libelli Famoſi S. Gregorius, & ex illo Jus Canonicum. Unde iterum eluceſcit, libellos ejusmodi fide & approbatione indigniſſimos cenſendos eſſe ; neque ullius boni prudentísque calculo corroborari poſſe, quandoquidem eorum cuſoribus tantæ pœnæ irrogantur ; tanquam hominibus civili & Eccleſiaſticæ ſocietati pernicioſiſſimis.

Ne tamen ex ſolo Jure Civili & Canonico Prædicantibus aliquid de libellis famoſis deguſtandum apponam ; accipiant & hæc ex Legibus Francicis fercula. *Si quis inventi fuerint libellos famoſos in Eccleſia ponere, anathematizentur.* Non igitur amplius eſtis, ô Volci, & vos Volciani ſocij, *Prædicamenta ;* ſed anathemata; quia libellum famoſiſſimum non tantùm poſuiſtis in Eccleſia ; ſed & per Eccleſiam latiſſimè ſparſiſtis. Alibi eædem Leges Francicæ. *Is, qui in blaſphemiam alterius cantica compoſuerit, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur. Nam lex exiliari jubet eos, qui libellos famoſos excogitant, aut proponunt.* Si Juris civilis pœna Prædicantibus nimis videtur rigida ; hanc Francicam eligant ; non obſtabimus, quandoquidem cum illis non ſummo jure, ſed mitiore tranſigere cupimus. Illud Prædicantes imo pectore abdant ſuadeo. *Non tantùm is, qui maledictum, aut convicium dixerit, famoſus efficitur, ſed & is, cujus conſilio factum eſſe patuerit.* Infames ergo ſunt Volcius & ſodales, quorum nutu tot maledicentiſſima convicia innocentibus Cambilhon dixit.

E Lib. 6. leg. Franc. cap. 143.

Lib. 7. cap. 142

F

Sed hæc talia videbuntur fortaſſe Prædicantibus nimiùm priſca, & ipſa vetuſtate jam vacillantia, vel potiùs contrario uſu an abuſu ? antiquata & abrogata jura ; quia ea in tempora incidimus, quæ *laudant ſemper antiquitatem, & novè de die vivunt*, ut Tertullianea phraſi utar ; Videant ergo quicunque ita ſentiunt novam Caroli V. invictiſſimi Imperatoris, contra libellorum famoſorum concinnatores, ſanctionem latam & promulgatam in Comitiis Auguſtanis anno Domini M. D. XLVIII. Sed quia prolixior eſt, & Germanico ſermone concepta ; ejus Latinam Epitomen ex Carolina Nemeſi Georgij Remi adſcribere placet ; ut etiam hinc planum evadat, quantum fidei *Relationi* Prædicanticæ, de qua agimus, habendum ſit. Ita ergo Carolinarum conſtitutionum Paraphraſtes Remus.

G

H *Qui convicium alteri in ſcriptis fecerit, hoc eſt, libellum famoſum, titulum, epigramma, carmen, picturam, alicujus famam lædens, ſcripſerit, & ediderit, propoſuerit, decantârit, ſparſerit ; neque nomen, quod in ſacro fonte impoſitum ſibi habet, & cognomen, quod à familia uſurpat, ſubſcripſerit, (Poteſt autem quiſque per leges inventis, ac ſcriptis ſuis nomen integrum præfigere, & addere ; imò verò debet.) Atque is eo libello, aut carmine injuſtè innocentis famam ſuggillet, atque laceret, eundémque oneret, reúmque dicat eorum criminum, ob quæ, ſi probari poſſent, læſus ſanguinis pœnæ ſubjiceretur ; ſi deprehendatur auctor, ea pœna, ſecundùm æquiſſimum talionis jus, quam famoſo, mendacique libello irrogari convitium paſſo voluit, plecti ſcriptorem, jus & fas eſt. Neque obſtat, vera quem*

A *quem probra alteri objecisse, & ingessisse; quòd puniri debeat is, qui quemcunque alio, quàm debuerat modo, diffamare attentârit: capitali quandoque pœna, interdum mitius. Adire enim ad tribunal potuisset, ubi, cùm suis assertionibus veri fides fuisset opitulata, laudem maximam, & præmium consecutus esset.*

Hactenus Nemesis Carolina; ubi vides, supplicio mactari, etiam illum, qui vera crimina de alio spargit modo illegitimo, qualis est iste, per publicam scripturam; dissimulato nomine, genere, statu.

B Sunt quidem nonnulli Jurisconsulti, qui dictum Pauli in L. 18. ff. de injuriis: *Eum, qui nocentem infamavit, non esse bonum & æquum ob eam rem condemnari: peccata enim nocentium nota esse, & oportere & expedire;* referant etiam ad libellos *Famosos*, si vera crimina contineant; sed alij, iique gravissimi Doctores id negant: etiam secundùm Jus Codicis Justinianei. Nam ex sanctione Constantini Magni, quæ reperitur lib. 9. cod. Theod. 34. clarum est, etiam vera libellis Famosis spargentes supplicio non esse subtrahendos. Utcunque tamen sit, nunquam isti ea, quæ in Famoso libello Cambilhonico disseminârunt, vera esse probabunt. Non, si Volcius cum suo Ministerio arterias omnes clamando ruperit.

Vide Andr. Fachin lib. 9. controvers. Juris cap. 11.

C Ex his igitur perspicuum relinquitur, Relationem de abstrusioribus Jesuitarum studiis, omni fide indignam esse; quia est libellus famosus, & quidem teterrimus; libellis autem famosis non debetur fides, sed supplicium, jure vetere ac novo; politico & Ecclesiastico: Francico & Germanico.

CAPUT III.

Relationem istam non mereri fidem, quia caret nominibus, Auctoris, Interpretis, Typographi, & venerabilis Ministerij Augustani; cui ab Auctore dedicata fuit.

D Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 2.

TErtullianus disputans contra Evangelium Marcionis, cui nullus adscriptus erat Auctor: *Et possem hic jam gradum figere*, inquit, *non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita Auctoris.* Idem & ego jure optimo hîc usurpem. Quæso enim, cur vel ipse vel alij omiserunt Auctoris nomen in publica famosi libelli editione? An non Joannis Cambilhonis nomen priori scripto, quibus causas non causas suæ perversionis exponit; & præscriptum & subscriptum erat in exemplaribus chirographis, quæ Augustæ Vindelicorum sturnatim circumvolitabant? An non similiter posteriori scriptioni, quæ per typos in lucem exiit, subnotatum legebatur hoc nomen: *Joannes Cambilhon?* Quæ, obsecro, causa expuncti hujus nominis? An puduit auctorem, tametsi pudoris profligati; tantæ impudentiæ, quantam per illam suam chartam in vulgus & rudem plebem diffusurus erat? An puduit Prædicantes, vanissimi hominis & nominis Cambilhoni, metuentes, ne si calumniis & conviciis tantis tam obscurum & ignobile nomen attexeretur, omnem protinus verisimilitudinem amitterent? E

Scio, nomen interdum *justè* supprimi posse; ídque alibi copiosè probavi; sed tunc justè reticeri, cùm alicui capitalia crimina intentantur; nego; quia, ùt rectè dicit S. Gregorius, cujus capite superiore mentionem fecimus, *quisquis veraciter loquitur*, præsertim in gravissimis proximorum suorum accusationibus) *semetipsum innotescere non debet formidare.* Et interest nôsse, *qui genus, unde domo*; qua sorte, qua conditione sit accusator: inde enim de fide, sinceritate & candore ejus conjectura institui, & judicium formari potest. F

Certè cùm omnia accuratiùs perpendo, causam omissi nominis aliam reperire nequeo, quàm quòd Cambilhon & Cambilhonici patroni, Prædicantes Augustani, animadverterunt, se probatione destitutum iri, si quo casu ad tantæ accusationis probationem adigerentur. Eadem proculdubio formidine perculsus Interpres Germanicus nomen suum celavit; ùt & Typographus suum & officinæ, & loci, in quo degit: nisi fortè in specu alicujus Caci degit; vel ipsemet Cacus quispiam est, hoc est, *semihomo*; neque enim integer & perfectus homo adduci posse videtur, ut suas æneas formas tam maledicis & execrandis lœdoriis & pseudologiis divulgandis defœdet ac contaminet. Cur ipsi etiam Augustani Prædicantes noluerunt palàm constare, quibusnam famosus iste libellus sacer atque dicatus esset? Cur eraserunt honorificum illum titulum? AD VENERABILE PRESBYTERIUM EVANGELICUM AUGUSTÆ VINDELICORUM anno M. DC. VIII. quem vel uncialibus characteribus imprimendum curari debebant Quintievangelici isti Stentores. Quid enim illis accidere glorioſius potuit, quàm quòd ea lucubratio ad illos missa est, cujus Auctor jure civili capitale supplicium; Jure autem Canonico, flagellationem, præconis ad fasti- G H

A fastidium, subire jubetur; & unà cum illo omnes ejus fautores, adjutores & promotores? Nec crebrò tam lauta vobis obvenit hæreditas, ut VENERABILE PRESBYTERIUM audiatis. Remansit quidem in textu illa vestri compellatio: VIRI REVERENDI. Sed quantò sonantius est istud? AD VENERABILE PRESBYTERIUM EVANGELICUM AUGUSTÆ VINDELICORUM. Nec ex illo: *Viri Reverendi*: ita generatim enunciato intelligi potest, quos Auctor famosæ Relationis alloquatur; quandoquidem plures reperiuntur in Germania vestri similes VIRI REVERENDI.

CAPUT IV.

Mentiri Auctorem Relationis, cùm se Jesuitam fuisse asserit.

B IN utroque scripto non semel affirmat Cambilhon, se in Jesuitarum Societate aliquot annos vixisse. Et necesse habuit hoc mendacium cudere; alioqui Prædicantibus tam gratus hospes & advena non venisset. Haud *Beneventanus* venerabili Presbyterio Augustæ Vindelicòrum fuisset. Licèt enim Prædicantes abominentur Jesuitas, dirisque omnibus devoveant; Jesuitarum tamen retrimenta cupientissimè excipiunt & amplexantur; quod cùm non ignorent ista hominum mendicabula; ex Jesuitarum consortio sese, Evangelij amore, aufugisse fingunt; ut eò certiùs & citiùs Prædicantium gratiam obtineant: cujus generis plures Augustano Ministerio os sublevisse, indicat Cambilhon in priore scripto, quando negat, se esse unum ex *illorum nebulonum & agyrtarum pessimorum numero*, qui figmentis suis Prædicantes circumvenerint, ac in fraudem induxerint.

C In Relatione tamen arbitratur, istos verè fuisse Jesuitas; qui mutato suo habitu, & exulum schemate assumpto, *venerabili Presbyterio Evangelico* indignè illuserint. Sed de hoc postea. Illud certum est, Apostatas Prædicantibus gratiores & exoptatiores advenire; si sub deserti *Jesuitismi* specie, advolitent: ùt Anno superiore fecit quoque Joannes Salomon Schlossius Patavienſis, cujus famelicam & sitibun-

D dam ad Prædicantes Witebergenses Epistolam, Lutherani statim in Germanicam linguam transferendam, & typis describendam curârunt, ingenti omnium Lutheranorum gaudio & tripudio ob hunc hircum ad Lutheri hircile aggregatum. Ferebat ille, se quaternis in Collegiis Jesuitarum habitâsse, Ingolstadij, Monachij, Viennæ, Brinnæ in Moravia: Et tamen quàm certus sum, me nunc vigesimo tertio Anno, absque ulla interruptione, Ingolstadij degere, tam certus sum, hujusmodi Salomonem nunquam nobiscum in hoc Ingolstadiensi Collegio vixisse; ùt neque in Monacensi; alióve ex illis, quæ per Bavariam, Sueviam, Tirolim & Helvetiam incolimus: In Austria itidem nemo ex nostris hunc Salomonem agnoscit: nam hujus rei explorandæ gratia Lincium & Viennam scripsi: omnésque, quotquot de nostris ex superiore Germania à triginta annis in Austriam missi sunt, de nomine & facie novi. Nullus inter illos Salomon. Nullus Schlossius; qui, nisi viginti annos se apud Jesuitas transegisse mentitus fuisset; forsan Hutterus Wittebergensis & Collegæ eum suo aspectu dignari recusâssent. Sed de hoc peripsemate plura dixi in Examine strenæ Lauserianæ.

E

Ad Cambilhonum remeo; qui se Jesuitam, & quidem in Collegio Græcensi, fuisse affirmat. Respondeo, illum id agere, quod in tota sua Relatione à primo apice, usque ad postremum agit; nempe mentiri. Quod probo. I. quia ut rem certò explorarem, Græcium scripsi ad *P. Jacobum Crusium*, quem Cambilhonio simillimus criminator, Hasenmüllerus in sua Historia Jesuitica conviciis & mendaciis passim onerat. Rescripsit ille, nullum hujus nominis unquam in Collegio Græcensi habitâsse; idque testari Patres, qui Collegium Græcense ultra annos triginta incoluerunt.

F

II. Scripsi Viennam ad *P. Georgium Sturnum* Philosophiæ in Collegio Viennensi Professorem. Rescripsit ille; nullum Joannem Cambilhonum Viennæ agnosci; ùt nec in aliis aliarum urbium Collegiis. Neque etiam illum Patrem, qui P. Provinciali in Provincia lustranda & obeunda diu socius ac comes fuit; & cui omnium sociorum totius Provinciæ nomina cognitissima erant ex Catalogo, quem ratione officij secum perpetuò ferebat; quidquam de hoc Joanne Cambilhono compertum habere. Quam ergo fidem meretur iste Agyrta, cùm se in Provincia Austriæ, & postremò in Collegio Græcensi Jesuitam fuisse memorat? An fortè, ùt Lutheranorum ante Lutherum Ecclesia, invisibilis Jesuita fuit?

G

III. Imperitissimè de rebus Jesuitarum & illis ipsis, quæ ad Provinciam Austriæ pertinent, blaterat. P. Martinum Delrium *Provincialem* facit, qui, ùt omnibus notum, nec Austriæ, neque ulli alij Societatis Provinciæ unquam præfuit; sed Græcij sacras litteras docuit; inde in Hispanias, Salmanticam rediit. Ex Hispaniis in Belgium; hinc, ùt speramus, in cœ-

H

fol. 16.

A lum, mortuus Lovanij Anno M. DC. VIII. in Octobri.

P. Andream (sine dubio, Neupaur, celebrem illum Pragensem Ecclesiasten) facit *Regentem Pragensem* in scripto suo priore. De quo P. Crusius suis ad me Græcio litteris. *Mentitur etiam impostor, Regentem Pragæ fuisse P. Andream; Fuit enim & est P. Jacobus Colenz.*

Regentem cum Rectore semper confundit. Quis in rebus nostris tam hospes est, qui nesciat, aliud & alium esse Regentem; aliud & alium, Rectorem? hunc, qui nostris Collegiis, eorúmque indigenis præsidet; illum, qui moderatur ea domicilia, in quibus studiosi adolescentes degunt, ádque pietatem & litteras sedulò excoluntur; cujusmodi domicilia pauca sunt, neque præterquam in Academiis, & celebrioribus Gymnasiis, erigi consueverunt.

B Quàm item illud magnam nostrarum rerum cognitionem sapit. *De Disciplina*
fol. 12. *Novitiorum, qui jam votis se adstrinxerunt, nihil dicam.* Num apud nos aut ullo alio in Ordine, censentur *Novitij*, qui Deo,
fol. 13. votis nuncupatis, se jam obligârunt? Item: *Reliqui Novitij communibus convictoribus sunt immixti.* Quid à disciplina nostra alienius, quàm ut Novitios inter convictores, hoc est, inter studiosos sæculares, versari sinamus? Quis nescit, Novitiis suas esse proprias sedes, quas *Novitiatus* seu *Domos probationis* appellare solemus? Quòd si quando, aliqua ex causa, Novitius quispiam, ante exactum biennium ex tyrocinij domicilio educitur; tantum abest, ut in convictorum ædibus collocetur, ut etiam in Collegio, non nisi cum certis agendi & loquendi potestatem habeat.

C Quale item mendacium illud: *Quovis*
fol. 16. *ferè triennio Jesuitas ab uno collegio in aliud transferri.* Nam ego ipse, qui hæc scribo, jam vigesimum tertium annum Ingolstadii ago; idque absque ulla interruptione; Et passim reperias, qui uno in loco decem, duodecim, quindecim, viginti, viginti quinque & ampliùs annos consumpserint. Vel P. Andreas Neupaur Pragensis concionator istum dehortari poterat, ne hanc pseudologiam effutiret; qui supra bis denos annos ex Ecclesiastico suggestu Pragæ dicendi ad populum munere fungitur. Novi, qui quadraginta octo annos in Monacensi & Ingolstadiensi Collegiis vixit, cui, ut Deus plures superaddat, opto. Cætera in suum tempus & locum rejicio.

D Ex his satis liquidò apparere arbitror, Cambilhonium Prædicantibus Augustanis, & postea toti Germaniæ fumos vendidisse, cùm se à Jesuitis ad Confessionem Augustanam transisse scribit: nam & hæc, quæ jam diximus, & quæ mox dicturi sumus, perspicuè eum vanitatis & falsitatis redarguunt. Sed Jesuitismi deserti schemate velatus advolare debuit; alioqui periculum erat, ne Prædicantium culinam reperiret occlusam. Nec alia de causa in priore suo scripto commemorat, se, lectione *Protocolli* colloquii Ratisbonensis illuminatum, veritatem Lutheranam agnovisse. Nimirum Prædicantium auriculis servire, illisque jucundum acroama accinere oportuit; alioqui famelicum Cambilhonum nullâ offa refocillâssent; nec seminudum vestivissent.

Nec improvidè egit, quòd Tannerum & Gretserum conviciis egregiè incessivit; quia ad conciliandam Prædicantium benevolentiam plurimum ponderis affert, probra & calumnias, quasi ex plaustro jacere cùm universim in omnes Jesuitas, tum præsertim in illos, qui libris suis Prædicantium virtutes & eruditionem patefaciunt.

E Superiore Anno demulcebat Salomon Schlossius Polycarpum Leiserum, quasi lectis duabus, quas Pragæ habuit, concionibus ex tenebris ad Lutherani Evangelii lucem evasisset. Cujus impulsu hoc fecit? Famis. Famebat miser; Gratum melos Lausero demodulandum erat. Cambilhon *Protocollum* Ratisbonense arripuit. En qualem quantumque virum Luthero & venerabili Ministerio Augustano lucrifecit Ratisbonense *Protocollum.* Bene sit tibi, ô Protocollum! si lectione tua, nulli alii ad Lutherana castra pertrahuntur, quàm Cambilhonii, hoc est, bipedum postremi.

F Faciamus tamen Cambilhonium fuisse aliquando Jesuitam; idque, quod palàm asserit, à vero non devergere; (prout revera devergit) an ideo Relatio ejus non erit libellus famosus? An ideo crassissima, quæ effudit mendacia, in veritatem transformabuntur? An ideò major verisimilitudo tam spissis pseudologiis accrescet? Quis unquam desertor Ordinis, Ordinem, quem deseruit, laudavit; præsertim, si non à sola professione religiosa, sed & à fide orthodoxa ad heterodoxos defecerit? Neque aliter agere potest apostata, nisi se & suam Apostasiam apertè culpare ac damnare velit.

G

H Nec mirandum, talia carcinomata crescere aliquando & adolescere in Religiosis Ordinibus, & tandem erumpere. Vel collegium Apostolicum inspice; An non in illo Judas comparet? *Nam & Judam inter Apostolos Dominus elegit*, inquit S. Cyprianus, *& tamen Dominum Judas postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum Societate defecit: Sic & hîc non statim confessorum* (Religiosorum Ordinum) *sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est.* S. Cyp. lib. de unitate Ecclesiæ.

Cùm

A Cùm à Luthero varii ad alias sectas, ùt ad Anabaptismum, Zvvinglianismum, Schvvenckfeldianismum, quotidie descisscerent, hac apologia inter epulas apud suos commensales se & suam causam tutatus est. Luther sagt. Wittenberg gibt dennoch zimliche Schwärer, aber wie soll man ihm thun. Es heisset, wie S. Johannes spricht in seiner Epistel. Sie sind von uns außgangen, aber von uns nicht gewesen. Die falschen Apostoln und Brüder mußten von denen Aposteln herkommen. Wo kommt der Teuffel her? von Englen. Wo kommen die Huren her? von Jungfrauen. Wo kam Cain her? von Adam und Eva. Lutherus dicebat: *Witeberga sat gravia ulcera patitur. Sed quid agas? Verum est illud S. Joannis in Epistola: Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Pseudoapostoli & falsi fratres ex Apostolis prodierunt. Unde Diabolus? ex Angelis. Unde meretrices? Ex virginibus. Unde Cain? Ex Adamo & Eva.* Hæc non malè Lutherus, quod ad rem ipsam attinet; Etsi malè, quòd commodum responsum ad sectam suam perversè accommodavit. Quodnam corpus tam sanum est, quod excrementis careat? Imò hinc vel maximè sanitas ejus elucescit; quia sordes non retinet, sed egerit & excernit, ne partes sinceras corrumpant.

Luth. colloq. Sympos. tit. de Antechristo.

B

C Illud imis medullis recondendum est, quod S. Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 22. sapienter monet. *Si verò aliquis dicat, in Fratribus esse aliquos vitiosos; (neque enim universos, opinor, culpabit. Nec enim propterea, ut vitiosi essent, societatem illi coiërunt, ut unanimiter cuncti improbi essent: Sed, si quis improbos quosdam reperiri inter fratres dicat, ejusmodique, qui & temerè officia cuncta pervertant, & honestatem negligant, & convenientem ordini illi contemptim imminuant disciplinam; ac propterea hujuscemodi hominum societatem relinqui oportere, nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Siquidem, neque Petrus, neque Andreas, Joannésve, propter Judæ improbitatem se à reliquorum Apostolorum choro submoverunt; neque alius de Apostolorum numero quispiam, hanc ad recedendum ansam arripuit; neque quò minùs Christo obtemperans*

D *esset, ulla in re illius vitiis retardatus est: sed, contra potius, relicta illius perversitate Dominicæ disciplinæ servientes, ac morigeri, pietatem, virtutemque magno ipsi studio sectabantur. Ex quo intelligitur, qui aliorum improbitate cogi se dicat, ut à spirituali se segreget societate, eum neutiquam idoneam levitatis suæ causam invenisse. Quin ipse potiùs terra petrosa est, qui præ imbecillitate consilii, veritatis verbum alere non potest. Cúmque aut propter vel tantillè tentationis incursum, aut vitiosæ affectionis intemperantiam, honestatis, & continentiæ studiosum vivendi institutum non ferat, concitus flagranti vitiorum æstu torretur, & unà cum tenero adhuc doctrinæ germine exarescit:* E *nempe qui sibi causas verisimiles quidem illas, sed ad defensionem ante tribunal Christi haud satis idoneas, ex animi sui sententia confingat, sibique ipsi facilè imponat.* Hæc scitè & verè magnus inter Sanctos Basilius.

CAPUT V.

Nugæ & Pseudologiæ Cambilhonianæ de Jesuitarum Musèo, Bibliotheca, & Provincialis examine.

F ETiam hinc manifestum evadit, Cambilhonum nunquam inter nostros vixisse; aut certè dedita opera omnia mendaciis & calumniis involvere ac implicare voluisse. Fol. 12. suæ Relationis *Musèum* describit *& bibliothecam*; non tamen nostram, sed illam, quam in malè feriato suo cerebro exædificavit: Musèum vocat locum seu conclave, *in quo collegæ & socii studiis, lectioni, & scriptioni pariter vacant; unusquisque pro ratione & modo muneris ac functionis suæ.* Hoc in Bibliotheca exstruxit; vel potiùs Bibliothecam in Musèo; cùm nemo nostrarum rerum vel pauxillulum gnarus ignoret, æstivo tempore unumquemque degere & versari suo in cubiculo vel solum, si Collegii laxitas sinat; vel cum socio, si angustiæ obstent. Mensibus hybernis, ubi frigus, ùt in Germania, intensius fornacis calore depelli debet, plures simul degunt; non tamen in Bibliotheca, nisi summa necessitas compellat; sed alio in habitaculo, ad ignis calorem recipiendum & retinendum idoneo: neque enim consultum est, ut præter illos libros, qui unicuique in singulas horas sunt necessarii; alii in loco, pulveribus & fuligini prorsus obnoxio, prostent.

G

H Sed nunc Cambilhonius nos in Musèum abs se exstructum introducere cupit. Præi, sequimur: tantùm mone, quid facto opus. Obtemperabimus sedulò. Arrigamus aures ad mystagogi nostri monita. *Ubi in Musèum te contuleris, ad dextrum latus te converte.* Jam parui. Jam dextrorsum me verti. Quid inde? *Videbis ibi lectissimam & conquisitissimam Bibliothecam omnis generis Auctorum.* Utinam non mentireris. Utinam quolibet in Collegio ad dextram Musèi partem lectissimam & instructissimam Bibliothecam cernere liceret. Quàm libenter oculos ad dextram illam partem verterem. Quàm jucundum pars hæc, tanto thesauro exornata, spectaculum oculis meis exhiberet. Dicerem è vestigio cum illo: *Non mi aurum posco, non mi pretium dederitis;* sint sua Regna Regibus, ἐμὶν δ' ἀ μῶσα καὶ ὠδὰ, τᾶς μοι πᾶς εἴη πλοῖος

A πλοῖος δόμος, ὅτε γὰρ ὕπνος, ὅτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, ὅδε μελίσσαις ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι (βίβλοι) Φίλαι. Sed tamen, ut nonnullis in Collegiis Bibliotheca elogium *lectissimæ & exquisitissimæ* mereatur; non desunt tamen, & quidem longè plures, in quas encomia *lectissimæ & exquisitissimæ* Bibliothecæ à Relatore veraciter non conferri, doleo. Ut ut sit; non video, quid criminis patretur, si illi, qui cum professione religiosa omnes disciplinas à suo instituto non abhorrentes amplectuntur, de libris probæ & exquisitæ notæ comparandis & congregandis sint solliciti.

B Sed nimis diu moror bibliophantam nostrum. jam pridem plura, visu mira, monstrare gestit. Perge ergo. *Libri omnes in pelles aut membranas nitidissimas compacti auro & argento radiant.* Non video, ô bone, *has pelles*; non video has membranas; non video hos auri & argenti radios. Adesto, Volci, cum venerabili Ministerio tuo. Ingrediamur simul Bibliothecam Collegii Augustani. Brevis est via. Vestras capellas interea Tityrus custodiet. Dispiciamus, num has Cambilhonicas *pelles*, has Cambilhonicas membranas nitidissimas, & hos auri & argenti radios videre possimus. Quid moramini, Prædicantes? Intrate in Bibliothecam. Quid foris statis? Quid moramini vos
C cæteri Calviniani & Lutherani? Ferte pedem intrò; in Bibliothecas, inquam, nostras, circumferte oculos. Lustrate, ubi sint *illæ pelles*, ubi illæ membranæ, ubi illi radii. Tam inhumani non sumus, ut etiam veræ fidei extraneos à nostris Bibliothecis arceamus. Multi viderunt, multi indies vident. Num viderunt aut vident, quæ Cambilhon videri fingit? Qui si tam projectè & propudiosè mentitur in iis, quæ plurium oculis conspicua sunt; quis credet, eum vera dicere, quando de subterraneis quibusdam cellis, ergastulis & pistrinis fabulatur?

D Quid amplius, ô Hierophanta? *Quorum librorum usus est quotidianus, illi pulpitis dispositi in prælonga tabula catenis sunt alligati.* Iterum moneo venerabile presbyterium Augustanum, (cui Ratisbonense jungere liceat) ut dignetur Augustanam & Ratisbonensem Bibliothecam Societatis JEsu adire, vel aliam quamcunque; si catenas hasce Cambilhonicas Prædicantes repererint, tum ego Cambilhonio mendacii dicam scribere desistam. Quid cunctamini, ô Prædicantes? In rem præsentem eatur. Mox oculi vestri vobis renunciabunt, quàm vanus & mendax sit iste vester cliens; qui quæ alibi vidit; ad Bibliothecas nostras transfert.

Nec ista persequor, quasi alicui vitio vertendum sit, si libris catenas injiciat; E Reddere possunt, qui hoc agunt, facti sui justas & probabiles rationes; sed ut appareat, quid Relatori huic fidendum & credendum sit, cùm minùs obvia narrat; quando religioni non habet iis de rebus, quæ in omnium oculos quotidie incurrunt, tam splendidè mentiri.

Protolle nunc pedes Relator, ut & nos F unà tecum gradum promoveamus. *Ad interiorem Bibliothecam solis ingredi licet patribus, & libros inde mutuari, quos velint.* Et tamen in ipsa Bibliotheca Museum tam sacerdotibus, quàm non sacerdotibus commune statuis. *Cujus dextrum latus obsideant patres; sinistrum, juniores, qui jam ordines aliquot susceperunt.* Si Juniorum Museum est in ipsa Bibliotheca, ubi prostant libri illi nitidissimis *pellibus* & membrana splendescentes, auróque & argento radiantes; quomodo junioribus ad interiorem Bibliothecam non patet accessus? Et quinam sunt illi juniores, qui *jam aliquot ordines susceperunt*? Apud nos, qui confecto studiorum curriculo, digni sacerdotio judicantur; intra semestre ple- G runque, & sæpe citiùs, prout fert temporis opportunitas, ipsam sacerdotij dignitatem consequuntur; neque enim Societas hoc in more positum habet, ut quis in gradu subdiaconatus vel diaconatus uno vel pluribus annis permaneat. Et quamvis alioqui ad Bibliothecam non pateat omnibus promiscuè accessus, falsum tamen est solis Patribus patere; nam & Magistri, sacerdotio necdum initiati, liberum habent aditum: Et sæpe contingit, ut ipsi Bibliothecarij non sint sacerdotes, sed vel Magistri; vel litterarum studiosi.

Junioribus, inquit Relator, *prostant* H *illi quotidiani, nec sine venia Regentis è reliquis vel apicem excerpere licet.* Iterum *Regentem* cum *Rectore* miscet. Quod sanè arguit, istum rerum Jesuiticarum perquam peritum esse. Alludit Relator suis verbis ad minores illas Bibliothecas, quas nos vulgò *communes* nominamus; quia omnibus patent; eósque libros complectuntur, quorum usus frequentior esse solet, quàm aliorum; nam quòd discipulis, qui vel litteris humanioribus, vel Philosophiæ, vel Theologiæ operam navant, non permittitur indiscriminatim quorumvis librorum usus & lectio, id optima fit ratione; quia varietas Auctorum parit confusionem ingeniorum; & dum omnes evolvuntur, nullus discitur, aut intelligitur; simúlque veritas illorum versiculorum, tametsi non sine jactura, palàm fit ac cognoscitur:

Qui

A *Qui binos lepores una ſectabitur hora,*
Uno quandoque, & quandoque carebit utroque.

Perluſtravimus dextram Bibliothecæ. Nunc lævam inſpiciamus ; quia monet Bibliophanta : *Ad ſiniſtram reſpice.* Jam reſpicio. Quid viſurus ſum ? Num tua mendacia ? *Ibi cernes miſeros hæreticorum libros in luctu & ſqualore conſtitutos, & quidem atris pellibus, atris membranis ligatos, & atro colore deſuper tinctos omnes.* Siniſtrum ergo latus tenent libri Hæreticorum. Malum omen eſt ; quia ſignificari videtur horum librorum Auctores, fautores & propugnatores, ad ſiniſtram Chriſti Judicis noviſſimo in judicio ſtaturos, in luctu & ſqualore ; *atris pellibus* contectos, & tartareo colore tinctos, mox magis tingendos ; ubi audiêrint illud celeuſma. *Ite maledicti in ignem æternum.* Hîc ite-
B rum convenio Prædicantes, præſertim Auguſtanos, quibus Relatio iſta ſacra eſt, & ex voto dicata ; rogoque, ut ne graventur vel omnes, vel aliqui à venerabili Miniſterio ad id deputati, Auguſtanum Collegium Societatis JEſu, vel quodcunque aliud adire, & oculis ſuis explorare; num vera canat iſte Confeſſionis Auguſtanæ proſelytus. Hîc nulla alia re opus eſt, quàm oculis ; & voluntate utendi oculis. Quid ceſſatis, Prædicantes ? Inſpicite, aſpicite. Fiet copia, ampla, larga ; imò ampliſſima, largiſſima ; non tantùm Auguſtæ ; ſed & alibi locorum, quocunque explorandi gratia, tendere lubuerit. Si quiſpiam veſtrûm huc venerit ; ego promptuarium librorum hæreti-
C corum ipſemet vobis pandam ; cujus, utpote promus condus, claves ſemper penes me habeo. Ibi contemplabimur amabilem faciem comptámque comam Volcii, & aliorum quinti Evangelii præconum ; & ſi placuerit, oſcula feremus labiis illis, ex quibus mel, nectar & ambroſia verbi Dei fluit : libróſque Hæreticos *atris pellibus*, atríſque membranis cinctos, & *atro colore* deſuper tinctos, amiciemus veſtibus candidis, & minio, vel potiùs auro obryzo colorabimus. Quid ampliùs deſideratis, ô amiciſſima mihi & veritati capita ?

D Adjungit Relator. *Ex his* (libris Hæreticis) *ne patribus quidem eximere fas eſt, quos deſiderant, ſine præſcitu Regentis* (iterum Rectorem tranſmutat Metamorphita noſter in Regentem) *Junioribus autem ne petere quidem licet, niſi carmine prius aut alio ſcripto, hunc ipſum Auctorem, cujus ſcripta recognoſcere cupiunt, omni genere conviciorum proſciderint.* Eccleſia vetuit lectionem librorum Hæreticorum, non Jeſuitæ. Quapropter non mirum, ſi Jeſuitæ hoc Eccleſiæ interdictum reverenter obſervent, ſuóſque à peſtilentium chartarum uſu arceant, exceptis illis, quibus boni communis cauſa, hujuſmodi libros tractandi poteſtas E conceditur ; ùt ferè concedi ſolet Theologiæ profeſſoribus, concionatoribus, & qui lucubrando lupos ab ovili Dominico arcent. Cæteris quo bono aut commodo vetitorum & fœtidorum voluminum lectio permitteretur ? Quodnam operæ pretium inde referrent ? Nullum ego video, niſi temporis & otij malè poſiti jacturam ; ut taceam, non omnibus eſſe tutum peſtilenti aura afflari. *Qui Pſylli vocantur*, inquit Sextus Philoſophus, *ne ſi à ſerpentibus quidem aut etiam aſpidibus mordeantur, læduntur : & Æthiopes illi, qui ex adverſo Meroës habitant, Hydaſpis fluvij accolæ, ſcorpios & ſerpentes, & hujus generis alia citra periculum comedunt.* At non cuivis talis natura obtigit.

Quæ de carminibus in poſtulatum Au- F ctorem pangendis, Relator aſſuit, mendaciis accenſe : nam Rectores, vel potiùs Provinciales, nemini hæreticos libros attingendi poteſtatem faciunt, niſi illis, quos ſuprà memoravi ; nec niſi bono publico id efflagitante.

Simile mendacium effudit Schloſſius ſua G in epiſtola, ſcriptitans, Leiſeri duas conciones Pragenſes à P. Andrea Neupaur, Pragenſi concionatore, quem ipſe *Jeſuitarcham* nominat ; miſſas fuiſſe ad Jeſuitas Brinnenſes, *ut eas, quantum quiſque valeret, omnis generis ſcabioſis rhythmis & verſibus compungeremus ;* ſic enim loquitur Schloſſius. Qui dum Leiſerianas conciones lectitat, & ſtercora illa Polycarpica rimatur & ruſpatur, margaritam Evangelii Lutherani reperit ; & derepentè ex denſa caligine in admirabile verbi Lutherani lumen emerſit. Sed hæc & id genus alia de lectione librorum vetitorum quàm à more & conſuetudine Societatis abhorreant ; nôrunt omnes, qui nôrunt, quàm ſanctè detur opera, ut Eccleſiaſticæ ſanctioni, quæ lectionem damnatorum librorum prohibet, ſatisfiat. Quapropter Provinciales, non niſi cautè & circumſpectè, etiam cum Theologis & concionatoribus ſuper hac re diſpenſant : tantum abeſt, ut ineptiſſimos Schloſſios & Cambilhonios hac poteſtate donare ſoleant : Quanquam quî donaſſent, cùm uterque noſtri Ordinis inſigne eam ob cauſam ſolummodo aſſumpſerit, ut Prædicantium gregi mendacia ſua vendibiliora efficeret ?

In Muſæo attribuit Relator dextrum lo- H cum Patribus ; ſiniſtrum junioribus : variáſque cellulas cæruleo velo diſcriminatas architectatur. Sed rarò contingit, ut hypocauſtum quodpiam adeò ſit latum, ut duos ſedentium ordines capiat ; & ſi quando tanta eſt conclavis amplitudo ; ſedetur, ùt cuique commodum eſt, vel, ùt is,

A is, qui præest, commodum judicat; abs- que ullo sacerdotii ad dextram locandi re- spectu.

Reliqui Novitij communibus convictoribus sunt immixti, inquit Relator, *ut ipsos ob- servent, eisque Jesuitici Ordinis suavitatem & excellentiam continuis vicibus deprædicent.* Hanc vaniloquentiam jam suprà redargui- mus. Nimirum, quàm verum est Novi- tios nostros inter convictores degere, tam verum est illos eo fine, quem iste com- minisci tur, degere. Neque necesse est manifestas ineptias pluribus refellere; ne- que istas attigissem, nisi mihi viam aperi- rent ad refutandas graviores criminatio- nes; si enim tam mendax est in iis refe- rendis & describendis; quæ secus sese ha- bere ipsi oculi, Prædicantibus, si velint, monstrabunt; nemo certè ex prudentium numero sibi persuaderi patietur, Relato- rem in narrandis abstrusioribus fideliorem & veraciorem esse.

B Æquè stulta & fungina sunt illa, quæ Cambilhon nugatur de examine Provin- cialis, quando quotannis Collegia visitat: Ut cùm dixit, eum quærere, *num crebrio- res habeant Theologi disputationes, & contra quos maximè, quos libros, & de qua materia in lucem ediderint nuperrimè.* Et tamen, in- scio & inconsulto Provinciali nullus potest librum scribere; tantum abest, ut ipso ig- norante evulgare queat, cùm à Provincia- li potestatem & scribendi & publicandi accipere debeat; uti & censores ac recog- nitores operis, antequam in vulgus exe- at. Quo igitur pacto Provincialis demum in Visitatione inquirit, *qui & quales libri, & contra quos*, à Theologis foras dati fue- rint?

C Ejusdem farinæ est illud: *Tandem quærit de Discipulis, Convictoribus, Novitiis, & reliquis, quot eorum sint numero.* Scilicet Provincialis ignorat, quot sua in Provin- cia Novitios habeat; cùm ipse omnes in Societatem cooptet, omniúmque nomina & cognomina in Catalogo descripta, se- cum perpetim circumferat. De numero discipulorum & convictorum generatim quærit, nec immeritò: at non, *quantus cujusque sit profectus: ad quod quisque stu- dium inclinet. Num quis inter eos spinosior & scrupulosior?* Nimiùm profectò multum otii à suo officio haberet Provincialis, si de singulorum discipulorum profectu, mo- ribus, indole & inclinationibus examen institueret. Et quando tandem huic suæ examinationi & inquisitioni finem impo- neret, ubi Collegiorum scholæ tam sunt numerosæ, ut discipuli ad sexcentos, octin- gentos, millenos, & quod excurrit, ascen- dant? Cura hæc Magistris & illis, qui stu- diis præfecti sunt, demandatur.

D Porrò ùt pleraque alias, sic maximè istas de Principibus Lutheranæ & Calvinia- E næ Confessionis quæstiones Cambilhonius ex suo cerebro exsculpsit, *Quinam sint vi- cinorum hæreticorum principes. Crebriùs sint domi, an alibi? Ad quosnam proficiscantur frequentiùs? Quali quisque sit ingenio? Quibus rebus ut plurimùm delectetur? An curam ali- quam suscipiat Reipublicæ? An amore & stu- dio teneatur religionis? An potiùs vino, Vene- ri & venatui indulgeat? An & quos habeat in aula Catholicos? Quinam sint populares rumores de suis principibus? Num Ecclesiæ ad- versariorum faveant? Num Pastores Eccle sia- rum sint viri docti & diligentes, an verò som- nolenti & illiterati?* An Volcius, Rühe- lius, & alii Ministerii Prædicantici contri- bules, non sint calumniatores, qui talis F ac tanti calumniatoris criminationes sibi dicatas non tantùm obviis ulnis excepe- runt, sed etiam Latinè & Germanicè per varias orbis partes disseminârunt, ut ea- rum non fructus, sed virus ad plures re- dundaret? Quid quæstiones illæ de Prin- cipibus ad Provincialem? quas, ut Prædi- cantes non modò Lyncei, sed & Lynces forent, in Formula Visitandi, quæ Pro- vinciali præscribitur; nunquam reperient: quia extra fanaticam Prædicantium phan- tasiam non extant. Neque vita & actio- nes Principum tam obscuræ esse solent, ut, si Provincialis earum cognoscendarum desiderio teneretur, eas ex publica fama G discere nequiret. Et tamen impostor subji- cit. *Omnia isthæc consignata, Generali trans- mittit Romam, per quem immediatè signifi- cantur Pontifici.* Quæ sunt ista *omnia*, quæ ad Generalem missa Pontifici immediatè significantur? Ista videlicet. Quotnam sint Monachii in Jesuitarum scholis disci- puli. Quot Ingolstadii, quot Augustæ, quot Dilingæ; quot alibi. Quæ singu- lorum nomina. Quæ patria: quod ge- nus, quis genius, quod ingenium, quis in litteris profectus. Quæ affectiones & propensiones. Quis ex eorum numero spinosior & scrupulosior. Quis à Theo- logicis studiis propter capitis spinositatem H & scrupulositatem amoveri debeat. Quo- ties hic vel ille Princeps venatum se con- ferat: quot cervos, quot ursos, quot apros, quot lupos, quot lepores, quot vulpes capiat. Vinúmne Rhenanum an Neccaricum liben- tiùs bibat. Et num magis Padenbornensi, an Einbeckensi cerevisia delectetur. Quis sit senior ad S. Annam Augustæ. Num sit prolixè capillatus & prolixiùs adhuc bar- batus. Quot habeat filias virgines. Quis sit proximus à seniore Annæo. Num Rühelius, & si iste; num Jacobus an Mol- lithoræus. Hæc & sexcenta talia ad se per- scripta denarrat Generalis Pontifici. Hinc Pontifex tam bene novit Prædicanticum Ministerium Augustanum, quàm Clerum suum Romanum. O logos supra omnes Mile-

A Milesias fabulas; & tamen in regno Diaboli finguntur, leguntur, teruntur, ogge-
runtur & occinuntur, in regno, inquam,
Serm. de jeiun. & tent. inter op. S. Cypriani. hæreseos & improbitatis, *quod munitur vitiis, ambitur flagitiis, turres ejus sunt crimina, arma quarumcunque turpitudinum molimina. In hoc regno sunt, quicunque veritatem Dei commutant in mendacium; quicunque quasi in taberna vitiorum præcones; venales animas impurissimis Dæmonibus corrumpendas exponunt: Hîc genu flexo concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, & propriæ libidinis adorat simulacrum.*

CAPUT VI.

Quæ crimina in specie Relator Jesuitis obijciat? depulsio primi, quod est de Scortatione.

B NUnc majores tibias Relator inflat. Trium immanium criminum nos postulat; *Scortationis, Magiæ, machinationum seditiosarum;* Templa item nostra, *supernè omni genere bellicorum instrumentorum, & militarium balistarum repleta dicit: Infernè collocat ingentium thesaurorum receptacula;* & præterea *carnificinas vel solo aspectu formidabiles.*

C Principio subit in mentem, quod præ-
S. Aug. lib. 3. contra Petil. cap. 6. clarissimè à S. Augustino scriptum est, cùm tam ipse, quàm alii Catholicæ veritatis propugnatores, à Donatistis, pervicacissimis sectariis, multiplicium calumniarum maledicentia lacerarentur: *Nos quidem, charissimi,* inquit sanctus Augustinus, *cùm falsa crimina audimus ab eis, quos offendimus, prædicando eloquia veritatis, & erroris vaniloquia convincendo, habemus, sicut nôstis, abundantissimam consolationem. Nam si in eis, quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quò nullus oculus mortalis intenditur, non solùm contristarì non debeo, verùm etiam gaudere & exultare, quia merces mea magna est in cælis: neque enim intuendum est, quàm sit amarum, sed quàm falsum, quod audio: & quàm verax, pro cujus nomine hæc audio; & cui dicitur:*
Cant. 1. *Unguentum effusum est nomen tuum. Et meritò fragrat in omnibus gentibus, cujus odorem isti, qui nobis maledicunt, in una Africæ* (Germaniæ, vel summùm Europæ) *particula conantur includere. Cur itaque feramus indignè, quòd nos infamant, qui gloriæ Christi sic detrahunt, &c.*

D *Dicant, quod volunt, dum ille nos exhor-*
Matth. 5. *tetur, dicens; beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cælorum. Beati eritis, cùm vos persecuti fuerint homines, & maledixerint vobis, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Quod ait superiùs,* propter justitiam, *hoc repetivit, quod ait postea;* propter me, *quia factus est nobis sapientia,* E
& justitia, & sanctificatio & redemptio; ut quemadmodum scriptum est; Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Qui cùm dicat: Gaudete & exultate; merces enim vestra multa est in cælis: Si quod dictum est;* propter justitiam, & propter me, *in mea conscientia teneo: quisquis volens detrahit famæ meæ, nolens addit mercedi meæ: neque enim me ille suo verbo tantummodo docuit; non etiam suo firmavit exemplo. Sequere sanctarum scripturarum fidem, invenies Christum resurrexisse à mortuis, ascendisse in cælum; sedere ad dexteram patris. Sequere criminationes inimicorum; jam putabis eum de sepulchro furatum esse à discipulis. Quid ergo nos, quantum ipse donat, defendentes donum ejus, ab inimicis ejus, aliud sperare debemus? Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt; quanto magis domesticos ejus? Si ergo toleramus, & conregnabimus.* Hæc contra calumniatores pro se, & pro aliis calumnias perpessis piè & sanctè divus Augustinus; quæ προθεωρίας & προπαρασκευῆς loco præmittere volui.

Deinde meminerit lector, quis sit iste F
noster accusator & infamator. Homo nimirum ex mendaciis consutus, ùt jam antea evidenter demonstratum est. Quid à mendacissimo aliud exspectes, quàm mendacia, præsertim si loquatur de rebus occultioribus, quæ tam facilè in sensus non incurrunt? *Dicimur sceleratissimi,* inquit Tertullianus loquens de Ethnicorum criminationibus contra Christianos, *de Sacramento infanticidij, & pabulo inde; & post convivium, incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum & libidinum impiarum inverecundia procurent.* Ad quæ Tertullianus. *Dicimur tamen semper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis; aut nolite credere, qui non eruistis: de vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere.* Eadem defensione utar & ego.

Fabulam grandem adversum nos Dæmonum G
concio mentita est; ut gloriam pudicitiæ, de- Minucius in Oct.
formis infamiæ aversione macularet, ut ante exploratam veritatem homines à nobis terrore infandæ opinionis averteret, sicque isti occupant animos & obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse, quàm nôsse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

Publicè scribit famosi libelli faber nos H
nocturnis orgiis operam dare tam fœdis, obscœnis & lascivis, ut & Dionysiaca, & Samothracia & Eleusinia in certamen vocare possint. Cur non eruunt, qui possunt, num vera an falsa Relator referat? Dicent. *jam arcana ista esse eruta,* ab ipso nimirum Relatore; qui eorum, quæ scribit,

A bit, maximam partem ſe vidiſſe, partem à Jeſuitis audiſſe narrat, *quos nominare* poſſit; minatúrque ſe nominaturum, ſi quis *contra hæc vel hiſcere auſit.* Ergóne jam ſatis erutum probatúmque cenſeri debebit, quod quivis impoſtor, ſacríque Ordinis vel verus vel fictus deſertor in Ordinem effundit; ídque per libellum famoſum, Auctoris, Typographi, Interpretis, loci, & eorum, quibus dedicatus eſt, nominibus carentem? Imò adeò talia non præſumuntur vera; ut, licèt vera eſſent; eorum tamen diſſeminator, enunciator & propagator gravibus ſuppliciis addiceretur, quandoquidem nec vera quidem crimina evulgare fas eſt, niſi modo legitimo.

B Negavit Tertullianus etiam publicæ famæ de Chriſtianorum infanticidiis, convivio Thyeſteo & inceſto fidem habendam eſſe; quia, ùt ait, *omnium eſt æſtimare, quantacunque fama ambitione diffuſa ſit; quantacunque aſſeveratione conſtructa, quòd ab uno aliquando principio exorta ſit; neceſſe eſt exinde in traduces linguarum & aurium ſerpat; & ita modici ſeminis vitium cetera rumoris obſcurat, ut nemo recogitet, num primum illud os mendacium ſeminaverit; quod ſæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non nova, ſed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* Si hoc in fama accidit; eò quòd ab uno principio naſcitur; cur hìc itidem, ínque hoc famoſo libello, viri prudentes ſibi non perſuadeant, *primum illud os*, & primam manum, qua Relatio iſta exarata eſt, mendacium ſeminâſſe, ídque inſtinctu Diaboli, omnium Hæreticorum & Apoſtatarum Magiſtri: *Sic enim eſt negotium Dæmonum*, inquit Minucius in Octavio, *ab ipſis rumor falſus & ſeritur & fovetur.*

C Mendacium autem Cambilhonium ſeminâſſe, cùm hæc de Jeſuitis ſparſit, argumento ſunt cùm alia ejus, quæ hactenus redarguimus mendacia, tum quæ hîc de integro ſuperadjicit.

I. *Se vidiſſe, quæ de Jeſuitarum orgiis & ſcortationibus*, & id genus aliis percenſet. Quomodo vidit, qui Jeſuita nunquam fuit, ùt ſupra oſtenſum?

II. Quomodo vidit, qui ab his nocturnis conventiculis *juniores* ſedulò excludi, ſéque inter *juniores* fuiſſe diſertè aſſerit?

D III. Partem criminum ex ipſis Jeſuitis ſe audîſſe ait, nec ullum nominat. Hinc certa mendacij non ſuſpicio, quia hæc incerta eſt & incerti; ſed agnitio: nominâſſet enim, ſi potuiſſet. Cùm enim de Jeſuitarum ſanguinariis conſiliis & machinamentis mentiens *Delrium* falsò nominare non horruerit; quando ea ſe ex *Delrio Provinciali* audîſſe ſcripſit; quomodo eorum nominibus peperciſſet; ſi ex ullius ore unquam ea crimina, quæ nobis affingit, accepiſſet? At minatur, ſe *nominaturum, ſi quis Jeſuitarum vel paululùm contrà mutiat.* At minacias iſtas nihil aliud eſſe interpretor, quàm velum effuſi mendacij: ne enim primo ſtatim intuitu mendaciloquentia ejus deprehendatur, gloriosè Jeſuitis inſultat, quaſi ex ipſorum numero teſtes tantorum ſcelerum excitare queat. Ede, obſecro, nomina eorum, quos te, ô Relator, nominaturum comminaris: Ede, inquam; & quot nomina dabis, tot mendacia dabis, aut fortè plura. Cave tamen, ne, quod jam ſæpe ab adverſariis factum, eos nomines, qui in rerum natura, aut ſaltem in noſtra Societate nunquam extiterunt. Illos nomina, qui nobis & aliis noti ſint, qui F adiri, audiríque poſſint; qui clarè & perſpicuè nobis exponant, qua fide & fronte tu talia jactes & ſpargas. Si Haſenmüllerum, & id genus alios humanæ divinæque fidei & fidelitatis expertes produxeris, oleum & operam perdes; quia gemelli eſtis; neque unus alio melior vel veracior ullo pilo. Eos producas oportet, qui in Societate manent & degunt, hos enim Jeſuitarum nomine omnes intelligunt.

IV. Quale mendacium illud, *Janitores* G *Collegiorum noſtrorum plerunque conſtitui jam ſenio confectos.* Certè nulli ad hoc officium minùs habiles ſunt, quàm ſenio confecti, præſertim amplioribus in Collegiis, ubi frequentior accurrentium, exeuntium & ineuntium multitudo, ita ut Janitor neceſſe habeat ſurſum deorſúmque currere: domúsque ſpatia, quanta quanta; non ſemel quotidie emetiri, & quidem haud lento greſſu, aliis ad fores præſtolantibus, ut vel emittantur, vel immittantur; nec præſtolantibus tantùm, ſed & campanulam pulſantibus, ut Janitorem properato opus eſſe admoneant. Quod certè præſtare nequit, niſi is, cui adhuc genua vigent, & ſanguis melior dat meliores vires, non ille, cui jam genua labant, & ob ætatem grandævam frigidus humor per oſſa currit.

V. Quantum mendacium, *à Janitore aſ-* H *ſervari omnis generis veſtimenta, tam quæ viris, quàm quæ fœminis quadrant: ab hoc fœminas, libidinis mancipia, in Collegium induci & educi, & ad patres, pretioſis veſtibus indutas, adduci: non interdiu, ſed ſerum ſub crepuſculum; inde totam noctem helluationibus & tripudiis exigi, junioribus hæc non animadvertentibus.* Unde ergo hæc tibi nota, ſi non animadvertiſti; cùm *Junioribus*, imò *Novitiis*, te ipſum annumeres? Forſan ex aliquo Janitore hoc intellexiſti. Quî verò, cùm, ùt dicis, ex Junioribus nullus deſignetur Janitor, *niſi exploratiſſimæ fidei & taciturnitatis*; &

hoc

A hoc non, nisi cùm senioris alicujus nulla suppetit copia, à quibus profectò non minor fides & taciturnitas exigetur, quàm à Junioribus? Num ergo quispiam exploratissimam suam fidem & taciturnitatem prodidit ac perdidit, tibíque hæc secreta revelavit? Quis ille? Pande nomen. Quo in loco Janitoris munere functus est? Cedo locum, tempus, & alia adjuncta, ut ulteriùs inquirere liceat. Si ex Sacerdote quopiam, qui his orgiis initiatus fuit; quid hominis ille sacerdos? Ubi degit? Ubi tibi cum illo usus? Ubi de his mysteriis colloquium? Omnia hæc expedire debebis, si dictis tuis fidem conciliare velis.

B Cùm Tertullianus similia libidinis Orgia, quibus Christiani infamabantur, apologeticè ab iisdem depelleret; fidenter quærit; à quibus prodi potuerint. *Ab ipsis enim reis non utique, cùm vel ex forma omnibus mysteriis silentij fides debeatur. Samothracia & Eleusinia reticentur; quanto magis talia, quæ prodita, interim etiam humanam animadversionem provocabant, dum divina servantur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur, ut extranei; & unde extraneis notitia, cùm semper etiam impiæ initiationes arceant profanos & arbitros caveant?* Hac eadem Tertullianéa defensione si in præsentia uterer, nihil abs re perpetrarem. Vel aufugerunt, vel missione impetrata abiêrunt non pauci ex Societate; tam coadjutores etiam Janitores, quàm studiosi & sacerdotes. Quis unquam ante istum exstitit, qui talia Bacchanalia in Collegiis

C nostris institui, *iisque loca reducta & concamerata, aut etiam subterranea & laquearia,* (ita loquitur Impostor) destinata dixerit? Nec Hasenmüllerus quidem, nec alij Apostatæ, licèt ad mentiendum projectissimi tale quid comminisci ausi fuerunt. Nec fit ullo modo verisimile, eos tantum flagitium silentio transmissuros, quandoquidem non minori odio in Jesuitas flagrabant ac Relator iste. Ea quidem de *castis finxerunt, quæ fieri non crederemus, nisi* hæretici *de se probarent*; ad hoc tamen impudentiæ culmen non ascenderunt, quo famosi hujus libelli scriptor provectus est.

D Et ut Apostatæ scelus hoc non detexissent; quî fieri potuisset, ut nec deprehenderetur & propalaretur à tam multis, quij bona cum gratia, & utraque parte volente, vinculis, quibus Societati adstricti erant, exsoluti sunt? Quis credat inter tot omni genere literarum excultos in tota Germania, Polonia, Italia, Hispania, Gallia, aliísque Provinciis neminem repertum iri, qui ad tanta flagitia & immania facinora invitatus, in medium non prosiliret, & cubilia tantæ ne-

E quitiæ patefaceret; legitimóque magistratui viam ac rationem ad veritatem cognoscendam indicaret? Quis credat tot florentes ætate, doctrina & fortuna juvenes, ætatísque provectioris gravissimos & doctissimos homines, nulla alia de causa in hoc Ordine perstare, quàm ut in Venereis rebus & Magicis studiis omnem vitam consumant? Proficiscuntur Jesuitæ ad extremos Indos, Sinas, Jappones, per infinita maris discrimina. Scilicet, ut scortationibus & Magiæ vacent. In Angliam & Hiberniam, aliaque ab Hæresi infesta loca nostri abeunt, ubi quotidiana crudelissimæ necis impendent pericula; ubi nil exspectandum, nisi carcer, vincula, tormenta, & tandem dirissimum supplicium. Tanti scilicet emunt & redimunt isti fornicationem & magiam; quasi alibi terrarum, sine istis periculis Diabolo servire nequirent, sed ejus rei gratia tot casus adeundi & subeundi essent.

F Cùm Ethnici calumniarentur infantes à Christianis suis in cœtibus perimi, eorúmque gustato sanguine initiari, quot quot Christo initiarentur; Respondit Tertullianus. *Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenum ora, judici reseravit?* Dicam & ego: Si suis in Collegiis Jesuitæ totas noctes helluando & pergræcando, cúmque mulieribus scortando & saltando transigunt; scortis per janitorem admissis & emissis; quî fit, quòd tam flagitiosa coitio à nullo domestico aut extraneo unquam deprehensa est; nec ab ullo scorto patefacta, tot in locis, urbibus, Provinciis, & disjunctissimis regionibus? Orgia illa & Bacchanalia olim Romæ celebrari clanculum consueta, in lucem ex-

G tracta sunt, quamvis summo studio celarentur, & in abditissimis latibulis obirentur; humana tamen vigilantia & industria ex speluncis in apertum producta sunt. Videmus etiam nocturnos & occultissimos veneficarum cœtus quotidie prodi & ex tenebris in lucem erui. Quî fit, quòd hîc nil simile fit aut factum est? Quî fit, quòd ingredientes & egredientes fœminas nemo deprehendit, cùm Collegia, & Collegiorum aditus non soleant esse in angulis & solitudinibus, sed in publicis viis ac compitis?

H *Omnia tempus revelat, testibus etiam vestris proverbiis atque sententiis*, inquit Tertullianus, *ex dispositione naturæ, quæ ita ordinavit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.* Nihil hujusmodi de ullo Collegio revelavit unquam tempus; quæ causa, nisi quia nil tale ullo in Collegio patratur aut patratum est. Et qui patrari credit, ille de suo ingenio Jesuitas æsti-

A mat. *Qui iſta credis de homine, potes & facere,* inquit Tertullianus, *qui non potes facere, non debes credere. Nemo hoc poteſt credere,* ait Minucius Tertullianum imitatus, *niſi qui poſſit audere.* Et cur qui Lutheri & Calvini ſectam ſequuntur non audeant, *apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas,* quibus Venus tam neceſſaria, quàm Ceres, & communis hæc, qua omnes veſcimur, aura. *Quos priùs tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit.*

Luth. in ſerm. de Matrimonio.

B *Inceſtus ſum,* inquit Tertullianus. *Cur non requirunt? Infanticida. Cur non extorquent? In Deos, in Cæſares aliquid commitio, cur non audior, qui habeo, quo purger? Nulla lex vetat diſcuti, quod prohibet admitti.* Idem & ego criminatoribus iſtis occino. Scortatores, magos, homicidas, ſeditioſos ſanguinarios nominant. *Cur non requirunt?* Cur à legitimo magiſtratu inquirendum non curant? Cur nomina ſua reticent; ut Magiſtratus ne poſſit quidem inquirere & examinare, quibus fundamentis nixi hæc talia de nobis ſpargant? Nec credibile eſt, Magiſtratum tam officij ſui negligentem & incurioſum futurum, ut, ſi talia in Jeſuitarum domiciliis deſignari crederet, qualia iſti per famoſos libellos de nobis diſſipant; ab inveſtigatione deſiſteret.

C Pulſa eſt aliquando Societas ex variis in Gallia & Belgio Collegiis, item ex illis ædibus, quas in ditione Veneta, in Tranſylvania & Hungaria poſſidebat. Ubi unquam ulla veſtigia hujuſmodi ſcelerum reperta ſunt? *Ubi illa reducta & concamerata & ſubterranea loca,* nefariorum facinorum officinæ? Ubi cavernæ illæ Magicis artibus deſtinatæ? Ubi *funes, fidiculæ, gladij, ſecures, forcipes, cippi, numellæ, ſcalæ, quibus illigati miſeri in manus noſtras delati artuatim diſtrahuntur? Ubi veſtes carnificum, pileus pyramidalis, atris plumis ornatus, thorax fimbriatus & diſſectus, caligæ hydropicæ & follicantes, ad talos uſque demiſſæ, ut vel intuenti horrores incutiant?* Ubi *ingens ille armorum apparatus ſupra templi fornicem?* Mirum, hæc non inventa ab iis, qui omnia anxiè prorſus rimabantur & diligentiſſimè perſcrutabantur, eo conſilio, ut aliquid veræ accuſationis contra Jeſuitas extunderent. Et aliquando tam breve diſcedendi tempus præſtitutum eſt; ut noſtri vix pauculos libellos convaſare, & ſecum aſportare valerent; neque enim ullus exiſtimabit, opinor, fieri potuiſſe; ut Jeſuitæ loco pulſi omnia ſuprà dicta in ſinum condita, ſecum auferrent; & veſtium illam copiam, quibus & ſe, & ſuas in nocturnis helluationibus amicas amicire finguntur, ita abſtruderent, ut in nullius conſpectum atque notitiam pervenirent.

D Aſſervantur quidem nonnullis in Collegiis, ſed pauciſſimis, veſtes, pro comœdiis & tragœdiis; ſed eæ in Janitoris arbitrio & poteſtate non ſunt; ùt iſte mentitur, ſed occluſæ cuſtodiuntur; neque unquam, niſi ad ſcenæ uſum, depromuntur. neque ejuſmodi ſunt, ut quis iis indutus in publico comparere poſſit; niſi ludibrium omnibus debere velit; quia plerunque à trito uſitatóque ſchemate deflectunt; Et tamen Relator iſte audaciſſimè clamitat, his indumentis Jeſuitas exornatos *vagari interdiu quoque per urbes, etiam illas, quas incolunt, modò militis, modò doctoris, modò nobilium; modò peregrinorum & exulum habitu, ut eò certiùs & ſecuriùs explorent, quid rerum paſſim agatur;* cùm ne iter quidem facientes, etiam per hæreticorum Provincias & urbes aliis, quàm conſuetis veſtibus utamur. Imus & redimus ex Bavaria ad extimos Helvetios per tot Lutheranos, Zvvinglianos, Calvinianos, quis aliam veſtem induit? Et ſi quando neceſſitas uſitatum habitum ponere cogit, vel ob prædonum violentiam, vel ob hæreticorum truculentiam; quid in hoc facto criminis? Scilicet Chriſto indulgente, imò & jubente, de civitate in civitatem fugere licebit, ut perſecutorum inſidias declinemus; & nefas erit veſtibus inuſitatis uti, ut prædonum & carnificum manus evadamus. Quod dictum volo, propter illos, qui in Anglia, Hibernia, & alibi inter Calviniſtas; & in Indiis inter Ethnicos, & Mahometanos verſantur. An nullus unquam Prædicans Lutheranus vel Calvinianus Prædicanticas veſtes exuit, ut eò tutiùs quinto Evangelio propagando operam navare poſſet? Legatur vita Franciſci Junij, Calviniani Miniſtri; & clarè intelliget, quàm nullum habitum, etiam vilem, abjectum & ruſticanum iſti defugiant, tum ut incolumitati ſuæ conſulant, tum ut Evangelium Saxonicum aut Lemannicum longè latéque propagent. Sed jam hoc caput concludo; & conviciatori Cambilhono, & omnibus Cambilhonicis patronis, Volciis, Rüheliis, & quocunque demum nomine nominentur, illud D. Cypriani non in aurem inſuſurro, ſed palàm acclamo: *Non qui audit, ſed qui facit convicium, miſer eſt. Nec qui à fratre vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege peccator eſt. Et cùm nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui ſe facere credunt.*

S. Cyprian. lib. 1. Epiſt. 1.

CAPUT VII.

Refellitur criminatio de Magia.

H CUm olim S. Auguſtinus Donatiſtis fortiſſimè reſiſteret, & quoscunque poterat, à nefaria illa factione averte-

A averteret, & ad Catholicam pacem ac unitatem reduceret, idque partim libris partim publicis & privatis exhortationibus, omnium illorum in se odia, & ex odiis maledicta & convicia, concivit; præsertim Petiliani, Donatistarum Episcopi, quod sancto Augustino nec mirum, nec insolens visum est. *Quid mirum*, inquit, *si cùm grana de area Dominica excussa, simul cum terra & palea introrsum traho, injuriam resilientis pulveris suffero? Vel cùm Domini mei oves perditas diligenter inquiro, spinosarum linguarum vepribus laceror?* Non injuria, nisi fallor, idem Societas JESU, tot tantisque hæreticorum criminationibus & lœdoriis exposita, profiteatur. Quæ enim alia causa tanti & tam immortalis odii, tótque fabularum & fabulationum, quibus Societas JESU impetitur, traducitur, proscinditur, quàm quia cum aliis religiosæ vitæ professoribus operam & operas suas jungit, ut ij, qui à Luthero, Calvino, aliisque erronibus in præceps abrepti sunt; in rectam semitam reducantur, & ùt Catholici à lapsu & ruina præserventur?

S. Aug. lib. 3. contra Petil. cap. 11.

B Sed quod olim S. Augustinus à Donatistis petiit; hoc & Societas à Novatoribus nostris postulat. *Obsecro vos, deponite paulùm studia partium, atque inter me & Petilianum* (Cambilhonum, & similes famosarum chartarum architectos) *cum aliqua æquitate judicate. Ego Ecclesiæ causam volo ut noveritis; ille, ut meam. Ad quid aliud, nisi quia testibus meis, quos in causa Ecclesiæ constanter adhibeo, non audet dicere, ne credatis, &c. de me autem, quidquid dicere libuerit, homini adversus hominem* (hæretico adversùs religiosum Ordinem) *& vestro* (hæretico) *adversus alienum* (ab hæresi) *facilè creditis, & si quos vitæ meæ testes adhibuero, quid magnum est, ut dicat,* (hæreticus) *non eis esse credendum? Et hoc vobis citò persuadeat, præsertim quando, quisquis pro me ullum verbum fecerit, inimicus parti Donati* (Lutheri, Calvini) *ac per hoc vester* (quoque inimicus) *continuò deputabitur. Regnat itaque Petilianus* (Cambilhonus) *quando in me quælibet convicia jaculatur; ei omnes acclamatis & plauditis. Hanc igitur sibi invenit vincibilem causam, sed judicibus vobis, nec testem, nec argumentum requiret, cui hoc solùm probare est, quod dicit, quia ei* (Ordini) *quem maximè odistis, copiosissimè maledicit.* Hæc pulchrè & eleganter de se & pro se, deque Ordine & pro Ordine nostro S. Augustinus.

C

D Nec aliter se res habet, ac dicit; quia experientia constat, istis famosorum libellorum scriptoribus nulla alia re, ad fidem apud suos inveniendam opus esse, quàm; ut Jesuitis *anhelis pulmonibus, & turgidis faucibus* convicia ingerant, & in eos *fragosissimo strepitu* instar *advocati forensis ora distendant.* Hoc ubi fecerint, probatione nulla ad fidem faciendam egent. Sat probationis est, maledixisse. E

Criminatur Cambilhonus, *nos esse Magos.* Num probat? Nequaquam. Sufficit dixisse, & maledixisse; Jam adstat plebs credula Lutherana & Calviniana; pronis auribus, prono assensu. Ita est. Quis abnuat? αὐτὸς ἔφα. Cambilhon Jesuitas Magiæ postulat. Ergo verum est. Nemo dubitet. Jam probavit. Quo argumento? Non alio, quàm illi, à quibus Redemptor noster palàm audiebat: *Dæmonium habes. In principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Si patremfamilias Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus? Si Ethnici olim, ùt est apud S. Augustinum lib. 18. de civitate Dei cap. 54. non erubuerunt dicere, *Petrum Apostolum fuisse Magum, ejúsque Magicis artibus & incantamentis factum esse, ut tot populi in Christum crederent, fidémque semel susceptam, sanguinis etiam profusione obsignarent;* Ethnicis profectò melior & religiosior censeri potuisset, idque prorsus immeritò; Cambilhon, nisi & ipse ex impostturarum fœcundissimo pectore horrifica illa mendacia, quæ mox percensebo, eructâsset.

F I. *Patrem Petrum Cotonum Magicarum artium peritia, inter omnes Jesuitas eminere.*

II. De hoc Cotono *Jesuitas jactare, quòd speculum habeat constellatum, quo quidquid scire Rex aveat, perspicuè ipsi repræsentet: nec esse quid tam abstrusum, aut gerì & consultari in reliquorum Monarcharum intimis conclavibus, quod illius constellati speculi beneficio in lucem proferre non possit.* Et sine dubio hujus tam eximiæ in Catoptromantia peritiæ beneficio vidit Cotonus Cambilhonum Augustæ Vindelicorum compita oberrantem, & Prædicantium, præsertim Volcii, G opem & offam quæritantem; cúmque iisdem seria de quinto Evangelio colloquia miscentem; Et omnia de se suáque credendi facilitate promittentem, dummodo seminudus ipse vestiretur, & famelicus, pasceretur. Hæc omnia Cotonum vidisse, vidit proculdubio Relator in suo speculo: nam nisi *specularius* esset, quomodo quæ Parisiis Cotonus cum speculo agit; tam probè nôsset? Debebat tamen speculator iste paulò distinctiùs explicare, quomodo Cotonus utatur suo speculo. An ùt Didius Julianus apud Spartianum? An ùt Pythagoras? An ùt Achæi apud Pausaniam in Achaicis? Operæpretium itidem fuisset scire, num hoc speculum perpetuò secum ferat Cotonus; sicut illi, qui debili sunt H visu, conspicilia seu ocularia. Et an nunquam illi acciderit, quod Hildebrando seu Gregorio VII. accidisse refert, omnium Sectariorum corculum, amor & deliciæ Benno? Cùm enim oblitus esset

secum

A *ſecum ferre familiarem ſibi librum artis necromanticæ, ſine quo nusquam aut rarò incedebat,* inquit Cambilhono ſimillimus fabulator, duósque ablegâſſet, qui librum *de Albano* Romam reportarent, iíque curioſitate ducti illum aperuiſſent, & inſpexiſſent; adeò irritati ſunt Cacodæmones, ut propemodum totam Romam ex imis fundamentis ſubverterent. Certè *muros quosdam altos, Romæ vicinos*, qui nunquam fuerunt in rerum natura, tam horrifico fragore proſtraverint, ut pontus & æther tremefactus fuerit: Et duo illi curioſuli ad hodiernum usque diem ex trepidatione illa animum non receperint. Dic, oro, an nunquam ſimile quid Cotono contigit? Tam enim ſpeculi ſui obliviſci poteſt; quàm Hildebrandus ſui libri. Et quàm verum eſt, Gregorium VII. habuiſſe talem librum, tam verum eſt hoc tuum de ſpeculo Cotoniano figmentum; quod tibi alius non dictavit; quàm is, qui totius Manganiæ architectus eſt; cujus afflatu incitatus, non tantùm Jeſuitas, & in his celeberrimum illum & regium Eccleſiaſten P. Cotonum tam nefarij criminis inſimulare, ſed & ipſum Chriſtianiſſimum Galliarum Regem in communionem tanti ſceleris abripere non horruiſti; parùm ſollicitus, quid tibi diſcriminis ex hac tua præcipiti temeritate enaſci queat.

B

C Mentiebatur ante aliquot annos Haſenmüllerus in Hiſtoria ſua Jeſuitica, P. Theodorum Peltanum habuiſſe imagunculam, ex qua quidquid ſcire averet, cognoſcere potuerit. Iſte criminator imaginem *in ſpeculum conſtellatum*, ùt vocat, vertit; quia criminatoribus iſtis perinde eſt, ſive hoc, ſive illud dicant; quia nil aliud, præter mentiri, propoſitum habent. Quòd ſi Cambilhono in mentem veniſſet; aut ſi unquam legiſſet id, quod de Magicis præſtigiis, illuſionibus & deceptionibus Marci Gnoſtici à B. Irenæo Martyre proditum eſt; vel in mente ac memoria habuiſſet, quæ mendaciſſimus Pſeudobenno de incantamentis Pontificum quorundam perditis chartis commendavit; religioni ſibi haud duxiſſet, quò minùs omnia vel pleráque illorum P. Cotono, aliísque Jeſuitis affingeret; ut vel hac ratione ſi poſſet, Cotono ægrè faceret; quem in tanta tanti Regis gratia eſſe, hæreticorum ſtomachus concoquere nequit; ùt nec illud; Regem Chriſtianiſſimum tam paterna benevolentia univerſam Societatem noſtram complecti. Hinc invidiæ & odij fomes; & ex odio Diabolicæ iſtæ in invictiſſimum & Chriſtianiſſimum Regem contumeliæ & injuriæ.

fol. 198. 199.

Iren. lib. 2. cap. 9.

D III. *Cotoni Magi opera confiſos eſſe Jeſuitas potentiſſimum quendam Imperij principem, eúmque Evangelicum, in partes ſuas pertrahere, quandoquidem is Magiæ ſtudio mirificè delectatus ferebatur.* Quis iſte potentiſſimus Imperij Princeps Magices tam ſtudioſus, ut Jeſuitæ ſperârint eum hiſce faſcinationibus ad ſuas partes traduci poſſe? Cur non expreſſiſti nomen? Quinam illi Jeſuitæ, quibuscum Cotonus de hoc Principe per Magiam ad Pontificia caſtra traducendo egit, vel qui de Cotono hoc ſibi polliciti ſunt, fore, ut, quod cupiebant, transactum daret? Certè in hujusmodi accuſationibus longè graviſſimis perſonas nominatim deſignare oportet, ne accuſator non lucem & veritatem, ſed tenebras & vaniſſimæ ſuæ mendaciloquentiæ operculum quæſiviſſe videatur. Si ego dicerem, Volcium eſſe egregium Magum, & in conciliandis animis, præcipuè mulierum, Marco Gnoſtico non inferiorem; Et hujus Prædicantis Magi operâ, cæteros Prædicantes ſperâſſe, potentiſſimum quendam Imperij Principem, eúmque Pontificium, ad Auguſtanam confeſſionem traduci poſſe; an nihil ampliùs à me deſideraretur? An Lutherani è veſtigio non clamitarent? Quis iſte Princeps? Quinam iſti Prædicantes, quibus hæc ſpes animo inſedit? Et ut omnes nominatim exprimerentur; ubi tamen facti totius probatio? Objicerent enim: dicere, non eſſe probare; multóque minùs maledicere, probationis loco acceptari poſſe.

E

F

G Hæc ſi à me poſtularent Sectarij; & quidem juſtè ac meritò; nec priùs, quàm poſtulato eorum ſatisfacerem, fidem dictis meis commodarent; par eſt, ut cogitent; nos idem à Cambilhono juſtiſſimè flagitare; neque decere, ut, donec hoc præſtiterit, quisquam commentis ejus omni probationum firmamento deſtitutis, aſſentiatur. Cujus enim fama & exiſtimatio à telis calumniatorum tuta erit, ſi dicere, & non probare, ad infringendam bonam exiſtimationem ſatis erit?

H IV. *Novitiis, arti Magicæ addiſcendæ deputatis explicari nongentas illas propoſitiones, quas Mirandulanus ille Comes Romæ affixit.* Tu dic, hiſce pauculis verbis totidem ferè mendacia contineri, quot doctiſſimus ille Princeps propoſitiones Romæ diſceptandas publicè propoſuit. Quis unquam vidit vel audivit, has Theſes Novitiis noſtris explicari? Ubi iſte Agyrta iterum dat inſigne ſpecimen ſuæ in rebus noſtris peritiæ, dum ſtudioſos literarum, qui in Collegiis degunt, abſoluto jam tyrocinij biennio, *Novitios*, appellitat. Et quid in aſſertionibus illis Mirandulani Magicum? Nam illæ, quas ex Judæorum Cabala, & quædam, quas ex Magia naturali mutuatus eſt, nugamentis potiùs, quàm veritis incantamentis annumerari merentur. Nam quis Mirandulani ſenſus fuerit de

A de Goëtia ſeu Magia illa Dæmoniaca, exponit ipſemet his verbis in Aſſertionibus. *Tota Magia, quæ in uſu eſt apud Modernos, & quam meritò exterminat Eccleſia, nullam habet firmitatem, nullum fundamentum, nullam veritatem, quia pendet ex manu hoſtium, primæ veritatis, poteſtatum harum tenebrarum, quæ tenebras falſitatis, malè depoſitis intellectibus obfundunt.*

B V. Iiſdem Novitiis explicari *Joannis Trithemii librum de Secundis; item Cornelii Agrippæ Tractatum de occulta Philoſophia. Item Theophraſtum de conſtellationè & ſigillis Planetarum. Item neſcio cujus Abbatis Steganographiam. Item artem Pauli ad conciliandas revelationes. Eandem calluiſſe dicunt Joannem.* Hæc omnia tam vera ſunt, quàm ſanctum Athanaſium Arſenio cuidam manum amputâſſe, ut ea ad magicas operationes abuteretur. Hæc omnia tam vera ſunt, ut arbitrer, pauciſſimos eſſe ex noſtro cœtu, qui vel nomina prædictorum librorum noverint, vel unquam audiverint. Certè, quis ſit Trithemii liber de ſecundis ego neſcio. Ejuſdémque Steganographia pauciſſimis antehac cognita fuit: cùm manuſcripta duntaxat exemplaria, ſed rariſſima,
C hinc inde circumferrentur: donec tandem anno M. DC. VI. Francofurti excuſa eſt, *Typis Matthiæ Beckeri, & ſumptibus Joannis Berneri.* Et ipſe Cambilhon nomen quidem libri novit; Auctorem non novit. Quomodo fieri potuiſſet, ut auctorem non nôſſet; ſi in Collegiis explicatur, ùt ait, *Novitiis Magiæ deſtinatis?* An non & ipſe inter *Novitios* fuit? Sed fortè inter Magicis ſtudiis deputatos non fuit; Malè factum, ſi præteritus eſt; quia omnes Hoſtanes & Zoroaſtros in hac arte longo poſt ſe intervallo reliquiſſet. *Phantaſmata Caſtorum, & aqua cribro geſtata, & navis cingulo promota, & barba tactu irrufata,* & alia, quæ canit antiquitas, tenuia fuiſſent præ illis, quæ Cambilhon præſtiturus erat, ſi ad hanc artem animum appuliſſet.

Tertull. in Apologet. cap. 22.

D At dic, impoſtor, & tu Volci, túque venerandum Miniſterium Lutheranum Auguſtæ Vindelicorum; quinam jure præſumuntur Magi & Steganographiæ Diabolicæ interpretes ac diſcipuli; illíne, qui Steganographiam nunquam viderunt, demptis pauciſſimis, & in his Martino Delrio; qui viderunt & legerunt, non ut artes illas execrabiles exercerent, vel aliis diſcendas proponerent; ſed ut libri peſſimi fallacias & impoſturas detegerent; prout etiam fecit Delrius lib. 2. quæſt. 3. Diſquiſit. Magicarum; quia in toto Steganographiæ opere nihil bonum probúmque erat, præter illud, quòd typis expreſſum non erat; ſed calamo duntaxat exaratum in angulis, iísque pauciſſimis, delitescebat: an verò illi, qui Steganographiam E elegantibus typis evulgârunt, & merci ſuæ hanc hederam, ut vendibilior efficeretur, appenderunt: STEGANOGRAPHIA, *hoc eſt, ars per occultam ſcripturam animi ſui voluntatem abſentibus aperiendi certa: hactenus quidem à multis multùm deſiderata, ſed à pauciſſimis viſa: Nunc verò in gratiam ſecretioris Philoſophiæ ſtudioſorum publici juris facta.* Quinam iſti, qui Steganographiam excuderunt, & hoc elogio præfixo exornârunt? An non Lutherani? An non in Lutherana civitate? Quinam ſunt illi *multi*, à quibus hæc ars *multum* deſiderata fuit? Certè Catholici eſſe non potuerunt: multóque minùs Jeſuitæ: quia omnibus illis, quibus F aliquid de hoc libro certius innotuerat; planum perſpectúmque erat; librum & fidei Catholicæ, & bonis moribus adverſum, imò prorſus pernicioſum eſſe; nec ullo modo bona conſcientia, ea, quæ facienda præſcribit, fieri poſſe; cùm non niſi Dæmonum opera perfici queant: Neque aliam reperire potuit Delrius cauſam, cur Steganographia in Catalogum librorum vetitorum non fuiſſet relata; quàm quòd typis deſcripta non prodiiſſet. Neque ulla me tenet dubitatio, ejus lectionem vel jam Auctoritate Apoſtolica prohibitam eſſe, vel propediem prohibitum iri.

Præterea quinam ſunt iſti ſecretioris G Philoſophiæ ſtudioſi, in quorum gratiam Lutherani Typographi Steganographiam dicunt abs ſe typis evulgatam & publici juris factam? Sit Volcius, ſit Rühelius; ſit quivis alius de Prædicantium & Novatorum numero; Nullus certè Jeſuita erit. Nullus unquam typographis hiſce ob editam Steganographiam gratias aget, aut referet: licèt addant, ſe hunc librum publicare; *cum privilegio & conſenſu ſuperiorum.* Superiores iſtos *Lutheranos* fuiſſe, nullus dubito. Quòd non addunt, cujus privilegio freti editionem hanc ſuſceperint; ſuſpectum eſt. Nec plura. Lutherani, non Catholici, multóque minùs Jeſuitæ fuerunt, qui in vulgus eum librum extrusêre, qui, ùt ipſe Auctor in præfatione teſtatur, *ſi ad pravorum notitiam perveniret, totus Reipublicæ ordo per ſucceſſum temporis non modicè poſſet turbari, fidéſque periclitari publica, literæ omnes, inſtrumenta, conſcriptiones, ipſi denique hominum ſermones in graviſſimam ſuſpicionem verti: nemo jam literis, quantumlibet ſanctis & honeſtis, abſque pavore crederet, ſed fidem epiſtolis rarus adhiberet: quoniam quantumcunque pudica & honeſta verba fuerint: ſemper dolus, fraus, deceptio ſubeſſe putaretur, fieréntque homines ad omnia pavidi, & non minùs in amicos, quàm in adverſarios ùt plurimùm ſuſpicioſi.*

Similia ſcribit Auctor præfatione in Cla- H vem Steganographiæ, quæ Darmſtadij eſt excu-

A excusa. Ex quibus constat, qualem isti Lutherani librum publicârint; quàm humanæ societati pernicioſum. Nam si dicant, hanc artem improbis non esse percant, hanc artem improbis non esse perviam, nugas agent. An non ab ipso Auctore clavem habent, qua aperiant? An non Magistrum, qui aditum patefaciat, reperire possunt? Neque ullus unquam probæ mentis huic scientiæ vel potiùs Diabolicæ vanitati discendæ, multóque minùs exercendæ ullam operam sciens prudénsque impendet; & si quis per ignorantiam deceptus se se huic arti traderet, statim animadversa fraude, resiliret, si probus esset.

B Neque ego unquam ullum Jesuitam vidi vel audivi, qui se *Artem* Pauli ad conciliandas revelationes legisse diceret; tantum abest, ut nostris explanetur; quia tales libri à perditis nebulonibus conficti, rarissimi sunt; & mirari quis posset, cur Cambilhon non adjunxerit, explicari etiam nostris Tractatus alios, qui à sceleratissimis sycophantis nominibus Adæ, Abelis, Henoch, Abrahæ, Cypriani, Honorii, & Alberti Magni prænotati circumferuntur. Eadem profectò fide affirmâsset, qua prius illud.

C Illud extremæ inverecundiæ est, asseri à nostris Joannem Apostolum calluisse *artem Magicam;* & Christum, *omnibus numeris absolutissimum fuisse Magum. Ut egomet ab ipsis non semel audivi, & nominare possum à quibus*, inquit deploratæ mentis & faciei calumniator. Nomina, si potes, nomina; qui tantam blasphemiam in Christum & dilectum Christi discipulum Joannem exspuerit. Ni nominaveris, & insuper ubi eum, quem nominabis, hoc dixisse, legitimis testibus non comprobaveris; in te & in tuo Lutherano Ministerio hæc tam atrox blasphemia, & flammis ultricibus expianda impietas hærebit; & si hac in vita Vulcanus id non faciet, faciet in altera Orcus, nisi à tantis & blasphemiis & criminationibus isti tandem, saniore animo recepto, resipuerint, atque adeò salutariter resiliêrint, qui veterum Ethnicorum sycophantias nunc denuò in scenam mittunt: nam & illi olim Christianos in Magorum tribum referebant, & miracula ab illis patrata, Magicis præstigiis adscribebant: Iste criminatorius Alastor Prædicantium pectora nunc occupavit; ex quibus, velut ex sibi perquam optatis gurgustiis, Jesuitas nunc Magiæ infamia adspergere nititur; forsan ex indignatione, quòd experiatur quotidie, Magicis suis conatibus per Jesuitas clam & palàm occurri.

D Disputant nostri privatim & publicè contra Magicas, & alias cujuscunque generis superstitiones, eásque, quibuscunque possunt, machinis evertunt ac pessundant; ùt testantur accuratissimæ Disquisitiones Magicæ Martini Delrii, & tres libri Pererii de illicitis artibus; & eorum Disputationes, qui in secundam secundæ S. Thomæ commentantur, ubi de superstitione, ejúsque speciebus differunt; inter quos Gregorius de Valentia. Quis unquam vidit, à Magiæ studiosis Magiam, & quidquid vel obiter Magicum quiddam redolet, validissimis telis indesinenter oppugnari, omníque sermonis contentione homines ab hac perniciè absterreri & avocari? Quæso, cur Prædicantes seriò existimant, nos nec Lutheranos, nec Calvinianos esse; nisi quia vident, nos contra Lutheranos & Calvinianos scribere, concionari, disputare, & totis vitibus eniti, ut à castris Calvinianis & Lutheranis quoscunque possumus, revocemus? An non extant hominum de Societate opera, dicta & facta contra Magiam & universas superstitiones æquè luculenta ac contra Lutheri & Calvini hæresin? Quanta mortalium cœcitas, ne dicam perversitas, qui his impostoribus aures tam faciles, secundásque præbent.

E

F

G Si quis Catholicus scriberet; Volcium, Rühelium, alios, esse Magos, suísque filiis explicare *Steganographiam* Trithemii; librósque Magicos Adami, Abelis, Henochi, Abrahæ, Salomonis & Pauli nominibus fucatos; eosdem præterea in Magorum sodalitium pertrahere Joannem Apostolum, imò ipsum Redemptorem nostrum; an ullam fidem apud Lutheranos reperiret? An non auribus & mentibus averſarentur & detestarentur hanc suorum accusationem, tanquam ab omni veri specie alieniſsimam? At cùm, etiam per libellum Famosum, tale quid de Jesuitis spargitur; animis linguísque favetis, nec ulterius inquirendum existimatis. Quæ causa hujus rei? An non immane in Jesuitas odium? At hoc nunquam candidè & sincerè ulla de re judicium fieri permittit; quia mentem excæcat & præcipitat; nec sinit, ut rationis trutina, quæ objiciuntur, intellectus expendat. Sed gratiæ Deo; hactenus divina benignitas evidenter nos experiri voluit illud, quod olim B. David canebat. *Odientes non confudisti:* Et certa spes nos tenet; eandem experientiam in posterum nobis non defuturam. An non omnes nostri criminatores, sicut *diploide* operti sunt *confusione* post tot insultationes & insectationes, quando in Gallias à Christianissimo Rege reducti ac revocati sumus; hæreticis obstupescentibus, & præ confusione, quod hiscerent, non habentibus; apertéque cernentibus in irritum cecidisse omnes fabulas, quibus, Dæmonum instinctu, *ad execrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserant.*

H Psal. 43.

CA-

A

CAPUT VIII.

Refutantur mendacia & calumniæ de ſanguinariis Jeſuitarum conſiliis.

B Multa hîc mentitur & calumniatur Cambilhon de Jeſuitarum, ùt vocant, *diſcurſibus*, quomodo Lutheraniſmus & Lutherani Principes extirpari; & ante extirpationem inter ſe committi queant, ubi facilis mihi naſcitur defenſio, non ſolùm propter tot mendacia, quæ Cambilhon huc uſque effudit, ſed & propter illud, à quo Relationem hanc ſuam *de ſanguinariis Jeſuitarum machinationibus*, auſpicatur; ait enim, *ſe de his ipſum Provincialem Del-Rio verba facientem audiſſe.* Et mox quid ſomnians audiverit, percenſet. Vel ex hoc exordio quivis prudens ſtatuet, quid de tota narratione ſentiendum ſit. Martinus enim DELRIUS nunquam Auſtriæ aut alterius cujuſcunque Provinciæ, Societatis Jeſu Provincialis fuit. Qua igitur ratione ex *Delrio Provinciali*, hæc, quæ ſpurco ſuo de corde prompſit, audire pouit?

C Nec eſt, quòd quis dicat, Relatorem iſtum deceptum eſſe; cùm *Delrium* Provincialem eſſe cenſuit: Quis enim ex Societate neſcit, quis Provinciæ illius, in qua verſatur, ſit Provincialis? Si ergo Cambilhon in Collegio Græcenſi vixit; ùt quidem ſycophanticè præ ſe fert: an non ſcivit, quo munere Delrius eo in loco fungeretur? An non videbat eum quotidie itantem ad Academiam, ſacráſque litteras explanantem? An ullus Provincialis ſolet Profeſſoris munus in Academia obire? An non totum fermè annum in itineribus faciendis, Collegiiſque ſuæ Provinciæ viſitandis & inſpiciendis conſumit? Num hoc faciebat Delrius?

D At quid in his immorari neceſſe eſt; quorum falſitas luce meridiana clarior evincit, Relatorem hunc vel in Societate Jeſu nunquam vixiſſe; vel non niſi deploratiſſima mente & fronte Delrium Provincialem creâſſe; ut eò plus ponderis narratio de ſeditioſis conſiliis habere videretur, quò à graviore & majoris dignitatis Jeſuita profecta eſſet; quaſi non inferioris gradus & ſubſellii Jeſuitæ, ſed primores hæc talia conſilia, publicæ paci turbandæ, coquant; déque illis ſermones inter ſe ſerant. Quare ſub finem quoque mendaciſſimæ ſuæ delirationis, ait; ſe quæ ſcripſerit, à *primariis Jeſuitis* accepiſſe, ſed tam primarii, quàm non primarii manibus etiam tangere poſſunt, huic nihil aliud propoſitum eſſe, quàm ſycophantari, licèt polliceatur, ſe ſuo tempore, omnia, quæ nunc conciſiùs mentitus fuerat, fuſius executurum, *omnibus coloribus & circumſtantiis loci, temporis & perſonarum expreſſis.* Non moramur has promiſſiones; quia exploratum habemus, iſtum, quò plura chartis illeverit, eò evidentiùs veſaniam & impudentiam ſuam patefacturum. E

Quis etiam non ex hoc uno vanitatem hujus Relatoris odoretur; Jeſuitas velle, *ut affinis Cæſaris Rex Poloniæ, cum patruo ſuo Rege Sueciæ ſic paciſcatur, ut Pruſſiam communi ſectioni ſubjiciant, & in capita dividant. Contra quod ſe Brandeburgicus totis viribus oppoſiturus ſit.* Quis non videt hoc votum & deſiderium non ſani, qui rerum ſtatum noverit, ſed inſani eſſe, qui vigilans ſomniet, & cum pueris caſas ex luto ædificet, & ploſtellis mures adjungat? Scilicet potentiſſimus Poloniæ Rex cum hoſte ſuo capitali, & regni paterni invaſore ac inſeſſore, cúmque illo, qui Livoniam armis infeſtare non deſiſtit, ita tranſiget, ut partem Pruſſiæ Brandeburgicis ereptam ei in poſſeſſionem tradat, & hoſtem Polonici nominis juratum in vicina ditione collocabit, ut inde eò certiùs & expeditiùs Polonis negotium faceſſere poſſit. Ejuſdem ſortis & claſſis ſunt cætera hujus Relatoris commenta; quæ finxit, ut à Prædicantibus oſtam impetret; non impetraturus, niſi tantum, quantum fauces capiunt, pſeudologiarum, in Jeſuitas eructet. F

Atrociſſimè olim perſequebantur Monothelitæ hæretici S. Maximum, ejúſque diſcipulos, quòd pro orthodoxa fide indeſinenter dimicarent, & hæreticos clam, palàm, quoquo modo fieri poterat, oppugnarent. Ideo Diabolus, ſectariorum Magiſter, eos metuebat, & ex timore, omni genere conviciorum, &, data occaſione, ſuppliciorum quoque divexabat; nam ùt rectè dicit Minucius in Octavio, *natura eſt & odiſſe, quem times; & quem metueris, infeſtare ſi poſſis.* G

Inter cætera objiciebant calumniatores S. Maximo, quòd Imperatorem ejúsque Imperium odiſſet; quódque Ægyptum & Alexandriam, & Pentapolim & Tripolim & Africam Saracenis prodidiſſet. Huic criminationi ut fucum aliquem allinerent; ſubornârunt ſycophantam quemdam Sacellarium Petri, qui olim fuerat Prætor Numidiæ; qui Conſtantinopoli in Senatu Imperiali hanc accuſationem adverſus S. Maximum depoſuit. *Ante viginti duos annos avus Domini imperavit B. Petro, ut exercitum in Ægyptum duceret adverſus Saracenos. Qui cùm tibi confideret, ùt ſervo Dei, te ſciſcitatus eſt per literas, num ei auctor eſſes, ut duceret. Ne id faceret, reſcripſiſti; nec enim Deo placere. Heraclij imperio ſoboliſque* H Baro. Tom. 8. anno 657.

A *lisque ipſius, Imperium Romanorum juvare. Dixit autem ſervus Dei: ſi vera dicis, habésque Petri ad me, meásque ad eum literas, proferantur, & ſuſcipiam pœnas placitas legi. Ego (inquit ille) non habeo literas ſed neque ſcio, an ad te ſcripſerit; ſed in caſtris hæc omnes illo tempore loquebantur. Et ſanctus: ſi tota caſtra id loquebantur, quomodo tu ſolus de hoc me calumniaris? An, unquam me vidiſti, aut ego te? Reſpondet: nunquam. Et ad ſenatum ſanctus converſus, dixit; ſi jus eſt hujusmodi proferre accuſatores teſtes judicate: In quo enim judicio judicatis, judicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis univerſorum Deus.* Ita B. Maximus à primo ſycophanta ſeſe expedivit. Matth. 7.

B Puto, nec indubiis ductus argumentis; ſi Delrius adhuc ſuperſtes eſſet; & ex præſenti Cambilhone coram judicum conſeſſu quæreret: *An unquam me vidiſti, aut ego te? ut dicere poſſis, te ex me audiſſe, quæ me dixiſſe ſcribis;* verè non reſponſurum aliud, quàm quod criminator S. Maximi reſpondit. NUNQUAM. Aut ſi tam perfricti oris & vultus foret; ut diceret, ſe Delrium vidiſſe, & hæc, quæ literis mandavit, ex ore ejus accepiſſe; C mendacij facilè convinceretur, ſciſcitando ulteriùs de loco, tempore, & id genus aliis circumſtantiis, quæ cum facto aliquo conjungi ſolent. Tam ſecum conſentiret, quàm conſensêre duo illi veteratores, caſtæ illius Suſannæ calumniatores; *Schinum* & *prinum* æquè ac illi in unum conflaret. Qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus, ex Regula Juris; intelligc, in eodem malitiæ genere; ùt in mendacio; nam qui mentiri auſus eſt, Delrium fuiſſe Provincialem, & ſe vixiſſe in Collegio Græcenſi, & centena talia; is jure optimo exiſtimatur etiam mentiri in reliquis, quæ ſe ex Delrij narratione audiſſe refert.

D Poſtquam S. Maximus primum calumniatorem apertæ criminationis convicit, introductus eſt ſycophanta alius, nomine Sergius, qui dixit: *Abhinc novem annis dixit mihi beatus Abbas Thomas, qui Roma venerat; Papa Theodorus me miſit ad patricium Gregorium, qui ab Imperio deſciverat, ut ei dicerem, ne quenquam extimeſceret. Nam ſervus Dei Abbas Maximus ſomnium vidit; fuiſſe in cœlis ad Orientem & Occidentem multitudinem Angelorum, quorum alteri ad Orientem clamabant: Conſtantine Auguſte tu vincas; alteri ad Occidentem: Gregori Auguſte; tu vincas. clarior autem ea fuit vox, quæ ad Occidentem. Tum exclamat Sacellarius: Te ad hanc urbem miſit Deus comburendum. At ſanctus: Gratias ago Deo purganti voluntaria mala mea involuntario ſupplicio. Veruntamen væ mundo à ſcandalis,* Matth. 18. *neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala; væ autem ei, per quem ſcandalum venit. Non ſic oportuit talia dici, præſentibus Chriſtianis, nec impunitos eſſe, qui hæc faciunt, ut hominibus placeant, qui hodie ſunt, cras non ſunt. Hæc vivo Gregorio hunc dicere oportuit, ac ſuam erga Imperatorem benevolentiam oſtendere. Jus fuit, (ſi & vobis ita videtur) tum illum, qui ante hunc ſycophanta fuit, impelli, ut iret, & adduceret Patricium Petrum; tum hunc producere Abbatem Thomam, & à Thoma ſiſti beatum Papam Theodorum. Tunc, præſentibus omnibus, dixiſſem Patricio Petro; Dic nobis, domne Patrici; ſcripſiſti ad me unquam, de quibus dixit pro teſtimonio tuus Sacellarius? aut, ego ad te? Similiter beato Papæ: Dic, domine, egóne tibi unquam ſomnium narravi? ſi me arguiſſet, illius fuerat crimen, non meum, qui vidiſſem: res enim involuntaria ſomnium. Ea autem ſola, quæ proficiſcantur à voluntate, punit lex. Tum dicit ei Troilus: Ludis Abba; non nôſti; ubi ſis? Et ſanctus: Non ludo, inquit, ſed lugeo vitam meam adhuc conſervatam, ut talia ſpectra experiar, &c.* E

G *Poſt quem Sacellarius rurſus cum iracundia dixit: Planè omnes mentiuntur, ac tu ſolus vera loqueris. Sanctus verò ei verbo illacrymans, dixit: Poteſtatem habecis permittente Deo, & vivificare & mortificare. Verùm, tantum abeſt, ut hi vera loquantur, quantum, ut Satanas natura Deus eſſe poſſit, quod eſt omnino impoſſibile. Nam, non merear cum Chriſtianis videre faciem Dei, qui ſuper omnia eſt, qui factor eſt, & opifex, & conditor, & proviſor, & judex, & conſervator univerſorum, ſi unquam tale ſomnium vidi, aut alium narrantem audivi, niſi hac hora ex domno Sergio, qui benevolus eſt in Imperium.*

H Non dubito, doctiſſimum Delrium, ſi ſuperſtes eſſet, aſſimili ratione à ſe depulſurum fuiſſe vaniſſimam hujus Relatoris pſeudologiam, & amentem prorſus inverecundiam. Et quomodo, quæſo, Delrius quidquam Græcij de Donavverdenſi negocio diſſerere poterat; cùm, quo tempore Sereniſſimus Bavariæ Princeps *Maximilianus*, &c. urbem illam, juſſu Imperatoris, occupavit, Delrius Salmanticæ in Hiſpaniis fuerit; eò aliquot annis antè Græcio reverſus, quàm quidquam Donavverdenſis civitas in Imperatoris Majeſtatem deliquiſſet. Cùm autem Donavverda anno Domini M. DC. VII. adulto jam Decembri in poteſtatem ſereniſſimi Bavariæ Ducis venerit; neceſſe eſt, ut iſte Cambilhon adhuc menſe Decembri in Collegio Græcenſi vixerit; imò & poſtea, cùm loquatur de Donavverda jam occupata; qui rumor Græcium tam citò perferri non potuit, cùm ad nos, qui vicini

A eimi ſumus, non niſi ſub exitum Decembris venerit. Erat ergo Cambilhon adhuc in Collegio Græcenſi ineunte Anno M. DC. VIII. Quî fit ergo, quòd nullus illo in Collegio reperiatur, qui tam recentem incolam & apoſtatam noverit? Cur ipſe Cambilhon in primo ſuo ſcripto, Auguſtanis Prædicantibus inſcripto; dicit, *ſe jam pro veritate plura paſſum eſſe*, quàm ullum Cynicum (hoc autem ſcripſit Anno M. DC. VIII. X. die Martij.) Qua ratione fieri potuit, ut intra tam paucas ſeptimanas uſque ad X. diem Martij, plura pateretur, quàm ullus Cynicus multis annis, imò totius vitæ ſuæ decurſu?

B Præterea cùm nugivendus iſte dicat, ſibi ex lectione Colloquij Ratisbonenſis lumen Lutherani Evangelij alluxiſſe; ídque ſtatim ab edito Protocollo; incredibile profectò ſit, eum ab Anno M. DC. II. uſque ad Annum M. DC. VIII. in Societate JESU perſeverare potuiſſe; quia genius Lutheranus frænari ſe non ſinit; ſed erumpit, & vel aliquem è veſtigio ad fugam arripiendam impellit, vel ea deſignat; ut eum ex cœtu aliorum eijcere oporteat, ne pars ſincera trahatur. Omnino, non tantùm quidquid Cambilhon lallat, ſed & quidquid halat, mendacium olet; ex quibus & hoc: Jeſuitas *poſt Ratisbonenſe colloquium obmutuiſſe, & ſilentio ſuo victoriam Prædicantibus ceſſiſſe;* Et tamen omnibus notum eſt, ſimul cum ipſo Protocollo prodiiſſe Adami Tanneri, unius ex collocutorum numerò, Relationem de Colloquio Ratisbonenſi; & Gretſeri reſponſum ad Theſes Hunnianas de Colloquio cum Pontificiis ineundo; ut taceam alia ſcripta, quæ de eodem argumento paulò pòſt ſubſecuta ſunt. Quomodo igitur Jeſuitæ poſt Colloquium penitus conticuerunt, ùt iſte mentitur?

C Regredior ad S. Maximum, qui cùm ſupradictos teſtes falſos, gladio veritatis repuliſſet, haud tamen improbi Hæretici à criminationibus texendis deſtiterunt, ut innocentiſſimum virum, ſi quo pacto poſſent, nocentem efficerent. Ex quorum grege unus, ſic ſanctum affatus eſt. *Vide Abba dic veritatem, & dominus tui miſerebitur: quandoquidem ſi in legitimam quæſtionem veniamus, & vel unum eorum criminum, quæ tibi objecta ſunt, verum inveniatur, lex te interficit.*

D Reſpondit S. Maximus conſcientiæ ſuæ teſtimonio, & bonitate cauſæ fretus. *Jam dixi, ac rurſum dico, tantùm poſſibile eſſe, ut ex iis, vel unum verum ſit, quantùm, ut qui eſt Satanas, Deus ſit; ſed, cùm Deus non ſit, nec eſſe poſſit, qui eſt apoſtata; crimina quoque hæc falſa ſunt, nec ſubſiſtunt. Attamen, ſi quid jubetis facere, facite. Deum colens, non afficior injuria.* Hæc intrepidè S. Maximus. E

Quid ni & nos cum illo, repellendis accuſationibus vel potiùs Sycophantiis Cambilhonicis, tam illis, quæ ſunt de ſeditioſis conſiliis, quàm illis, quæ ſunt de ſcortatione, Magia, bellicis inſtrumentis, ſpecubus ſubterraneis, in quibus *verbera, carnifices, robur, lamina, tædæ.* Talia dum de nobis ſpargunt, ſua nobis conantur affricare, præſertim, cùm nos ſeditioſæ mentis inſimulant. Quàm enim ſpiritus hæreticus ſit Martius & militaris, pacísque ac quietis impatiens, docent duo hujus ætatis hæreſiarchæ Lutherus & Calvinus, quorum doctrina ſimul ac in orbem introivit, aurea pax fugit, & Bellona Principes in Principes, civitates in civitates, & ſubditos in ſuos magiſtratus armavit. An non & hoc ipſo tempore ſubditi contra naturales, datósque ſibi à Deo Principes, arma ſumpſerunt; milites conſcripſerunt, & omni genere apparatus bellici ſeſe inſtruxerunt, eo duntaxat fine, ut Evangelio ſuo liberum curſum vel ab invitis & reluctantibus extorquerent. Num quidquam ſimile olim à Chriſtianis adversùs Ethnicos Imperatores & Reges tentatum, à quibus tamen diriſſimè & truculentiſſimè excarnificabantur & mactabantur. Et tamen potuiſſent, ſi voluiſſent. *Si enim & hoſtes exertos*, inquit Tertullianus, *non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quàm totius Orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidantur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere?* Tertull. Apolog. cap. 37. F G

Non ergo primis Chriſtianis, judicio Tertulliani, facultas defuit graviſſimas illas perſecutiones à cervicibus ſuis amoliendi; ſed *voluntas*. Noſtris iſtis, etiam tunc, cùm humaniſſimè habentur, non deeſt voluntas. Si deſit facultas ſtudioſiſſimè allaborant, ut eam undecunque poſſunt, extundant. *Flectere ſi nequeant ſuperos, Acheronta movebunt.* Euſebius lib. 1. de præparatione Evangelica cap. 3. inde probat Chriſtianæ religionis veritatem, & Chriſti divinitatem, quòd nato Chriſto, & in mundum, humana ſub imagine, ingreſſo, altiſſima & univerſalis pax exſtitit; & gladios, contos, haſtásque in vomeres, aratra, falces, & id genus alia pacis inſtrumenta, commutavit. At Lutheri H

A Evangelio nato; quid natum eſt, niſi bella, & quidem horrida bella? Arma, arma fremunt; & paſſim *rauco ſtrepuerunt cornua cantu.*

B Quocirca non injuriâ concludimus, Lutheri Evangelium ab alio ſpiritu proceſſiſſe, quàm quod annunciatum & propagatum eſt à Chriſto, Virginis matris filio. Illud nobis non improbaretur, ſi ſectarij facerent, quod Tertullianus à Chriſtianis, ultionis gratia fieri potuiſſe, nec tamen factum eſſe, ſcribit. *Potuimus*, inquit Tertullianus, *& inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes ſolius divortij invidia adverſus vos dimicâſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcunque amiſſio civium; imò etiam & ipſa deſtitutione punîſſet, proculdubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortuæ urbis; quæſiſſetis, quibus in ea imperaſſetis.*

C Tale, quæſo, vindictæ genus ſectarij contra Papiſtas excogitent. Abeant in loca ſola, fugiántque de medio Babylonis. Papiſtarum labor erit, curare, ut vacuæ poſſeſſiones novis incolis impleantur. Nec periculum eſt, veſtro abitu, plures nobis hoſtes, quàm cives remanſuros: quod Tertullianus Romanis eventurum dicebat, ſi Chriſtiani ſe ab eorum ſocietate abrupiſſent. Neque etiam nullus erit, qui Dæmones ab obſeſſis expellat; licèt Novatores novum & inhabitatum orbem quærant; quia Novatorum non eſt Dæmones ex cordibus exigere, ſed in corda adigere & impellere. Romani tamen diſceſſu Chriſtianorum hoc tanto beneficio carituri erant. *Quis vos*, inquit Tertullianus, *ab illis occultis & uſquequaque vaſtantibus mentes & valetudines veſtras, hoſtibus raperet? à Dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus.*

CAPUT IX.

De apparatu bellico ſupra templi, deque ingentibus theſauris infra templi fornicem, & de ſubterraneis carnificum officinis.

D TEmplum *ubi ingreſſus es*, inquit calumniator, *ne dubita, quin ſub ferreo cælo ambules. Mars tibi imminet cruentus, non princeps ille pacis.* Utrum Cambilhon mentiatur an verum dicat; inſpectione & in rem præſentem itione opus eſt. Adhibeant iſtam Volcius, Rühelius, & cæteri de Auguſtano Miniſterio confratres, & compatres, Cambilhonis patroni & Mecænates, libellíque famoſi, quem ſcripſit, propagatores, forſan & in Germanicam linguam tranſlatores. Promitto, fore, ut tota armatura, quæ ſupra Auguſtani Templi laquearia aſſervatur, candidè & benevolenter illis monſtretur; Idem & de aliis Collegiis eidem Miniſterio, & reliquis omnibus Prædicantibus polliceor. E

Si quis Ingolſtadium viſendi & explorandi cauſa venire velit, me & ductorem & comitem aſcenſus in ſupera templi offero. Quæremus ſimul, & ex latebris in apertum extrahemus tormenta illa *bellica*, & *Muſquettas* (ſic vocat Relator) *quàm plurimas, & lanceas & bipennes, & prægrandium miſſilium lapidum aggeres ampliſſimos*; & omnia cominus luſtrabimus, & ad ſatietatem uſque contemplabimur, videbimúsque nugas eſſe, quæ de *Arſenali* ſeu Armamentario Veneto; vel de Norimbergenſi, vel de Dresdenſi, vel etiam de eo, quod nuper Auguſtæ conditum, & fortè intus itidem à Prædicantibus Auguſtanis inſpectum eſt, prædicantur, præ illo apparatu, qui ſupra fornices & laquearia templorum Jeſuiticorum extat. Rogo Prædicantes, præſertim Volcium, & in eadem vinea Auguſtana Synergos ejus, per quidquid illis charum & gratum eſt; ut facinus ſuo Miniſterio dignum facere, & templi omnes partes tam inferiores, quàm ſuperiores, tam quæ infra, quàm quæ ſupra terram luſtrare velint; fiet ampla & larga copia, ne dubitent. Et tum demum, ſi quid ſimile ejus, quod à Cambilhone ſcribitur, repererit; arctiſſimè clientem ſuum, tanquam veritatis pullum, & albæ gallinæ filium, complecti & ſuaviſſimè exoſculari poterunt. F G H

Et quamvis Cambilhon duo duntaxat loca nominet, in quibus talis bellicus apparatus inveniatur, Collegium ſcilicet Pragenſe, & Domum Cracovienſem; attamen ipſum de reliquis quoque Collegiis nulla dubitatio tenet. Ut igitur perſpicuè intelligatis; num jure de reliquis Collegiis ita ſentiat; illud, quod Auguſtæ quotidie in oculos veſtros incurrit, petite, & Sclopos iſtos Cambilhonicos ſupra templum quærite, & ubi inveneritis, renunciate mihi, ut & ego animo in Relatorem benigniore efficiar; Auguſtámque quamprimùm proficiſcar, ut mira illa mirifica coràm intueri queam. Nam in Collegio, in quo dego, nihil hujus vel ſupra vel infra templum reperio. Felix Cambilhon, qui talem apparatum Cracoviæ & Pragæ ſpectavit, licèt forſan Cracoviam nunquam viderit, nec Pragenſe Collegium; quia etiam abſentia, & ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, videre poteſt, tanta eſt oculorum acie, & tam lyn-

A lyncea perſpicacitate : Ego quidem nihil penitus ambigo, eum Pragæ tantum apparatum bellicum iiſdem oculis vidiſſe, quibus Græcii vidit Delrium Provincialem. Delrium quidem Græcii multi viderunt; ſed nullus, excepto ſolo Cambilhone, vidit Græcii Delrium Provincialem. Non diſſimilibus oculis vidit olim Benno grandiſſimos lapides, ſupra laquearia Templi S. Mariæ, *quod eſt in monte Aventino*, ab Hildebrando poſitos, ut in caput Regis Henrici IV. infrà precantis demitterentur, aut dejicerentur : Et factum fuiſſet, certa cum Principis pernicie, niſi interea Benno profundè obdormiviſſet; Et in ſomno eum, cui lapides demittendi provincia mandata fuerat, in ipſum Templi pavimentum decidiſſe vidiſſet; non ſine lumbifragio & crurifragio, ita, ut in ipſum Templi ſolum purpuream animam exſpuerit.

B Succenſeo propemodum Relatori, quòd ex tot Collegiis duo tantùm nominavit. Cur non addidit nominatim tertium? Cur non quartum? Cur non unum in India Orientali? unum in Japponia? unum in Braſilia? unum in Peruana Provincia? Unum in Mexico? Malè ſit tantæ oſcitantiæ. Cur vel Græcium oblitus eſt, in quo *Delrium Provincialem* vidit, & in quo vixit triennio, antequam ædificaretur?

C Sed en, etiam cauſam aſſignat; *quia Jeſuitæ ſciunt ſe pleriſque eſſe inviſos & exoſos; Hinc armis ſeſe muniunt, ut, ſi neceſſitas poſtulet, vim vi propulſare poſſint.* Jam tandem rem ipſam elocutus es, mi Relator : Eadem nimirum inſania, quæ te impulit, ut arma fingeres; impulit itidem, ut fingeres cauſam. *Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Licuit Lyrico canere; *Integer vitæ ſcelerisque purus, non eget Mauri jaculis nec arcu, nec venenatis gravida ſagittis pharetra :* Et nos cum pſalte non diceremus? *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exſurgat adversùm me prælium : in hoc ego ſperabo.* Miſeros nos, ſi ab armis & bombardis tutelam petere deberemus. Scilicet pauculi homines uno in Collegio ſimul degentes, contra furentis multitudinis impetum ſeſe defendere poſſent, quorum plerique nullum penitus armorum uſum habent, quippe inter Muſas & libros educati, neque unquam tota vita ſua bombardam vel onerârunt, vel deonerârunt; Et ſi lorica ſeu thorace aheneo induerentur, idem illis eveniret, quod Davidi contra Goliath Philiſtæum proceſſuro: *non poſſum ſic incedere*, ajebat, *non enim habeo uſum.*

D Tutatus eſt nos huc uſque clementer Deus, & ex præſentiſſimis vitæ periculis non E
ſemel noſtros eripuit ſola protectione & cuſtodia cœleſti nixos. Idem in poſterum nobis de divina benignitate pollicemur. Cui ſi ſecus videbitur; quis tam pavida mente fuerit, qui hæretico gladio cervicem non ſit libenter ſubjecturus, cùm talis mors *habeat & gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum;* ùt loquitur Tertullianus; qui & fidenter clamat: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra.*

Dixi ſuprà, & jam repeto. Mirum vi- F
deri poſſe, talem apparatum bellicum, nunquam, etiam ab hoſtibus, repertum eſſe iis in Collegiis, ex quibus aliquando Hæreticorum & aliorum adverſariorum violentia, noſtri fuêre ejecti. An Jeſuitæ tam properè interdum cedere coacti, ut vix paucula ſcripta ſecum auferre poſſent, tot bombardas, haſtas, loricas ita tenebris ſepire valuerunt, ut inaſpectabiles efficerentur? Ut taceam, conſtitutionibus noſtris diſertè prohiberi, ne arma domi habeantur. *Arma nulla, nec inſtrumenta rerum vanarum domi habere convenit.* p. 3. Conſt. c. 1. §. 14.

Poſtquam impoſtor ſupera templi ſuis G
mendaciis & lœdoriis ſatis oneravit, ad infera deſcendit; Et ibi, quidquid lubet, exſtruit, *Subter Pavimentum templi Græcij & alibi*, inquit, *ſunt cavernæ, & carceres ſubterranei, ad quos ſupernè deſcenditur per cochleas. Huc conferunt, ùt Virgilianus ille Cacus, rapinas & theſauros ſuos, ſtipántque theſauris ingens argentum.* Longè ſcilicet ingentius, quàm ſit illud, quod in ſingulos annos ex Peruana & Mexicana Provincia, & ex pluribus auri argentíque feracibus inſulis, in Hiſpanias advehitur. Nec claſſis Salomonis tantum auri ex Ophir at- 3. Reg. 9.
tulit, quantum in cavernis templi Auguſtani conditur. Si mihi Miniſterium Auguſtanum fidem non habet; habeat ſuis oculis. Ingrediantur Prædicantes Collegium. Theſauros iſtos ſibi in illis ſpecubus monſtrari poſtulent. Voti compotes haud gravatè fient. Illic itidem contemplari licebit vellus illud aureum, cujus deſiderio Jaſon cum ſuis Argonautis, novâ & inſolitâ eò uſque viâ Colchos petiit. Res viſu ſanè digna tum propter vetuſtatem, tum ob immenſum pretium.

Rogo autem & quidem etiam atque e- H
tiam, alios itidem Lutherani verbi *ſervos* & *conſervos*, ut, ſi fortè Ingolſtadium venerint, Theſauros itidem noſtros ſub templi fornice repoſitos ſpectare dignentur. Me parario omnia patebunt. Omnia clauſa recludentur. Eandémque benevolentiam & facilitatem iiſdem de aliis Collegiis ſpondeo.

Una

A Una & eadem opera contemplabuntur quoque carcere illos ſubterraneos ſub Templi pavimento à Cambilhone effoſſos, non ſine *funibus, fidiculis, gladiis, ſecuribus, forcipibus, cippis, numellis, ſcalis;* mirum, omiſſos equuleos, cataſtas; ſcorpiones, plumbata, & ſimilia torquendi inſtrumenta. Aſpicient quoque, & ſi libuerit, induent veſtes illas tragicas *carnificum,* quas Cambilhon optimus harum veſtium ſartor & conſarcinator, ſarciit; *Thoracem,* inquam, *illum fimbriatum & diſſectum, & caligas hydropicas & follicantes ad talos usque demiſſas.* Capiti inſuper imponere licebit *pileum* Cambilhonicum *pyramidalem, atris plumis ornatum.* Quàm, bone Deus, B jucundum erit ſpectaculum videre Prædicantem, præſertim Volcium, hoc ſchemate conſpicuum. Et quamvis multa, imò pleraque templa noſtra careant aliis fornicibus ſubterraneis, exceptis iis, in quibus noſtrorum, qui in Domino obdormiunt, corpora ſepeliuntur; tametſi multis locis, more nationis communi, terræ infodiuntur, & humo operiuntur; id tamen non refert; quia cùm Cambilhon tales cavernas ſub templis noſtris exſtare aſſeveraverit; facilè eas inveniemus, dummodo cum Ænea aureum ramum adferamus, cujus virtute etiam operta terræ dehiſcent, & in ſpeluncas efformabuntur.

C At quid Jeſuitæ in his ſubterraneis ſpecubus agunt? *Huc immorigeros, & quos fugam arrepturos ſuſpicantur, compingunt, cippóque incluſos & fame ſitique maceratos, tandem exquiſitiſſimis tormentis enecant.* Ego hîc Tertullianéum illud recino: *Qui potes hæc credere, potes & facere. Si non potes facere, non debes credere,* rem tam ab omni humanitatis ſenſu alienam; & Buſiride quopiam, non Chriſtiano dignam. Societas toto terrarum orbe diſperſa eſt; Domicilia fixit inter fideles & infideles in ampliſſimis Provinciis & civitatibus. Quis unquam homicidij vel tenuiſſimum veſtigium deprehendit? Et quî fieri potuiſſet, ut tantum & tam immane ſcelus poſt tot D annos non detegeretur, cùm etiam occultiſſima latrocinia tandem in lucem extrahantur? Quot ex Societate diſceſſerunt, & interdum quoque transfugæ facti, ad adverſariorum caſtra tranſiêrunt? Quis unquam Societatem hoc crimine vel leviter infamavit? Ne ipſe quidem Haſenmüllerus, licèt ad omnem impudentiam & criminandi impotentiam faberrimè exaſciatus, tales officinas & carnificinas comminiſci auſus fuit; tametſi aliam de coadjutoribus præfractis & religioſæ diſciplinæ impatientibus Sycophantiam texuit, eos nimirum *præſentaneo veneno à nobis tolli;* quam ex Tartaro petitam criminationem ſatis ſupérque in Jeſuiticæ Hiſtoriæ correctione ſeu refutatione profligavi. E

Nunc illud dico, ſi Haſenmüllerus apud nos hujusmodi officinas, & officinarum inſtrumenta vidiſſet, vel eſſe inaudiſſet; num ſiluiſſet? Et quî ſiluiſſet; cùm tanta cupidine nos & noſtra inſectandi arſerit; ut ultra Chiliadem apertiſſimorum mendaciorum ſua in Hiſtoria effuderit, prout numerata & lectori appenſa ſunt à R. D. Cleopha Diſtelmair, qui Refutationem meam in Germanicum ſermonem tranſtulit. Nec quòd tale quid de nobis non diſſeminavit, benevolentiæ ejus in nos, vel odio mentiendi, ſed vel oblivioni id adſcribi debet, vel quia Diabolus ei id ſuggerere noluit, craſſiora hæc mendacia per Cambilhonicum os aliF quando evomere deſtinans. Pederentim namque calumniatorum ille dux ac ſignifer progreditur, & cùm minoribus calumniis ſe nihil effeciſſe cernit; effrænatiores Sycophantas in medium protrudit; ùt nunc cum Cambilhono fecit; quem ſuam in ſcenam emiſit, ut horribiles ſcortationes, Magias abominandas, & homicidia truculentiſſima tam hominum noſtri Ordinis, quàm fæminarum & infantium intonet, & magno boatu diffundat, quò ipſa atrocitate tam immanium criminum omnes attonitos reddat; & ad Jeſuitarum excidium exſtimuler.

Cæterùm ut Relator teterrimæ ſuæ veG ſaniæ, aliquem veriſimilitudinis fucum allinat, duos, Diaboli inſtinctu, quaſi à noſtris occiſos, nominat; Alterum, Jacobum Cluſſæum indigitat, interfectum Græcij. Alterum, Martinum, peremptum Fuldæ. Tam miſer fuit iſte Cacodæmon, & ejus Amanuenſis Cambilhon, ut huic Martino aliquod cognomentum aſſuere nequiverint. Atqui quo jure eum appellârunt *Martinum,* eodem illum appellare poterant Martinum Daſypodium, vel Cratandrum, vel ſimili quopiam cognomine.

Quod ad fictitium illum Cluſſæum at- H tinet, ſcripſi Græcium, ut cognoſcerem, num talis aliquando eo in Collegio habitâſſet. Reſponſum hoc tuli à P. Jacobo Cruſio, ad quem ſcripſeram. *Non fuit Græcij talis adoleſcens. Quomodo ergo ibi necatus?* Nec à moribus ſuis alienum quid fecit, cùm talem adoleſcentem ſuo ex cerebro exſculpſit, & in Collegio Græcenſi neci datum finxit: quando impudentiſſimè mentiri non erubuit: ſe Collegij Græcenſis indigenam fuiſſe, cùm, qui à triginta annis in Græcenſi Collegio degunt, nullum talem Collegam unquam aut viderint aut noverint. Et quomodo non noviſſent illum, qui ſe fingit ex Collegio Græcenſi, exeunte demum anno

Re-

A Redemptoris M. DC. VII. abijſſe, & ad Lutheranos tranſitionem feciſſe?

Non diſpar ratio eſt *Martini* illius, cujus nece Fuldenſes noſtros infamat. Quis fidem habeat tot mendaciorum jam comperto ac convicto? Quis non deteſtetur os iſtud, quod aliud non eſt, quàm tantarum lœdoriarum & pſeudologiarum fœtidiſſima cloaca? Pollicetur, ſe ſuo tempore Clauſſæi & Martini interitum evulgaturum, *conſignatis omnibus circumſtantiis.* Mendacia ſua conſignabit; non abominandi facinoris, (quod nunquam patratum eſt, niſi in mendaciſſimo Cambilhoni cerebro) circumſtantias.

Cùm hæc jam ſcripſiſſem, atque adeò
B totum hoc Apologeticum finiviſſem, ultimo die Maij, anno Redemptoris M. DC. IX. venerunt ad me eodem die ſub veſperam, Colonia litteræ à *R. P. Joanne Rutgero*, è Societate noſtra, ſummi Templi Colonienſis Eccleſiaſte, quæ de Martino, quem à Fuldenſibus Cambilhon peremptum mentitur, ſequentia nunciabant. *Martinus ille Miltenburgenſis, quem Fuldæ à noſtris occiſum mentitur hic nebulo, fuit meus proximus cognatus, frater P. Matthæi Rimæi, qui nunc concionatur Padelbornæ, & P. Nicolai Rimæi, qui concionator noſtri templi Moguntini ante menſem obiit, filius Martini*
C *Rimæi ſenatoris Miltenburgenſis, ante annum demortui. Is ante paucos annos à quodam diſcolo abductus eſt è ſeminario Fuldenſi, ut fugerent Tubingam ad hæreticos. In pago juxta Heilbrunam lethali corripitur febri, identidem inclamat patris offenſionem, & præſentiam: advocatus Pater adhuc ſpirantem reperit. Veniam precatur filius, moritur abſque confeſſione, & extremo viatico, utpote in loco hæretico, ſed non abſque dolore peccatorum. Hic fuit verus exitus Martini illius per nos occiſi. O frontem! Magnum hic conviciator vulnus Colonienſibus Calviniſtis inflixit, dum mendacia ſua tam craſſa ſenſerunt legi, & deprehendi à Catholicis.* Hæc P. Rutgerus, qui & addit, Calviniano Bibliopolæ exemplaria, quæ Coloniam advexerat, juſſu ampliſſimi Senatus ablata eſſe, ſimúlque injunctum, ut vel Typographum & Auctorem libelli Famoſi prodat, vel urbe excedat. Ex quo manifeſtè elucet, quid tantæ urbis clariſſimus Senatus de Cambilhonico libello ſentiat.

D Ejuſdem porrò cum ſuperioribus fæcis ſunt ſequentia, quæ *de occiſis feminis, infantulis & opulentis adoleſcentibus, déque noctu auditis ſuſpiriis, ejulatibus, vagitibus & lamentis longè miſerrimis* miſer iſte calumniatur. *Crediderunt*, inquit, *ſimpliciores eſſe animas recens defunctorum.* Hîc duo obſerva, ſi in cavernis ſubterraneis templi hæc talia peraguntur; quomodo in Collegio audiri poterant; cùm Templum à Collegio ſoleat eſſe ſejunctum; & quæ in hujuſmodi ſpecubus geruntur; ne ab illis quidem, qui ſpecubus ſupernè inſiſtunt, percipi queant? Si quis eò ſceleris prorumpat, ut infanticidium perpetrare velit, cavere ſcilicet ejulatus & vagitus nulla arte valebit; ùt & lamenta aliorum, ſi quos mactare inſtituiſſet. E

Cùm olim Ethnici Chriſtianis infanticidia opprobrarent ea veritate, qua nobis Cambilhon; negavit Tertullianus in Apologetico, fieri poſſe, ut quis tale facinus deſignet, etiamſi pro præmio vita æterna ei promitteretur: ídque probat ex ipſius naturæ ſenſu, &, ut ſic loquar, penetralibus: *Ut fidem naturæ ipſius appellem*, inquit Tertullianus, *adverſus eos, qui talia credenda eſſe præſumunt: ecce proponimus horum facinorum mercedem, vitam æternam repromittunt, credite interim: de hoc enim quæro, an, & qui credideris, tanti habeas ad eam tali conſcientia pervenire? Veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium; vel, ſi alterius officium eſt, tu modò aſſiſte morienti homini, antequam vixit: fugientem animam novam exſpecta, excipe rudem ſanguinem, eo panem tuum ſatia, veſcere libenter. Interea diſcumbens dinumera loca, ubi mater, ubi ſoror, nota diligenter, ut cùm tenebræ ceciderint caninæ, non erres, piaculum enim admiſeris, niſi inceſtum feceris. Talia initiatus, & conſignatus, vivis in ævum. Cupio, reſpondeas; ſit tanti æternitas, aut ſi non, ideo nec credenda; etiam ſi crediderìs, nego te velle: etiam ſi volueris, nego te poſſe. Cur ergo alii poſſunt, ſi vos non poteſtis? cur non poſſitis, ſi alii poſſunt? Alia nos, opinor, natura, cynophanes, aut ſciapodes; alii ordines dentium; alii ad inceſtam libidinem nervi. Qui iſta credis de homine, potes & facere, &c.* Hæc pulcherrimè Tertullianus: quæ valent etiam ad confutationem ſcelerum & flagitiorum, quæ nobis vaniſſimus iſte Relator objectat. F

Copioſè oſtendit Maximus Tyrius ſerm. 39. Socratem rectè ac ſapienter egiſſe, quòd accuſatus à ſycophantis, capitiſque etiam poſtulatus, nulla Apologia uti voluerit. *Quæ fiducia*, inquit, *Socratem ad defenſionem hortaretur? Num confideret ſe judices æquos habiturum? Atqui, iniquiſſimi erant. Num ſapientes? atqui dementes erant. Num bonos? at improbi erant. Num manſuetos? at iracundia æſtuabant. Num ſimilitudine aliqua ſecum obſtrictos? at diſſimillimi erant. Num meliores? at peſſimi erant. Num deteriores? at, quis ſe meliorem agnoſcens, deteriori committere ſe velit?* G

Ego licèt non ignorem, quàm Jeſuitis iniqui ſint, qui Lutherum & Calvinum ſequuntur; ea tamen non paucos æquitate & humanitate fore confido, ut calumniatorem iſtum ſtigmate dignum judicent, eò quòd in calumniando omnes prorſus H

A limites transcenderit, & talia de nostris Collegiis disseminaverit, qualia vix de Caci aut Polyphemi antro crederentur: & quidquid sit de Religione, quæ nos ab illis disparat, in animum tamen non inducent credere, viros literatos & literarum studiosos (neque enim prudentiores & doctiores ex Lutheranis & Calvinianis hanc laudem Jesuitis adimunt) talia & tam execrabilia, & ab omni humanitatis sensu usque adeò remota; & Cyclopicæ ferocitati, non erudito ingenio convenientia scelera perpetrare.

B Nec illud sibi persuadebunt, fieri potuisse, ut hæc tam immania facta tanto tempore celarentur; aut à magistratu legitimo, si ulla probabilis suspicio subesset, omni studio non investigarentur; ut tam nefariis ausis finis imponeretur.

Illud etiam risu potiùs, quàm assensu excipient, *Jesuitas nonnunquam terrificis larvis velatos, in hujusmodi subterraneis locis, Novitiis ad hanc Tragœdiam evocatis, magno cum boatu occurrere, ut explorent eorum constantiam & præsentiam animi. Et Pragæ anno M. DC. II. Mense Septembri* (nempe trigesimo quinto die ejusdem sub serum crepusculum) *quinque Jesuitis primariis, sub diabolicis larvis juventuti obludentibus, immiscuisse se sextum, haud dubiè verum diabolum, qui unum ex quinque diabolis medium complexus sic presserit, ut triduo pòst moreretur, factúmque hoc lippis & tonsoribus Pragæ notum esse.*

C Hic multa desidero. I. Quæ fuerint nomina quinque illorum Jesuitarum ex primariis. Cur reticuisti? II. Quod nomen illius, qui ex tam arcto complexu & compressu animam paulò pòst efflavit? III. Cùm hæc contigerint in subterraneis speluncis; quis enunciavit, ut lippis & tonsoribus nota fierent? Quod nomen hujus, qui hoc arcanum in vulgus extulit? Quî factum est, ut, quod Pragæ, in urbe celeberrima *lippis & tonsoribus* notum erat; ad alia itidem loca non manârit? nam quod tali in theatro notum est, ubique notum esse solet, ob concursum omnis generis hominum, qui ad urbium Reginas confluere solent. Mihi nec fando, nec somniando quidquam unquam de hac fabula auditum est. Nec sinunt Prædicantes, ut hæc talia figmenta lateant; quandoquidem non tantùm typis, sed & picturis, sculpturísque ea multiplicare, & quoquoversus dispergere, vetere jam instituto, consueverunt.

D Libenter autem intelligerem, an talis larvatus & personatus Jesuita, *horrendo cum boatu*, ipsi etiam Cambilhonio in specus illos subterraneos admisso occurrerit; & an irruentis occursum non expaverit, sed firmus in gradu constiterit; & num postea ad Magices secreta perdiscenda habilis ac idoneus judicatus fuerit. Item an in Magia aliquos processus fecerit; & si fecit, rogo illum per *Steganographiam*, & *occultam Philosophiam Agrippæ*, per libros *Adami*, *Abelis*, *Henochi*, *Abrahæ*, *Salomonis*, *Pauli*. Et per librum Bennonianum, quem Hiltebrandus perpetim secum circumferebat, pérque omnes Medeas & Canidias, ut artis suæ specimen suis in Mecænatibus, Augustanis Prædicantibus, præsertim in Volcio, nobis exhibeat, singulorúmque capitibus vel cervina, vel taurina, vel hircina cornua affigat; sic enim re ipsa experientur, te vera scripsisse, quando Jesuitas Magiæ accusasti, téque oleum & operam in hac arte apud Jesuitas discenda non perdidisse; sed docilem discipulum fuisse.

E

Mirificè autem mihi probatur, quod F Cambilhon ad calcem suæ Relationis adjunxit, *deliberatum scilicet à Jesuitis fuisse, ut emissis aliquot audacissimis sicariis, præcipuos Evangelicæ & Calvinianæ Ecclesiæ Doctores veneno tollant, tanta intoxicandi peritia instructis, ut patinas, malluvia, lebetes, & quæ reliqua ad usum quotidianum destinata sunt, sic inficere valeant, ut licet decies expurgentur, tamen atrocissimi & præsentissimi veneni vim retineant.* Meretur hæc monitio & pia Cambilhoni de Prædicantium incolumitate cura, menstruales dapes, pernas, fumen, laridum, & quidquid hujus rei in *carnario* recondi solet.

Suadeo Prædicantibus, ut nullam post- G hac patinam attingant; nullum malluvium, nullum lebetem. Sub qualibet herba anguem latere suspicentur, si salvi esse velint. Nec quidquam esculentorum vel poculentorum sumant, nisi quod à fidissimis profectum nôrunt: neque ulla amplius convivia & symposia obeant & ineant; & cùm iter faciendum, & inter ignotos versandum erit; faciant, quod Judæi solent, ova cocta carnésque fumo duratas in sacciperiis suis circumferant, nec quidquam potionis capiant, nisi quod limpido de fonte ipsimet, propriis manibus, hauserint; alioqui in præsentaneum vitæ periculum se conjicient ob occultos istos venenarios, qui omnia inficiunt. Nec abest suspicio, eos etiam forcipes tonsorum, quibus barbas & pilos Prædicantium tondent, potentibus herbis tingere; itaque consultum erit, ut Prædicantes candentibus carbonibus, ad exemplum Dionysii Syracusani, capillum & barbas adurant: nam carbones igniti ab infectione veneni immunes sunt: statim namque toxicum allitum & illitum vi ignea absumunt.

Illud tamen mihi perquam mirabile ac- H cidit, quod ait Cambilhon, *tam efficaci phar-*

A *pharmaco vasa inficì, ut veneni efficacitas elui nequeat, licèt decies abluantur.* Quî fit, quòd his, qui hæc vasa mundant, nihil mali contingit; solis autem Prædicantibus ex talium tactu, pestis & exitium creatur? An illi alii præmuniunt se adversus vim veneni? Quomodo prophylacticum medicamentum sument, si nesciant, lebetem veneno esse tinctum? Cur item soli Prædicantes moriuntur, si pulmentum tali in lebete coctum vorent? Cur illis solis est mors in olla, non item aliis, uxori, filiis, filiabus, servis & ancillis Prædicanticis, qui simul ex tali olla & patina epulantur; & ex eodem malluvio manus abluunt? An venenario venenum ad arbitrium obtemperat; ut interficiat, quos interfici jubet; quos non jubet, vivere sinat? ô fabulas plusquam metamorphosiacas!

B Quas cùm finxit Cambilhon, non prorsus stultissimè fecit, quia offam & vestes à Prædicantibus impetrare voluit: Qua ratione citiùs voti compos evasisset, quàm talia canendo, quæ Prædicantium aures titillant: inde enim de se conjecturam faciunt, quanta sint in existimatione apud Jesuitas, cùm iis tollendis proprios emissarios emittant. Fieri nequit, ut hæc audiens Prædicans, cristas non erigat, & cornua in altum tollens, cum Polyphemo palàm canat: δῆλον ὅτ' ἐν τὰ γᾶ κήγών τις Φαίνομαι ἥμες. *Manifestum est, etiam me alicuius pretii in terris esse.* Vetus est hæc adulatorum Prædicanticorum assentatio, & ipsi etiam Prædicantes, qui cæteris auctoritate & fama doctrinæ antistant, libenter sese hoc palpo oblectant. Quoties monitus est Lutherus, vel certè monitum se esse, mentitus est, sibi ut caveret à percussoribus Papistarum opera conductis, & incauto immittendis? Modò Judæus ex Polonia; modò quidam ex Gallia; modò aliunde venturus nunciabatur, vel à Luthero fingebatur, qui Lutherum vel veneno vel gladio tolleret. Et nuper, cùm Hunnius, & paulò pòst Rungius, valentes sanè & robusti præcones; nec longo temporis spatio interposito, Gesnerus, *vitai lumina*, ùt Carus loquitur, *reliquissent*; statim Lutheranis in triviis murmur oriri cœpit, hos tantos viros à Papistis sublatos; vix enim credibile videri, tam vegetos Stentoras, florente adhuc ævo, morituros fuisse. Quid cum his agas vel incipias, qui suos tanti æstimant, ut arbitrentur, ipsis, à Pontificiis, insidias strui, etiam in media Saxonia, hoc est, in medio Lutheranismo; Witebergæ; ubi quidem nomen *Papistæ* crebrò auditur, nullus autem *Papista* videtur; & si videretur, forsan tam hospitaliter acciperetur, quàm si in Læstrigonum regionem deveniisset.

D Et hæc amoliendis profligandísque Cambilhonicis mendaciis, criminationibus & sycophantiis dicta sunto. Fremant, frendeant, fulminent, fulgurent, cœlum terrámque contra nos misceant hæretici, & nunc hos, nunc illos sycophantas; nominis & existimationis nostræ clamosissimos detractores in vulgus extrudant; quilibet Jesuita memor suæ vocationis, cum S. Augustino dicet: *Homo sum de area Christi, palea, si malus; granum, si bonus. Non est hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani* (Lutherani, Calviniani) *ac per hoc quidquid in ejus paleam mali etiam verè dixerit, nullo modo frumentis ejus præjudicat. Quidquid autem in ipsa frumenta maledictorum, calumniarúmque jactaverit, fides eorum exercetur in terris, merces augetur in cœlis. Sanctis enim Dei servis, sanctéque Deo militantibus, non adversùs Petilianum, atque hujusmodi carnem, & sanguinem, sed adversus principatus, & potestates, rectores talium tenebrarum, quales sunt omnes adversarii veritatis; quibus utinam dicamus, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: hanc ergo militiam militantibus servis Dei, quæcunque ab inimicis convicia criminosa dicuntur, quæ apud malevolos, & temerè credulos famam malam faciant, arma sinistra sunt. Etiam diabolus his expugnatur. Cùm enim per bonam famam probamur, utrum nos in superbiam non extollamus, & per malam famam probamur, utrum inimicos eos ipsos, à quibus nobis confingitur, diligamus, per arma justitiæ à dextera, & à sinistra diabolum vincimus. Quæ, cùm Apostolus commemorâsset dicens, per arma justitiæ à dextera, & à sinistra: continuò tanquam exponens quid dixerit: Per gloriam,* inquit, *& ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, & cætera talia; gloriam scilicet, & bonam famam numerans in armis dextris, in sinistris autem ignobilitatem, & infamiam.*

E S. Aug. lib. 3. contra lit. Petil. cap. 12. & 13.

F

2. Cor. 6.

Ibid.

G *Si ergo sum Dei servus, & miles non reprobus, quamlibet disertus conviciator in me Petilianus existat, nunquid molestè ferre debeo, quòd mihi armorum sinistrorum faber solertissimus paratus est? Opus est, ut his in adjutorio Domini mei peritissimè dimicem, & eis illum feriam, contra quem invisibiliter pugno, qui perversissima, & antiquissima astutia callidè intendit & agit, ut propter hæc Petilianum oderim, ac sic præceptum Christi, quod ait; Diligite inimicos vestros; implere non possim, quod à me avertat ejus misericordia, qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me, ut pendens in cruce diceret: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt; méque de Petiliano, & talibus inimicis meis dicere doceret; Domine ignosce illis, quia nesciunt, quid loquuntur.* Hæc scitissimè, & verissimè S. Augustinus, quæ multum solatii & spei afferre possunt omnibus illis, qui ob veritatis defensionem, Hæreticarum linguarum flagellis dilacerantur, & indignè conscinduntur.

H Luc. 6.

Galat. 2.

Luc. 23.

APPENDIX

CONTRA VOLCIUM, PRÆDICANTEM AUGUSTANUM, UNA CUM LEGIBUS IMPERATORUM CONTRA LIBELLOS FAMOSOS, EORUMQUE AUCTORES AC FAUTORES.

A

B Est Volcius unus de venerabili Ministerio Pseudoevangelico, cui Cambilhon duo sua scripta inscripsit: tametsi, ut suprà dictum, Prædicantibus hæc inscriptio parùm honorifica visa est, cùm eam in publica alterius scripti editione expunxerint, neque sui *Ministerii* nomen huic chartæ appendi permiserint.

C Ut tamen Volcius alia ratione planum reddat, quanti Cambilhonicum famosum libellum æstimet; & quàm calumniæ, etiamsi atrociſſimæ & mendaciſſimæ, palato suo gratæ acceptæque accidant; diabolicam illam lœdoriam *de carnificinis Jesuiticis subterraneis, totóque apparatu cruciario*, quem Cambilhon suo ex sincipite exsculpsit; in Germanicum quoddam scriptum suum de vocatione Ministrorum verbi Dei contra Reverendum & eruditum virum D. Georgium Pomerium, transtulit. Dixerat Pomerius, Volcium & symmystas suos non aliter à Magistratu vocari, quàm alios Reipublicæ ministros; *lictores, canicidas, carnifices:* quorum vocatio in hoc consistit; ut cum Magistratu de certo stipendio paciscantur, & ubi de diurno denario convenerint, id, cujus gratia conducti sunt, diligenter exequantur. Certè non alio modo vocantur à magistratu Prædicantes. Quid enim ad magistratum, præsertim tuum, ô Volci, utrum vocato abs se Prædicanti manus imponantur, vel olim impositæ fuerint, an non? Item utrum axungia, an alio unguine sibi competente inunctus ac delibutus fuerit. Nam quod examen subire oportet, ut exploretur doctrina, certè nulla Respublica etiam infimæ & abjectissimæ sortis ministrum conducit, nisi officij gnarum, & quantùm fieri potest, probè peritum; ùt patet experientia; & hæc peritia constare debet vel publico eorum, qui talia nôrunt, testimonio; vel speciminibus palàm exhibitis. Itaque, ne in hac quidem doctrinæ vestræ periclitatione dissimiles estis illis, quos nominavit Pomerius.

D Exstat libellus, quem ampliſſimus Inclytæ Reipublicæ Augustanæ Senatus evulgavit, anno Redemptoris M. D. LXXXV. hoc titulo: Warhafftet kurtzer Bericht, wie es mit Beruffung, und Bestellung der Kirchendiener Augspurgischer Confession, in der Statt Augspurg jederzeit gehalten worden. In eo libello reperiuntur aliquot Epistolæ, seu Vocationes ampliſſimi Senatus ad varios Prædicantes, quos novi Evangelij evangelizandi gratia Augustam evocabant. In iis profectò nihil apparet singulare & peculiare, quod *mutatis mutandis*, præsertim titulis; (quivis enim suo statui convenienter vocatur) non in quemlibet alium competat, qui vocatur, ut Reipublicæ operam suam navet; ùt lector fatebitur, si epistolas illas evolvere velit. An non solent Prædicantes hujusmodi epistolas vocare *vocationes*? An non dicit Lauserus in Apologia contra hæredes Crellianos, se, acceptis litteris à senatu Brunsvvicensi, *vocationem Brunsvvigam* accepisse? An non illas litteras vocat *vocationem* suam? An non eadem locutio aliorum Prædicantium ore teritur? Quid ni igitur lictor, & carnifex acceptis litteris, quibus rogatur, ut huic vel illi Reipublicæ serviat; tales litteras *vocationem* suam vocet, & se in hanc vel illam civitatem *vocatum* affirmet?

E

F Nec propterea Pomerius aliorum ministrorum honestæ conditionis & functionis vocationem comparat cum vocatione lictorum & carnificum, ùt calumniatur Volcius; quia illi duntaxat in vocatione copulari & conjugari debent, quorum in munere aliqua cognatio visitur; ùt quidem inter Prædicantes & lictores carnificésque visitur; nam isti corpora ligant, vinciunt, carceribus attinent, catenis & cippis constringunt, & tandem perimunt; Prædicantes, animas & veritatem ipsam captivas tenent, in vincula trudunt; & ad extremum interficiunt; neque enim minùs verè quilibet Prædicans ac olim Marcion à Tertulliano, vocari potest *interfector veritatis*; imò & animarum; quia animas interficit, quisquis Orco demittit. Et hoc animadvertere debebat Volcius, antequam se aliorum honesti status & muneris ministrorum velo cooperire tentaret.

G Nec adeò mirum videri debet, si vir doctus Pomerius, te & tuos Symmystas in tam laudabili Prædicamento posuit, & cùm tam claris spectatísque contribulibus copulavit. Ausus fuit tuus Lutherus in Colloquiis convivalibus & alibi, cum canicidis & carnificibus sociare Juristas, advocatos, causidicos, notarios, scribas & quidquid in foro justitiæ administrandæ fervit; & Pomerius gladio vindicandum scelus commiserit, cùm te & tuos gregales similem in tribum conjecit; & quidem merentissimos; ùt Lutherus Juristas, immerentissimos.

H Nec hoc redundat in Magistratus ignomi-

A miniam, ut tu, tui comendi & ornandi gratia, criminaris. Quæ enim infamia magistratus fuerit; si vocet & conducat sibi necessarios ministros; lictores, & carnifices? Dann die muß man auch haben, ais tu ipse Volci; Volcium und seines gleichen offentliche verleumbder und hochsträffliche Paßquillanten und Diffamanten abzustraffen: damit sich andere dergleichen unerbaren Stucken und Schandscartecken, so auch vor der Welt, in äusserlichem gemeinem Burgerlichem Weesen übel stehen, und nicht zugedulden seynd, müßigen. Quid enim infamius, quid maledicentius, quid pestilentius, quid communi hominum Societati perniciosius, quàm si tales libelli impunè excudantur & in imperitam multitudinem extrudantur, qualem tu, Volci, cum tuorum Synergorum Synedrio extrusisti
B sine Auctoris, & typographi, urbis & typographiæ nomine. Si Pomerius scripsisset, te esse *scortatorem, adulterum, magum, homicidam, infanticidam, tubam & cymbalum belli*; lictoris forsan & carnificis opem implorare potuisses. Nunc quando tu cum tuis omnia isthæc de Jesuitis sparsisti; vide, an non jure verba tua, quæ modò recitavi; ad te tuósque in vinea Lutheri adjutores, remittere queant. Et ut paucis meam mentem ac sententiam tibi exponam, vos Prædicantes longè minùs Reipublicæ necessarii estis, quàm lictores & carnifices. Nam pax, quies, justitia, uno verbo, tota salus publica optimè, vobis ad Garamantas ablegatis, subsisteret.

C Sed ad lineam revertor. Valde momordit tenerum Volcium, quod D. Pomerius dixit, Prædicantes non aliter *vocari* ac lictores & carnifices. Quapropter se contineri nequiit, quin ex libro Cambilhonico, post multam & variam solutæ linguæ petulantiam, hanc calumniam repeteret. So weiß man, das in etlichen Jesuitischen Collegiis, gemeinglich unter der Erden, sondere carnificinæ, und Schergen Werckstatt zu finden, darinn sie mit allerhand henckerischen Instrumenten, von Reckleitern, Schwerdten, Stöcken, henckerischen Kleidern, und was mehr zu solcher Stockmeisters Arbeit gehört, versehen, da-
D mit sie ihre Leuth schrecken, stecken, und blöcken, das sie keines andern Schergen bedörffen, alsdann im Fall der Noth mit mehr Umständen der Personen, so es gesehen, zu erweisen. Hæc tu, Volci, ex tuo Cambilhono. Et quandoquidem ais, hæc, *quæ dicis, pluribus circumstantiis personarum, quæ talia viderint, probari posse.* Etiam atque etiam te obsecro & hortor, ut cum his tuis personis, quæ nostris in Collegiis tam execrandas officinas oculis usurpârunt, prodeas in medium, atque adeò, juris viâ & formâ obsservatâ, crimen tantum vel ad amplissimum Augustanæ urbis E Senatum, vel ad Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum abs te legitimè probandum deferas; ni feceris, ne unam quidem ingenui sanguinis guttam toto in corpore tibi superesse dicam. Et quasnam tu produces personas, præter Cambilhonium, qui tam honestus est, ut mendaciis & calumniis suis nomen suum apponere non fuerit ausus. Qui tam honestus est, ut te & tuos Synergistas puduerit, turpissimæ & mendacissimæ ructationis potius, & vociferationis, quàm lucubrationis Cambilhonicæ vobis dedicatæ.

Nec tu tua in invectiva adversus D. Po- F merium Cambilhonici nominis mentionem facere sustinuisti. Cur? nisi quia te, licèt vultu ferreo ornatum, tanti Sycophantæ nominatione fidem omnem scriptioni tuæ detrahere puduit. Nec sua in charta dicit, se officinas illas subterraneas vidisse; nec alios superstites nominat, qui viderint; nam Clusæum & illum quendam Martinum, quos Cambilhon suo in cerebro occidit, nunquam, ùt opinor, coram judicibus sistes; ut tales apud nos carnificinas exstare probes. Qui sunt ergo illi, qui se hæc lapidicinis omnibus sæviora ergastula spectâsse testabuntur, & quorum testimonio tu hoc ipsum confirmabis?

Prodi, prodi, Volci, iterum moneo, G fac, quod potes. Aude, aude; quia quidvis audes; cur non & hoc? Siste Magistratui personas speluncarum illarum spectatrices. Eja rumpe moras. Assume in consilium Collegas tuos; quia causa illis est communis; nec de cassa nuce vitiligatio erit; sed de fama, existimatione & salute eorum, quos vos maximè perditos cupitis. Hanc victoriam si obtineatis, pax vobis sempiterna à Jesuitis erit. Eja rumpe moras Volci; Interea dum tu cunctaris, ex Codice Theodosiano recitabo tibi vete- Lib. 9. tit. rum Imperatorum leges, ut in iis, velut 33. in speculo, te contempleris; Et qua pœna Christianissimi illi Principes, te & tuos compræcones affecissent, si in eorum ætatem incidisses, intelligas, ob libellum famosum à vobis acceptatum, approbatum, vestróque studio, auxilio & favore editum. Tu Volci arrige aures, & caye, ne læva lævum quid tibi tinniat.

IMP. CONSTANTINUS A. AD VERINUM VIC. AFRICÆ.

H *Si quando famosi libelli reperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hi, quorum de factis, vel nominibus aliquid continebunt: sed*

A *ſed ſcriptionis auctor potiùs requiratur, & repertus cum omni vigore cogatur his de rebus, quas proponendas credidit, comprobare. Nec tamen ſupplicio, etiamſi aliquid oſtenderit, ſubtrahatur. PP. IV. Kal. April. Carthagine Conſtantino A. V. & Licinio C. CONS.*

Interpretatio Aniani. Qui famoſam chartulam ad cujuscunque injuriam, & maculam conſcripſerit, in ſecreto, aut in publico affixerit, inveniendam projecerit, illi, contra quem propoſita eſt chartula, non nocebit, nec famæ ejus aliquid derogabit. Sed, ſi inveniri potuerit, qui hujusmodi chartulam fecit, conſtringatur, ut probet, quæ conſcripſit, qui ſi etiam, quæ ſcripſit, probare potuerit, fuſtigetur, qui infamare maluit, quàm accuſare.

II. Idem A. ad Helianum Proc. Afric.

B *Licèt ſerventur in officio ſuo, & vicariis exemplaria libellorum, qui in Africa oblati ſunt: tamen eos, quorum nomina continent, metu abſolutos ſecuritate perfrui ſinas, ſolúmque moneas, ut ab omni non ſolùm crimine, ſed etiam ſuſpicione veriſimili alieni eſſe feſtinent. Nam, qui accuſandi fiduciam gerit, oportet comprobare, nec occultare, quæ ſciêrit, quoniam prædicabilis erit ad dicationem publicam meritò perventurus. PP. V. Kal. Mart. Carthagine, Conſtantin. A. VI. & Conſtantio C. CONS.*

III. Idem ad Januarium agentem Vicariam præfecturam.

C *Ut accuſatoribus patientia præbenda eſt, ſi quem perſequi in judicio volunt, ita famoſis libellis fides habenda non eſt; nec ſuper his ad noſtram ſcientiam referendum, cùm eosdem libellos flammis protinus conducat aboleri, quorum auctor nullus exiſtit. PP. pridie Non. Decemb. Rom. Conſtantino A. VI. & Conſtantio Cæſ. CONSS.*

IV. Idem A. ad Dionyſium.

Famoſa ſcriptio libellorum, quæ nomine accuſatoris caret, minimè examinanda eſt, ſed penitus abolenda; nam, qui accuſationis promotione confidat, libera potiùs intentione, quàm captioſa, atque occulta conſcriptione alterius debet vitam in judicium devocare. PP. Tyro. XII. Kal. Novemb. Januarino, & Juſto CONSS.

V. Imp. Conſtantius A. ad Afros.

D *Libellis, quos famoſos vocant, ſi fieri poſſit, abolendis, inclytus Pater noſter providit; & hujusmodi libellos, ne in cognitionem quidem ſuam, vel publicam juſſit admitti. Non igitur vita cujusquam, non dignitas concuſſa his machinis vacillabit. Nam omnes hujusmodi libellos concremari decernimus. Dat. XIV. Kal. Julij, Urſo, & Polemio CONSS.*

VI. Idem A. ad Populum.

Nemo prorſus de famoſis libellis, qui neque apud me, neque in judiciis ullum obtinent locum, calumniam patiatur. Nam & innocens creditur, cui defuit accuſator, cùm non defuerit inimicus. Dat. prid. Kal. Nov. Med. Arbitione, & Lolliano CONSS. E

VII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Edictum.

Famoſorum infame nomen eſt libellorum. Ac ſi quis vel colligendos, vel legendos putaverit, ac non ſtatim chartas igni conſumpſerit; ſciat, ſe capitali ſententia ſubjugandum. Sanè ſi quis devotionis ſuæ, ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur, & ea, quæ per famoſum proſequenda putavit, ore proprio edicat: ita, ut abſque ulla trepidatione accedat, ſciens, quòd ſi aſſertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam, ac præmium à noſtra clementia conſequetur. Dat. XIV. Kal. Mar. Conſtantinop. Valentiniano, & Valente AA. CONSS.

VIII. Iidem AA. ad Florianum Comitem.

Jam pridem adverſus calumnias firmiſſima F *ſunt præſidia comparata. Nullus igitur calumniam metuat. Conteſtatio verò, quæ caput alterius contra juris ordinem pulſat, depreſſa noſtris legibus jaceat, intercidat furor famoſorum, ſæpe ùt conſtituimus, libellorum, &c. Dat. V. Id. Nov. Martianop. Valentiniano, & Valente AA. CONSS.*

IX. Impp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio PP.

Si quis famoſum libellum ſive domi, ſive G *in publico, vel quocunque loco ignarus offenderit; aut diſcerpat priùs, quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Nemini denique, ſi tam curioſus eſt, referat, quid legendo cognoverit. Nam quicunque obtulerit inventum, certum eſt, ipſum reum ex lege retinendum, niſi prodiderit auctorem, nec evaſurum pœnam hujusmodi criminibus conſtitutam, ſi proditus fuerit cuiquam retuliſſe, quòd legerit. Dat. XIV. Kalend. Febr. Conſtantinop. Honor. Nob. P. & Evodio CONSS.*

Interpretatio Aniani. Si quis chartu- H lam famoſam in cujuscunque injuriam, vel infamiam in publico propoſitam, viderit, & legerit, & non ſtatim diſcerpſerit, ſed cuicunque, quæ in ea legerit, fortaſſe retulerit, ipſe velut autor hujus criminis teneatur.

X. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio P. P. & Patricio.

Univerſi, qui famoſis libellis inimicis ſuis velut venenatum quoddam telum injecerint, hi etiam, famoſam ſeriem ſcriptionis impudenti agnita lectione non illico diſcerpſerint, vel flam-

A *flammis exuſſerint, vel lectorem cognitum prodiderint: ultorem ſuis cervicibus gladium reformident. Dat. IV. Kal. Maij Conſtantinop. Arcad. A. VI. & Probo CONSS.*

B Has Imperatorum leges tibi, tuísque ſymmyſtis, Volci, proponere libuit, ut videatis, quæ vobis ob libellum Cambilhonicum editum merces ab Imperatoribus legum prædictarum conditoribus reddita fuiſſet. Eſt, cur vobis gratulemini, quòd in aliud ſæculum reſervati eſtis. Nam ſi legibus, etiam Juſtinianéi codicis, ſuus vigor & priſca auctoritas conſtaret, peſſimè profectò vobiſcum ageretur ob centonem, quem immanibus lœdoriis & pſeudologiis fratrum, in publicum proferre non erubuiſtis.

Finis Caſtigatæ Relationis.

BREVE EXAMEN LIBRI, QUI SPECULUM DOCTRINÆ JESUITICÆ INSCRIBITUR.

C SUperiore Anno M. DC. VIII. editus eſt ſine Auctoris, Typographi & urbis nomine liber hoc titulo. *Speculum, ſive Theoria doctrinæ Jeſuiticæ. Nec non Theatrum, ſive praxis Jeſuitarum: ad Europæ proceres & ſtatus.* Quis non, lecta hac tam grandiſona & magniloqua inſcriptione, rarum quiddam, eximium, & quovis pretio dignum opus animo concipiat? Quis librorum amans ad librarias officinas & tabernas, omni mora abrupta, non accurrat, ut tantum theſaurum ſibi comparet? Neque enim titulus tam vaſtus & ampulloſus caſſas nuces, & puerilia crepundia pollicetur; ſed divinum quiddam, *καὶ θαῦμα ἰδέσθαι*, cujusmodi munera par eſt offerre ſummatibus, præſertim quando non uni, ſed omnibus univerſim offeruntur, ùt factum ab iſto, qui ſuum *ſpeculum*, *ſuam Theoriam*, *ſuum Theatrum*, *ſuam praxin* donat omnibus Europæ proceribus & ſtatibus; inter quos Pontifex Romanus, Imperator Romanus, tot Reges, tot Principes Eccleſiaſtici & politici, tot Reſpublicæ, tot urbes viris viribúsque florentes; quorum omnium majeſtati, amplitudini & granditati par munus non tribuas licet, *Theatrum vitæ humanæ* Zvvingerianum; aut *Theatrum Orbis* Orthelianum; aut *Oceanum Juris*; aut *Biblia Regia* in tot Tomos diſtincta, eorum nomini dicata evulges. Quocirca neceſſe eſt, ut apud omnes tituli hujus lectores vel auditores ingens exſpectatio concitetur.

D At quid tanto hiatui, & tantæ logodædaliæ ſubeſt? Quid ſub veſtibulo tam ſpecioſo & ſplendido latet? Nunquam veriùs uſurpatum credas uſitatiſſimum illud: *Parturiunt montes.* Quid ex hac parturitione naſcitur? *Ridiculus mus.* Libellus exilis & tenuis, vix ſex quaternionum; qui nil aliud complectitur, quàm Indicem librorum, quos Latinè, Cermanicè & Gallicè ſectarij partim contra doctrinam; partim contra Ordinem & inſtitutum Jeſuitarum publicârunt: in quibus apparet etiam *Relatio* Cambilhonica, cui, tanquam poſtremæ contumeliæ, poſtremam ſtationem Auctor in Indice dedit. Præit Indicem præfatio, in qua Anonymus rationem dat, cur huic tanto oneri humeros ſuppoſuerit; ſubit geminum carmen, jam olim lacerando Societatis noſtræ nomini ſcriptum. E

Rationes ſunt iſtæ. I. *Quòd plerosque teneat deſiderium agnoſcendi, quid adverſus Jeſuitarum doctrinam & Ordinem huc usque elucubratum, & in lucem emiſſum fuerit; Jeſuitas enim hæc talia vigiliarum monumenta ſtudiosè celatum, imò oppreſſum ire: ſe ergo boni publici promovendi cupidine ductum, Catalogum texuiſſe, ex quo avidus Lector, quidquid in Jeſuitas ſcriptum eſt, cognoſcere queat, idque eò etiam faciendum fuiſſe, quòd Jeſuitæ nuper Catalogum illuſtrium Societatis ſuæ ſcriptorum Antverpiæ evulgârint, Auctore P. Petro Ribadeneira.* F

Verùm, quàm hæc prima ratio vera ſit, nôrunt illi, quibus notum eſt, in Jeſuitarum poteſtate non eſſe, ut chartas contra Orthodoxam religionem, vel Societatem ſuam ſparſas impediant, quò minùs curſu libero Germaniam & finitimas regiones pervolitent, ita, ut omnes propemodum anguli oppleantur, præſertim ſi ſit libellus famoſus in nomen & exiſtimationem Jeſuitarum debacchans. Teſtis eſt vel ipſa Relatio *de ſtudiis abſtruſioribus Jeſuitarum:* quæ brevi tempore Latinè & Germanicè totum fermè Septentrionem peragravit: nam ita nunc ſunt Novatorum mores, ut, quò quid maledicentius & mendaciloquentius in lucem exit; eò cupidiùs arripiatur, & latiùs diffundatur. Nec ſatis diſpicio, cur hæc hujus Sectarij opera adeò neceſſaria fuerit, etiam Novatoribus, cùm omnes ex Catalogis Francoford. cognoſcere queant, quid contra Jeſuitas in lucem edatur; quandoquidem tales libri non facilè ab iis, qui Catalogos illos conficiunt, prætermittuntur. Piaculum fuerit omiſiſſe. G

Quòd Ribadeneira Catalogum Scriptorum Societatis evulgavit, id non tantùm fecit exemplo S. Hieronymi, Gennadij, Sigeberti, Honorij, Henrici Gandavenſis & Trithemij, qui generales Auctorum Catalogos contexuerunt; ſed & imitatione plurium aliorum, qui certorum Ordinum H

A num indices confecerunt, eorúmque, qui in iis doctrina & ingenio floruerunt, nomina & monumenta ad posteritatis memoriam transmiserunt.

II. Jesuitas *gloriari, se omnium hostium suorum ora ita obturâsse, ut nemo amplius contra ipsos hiscere ausit: hanc Pseudologiam clarius redargui non potuisse quàm hoc confecto Indice; hinc enim liquere, quàm Jesuitarum adversarij nondum obmutuerint.*

B Respondeo, hoc nihil aliud esse, quàm frivolum sectarij commentum. Quis enim Jesuita rerum omnium tam imperitus est, qui nesciat; Hæreticos, non nisi mortuos, silere posse: eorúmque notam ac symbolum esse, ut (quod de Petiliano scitè scripsit S. Augustinus lib. 3. cap. 26.) *multa dicendo, nil dicant: & nil dicendo, multa dicant.* Et cùm respondere nequeant, tacere tamen non queant.

III. Jesuitas dicere; *se & societatem suam tantummodo ab Hæreticis, Romanæ fidei apertis hostibus, lacerari & proscindi; hoc mendacium confutari debuisse: Nam & Catholicos in Jesuitas pugnare; id testari Gallorum & Venetorum scripta, quorum titulos hic Index repræsentet.*

C Respondeo; Novatorem istum, magnum, extra omnem dubitationem, operæ pretium feciisse, & præclarissimè de Republica meruisse, cùm ostendit, Arnaldum, causidicum Parisiensem, & quosdam alios ex Gallicano Regno, sive sincerè Catholicos, sive Catholico nomine velatos in Jesuitas declamâsse, & nuper itidem nonnullos ex Venetis Scriptoribus aculeos satis acres contra Societatem Jesu exprompsisse. Quis ista novit, antequam hic Anonymus indice suo indicium faceret? Quis novit, quid Jesuitæ & his & illis jam pridem pro sui defensione responderint: Dolendum certè, nobis in perpetua ignorantia manendum esse; quandoquidem Novator iste titulos Apologiarum Jesuiticarum in suum Indicem non retulit. Quid autem mirum, si aliquando, etiam Catholici de Societate nostra seciùs sentiant, loquantur, scribant? Catholici erant, talésque videri volebant illi, qui olim integris libris sanctissimos Ordines D. Dominici, & D. Francisci oppugnârunt, quibus itidem integris commentariis duo Christianæ Religionis lumina S. Thomas & S. Bonaventura responderunt. Nimirum dum vivimus, homines sumus, ignorantiæ tenebris involuti; & affectionibus odii, livoris, indignationis & invidiæ expositi. Utique non Ethnici, sed Judæi erant, qui beato Regi Davidi, hanc flebilem vocem expressérunt Psal. 68. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

D Mendacium porrò est, quòd ait Sectarius, *nos oblitos præceptorum fundatoris nostri; Regulas & secretam disciplinam, quam ille occultatam cupiebat, statim post ejus obitum in vulgus propalâsse.* E nam non nostro studio, sed hæreticorum, (qui, nescio unde, exemplar nacti fuerant) superflua sedulitate typis excusæ sunt Regulæ nostræ, non statim ab excessu B. P. Ignatii; sed nuper, nempe tribus demum vel quatuor abhinc annis.

Mendaciis annumeretur & illud: *Fundatorem nostrum vetuisse, ne in publicum scriptionis certamen descenderemus cum iis, qui ex Catholicorum numero, Institutum hoc, ut novum & multa singularia habens, insectarentur.* F Ubi, quæso, hoc interdictum B. P. N. Ignatii? Videtur Hæreticus hujus suæ pseudologiæ occasionem sumpsisse ex cap. 11. lib. 4. Vitæ B. P. Ignatii, ubi Ribadeneira scribit, noluisse Ignatium, ut quisquam è nostris Sorbonensis Collegii in Societatem Decretum refelleret. Num ideo, quia hoc, certas ob causas, noluit, universim edixit, ne nostri unquam innocentiam suam scriptis publicis asserant, si vel ex ignorantia vel ex livore & æmulatione in periculum vocetur?

IV. *Se voluisse lectori parare antidotum contra Jesuitarum sophismata, præsertim illa, quæ ex æquivocatione consuuntur; & hinc potissimùm à se selectos esse illos, qui adversus Bellarminum scripserint; quandoquidem iste supra reliquum Scriptorum Jesuiticorum vulgus caput tantum extulit,*

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Etiam à Bellarmini illustrissima luce vult G lucifuga iste tenebris suis lumen accendere; & cùm ipsemet tanto cum duce congredi non audeat, saltem illud allaborat, ut, qui cum Bellarmino manus conseruerint, indicet: quos præcipuè à *se delectos* ait; cùm sint triplo vel quadruplo plures, quos enumerat, quibus cum Bellarmino speciatim nihil est certaminis. Utrum verò illi, qui Bellarmini controversias allatrârunt; vel contra alios nostræ Societatis Theologos aliquid evulgârunt, sophismata Jesuitarum; an suam inscitiam & fraudulentiam patefecerint ac retexerint, arbitrari lector poterit cùm ex aliorum Jesuitarum lucubrationibus, tum ex Bellarminianæ Defensionis duobus Tomis.

Optat Novator, ut quis oriatur, qui ex H indicatis abs se contra Jesuitas Auctoribus *nucleum* excerpat, *collectis & in unum corpus redactis eorum scriptis, quorum in hoc argumenti genere, eruditio, fidésque & ingenium præ cæteris elucent.* Difficile erit ex solis merísque putaminibus nucleum excerpere. Longæ itidem deliberationis erit, quis ex omnibus Jesuitarum vel Bellarmini adversariis, præ aliis *eruditione, fide & ingenio* excellat: nam qui nunc scriptitant, illi se antegressis postponi haud sinent.

Ita-

A Itaque vereor, ne Lutherani & Calviniani fame pereant, si spe & exspectatione hujus tam opimi nuclei, nihil interea esse velint.

Si dicas; jam simile quid à Rupellanis in Gallia præstitum, conjectis in sex Tomos non paucis libris contra Jesuitas evulgatis. Respondet Anonymus: *Opus illud multis minùs sufficiens videri.* Ita profectò est. Rectè dicis. Laudo judicium tuum. Sufficiens non est; quia nihil habet *nuclei*, quo lector se pascat; affatim autem furfuris & quisquiliarum: imò ex his totum, quantum, quantum, constat.

B Desiderat quoque noster iste in Tomis Rupellanis *majorem delectum*: Quid ni & judicium, cùm negligentia & præteritio delectus, non nisi ex judicij penuria proveniat? Cujus enim judicij est verbosissimas nugas Witackeri, & Humfredi, contra Campianum & Dureum, item Gratianum Antijesuitam, Colloquium Jesuiticum, Expostulationem Academiæ Nemausensis, & similes chartas rogo quàm prælo digniores, voluminibus Rupellensibus infercire, & bonam papyrum collutulare & malè perdere?

Cæterùm, quod tu in opere Rupellensi desideras, hoc desiderabunt alij ex tuo grege in eo, quod tu in phantasia tua delineas; à quo excludi cupis, quidquid contra *Papam* & *Papistas* generatim scriptum est; & tantùm includi ea, quæ Jesuitas nominatim tangant. cui tamen legi ipsemet Legislator suo in Indice non obtemperat. Ut postea videbimus.

C Rogat proceres & status Europæ, *ut ad hoc tam salutare opus expensas & sumptus contribuant; nullum enim privatum tantis sumptibus parem reperiri.* Patienter exspecta, & destinatum negotium viriliter urge, paulò pòst Pontifex Romanus, (qui & ipse inter *proceres Europæ* à te compellatos) vel nummos copiosos, vel ipsos typos Vaticanos huic tam necessario operi liberaliter largietur. Neque Rex Hispaniæ cœptis tuis deerit; ne dubita, simul atque nova classis, auro onusta, propitio Æolo, ex Indiis advenerit. Neque alij Monarchæ, Principes & Ordines Europæ cogitationibus tuis favere abnuent; Tu tantùm ne cede moræ, sat citò, si sat bene. Interea opus, quod re ipsa instituere, perficere & excudere nequis, sedulò instituas, perficias & excudas in celebri tui officina. Crede mihi, non sine jucunda animi oblectatione id facies.

D Et quia rogas, ut alij eruditi viri, apertis Thesauris & Bibliothecis suis, Catalogum tuum augeant; prudentiùs, meo judicio, egisses; si non auctionem, sed correctionem petiisses: Multis enim scatet erroribus, & promissis tuis contrarius est; nec caret mendaciis & fraudibus:

E Non vis in hunc Indicem referri illa opera, quæ, ùt ais, *extra Jesuitismi respectum, contra doctrinam Pontificiam magno numero sunt directa, nec illa eorum, qui ex professo vel de Antichristo, vel de vitis actisque Pontificum scripserunt:* Et tamen hujus tui instituti oblitus in ipso vestibulo ponis *sacra Biblia*; neque semel; sed bis, ut non tantùm propositi sui immemorem, sed & Battum agnoscere cogamur. Quæso, num Biblia sunt contra Jesuitas edita? Et quidem nominatim *per totum, à primo A usque ad Ω*, ùt ais? Nam si nominatim non sunt in Jesuitas evulgata, quid faciunt in tuo Indice? qui nil complecti debet, nisi libros adversùs Jesuitas speciatim editos; hanc enim legem ipse tibi fixisti.

F Sùntne nominatim contra Jesuitas sequentia opera? *I. Responsio Wilhelmi Philalethæ ad Stanislai Rescij Ministromachiam. II. Quæ Witackerus contra Stapletonum scripsit. III. Papa non Papa Osiandri. IV. Scripta Ivelli adversus Hardingum, Sanderum, Alanum Copum, Hieronymum Osorium, Pontacum Burdegalensem. V. Liber Sadeelis de verbo Dei, & liber de vera peccatorum remissione, & alius de Sacrificio Missæ. VI. Polani Basileensis symphonia. VII. Enchiridion controversiarum Religionis Osiandri. VIII. Vindex veritatis adversus Justum Lipsium.* Ut præteream alia hujus generis tam Latina, quàm Germanica & Gallica ab isto commemorata opuscula, quæ ad nos non magis, quàm ad omnes alios Catholicæ fidei professores pertinent.

G Illud item feriam hujus Anonymi seriò de Republica bene merendi voluntatem ostendisset, si non modò, quid adversarij ediderint, sed & quid Jesuitæ responderint, commemorâsset. Scripserint Witackerus, Sutlivius, Danæus, Stenius seu Misenus, Lermæus, & alij contra Jesuitas; at his vel omnibus jam est usque ad ultimum quadrantem satisfactum; vel non diu pòst, satisfiet. Varia in nos ediderint Arnaldus; Auctor *Catechismi Jesuitici*; Concinnator *Orationis ingenuæ ad Christianissimum Regem*, & alij; at quidquid hisce debebatur, id probo & aspero nummo solutum est cùm ab aliis, H tum à Francisco Montano, & Ludovico Richeomo, præsertim eo in libro, qui inscribitur: *Expostulatio Apologetica ad Henricum IV. Francorum & Navarræ Regem Christianissimum.* Ubi quidquid ab adversariis in Gallia confictum, & variis chartis dispersum est, accuratè ac solidè refellitur: Et quàm Jesuitæ sint bonæ notæ fideique debitores, perspicuè demonstrat Catalogus à Ribadeneira publicatus, dum nostrorum contra Hæreticos lucubrationes recenset.

§22

A Ut autem Novator iſte Catalogum ſuum ſpiſſiorem reddat, bis aliquando eosdem libros enumerat. Bis ponitur *Labyrinthus Hunnianus.* Bis, *Sutlivius de Eccleſia.* Bis, *Gretſerus Triumphatus Stenij ſeu Miſeni.* Bis, *Theologia Jeſuitarum Kemnicij.* Bis, *Gretſerus Triumphatus Alchimiſtæ Bavij.* Nam *Aurum vitæ theriacale contra phreniten Jacobi Gretſeri, & Gretſerus Tri-*
B *umphatus*, ſunt unus idémque liber: priùs enim, quàm ederetur, placuit prior titulus Bavio; & Catalogo itidem Francofordienſi inſertus eſt. Poſtea, cùm triumphare liberet; ſecunda inſcriptione librum inſignivit. Quod ignorans hujus Indicis faber, non ex ipſis libris, ſed ex Catalogo duntaxat Francofordienſi titulos exſcribere ſolitus, duos hoſce libros, tanquam diverſos, diſtinxit. Bis ponuntur *nugæ Lælij ex Kemnicio de verbo Dei*
C *contra Bellarminum.* Bis, *Joannis Ingelſtetteri Calviniſtæ Medici*, (qui ſe Angelum Politianum indigitat) *Philoſophia Euchariſtica Bellarmini.* Bis, *Apologia Acatholica Mortoni Anglj.* Bis, *convicia Molinæi contra Jeſuitas.* Et hæc omnia nil aliud ſunt, quàm lucida eximiæ illius memoriæ, qua iſte pollet, argumenta; quæ tanta eſt, ut poſt paucas lineas non meminerit amplius, quorum paulò antè nomina in chartam retulerit. Ejusdem memoriæ beneficio
D tranſmutat *Duræum* in *Hajum.* Eidem adſcribatur hujus Catalogi *febriculoſa*, ut ita loquar, macies: Tam enim jejunus eſt, ut nullus in controverſiis paululùm verſatior, futurus ſit, qui *ſtans pede in uno* non plures Sectariorum adverſus Jeſuitas libros, nominaturus ſit, quàm iſte poſt tantam adhibitam in his indagandis diligentiam, & poſt omnes *Europæ proceres & ſtatus* ad Theoriam doctrinæ Jeſuiticæ, & ad Theatrum Jeſuitarum invitatos: qui poſtquam veniunt, quid aliud inve- E
niunt, quàm *Speculum* ſive *Theoriam* ſtultitiæ Hæreticæ; *nec non Theatrum ſive praxin* Novatorum, qui tumidis buccis theſauros promittunt: & poſt promiſſa carbones exhibent.

Luculentum mendacium elucet ex his F
Catalogi verbis in ipſo Propylæo collocatis. *Falſationes Jeſuitarum commiſſas in Patribus perſtrinxerunt Franciſcus Junius in præfatione ſuper Indicem Expurgatorium editum Heidelbergæ, & Joannes Pappus:* nam Junius nullam penitus Jeſuitarum mentionem facit. Sed de hac ſolenni Prædicantium Pſeudologia, & de Junij & Pappi præfationibus copioſè actum eſt duobus libris *de jure & more prohibendi, expurgandi libros noxios ac perverſos.*

Duas ſatyras, quas, clauſulæ loco, G
Hæreticus exſcripſit, parùm moramur: quandoquidem prior jam ipſi ſuo Auctori, ùt certa relatione cognovimus, diſplicet, & in ſpongiam incumbere juſſa eſt, qui cognita innocentia non tantùm amicus, ſed & patronus Societatis noſtræ, factus eſt.

Rogas, ut Jeſuitæ tuorum libris ac lu- H
cubrationibus liberum curſum permittant. Si aliquid obtinere cupis, oportet, ut non noſtras, ſed Eccleſiæ fores pulſes. Hæc enim librorum Hæreticorum lectionem prohibet. Ubi tuo rogatu, Eccleſia interdictum ſuum revocaverit; Jeſuitæ impedimento non erunt, quò minùs voti compos fias. Sed de hoc ſatis in opere de libris noxiis. Nunc vale, quisquis es, ſtramentitij Theatri conditor, &, ſi lubet;

plaude.

FINIS.

FURIÆ
PRÆDICANTIUM
AUGUSTÆ VINDELICORUM
QUINTUM EVANGELIUM
EVANGELIZANTIUM
OB
EXAMEN RELATIONIS
CAMBILHONICÆ,
IN
JACOBUM GRETSERUM ET CONRADUM
VETTERUM,
SOCIETATIS JESU SACERDOTES,
EXCITATÆ ET IRRITATÆ.
NUNC AB IISDEM
Citharâ Davidicâ iterum pacatæ & placatæ.

Paulus lib. 5. Recept. Sententiarum Tit. 4.

In eos Auctores, qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem usque ad relegationem insulæ vindicatur.

Maledictum, denique convitium publicè factum ad injuriæ vindictam revocatur; quo facto condemnatus famosus efficitur.

Non tantùm is, qui maledictum aut convitium ingesserit, famosus efficitur, sed & is, cujus ope consilióve factum esse dicitur.

L. *Item apud Labeonem.* ff. *de injuriis.* *Ait prætor:* QUI ADVERSUS BONOS MORES CONVICIUM CUI FECISSE, CUJUSVE OPERA FACTUM ESSE DICETUR, QUO ADVERSUS BONOS MORES CONVICIUM FIERET, IN EUM JUDICIUM DABO.

INSTRUCTIO LECTORIS DE ORIGINE ET CAUSA HUJUS CONTROVERSIÆ ATQUE SCRIPTIONIS.

A DE Israëlitarum Rege Saule & B. Davide scriptum est lib. 1. Regum cap. 16. *Quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus.*

B Quod David olim fecit; idem & mihi nunc faciendum video. Arripuit malus Spiritus Prædicantes Augustanos; Spiritus, inquam, furoris, insaniæ, mendacij, calumniæ, lœdoriæ; clamant, vociferantur, boant, tonant, fulminant: Et in me, ac P. Conradum Vetter, non unam, ùt Saul in Davidem; sed plurimas immensæ *furiæ* & maledicentiæ lanceas vibrant. Quæ causa tantæ maniæ? Attende, mi lector, & intelliges. 1. Reg. 18. & 19.

C

D Edidi superiore autumno contra famosum quendam libellum, qui hoc titulo latinè & Germanicè sturnatim circumferebatur: *Relatio de studiis Jesuitarum abstrusioribus;* brevem Apologiam latinè, quam mox in Germanicum sermonem convertit P. Conradus Vetter; ut, quia Relatio utra-

A utraque lingua legebatur, Antipharmacum quoque, quod paraveram, tam latinè doctis, quàm Germanicè duntaxat peritis, usui ac emolumento esset. In ea Apologia, *Relationis*, sine nomine Auctoris publicatæ, arcana nonnulla patefeci, ut Autorem, *Joannem Cambilhonum*, & patronos, quibus *Relatio* ab Autore dicata & consecrata fuerat, nimirum Prædicantes Augustanos, seu venerabile presbyterium Evangelicum Augustæ Vindelicorum (his enim verbis Prædicanticus cliens Cambilhon usus est.)

B Et quia *Relatio* ista nihil aliud est, quàm libellus famosus, imò famosissimus, atrocissimè in famam, nomen & existimationem totius Societatis nostræ debacchans, eáque crimina & flagitia nobis affingens, quæ vix in sceleratissimum & facinorosissimum, omniúmque bipedum postremum nebulonem cadunt; minus facere non potui, quàm ut ostenderem, quas pœnas leges Cæsareæ veteres & novæ; item Francicæ, sacríque Canones talium chartarum scriptoribus, auctoribus, fautoribus, patronis, & disseminatoribus decernant. Quarum lectione attoniti Prædicantes, déque incolumitate, capite & vita sua, si ex legum præscripto agatur, actum esse cernentes; furere, & altissimis

C vocibus scripto Germanico in vulgus sparso, intonare cœperunt: *Gretserum* ejúsque Interpretem *Vetterum, esse famosi libelli architectos; Gretseri Apologeticum, nihil aliud esse*, quàm **ein schändliche ehrenrürige Schmach-Schrifft.** *Utrumque Jesuitam commeruisse, omnes illas pœnas, quas leges civiles & Ecclesiasticæ in alienæ famæ prædones sanxerint: Gretserum & Vetterum, & cum illis alios Jesuitas sat luculenta indicia dare, quàm sint turbulenti, quàm seditiosi, quàm cupidi, ut insontium sanguis effundatur.*

D Quo Prædicantes perinde faciunt, ac si fur, latro, adulter, in manifestario furto, latrocinio, aut adulterio deprehensus; & quod supplicium mereatur, legibus in medium prolatis, admonitus, vociferari inciperet: *non se, sed admonitorem illum suum esse furem, latronem, adulterum. Non se; sed illum, à quo deprehensus sit, pœnas à legibus, furi, latroni, adultero constitutas pendere debere: non se, sed eum, à quo perspicui furti, latrocinij postulatur; in crucem & rotam agendum, & cervice recisa decurtandum esse.* An non esset hæc egregia sui purgandi, tuendi, & severitatem legum declinandi ratio? Atqui nec corvus corvo in *crocitando*; nec cornix cornici in *cornicando* tam similis est; quàm similes sunt in sui defensione & excusatione Prædicantes Augustani, ei, quem dixi, deprehenso furi, latroni, adultero, quorum in nos & Ordinem nostrum convicia & maledicta, ego & P. Conradus fusque deque habemus; probè gnari & diuturno tempore edocti, ex Prædicanticis pharetris non depromi alia, quàm vipereæ linguæ spicula. E

Quibus amore ejus, qui propter nos *improperium & abjectio plebis* factus est, omissis, justóque judici ac vindici commissis, ego, arreptâ Davidis citharâ, num Spiritum malum, quo Prædicantes miserabiliter exagitantur, tranquillare, vel potius penitus expellere queam, tentabo: Etsi vix mihi promittere audeo eum, qui Davidicæ citharæ obtigit, effectum & successum. Illum potius lancearium exspecto, de quo paulò suprà ex lib. 1. Reg. c. 18. & 19. Confido tamen missilibus Prædicanticis id eventurum, quod accidit vibratæ lanceæ Saulis: *Nisusque est Saul configere David lancea in pariete; & declinavit David à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in pariete.* Utcunque tamen conatus cadat: fides canoras intendere, & hunc furentem atque insanientem spiritum pacare & placare pro viribus oportet. Si fortior sit, quàm ut cedat, laudem merebitur, si non efficiendi facultas, at certè benefaciendi voluntas.

F Ex toto contumeliarum acervo & indigesta maledictorum struice duo quædam argumentula elucere video, quibus Prædicantes nobis persuadere volunt, se labis puros ac integros, ac proinde nullius pœnæ infamatoribus decretæ reos esse. Alterum; *Relationem Cambilhonicam non esse libellum famosum.* Alterum, *Eandem Relationem se insciis in lucem prodiisse.* Ad utrumque, si breviter respondero, ruet, inque nebulas evanescet, quidquid bilis & furoris malus genius Prædicantici hujus ministerij in chartas evomuit.

Relationem Cambilhonicam esse libellum famosum.

G Copiosè hoc monstravi in Apologia cap. 2. Ad quæ nihil Prædicantes, solo silentio rem transigunt: si tamen silere, est refellere. Et quamvis actum non libenter agere soleam, cùm superint agenda alia non pauca nondum acta, in quibus tempus & otium fructuosè colloquibus tempus & otium fructuosè collocetur, & insumatur; hîc tamen *ex supera-bundanti* idem ostendam ex definitione libelli famosi.

H Est enim præter juris & æqui ritum sparsa scriptura, seu charta, qua quis proximum infamat, eique bonum nomen & existimationem, objectu criminis vel criminum, ademptum tendit. Si hæc libelli famosi notio est, ùt re vera est, suapte sponte planum apertúmque relinquitur, *Relatio-*

A *Relationem de ſtudiis abſtruſioribus Jeſuitarum;* non modò famoſum, ſed & *famoſiſſimum* libellum eſſe: cùm non uni vel alteri; ſed integro, & quà Chriſtianus orbis patet, diffuſo Ordini & Profeſſoribus ejus graviſſima ſcelera, facinora, & flagitia imponat, quorum ſi comperirentur, meritò ex humana ſocietate, tanquam illius præſentiſſimæ peſtes, exterminarentur. Quid enim magis intereſt Reipublicæ, quàm ut libera ſit à *ſacrilegis ſcortatoribus, ab homicidis, à ſicariis, à Magis, ab incantatoribus, à ſeditionum flabellis, à proditoribus*, quorum omnium piaculorum *Relatio* iſta Jeſuitas reos aſſerit; ídque extra omnem juris & æqui proceſſum & viam, ſuppreſſo auctoris nomine, ſuppreſſo nomine Typographi, typographiæ, Germanici Interpretis, & patronorum, quibus principiò inſcripta & honoris ergò dedicata fuerat. Si talis libellus in famoſis numerari non debet, quis tandem numerabitur? ſi talis legibus divinis, & humanis non vetatur, quis tandem vetabitur? Si talis ad proximi bonam famam deterendam & penitus peſſundandam ex natura compoſitionis ſuæ non valet; quis tandem valebit?

B Obijciunt Prædicantes. 1. *Relationem*
Fol. 5. *iſtam non poſſe cenſeri libellum famoſum, quandoquidem nomen Autoris Cambilhoni præſcriptum & poſtſcriptum, præfixum & ſuffixum habuerit, neque hoc duobus Jeſuitis Gretſero & Vettero ignotum fuiſſe.*

Reſpondeo. 1. Exemplari Chirographo ſeu manu ſcripto, quod ad manus meas pervenit, *Cambilhoni* nomen prænotatum & ſubnotatum fuiſſe palàm in Apologia monui; Num aliis exemplaribus calamo exaratis, atque adeò ipſi autographo, ſeu *Originali* idem nomen adjunctum fuerit, neſcio; quia nullum aliud manuſcriptum exemplar, præter unum, vidi.

C Deinde cùm libellum famoſum vocavi, de impreſſis & per typographicas formulas totâ Germaniâ Latinè & Germanicè ſparſis exemplaribus locutus ſum; quæ omnia Autoris, Editoris, Typographi, Typographiæ, & in Germanicum ſermonem *Verſoris* nominibus carent. Quocirca, ſi, judicio Prædicantium, Relatio *Cambilhonica* nondum typis deſcripta, ideo libellus *famoſus* non fuit, quia licèt famam Jeſuitarum atrociſſimè lancinaret, nomen tamen parentis ſui præ ſe tulit; ſequitur eandem Relationem excuſam, libellum famoſum eſſe; quia prorſus eſt anonyma, ſine patre, ſine matre, & abſque ulla genealogia; ita, ut ex tot millibus lectorum, nemo, præter pauciſſimos Prædicantes, & Prædicantium paraſitos, ante editionem Apologiæ meæ ſciverit, ex cujus officina hæc Relatio prodiêrit.

D Adhæc magnas debet Cambilhon Prædicantibus gratias, quòd ex Relatione ſua, E omiſſione omnium nominum, Autoris, Editoris, Typographi, Typographiæ, & Germanici *Verſoris*, (digni, qui ſolum vertat, quisquis eſt) libellum famoſum fecerint, ſi quidem eam ſolùm ob cauſam exemplar manuſcriptum libellus famoſus non eſt; quia nomen Autoris præfert. Erit igitur famoſus libellus, ſi nomine Autoris careat, quandoquidem tota illius materia nihil aliud eſt, niſi diffamatio, & alieni nominis plusquam Satyrica laceratio. At omnia excuſa exemplaria carent nominibus Autoris; & aliorum, ùt Typographi, & Interpretis, quos nominatim expreſſos oportuit.

Reſpondeo II. Largiter hallucinari Præ- F dicantes, cùm arbitrantur, eam chartam ſatyricam, cui nomen Autoris adjunctum eſt, non eſſe libellum famoſum; nam hoc falſum eſſe, oſtendo inprimis, teſtimonio ipſorum Prædicantium; Apologiam enim meam, & verſionem Germanicam P. Conradi vocant **ein ſchendliche ehrenrürige Schmach-Schrifft**, hoc eſt, *chartam famoſam, & alienæ exiſtimationis ignominioſam devaſtatricem.* Et tamen non modò meum & P. Conradi; ſed & typographi & typographiæ, & patroni, cui inſcripſimus; & eorum, qui librum meum approbârunt, nomina diſertè expreſſa ſunt. Mentiuntur ergo Prædicantes, & *Tractatulum ſuum* à mendacio, boni ominis cauſa, auſpicantur, quando in ipſo frontiſpicio Apologiam meam librum *famoſum* appellitant, mentiuntur, inquam, ſi, ùt ipſi docent, charta manuſcripta Cambilhonica ideo libellus famoſus non eſt, quia Autoris nomen profitetur.

Præterea, ſi ego vel P. Conradus Vetter, G vel quilibet alius de Catholicorum numero evulgaremus ſeu librum ſeu libellum, quo publicè & in Theatro totius Germaniæ, imò omnium gentium, quæ linguam latinam intelligunt; ſtylo & ore clamitaremus, *Prædicantes Auguſtanos eſſe nebulones, eſſe ſcortatores, adulteros impuriſſimos, eſſe homicidas & infanticidas, eſſe Magos, eſſe proditores*, paucis, *eſſe omnium mortalium facinoroſiſſimos & flagitioſiſſimos*; Prædicantes eam ſcripturam non ùt *famoſum* duntaxat libellum, ſed etiam ùt *famoſiſſimum* proclamarent, cœlúmque & terram ad vindictam tanti facinoris invocarent, & invitarent, licèt tot nomina præfixa & ſubfixa eſſent; quot ſubſcriptores in libro Concordiæ reperiuntur; hoc eſt, aliquot millia.

Si ergo, non obſtante nominum addi- H tione, talem chartam contra ſe ſparſam, pro libello famoſo reputarent; æquum non eſt, ut ipſi hac nota liberare velint Cambilhonicam Relationem manuſcriptam, quòd ea fabri ſui nomen indicet; & jus fáſque poſtu-

A postulat; ut quam gratiam Prædicantes sibi faciunt, ab eadem alios non excludant; nisi fortè Prædicantes hoc privilegium obtinuerunt, ut, quidquid contra illos scribitur, etiam manifestato Autoris nomine, id famosum; quidquid autem vel ipsi, vel ipsorum famelici & sitibundi clientes contra Jesuitarum famam detonant & despuunt, id totum Evangelicum mustum censeri debeat.

B Adhæc: falsum est, chartam alieni nominis laceratricem, ideo famosam chartam non esse, si nomen Auctoris præscriptum ferat: sive enim hoc fiat, sive non; libellus famosus est, si via & ratione illegitima ad lædendam & obterendam proximi existimationem procedat; ùt sanè procedit, cùm talia scripta non ad magistratum legitimum deferuntur; sed in mobile & leve vulgus sparguntur; vel illis offeruntur; qui de criminibus objectis juridicè non possunt cognoscere, & legitimam rationem ad veritatis investigationem instituere ac inire, tandémque veritate comperta vel accusatores vel accusatos debitis pœnis ex juris & æquitatis præscripto afficere. Nec desunt graves & eruditi Doctores, qui libellum famosum Auctoris nomen exhibentem, aliquatenus deteriorem arbitrentur, quàm illum, qui nomen Auctoris occultat; cùm hic directè & propriè tantùm ad detractionis vitium spectet: ille verò directè & propriè tam detractionis, quàm contumeliæ malitiam contineat.

Vide Salon. 22. q. 71. a. 3. de libell. fam. & Cajetan. in summ. v. libellus.

C At Prædicantes oggerunt Constitutionem Carolinam ex Comitiis Augustanis Anno 1548. celebratis, citatam à me in Apologia, in qua dicitur, puniendum esse, qui *convicium alteri in scriptis fecerit, hoc est, libellum famosum, titulum, epigramma, carmen, picturam, quæ alicujus famam lædant, scripserit, ediderit, proposuerit, decantârit, sparserit, neque nomen, quod in sacro fonte impositum sibi habet, & cognomen, quod à familia usurpat, subscripserit*: ubi insinuari videtur, non fore libellum famosum, si nomen & cognomen Autoris apponatur.

D Respondeo. I. Si hoc ita est; frustra igitur Ministerium Augustanum appellat Apologiam meam Latinam & Germanicam, **ein ehrenrührige Schmach-Schrifft**, hoc est, *libellum famosum*; quia ego adjeci meum nomen, quod in baptismo accepi; & cognomen, quod à parentibus meis sortitus sum. Idem fecit P. Conradus in translatione sua Germanica. Non igitur puniendi sumus ex constitutione Caroli V. Et per consequens frustra postulant Prædicantes me & P. Conradum ad pœnas libellorum famosorum Auctoribus irrogandas, cùm libellus noster non sit famosus ipsorum Prædicantium (si constare sibi velint) judicio & indicio, quandoquidem & Auctoris & Interpretis nominibus & cognominibus insignitus est. E

Respondeo II. Non esse probam hanc consecutionem: *Libellus hic ad ignominiam & probrum hujus vel illius compositus*, nomen Autoris *adjunctum habet; ergo non est famosus*: quia etiam illa scriptura, quæ extra legitimum forum & rribunal, absque ullo animo juridicè probandi id, quod proximo imponitur; famam alienam proscindit ac infectatur, licèt nomen Auctoris patefaciat; habet, quidquid, ut ita dicam, ad essentiam libelli famosi pertinet; nam & detractio & contumelia est, ac proinde Reipublicæ perniciosa; & eam ob causam non toleranda: sed debitis suppliciis mactanda; si Auctor deprehendi, & in potestatem redigi queat: nam sæpe, cùm maledicta & probra in aliorum famam per scripturam, picturam, sculpturam, & cælaturam, nefarii homines disseminant, nomina sua palàm profitentur; quia certi sunt, se pœnas non daturos, quòd iis in provinciis degant, ubi se securos nôrunt; Hinc, ùt hædus ille Æsopicus, qui in lupum ex superiore domus parte convicia congerebat: eam ex loco audaciam sumunt, ut nomen suum palàm edere non reformident. An ideo non sunt infamatores pernicioси & pestilentes Reipublicæ? An ideo Historia Jesuitica inter libros famosos collocari non debet; quia Polycarpus Lauserus suum, & demortui jam tunc Hasenmülleri nomen præfixit? An famosæ picturæ non sunt illæ, quas adversus Pontificem, Cardinales, Episcopos & alios Ecclesiasticos Lutherus nomen proprium professus, paulò ante suum interitum publicavit, quibus fædiores & ignominiosiores, ne ipse quidem Cacodæmon cum toto suo satellitio excogitare potuisset; non impedit ergo nomen auctoris additum; si cætera adsint, quò minùs scriptura aliqua famosis libellis accenseatur. F G

Neque dicit constitutio Carolina id, quod Prædicantes somniant, neque rectè ex illa prædicanticum delirium colligitur aut deducitur, ùt fatebitur, sive quis constitutionem illam Germanico sermone, quo nata & publicata est; sive latinè versam ex translatione Justini Gobleri perlegere velit. Tantùm enim hoc mandat; ut typographi iis libris, quos cum censorum & approbatorum consensu & suffragio prælis suis subjecerint, nomen Auctoris, & suum, & loci, ubi degunt, adjiciant. Nihil aliud, quoad hoc, constitutio Carolina dicit. Quod autem vulgo fertur; *libellum famosum esse, qui alterius famam lædens, nomine Auctoris caret*; id fit, quia hoc loquendi modo respicitur ad id, quod usitatiùs contin- H

A contingere ſolet. Uſitatiùs autem in famoſis libellis nomina Auctorum ſupprimuntur, vel in aliena & fictitia commutantur, quàm exprimuntur. Quem ad morem oculos in Paraphraſi Conſtitutionis Carolinæ reflectens Georgius Remus J. C. (cujus verba in Apologetio recitavi) affirmavit, libellum famoſum eſſe, qui nomen & cognomen Auctoris non præferat. Interim haud abnuit, libellum famoſum, etiam cum Auctoris nomine & cognomine, componi & vulgari poſſe: Et hoc ita eſſe, poterit Miniſterium Prædicanticum Auguſtanum ex ipſomet Remo, datis ad eum Norimbergam literis, cognoſcere: Et licèt quæ Remus Paraphraſi ſuæ de nomine & cognomine adjunxit, ipſius Carolinæ ſanctionis verba eſſent; non tamen Prædicantes evaderent; quia dicerem, præcipi quidem ibi, ut puniatur is, qui ſine nomine in alterius notam & maculam libellum evulgârit: non tamen aſſeri libellum famoſum non habendum, ſi Auctoris nomine prænotatus in publicum venerit.

B II. Probant Prædicantes, Cambilhonicam Relationem non eſſe libellum famoſum. *Quia Cambilhon proteſtatur palàm, ſe ea, quæ in Relatione conciſiùs ſcripſit; copioſius executurum, & Jeſuitas à vertice ad calcem uſque accuratè deſcripturum; etiam hoc addito; ſe deſcriptionem ſuam à cujuſcunque patroni Jeſuitici Apologiis, vindicaturum.*

C Reſpondeo I. Si ego & P. Conradus evulgaremus librum adverſùs Volcium, in eóque breviter & adſtrictè accuſaremus illum *ſcortationis, adulteriorum, homicidiorum, Magiæ, veneficiorum, ſeditionum, & proditionum;* (quorum omnium ſcelerum Cambilhon Jeſuitas inſimulat) ſimúlque publicè profiteremur, nos amplius otium nactos, omnia hæc objecta fuſiùs explicaturos & univerſorum oculis ſubjecturos, & contra quemcunque oblocutorem accuſationes noſtras defenſuros; an propter hanc proteſtationem, & mentis noſtræ declarationem Volcius aut Symmyſtæ ejus ſcriptum noſtrum *pro libello famoſo* non reputarent? Haud equidem credo. Ergo neque Cambilhonicam Relationem ex cenſu libellorum infamatoriorum propter hanc proteſtationem eximere poterunt; niſi iterum in eodem rerum genere plus ſibi licere velint, quàm nobis.

D Reſpondeo II. Non eſſe ſatis, ut charta non habeatur famoſa, ut quis profiteatur, ſe ea, quæ parciùs & contractiùs ſcripſit, fuſiùs probaturum; quia hoc nihil aliud eſt, quàm polliceri, ſe contumeliam contumeliæ, detractionem detractioni, uno verbo, ſcelus ſceleri, & priori libello famoſo, alterum ſupperadditurum; ſed oportet, ut à chartis in vulgus diſſipandis ac diſſeminandis penitus abſtineat; & ad legitimum judicem adeat; & ad tribunal ejus ſive in ſcripto, ſive extra ſcriptum ſcelera illà deferat; Séque ea legitimè ac juridicè probaturum ſpondeat; huc enim tendunt illa verba legis Codicis Juſtinianei de libellis famoſis. *Nomen ſuum profiteatur, & ea, quæ per famoſum libellum perſequenda putavit, ore proprio edicat*, nempe apud legitimum & competentem Judicem (etiam libello oblato, in quo omnia crimina deſcripta ſint; neque enim talis libellus infamatorius erit, quandoquidem legitimo judici traditur, cum promiſſo & obligatione Juridicè omnia probandi, quæ in eo comprehenduntur) *ita ut abſque ulla trepidatione accedat;* nempe ad competentem judicem. Num hoc fecit Cambilhon? Num, hoc ſe facturum recepit, quando vobis autographum ſeu primigenium exemplum famoſæ ſuæ Relationis tradidit? Num hoc ſe facturum promiſit, tunc, aut alii ejus loco, cùm Relatio publicè in lucem eſt extruſa?

E

Imò licèt Cambilhon poſt Relationis ſuæ ſparſa exemplaria manu exarata, rem ad Magiſtratum Eccleſiaſticum vel Politicum detuliſſet, Infamatoris tamen pœnas non vitâſſet: nam tales libelli ſi conſcribantur, non ſunt inter alios ſpargendi; ſed rectà ad legitimum judicem juridicè deferendi, & apud illum deponendi: Non apud Prædicantes, aut Prædicanticum Miniſterium. Quapropter multò minùs jam, poſteaquàm turpiſſima, & non uno rogo digna *Relatio* latiſſimè typis propagata eſt, à pœnis liberari, & cum iterata delatione criminum audiri deberet Cambilhon, ſi hanc viam inire vellet, niſi priùs ob libellum famoſum diſperſum, rationem, quin & pœnam, daret; nam poſterior rectè agendi voluntas non facit, quò minùs id, quod antea perperam & contra leges actum eſt, debitis ſuppliciis mulctetur & expietur.

F

III. Aiunt Prædicantes, *Relationem Cambilhonicam eſſe ſcriptum Polemicum*, ein Streit-Schrifft. Quid inde inferunt? Num hoc? *Ergo non eſt libellus famoſus.* Ut antecedens eſſet verum; conſequentia tamen eſſet Prædicantica, hoc eſt, *plumbea.* An non in ſcripto Polemico, quod de dogmatibus litigat & digladiatur, fama proximi illegitimè lacerari & proſcindi poteſt? ſi illegitimè famam lacerat & proſcindit, libellus ergo famoſus eſt.

G Fol. 6.

Deinde nego, Relationem Cambilhonicam eſſe *ſcriptum polemicum*, prout ſcripta polemica (in quibus res cum re, rationes cum rationibus, argumenta cum argumentis conferuntur & contenduntur) in Imperio permiſſa ſunt; ſed eſt ſcriptum *Infamatorium* jure divino, Eccleſiaſtico, civili & Cæſareo tam veteri, quàm novo graviſſimè interdictum. Itaque ſi Prædicantes

H

A eantes Cambilhonicam Relationem edidiſſent, addito Auctoris, Typographi, Typographiæ & ſuo nomine; (quod ſe facere potuiſſe, ſi collibuiſſet, affirmant; Et credo facere potuiſſe; quia quod fecerunt ſuppreſſis omnium Prædictorum nominibus, hoc itidem, additis nominibus, facere potuiſſent, ſi voluiſſent) non *ſcriptum Polemicum*, ſed *infamatorium* edidiſſent: quod Prædicantibus ad oculum, ùt dici ſolet, demonſtro.

B Nam ſi apud me depoſitus fuiſſet libellus certi Auctoris, nominis & hominis, in quo Prædicanticum Miniſterium Auguſtanum, hoc eſt, Prædicantes Volcius, Rüilichius, & cæteri de eodem ſive grege ſive armento, traducerentur, proclamarentur, & accuſarentur, tanquam *ſcortatores, adulteri, venefici, Magi, Necromantici, homicidæ, ſeditioſi, proditores Germaniæ & Reipublicæ Auguſtanæ.* Et ego, additis meo, Auctoris, Typographi, Typographiæ, & civitatis nominibus, talem librum publicarem, & in vulgus extruderem, nec ad legitimum magiſtratum deferrem; ſine ullo propoſito ea, quæ liber ille objiceret, probandi; à Prædicantibus pro improbiſſimo & nequiſſimo infamatore haberer; Et ùt infamatorii libelli editor ad pœnas depoſcerer. An non vera loquor, ô Prædicantes? Conſulat & conveniat unuſquiſque ſuam conſcientiam, vel ſi omnem funditus prodegit, conſulat & con-

C veniat ſcintillulas luminis naturalis, quæ etiam in perverſiſſimis & flagitioſiſſimis ſubinde emicant; Et videat, an non è veſtigio hoc de me judicium formaturus, & data occaſione palàm quoque deprompturus eſſet? Si ergo talis liber, Prædicantium unanimi calculo famoſus judicaretur; quæſo, cur Cambilhonica Relatio libellus famoſus, & in Imperio vetitus, non fuiſſet, etiamſi à Prædicantibus cum ſupradictis circumſtantiis in lucem prolatus fuiſſet? An non Jeſuitas omnium antea & jam ſæpius nominatorum ſcelerum & flagitiorum maculis adſpergit, ídque via & proceſſu non juridico, & quod hinc ſequitur, illegitimo?

D At hîc iterum æquale jus deſiderare cogor. Quando Volcio cum ſuis non dicam horribilium criminum dica ſcribitur, ſed vel obiter aliquid objicitur, mox omnes leges contra libellorum famoſorum architectos latæ in ſubſidium Prædicantium advocantur, cœlúmque & terra vociferationibus & ejulatu complentur; cæterùm, quando Jeſuitarum fama vel univerſim vel ſpeciatim millenis maledictorum & contumeliarum jaculis publicè quaſi in ſcena per ſcripturas, & picturas, & id genus alia ſchemata configitur ac confoditur; tum Bonum & Evangelicum factum, acclamare oportet. Tum linguis & auribus favendum eſt. Tum Pæan Prædicantibus incinendus, & lætum illud: *Io Triumphe*, inſonandum. E

Lepidum porro eſt: quod Prædicantes, ore Volciano lallant; *ſe, ſi ita corde voluntas tuliſſet, edere potuiſſe Relationem Cambilhonicam*, ſed PERICULO AUCTORIS. Agnoſcunt ergo, ſcriptum hoc eſſe unum ex prohibitis: atque adeò *infamatorium*; non præcisè *polemicum*; Quia ex ſcriptis præcisè polemicis, quæ de ſolis fidei capitibus inter Catholicos & Lutheranos controverſis, diſſerunt, nulli in Germania periculum imminet.

Deinde ridiculè hanc cautionem Prædi- F cantes adjunxiſſent; & ſtultè jam ſe eam adjuncturos fuiſſe palàm confitentur: quia Editor libelli famoſi æquè, ſi non magis, puniendus eſt, ac ipſemet Auctor; quia æquè, ſi non magis, pernicioſus eſt, ac primus libelli conditor: quia lex de famoſis libellis diſertè mandat, ut, qui in libellum famoſum inciderit, eum diſcerpat & aboleat, & nemini, quæ in eo comprehenduntur, patefaciat; alioqui, tanquam Auctorem, ſupplicio capitali addictum & ſubjectum iri.

Itaque hac cautela & teſtificatione ca- G pitibus ſuis Prædicantes haud ſatis bene conſuluiſſent, qui profectò à vero longè avij abeunt; cùm ex meo Apologetico evincere volunt, libellum famoſum non eſſe; qui nomen Auctoris adſcriptum præferat. Prædicanticum & inprimis Volcianum acumen eſt iſtud: *Gretſerus dixit, Relationem Cambilhonicam carere nomine Auctoris: eſſe ergo libellum famoſum.* (Non ideo præcisè, libellus famoſus eſt, quia caret Auctoris nomine; multi enim priſci & novi libri, carent Auctorum nominibus, neque idcirco libris famoſis accenſentur, ſed quia, tacito Auctoris nomine, famam proximi iniquiſſimè exagitat & inceſſit, hoc dixit Gretſerus) ſed quid infertis Prædicantes? *Ergo liber, qui Auctoris nomen prænotatum gerit, non eſt liber famoſus.* Hæc fumoſa conſequentia ex Prædicanticis *fumariis* eſt, non ex meo libro. Falſa & inepta eſt; neque unquam à me inſinuata; tantum abeſt, ut aſſerta: de quo jam ſuprà ſatis.

Impoſturis annumera, quod Prædican- H tes ajunt, *me & P. Conradum fateri, Relationi* Fol. 6. *nomen Auctoris adjunctum fuiſſe.* Fatemur hoc de manuſcripto Relationis exemplari, quod nos vidimus; non de innumerabilibus ſine nomine excuſis, quæ totam Germaniam pervolitârunt: his enim omnibus nullum penitus nomen adjunctum fuit. Sed Prædicantes ita rem Lectori proponunt, quaſi nos abſolutè dicamus, *Relationi nomen Auctoris additum fuiſſe*; & poſtea affirmando; *nomen Auctoris additum non fuiſſe*;

A *fuisse;* illud ipsum, quod asseveraveramus, per antilogiam everteremus : cùm nos de exemplaribus diversi generis locuti simus : At nisi impostoriè agerent ; immeritò *impostores* audirent.

B Sed jam huic capiti finem imponam, ubi hoc monuero, Prædicantes Augustanos alio indicio satis patefacere; se Cambilhonicam Relationem pro famoso libello habere ; quia apertè dicunt, *se nolle Cambilhonis patrocinium suscipere ; neque sibi in animo esse, disquirere*, num *vera an falsa sparserit ; num circulator & agyrta ; sycophanta & veterator sit & fuerit : cuivis liberum ac integrum relinqui : ut de homine & scriptis ejus statuat, quod volet.*

C En quomodo isti miserum suum proselytum & clientem jam deprehensum, & in luminis oras extractum, *sub cultro linquunt.* Quales isti patroni ? Quales tutores ? Cambilhon & se & sua scripta, eáque complura testibus ipsis Prædicantibus, in Prædicantium tutelam dedit. Nunc miser exoptato subsidio destituitur; & triste illud audire cogitur : *Tu tuas res tibi habeto, conditione tua non utar :* cúmque jam extrema & propudiosa Cambilhoni vanitas & impudentia plusquam Cynica à me latinè, & ab interprete meo, P. Conrado, Germanicè, manifestissimè sit patefacta & repercussa ; Prædicantes permoveri nequeunt, ut pro suo cliente contra Gretserum & Vetterum arma sumant : Imò publicè profitentur, *se nolle cum his duobus Jesuitis in arenam descendere :* Et quia causam veram indicare Prædicantibus parùm honorificum foret; commentitiam adducunt; nempe Gretserum & Vetterum non *satis graviter agere; se non cum scurris, sed cum seriis & caperato vultu Theologis commercium habere velle.* Res mira

D prorsus, si non planè mirissima : Neminem ex nostris reperiri posse, qui Prædicantibus, & inprimis Volcio, sat gravis adveniat. Quidquid scribimus, quidquid evulgamus, id, Prædicantium sensu, *ludicrum & scurrile est*, longéque infra gravitatem Prædicanticam. Quæ tandem causa? An quia ego & P. Conradus non sumus tam prolixè barbati & comati, quàm Volcius & alii Prædicantes ? An quia non sumus fautores, adjutores & promotores eorum, qui libellos famosos & injuriosos condunt, séque & omnes suos in hoc tam præclaro facinore socios, in periculum capitis conjiciunt : si ex legum præscripto, cum ipsis transigatur ? Si ego & P. Conradus, Cambilhoni instar, Prædicantibus palpum obtruderemus ; & *Venerabile presbyterium* intonaremus ; mystísque istis Luthericis genua curvaremus : mox Theologi gravissimi à Volcio & Synergis salutaremur, sed absit, ut Prædicanticam gravitatem, quæ à levitate nil distat, tanti mercemur.

E

Num Prædicantes Augustani Relationem Cambilhonicam evulgârint.

NEgant ipsi. Et probant quadrupliciter. I. auctoritate suæ conscientiæ, quia *per conscientiam suam* testantur, se Relationem istam non edidisse. II. auctoritate suæ scientiæ ; dicunt enim, idque palàm; *se evidenter scire, suo studio & nutu Relationem Cambilhonicam in lucem non venisse.* III. *Auctoritate suæ ignorantiæ :* Ajunt enim, *se usque in hodiernum diem ignorare, quis Relationem istam in vulgus sparserit.* IV. *Auctoritate indignationis suæ ;* quia dicunt, *se agerrimè tulisse & etiamnum ferre ; quòd quispiam mortalium, ipsis insciis, Relationem istam publicare ausus fuerit.*

F Quod ad conscientiam attinet, non invenio, quod reponam, nisi illos Lutheri versiculos ; unico verbulo per parodiam mutatos Colloq. Germ. Tit. de Miscellaneis fol. 444. b. Edit. Francof. in fol. Anno 1571.

Glaub keinem Wolff auf wilder Heyd,
Auch keinem Juden auf seyn Eyd.
Keim Prædicanten auf sein G'wissn,
Du wirst von allen dreyen b'schmissn.

G Ita Lutherus unica vocula parodicè inflexus, qui sanè facit, ut testificationem sola Prædicantica conscientia suffultam, non multùm morer: Et ejusdem animi me cum erit, quisquis Prædicanticum genium propiùs novit : præsertim si sciêrit simul, in hoc Prædicantico Ministerio versari duos, & quidem præcipuos, quorum conscientiæ tam sunt teneræ ac sinceræ ; ut alter (Rülichius) publico scripto spargere non erubuerit, P. Georgium Schererium, quendam induxisse, ut ex composito se fingeret mortuum ; quem postea Schererius ad vitam revocare voluerit ; sed non potuerit, quippe justo Dei judicio verè mortuum, qui se simulaverat mortuum : Alter verò (Volcius) non dissimili improbitate Jesuitas palàm traduxerit, quasi suis in collegiis subterraneas carnificum & lictorum officinas habeant, in iisque equuleis, catastis, fidiculis, & id genus aliis instrumentis suos *discipulos* & *Novitios* excarnificent : de quo plura infrà in appendice, ubi idem Volcius ex teneritudine suæ conscientiæ regerit, & repetit, quod Odontius, Lutheranus Stentor, adversùs P. Schererium & incolas Collegii Græcensis confinxerat, & per typos in lucem disseminaverat.

H Sed ut quadruplicem Prædicantium probationem, tametsi enervem & elumbem, & ne cassa quidem nuce dignam, pe-

A nitus ſubnervem, & ad lumbifragium redigam. Reſpondeo I. me nuſpiam in Apologia mea dixiſſe, Prædicantes Auguſtanos Relationem Cambilhonicam aut in Germanicum ſermonem vertiſſe, aut per typos immediatè diſſeminâſſe; ùt ipſi dictitant, fortè conſcientia culpæ ad id mihi affingendum adacti, quod ipſi ſe revera patrâſſe nôrunt: nam ùt in *Colloquiis potatoriis* loc. cit. Lutherus rectè dicit: *Conſcientia mala, eſt res infirma & fragilis, abſcondi difficilis, prout etiam ille Ethnicorum verſiculus teſtatur: Conſcia mens pravi de ſe putat omnia dici.* Cujus veritatem Lutherus aliquot hiſtoriolis ibidem comprobat: quas apud eundem Prædicantes per otium lectitare, & ſe in iis, tanquam in pellucido ſpeculo, noſcitare poterunt.

B At dixi, *Prædicantes Auguſtanos Relationem Cambilhonicam longè latéque ſparſiſſe.* Dixi, fateor, & quod dixi, necdum diffiteor, cauſam poſtea audies. Et licèt aſſeruiſſem, iſtos præcones Relationem typis immediatè evulgâſſe, dicti me non pœniteret, ídque ſequentes ob cauſas.

C I. Quia Cambilhon Relationem iſtam apud Auguſtanos Prædicantes depoſuit, ùt ipſimet palàm fatentur. Cur, obſecro, niſi eo fine, ut in publicum evulgaretur? Nam quòd ùt *ſacras Reliquias* famoſam hanc chartam apud eos depoſuerit, & quòd hoc titulo Prædicantes depoſitum iſtud acceptârint, nec credo, nec credam. Neque apud Prædicantes depoſuit, ut in Gazophylacio vel Archivo Prædicantico reponeretur; neque ut in Bibliotheca Annæa collocaretur: quanquam ſi hoc animo Cambilhon depoſuiſſet, & iſti depoſitum accepiſſent, pœnas legis de libellis famoſis non effugerent: quia libellum famoſum in publica Bibliotheca collocare, nihil aliud eſt, quàm libellum famoſum evulgare, & ad aliorum notitiam perducere: neque enim libelli famoſi evulgatio legibus punienda; in ſola per typos publicatione conſiſtit.

II. Qui contra leges divinas & humaD nas, Eccleſiaſticas & civiles, tam veteres quàm novas, auſi fuerunt libellum famoſiſſimum ſibi dicatum & inſcriptum, benevolenter acceptare, aſſervare, & tanquam pretioſum depoſitum in ſuam tutelam recipere, iis, nullam, ùt opinor, injuriam irrogabimus, ſi eos etiam ad evulgationem per typographicam induſtriam proceſſiſſe feramus; nam qui tam audax eſt, ut primum audeat; immeritò tam timidus judicatur, ut hoc ſecundum non auſurus exiſtimetur. At Prædicantes Auguſtani primum illud adeò auſi ſunt, ut etiam publicè glorientur, hunc tantum calumniarum, mendaciorum & conviciorum theſaurum apud ſe fuiſſe depoſitum: nulla igitur ratio nos compellet credere, eos *Relationis* editionem ex aliquo ſcrupulo aut timore, moliri noluiſſe, præſertim cùm ſcirent, hoc ſibi depoſitum alio conſilio non fuiſſe relictum, quàm ut publicatione ejus Jeſuitis luculentam plagam imponerent. E

III. Si *ipſis inſciis, invitis & indigniſſimè ferentibus* Relatio hæc typis excuſa eſt; cur hujus ſuæ inſcientiæ & indignationis nulla ediderunt argumenta? Cur non, edito ſcripto, conqueſti ſunt tam pretioſum depoſitum ſibi fraudulenter fuiſſe ereptum? Cur non indicârunt nomen depoſitoris? Cur non ſua, tanquam depoſitariorum? Cur non expoſtulârunt cum illis, qui *venerabilis presbyterij* honorificum titulum expunxerunt? Cur ſaltem ex ambone ſuo declamatorio in hoc tam indignum facinus non ſunt invecti? Nunquam certè de ullo Prædicante Auguſtano audivi, qui hujus ſuæ indignationis ob excuſam Relationem Cambilhonicam ex ſuggeſtu indicium dederit. Et niſi ego in mea Apologia Auctorem, totúmque hoc iniquitatis myſterium, ſub velo Prædicantico deliteſcens, revelâſſem; hodie etiam Autor, & Mœcenates ac *Depoſitorij* Cambilhonici incogniti laterent; & ſibi ob laceratam Jeſuitarum famam in ſinu plauderent.

IV. Forſan quod totum Prædicanticum G Miniſterium collectivè ſumptum ignorat, hoc ſciet Volcius, vel Rülichius, vel hic vel ille ſingularis de Prædicantico illo ſyſtemate Prædicans; Quia multa facit *capitulum*, ùt vulgò dici conſuevit, quæ non facit Decanus, aut Senior, aut ille, aut iſte. Forſan ergo Volcius ſcit, forſan Rülichius, quis publicis typis Relationem illam excuderit; quis in Germanicam linguam tranſtulerit: quis nomen *Venerabilis Presbyterij* & *Cambilhoni* obliterârit, & in ſpongiam incumbere juſſerit; Etiamſi hoc ipſum Miniſterium, ùt eſt totum quoddam (etſi malè tornatum) corpus, ignoret.

V. Cùm fateantur Prædicantes ipſum H primigenium Relationis Exemplar, ſeu, ùt vocant, *Originale* apud ſe fuiſſe depoſitum, & adhuc in depoſito cuſtodiri; neceſſariò ſequitur, ex *Originali* mediatè vel immediatè deſumptum eſſe illud exemplar, ex quo Germanica translatio facta, & editio typographica concinnata & adornata eſt: nam ex *Originali* exemplari, utpote ex prima radice & matrice, cætera omnia fluxiſſe, per ſe manifeſtum eſt. Cùm ergo ex *Originali*, hoc eſt, ex illo Relationis exemplo, quod apud Prædicantes depoſitum eſt, exemplar ad verſionem Germanicam & publicationem typographicam deſumptum ſit, jure optimo Prædicantibus ipſa etiam editio per typos

A pos adſcribitur; nam ſi exſcribendi poteſtatem non feciſſent, verſor Germanicus vertendi, & tenebricoſus typographus excudendi labore ſublevatus fuiſſet, utpote nullo extante exemplari, præter *Originale*. Et hîc tritum illud in Scholis Philoſophorum axioma valere video: *Quidquid eſt cauſæ cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati:* licèt alioqui multis modis reſtringi & limitari ſoleat; ſed hîc nullo aut medicamine aut moderamine opus eſt. Accipiatur is ſenſus, quem verba primo intuitu præ ſe ferunt; & à vero non aberrabitur.

B Dicunt quidem Prædicantes, Cambilhonum *Auguſta diſcedentem apographa, ſeu,* Fol. 1. ùt appellant, *copias, Relationis ſecum abſportâſſe; & alibi aliis etiam exhibuiſſe: Chirographum verò ſeu propriam manum ſuam & originale Auguſtæ in depoſito apud Venerabile Miniſterium reliquiſſe.* Sed non ideo ex pedicis, quas ſibi nexuerunt & poſuerunt, ſe expediunt. Cur enim non caverunt, ne ulla ex Originali exemplaria deſcriberentur? Quod ſi caviſſent, periculum nullum futurum erat, ut aliquis ipſis inſciis, invitis ac admodum ſuccenſentibus Relationem in vulgus evulgaret. At cùm huic publicationi obicem nullum objecerint, C non injuria adſcribitur illis, tanquam primigeniis Auctoribus, Relationis evulgatio, & quando Cambilhon eo honore Prædicantes Auguſtanos affecit, ut Originale exemplum & ſuum Chirographum huic Miniſterio concrederet, tempeſtivè Prædicantes proſpicere debebant, ne quæ alia exemplaria extarent, quæ ipſis nolentibus & ignorantibus in lucem per typos depromerentur. Quod quia non præſtiterunt, perſpicuè declarârunt, ſe ſuſque deque habere, licèt Relatio hæc juris publici fieret, & in totius Germaniæ manus, etiam *Auctoris* & *Venerabilis Presbyterij Auguſtani* nomine truncata veniret.

D Hæc, ùt dixi, admodum veriſimile faciunt, Auguſtanorum Prædicantium nutu, ſcitu, approbatione, ope & opera proximè & immediatè Relationem Cambilhonicam in Germanicam linguam converſam & typis deſcriptam fuiſſe; tametſi ego in Apologia mea hoc non affirmavi; ùt pro ſua *Venerabilitate* mihi hoc venerabile Miniſterium imponit. Hoc dixi, & etiamnum publicè dico, Prædicantes Auguſtanos, apud quos autographum Relationis depoſitum fuerat: *Relationis exemplaria longè latéque ſparſiſſe.* Nam unde tot exemplaria, quæ Auguſtæ diſſeminata ſunt; niſi ex Originali, mediatè vel immediatè? Unde meum exemplum, quod nactus ſum, niſi ex autographo apud Prædicantes depoſito? An non Auguſtæ ſimul atque Cambilhon Anno Redemptoris M. DC. VIII. XXI. Martij Prædicantibus Relationem ſua manu exaratam tradidit, in omnibus circulis & compitis exemplaria hujus Relationis circumvolitabant? Nec adeò inhumani & propriorum commodorum tenaces ſunt Prædicantes, ut tam eximij boni, cujusmodi eſt Relatio Cambilhonica, ſuos expertes eſſe voluerint: quia intimis præcordiis imbiberunt illud: *Bonum eſt ſui communicativum.* Quis credat Prædicantibus autographum fuiſſe commiſſum ea lege, ut nulli inde exemplum concederent? quia juſtis, quales ſunt Prædicantes, lex non eſt poſita, & verò nec ponenda: neque credibile mihi accidit, tot exemplaria Auguſtæ & alibi ſparſa, & ab amicis ad amicos miſſiculata, in arboribus creviſſe; aut ùt fungos, ex terra exſtitiſſe: aut, ùt æſtivo tempore, ranunculos, ex pluvia calida prodiiſſe. Ab uno traduce, hoc eſt, ab uno primigenio exemplari apud Prædicantes depoſito, omnia alia apographa proſeminata & diſſeminata oportuit.

Quòd ſi, ùt jam nobis perſuadere volunt, Relationem iſtam per typos evulgari nolebant, cur non ſtatim ampliſſimo Magiſtratui urbis Auguſtanæ autographum tradiderunt, qui pro officio ſuo exitialem hunc fœtum in ipſis adhuc incunabulis opprimere, & ne in publicum theatrum procederet, impedire potuiſſet; ipſo Auctore in poteſtatem redacto, omnibúsque exemplaribus, ſi quæ antea inde deſcripta fuerant, quàm vobis *Originale* traderetur, interceptis & abolitis? Nec diffiteri poterunt Prædicantes, hoc ſui muneris fuiſſe; nam ſi Paracharactes ſeu falſæ Monetæ cuſor ad eos veniſſet, & perniciosæ ſuæ artis inſtrumentum apud eos depoſuiſſet; & alios itidem exempla inde ſumere permiſiſſet, vel permittere voluiſſet; legibus divinis & humanis Prædicantes ad talem falſarium, rei communi tam damnoſum, detegendum obſtricti fuiſſent. Ergo & hunc famæ, & exiſtimationis alienæ improbum deprædatorem, ejúsque famoſas chartas Magiſtratui indicare debebant, ut naſcenti tam exitiabili malo tempeſtivè remedium adhiberet: niſi fortè Prædicantes tam ſunt ſtolidi & ſtupidi, ut cenſeant pluris intereſſe Reipublicæ, ut Paracharactæ coërceantur, (quàm ut injurioſiſſimi detractores, furésque ac prædones famæ & boni nominis, quibus homo poſt divina chariſmata, nihil pretioſius poſſidet) comprimantur & exterminentur.

A *Prædicantes Augustanos reos esse pœnarum, quas leges Ecclesiasticæ & civiles famosis libellis decernunt, etiamsi Relationem Cambilhonicam Typis non publicâssent.*

ID probatur I. quia ut quis in pœnas legum incidat, satis est, ut libellum famosum per exemplaria, etiam calamo exarata, spargat, & publicet, aut spargi & publicari sinat, oblato Originali, ut inde exemplaria petantur. Sed hoc fecerunt Prædicantes Augustani; ùt antea probatum; & satis id testatur exemplarium manuscriptorum multitudo, quæ Augustæ circumferebatur, ex quibus etiam unum ad me huc Ingolstadium duplici vel triplici manu descriptum, advenit; nam uni itidem apographo plures exscriptores apponendi erant, quò tantus thesaurus eò citiùs multiplicaretur, & in omnium notitiam deduceretur.

B II. Ut quis in pœnas legum incurrat, sufficit; ut aliis, imò etiam uni, vim libelli famosi, hoc est, sensum & sententiam, manifestet, quia lex de libellis famosis, disertè præcipit; ut nulli penitus *vis*, hoc est, sensus libelli famosi, patefiat. Sed Prædicantes huic præcepto non obtemperârunt; tum quia exemplaria ex Originali apud se depositio, mediatè vel immediatè exscripta, per totam Augustam volitare passi sunt; tum quia incredibile est, nullum penitus Prædicantem alicui de grege Lutherano indicâsse, quem & quantum thesaurum Cambilhon apud Evangelicum Ministerium deposuerit; nempe, *Relationem de abstrusioribus Jesuitarum studiis*, in qua eorum vita & mores, hoc est, *scortationes, adulteria, Magiæ, homicidia, pernicioſa consilia* vivis coloribus exprimantur & repræsententur. At hoc alicui dicere, est vim libelli famosi contra legis prohibitionem manifestare.

C Quamvis autem longa experientia edoctus, non ignorem quàm Prædicantibus sit frons dura & oppessulata; vix tamen mihi persuadeo, Volcium, vel ejus in vinea Lutheri *collaboratores*, eò impudentiæ & impietatis processuros, ut, jurejurando interposito, affirmare ausint, se nulli penitus mortalium de hac famosa charta, fidei suæ credita, indicium feciſſe: & quàm Jesuitæ insigniter pigmentis, vel potiùs figmentis Cambilhonicis depicti sint; significâsse. Etiamsi ipsum *Originale* nulli perlegendum tradidissent: quod non factum esse, quis in animum inducat credere?

D III. Cambilhon proculdubio Originale primitus soli Volcio aut Rülichio aut alicui alteri tradidit: neque enim ullam probabilitatem habet, Prædicantes omnes eo die, quo traditio hæc facta est; quasi in Synodum fuisse coactos & collectos, prout olim sacrificuli Baalis accitu Jehu, congregati fuerant, nullo penitus absente: At is, vel illi, qui vim hujus libelli Cambilhonici aliis suis Symmystis patefecerunt, legem de libellis famosis violârunt; quæ mandat, ut nulli penitus vis libelli manifestetur. E

IV. Qui libellum famosum nec corrumpit, hoc est, destruit; nec igne consumit & quidem *statim* ac ad manus ejus pervenit, ille reus efficitur pœnarum, quæ latæ sunt in lege de libellis famosis: ùt manifestè patet ex verbis legis. At Volcius & Synergistæ ejus libellum famosum nec corruperunt, neque igne consumpserunt. Quid ergo sequitur?

V. Si ille, qui sive in publico, sive privatim domi suæ, etiam *ignarus*, libellum famosum reperit, neque tamen lacerat & abolet, reus legis efficitur; quantò magis illi ad pœnas persolvendas obligabuntur, qui non casu in hunc libellum inciderunt; sed sibi ab ipso Auctore oblatum benevolo vultu acceperunt, & exceperunt? Sed verum prius, ùt planum fit ex lege Codicis *de libellis famosis*: Verum igitur & posterius. F

VI. Si puniendus est, qui libellum famosum *confitetur inventum*, quia lex apertè jubet, ut inventor libelli famosi, *nulli confiteatur inventum*: quantò magis pœnam merentur, qui palàm confitentur, libellum famosissimum apud se fuisse depositum: Et etiamnum apud se tam præclarum depositum custodiri, & quidem in *Originali*. G

VII. Qui libellum famosum suo nomini inscribi & dedicari patitur, si prohiberi possit, ille satis ostendit, sibi talem libellum gratum & acceptum esse; Et, quod hinc sequitur, in sceleris cum Auctore communionem venit: ergo & in communionem pœnarum. At Augustani Prædicantes æquissimo animo passi sunt chartam infamatricem presbyterio suo inscribi ac dedicari; neque enim unquam quidquam sive privatim sive publicè reclamârunt; neque jam in sua *Invectiva* ullam dant significationem sibi hanc dedicationem displicuisse aut displicere, imò potiùs ostendunt, sibi Crucem & Cordolium esse, quòd in editione Typographica latina & Germanica nomen sui *Ministerij* sit obliteratum; Autographum quoque famosæ satyræ asservandum acceperunt, & ipsum Auctorem suam in tutelam receperunt: Eo ipso igitur Prædi- H

cantes

A cantes Auguſtani etiam cum Cambilhone in communionem ſcelerum, & per bonam conſecutionem, pœnarum quoque venerunt.

B VIII. Si fur aliquis vel latro depoſuiſſet apud Prædicantes Auguſtanos furta ſua & partam prædam, pecuniam nimirum, & alia hujus generis externa bona, vel inſtrumenta, quibus furari & latrocinari conſuêſſet: Prædicantes jure optimo iisdem, vel non planè diſſimilibus pœnis digni cenſerentur, quibus ipſemet fur & latro. Ergo & nunc cùm fur & prædo peſtilentiſſimus, Cambilhon non nummos, ſed famam, honorem & exiſtimationem Jeſuitarum furari, prædari & depopulari ingreſſus, inſtrumentum, quo id tranſactum dare voluit; nempe libellum famoſum, apud Prædicantes depoſuerit; Et ipſi ad cuſtodiendum operam ſuam prolixè obtulerint; & reipſa itidem in cuſtodiam exceperint: ſequitur, eos iisdem cum Auctore pœnis *ſubjugandos* eſſe, ut verbo legis utar: niſi fortè putant Prædicantes, fures, latrones, prædones, qui alicui fortunas ſuas eripiunt, execrabiliores eſſe, quàm fures & prædones, qui famam, honorem, & exiſtimationem hominibus violenter ademptum eunt: Cùm tamen, qui rectè ſapiunt, potiùs omnium facultatum ſuarum, & ipſius etiam vitæ, quàm famæ boníque nominis & exiſtimationis jacturam facere eligant, ac præoptent.

C IX. Si quis faber ſerarius pateretur ſciens & volens, aliquem ſua in officina, claves, & inſtrumenta ſeris reſerandis idonea cudere, eo fine, ut arcas recluderet, & alienas opes expilaret; ille eodem vel non diſſimili, quo fur, ſupplicio mactaretur: Ergo & illi, qui ſua in officina eos fabros tolerant, qui inſtrumenta, hoc eſt, libellos diripiendæ, expilandæ & harpagandæ alienæ famæ conficiunt; ad easdem, vel non multò mitiores pœnas obligantur, quibus ipſe Auctor & architectus. At Prædicantes paſſi ſunt Cambilhonum, ſua in officina; ſub ſuo patrocinio, præſidio, & tutela, inſtrumentum, hoc eſt, libellum famoſum, fabricare, quo vix quidquam peſtilentius unquam extitit. Quid igitur commeruerunt?

D X. Si ego ſimilem librum contra Prædicanticum Miniſterium apud me, meóque ſub patrocinio componi paterer, vel paſſus fuiſſem, compoſitúmque in depoſito aſſervarem, ipſúmque ſcripti talis fabricatorem benignè ac amicè haberem, vel habuiſſem; Prædicantes ſonoris vocibus me ad easdem cum Auctore pœnas poſtularent, & ſi quæ exemplaria ſive manuſcripta, ſive typis excuſa, ad alios emanâſſent, ea non niſi ex Autographo apud me depoſito exſcripta, vel jurejurando interpoſito, confirmarent: neque proteſtationi meæ in contrarium ullam fidem haberent. Quod ergo jure ſuo Prædicantes adverſùs me agerent, dicerent, & ſcriberent, ſi ego adverſùs eos patrâſſem, quod ipſi contra Jeſuitas deſignârunt; hoc jam, quando ita merentur, audiant; & ſi grave eſt audire, id ſibi imputent; nam cur Cambilhonum cum ſuo libello famoſo in clientelam receperunt? Cur ignominioſiſſimam chartam Vulcano non conſecrârunt? Cur ſuæ potiùs inſontes traducendi libidini, quàm legibus recta imperantibus obſecuti ſunt? Cur ſcripturæ infamatoriæ fautores, patroni, approbatores, adjutores, promotores, propagatores, & depoſitarij contra leges divinas & humanas eſſe voluerunt? E

Cur non, ùt Evangelici Paſtores, feciſtis, quod Carolus V. in ſua Conſtitutione de *libellis famoſis* faciendum admonet. Quid illud? Audite. *Ubi ejusmodi aut ſimiles libelli, ſcripturæ, picturæ, fuſiles & ſculptiles ſeu res fictiles impreſſæ, aliáſve exſtarent, aut in futurum ederentur, publicarentur, circumferrentur, & venderentur, ea auferantur à venditoribus, ac omnibus modis ſupprimantur.* Si huic Carolinæ ſanctioni ſatisfeciſſetis, quando Cambilhon ipſum Autographum famoſæ ſuæ Relationis ad vos attulit; jam haud paulò quietiùs viveretis, neque in furias ardentibus vos tædis inſequentes, & aſſiduè flagellantes, furorémque ſuum mentibus veſtris inſpirantes, & merita ſupplicia ſæpe objectantes & intentantes, incidiſſetis. F

G XI. Quia Carolinæ Conſtitutionis mentio facta eſt, lubet aliud quoque vobis inde ferculum apponere: Vos boni conſulite, & num concoquere poſſitis, diſpicitote. Ita ergo invictiſſimus Imperator Carolus V. *Nec venditor tantummodo, ſed & emptor, aliique, penes quos ejusmodi libri famoſi, aut picturæ, paſquilli, aliive tales ſcripti, picti, aut impreſſi reperiuntur, in carcerem conjiciantur* (arrigite aures, ô Prædicantes) *& criminaliter vel per quæſtionem interrogentur* (iterum moneo, ut arrigatis, & quantum poteſtis, quàm longiſſimè extendatis ambas auriculas) *unde & à quo tales libros, picturas aut ſcripturas acceperint.* Ecce, in quod periculum vos Cambilhonicum depoſitum detruſerit.

H Præcipit deinde Imperator, ut Auctor ſtudiosè quæratur, & in poteſtatem redactus, debitis pœnis unà cum ſuis fautoribus, promotoribus & adjutoribus ſubjiciatur. Ubi rurſus Prædicantes indemnitati & indolentiæ ſuæ timendi non injuſtam cauſam habent: quia licèt Carolus V. pœ-

A V. pœnam infligendam non nominet, eam tamen arbitrio Judicis relinquit; cui integrum erit vel capitalem pœnam ex Cõdice vel flagellationem ex Jure Canonico (quarum utraque proculdubio Prædicantibus gratiſſima accideret) decernere.

Ex his omnibus, quæ huc uſque diſputata ſunt, liquidò elucere exiſtimo, Prædicantes furioſo ſuo ſcripto, ſe ab accuſationibus Apologiæ meæ, & pœnis, quæ famoſorum libellorum conditoribus conſtitutæ ſunt, non extricaviſſe; ſed magis intricâſſe: neque enodâſſe; ſed potiùs implicatiùs innodâſſe. Neque quidquam aliud ſupereſſe video, quàm ut, quod ſplendida bilis Volcii, in Appendice evomuerit, inſpiciam & diluam.

Furiæ & Foriæ Volcianæ.

B APologetico meo adverſùs Cambilhonicam Relationem adjunxeram Appendicem nominatim contra Volcium; Is ut vicem reponeret, ad ſcriptum, quod communi Prædicantium Auguſtanorum nomine concepit & edidit, ſimiliter appendicem ſui ſpeciatim ac nominatim tuendi gratia addidit.

C Scripſerat Volcius in quadam Germanica ſua Invectiva de Vocatione Miniſtrorum Lutheranorum contra eruditum virum D. Georgium Pomerium ſequentia verba. **So weiß man daß in etlichen Jeſuitiſchen** Collegiis, **gemeiniglich unter der Erden, ſondere** carnificinæ, **und Schörgen Werckſtätt zu finden, darinnen ſie mit allerhand henckeriſchen Inſtrumenten, von Reckleitern, Schwerdtern, Stöcken, henckeriſchen Kleydern, und was mehr zu ſolcher Stockmeiſters Arbeit gehört, verſehen, damit ſie ihre Leuth ſchrecken, ſtöcken und blöcken, daß ſie keines andern Schörgen bedörffen, alsdann im Fall der Noth mit mehr Umbſtänden der Perſohnen, ſo es geſehen, zu erweiſen.**

D Quæ verba (ſi tamen verba & non potiùs horrifica mendaciorum & calumniarum portenta nominari merentur) dixi, Volcium à Cambilhono mutuatum; quod libenter inficiaretur; ſed res clarior eſt, quàm ut vel ab ipſa impudentia negari. queat. Audi Cambilhonica dicta, ex Relatione Germanica, & cum Volcianis compara. **Ferner ſo ſolſt du auch in den Löchern und Kerckern unter der Erden, ein wunderbarliche Liberey ſehen, als nemlich: Strick, allerhand Foltern, Schwerdter, Peyle Zangen, Stöcke, Halßeyſen, Leitern: auf welche ſie, manchs armer Mutter-Kind, ſo etwann in dieſer Bluthund und gräulicher Tyrannen henckeriſche und diebiſche Klauen gerath und kommt, elendiglich binden und ſpannen, und deſſen Glieder erbärmlich von einander reiſſen, zerren, und dehnen. Es fehlet da gar nicht an ſchrecklichen und henckeriſchen Kleydern.** E

Hæc Germanicus Cambilhon: quæ Latinus ita propoſuit:

... In carceribus verò ſubterraneis, miram videas Bibliothecam: Funes, fidiculas, gladios, ſecures, forcipes, cippos, numellas, ſcalas, quibus illigati miſeri artuatim diſtrahuntur; ſi qui devenerint in iſtorum Mecentiorum & Phalaridum manus. Non deſunt tragicæ veſtes canificum, pileus pyramidalis, atris plumis ornatus, thorax fimbriatus & diſſectus, caligæ hydropicæ & follicantes, ad talos uſque demiſſæ, ut vel intuenti horrorem incutiant.

Ex horum verborum cum Volcianis vel Volcianorum cum iſtis collatione luce dilucidiùs eluceſcit, Volcium, quando ſuprà recitatam periodum vel lœdoriam in chartam retulit, in animo habuiſſe, atque adeò animo reſpexiſſe Cambilhonicam de carnificinis ſubterraneis criminationem. Quid Volcius? Mira prorſus, & tot mendaciis ac contumeliis involuta, ut priorem criminationem, quam effudit, non abs ſe amoliri, ſed novis iiſque triplicatis, quadruplicatis, vel etiam quintuplicatis calumniis adaugere voluerit. F

Occinit Prædicans: *Talia de nobis publicè ſcripta & priùs literis mandata eſſe, quàm Cambilhon Auguſtam venerit, ſuámque Relationem Prædicantibus tradiderit: ſibi ejus, quod aſſeruit, probandi teſtes non deeſſe, producítque Germaniam, Galliam, Angliam, Poloniam, Daniam & Rempublicam Venetam:* item *Catechiſmum Jeſuiticum, Speculum Jeſuiticum, Iconiſmum Jeſuiticum* Anno 1596. evulgatum. *Actionem Arnaldi, Antiphilippicam adverſus Philippicam Jacobi Sylvani: Et Hiſtoriam Ordinis Jeſuitici.* G

Reſpondeo I. non eſſe quæſtionem, quid alii de Jeſuitis ſparſerint; ſed num Volcius verè de Jeſuiticis ſubterraneis carnificinis id, quod ſcripſit, ſcripſerit: Et an non calumniam iſtam à Cambilhono, ſervatis propemodùm Cambilhonicis verbis; acceperit. In hoc quæſtio verſatur. Tu cur extra oleas ſalis, & extra propoſitum de integro novas criminationes nectis, niſi quia in criminationibus omnem ſpem ac præſidium cauſæ tuæ ponis?

Reſpondeo II. Si tot teſtes tibi ſuppetunt, quot nominas, eò minùs recuſare H debebas, quod à te flagitaveram, videlicet, ut hanc accuſationem de ſpecubus ſubterraneis, ſpelunca ſemihominis Caci longè tetrioribus, ac immanioribus, juris viâ ac formâ obſervata, ad ampliſſimum Auguſtanæ urbis Senatum, vel ad illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum abs te legitimè probandum deferres; neque enim hos judices, hoc in caſu, detrectaturi eramus, vel in poſterum recuſaturi ſumus,

A mus, quò ſua innocentiæ ſtet gloria, & veritati honos intactus maneat. Quid tibi factu facilius, quàm ſi Germaniam, Galliam, & tot alia Regna ac Provincias pro te & calumnia tua adſtruenda teſtimonium juridicè dicentes producere potes. Et tamen tu reſtitas & renuis: *teque*
fol. 15. *tam ſenatum, quàm Epiſcopum Auguſtanum pluris æſtimare dicis, quàm ut eos hujuſmodi Scholaſticarum & puerilium rerum delatione occupare & moleſtare velis.* En quàm Prædicantes famam & exiſtimationem alienam rem levem & vilipendendam judicent. En quàm graviſſimas infamationes pro nihilo reputent; & quaſi pro ludo ac joco ducant. Scilicet res levis & puerilis eſt, cu-
B juſque cauſa manum non verteris: palàm evulgare, *in aliquibus Jeſuitarum Collegiis eſſe carnificinas & officinas lictorias, omni genere inſtrumentorum, quibus carnifices uti ſolent, probè inſtructas, ùt equuleis, cataſtis, gladiis, cippis, carnificum veſtimentis, & id genus aliis ad officium lictorium ſeu carcerarium pertinentibus organis; quibus noſtros homines terreamus, torqueamus, vinciamus, & illigemus: Et hoc probari poſſe teſtimoniis eorum, qui omnia iſta viderint.* Scilicet hæc de Jeſuitis diſſeminare, ùt fecit Volcius, res eſt exigua, & cui adeſſe Jovi haud vacet: Juxta illud poëtæ.

Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.

C Si aliquis Jeſuitarum tale quid ſcripſiſſet de ædibus aliquorum Prædicantium Auguſtanorum, jam iterum totum Miniſterium capita in unum contuliſſet, & communi Apologia totis viribus hanc ignominiæ notam à ſe depuliſſet. At cùm Volcius Jeſuitarum Collegia hoc probro ac dedecore collutulat, id non ægrè ferri, ſed tanquam à jocante & ludente, animúmque nonnihil relaxare cupiente profectum, accipi debet. Quis enim tanta negotiorum mole diſtento Volcio crimini det, ſi aliquando hilaritati & remiſſioni det operam: ádque Jeſuitarum nomen & honorem lacerandum & lancinandum; (quo ei nihil jucundius evenire poteſt,) digrediatur & exſpatietur?

D Reſpondeo III. Volcium non ùt præconem Evangelicum, ſed ùt hæreticum calumniatorem agere, cùm dicit, *ſe ſua mendacia poſſe probare teſtimonio oculatorum teſtium.* Qui ſunt iſti oculati teſtes, præter cœcum Cambilhonum? Quamquam Cambilhon apertè non dicit; *hæc à ſe viſa.* Si tales teſtes excitare & proferre potes; & non feceris, via & ratione juris legitima obſervata; *ne unam quidem ingenui ſanguinis guttam toto in corpore tibi ſupereſſe iteratò dicam.* Tones, fulmines, torqueas te & retorqueas, baccheris, & centurias conviciorum deſpuas ac deſpumes; nihil moror; Hoc audire debes, quamdiu cum his tuis *oculatis teſtibus* ad competentem judicem non acceſſeris, & quibus in Collegiis E has tam horrificas & omnibus latomiis diriores officinas conſpexerint, legitimè oſtenderis. Nominas tu multos, nec homines tantùm; ſed & integra Regna. At ego tibi recino, nullum penitus, nullum omnino has ſubterraneas carnificinas nobis affinxiſſe, aut à ſe vel ab alio viſas, ſcriptum reliquiſſe. Cambilhon hujus teterrimi commenti primus Auctor fuit. Et Volcius primus poſt Cambilhonum, propagator. Ne Haſenmüllerus quidem hujusmodi ſubterraneum lictoribus & carnificibus conſentaneum apparatum ſe apud nos conſpexiſſe ſcribere auſus fuit; Etſi mortalium omnium (poſt Cambilhonum tamen, ejúſque fautores Prædicantes Auguſtanos; his enim primæ debentur) ad mendacia & omnem impudentiam projectiſſimus.

Porrò ad calumniatores, quos Volcius F nominat, plura non repono; quia teſtimonio ſuo Volcianum mendacium non ſtabiliunt: ùt jam dixi; Et pleriſque jam olim copiosè reſponſum eſt; ùt à me, Haſenmüllero; à Richeomo in Apologetica expoſtulatione, Catechiſmo Jeſuitico. A Franciſco Montano, Arnaldo. *Speculo Jeſuitico*, ſi fortè hoc nomine Prædicans Heilbrunnerianum indicat, à P. Matthia Mairhoffero, & à P. Conrado Vettero. Si autem per *ſpeculum Jeſuiticum* intelligit *Invectivam* Arnaldi in Germanicum ſermonem converſam, habet ejus refutationem G Gallicam & Latinam à Franciſco Montano, quem antea nominavi. Speculum Zephyrianum, quod Witteberga non ita pridem protulit, ita terſi & abſterſi, ut ſi vel Zephyrius vel Volcius in id intueri poſthac velit, neuter hominem, ſed monſtrum quoddam ex maledictis & pſeudologiis conſutum conſpecturus ſit.

Quem librum Germania, Gallia, Anglia, H Polonia, Dania, & Veneta ditio adverſùs Societatem evulgârit, ego neſcio. Aliquos ex Germanis, Gallis, Anglis, &c. in Societatis nomen debacchatos eſſe, ſcio: At iſti nec ſunt Germania, nec Gallia, nec Anglia, nec Polonia: ſed plerumque conviciatores & calumniatores, & libellorum famoſorum architecti; quorum ſcripta nullius exiſtimationem ex Juris diſpoſitione lædunt; ſed in Auctorum ſuorum capita omnem infamiæ maculam referunt. De rebus Gallicanis, nimis ferò in Theatrum aſcendis. Jam peroratum eſt: Jam dicto illo: Plauſum date; cavea dimiſſa eſt. Lætior fuit revocatio, cum tantis & tam luculentis innocentiæ noſtræ teſtimoniis conjuncta, quàm triſtior ejectio. Et quis coaxantium ex paludibus ſuis Prædicantium, Volcij, & ſimilium obſtrepe-

ras

A ras & absonas voces moretur, cùm ipsemet potentissimus Galliarum & Navarræ Rex, Apologetico pro Societate instituto, Innocentiam nostram publicè, fusè & acriter tutatus fuerit? Quæ Regis oratio extat in Apparatu Possevini nostri; V. *Societas JESU*: Et non ita pridem Germanicè excusa est Coloniæ; & nuperrimè itidem Herbipoli.

Præter hæc satis Apologiæ & pro innocentia nostra testimonij nobis sunt sequentia. I. Nostros in ea Galliæ loca, unde expulsi fuerunt, revocavit. II. Multa nova Collegia clarissimis in urbibus ex fundamentis exstrui libentissimè permisit.

B III. Ipsemet novum Collegium Flexiæ Societati ædificavit, adjunctis scholis numerosa juventute, literis operam dante, frequentibus.

IV. Nostros non tantùm in Gallia paternè fovit, & ut Societas in amplissimo illo Regno suo propagaretur, elaboravit; sed & coloniam de nostris, Constantinopolim sumptibus suis deduxit; potestate à Turcarum Imperatore impetrata: Quo etiam quinque de Societate feliciter appulerunt septimo die Septembris, Anno Redemptoris M. DC. IX. excepti amicissimè & humanissimè cùm ab aliis, tum ab Illustrissimo Christianissimi Regis Legato, Domino de Salignac.

C Statuerat denique idem Rex, nostros in Franciam novam, seu Galliam Antarcticam mittere. Quod non fugit Anonymum illum calumniatorem, qui non ita pridem, Diaboli instinctu, *Spiritui immundo*, varias quæstiones dissolvendas proposuit, sub nomine Patris Cottoni: nam inter cætera quæsita, hoc itidem apparet. *Quid circa missionem in Franciam novam, & totam oram adversæ Americæ.* Hæc & plura hujus generis apertè evincunt, potentissimum Regem, id, quod antea de Societate dispersum fuerat, calumniis accensuisse; qui certè factis tam egregiis pro Societate os loquentium iniqua obstruere potuisset, nisi infrunitorum Prædicantium protervia etiam sole meridiano dilucidiora inficiari consuevisset.

D Cum Veneta Republica, quam hic ingerit Volcius, idem Prædicantibus eventurum confido, quod evenit cum Gallia. Scitis, quidnam illud? Scitis, & ingemuistis, & etiamnum recordatione tam improvisi eventus ingemiscitis.

Admordet quoque Volcius nomen & famam *P. Henrici Garneti.* Mordeat rabiosi instar canis; citiùs dentes suos, quàm nomen sancti illius & invicti Martyris confringet. Nihil addo; quia hoc Vere Colonia nobis dedit solidam & efficacem pro P. Garneto adversùs criminatores Apologiam scriptam à P. Andrea Eudæmonjoanne Cydonio. In hanc suas vires, si E quæ suppetunt, Volcius expromat, sed Latinè; nam Cydonius longè minùs, quàm ego, Germanicam linguam intelligit. At mitto ista, quæ Volcius extra rem inferfit; tantùm eo consilio, ut lectores, cum aliis occupati, interea Volcij, & turpissimi sceleris ab ipso commissi, obliviscantur.

In viam redeo. Ut se à crimine objecto Volcius purget, occinit; *se non de omnibus Collegiis locutum; sed tantùm de aliquibus.* Neque ego dixi, Volcium de *omnibus* locutum. Sed quia non omnia, sed indefinitè, *nonnulla* hac infami & diabolica criminatione adsperfit, ideo à crimine immunis erit? Si ego publicè scriberem; nonnullos Prædicantes ex Augustano Ministerio domi suæ *carnificinas subterraneas* habere, in quibus omnem carnificum & lictorum apparatum familiæ torquendæ & excarnificandæ asservent; an ideo inter contumelioſos infamatores isti me non collocarent? Imò, hujusmodi, ratione locorum, indefinita infamatio gravior esse videtur, quàm si definita esset; nam dum nullius nomen exprimitur, de omnibus suspicio oboritur; Si enim indeterminatè dicerem: aliquos ex Augustano Prædicantico Ministerico esse *scortatores* & *adulteros*; neque signatè indicarem, quinam his flagitiis inquinati essent; non nemo foret; cui suspicio de Volcio vel Rülichio injiceretur, viris alioqui integerrimis, & instar triduani infantis immaculatissimis.

Qualis autem hujus Prædicantis frons G & mens, cùm scribere non veretur, *me in Apologia concedere, hujusmodi spelunc*as Joh. 14 *subterraneas, & talem carnificum & lictorum panopliam in aliquibus Collegiis, etsi non in omnibus, reperiri.* Ubi pudor? Quanquam quid ego de pudore? Ubi vel tenue vestigium pudoris & ingenuitatis in hoc Prædicantico pectore? Egóne hoc dixi, fassus sum, scripsi; Ubi oro? Ubi? An ubi dictum, in nostris quibusdam templis sepulchra, quibus mortui conduntur, in speciem conclavis seu cameræ efformari? Atqui ex sepulchris facere ejusmodi lictorum & carnificum officinas, quales tu cum tuo Cambilhono, in Collegiis & templis nostris exstruxisti, nihil aliud est, quàm in reprobum sensum datum, & à calumniatorio spiritu integrè, hoc est, corpore & animo possessum esse. An in solis Jesuitarum Ecclesiis hujusmodi sepulchra cernuntur? An non in pluribus Germaniæ Templis hanc tumulorum formam reperire licet?

In Apologia rogavi Volcium & gregales H ejus, ut Collegium Augustanum lustrarent;

*

A rent; & propriis oculis inſpicerent; num Cambilhon in ſua Relatione mentitus fuerit.

B Quia verò Volcius has ſubterraneas *carnificum & lictorum officinas*, innuit eſſe noſtra ſepulchra; iterum iterúmque rogo, ut Collegium Auguſtanum adire, & in ſepulchra illa deſcendere velit: Aperientur, ne dubites: & fiet deſcendendi copia; & ut ab omni malo tutus ſis; haud gravatè ferent, Collegii Auguſtani incolæ, ut præſidij & ſecuritatis cauſa, aliquot *Sclopetarios* tibi adjungas. Si officinas hujusmodi, & talia inſtrumenta, repereris, renuncia mihi, ſtatímque ad te advolabo, & *Prædicans* fiam, & unà mecum Interpres meus P. Conradus. Quodque de Collegio Auguſtano dico, de omnibus hujusmodi ſepultura utentibus intellectum volo. Eja ergo Volci, exſurge: & tandem in rem præſentem veni. At renuis. Qua de cauſa? *Veſtigia*, inquit, *me terrent*, quo inſinuat; omnia veſtigia in Collegia noſtra *introrſum ſpectare: nulla retrorſum*; ùt ajebat illa Horatiana vulpecula: cujus verba num ideo uſurpat Volcius, quia vulpes eſt? Si jam paulò apertiùs evolverem, quid hoc dicto Volcius tacitè innuat, grandem ſibi injuriam irrogari clamitaret. Dic, Volci, an nullus unquam Lutheranus Prædicans Collegium Auguſtanum ingreſſus & egreſſus eſt? An nullus, qui pedem intulit, pedem retulit? O hypophantam, ne dicam, Sycophantam:

C qui mentitur; *me & Interpretem meum P. Conradum, conſcientia ſcelerum & maleficiorum coactos, verba ſua contra mentem ſuam de homicidiis accepiſſe; cùm ipſe non de his, ſed de ſevera diſciplina, qua noſtros coërceamus & in ordine retineamus; ea protulerit*: At mentitur Prædicans; nuſpiam enim dixi, nos à Volcio contumelioſis illis verbis *homicidiorum* accuſari. Et ut id dixiſſem, rem ipſam dixiſſem: nam Volcius illam calumniam ex Cambilhono, & ſenſu animóque Cambilhonico ſumpſit. At Cambilhon in ſpecubus illis ſubterraneis non tantùm carnificinas per equuleos, cataſtas, fidiculas, & id genus alia inſtrumenta inſtitui, ſed & cædes patrari flagitioſiſſimè & improbiſſimè affirmat. A cujus ergo verbis Volcius vix abivit, ab ejusdem etiam perfido ſenſu non receſſiſſe, meritiſſimò exiſtimari poteſt; præſertim cùm in officinis cruciariis carnificum & lictorum, vi carnificinæ ita fontes crebrò debilitentur, ut animam exhalent. Quapropter cædes vix vitari poſſent, ſi hujusmodi carnificinarum uſus in aliquibus Collegiis noſtris uſitatus eſſet.

D Præterea, quàm Volcius ab hac de cædibus Ordini noſtro impingendis cogitatione alienus fuerit, ſatis inde apparet, quòd jam ex Haſenmüllero non exhorreſcit projectiſſimè mentiri; eos, qui ex Societate noſtra *fugam meditantur, vel capi, vel rota, vel igne, vel aqua, vel funè, vel veneno tolli.* Scilicet illi, qui hæc ex infamatorio libro in ſuas chartas tranſcribere religioni non habet, ingens injuria irrogatur; ſi verba Cambilhonica abs ſe verbatim propemodum recitata, ſenſu quoque Cambilhonico accepiſſe & lectoribus propoſuiſſe credatur & feratur. E

Adhæc, etiamſi eo ſenſu, quem jam Volcius comminiſcitur, verba Cambilhoniana attuliſſet; jure tamen, tanquam putidiſſimus calumniator, & alienæ famæ improbiſſimus deprædator conſpui, & omnibus diris devoveri deberet; & re ipſa debet, propter hanc prorſus diabolicam Diabolicæ ſuæ calumniæ explicationem: quam verbis turbulenti præconis referam, quæ ſunt iſta: **Ich red und beſchreib daſelbſten ihr ſtrenge, harte Diſciplin, und tyranniſche Schulzucht, die ſie gegen ihren untergebenen Diſcipulis und Novitiis gebrauchen, wann ſie es um begangner Exceß willen, oder da ſie ſonſten verdächtig worden, als möchten ſie nicht Farb halten und außreiſſen, theils** F **auch zu verſuchen und zu rentirn, was hinder ihnen ſteck, (dann ein Jeſuiter muß ein kecker Mann ſeyn, der hinan geht, wo man ihn hinſchicket, auch in** præſentiſſimum vitæ periculum) **in dergleichen Kercker, Gefängnuß, Gewelb, Klufften, Zimmer oder Gemach, wie ſie Namen haben mögen, unter oder ob der Erden, einſperren, ſie mit ſeltzamen ſchröcklichen Kleydern, und gräußlichen Larven, auch allerhand Stockmeiſteriſchen Inſtrumenten, und Sachen ſchröcken und ängſten, ſtöcken und blöcken, daß ſie nachmals keines andern Stockmeiſters bedörfen.** G

Hæc Volcius, quæ aliâ cenſurâ non notabo, quàm Prædicantem iſtum, donec hæc legitimè & juridicè ad legitimum & competentem judicem detulerit, & legitimis probamentis plana teſtatáque fecerit, & has carnificinas in omnium conſpectu argumentis ſuis poſuerit, pro infami infamatore, próque alieni honoris & boni nominis rapaciſſimo fure & prædone habendum, neque dignum, cum quo ullus honeſtatis amans ullum conſortium aut commercium habeat, præſertim cùm ſcribere non vereatur, me, quæ impudentiſſimè de carnificinis iſtis fingit, *negare non poſſe*: imò *& fateri*. Et tamen cùm hæc de Jeſuitis mendaciſſimè diſſipat; nihil de fama & exiſtimatione eorum abs ſe detrahi perſuadere cupit, ſed iis, quos Volcianis labris ſimiles lœdoriarum & Pſeudologiarum lactucæ oblectant; nam ij, quibus cor ſapit, probè pervident, quanta, & quàm gravis, quàm ſeverè, niſi legi- H

A timè probetur, punienda accusatio sit ista; quòd Volcius palàm scribit; *Jesuitas discipulos suos & Novitios in specubus subterraneis, vel etiam in locis supra terram ad hoc destinatis, excarnificare cataſtis, equuleis, fidiculis & aliis modis, quibus fures & latrones ad malefacta prodenda coguntur; Et hunc in finem omnia lictorum & carnificum instrumenta ac vestimenta parata in promptu haberi; & Jesuitas has lictorum & carnificum partes obire, ut proinde aliis torturæ administris non indigeant.* Hæc, inquam, accusatio quanti sit ponderis, & quàm digna, ut in eam legitimus Magistratus, veritatis eruendæ gratia, inquirat, nemo prudentum non videt.

B Quapropter iterum iterúmque dicam, nisi Volcius nominet ea Collegia, in quibus hæc tam Cyclopica facta perpetrantur (quandoquidem in *aliquibus* tantùm Collegiis ea patrari ait; & cùm tam asseveranter in *aliquibus* ea committi scribat, sine dubio probè novit, quænam sint illa aliqua Collegia, & eorum nomina edere poterit) & ad legitimum suum judicem juridicè detulerit; & quæ in utroque jam scripto suo effutivit, plana & dilucida reddiderit, eum pro alio non habendum affirmo, quàm pro illo, quem paulò antea descripsi. Bone Deus, quò non progreditur hæretica licentia & effrænis ac effrons petulantia: quæ hîc etiam ingerere ac renovare audet calumniam adversùs P. Schererum de Odontio Lutherano in Stiria olim Prædicante, & postea ob maleficia Græcij, Stiriæ Metropoli, capto, & in carcerem compacto.

C Quærit ex me Volcius, *Undénam Jesuita Græcensis cum duobus suis famulis acceperit equuleos suos, carnificis vestimenta & ensem maleficiorum vindicem, quibus exornatus ad captum Paulum Odontium accesserit; & ad palinodiam his carnificum syllogismis inducere voluerit, quandoquidem videbat, se Dialecticis Syllogismis nihil efficere posse.* Respondeo, P. Schererium & socios ejus, instrumenta illa lictoria, de quibus Volcius quærit, neque vidisse, neque tetigisse, neque Odontio unquam proposuisse; sed Odontium, spermologum Volcio gemellum, ea omnia ex eadem officina protulisse, ex qua Volcius cavernas subterraneas, & omnem illum carnificum & lictorum apparatum deprompsit, nempe ex malè feriato, & ad quidvis fingendum & audendum aptissimo suo cerebro. Id ita esse, testes dabo Volcio non de trivio, aut circo maximo, aut Prædicantica tribu, sed de curia & gravissimorum virorum cœtu, sanctóque senatu. Nam cùm Odontius hanc criminationem, de carnificum instrumentis, (quam in suam charram Volcius intulit, ut cento conviciis magis farciretur,) scripto in vulgus evulgato dissemināsset: Inclytus Archiducalis Civitatis Græcensis in Stiria Senatus, innocentiæ nostræ, & P. Schererij adversùs convitiatoris Odontij infamatoria blateramenta publicum testimonium, typis excusum, & impresso urbis sigillo munitum ac corroboratum, dedit, XXVIII. Augusti Anno M. DC. VII. cujus authenticum exemplar ad me quoque pervenit: & cuivis inspicere cupienti, libens volénsque monstrabo. Partem ejus adscribere, operæ pretium duxi; non ut Volcium dem in ruborem; jam enim rubor ejus defloruit; sed ut lector veri studiosius videat, quàm insatiabile conviciandi & mentiendi cacoëthes istos Quinti Verbi ministros teneat; qui licèt publicis Regum, Principum, Rerumpublicarum, civitatum & Ordinum testimoniis redarguantur, prout jam sæpè factum est, ipsi tamen omnia susque deque habent, & ad id unum incumbunt, ut vel vetera & jam funditus eversa mendacia paululùm reconcinnent, & recinant; vel certè nova excogitent, & in vulgus dispergant. Sed jam Volci vacivas fac Prædicanticas tuas aures, ut audias, quid de tuo Odontio, téque ejus in eodem sycophantandi campo *subadjuva*, Senatus Græcensis sentiendum judicandúmque esse, publico diplomate senserit ac judicârit.

Fol. 19.

D

E

F

TESTIMONIUM INCLITI SENATUS GRÆCENSIS IN STIRIA PRO SOcietate JESU; nominatim autem pro P. Georgio Schererio, contra Odonticas & Volcianas criminationes.

G WIR Burgermeister, Richter und Rath der Fürstlichen Haubt-Stadt Grätz in Steyrmarck, ꝛc. Entbieten allen und jeden, denen dise unsere Gezeugnußschrifft zu vernehmen fürbracht wird, oder die es selbsten lesen möchten, was Würden, Stands und Nammen sie seynd, unser gebührliche Dienst, auch freundlichen Gruß zuvor. Und geben denselben hiemit zu vernehmen: daß, nachdem wir in offentlichem Rath beyeinander versamblet, uns fürkommen, und verlesen worden, eine zu Dreßden, durch Hieronymum Schützen, im verflossnen 1603. Jahr gedruckte, und von einem Secttischen Predicanten Paulo Odontio, welcher Anno 1602. seines gegen der Fürstlichen Durchläucht, unserm Gnädigisten Herrn und Landsfürsten, in vil Weeg gebrauchten Ungehorsambs halber, allhie gefangen gelegen wider etliche Herren Patres der löblich. Societet JESU allhiesigem Fürstlichem Collegij, außgehende Historische Erzehlung, im Grund aber ein falsch unwarhafftes Famos und Lästerlibell,

H

A sterlibell, dessen Innhalt fürnemblichen in dreyen Puncten besteht.

Als erstlichen, welcher massen er gefänglich eingezogen; Item, wie Christlich und sanfftmüthig er zur Bekehrung angemahnt; Drittens, wie er um seiner Mißhandlung willen, ad triremes verurtheilt worden. In welchem Libell er unzählich vil grober und offenbaren Land-Lugen, sonderlich dises eingeführt hat, daß nemblichen in sein Prädicantens wehrender Verhafftung, sich etliche Patres der Societet JESU, für Henckers-Buben gebrauchen lassen, und in der Gefängknuß die Tortur gegen ihme Predicanten fürnehmen wöllen.

B Ferner, das Herr Pater Scherer in der jenigen Custodia zu Hoff, darin er Prädicant verhafft gelegen, eines vermeinten Verbrechens willen, auch Tag und Nacht schwitzen müssen, was auch dergleichen erdichte, unwarhaffte, und lästerliche Anzug mehr seynd.

Wann aber solche Laster-Schrifft und Calumnien, eins sowohl als das ander, ein offentlicher Falsch, Unwarheit und Lugenwerck, und von nirgends andern, als aus einem, mit dem Teuffel besessenen Menschen, welcher von Anfang ein Vatter aller Lugen genendt wird, entspringen, also haben wir zu Rettung der Christlichen Wahrheit, auch zur Defendirung der Ehrwürdigen Societet
C JESU, ihres wohlhergebrachten Namens, und ersparten ehrlichen Lobs, in Erwegung, daß nicht allein von disem unartigen, und den hochgelehrten und gottseeligen Patribus im wenigsten nicht zu vergleichen, ungeschickten Predicanten, sondern auch anderer Orthen, von seines gleichen selbst erwachsenen Calumnianten, dise ansehnliche Societet gar unbillich angriffen, und dermassen unverdienter Weiß, geschendet worden, daß sie alle miteinander, daß wenigiste, so sie wider dieselbige außgossen, zubeweisen haben, wahr sein bekennen, und männiglich zu Kund thun müssen, daß solche Ehrabschneider, und ihres Nächsten guten Namens verleumbder, Vermög der Päbstlichen und Käyserlichen Satzung, Ordnung und Constitutionen, in deroselben Acht und Bann gefallen, auch vor männiglichen, sowohl vom Geist- als vom Weltlichen Gericht, offentlich censurieret, und bestrafft werden können.

D Wir sagen auch bey unsern guten Ehren und Ehrliebhabenden Gewissen, und thun solches hiemit in Krafft dessen wissentlich, daß wir zuvor dergleichen Geschicht, die Herrn Patres betreffendt, in unserer Fürstlichen Haubt-Stadt Grätz, niemahl nichtes gehört, oder verdächtlichs fürkommen, wie dann er, Predicant, als er in unserm Raht-Hauß gelegen, solches nicht verschwigen, sondern zu seinem Behelff offentlich angedeutet haben würde, seitemahlen bekandlich, daß in dergleichen criminalibus causis ad pœnarum supplementum nichts verschwigen bleibt. So seynd ja die Herrn Patres über E
alle unsere warhaffte Bekandtnuß, vilmehr Ehr und Titul würdig, als daß sie von uns, als unsere getreue Geistliche Seelsorger, und unverdroßne Arbeiter in dem Weingarten deß Herren mögen beschrieben werden, da sie nicht allein unsere Stadt, und gantze gemeine Burgerschafft mit der allein seeligmachenden Catholischen Religion erleuchten, sonder der gantzen Teutschen Nation mit allen freyen Künsten, guten Exempeln, und erbarn auffrechtem Wandel, also ersprießlich vorgangen, daß durch ihren steten Fleiß, Mühe und Arbeit, vil ansehnlicher gelehrter Leuth worden, welche dem gemeinen Nutz mit sonderbarer männiglicher Satisfaction, so wol in F
Geistlich als Weltlichen Regimenten, GOtt und seiner Kirchen zu sonderbarem Lob, und der gantzen Christlichen Gemein augenscheinlicher Aufferbaung fürstehen, dahero sie dann billich von allen Nationen respectirt, und von unserm gnädigisten Herrn und Landsfürsten, auch andern ansehnlichen Fürsten und Potentaten geehrt, celebriert und commendirt werden, wie auch wir, und ein löbliche Burgerschafft sie für unsere Nehr-Vätter und Zucht-Meister, rechtmaßig erkennen.

Er, Pater Scherer, ist zwar dazumahln G
Ihr Fürstl. Durchl. Ertzhertzogen Ferdinandi zu Oesterreich, ꝛc. Hoff-Prediger gewesen, den Krancken, und in Todtes-Nöthen ligenden, so wol auch den Gefangenen Personen, bey Tag und Nachtzeit, alle mögliche Hülff erwisen, wie uns dessen und männiglich wol bewust, so wol der anderen Herren Patrum der Societet JESU Leben und Wandel, so wol anjetzo, als zuvor lange Jahr wol bekandt, niemahlen aber dergleichen Schmachreden, und Inzüchten von jrrgend einem liebhabenden Mann gehört, oder suspicirt worden.

Dahero der Durchleuchtigiste Fürst und H
Herr, Herr Maximilian Pfaltzgrave bey Rhein, Hertzog in Obern und Nidern Bayrn, ꝛc. eben umb dergleichen falsch angelegte Inzüchten, und über die Herren Patres außspargirte Lugen-Gedicht, mit einem Fürstlichen offnem Patent sie im Grund, und mit der Warheit wider alle Klaffmäuler geschützt und verthädiget hat. Darneben daß das Ketzergeschmaiß anders sich nicht an disen gelehrten Exemplarischen, und der gantzen breiten Welt wolbekandten geistlichen Männern weiß zu rechnen, als daß sie ihnen alles übels und unbillichs, von wegen ihres grossen Eyfers und Tapfferkeit, so sie in Fortpflantzung der Catholischen Religion, und Refutierung ihrer falschen und ketzerischen Irrthumen erweisen, auftragen, von dessen wegen sie einen ewigen Lob haben, und werden mit nichte von solchen Flädermäusen, die sich allein in den Schlieffwinckeln, und bey der Nacht, aufhalten, interturbiert, ꝛc.

A Habes Volci ampliſſimi Senatus Græcenſis de tuo Odontio, ejúſque calumniis à te repetitis judicium, quod recitare, & denuò evulgare volui in ſpem gratiæ tuæ: quam, cùm priore ſcripto à te non obtinuerim, hac altera congreſſiuncula, me impetraturum ſpero: maximè cùm pro converſione & illuminatione mea & P. Conradi ad calcem Appendicis tuæ tam calidas preces ad Deum effundas. Crederem tamen, te plus effecturum, ſi pro utriuſque noſtrûm ad Lutheranam lucem tranſitu, cilicium aliquot menſibus geſtares; & bis cum Phariſæo illo in ſabbato jejunares; & ter quot hebdomadibus diſciplinam faceres: quorum omnium ſuſcipiendorum amorem arbitror, tibi jam pridem in pectus incuſſum eſſe ex lectione meorum librorum de Diſciplinis: præſertim Virgidemiæ. Verùm, ô vale, & quidem B in perpetuum ſecta Lutherana, vale! *Lupis & agnis quanta ſortitò obtigit, Mihi tecum diſcordia eſt. Bellua multorum es capitum, nam, quid ſequar, aut quem? Sirenum voces & Circes pocula novi.* Voces Sirenum, hæreſeos voces ſunt. Pocula Circes, hæreſeos pocula ſunt. *Quæ, ſi cum ſociis ſtultus cupidúsque bibiſſem ſub Domina meretrice fuiſſem turpis & excors*, more ejus, qui hanc ſectam architectatus eſt. *Vixiſſem canis immundus, & amica luto, ſus*, quemadmodum tuus, ô Volci, Lutherus. Tu beato Davidi obſecurus, *deſine ab ira, & derelinque furorem.* Animum tuum ſycophanticum & calumniatorium rege: *quæ niſi paret, imperat; hunc frenis, hunc tu compeſce catena.*

Laus Deo Virginique Matri.

PRÆDICANTIUM AUGUSTANORUM
OB
RELATIONEM CAMBILHONICAM
REPETITÆ FURIÆ,
QUAS DENUO
JACOBUS GRETSERUS ET CONRADUS VETTER,
SOCIETATIS JESU SACERDOTES
PRO MERITIS CASTIGARUNT.

PSALM. LVII.

Furor illis (Prædicantibus) ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis.

ORIGO ET PROGRESSIO HUJUS SCRIPTIONIS AC CONTROVERSIÆ.

I. *PRædicantes ediderant Famoſum libellum Latinè & Germanicè de abſtruſioribus Jeſuitarum ſtudiis, ſine Auctoris, typographi & loci nominibus. Anno M. DC. VIII.*

II. *Hunc libellum ſub titulo* Relationis *publicatum, Latinè & Germanicè refutârunt Jacobus Gretſerus, & Conradus Vetter Anno ſalutis M. DC. IX. revelato Auctoris nomine; & patefactis etiam iis, quibus infamis liber ab Auctore ſuo, inſcriptus ac dedicatus fuerat, nempe, Prædicantibus, qui Auguſtæ Vindelicorum* Quintum Evangelium *annunciant.*

III. *Pupugit hæc res Miniſterium Prædicanticum. Itaque Anno M.*

M. DC. X. Edidit Melchior Volcius ſuo & ſuorum ſynergiſtarum nomine Retorſionem *quandam adverſus Gretſerum & Vetterum ; ſed Germanicè tantùm.*

IV. *Hanc ineptam & calumnioſam Retorſionem mox, eodem anno, refutârunt Gretſerus & Vetterus, evulgato Latinè & Germanicè libello ; cui titulum indiderant.* Furiæ Prædicantium Auguſtæ Vindelicorum Quintum Evangelium Evangelizantium, &c.

V. *Huic poſtremæ ſcriptioni noſtræ oppoſuerunt Auguſtani Prædicantes, tandem poſt XIV. menſes per ſuum* Hermam *ſeu* Ducem Verbi *Volcium, Latinè & Germanicè furioſiſſimum ſcriptum, à Furiis itidem indigitatum: nec ſanè immeritò ; nam Tiſiphone illud concepit & peperit ; Megærâ & Alecto obſtetricantibus, ſuúmque ſpiritum ac genium turpiſſimo & fœdiſſimo fœtui aſpirantibus & inſpirantibus.*

VI. *Huic Prædicantico calumniarum & mendaciorum centoni, ac totius Logoduliæ & ſpermologiæ ſacco, hac poſtrema noſtra lucubratione occurrimus, & criminationum labes peniculo & everriculo veritatis abſtergimus & everrimus, & quidem Latinè ac Germanicè. Vocavi* poſtremam, *tum quia ex antegreſſis poſtrema eſt ; tum quia arbitror, ſimpliciter poſtremam in hac cauſa fore : quia* Logoduliæ *Auguſtanæ Præſtes jam nobis accinuit ſolenne illud :* I LICET. Reſponſum à me poſthac exſpectes nullum, *clamat Præco. Nullum equidem exſpectabo. ſi tamen reveneris, ô Aretaloge, jam nunc prædico tibi, me non fore* Iacitum, *aut* Silium. *Id certò noveris. Quandiu calamum manu tenere, & per chartæ æquor ducere potero, non patiar, ut otietur, veſtræque lœdoriæ, pſeudologiæ, & βωμολοχίαι irrepercuſſæ maneant.*

Vocat me Volcius ad certamen de controverſis fidei Quæſtionibus. Audi Logodule. Veniam, & me ſiſtam, ubi priùs hæc Cambilhonica lis, quam vos Auguſtani Prædicantes exorſi eſtis, terminata fuerit. Deinde valde tuam temeritatem miror, qui nova debita contrahere velis, cùm tu & ſymmyſtæ tui vetera nomina necdum expunxeritis. Quid enim tot contra vos editis libris, nominatim adverſus Logoduliæ Auguſtanæ Seniores Volcium & Rülichium à Sebaſtiano Heiſſio, Marquardo Leone, Cleopha Diſtelmario, Petro Varamundo, Auguſtino Vindelico *reſpondiſtis ? Nihil. Fortè ideo, quia Quæſtionem de Eccleſia ex ſeptimo Auguſtanæ Confeſſionis Articulo tibi Volcio diſertè à Varamundo propoſitam, neque ſeriam, neque veſtræ ſpermologiæ ſatis conſentaneam exiſtimatis. Quid reſpondit Volcius ad Virgidemiam* de Diſciplinis *à me ſibi miſſam ? Quid inquam reſpondit ? Nihil.*

INDEX CAPITUM HUJUS LIBRI.

Cap. I. *Mendacia, convicia, & manſuetudo Prædicantici Miniſterii Auguſtani.*

II. *Sordes Prædicantium Auguſtanorum.*

III. *Diverticula Miniſterii Prædicantici Auguſtani.*

IV. *Relationem Cambilhonicam eſſe libellum famoſum.*

V. *Prædicantes Auguſtanos eſſe reos pœnarum, quas Canones & leges libellis famoſis decreverunt, quatuordecim argumentis demonſtratur.*

VI. *Solvuntur argumenta, quibus Prædicantes probare conantur, Relationem Cambilhonicam non eſſe libellum famoſum.*

VII. *Quid Prædicantes oggannìant ad argumenta, quibus in Furiis Prædicanticis probatum eſt, ipſos Relationem Cambilhonicam immediatè typis evulgâſſe.*

VIII. *De iteratis Furiis & Foriis Volcianis.*

IX. *Teſtimonium Authenticum Perilluſtrium, generoſorum ac nobilium Regni Bohemiæ Dominorum contra Cambilhonicas & Auguſtano Prædicanticas, aliorúmque criminatorum calumnias.*

X. *De Phyſiognomia Prædicantica.*

XI. *In novos Athenienſes ad nihil aliud vacantes, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

PRÆDICANTIUM AUGUSTANORUM REPETITÆ FURIÆ.

CAPUT I.

Mendacia, convicia, & manſuetudo Prædicantici Miniſterii Auguſtani.

A ITerum inſaniunt Auguſtani Prædicantes. Iterum Eumenidum tædis ardentibus incenſi flammas vomunt. Rurſus ergo cithara Davidica arripienda eſt, fidéſque intendendæ, & pulſandæ, ſi fortè malus genius, ejúsque filiæ, Alecto, Tiſiphone & Megæra Prædicantium præcordia obſidentes, dulci melodia pacari & tranquillari queant; quarum nunc peſtium impulſione & agitatione, mentiuntur inprimis Prædicantes, *Quintevangelicè*, hoc eſt, ſtrenuiſſimè & aſſiduiſſimè, ita ut nulla penitus, ſcripti haud prolixi, quod eructárunt, pagella, ab immanibus & apertiſſimis Pſeudologiis vacet. Quod tam proclive mihi eſſet demonſtrare, quàm facile eſt Prædicantibus iſtis mentiri, ſi aut Prædicantes objectu & conſpectu mendaciorum, quæ effuderunt, erubeſcere nôſſent, aut lectoris intereſſet, ſpeciatim ſcire, ubi, quando, & quoties Prædicantes mentiti fuerint. Qui Prædicantium naturam & morem generatim novit, is ſimul etiam novit, quam artem factitent; ſive ſenſa ſua verbis proferant, ſive in literas referant. Qui corvum novit, qui cornicem, qui upupam, qui cuculum, is eorúndem ſonorum ſuavémque cantum minimè ignorat.

B Secundò, inſtinctu Furiarum calumniantur & conviciantur iidem Prædicantes, atrociſſimè & teterrimè, tertio quoque verbo, ut diſcipulos ſcilicet agnoſcere queas illius, qui, ùt ait B. Petrus, *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti ſe injuſtè.*

1. Pet. 2.

C Ex quo Lutheranæ lenitatis & patientiæ fonte manârunt ſequentia manſuetiſſimi, & omnibus benefacere & benedicere conſueti ſpiritus Prædicantici ſpecimina. *Duo profligatiſſimi Lojolitici Monachi.* p. 4. *Quorum & effrænis impudentia & profligata audacia.* Ibid. *Duo inſolentes & faſtu turgidi Lojolitæ.* Ibid. *Duo crabrones Jeſuitici.* p. 6. *Stercus.* Ibid. *Impudentiæ Eſauiticæ rabies.* p. 8. *Duo Veteratores.* p. 9. *Duo iſti gregales Lojolitici.* p. 10. *Levidenſes Monachi Lojolitici.* p. 32. *Colluvies Lojolitica.* p. 36. *Eſauitica temeritas & projecta audacia.* p. 44. *Effrenata temeritas, & profligata audacia, & impudentia Jeſuitica.* p. 45. *Duo mendaciſſimi & profligatiſſimi Monachi.* p. 46. *Maledicum ipſorum os.* Ibid. *Duo furioſi Monachi.* p. 51. *Duo levidenſes Monachi.* p. 68. *Peſtes turbarúmque faces.* p. 74. Gretſerus *impurus Monachus.* 75. *Spurciſſimus foricarius.* Ibid. *Foricarius obſcœnus.* Ibid. *Veteratores & obtrectatores procaciſſimi.* p. 79. D

Prætereo alios ex Furiarum horto decerptos floſculos, ex quibus ſatis apparet, quàm Evangelici iſti præcones, qui Verbum Dei & Paulum in ore perpetim circumferunt, ſe ſe conforment cum Paulino illo monito: *Servum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati.* O manſuetudinem, ô patientiam, ô modeſtiam Prædicanticam, quæ egregiè etiam ſe ſe exerit, pag. 74. ubi Venerabile Miniſterium Lutheranum, tantùm non elatis vocibus Miniſterium forenſe ſibi cognatum, hoc eſt, carnificem & lictores advocat, *ut duo Monachi Lojolitici capitis damnati* (ſed à Conſiſtorio Prædicantico) *dignas & meritas pœnas luant ac perſolvant.* En Evangelicam clementiam. Quam mox nonnihil temperant ac diluunt: *Pro quibus tamen, ne noſtra ſolummodo cauſa fiat, ex Chriſtiana ſympathia rogamus & intercedimus.* Verebantur, opinor, Prædicantes, ne ex *defectu perfectæ lenitatis irregulares efficerentur*, niſi poſtulato ſuo hanc moderationem adjeciſſent: quorum erga nos ſympathiam tantam eſſe credo, quanta erat erga Chriſtum Judæorum vociferantium: *Crucifige, Crucifige.* Non nolunt nos interfici: ſed ne id *ſolum-* E

2. Tim. 2.

F

A *solummodo fiat* sua causa. Non nolunt, ut occidamur sua causâ ; sed *ne solummodo sua causâ* ; Aliorum itidem causam admisceri cupiunt. O mititatem inexplicabilem ; qualem in nullo, etiam Mitione, aut Clemente, reperias ! Sed en, è vestigio Prædicantes suæ intercessionis pro nobis pœnitet ; *si modò rogare pro tam perniciosis Ecclesiæ hostibus fides pietásque* (Lutherana) *sinit , háque pestes turbarúmque faces* (Prædicantium encomia audis) *vivere pax & tranquillitas publica permittit , & salus Ecclesiæ patriáq; concedit.*

B Similem lenitatis auram ex pectoris sui antro efflat speciatim Ministerii Augustani Æolus Volcius, cùm hæc ex imo corde vota concipit. *Utinam Jesuitæ aut resipiscerent, & ad saniorem mentem redirent* ; (hoc est, Prædicantes fierent, filiásque Prædicantium tædis jugalibus sibi jungerent) *aut si nollent ; omnes tali Martyrio coronarentur* , quali coronati sunt illi, *quos nuper nobis in Martyrologio Jesuitico æneis figuris expressos , & typis descriptos exhibuistis*, inquit Volcius; *quò tranquillior & pacatior esset status Reipublicæ Christianæ.* Pag. 85.

C Mala tu quidem nobis imprecaris , si spectemus tuam mentem : optas enim, ut laqueo, ense, rota, flammis, undis, & id genus aliis modis perimamur & exterminemur : quod tibi, tuisque synergistis perquam volupe esset; nobis autem, tuo tuorúmque judicio, miserum ac calamitosum. At verò quæcunque tua sit vel mens vel sententia; si contingeret, nos sanguinem fundere ea de causa , ob quam sanguinem profuderunt illi , quorum imagines in tabula effigiatas conspexisti , omnes sani & Orthodoxi judicii, vestris Prædicanticis auribus melos illud ex libro Sapientiæ accinerent : *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis ; visi sunt oculis insipientium* (Prædicantium) *mori , & æstimata est afflictio , exitus illorum, &c. illi autem sunt in pace , &c. In paucis vexati , in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos , & invenit illos dignos se.* Sap. 3.

D Interim cogitet lector , quos Prædicantes clamores edituri essent , si in alicujus Jesuitæ libro hujusmodi votum , Volciano simile, lectitarent. *Utinam Prædicantes aut resipiscerent , & ad saniorem mentem redirent : aut si nollent* , omnes tali Martyrio coronarentur, quo coronati sunt Hussus , Hieronymus Pragensis , & omnes illi , quos in Martyrologia sua Lutherana , & Calviniana retulerunt Rabus, Crispinus & alii , *quò tranquillior & pacatior esset status Reipublicæ Christianæ.* Quòd si tale votum nominatim pro Prædicantibus Augustanis susciperetur & publicaretur, nullus Lutheranus textor, nullus lanio , nullus sartor , nullus fartor , nullus caupo, nullus futor , nullus denique , licèt ex infimæ plebis censu, esset, cujus aures, complorationibus Prædicantium & *Prædicantissarum* , ob tam truculentum à Jesuitis conceptum votum non obtunderentur. E

Ego jam primo huic capiti finem impono : Et S. Basilium apud Damascenum lib. 2. Parallelorum cap. 81. illud insusurrantem mihi audio : *Cùm te parvulus puer maledictis incessit , in risus argumentum ipsius maledicta vertis : Et cùm quispiam præ phreneſi , mentis errore affectus , contumeliosis verbis te insectatur , miseratione potius , quàm odio eum dignum censes.* Pueri Prædicantes sunt , tametsi , ùt Comicus loquitur, *veteres*, & barbigeri; Insuper & phrenetici sunt. Agamus ergo, quod S. Basilius monet, & istos rideamus, vel miseremur potiùs , quàm insectemur , odióque prosequamur. *Quare fers ægri rabiem & phrenitici verba ?* Quærit Seneca. *Quare puerorum protervas manus ? Nempe quia videntur nescire , quid faciant. Num quis satis constare sibi videatur , si mulam calcibus repetat , & canem morsu ?* F Sen. lib. 3. de ira c. 26. 27.

CAPUT II.

Sordes Prædicantium Augustanorum.

G VArios Cacodæmonum effectus videre est in iis, quos occupant & obsident ; nam quosdam efficiunt *Misanthropos* , & humanæ societatis osores ; solius solitudinis & tenebrarum amantes. Talis erat Dæmon in illo Energumeno, de quo S. Marcus his verbis. *Exeunti* (Jesu) *de navi , occurrit de monumentis* (hoc est, de sepulchris) *homo in spiritu immundo , qui domicilium habebat in monumentis , &c. Et semper die ac nocte in montibus erat , clamans & contidens se lapidibus.* Marc. 5.

Nonnulli Diaboli obsessos in aquam & in ignem mittunt; Talis Alastor erat ille, de quo idem S. Marcus : *Frequenter eum in ignem & in aquam misit , ut eum perderet.* Marc. 9.

H Malus genius , qui Ministerium Prædicantium Augustanum tenet, & afflatu suo perculit, nec in aquam suos Prædicantes agit , sed in *latrinas* , in *foricas* , in *Foria* & *forias* , & *in stercora.* Id ipsimet testantur , ne de fide mea dubites. *Cum stercore , certavimus* , inquiunt Prædicantes. Cujus impulsu , nisi ejus , à quo reguntur ? Egregios verò luctatores & agonistas ; qui cum *stercore* dimicant. Quam lauream , quam adoream merentur , nisi ex eadem materia confectam ? Pag. 6.

Olim S. Paulus hoc mandatum discipu-

lo ſuo Timotheo dedit, *certa bonum certa-*
1. Tim. 6. *men.* Aut igitur Prædicantes bonum cer-
A tamen non certârunt, quando *cum ſtercore* certârunt; aut ſi bonum certamen certârunt, quando cum ſtercore certârunt; oportet, ut fateantur, S. Paulum inter cætera bona certamina, Timotheo etiam hoc certamen mandâſſe, quod cum *ſtercore* ſuſcipitur. Quàm pleni conſolatione, quàm cœleſti voluptate delibuti, ſub extremam vitæ horam clamabunt noſtri Prædicantes: *Bonum certamen certavi:* hoc eſt, *cum ſtercore certavi;* hoc enim ſuum certamen fuiſſe, fortiſſimi iſti Pugiles, ipſimet, ore ſuo proprio, propriiſque labris palam profitentur. O Pindare reviviſce, & ad ſuperas oras revertere; citharámque tuam, novis fidibus inſtruB ctam, tecum adfer, qua jam non Olympionicas, non Nemeonicas, non Iſthmionicas, ſed *Borboronicas* decantes, eorúmque Heroica facta immortalibus tuis Hymnis ad poſteritatem transmittas. Veni, veni, magne Vates, veni: hîc humeris tuis aptam materiam invenies, nempe novos *Borborianos* ſeu *Borboritas* ſeu ex Batrachomyomachia, *Borborocœtas.*
S. Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 6. S. Epiph. Hæreſ. 20. *Borboritas* vocant, inquit S. Auguſt. *quaſi cœnoſos: Alij Coddianos ipſos cognominant*, teſte S. Epiphanio. *Codda enim ſyriaca lingua dicitur patina aut catinus.*

C Sed liceat bona cum venia generoſiſſimorum athletarum noſtrorum vocabulum *Coddianorum* à Germanico Kot, ſeu Kot deducere; quod & ipſum incunabula ſua debere videtur Græco κόπρος, aut σκατόν. Sunt ergo illi, qui publicè de ſe prædicant; *Cum ſtercore certavimus*, Koddiani, ſeu Kothiani; Germanicè Kotig: cum qua originatione perbellè ſubſiſtit illa, quam S. Epiphanius adducit à *Codda*, hoc eſt, patina, ſeu catino; *Ex eo, quòd non poſſit aliquis cum ipſis cibum ſumere;* inquit S. Epiphanius, *ſed privatim, tanquam inquinatis, edulia dentur; & quòd non poſſit quis vel panem cum ipſis comedere propter inquinationem.* Ut igitur cum priſcis *Borboritis* ſeu *Coddianis* nemo cibum capere poterat propter ſordes & immunditiam; ita nec cum iſtis *ſtercutiis* quispiam munditiei amans communi menſâ utetur; quia cum *ſtercore* digladiari; & non maculari, contingere nequit, teſtibus ipſis Prædicantibus, qui ſtatim ipſo in limine ſui ſcripti lectorem, hoc Lutheri olentiſſimo diſticho ſalutant; Et per latrinas ad penetralia libri ſui introducunt.

Hoc ſcio pro certo, quia ſi cum ſtercore certo.
Vinco ſeu vincor; ſemper ego maculor.

D Sequitur ergo, Prædicantes Auguſtanos non ſecus ac *latrinarios*, eſſe maculatos, ſeu vicerint, ſeu victi fuerint, pugnando cum ſtercore, ut ſanè viriliter pugnârunt; quia publicitus ajunt: *Cum ſtercore pugnavimus.* Quid reſtat, niſi ut addant? Sordidati, inquinati, & *conſoriti* ſumus; non enim mentitur verſiculus ille Islebici *Foricarij: Vinco ſeu vincor; ſemper ego maculor.* Quocirca qui collutulari & *cloacari* reformidat, is propiùs ad Prædicantes Auguſtanos non accedat; nec epulis ſuis eos accumbere ſinat: ſed procul abſiſtere juſſis, propriam *Coddam*, hoc eſt, patinam ſeu ſcutellam apponat; ut factum olim cum vetuſtis *Borboritis* propter ſordes ex pugna cum ſtercore contractas; nec elotas, nec etiam eluibiles, licèt Prædicantes in Lyco non tantùm mergerentur, ſed & ſubmergerentur.

Cum ſtercore certavimus, inquit Venera- F
bile, ſeu, ut habet liber iſtorum pag. 14. *Venenabile* Miniſterium Prædicanticum; à veneno videlicet, quo & corpora & animas inficit. *Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis* vos Quinti Evangelij tubicines, ſi cum *ſtercore* certatis; qui ſanè bonum factum fecerunt, quòd digmata & inſignia, quæ hujusmodi Pancratiaſtis ſtercorariis competunt, ſtudiosè ſibi delegerunt & appenderunt; ejusmodi ſunt *Excrementa, quibus nos undequaque apud* G *omnes conſpurcent, coinquinent, & ſordident*, p. 7. *Excrementa ſuitica.* p. 75. *Forica.* Ibid. *Foria*, ſeu, ut Prædicantes mavolunt, *Foria*, cum quibus non pugnabo; nam qui cum *ſtercore certant*, meliùs hæc nôrunt, quàm ego. Ibid. *Latrinæ.* Ibid. *Sues.* Ibid. *Suitæ.* Ibid. *Foricarij*, qui Prædicantes *conforiant.* Ibid. Colluvies, p. 36. *Suiticum os.* p. 8. *Suiticus mos.* Ibid. & p. 22. *Suiticum roſtrum.* p. 50. *Suitici dentes.* p. 79. *Pleno* itidem *rictu* eructant, *grunniunt*, & *regrunniunt* Prædicantes noſtri, p. 51. 64.

Hæc & ſimilia certatores & pugiles no- H
ſtri de ſuis ſtemmatis; ut proinde operæ pretium facturus ſit Lutheranus Iconographus, qui Prædicantes Auguſtanos in æs incidit, ſi, loco inſignium, cuilibet aliquid horum apponat & appendat, *ſuem* nimirum, vel *roſtrum* ſuis, vel *os* ſuis; vel *retrimenta* ſuis, *Foricas*; vel aliud hujus generis, quòd à more & certamine hujusmodi Agoniſtarum non abludit; quandoquidem, ut ex inſpectione Prædicanticarum imaginum appareat, plerique illorum nudi ab hujusmodi gentilitiis digmatis proſtant: niſi quòd *Sauterus*, qui jam pridem ad plures abiit, cum ſuo Luthero Crucem in corde præfert. Et neſcio, quis terræ filius *Chriſtophorus Nieſchls* imaginem Crucifixi ſerto circumdatam. Sed hæc, quæ Prædicantes nominârunt, genio, moribus & luctis Prædicantium longè aptiora ſymbola dabunt.

CA-

CAPUT III.

Diverticula Ministerij Prædicantici Augustani.

A

B SUperârunt Prædicantes Augustani latinitate sua exspectationem meam. Nunquam credidissem, in hoc Ministerio, & apud *Quartadecimanos* istos reperiri tam promptam & expeditam latinè scribendi facultatem. Ecce enim ad Latinum meum opusculum, *quod Furias Prædicantium Augustanorum* inscripsi, quinque quaternionibus constans, honorabiles isti viri non nisi post quatuordecim menses, per suum *Hermam*, seu *Mercurium* & Interpretem Volcium responsum dederunt: non ex duodecim integris foliis coagmentatum. Forsan tot menses in hoc suo Apologetico concinnando consumpserunt; ut ex *Quartadecimanis* seu Quatuordecim Prædicantibus, cuilibet responderet suus mensis, æmulati nimirum & imitati symbolum Apostolicum, quod in duodecim articulos distributum, cuilibet ex duodecim Apostolis suam assignat gnomen seu sententiam.

Die vierzehner.

C Verùm ne Prædicantes lectoribus nimis *morosi* creditores, &, ut ita dicam, solutores viderentur, prudenter sanè egerunt, quòd Francofortensi Catalogo verno titulum libri sui quasi jam absoluti grandisonis vocibus inferendum curârunt, ut vel vanam celeritatis in respondendo famam colligerent, quandoquidem non poterant veram. Et tamen in hoc suo tam lentè edito libro, quid agunt? Quatuor quaterniones, seu, ùt Germani vocant, *Bogios*, recitandis Cambilhonianis ad Prædicantes Epistolis, & in narratione, quomodo Augustam venerit, & à venerabili Ministerio verbo Dei instrui; hoc est, bona offa, & cerevisia recreari postulârit; consumunt; nullo alio consilio, quàm ut in his lectorem detineant, & ab eo, quod primarium & palmarium est, remorentur. Scilicet hoc agebatur, ut lectores scirent, quid, quantum, & quomodo Volcius, & reliqui Prædicantes cum Cambilhone sive privatim, sive cum suo *Caipha*, hoc est, cum *Seniore*, in unum cœtum coacti, fabulati fuerint; & quomodo sycophantam Augustâ Ulmam, & inde in Wirtenbergicam ditionem deducendum curaverint.

D In his, ô Prædicantes, rei cardo non vertebatur; imò ne tangebatur quidem; sed in hoc: utrum Augustani Prædicantes libellum famosum foverint, sparserint, notificaverint, fovendóque, spargendo & notificando se earum pœnarum reos fecerint, quas leges & Canones in libellorum famosorum patronos, fautores, propugnatores ac disseminatores decernunt? Hîc fermè muti sunt Prædicantes: & si quid lallant, minùs id ad rem facit, quàm quod illorum pusiones *lallant*, *jattant* & *Tatant*, quando *Tatam* vel *Mammam* vident. E

Furiosissimè probare conantur, Relationem Cambilhonicam suo jussu, nutu, & approbatione in lucem non exîsse. Quorsum hoc? In quo, tametsi faciunt, quod Prædicantes solent, hoc est, tametsi mentiuntur; ùt probavi in Furiis Prædicanticis; an idcirco nulla supereſt alia ratio, qua potuerint libellum famosum facere suum, pœnásque Legum & Canonum de libellis famosis in caput suum accersere? Sed de hoc suo loco. Hujus generis diverticula passim suo in scripto Prædicantes quæritant, ne ad rem veniatur: at reducemus vel invitos; totísque etiam viribus obluctantes, in viam, & in gradu lineáque stare cogemus. F

Quale item effugium, & ad aliena prorsus lectoris abductio, quando Volcius ex Virgidemia à solœcismo Græco sibi objecto tam sollicitè se purgat; & quidem in hoc libello, ubi non de solœcismis Grammaticis, sed tantùm de barbarismis & solœcismis Ethicis ac Theologicis, hoc est, de erroribus ad mores fidémque spectantibus, disputatio instituitur. G

Objeceram Volcio, & annumeraveram, & quasi in statera appenderam, in prima parte *Virgidemiæ*, sexaginta duo mendacia: non pauca itidem in parte secunda; ut præteream fraudes, technas, sutelas, imposturas & sycophantias, quibus in argumento de *Flagellis* seu *Disciplinis* Talthybius iste sese obstrinxerat. Nunc ad omnia objecta silet: solum solœcismum digerere nequit. Convici Prædicantem mendaciorum, calumniarum, imposturarum, sycophantiarum. Omnia patientissimè patitur, omnia concoquit, omnia digerit, omnia, saltem tacendo, confitetur. Vocavi *solœcistam*. Id verò tolerare nequit. Hîc bilis effervescit. Si appellâssem Volcium furem, latronem, adulterum, depeculatorem, proditorem, *legirupam*, *bustirapum*, *fraudem populi*; respondisset cum illo symmysta suo apud Comicum: *sunt mea hæc ista: vetera vaticinamini*: At cùm à me commissi solœcismi postulatus est; hîc verò silere, facinus nefandum & agnitæ veritatis manifestam negationem duxit: qui, quod mihi persuadere conatur, se in Græcis oculatiorem esse Stephano, laborioso illo Thesaurographo; id me crediturum, nec vigilans, nec dormiens, nec dormitans, nec somnians in animum inducat credere. Sed satis Præloquij. Ad rem ipsam accedamus, & H

A num Prædicantes Auguſtani famoſum libellum foverint, ſparſerint, notificaverint, diſſeminaverint, & evulgaverint, accuratè diſpiciamus.

CAPUT IV.

Relationem Cambilhonicam eſſe libellum famoſum.

B PRobavi hoc fusè & perſpicuè in Refutatione Relationis cap. 2. & 3. & in Furiis Prædicanticis; & quia Prædicantes nihil contrà afferunt; aut ſi quid contrà afferunt, id totum fœneum ac ſtramentitium eſt; & poſtea diſſipabitur: ideo rem paucis hîc expediemus, allata ſolummodo libelli famoſi definitione, ſeu deſcriptione, quam Prædicantes ex dictis meis ipſimet ſibi fabricârunt; & ùt bonam probámque, libenter admiſerunt.

C *Libellus famoſus eſt ſcriptura ſeu charta*
Pag. 70. 71. *præter juris & æqui ritum ſparſa, qua quis proximum infamat, eique bonum nomen & exiſtimationem objectu criminis vel criminum ademptum tendit: nec obſtat,* etſi *ejusmodi chartæ ſeu libello famoſo nomen Auctoris ſit præfixum vel ſubfixum, præſcriptum modò via & ratione illegitimâ ad lædendam proximi exiſtimationem procedat: procedit autem tum, cùm talia ad magiſtratum legitimum non deferuntur, ſed extra forum & tribunal legitimum, abſque animo juridicè probandi id, quod proximo imponitur, in mobile & leve vulgus ſparguntur, vel iis offeruntur, qui de criminibus objectis non poſſunt juridicè cognoſcere, & legitimam rationem ad veritatis inveſtigationem inſtituere & inire: licèt inſuper Auctor chartæ profiteatur & conteſtetur, ſe ea, quæ in charta conciſiùs ſcripſerit, fuſiùs probaturum; habere tamen nihilominus ejus chartam, quidquid ad eſſentiam famoſi libelli pertineat.*

D *Agnoſcis deſcriptionem & concepta verba tua,* Gretſere, inquiunt Prædicantes. Agnoſcam vel in gratiam Prædicantium, qui ex variis meis dictis hanc deſcriptionem conſarcinârunt; nam ego longè adſtrictiorem deſcriptionem attuli, ùt videre licet in Furiis Prædicanticis: *Nos*
Pag. 71. *omnia pro confeſſis & certis jam ſuminus;* inquiunt Prædicantes; & ego vobiſcum, ô Evangelici fidicines, ex iisque tale argumentum contra vos extruo. Omnis libellus iis notis, de quibus jam dictum, inſignitus; verè, propriè, & ut ſic loquar, *realiter* eſt libellus famoſus. Libellus Cambilhonicus iis notis, de quibus jam dictum, inſignitus eſt, & quidem eximiè: Libellus igitur Cambilhonicus verè, propriè & *realiter* eſt libellus famoſus. Major claret ex deſcriptione libelli Famoſi. Minor ex inſpectione & lectione libelli Cambilhonici: nam aut iſte libellus famoſus, aut nullus unquam libellus famoſus à condito orbe extitit; quia teterrima, atrociſſima & truculentiſſima flagitia & facinora proximo objicit; via & ratione illegitima; non enim apud legitimum tribunal & magiſtratum; cui de his cognoſcendi jus & poteſtas; ſed extrà, apud leve vulgus; apud Prædicantes, apud rabulas, quis his dijudicandis ac decidendis nec conducti, nec conſtituti, nec inſtituti ſunt; ſine ullo animo deferendi ea ad competentem judicem, qui re diligenter diſcuſſa, & partibus auditis, ſententiam ex officio pronunciet. Eſt ergo Relatio Cambilhonica libellus famoſus; quidquid Prædicantes contrà garriant; quorum garritum poſtea diſpellemus. E

CAPUT V.

Prædicantes Auguſtanos eſſe reos pœnarum, quas Canones & leges libellis famoſis decreverunt, quatuordecim argumentis demonſtratur.

F IStud copiosè oſtendi in Refutatione Relationis, & in Furiis Prædicanticis. Idem denuò oſtendam; hoc tamen priùs admonito: Leges non ſolis Famoſorum libellorum ſcriptoribus, & conditoribus; ſed etiam Patronis, fautoribus, fotoribus, promotoribus & propagatoribus pœnas denunciare. Ita enim Lex. *Si quis famoſum libellum ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit,* Lib. 9 Cod. Juſtiniani. Tit. 36. & lib. 9. Cod. Theod. Tit. 34. *aut corrumpat priùs, quàm alter inveniat, aut mali confiteatur inventum. Si verò non ſtatim easdem chartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed earum vim manifeſtaverit, ſciat, ſe quaſi auctorem hujusmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum.*

G Et lib. 9. Cod. Theod. *Famoſorum infame nomen eſt libellorum. Ac ſi quis vel colligendos, vel legendos putaverit, ac non ſtatim chartas igni conſumpſerit, ſciat ſe capitali ſententiæ ſubjugandum.* Similia aliæ leges; quas ex Codice Theodoſiano ad calcem Apologiæ contra Relationem Cambilhonicam adjeci.

His accuratè animadverſis, progrediamur nunc ad ea, quæ propoſuimus, demonſtranda.

H I. Omnes illi, qui aliquem inducunt, ut libellum famoſum conſcribat, incidunt in pœnas libellis famoſis decretas: quia inducens in eadem navi cum faciente navigat. Prædicantes Auguſtani, oratione ſui *Hermæ* ſeu *Mercurij*, Volcii, induxerunt

A duxerunt Cambilhonem, ut Relationem *de ſtudiis abſtruſioribus Jeſuitarum*, hoc eſt, libellum famoſum deſcriberet; ergo Prædicantes Auguſtani inciderunt in pœnas legum de libellis Famoſis. Major certa eſt. Minor liquet ex Prædicantium verbis: ſic enim loquuntur: *Quæſitus*, Cambilhon, *ùt decuit, cumprimis cauſam, cur à Jeſuitis deſciſcere, & ad noſtras partes concedere vellet, aut quid occaſionem illi & cauſam faciundæ ſeceſſionis dederit, pauca præfatus; duo ſunt, inquit, quæ me, ut id facerem, impulerunt. Prius eſt, illorum doctrina, quam Verbo DEI contrariam quibusdam in articulis deprehendi. Poſterius, eſt vita illorum, mores & ſtudia, quæ ſic ſunt comparata, ut diutiùs cum illis verſari conſcientia prohibeat, fides pietásque vetet. Cúmque de his duobus prolixiùs diſſeruiſſet, tandem tentandæ explorandæque conſtantiæ cauſa, & quòd tum temporis majus commorandi ſpatium officij rationes non concedebant, quærebam* (Volcius hîc loquitur) *utrum, quæ peroraſſet, ſcripto comprehendere, nobísque exhibere vellet. Annuit homo, ſeque paratiſſimo animo eſſe, quæ dixiſſet, in literas referre.*

Pag. 12.

B Vides ergo Cambilhonem Prædicantium Auguſtanorum monitu inductum, ut ea, quæ voce ſtrictim coram Conſiſtorio Prædicantico de moribus Jeſuitarum mendaciſſimè deblateraverat, in literas referret, atque adeò libellum famoſum conderet. Reos ergo ſe fecerunt pœnarum, quas in tales famæ alienæ prædones ſacri Canones legésque civiles ſtatuerunt.

C II. Omnes illi, qui libelli famoſi ſcriptorem fovent, tecto recipiunt, & ſeu conſilio ſeu re juvant, ut famoſum laborem pertexat ac perficiat, incurrunt in pœnas libellis famoſis decretas; quia hac ſua opera in communionem ſceleris veniunt, non minùs ac is in participationem latrocinij venit, qui latronem fovet, & ut latrocinari queat, conſilio ac re ipſa adjuvat. Prædicantes Auguſtani Cambilhonem, dum libellum famoſum ſcriberet, foverunt, domo ac hoſpitio exceperunt; & tam re, quàm conſilio adjuverunt, ut inchoatum libellum famoſum ad finem perduceret. Iterum igitur Prædicantes iſti pœnas ſupradictas in capita ſua advocârunt.

D Major non eget probatione. Minor manifeſta eſt ex ipſorum Prædicantium teſtificatione, qui in ſuo libro tam ſuis, quàm Cambilhoni verbis prolixè referunt, quàm ipſi, ipſorúmque interventu alij in hunc libelli famoſi fabrum munifici ac liberales fuerint.

In Epiſtola ad Miniſterium Auguſtanum decantat Cambilhon his tibiis prædicanticam beneficentiam. *Vos pro ſingulari & admirabili veſtra pietate, ſuſcepiſtis exulem, conveſtiviſtis nudum* (famoſi libelli architectum) *cibâſtis & aluiſtis inopem, déque me in ſecurum & tranquillum portum transferendo, non ſecus ac de vobismet ipſis laboraſtis, ſudâſtis, &c. Quin & veſtra paterna cura fraternáque proviſione nactus hîc* (Auguſtæ) *ſum alterum Obadiam, qui me non ùt vetus ille Iſraëliticus, in gelido & muſcoſo antro occultavit: ſed in conclavi inſtructiſſimo & ſtrato molliſſimo poſuit: nec pane & aqua ſolùm, ſed ferculis delicatiſſimis & vino generoſiſſimo refecit.* En benignitatem, imò *dapſilitatem* Miniſterij Prædicantici in famoſæ chartæ artificem, & quidem eo ipſo tempore, quo infami hoc labore diſtinebatur, ſcilicet *ferculis delicatiſſimis* & *vino generoſiſſimo* ſpiritus mentiendi & calumniandi proritandus & calefaciendus erat, ut eò alacriùs munus ſuum obiret.

Pag. 16.

E

III. Qui libelli famoſi architecto viaticum ſuppeditant, & ducem itineris adjungunt, ut ea in loca ſecurus perducatur, ubi libellis famoſis liber eſt diſcurſus, illi criminis hujus, & per conſequens, pœnæ huic crimini debitæ participes ſe faciunt: Prædicantes Auguſtani Cambilhono, poſtquam famoſum libellum jam abſolverat; viaticum ſuppeditârunt, & ducem itineris adjunxerunt, ut tutus ea in loca perveniret, ubi hæreſis impunè regnat. Sequitur ergo denuo concluſio Prædicantium capitibus, cervicibus & tergoribus moleſta & exoſa. Major clara eſt; quia tales non ſunt juvandi, ſed potiùs legitimo magiſtratui ſiſtendi, ut aut probent, quæ ſcripsêre, aut, ſi probatione deſtituantur, promeritas pœnas pendant. Minor conſtat ex Confeſſione Prædicantium & Cambilhonis, qui in Epiſtola ad Volcium. *Quòd Reverendi Domini adjuncturi mihi ſunt fidum aliquem comitem, habeo maximas gratias, idque ut fiat, oro.* Ipſimet Prædicantes: *Digreſſus à nobis, cùm jam ad agrum Wirtebergicum, proprio à nobis illi adjuncto comite, deductus perveniſſet; è medio itinere Epiſtolam remittit, &c.*

F

Pag. 24.

Pag. 27.

G

In qua Epiſtola duo ego miror, alterum, quòd Cambilhon dicit: *Morbi atrocitate totus ſum exeſus.* Num laborabat *Gallica lue*, aut gangræna? nam hi morbi corpus exedere ſolent. Alterum, quòd jam integrum fermè viaticum, Auguſtæ ſuppedidatum, in tam brevi itinere, tam paucis diebus, abſumpſerit, vel potiùs abliguriêrit. Id ipſe teſtatur, in hac ipſa, de qua ſermocinamur, Epiſtola. *Rogo autem vos, Reverende Pater, & filiali obſervantia & fiducia, ut ſuccurratis mihi adhuc aliquantillo ſubſidio. Reliquos adhuc habeo duos aureos.* (en curtam crumenæ ſupellecti-

H

A pellectilem) *à Domino* N. N. *dono mihi datos, quos optamus in ejus memoriam servare,* (& de collo suspendere, ùt solent Aulici Principum suorum numismata, gratiæ & benevolentiæ argumenta, ex sericis filis suspensa circumferre & ostentare) *necdum subduxi cum hospite rationes &c.* cujus mitigandi gratia accinere debebas illud non ex Catholicis, sed ex Lutheranis Litaniis, *Propitius esto;* idque non semel, sed sæpius.

B IV. Qui libellos famosos sibi inscribi, & suis nominibus prænotari libentes volentésque patiuntur, ij satis indicant, se libellos famosos eorúmque auctores non improbare, & sic tam chartas famosas, quàm culpam & pœnam suas faciunt. Prædicantes Augustani libentes volentésque passi sunt libellum famosum à Cambilhone confectum sibi inscribi, & nominibus suis prænotari. Tam plumbeos igitur Prædicantes non censeo, quin videant, quæ conclusio hinc denuò consequatur. Minor probatur ex Manuscriptorum exemplarium Cambilhonici libri inspectione. utrique enim parti præfigitur ista Epigraphe *Ad venerabile presbyterium Augustæ Vindelicorum.* Nec diffitentur hoc cum suis *honorificabilitudinatibus* Prædicantes.

C V. Qui apud se libellum famosum deponi patitur, eúmque asservat; is fit sæpe dictarum pœnarum particeps. Prædicantes Augustani passi sunt Cambilhonis famosum libellum apud se deponi, & de hoc etiam gloriantur, ùt videre est p. 32. & p. 9. Ergo &c.

VI. In easdem pœnas incurrit, qui libelli famosi parentem aliis commendat, ut adjuvetur & promoveatur; Volcius hoc fecit. Probo ex fragmento Epistolæ Germanicæ, quod Volcius Prædicantico scripto inseruit, ubi Noctuinus nescio quis ad nescio quem, **welchem** (Cambilhono) **hat Herr** Volcius commendatitias literas **an Herrn** D.N.N. **allhie gegeben. Meine Herren haben ihm** 8. **Gulden** pro viatico **geben: darzu haben andere Privat Personen auch etwas gethan.** Pag. 65.

D VII. Is reus est sæpè dictarum pœnarum, ad quem pro apographis & exemplaribus libelli Famosi obtinendis, alii ablegantur. At ab hoc ipso *Noctuino*, de quo paulò antè, ij, qui hujus famosi libelli desiderio tenebantur; ad Volcium ablegantur, ut inde sibi exempla petant, quibus lectitandis sitim suam expleant. Sic enim scribit ille: Pag. 65. Cambilhon **hat etwas** de abstrusioribus studiis & sanguinariis consiliis Jesuitarum **auffs Papier gebracht, ihr werdens bey Herrn** Volcio **zu Augspurg wol bekommen können, ihr wolts so eheſt hierüber schicken.** Religioni autem sibi Volcius duxisset, si postulanti apographum id denegâsset, ùt postea audiemus.

VIII. Qui reperit libellum famosum, nec abolet, in pœnas legum incurrit. Prædicantes Augustani non repererunt, sed oblatum sibi libellum famosum obviis ulnis acceperunt; ùt ipsi palàm & impudenter in utroque suo scripto fatentur: neque de eo abolendo vel flammis absumendo ullam unquam cogitationem susceperunt. Ergo. E

IX. Ex lege Valentiniani & Valentis lib. 9. Codicis Theodosiani Tit. 34. capitali pœna afficiuntur, qui libellos famosos vel colligendos vel legendos putaverint, ac non statim chartas igni consumpserint. At Prædicantes Augustani libellum famosum non modò colligendum, legendum, nullóque modo concremandum censuerunt, sed & tanquam pretiosum depositum studiosè asservârunt, hodiéque asservant; cogitent igitur, quæ in ipsos sententia pronuncianda esset, si in Curia Valentiniani & Valentis causam dicere debuissent. F

X. Qui vim libelli famosi manifestat, G hoc est, qui patefacit, quid libellus famosus complectatur, is quasi Auctor hujusmodi delicti, fit reus capitis, ùt Lex Valentiniani & Valentis disertè affirmant. Prædicantes Augustani vim famosi libelli Cambilhonici manifestârunt, & quid in eo contineretur, aperuerunt: ùt ipsimet Prædicantes disertè fatentur his verbis: *Et* Pag. 32. *hoc est scriptum illud*, (geminum scilicet, cujus prior pars causas conversionis seu perversionis Cambilhonicæ comprehendit, altera tota in studiis Jesuitarum abstrusioribus famosè comminiscentis consumitur) *quod Cambilhon nobis Confessionis & Apologiæ loco, præfixo & ad calcem suffixo nomine suo, tradidit, quod nos citra dubitationem* (de hoc ego quidem non dubito) *culpámque omnem* (hoc abnuo) *non accepimus modò, legimus, reservavimus, & adhuc reservamus, sed aliis etiam viris doctis, legendum tradidimus & exhibuimus:* hoc est, ut Prædicantium interpretem agam; Omnia illa fecimus, quæ lex de libellis famosis vetat, & quibus factis capitale supplicium infligit. qui autem sint viri illi docti, cum quibus Prædicantes libellum famosum communicârunt, breviter nobis exponit *Noctuinus* ille, de quo suprà in Epistola, cujus frustillum Prædicantes recitant. **Es gehet** (des Cambilhonis **Schmach- und Laster-Schrifft**) **schon hie auch unter der Pursch umb.** Ubi illud, **hie**, *hic*, *Ulmam*, si bene conjecto, denotat. Et nota illud: **Unter der Pursch.** Hi sunt *viri illi docti, auctoritate, prudentia, rerúmque usu peritissimi, gravissimi, clarissimi & nobilissimi.* His enim *superlativis* elogiis efferunt Prædicantes illos, quos alter candidè nominat **die Pursch**, hoc est, leve & ignobile Pag. 66. H Pag. 31.

A ignobile vulgus, imperitámque multitudinem.

B Nec evadent Prædicantes, licèt libelli vim famosi nemini, nisi eruditissimis, clarissimis & nobilissimis patefeciſſent: quia lex vim libelli nemini simpliciter vult manifestari, sive doctus sit, sive indoctus, sive clarus, sive obscurus, sive nobilis, sive ignobilis.

C Sed ajunt Prædicantes, se etiam libellum hunc iis legendum tradidisse, quorum partim officii ratione interfuerit, scire, quis libellus iste esset, & quo sanguine cretus. Hîc tandem laudo Prædicantes, hîc factum tandem Evangelicum, suóque Ministerio consentaneum perpetrârunt: Sed hanc laudem duo obscûrant, primum est, quòd vim libelli famosi etiam manifestârunt illis, quorum id scire non intererat, nempe der Pursch, vulgo, & plebeculæ, aliísque privatis. Quo ipso in legem commiserunt, & in ejus pœnas inciderunt. Secundum est, quòd non explicant, quinam sint illi, quorum ex officio intererat, vim famosi libelli nôsse. Num sunt IIviri? Num septemviri? Num denique ipse totus clarissimæ urbis Augustanæ amplissimus Senatus? Certè si Prædicantes hisce ullum tam famosi libelli indicium legitimè & juridicè feciſſent, ipsi pro ea, qua quietis publicæ conservandæ cura tenentur, sedulò operam dediſſent, ut, quod Leges & Canones de libellis famosis præcipiunt, ad rem conferretur, & hic tam pestifer partus in ipsis incunabulis opprimeretur. Aliud est deferre aliquid ad aliquem, ùt magistratum gerit; aliud, ad illum, qui magistratum gerit, at non ùt ad talem, sed ùt ad Prædicantium vel *compatrem*, vel *fautorem*, vel *Mecænatem*, quod Prædicantes feciſſe si dubitarem, moris Prædicantici parùm gnarus meritò haberer.

D Observa autem incredibilem Prædicantium mentiendi pruriginem, qui scribere
Pag. 52. non verentur ista. *Non enim Relationem, quam ipsi famosam chartam vocant, nobis tradidit Cambilhon, sed confessionem fidei & Apologiam, quam Gretserus ipse suprà è catalogo libellorum famosorum expunxit, & disertè excepit.* Ubi quid Prædicanticæ, hoc est, effrontis inverecundiæ & mendaciloquentiæ priùs mirer, anceps hæreo. Negant sibi traditam à Cambilhone posteriorem sui scripti partem, quæ est de *abstrusioribus studiis Jesuitarum.* Et tamen hoc ipsum alibi expresè confitentur: & utriusque partis authenticum seu primigenium exemplar apud se extare, palàm ajunt:
Pag. 31. Nam ità scribunt, *Quamprimum verò* Cam-
Pag. 15. bilhon *hanc alteram etiam partem* quæ est de studiis abstrusioribus Jesuitarum) *absolverat, mox eam nobis cum priori, sicque utramque simul confessionis loco tradit.* Qua mente igitur postea, quod tam apertè asseruerant, inficiari audent? E

Fortè dicent: sibi non traditam à Cambilhono Relationem typis excusam; Aut F
non fuisse traditam absque priore parte, qua suæ perversionis stultissimas non causas, ùt causas reddit. At quis de hoc ambigebat? Aut quid hoc ad rem? An non est una eadémque Relatio, quæ manu & quæ typis descripta est? Si igitur ista libellus famosus est; cur non & illa? An vel unica criminatione altera minus, quàm altera continet? An calamo & formulis æneis exaratum esse, differentiam essentialem inducit, ùt & illud: conjunctum aut abjunctum esse à parte priore? O Strophas & Sutelas Prædicanticas! Et tamen scribere non reformidant. *Hoc posterius scrip-* Pag. 42.
tum seu *Relationem publici juris factam, nobis perinde est, quo loco Jesuitæ eam habeant, vel alii etiam habere velint. Per nos liberum est cuivis de ea judicare. Ad nos certè ea nihil pertinet, utpote, quibus cum ea nihil est negotii aut commercii.* Quomodo nihil ad vos pertinet Relatio typis excusa, cùm ejus originarium exemplar apud vos asservetur? Quomodo nihil vobis cum ea negotii aut commercii, cùm, quod alii à prælo Typographico habent, vos à manu & calamo ipsius Auctoris & fabulatoris, vel potiùs Criminatoris possideatis? Quomodo nihil ad vos, cùm editum exemplar à vestro nihil dissideat; cùm sit unum & idem; nisi quòd alterum manu, alterum prælo descriptum est?

Nam quòd præterea Prædicantes ajunt, G
Gretserum, manuscriptum exemplar apud Prædicantes depositum *è catalogo libellorum famosorum expunxisse, & disertè excepisse*: id disertissimum est mendacium: ab iisdem Prædicantibus etiam p. 40. adhuc impudentius effusum: nam Gretserus in
Furiis Prædicanticis hoc dixit; se in Refu- Pag. 815.
tatione Relationis Cambilhonicæ, cùm eam libellum famosum appellavit, de impressis, & per typographicas formulas totâ Germaniâ Latinè & Germanicè sparsis exemplaribus locutum esse: non impressa ejusdem Relationis exemplaria, non esse H
libellos famosos, nunquam somniavit Gretserus, tantum abest, ut id asseruerit; optimè gnarus, Prælo typographico excusum, vel solo calamo exaratum esse, non mutarè libri substantiam. Imò cùm Prædicantes in *Retorsione sua* affirmâssent, exemplar suum ideò in famosis libellis numerari non debere; quòd nomen Cambilhoni præscriptum & subscriptum haberet; Gretserus copiosè demonstravit, nominis additionem non facere, quò minùs liber alienam famam & existimationem lacerans,

A sit liber famosus: quod num ita sit, cu-
Pag. 825. pio, ut Lector cognoscendi causa, ad Furias Prædicanticas revisat, & postea quid de mendaciloquis istis *Furippis* sentiendum sit, apud animum suum constituat. At nunc in viam, à qua nonnihil deflexisse videri possumus, revertamur.

B XI. Reus est pœnæ famosis libellis decretæ, qui permittit, ut inde manuscripta exemplaria desumantur & spargantur: Prædicantes Augustani hoc permiserunt; tum quia multis scriptum Cambilhoni legendum tradiderunt; ut ipsimet haud diffitentur: Ex quorum numero neminem fuisse, qui apographum inde sumeret, credere non finit multitudo exemplarium hujus libelli, quæ Augustæ circumvolitabant: tum quia si non rogâssent, ut Cambilhon sua convicia literis mandaret, nulla utique famosæ chartæ exemplaria nata, multóque minùs tam ubere proventu disseminata fuissent: tum denique, quia si primigenium exemplar cum suo Auctore ad legitimum Magistratum Prædicantes juridicè remisissent; è vestigio huic pesti obviam itum fuisset; nec ullum exemplar in publicum emanâsset. Nunc cùm nihil horum fecerint, meritò illis multiplicatio libelli famosi adscribitur. Meritò etiam pœnarum, quæ hos libellos comitantur, Rei pronunciantur; nam si Prædicantes honestatis & æquitatis tam fuissent amantes, quàm cupidi fuêre Jesuitis maledicendi & malefaciendi, turpissimus iste fœtus nunquam ex fœdissimis Cambilhoni lumbis in lucem exiisset, tantum abest, ut tantis incrementis adauctus per omnia compita volitâsset.

C XII. Qui causa est, ut liber famosus typis excudatur, is pœnis Legum & Canonum de libellis famosis se se obstringit: Prædicantes Augustani causa sunt, saltem mediatè, cur liber famosus Cambilhonis typis excusus sit: quia si Cambilhonem cum sua Relatione ad corvos abire jussissent, Relatio vel nunquam exiisset; vel statim funditus interiisset. Obstrinxerunt igitur se pœnis illis, quas Leges & Canones libellis famosis jam pridem constituerunt.

D XIII. Qui causa est, ut liber famosus in Germanicam & Gallicam linguam transferatur, is reus fit pœnarum, quas leges & canones jam pridem hujusmodi chartarum conditoribus sanxerunt. Prædicantes Augustani causa sunt, cur famosus liber Cambilhoni in Germanicam & Gallicam linguam translatus fuerit: quia nisi libro huic Auctoríque ejus favorem, & patrocinium præstitissent; non modò Germanicè & Gallicè, sed ne Latinè quidem unquam locutus fuisset.

XIV. Qui causa est, cur editio tam Latina, quàm Germanica libelli Famosi Cambilhonici sæpè diverso habitu, & titulo in E publicum prodierit, is obnoxius est pœnæ legis de libellis famosis. quia talis libellum famosum fovit & propagavit: Prædicantes Augustani hujus rei causa sunt; absque illis enim fuisset, nunquam nescio quis è Batavia *Petrus de Wangen* Physiognomiam suam Prædicanticam, non Jesuiticam; famoso libello Cambilhonico crassiorem & inverecundiorem reddere potuisset: qui tamen, saltem quoad hoc, laudem meretur; quòd *Joannis Cambilhonis* nomen adjecit; cùm id in cæteris Typographicis editionibus non compareret. Neque etiam alius sine nomine Germanicus Rabula Relationem hac nova inscriptione insignivisset, & velut viridante hedera appensa vendibiliorem effeciset. Jesuiter Collegiumbs wahre und leibhafftige Contrafactur. Sed tu in eo libro nihil invenies, nisi infamem sycophantam Cambilhonem cùm Anonymi maledica præfatione, calumniosis scholiis, marginalibus & ejusdem sortis appendice, in quam conjecit versus nonnullos Græcos, cum F eorundem latina interpretatione, non modò compositis, sed & ter quatérque compositis vocabulis constantes, quos profligatè mentitur Patris in Achaia, & alicubi in Italia in antiquo marmore fuisse repertos ante aliquot centenos annos, vetustissimis characteribus exaratos, cùm ex officina Lutherani Crusij processerint: quósque Dinnerus in opere Epithetorum Græcorum *in Papistas* inscribit; iste *Jesuitarum ideam* nominat. Sed hæc & similia nihil aliud sunt, nisi fanaticorum Literionum calumniæ, à Crusio procusæ, à Neandro, Dinnero, & hoc tenebrione repetitæ. Quæ pauculis verbis mutatis in Prædicantes Luthericolas & Calvinicolas retorqueri possunt; ùt & factum in libello, qui indigitatur: *Bona nova de Historia Ordinis Jesuitici.*

Ex his ergo huc usque adductis argu- G mentis luce clariùs apparet, Prædicantes rebus suis in hoc Cambilhonico negotio pessimè consuluisse; cùm tam petulanter & flagitiosè alieni criminis participes fontésque se se reddiderunt.

CAPUT VI.

Solvuntur argumenta, quibus Prædicantes probare conantur, Relationem Cambilhonicam non esse libellum famosum.

AUdiamus & discutiamus nunc argu- H menta, quibus Prædicantes evincere nituntur, Relationem Cambilhonicam non esse libellum famosum.

I. Cam-

A I. *Cambilhon ſcripſit Relationem iſtam ſui purgandi cauſa ; ergo non eſt libellus famoſus.*
pag. 31.

B Reſpondeo ; cuivis Apoſtatæ ab his Prædicantibus paratam defenſionem hoc argumentulo ſuppeditari : Quidquid enim quis mentiatur, quidquid calumnietur, quibuscunque probris & opprobriis in chartas miſſis cætum, à quo deſciſcit, laceret ac inſectetur, oggeret, hæc & ſimilia, ſui purgandi gratia, ſcriptitâſſe & diſperſiſſe. Faciamus, ex veſtro Prædicantico conſortio diſcedere ſymmyſtam quempiam, qui per publicos libellos poſtea ſpargat, Volcium & utrumque Rülichium, eſſe adulteros, fures, depeculatores, homicidas, infanticidas, proditores, necromanticos ; num ideò acquieſcent & conticeſcent, ſi ille dicat : ſe Prædicantes iſtos, ſui purgandi gratia, tam gravium facinorum & flagitiorum accusâſſe?

C Deinde, pulchra ſanè ſui purgandi ratio eſt, mentiri, criminari, ſycophantari. Præterea, poſito, quòd talis vera proferret, non tamen ſe purgaret, ſed macularet, eo ipſo, quòd vera modo illegitimo, hoc eſt, extra legitimum tribunal, & absque animo ea juridicè probandi proferret. Nam ſi quis *devotionis ſuæ*, atque adeò innocentiæ, *& ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur ;* ita præcipit Lex : *& quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio dicat, ita, ut absque ulla trepidatione accedat ; ſciens, quòd ſi aſſertionibus ſuis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam, & præmium à noſtra clementia conſequetur.* Hæc eſt vera ſui purgandi ratio, præſcripta ab Imperatoribus, recepta tot ſæculorum uſu ac conſuetudine: adverſùs quam dum Prædicantes brachia tendunt, genium & ingenium ſuum calumniatorium manifeſtè produnt.

D II. Argumentum. *Cambilhon hac ſua*
pag. 32. *Relatione voluit edere confeſſionem & Apologiam ſuæ fidei : ergo non eſt libellus famoſus.*
pag. 15. Hoc argumentum vel potiùs deliramentum Prædicantes non ſemel vel apertè promunt, vel tacitè innuunt. Reſpondeo, ſi mentiri & calumniari eſt profeſſio & Apologia fidei Lutheranæ à Cambilhone ſuſceptæ, tum libenter fateor, fidei Lutheranæ Confeſſorem & Apologeten magis idoneum obtingere non potuiſſe, quàm ſit Cambilhon : quia eſt mendaciorum & criminationum loquaciſſimus. Si quis à Lutheraniſmo Auguſtano ad Catholicam religionem, vel etiam ad Calviniſmum vel Anabaptiſmum tranſiens, de Miniſterio Auguſtano Prædicantico tam horribilia ſcelera quaquaverſus per calamos & typos diffunderet, omnésque angulos talibus chartis oppleret, an Prædicantes Auguſtani contenti eſſent, ſi reſponderetur, hunc talem fidei ſuæ Confeſſionem & Apologiam edere, & conſtantiæ ſuæ ac ſeriæ converſionis ſerium ſpecimen edere voluiſſe? Mirabilem fidem Lutheranam eſſe oportet, ſi ejus profeſſio & defenſio non nititur niſi diffamationibus, quas Leges civiles capitali pœna ; Canones autem flagellatione aliisque pœnis afficiunt? E

III. Argumentum. *Cambilhon non tantùm tradidit nobis Relationem, de ſtudiis abſtruſioribus Jeſuitarum ; ſed etiam ſcriptum aliud, quibus cauſas ſuæ converſionis exponit ; ergo Relatio illa non eſt libellus famoſus.*

Perinde eſt, ac ſi dicerent Prædicantes : F Æſopus nobis datus eſt cum *Poſtilla domeſtica* vel *ſermonibus ſympoſiacis Lutheri :* ergo Æſopus non eſt Æſopus ; quia cum Luthero junctus fuit. Quæſo, num liber mutat naturam, eò, quòd cum alio copuletur, vel alicui ita copulatus tradatur? Scribat quis in Prædicantes Auguſtanos talem librum, qualem ſcripſit Cambilhon in Jeſuitas, eúmque vel cum ſacroſanctis Bibliis compingendum, & inſeparabiliter agglutinandum curet, videamus, num Prædicantes talem idcirco librum non ſint habituri & proclamaturi pro famoſo, quòd cum Bibliis compactus ſit. Horribiliter autem mentitur venerabile Miniſterium Prædicanticum, cùm ita ſcribit : *Contra Apologiam nobis traditam ne literam* Pag. 43. 44.
ſcripſerunt Lojolitæ Ingolſtadienſes, ſed altum de ea tenuerunt ſilentium, non ſine multorum G
admiratione. Os, & ex præduro robore fabricatam frontem Prædicantium! An nihil duo iſti Jeſuitæ contra Apologiam vobis traditam? An Relatio de ſtudiis Jeſuitarum non fuit vobis tradita? An non hanc Jeſuitæ ex inſtituto in Refutatione Relationis Cambilhonicæ refellunt & profligant? An aliam vobis Cambilhon dedit Relationem, quàm quæ priùs calamo, poſtea etiam typis latiſſimè diſperſa fuit? An qui apographum ſeu exemplar, ſeu ùt vocant *Tranſcriptum* & *Tranſumptum*, alicujus Prototypi ſeu Autographi refellit, non ipſum etiam Prototypum ſeu Autographum refellit? Periculum eſt, ne Prædicantes iſti dicant, nos nihil ad eorum ſcriptum reſpondiſſe; quandoquidem dum reſpondimus, non ipſum Prædicanticum Autographum, ſed exemplar Tubingæ impreſſum inſpeximus. Deinde, ſi Prædicantes loquantur, ùt quidem loqui videntur, de Cambilhonis ſcripto, quo cauſas ſuæ perverſionis reddit, an non Gretſerus in primo ſuæ Apologiæ Capite lectori indicavit quid in primo itidem ſcripto Cambilhonico inſit? An non percenſuit & ridendo refellit articulos nonnullos, quibus ſe Cambilhon aſſentiri ajebat? Quomodo igitur Jeſuitæ adverſùs Apologiam vobis traditam nullam literam ſcripſerunt? ô intolerandam mentiendi & crimi- H

A minandi vesaniam? Sed pergunt Prædicantes.

pag. 42. IV. Argumentum. *Relationem, quæ typis excusa est, esse mutilatam & truncatam; ut diversam à priore scripto sibi tradito faciem nacta fuerit: suum ergo exemplar non posse haberi pro libello famoso, quidquid sit de Relatione typis evulgata.* Respondeo, mentiri Prædicantes: nam nè lac quidem cum lacte, nec ovum cum ovo ita examussim convenit, sicut Relatio typis excusa, cum calamo exarata, ùt ex collatione utriusque, cuivis intelligere promptum erit. Nihil in Relatione impressâ omissum est, nisi nomen *Presbyterij* (Prædicantici) *Augustani*, noménque & cognomen *Joannis* B *Cambilhonis*; nihil, inquam, penitus, præter hæc duo, omissum est. Quocirca si impressa Relatio liber famosus est, ùt re vera est, etiam calamo scripta & apud Prædicantes deposita Relatio, liber famosus erit; quia totidem verbis, iisdémque prorsus conviciis, mendaciis, ac sycophantiis Jesuitarum vitam & mores lancinat & lacerat, quibus Relatio excusa, imò una eadémque est, nec aliter differunt, quàm ùt autographum & apographum; sivè ùt *originale*, & *Transcriptum* seu *Transumptum*: nam nomen Auctoris & Prædicantici Ministerii Augustani additum vel detractum, non immutat essentiam libelli.

C pag. 42. Ridiculum porrò est, quòd Prædicantes nugantur, Jesuitas, vel eos, qui Relationem Cambilhonicam evulgârunt, *perinde fecisse, ac si quis ex Apologia prolixa Stephani, aut Prophetarum concionibus, tantùm id excerperet, & nudo absque ullo Auctoris nomine poneret seorsim, ubi Judæos, homicidas, adulteros, perfidos, latrones vocant, indéque Stephanum vel Prophetas editi libelli famosi postularet.* Egregiè ô egregij Præcones! pulchrè, benè, rectè. At dicite, num vel unum verbum, præter Cambilhonis & vestri presbyterij nomina, ex impressa Relatione expunctum & obliteratum est? Num vel unus apex præteritus, quo præsente, Relatio famosi libelli naturam exueret, & ad stationem honestarum chartarum transiret? Dicite, iterum moneo, ô Prædicantes, numquid hujus generis in excusa Relatione erasum D sit, quod in Autographo, & manuscriptis exemplaribus inde petitis reperiatur? nam quòd prior libri pars, qua Cambilhon causas suæ perversionis reddit, omissa est, id nihil ad rem facit; quia, ùt prior pars per se absolutum & à posteriore independens opusculum est; ita & posterior pars per se absolutum, & à priore parte independens opusculum est; integri sensus, tametsi sycophantici; integræ sententiæ, tametsi famosæ, legibúsque humanis & divinis vetitæ.

At quòd Cambilhonica convicia & mèn- E
dacia cum reprehensionibus S. Stephani & sanctorum Prophetarum confertis, jam non modò injurii, sed & impii ac blasphemi estis. Ostendite, Cambilhonem, agente & impellente Spiritu sancto, suas criminationes & pseudologias effudisse; & tum patiar, ut componatur cum S. Stephano & Prophetis, qui ùt Spiritus sancti singulari instinctu locuti sunt, quidquid in hoc genere locuti sunt; ita & S. Lucas aliíque Scriptores Canonici, Spiritu sancto agente, mentémque ac calamum dirigente, reprehensiones & conciones Sanctorum in literas retulerunt. Num hoc de vestro Cambilhone verè prædicare potestis, ô Prædicantes?

V. Argumentum. *Plurimi legerunt Re-* F
lationem Cambilhonicam, etiam viri docti, au- pag. 31.
ctoritate, prudentia, rerúmque usu peritissimi, gravissimi, clarissimi & nobilissimi: ergo Relatio Cambilhonica non est libellus famosus. Idem argumentum repetunt Battologi nostri pag. 36.

Respondeo, multitudinem delinquen- G
tium non minuere delictum, sed augere potiùs: & si hoc argumentum aliquid ponderis ac valoris habet, vix ullus liber famosus erit; quandoquidem nullus liber est, qui innumeros lectores non inveniat, quantumvis in proximi famam & existimationem immaniter grassetur ac debacchetur: imò plerúmque fit, ut, quò libellus famosior & calumniosior est, eò plurimorum palato jucundior accidat. Scribat quis in Prædicantes Augustanos libellum similem Cambilhonico, postea de libello famoso ab iisdem accusatus respondeat; libellum abs se vulgatum à plurimis fuisse lectum; non ergo libellum famosum esse: videamus, quid responsi ad hoc responsum Prædicantes sint daturi.

VI. Argumentum. *Relatio excusa liberè* H
est venundata, distracta, lecta ab omnibus pag. 42.
summæ & infimæ sortis hominibus, impunè planéque liberè, citra cujusquam hominis interdictum aut impedimentum, quod aliàs in famosis libellis fieri non solet. Ergo Relatio illa non est libellus famosus. Argutè; quasi ea nunc sint tempora, quibus legibus & Magistratui suus stet salvus & illibatus honor; non potiùs ea, quibus fera regnat Erynnis. Circumvolitant famosi libelli in ipsum sacratissimum Imperatorem, in serenissimos Archiduces Austriæ, & Duces Bavariæ; ut de Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, Clericis, Monachis nihil dicam; impunè venduntur, distrahuntur, leguntur; an ideo non sunt libelli famosi? Quanquam falsum est, Relationem Cambilhonicam ubíque impunè lectam. Coloniæ enim Bibliopola, qui exemplaria hujus Relationis eò advexerat, jussu Amplis-

A plissimi Senatus, in carcerem compactus
cap. 9. est, ablatis universis exemplaribus, ùt
pag. 813. dixi in Apologia.

pag. 33. VII. Argumentum. *Cambilhon fortè Relationem istam conscribere voluit, ut exoneraret pacarétque afflictam conscientiam suam, in honorem Dei, agnitæque veritatis assertionem: ergo Relatio Cambilhonica non est libellus famosus.*

B Respondeo, à quolibet cujuslibet libelli infamatorij conditore hunc prætextum obverti posse. An ideo vim legis evadet? Addo, scribat quis in Prædicantes Augustanos talem librum, qualem scripsit Cambilhon in Jesuitas; & postea dicat; se hunc librum scripsisse *exonerandæ, pacandæque afflictæ conscientiæ causa; in honorem Dei, agnitæque veritatis assertionem & propagationem inprimis Ecclesiæ, patriæque salutem, cujus plurimum intersit; nôsse, Augustanos Prædicantes esse adulteros, Magos, homicidas, proditores, uno verbo, bipedum omnium & quadrupedum teterrimos & facinorosissimos nebulones;* Num Prædicantes in hoc responso acquiescent, bonúmque factum ab isto esse ferent?

pag. 33. VIII. *Tales libros scribere, qualem scripsit Cambilhon, pertinet ad Ecclesiæ emolumentum; ergo non est liber famosus.*

C Respondeo; non pertinere ad Ecclesiæ Catholicæ emolumentum; sed ad synagogæ hæreticæ incrementum. Non enim diffiteor, Lutheranam & Calvinianam perfidiam, ex hujusmodi libellis munificè auctam esse, hodiéque augeri. Scribe & evulga similia de Volcio, Rülichio, & aliis de grege Prædicantico Augustano, & dic, hoc spectare ad Ecclesiæ propagationem, & conservationem; quid Prædicantes recantaturos existimas?

pag. 33. IX. *Legibus divinis & humanis tenemur ea, quæ noxia sunt, ab Ecclesia & Republica avertere, & ut avertantur, procurare; ergo, qui libellum publicat, quo aliquorum perniciosam hypocrisin, & gravia scelera detegit, & in apertum protrahit, ille libelli famosi accusari nequit.*

D Respondeo; Omnes obstringi, ut pericula & damna ab Ecclesia & Patria amoliantur; sed modo legitimo; qualis non est iste, per hujusmodi calùmnioſos libellos, sed is, quem leges præscribunt, ut scilicet ille, *qui publicæ salutis custodiam gerit, nomen suum profiteatur, nimirum coram legitimo magistratu, & quæ per famosum libellum persequenda putaverit, ore proprio edicat*, videlicet apud legitimum Magistratum, cui potissimùm cura salutis communis incumbit: alioqui latissima fenestra quibusvis rabulis in proximi famam sæviendi patefieret; & quò quisque nequior esset, eò se hac excusatione Prædicantica promptiùs excusaret; etiam adversùs ipsos Prædicantes, si quid in eorum vitam morésque evulgaret. E

Oggrunniunt Prædicantes: *Nemini vitio verti debere, licèt extra forum & tribunal politicum, crimina propalet, cum falsorum doctorum infamia & dedecore; modò vera sint, quæ de illis scribuntur & dicuntur.*

Respondeo I. ecquando tandem vera esse probabitis, ô Prædicantes, quæ vos cum vestro Cambilhone de Jesuitis dissipâstis?

Respondeo II. me jam in Apologia cap. 2. cum gravissimis Juris utriusque Doctoribus & Interpretibus docuisse; eum, qui etiam vera crimina per libellum famosum de proximo suo spargit; severitatem legum & Canonum non effugere: cujus contrarium cùm Prædicantes hactenus non demonstrârint, non est, cur hîc diutiùs subsistam.

X. Cambilhon disertè profitetur *se de visis, auditis, perceptis compertísque scribere, & se omnia suo tempore fusius tractaturum. Ergo Relatio Cambilhonica non est libellus famosus.* F Pag. 34.

Respondeo, hic iterum quilibet famosi libelli structor paratam defensionem habet. Affirmabit enim se de visis, auditis, compertísque scribere. An ideo fidem merebitur? An ideo non mentietur? Evulget quis de Prædicantibus Augustanis libellum, quo affirmet, illos esse *homicidas, venéficos, proditores, mœchos, seditionum flabella ac faces;* addátque, se de visis compertísque scribere; an propterea Prædicantes atrocissimam injuriam sibi irrogatam esse non quiritabuntur?

XI. *Prophetæ olim, populi, Principum & Sacerdotum vitia acerbissimis verbis perstrinxerunt & produxerunt. Hieremias Judæos fures, latrones, homicidas, adulteros, perfidos accusat. Stephanus vocat eosdem Propheticidas, proditores, Christique latrones & homicidas. Nec tamen ideo Stephani Apologia, & prophetarum conciones & scripta pro famosis libellis habentur, licèt id fecerint extra forum politicum, & absque animo dicta sua juridicè probandi.* G pag. 34.

Respondeo I. mirari me hîc acumen Prædicantium, qui maluerint, se & suum Cambilhonem tueri exemplo Prophetarum & Stephani, hoc est, servorum, quàm ipsius Domini, qui in Evangelio Scribas & Pharisæos non semel extra judicium politicum asperrimè tractavit, eorúmque vitia & flagitia omnium oculis expositit: præsertim Matth. 23. Ubi eos toties vocat *Hypocritas, cæcos, duces cæcos, serpentes, genimina viperarum, sepulchra dealbata, filios Gehennæ;* nec tamen habuit animum ea dicta, H

A cta, quibus Phariſæos affecerat, juridicè probandi.

B Reſpondeo II. Si Prædicantes probaverint, Cambilhonum fuiſſe Prophetam, & actum eſſe eodem ſpiritu, quo olim Prophetæ acti fuêre; item Cambilhonum fuiſſe Stephanum, vel ſimilem Stephano, eodémque ſpiritu caluiſſe; tum libenter fatebimur, Relationem Cambilhonicam & Prædicanticam, ex numero libellorum famoſorum eximi debere. Interea, dum ad hujus tam arduæ rei demonſtrationem Prædicantes ſe ſe accingunt, eámque tranſactam nobis exhibent, non gravatè ferent, ſi nos Prophetarum & S. Stephani exemplo, excuſemus eum, ſi quis fortè aliquando prodibit, & publico ſcripto Prædicantes Miniſterii Auguſtani *perfidos nebulones, homicidas, adulteros, magos ter execrandos, omnésque eorum uxores, & filias, ſtriges ſeu ſagas, & filios eorum adulteros, fures* publico ſcripto pronunciaverit & proclamaverit: Quid ni enim utamur defenſione à Prædicantibus nobis ſubminiſtrata, talem, S. Stephanum & Prophetas imitari, cui non ſit ponenda lex, nec præfiniendus terminus, licèt careat animo ea, quæ vel dixerit vel ſcripſerit, probandi juridicè.

C Ut tamen Prædicantibus directè ſatisfaciam: Reſpondeo ex doctr. S. Auguſtini lib. *de unitate Eccleſiæ* c. 5. inter Chriſtum Sanctósque ejus, & iſtos noſtros, qui ſuam conviciandi impotentiam exemplo horum comere nituntur, grandiſſimam eſſe differentiam, *aliter quippe illa Dominus in Phariſæos dicebat*, inquit S. Auguſt. *tanquam Dominus, id eſt, cognitor cordis, & humanorum omnium ſecretorum & teſtis & judex:* Sancti autem, ùt ab hoc cognitore cordis & humanorum omnium ſecretorum judice ac teſte colluſtrati, déque arcanis cordium divinitus edocti. *Nos autem priùs debemus invenire & oſtendere, quid arguamus, ne ipſi potiùs graviſſimo crimine inſanæ temeritatis arguamur.* Quare hoc? Quia oculos in aliorum præcordia inſerere, ùt Chriſtus, & quibus hoc à Chriſto conceſſum erat, non poſſumus: aut ſi Prædicantes id divino beneficio poſſunt, oportet, ut id iisdem miraculis, quibus S. Stephanus & Prophetæ hoc oſtenderunt, oſtendant; nobíſque planum ac teſtatum faciant. Nunc cùm nihil horum eis ſuppetat, oportet, ut ſi in nos ſuam acrimoniam exercere & exerere velint; priùs nos tales eſſe manifeſtis documentis doceant, quales nos eſſe proclamant. *Sanè ſi antè docuerint, nos tales eſſe*, inquit S. Auguſt. *nequaquam recuſare debemus talibus ſanctarum ſcripturarum verbis nos reprehendi atque contundi.*

D XII. Argumentum. At nunc in Labyrinthum inextricabilem Prædicantes me adigunt: nec me inventurum credunt, cujus ductu evadam. Tentabo tamen, an Theſeium filium reperiam. Tota Prædicantica Phlyaria in hanc epitomen redigi poteſt. *Si quis à Prædicantibus ad Papiſtas deficeret, & ejusmodi libellum contra Prædicantes afferret, qualem Cambilhon adverſus Jeſuitas procudit; Jeſuitæ hujusmodi ſcriptum ambabus manibus captarent, inque totum terrarum orbem, omnésque angulos mundi gratulabundi emitterent & ſpargerent, non ad Prædicantium modò ignominiam, ſed totius Evangelicæ* (Lutheranæ) *doctrinæ perniciem & contumeliam. Hoc te facturum eſſe*, inquiunt Prædicantes, *tam certum eſt, quàm certum eſt, te eſſe Jeſuitam. Ecquid igitur vitio vertis aliis, quod tu eſſes in ſimili cauſa, magna diligentia facturus, & longè majora?*

E

F Reſpondeo, hoc argumentum eſſe *de futuris contingentibus*, quorum ſcientiam Auguſtani Prædicantes ſibi arrogant, cùm vix ſciant ea, quæ ſunt præ manibus, &, ut ita loquar, *præ naſo*. Ut tamen illis apertè & ingenuè reſpondeam, audite ô vos Quinti Evangelii tibicines & lyricines. Si Auguſtæ degeremus ego & P. Conradus Vetter, talísque ad nos ventitaret cum ſcripto, in quo vobis Prædicantibus nefaria & abominanda flagitia & facinora adſcriberentur; legeremus ei ſæpè jam nominatam legem Codicis Juſtinianei de libellis famoſis, maximè illam partem; *ſanè ſi quis devotionis ſuæ, ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio dicat; ita ut absque ulla trepidatione accedat; ſciens quidem, quòd ſi aſſertionibus ſuis verè fides fuerit opitulata, laudem maximam à noſtra clementia conſequetur: ſin verò minimè hæc vera oſtenderit; capitali pœna plectetur.* Hac Lege audita; ſi ad Ampliſſimum urbis Auguſtanæ Senatum totam libelli ſui accuſationem deferre vellet; conſilium laudaremus, & ut id quamprimùm ageret, exhortaremur. Si nollet, tanquam famoſi libelli Auctorem à nobis repelleremus, ipſúmque libellum ab Auctore ablatum Magiſtratui offerremus, ut ipſe pro ſua prudentia tam de libello, quàm de parente ejus ſtatueret. Hîc ridebunt Prædicantes; ſed ridebunt, quia noſtros animos ex ſuis æſtimabunt.

G XIII. Argumentum. *Conradus Vetter, Gretſerus, & alii Jeſuitæ maledicos in Lutherum & alios Lutherani Evangelii Myſtas & Myſtaces libellos ediderunt, præſertim Vetterus; ſi ergo non patiuntur, ut eorum libelli famoſis libris adſcribantur; ferendi non ſunt, cùm Relationem Cambilhonicam in tam turpium chartarum catalogum conjiciunt.* Pag. 371.

H Reſpondeo, cupere me, ut Prædicantes monſtrent mihi, librum à me, Vetterо, vel ullo alio Jeſuita conſcriptum, qui cum

A cum Relatione Cambilhonica meritò conferri queat.

Respondeo II. quæ P. Conradus Vetter de Luthero scripsit, ea ex ipso Luthero desumpsit. Quare Luthero nullam injuriam irrogavit, si quæ Lutherus priùs in suis Tomis scripta reliquerat, ipse postea repetivit, & Lectori denuò contemplanda proposuit.

B Respondeo III. Prædicantes admodum ingeniosè culpam & pœnam libellorum famosorum à se amoliri: quando enim manifestè in hoc crimine deprehenduntur & redarguuntur, tunc clamitare incipiunt; *libellos famosos adversus se indignè spargi;* quasi verò libellum famosum spargat, qui libelli famosi patronos pro merito excipit.

XIV. *Historici, ùt Platina, Sigebertus, Martinus Polonus, Æneas Sylvius, Luitprandus, Urspergensis, & alii mirifica, imò & horrifica scribunt de flagitiis & sceleribus quorundam Pontificum, Sacerdotum, & Monachorum, nec tamen scripta eorum habentur pro libris seu libellis famosis: ergo nec Cambilhonis Relationem habendam esse pro libello famoso.*

C Respondeo I. non deesse, qui Historicorum titulo glorientur; & tamen verè non sint Historici, sed detractores & infamatores, eorúmque monumenta, non Historiæ, sed Lœdoriæ & chartæ famosæ: hinc jure optimo ab Ecclesia Catholica proscriptæ. In horum tribu si Balæum à Prædicantibus nominatum, Schleidanum & similes reponas, immeritò de injuria sibi facta tecum expostulabunt. Deinde dico, Historicos, publica flagitia & facinora suis libris illigare posse, ad posteritatis cautelam & institutionem, non item occulta; Ad quæ literis consignanda si procedant, haud extra noxam esse. Qua de re non pigebit adscribere gravissimi Theologi Dominici Soti verba ex lib. 5. de Justitia & Jure quæst. 10. art. 2. ubi ita scribit. *De Historicis autem meritò quis dubitare poterit, an liceat illis hominum crimina perpetuæ memoriæ prodere.* D *Ad quod cum grano etiam salis respondendum est. Primum, quod ubi non denarrantur infamia peccata & turpia, sed bella & homicidia, & alia, quæ viris illustribus dedecori non sunt, non est, quòd sint condemnandi. Mox, quanquam aliqua turpia denarrent, quæ non sunt omnino secreta, non est illis vitio vertendum, sed officio potiùs tribuendum. Debent enim optima fide, quæ ad rem pertinent, pernarrare. Nihilominus, ubi invidia moti, aut alio pravo affectu quempiam aliquibus vitiis notant, non sunt à peccato liberi.* Hæc Sotus, cum quo concinunt Salon in 2. 2. q. 72. a. 2. Controvers. 2. Conclus. ult. ad 4. & alii Theologi.

Addo ad extremum, Prædicantes hîc denuo cæcutivisse; nec animadvertisse, argumentum in facies barbásque suas Prædicanticas retorqueri posse: nam si quis in Prædicantes Augustanos Satyram seu Invectivam evulget, qua eos tanquam fures, latrones, necromanticos, infanticidas, proditorésque traducat; cum illo non poterunt jure expostulare: Regeret enim, *se Historiam scribere voluisse; historico autem crimini non dari, licèt horrifica vitia & flagitia eorum, de quibus scribit, patefaciat:* hac enim ratione præter cæteras, Cambilhonum à Prædicantibus excusari. E

Monent denique Prædicantes, ut ipsum Cambilhonum conveniamus, si tanta ab eo affecti injuria videamur. Respondeo, jam à nobis publicè conventum esse in publico Apologetico adversus mendaciloquentissimam ipsius Relationem. Num tenebrio vel unico verbulo se tutatus est? ille, inquam, tenebrio, qui Prædicantes vana spe uberioris & copiosioris Pseudologiæ & mataeologiæ lactabat: qui nisi Jesuitam profugum simulâsset, tam unctam culinam Augustæ & alibi apud Lutherico-las non inveniisset: nunquam enim Jesuitam fuisse, neque ex Collegio Græcensi excessisse, evidenter in Apologia mea demonstravi. F

Obstrepunt Prædicantes: *Jesuitas suorum mutare nomina: Joannem Cambilhonum apud Jesuitas aliud nomen habuisse: quale verò hoc fuerit, sibi ignotum esse.* G cap. 4. p. 190.

Respondeo, ex centum, ducentis, trecentis, imò mille & pluribus Jesuitis vix unum reperiri, cujus nomen, & præsertim cognomen, mutatum fuerit; neque enim hic mos mutandi nomina in Societate usitatus est, quemadmodum in aliis nonnullis Religiosorum familiis, licèt plures ejusdem nominis in eodem Collegio degant.

Secundò, quamvis Cambilhono aliud nomen & cognomen inditum fuisset: proprium tamen nomen & cognomen in libro ad id deputato, pro Societatis more, consignatum mansisset. Ac nemo est in tota Austria, neque Græcii, qui ullum noverit, pro *Joanne Cambilhono* aliud nomen & cognomen accepisse.

Denique, si Prædicantes nesciunt, quodnam nomen Cambilhono fuerit impositum; unde ergo nôrunt, alio nomine & cognomine fuisse insignitum? An ex communi more Jesuitarum? At nego, hujusmodi nobis morem esse. Socordes prorsus, vel potiùs vecordes Prædicantes fuisse oportuit, qui cùm tam multa, tam anxiè ex Cambilhono expiscari tentaverint, nominis & cognominis, quibus apud nos utebatur, tam oscitanter obliti fuerint. Moneo, literas dent ad Cambilhonum, si tamen superat, & necdum ad Lutherum H

A in cœlum Lutheranum descendit; quibus de nomine & cognomine ejus Jesuitico instrui petant.

B Lubet autem hoc loco lectori indicare, quàm *Quartadecimani* Prædicantes nostri sibi sint propitij, & quàm clementes rerum suarum judices & æstimatores: quàm verò duri & iniqui, cùm de aliis, liquidissimo etiam jure instructis ac munitis, ferenda sententia est. Prodiit ante biennium ex typographia Ingolstad. contra Logodulos Ministerii Augustani *Dialogus*, in quo introducuntur duo Evangelici Augustani cives familiariter inter se colloquentes de seditiosis & tribuniciis concionibus suorum Prædicantium, quibus Lutheranos Dominos & patresfamilias excitare studuerunt, ne ullum Catholicum famulum aut famulam reciperent & con-

C ducerent; aut si jam recepissent & conduxissent, diutiùs domi suæ tolerarent; qui Dialogus *Quartadecimanis* bilem ita commovit, ut toti non modò inardescerent, sed & propemodum ignescerent. Itaque arrepto calamo contrà accinguntur, ac defensionem parant, Stentoreisque vocibus Dialogum illum, tanquam *libellum famosum* accusant & insectantur. Cur verò Dialogus ille *libellus famosus*, ô Prædicantes? *Quia Auctor nomen suum subticuit: Deinde, quia in summam fraudem nostram concinnatus est.* Uno verbo, libellus famosus est, quia Prædicantes tangit, vel potiùs ferit. Si Sacerdotes, Monachos, Jesuitas tangeret, aut feriret; nihil minùs, quàm libellus famosus esset.

D Sed en tibi æquitatem Prædicantium, quorum judicio prædictus Dialogus libellis famosis accenseri debet: & tamen palàm præfert. I. Nomen & cognomen typographi. II. Nomen civitatis, ubi excusus est. III. Consensum seu approbationem Superiorum, hoc est, Decani & Facultatis Theologicæ in celeberrima Academia Ingolstadiensi. IV. Dialogus à Typographo dedicatus est amplissimo Senatui Augustano; neque in hac inscriptione puduit Typographum nomen suum disertè profiteri. V. Dialogus iste nihil aliud tractat & explicat, quàm id, quod Augustæ per eos dies, lippis & tonsoribus notum erat; quódque Prædicantes palàm, coram suis auditoriis, non uno ex ambone suo, sed pluribus ex declamatoriis pulpitis, unanimi consensu despumaverant, & ex faucibus suis in fauces gregis sui eructaverant & inhalaverant. Et tamen his omnibus non obstantibus, sæpè jam nominatus Dialogus indigitatur à Logodulis Augustanis *libellus famosus*; eorundémque suffragatione ex infamium chartarum numero Relatio Cambilhonica eximitur: cùm nec nomen Auctoris, nec typographi, nec loci, nec patroni, nec ul- E lius Superioris approbationem proferat; & præterea non *Quartadecimanis* spermologis, sed integro Ordini, per totum Christianum orbem diffuso, plusquam capitalia scelera & flagitia objectet, quæ nullus unquam calumniator in omnem æternitatem vera esse evincet. Quis est hic tam perversus & cæcus sui amor? Quæ hæc æquitas? Quæ justitia? Verùm Prædicantibus non est insuetum, ut, qua stultitia alterum affirmant, eadem alterum negent. Itáque qua stoliditate Dialogum inter duos Evangelicos Augustanos cives libellis famosis annumerant; eadem vecordia & insania ab hac labe Relationem Cambilhonicam purgare laborant.

CAPUT VII.

Quid Prædicantes oggannant ad argumenta, quibus in Furiis Prædicanticis probatum est, ipsos Relationem Cambilhonicam immediatè typis evulgâsse. Pag. 819 & seq.

DIco, *immediatè*, hoc est, suo nutu, F jussu, auspiciis & auctoritate: Nam Prædicantes *mediatè* Relationem per typos sparsisse, ipsisque hujus editionis causam & culpam meritò adscribi, demonstratum itidem est in Furiis Ministerij Augustani, & suprà cap. 5. Nunc hoc, ùt dicebam, agitur; num Prædicantes fuerint immediata Typographicæ editionis G causa? Ubi notandæ sunt fraudes nonnullæ Prædicanticæ & cavillationes. Quia enim in argumentis meis usus sum verbis, quæ probabilitatem, vel opinionem indicabant: ùt sunt illa: *Verisimile est, opinor*; Prædicantes arrepta calumniandi occasione; *En*, inquiunt, *Gretserus opinatur tantùm; non scit, nos Relationis editionem procurâsse. Verisimile solummodò hoc arbitratur; non certum.*

O cavillatores! Si certò mihi comper- H tum fuisset, immediatè à vobis, hoc est, à vestro consilio, jussu, & nutu editionem Typographicam Relationis processisse, non opus fuisset multis τεκμηρίοις, indiciis & conjecturis. An omnia argumenta oportet esse apodictica, hoc est, demonstrativa, evidentia, & luce solari diluciora: ita ut probabilibus rationibus nihil amplius loci relinquatur? Si ita sentiunt, profectò necesse erit, ut Prædicantes Topica, præsertim Aristotelica, aboleant, cùm præcipuè viam & rationem ex probabilibus differendi doceant. Quanquam, quod verisimilibus argumentis evincere studui, Prædicantes immediatè Relationem

A nem Typis excudendam curâſſe; id ex ſuperabundanti tantùm feci. Nam mihi abundè ſatis eſt: Prædicantes, ſaltem *mediatè*, hujus editionis Auctores & auſpices eſſe, pœnísque omnibus, quas Canones & Leges in libellorum famoſorum architectos decreverunt, multifariam obſtrictos, ùt jam cap. 5. copioſiſſimè oſtendimus.

B Vide Prædicant. Furias p. 830. Primum meum argumentum erat, Cambilhonem apud Prædicantes Relationem ſuam depoſuiſſet: credíque poſſe, id ab illo non factum, niſi ut, data occaſione, per typos in vulgus ſpargeretur. Oggerunt Prædicantes; Gretſerum duo mendacia uno halitu effutiviſſe. *I. Relationem ſeu famoſam chartam apud ſe depoſitam;* nomine *depoſiti*, non ſtrictè, ſed latè accepto, prout quamcunque aſſervationem ſeu cuſtodiam ſignificat. II. *Eo fine depoſitam, ut typis excuſa evulgaretur.* Pag. 65.

C Reſpondeo; Prædicantes ſuas virtutes mihi affricare conantur: nam quod me uno halitu feciſſe ajunt, id ipſi ἀμυσὶ, hoc eſt, ùt Germani dicunt, **ohn ſchnauffen und Bart-ſwiſchen** faciunt: nam illa ipſa, imò ipſiſſima & verbis & ſenſu Relatio apud ipſos depoſita fuit, quæ poſtea typis impreſſa in lucem prodiit: illa, inquam, non ipſa, ſed ipſiſſima, apud Prædicantes depoſita fuit: ergo libellus famoſus apud Prædicantes depoſitus fuit. Nam ſive libellus famoſus ſcriptus ſit, ſive typis excuſus, id perinde eſt, quod attinet ad ſubſtantiam, & quaſi eſſentiam libelli famoſi: & quoties typis editam Relationem, non quà typis editam; ſed quoad ſubſtantiam, hoc eſt, quoad verba, verborúmque ſenſum, apud ſe depoſitam negant, toties iſti Lutherani Evangelij Lyrodi impudentiſſimè mentiuntur: Nam, ùt ſæpè jam dictum eſt, latinum exemplar calamo exaratum; & alterum typis impreſſum, prorſus eadem ſunt: neque in quoquam diſcrepant, niſi in Prædicantici Miniſterii & Cambilhonici nominis omiſſione & additione.

D Simile & gemellum planè mendacium eſt, cùm Relationem apud ſe depoſitam, ajunt, *nunquam fuiſſe evulgatam typis.* Pag. 52. Quæſo, num oculos nobis eruere vultis, ut, quod videmus, non videamus? Quomodo nunquam typis evulgata eſt, cùm quæ typis evulgata eſt, non potuerit aliunde proficiſci, niſi ex originali ſeu autographo vobis ad cuſtodiam concredito; ídque vel *mediatè*, vel *immediatè*, cúmque eadem prorſus ſit & verbis, & ſententia cum primigenio exemplari, quod vos aſſervatis? Si quis Æneidos Virgilianæ, aut Tuſculanarum Quæſtionum M. Tulij autographum poſſideret, poſſétne verè affirmare, Æneidem Virgilianam, vel Tuſculanas Quæſtiones, prout apud ſe exſtant, nunquam eſſe typis excuſas, neque typis excuſas extare? An non talis ut fatuus rideretur & exploderetur? Nam ùt exemplar, quod apud me extat, verè dici poſſit typis excuſum; ſufficit, quòd illud ipſum & verbis & ſenſu, typis excuſum ſit; licèt immediatè non ſit ex originali typis excuſum. E

Clamant Prædicantes, infirmum] hoc eſſe argumentum. *Cambilhon tradidit Prædicantibus Relationem eo fine, ut typis eam excuderent: ergo excuderunt, aut eorum nutu & approbatione id factum eſt.*

Reſpondeo, non eſſe quidem demonſtrativum, nec pro tali illud adduxi; ſed aio, eſſe probabile; imò plus quàm probabile; ſi Prædicantium morem & genium, eorúmque in Jeſuitas amorem & ſingularem benevolentiam, déque Republica & Eccleſia bene merendi promptiſſimam voluntatem conſideremus. Cùm enim, ùt ipſi ſcribunt, tametſi mendaciſſimè, *hujus modi libellos ſcribere & evulgare ad Patriæ & Eccleſiæ utilitatem inprimis pertineat;* quis ambigat, Præcones iſtos utriusque amantiſſimos, operam dediſſe, ne Patriæ & Eccleſiæ hoc libello publicando deeſſent? Et qui, ùt ipſi palàm confitentur, tam faciles fuerunt, ut plurimis *originale* ſeu *autographum* legendum tradiderint, nimis certè inhumani & illiberales videri potuiſſent; ſi iisdem, autographum, vel apographum ejus ad prælum poſtulantibus abnuiſſent, & publico bono tantum theſaurum invidiſſent. Abſit hæc parcitas & tenacitas à Miniſterio Prædicantico, cui omnibus gratificari, præſertim ex Jeſuitarum corio, cumprimis eſt jucundum. F Pag. 33.

Etiam *Inſtantia*, ùt vocant, conantur Prædicantes argumentum meum refellere: ſed ea enſtaſis ſeu *Inſtantia* nihil, niſi atrociſſima mendacia & putidiſſimas calumnias continet; ex famoſis *Anticotoni* libellis, hoc eſt, ex Hæreticorum paſcuis deſumpta, ex quibus primum ex infimo Orco arceſſitum mendacium. *Marianam Hiſpanum miſiſſe & tradidiſſe Jeſuitis in Gallia librum ſuum eo fine, ut opprimerent ferróque perimerent Regem Tyrannum. II. Vel publica auctoritate, vel privato eruditorum & gravium virorum judicio talem declaratum. III. Et hanc eſſe ſeditioſam & proditoriam libri doctrinam.* Sed Prædicantes perfrictè mentiuntur. Nam Mariana nunquam dixit, aut ſcripſit, licitum eſſe occidere Tyrannum privato eruditorum & gravium virorum judicio talem declaratum. Qua de re ad Marianæ librum provoco. G Pag. 52.

IV. Mendacium. Hoc Prædicanticum argumentum. *Mariana Hiſpanus miſit ad Je-* H

A *Jesuitas Gallos saum librum, ut Regem Tyrannum occiderent: ergo Jesuitæ Regem occiderunt;* simile esse Gretseriano suprà dicto: Nam Gretseri argumentum constat Antecedente verisimili seu probabili, si non penitus certo. At deliramenti Prædicantici Antecedens est *Diabolicum:* Ita appello; quia aliunde non processit, nisi ab omnis calumniæ fonte & progenitore Satana. Ingenti igitur discrimine distant argumentum meum, & opprobramentum Prædicanticum. Nec verbum addo. Satis multæ pro Societatis innocentia jam prodiêrunt Apologiæ, Gallicæ, Germanicæ, Latinæ: Et ex Latinis duæ præcipuæ. Altera, cui Titulus. *Responsio Apologetica adversus Anticotoni & Sociorum criminationes, Reginæ Ludovici XIII. Galliarum Regis parenti per hujus ætatem Regnum administrantis dedicata: in qua demonstrantur, famosorum, qui nunc volitant, libellorum Auctores anonymos, reos esse hæreseos, perduellionis, perfidiæ, sacrilegij, atrocissimæque imposturæ.* Excusa Lugduni.

B Altera est, Tyrannicidium *Jacobi Kelleri* nostri, Germanicè & Latinè Monachij publicatum. Quibus Apologiis stirpitus omnes calumniarum & criminationum fibræ ita eradicantur & eliduntur, ut profligatæ mentis & frontis, orísque ac pectoris Cynici Augustanos Prædicantes esse oporteat, qui à Calviniistis confictas lœdorias, & tot Apologiis jam protritas, denuo in hac sua charta, vel potiùs, ut ita loquar, *Scartecka*, venum exponant: & lectorum à capitibus suis, quæ per libellum famosum in summum discrimen

C adduxerunt, in Gallias, in peregrinam nimirum regionem abducant, præsertim cùm ipse Christianissimus Rex Ludovicus XIII. cum Serenissima Regina Matre, Regníque Principibus ac Proceribus Societatem publico diplomate ab intentato per *Anticotonum* parricidio Jesuitas absolverit, immunésque & insontes pronunciaverit: eorundémque jussu liber *Anticotonus* inscriptus, ex quo Prædicantes mendacia & calumnias suas, tanquam ex perenni fonte hausserunt; severissimo edicto prohibitus & proscriptus fuerit; ùt videre est in Apo-

D logiis Christianissimorum Regum & Reverendissimi ac Illustrissimi Episcopi Parisiensis, quæ hoc anno MDCXI. Ingolstadij Latinè & Germanicè excusæ sunt. Si Jesuitæ tot támque atrocium criminum rei essent, atque illos reos esse, criminatores clamitant; an eorum in Galliam restitutio fuisset post lamentabilem *Henrici Magni Regis* cædem, Regio diplomate confirmata? An Episcopus Parisiensis luculentam & authenticam innocentiæ nostræ testificationem subscribendam, sigillóque suo muniendam curâsset? An mulcta iis fuisset à Judicibus irrogata, qui *Anticotonum* divendebant? Quemadmodum revera irrogata est, prout Prædicantes cognoscere poterunt ex libello Regiarum Apologiarum, quem paulò antea Ingolstadij excusum fuisse dicebam. An civilium causarum Præses tam accuratam inquisitionem in *Anticotoni* Auctore investigando adhibuisset, quàm ab illo adhibitam esse cognitissimum est? An capitalium causarum præfectus sententiam in reos pronunciâsset? An exemplaria omnia, tam *Anticotoni*, quàm aliorum huic similium libellorum, putà *Tumultuariæ Conclamationis* Bibliopolæ Parisiensis & cæterorum intercepissent? An fuissent Typographi postea coërciti interdicto severissimo, & pœnæ gravissimæ denunciatione cautum, ne Bibliopolæ, Compactores librorum & Propolæ tales libros divenderent? An semel, iterum, tertiò fuisset id proclamatum? Sed ex diverticulo, quo me in Gallias declinare Prædicantes importunitate sua coëgerunt, nunc in viam regredior.

II. Argumentum meum. Cùm Præ- F dicantes Relationem Cambilhonicam passi fuerint sibi inscribi, & apud se deponi, causæ nihil esse, cur eosdem tam religiosos fuisse arbitremur, ut eandem Relationem typis committere metuerent.

Ad hoc argumentum Prædicantes nihil G aliud reponunt, nisi crebrò jam audita & Pag. 54, 55. decantata mendacia ac convicia, ex Gallicanis Sycophantis, eorúmque Germanicis interpretibus hausta; quibus, tanquam invictissimum clypeum supradictam Apologiam Gallicanam, & *Jacobi Kelleri* discertissimum librum, quem *Tyrannicidium* inscripsit, oppono: eodémque gemino telo, propulso pseudologias & lœdorias, quas Prædicantes de libro Marianæ, & cæde Pag. 58, 59. Regia pleno cornu alibi fundunt. Hoc 60. tantùm adjungo, impudentissimè Prædicantes mentiri, quando in Marianæ librum cædem Christianissimi Regis referunt: nam parricida nec viderat, nec legerat unquam Marianæ opus, neque utrum aliquando extitisset, noverat: neque vel ullo verbulo ad extremum usque halitum, insinuavit, se ad immanissimum illud facinus perpetrandum lectione prædicti libri excitatum esse. Et ut legisset, non potuisset tamen inde execrabilis sui propositi occa- H sionem sumere: Nam Mariana de Tyrannis disputat. Quis autem in tota Gallia Christianissimum Regem pro Tyranno habuit? Quis non ùt patrem patriæ, & ùt clementissimum ac humanissimum Principem coluit & amavit, cui duæ istæ virtutes clementia & humanitas quodammodo propriæ, & à primo ortu innatæ erant: neque unquam somniavit Mariana, privato jus & fas esse, perimere Principem,

quem

A quem ipſe privatus vel ex odio, vel ex amentia, & veſania, Tyrannum eſſe, ſibi perſuadet: non dixit, non ſcripſit hoc Mariana. Nec directè, nec indirectè iſtud in Marianæ libro continetur: neque inde, etiam à ſtultiſſimo, colligi aut deduci poteſt: ùt fatebitur, quisquis Marianæ librum oculo non Prædicantico inſpexerit.

B III. Argumentum. Prædicantes Auguſtani nullam dederunt ſignificationem indignationis ob editam Relationem Cambilhonicam; & tamen debebant: quia ipſorum res agebatur, utpote quibus Autographum Relationis Cambilhonicæ concreditum fuerit. Signum igitur eſt, ipſis volentibus, & operam ſuam conferentibus Relationem iſtam prælo ſubjectam eſſe.

C Prædicantes cavillantur, *me hoc velle; eum, qui commiſſo ſcelere non dat ullam ſignificationem doloris vel indignationis; eo ipſo ſatis declarare, quòd ſceleris illius vel Auctor vel Suaſor ſit:* quam quidem cavillationem non ex meo, ſed ex ſuo Prædicantico promptuario deprompſerunt. Nam vis argumenti mei hæc eſt: Qui commiſſo ſcelere aliquatenus ad ſe pertinente; & ad ignominiam & in periculum ſuum redundante; nullum dat irati & indignè ferentis animi indicium, is ſatis apertè indicat, ſe mandante, ſuadente, volente & libente ſcelus illud patratum eſſe. Atqui Prædicantes Auguſtani commiſſo ſcelere in editione libelli famoſi aliquo modo ad ipſos pertinente, & in periculum eorum vergente, nullam dederunt animi hoc ſcelus ægrè ferentis ſignificationem. Veriſimile igitur eſt, ipſis annuentibus & jubentibus, hanc Relationem à Typographis vulgatam fuiſſe. An non enim, ô Prædicantes, vos libelli famoſi editio typographica tangit? Vos, inquam, qui conditorem ejus cum ipſo Autographo in fidem veſtram recepiſtis; quique ut Relationi huic conſcribendæ peſtilentem calamum & manum admoveret, veſtra ſeu juſſione ſeu rogatione impetrâſtis?

D IV. Argumentum. Etſi fortè totum Prædicanticum Miniſterium collectivè ſumptum ignorat, quis Relationem prælo typographico ſubjecerit, hoc tamen forſitan nôſſe hunc vel illum de Prædicantica illa tribu contribulem; puta Volcium, vel Rülichium, aut alium ex *Quartadecimanis* Prædicantibus ſeorſim ſpectatum & examinatum. Quid Prædicantes? Nihil niſi nugas & ſycophantias: Et poſt iſtas plauſtra criminationum de *Æquivocatione* in agendo & loquendo, & ridiculam, ſed ſimul vaniſſimam & mendaciſſimam ſui ipſius commendationem & dilaudationem. Audi & ride. *Prædicantes non ſic ludere,*

pag. 60.

pag. 61.

fraudulenter agere, verſutè, malitiosè, vafrè & callidè (en copiam orationis Prædicanticæ) *homines circumvenire ſolent, ſed candidè, quod ſentiunt animo citra fraudem & æquivocationem omnem, apertis verbis explicant.* Quis tam nivea capita & pectora non exoſculetur, quis iſtorum tam lacteæ mentis Magiſtellorum Machiavellicas iconas in omnibus textorum & ſellulariorum officinis non collocet? At dicite Prædicantes, num verum non eſt, quod vulgò dicitur; *multa facere, multa decernere, multa judicare, Capitulum, quæ Decanus; aut hic, aut ille non faciat, non decernat, non judicet?* An non quotidie fit, ſive in Academiis, ſive in Tribunalibus, Curiis, Senatorúmque conſeſſibus; ut, ubi aliquid concludendum eſt, ſeu Senatusconſultum, ſeu decretum, ſeu edictum condendum, aliqui diſſentiant; & in aliam opinionem tranſeant? Et tamen fit commune totius Senatus nomine decretum vel edictum; licèt hic vel ille refragetur. Ubi manifeſtè apparet, communitatem aliquid facere, decernere, judicare, quod nec facit, nec decernit, nec judicat iſte aut iſte. Sic in Collegiis Academicis Juridicæ præſertim & Theologicæ Facultatis, Reſponſa conſulentibus dantur ex plurium ſuffragiis ac ſententiis; quamvis unus vel alter reclamet. Quâ Reclamatione non obſtante, Reſponſum concipitur communi totius facultatis nomine: Et tamen hic aut ille ſingularis doctor aliter judicat, aliterque ſentit. Ubi iterum vides, communitatem aliquid facere & ſentire, quod non facit iſte aut iſte.

E

F

At noſtri Prædicantes hoc, quod indies contingit, vociferantur eſſe *impoſturarum, deceptionum, fallaciarum, & periculoſarum æquivocationum latibulum;* homines ex his omnibus, quanti quanti, tanquam ex Prædicantium propriis elementis, compacti & coagmentati. Sed hanc de *Æquivocationibus* lœdoriam probè jam fusè & eruditè excuſſit & diſcuſſit *Sebaſtianus Heiſſius* noſter in declaratione Apologetica ad Aphoriſmos Doctrinæ Jeſuitarum aliorúmque Pontificiorum. Itaque ad alia gradum facio. Et quidem rectà ad illum Corybantiſmum, quo Corybantes Lutherani Miniſterii ita paratragœdiant & tumultuantur, ut ſupera inferis, & hæc illis permiſcere velle videantur, propter hæc mea verba in Furiis Prædicanticis. *Nusquam in Apologia mea* (contra Relationem Cambilhonicam) *dixi, Prædicantes Auguſtanos Relationem Cambilhonicam aut in Germanicum ſermonem vertiſſe; aut per typos immediatè diſſeminâſſe.* Alibi. *Tametſi ego in Apologia mea hoc non affirmavi, ut pro ſua venerabilitate mihi hoc venerabile Miniſterium imponit.* Hîc intumeſcunt Prædicantes plusquam iratum mare.

G

A cap. 41 uſque ad finem libri.

H

pag. 830.

pag. 49.

mare. Hîc toti in fermento jacent; exu-
A tísque soccis cothurnos induunt, & vi enthea instincti, ita bacchantur; quasi ipsis non modò suas domos, sed & barbas decora unica, incenderim ac concremaverim; neque cùm illos capitis reos esse peregi, & indignos, demonstravi, cum quibus ullus bonæ famæ & notæ versetur; tantoperè excanduerunt, atque cùm paulò antè recitata verba scripsi. Hoc nimirum ferre nolunt, hoc toto conatu, & clamosissimis ululatibus & ejulatibus à se amoliuntur: non alio fine, quàm ut lectorem his paratragœdiis parergísque furiosis à rei cardine, hoc est, ab eo, quod primarium est, & in quo salus & honos Prædicantium vertitur, avertant, & aliò mente & cogitatione traducant.

B Dicite Prædicantes *Quartadecimani*, sed omissis nonnihil orgiis vestris & Lupercalibus; an non in tota vestra tortissima *Retorsione* de Latina & Germanica Relatione locuti estis, quasi ego vobis affinxerim, utramque, hoc est, Latinam & Germanicam Relationem à vobis proximè & immediatè processisse, & in manus hominum venisse? An non hoc expresè pag. 7. affirmatis? An non in furiosissimo scripto vestro, id unum agitis, ut ostendatis, à vobis nec Germanicam, nec latinam edi-
C tionem proximè & immediatè ad prælum chalcographicum venisse? Ubi verò hoc vobis in Apologia mea objeci? Nam mihi ad capita vestra pœnis legum adversùs libellos famosos obliganda, satis est, quòd mediatè saltem tam Latina, quàm Germanica Relatio ex vestra officina prodiit.

CAPUT VIII.

De iteratis Furiis & Foriis Volcianis.

D APologiæ communi omnium Prædicantium *Quartadecimanorum* subjecit Volcius Appendicem pro sua innocentissima innocentia, & immaculata ab omnibus *foriis* puritate: in qua omnia agit, præter id, quod agendum est. Declamitat de rebus Gallicanis, Veneris, Anglicanis; S. Martyrem Garnetum *Prædicanticè*, hoc est, *sycophanticè* exagitat: non alio consilio, quàm ut lector in aliis occupatus, à sceleribus & propudiosis Volcii contumeliis animum abducat. Absit, ut his aliquid reponam. Toties jam à Prædicantium criminationibus vindicata sunt, ut superfluum sit, quidquam adjicere. Et quis finis modúsve foret, si quoties mendacissimus quispiam de grege Prædicantium, antiquis calumniis innovatis, mentiri ingreditur, novas Apologias scribere cogeremur?

Ecquid non audet Prædicans? Ecce tibi E
clarissimas & inclyti Senatus Græcensis in Stiria contra Odontium, similem Volcio Spermologum, literas iste quà in dubium revocat, quà conceptas à Jesuitis fingit, quà eludit; sed non elidit, ut proinde nihil sit tam clarum & apertum, cui sæpiæ istæ atramentum suum offundere non conentur. Meo tamen judicio, bonum factum faceret Volcius, si ipse Græcium se conferret, & testimonii hujus ab honoratissimo urbis illius Senatu declarationem posceret: eadémque opera certi aliquid cognoscere liceret, de furto calicis, quod à Delzero Prædicante fama tam longè latéque sparsa commissum canit.

Sed his omnibus omissis, id, quod in F
præsenti agitur, est, quomodo intelligenda sint ista Volcii verba. So weiß man, Vide Furias Prædicant. pag. 814
daß in etlichen Jesuitischen Collegiis, gemeinklich unter der Erden, sondere Carnificinæ, und Schergen Werckstat zu finden, darinn sie mit allerhand Henckerischen Instrumenten, von Reckleittern, Schwerdten, Stöcken, Henckerischen Kleydern, und was mehr zu solcher Stockmeisters Arbeit gehört, versehen, damit sie ihre Leut strecken, stöcken und blöcken, daß sie keines anderen Schergen bedörffen, alsdann im Fall der Noth mit mehr Umbständen zu erweisen.

Latinè; tametsi proprietatem verborum G
Germanicorum Latinis verbis exprimere difficile sit. *Probari potest, in aliquibus Jesuitarum Collegiis, plerumque sub terra, esse carnificinas & officinas lictorias, omni genere instrumentorum, quibus carnifices uti solent, probè instructas: ùt equuleis, catastis, gladiis, cippis, carnificum vestimentis, & id genus aliis ad officium lictorium vel carcerarium pertinentibus organis, quibus suos homines terreant, torqueant, excarnificent, ut alio lictore non egeant. Et hoc necessitate postulante, pluribus circumstantiis demonstrari posse.*

Hæc sunt ipsissima Volcii verba.

Ad quæ cuculus solitam suam cantile- H
nam occinit. *Dixi semel, & adhuc dico, me* Pag. 71.
ea, quæ de carnificina, quam in carceribus, speluncis & conclavibus super vel infra terram constructis, exercere solent Jesuitæ, scripsi, non de maleficiis criminalibus & capitalibus, quæ ibi patrentur, intelligere, sed de severitate, duritie, sævitia & tyrannide scholastica, qua suos exercere, castigare, coërcere, & sub obsequium Jesuiticum captivare & excruciare solent. Hoc emplastrum, quod nunc vanissimus *Seminiverbius* mendacissimo suo asserto illinit, tam nauci est ac nihili, ut mirer, Prædicantem istum existimâsse, quempiam usque adeò blennum & bliteum fore; qui illud comprobaret.

Ait, *se non locutum de maleficiis criminalibus & capitalibus, sed de severitate disciplinæ scholasticæ.* Quæso, ubi unquam auditum

A ditum est; in qua Schola, in qua Academia, in quo Gymnasio Literario, disciplinam & severitatem Scholasticam consistere im stöcken, blöcken und röcken, in Henckerischen Instrumenten; *in instrumentis, quæ propria sunt carnificum; in equuleis, catastis, fidiculis, gladiis, cippis, carnificum instrumentis, & id genus aliis, quæ ad lictorium munus spectent?* In qua unquam religiosa familia, etiam severissima & rigidissima, auditum est horum, quæ carnifices ac lictores decent, disciplinæ causa ordinarium usum esse; equuleorum, inquam, catastarum, fidiculorum, gladiorum, & similium, quæ ad carnificum & lictorum munia spectant?

B Præterea, quando quis in equuleo suspenditur aut extenditur, ùt Prædicans loquitur, wann man einen röcket; item quando quis Carnificum instrumentis, ùt gladiis, fidiculis, catastis exercetur & excruciatur, tunc utique agitur de maleficiis, ùt loquitur Prædicans, *criminalibus*; ratus, opinor, aliquod esse maleficium, quod non sit criminale: Nemo enim torturæ subjicitur, nisi qui aut est, aut certè censetur, seu verè seu falsò, maleficus & criminosus. Ergo, qui dicit, quòd Jesuitæ suos in specubus equuleis, catastis, fidiculis, & id genus aliis carnificum instrumentis torqueant & excarnificent, ille non agit de severitate disciplinæ scholasticæ, sed ùt dicit Prædicans, de *maleficiis criminalibus & capitalibus*: nam hæc omnia, quæ Prædicans nominat, ad criminalia & capitalia spectant: quandoquidem ùt antea dixi, nemo, nisi vel re vel opinione seu vera seu falsa criminosus, torturæ subjicitur; & quidquid ibi agitur, id totum *criminale* est, & ùt Germani vocant, Malefitz-Sachen.

C Mirabilis sanè hujus Prædicantis impudentia est, cùm, quod disertissimè dixit, se id non dixisse, nobis persuadere studet; quasi vel ipse tam potens sit, ut vocabulorum significationes mutare queat; vel nos tam fatui, ut id Prædicantes posse credamus, & propter mendacia ejus ab usitatis & omnium Germanorum ore tritis notionibus recedamus.

D Interim, quidquid mendaciter, sui purgandi gratia, adducat; dico, Volcium tot fermè mendacia effudisse, quot verba; licèt concederemus, Prædicantem de severitate scholasticæ disciplinæ locutum. Nam
1. mendacium est in nonnullis Collegiis *tales subterraneas carnificinas plerumque sub terra reperiri.* Mendacium est, *reperiri apud nos* Schörgen-Werckstatt, hoc est, *lictorum*
2. *officinas.* Mendacium est, *has officinas omni genere instrumentorum carnificibus competentium instructas esse.* Mendacium est, *in*
3. *iis esse equuleos & catastas.* Mendacium est, *in iis esse enses.* Mendacium est, *in iis esse*
4. *cippos.* Mendacium est, *in iis esse carnificum vestimenta.* Mendacium est, *in iis es-*
5. *se, quidquid ad lictorium munus pertinet.* Mendacium est hisce nostros vinciri, teneri, & attineri. Mendacium denique desperatissimæ mentis est, *hoc posse probari pluribus circumstantiis, & quidem eorum, quæ*
E 6. 7. 8. 9. 10. 11. *has carnificinas viderint.*

F En quot & quàm prodigiosa mendacia Prædicans iste uno quasi anhelitu effutiverit; de quibus plura non adjungo, sed omnia illa, quæ in Appendice ad Furias Prædicanticas dixi, hîc pro repetitis, & huic loco insertis haberi volo; nominatim illud: Si Prædicans testibus oculatis probare potest, tales officinas & carnificinas (quocunque tandem interpretationis colore eas nunc picturet) in aliquibus Collegiis Jesuiticis extare, & hoc juridica & legitima ratione apud Ampliss. Senatum, vel Reverendiss. & illustr. Principem Episcopum Augustanum non fecerit; tum iterum palàm & in conspectu totius mundi affirmo. NE UNAM QUIDEM GUTTAM INGENUI SANGUINIS TOTO IN CORPORE VOLCII SUPERESSE, NEC MAGIS DIGNUM CENSENDUM, CUM QUO HONESTATIS AMANTES VERSENTUR, QUAM CARNIFICES ET LICTORES, ET SI QUI ALII SUNT, QUI AD HORUM CLASSEM SPECTANT.

G Ut autem, ô Stentor Volci, compendiosè tecum transigam, & omnia vulpina diverticula intercludam, dico, & ubique dicam, te insignitè improbum circulatorem esse, nisi coram legitimo magistratu probaveris sequentia puncta.

I. Daß da seyn, in etlichen Jesuitischen Collegiis, gemeiniglich unter der Erden, sondere carnificinæ und Schergen Werckstatt zufinden.

II. In quibus sint omnis generis Henckerische Instrumenten.

III. Von Reckleitern.

IV. Schwerdtern.

V. Stöcken.

VI. Henckerischen Kleydern.

VII. Und was mehr zu solcher Stockmeisters Arbeit gehöret.

VIII. Damit wir unsere Leut schrecken, stöcken, und blöcken: daß wir keins anderen Schergen bedörffen.

IX. Quænam sint ista *nonnulla* Collegia, nominet vel unum; si non omnia ex illis *Nonnullis*.

H X. Quinam sint illi testes, qui viderint, & quorum auctoritate hæc sua atrocissima mendacia confirmare velit. Prodeant in publicum. Intueamur os habitúmque ejusmodi testium. Hæc nisi, ùt paulò antè dicebam, Volcius apertè de-

A monſtrârit, pro Lutherano calumniatore & Sycophanta habebitur: Nec eſt, quòd ad allegoricas & metaphoricas explicationes confugiat. Nos quoque linguam Germanicam intelligimus; Oſtendat in *nonnullis Collegiis* noſtris **Henckeriſche Inſtrumenten, Röckleiter, Schwerdter, Stöck, Henckeriſche Kleyder, und was zu ſolcher Stockmeiſterey mehr gehöret,** & tum nobis, & ſuis lectoribus ac fautoribus ſuóque proprio honori & exiſtimationi ſatisfacier. Interea, ne, quæſo, arbitretur, nos tam plumbeos eſſe, ut non intelligamus, quid ſint **Henckeriſche Inſtrument, Röckleiter, Schwerdter, Stöck, Henckeriſche Kleyder,** ꝛc.

B

CAPUT IX.

Teſtimonium Authenticum Perilluſtrium, Generoſorum ac Nobilium Regni Bohemiæ Dominorum contra Cambilhonicas & Auguſtano-Prædicanticas, aliorúmque criminatorum calumnias.

C Pag. 5. IN Relatione ſua Latina ita ſcribit Cambilhon. *Jam porrò Templum, ubi es ingreſſus, ne dubita, quin ſub ferreo cælo ambules. Mars tibi imminet cruentus, non Princeps ille pacis. Subter te, lucidum inferni barathrum, & officina carnificum. Referam hic bona fide* (homo tam divinæ, quàm humanæ fidei exſors) *quæ ipſe vidi. Pragæ ſupra Templi laquearia aliquot millia ferreorum ceſtuum, & flagellorum invenias, ùt Bohemis ferre mos eſt. Ad latera diſpoſita ſunt tormenta bellica, & Musquetæ quàm plurimæ, interpoſitis lanceis & bipennibus. In medio, ubi coëunt arcus laquearium, prægrandium miſſilium lapidum aggeres conſpicies ampliſſimos.*

D Hæc fabulator mendaciſſimus & nugaciſſimus; cujus Pſeudologias jam in Apologia contra Relationem Cambilhonicam protrivi ac profligavi. At nunc fortior & efficacior Defenſio, & criminationum depulſio ſuppetit. Nam cùm hoc ipſo anno ob tumultus bellicos in Regno Bohemiæ, & in ipſa Metropoli Praga exortos, Hæretici, haud dubiè ex Cambilhonis lectione occaſionem expiſcati, latè ſparſiſſent, in Collegio Pragenſi apparatus bellici commemorabilem copiam aſſervari; nec hoc tantùm; ſed & in eo quamplurimos milites in perniciem civitatis totiúsque Regni deliteſcere; ij, quorum hæc indagare ac nôſſe intererat, Viri Illuſtres, Generoſi, ac Nobiles, ſibi conquieſcendum non putârunt; niſi veritas in apertum extraheretur. Itaque deputatis ad hoc certis & induſtriis hominibus, totum Collegium Pragenſe, cum Templo, omnésque ejus angulos, tam ſuperos, quàm inferos & medios accuratiſſimè excutiendos curârunt, num vel veſtigium tanti apparatus Mavortii, quem fama malevolorum in Collegio Jeſuitarum latere ſparſerat; appareret. Quid inventum? Nihil. Imò verò inventum aliquid; nempe mendacium Cambilhonicum, & qui hujus veſtigia ſectantur, Prædicantium. Id ut videas, en tibi ipſas Illuſtrium, Generoſorum ac Nobilium Dominorum literas. E

F **WIr Heinrich Mathes Graf und Freyherr von Thurn, und zum Creutz auf Weliſch und Loſchdorff, Erbland-Hofmeiſter in Crain, Erbmarſchalck der Fürſtl. Grafſchafft Görtz, der zu Hungern und Behaimb, Königl. Majeſtät Rath: und Burggraf zu Carlſtain, beſtelter General und Leutenant, des Königreichs Behaimb, Leonhard Colona Freyherr von Felß, auf Engelsbergk, auch höchſtgedachter Ihrer Königl. Majeſtät Rath, und deß Königreichs Behaimb, Obriſter Feldmarſchalck, Johann der Jünger von Bubna, Obriſter Feldwachtmeiſter, und Wilhelm Zackawetz von Zackaw, Obriſter Feld-Quartiermeiſter, in mehrgemeldtem Königreich Behaimb. Entbieten allen und jeden, weſſen Standts und Würden die ſeynd, denen unſer offener Brieff zu handen kommt, oder fürgewiſen wird, unſere Dienſt. Freundſchafft, geneigten willen und Gruß, und fügen denſelben hiemit zu vernemmen: Nachdem nicht allein vor, ſonder auch nach dem böſen, und diſem Königreich hochſchädlichen Einfall, deß Paſſaueriſchen Kriegs-Volcks, in die weitberühmte Haubt-Stadt Prag, ein Ehrenrühriges Gedicht, nicht allein unter dem gemeinen Volck erſchollen, ſondern auch von etlichen häßigen ein Famoßſchrifft, wider die Würdigen Patres, der Societet Jeſu, in offentlichem Druck, zu unterſchidlichen mahlen außgeſprengt worden, als ſolten die Patres zu Prag in ihrem Collegio, ein überaus groſſe Kriegs-Munition, auch ein nicht geringe Anzahl Soldaten (der Stadt, und gemeinem Vatterland zu ſchaden) mit allem ernſt nach in aller bereitſchafft verſammlet haben, Dardurch Wir dann gemeldtes Collegium, zu viſitirn, und der Warheit, (zu Verhüttung gemeines Schadens) mit allem Ernſt nachzuforſchen verurſacht worden ſeynd, auch darauf mit höchſtem fleiß dreymahl, durch verordnete von uns gewiſſe Perſonen, auß allen dreyen Ständten dieſes Königreichs, Herrn Ritter, und Burger, auch ihnen zugegebene Haupt-Leut, das gantz Collegium viſitirn, und alle Zimmer, Gewelber, Keller, Krufften, Kirchenthurn, über und unter der Erden, durchkriechen, und durchſehen laſſen: Aber das allerwenigſte weder an Muſceten noch** G H

A Pulver, noch einiger andern Kriegs-Munition, wie dieselbige genennet werden mag, vil weniger Soldaten nicht gefunden haben, sonder gantz gewiß erkennet, daß gemeldten würdigen Patribus, von ihren Mißgönnern, alles aus Haß zugedichtet, und wider alle Christliche Billichkeit jenen zu leyd außgesprengt worden ist, Dieweil sie gantz unschuldig befunden, so haben sie ihrer Unschuld, ein offenes Zeugnus, von uns begehrt, welches wir, als Beschützer der Wahrheit, und Verfolger der Lugen, ihnen nicht haben sollen noch wöllen abschlagen. Bezeugen derowegen vor allen und jeden, wessen Stands und Würden sie seyn, mit disem unsern offenen Brieff, daß die würdigen Patres, der Societet Jesu zu Prag unschuldig befunden, und alle wider sie in diser Sachen außgesprengte Reden und Schrifften erdichtet, unwahrhafftig, gantz und gar falsch seyn, B bewilligen auch, daß dise unser wahren Zeugnussen, durch einen Publicum Notarium vidimirte Abschrifft, überall, eben so vil gelten soll, als wann dises Original selbst bey dem Recht fürgelegt, und aufgewisen wurde. Deß zu wahrem Urkundt, haben wir obbenannte Obrister General Leutenambt, Obrister General Wachtmeister, und Obrister General Quartiermeister, des Königreichs Behaimb, unsere Sigill hierunten aufgedruckt, und uns mit eignen Händen unterschrieben, auch zu mehrer Zeugnuß haben Wir Ihre Gnaden, die Herrn Obriste Land Officier, Land-Rechts Beysitzer, der zu Hungern und Behaimb Königl. Majestät Stadthalter und Räthe, im Königreich Behaimb, hiezu gebetten, daß Ihre Gnaden gleichfalls neben uns ihre Sigill hiervor getruckt. Geben Prag den 23. Tag des Monats Septemb. Anno 1611.

C Heinrich Matthes, Graf von Thurn, Burggraf auf Carlstein.

Loc. Sigil.

Leonhard Colona Freyherr von Felß, Obrister Feldmarschalck.

Loc. Sig.

Johann der Jünger von Bubna, Obrister Feldwachtmeister.

Loc. Sig.

D Wilhelm Zakawetz von Zackaw, Obrister Feld-Quartiermeister.

Loc. Sig.

Adam von Starnberg, Obrister Burggraf in Behaimb.

Loc. Sigilli.

Adam der Jünger Herr von Wallstein. E

Loc. Sig.

Georg von Talenberg.

Loc. Sig.

Jarosaw Herr von Martinitz.

Loc. Sig.

Christoph der Elter Uratißlaw.

Loc. Sig.

Tiburti Zwirtzky.

Loc. Sig.

Præsentem hanc copiam, cum originali F indubitato, à Dominis Officiariis & Proceribus Regni, hîc à latere nominatis, subscriptam & eorundem Sigillis munitam, esse collationatam, eidémque in omnibus concordare, Atteſtor, ego Joannes Huberus Pontanus, Sacræ Cæsareæ Majestatis Cancellariæ Imperialis, ab Epistolis, ejus denique Aulæ ordinarius, & in Camera Imperiali Spiræ Immatriculatus Notarius. Actum Pragæ duodecima Octobris, Anno 1611.

Joannes Huberus.

Hactenus Procerum Bohemiæ contra G Cambilhonum & Cambilhonicos obtrectatores, & contumeliarum fatores luculentum testimonium. Quod qua tandem Glossa eludent Prædicantes eximii sanè Glossographi? An dicent? Apparatum illum bellicum, quem comminiscebatur Cambilhon, & alii eodem spiritu ferventes, subitò evanuisse; aut inaspectabilem evasisse, ídque beneficio annuli, similis illius, quo se olim Gyges ex hominum oculis subducebat? An dicent; eos, quibus perscrutandi Collegii Pragensis officium injunctum fuerat, non satis accuratè officium sibi commissum obiisse? Atqui diligentissimè & accuratissimè id præstiterunt; semel enim iterúmque totum Collegium, omnésque ejus angulos excussisse non contenti, tertiam eandem perscrutationem instituerunt, ut tumultuanti populo faisfieret.

Qua de re adscribam ejus, qui interfuit H & vidit, *Georgii Sturni* Sacerdotis ex nostra Societate verba, excerpta ex literis Pragæ XI. Junij Anno 1611. datis, sic ergo ille. *Quia verò rumor sparsus fuerat, nos permultos habere milites Passavienses, plurimásque bombardas, miserunt Domini Officiales tres viros nobiles, qui omnia Collegij loca lustrarent, & an res ita, ùt ferebatur, se haberet, explorarent. Ne autem à nostris exi-*

A *ſtimarentur interfecti, ſæpius ad feneſtras recurrendum, vultúsque circumſtanti plebi oſtendendus erat: quibus licèt, perluſtrato toto Collegio, abundè ſatisfactum eſſet, plebs tamen haud conquieſcebat. Clamabant enim, permultum tormentarij pulveris & bombardarum in Collegio deliteſcere, nec luſtrata diligenter omnia abdita; id ſi fiat, inventum ac erutum iri hoc arcanum. Itaque alteram Collegij perluſtrationem inſtituere neceſſe fuit; imò & tertiam: cùm enim ſupra terram nihil inventum eſſet, vociferabantur, hæc infra terram defoſſa abdi, & quidem plurimis locis, quæ omnia bombardis & nitrato pulvere repleta ſint. Itaque tertiò, & quidem accuratiſſimè, toto Collegio hæc bellica inſtrumenta perquiſita fuêre. Quidquid clauſum domi erat, id vel reſerare vel frangere oportuit, ſi clavis in promptu non*

B *eſſet. Ex Collegio ad hortum itum, ut ibi foderent; uno præſertim in loco, ubi auditione acceperant, jam olim Martis officinam exſtructam. Cùm nihil invenirent, ad templum perrexerunt, ibique inſpectis omnibus ciſtis & armarijs ad ſepulchrum deſcenderunt; quod etiam in Italico Templo factum, quò erant libri translati; ut, num quid ijs latitaret, cognoſcerent. Duravit hæc perveſtigatio à XII. uſque ad ſextam veſpertinam, cui & R. P. Provincialis, & nonnulli, qui domi eramus, interfuimus: Qua abſoluta ſummas pro candore & humanitate egerunt gratias, receperúntque ſanctè, ſe nos ſiniſtrâ opinione apud plebem liberaturos.* Hæc ex literis Pragenſibus.

C Utinam, utinam, inquam, in perpetuam Volcij infamiam & ignominiam, eadem tandem ratio iniretur, in exquirendis & indagandis *carnificinis & officinis Lictorijs, carnificúmque inſtrumentis & veſtimentis, gladijs, cataſtis, equuleis, fidiculis, numellis*, & id genus aliis, quæ in *aliquibus Collegijs Jeſuiticis*, aſſervari & uſurpari Volcius mentitur.

D Cæterùm Volcius duplici vallo ſeſe contra futuram *inſpectionem ocularem*, ut ita nominem, munivit: Dixit enim hæc tantùm in *Aliquibus Collegijs* inveniri & uſurpari. Jam verò quodcunque Collegium luſtretur, nihilque inveniatur, ùt ſanè nunquam invenietur, Reſpondebit Volcius, hoc non eſſe unum ex *aliquibus illis Collegijs*, de quibus locutus fuerit. Si peras, ut *Aliqua illa Collegia* vel ſaltem unum ex illis nominet; nunquam morem geret; quia perſpicuè ſcit, ſe, ſi nominet, & perſcrutatio inſtituatur, in manifeſtario mendacio deprehenſum iri. Et quamvis forſan libenter nominaturus eſſet Collegium in India Orientali, Occidentali, Braſilia, vel Japonia, quam ipſe feſtiviſſimè à ſuo nomine appellat *Lapponiam*; non tamen poterit; nam ait ſe aſſertionem ſuam probaturum teſtimoniis eorum, qui, quæ ſcripſit, viderint; at nullum, niſi fallor, in medium producet, qui ſe ea, quæ Volcius ſcribit, in Collegio Indico, Braſileenſi, vel Japponico vidiſſe teſtaturus ſit.

CAPUT X.

De Phyſiognomonia Prædicantica.

E Xtruſit ſuperiore Anno Holandia F Opuſculum hoc Titulo: *Phyſiognomonia Jeſuitica, variis opuſculis, diſcurſibus, characteribus, epigrammatibus expreſſa, ſtudio & opera Petri de Wangen:* qui quid hominis ſit, neſcio; video tamen effrontem & inverecundum eſſe; & ut & ego aliquid ex Phyſiognomonicis, quæ Ariſtoteli adſcribuntur, delibem, oportet iſtum eſſe *oculis apertis & ſplendidis; palpebris ſanguineis & craſſis, & parùm curvis, humeris ſurſum elevatis, figurâ non rectum, ſed nonnihil pronum, in motibus præcipitem, rubrum corpore, colore ſanguineum, facie rotunda, pectore ſurſum contracto*; quia hæc *inverecundi argumenta ſunt*, ſi phyſiognomices Magiſtri nos non fallunt: qui etiam *aſinis* ſimiles pronunciant eos, quibus mos, *voce admodum grandi vociferari* G *graviter*, ùt ſanè Batavus iſte facit; qui ſonoro ſuo titulo non modò Holandorum, ſed & vicinorum, atque adeò longè remotorum Novatorum aures opplevit; & deſiderio cognoſcendi, quid tandem novus Phyſiognomon afferret, inflammavit. Quis enim non excitetur prodeunte in ſcenam tali artifice, qui polliceatur deſcriptionem Phyſiognomiæ Jeſuiticæ, eámque non unius duntaxat generis, ſed variis opuſculis, diſcurſibus, characteribus, & epigrammatibus expreſſam? Et quæ tandem ſunt iſta opuſcula? Qui Diſcurſus? Qui characteres? Audi Lector, percenſebo ordine.

I. Colloquium Jeſuiticum; hoc eſt, H Dialogus inter *Chriſtianum Francken, & Paulum Florenium.* Uterque Ordinis ſui deſertor fuit; ac proinde laudator eſſe non potuit: quorum prior homo vagus, &, inſtar Caini, à facie Domini profugus, peragratis variis ad Septentrionem provinciis, nulla in religione conſtitit, poſtquam ſemel ab ea, quæ ſola religionis veræ nomen & rem poſſidet, deſcivit: nunc in Lutheri, nunc in Calvini, nunc in Arij & Serveti caſtris militans; nunc tantæ impietatis pertæſus, ad Catholicos reviſens, prout teſtatur epiſtola ejus olim Herbipoli typis excuſa; ubique vacillans, nuſpiam ſtabilis, nuſpiam firmo pede conſiſtens, & omnia tam ſupera, quam infera, tam cœleſtia quàm humana in dubium revocans.

Ejus-

A Ejusdem ingenij fuit Paulus Florenius, homo vesica inflata ventosior; de quo ante aliquot annos gravissimum virum, & qui Florenium Romæ in Collegio Germanico familiariter noverat, dubitantem audivi, num aliquando salutari baptismatis unda tinctus & ablutus fuisset. Prägæ enim natus fuerat, ubi Judæorum magna copia; & expositus, exponere autem infantes tam Judæis non est insuetum, quàm per se est facinus inhumanum, & ab omni naturali parentum in filios amore alienum. Addebat idem vir gravissimus, se nec privatim nec publicè unquam Paulum orantem deprehendere, aut animadvertere potuisse, quamvis sedulò & curiosè attenderet, & num labia vel paululùm moverentur, observaret. Qui & ipse tam lubricæ mentis erat, ut modò sub Calvini, modò sub Lutheri signis infausta stipendia faceret; modò ab omni fide & Sacramento solutus, veram fidem necdum natam seu revelatam stolidissimè affirmaret, exspectans fortè cum Judæis Messiam suum; Sed *Rusticus exspectat, dum volvitur amnis, at ille volvitur & volvetur in omne volubilis ævum.* Et tamen horum Colloquium non modò innumeris ineptiis, sed & mendaciis ac calumniis turgidum isti cudunt &
B recudunt, quasi à Spiritu sancto dictatum, & ex ipso veritatis promptuario depromptum esset, sed parùm pensi habent, quid liber dicat, dummodo Jesuitis maledicat: aut quid liber contineat, dummodo eos, quos pessimè oderunt, insectetur ac laceret. Non duo prædicti Apostatæ in hoc suo diobolari dialogo Physiognomoniam Jesuitarum; sed suam indolem, suos mores, suúmque tam internum quàm externum habitum depinxerunt: ad quorum criminationes jam sæpissimè cùm ab aliis, tum à me in variis Apologiis contra Hasenmüllerum, Misenum, Lermæum, Cambilhonem, & alios abundè responsum est: ut necesse non sit quidquam in specie addere.

C Tantùm lectorem admonitum volo, ut, cùm Christiani Francken, & Pauli Florenij nomina audiêrit, vel eorum Dialogum, memor sit ejus, quod Lutherus in suis *Colloquiis Potatoriis* Tit. de *Hypocritis & falsis fratribus*, scriptum reliquit. *Judas*, inquit Lutherus, *tam necessarius est inter Apostolos, quàm tres alij, solvítque nobis innumera argumenta; & inter cætera etiam hanc objectionem.* **Ja sprechen sie, es sind vil böser Buben, falscher Brüder, und Unchristen unter euch. Recht, ist Judas auch ein Apostel gewest. Er wird sich ohn zweiffel, vil besser gestelt und gehalten haben, als ein verständiger Welt-Mann, denn die anderen.**

D *Objiciunt, multos esse inter nos nebulones, falsos fratres, & Achristianos. Quid ni? etiam Judas Apostolus fuit, qui sine dubio, tanquam vir secundùm sæculi prudentiam solers, meliùs in specie sese gessit, quàm alij Apostoli.* E

Ex præstantissimis creaturis Dei, inquit idem Lutherus Tit. *de scandalis; fiunt teterrimæ. Ex optimis fiunt pessimi: quia ex Ecclesia prodeunt hæretici; ex Apostolis, Judas proditor. Ex Angelis, Diaboli. Ex Hierosolyma, quæ Dei tabernaculum erat, Prophetarum cidæ.* Et Paulus Actor 20. dicit; *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Ex virginibus fiunt meretrices; & ex maritis, adulteri.* Et quid verbis opus? *Necesse est, ut veniant scandala; veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18.

Secundas in Physiognomonia Calvinistica tenent characteres Jesuitarum quatuor centuriis constantes, jam olim à Calvinista quodam consarcinati; & sæpius ab Hæreticis, præcipuè in Tomis Rupellensibus excusi & recusi; tanquam rarum quoddam & ingenij plenum ποίημα. Quos tamen in Prædicantes retorquere, pauciss imis mutatis, nullius laboris fuerit. F

Tertium locum in Physiognomonia Prædicantica vendicat sibi Relatio Cambilhonica. De qua nihil dico. Jam protrita & profligata est. Latinè & Germanicè; & prostrata funditus absque ulla resurgendi spe; quantumvis Prædicantes nihil inausum intentatúmve relinquant, ut collapsam restituant & erigant. Sed irrito nisu.

Quartum locum sortitæ sunt in Physiognomonia sectaria *Quæstiones Diabolo propositæ à P. Cotono.* At hoc nihil aliud est, quàm Diabolicum Calvinistarum commentum, quorum ore & calamo Diabolus sparsit, has Quæstiones in Energumena quadam sibi fuisse propositas; quæ P. Cotono in mentem nunquam venerunt, ùt perspicuè demonstratur in Apologia contra Anticotonum; quam ex Gallico Latinè reddidit Joannes Perpezatius ex Societate nostra. G Fol. 116. 117. 118. Lat. edit.

Quintum locum occupat; Calvinisticum *consilium datum amico de recuperanda, & in posterum stabilienda pace Regni Poloniæ, in quo demonstratur, pacem nec constitui, nec stabiliri posse, quamdiu Jesuitæ in Polonia maneant.*

Cæterùm hoc pestilentissimum consi- H lium, quod utinam in capita consultorum recidat, accuratissimè jam refellerunt, & ex fundamentis subruerunt duo ex Polonia doctissimi viri; quorum alter *Caspar Cichocius*, Canonicus & Parochus Sendomirienfis, librum hoc titulo Cracoviæ typis evulgandum curavit. *Anatomia consilij editi*

A *editi de ſtabilienda pace Regni Poloniæ Jeſuitis pulſis, Mendacia conficta à quodam Anonymo impoſtore contra religioſum Societatis JEſu Ordinem, detegens.* Alter *Nicolaus Ziemeckius*, Archidiaconus Pezcuenſis, Apologiam hac inſcriptione publicavit: *Reſponſio ad famoſum Anonymi cujusdam Tenebrionis & calumniatoris libellum contra Patres Societatis Jeſu in Polonia.* Itaque cauſæ nihil video, cur ego rem optimè jam à duobus hiſce diſertiſſimis adverſùs anonymum calumniatorem, actam, denuò agendam ſuſcipiam.

B Sextum locum tenet *Exemplar literarum Bononiæ datarum, in quibus excellentia & perfectio Patrum Societatis JEſu oſtenditur, multæque ſimul ipſis Patribus & eorum inſtitutis factæ objectiones reſolvuntur.* Verùm hanc ſtramentitiam epiſtolam obſcuri cujusdam Tenebrionis, jam in *Veſpertilione Hæreticopolitico* refutavi, ejúsque extremam vanitatem & impudentiam omnibus planam apertámque feci.

C Septimo loco gaudet *Salvus Conductus Jeſuitarum.* Ita Calviniſtæ inſcripſerunt Satyricum quoddam carmen; quo gratulabantur nobis proſcriptionem & ejectionem ex Gallia. Hunc *Salvum Conductum* jam pridem oppoſito carmine ad Calviniſtas remiſi, ùt videre eſt ad calcem Apologiæ Latinæ Franciſci Montani pro Societate JEſu, editæ Ingolſtadij, Anno Domini 1596. Elegantiſſimum eſt autem illud *Salvi Conductus* diſtichon.

Vide ſuprà Pag. 280.

Imperat hic ſolus Mundi adverſarius; at tu
Non ſolùm Mundi, aſt antagoniſta Dei.

Quanta, ô *Salve conductor*, antepenultima in vocabulo *Antagoniſta?* O puerilem ruditatem in iſto Calvini de grege *Bardocuculo*, an *Bardocuculo?*

D Octavo loco locata eſt Poëtica *Admonitio ad Regem Chriſtianiſſimum Henricum IV. ſuper reſtitutione Jeſuitarum.* Quam Admonitionem ſatis refellit ipſemet Chriſtianiſſimus Rex tum noſtra in poſſeſſionem priſtinam, *realì*, ut ſic loquar, Reſtitutione; tum etiam Apologia & depulſione criminum, quæ Societati à malevolis imponi & affingi conſueverunt. Eandem Admonitionem ſatis ſupérque vanitatis & caninæ maledicentiæ redarguit Expoſtulatio Apologetica Ludovici Richeomi; quia in ea refellit ejusdem farinæ orationem, ad Regem Chriſtianiſſimum, quam Auctor *omnis ingenuitatis expers*, *ingenuam* inſcripſerat: Ex qua miſer iſte *verſifex* ſuos verſus, quantumvis inſcitè & inficetè, tornâſſe videtur. Qui puerilitèr quoque in modulis Syllabarum labitur, ùt in hoc verſu.

Scriptáque majorum ſedulò ſcrutarier
ipſa &c.

Ignarus primam hujus voculæ *Sedulò* non brevem ſed longam eſſe. Quid verò monſtri in hoc malo nato carmine latet? E

- - - - vix, nec vix tutus in aula
Non hodie & licet ipſe ſacros amplectere
Papas
Et veluti primus dicaris filius eſſe.

Amplectere, aut immanis ſolœciſmus eſt, F ſi poſitum ſit pro *Amplecti*: aut turpe erratum contra quantitatem, ſi aliud effugium quærere velit: qui nobis in hoc ſuo Poëmate apertiſſimam Calviniſmi imaginem exhibet, præſertim illis verſibus.

Non unquam evomuit magis execrabile
monſtrum,
Tartarus immitis, non peſtis amarior
ulla
Chriſtiadûm terras corrupit & infeſtavit.
Non ſcelus admiſſum eſt, Hugonotis inde
remotis.
Singula quid referam? Quis enim ſcelera illa referre
Ritè queat, quibus eſt inviſa propago
referta?
Immunes operum, contemptorésque ſacrorum.
Impurì, immites, ſceleratì, & dira G
luporum
Semina ſunt, Agnì celantes vellere virus.
Et Stygiis genitore ſatì, qui præſidet umbris,
Ultima fex hominum, Cacodæmonis excrementum,
Quo nil terra tulit pejus, nec fœdius
unquam.

Viva & ſpirans Calviniſtarum effigies. Non abnuo, ô *Judaita*, quisquis es, ſive aliquis Baudius ex Holandia, ſive Burdo ex ſtabulo Arcadico.

Nonum denique & poſtremum locum H obtinet carmen *in Jeſuitam cor Regis Henrici IV. petentem.* Quod ex meris & calumnioſis figmentis conſutum eſt; nam cor Regis à Parlamento petere, nihil opus erat, cùm ipſe Chriſtianiſſimus Rex cor proprium Collegio Flexienſi addixiſſet; neque id vel hodiernum Regem, filium, ſucceſſorem; neque Sereniſſimam Reginam conjugem Henrici, & hujus Regis Matrem, lateret. Nec de jungendo dente cum corde apophthegma aliud eſt, quàm plaſma Calviniſtarum, qui veriſſimi ſunt λογοποιοὶ & *famigeratores* ſeu *Geruliſiguli*, & *rumigeruli*. Eſt autem λογοποιία ſeu *famigeratio factorum dictorúmque ad arbitrium ipſius fingentis conficta*. Exemplum aliunde ne accerſas. Manifeſtum habes in hoc de corde

A corde & dente Regis non satis fabrè exasciato carmine. Sed de his λογοποιοῖς jam jam plura dicturi sumus. Interea hîc breviter habes profligatam Physiognomoniam Jesuiticam, depictámque Physiognomoniam hæreticam.

CAPUT XI.

In novos Athenienses, ad nihil aliud vacantes, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.

B DE his S. Lucas cap. 17. Actuum Apostolicorum. Demosthenes in Philippicis Olynthiaca secunda. Plutarchus in libello de *curiositate* universim hunc morem curiosis esse affirmat, ut progressi in publicum, quærant: μή τι καινόν; *Num quid novi?* Idem de *Rumigerulis* Theophrastus in Characteribus Ethicis. *Famigerator enim is est, qui obvius amico factus, statim, mutato vultu & renidens, interrogat; unde tu, & quid ais? Habésne super hoc novi quidquam? Et pergens interrogare, Nihilne, inquit, novi dicitur? Atqui fausta sanè sunt, & læta, quæ vulgò narrantur. Tum autem priùs quàm ille respondeat; Quid ais, inquit, nihil audivisti? Ergo ego te, sicut video, rerum novarum Epulis lautè excipiam.*

C Hæc hominum natio vix alii rei, quàm novis aut hauriendis aut percensendis intenta hoc ævo ubertim suppullulat & succrescit: quorum desiderio ut satisfiat, existit gens τῶν λογοποιῶν, quos vulgò *Novellantes* nominamus; qui rumusculos undique captantes, facta & infecta, fanda & infanda, falsa, juxtà ac vera, quanquam sæpius falsa, in literas referunt, & hinc inde, certa mercede, missitant, & quærentibus, μή τι καινόν; Num quid novi? materiam copiosissimam subministrant, quorum ùt & famæ:

D Ovid. lib. 12. Metamorp.

Atria turba tenet: veniunt leve vulgus eúntque,
Mistáque cum veris passim commenta vagantur.
Millia rumorum: confusáque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures;
Hi narrata ferunt aliò, mensuráque ficti
Crescit; & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas; illic temerarius Error,
Vanáque Lætitia est, consternatique Timores.
Seditióque recens, dubióque auctore Susurri.

quorum mater est illa

---- *Quæ novit, toto quid fiat in orbe:*
Quid Seres, quid Thraces agant, secreta novercæ.
Et pueri. Quis amet, quis decipiatur adulter.
Instantem Regi Armenio Parthóque cometen
Prima videt; famam, rumorésque illa recentes
Excipit ad portas. Quosdam facit esse Niphaten
In populos, magnóque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia narrat.

E Juvenal. Satyr. 6.

Possent autem *Novellantes* isti tolerari, F si certa, ùt certa; & incerta, ùt incerta scriptis comprehensa, ad alios missicularent. Nunc cùm, quidquid in buccam venit, in chartas conjiciant; & pro hæretico ingenio, Catholicos, præcipuè Religiosos, sive detur, sive non detur occasio, traducant, & ea suis narrationibus inserant; quæ famosos potiùs libellos, quàm veridicas Relationes deceant; & sæpe integras provincias & civitates aut vano gaudio, aut inani formidine compleant, déque futuris itidem eventibus temerariè conjectent ac blaterent, eadem profectò pœna digni sunt, qua affectus fuit ille, qui primus per urbem Atheniensem diffuderat cladis Siculæ nuncium, de quo Plutarchus in extremo Nicia; qui G εἰς τὸν τρόχον καταδεθεὶς ἐσρεβλοῦτο πολὺν χρόνον. Man hat ihm Straptechorda gegeben. Sive, rota illigatus & circumvolutus fuit, instar Ixionis: quia interrogatus, quo auctore hæc spargeret, σαφὲς ἐδὲν εἶχε φράζειν, nihil, quod responderet, ad rem aptum, suppetebat. Quocirca visus est λογοποιὸς εἶναι, *famigerator, nugivendulus*, &, ut nostrate vocula utar, *Novellans* seu *Novellator* esse, καὶ ταράττειν τὴν πόλιν, *& civitatem turbare*: O bonum Atheniensium factum! & ô imitandum in istos, qui sciunt & scribunt, *quod*, ùt Comicus ait, *quisquam in animo habet, aut habiturus est, & quod in aurem Rex Reginæ dixerit; & quod Juno fabulata est cum Jove, quæ neque futura sunt, neque facta sunt, tamen ij sciunt* & scribunt. *Falsòne an verò laudent, culpent, quem velint, non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.*

Mirabatur Theophrastus in Characteri- H bus cap. de λογοποιοῖς seu *Famigeratoribus; quid sibi homines hoc genus falsis rumoribus fingendis spargendisque velint?* Ut Theophrasti tempore nulla eis causa fuerit, nisi mentiendi voluptas, nostra tamen ætate aliud incitamentum habent, nempe quæstum.

A ſtum. Hac enim arte ſe & ſuos alunt; & niſi quot hebdomadibus chartas plenas λογοποιῶν mittant, jam periculum à fame imminet. Quia verò magis eſurire, quàm mentiri timent: ideo diligenter in id incumbunt; ne unquam deſit, quod narrent; verum an falſum, verè an falsò, manum non verterint.

Enimverò miſera eſt iſtorum vita & conditio, inquit Theophraſtus; *nam quæ porticus eſt, quæ officina, quæ fori pars, in qua dies non traducant integros, magno cum audientium, quos falſis ſuis narrationibus obtundunt, tædio?*

B Quorum quævis fingendi ac comminiſcendi inſanam pruriginem jam olim duo ſanctiſſimi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. oppreſſum iêre, propriis Conſtitutionibus, utraque data eſt Anno 1572. ſed illa in Martio, hæc in Septembri. Illa adverſùs eos, *qui non erubeſcunt variis modis nonnullos Principes, Prælatos, nobiles, publicas & privatas perſonas variis injuriis & conviciis afficere, eorúmque famæ ac honori detrahere, ſub quodam ficto colore quarundam literarum incerto auctore ſcriptarum, nedum ab urbe Roma, ſed etiam ex diverſis Provinciis, in quibus nedum ea, quæ in diverſis Provinciis ſucceſſerunt, narrantur, ſed ea etiam, quæ in futurum quodam eorum temerario judicio fore opinantur.*

C Diſtinctiùs ad noſtrorum λογοποιῶν morem & mores Gregorius XIII. contra *Sectam hominum improbè curioſorum, qui quoſcunque de publicis privatisque negotiis, vel aliunde rimari poſſunt, vel ipſi etiam pro ſua libidine comminiſcuntur* (rumores) *domi foriſque, facta, infecta, vera, falſa, nullo diſcrimine proponunt, recipiunt, & ſcriptitant, ita, ut hujus rei jam artem quaſi quandam inſtituerint; ac plerique eorum, etiam vili mercedula conducti, harum rerum commentariolos, ex falſis plerunque vulgi rumoribus, incerto auctore collectos, huc illuc miſſitent, aut etiam tanquam primùm ex urbe ad diverſa loca miſſos, deinde iiſdem illis ex locis in urbem remiſſos circumferant ac venditent, quibus non tantùm de præteritis arbitratu ſuo nugantur, ſed etiam, quid ex hac aut illa re eventurum ſit, ſtolidè vaticinantur.*

D Qua deſcriptione, neſcio, num quiſpiam tam luſcitioſus futurus ſit, qui non manifeſtè videat, noſtros, quos vocamus *Novellantes* (Neue Zeitung Schreiber) vivis coloribus depingi: ita ut ne ipſe quidem Theophraſtus hoc hominum genus characteribus expreſſioribus potuerit depingere.

At quibus pœnis ſummi Pontifices iſtos à ſua audaci temeritate abſterrent? Pius V. eos omnibus illis pœnis ſubjicit, quæ libellis famoſis, eorúmque architectis decretæ ſunt: Statuit inſuper, *quòd deinceps perpetuis futuris temporibus, nemo cujuſvis qualitatis, dignitatis etiam Eccleſiaſticæ, ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerit, audeat, nec præſumat libellos famoſos, nec literas Monitorum, vulgò appellatas Lettere d' Aviſi, continentes convicia, injurias, vel famæ & honoris alicuius læſionem, nec aliquam ſcripturam, in qua de futuris ſucceſſibus diſſeratur, vel ea, quæ coram nobis, vel aliis ad univerſalis Eccleſiæ ſtatus regimen deputatis ſecretò tractantur, revelentur, componere, dictare, ſcribere, exemplari, retinere, nec ad aliquem tranſmittere, etiamſi aliunde, ab aliis Provinciis, civitatibus, terris & locis, ad eorum manus pervenerint; ſed ſtatim quòd aliqui ſimiles libelli, literæ, ſive ſcripturæ, alicui delatæ fuerint, ſtatim, quòd illos, ſeu illas habuerit, antequam eorum vim manifeſtaverit, corrumpere ſeu igni tradere, vel dilecto filio noſtro Cardinali Ruſticuccio reſignare teneatur, ſub pœnis prædictis, ac aliis etiam gravioribus, etiam ultimi ſupplicii, & confiſcationis bonorum, ſecundùm qualitatem facti & perſonarum arbitrio noſtro irremiſſibiliter infligendis. Quibus pœnis etiam eos ligari volumus, qui in hujuſmodi libellis, literis, ſeu ſcripturis de aliquo oblocuti fuerint, alicujúsque famæ & honori, vera etiam exprimendo, detraxerint, &c.*

Quid Gregorius XIII. in noſtros λογοποιὲς & *famigeratores*, ſeu *Novellantes*? *Hujus conſtitutionis auctoritate prohibemus, ne quis in poſterum tales commentarios conficere, néve ab aliis confectos recipere, deſcribere, ſpargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipſo facto, perpetua ignominiæ nota affectus, ſine ulla ſpe veniæ, ad triremes, aut perpetuò, aut ad tempus pro admiſſi qualitate damnetur. Qui verò hujuſmodi commentariorum, aut ſcriptorum quidquam undecunque, & à quocunque receperit, id quàm primùm Urbis noſtræ Gubernatori ſignificare, & eidem omnia conſignare debeat. Quod ſi non fecerit, ipſum pœnis prædictis decernimus ſubjacere: antiquis juribus contra ſcribentes aut mittentes libellos famoſos editis, nihilominus in ſuo robore duraturis.* Hæc Gregorius XIII. Quæ in gratiam omnium *Rumigerulorum* ſeu *Rumificum* recitare volui; quibus adde hos ex Comico verſus.

Quòd ſi exquiratur uſque à ſtirpe auctoritas
Unde quidquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigerator jure ſit cum damno & malo.
Hoc ſi ita fiat, publico fiat bono.
Pauci ſint faxim, qui ſciant, quod neſciunt.
Occluſiorémque habeant ſtultiloquentiam.

FINIS.

VESPER-

HÆRETICUS VESPERTILIO

SUB

BONONIENSIS EPISTOLÆ ITALOLATINÆ VELO

DE

PERFECTIONE ET EXCELLENTIA JESUITICI ORDINIS ANTEA DELITESCENS,

NUNC

Quod benè vertat, in lucem extractus

PER

JACOBUM GRETSERUM

SOCIETATIS JESU THEOLOGUM.

PLINIUS LIB. XXIX. CAP. 4.

Cujus generis (ex antipharmacis ad varia effecta) *propè videri possint, quæ tradunt & de Vespertilione, si ter circumlatus domui vivus per fenestram inverso capite infigatur, amuletum esse; privatimque ovilibus circumlatum toties, & pedibus suspensum sursum in superliminari.* Hæc Plinius. Etsi autem ab omni superstitione alienus sum; Et hoc, quod Plinius scribit, superstitioni deputari possit; absque tamen omni religionis periculo videor hunc, qui ex improviso in retia mea incidit, Vespertilionem, inverso capite, alexipharmaci loco, in fenestra hujus Apologetici affigere; vel in supero limine publicæ scriptionis suspendere posse, omisso illo trinæ circumlationis ritu; quia experientia constat, aves furaces sibi similium clade à maleficio absterreri, & commonefieri illius:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

A SUperiore mercatu Francofordiensi prodiit Latinè & Italicè famosus quidam contra Societatem JESU libellus hoc titulo. *Exemplar literarum Bononiæ datarum, in quibus excellentia & perfectio Patrum Societatis JESU ostenditur, multáque simul ipsis Patribus & eorum institutis factæ objectiones resolvuntur.* Si quæras Auctorem, nullus comparet. Si Typographum & locum editionis seu Typographéum; nullum invenies. Inscriptio ironica est & antiphrastica, ad illiciendum tamen lectorem perquam apposita, præsertim visa nominis JESU imagine, in ipso libelli vestibulo expressa. Quis enim horum intuitu ad lectionem non inardescat? Quis non cognoscere aveat, quid *Italolatinus* iste Jesuitarum advocatus pro Societate JESU de suis thesauris depromat? B

Sed ubi omnia perlustraveris, nihil aliud reperies, quàm libellum famosum, lege naturali, divina & humana vetitum. *Qui tales*

A *tales emittunt libellos plusquam famosos*; inquit Erasmus scribens ad Comitia Helvetica, *sine loci, Typographi auctorisque vero titulo, nec famosos tantùm, verùm etiam dissidiorum & hæreseωn disseminatores, etiam apud Ethnicos puniebantur capitis supplicio; Et quod apud illos erat capitale facinus, nunc quorundam ludus est, qui sibi videntur Evangelicæ doctrinæ propugnatores.*

Eras. lib. 9. Epist.

B Introducit nebulosus hujus Epistolæ Architectus Jesuitam, scribentem ad nobilem quendam juvenem, qui hondum natus est; nec aliis in annis nascetur; quem comminiscitur à patre suo Societati fuisse destinatum & consecratum ex ineunte ævo: postea paternæ voluntatis & devotionis immemorem, relictâ Societatis institutione, Monachis in disciplinam se se tradidisse: Jesuitis id admodum ægrè ferentibus, ex quibus uni hanc suam stramentitiam Epistolam attribuit; quâ juvenis à Monachis ad Jesuitas revocari fingitur; tam stolidè, ut satis appareat, istum malum choragum esse, neque didicisse, quæ cuique personæ adscribenda sit oratio. Quis unquam audivit, honores, dignitates, opes, gloriam, & magni nominis existimationem proponi solere illis, qui ad religionem invitantur; & non potiùs horum omnium

C contemptum ac despicientiam ex imo pectore profectam, unà cum illis Ecclesiastici monitis: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem: Deprime cor tuum, & sustine; inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus*, &c. *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.* Sed nimirum iste Sectarius calumniari & mentiri instituit; Et propterea quàm artificiosè id faceret, pensi nihil habuit; in id unum intentus, ut calumnias ex *Auctore Catechismi Jesuitici*; ex *Arnaldo*, ex *Oratione ingenua ad Christianissimum Regem*, ex Miseno, & id genus aliis Rabulis & Rabiriis excerptas, & in compendium redactas; novo & Epistolari schemate vestiret, vestitásque mundo obtruderet, ídque ex immani illo odio, quo omnes Hæretici in Ordinem nostrum flagrant. *Sed macte virtute*, ait ad S. Augustinum S. Hieronymus, *in orbe celebraris; Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur; & me pari persequuntur odio, ut, quos gladiis nequeunt, voto interficiant.*

Eccles. 2.

Epist. 25. inter Epist. S. August.

D Generalia capita, quæ carptor iste carpit, & ex quibus deinceps particulares quasdam criminationes & Pseudologias deducit; sunt. I. *Ipsum Societatis Institutum.* II. *Scholæ & doctrina.* III. *Mos audiendi confessiones.* IV. *Gratia, qua Societas apud Reges & Principes, aliósque primores valet:* De his omnibus ordine dicam; sed breviter; E quia alibi jam hæc & à me & ab aliis discussa sunt; præcipuè autem à Ludovico Richeomo in absolutissima illa Apologia, cujus inscriptio est: *Expostulatio Apologetica, ad Henricum IV. Francorum & Navarræ Regem Christianissimum pro Societate JESU, in famosum libellum, qui Ingenua & vera oratio; & in alterum, qui Catechismus Jesuitarum inscribitur.*

Priùs tamen, quàm prædicta capita exa- F minare aggredior, nôsse velim Epistolæ hujus auctorem; viro Religioso nec indecorum nec probrosum esse; si adolescentes, quos virtutis, ingenii & doctrinæ dotibus egregiè instructos cernit, ex mundi fluctibus educere, & in Religionis tutum ac quietum portum prudenter subducere laboret; factum id semper ab omnibus Religiosis, & semper fiet; quia quilibet Religiosus vocationis suæ memor & amator perpetim cum S. Paulo dicet: *Volo autem* 1. Cor. 7. *omnes homines esse sicut me ipsum*: non tamen obliviscetur ejus, quod Apostolus mox subjungit: *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.*

Nec absterrebitur Religionis Professor, G quò minùs illam quoque D. Pauli vocem liberè usurpet. *Opto apud Deum & in mo-* Actor. 26. *dico & in magno non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum.* Exemplo nobis præiverunt sanctitate & eruditione viri præstantissimi; nam ut de S. Bernardo & aliis, qui Epistolis bene longis juvenes, etiam nobilissimos, ad fugam mundi, & rerum caducarum contemptionem invitârunt, sileam; quis nescit, quàm creber in hoc argumento fuerit S. Hieronymus? Quot ille Epistolas ex Oriente in Occidentem misit; quibus omnis conditionis homines, viros clarissimos, adolescentes spectatissimos, virgines lectissimas, Matronas honoratissimas & locupletissimas, eò inducere tentavit, ut rebus perituris valedicerent, divinæque servituti indissolubili nexu sese addicerent? Testes Epistolæ ad Heliodorum, ad Exuperantium, ad Marcellam, aliæ. An nunquam legisti tu seu Calvinista seu Lutheranista, Epistolam S. Augustini ad Licentium, juvenem nobilitate & eruditione præstantem; neque illam Paulini ad Romanianum eundémque Licentium? Videlicet si quis ad imitationem horum Patrum adolescentem aliquem ætate & indole florentem, Deo lucrifacere, & ex mundi laqueis explicare conetur, piaculum inexpiabile committet, præsertim si non tantùm prudentia & circumspectione, sed & verbis horum Patrum utatur.

Scripserat Licentius prolixum & eru- H ditum carmen ad S. Augustinum, magistrum suum: in eo immensam cum Augustino vivendi, & aulam Imperialem, militiámque

A que deſerendi cupiditatem oſtenderat; inter cæteros hos etiam verſus, incenſi deſiderii ſui indices, cecinerat.

B *O mihi tranſactos revocet ſi priſtina ſoles*
Lætiferis aurora rotis, quos libera tecum
Ocia tentantes, & candida jura bonorum
Duximus Italiæ medio, montésque per altos.
Non me dura gelu prohiberent frigora cano,
Nec fera tempeſtas Zephyrûm, fremitúsque Borinì
Quin tua ſollicito premerem veſtigia paſſu.
Hoc opus, ut jubeas tantùm.

Subjicit S. Auguſtinus. C *Me miſerum, ſi ego non jubeo, ſi non cogo, atque impero, ſi non rogo, atque ſupplico. Sed ſi aures tuæ adverſus meas voces clauſæ ſunt, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi te ipſum duriſſime, immaniſſime, ſurdiſſime. Quo mihi linguam auream, & cor ferreum, quibus ego non carminibus, ſed lamentationibus ſufficiam plangere carmina tua? In quibus video, quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere & immolare* DEO *noſtro. Expectas, ut ego jubeam, ſis bonus, ſis quietus, ſis beatus, quaſi quiddam mihi dierum gratius illuceſcat, quàm ut ingenio tuo fruar in Domino, aut verè tu neſcias, quàm te eſuriam, & ſitiam, aut non hoc ipſo id carmine fatearis. Revoca animum, quo iſta ſcripſiſti, nunc mihi dic: Hoc opus, ut jubeas tantùm. Ecce juſſum meum, da mihi te, ſi hoc opus eſt tantùm, da Domino meo te, qui omnium noſtrûm Dominus eſt, qui tibi illud donavit ingenium. Nam ego quid ſum, niſi ſervus tuus per ipſum, & conſervus ſub ipſo? An ipſe non jubet? Audi Evangelium. Stabat, inquit, Jeſus, & clamabat; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam.*

Poſtea proponit Licentio exemplum S. D Paulini. *Vade*, inquit, *in Campaniam, diſce Paulinum egregium, & ſanctum DEI ſervum, quàm grandem faſtum ſeculi hujus, tantò generoſiore, quantò humiliore cervice incunctanter excuſſerit, ut eam ſubderet Chriſti jugo, ſicut ſubdidit: & nunc illo moderatore itineris ſui quietus & modeſtus exultat. Vade, diſce, quibus opibus ingenii ſacrificia laudis ei offerat, refundens illi, quidquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, ſi non in eo reponat, à quo hæc ſunt. Quid æſtuas? quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & avertis à nobis? Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. Mentiuntur Licenti. ſic nobis, ſicuti optas: Verum ratione pateſcat, ſic plus Eridano fluat. Non dicit verum, niſi veritas; quia Chriſtus eſt veritas,* &c. *Ornari abs te* diabolus quærit. Si calicem aureum *inveniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ DEI. Accepiſti à DEO ingenium ſpiritaliter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas te ipſum. Noli, obſecro: ſic aliquando ſentias, quàm miſero, & miſerando pectore hæc ſcripſerim, & miſereariſ jam mei, ſi tibi viluiſti.*

Ipſe autem S. Paulinus nihil non molitur, ut Licentii animum emolliat, & ad jugum Chriſti cum Auguſtino amplectendum inducat. Inter cætera ſic Licentium affatur. *Audi, fili, legem Patris tui, id eſt, fidem Auguſtini, & noli repellere conſilia matris tuæ, quod æquè nomen in te Auguſtini pietas jure ſibi vendicat, qui te tantillum geſtavit ſinu ſuo, & à parvulis primo lacte ſapientiæ ſeculari imbutum, nunc etiam ſpiritalibus lactare, & enutrire Domino geſtit uberibus,* &c. *Quem ſi audias, & ſequaris, ut rurſum te ſermone Salomonis alliciam, Fili coronam accipies gratiarum tuo vertici. Et tunc verè eris ille non phantaſmate ſomniatus, ſed ab ipſa veritate formatus Conſul, & Pontifex, vacuas imagines falſi operis implente Chriſto ſolidis ſuæ operationis effectibus. Verè enim Pontifex, & verè Conſul Licenti eris, ſi Auguſtini veſtigiis Propheticis, & Apoſtolicis diſciplinis, ùt ſacrato beatus Heliſæus Heliæ, ùt illuſtri Apoſtolo Timotheus adoleſcens adhæreas, indiviſo per itinera divina comitatu, ut & ſacerdotium corde perfecto diſcas mereri, & populis ad ſalutem magiſtri ore conſulere.* E

Et quia ſciebat S. Paulinus, Licentium ligata oratione delectari, non dedignatus eſt ſanctiſſimus vir multis verſibus conſtantem Elegiam ad Licentium pangere, ut vel hac ratione obſequium ab illo impetraret; cujus exordium eſt. F

Quare age, rumpe moras, & vincla tenacia ſecli:
Nec metuas placidi mite jugum Domini.
Pulchra quidem, ſed mira vagis præſentia rerum
Mentibus: at ſapiens non ſtupet iſta animus.
Nunc te ſollicitat variis malè ſuada figuris,
Heu validos etiam vertere Roma potens.
Sed tibi nate precor, ſemper pater Auguſtinus G
Occurſet, cunctas urbis ad illecebras, &c.

Elegiam claudit hoc diſtichon.

Vive precor, ſed vive Deo, nam vivere mundo,
Mortis opus, viva eſt vivere vita Deo.

Hoc & id genus aliis modis, quos ſancti H Patres præſcripſerunt & uſurpârunt, ſolent verè Religioſi, nobiles & ignobiles, opulentos & egenos, doctos atque indoctos ad leve Chriſti onus tollendum, & ad ſuave jugum ſubeundum invitare atque inflammare; non autem, ùt iſte figulus fingit, pollicitatione honorum, deliciarum, quietis & otii; quæ qui in Religione vel promittit vel quærit; is, quid ſit Religio, neſcit, ſibique & aliis illudit. Hîc illud itidem valet: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Qui otio indormire, & voluptatibus circumfluere appetit, is aliò ſe conferat, oportet; nam vita aſcetica & has & illud reſpuit: Et mirum eſt, hunc Sectarium tam effrontem eſſe, ut Jeſuitas Matth 11.

A ſummo in otio jucundè vivere palàm ſcribat, cùm ne in vulgus quidem, etiam Lutheranum & Calvinianum, labores, quibus aſſiduè in templis, Scholis, & alibi diſtinemur, ignoti ſint, adeò ut, qui ex Novatoribus magis ſunt ingenui, ſponte ſua fateantur, nos vitam minimè otioſam elegiſſe. Et hanc criminationem vel unica inſtituendæ juventutis conſuetudo perennis ſatis ſupérque refellit, quæ cettè nullum otium, nullámque ceſſationem ac deſidiam patitur. *Unum eſt*, inquit Hoſpinianus Calviniſta, libro de origine Monachatus, *quod in Jeſuitis vehementer laudo ac probo, indefeſſum nimirum & acre, quod in aperiendis Scholis, literis bonis perdiſcendis, & adoleſcentibus inſtituendis adhibent ſtudium*, &c.

B Porrò ùt promiſſione quietis ac deliciarum nullus ad ullum Ordinem Religioſum pertrahendus eſt, ità multò minùs per contemptum aliarum familiarum ad hanc vel illam familiam pellici debet; ùt à nobis fieri tenebrio iſte non ſemel partim innuit, partim apertè mentitur; quia omnes ferè lœdorias & pſeudologias ſuas eò direxit, ut nos aliis Ordinibus ſuſpectos inviſósque redderet, quaſi noſtra ſolummodò magni penderemus, omnia verò aliorum inſtituta in poſtremis numeraremus: At ſecus rem ſe habere, libenter ipſi Religioſi Ordines teſtabuntur, quibus tanquam in exercitu Dei contra Dæmonis, mundi, & carnis caſtra, noſtris commilitonibus, & quidem veteranis, & tempore prioribus, non gravatè honorem ac reverentiam deferimus, & ut novorum ſemper militum acceſſu augeantur, procuramus.

C Quis enim frontis tam exſanguis eſt, qui inficiari audeat; Jeſuitarum Gymnaſia eſſe Monaſteriorum, maximè in his Septentrionalibus Provinciis, ſeminaria, ex quibus pietate & doctrina eximii adoleſcentes ad varios Religioſorum Ordines indeſinenter tranſeunt? Quis tam lividus eſt, qui vel velit vel poſſit abnuere, aliquos Ordines tum primùm refloreſcere cœpiſſe, cùm Jeſuitæ ſcholis publicè apertis juventutem bonis moribus ac literis informare incœperunt? Ex hac enim inſtitutione plurimis mens mundi deſerendi & Deo in Religione perpetim ſerviendi injecta eſt; quo factum, ut multa Monaſteria jam propemodum indigenis exhauſta, iterum tam incolis, quàm diſciplina Monaſtica inſtaurata & ad priſtinum nitorem revocata ſint.

D Quomodo autem Jeſuitæ cum iis, qui de Religioſa vita amplectenda deliberant, agere debeant, potuiſſet criminator iſte diſcere ex Sacerdotum Regulis, quæ cum aliis jam ante aliquot annos in manus omnium venerunt; nam Regula XXIV. hæc præcipit Sacerdotibus. *Si quos viderint ad Religionem propenſos, non facilè ad unam potiùs, quàm ad aliam; ad hoc, quàm ad illud Monaſterium invitent; ſed liberam illis ſuam electionem relinquant: poterunt tamen petentibus conſilium eas Religiones vel Monaſteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino judicaverint.* Si quis ſe cum hac ſanctione non conformat, is, quod ex officio agendum erat, nequaquam agit; neque Deo, neque Superioribus rem gratam facit. E

De zelo & invidia, quod Novator ſæpius inſinuat, nil aliud dico, quàm quemlibet Religioſum hoc nomine verè dignum, imo corde conditum tenere illud Apoſtoli: *Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; alius autem, ego Apollo, nónne homines eſtis?* Itaque ùt *invidere*, ita & *invideri* humanæ affectionis eſt; illud, ut ſic loquar, *activè*, hoc, *paſſivè*; Huic poſteriori, ut quis non ſubjaceat, non in hominis, ſed in Dei manu eſt. nec tam ſanctus eſt ullus cœtus, nec tam in omni laborum genere ſtrenuus ac indefeſſus, quem livor jaculis ſuis non audeat interdum appetere, imò his telis ideo maximè exponitur; quia in eo aliquid celſum vel verè videtur, vel animo concipitur. Vel ipſum Paulum intuere, cui invidia dentes ſuos infigere non eſt verita. At quid ipſe? *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant*, &c. *Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo; ſcio enim, quia hoc mihi proveniet ad ſalutem.* F 1. Cor. 3. Philip. 1.

G Cùm plebis ad Joannem Baptiſtam concurſus minueretur; ad Chriſtum autem augeretur, diſcipuli Joannis æmulatione quadam tacti, adito Magiſtro ajebant: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Quid ille, quo inter natos mulierum non ſurrexit major? *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cœlo*, &c. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Joan. 3.

H Apud S. Marcum acceſſit Joannes Apoſtolus ad Chriſtum cum hac querela. *Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.* Quid Chriſtus pacis & concordiæ Doctor? *Nolite prohibere eum*, &c. *Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.* Cap. 9.

Prophetabant in tabernaculis ſuis Eldad & Medad, &c. *Statim Joſue, filius Nun, miniſter Moyſi, & Electus è pluribus ait; Domine mi Moyſes prohibe eos. At ille, quid inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Num. 11.

A *ſuum?* Hoc nimirum eſt genuinum & efficax invidiæ depellendæ remedium, optare omnibus, ut vigeant, floreant, donis cœleſtibus ubertim cumulentur, Deóque in ſanctitate & juſtitia fideliter ac impigrè ſerviant. Si quis ſive ex noſtro numero erga alios; ſive ex aliorum cœtu erga nos aliter animatus eſt, is à jam recenſitis Chriſti & Sanctorum exemplis diſcedit: parùm memor ejus, quod à S. Jacobo ſcriptum eſt: *Ubi zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.* Cap. 3.

B Fingit iſte tenebrio, nobilem juvenem, quem in Orcheſtram introducit, cùm aliquando adverſa valetudine uteretur, *Beato Ignatio Fundatori noſtro*, à patre ſuo devotum dicatúmque fuiſſe. Id ut ita eſſet, quid in eo reprehenſionis ineſſet? An nullum unquam vidiſti in Italia, qui filios non tantùm jam natos, ſed & naſcituros B. Franciſco, B. Dominico, aut alteri ex cœlitibus offerret? An nulla unquam matrona Bononiæ, (ubi hæc Epiſtola ſcripta fingitur) extitit, quæ ad ſepulchrum S. Dominici, aut Aſſiſii ad tumulum S. Franciſci has cum Anna Samuelis matre preces fuderit? *Domine exercituum, ſi* (per interceſſionem hujus tui famuli) *reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. 1.

C Obtulit Sunamitis illa filium mortuum Heliſæo, viro ſancto, & revixit. Quid ni & pii parentes ad Sanctos confugiant, ſi quando filii, chara pignora, in diſcrimen adducuntur: Et loco Anathematum, id, quo nil charius habent, Sanctis voveant?

Sed doles, hunc honorem haberi noſtro B. Ignatio. Dole, quantum voles; non obſto. Id, quod paſſim fit in Italia, Hiſpania, Gallia, Germania, cum præſenti multorum auxilio & ſolatio, tu dolore vel potiùs livore & invidentia tua nunquam impedies, neque frænum benignitati & clementiæ divinæ injicies: citiùs infrunitum tuum os fræno & chamo conſtringetur. Nunc tempus eſt, ut, quid ſpeciatim Ordini noſtro Epiſtoliſta exprobret, conſideremus.

Calumniæ in Societatem.

I.

D *NOs omnibus hujus vitæ commodis abundare in victu, veſtitu, ſupellectile, & id genus aliis.* Hîc non tam ratione, quàm ſenſu & experientia opus eſt. *Veni & vide. Guſta & eme. Victus, veſtitus & lecti ratio erit ùt pauperibus accommodata, & unuſquiſque ſibi perſuadeat, quòd, quæ viliſſima erunt ex iis, quæ domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius majorem abnegationem & ſpiritualem profectum.* Ita quædam ex Regulis noſtris; quam ſervamus, &, gratiâ DEI, ſemper ſervabimus. Si illud ipſum exile ac tenue, cujus uſus nobis conceditur, cultius & mundius tibi apparet, quàm lubeat, memineris; ſordes ad paupertatem nihil facere, & paupertatis amorem, cum fuga ſordium in eadem ſede morari poſſe. E

Alimenta, inquit Clemens Alexandrinus, *& veſtes, vaſa & ſupellectilem, & quæcunque ſunt in domo, atque ipſam, ut ſemel dicam, vitam, oportet eſſe conſentaneam rectæ Chriſtiani hominis inſtitutioni, prout conducibile fuerit, accommodatam perſonæ, ætati, ſtudio ac tempori. Videte*, monet idem Clemens, *Chriſtus in vili catino cibum ſumpſit, & fecit diſcipulos ſuper herbam accumbere, & pedes eis lavit linteo accinctus; Deus à faſtu alienus, & Deus omnium, nunquid argenteum lavacrum è cœlo deferens? Et à Samaritana potum petiit, quæ aquam vaſe fictili hauriebat è puteo, aurum regale non requirens, ſitim autem docens facilè exſtinguere; ſcopum enim conſtituebat uſum, non nimiam & inutilem magnificentiam; in conviviis autem comedebat & bibebat, non terræ metalla effodiens, neque auri & argenti, hoc eſt, rubiginem redolentibus vaſculis utens. Sequere Deum*, clamat Clemens, *nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea, quod tuum eſt, quod bonum eſt, quod auferri non poteſt, in Deum fidem, in paſſum confeſſionem, beneficentiam in homines poſſidens: quod quidem eſt poſſeſſio pretioſiſſima.* F Clem. lib. 2. Pædag. cap. 3. G

II. *Jeſuitas non obſtringi extraordinario vinculo diſciplinæ, vigiliarum & jejuniorum.* Scilicet de diſciplina, vigiliis & jejuniis iſti laborant. Si plus vigilaremus, quàm ullus olim Eremita; ſi corpus flagellis acriùs caſtigaremus, quàm Dominicus Loricatus, aut Henricus Suſo, ſi ciborum abſtinentia vinceremus Epiſcopum illum Conſtantinopolitanum, qui à frequentibus jejuniis *Niſteutæ*, hoc eſt, *Jejunatoris* nomen invenit; num his Vigilantiis placeremus? Non magis quàm nunc. Non eſt illis hoc curæ & cordi; alia quædam cura eos coquit; alia ſollicitudo premit, facítque, ut modò hoc, modò illud cavillentur; ſciſcitantes, ùt olim illi; tametſi animo diſpari. *Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter, & Phariſæorum, tui autem edunt & bibunt?* Sed utrique fidelem nacti ſunt Patronum Chriſtum, ùt videre eſt apud S. Lucam & S. Matthæum; qui & amborum cauſam egit ore S. Pauli. *Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum aſſumpſit.* Luc. 5. Matth. 9. Rom. 14.

Etſi autem extraordinaria jejunia inſtitutor noſter nobis juſtas ob cauſas non injunxit, abſtinentiam tamen à cœna ſingulis feriis ſextis indixit; Et præterea liberum cuivis reliquit, ut tam in hac, quàm in aliis corporis afflictationibus, Superiorum H

A permiſſu, eligat, quod ſibi maximè ad profectum ſpiritualem convenire judicaverit. Quàm multos reperire eſt in Societate, qui vel à cœna penitus abſtineant, præſertim Sabbati diebus; vel illam ita adhibeant, ut potiùs menſæ aſſediſſe, quàm ediſſe cenſeri debeant. Et certè ipſa externa corporis conſtitutio in plerisque arguit, eos non eſſe ejuſmodi homines, *qui vivunt, ut comedant, quod etiam rationis expertibus animantibus evenit, quibus venter eſt vita*, ùt ait Clemens; *nobis autem Pædagogus præcipit, comedere, ut vivamus; neque enim noſtrum munus eſt nutritio, neque inſtitutum ſcopúſve noſter voluptas; ſed ea nutritio eſt propter noſtram hîc manſionem, quam ad incorruptionem ratio inſtituit.*

Clem. lib. 2. Pædag. cap. 1.

B Quoad ſomnum, nos non eſſe Endymiones, multò minùs glires, *tota quibus dormitur hyems*, teſtantur cùm alia Societatis noſtræ officia & opera: tum tot lucubrationes, ex Societatis officina ſemper prodeuntes, quæ apertè indicant, earum Auctores non eſſe *Dormitantios. Nimis homo nihili eſt, qui piger eſt*, ait Comicus, *nimisque id genus ego odi malè. Non enim oportet*, inquit Clemens, *eos, qui inhabitantem & vigilantem intus rationem habent, tota nocte dormire*, neque ſomnum *aſſumere ad otium & ſocordiam, ſed ad negotiorum & actionum quietem.*

Clem. lib. 2. Pædag. cap. 9.

C Ad diſciplinam quod attinet, ſi hoc nomine intelligat corporis per flagra macerationem; fateor, nullam ex præſcripto Fundatoris noſtri ſubire obligamur. At Superiores poſſunt imponere, & imponunt etiam re ipſa, quoties conſultum videtur: Et cuilibet, cum Rectoris approbatione, carnem ſuam & huic & aliis mortificationibus ſubjicere jus & fas eſt: quod ſcio à multis ſæpiùs forſan fieri, quàm fieret, ſi ex Fundatoris decreto hanc pœnam ceu ſtatam ſuſciperent.

At ſi nomine Diſciplinæ Epiſtolicus iſte criminator intelligat religioſam illam conformationem ad decorum, modeſtiam, honeſtatem, omniúmque actionum decentiam & regularum obſervantiam, quæ, ut ita loquar, in ordine, numero & pondere conſiſtit; nego, nullam nobis à Fundatore noſtro diſciplinam præſcriptam eſſe. Contrarium, vel ipſis adverſariis teſtibus, teſtificantur noſtræ Regulæ, quæ nunc in omnium manibus typis excuſæ verſantur, in quibus accuratiſſimè præſcribitur, quidquid ad *diſciplinæ domum*, ùt ſacræ literæ nominant, ædificandam & conſervandam pertinet.

D III. *Jeſuitas liberos eſſe à choro, proceſſionibus & exequiis.* Ita eſt. At num tibi gratiores eſſemus, ſi his omnibus operam daremus? Non crediderim; tantum enim tibi placent, qui hæc uſurpant, quantum, qui non uſurpant. Nos ea auctoritate ab his omnibus immunes ſumus, qua aliæ Religioſæ familiæ iiſdem adſtringuntur. Res judicata abit in ſententiam. Vix ullus exſtitit Pontifex à Paulo III. qui Societatem ab his, quantumlibet piis officiis, non exemerit; nam alia munia, & inprimis juventutis inſtituendæ provincia, ſat chori, & proceſſionum nobis ſuppeditat. Qua de re legi poteſt Ribadeneira lib. 3. Vitæ B. P. N. Ignatii cap. 22. E

Quod S. Athanaſius pro ſe uſurpavit contra ſuos adverſarios, hoc jure videor Societatem noſtram, quoad hoc & alia capita tueri poſſe. *Nemo rem à tot Epiſcopis excuſſam exploratámque, & clariſſimis documentis convictam denuo putârit, ſub judicium revocari debere, ne ſi iterum atque iterum res toties judicata in cognitionem deducatur, ſine prorſus careat recognoſcendi curioſitas. Sufficerent quidem tot Epiſcoporum calculi, ad confundendos eos, qui etiamnum falſi criminis aliquid contra me fingunt; Etiamſi nihil aliud accederet.* Nec tamen, ùt iſte calumniatur, alios Religioſos hæc talia ex præſcripto Ordinis ſui præſtantes, aſpernamur; ſed piè ac religiosè agere palàm profitemur; nec ex deſpectu à nobis omittuntur, ſed quia aliam Spartam nobis exornandam ſumpſimus. F S. Athanaſ. Apolog. 2.

IV. Nomen Societati à JESU Redemptore noſtro inditum, nimis eſſe faſtuoſum. G At dic bona fide, ita tibi Superi, quæ velis, faxint, num magis nos amares, ſi Ordo noſter non Societas JESU, ſed Societas *Ignatianorum* ſeu (quod nomen non ita pridem à *Burdone* in Batavia conditum eſt, miréque palponum Burdonicorum auriculis arridet) *Loiolitarum* appellaretur? Non de nomine, mi homo, ſed de re laboras. Ea tibi crux major eſt, quàm Caucaſus Prometheo, vultur Tityo, & rota Ixioni. Illa ipſa Sedes & Auctoritas Apoſtolica, quæ cæterà Inſtituti noſtri ſuffragio ſuo probavit atque firmavit; hanc quoque nomenclaturam probavit, atque firmavit. Nec verbum addo; quia hac de re copioſè ſcripſi in libro contra Lermæum Calviniſtam, & in Apologiis adversùs Miſenum, ùt & Richeomus in Expoſtulatione Apologetica cap. 94. & nuper adeò Nicolaus Serarius lib. 1. in Joſue cap. 2. q. 19. Quid opus jam benè tractata retexere? *Servile eſt, ſe velle omnibus purgare*, inquit Plutarchus lib. de audiendis Poëtis. *Omnes autem deſpicere ſuperbi eſt & imprudentis.* Ne igitur hic Epiſtoliſta ſe à nobis ſuperbè & imprudenter deſpectum arbitretur, calumnias ejus ita tangimus, ut tamen ſimul indicemus, unde plura depromi queant.

H V. *Jeſuitas non veſtiri ciliciis, nec paſci cibis ruſticis; ſed lana tenuiſſima, & linteo candidiſſimo cutem tegere, optimisque ac delicatiſſimis cibis nutriri.* Quàm malè factum, quòd Fundator noſter nobis non præſcripſit amictum & victum S. Joannis Bapti-

A Baptistæ. Quàm grati Lutheristis & Calvinistis essemus, si locustis & melle sylvestri victitaremus; Et si præterea vestimento de camelorum pilis ornati, & zona pellicea circa lumbos præcincti incederemus; Proculdubio jam pridem nobis Genevæ, Leidæ, Heidelbergæ, & Wittenbergæ Collegia exædificâssent; & cathedras illis in Scholis bonas literas docendi assignâssent. Nunc culpâ nostrâ hoc fructu privamur, privamúsque alios. O imprudens factum & inficetum! An non quotidie videmus, quàm illi Religiosi, qui sacco & cilicio amiciuntur, jucundi acceptíque sint hæreticis? & quàm benevolè excipiantur & accipiantur?

B Dic, Epistolista, num tu arbitraris, nullum cilicio indui posse, licèt vestis exterior non sit cilicina? Quàm multi sunt Deo dicati, qui vel laneis vel lineis vestibus utuntur; num tu tam bardus es, ut tibi persuadeas, sub hujusmodi tegumento cilicium non posse latere? An non & sub splendido sæcularium habitu sæpè hirsutum cilicium occultatur? Quod supra de disciplinis, idem nunc tibi respondeo de ciliciis. Nullum ex Ordinis præscripto ferimus; Et tamen non desunt, qui, Deo & conscientia teste, in hac etiam pietatis exercitatione partes suas desiderari minimè ferant, ut forsan aliquando propiùs absint ab excessu, quàm à defectu.

C Vestes illas *ex lana tenuissima & lino candidissimo;* Ego nunquam vidi; tantum abest, ut usurpaverim, aut gestaverim. Nescio, quos tu Jesuitas videris, & quibus oculis. Veni; & ostendam tibi tam lineas, quàm laneas vestes meas, si tam tenues & candidas deprehenderis, non recusabo, quò minùs è vestigio me sacco cilicino amicias. Nescio, quæ mala fors has tam subtiles telas Arachnæ, Minervæ aut Penelopes manu textas mihi & aliis, quos novi, Jesuitis inviderit, quibus cùm hactenus persuasum fuerit, *nos*, ùt ait Clemens, *non alia de causa opus habere vestimentis, quàm ut tegatur corpus ad maxima frigora & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aëris immoderatio, facilè Indicos Seres & operosos bombyces valere jussimus; nam qui aulam observant cœlestem, quæ est circa omnium Regem, animæ vestem, in quam non cadit corruptio, nempe carnem sanctificant, & per eam induunt incorruptionem.*

D De exquisitissimis & delicatissimis dapibus, *quæ vel in Urbe vel territoriis vicinis reperiuntur; nostræ mensæ inferri solitis*, si certus esse velis, iterum necesse erit, ut venias, videas, gustes. Sunt sat certi veritatis indices visus & gustatus. Invenies nimirum, & gustabis ea omnia eduliorum genera, quæ ex Clemente Alexandrino recensui jam olim Miseno Calvinistæ lib. 1. Apologiæ secundæ pro Vita B. P. N. Ignatii cap. 5. Vinum bibes *Thasium odoriferum, & bene spirans Lesbium, & quoddam suave Creticum, & dulce Syracusium, & Mendesium quoddam Ægyptiacum, & insulare Naxium;* quod tibi propinabunt *Theridei calices, Antigonides, canthari Labronii, Lepastæ,* non sine, *Pssycteribus* & *Oenochois.* Satyram Varronis περὶ ἐδεσμάτων nuspiam religiosiùs obsérvari videbis: nam in Triclinio nostro reperitur *Pavus è Samo, Phrygia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonia, muræna Tartessia, asselli Pessinuntii, Ostrea Tarentina, Pectunculus Chius, ellops Rhodius, Scari Cilices, nuces Thasiæ, Palma Ægyptia, glans Hiberica.* Nihil restat, nisi ut ad hanc tam exoptatam prædam advoles. Quàm te delectabunt *sellæ argenteæ, pelves & acetabula, scutellæ & catini & præterea vasa aurea & argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia ad alios usus, ex sectili cedro, thuris virgulto, ebenóque, & ebore instructi tripodes, lectíque argentei pedes & ex ebore compacti, & stragulæ vestes purpureæ,* &c.

Clem. lib. 2. Pædag. cap. 2. 3.

Gell. lib. 7. c. 16.

E

F

VI. *Jesuitas non degere in villis & castellis, sed in amplis & populosis civitatibus.* G Mirum, ni cum S. Hieronymo in Syriæ; aut cum S. Antonio in Ægypti aliquam solitudinem migremus; ibíque ludos literarios instituamus; concionemur, confessiones audiamus, ægros vinctósque visitemus ac consolemur, aliáque munia obeamus, quæ obiri nequeunt, nisi quis inter homines degat. Dic, Epistolista; quò se confert mercator, ut rem faciat? Num in desertum, an ad celebria emporia? Num ad loca sola, ubi vel nullus vel pauci incolæ; an ad ea, quæ hominum concursu frequentantur? Quanquam non omnes civitates, in quibus domicilia fiximus, pares sunt Romæ, Mediolano, Toleto, vel Ulyssiponi: Multis multò minoribus contenti sumus. In Indiis certè, & Japonia, imò & in Germania pagos invenies, in quibus Jesuitæ habitent. Nec erimus tam difficiles, ut, si qui ex Calvinistarum vel Lutheranorum proceribus suis in pagis vel oppidulis sedem nobis, juventutis & populi docendi gratia, tribuere velint, talem liberalitatem recusemus.

VII. *Jesuitarum collegia esse palatia, optimo civitatum situ condita; reditibus & supellectile probè instructa, ne quid desit.* H Priorem partem hujus calumniæ, quæ est de palatiis & commoditate situs, fusè refutavi lib. 2. de modo agendi Jesuitarum cap. 4. & lib. 1. cap. 3. Et in Refutatione Historiæ Hasenmüllerianæ cap. 6. potissimùm in Appendice, quam ex S. Thoma & S. Bonaventura adjeci; nam & olim Ordines S. Dominici & S. Francisci eadem criminatione pulsati sunt. *Cùm sancti Patres laudentur in casellis, & vilibus habitaculis habitâsse, quid est, quòd vos altas, & magnas domos erigitis,* &

A *& oratoria ſumptuoſa, & areas latas magno pretio comparatis, cùm ſitis pauperes, & mendici, & contemptores mundanorum eſſe debeatis.*

B Reſpondet S. Bonaventura: *Cùm inter homines nos manere oporteat, aut ergo extra muros civitatis, aut intra:* Et cùm fusè oſtendiſſet, cur in ſolitudine extra hominum ſocietatem non vivant Ordinis S. Franciſci Patres, addit: *Quòd ſi intra muros habitamus, ubi propter frequentiam populi areæ clariores ſunt, oportet & nos areas cariùs emere, quantum ſufficiant pro clauſtro, Oratorio, & officinis congruis, pro conventu, hoſpitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quàm pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, & ſani conſerventur, & laſſi in ſpiritualibus recreentur. Seculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris. Religioſi verò, qui in cellarum recluſoriis religantur, niſi aliquam intus habeant aëris recreationem, citò langueſcentes tabeſcunt, & ad ſtudia ſpiritualia inhabiles efficiuntur, ita quòd nec ſibi, nec aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in ſapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina ſalutis. Et quamvis perfectis omnis locus*

C *aptus ſit pro diſciplinæ internæ exercitiis, imperfectis tamen, & adhuc egentibus eruditione virtutis, opus eſt etiam exteriori diſtinctione officinarum clauſtralium, ut ſciant, ubi facere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, ſcribere, vel comedere: ubi ſit requies infirmantium, ubi repauſatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in collegiis ſunt neceſſaria; ne, ſi confusè & indifferenter omnia fierent pro libitu, jam nec diſciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fratres, ſicut expedit, ſervaretur, quod eſſet in magnum detrimentum Religionis, & in ſcandalum alienis, & in deſtructionem ſalutis; quia nec minores diſcerent, à quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent.* Huc usque S. Bonaventura. Si quis tamen animo non li-

D vido Collegia noſtra luſtrare velit, longè plura inveniet, quæ ſpeciem Magaliorum, quàm quæ magnificentiam Palatiorum præferant. Neque hîc quoque alio, quàm ſenſu & experientia opus eſt; tametſi invidis oculis etiam parva ac tenuia, nimis magnifica & grandia apparent. At cedo, Epiſtoliſta; num Jeſuitas amares, ſi in caſis luteis & tuguriolis ſtramine tectis habitarent? Non magis, quàm modò. Ipſos propter ipſos, vel potiùs propter veræ fidei defenſionem odiſti; non propter Collegiorum amplitudinem; nec propter reditus & ſupellectilem. Num ſoli Jeſuitæ ex omnibus religioſis familiis annuos proventus & ſupellectilem habent? An non nôſti aliqua Monaſteria, quibus ſingulis ſit longè amplior annuus reditus, quàm duodecim vel tredecim Collegiorum

S. Bonav. q. 6. Reg. S. B. Franciſci.

Jeſuiticorum? Quòd ſi Collegia Jeſuitarum E ideo duntaxat averſaris, quòd gaudeant annuo vectigali; ama domos Profeſſas, earúmque indigenas; quia eo carent. Illud autem horribile Epiſtoliſtæ noſtri mendacium eſt; *Patrem Ignatium nobis prohibuiſſe veſtes incultas, cilicia, & cibos agreſtes.* Ubi hæc prohibitio?

VIII. *Monachos mundo prodere proprios* F *defectus ſuos pœnis conſpicuis & corporis afflictivis; Jeſuitas verò in puniendis delictis multa circumſpectione uti, ſubitisque & ſecretis oſtraciſmis, aut honeſtis & longinquis relegationibus quoſvis errores expurgare.* Nos, ùt & alii Religioſi Ordines diligenter inprimis operam damus, ne quis gravior caſus contingat: ſi quandoque, quia homines ſumus; turpior lapſus committatur, non Ordo, ſed is, qui committit, culpandus eſt. Nam quod S. Chryſoſto- S. Chryſoſt. mus dixit de Eccleſia; hoc ego verè ad Hom. de S. Religionis ſtatum accommodaverim. *Com-* Phoca. *mune theatrum erat arca Noë.* G *Sed Eccleſia melior eſt etiam, quàm iſta. Nam bruta quidem animalia illa recipiebat, & bruta conſervabat: hæc autem bruta recipit, & transmutat. Exempli gratia: ſi intraverit vulpes hæreticus, ipſum ovem efficio; ſi intraverit lupus, ipſum agnum efficio, quantum in me ſitum eſt: ſin autem noluerit, non id vitio meo fit, ſed ex ipſius improbitate. Quandoquidem Chriſtus etiam duodecim diſcipulos habuit, & unus factus eſt proditor; verùm, non propter Chriſtum, ſed propter animum ejus vitiatum: quandoquidem & Eliſæus diſcipulum habuit avarum, at non ob imbecillitatem doctoris, ſed ob diſcipuli negligentiam.* Hæc eleganter S. Chryſoſtomus.

H Quid verò Religioſorum caſus & ruinas in triviis & compitis, quaſi tubæ & buccinæ ſonitu evulgare & propilare attinet, cùm multi ex curioſitate non modò per ſe vera crimina ſtudiosè inquirant & expiſcentur, ſed & falſa comminiſcantur, ut non tantùm hunc vel illum, ſed totum Ordinem infament, quaſi omnes ejusdem ſint notæ & monetæ. *Ad quid enim aliud* S. Auguſt. *ſedent iſti*, inquit S. Auguſtinus, *& quid* Epiſt. 137. *aliud captant, niſi ut quisquis Epiſcopus vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit; omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas: Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur;* qui (Hæretici) *non habendo, quod in cauſa ſuæ diviſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, ut, quia ipſam divinæ ſcripturæ veritatem, qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari*

A *nari & obſcurare non poſſunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, poſſunt.* Hæc & plura in hanc ſententiam ùt veriſſimè, ita & ſcitiſſimè S. Auguſtinus.

B Cùm olim tempore S. Chryſoſtomi ex Chriſtianis non pauci Judaica feſta & jejunia obirent; ídque ab ipſis fidelibus ſpargeretur & divulgaretur, graviſſimè in hujuſmodi *famigeratores*, ùt Comicus appellat, invectus eſt pro concione S. Chryſoſtomus: *Etiamſi multi ſint, qui jejunârunt*, (cum Judæis) inquit S. Chryſoſtomus, *tu*, dilecte, *ne evulges, ignominiáq; exponas Eccleſiæ calamitatem: ſed medere potiùs: Et ſi quis dixerit, multi jejunârunt; obtura illi os, ne fama divulgetur, eique dicito: Ego quidem non novi; deceptus es homo, fallerisque, cúmque unum, atque alterum interceptum videris, dicis illos eſſe multos. Ac delatori quidem impone ſilentium; cæterùm eos, qui intercepti ſunt, ne neglexeris; ut utrinque multa ſecuritas contingat Eccleſiæ, tum ex eo, quòd fama non ſit vulgata, tum inde, quòd eos ipſos intercep-tos ad ſacram gregem reduxeris.*

S. Chryſ. lib. 6. contra Judæos.

C *Ne igitur obambulantes referamus, qui peccaverint; ſed feſtinemus, ut eos ſolùm, qui peccârunt, corrigamus. Eſt enim prava conſuetudo, tantùm accuſare fratres, nec illorum curam habere; vulgare mala infirmorum, nec mederi. Auferamus igitur hanc pravam conſuetudinem chariſſimi; neque enim ea mediocrem peſtem invehit. Et quo pacto, ego dicam. Audivit aliquis ex te, quòd multi cum Judæis jejunaverint; miniméque expendens, quo animo dixeris, alii id verbum aperuit; rurſus ille parùm attentus, alteri hoc ipſum elocutus eſt, deinde paulatim hac mala fama increſcente magnum quidem probrum offunditur Eccleſiæ: his verò, qui periêrunt, nulla affertur utilitas, quin potiùs graviſſima noxa tum his, tum aliis. Etiamſi enim pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus multis multos facimus, & eos, qui ſtant, imbecilliores reddimus: & eos, qui ad caſum proclives ſunt, impellimus.*

D *Ne igitur vel ſuper hoc, vel ſuper alio quovis improbo facto gaudeamus, etiamſi multi fuerint peccatores; traducere eos, ac dicere multos eſſe; ſed potiùs obturemus os, & coërceamus. Ne mihi dixeris, multi ſunt, qui jejunârunt; ſed corrige multos. Non ideo mihi conſumptum eſt tantum verborum, ut accuſes multos; ſed ut ex multis facias paucos: imò potiùs ne paucos quidem, ſed & hos ipſos etiam ſanes. Ne itaque evulges peccata, ſed ſana. Quemadmodum enim, qui evulgant, & in hoc tantùm vacant: etiamſi pauci fuerint, qui peccaverunt, faciunt, ut multi eſſe putentur: ſic qui cohibent, ac ſilentium imponunt traductoribus, lapſorúmque curam habent, etiamſi multi fuerint; & eos ipſos facilè corrigunt, nec quenquam ſinunt ex horum fama lædi. Non audiſti, quòd David deplorans Saulem, dixit:* Quomodo ceciderunt potentes? Ne annuntiaveritis in Geth, neque prædicaveritis in viis Aſcalonis; ne lætentur filiæ alienigenarum, neque exultent filiæ incircumciſorum. *Quòd ſi ille rem manifeſtam noluit evulgari, ne adverſariis gigneret voluptatem: Quantò magis non oportet hæc efferre ad aures alienas: quin nec ad noſtrorum aures: ut neque hoſtes audientes gaudeant; neque noſtri, re cognita, concidant; ſed oportet cohibere rumorem, & undequaque compeſcere. Ne mihi dixeris, hoc illi dixi, apud te ipſum contine verbum. Quemadmodum enim tu non potuiſti tacere, ita nec ille poterit hæc apud ſe continere.* 2. Reg. 1. E

Hæc quamvis prolixiora ex S. Chryſoſtomo recitare placuit, quia ſaluberrima monita & documenta continent; quæ utinam alienorum vitiorum ac defectuum tam accurrati inquiſitores non modò ad aures, ſed & ad præcordia admitterent, imò & in præcordia demitterent; forſan plus temporis ſibi curandis impenderent, & in aliorum ægritudinibus indagandis minus temporis perderent. F

Interim, ut Epiſtoliſtæ noſtro aliquid, quod ejus proprium ſit, & calumniam ab eo nobis intentatam propiùs percutiat, reponam; accipiat hæc Tertullianéa dicta, ex quibus quis ſit Ordo noſter, qui Jeſuitæ, quæ ratio puniendi, perſpicuè, ſi velit, intelliget. *Corpus ſumus de conſcientia religionis & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad divinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmovere cogit, aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus: Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu; ſummúmque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Hæc Tertullianus. G Tertull. in Apolog. cap. 39.

Suadeo tibi, Epiſtoliſta, ut Caſſianum lib. 4. de Inſtitut. Renunciant. cap. 16. legere digneris, ubi varia & leviorum & graviorum delictorum exempla percenſet; & quomodo puniri ſoleant, exponit. Tu ſimile quid apud nos fieri exiſtima; nec à ſcopo aberrabis. Nec ægrè ferre meritò potes, ſi tu non advoceris, quoties quis apud nos vel ob graviorem vel ob leviorem transgreſſionem pœnas luit; quia cujus coloris ſis, neſcimus; nec ubi degas, compertum habemus, & *Polytopum* ac propè *Semiubi-* H

miubiquistam te esse oporteret, si tu; quoties quis ex nostris pœnitentiam subit, spectator adesse velles.

De Scholis & doctrina Jesuitarum.

A DE Theodoro Archiepiscopo Angliæ & Adriano Abbate hæc memoriæ prodidit Venerabilis Beda in Ecclesiastica Historia lib. 4. cap. 2. *Quia literis sacris simul & sæcularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ, & arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quòd usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam, Græcámque linguam æquè ùt propriam, in qua nati sunt, nôruut. Neque unquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuêre tempora, dum & fortissimos, Christianósque habentes reges cunctis barbaris nationibus essent terrori, & omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent: & quicunque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent*, &c.

B Scribunt Græci Historici Theophanes, Cedrenus, Zonaras, Manasses sub Leone Isauro Constantinopoli fuisse Collegium duodecim virtute & eruditione præstantium virorum, quorum hæc erat professio, juventuti tam sacras, quàm profanas literas tradere, & quidem *absque mercede. Tanta verò in opinione virtutis erant*, inquit Constantinus Manasses, *ut ne ipsi quidem Imperatores novi quiddam & inusitati ad moliendum vel agendum sibi putarent, illis in consilium non adhibitis.* Quos impius Leo unà cum eorum domicilio exussit, cùm eos ad impietatem Iconoclasticam nec dolo, nec vi, neque ullis aliis argumentis adducere posset.

C Laudat & Zonaras Alexium Comnenum Imperatorem Constantinopolitanum, quòd instituerit *Scholam Grammaticorum, in qua pupilli docerentur, & pauperum liberi, Magistris & Pædagogis constitutis, victúque tam docentibus, quàm discentibus ordinato.*

D Horum & plurium hujus generis vestigiis insistens nostra Societas, juventutis non tantùm pietate & bonis moribus, sed & ingenuis disciplinis instituendæ & informandæ curam ex professo suscepit, apertis Scholis, quas æquis oculis Novatores intueri nequeunt, non ignari, nihil minùs ad hæreseos propagationem & conservationem facere, quàm hujusmodi virtutis & eruditionis Gymnasia, in quæ emittunt Sectarii perpetim vipereæ linguæ suæ spicula; quos strenuè imitatur noster *Epistolista*, qui mentitur. I. *In Scholis nostris nec Aristotelem, nec Ciceronem audiri, sed Alvaros, Toletos, Molinas, & alios Societatis Doctores.* E Etsi doleo, istum mentiendi libidini tam projectè indulgere; gaudeo tamen eum hac tam aperta falsum asserendi prurigine omnem sibi fidem & auctoritatem detrahere. Quis enim nescit in omnibus illis classibus, quæ juventutem ad humanitatem erudiunt, Ciceronem primas tenere; Et ùt Patrem ac fontem veræ & solidæ eloquentiæ omnibus discipulis proponi? Idem de Aristotele in Philosophia intellectum volo. Neque hîc alia re adversarii egent, quàm sensu & experientia. Ingrediantur Philosophiæ & literarum amœniorum Scholas. Patent omnibus; audiant, an non audiantur è nostris pulpitis Cicero & Aristoteles.

II. *Ad Scholas nostras admitti duntaxat* F *opulentos & venustos, exclusis egenis & deformibus.* Iterum clamo: Veni, vide, & experire. Multos annos ipsemet docendo in Scholis consumpsi; semper plures tenuioris quàm lautæ & copiosæ fortunæ Discipulos numeravi. Pulchritudinem aliam non requirimus, quàm quæ ex ingenio probo, docili & ad semina virtutis literarúmque accipienda apposito, nascitur. His qui dotibus instructus est, satis nobis formosus est; Etiamsi habitu vultus & oris, & externo corporis cultu non sit Elegantiæ vel Aglaiæ filius. Etiam pauperis & invenusti anima pretioso Christi sanguine redempta G & rigata est. Æquè igitur curanda, ac anima ejus, qui divitiis Crœsum, & formositate Absalonem vel Homericum illum Nireum transcenderet. Verùm hac de re multa scripsi lib. 2. de modo agendi Jesuitarum, & in Apologiis contra Misenum. Legere etiam expediet priora capita Expostulationis Apologeticæ P. Richeomi, ubi de Scholis nostris & modo instituendæ juventutis accuratè disseritur. Et quantum æris ex discipulorum nostrorum institutione capiamus, cap. 81. disertè explicatur. Lege etiam eadem de re Franciscum Montanum in Apologia pro Societate JESU in Galliis cap. 41. & 42.

III. *Jesuitas sub religionis prætextu in te-* H *neros animos subditorum aut civium Scholas nostras frequentantium contemptus & inobedientiæ semina adversus naturales Principes spargere, persuadentes eis, quòd illi solummodo principi, quem nos veluti Monarcham omnium constituimus, obediendum sit.* Hanc quoque calumniam ab Arnaldo & Auctore Catechismi Jesuitici mutuatus est noster Epistolista: quasi Hispaniarum Regi ita essemus addicti, ut omnia sub ipsius ditionem redigere, ipsúmque Monarcham universi orbis creare velimus. Quæ non tantùm est falsa, sed & prorsus ridicula criminatio. De qua aliquid amplius dicere mihi religio est, quandoquidem solidissimè & copiosissimè depulsa est jam pridem à Francisco Montano in Apologia pro Societate JEsu in

A in Galliis contra Arnaldum cap. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 46. & 47. Extat hæc Apologia Gallicè & Latinè, ùt & Expoſtulatio Apologetica Richeomi, quæ hanc ipſam lœdoriam non ſemel fortiter & acriter profligat.

B Quod autem calumniator ſcribit, *quadam in civitate Italiæ nobis Scholas eſſe occluſas, quòd juventus unius Monarchæ*, Regis nimirum Hiſpani, *amore imbueretur*, id purum putum eſt Epiſtoliſtæ noſtri figmentum. Nam cur Patavii, (hanc enim urbem intelligit iſte) nobis docendi munus ablatum fuerit, docebit te Richeomus in Expoſtulatione cap. 9. & 64. Quis tam fatuus eſt, ut impoſſibilia tentet? Poſſibile autem eſſe, ut omnes illæ Provinciæ, in quibus Jeſuitæ degunt, in unius Hiſpaniarum Regis poteſtatem veniant, ille ſolus concedet; cui fieri poſſe videbitur, ut aut Parthus bibat Ararim vel Rhodanum, vel Rhenum; aut Germania Tigrim, vel Nilum, vel Gangem. Sed progrediamur.

C Rejiciunt noſtri illam *Phyſicam prædeterminationem*, quam in impii juſtificatione quidam ex Theologis excogitârunt, de qua à magnis ingeniis utrinque multos annos ingenti vi diſceptatum eſt. Occaſione hujus controverſiæ mentitur Epiſtoliſta noſter IV. nos docere, *Deum nolle phyſicè moverì animos hominum, ſed in æterna quiete ſua exſpectare, ut ſua gratia ad hoc deſtinati, cum merito bonorum operum ipſimet per ſe paradiſum acquirant.* Quis ex noſtrorum numero hoc unquam, non dicam, ſcripſit, ſed vel ſomniavit? Quis tam imperitus eſt, qui animos hominum in juſtificatione à Deo moveri, etiam Phyſicè, abnuat? Non eſt quæſtio de *motione*, quam omnes concedunt, ſed de *præmotione* & *prædeterminatione* omnem liberi arbitrii uſum antegreſſa. Quam qui negat, an ideo Deo in hominis juſtificatione omnem operam & actionem abjudicat, illúmque quaſi otioſum ſpectatorem facit, quomodo homo *Paradiſum*, D hoc eſt, ſalutem & beatitudinem ſuis viribus nanciſcatur? An ideo, ùt tu loqueris, *Deus non erit immobilis in ſua divinitate*, ſi mens hominis non prædeterminetur ad unam partem, ſed poſitis omnibus ad converſionem requiſitis libertas ei ſua maneat, ita, ut poſſit converti & non converti; quemadmodum poſitis omnibus ad ambulandum neceſſariis, liberum alicui manet, ut ambulet, vel non ambulet? Convicia illa ſive tua, ſive aliorum, cùm *Pelagianos & Epicuri diſcipulos* nos proclamas, nihil moramur, certi ea non ab intelligente & moderato, ſed à temulento & turbulento ingenio proficiſci. Nec verbulum amplius cum iſto ſuper hac re commuto. Habet, lector, tres libros *de concurſu, motione & auxilio Dei*, Auctore P. Franciſco Suaretz, Theologo præſtantiſſimo; Ex quibus perſpicuè intelliget, quàm vana ſint hæc de *Pelagianiſmo* & *Epicuriſmo* convicia, & quàm in Scriptura, Conciliis, Patribus, & rationibus probè fundata Theologorum noſtrorum doctrina. E

Dolet Epiſtoliſta plerosque Pariſienſium Theologorum, quos *Sorbonicos* vocant, tranſire in hanc ſententiam; *Pontificem eſſe ſupra Concilia, etiam Oecumenica, non Concilia ſupra Pontificem; Et hoc effectum ait ſtudio & opera Jeſuitarum.* Reſpondeo, licèt hoc labore & inſtitutione noſtrorum accidiſſet, non vi ipſius veritatis caput indies magis ex priſca caligine attollentis, ſéque & pulchritudinem ſuam propiùs & evidentiùs oſtendentis; cauſæ tamen nihil haberent Jeſuitæ, cur eos hujus ſuæ operæ vel puderet vel tæderet; quia veritatem aliis proponere & perſuadere, non niſi honorificum cenſeri poteſt; ùt & illud, veritatem, cùm offertur, amplecti. F

De Confeſſionibus.

G Hîc vix quidquam apparet, præter mendacia & convicia, aperta, lucu-lenta, & quæ millenis teſtibus refelli queant. I. *Jeſuitas in confeſſionibus audiendis, ſe præbere difficiles plebejis, atque pauperibus.* II. *Egenos ab illis fugari.* III. *Eosdem in abſolutione eſſe rigidos erga inopes.* IV. *In reprehenſionibus aſperos.* V. *In pœnitentia injungenda intolerabiles.* Hæc omnia cùm ſint fori interni, & taciti, undénam Epiſtoliſtæ noſtra adeò comperta ſunt, ut ea tam aſſeveranter affirmet? An ipſe in corde, ore, auribus & oculis omnium vulgarium & egenorum, qui hactenus noſtris confeſſi ſunt, cubabat, indéque omnia, quæ ultro citróque dicebantur & agebantur, auribus & oculis hauriebat? An poſt confeſſionis Sedem, ùt ille poſt carecta, latebat? Aliquid hujus generis factum oportuit, alioqui hæc, quæ occultè & ſub ſilentii velo peraguntur, tam accuratè non nôſſet. Interim tamen plebejorum & H inopum praxis & uſus Sectarium iſtum vanitatis & pſeudologiæ redarguit; quia frequentiores ad nos accurrunt, quàm opulenti, & quibus domi eſt rerum omnium abundantia: utique non accurſuri, ſi tractarentur, eo modo, quem tu hîc comminiſceris. Et quis Confeſſarius divini ſpiritus adeò exſors fuerit, qui non ex intimis medullis illud ſui Domini uſurpet? *Sinite parvulos*, hoc eſt, egenos, contemptos & deſpectos, *venire ad me; talium eſt enim regnum cælorum.* Scripſerunt ſancti Patres, Gregorius Nazianzenus & Gregorius Nyſſenus, integras Orationes *de amandis pauperibus*; & vir profeſſione Religioſus tam ineptè & irreligiosè delicatus ſit,

A ut vilis & abjectæ ſortis tenuísque fortunæ homines ſuo à tribunali rejiciat, vel admiſſos non in *ſpiritu lenitatis*, ſed *in virga ferrea* regat & dirigat? Quidquid vitiligatores iſti tricentur & cavillentur, hanc laudem Societati nunquam eripient, quòd nimirum æquè terat & obeat pauperum tuguria, Hoſpitalia, Xenodochia, ac Regum Principúmque Palatia: æquè captivorum carceres ac potentiorum arces; æquè inopum domicilia, ac locupletiorum limina; omnibus omnia facta, ut omnes lucrifaciat; ut vel hæc ſola ratio nonnullis eximere poſſit illam malè conceptam de Jeſuitarum faſtu & elatione perſuaſionem.

B Occurrit hìc, quod pro defenſione S. Baſilii, cùm ſuperbiæ & arrogantiæ accuſaretur, ſcriptum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, poſtquam ſummum Baſilii in egentes, languentes, morbidósque amorem & humanitatis affectum commemoraverat. *Quid ad hæc nobis dicturi ſunt, qui homini faſtum ſuperciliúmque objiciunt iniqui ſanè, ac duri rerum hujusmodi judices, atque obliquæ, & perverſæ regulæ admoventes? An verò probabile eſt, eum, qui leproſos deoſculetur, & huc usque ſe demittat, adverſus ſanos, & valentes ſupercilium attollere? Eum, qui carnes continentia, atque inedia conficiat, inani animi faſtu ſurgere? Eum, qui Phariſæum inſectetur, atque illius dejectionem ex arrogantia natam commemoret, Chriſtúmque ad formam uſque ſervilem ſeſe demiſiſſe, & cum publicanis eſitâſſe, & diſcipulorum pedes abluiſſe, nec crucem recuſâſſe ſciat, ut peccatum affigeret, &c. Eſtne, inquam, veriſimile eum ſuperbia efferri, ſéque omnibus anteferre, quemadmodum illius obtrectatoribus videtur? Sed illi, ùt opinor, morum conſtantiæ, atque exactæ gravitati, faſtus nomen impoſuerunt. At iidem homines facilè quoque mihi facturi videntur, ut & fortem temerarii nomine appellent, & prudentem, ac circumſpectum timidi, & temperantem agreſtis, & inhumani, & juſtum crudelis, atque ab hominum conſortio abhorrentis.* Hæc pro S. Baſilio S. Gregorius Nazianzenus.

Naz. orat. in laudem Baſilii.

C Luc. 18. Philip. 2. Luc. 5. Joan. 13.

D Nunc Epiſtoliſta noſter criminari & mentiri pergit. VI. Mendacium. *Jeſuitas adverſus divites & mulieres viduas aut conjugatas aliter procedere, parvula aut nulla indicta pœnitentia.* Nimis craſſo filo mendacia texis, ô Epiſtoliſta. Pœnitentia impoſita debet proportione quadam reſpondere debito & morbo. Quomodo igitur parvula eſſe poteſt, ſi grande ſit debitum; & magnus morbus? Pœnitentia impoſita pertinet ad integritatem Sacramenti, & vix unus vel alter caſus à Theologis admittitur, quo, nullâ impoſitâ pœnitentiâ, abſolutionem dare liceat. Quis ergo credat, Jeſuitas vel eſſe tam imperitos, vel profanos, ut Sacramentum hoc integritate ſua ſpoliare, hoc E eſt, mutilare & truncare velint, nulla datâ Pœnitentiâ divitibus, item mulieribus, viduis & conjugatis? Quis item credat, eos, qui judicis munere funguntur, directè adversùs officium, quod profitentur, agere; non reddendo unicuique, quod ei debetur, hoc eſt, imponendo ei aut nullam aut exiguam pœnam, cui debetur aliqua, & quidem grandior? Legatur Franciſcus Suaretz Tom. 4. Diſp. 38. de Pœnit. Sacram. Sect. 4. & 5.

VII. Mendacium. *Jeſuitas ſæpe abſque auriculari Confeſſione, ſola ſchedula conſignatorum errorum inſpecta, graviſſima eis peccata remittere.* Hoc itidem nimis pingue & obeſum eſſe commentum, docebit candidum lectorem idem, quia antea, Franciſcus Suaretz Diſp. 21. de Sacramento Pœnitentiæ. Sect. 3. Neque aliter docemus in Scholis, alitérve agimus in Eccleſia, cùm operam damus Confeſſionibus audiendis.

VIII. Mendacium. *Nos à quolibet pœnitente exigere confeſſionem generalem, licèt à Deo non mandatam.* Etiam hoc figmentum innumeris teſtimoniis eorum, qui nobis confitentur, refelli poteſt. Suademus confeſſionem generalem non quibuscunque, ſed qui ea indigere videntur, ídque ob immenſas utilitates, quæ inde redundant; abſolutè à nullo exigimus, ſi quis legitimè antegreſſas confeſſiones peregerit. Nec refert, hujuſmodi peccatorum ab ineunte ætate repetitorum confeſſionem à Deo non eſſe præceptam; nam multa alia, quæ non ſunt mandata, nihilominus admodum ſunt ſalutaria. Status Religioſus nulli eſt præceptus: Quid tamen hoc conducibilius? F

IX. *Jeſuitas cum mulierculis in confeſſione longis & frequentibus uti alloquiis, ut illis mediantibus, quidquid lubet, impetrent:* Calumniam hanc refellit hæc Regula Sacerdotibus noſtris præſcripta, quæ ſine dubio ab iſto *Epiſtoliſta* lecta eſt, cùm omnium manibus Regulæ noſtræ jam terantur. *Eos, qui crebriùs confitentur, maximè fœminas, breviter expediant, ne de rebus ad confeſſionem non pertinentibus in confeſſione loquantur: extra confeſſionem verò, ſi oportebit eas alloqui, longum ſermonem ne miſceant, & oculos modeſtè demiſſos habeant.* Et ne putes, hanc Regulam otioſam in charta quaſi cubare, abſque ullo uſu & obſervatione, ſanctè affirmare poſſum, diligentiſſimam dari operam, ut accuratè obſervetur omnibus ſuperfluis colloquiis ſeverè amputatis. G

X. *Jeſuitarum ſtudio ubique, velut examina Urſularum, Clericatarum Diaconiſſarum apparere;* Traducit, Tenebrio, mulieres illas, quæ noſtras Eccleſias frequentant; & apud nos Sacramenta percipiunt, & eò uſque aliquando progrediuntur, ut modeſtiorem & moderatiorem veſtitus formam, quàm nonnullis placeat, ſibi deligant, & ſodalitium quoddam inter ſe ineant; etiam caſtita- H

castitatis voto interdum nuncupato. Hoc iste livoris pullus ferre nequit, ùt & olim factum, quando institutione D. Hieronymi Romanæ quædam matronæ ac Virgines mundo muliebri abjecto, potiùs de cultu mentis, quàm corporis sollicitæ esse cœperunt. Ideo Epistolista tela venenatæ suæ linguæ depromit; Et in illis etiam hoc: dari his fœminis facultatem, *ut in casu magnæ cujusdam necessitatis Sacramenta administrare possint*: quæ ante hunc calumniatorem inaudita fuit calumnia. *At præbent*, inquit, *sororibus in conventiculis suis exosculandum toreuma quoddam consecratum & ad formam Agni Dei effigiatum.* Num verum dicas, an mentiaris, equidem nescio, quia his conventibus nunquam interfui. Si tu aliquando, ùt Clodius Bonæ Deæ sacris, clanculum te & sub fœmineo schemate insinuâsti, causæ nihil nobis supperet, cur tibi fidem abrogemus; quandoquidem, ùt jam sæpè vidimus, veraciissimus es, & mendacii tantus hostis & osor, quantus ille, cujus tu impulsu & moderamine, hanc, quam refello, Epistolam, mente concepisti, & postea papyro illevisti. At dic, Epistolista; num ideo conventus illius Præses seu Antistita Sacramentum administrat, quia reliquis imaginem Agni cœlestis thecæ alicui eleganter confectæ inclusam exosculandam offert? Estne hæc actio Sacramenti alicujus administratio?

At ringeris, tales conventus celebrari: Et fortè mavis, ut tua uxor, si quæ tibi; aut soror, aut cognata, nocturna illa obeat & adeat conventicula, quæ à Medeis, Canidiis & id genus aliis Pharmaceutriis frequentari consueverunt.

Ais: *Hæc Synedria nuper primùm prodita, & in lucem extracta; antea ipsos etiam maritos, parentes, liberos & alios conjunctos latuisse.* Corona civica proculdubio debetur illi, qui primus ista in luminis oras protulit. At ubi, obsecro, quando? Et quis ille, cui hæc gloria patefaciendi tam arcana mysteria obtigit? quæ retegi pluris Reipublicæ intererat, quàm olim sacra Eleusinia, aut Samothracia; aut Romæ Bacchi orgia. Fabulabantur etiam olim Arnaldus & Arnaldistæ similia de virorum conventiculis in Gallia. At securi estote. Ab illis, qui pietatis nomine conveniunt, nihil periculi publicæ paci imminet, prout imminet ab illis factionibus, quas Calvinistæ & Lutheranistæ conflant in Catholicis urbibus & Provinciis; in quibus hæresi nihil aperti loci relictum est. Istæ clandestinæ coitiones in apertam flammam & commune incendium tandem erumpunt; ùt experientia nimis quàm frequenti cognovit nostra ætas. Sed hac de re multa dixi in Apologiæ Gallicanæ Defensione contra Misenum Calviniistam. Vide etiam Franciscum Montanum c. 56. suæ Apologiæ. Cruciat nimirum Hæreticos, quòd plures ex honestissimis itidem matronis & virginibus templa nostra petant, & in iis aliter instituantur, quàm in Lutheri aut Calvini tabernis eruditi soleant; ubi nulla fit melior, sed deterior, etiam quæ priùs proba. *Video genus hominum exoriri*, inquit Erasmus de Zvvinglianis & Lutheranis Epist. lib. 20. in Epist. ad nutantem quendam Monachum, *à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem; Deteriores omnes, quot quot ego sanè noverim*, &c. Sic excutiuntur (cæremoniæ) *ut pro libertate spiritus succedat effrenis carnis licentia*, &c.

Idem Epist. ad Bucerum lib. 19. Epist. *Novi quosdam optimos, priusquam huic professioni* (sectæ Lutheranæ & Zvvinglianæ) *se se addicerent: quales nunc sint, nescio: certè aliquot comperi factos deteriores; nullum meliorem.*

Idem Epist. ad Melanchthonem lib. 19. Epist. *Olim Evangelium ex ferocibus reddebat mites, ex rapacibus benignos, ex turbulentis pacificos, ex maledicis benedicos, hi* (sectarii nostri temporis) *redduntur furiosi, rapiunt per fraudem aliena, concitant ubique tumultus, malè dicunt etiam de bene merentibus: novos hypocritas, novos tyrannos video, ac ne micam quidem Evangelici spiritus: nam hoc solum habent Evangelicum, quòd semper egent plerique.* Quare *semper illis est inserviendum, & subinde numerandum viaticum.* Quod Erasmus dicit de hæreticis viris, hoc & ad fœminas sectarias securè accommoda: quia eadem est & illorum & istarum ratio, idémque improbitatis genius.

Porrò ut religiosi eò minùs maledicorum obtrectationes & oblocutiones curarent ob mulieres, quæ studio pietatis ductæ in eorum Ecclesiis Sacramenta percipiunt, séque hujus vel illius Ordinis studiosas profitentur; divinitùs mihi factum videtur, ut Evangelistæ non tacuerint, sed publicis & æternis literarum monumentis prodiderint, Christum his religiosis Ordinibus exemplo suo præivisse, fœminásque sibi & Apostolis religiosissimè & castissimè addictas habuisse. Videamus, quid S. Lucas scribat. Luc. 8. *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella prædicans & Evangelizans regnum Dei: Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ* (en in Christi & Apostolorum, comitatu, mulieres) *quæ erant curatæ à spiritibus immundis & infirmitatibus; Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem Dæmonia exierant, & Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & aliæ multæ* (en non paucas, sed multas) *quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* En non tantùm sequuntur Christum, sed & alunt; ùt & Apostolos.

Neque Christum rebus duntaxat prosperis, sed & adversis constanter secutæ sunt, etiam usque ad Montem Calvariæ & crucifixionem. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè*, inquit S. Matthæus, *quæ secutæ erant* Cap. 27.

A *JEſum à Galilæa, miniſtrantes ei*, &c. Similia S. Marcus. Quocirca hoc Ducis ſui exemplo muniti Religioſi (ut taceam exempla Apoſtolorum & ſanctorum Patrum, nominatim S. Hieronymi, cujus Diſcipulæ fuerunt Paula, Euſtochium, Marcella, & plures aliæ, pudiciſſimæ matronæ & virgines,) vociferationes & ſuſpiciones Novatorum ſurda aure præterire poſſunt; qui ex animo ſuo omnes alios æſtimant, quámque inculpatè & innocenter vivant, his ipſis ſuis contra alios contumeliis manifeſtè produnt.

B XI. Mend. *Nos cum Magnatibus duntaxat commerciùm habere.* Hoc mendacium jam ſuprà profligatum eſt. Nec eget ampliore refutatione; quia refellitur quotidianis noſtrorum actionibus & charitatis operibus in Hoſpitalibus, Noſodochiis, Xenodochiis, carceribus, ruſticorum caſis & tuguriis; in plebejorum domunculis, & in locis, ad quæ pueri & puellæ Catechismi diſcendi gratia congregari ſolent.

C XII. Iterum mentitur, *nos opulentis & mulieribus blandiri, ut nobis confeſſariis utantur; Egenos & tenuis fortunæ homunciones negligere; & ad fraterculos ablegare, quòd iſti nullis urgeantur ſcrupulis; illi pluribus, quibus eximendis non niſi viri eruditi idonei ſint.* Audi criminator. Regula Sacerdotibus iſtud edicit. *In audiendis confeſſionibus, fœminarum præſertim, ſeveros potiùs ſe, quàm familiares exhibeant.* Neminem ad Eccleſias noſtras pellicimus; patent omnibus intrare & noſtra opera uti volentibus, ſive pauperes ſint, ſive divites; ſive viri, ſive mulieres. Abſtinenti à noſtro templo, conſortio, & conſuetudine, nec diem dicimus, nec dicam ſcribimus. Stipem ab illis nullam poſcimus. Poſtulatio hæc tuæ imaginationis inane ſomnium eſt: Si quid quandoque vel ad ſacram Eccleſiæ ſupellectilem ornandam, vel ad domeſticam inopiam ſublevandam ſponte & liberaliter confertur, quod crimen hac beneficentia uti, præſertim cùm quorundam Collegiorum proventus tam ſint minuti, ut niſi piorum munificentia accedat, collegis parcè etiam alendis non ſufficiant; ut jam nil dicam de Domibus Profeſſis, quibus nulli planè ſunt reditus. Doctos confeſſarios aptiores eſſe conſcientiis intricatis extricandis, & difficultatibus caſuum, quibus laborant, enodandis, nemo inficiabitur, præter illos, qui qualem ſcientiam & peritiam tribunal hoc conſcientiæ exigat, non intelligunt: nos autem his nodis enodandis peritiores artifices eſſe, quàm Monachos; id non eſt noſtra aſſertio, ſed hujus Epiſtoliſtæ criminatio.

D XIII. *Jeſuitas in Camera meditationum, quarum ſecreta nefas ſit revelare, exſtimulare ſibi addictos ad internecionem Hæreticorum; & quidem non privatorum tantùm, verùm etiam magnorum Principum & Regum, exemplo Aodi, & Martyrii corona, aliisque in cælo propoſitis præmiis.* Hæc calumnia ex Arnaldi & ſimilium mendaciloquentiſſimis & probroſiſſimis Invectivis & Satyris deſumpta eſt, de qua abſit, ut verbum addam, quandoquidem copioſiſſimè & diſertiſſimè refutata, & ex imis fundamentis everſa eſt à P. Richeomo in Expoſtulatione Apologetica cap. 40. & aliquot ſequentibus. Et à Franciſco Montano cap. 54. & multis aliis conſequentibus: Et à me ipſo in ſtigmate Miſenico; & in aliis Apologiis contra Calviniſtam Miſenum; & contra Lermæum, ubi uſus ſpiritalium exercitationum à vanidicis ſcommatis vaniſſimi Calviniſtæ vindicatus eſt. Mera mora fuerit in his refellendis immorari. Nihil affert iſte, niſi repetita ex Arnaldo & id genus aliis convicia & mendacia; tametſi ea nova & Epiſtolari veſte veſtivit, ut, quæ capitales noſtri hoſtes commenti ſunt, ea nunc videatur Jeſuita ſuo ore & ſtylo affirmare. Tot millia in toto Chriſtiano orbe his pietatis exercitationibus vacârunt; & quidem omnis conditionis & ſtatus homines. Quis unquam repertus eſt, qui dixerit, ſe ad cædem ullius, nedum Principis aut Regis, fuiſſe vel minimo verbulo incitatum: Et exemplo Aodi, vel ſpe Martyrii ad tale facinus impulſum?

E

F

G Ait Epiſtoliſta. *Opus meritorium cenſeri, ſi ſubditi ejus Principis, qui mandatis Romani Pontificis obedire recuſat; juramento fidelitatis ſolvantur, ſeque Principi Pontificis Romani decretis obtemperanti ſubjiciant.* Mi Epiſtoliſta, tam timidi & trepidi non ſumus, ut aſſerere palàm vereamur, Romanum Pontificem poſſe, ſi neceſſitas exigat, ſubditos Catholicos ſolvere juramento fidelitatis, ſi Princeps tyrannicè illos tractet, verámque religionem extirpet; & addimus, ſi hoc à Pontifice prudenter & circumſpectè fiat; eſſe *opus meritorium.* Quid vis amplius? Liquet hoc ex diſputatione de poteſtate Pontificis apud Bellarminum lib. 5. de Pontif. & apud alios ſcriptores. At num propterea Pontifex hac ſua poteſtate ſemper & in quosvis immorigeros, & Catholicæ fidei hoſtes utitur? An non illius memor eſt? *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Quot Reges & Principes ſuis ex ditionibus veterem & avitam Religionem ſtirpitus exciderunt, & ſubditos etiam vi ad Lutheri aut Calvini caſtra pertraxerunt; an ideo Pontifex hoc remedio adversùs eos uti voluit? Num propterea ſubditis jusjurandum relaxavit?

H Sed jam ſequitur XIV. Epiſtoliſtæ mendacium. *Si ob potentiam inobedientis Principis ad hujusmodi apertas declarationes pervenirì nequeat; tunc Decretalibus minimè fore contra-*

A *contrarium, occultè talem Principem è vita tollere, peccatorum absolutione aut præmio interfectoribus proposito.*

XV. Mend. *Docere hoc Joannem Marianam.*

XVI. *Marianam venena & horum compositiones, tanquam tutissima media, proponere.*

B XVII. *Monere insuper, venena ad tollendos Principes & Reges præparata, cuilibet bono Catholico semper debere esse in promptu.* Hæc mendacia propter summam atrocitatem conjungere volui, ut simul profligentur. Dico igitur, falsissimum esse, quòd Decretis & Decretalibus Pontificiis conforme sit, ut Princeps occidatur, maximè à privato, ea solùm de causa, quia jussis Romani Pontificis non paret; neque in Decretis vel Decretalibus ulla umbra doctrinæ hujus apparet; neque ullus Catholicus hoc unquam docuit; tantum abest, ut Mariana lib. 1. cap. 6. de Regis institutione hoc tradiderit. Nam eo loci disputat de Tyrannis; quorum duplex genus, unum eorum, qui alienas ditiones violenter contra jus & fas invadunt & detinent; qualis Tyrannus, Rex Turcarum. C Alterum eorum, qui legitimi quidem sunt & fuerunt Principes; sed postea legitimam potestatem vertunt in tyrannidem. De tyranno prioris generis non est difficultas, per se loquendo. De tyranno posterioris generis potissimùm contenditur. Quid verò tam Mariana, quàm alii Theologi sentiant, eruditè explicatum invenies in Refutatione Aphorismorum Calvinianorum cap. 3. Aphorismo primo; quam non ita pridem evulgavit *P. Sebastianus Heissius* Societatis nostræ Theologus: Cùm refelleret pares tuis Aphoristæ in Marianam & Jesuitas criminationes; nec ovum ovo similius, quàm tu Epistolistæ illi Aphoristæ, nisi fortè unus & idem es.

D Utcunque sit, dic, Epistolista, éstne omnis ille Princeps, qui Pontifici Romano obtemperare abnuit, Tyrannus primo vel secundo modo? Num hoc Jesuitæ tradunt? Num omnis ejusmodi Princeps sententia judiciali declaratus est hostis & oppressor patriæ, & tanquam omnis juris & æqui violator ad cædem cuivis, etiam privato, expositus? Hoc enim requirit Mariana, ut tyrannus secundi generis à privato occidi possit; vel saltem, si talis sententia judicialis ferri nequeat; ut communis populi vox clamet, accedente eruditorum assensu & comprobatione, hunc vel illum Principem esse tyrannum. Num hæc secunda conditio reperitur in omni illo Principe, qui à Romana Ecclesia alienus est? Num hoc scripsit Mariana? Num alius Jesuita? Quamquam, ùt rectè monet loco citato noster *Heissius*, hæc opinio, quoad hanc secundam conditionem, privata Marianæ fuit. Communior sententia est, nunquam licitum esse manus Principi in Tyrannum secundi generis transformato inferre E ante publicam & judicialiter latam sententiam, qua hostis Reipublicæ solenniter declaretur, adeóque potestate, qua potiebatur, ab his, quibus jus est, exuatur. Num hoc fit cum quocunque Principe, qui Pontificem Romanum non agnoscit? O immanes, barbaros & truculentos calumniatores, quibus nulla ampliùs gutta sanguinis in fronte supereſt, ut saltem vel paululùm erubescere, Deúmque & homines revereri queant!

F Cuderunt hanc Sycophantiam de Tyrannis ante aliquot annos Gallicani conviciatores Arnaldus, cum gregalibus suis; inde manavit in Germaniam & alias Provincias; sed eam cùm alii scriptores, tum præcipuè Richeomus & Franciscus Montanus in suis Apologiis ita depulerunt & prostraverunt, ut quivis, cui invidia oculos non effodit, manifestissimè videat, Jesuitis summam irrogari injuriam, quando traducuntur, quasi doceant, quemlibet ab Ecclesia Romana aversum Principem, Tyrannum esse primi vel secundi generis, & hoc titulo à quovis promiscuè, etiam privato, cædi posse. Diabolica hæc est lœdoria & pseudologia Hæretica, non doctrina Jesuitica.

G Jam quod attinet ad venenum, flagitiosissime mentitur Epistolista: Tantum enim abest, ut Mariana concedat, fas esse quemlibet à Catholica religione alienum Principem veneno tollere, ut manifestissimè non paucis argumentis probet, ne Tyrannum quidem primi vel secundi generis, etiam post judiciariam contra illum latam sententiam, & communem totius populi & eruditorum suffragationem, veneno licitè tolli, si Tyrannus ipsemet venenum illud sumere & sibi applicare debeat, ùt fit, cùm esculenta & poculenta veneno inficiuntur. Hæc cùm Mariana expressissimè scribat, audet tamen effrons iste tenebrio mentiri, Marianam venenum, tanquam tutissimum Tyranni occidendi medium proponere; addítque adhuc horribilius & magis Diabolicum mendacium, *Marianam monere, ut quilibet bonus Catholicus venenum hujusmodi semper in promptu habeat.* O digitos decurtandos, qui hoc in chartam referre non horruerunt! O linguam mutilandam, quæ hoc tam sceleratum mendacium eloqui ausa fuit! Nullum verbum de hoc Mariana. Inspiciatur, legatur. Liber est in medio. Cui tam ferreus vultus est, ut hoc de Mariana scriberet; illi nullum commentum tam abominabile occurret, à quo divulgando sibi sit temperaturus. Satis de Mariana. Reliqua videamus.

H XVIII. Mendacium. *Jesuitarum impulsu aliquando à Patre filium, & à cognato cognatum hæreditate privari.* Est & hæc calumnia ex Arnaldico promptuario deprompta, à qua non abludit sequens.

XIX. *Je-*

A XIX. *Jesuitas se, & collegia sua ditantes, debita hæreditate liberos, & parentes eorum spoliare, damnúmque privatorum domibus & principatibus afferre.* Hanc & præcedentem criminationem fusè refellit Montanus in Apologia contra Arnaldum, præsertim cap. 38. Quò lectorem amando; ubi præclara exempla invenies, quàm Jesuitæ sint *Hæreditapetæ*, sive, ut propter nova convicia, novum vocabulum cudam, *Testamentipetæ*: Eadem de re, ùt & de Novitiorum Hæreditatibus, diffusè scripsi in Apologetico adversùs Lermæum cap. 4. & lib. 2. de modo agendi Jesuitarum cap. 2. Vide etiam Richeomum in Expostulatione cap. 71. & 69.

B Olim integræ civitates, imò & ditiones Religiosis quibusdam Ordinibus vel testamento legabantur, vel alia ratione in perpetuum donabantur; Adolescentes item luculentissimis patrimoniis instructi Monasticum habitum induebant, séque & sua omnia, absque ulla exceptione, Deo dedicabant; & vix erat, qui contrà hisceret. Nunc si vel parvula summa Testamento, vel alicujus in Ordinem ingressu ad Jesuitas deveniat, cœlum clamoribus impletur, & tantùm non Attalicæ opes invidiosè ubique plenis omnium buccis deprædicantur. Quæ causa horum? Ista, opinor, quia olim Judas vel nullos, vel paucos habebat fratres, qui effuso in caput Domini pretioso unguento vociferarentur; *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis?* At nunc omnia hujusmodi pauperum curatoribus abundant; eámque ob causam omnia item hac querimonia perstrepunt. Sed ex qua mente processerit, exponit nobis Evangelista: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Joan. 12.

C Nec portabat tantùm, sed & harpagabat; quia fur erat. Fallor, an eadem causa has querelas Epistolistæ nostro, Arnaldo, Lermæo, & omnibus aliis expressit? Fures sunt non tantùm animarum, quas suo domino subducunt, & diabolo vendunt; sed & bonorum, quæ boni in Ecclesiæ Gazophylacium vel jam intulerunt, vel inferre cupiunt. *Colore tantùm malitia aliquo indiget*, ait veterum quispiam apud Aristotelem lib. 1. Rhetoricorum. Id & hîc olim factum, & fit quotidie. Pauperum cura & alimonia prætexitur malitiæ prædandi & expilandi ea, quæ Domino consecrata sunt, vel adhuc in dies singulos consecrantur. Et tamen isti Jesuitas in scenam ita ducunt, quasi cum Ulysse in Schola Tiresiæ modum ditescendi & artes Testamenta captandi didicerint. Ex his & supradictis corruit quoque sequens calumnia. Horat. lib. 2. serm. Sat. 5.

D XX. Mend. *Rectores cum senioribus deliberare, imò & definire, quomodo viris & mulieribus, viduis & maritatis obsequium & beneficentia erga collegia debeat persuaderi, qua ratione principum gratiæ insinuetur*, (ita loquitur Epistolista) *quibus mediis voluntas eorum captetur, & quibus in possessionem animi & opinionis populorum perveniatur.* Nemini mirum accidet, si iste mentiatur de rebus abstrusioribus, cùm paulò antea de *veneno* ex Mariana, re, quæ in propatulo est, & à quovis deprehendi potest, tam propudiosè & flagitiosè mentitus fuerit: Non est isthæc nostrarum consultationum materies; quia etiam sine multa deliberatione liquet; quibus instrumentis & officiis populi & Procerum animos Religiosus Ordo sibi devincire possit: Nimirum, *virtute ambire oportet*, inquit Comicus, *non favitoribus: sat habet favitorum semper, qui rectè facit.* Ita Ordo Religiosus, qui diligens & accuratus Regularum suarum & vitæ spiritualis & disciplinæ observator est, déque aliis, sive sint Principes, sive plebeii, convenienter suæ professioni, bene mereri studet; & re ipsa etiam bene meretur, ubi se dat occasio; Et si in his omnibus, non alium finem, quàm divinæ gloriæ amplificationem, salutémque animarum spectet; paratam & expeditam rationem, mentes hominum sibi conciliandi, tenet. Si aliâ viâ graditur, & ad aliam metam collineat, ùt Epistolista nos facere criminatur, se ipsum & alios decipit; & cùm tanquam beatum se circumspicit, maximè miser est & miserabilis. Quis autem Ordini Religioso det crimini, si debitis mediis procurare conetur, ut hominum voluntates, præcipuè Principum, propitias & benevolas habeat; cùm id plurimùm referat ad eum finem, cujus gratia Religiones institutæ sunt?

G De Eleemosynis acquirendis nil opus Religioso longis consiliis; quia novit illud: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Item illud: *Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*; quod de Domibus professis ex sola piorum liberalitate viventibus potissimùm dixerim; nam Collegiis, quæ duodecim Scholasticis alendis sufficiunt, vetitum est nostris sanctionibus eleemosynas petere, vel ultro oblatas accipere; nisi essent res parvi momenti, & à personis magnæ auctoritatis, quarum offensio metuenda foret, offerrentur, ídque rarò. Tenuioribus itidem Collegiis certæ leges in admittendis eleemosynis positæ sunt; Quæ profectò cautiones & restrictiones, earúmque sedula custodia, perspicuè evincunt, mentiri Epistolistam; quando ait, Collegia nostra nil aliud esse, quàm *sanctissimas tabernas usuræ, in quibus inveniat omnem affectum absque scandalis evomendi, & sine sorte ulla, maximas commoditates, non mediocribus cum divitiis acquirendi.* H

A *di.* Sed iſtæ divitiæ in eodem, ut ſic dicam, ſunt *prædicamento*, in quo oneraria navis Arnaldica, qua ex Indicis Provinciis advehuntur Jeſuitis non unus, ſed aliquot auri & argenti *milliones;* quam navim non ſemel vidit Arnaldus, quando cum Icaromenippo in Lunæ concavo ſeſſitabat, & inde, quidquid uſpiam terrarum gereretur, vigilantibus oculis proſpectabat.

B Illud tamen mihi placet, quod Epiſtoliſta ſcribit, ſuum illud, quem ſibi ex luto malo formavit juvenem, *tum demum his Jeſuitarum opulentiis & deliciis fruiturum, quando Profeſſus fiet;* quaſi apud nos, ulla ſit differentia in triclinio & veſtiario inter Profeſſum & non Profeſſum; niſi ætatis vel valetudinis evidens neceſſitas aliud poſtulet; qua urgente, æquè ſubvenitur non Profeſſo ac Profeſſo; æquè non Sacerdoti ac Sacerdoti; & tum maximè valet illud: *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci; nam idem* Rom. 10. *Dominus omnium; dives in omnes, qui invocant illum.*

C XXI. Mend. *In Jeſuitarum templis fieri nobis addictos participes innumerabilium meritorum, quæ non tantùm ſufficiant abſtergendis jam præteritis delictis; ſed & expurgandis futuris, & redimendæ cuicunque animæ ad purgatorium condemnatæ.* Sed hæc eſt Lucianica ſubſannatio, maximè quod attinet ad remiſſionem peccatorum, quæ nondum commiſſa ſunt. Quis unquam dixit, peccata nondum pepetrata ullis Indulgentiis remitti, ita, ut, ſi poſtea perpetrentur, jam eo ipſo ſint remiſſa, nec committenti imputentur ad culpam & pœnam? Plaſmata hæc ſunt, fraudes & impoſturæ Hæreticæ.

D Porrò, quàm Epiſtoliſta in res alterius vitæ benè animatus ſit; non obſcurè prodit, cùm ait, *nos horribilium rerum commemoratione terrefacere ſimpliciores pro concione in Templis, & domi jam animam exhalaturos;* ubi non video, quid nomine *rerum horribilium* intelligat, niſi *divinum judicium & infernum;* nam quòd purgatorium nihili æſtimat, id commune cum cæteris Calvinianis & Lutheranis erronibus habet. Infernum tollere, peculiare quiddam eſt, & opus paucorum, nec niſi Gigantum, qui olim cœlum debellare niſi, conatu ſuo falſi, Orcum nunc oppugnant: Et illum Lucretii verſiculum incinunt: *Hinc Acheruſia ſit ſtultorum denique vita.* Quid vis, ut è ſuggeſtu auditoribus proponatur? An nihil niſi mel, mulſum, papaver, & cruſtula ſaccharo oblita? Sed hoc Pſeudoprophetarum & falſorum doctorum eſt, qui ſemper dulcia promittunt, ùt ait alicubi S. Hieronymus, & ad modicum placent. Sic & animam agentibus proponenda ſunt, quibus ad ſalutarem malè commiſſorum deteſtationem induci queant; non ea, quæ dum captant, fugientia poma cum Tantalo captent; tametſi miſericordia Dei, & cœleſtis vitæ gaudia in ſupremo illo articulo nequaquam oblivioni ſint danda; ùt neque dantur ab illis, qui ſolatii gratia ægris aſſiſtunt. At Epiſtoliſta noſter, velut Epicureus, cùm de inferni cruciatibus aliquid audit, mox, nobis Epicureis verſibus occurrit: E

——poſt mortem denique noſtram
Num quid ibi horribile apparet? Num triſte videtur
Quidquam? Nónne omni ſomno ſecurius extat?
Perpetuúsque rogus *jam verò, & lucis egenus*
Tartarus, horrificos eructans faucibus æſtus,
Hæ neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profectò.

Carpit Epiſtoliſta, quòd inſtitutor noſter Ignatius fuerit olim *miles*, imò *Dux* ſeu *Capitaneus.* Quid hîc reprehenſione dignum? An probrum eſt militare, & militum Ducem eſſe? Nec vituperationem mereretur, licèt cum Petro & Andrea, cum Joanne & Jacobo fuiſſet piſcator: Et cum Matthæo, Publicanus: & cum Paulo, Eccleſiæ perſecutor: quia non ſpectatur in Chriſtianis, quis quid olim fuerit; ſed quid jam ſit; nec unde; ſed quò tranſierit. F

Illud ſit XXII. tuum mendacium, *nos laborare, ut politica gubernatio cum Eccleſiaſtica conjungatur, & omnia ab uno Eccleſiaſtico Principe adminiſtrentur.* Tu verò laborare videris, ut ſtultitiam tuam ſemper magis atque magis patefacias, & nobis te ex fungina proſapia progenitum declares; nam perinde eſt, ac ſi diceres; Jeſuitas moliri, ut lunam de cœlo detrahant, ſolúmque ſolem in Firmamento lucere faciant, *luminarè* minore extincto, omníque illuſtrandi functione ad majus derivata. Nunc ad poſtremum caput, quod eſt de Principibus, gradum faciamus. G

Criminationes Epiſtoliſtæ in Jeſuitas propter Principes, vel potiùs ſub Jeſuitarum ſchemate in ipſos Principes.

JAm antea profeſſus ſum, me tua mendacia minutatim & penſiculatè non percenſere, ſed ὡς ἐν τύπῳ, obiter, ùt quæque craſſiora occurrunt. Quocirca veniam dabis, ſi in calculis ſubducendis me negligentiorem videris. Quod præfari libuit, ne, cùm de Principibus agitur, aliqua tua mendacia à me ſilentio præterita cauſeris. H

Primum ergo ſit illud; & quidem admodum illuſtre; quia illuſtris ædificii oportet eſſe illuſtre veſtibulum. *Provincias Ferdinando Archiduci ſubjectas ſuprema inſpectione Societatis noſtræ regi: & vel inde felices eſſe, quòd omnia Patrum conſiliis gerantur, ſive de dignitate & magiſtratibus conferendis, ſive de*

A *belli etiam apparatu tractetur.* Nisi mentiri turpe esset, laudarem Epistolistam propter hoc mendacium. Video enim ejus fundum & fundamentum. Expulsi sunt Prædicantes ex Principatibus Serenissimi *Ferdinandi Archiducis.* Id auguratur factum impulsu Jesuitarum, & dolet propter cognationem. Etsi autem ipsemet Serenissimus Princeps, & tot præstantissimi partim Ecclesiastici, partim politici viri, quibus consiliariis utitur, satis pro sua in Deum pietate, & summa prudentia perviderunt, bonum consultúmque fore, si novi isti Præcones, populi ductores & seductores, juberentur eò malum referre pedem, unde attulerant; attamen si Jesuitarum quoque in hoc tam glorioso facinore cohortatio aliquid valuit, absit, ut pœnitentia ducantur. Prædicantium instinctu ac furore pulsi sumus ex Collegiis Transylvanicis & Hungaricis. Quis Prædicans tam vilis est
B & abjectus, qui non in partem hujus laudis venire cupiat? Nihil non moliuntur isti, ut ejiciamur ex Bohemia, Moravia, Austria, totáque Germania. Si res succederet, an non Prædicantes, qui hoc effecissent, triumphum sibi decerni postularent? An non quilibet, etiam paganus & rusticanus Corydon, portiúncula tantæ laudis se aspergi toto pectore concupisceret? Et nos pudeat fateri, si alicubi, nostro consilio Prædicantes ex injustissima possessione jussi sint facessere; reducta avita & patrita majorum nostrorum religione? Tam meticulosi non sumus, ô Prædicantes, ut hujusmodi facti nos vel pudeat vel pigeat; quo, si in nostrum caput redundaret, Lutherani & Calviniani Ministri effusissimè gloriarentur.

C Et tamen diversissima est Prædicantium & Jesuitarum, ùt & omnium aliorum Catholicorum ratio; cùm enim Prædicantes ejiciuntur, ex non suo ejiciuntur; quibus semper occini potest illud Tertullianéum: *Quid facitis in meo non mei?* cùm, quæ tenent, invito omni jure teneant, quippe per nefas ab illis occupata, & orthodoxis erepta. At cùm Catholici à Prædicantibus exturbantur, de avita & patrita sua possessione exturbantur; ideóque non sine grandissima injuria. Qui enim priores fuêre in Stiria & Carinthia? Catholici an Lutherani? Pro quibus ædificata fuêre templa & Monasteria? Pro Catholicis an Lutheranis?

D At enim omnia agi nostrorum consilio, etiam politica & martia, & quidem *suprema inspectione*, capitalis est calumniatoris nostri in serenissimum & potentissimum Principem *Ferdinandum* calumnia: quia eum de solio suo dejicit, ínque vicem ejus Jesuitas substituit. Num tu serenissimum & prudentissimum Principem, ditionum suarum supremum caput, passurum existimas, ut alia seu potestas, seu inspectio suâ superior & eminentior succrescat, quæ omnia regat, dirigat, disponat, moderetur? Sed, ùt jam dixi, ista commenta inde fluunt, quòd Prædicantes ex Provinciis sereniss. Ferdinandi ejecti sunt. Hinc nihil est tam absonum, nihil ab instituto Religioso tam alienum, quod isti nobis non audeant affingere: cùm tamen nostris, qualescunque sint, etiam illis, qui Principum familiaritate utuntur, severissimè Societatis legibus interdictum sit, ne se negotiis, ùt vocant, *status*, seu Reipublicæ immisceant; neque ulla ratione se adduci sinant, ut ea tractanda suscipiant. E

II. Mend. *In Bavaria omnia Jesuitarum prudentia gubernari.* Veni, vide & experire Epistolista. Monachium ito, & circumspice, num in alicujus Senatus subselliis aliquis Jesuita compareat; illúdque una & eadem opera efficere poteris, ut à sereniss. & inclyto Principe *Maximiliano* hujus tuæ criminationis præmium aliquod petas, quandoquidem magnus ille Princeps nec malè, nec benè facta irremunerata relinquit. Ne dubita, tibi quoque debita merces obtinget. Linguarium reportabis, quodcunque illud sit. Sed & hîc animadverto, ubi te calceus urat. Sapienti pauca: vetus est hoc dictum. Est, cùm & insipienti pauca sufficiunt. Itaque plura non addo. Vivat Bavariæ totúque Reipublicæ Princeps Maximus; túque tuíque, nescio, quibus in latibulis latitantes, induamini sicut *diploide confusione*, Ea tamen, quæ est ad salutem, non ea, quæ ad perniciem. F

III. Mendacium. *Omnia in Transylvania acta fuisse consilio P. Alphonsi Carilli. Eúmque curâsse, ut illa regio Imperatoris potestati subjiceretur.* Te hîc non mentiri, vel inde colligo, quòd ipse P. Alphonsus unà cum omnibus sociis semel ex Transylvania ejectus fuit. Hoc sine dubio non accidit, nisi P. Alphonsi consilio & impulsu, quandoquidem omnia nutu ejus in Transylvania agebantur; jacebátque tota comitiorum auctoritas & potestas: postea tamen restituti sunt nostri; non ambiget Epistolista, quin P. Alphonsi edicto; Ejectíque iterum, Boscaica seditione grassante: cujus studio, nisi Carilli, quandoquidem omnia ejus nutu in Transylvania gerebantur? Transylvaniam venisse in Augustissimi Imperatoris nostri jus ac ditionem, nemo dolere potest, nisi nominis Imperatorii osor, qualem te satis declaras: tametsi nemo unquam, ne ipse Imperator quidem, Principi, qui tunc rerum potiebatur, auctor fuit, ut inde excederet; omnibus longè gratius fuisset, si ea in statione, quam fortitus fuerat, perseverans, decursum gloriæ, quem currere cœperat, decucurrisset. Et certè Transylvanos, cujuscunque tandem impulsu, egrègiam operam G H Rei-

A Reipublicæ Christianæ navâsse, quando rebus propemodum, ob Jaurinum captum desperatis, Turcarum recenti victoria insolentium, arrogantiam depressérunt, & victores quoque vinci posse, reipsa docuerunt, notius est, quàm ut pluribus demonstrari debeat.

B IV. Mendacium. *Galliam & Regem ipsum Pater Cotto in præsentiarum gubernat.* Benè feciſti, Epistolista, quòd nomen tuum reticuisti. Caviſti periculum, quod tibi videbas imminere ob has tantas in Christianissimum & invictissimum Galliarum & Navarræ Regem, aliósque Principes effusas contumelias. Scilicet invicta tanti Regis dextera, cui fatali quadam felicitate, omnia cedunt, non sufficiet moderandæ Galliæ, nisi adhibeat Jesuitam, virum quidem disertum, & doctum, & eo ipso charum acceptúmque, sed tamen professionis suæ memorem; qui sibi cum negotiis *Status* tam parùm negotii esse cupit, quàm parùm is sibi esse cupit, qui cum legibus sui Ordinis examussim se conformat, & ad eas, quasi ad libellam, omnes suas actiones exigit. Sed quia vir tantus Christianissimo Regi ob virtutem eruditionémque charus & gratus est; hinc illæ non modò hujus, sed & aliorum Sectariorum lachrymæ. Hinc etiam illa atrocissima Cambilhonii, quam nuper refutavi, de *Magia* Cottoni, & *speculo stellato* lœdoria; de quo non aliter loquitur, quàm si *Urim* & *Thummim*, ùt olim Sacerdotes Aaronici, in pectore gestaret; Et cum Davide res abditas discere volens, solummodo exclamaret: *Applica Ephod*: móxque omnia recluſa & patefacta intueretur, aliísque annunciaret. De quo figmento nuper plura, adversus blateronem Cambilhonicum. Nunc illud dico, istos concoquere non posse, tantum Regem, præter omnem Prædicantium exspectationem, tam benignam, clementem & prorsus paternam mentem cùm in universam Societatem, tum in P. Cottonum accepisse; quam cùm immutare nequeant, conviciis, eminus, ùt canes lunam, lato rictu allatrant.

C V. *In Polonia Regem instinctu Jesuitarum atque spiritu vivere, non obstante paucorum satis Christianorum tergiversatione.* Videtur iste Epistolista esse *Ubiquista*; quia ubique est. Modò erat in Gallia, nunc in ictu oculi, & temporis puncto apparet in Polonia; & in intima Aulæ illius penetralia admissus, tam videt, quæ ibi gerantur à Jesuitis, quàm priùs vidit, quid P. Cottonus agat in Regia Parisiensi: quem miror ex Gallia non abiisse propiore via in Hispaniam; Quæ enim stultitia, si Lutetiæ sis, & in Hispanias ire velis, priùs in Poloniam proficiſci?

D At istum in Hispaniam & alias Galliæ multò viciniores Provincias abire voluisse, probatur ex verbis, quæ statim subjungit: *In Hispania, Lusitania, Belgio, Italia & Sicilia nemini ignotas esse divitias & auctoritatem, quibus Jesuitæ polleant.* Pegaso hunc vehi credas, qui uno quasi momento tot Provincias adeat & obambulet. Sed ego in Poloniam redeo, gentem mihi charam, literis & pietati amicam: cujus Rex si Prædicantibus Lutheranis, aut Ministris Calvinianis uteretur, jam res salva foret, nec haberet, quod Epistolista carperet; sed quia Jesuitas & à sacris, & à concionibus, & à confessionibus habet, id scilicet huic grave nimis est Cordolium. At cùm Regi aut Principi Lutherano vel Calviniano liberum relinquatis, ut arbitratu suo Prædicantes sibi deligat, quorum ministerio utatur, dura sanè ac iniqua Regum & Principum Catholicorum conditio foret, si, inconsultis vobis, non possent sibi, quos vellent, rerum spiritalium curatores constituere; præsertim si quos Princeps eligit, communis omnium calculus comprobet, ùt iste in Polonia fieri dictitat, *paucis bonis*, hoc est, Calvinianis & Lutheranis, *refragantibus*, quorum, non est, cur ratio habeatur; quia in tanta aliorum aliter censentium multitudine, pauci reputantur nulli. Neque pudere debet ullum Religiosum, si suo ductu & institutione Rex ita vivat, ut non tantùm Regnum terrestre, sed & cœleste cordi habeat; longè alio intimis medullis concepto spiritu, quàm quem Machiavelli, & Calvini schola suis auditoribus inspirare consuevit.

E

F

Immensas illas Jesuitarum in Hispania, Lusitania, Belgio, Italia, & Sicilia divitias hausit iste ex oneraria navi Arnaldi, quæ, ùt suprà dictum, per malè sanam causidici illius Phantasiam plenis velis invecta, non unum, sed plures auri argentíque *milliones* Jesuitis quotannis, propitio Æolo & Neptuno apportat: de qua multa, nec lectu injucunda Montanus, in suo Apologetico; ubi & infinitos hosce Jesuitarum thesauros in lucem extrahit, & omnium oculis contemplandos exponit. Quàm promptum esset tam mihi, quàm aliis, nominare ex plurimis, duo vel tria Monasteria, quæ copiosiores reditus annuos habeant & capiant, quàm aliquando duodecim vel tredecim Jesuitarum Collegia in Germania, Gallia, Italia, &c. neque hæc commemoro, quasi Religiosis familiis largam majorum beneficentiam & liberalitatem invideamus, absit hoc à pectore candido, sed ut ostendam, adversarios nostros nimis hyperbolicè, ex muscis elephantos facere; & Jesuitarum proventus ita grandire, quasi aureos montes possideant.

G

Ad auctoritatem quod attinet, si quam Societas habet, eam, ad illum remittit, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum* proficiscitur; cum hac mentis

H

A ſuæ declaratione: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Quod & P. Perſonius ſubmiſsè agit; ſi verum eſt, quod de ejus in Anglia auctoritate ſcribis. Quanquam quis non videt, te mentiri, cùm ais; *Perſonium plus habere auctoritatis in Anglia, quàm ipſum Regem.* Quod manifeſtum mendacium, ſi hoc etiam ad res politicas & forenſes extendas, ùt ſanè nimis quàm largiter extendis. Tametſi minus videri non debet, ſi in rebus ad fidem & conſcientiam pertinentibus, plus auctoritatis apud Catholicos non modò Perſonius; ſed & quilibet Sacerdos orthodoxus obtineat, quàm Rex heterodoxus.

B Vide verò, an non potiùs ad laudem, quàm vituperationem Societatis faciat, ſi vero concinit, quod affirmas, *nullum in Anglia eſſe Comitem, Marchionem, aut Prælatum Catholicum, qui pro gubernatore ſuæ conſcientiæ non habeat aliquem Jeſuitam;* id enim argumento eſt, ſi, ùt dixi, vera faris, Jeſuitas iis dotibus, quibus confeſſarium inſtructum eſſe oportet, inſigniter excellere. nam ùt dicit Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. *quod majus bonum judicarent ac judicârunt prudentes vel omnes, vel multi, vel plures vel præſtantiſſimi, id neceſſe eſt ita ſe habere, aut ſimpliciter, aut ſi pro ſua prudentia judicârunt: nam & quid, & quantum, & quale ſit, intelligentium ac prudentium judicio ſtandum eſt.*

C Jam tandem ad pſeudologiarum tuarum cenſum revertamur; Et ecce ſtatim, primo aſpectu, occurrit iſta, cujus tam manifeſta eſt inanitas & vanitas, ut mirer, chartam non fuiſſe rubore tinctam; quandoquidem Epiſtoliſta rubere neſcit.

D VI. *Generalem Jeſuitarum Romam regere & Pontificatum:* Et addit; *hoc manifeſtum eſſe omnibus.* Quid manifeſtum eſt omnibus? Illud, opinor, te mentiri. quod non gravatè ipſe ſummus Pontifex cum toto Cardinalium Collegio fatebitur, ſi fortè ejus judicium ſuper hoc tuo aſſerto explorare, & me, quòd te mendacii redarguerim, accuſare, & quaſi injuria tibi abs me illata ſit, ſatisfactionem & honoris tui reparationem poſtulare velis. Satis ſupérque occupationum & laborum habet optimus Pater in adminiſtratione Ordinis per totum orbem diffuſi; Nec tam validis humeris eſt, nec animo uſque adeò à ratione averſo, ut alienum onus ſubeat; nec Pontifex tam improvidus eſt, ut ſuam Provinciam ſibi eripi ſinat; nec tam infirmus, ut pondus diei & æſtus ſibi divinitus impoſitum, ferre nolit; Et habet, cum quibus curas partiatur, non noſtrum Generalem, ſed Cardinales.

Arrodis quartum votum Societatis, quo Apoſtolicæ Sedi ad miſſiones in varias Provincias, peculiariter obſtringitur. At rode, quantum voles, dentes citiùs rodendo effringes, quàm votum hoc labefactes: quod proculdubio aliò non tendit aut vergit, E quàm ad aſſerendam Apoſtolicæ Sedis dignitatem, & ad Catholicæ Romanæ fidei conſervationem, incrementum, & defenſionem contra quoſcunque oppugnatores, ſive ſint Schiſmatici, ſive Hæretici, ſive Athei. Non pudet nos hoc palàm profiteri. Nec plura de iſto voto. Legantur, quæ adverſùs Arnaldum ſcripſit Franciſcus Montanus in Apologia cap. 24. & ego contra Calvino-papiſtam in libris de modo agendi Jeſuitarum.

VII. Mend. *A Jeſuitis omnes, qui ad functiones & prælaturas adſpirant, neceſſitate obſtringi, ut ad ipſorum interceſſionem confugiant.* F Ex eodem fonte, quò prius, profluit hoc itidem commentum. *Omnes*, inquit calumniator; univerſim, nullo excepto. Tolerabilius figmentum fuiſſet; ſi dixiſſet, *aliquos:* vel, *multos.* Nunc quis ferat, *omnes?* Quot enim Cardinales, quot Epiſcopi, quot Præpoſiti, quot Canonici, quot Abbates, quot alii Eccleſiaſticis dignitatibus & functionibus conſpicui; ſtatim, audita hac generali Epiſtoliſtæ aſſeveratione, proſilient, & clara voce teſtabuntur, ſe nullius Jeſuitæ interceſſione, ad eum, quem tenent, gradum aſcendiſſe; neque ſe ulli ex Jeſuitis ſupplices factos eſſe; imò non deerunt, qui affirment, hoc, quod iſte blaterat, non modò falſum, ſed & injurioſum ſuæ exiſtimationi eſſe; ſe enim virtute, doctrina ac merito; non ullius advocati interventu ad titulos & honores Eccleſiaſticos G perveniſſe: neque quartum votum Jeſuitarum eò tendere, ut ipſi Sedi Apoſtolicæ munerum Eccleſiaſticorum candidatos ſiſtant: neque Jeſuitis tantum à ſuis negotiis otii eſſe, ut hiſce commendationibus plerumque odioſis & invidioſis, eſt cùm & periculoſis, ſeſe implicari patiantur; Et ſi quis ſecus agat, eum à recta Ordinis ſui linea excidere; neque decere, ut, quod hic vel ille perperam facit, id ipſi univerſitati adſcribatur.

VIII. *Jeſuitas ita hominum animos occupare, ut poſtea in Principum poteſtate non ſit, ut eos ex ditionibus ſuis expellant.* H Mendacium hoc ſatis redarguit nuperum Venetæ Reipublicæ factum. Sed Epiſtoliſta figmenti ſui probationem petit ex Gallia. *Ex quo, ut penitùs ejiceremur, decretum erat.* At initio non à Rege, mi homo; ſed à Curia; nec ab omnibus Parlamentis; ſed ab uno; bellíque & tumultus tempore, quando etiam tuta in ſuſpicionem vocari ſolent. Extinctâ Bellonâ, & reducta pace, tam honorificè à ſummo Rege, ſummæ Curiæ, & aliorum aſſenſu, revocati ſumus, ut nos illius expulſionis, (audacter dico) nequaquam pœnitere debeat. *Fortitudo infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpiùs diſciplina virtutis eſt,* inquit Minucius in Octavio: neque hoc tantùm, ſed & crebrò felicioris

licioris ſtatus exordium vel ſaltem ſemen. Quod in Gallia accidiſſe tam eſt evidens, ut ſectarii oculos claudant, ne ſuam miſeriam aſpicere cogantur.

IX. *Jeſuitas ſæpe conſtituì arbitros non tantùm inter Principem & Principem, verùmetiam inter Dominos & Vaſallos, eósque pro lubitu bellum & pacem mundo apportare.* Crede mihi, ſi in manu noſtra eſſet pacem terris reddere; illam è veſtigio reduceremus, quæ, quando Salvator noſter naſcebatur, univerſum terrarum orbem tenebat. Jam Mars & furor impius, absque ulla ſpe reditus, ad Orcum ablegatus eſſet. Non ſemel dixi; ſeveriſſimè noſtris legibus edici, ne quis negotiis *ſtatus;* ùt vocant, hoc eſt, politicis, quæ ad Principes & Respublicas pertinent, ullo modo ſeſe immiſceat. Si quando ſummus Pontifex noſtrorum operâ ad pacis fœdera jungenda uſus eſt; id præcipuè accidit, reſpectu boni Spiritualis, & Eccleſiæ Chriſtianæ propagandæ, ùt factum, tempore invictiſſimi Polonorum Regis Stephani arma Moſcho inferentis. Nam ſi tum, ùt ſpes erat, natio illa ad Cathedram Petri revertiſſet, quantum inde emolumenti ad totam Chriſtianam Rempublicam rediiſſet? An nulli unquam aliorum Ordinum Religioſi ſuam operam navârunt paci inter diſcordantes componendæ; & diſcordibus concordandis? Vix te ignorare arbitror, quis unus ex præcipuis internunciis fuerit pacis conſtituendæ Batavos inter & Catholicos Regem & Archiduces?

De poſſeſſione Sedis Apoſtolicæ, eáque perpetim in noſtri Ordinis hominibus perpetuanda, ſecurum te eſſe jubeo: nam inprimis hæc poſſeſſio non tam eſt diſpoſitionis humanæ, quàm divinæ; & ſi quid hujus generis affectaremus, aliam rationem tenere nos oporteret, nempe hanc, ut curaremus, quàm plurimos ex Ordine noſtro Cardinalitia & Epiſcopali dignitate inſigniri; nam niſi hoc fiat; ſemper meſſis in herba erit, nunquam in falce. Quàm verò, quod ad ſupremum illud culmen adipiſcendum, maximè idoneum eſt, procuremus, teſtatur votum, quo omnes ſimpliciter Eccleſiaſticas dignitates à nobis abdicamus.

X. Mend. *A Jeſuitis principes Chriſtianos, ad inſtantiam Eccleſiaſticæ majeſtatis, fidei eorum ſe committentes eò imprudentibus conſiliis adigi, ut & ſtatum & vitam perdant.* Animadverto, quò reſpicias; nimirum ad cladem, quam Luſitaniæ Rex Sebaſtianus in Africa pertulit. Verùm eò calamitatis & Regem & Regnum, ſuaſu & impulſu Jeſuitarum adductum non eſſe, evidenter oſtendit Franciſcus Montanus in Apologia contra Arnaldum cap. 60. & tres ex Luſitanis ipſi Sebaſtiano Regi noti, quorum duo poſteriores, expeditionis illius oculati ſpectatores fuêre; Petrus Fonſeca, epiſt. Dedicatoria, quam ad Hiſpaniarum Regem Philippum II. præfixit Tomo II. Commentariorum in Metaphyſicam Ariſtotelis. Sebaſtianus Barradius præfat. in Tertium Tom. Commentariorum in Evangelicam Concordiam; & Ferdinandus Rebellus præfatione *in Opus de obligationibus juſtitiæ, Religionis, & charitatis:* qui etiam citat Hieronymum Mendozam Luſitanum, expeditionis Africanæ ſcriptorem, addítque, Senatum Luſitanum à Rege ſuo Philippo tertio, poſtulare, ut Hiſtoria Natalis Comitis & Hieronymi Franci Italorum, prohibeatur excudi in omnibus Regiis Provinciis, donec ab hac calumnia Societati impoſita, expurgentur. Non eſt itaque, mi Epiſtoliſta, ut actum agam, & hanc tuam criminationem à tantis viris profligatam confutem.

Pervenimus ad metam hujus tam faſtidioſi inter tot mendaciorum & conviciorum ſcrupos, curriculi. *Omnibus laborantibus dulcis eſt finis*, ait Auctor Operis Imperfecti. *Viator libenter interrogat, ubi eſt manſio. Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. Agricola ſemper tempus meſſis exſpectat. Negotiator die ac nocte thecæ ſuæ diſcutit rationem.* Quid ni ergo mihi itidem jucundus ſit finis refutatæ ſtramentitiæ Epiſtolæ, in qua malitiæ, lœdoriæ & pſeudologiæ plurimum; ingenii, & candoris nihil. At quid ab his tam atris tenebrionibus candorem exigo? citiùs ab Æthiope impetravero. Hom 48. in Matth.

Interim vos Lutherani & Calviniani criminatores, libellos famoſos, (quando ita juſſu patris veſtri vobis allubeſcit, neque ullis monitis revocari poteſtis) in nos cudite, ſpargite; partímque apertè, & partim per cuniculos, fævite; núncque ſub hoc, mox ſub alio ſchemate, in nos fremite & detonate; inter fremitus & tonitrua veſtra quilibet Jeſuita cum B. Davide ad Dominum clamabit: *Et ego factus ſum opprobrium illis* (Calvinianis & Lutheranis) *viderunt me, & moverunt capita ſua. Adjuva me Domine Deus meus: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam. Et ſciant; quia manus tua hæc, & tu Domine, feciſti eam. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Pſal. 108. Pſal. 43.

FINIS.

LIXIVIUM
PRO
ABLUENDO
MALE SANO CAPITE
ANONYMI
CUJUSDAM FABULATORIS,
ET,
UT VOCANT,
NOVELLANTIS,
QUI CÆDEM CHRISTIANISSIMI
GALLIÆ ET NAVARRÆ REGIS
HENRICI IV.
IN JESUITAS PARTIM APERTE, PARTIM
TACITE CONFERT:

Præparatum ſtudio

JACOBI GRETSERI
SOCIETATIS JESU
THEOLOGI.

QUod ob cognitum mihi ſectariorum in noſtram Societatem malevolentiæ ac invidentiæ pleniſſimum pectus, futurum arbitrabar, quamprimùm luctuoſus de Chriſtianiſſimi Galliarum & Navarræ Regis nece nuncius allatus eſt, id jam evenit. Lutherani & Calviniani Prædicantes in circulis, popinis, tonſtrinis & gurguſtiis, inque ſuis declamatoriis ambonibus vociferantur, culpam hujus atrociſſimæ cædis in Jeſuitis reſidere.

Idem, ſed paulò rectiùs & inſidioſiùs, ſaltem in prima editione, facit obſcurus ille Tenebrio, qui Relationem Germanicam ſparſit hoc titulo. **Bericht, von der greulichen, verrätheriſchen Mordthat, an Königlicher Majeſtät, Heinrico von Bourbon, dem Vierdten diß Namens, König in Franckreich und zu Navarra, ꝛc. von einem geweſenen Bettel-Mönch, tückiſcher und freventlicher Weiſe, in der Königlichen Stadt Pariß, den 4. Tag Mayens altes, und 14. neuen Calenders, im Jahr 1610. begangen. Beneben Einführung anderer gleichmeſſigen, vorher beſchehenen Mordt-Practicken, ſo durch deraleichen Ordens-Leuth angeſtellet, und an Königlicher Majeſtät zu Franckreich geübt worden. Allen hohen Potentaten und Chriſtlichen Hertzen zur Erinnerung und Wahrnung, ſich vor dergleichen Meuchel-Mördern zu hüten und vorzuſehen, im Druck gegeben. Gedruckt im Jahr 1610.**

Paulò pòſt cùm ſive idem, ſive alius *Deformati Evangelii* ſectator eandem *Relationem* denuò evulgaret, non modò eam apertiſſimis in Jeſuitas calumniis auctiorem reddidit; ſed & mercem ſuam haud ſatis vendibilem fore exiſtimavit, niſi ipſum chartæ ſuæ veſtibulum Jeſuitarum nomine inſignioret, & inſcriptionem hunc in modum concinnaret. **Durch einen Bettel-Mönch, Jeſuitiſcher dückiſcher Weiß, ꝛc.** Hoc ſcilicet

licet reſtabat, alioqui periculum erat, ne Papyrus in hac Narratione conſumpta in piperis cucullos verteretur. Et ut videas, quàm Relator iſte meditatè ad titulum concipiendum acceſſerit; ait, cædem in Urbe Pariſienſi factam die 14. Maji, veteris Calendarii; cùm in alia editione ſcripſiſſet, factam die 4. Maji, ex veteris, & 14. ex novi Calendarii ordine. Sed aviditas faciendi mentionem Jeſuitarum in ipſo *Frontiſpicio*, haud tantum ſpacii huic calumniatori conceſſit, ut, quid ſcriberet, animadvertere poſſet.

Cæterùm iſtis ſive viva voce, ſive libellis in nos debacchentur, præcipuè verò in hac Parricidii ſeu Regicidii accuſatione, nullam penitùs habendam eſſe fidem, variis argumentis tam à perſona ipſorum criminatorum & Rei, quàm à perſona Chriſtianiſſimi Regis, & aliunde ſumptis, planum faciemus, ſi non cuicunque, certè ſobrio & moderato lectori, quamcunque demum religionem profiteatur.

Nam I. Qui nefarium hoc facinus nobis impingunt, ſunt capitales & jurati Societatis noſtræ hoſtes, quibus nulla lux optatior & jucundior exoriri poſſet, quàm illa, quæ omnibus univerſim Jeſuitis interitum afferret. Horum ſive teſtificationibus, ſive accuſationibus quantum tribuendum ſit, ſatis ſupérque docent ipſa naturalis ratio, leges divinæ, Eccleſiaſticæ & civiles, & cum his omnibus Francicæ, Additione tertia ad lib. 7. Legum Francicarum cap. 6. ubi lex. *Accuſatoribus de inimici domo prodeuntibus, non eſt credendum.* Unde iſti prodeunt, niſi *de domo*, hoc eſt, de Lutheri, Zwinglii, Calvini ſynagogis, quibus cum Jeſuitis bellum eſt perpetuum & irreconciliabile, neque unquam finiendum, quandiu non deſinunt eſſe id, quod ſunt. Si leges prodeuntibus de domo inimici fidem abrogant; quia ipſi etiam non injuria judicantur eſſe inimici; quantò minùs credi volunt illis, qui capitale odium, quo Jeſuitas proſequuntur, non clauſum in pectore circumferunt, ſed palàm præ ſe ferunt, & quid quid contra nos ſcribunt, non tam atramento, quàm odio tingunt.

II. Regula Juris eſt; *Qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus*, videlicet in eodem genere criminis. Cùm ergo iſti centies jam evidentiſſimorum mendaciorum, quæ in Societatem effuderunt, publicè convicti ſint; idque non tantùm noſtrorum hominum, aliorúmque ſcriptis Apologeticis, ſed & Regum, Principum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, clariſſimarúmque & ampliſſimarum urbium teſtimoniis & authenticis inſtrumentis, non eſt, quòd quis jam majus veritatis ſtudium ab iſtis exſpectet; quia antiquum obtinent, neque vel uno pilo meliores ſunt, quàm quando alia vel ſimilis, vel diverſi generis facinora & flagitia de Jeſuitis diſſeminârunt.

III. Relatio de cæde Chriſtianiſſimi Regis caret nomine Auctoris.

IV. Item nomine Typographi.

V. Præterea loci. Signum igitur eſt, iſtum non voluiſſe candidè ac ſincerè narrare factum, ſed Jeſuitas calumniis inceſſere. Ex quo ſequitur, ſcriptum ejus in libellis famoſis numerandum eſſe. His autem ex legibus deberi pœnam, non fidem; ſupplicium, non aſſenſum, omnibus notum eſt, & non ita pridem fusè *adverſùs Cambilhonum*, & in *Furiis* Prædicantium Auguſtanorum à me demonſtratum. Quò brevitatis cauſa lectorem amando. In legibus Francicis, Additione tertia ad lib. 7. cap. 74. *Statutum eſt, ut ſcripturam prolator affirmet*, hoc eſt, probet. *nam ſi is, qui ſcripturam protulit, ejus non adſtruxerit veritatem, ùt falſitatis reum eſſe detinendum.* Hoc metuens *prolator* iſte, in tenebras ſe abdidit, ne cogatur eſſe *probator*. Quod probationis munus ei tam proclive foret, quàm vertice aut pollice attingere cœlum.

VI. Quam fidem mereatur homo nullius nominis aut coloris; forſan diobolaris aliquis magiſtellus, & trivialis *ludimodimperator*, qui eſuriens & ſitiens, ſibi & ſuo ejusdem ſortis typographo, menſtrualem offam editione hujus Relationis lucrari voluerit. Id ut certiùs conſequeretur, Jeſuitas admiſcuit; nam ea demum fabula Lutherano & Calviniano theatro gratiſſima venit, & æra meret choragis, quæ Jeſuitas producit & traducit. Absque his ſi ſit; Scena friget; non plauditur; ſed dormitur, vel ſaltem oſcitatur. Tales, tam abjecti; & ex tam vili malóque luto compacti; audiendi non eſſent; licèt in forum palàm prodirent, ſuásque accuſationes, etiam juramenti religione interpoſita ſe probaturos ſponderent. Bene Lex Francica loc. ſuprà cit. cap. 57. *Summopere admonendi ſunt Comites & Judices, ne viles & indignas perſonas coram ſe permittant ad teſtimonium accedere; quoniam multi ſunt, qui pejerare pro nihilo ducunt; in tantum, ut pro unius diei ſatietate, aut pro quolibet parvo pretio ad juramentum conduci poſſint, animásque ſuas perjurio perdere minimè formident.*

Si iſtis, etiam juratis, vel certè juramentum offerentibus, noménque ſuum palàm profitentibus, & apertè omnia agentibus, fides nulla commodanda eſt; cur hujusmodi famelici, & ex media vulgi fæce prognati *Relatores* pluris æſtimarentur? Non tantùm auri, ſed & *offæ* ſacra fames; & *vini* ſeu *cereviſiæ* ſacra ſitis mortalia pectora ſæpiſſimè, mentiri, calumniari, & innocentium famam crudeliter lacerare cogit. Id hîc factum, planè mihi perſuadeo. Si fallor, & ſi Relator iſte honeſtæ frontis

A frontis & mentis homo eſt, procedat in medium; Intueamur os & vultum ejus. Quanquam ſi illud probum, hic ingenuus ac liberalis eſſet, nomen ſuum jam antea expreſsè edidiſſet.

B Non diffiteor, periſtaſes ſeu circumſtantias exiſtere & exigere poſſe, ut quis nomen ſuum meritò reticeat. At cùm aliena fama & exiſtimatio traducitur & inceſſitur, & cum aliquibus enormia prorſus & plusquam Turcica facinora vel directè, vel obliquè imponuntur & affinguntur, ùt iſte Relator facit, tum nego, jus fásque ſinere, ut nomen ſupprimatur, niſi quis libelli famoſi conditor, earúmque pœnarum, quæ talibus decernuntur, reus effici velit; imò licèt quis nomen adjungeret, nec tamen crimina ad legitimum judicem deferret, ſed in vulgus diſpergeret, pœnas legum de *Famoſis libellis* non evaderet, ùt nuper copioſiùs Prædicantium Auguſtanorum *Furiis* explicuimus.

C VII. Communis ratio, & ſenſus ſuadent, ut teſti vel accuſatori in manifeſtis mendaciis & calumniis deprehenſo derogetur fides. Atqui Relator iſte non ſola manu, ſed toto ſacco mendacia & calumnias lectoribus ſuis admetitur. Ita, ut quibus ab odio oculi non ſunt effoſſi, vel ſaltem obnupti, ea facillimè cernere, quin & manibus tangere queant. Ecce tibi uno anhelitu quàm multa mendacia efflet. I. *Jacobum* Clementem, qui Henricum III. *occidit, à Jeſuitis ad hoc facinus perpetrandum amicè fuiſſe commonitum.* II. *Et incitatum.* III. *Inſtructum præterea, quo aſtu cædem aggredi deberet.* IV. *Inſuper certum ei locum in cœleſti paradiſo à Jeſuitis aſſignatum, ſi fortè propter hoc latrocinium Martyrio afficeretur.* Perinde ac ſi in Jeſuitarum poteſtate ac arbitrio poſitum eſſet, demandare huic: *Tu ſede ad*

D *dexteram Dei*; alteri; *Tu verò ad ſiniſtram.* Hæc mendacia de Jacobo Clemente tam ſpiſſo & craſſo filo conſuta ſunt, ut Gallicani calumniatores, præſertim vietus ille cauſidicus Arnaldus, ea vix ſummis digitis, attingere auſi fuerint, probè gnari, rem aliter ſe habere, & Clementem illum cum Jeſuitis nihil negotii aut familiaritatis habuiſſe. Quocirca cùm Arnaldus in ſua declamatione, quam in curia Pariſienſi Gallicè deſpuerat an deſpumaverat? dixiſſet, Clementem priùs quàm ad cædem patrandam proficiſceretur, apud Jeſuitas animum per confeſſionem expiâſſe; monitus eſt ab amicis, ut hoc mendacium in typographica Invectivæ ſuæ publicatione omitteret; plus quàm ſatis eſſe, quòd illud viva voce in Curia effudiſſet: Contrarium lippis & tonſoribus conſtare. Paruit ille rectè monentibus, ùt docet Franciſcus Montanus in ſua pro Societate JESU in Galliis Apologia cap. 58. & 59. Etſi enim Arnaldus frontem utcunque detriverat, nihilominus aſ- E
ſertione tantæ falſitatis, pauxillulum illud, quod reliquum erat, prodigere ſuperſedit.

VIII. Horribilius mendacium eſt, quod ait F
Relator, *Caſtellum, quì Anno Domini M.D. XCIV. Regem perimere tentârat, ſponte ſua & liberè confeſſum, ſe à Jeſuitis ad hoc parricidium ſuſcipiendum inſtigatum fuiſſe, & ſic itidem inſtitutum; divinis legibus nequaquam adverſari, ſi quis Regem Pontificio anathemati ſubjectum trucidet,* Quo nihil à vero alienius, nihil calumnioſius, ùt evidenter demonſtrat Apologia Societatis JESU in Gallia ad Chriſtianiſſimum Regem cap. 9. primùm Gallicè; poſtea Ingolſtadii Latinè edita, Anno Redemptoris M.D.XCIX. ùt & Ludovicus Richeomus in Expoſtulatione Apologetica ad eundem Regem cap. 38. quæ & ipſa primùm Gallicè; poſtea Latinè evulgata eſt Lugduni, Anno M.DC.VI. contra *Ingenuam Orationem hominis minimè ingenui; & Auctorem Catechiſmi Jeſuitici.* Imò hoc toti Pariſienſi Urbi, quin & toti Galliæ notum eſt, Jeſuitas à Caſtello uſque ad extremum ſpiritum privatim & publicè pronunciatos fuiſſe innocentes, ac hujus ſui conſilii penitus ignaros, ùt duæ jam dictæ Apologiæ copioſiſſimè oſtendunt; prior quidem cap. 10. & 11. poſterior cap. 38. & 39. & fortè illa in turbatione, quæ tum extiterat, vix ullus ex noſtris periculum mortis effugiſſet, ſi vel unum in communionem hujus ſceleris veniſſe, demonſtrari potuiſſet.

Sed nil opus aliunde defenſionem & tantæ G
ſycophantiæ depulſionem accerſere. Unica Chriſtianiſſimi Regis Apologia nobis eſt inſtar mille aliarum. Quid igitur Rex ad Curiæ Pariſienſis Præſides & Senatores, cùm de Societate revocanda ageret; & rationes, quibus revocatio diſſuadebatur, diſſolveret? *De Caſtello nihil unquam cruciatibus aut tormentis extorqueri potuit adversùs Varadium, aut contra alium quemcunque Jeſuitam. Niſi ita res ſe habet, cur eis peperciſtis, cùm in veſtra poteſtate, atque adeò in vinculis fuerint?* Hæc Rex; qui & hoc admodum memorabile dictum ſubjungit: *Sed demus, non tamen concedentes; aliquem ipſorum id auſum fuiſſe, ánne omnes Apoſtoli ob unum Judam plectendi erant?* Neque enim neſciebat prudentiſſimus Rex, iniquum eſſe, ut unius vel alterius culpa & improbitas, toti Ordini præjudicet. Præclarè S. Chryſoſtomus Homil. 4. in illud Iſaiæ. VIDI DOMINUM. *Cùm videris ſacerdotem indignum, ne traducas ſacerdotium. Non enim oportet damnare res, ſed eum, qui re bona malè utitur. Quandoquidem & Judas proditor fuit, verùm non ob id accuſatur Ordo Apoſtolicus, ſed illius animus: nec crimen eſt ſacerdotii, ſed malum animi. Et tu igitur ne ſacerdotium vituperes, ſed ſacerdotem malè re bona utentem. Etenim ſi quis tecum diſputet, dicátque: Vidiſti illum Chriſtianum?*

Extat hæc Regis Apologia Germ. Coloniæ & Herbipoli excuſa. Latinè in Appar. Poſſevini V. Societas JESU. H

A *ſtianum? Reſpondeto, at ego non de perſonis, ſed de rebus tibi loquor. Aliôqui quot medici facti ſunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, ſed malè utentem arte. Quot nautæ malè rexerunt navigia? Verùm non ars navigandi mala eſt, ſed illorum animus. Si Chriſtianus fuerit improbus, ne incuſes profeſſionem ac ſacerdotium, ſed re bona utentem malè.*

B Miror, Relatorem iſtum non attuliſſe, & futuris ſuis mendaciis non etiam illud de Barrerio ſubſtraviſſe. Quod ſi feciſſet, mox ei tanquam duo ſcuta objeciſſem Expoſtulationem Apologeticam Richeomi cap. 37. & Apologiam Franciſci Montani cap. 59. & ante omnia ipſius Regis ſummam auctoritatem, qui in Apologetica ſua oratione ad Proceres Regni hanc de Barrerio criminationem irrepercuſſam non præteriit. Audiamus verba Regis. *De Barrerio, qui me voluit interficere, tantum abeſt, ut Jeſuita ejus Confeſſionem (quemadmodum dicitis) exceperit, ut à Jeſuita prænonitus de tota re fuerim; Barreriúmque alter Jeſuita monuerit, damnationem æternam incurſurum, ſi id unquam tentâſſet.*

C Etſi autem Relator vetera illa de Clemente & Caſtello mendacia jam olim fortiſſimè contrita & profligata, alio conſilio non repetivit ac inſtauravit, quàm ut atrociſſimæ criminationi, quam moliebatur, de nupera Chriſtianiſſimi Regis cæde, aliquem veriſimilitudinis colorem allineret; parùm tamen abeſt, quin gaudeam, id ab illo factum; non quòd gaudeam ullius ſycophantiis & pravis in proximi exitium machinationibus; ſed quia jucundum eſt, calumniatorem iſtum, eò, quò tendebat, non perveniſſe. Cùm enim pudorem ex vultu adeò extriverit, ut eorum criminum nos poſtulet, à quibus tot Apologiis, & ipſa Chriſtianiſſimi Regis graviſſima ſententia, & innumeris benevolentiæ regiæ in nos argumentis, immunes & inſontes publicè, & in totius urbis Chriſtiani conſpectu declarati ſumus; quis prudens ei aures præbeat, quando jam tanti Regis, tanti Patris, tanti Patroni, tantíque Protectoris noſtri cædem nobis nefariè affricat?

D IX. In titulo ſuæ Relationis mentitur Calumniator, cædem Chriſtianiſſimi factam per *Monachum Ordinis Mendicantium*; id quod aliquoties in decurſu & progreſſu calumniarum ſuarum repetit ac regerit. Nec nominat, quis ſit iſte *Ordo Mendicantium*, ut univerſos *Mendicantium* Ordines invidiâ gravet, & in ſuſpicionem criminis vocet. At ego affirmo, ídque certus ex eorum literis, qui Lutetiæ Pariſiorum degunt; mentiri iſtum, quando hunc parricidam *Monachum* nominat. Neque antea, neque tunc, cùm ſcelus patravit, Monachus fuit. Non nego, fuiſſe Tironem ſeu Novitium Pariſiis in Monaſterio Foliatinorum. At Novitius & Candidatus Ordinis E Monaſtici, nondum eſt Monachus; quemadmodum nec Candidatus Philoſophici aut Theologici Magiſterii Magiſter aut Doctor. Neque diutiùs in tirocinio Ordinis illius vixit, quàm duos menſes. Quibus exactis, dimiſſus eſt, ídque propter *cerebri debilitatem.* Hanc enim cauſam dimiſſionis conſignârunt Religioſi illi in libro, in quem nomina eorum, qui Ordinem ineunt, & qui ex tirocinio vel juſſi vel ſponte abeunt, referuntur. At noſter Criminator ita de parricida loquitur, quaſi verus Monachus fuerit etiam tunc, quando manum ſuam in Regem miſit; & veſtem Monaſticam ea duntaxat de cauſa depoſuerit, ut ſecuriùs id, quod animo deſtinaverat, ad rem conferret. Quod figmentum extudit Relator iſte ex nimio amore, quo generatim in omnes Monachos fertur.

X. Ex eodem fonte manat hæc itidem F criminatio; *ſimilia facinora in Schola Monaſtica diſci.* Perinde ac ſi dixiſſet: Crimina proditionis in ſchola Chriſti doceri ac diſci; quandoquidem ex hac ſchola proditor Chriſti extitit.

XI. Adde & hoc non diſpar mendacium. *Facilè conjici poſſe, unde ſpiritum regiæ cædis perpetrandæ hauſerit, cùm Monachus fuerit.* Jam dixi, non fuiſſe Monachum; At fuerit Monachus. Judas Apoſtolus fuit. Num ideo proditor; quia Apoſtolus? Certè ùt Apoſtolatus Judæ proditionis; ita nec Monachatus ulli, ut ullum Principem interficeret, cauſa fuit.

XII. Mentitur, *ex Indulgentiis & Miſſaticis mercibus non tenuem conjecturam ſumi, à quo edoctus & incitatus fuerit.* Neſcio, quid per *Indulgentias* intelligat. Forſan Roſarium, aut numiſmata *benedicta*, quæ *Roſariis* appendi ſolent; aut cereas cœleſtis Agni imagines. At ſi hæc & id genus alia Catholicæ pietatis argumenta ſunt judicio iſtius, vel re vel voto homicidarum ac Regicidarum indicia; oportet, ut in hac claſſe non tantùm innumerabiles ex plebe & nobilitate, ſed etiam plurimos Principes reponat, quibus Roſaria, & imagunculas conſecratas ſecum ferre, tam uſitatum eſt, quàm uſitatum eſt Novatoribus hæc talia conviciis appetere, ac maledictis inſectari. Si Relator nôſſe cupit (tametſi H id tam probè novit, quàm ſuos digitos) in quo gymnaſio diſciplina Principes trucidandi ex profeſſo tradatur, in Scotiam naviget, illic inveniet Knoxum, Buccanum, Goodmannum & alios de eodem genere, qui magnis vocibus vociferantur, Reges ac Principes *Evangelio*, hoc eſt, *Calviniſmo*, adverſantes, *non tantùm de throno, deturbandos; ſed & à populo in Crucem agendos eſſe.* Quam ſuam doctrinam non tam verbis, quàm factis docuerunt, & ad

A posteros suos transmiserunt. Aut si forsan navigationis insolens ac insuetus est; Genevam se conferat, ibi forsan intelliget, quinam fuerint illi, qui olim clamitabant; *cum suculis scrofam jugulandam.* Sed absisto ab hoc Calviniano & Lutherano Labyrintho, in quem citiùs introëas, quàm exeas, tam vastus est ac tortuosus.

XIII. Narrat, Jesuitas cor Christianissimi Regis *à Curia seu Parlamento Parisiensi postulâsse.* Quàm hoc verum sit, nescio, tametsi vehementer suspicor, Relatorem solitam artem factitare, hoc est, mentiri, cùm ipse Christianissimus Rex diu ante supremum diem & casum jusserit ac decreverit, ut cor suum Flexiam delatum in Templo Collegii Societatis JESU abs se conditi conderetur: neque in tanti Regis ultima voluntate perficienda ii, quorum id intererat, preces ac supplicationes exspectâsse videntur.

B XIV. Utcunque sit; illud intrepidè mendaciis accenseo; Jesuitas à Curia cor Regis postulantes, à supremo Præside Domino Achille Harlæo interrogatos; *cur non poscant quoque dentem, quem Regi cultro suo excusserat Castellus?* Quis tam obesæ naris est, qui non odoretur, ex qua officina hoc dictum prodiêrit? Certè nihil minùs, quàm summi Præsidis gravitatem olet; & injuriâ ampliſſimum virum afficiat, quisquis hoc dentatum scomma ex ore ejus excidisse credat; neque enim vir ille ampliſſimæ dignitatis ignorare poterat, Jesuitas ipsius Castelli constantissima testificatione, Regísque Christianissimi perpetua, eáque planè paterna benevolentia, ab omni suspicione illius criminis jam pridem abundantissimè purgatos fuisse.

C Sed faciamus, non mentiri Relatorem, quando Jesuitas à Curia cor Regis petiisse, & impetrâsse scribit; an non hoc evidenti argumento est, illos à cæde Regis innocentes judicatos? Quis enim credat, ampliſſimum illum Senatum cor Regis traditurum fuisse Jesuitis, si vel minima suspicione cædis regiæ laborâssent?

D XV. Supremum Præsidem Harlæum dixisse, *Franciscum Rovillart & Castellum in eadem schola*, hoc est, ùt Relator innuit, apud Jesuitas *ad hoc parricidium instructos fuisse*; ille libenter credet, qui à veritate auditum aversum, ad fabulas autem conversum habet: quid enim alienius à tanti præsidis gravitate, quàm in Jesuitas vel hoc vel illud crimen transferre, cùm ipsemet Christianissimus Rex, à Castelli facinore nostros immunes ac liberos pronunciârit; ùt antea dictum; neque credibile sit, Præsidem Regium Regis sententiam falsitatis damnare, aut more Prædicantium Lutheranorum & Calvinianorum, ex sola levitate, sine ullo argumento aut fundamento in commu-

E nionem detestandi parricidii Jesuitas trahere voluisse. Quid enim magis à dignitatis loco, quem obtinet, abhorret? Nec opus diutiùs in his coarguendis immorari. Omnes istas criminationum nebulas dispellit cor Regis Jesuitis traditum, ut in eorum Ecclesia communem illam omnium resurrectionem exspectet. Quis unquam audivit Parricidis regiis, aut Parricidii regii conscios, adjutoribus & consultoribus cor Regis interfecti commissum, ut illud sua in tutela perpetuò habeant? Neque hæc de D. Hærlæo in prima Relationis editione comparebant. Profecit Postmodum Relator in mentiendi & calumniandi palæstra: & quia de traditione cordis aliquid inaudiêrat, eam criminationum suarum glossematis illustrandam censuit; ut novo contumeliarum pabulo, quos talia fercula delectant, exhilararet.

F XVI. Quapropter titulum quoque reformavit; affirmans, parricidium hoc, *insidioso & Jesuitico modo* patratum esse. Cur, oro, *modo Jesuitico?* An quia patratum ad exemplum alicujus Jesuitæ simili in Parricidio antegressi? Nomina, si potes; quis Jesuita iste fuerit, & ubi locorum tale quid designârit. An quia patratum suasu & consilio Jesuitarum? Cor Regis te redarguit. Cor Regis, atrocissimi mendacii te convincit. Cor Regis pro Jesuitis, eorúmque innocentia adversùs omnes criminatorum teterrimas vociferationes stat & stabit, quandocunque & quotiescunque barbari isti famæ & existimationis nostræ Prædones impetum in nos facient.

ARGUMENTA

A PERSONA REI.

G INnocentiæ Jesuitarum ipse reus perspicuum dat testimonium. I. Quia, Jesuitas neque intra, neque extra tormenta unquam, tanquam consilii sui vel auctores, vel participes, vel conscios nominavit; ùt nec ullum alium mortalium, sed semper ad supremum usque halitum, testatus est, se *solo interno animi sui afflatu* hoc facinus suscepisse, ùt ipsemet Relator scribit.

H II. Nihil de familiaritate cum Jesuitis uspiam apparet; nihil de communicatione alicujus vel parvæ vel magnæ rei; nihil, quòd scholas nostras unquam obiêrit. Nullius amicitiæ cum pluribus, vel cum uno ex Jesuitis ulla vestigia apparent. Et tamen rei sunt Jesuitæ. Et cur rei? Nulla alia de causa, nisi quia adversarii reos vellent, si volendo hoc consequi possent. Bone Deus, quis tutus erit, si reus sit, de quo reus nunquam meminit? Quem aut vix aut nunquam novit? Ipse asserit & asse-

rendo

A rendo moritur, à nemine mortalium se ád hoc parricidium impulsum. Hæretici obstrepunt: eíque Jesuitas impulsores adjungunt: ipse negat, & in negatione animam exhalat. Quæso, quibus credendum? Deinde, quæ, oro, causa, cur Jesuitas potiùs in hanc scenam trahant, quàm alios, cùm palàm testatus fuerit, se in hoc scelere, nullum suasorem habuisse, præter internum instinctum, nisi quia Jesuitas magis, quàm alios oderunt, magísque perditos cupiunt?

B Ex quo etiam concidit & enervatur calumniæ illius spiculum, quod Relator obliquè jacit; parricidam, hanc mentem hausisse ex *libro Marianæ de Rege & Regis Institutione*. At Reus negat, hoc ipso, quòd ad mortem usque constanter testatus est, neminem sibi hujus cædis patrandæ auctorem fuisse, præter animum suum, vel animi internam suggestionem ac inspirationem. Nunquam dixit, se hunc spiritum ex Mariana imbibisse: & fortè num Mariana in rerum natura esset, vel unquam fuisset, tam ignorabat, quàm ego, quis Alexandriæ vel Cairi in Ægypto sit omnium Mercatorum opulentissimus. Non defendo, quæ ille scripsit; Tantùm hoc ajo, injuriam Marianæ fieri; quòd, ùt Relator iste mentitur, doceat, quibus modis ac rationibus Reges, Principes ac Primores
C illi trucidandi sint, qui *Pontificiam idololatriam complecti & Romanum Antichristum adorare nolint.* Nihil horum lector in libro Marianæ reperiet. Quòd autem communis doctrina Societatis nostræ, ejúsque Doctorum, à Decreto Constantiensis Concilii in Quæstione *de Tyranno* non discrepet, ostendit nuper R. P. *Petrus Cotonus* in proprio de hac re libello, ad sereníssimam Reginam misso, & Gallicè evulgato, Lugduni cum privilegio Regis; in quo quatuordecim Doctorum Societatis, quorum publica literarum monumenta extant, Hispanorum nempe, Italorum, Gallorum, Belgarum & Germanorum testimonia profert, ex quibus planum liquidúmque evadit, communem Jesuitarum doctrinam Decreto Concilii Constantiensis sanctè & constanter inhærere, & adhærere: & sententiam Marianæ, hujus auctoris propriam esse, ac proinde non magis justè toto Ordini imputari, quàm scripta Joannis Petit seu Parvi *aliorumve, iis Universitatibus & Religiosis Familiis, quarum fuêre studiosi, Baccalaurei, Magistri, Doctores.*

D Quocirca *neque Parlamenti Curia, neque sacrum Sorbonæ Collegium*, inquit P. Cotonus, *in suis definitionibus ac decretis ullam de Jesuitarum doctrina mentionem faciendam judicârunt, ut, qui probè scirent, peccata peccantium esse; neque jam relinqui ullum Innocentiæ in terris locum, si unius culpa aliis adscribenda sit; id fuisse deplorandam & incommunicabilem peccati primi parentis proprietatem, ut in cæteros mortales transfunderetur, eò quòd in ipsius persona universa posteritas comprehenderetur. Neque ex altera parte ignorabant, ex ipsa iterata illius infelicis hominis confessione, Marianam ad illud execrabile parricidium perpetrandum, aut suscipiendum nihil quidquam contulisse, neque verò potuisse, cùm ille Latinè scripserit, cujus linguæ scientia Reus modicè tinctus fuit. Ex quibus colligas, quàm sit parùm syncerus eorum animus, qui sparserunt miserum illum, Marianæ libros memoria tenuisse, eo nimirum fine, ut hujus impiissimi facinoris culpam in alios potiùs, quàm in reum detorquerent.* Hæc P. Cotonus, qui E etiam Sereníssimæ Reginæ quinis denis quasi thesibus, quis Jesuitarum de Regibus & honore illis habendo sit sensus, explicat: qui etiam ista subjicit. *Minima nostra Societas inter omnes religiosas familias, plus aliis omnibus exposita est odiis & calumniis eorum, quæ eam penitus non nôrunt. Nôsti, REGINA, quàm eam defenderit; quámque laborarit Rex noster, HENRICUS tuus, ut à pluribus nosceretur: Testari potes; (neque enim quisquam mortalium id te meliùs perspectum habet) ubicunque magnus ille Monarcha fuit, ibi nos Regem, parentem ac defensorem habuisse.* F

Sed ad Reum redeo, qui, ùt dicebam, G in neminem prorsus, nisi in se, & in suum, afflatum, causam Regiæ necis contulit. At fac, contulisse in alium. Num ideo è vestigio rei essent, si vel Jesuitas vel alterius Religiosi Ordinis Professores nominâsset? An nunquam fit, aut factum, ut quidam vi tormentorum adacti non tantùm se, sed & alios falsò accusent vel accusaverint? Quid si Reus nominâsset Petrum Molinæum Calvinianum Ministrum? Quid si Pappum Argentoratensem Lutheranum? Quid si alium vel alios de hoc vel illo grege? An ideo à defensione honoris & capitis sui destitisset? Num ob hanc solùm nominationem rei evasissent, mox ad dirissima quæque supplicia abripiendi?

Certè nullum Lutheranum aut Calvinia- H num Prædicantem inveniemus, qui tam duram legem sibi ferre velit, aut ab aliis ferri sinat. Et tamen in Prædicantium Consistoriis & tribunalibus Jesuitæ rei fiunt, etiam tunc, quando reus disertè profitetur, & in hac professione animam edit, sibi in facinore neminem mortalium fuisse auctorem; nullum suasorem, nullum impulsorem. Quænam hæc amentia? Quæ perversitas? Vel potiùs, quæ sitis Jesuitici sanguinis? Nam huc isti omnia venenatæ linguæ & pestiferi styli tela dirigunt, ut Jesuitæ non tantùm exterminentur, sed & trucidentur, ut in tam exoptato sanguine manus suas lavare possint. Tanta est Calviniani, & Lutherani Evangelii mansuetudo; Tanta charitas & benignitas in proximum.

ARGUMENTA
A
CHRISTIANISSIMI REGIS PERSONA.

B Hic oratio citiùs principium, quàm finem inveniet. Adeò latus & spatiosus campus se se aperit. Fuit enim Christianissimus Rex. I. Eximius ac planè singularis Societatis nostræ Patronus, imò pater, defensor ac tutor.

II. Ipse Societatem honorificis decretis in ea Regni sui loca, unde excesserat, revocavit.

III. Hac revocatione sua omnibus Calvinianis & Lutheranis Prædicantibus, qui mirificè exilio nostro insultabant, ora occlusit & oppilavit, ita, ut illis præ stupore vox faucibus hæserit adeò, ut nulla unquam Apologia pro Societatis innocentia contrà Quinti Evangelii buccinatores validior ac efficacior prodierit.

IV. Ipse cùm nonnulli ex Parlamento
C nostræ restitutioni se opponerent, omnes objectiones acutè & accuratè dissolvit, ita, ut defensionem illam Regis, quæ, ùt suprà dicebam, Latinè & Germanicè excusa prostat, jure appellare possimus epitomen seu breviarium fermè omnium eorum, quæ P. Ludovicus Richeomus in accuratissima illa ad Regem Apologetica Expostulatione contra Calumniatores nominis & Ordinis nostri disputat.

V. Ipse Flexiæ in urbe educationis suæ, novum Collegium Societati erexit ac fundavit, additis scholis florentibus, quas hoc ipso anno mille trecenti studiosi adolescentes, literarum causa, frequentant. Et, quod magis mirère, proprium Palatium in Collegium Societatis JESU convertit.

VI. Ipso permittente & annuente in compluribus, iisque amplissimis & celeberrimis Gallicani Regni civitatibus Collegia nova instituta ac condita sunt.

VII. Adeò, ut ipso regnante Societas
D quatuor in Gallia Provincias obtinuerit, cùm antea tribus solummodo circumscriberetur.

VIII. Ipso regnante, Gallicano Regno proprius Assistens datus est, qui Romæ admodum R. P. *Generali* CLAUDIO AQUAVIVÆ, in Societatis gubernatione, ejus præsertim, quæ in Gallia degit, perpetim ope, opera & consilio suo adjutor assistat, unde & *Assistentis* nomen.

IX. Ipse nostros in Bearniam, avitam & patritam suam ditionem, ablegavit, ut hæreticis ad fidem Catholicam traducendis sedulam operam navarent. Nec infeliciter missio cessit.

X. Ipse in nonnullas Galliæ urbes, ad E quas Catholicis Sacerdotibus vix aditus patebat, nostris aditum patefecit, ut in iis orthodoxam fidem traderent, & sacris Catholico ritu operarentur.

XI. Ipse nonnullos ex nostris in novam Franciam seu Galliam Antarcticam mittere statuerat, ut incolas ejus regionis in veri Dei cultu informarent.

XII. Ipsius opera & sumptu Societas Constantinopoli sedem fixit; quò quinque ex nostris feliciter appulerunt Anno Domini M. DC. IX. Mense Septembri.

XIII. Ipse concionatore ex Societate no- F
stra uti voluit, P. Petro Cotono, quo etiam familiariter, ùt & aliis nonnullis, usus est.

XIV. Ipso imperante fides Catholica in Galliis non modò non est imminuta, sed mirificis etiam incrementis adaucta; quod ex fide dignis testibus non semel me audire memini.

XV. Ipse, cùm ante triennium generalis Congregatio Societatis Romam indicta esset, egestatem Domus Professæ Romanæ, in qua ex tot nationibus Patres convenire oportebat, liberalissima eleemosyna sublevavit.

XVI. Cùm Superioris Germaniæ Provincia ipsius Majestati, sancti Cyrilli Alexandrini Patriarchæ Commentarios in duodecim minores Prophetas à *Pontano* nostro latinè conversos, dedicâsset, Rex benevolentissimè & clementissimè has ad eandem Provinciam literas dedit, ex Gallico, ùt fideliter, ita fermè verbatim expressas.

G *MULTUM DILECTI. Gratum nobis acceptúmque, quod obtulistis, munus fuit, sancti scilicet Cyrilli Alexandrini, super duodecim Prophetas. In quo cognovimus, quantum in dies Ecclesiæ Catholicæ magis ac magis utiles sitis, nec de superis & hominibus benè mereri, ac nos, pro nostro more, amare desistatis. Protegere vestram societatem contra omnes, quamdiu erit, & amare non desistemus: præsertim autem eruditum virum P. PONTANUM, qui tantum in hoc opere laboris impendit, Deum orantes, ut nos ipse amet, & charos habeat, ac sancta sua, dignáque gratia tueatur. Parisiis 3. Septembris, 1607.*

HENRICUS.

Inscriptio.

Dilectis meis Patribus, P.^o Provinciali & reliquis è societate JEsu, Germaniæ superioris Patribus.

XVII. Ipse Pyramidem illam famosam, H
Societatis JEsu infamatricem, jussu, nutu & annutu suo dejecit, solóque æquavit, multis renitentibus, multis etiam nunquam futurum opinantibus, ut monumentum

A tum illud, quod adamantinis basibus firmatum videbatur, aliquando rueret.

XVIII. Ipse, memor mortalitatis, post supremum diem, cor proprium, non alibi, quàm Flexiæ in Templo Societatis JEsu condi voluit. An non hoc grandis amoris grande testimonium, & irrefutabile contra adversariorum criminationes argumentum?

B XIX. Ipsa Christianissima Regina, præter alia beneficia, quibus Societatem larga & munifica manu affecit, Romam ad Sepulchrum *B. Aloysii Gonzagæ* lampadem miri operis, multíque pretii misit, ut coram sepulchro Beati illius luceat; insigne testimonium illius pietatis, qu: præstantissima Regina in Orbe Gallicano & extra itidem splendet.

C Hæc paucula ex innumeris beneficentiæ regiæ in Societatem nostram capita libare, non amplificare libuit: quibus consideratis, lectorem, cui livor mentem ac rationem non penitus ademit, arbitrari volo, num ullo modo sit credibile, Jesuitas tam esse truculentos & efferatos, ne dicam Cyclopicos, támque ab omni humanitatis sensu desertos, ut ad indulgentissimi & beneficentissimi Patroni, tutoris ac defensoris crudelissimam necem, consilium & auxilium sive directè, sive indirectè conferre voluerint? Si Prædicantes existimant, nos nulla salutis nostræ cura tangi, nec Deum revereri, nec inferos formidare; saltem hoc nobis concedant; nos nec apud Læstrigonas, nec apud Anthropophagos natos & educatos; sed inter eos, qui literas amant ac colunt, illas etiam, quibus, quia *humanos* efficiunt, nomen ab *humanitate* venit. Quis, cui vel guttula humanitatis inest, conspiret in talem ac tantum benefactorem? non enim dicam, Regem. Nego, quenquam posse, nisi hominem, omnémque humanum sensum exuerit, ac in bestiam abiêrit, nec in quamlibet; quia sunt, quæ beneficiis mansuescunt ac cicurantur; sed in immanissimam ac efferatissimam, cui nullus beneficiorum sensus suppetit.

D Quis autem erga Christianissimum Regem Societatis animus fuerit, quæ observantia, quod ob tot promerita gratitudinis studium, discet lector ex operibus P. Ludovici Richeomi Gallicè scriptis, præsertim *ex Expostulatione Apologetica*, & *Peregrinatione Lauretana*. Item ex Panegyrico Roveriano, Regi in restitutione Collegii Divionensis dicto. Præterea ex præfatione P. Frontonis Ducæi in primum Tomum Græcolatinum Tomi quinti Operum S. Chrysostomi. Ex præfatione Provinciæ superioris Germaniæ in Commentarios S. Cyrilli super duodecim Prophetas. Ego quoque, quamvis inter omnes postremus, in Polemicis & Apologeticis meis opusculis, iis præsertim, quæ contra Misenum evulgavi, quis meus de tanto patrono sensus esset, semper apertè præ me tuli. Mitto dicere de Missæ sacrificio & precibus à summo Societatis moderatore pro Regiæ Majestatis incolumitate in beneficiorum compensationem per totam Societatem indictis; hoc de me, Deo & conscientia teste, profiteri possum, me à pluribus annis, nullum sacrum unquam feciss, in quo nominatim pro Rege Christianissimo, ejúsque familia preces ad Deum non fuderim. Nuper itidem simul atque luctuosus ille casus auditus est; curavit admodum R. P. N. Generalis, ut per totam Societatem, quilibet sacerdos sex sacra celebraret; & quilibet non sacerdos sex Rosaria pro Rege, recitaret; tria quidem tanquam pro defuncto Collegii Flexiensis E Fundatore; tria verò alia, tanquam pro summo & planè singulari Societatis nostræ fautore ac patrono: Nam tria sacra & tria Rosaria, ùt pro Fundatore vivo Collegii Flexiensis jam Anno 1606. per totam Societatem dicta fuerant. Et tamen isti eò impudentiæ vel progrediuntur vel provehuntur, ut suis, qui res nostras cognitas non habent, persuadere conentur, nos usque adeò nullis beneficiis vel capi vel leniri, ut etiam iis, qui in nos omnes beneficentiæ suæ fontes aperiunt, mortem vel nostra vel aliena opera machinemur. O vix ullo sæculo visos vel auditos tam barbaros & fermè stygios calumniatores ac sycophantas!

ARGUMENTA PETITA EX ILLIS, QUÆ POST CHRISTIANISSIMI REGIS MORTEM ACCIDERUNT.

G

I.

H COr Regis Societati nostræ creditum est, Flexiæ in Templo Collegii sepeliendum, ídque voluntate & jussu Regis adhuc superstitis. Nec simpliciter creditum est; sed magnâ pompâ & cæremoniâ. Vocati in Aulam Domus professæ Parisiensis Superior & alii Patres. Quò, ubi ventum, cor Regis ab uno ex præcipuis Principibus Præposito Domus professæ in manus datum; quod ille linteatus stolâque ornatus, flexis humi genibus, nomine totius Societatis accepit. Inde in Regio curru, Prælatis Cruce & facibus, insigni nobilium Comitatu, Præsidiariis militibus vehiculum totúmque agmen stipantibus; ad Templum sancti Ludovici deportatum & decenti in loco summi altaris collocatum est; donec Flexiam commodè deferri posset. Interea à quotidianis pro defuncti Re-

A gis ſalute ſacrificiis & precibus nunquam ceſſatum eſt; frequentiſſimo populo in ſingulos dies ad Templum Societatis D. Ludovico Francorum Regi conſecratum confluente. Quis, præter eos, à quibus omnis ratio & ratiocinatio exulat, non animadvertit, nihil horum futurum fuiſſe, ſi vel tenuiſſima patratæ cædis ſuſpicio in Jeſuitis hæſiſſet? Qui ſibi perſuadere poteſt, Chriſtianiſſimam *Reginam* cum filio, novo Rege *Ludovico XIII.* Nobilitatem, & plebem demortuo Regi addictiſſimam & devotiſſimam, permiſſuram fuiſſe, ut noſtris cor magnanimi Regis traderetur; ſi ulla veriſimilitudine, quod hæretici ſpargunt, niteretur; is de valida aliqua medicina, qua hanc tantam ſuam credulitatem expurget, circumſpiciat, ſive ſit Antimonium, ſive helleborum.

B II. Sereniſſima Regina novo Regi P. Petrum Cotonum magiſtrum in rebus ſpiritualibus, & in iis, quæ ad doctrinam Chriſtianam & Catholicam ſpectant, inſtitutorem eſſe voluit.

III. Item Confeſſarium.

IV. Et Concionatorem Ordinarium.

V. Præterea Sacellanum; quotidie enim P. Cotoni ſacrum audit.

VI. Eundem Patrem menſæ Regiæ, prout priùs, vivo Rege, conſueverat; adeſſe juſſit. Num hæc ſunt ullius ſuſpicionis de Regicidio argumenta?

C VII. Proximo elapſo Julio, hoc eſt, ſex vel ſeptem ab obitu Chriſtianiſſimi Regis hebdomadibus, acceſſit ad Domum profeſſam Pariſienſem & Collegium; *Novitiatus*, ſeu *Domus probationis* in Suburbio S. Germani; in quam tirones immigrârunt, non obſtante circumlatrantium Calviniſtarum fremitu. An non & hoc innocentiæ noſtræ clariſſimum eſt indicium? Scilicet, ſi Jeſuitæ huic parricidio, quoquo tandem modo, affines fuiſſent, novum domicilium Lutetiæ eis attributum fuiſſet. Imò non tantùm novum attributum non fuiſſet; ſed & vetera omnia, unà cum vita & omnibus fortunis perdidiſſent. Et hæc non ex incertis rumoribus, ſed ex eorum literis refero, qui Lutetiæ degunt, & quid fiat, propiùs intuentur.

D VIII. Accedat inſuper teſtimonium Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Epiſcopi Pariſienſis, quod Gallicè extat in libello P. Cotoni, quod ad verbum ex Gallico converſum hîc inſerendum duxi.

ATTESTATIO DOMINI EPISCOPI PARISIENSIS, *DE* INNOCENTIA PATRUM SOCIETATIS.

E *HENRICUS de Gondy, Epiſcopus Pariſienſis, in iis, quæ ad ſtatum ſpectant, & privatus Regis Conſiliarius Magiſter Oratorii ſuæ Majeſtatis.* F

Cùm poſt crudele illud parricidium perempti noſtri Regis, cui Deus ſit propitius, multi rumores ſparſi fuerint per hanc Urbem Pariſienſem, in magnum præjudicium Ordinis Patrum Societatis; nos proviſum cupientes honori & exiſtimationi ejuſdem Ordinis, & compertum habentes ejuſmodi rumores non aliunde prodire, quàm ex ſiniſtro affectu, ac malevolentia in eoſdem Patres, præſentibus declaramus, notúmque facimus omnibus, quorum id ſcire intereſt, prædictos rumores impoſturas & calumnias eſſe, malitiosè excogitatas adverſus eoſdem Patres in damnum religionis Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ; prædictique Ordinis Patres non ſolùm eſſe penitùs ab iſtiuſmodi crimine immunes, verùm etiam ipſorum Societatem tùm doctrinâ, tum vitæ ſuæ commendatione Eccleſiæ Dei magnoperè utilem eſſe, atque huic ſtatui plurimum prodeſſe. In quorum fidem præſentes expedivimus, quibus etiam noſtra, & Secretarii noſtri manu ſubſcripſimus, ſigillóque noſtro communiri fecimus. Pariſiis 26. Junii, 1610. G

HENRICUS Epiſcopus Pariſienſis,
Dn. Veillart.

H Hoc ſi ſatis teſtimoniorum non eſt ad innocentiæ noſtræ manifeſtam demonſtrationem, quid tandem ſatis erit? Tametſi adverſarios noſtros ita comparatos eſſe animadverto, ut, licèt Angelus de cœlo deſcendens innocentiæ noſtræ teſtimonium perhiberet, ipſi à ſuo pertinaciſſimo Calumniandi ſtudio nequaquam deſiſterent. Sed *qui habitat in cœlis, irridebit eos. Inimici mei* Pſal. 37. *vivunt*, ajebat B. David, *& confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant* (& detrahunt) *mihi, quoniam ſequebar bonitatem.* Quid igitur agendum? Orandum cum eodem ſancto Rege. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me. Intende in adjutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.*

DE

A

DE TITULO ET EPILOGO RELATORIS.

UTrobique profitetur, se hanc Relationem edidisse *in gratiam Regum, Principum ac Procerum, ut tandem expergefiant, & ab hujusmodi truculentis ac sanguinariis canibus sibi caveant, eósque quàm longissimè arceant.* Et cùm in prima editione Relator hæc tantùm verba usurpâsset: **Solchen frevelen und blutgierigen Hunden steuren, und mit Ernst wehren möchten,** nimis parùm sibi dixisse visus est. Itaque in altera editione stylum acuit, & priorem suam clementiam hac acrimonia castigavit, negligentiámque hoc auctario compensavit: **Solchen frevelen und blutgierigen Jesuitischen Hunden, ꝛc.** Scilicet istud Epithetum priùs deerat. Hoc nimirum faciebat, ut tam Epilogus, quàm titulus languere & frigere videretur, nec Lectoris orexin seu appetitionem excitaret.

B Sed anonymo huic Calumniatori respondebunt Reges ac Principes, Catholici; eum forsan ob imbecillitatem memoriæ Jesuitis adscribere, quod Lutheranorum & Calvinianorum Prædicantium proprium est, pérque mentis exerrationem monuisse, ut à Jesuitis caveant, cùm monere; si non voluerit, saltem debuerit, ut sibi caveant à Calvinianis & Lutheranis Prædicantibus, quorum doctrina est, Reges ac Principes novo Evangelio adversantes non tantùm posse, sed & necessariò debere de throno dejici, ínque ordinem cogi, *imò & suspendi.* Si id difficilius sit, quàm ut celeriter pro voto transactum detur, colligendas esse copias, contrahendos exercitus, armatáque manu obtinendum, quod sinè Marte impetrari nequit. An non hanc horum mentem & doctrinam esse, testantur libri, exempla, facta, bella contra legitimos Reges ac Principes in Scotia, Anglia, Gallia, Belgio, Germania?

C Si Relator iste in ullius Jesuitæ libro de Regibus & Principibus talia nobis monstraverit, qualia extant in operibus Buccanani, Knoxii, Goodmanni, Zvvinglii, Calvini, Bezæ, Genevensium Ministrorum, & similium; Et si probaverit, alicubi terrarum talia patrata esse ad conciones Jesuitarum, qualia in supradictis Regnis acta sunt, post Martias & tumultuosissimas declamationes Prædicantium, libenter Encomia, quæ à Prædicantibus ablata ad Jesuitas tranfert, agnoscemus; fidíque Monitoris officio functum prædicabimus. Quod dum iste non præstat, non ægrè feret, si ei stationem inter calumniatores & famosorum libellorum conditores assignemus. D

Meritò insuper Reges ac Principes tam sollicitum Monitorem hoc vel non dispari modo compellabunt. Tu, qui nos de re tanti momenti mones, quis es? Qui genus? Unde domo? Num ater es an albus? Ubi habitas? Num in spelunca Caci? Num in antro Trophonii? Prodi in lucem, ut os tuum intueamur. Siste de conspectui nostro. Eja rumpe moras. Cur restitas ad lucem? Cur luminis oras & auras odisti? An quia non es filius lucis, sed caliginis; non diei, sed noctis? Prodi, ne verissimum illud Salvatoris dictum in te quoque verum fiat. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, &* Joan. 3. *non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Quòd si veritatis studiosus es, quæque in literas retulisti, ex veritatis promptuario deprompta sunt, fac, quod ibidem Christus Dominus subjunxit. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.* At si oratio index est animi, omnino judicamus, te eorum numero contineri, de quibus Ezechiel Propheta: *Violabant me ad po-* Cap. 13. *pulum meum, propter pusillum hordei & fragmen panis,* ut interficerent animas, quæ *non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Hæc & id genus alia meritò huic tam sollicito monitori Principes incinent. Cui ego pro talibus ausis aliam seu pœnam seu pœnitentiam imponendam non censeo, quàm similem ejus, quæ olim Iconomachis, S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani calumniatoribus, imposita fuit; nam, ùt in sua Historia Joannes Curopalata scribit, quotannis Dominica *Orthodoxiæ*, qua imaginum restitutarum anniversaria memoria celebrabatur, à Templo Blachernio Deiparæ Virginis ad Templum S. Sophiæ, cum cereis & lampadibus collecti in processionem abire debebant; vocabulum *Anathema*, sibi mutuò in aurem insusurrantes. ὃ καὶ μέχρι τῆς αὐτῶν ἐταμιεύθη ζωῆς. *Quod ab ipsis, quandiu vita suppetebat, factitandum fuit.* Assimili pœna mulctari posset iste criminator cum aliis, quos idem mentiendi & conviciandi cacoëthes tenet. E F

Laus DEO, Virginique MATRI.

RELE-

RELEGATIO
LUTHERANORUM
ET
CALVINIANORUM
PRÆDICANTIUM
EX
SACRO ROMANO IMPERIO.
EX
RELEGATIONE
JESUITICA
ANDREÆ LONNERI
LUTHERANO-CALVINISTÆ
VERBATIM CONFECTA;
ET
PRÆDICANTIBUS STRENÆ JANUARIÆ
LOCO TRANSMISSA
A
JACOBO GRETSERO
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.

PRÆ-

PRÆFATIO AD PRÆDICANTES LUTHERANOS ET CALVINIANOS.

A EVulgavit hoc Anno M. DC. XII. ANDREAS LONNERUS Zuſatenſis Lutheriſta, ſeu Calviniſta, Invectivam quandam, cui titulum fecit. *Relegatio Jeſuitarum ex omni benè ordinata Republica, vi novem argumentorum potiſſimùm, ut à Religione eorum, à ſcholis, Monarchia, tributorum denegationibus, avaritia, luxuria, proditionibus, factionibus, ſeditionibus & Regicidiis ordine & firmè demonſtrata*; Gieſſæ primùm recitata, poſtea multò auctior in lucem data, quam, quanta quanta eſt, conſarcinavit Rabula iſte ex infamibus, jámque pridem contritis & profligatis chartis *Haſenmülleri, Cambilhonis, Equitis Poloni, Angli Calvino-Papiſtæ* de modo agendi Jeſuitarum: Ex *Catechiſmo Jeſuitico.* B Ex *Philippica cauſidici Arnaldi*; Ex *Stephano Paſquierio*; ex *Daniele Cramero:* Ex picturis, ſculpturísque famoſis plus vice ſimplici à calumniatorum turba, in Jeſuitarum contemptum, in vulgus extruſis; ex libellis, qui biennium abhinc, poſt mortem Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Henrici IV. ſturnatim circumvolitabant; Gallicè primùm, mox Latinè & Germanicè. Denique ex chartis probroſis Anglicanorum & Polonicorum Criminatorum; & ex aliis hujus notæ & ſignaturæ, quibus omnibus jam olim à variis tam noſtri Ordinis, quàm aliarum profeſſionum doctiſſimis hominibus, Apologetica ſcripta oppoſita ſunt; fraudésque, Pſeudologiæ, Sycophantiæ, & alogiæ calumniatorum ad inferos uſque, unde extiterant, depreſſæ. Nec ſolùm id à literatis præſtitum; ſed aliquando etiam potentiſſimorum Regum, Principum ac Magiſtratuum publicis ac authenticis teſtimoniis, ùt non ſolùm Germaniæ noſtræ, ſed & toti propemodum Chriſtiano orbi liquidò conſtat.

Declamator tamen iſte horum nihil moratur. Mendacia & convicia priſca, tam ſecurè repetit & regerit; quaſi eorum vanitas, inanitas, & falſitas à nemine unquam patefacta, ſolidísque argumentis refutata fuerit; ídque tanta cum rabie facit; ut ſine injuria phreneticus cenſeri queat. Tanto ululatu, & toties iterato, ejectionem Jeſuitarum ex Germania efflagitat; ut ex mania Jeſuitas magis odiſſe & formidare videatur, quàm *Hydrophobi* aquas. C

Nec animadvertit ebrius furore circulator, ſe ea effutire, quæ, exigua mutatione facta, in vos, *ô Prædicantes*, retorqueri, & in ſinum veſtrum refundi commodiſſimè valeant. Quod haud vanè à me affirmari, docebunt ea, quæ ex Invectiva Lonneriana excerpſi, & per Parodiam modicè inflexa, ad vos tranſtuli, vobísque contemplanda propoſui; ubi illud inprimis cogitari à vobis velim, quidnam vos & veſtri facturi eſſetis, ſi quis Jeſuita ſimilem Lonnerianæ declamationi Invectivam in vos emiſiſſet? An non boatibus & mugitibus cœlum & terram compleretis, Jeſuitásque tanquam turbatores publicæ pacis, ingenti clamore traduceretis; ádque tam indignæ rei vindictam, Principes, Magiſtratus, & populos veſtros inflammaretis? Fingite, me vel alium Jeſuitam ſic affari Illuſtriſſimum Principem *Wolffgangum Guilhelmum*, Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem, &c. (cui Lonnerus ſuam maledicentiam dedicat.) *Age igitur, ô Maxime Princeps, & vota noſtra pia & applauſus, ne* D

A *despice, & nisus nostros qualescunque in Hydra ista* (Prædicantica) *debellanda, pro tua in nos nostrósque clementi propensione, serenior accipe. Quas illa hæc lues turbas vobis dederit Principes* (Catholici) *& quæ negotia facesserit, toti orbi increbuit. Multa illi & nefanda & brevi tempore de hoc Regno vestro* (Germanico) *machinati & muginati sunt; ea non solùm in ipsis* (Germaniæ) *mœnibus, sed extra etiam, in Gallia, Bohemia, &c. Certè digni fuissent amandatione remotiore, si non emendatione atrociore. Verùm tolerati hactenus cum magna patientia, &c.*

B *Ut autem intelligeret illa manifesta Rerumpublicarum corruptela, & pernicioſa malorum sociennorum* (Prædicantium Lutheranorum & Calvinianorum) *societas, quales essent, & quo digni, omnésque Respublicæ de peste eorum extremè sibi cavenda in tempore admonerentur, non juberentur, commoda occasione orarentur, non juberentur, commoda occasione orationem hanc de non ferendis* (Prædicantibus) *in benè ordinatis Rebuspublicis habui, habitam recognovi, recognitam auxi, augendam adhuc deinceps, in lucem misi, &c.*

C Quid, quæso, ô Prædicantes animi vobis esset, si quis Jesuita prædictum *Illustrissimum* Principem, vel aliquem ex Catholicorum numero sic compellaret? Qui tam delicati cæteroqui estis, ut, si quid vel obiter dicatur, quod sectæ vestræ minùs favere videatur; statim *arma, arma* inclametis, & *tubas*, & *tympana*, & quidquid ad Martem Bellonámque spectat? Quoties occinitis & ingeritis, quæ ab Andrea Fabricio; à Paulo Windeckio, à Ficklero aliísque nonnullis, aliud quasi agendo, de sectis non tolerandis, dicta sunt? Et tamen, quid nisi ludus sunt, si comparentur cum dictis scriptísque vestris, contra Catholicos, præsertim Jesuitas, sæpissimè disseminatis?

D In cujus Catholici monumentis legistis aliquid simile hujus, quod Lutherus in cap. 20. Geneseos evomuit? *Templa Papistarum sunt scholæ Diaboli, & debebant decuplo spoliari præbendis suis.* Vel hujus, quod eructavit Melanchthon in cap. 5. Danielis. *Singuli principes in suis ditionibus debebant otiosos & hostes Evangelii Episcopos, Canonicos & Monachos ejicere ex possessionibus facultatum Ecclesiasticarum, & curare, ut idonei Ministri* (hoc est, Prædicantes) *cum conjugibus & liberis alerentur.*

Fingamus, aliquem ex Catholicis scriptoribus scripsisse: *Templa Lutheranorum sunt scholæ Diaboli, & debebant decuplo spoliari proventibus suis, si quos habent.* Item: *Singuli principes in suis ditionibus debebant otiosos, & hostes Catholicæ fidei Superintendentes, Prædicantes, Logodulos, Spermologos ejicere ex possessionibus Facultatum, quas Ecclesiæ Orthodoxæ abstulerunt, & curare, ut idonei & Catholici Ministri alerentur:* Bone Deus, quos flammarum globos Prædicantes non exspuerent, si tale quid in Catholici scriptoris Commentario reperirent? Nunc cùm atrocia ista & planè turbulenta effata, ex Lutheri & Melanchthonis tripode proficiscuntur; non modò nihil indignationis præ se ferunt: sed ea etiam, tanquam divina oracula, exosculantur; nec prolata dolent; sed nondum ad effectum collata gemunt. Verùm ex digressione in semitam revertor. E

In toto hoc sive querimoniarum sive accusationum vel potiùs calumniarum argumento, plerúmque observare licet, *ô Logoduli Quintevangelici!* mirificum mentium vestrarum candorem; dum Auctores, qui cum vestro Evangelio minùs clementer agendum censent, in Jesuitas transformatis, licèt Ordinem nostrum nunquam professi fuerint: quod etiam factum ab hoc vestro rabioso *Locutio*, ùt & à, nescio quibus, *Confessionistis*, in postremis Comitiis Ratisbonensibus, Anno M. DC. VIII. qui & voce & scripto ajebant, *sibi à suo Principe in mandatis datum*, ut omnes de cavendis Jesuitarum machinationibus, &, ùt vocant, perniciosis *practicis*, seriò commonefacerent; Jesuitarum conatus ex propriis eorum libris satis elucere. Postea sex Auctores nominatim protulerunt; nempe *D. Georgium Ederum, D. Jodocum Lorichium, D. Joannem Pistorium Nidanum, D. Andream Fabricium, D. Joannem Baptistam Ficklerum, & D. Petrum Muchitsch*, quorum nullus Jesuita fuit, ùt toti mundo notum est; Et tamen potentibus herbis & verbis in Jesuitas transmutantur, nec alio fine, quàm ut calumnia nomine, & quasi toga Jesuitarum tecta & velata, faciliorem aditum ad aures & mentes auditorum habeat. F G

Quidquid in vos vestrámque sectam scribitur, dicitur, jacitur, id vestro judicio, seditiosum est, & contra publica pacta, contra Imperii jura, contra jurata fœdera; & contra illam tam *exoptatam* (agnoscitis, opinor, vestras phrases) *diúque desideratam in religionis negotio transactionem.* Denique totum hoc in contemptum ac ignominiam Principum *Protestantium* redundat. At si vos immanissimis conviciis & maledictis turbulentissimis in Catholicos, maximè in Jesuitas desæviatis, eósque difertè ad furcam, ad gladium, ad rogum, & cùm mitissimè; ad perpetuum exilium deposcatis; rum strenuè fungimini; nec quidquam à pace & publica tranquillitate alienum agitis; nec classicum canitis, nec in Catholicos Principes injurioſi estis, nec quidquam in eorum Majestatem committitis; quia mutis canibus, lupos ab ovili non arcentibus, summæ pœnæ denunciantur; & quidquid fit, H

fit, id in *Papiſtas* fit. Vile & abjectum animal *Papiſta*; & adhuc contemptius, *Jeſuita*.

A Sed, ô boni, valdè fallitis & fallimini, ſi *Papiſtam* majoris pretii non æſtimatis, quàm *Lutheriſtam*, aut *Calviniſtam*. Qui ſi nulla præ vobis prærogativa gauderet; antiquitate profectò vobis in Imperio antecelleret; quia *Papiſta* priùs in Imperio fuit, quàm aut Lutheri, aut Zwinglii, aut Calvini abavus, aut atavus in luminis oras ederetur.

B Admodum etiam decipimini, ſi vobis perſuadetis, vos veſtris Principibus, & aſſeclis chariores, & conjunctiores eſſe, quàm ſint Jeſuitæ Principibus, & aliis, qui Apoſtolicæ Sedi conſtanter adhærent: ac proinde ſi quid in vos veſtrámque ſectam dicatur, id ad injuriam Principum & Magiſtratuum veſtrorum vergere; totam autem conviciorum molem in Jeſuitas jactam, in ſolis Jeſuitis reſidere; neque ad Principes, aliósque Catholicæ profeſſionis ſtatus manare. Non eſt ita; Mendacia, falſa probra, lœdoriarum & maledicentiæ ſpicula, in avitæ fidei defenſores ac propugnatores vibrata, ad ſe pertinere arbitrantur; non ignari, per hujuſmodi cuniculos ipſam vetuſtam religionem impeti, & per latus Jeſuitarum, alios itidem, qui ſe pro domo Dei, murum opponunt, confodi: tam enim amatis iſtos, quàm illos. Odium tamen in Jeſuitas apertiùs promitis; fortè, quia, his ſublatis, cætera vobis proniora fore creditis.

C Sed omitto iſta, & jam rem ipſam, cujus cauſa hæc præfati ſumus, aggredior; Vos etiam atque etiam obſecrans, ut ſincerè, ſi quæ vel micula ſinceritatis vobis ſupereſt; exponatis, qua mente futuri eſſetis, ſi quis Jeſuita, aut alius Catholicus Lonneriano ſtylo, publicè vobiſcum decernere ſtatuiſſet; vósque non modò ad relegationem extra Germaniam; ſed & ad Crucem & Pyram Stentoreis vocibus poſtulâſſet. Nihil hîc, tanquam meum, mihi imputabitis. Quæcunque dicam, priùs

D à Lonnero dicta ſunt; in Jeſuitas quidem fateor; ſed quis mihi vitio vertat, ſi regeram in ſinum veſtrum, ut patientiæ & æquanimitatis veſtræ experimentum publicum capiamus; præſertim Prædicantium nobis vicinorum; quibus Lonneriana maledicentia melle & favo dulcior accidet, vel eo etiam nomine, quod Illuſtriſſimo Principi ac Domino *Wolffgango Guilhelmo*, Palatino Rheni, Bavariæ Duci &c. inſcripta ſit.

INCIPIT FELICITER

RELEGATIO PRÆDICANTIUM LUTHERANORUM ET CALVINIANORUM,

RELEGATORE

ANDREA LONNERO

ZUSATENSI LUTHERANO-CALVINISTA.

E Quid dicemus igitur? An tolerandum illud (Prædicantium) genus in bene ordinata Republica & Eccleſia? Non ignotum enim mihi, horum præſtigiatorum ſimulatam pietatem & diligentiam ita quorundam animos effaſcinâſſe, ut peſtem hanc non ſolùm recipiendam, ſed etiam beneficiis donationibúsque afficiendam aſſeverent, ex iísque quidam rudi & indocto errore, quidam data opera. At mihi utrorumque ſententiam refellere nunc ſola opera eſt, &c. Quamdiu igitur hærebis Eccleſiæ & Rebuspublicis noſtris infeſta & funeſta *Prædicantium* lues? Quandiu ædificia tua noſtris conjunges? Quandiu nos eludet maleſuada tua fraus & ſimulatio? Quandiu avaritia tua nos expilabit? Quandiu infrunita tua ſica in nos, Regésque noſtros graſſabitur?

F

G Quandiu impunè vadum Eccleſiæ & Imperii immanitas tua vaſtabit? Nihilne te cœleſte præſidium, nihilne ſanctiſſimæ noſtræ Reipublicæ vigiliæ, nihil tot munitiſſimi Academiarum ſenatus, nihil tot doctorum virorum ora vultúsque movebunt? Exite, exite, inquam, vos manifeſtæ ſacerdotii & Imperii corruptelæ: Exite, inquam. Vósne putabitis, falſi animorum effecturos ſæpiùs veſtro fuco & dolo, ut domuitio ſit vobis apud nos, & res ſit, & gratia? Nequicquam vos nequam. Patent jam veſtræ fraudes, hiant artes; detectæ ſunt; & omnibus expoſita ſunt probra veſtra: ut nemo vel tantillum in toto corpore veſtro profligatiſſimo inveniat, quo ullum commodum Eccleſiæ & Reipublicæ accidere poſſit. Vel date, ſi viri eſtis. Intereſt enim Reip. non modò pigrum, ignavúmque fuci inſtar, civium pecus ejicere & exturbare: ſed etiam nocentes procul à mœnibus arcere. Verùm veſtra quæ eſt tractatio, aut qualis in Rempublicam à vobis utilitas? Si aliqua eſt, erit aliquis manendi locus: ſin nulla, exeundi. Dicam; ſi carnificum, ſi lictorum, ſi hiſtrionum; ſi ludionum; ſordidas operas exerceretis, aliqua vel utilitas, vel delectatio eſſet in Rempublicam: aliquo modo etiam ferendi. At à vobis, per Deum immor-

H

talem, non modò nulla ſperanda utilitas, ſed etiam extrema & communis patriæ peſtis pertimeſcenda: ùt qui non templa tantùm Domini noſtri JESU Chriſti, ſed & Academias noſtræ Eccleſiæ, denique Eccleſiam totam ad exitium & vaſtitatem vocatis, &c.

B Habetis finem. Iliadem malorum habetis, ô mei Auditores; Media vultis nunc à me? Bone Deus, quæ privilegia, quas artes, quos dolos, quas fraudes, quas machinationes, quæ conſilia, quæ ſcripta, quas inſidias, quas impoſturas, conſpirationes, proditiones, minas, tyrannides, interneciones, cædes, Regicidia? Incredenda omnia: de quibus, dum vivam, nullum dicendi finem faciam, dum illi nullum faciendi, &c. *Væ vobis progenies viperarum*, qui ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. Foris apparetis hominibus juſti; intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Væ, væ vobis Phariſæis & hypocritis, omnia opera veſtra facitis, ut videamini ab hominibus. Dilatatis phylacteria veſtra, & magnificatis fimbrias. Væ vobis Phariſæis & hypocritis. Et, per Deum immortalem, neſcio, qui ſub toto orbe magis convenirent, quàm vos ſocienni & Phariſæi. Non tam aqua aquæ, nec lac lacti, lupus lupo, credite mihi, uſpiam ſimiliora, quàm illi veſtrorum, & vos illorum, &c.

Pag. 7.

Pag. 18.

C Anne hisce extruendæ ædes? Quis eſt, qui putat hoc, qui vel guttulam parvulam pietatis in toto ſuo corpore habuerit? *Comburantur potiùs, comburantur tales maleficiorum ædes, & illi ipſi cum illis. Dignum profectò illorum ſalarium: aut ſaltem reſtituantur nobis noſtrísque Doctoribus, aut etiam aliis in ſua Republica hominibus, &c.

Pag. 29.

*Non ſtant vobis comæ ô Prædicantes?

D Verùm puditum eſt me plura de peſtifera *Prædicantium* ſecta effutire, ex qua ſemper Dei honor deturpationem, Religio impeditionem, Respublica everſionem experta eſt. Neque enim ſibi tantùm turpis hæc *Prædicantium* ſocietas & virulenta, ſed etiam apud alios virus ſuum effudit, eósque ita infecit, ut dein nunquam ad ſanitatem redire valeant: ut his *Prædicantibus* exhauſtis, Respublica relevata, & Eccleſia recreata eſſe videatur. Multis dixi hoc, iterum dicam, & clarioribus: Idololatræ ſunt Antichriſti ſunt, ſuperſtitioſi, hypocritæ, ſophiſtæ, præſtigiatores, vagi, Evangelicæ doctrinæ perduelles, ſtelliones, impoſtores, ſodomitæ, lenones, ἄσοργοι, ingrati cuculi, Orbilii, carnifices, literarum corruptelæ, magi diabolati. At at ferendi hi? Tu me, JESU Chriſte Rex tuæ & caput Eccleſiæ, & ſumme piarum ſcholarum Rector, judicabis. Tibi illud relinquam, &c. Ejicite, ejicite peſtiferum illud noſtri Imperii ſcelus; extremam perniciem ejicite, &c.

Ibid.

E Rogo vos iterum, ô Sereniſſimi proceres, *Prædicantes* tolerari nequeunt, ùt infenſiſſimi Monarchiæ Romanæ hoſtes & perduelles. Expellatur igitur & expurgetur cholera hæc: ex Germanico corpore noſtro expellatur. Quando nihil ſubſtantiæ nobiſcum communicet, nihil partis & membrorum ſuſtineat, ſed niſi mera cholera, materia humida, putrida, nociva & morbifera. Vos videbitis, qui rectiſſimè morboſis & malè affectis Rebuspublicis opportuna remedia adhibere nôſtis, &c.

pag. 33.

pag. 34.

F Et niſi mox exturbentur ſcelera (Prædicantica,) audacter dicam, eveniet brevi, ut veſtræ res, veſtræ facultates, veſtræ ſubſtantiæ, veſtræ domus, veſtræ familiæ, villæ veſtræ, veſtra prædia, veſtri agri, veſtri campi, veſtri ſervi, veſtra dominia, veſtræ ditiones, veſtra regna, liberi veſtri, veſtræ conjuges, religio veſtra, & omnia veſtra ſummo in periculo verſentur, & vos cum illis, & cum vobis totum Romanum Imperium.

Pag. 47.

G Exite igitur flagitioſi deſperatorum hominum greges; nemo eſt, qui vos non oderit, qui vos non metuat. Exite, inquam. An ceſſatis? Iterum dico, tertiùm dico; Exite. Rogant vos matronæ, precantur viduæ, optant Virgines, volunt civitates, cogunt nobiles, pellunt Principes, mandat Imperium. Imò tantus dolor in vos, ut non modò homines, ſed & pecudes non paſſuræ eſſe ampliùs veſtram malitiam videantur. Exi igitur lues, exi contages toti cœlo, toti terræ, imò tibi ipſi & tuis concivibus inviſa, &c.

H Credo, me aliquo modo verborum ſpiritu ita me eos difflâſſe, ut ad extremas oras Imperii eos pepulerim. O utinam eos totos efflare poſſem, ut nullus eorum relinqueretur; quàm omnes ſpiritus & ventos colligerem. O nos beatos! O Rempublicam, Eccleſiámque beatas! Intendam; & hoc extremo utar flagello, quo niſi diſpellam eos, ſemper hærebunt.

pag. 48.

Sed revertor ad vos, *magnì mundi proceres.* Quando incipietis tandem cognoſcere fraudulentam eorum humilitatem? Quando cruentas pacificationes? Quid pacificationes? Quando machinationes, machinationes dico proditorias & Gibeoniticas? Cœperatis abjicere ab oculis, non ita diu eſt, vittam ignorantiæ, & acutiùs Papæ impoſturas cernere: Nunc iterum induitis? O noctes! O tenebræ! Circumſpicite, circumſpicite, vigilate, providete. Hoſtem debellatis, quà terrâ, quà mari multis armatum millibus proſequimini. Caſtra ſunt locata in Hungariæ faucibus, in Belgiæ finibus, hoſtem ipſum in ipſis viſceribus providete, in ipſo gremio ſinúque, cave-

te,

A te, tenetis, fovetis. Nulla est natio, quam pertimescatis: nullus Rex populo Romano bellum inferre audet: omnia sunt externa etiam, unius Cæsaris Romani virtute, mari terráque pacata: Intus insidiæ, intus incluſum periculum est, intus est hostis: cum luxuria nobis, cum audacia, cum amentia certandum. Qui die quidem lacrymatur pectore falso, sed noctu laxat Trojæ fatalia clauſtra, &c.

B Pag. 51. Sed mitto jam illos proditores dicere, rixarum & bellorum seminatores ipsos appellabo, nec solùm appellabo, sed etiam probabo. Enim verò proditio illa & exploratio valdè pernicioſa regnis; sed tacita rixarum seminatio multò pestilentior,& quæ, nisi in ipsa herba extinguatur, magnam & venenatam publicorum bellorum & malorum segetem progerminat. Gallia loquatur, loquatur Polonia, loquatur Austria, Hungaria, Belgia, & denique ipsa Regina Germania. Unde causæ istæ tot variorum motuum, quibus hactenus in ultima hac mundi periodo, eas omnes conquassari non sine dolore audivimus? nónne à *Prædicantibus?* Unde fit, quòd Reges ipsi Principésque concussa omni fide, subditos suos miserè lacerârint, & prælìis armisque vastaverint? nónne à *Prædicantibus?* Unde fit, quòd ipsi Principes Germaniæ, & robora Imperii Romani solidissima, ingenti undique milite conscripto, armis quandóque in se coruscent, & civis cum cive, manus cum manu, pésque pede concertet? Et quos hactenus non orbis terror, non cunctæ gentes conglobatæ contundere quibant, hos, quis nunc contudit? An non tacita & clancularia *Prædicanticarum* factionum seminatio? Praxis enim eorum negotiosa & molesta, in aulis Principum & Regum, circa res seculares & mundanas, nil aliud intendit, aut tractat, quàm ut cum iis, & præter eas, Regum animos ad sua cruenta consilia, aut totos trahere, aut levi flexu inclinare, vel aliud ex iis nequitiæ argumentum desumere, quo dein aptè, in aliis etiam, contra ipsos, uti possint, &c.

D Pag. 54. Hui vani scelerum Sartores. Hui fallaces fraudum Satores, qui pacem bello mutare sueti, quos nunquam causa deficiet, cur pacto non stent. O vetus Germania, ubi fides tua? O Germania, ubi Fidius tuus? Quid videmus, quid audimus, quàm inopinata, quàm obliqua, quàm non pro veteri Fide & More fida? Eveniet, credo, tandem, ut non solùm propter dolos totum Imperium nostrum conciſurum sit, sed etiam nos cum illo, non sine ultione divina. Ut enim nulla res magis Rempublicam continet, nec potior regnis, quàm fides; ita, eadem infirmata, non minùs dissipat, nec pejor est. Perfidiam mihi hi veteratores pacis, faces bellorum dixerim, negabunt? Sua ipsorum scripta illos in oculum & os convincent, &c. Ut plures sunt furiæ eorum, & flammæ publicorum motuum in Ecclesiis & Romano Imperio. Etenim non illi solùm, sic suos in suos & nosmetipsos, sed & nostros Principes bellis intestinis irritant; Et quo ipsi flabris suis spirare nequeunt, ipsi alios excitant. Tam prudenter isti Æoli sciunt clavum nequitiæ administrare. De plaustro loquar. Quòd Europa tot turbationibus agitatur, quòd Reges & Regna ardent seditionum & bellorum flamma, &c. veram causam esse *Prædicantium* sugillationem. E

O austros pestilentissimos! ô turbines vesanissimos! Nullum jam facinus extitit, nisi per hos, nullum flagitium sine his. Non solùm illi ad negligendas leges, sed etiam ad evertendas, perfringendásque valuerunt. Scilicet cum illo fine: ut post diutinas conflictationes, defessis nostris & exsuccis, illis prædæ fieremus. Hoc argumentum est omnium harum Tragœdiarum, & finis unicus, quem illi summis meditullitus viribus contendunt. F Pag. 56.

Ubi igitur, Deum immortalem! obsecro, sumus gentium? Quod Imperium habemus? Quos Reges? Quos Principes? In quo orbe vivimus? Quid securitatis, quid tranquillitatis? Fluctuandum semper? Æstuandum, inter hosce scopulos & syrtes? Ita sanè seriò, & tam diu, donec hæc perfida & inquieta gens, & omnium simulationum architectrix nobiscum conversatur, ùt quæ de nostro omnium interitu, quæ de hujus civitatis, atque adeò totius Romani Imperii exitio angitur, nec priùs in pace esse potest, nisi priùs sublata sint *Catholicorum agmina.* G Pag. 57.

Tales igitur adhuc in sinu nostro habemus, tenemus, fovemus? O tempora! ô mores! Qualia legimus in Polonia factitata? Qualia in Germania, Belgio, Gallia, Scotia, Anglia? *Prædicantes, Prædicantes* omnium harum turbarum antesignani, omnium factionum signiferi, omnium bellorum ductores & doctores. Non mea hæc est accusatio; Omnium, omnium est, & maximorum hominum, quorum loca hæc *Prædicantica* fex collutulavit. Singularum gentium singulæ scriptiones, singulæ protestationes. Etenim, *Prædicantes*, quid igitur exspectabitis ampliùs, cùm neque nox cæca nefarios vestros conatus obscurare queat, nec privata domus continere vocem conjuratorum vestrorum possit? Si illustrantur, si erumpunt omnia; mutate mentem vestram, mihi credite, oblivisciminì cædis, atque incendiorum: Tenemini; undique luceſcunt clariora vestra machinamenta omnia. Quid exspectabitis, dico? Nihil agitis, nihil molimini, nihil facitis, quod noctu nostri non videant, planéque sentiant. H Pag. 65. Pag. 64.

A Dico tertiùm, quid exſpectabitis proditioſi, factioſi, ſeditioſi? Legis ſententiam poſtulatis? ſi Lex ſententiam feret, non ſolùm deſolandi exilio, ſed etiam è medio auferendi. Oporterétque vos ad mortem produci, & peſtem illam in vos conferri, quam vos aliis machinamini. Sanxerunt enim vetuſtiſſima legum decreta, ut Taraxopolides, ut ſeditionum & tumultuum autores, mulctam graviſſimam ſuſtinerent: Scilicet, ut pro qualitate dignitatis, aut in furcam tollantur, aut beſtiis ſubjiciantur, aut in inſulam deportentur, &c.

B Et quid dicam de crimine ſeditionum veſtrarum in Rempublicam? Veſtra ſceleſta proditio, veſtra malitioſa factio & hoſtilis ſeditio ipſam lædit Cæſaream Majeſtatem, ipſum Imperium, ipſam Rempublicam ejúsque proceres. Nam & literas & nuncium mittere hoſtibus ejus Reipublicæ, in qua vivitis, & ſignum dare, faceréque dolo malo, quo hoſtes Regni conſilio juventur, non intermittitis. Imò adversùs Rempublicam, ejúsque ſecuritatem & tranquillitatem dolo malo & conſilio, ineuntur multa, ut armati veniant cum telis lapidibúsque in Urbe ſua, veniántque adversùs Rempublicam; loca occupentur, homines ad ſeditionem evocentur, aut non quævis non ſuſcipiantur, & attententur crebris conſpirationibus adversùs Reipublicæ ſalutem & utilitatem.

Pag. 65.

C Accumulatis quoque crimen læſæ Majeſtatis, crimine perduellionis, quando Imperii ſtatum ipſum labefactatis, eúmque jam optimè temperatum ad unius *ſectæ veſtræ* tyrannidem vindicare appetitis. Hæc crimina veſtra, *Prædicantes*, quomodo ea exſolvenda? Dicam, quod leges dicunt. Volunt eæ Superioribus caput ſecuri præcidi, cum bonorum confiſcatione. Humiliores verò comburi mandant, aut beſtiis ad ludum objici: Memoriâ inſuper ipſorum poſt mortem damnatâ: Aut, ùt nunc conſuetudine obſervatur, in quatuor partes diſſecantur. Perduellionis veſtræ, quod cumulatis, crimen, eâdem ſeveritate punitur. Quamvis autem non quiſquis, qui legis Juliæ Majeſtatis reus eſt, in eâdem conditione eſt: videlicet, ſi in delicto æquales; Tamen hæc cauſæ tales ſunt, ut ſine reſpectu perſonarum ultimo ſupplicio meritò affici debeatis. En habetis legum ſeveritatem, ſi habere vultis.

D Sed quod ad ſerenitatem lenius, & ad utilitatem Reipublicæ communem mitius, non volunt vos juſtiſſimi legum temperatores interfici; ſed exire mandant. Putant enim hoc modo veſtrûm, veſtrorúmque comitum magnam & pernicioſam Reipublicæ ſentinam exhauriri & purgari poſſe. Lene & mite judicium ſanè. Viderunt mehercules mecum multa millia hominum Brunſwigæ,

Pag. 66.

quòd non ſolùm in proditorem iſtum diabolicum, inaudita ſimul ſupplicii genera uſurpata; Digiti perjuri amputati; candentibus quatuor forcipibus quater tortus, diſtortúsque, movente ſe toto theatro: Vivus diviſus in partes quatuor; combuſta ilia: reliquis partibus quatuor, terræ partibus quatuor diſcriminatim, capite verò univerſim toti mundo & orbi, palàm oſtenſis. Nec ſolùm hoc: ſed & alii primores è Senatu, è Tribunis doctiſſimi, graviſſimi nulla cogitatione proditionis, ſaltem turbis ſuis adversùs ſenatum, libertatis vindicandæ cauſa falſa opinione, excitatis, obſecundantes publicè ſecuri percuſſi ſunt, E
iísque ad numerum, puto, undecim. Vos proditores, vos turbatores, furentes audacia, ſcelera anhelantes, peſtem patriæ nefariè anhelantes, nobis, atque noſtræ Eccleſiæ incendium, flammámque minitantes: *Vos*, inquam, prodigia & monſtra, Romanum Imperium puncto temporis extinguere volentes, non ſolùm non abire, ſed & communi vita & ſpiritu nobiſcum frui vultis? imò tegi, protegi? Exite, inquam, exite, deſinite inſidiari, circumſtare orbem cum gladiis, cum ſtirpe malorum omnium, deſinite malleolos ad incendendum orbem comparare. Egredimini cum importuna & conflata importunorum manu: ſecernite vos à bonis, & pergite, quo cœpiſtis, ad Hiſpanos dico, aut Utopiam uſque patent viæ omnes, proficiſcimini ſaltem, deſiderant vos exteriores inſulæ, illis inferte bella, exſuſcitate latrocinia, noſter Orbis purgandus. Nec enim diutiùs converſari nunc poteritis nobiſcum, non ferent, non ſinent, non patientur Imperii proceres, quorum vos omnium cognoſcitis odium, juſtum & jam diu debitum, & tamen eorum præſentiam aſpectúmque non vitatis. Quid? quorum aures, oculos, mentésque vulneratis, nihil aliud cogitantes præter veſtra latrocinia: horum vos autoritatem non verebimini, neque judicium ſequemini, neque vim pertimeſcetis? O rigidas frontes, & duras cervices, & pectora infrunita! G

Sed, ut video, ut audio, vos *Prædicantes* ſeditioſi, vos adhuc nullam fugam meditaſetis. At tales eſtis, quos nulla vis frangit, nulla vos corrigit, nullus pudor à turpitudine, metus à periculo, aut ratio à furore revocat. Agite, ſtate, manete, mox mox alia via cum vobis procedendum, quàm primùm hanc ultimam actionem, erga vos finiêrim.

Verùm enim verò, ô mei auditores, bre- H
vibus veniam rogo meæ prolixitatis; ne pi- Pag. 67.
geat vos, ultimum hoc meum poſtulatum audire, qui omnia, quæ longiùs antè à me tradita ſunt, attento ſtudio & judicio animadvertiſtis. Pergite, mei, adhuc paululùm æedes veſtrarum aurium vacivas mihi præbere,

A re, & ea, quæ magè ſeriò dicam, diligenter animis veſtris percipere.

Quis eſt veſtrûm, qui, ſi hoſtem ſuis domibus contineret, qui non ſolùm honoribus, ſed etiam vitæ ſuæ inſidiaretur: ita ut animam ei extingueret; non hunc in vincula dari, non hunc ſummo ſupplicio enecari mandaret? Inhumaniſſimus ac crudeliſſimus: importunus ac ferreus, qui non dolorem ſuum & cruciatum dolore nocentis juſtâ vindictâ leniret. Tales ſunt *Prædicantes* hoſtes infenſiſſimi, Regum jugulatores & parricidæ perditiſſimi. Quibus ita animo obfirmatum eſt, omnes, quotquot ſunt Reges, Principes, obſtantes ſuæ religioni, aut aliquo modo ſaltem ſuſpectos, eos omninò, quocunque ſaltem modo tolli debere; ídque factum ſceleratiſſimum non ſolùm conceſſum perhibent, defendunt, ſed etiam, ùt pium, laudant, imò præmiis & beneficiis exornant. O bone JESU, ignoſce hæc mihi enarranti, quòd illi nequam perpetrare nihil intentatum relinquunt. Dicta eorum habemus & conſilia ex ore eorum à fide dignis excepta & obſervata.

B Pag. 80. O Romani Imperii proceres, & *Catholicæ* doctrinæ vel propugnatores vel favitores! ánne vos tutos à *Prædicantium* latrociniis eſſe putetis? Imò credite, poſſetis nullam horam vobis promittere in craſtinum; dudum commiſiſſent, quod voluiſſent, nec furori eorum timor obfuiſſet, ni ſummus Pater ignotis illis periculis vos liberâſſet. Ille, ille reſtitit. Ille, ille hoc Imperium Romanum, hanc Eccleſiam refloreſcentem, & vos in ea, ſalvos eſſe voluit. Hanc ei gratiam debebimus ſolùm, &c.

C Pag. 81. O Imperii proceres! qui animus erga vos geritur, geritur etiam erga Imperatoriam Majeſtatem, qui conjunctiſſimæ Imperatorii corporis partes. Quicunque igitur veſtras *ſerenitates* & Clementias pro ſalute ſui capitis militantes læſerit, aut lædere laboraverit, illum ipſum Cæſareum apicem læſiſſe ſeriò exiſtimabitis, &c.

Ibid. Sed quid de votis eorum & animis? Certos, quos occidant, ſtatuerunt, qui occidant, emiſerunt: hócque initum eſt conſilium, ut non modò ipſi interficerentur, ſed etiam interfectis omnibus, nemo ad deplorandam quidem Reipublicæ & Eccleſiæ calamitatem relinqueretur.

D Nunc igitur ite ampliùs, & latrones regno recipite, defendite, amate, qui veſtrum interitum non ſolùm volunt, ſed etiam moliuntur; nec moliuntur tantùm, ſed etiam inferunt. Qui vobis, qui vitæ, qui honoribus, qui bonis, qui conjugibus, qui liberis, qui hominibus, qui ſubditis, & omnibus veſtris inſidiantur. Scitis, quali ſupplicii genere digni ſint, ſuſpendantur tamen Regicidæ, antequam ſylvæ pereant, aut ſi minùs, extrudantur, &c.

Pag. 83. At tu ſuper omnes omnium fortiſſima, ô mea Germania, ſi horum choleram, ad exemplum reliquarum, extruderes, audirésque exterorum Regum & Ordinum pias, prudentiſſimásque admonitiones, omni affectu & fide plenè irradiantes: Sanè ſi horum tela ac furorem vitabis, ſi hoc genere fines tuos liberaveris, omni motu, omni infortunio te liberâſti. Fuit in te virtus olim, ut acriori ſupplicio perniciosum civem, quàm hoſtem acerbiſſimum coërceres. Indue priſtinam virtutem, age viriliter, nullum time, niſi Deum. Et quia non vis interficere eos, expellantur ſaltem, expellantur; ídque maturè, ne, ſi longiùs hærçant, creſcat inexpugnabile malum, periclitetur Dei religio, corruat Imperium, opes eripiantur, conjuges & liberi malè habeantur, honores obliterentur, & denique anima multo cum ſanguine effundenda ſit, &c. Proficiſcimini, proficiſcimini, &c.

E Nunc me JESU Chriſte, quem nos meritò Ducem, Regem, propugnatorem, defenſorem Eccleſiæ noſtræ nominabimus. Tu, qui ad dextram Patris tui ſedes, & Eccleſiam tuam verbo virtutis & pótentiæ gubernas, eámque contra omnium inſultus protegis, ecce ſponſa tua, tua columbula, tua animula, tua amicula, genu nuda, & fletu uda, lacrymis fœdata, bonis exſpoliata, religione turbata; lamentabiliter, lacrymabiliter, ùt ſupplex, tuæ excelſiſſimæ Majeſtatis pedibus advolvitur. Reſpice eam, vel levi reſpectu, veniam deprecatur, pacémque imis gemitibus, velatis manibus expetit. Vides & cernis, quæ hæc ſcelerum ſocietas machinetur, quæ moliatur, vides, quàm tuæ Majeſtatis ſublimitatem hebetet, quàm nominis tui cœleſtis gloriam deturpet, & in ſuorum ſcelerum protectionem nefariè abutatur. Anne igitur finis erit fraudum & ſcelerum? Anne malorum exitus? Quando erit, ut devaſtatâ ſpurciſſimâ illâ Babylone, nomen honósque tuus floreat, & dulcis Evangelii vox omnes terras latè adimpleat?

F Pag. 84.

G

H Pſalm. 44. O age; ô heros, accingere gladio ſuper femur tuum. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſperè procede & regna: propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam deducat te mirabiliter dextera tua. Turba eos, qui tuam gloriam turbant, qui nos, noſtrásque Eccleſias, & ſcholas, & Respublicas turbant, qui omnia turbant. Longè illos à tuis aris, cæteris templis, à lectis, à mœnibus, à vita, & fortunis noſtris arce. Converte illos, ſi velint ſe verti & vertere; ſi nolint, ùt inimicos Eccleſiæ tuæ, hoſtes tui nominis, latrones tuorum unctorum, ſcelere inter ſeſe, ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſupplíciis vivos, mortuósque macta.

Explicit feliciter Prædicantium Relegatio ex Germania.

BRE-

908

BREVIS EPILOGUS AD PRÆDICANTES.

ITerum vos alloquor, ô Saxonici & Sabaudici Evangelii Præcones. Si quis ex Jesuitarum Ordine, vel alius cujuscunque status aut conditionis, simili declamatione in Academiis Ingolstadiensi, Dilingana, Herbipolensi, Moguntina, Trevirensi, aut Colonienſi, in vos fulminaret ac detonaret, & postea fulmina & tonitrua sua in publicum emitteret; sicut in Academia Giessensi adversùs Jesuitas Lonnerus fecit; an non in rabiem ac furiam verteremini, & Jesuitas tanquam seditionum flabella, incentorésque mille diris devoveretis? ô Prædicantes, memores estote triti illius: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

B At dicetis, hæc meritò in Jesuitas congeri. Quo merito? Quando meritum hoc probâstis, & ubi? Num in chartis maledicis, quas furiosus *Hypsiboas* vester expilavit? Dicam ego quoque, & optimo jure, quidquid criminum declamator corrasit, id in vos competere. An ideo innocentiam vestram vos perdidisse existimabitis? At vos, utpote Confessionis Augustanæ buccinatores, sub fœdere pacis Religiosæ comprehendimini. Verùm de Calvinistis quid fiet? Jesuitis ejusdem pacificationis

C participationem largitur Catholicæ fidei professio; neque ulli Catholico locus in Imperio negatur. Vos defendunt, fovent, & promovent vestri Principes & Magistratus. Nos nostri non minores; Dicam quoque, Majores. Omnibus enim major est Imperator. A nobis stant tres Electores Politici. A nobis tres, iique potiores, Ecclesiastici: Et ex politicis, Rex Bohemiæ. Degitis sub patrocinio multorum Ordinum Imperii. Et nos itidem; quod non ignoratis, imò si ignoraretis, minùs frenderetis, nec adeò freneticè ringeremini, nec incondita, incompta & planè barbara Lonneri Spermologia tantoperè vobis arrideret, qui etiam nugacitati suæ carmina adjecit, plena puerilibus vitiis, & dignis, quæ scutica mulctentur; nam penultimam verbi

D *Neophytus* producit in hoc inverso versu.

Quam Jebusitarum Neophyti, & cætera pubes.

Idem peccatum peccat in vocabulo, quod sectarii finxerunt ex *Catholico.*

Turba salutari Cacolycì nomine lætans.

Mirum, ni quis cum Theocrito exclamet:

ὦ λύκοι, ὦ θῶες.

Autolycus iste, vera efferati *Lycaonis* proles necdum novit, quis sit modulus primæ syllabæ in dictione *Lycus* seu λύκος, *unde* literiones isti diobolares, *Cacolyci* convicium procuderunt. Huc accedit festivus ille versiculus. E

Huc artes variæ tendêre Ligaq; cruentæ,
Tendêre, pro *tetendêre.* Unde hæc aphæresis? Cujus auctoris testimonio? Ride & hoc crimen.

Fortis Evangelii vindex Deus alme fuisti.

Mox tamen reponitur, nec semel, sed sæpius: quia elegantia repetita placet.

Regis Evangelici pura ac ditione novata F

Nescit imperitus Grammatista primam syllabam in hoc vocabulo constare diphthongo Græca *ET.* quæ longa est. Etiam *Pentametros* pro *Hexametris* occinit.

Evæ iterúmque Evæ, tollamus oportet.

Hexametri ergo jam hoc doctore quinis pedibus incedere condiscunt. Porrò iste versus:

In cute curata lurcabimur, ô socii (Hoscha)

Potiùs Ebrium cerevisiarium, quàm Poëtam redolet. Ut & iste:

Christe vige: Perita Papa nequam pessume,
Bombax

Dignum sanè hunc Poëtastrum judico, in cujus fronte exaretur versiculus ille, quem, nescio cui, in Hassia Campanæ inscriptum dicit. G

Est mea vox Bam, Bam, potens repellere
Satan.

Nec repugnabo, si quis istum adjecerit:

Pæan Io, summus Princeps victórque canendus.

Quanta ultima in *Pæan*, ô Beane? Quanta & quàm puerilis imperitia cum tanta & tam thrasonica arrogantia in hoc Magistello? Sed talia carmina non canere, sed rudere solent illi, qui consueverunt:

——Tum larda vorare

Pinguia, tum cuppas, Evax, potare profundas,

Evax, tum ingentes validè exarmare ca- H
tinos

Ut lutulentus noster *Bombax* grunnit; quem ad cœnum suorum Solœcismorum, Barbarismorum, thrasonismorum, vociferationum, conviciorum, & mendaciorum nunc reverti sinamus. Vos, Prædicantes, si meus labor in transferenda ad vos Relegatione Lonneriana vobis placuit, plausum date.

FINIS.

LIBEL-

LIBELLI FAMOSI, QUO VIX POST HOMINUM MEMORIAM IMPUDENTIOR ET FLAGITIOSIOR PRODIIT *Adversùs* ILLUSTRISSIMUM *CARDINALEM* ROBERTUM BELLARMINUM, CASTIGATIO.

Auctore

JACOBO GRETSERO,

SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

ILLUSTRISSIMUS

CARDINALIS

BELLARMINUS

CALUMNIATORIBUS

SUIS:

Induantur confusione & reverentia, qui maligna loquuntur super me, Psal. 34.

CANDIDO LECTORI SALUTEM.

REm facilem aggredior, amice Lector. Probandum eſt, non modò falſum eſſe, ſed & ab omni veriſimilitudine abhorrere, figmentum illud, quod nuper de Illuſtriſſimo, & in tota Eccleſia Dei decantatiſſimo Cardinali Bellarmino Anonymus calumniator ſparſit, nempe *Bellarminum diebus vitæ ſuæ mille ſexcentas & quadraginta duas mulieres, conſtuprâſſe, earúmque plerásque unà cum filiis & filiabus gladio, veneno, igne & aqua ſuſtuliſſe;* hoc, inquam, falſiſſimum & ab omni probabilitatis ſpecie remotiſſimum commentum eſſe, demonſtrandum eſt; quod nullius laboris eget, adeò enim falſitas flagitioſiſſimi hujus mendacii in propatulo eſt, ut, quidquid pro ea patefacienda attulero, obſcurius propemodum futurum ſit, quàm ipſa falſitas, quæ primo ſtatim aſpectu in omnium eorum oculos, qui eos malitiosè non claudunt, incurrit.

Quocirca ne verbulum quidem architecto tam immanis probri reponere ſtatueram: Nec conſilium mutâſſem, niſi iis, qui mihi jure ſuo imperare poſſunt, aliter viſum fuiſſet: propter illos, qui idolorum inſtar, oculos habent, & non vident; & propter alios, qui, inſtar Sauli cœlitus proſtrati, apertis oculis nihil vident; ut taceam non deeſſe, qui licèt falſitatem perſpicuè intueantur, eam tamen in animis hominum regnare malunt, quàm veritatem, & hoc odio Jeſuitarum, quibus ſalvis ſe ſalvos fore diffidunt. In iſtorum igitur gratiam aliquid reſpondendum fuit, tentandúmque, num meliores oculos acquirere, & ad ſaniorem mentem traduci poſſint.

Vetus & vulgare verbum eſt, *Calumniare audacter; ſemper aliquid adhæret:* quod calumniator iſte noſter ſibi religioſiſſimè obſervandum propoſuit; non enim *audacter* tantùm, ſed & *audaciſſimè* calumnias texuit, cogitans, opinor, ſemper aliquos, præſertim ex imperita vulgi plebecula, repertum iri, in quorum præcordiis calumnia jacta ſideat, & quamvis illi, quibus eſt emunctius judicium, calumnioſam impoſturam animadverſuri ſint, his ipſis tamen non uſque adeò diſpliciturum, quòd Bellarminum & per Bellarmini latus, omnes Jeſuitas petat, & quidem non ſine graviſſimis Invectivis, imò & cum claſſico atque celeuſmate, ut omnes, ſi non contis, haſtis, gladiis, bombardis, certè ſtipitibus duris ſudibúſque præuſtis armati ad oprimendos Jeſuitas quantocyus advolitent.

Dicebat olim Severianus Gabalorum Epiſcopus orat. 2. in mundi creationem. ἀεὶ τὸ ψεῦδος, ὅταν θέλῃ πιϛευθῆναι, ἐὰν μὴ πήξῃ θεμέλιον δοκοῦσης ἀληθείας, ἐ πιϛέυεται. *Mendacium, quando ſibi conciliare vult fidem, niſi ſemper apparentis veritatis fundamentum jaciat, non creditur.* Utinam hoc perpetuum eſſet; In eam enim ætatem devenimus; qua mendacio nec picto, nec tecto, nec vafrè & vulpinè occultato; ſed aperto, manifeſto, ipſisque radiis ſolaribus expoſito, à multis cupidè creditur,

ditur, cujuſmodi eſt iſtud, ad cujus refutationem jam accingimur. Dico igitur, commentum hoc: *Bellarminus M. DC. XLII. fœminas vitiavit, & tam liberos, quàm matres, magnam partem, gladio, veneno, igne & aqua peremit;* ab omni veritate & probabilitate alieniſſimum, nullam penitus fidem, ſed communem omnium deteſtationem mereri, idque ſequentibus argumentis oſtendo.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Argumentum primum à Libello famoſo.*

II. *Altera probatio ex effrænatiſſima mentiendi libidine, qua tenebricoſus iſte infamator ardet.*

III. *Tertia probatio, cur fabulator iſte nullam fidem mereatur, ſumpta ex mendaciis, quæ ad palmarium mendacium adjecit.*

IV. *Maledicum hunc Tenebrionem non mereri fidem, oſtenditur quartò ex aliis ejuſdem dilucidis mendaciis cum inſigni inſcitia & impietate conjunctis.*

V. *Refellitur famoſus iſte libellus argumentis ab ipſa Illuſtriſſimi Bellarmini perſona ſumptis.*

VI. *Refellitur libellus famoſus ex ipſa immenſitate & immanitate criminum, quæ Illuſtriſſimo Bellarmino affingit.*

VII. *Scopus hujus flagitioſi & famoſi libelli.*

VIII. *De fabula Molsheimenſi.*

IX. *Stultitiæ fabulatoris commiſſæ in enarranda Molsheimenſi fabula.*

CAPUT I.

Argumentum primum à Libello famoſo.

A L. ſi quis C. De fam. libell. vide C. 5. Q. 1.

AUctor libri famoſi non meretur fidem, ſed pœnam, & Jure quidem civili, capitalem; Jure Canonico excommunicationem & flagellationem; ſed architectus hujus figmenti, eſt Auctor libri *famoſi*, vel, ut rectiùs loquar, *famoſiſſimi;* ſi enim unquam à condito mundo libellus famoſus prodiit, hic profectò ille eſt. Non ergo meretur fidem, ſed pœnam. Minor clara fiet ex duabus conditionibus libelli famoſi, quarum prima & potiſſima eſt, ut alienam famam, bonámque exiſtimationem laceret; hic, & nullus alius, hujus libelli ſcopus eſt; nam à primo apice uſque ad ultimum immaniſſimè in Illuſtriſſimi Bellarmini nomen, & ſub hoc nomine & ſchemate, in omnes Jeſuitas graſſatur: Altera conditio eſt, ut careat nomine Auctoris, Editoris, Typographi, loci, (tametſi hæc conditio non eſt perpetua; quia fieri poteſt, ut ſit liber famoſus, licèt Auctor, Editor & Typographus ſua & loci nomina profiteantur, ùt in Controverſia Cambilhonica cum Prædicantibus Auguſtanis copioſiùs docui,) At in noſtro propoſito nomina iſta deſunt. Nuſpiam enim apparet nomen Auctoris; nuſpiam Editoris, ſi ab Auctore ſit diverſus.

B Dices: apparet nomen Typographi, & urbis; nam in ipſo veſtibulo hæc leguntur. *Baſileæ apud Ludovicum König Anno 1614.* At Typographus iſte datis literis ad quendam magnæ dignitatis virum (de quibus literis infrà) ait, ſibi & Inclytæ Baſileæ atrociſſimam injuriam ab iſto Tenebrione fieri; C ſe enim non *Typographum*, ſed *Bibliopolam* agere; nec tam emota mente eſſe, ut hujuſmodi infamatrices chartas ſuis ſumptibus, ſuo cum dedecore & periculo in vulgus extrudendas curet.

Ecce tibi igitur aliud hujus calumniatoris infandum crimen; quod eſt, alienis nominibus ad ſua nefaria, & ſi legibus ageretur, extremo ſupplicio afficienda ſcelera abuti.

Poſt editionem, quæ Baſileæ ex Ludovici Königs officina prodiiſſe fingebatur, mox prodiit altera. (At unde? conjecta, quiſquis es conjector) ubi ſub finem frontiſpicii leges: **Erſtlich gedruckt zu Baſel, durch Ludwig König.** *Primò excuſus* (libellus) *Baſileæ per Ludovicum König.* Cæterùm Ludovicus König palàm affirmat, hoc impudentiſſimum mendacium eſſe, eúmque, qui facinus iſtud patrare auſus fuit, nominat **ein Ehrn-Schender und Ehren-Dieb,** *prædonem honoris & bonæ exiſtimationis.* Sed quidquid ſit de hoc; unde tu venis, ô mea altera editio? unde prorepis, vel potiùs prorepſiſti? ex qua ſpelunca? ex cujus Caci antro? *Non libenter prophetizo, ſum infelix Propheta,* inquit Lutherus, in Latinis Colloquiis. Ego non libenter divino, ne divinatio caſſa ſit, ſed tu ô Volci, tu ô Zæemanne, vósque gemini Heilbrunneri, pro veteri noſtra neceſſitudine, me inſtruite, & ex ignaro gnarum facite, vel potiùs ex ſuſpicante, certum. *Vos meminiſtis enim, & meminiſſe poteſtis, ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.* Non dico, vos conditores vel diſſeminatores hujus famoſæ chartæ eſſe, abſit à vobis crimen tam immane; ſuſpicor tamen plura vobis conſtare, quàm mi- D Tom. I. tit. de principe.

A hi, præsertim de iterata editione, hanc vestram notitiam, ut mecum communicetis oro; memores illius: *scire tuum nihil est, nisi & hoc sciat alter.*

B Verùm ut ad lineam revertamur, nomen Typographi & loci adjectum, perinde se habet, ac si adjectum non esset, cùm subsit fraus & dolus, prout vidimus; & ut omnis fraus abesset, an ideo libellus famosus non esset? Si prima editio candidè addidit nomen civitatis & Typographi; quod tamen secus est; cur secunda hunc candorem non est imitata? cur non dixit; primò quidem *excusus* (libellus) *Basileæ apud Ludovicum König*; nunc in gratiam lectoris recusus, sed ubi? Succurre, quæso, Zæmanne, & vos duo Sidera Castor & Pollux, Heilbrunneri; & vacillanti memoriæ suggerite, cujusnam studió hæc altera editio procurata sit, & quidem longè venustior, quàm prima; translatâ tam solutâ, quàm ligatâ contra Jesuitas Satyrâ in famosi libelli frontem: paginísque in duas columnas sectis, ut mendaciorum lectio oculis eò facilior & amabilior esset.

C Quocunque ergo sese isti vertant, prætextu Typographi & loci additi Relationem istam nunquam ex numero libellorum famosorum eximent; quia posterior editio nomina ista suppressit, prima expressit; sed fide sycophantica, ex qua totum hoc scriptum constat.

D Objiciet ignotus Calumniator. Se non esse libri Auctorem, *sed versorem*; Initiò enim protestatur, se omnia, quæ in Gallico exemplari repererit, fideliter in Germanicum sermonem transtulisse; nihil adjecisse, nihílque detraxisse. At quò minùs protestationi huic fidem habeam, facit inprimis mendacissimus balathronis istius genius; qui enim talia & tam manifesta mendacia ex Gallica lingua in nostram vernaculam transferre audet, is & cudere audet; nec scio, quis sit sceleratior, & supplicio dignior Auctor an *Versor*. Quanquam Gallicum exemplar nunquam vidi; & nec vidi, nec audivi, qui viderit, tametsi non ignoro, à Gallicanis Sectariis nihil hujus generis abludere, quibus Illustrissimus Bellarminus ob Controversiarum Tomos, & alia doctissima opera æquè exosus est, ac Novatoribus Luthericolis & Calvinisequis Germanis. Fortè Tenebrio iste utriusque linguæ peritus priùs Gallicè libellum famosum composuit, eundémque mox bona sua fide Germanicè reddidit; ut ita protestationi suæ occasionem inveniret, quod certè ab ingenio furiosioris alicujus Calvinistæ, qualis, exempli gratia, Goldastus, prorsus non abhorret.

Utcunque se res habet; *Versor* sit iste, non Auctor libelli, non ideo meliore loco erit, quàm ipse Auctor. An fidem merebitur, quam non meretur Auctor? An pœnas Auctori famosæ chartæ decretas effugiet? Nihil minus. Audi legem Imperatoriam: *Si quis famosum libellum, sive domi, sive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat priùs, quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non statim eadem chartulas vel corruperit vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat se quasi Auctorem hujusmodi delicti capitali sententiæ subjugandum.* En quæ pœnæ maneant eum, qui libellum famosum reperit etiam ignarus, nec corrumpit, nec Vulcano absumendum tradit; sed vim, hoc est, sententiam ejus propalat; nec quomodocunque; sed translatione ex lingua peregrina in patriam; adscita in subsidium operâ Typographicâ, cujus industria unus libellus famosus uno die ad duo vel tria millia multiplicari potest. Itaque causæ nihil est, cur se Tenebrio noster à lege in famosi libelli conditores lata, prætextu translationis, eximere tentet: non exemptus esset, licèt solummodò reperisset, repertíque sensum aliis utcunque indicâsset. Quantò minùs nunc excusari debet, cùm omnes nervos suos eò intendit; ut post homines natos teterrimus libellus ad notitiam omnium eorum, qui Germanicam linguam nôrunt, perveniret? Est ergo, manétque scriptum hoc, de quo agimus, libellus famosus; sive Gallum parentem habeat, sive Germanum, sive Germanus tantùm sit ex Gallico Interpres, sive primus progenitor & faber. Quare nullam fidem meretur, sed legibus constitutam pœnam.

E L. Si quis, C. de famosis libellis.

F

G

CAPUT II.

Altera probatio ex effrænatissima mentiendi libidine, qua tenebricosus iste infamator ardet.

H Nll fidei meretur ille, qui ipse sibi fidem detrahit; At calumniator iste cum suis M. DC. XLII. mulieribus ipse sibi fidem detrahit, nullam ergo fidem meretur. Probatur Minor; quia mentitur, Cardinalem Bellarminum mortuum esse Anno Redemptoris M. DC. XIII. Et tunc tam enormia flagitia & facinora Cardinalis hujus in lucem emersisse. At dicto anno Bellarminum mortuum esse, negat inprimis ipse Bellarminus, qui anno Domini M. DC. XIV. Kalendis Decembris, cùm hoc fabulamentum, vel potiùs tentatum dehonestamentum ad aures ejus pervenisset, ita manu propria rescripsit ad *R. P. Ferdinandum Alberum*, Societatis JESU Assistentem, hominem Germanum: *Ego per gratiam Dei non solùm vivo, sed optimè valeo, & præ manibus habeo opuscula, quæ brevi in lucem emittam.* die 1. Decembris M. DC. XIV.

Si igi-

A Si igitur Cardinalis Bellarminus vivebat Kalendis Decembribus Anno M. DC. XIV. imò, si, ùt voveo & spero, vivit adhuc hoc ipso die, qui est XXV. Januarii, conversioni D. Pauli sacer, quomodo, ô mendacissime calumniator, mortuus est Anno M. DC. XIII?

B Ne verò ullus ulli calumniæ locus vel diverticulum relinqueretur, curatum est, ut Romæ publicum & authenticum instrumentum publici Notarii, & testium idoneorum auctoritate firmatum, conficeretur. Quo fine? Ut probaretur, solem meridie lucere, & media nocte nobis non lucere: nivem esse albam, non nigram, aquam madefacere, ignem urere, plumbum esse grave; plumam, levem; hoc est, Cardinalem Bellarminum Anno Domini M. DC. XIII. non vita functum esse, sed toto Anno M. DC. XIV. salvum & incolumem vixisse, id, quod tota Roma novit; quod tot peregrini Romam ex omnibus Christiani orbis partibus confluentes nôrunt, quibus inter cætera Romæ visenda, Cardinalis Bellarminus est, ob nominis celebritatem & eruditionis magnitudinem, qua ubique fulget, & omnia doctorum pulpita replet.

C Deus bone; quid tandem infrunita mentiendi prurigo sibi non permittet? Quid tandem publica Notariorum fide non erit probandum? Credo, aliquando exoriturum, qui asserat, Tiberim non per Romam, sed per Nolam vel Capuam, cursum tenere; neque ad ostia Tiberina, sed Neapoli in mare exonerari; idque à malè credulis creditum iri, nisi alicujus jurati Pontificii & Cæsarei Tabellionis testificatio obstet. Audite fabulatores, Illustrissimus Bellarminus toto anno M. DC. XIV. vixit; eóque aliquoties ad me propria manu scripsit, Præsentem annum Domini M. DC. XV. feliciter auspicatus est, quem, ut ad Sectariorum ignominiam, ad Catholicæ autem Ecclesiæ honorem ac utilitatem prosperè decurrat, Deum ex animo precamur. Qua igitur ratione mortuus est Anno M. DC. XIII? Et quidem tali morte, qualem nugacissimus iste figulus fingit? Quis vel modicè sobrius fidem jam habeat commento de mille sexcentis quadraginta duabus mulieribus, trucidatisque infantibus? Quod enim mendacium in chartas evomere horreat ille, quem non puduit palàm mentiri, Bellarminum Anno M. DC. XIII. Laureti vitam finiisse, qui tamen tota Roma, imò tota Italia teste, toto Anno M. DC. XIV. incolumis vixit, & etiamnum vivit; utinam diu, cui de nostris annis Deus annos augeat, ut *induantur*, qui tanto viro *detrahunt*, *pudore*, *& operiantur*, *sicut diploide*, *confusione sua.*

CAPUT III.

Tertia probatio, cur fabulator iste nullam fidem mereatur, sumpta ex mendaciis, quæ ad palmarium mendacium adjecit.

PEriisti impostor. Bellarminus vivit adhuc, & toto anno M. DC. XIV. vitam Romæ egit. Captus es, constrictus teneris, non patet evadendi locus, nisi dicere velis, mortuum fuisse, sed revixisse, idque cùm in sepulchrum inferretur, ex attactu alterius cujusdam corporis, eo modo, quo olim defunctus quidam vitæ restitutus est, cùm Helisæi ossa tetigisset, aut, si magis lubet, dicito, Christum cœlo delapsum Bellarmino vitam reddidisse, ad eum planè modum, quo olim Lazaro; non sine acclamatione illa: *Bellarmine veni foras;* móxque ligatum manus & pedes institis prodiisse, & viventium cætui denuo sese admiscuisse. Vel dic, Bellarminum, ùt olim Sosiam Plauti conduplicatum fuisse, & Romæ quidem ad hunc usque diem vixisse & vivere; at verò Laureti mortuum esse.

Verùm benevolentia mea, qua tibi viam elabendi monstro, uti dedignaberis, sat scio. Mortuus igitur esto Bellarminus, Anno M. DC. XIII. nec revixerit, qui toto anno M. DC. XIV. superstes fuit, cedo, ubinam terrarum mortuus est? *Laureti*, inquit impostor, *quò peregrinationis & confessionis faciendæ gratia, mutato habitu, concesserat.* Atqui Bellarminus propria sua manu Kalendis Decembribus hæc ipsa verba ad *R. P. Ferdinandum Alberum*, qui Romæ habitat, scripsit: *Non sum peregrinatus ad Virginem Lauretanam ab annis amplius triginta.* Bellarminus vivens vidénsque Anno M. DC. XIV. testatur, à triginta & ampliùs annis Lauretanam peregrinationem se non suscepisse; at calumniator ait, Bellarminum Anno M. DC. XIII. Laureti, quò peregrinationem instituerit, vita functum esse. Utri credemus? Num Bellarmino adhuc viventi, an Sycophantæ calumnianti? Cùm ergo Bellarminus adhuc superfit, nec Laureti ex vivis excesserit, ruant, oportet, omnia illa mendacia, quæ attexuntur; *ùt, quòd tribus horis, brachiis in speciem Crucis expansis coram Deiparæ imagine preces fuderit, quò sceleribus suis veniam impetraret; at imaginem aversa facie, dorsum obvertisse, eáque de causa mirificè territum Bellarminum, in letalem morbum incidisse; & leonis instar desperabundum rugiisse; quin & prædixisse, se tartareo hirco ad inferos avectum iri, ut illic inter Papas, Episcopos, Monachos, Moniales & Sacerdotes Principatum teneat, tandémque cum abnegatione Dei & Christi, in amentia spiritum exhalâsse.* Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm pura puta mendacia; indigna,

A quæ pluribus refellantur, & redarguantur, quia satis superque à vita Bellarmini, qua adhuc fruitur, refelluntur & redarguuntur.

B Audi Tenebrio: Bellarminus toto Anno M. DC. XIV. vixit; & vivit adhuc hoc jam inchoato Anno M. DC. XV. Quomodo ergo tua subsistunt mendacia? Vivit Bellarminus. Evanescunt igitur tuæ plusquam Diabolicæ pseudologiæ & lœdoriæ. Vivit Bellarminus. Abdere igitur, ô effrons conviciator, in tenebras; & si tibi nullæ tenebræ hujus mundi satis sunt densæ; abi cum tuis mendaciis in tenebras exteriores; ut fleas & dentibus strideas; quem certè tormentorum locum non effugies, nisi in hac vita grandissimam culpam, quam scriptione & sparsione hujus libelli famosi contraxisti, lacrymis expies ac eluas. Vivat Bellarminus; idque Hæreticus *videat & irascatur*, *dentibus suis fremat & tabescat*. Vivat Bellarminus. *Avertantúrque retrorsum & erubescant, qui* Bellarmino *volunt mala*, nec vulgaria mala, sed stygia; qui profligatissimè mentiuntur, Bellarminum post mortem suam clara die conspici in sublimibus aëris oris, semiflammante & alato invectum equo: quem in usum Bellerophon procul dubio suum Pegasum Romam misit; credidissem, esse Bucephalum Alexandri, nisi alatum audirem; alis enim Bucephalus caruit; quas equo suo calumniator cautè adjecit; quomodo enim volaret, nisi alatus esset?

C Bellarminus vivit adhuc. Quid calumniaris? Desine, oro, sed non obsequeris; Eo enim ore, quo cœpisti, mendacia spuere pergis. *Bellarminum suo in Palatio ejulantem & ululantem audiri; Pontifici in Palatio Castri S. Angeli & in Ponte Tiberino indesinenter infestissimum esse; multos spectro tam terrifico ita terrefieri, ut è vestigio & in vestigio exanimentur;* nec mirum: novum enim Salmonea vident, *qui flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi, qui nimbos & non imitabile fulmen ære & cornipedum equorum cursu simulat:* & jam nunc statuit Pontifex Sedem & Curiam suam Avenionem in Gallias transferre; ut saltem vel noctu partem aliquam quietis capere queat. An non vidisti mulos varia supellectile onustos, jam in Gallias tendere, velut futuræ migrationis Pontificiæ prænuncios? Vanissime criminator. Bellarminus vivit adhuc. Audin? Hanc cantilenam tuis auribus ingerere non desistam, quamdiu à calumniis non desistes. Quàm verò peritè dicit; Pontificem à Bellarmino infestari in suo Palatio *Castri S. Angeli*, quasi Palatium Pontificis in Vaticano, & *Castrum S. Angeli*, seu Moles Adriani, sint unum & idem; Et quasi Pontifex in *Castro S. Angeli* habitet.

D Verùm enimverò Bellarminus in Palatio suo & Pontificis, & in Ponte Tiberino tam horrificè tumultuans, & in aëre, ipso meridiano sole lucente, terribili specie obequitans, propemodum me ducit ad figmenti hujus cubilia. Lutheranus enim quispiam (ita dico; nam Catholicum non fuisse omnes circumstantiæ, ne dicam, syllabæ clamant) Anno Domini M. D. XLV. in gratiam Lutheri Italicam Epistolam finxit, sub titulo & nomine Legati Gallicani ad summum Pontificem; qua Epistola narratur, *quo fine Lutherus vitam concluserit: & quomodo cadavere in sepulchrum illato horrificus mox fragor & tumultus insonuerit, quasi totus Orcus in se ipsum arma vertisset: eodem tumultu sequente itidem nocte, durante; & omnibus ingentem terrorem injiciente. Quocirca incolæ Witebergenses compulsos fuisse tumulum reserare; quo facto, nec de corpore Lutheri, nec de vestibus quidquam apparuisse; sed intolerabilem fœtorem ex busto spirâsse; qui multos in gravem ægrimoniam conjecerit.* Hæc & his similia Lutheranus ille figulus in gratiam Lutheri, qui hoc figmento adeò non est offensus, ut illud etiam laudi ac gloriæ sibi duxerit, ac subjectâ quoque glossulâ exornârit; in qua, præter cætera: **Sonst thut mirs sanfft auf der rechten Kniescheiben, und an der lincken Ferſen, daß mir der Teuffel und ſeine Schupen, Papſt und Papiſten ſo hertzlich feind ſind.** Et ne forsan plasma hoc, temporis progressione, interiret, in octavum Tomum Ihenensem maturo consilio etiam cum Italico textu, illatum est; Talia comminisci Lutheranis primis, sui Lutheri honestandi & magnificandi causa, perquam familiare erat: quasi toti mundo nihil aliud negotii fuisset, quàm ut de Luthero cogitaret. Hinc etiam toties ipse Lutherus, & alii, ut Lutheri gloriam amplificarent, commenti sunt, subornatos esse à Papistis *sicarios* & *venenarios*, qui Lutherum aut sica aut veneno tollerent; & modò ex Polonia veniunt, nescio, qui Judæi, modò ex Hungaria, nescio, qui mercatores, & alii aliunde; ùt videre est in Latinis Epistolis Lutheri. Quæ omnia nihil aliud erant, quàm Lutheri & Lutheranorum technæ, fraudésque vulpinæ ad Lutheri commendationem ac laudem compositæ, quasi tanto Heroe superstite, Catholici de rebus suis desperarent; ac proinde ejus interficiendi gratia nihil intentatum relinquerent.

Redeo in viàm. Ex hoc Lutherano plasmate videtur plastes noster ideam sui concinnandi petiisse; nisi quòd non honestando, sed dehonestando Bellarmino, totum figmentum aptavit. Hinc illa tot vitiatarum mulierum cohors, tótque infantium cædes ex delira criminatoris hujus phantasia exsculptæ. Quæ omnia meritò rident Illustrissimus Bellarminus & dignitate & eruditione sublimior, quàm ut ab hujusmodi

A modi peſtilentium linguarum ſpiculis feriri poſſit; nec ignorat, hæc ab Hæreſi vindictæ cauſa fingi & ſpargi; quia enim per Tomos Controverſiarum luculentiſſimam plagam accepit, ideo furit ac perfurit: Et quia tot jam Lutheranos & Calvinianos Logodulos ac *Verbicines* Tomis illis refutandis fruſtra inſudâſſe, imò & impalluiſſe ac immortuos eſſe vidit, novam refellendi rationem Hæreſis iniit, adſcita videlicet calumnia, qua atrocior vix unquam extitit; ſperans, vel hoc modo ſolidiſſima illa & prorſus adamantina Catholicæ fidei firmamenta ruitura, ſi Auctor perpetua ignominiæ macula aſpergeretur. Sed ſpe ſua falſa eſt; nam illi ipſi Controverſiarum
B Tomi, & alia doctiſſima ejusdem Illuſtriſſimi Scriptoris opera evidenter, ùt infrà probabo, extremam vanitatem hujus famoſi libelli redarguunt; neque enim fieri potuit, ut talis beſtia, qualis in hoc commento depingitur, opera, omni eruditione & pietate abundantiſſima, conſcriberet; ſi enim Spiritus ſapientiæ non intrat in malevolam animam, quantò minùs intrare cenſendus eſt in eam, quæ flagitiis plusquam Sardanapalicis, & facinoribus plusquam Scythicis & Canibalicis obſtricta in profundo omnis improbitatis cœno volutatur.

CAPUT IV.

Maledicum hunc Tenebrionem non mereri fidem oſtenditur quartò ex aliis ejuſdem dilucidis mendaciis cum inſigni inſcitia & impietate conjunctis.

C AT jure quis ſcire aveat, unde huic calumniatori conſtet, Bellarminum ea ſcelera perpetrâſſe, quorum arceſſitur. Hujus deſiderio expeditè ipſemet criminator ſatisfacit: Bellarminum enim *hæc omnia ſigillatim conjeciſſe in libellum ſeu ſchedulam, confeſſionis faciendæ gratia Laureti.* Cæterùm Bellarminus manu ſua, & voce ſonora ait; à triginta & ampliùs annis ſe Lauretum non eſſe peregrinatum; ſe Laureti non eſſe mortuum; ſed ſalvum ac incolumem, viventem cum viventibus Romæ degere. *Denique non deſcripſi unquam*, inquit Illuſtriſſimus Bellarminus, *nec ſcribi feci peccata mea in libello*: Hæc enim ſunt ipſiſſima Bellarmini verba, quæ primo die Decemb. Anno MDCXIV. *ad R. P. Ferdinandum Alberum*, inter cætera, ſcripſit, poſtquam immanis hæc fabula & calumnia ad aures illius, prædicti Patris indicio, venit.

D Sed unde hæc ſchedula tam ferax ſcelerum Impoſtori noſtro? *Joannes de Montgado Bellarmini Secretarius publicavit; qui Romæ capitali ſupplicio affectus eſt, nomine quidem quaſi Apoſtolicas Bullas falſâſſet; reipſa verò, quòd* E *ſchedulam illam Bellarminianæ confeſſionis evulgâſſet.* Mendacium hoc refellit, nobis vivi; calumniatori autem defuncti Bellarmini chirographum, quod eſt iſtud. *Non habui Secretarium nomine Joannem Montgado. Nec ullus meus Secretarius fuit unquam extremo ſupplicio affectus.* Unde ergo Calumniatori iſte Joannes de Montgado? An cupis ſcire unde? Paucis dicam: Unde & reliqua vaniſſima & impudentiſſima commenta hauſit, nempe à Diabolo, omnis mendacii & calumniæ architecto. At, cedo, figule, ubi edidit Montgadus iſte hanc Schedulam, ſeu, ùt tu vocas, *libellum*? F Num Romæ? Quis Romæ vidit? Qua lingua? Num Italica? Quis in tota Italia moratur, qui affirmare poſſit, ſe hanc ſchedulam hac lingua conſcriptam legiſſe? Unde ergo tibi hæc ſchedula, fundus & fundamentum libelli tui famoſi? Inde nimirum accepiſti, unde cætera, nimirum à cacodæmone, qui, ut mendaciloquentiæ ſuæ commemorabile ad omnem poſteritatem ſpecimen ederet, os tuum, manum tuam, calamum, papyrum, & atramentum tuum, tanquam electum organum elegit; cujus interventu uſus in Bellarminum quidquid virulentiſſimo pectore conceperat, evomuit.

Mirum dictu, ſchedulam hanc publicatam fuiſſe; nec tamen ab ullo viſam, niſi G ab hoc Tenebrione; de quo ſi interroges, quis ſit; Reſpondebitur, *Neſcio.* Si interroget iterum, cujus nominis, dignitatis, conditionis. Reſpondebitur, *neſcio.* Si tamen interroges, cujus coloris, albi an atri? Reſpondebitur, atri, imò aterrimi, qualis eſt Plutoniæ ſedis, ex qua totus hic calumniarum cento ad luminis oras ſubmiſſus eſt.

Verùm unde ſtramentitio Montgado hæc H chartula? Audi cœlum, tellus, pontus & aër. Audi, quidquid aures audiendi habet. Non ſatis eſt calumniatori huic Bellarminum contumeliis afficere, & opprobriis inceſſere; etiam Confeſſarium, quem fingitur Bellarminus adiiſſe, *vecordem* ac *impium* facit. Principiò mentitur, Bellarminum Schedulam, in qua ſcelera illa exarata erant, tradidiſſe Confeſſario perlegendam. Ubi nefarius agyrta vel neſciit vel diſſimulavit, hunc ordinarium morem Catholicis eſſe, ut, licèt quis peccata ſua ſcripto comprehendat, ipſe tamen pœnitens proprio ore ea enunciet, & confeſſario patefaciat; quamdiu loquendi facultate præditus eſt; & contrarium extra caſum neceſſitatis facere, jus fáſque non eſſe, nec confitentes nec Confeſſarios latet.

Sed ecce, Bellarminus Confeſſario ſchedulam ſuam perlegendam tradidit; ipſe interim, vultu in terram defixo, adſtitit, expectans ex Confeſſarii Cortina oraculum.

Quid

A Quid verò ille? Ubi chartulam percurrit, **hat er ſich verkreutzigt und verſeegnet.** *Obſtupuit, ſteterúntque comæ, gelidúsque cucurrit, oſſa per ima tremor.* Et addidit, (Audivit enim iſte Calumniator, poſt Sedem Confeſſarii latitans) *ſuo judicio, hujuſmodi hominem indignum eſſe, quem terra ſuſtineat, ſe talia peccata remittere non poſſe, ſive Diabolus ea remittat, ſive mater ejus. Se ſibi perſuadere, ne Deo quidem in cælis tam atrocia flagitia & facinora condonandi facultatem ſuppetere.* Ubi iſte repræſentat nobis Confeſſarium, non modò ineptum, inhumanum, & cyclopicum, ſed & planè impium. Ineptum quidem, qui ignoraverit, quod à magno Navarro in Manuali cap. 10. num. 6. his verbis traditum eſt. *Cùm aliquod pec-*

B *catum grave à Confitente audiêrit, nulla ſigna admirationis, abominationis aut pavoris oſtendat, veluti ſpuendo, vel ſe cruce ſignando, vel ſeipſum commovendo, quin potiùs ac ſi nihil audiret, uſque ad finem confeſſionis diſſimulet, & tunc, cùm jam volet pœnitentiam imponere, peccatorum gravitatem ac deformitatem exponat.* At non ita, ut ab omni humanitate alienus Cyclops fiat, qualem iſte in ſuum theatrum inducit; ſed ut imitetur exemplum Samaritani illius, qui in vulnera ſauciati vinum & oleum infudit; vinum, ut morſicaret, oleum, ut leniret. Imitetur exemplum paſtoris errabundam centeſimam ovem propriis humeris ad caulas reportantis, & patris illius, qui in filii ſui prodigi ad meliorem mentem redeuntis oſcula ſumma cum voluptate & lætitia ruit.

C Impium verò eundem confeſſarium imò & Hæreticum nobis exhibet, dum mentitur, eum affirmâſſe, non modò nullum hominem, ſed ne Deum quidem hæc tam enormia piacula remittere poſſe. Itáne verò, ô Calumniator? An exiſtimas, ſi unus homo patrâſſet, vel patraret omnia ſcelera, quæ à primo mortalium ortu uſque ad hodiernum diem patrata ſunt, Deum fore tam imbecillum, ut de iis ſeriam pœnitentiam agenti, gratiam ſuam & benevolentiam reſtituere nequiret? Abſit, abſit à piorum cordibus tam impia cogitatio. Nec ulla eſt peccatorum vel qualitas vel quantitas, cui relaxandæ non ſit in Eccleſia poteſtas.

D Abi proinde, quò dignus es, cum ineptiſſimis & abſurdiſſimis tuis pſeudologiis & lœdoriis. Voluntas mentiendi tibi utique non defuit; defuit ars; non tantùm in eo, quod primarium eſt, ùt Bellarminum Laureti obiiſſe Anno M. DC. XIII. ſed & in iis, quæ ſecundaria ſunt; cujuſmodi iſta de confeſſione & Confeſſario; nam qui vel pauxillulam ſacræ confeſſionis & Adminiſtrorum ejus notitiam habet, ſcit longè aliter cum pœnitentibus agi, quàm iſte referat. Qui cùm omni & uſu & ſenſu confeſſionis deſtituatur, mendacia fundit, non aliquid ingenii redolentia, ſed prorſus incondita & abſona, inſtar agreſtis cujuſdam Corydonis aut Menalcæ; quale eſt etiam iſtud: *Confeſſarium tandem ſchedulam lectam abjeciſſe, & abiiſſe, Bellarmino in ſumma animi anxietate relicto.* Ut verum eſſet, confeſſarium chartulam peccatorum enarratricem legiſſe, nunquam tamen lectam abjeciſſet; ſed ei, à quo accepiſſet, reddidiſſet, prout hujus Sacramenti ſanctitas & religio expoſcit, quæ tanta eſt, ut ipſa etiam charta, in qua peccata conſignantur, ſi minùs ſub ſigillum Confeſſionis, certè ſub naturale ſecretum cadat, licèt alicubi fortuitò reperiatur; & quæcunque crimina complectatur, ea nullam infamiam pariunt, nec magiſtratui viam ad ſupplicium ſumendum aperiunt; ſi non alia ratione, quàm ex tali ſchedula cognita fuerint. Quapropter quamvis tota fictio iſta non eſſet fictio, ſed ipſamet veritas, imò ipſa veritatis medulla, nihil tamen aliud inde colligerem, quàm calumniatorem iſtum & omnes ejus in hoc famoſo libello divulgando adjutores, immani crimine teneri, qui rem ſecretam, & ex jure naturali, divino & humano non revelandam, nefariè revelaverint, nec Bellarmino ullum præjudicium apud ſincerè Catholicos inde creari poſſe.

E

F Sed abſit, ut iſthæc vero conſonent. Totus iſte famoſus libellus unum quoddam perpetuo tenore continuatum mendacium eſt. Nec refuto, quaſi ullum veriſimilitudinis colorem habeat; ſed ut demonſtrem, quàm ſit iſte inficetus, inſcitus & indolatus mendaciorum fabricandorum artifex, qui proculdubio vidit, cùm Confeſſarius chartam illam abjiceret. Vidit etiam accurrentem fictitium illum Montgadum, ſuúmque & in hujus impoſtoris uſum ſchedulam humo levantem, non contradicente Bellarmino: ô affanias! ô gerras!

G Deinde, dic, oro, cùm mala ſors Bellarminum ad tam rigidum, imò iniquum confeſſarium detuliſſet; an æquiorem quærere non poterat? An unus tantùm Confeſſarius Laureti? Et cùm ibi Jeſuitæ Confeſſariorum munere fungantur, quorum multi proculdubio Bellarminum Romæ ſæpius viderant; quî fieri potuit, ut à nullo agnoſceretur? An non modò habitum, ſed & ſtaturam, faciem & pronunciationem mutaverat? Quî factum, quòd poſt commentitiam quoque mortem Laureti obitam nemo inquiſivit, quis tandem iſte peregrinus, tam horribili nece extinctus, eſſet? Quî factum, quòd Romæ nemo mortalium de Bellarmino Anno M. DC. XII. vita functo quidquam ſcivit, vel audivit? Facilis tamen eſt ad hoc reſponſio; quia Bellarminus non

H tantùm toto Anno M. DC. XIII. ſed & ſequenti Anno M. DC. XIV. integro vixit; Annúmque M. DC. XV. vivens ingreſſus eſt. Quid vis ampliùs Calumniator? *Exſurgat Deus*

A *Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.* Bellarminus vivit adhuc. Audis criminator? Corruit ergo, quidquid de schedula confessionis, de ipso Confessario, de Bellarmini ad Confessarium accessu, de Montgado, déque desperabundo exitu vel potiùs exitio commentus es. Corruit & illud de mulieribus immane mendacium, cujus causa reliqua omnia à mulieroso aliquo quinti Evangelii Theraponte conficta sunt. Vivit Illustrissimus Bellarminus, & calumniatores, *sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores* & mendaciloqui impostores, *à facie Dei* & veritatis.

CAPUT V.

Refellitur famosus iste libellus argumentis ab ipsa Illustrissimi Bellarmini persona sumptis.

B AIt Calumniator. *Bellarminum in pompa & fastu gessisse se instar Principum, in cibo & potu instar Epicureorum; in castitate & vita Sodomæorum.* Cæterùm hanc criminationem refellit tota Roma, in cujus luce ac conspectu degit; quæ quotidie coràm intuetur, quàm Bellarminus etiam in hoc dignitatis fastigio omnem superfluum cultum refugiat, & quantum fieri potest, omnia ad religiosam mediocritatem redigat; familiámque ita instituat & moderetur, ut potiùs religiosa & Cœnobitica, quàm Cardinalitia appareat.

C Sybariticum in esculentis & poculentis luxum refutat vel ipsa summa ætas, ad quam Bellarminus pervenit; ad quam crapula vel nullos, vel rarissimos & rarissimè pertingere finit; cùm plerisque etiam ante omnem canitiem, gulam elidat. Nec Roma, nec Societas nostra nescit, quantus frugalitatis & parsimoniæ amator sit, fuerítque semper Bellarminus; ùt & pudicitiæ ac castimoniæ; qua laude Illustrissimus Bellarminus ex ineunte ævo floruit. Memini quosdam, qui adhuc juvenem Lovanii concionantem in templo & docentem in schola audiêrant, non aliter de Bellarmino sermones instituere solitos, quàm de

D illo, cujus ex vultu, universisque actionibus virginalis verecundia & decor eluceret. neque ullus vel Romæ vel alibi extitit, qui Bellarmino hanc laudem ademptum iret, tantum abest, ut quis flagitiis Venereis, aliísque infandis criminibus eum collutulare tentârit, donec ex Averno turpissimus iste Criminator emissus est, lœdoriarum integris plaustris onustus: quæ tamen, ùt vidimus & videbimus, nihil ponderis habere possunt, nisi fortè apud illos, qui jam cervicem suam inflexibiliter à veritate averterunt, & ad fabulas converterunt.

E Rectissimè ad Bellarminum transtulero elogium, quod Postumianus apud Sulpicium tribuit S. Hieronymo. *Vir præter fidei meritum, dotémque virtutum, non solùm Latinis atque Græcis, sed Hebræis etiam ita literis institutus est, ut se illè in omni scientia nemo audeat comparare*, &c. *cui jugis adversus malos pugna, perpetuúmque certamen. Concivit odia perditorum; oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit. Oderunt*, non Clerici, ùt S. Hieronymum, sed Pseudocatholici, *quia vitam eorum insectatur & crimina. Sed planè eum omnes boni admirantur, & diligunt. Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur* (& talem, qualem famosus libellus efformat) *insaniunt. Verè dixerim, Catholica hominis scientia, sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est; non die, non nocte requiescit; aut legit aliquid semper aut scribit.* Hoc encomium in Illustrissimum Bellarminnm examussim convenire, testantur apertè opera ejus, summæ & omnigenæ eruditionis Latinæ, Græcæ, Hebraicæ; sacræ, profanæ, Ecclesiasticæ, Theologicæ, & Scholastico-theologicæ plenissima, quæ sine assiduissima veterum monumentorum lectione, & continua meditatione, mentísque liquida quadam serenitate & puritate tam non potuerunt concipi, componi, & in lucem nasci; quàm non potest animus porcinus sese supra se & supra volutabrum suum attollere. Sulp. Dial. 1.

F

G Nam quod nuper Grammatista Casaubonus in inficetis suis *exercitationibus* contra celeberrimum Cardinalem Baronium, Bellarmino laudem Græcæ literaturæ detrahere conatur, id fortè ideo fecit, quia Bellarminus Græcas literas non didicit, Genevæ, Prælis Typographicis Henrici Stephani assidens, &, strenui correctoris more, menda operarum emendans; & tandem præmii ac salarii loco filiam connubio stabili jungendam reportans.

H Utcunque sit, Illustrissimus Bellarminus à prima pueritia hoc Apostoli mandatum Timotheo editum, sibi quàm diligentissimè observandum duxit, prout omnibus, qui Bellarminum nôrunt, notissimum est. *Te ipsum castum custodì, exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ*; &c. *Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ; hoc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Præstitisti hæc omnia & quotidie adhuc præstas; & utinam diu adhuc superstes, eadem præstes, ô celeberrime, integerrime, & eruditissime Cardinalis. Neque unquam vel latum unguem à simili præcepto, quod Apostolus discipulo suo Tito dedit, tibi discedendum existimâsti. Quodnam illud? 1. Tim. 5. 1b. cap. 4.

A Tit. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate: Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis;* meritò scilicet ac verè; nam quò minùs, quis etiam innocentissimus, maledicorum jaculis immeritò ac injustè appetatur, id in nullius manu est; nec ipse Apostolus, totius sanctitatis & perfectionis lucidissimum speculum, linguas maledicas & infamatrices evitare potuit, ùt ipse sæpius suis in Epistolis nos docet. Tota
B igitur Bellarmini vita ab incunabulis usque ad hanc devexam ætatem impudenti huic calumniatori impurissimum os oppilat; cunctásque criminationes, ceu sol nebulam, dissipat. Vivit adhuc Bellarminus. Deus plures annos vitæ ejus adjiciat. Audis Calumniator, quid optem? Si hæc vota auribus tuis aspera accidunt; obde pessulum, & in æternum occlude.

CAPUT VI.

Refellitur libellus famosus ex ipsa immensitate & immanitate criminum, quæ Illustrissimo Bellarmino affingit.

C EA adeò sunt enormia, & supra omnem veri colorem, ut, si ab aliquo Suetonio, Lampridio, Vulcatio, Herodiano prodita essent de Nerone, Caligula, Heliogabalo, vix crederemus. Et fermè mihi persuadeo, Tenebrionem istum non seriò isthæc flagitia de Bellarmino disseminâsse; sed tantummodo periculum facere voluisse, num quis tam fatuus, & ab omni ratione desertus futurus esset, qui assensum præberet. Fortè reperit, qui crederent, sed ex stupidioribus; quíque Bellarminum nec de nomine nôrunt, neque etiam accusationis granditatem ponderant, sed omnia, prout legunt, arripiunt, absque ulla accuratiore discussione, num res ita sit; Certè Medicus Ambergensis Calvinicola, qui ante aliquot annos contra Bellarminum sub nomine *Joannis Angeli Politiani* libros de Eucharistia evulgavit, hoc famoso huic libro testimonium candidè perhibuit in literis ad amicum quendam datis, cujus verba ex ipso autographo hîc tibi repræsento.

D Fürs ander, wegen zugeschickter Land-Lugen wider Bellarminum, (dann also haltens billich alle Verständige, für die es kommen wird, und kommen ist, in massen niemandt verständig bey uns anders hält, in Betrachtung, das vast greifflich, daß es ein ungeschickter Zelot sine scientia zusammen geraspelt hat) seynd anjetzo keine Exemplaria zu Amberg. Nach 3. oder 4. Tag, solle er haben zum wenigsten 6. Exemplaria, und hab ich demselben nicht Maß zugeben, ob er dieselb suis hominibus communiciren soll. Wir selbsten glaubens nicht, sonder haltens für ein grob schändlich Gedicht, bevorab weil Bellarminus (unsers E wissens, als die auch auf solche hohe Leuth acht haben) noch im Leben. Das aber ist zu erbarmen, daß man solche Sachen zu drucken gestattet: und weiß ichs gwiß, daß, als obs zu Basel gedruckt wäre, ein lauter Gedicht sey. Amberg den 22. Novemb. Anno 1614.

Est ergo judicio istius Angeli Politiani F commentum hoc I. *Manifestum orbique patens mendacium.* II. *Ita meritò habitum iri ab omnibus intelligentibus, in quorum manus perventurum sit.* III. *Nec alio loco haberi ab illis, in quorum cognitionem jam pervenerit: apud suos certè neminem prudentium aliter judicare.* IV. *Liquere, & quasi manu palpari posse, figmentum hoc ab inepto Zelota, sine ulla scientia, consarcinatum esse.* V. *Se & suos nullam fidem adhibere, sed pro turpissimo commento reputare, præsertim cùm Bellarminus adhuc vivat.* VI. *Dolendum esse, quòd talia excudendi facultas concedatur.* VII. *Sibi certò constare, commentitium esse,* quòd Basileæ excusum fingitur. Optimè, mi *Angele Politiane.* Gratias agimus, & habebimus quoque, dum dabitur occasio, pro candore & sinceritate; Et Basileæ famosum hunc libellum non esse editum, nullius alterius testimonio firmabo, quàm ipsius Ludovici Königs, cujus typis publicatus fingitur: Nam Ludovicus iste gravissimam sibi injuriam ab isto irrogatam conqueritur his verbis, quæ verbatim desumpta sunt ex Epistola ejusdem Ludovici, quam dedit ad quendam magnæ dignitatis virum. Mit G grosser Verwunderung hab ich diß eingeschlossen Famoß Libell abgelesen, auf welches ein Ehrvergeßner Mann und Ehrn-Dieb meinen Namen gedruckt, und nit allein meine Ehrn, sonder auch ein löbliche Stadt Basel gantz ärgerlich und unverantwortlich höchlich mißgebraucht. Halte auch den Drucker und Authorn für einen solchen als obvermeldt, so solch hoch verbottlich Famoß Libell hat außgehn und drucken lassen, biß ich ihne, als ich verhoffe, einmal erkündigen könne: darauf ich dann allen Fleiß anwenden, und kein Unkosten sparen will, biß ich disen Ehrlosen Mann und Ehrn-Dieb erfahren mag. Will auch hiemit den Herrn zum höchsten gebetten haben, mich nit allein bey den Herrn Jesuitern, sonder bey männiglichen diser schändlichen Auflag (deren ich mich diser, oder vil weniger anderer Famoß-Schrifften zu drucken habe gelusten lassen) zu entschuldigen. Es darff auch der Ehrnvergessen Drucker darauf setzen, Erstlich gedruckt zu Basel, durch Ludwig König, da doch männiglichen bekannt, daß ich kein Druckerey, sonder was ich bißhero hab drucken lassen, verlegt habe in andern Druckereyen.

Quæ ad verbum latinè vertam, ut & ii, H qui Germanicam linguam non intelligunt, intelligant, quid Ludovicus König de hac re sentiat. *Magna admiratione legi libellum famosum, cui quidam honoris & existimationis suæ prodigus, & alienæ famæ violentus prædo nomen meum apposuit; nefariè & inexcusabiliter*

A *liter non ſolùm meo, ſed & inclytæ Baſileæ nomine abuſus eſt. Eóque loco, quo dixi, duco & Typographum & auctorem, qui talem famoſum libellum, tot legibus prohibitum evulgandum, typisque edendum curavit, donec tandem, ùt ſpero, quisnam ille ſit, indagando comperèro. Qua in re nec ſtudio, nec impenſis parcam, donec nebulonem iſtum, & honoris furem ex latebris in lucem extraxero. Quapropter ſummopere Dominum rogatum volo, ut me non ſolùm apud Jeſuitas, ſed & apud alios ab hac calumnia excuſet, nunquam enim ſimilium cartharum evulgandarum animus aut cupido fuit. Non veretur inſuper propudioſus Typographus frontiſpicio adjicere: Primò per Ludovicum König excuſum, cùm omnes nôrint, mihi Typographiam non eſſe, ſed ea, quæ meis ſumptibus hactenus prodiêrunt, in alienis Typographiis impreſſa eſſe*, &c. *Baſileæ 15. Novembris, ſtylo antiquo 1614.*

B Videmus ergo, ne ipſis quidem adverſæ partis hominibus, quibus mens eſt ſanior, hoc monſtrum probari. Et fungus ſit, cui probetur. Quis enim credat, Bellarminum, qui potiſſimam vitæ partem Romæ conſumpſit, in tam aurita, oculata, &, ut Tertulliani verbo utar, *linguata* civitate cum tanto illo mulierum exercitu, cum tot homicidiis, cum magicis illis artibus ac præſtigiis latere potuiſſe, ita, ut ne minutiſſimum quidem indicium emanaret? Quomodo tot *Comitiſſis*, tot *Baroniſſis*, tot nobiliſſimo ſtemmate cretis fæminis partim violentia, partim contumelia inferri potuit, nemine prorſus id advertente, in Theatro orbis Roma, in illa urbium urbe, ad quam tot undequaque in dies ſingulos confluunt, quibus nihil aliud negotii, quàm dicere, audire, & inveſtigare aliquid novi? Ne Heliogabalus quidem aut Nero mille ſexcentas quadraginta duas mulieres abſcondere potuiſſent, licèt ad id omnem ſuam induſtriam contuliſſent.

C Quamquam Impoſtor in titulo famoſæ chartæ numerum prædictum exprimit. At in ipſo contextu quatuor alias ſupernumerarias, & eximias adjicit. Sed ipſe etiam ineptiam, & ineptiæ non injuria arguar, ſi diutiùs in refutatione tam ſcelerati & ab inſulſiſſimo *Zelota*, ùt Politianus nominat, confícti mendacii immorer: quia totum nititur ſchedula Confeſſionis à Montgardo ſparſa. Sed & ſchedula & Montgardus combuſtus, fabula eſt. Faceſſe igitur hinc mortalium dedecus, & ſi quando Diabolus ad mendacia diſſeminanda te iterum emittere volet, roga illum, ut in arte mentiendi te meliùs inſtruat; jam enim omnium ludibrio expoſitus es, etiam ipſorum Prædicantium, qui licèt inſcitiſſima tua fabulamenta, quo poſſunt ſtudio, propagent, ac diffundant, id tamen non faciunt, quaſi te peritum fingendi artificem exiſtiment, ſed quia illis volupe eſt Jeſuitas traduci ac lacerari, aptè an ineptè, probabiliter an improbabiliter, quis in hoſte requirat? Interim Bellarminus, cum B. Davide, cujus Pſalmos accuratiſſimo commentario illuſtravit, palàm cantabit: *Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem ſemper ſperabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.* Pſalm. 70.

D E

CAPUT VII.

Scopus hujus flagitioſi & famoſi libelli.

F SCopus unicus eſt iſte; ut cuncti armis ſumptis, in Jeſuitas inſurgant, eósque exterminent ac trucident. Si enim Bellarminus omnium nominatiſſimus & clariſſimus, talis eſt, quid de cæteris ſentiendum? Hoc conſilium ſuum non tacitè inſinuavit, ſed diſertis verbis explicavit Auctor in Frontiſpicio & in calce libelli famoſi, ubi ferale cornu publicè inflat, tympana tenta pulſat, & ex ſublimi calumniæ turri, belli ſignum edit. Hinc intonat **Gottesverräther, Kelchdieb, Seelmörder, Hurer, Ehbrecher, Sodomiten, und bekandtliche Landsverräther, Ertzfeind, Ertzſchälck.**: *monétque, ut omnes omni mora poſita tandem ad horum internecionem advolitent; neque diutiùs cunctentur, ne Deus cunctatione offenſus Germaniam gravibus calamitatibus involvat: ſatis ſupérque ceſſatum; jam tandem manum operi accingendam & efficaciter admovendam; & ut hoc certiùs perſuadeat*, addit Germanicos Rhythmos: **Ertzſchelmen, Mordſtiffter, loß Leut, ſeynd d Jeſuiter in der Häut**, ꝛc. Vaticinatur, *ſe Jeſuitarum exitio ſuperſtitem fore*; ut alia furiatæ mentis excrementa prætéream. Neſcio, quis malus genius, vel quæ Tiſiphone Prædicantes jam ab aliquo tempore agitet: Toti inſaniunt; & quaſi lemures ſtygiásque larvas perpetuò oculis obverſantes intuerentur, clamant, exclamant, ejulant, ululant, vociferantur, opem, & quidem celerrimam, flagitant. Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros. Hoſtis habet muros. Quæ Alecto Gorgoneis infecta venenis vos perterrefacit? Quæ Megæra cæruleis unum de crinibus anguem in ſinum atque intima præcordia veſtra conjecit, ut haud paulò leviùs bacchemini, quàm Virgiliana illa Amata? An fortè, ùt illam Hymenæus filiæ in furorem rapiebat; ita & vos in furorem agunt quædam nuptiæ, & arma Calviniſmo alicubi objecta, ne quantum volebat, poſſet? An ideo ſine more lymphati furitis? *Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro vacua atria circum intenti ludo exercent.*

G

H Talis *Bacchans* eſt etiam Joannes Eucharius, verbi Calviniani apud Schaffhuſianos buccinator, qui in quadam ſua *Scar-*

A *tecka* (aptius nomen non invenio) contra Jesuitas arma amens fremit, arma toro tectísque requirit, & ad Bellum sacrum in Jesuitas, nominatim, ingenti vociferatione advocat Regem Angliæ, Regem Daniæ, Electorem Saxoniæ, Electorem Brandeburgicum, Ducem Wirtebergicum, Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem; Landgravium Hassiæ, Ducem Megapolitanum, Ducem Pomeraniæ. Miror, Batavorum oblitum esse; quos sine dubio clausula generali inclusit, cùm omnes, cujuscunque status & conditionis ad hanc tam magnificam expeditionem excivit. Præstolare duntaxat patienter, mi Logodule, jam omnes à te invocati in procinctu sunt. Paulò pòst cantare debebis cum Marone: *Pandite nunc Helicona Deæ, cantúsque movete. Qui bello exciti Reges, quæ quemque*
B *secutæ complerint campos acies.* Sed malè à te factum, quòd non definivisti locum, in quo tantis copiis conveniendum erit? Si Ubiquista esses, suspicarer velle te, ut ubique congregarentur. Sed quia Calvinicola es, non dubito, te certum locum designâsse, si minùs in charta; certè in privatis ad singulos litteris: Quis verò hic alius locus, quàm tua Schaphhusia? Inde postea copias in varias regiones divides, & alias hàc, alias illac pugnatum & prædatum ire jubebis, tu velut alter *Monetarius* seu *Münzerus* aderis, & ære viros ciebis, Martémque grandisono cantu accendes.

C O mei Prædicantes, seu Lutheranæ, seu Calvinianæ Logoduliæ addicti, vestra sanguinaria classica & celeusmata, vestra mille modis exaggerata convicia, súsque déque habemus; quia jam ab antecessoribus vestris similia sæpissimè audivimus; eáque tandem ùt ex fumo orta, sic in fumum abiisse vidimus. Societas nostra arbitratur, & quidem non sine certa experientia, pertinere etiam ad se illud promissum Dei.
Isaiæ 41. *Ne timeas, quia ego tecum sum. Ne declines, quia ego Deus tuus. Confortavi te, & auxiliatus sum tibi; & suscepit te dextera justi mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversùm te; erunt, quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non invenies viros rebelles tuos, erunt quasi non sint, & velut consumptio hominis bellantis adversùm te; quia*
D *ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicénsque: Ne timeas, ego adjuvi te.* Hac Dei promissione suffulti, maledicta, imprecationes & comminationes vestras spernimus. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, ajebat B. David. Et causam addit; *quia Dominus protector vitæ meæ est.* Cur nos trepidaremus à vipereis Prædicantium linguis, quarum sonus mox evanescit in aures? & ut terrificus inexpertis videatur, experti tamen, ceu fulgur ex vitro rident.

O mei Præcones, quàm nullo labore con- E
vicia & rhythmi vestri ad vos remitti possent. Unico vocabulo mutato, res confecta erit. Audite ergo præconia vestra revocata quasi ex fuga, & ad vos, veros Dominos ac professores, retracta.

Ertz-Schelmen, Mordt-Stiffter, loß Leuth,
Seynd d Predicanten in der Heut,
Ich erleb ihrn Untergang so wahr
Als zu Franckfurt der Juden-Schaar.
Auch muß sich schämen jedermann,
Der sich solch loser Leuth nihmt an.
Und kan vor GOtt auch nicht bestahn
Obs gleich den Teuffel im Hertzen han.

Si quis ex Societate nostra tale quid contra Prædicantium furias spargeret; bone Deus, qui clamores non tollerentur, & quidem usque ad sidera; imò & supra sidera?

F Habuit Lutherus paulò ante suum exitium Anno M.D.XLVI. in Conversione D. Pauli, concionem ad Halenses in Saxonia, quæ extat Tomo octavo Jenensi Germanico, ubi seditiosissimus Gracchus, studium pacis, & quietis, quo tenebantur, his verbis exposuit. Mich wundert auch über die massen sehr, wie ihr Herrn zu Hall, die Buben, die schäbige, laußige Mönch bey euch noch leyden könnt, dieweil ihr wisset, daß sie solches angericht haben, und noch dise Stund nicht aufhören zu schänden und zu lästern GOtt, und sein heiliges Wort, die muthwillige, nißige Bößwicht, &c. Ihr Herren solt einmal ein Muth fassen, und die närrische, schäbichte Mönch zur Stadt außjagen, &c. Affen und Narren sind es, in alleweg zu fliehen und zu meyden, als die Gotts-Schänder und Seel-Mörder, &c. Darum so lasts euch gesagt seyn, feget die Hefen, Grund-Suppen und den Saur-Teig der Mönch auß, thut sie hinweg, verbietet ihnen das Lästern, es ist lang gnug gewest. Hæc pacificus Lutherus.

G Accipiat Catholicus quispiam hæc ipsa Lutheri verba, substituto duntaxat Prædicantium nomine in locum *Monachorum*, iisdémque cohortetur Catholicum aliquem Principem aut Magistratum, in cujus ditione Prædicantes commorantur, ut tandem Logodulos istos facessere jubeat; & ultra Caucasum quintum Evangelium illic prædicaturos ableget, quæ confestim non nascentur querimoniæ? Qui ploratus & ejulatus non existent? Quæ imploratione ad superos & inferos contra tam sanguinarium consultorem emissæ non exaudientur? Quibus infectationibus non lacerabitur, quisquis hoc consilium dederit, tanquam pu- H
blicæ pacis perturbator? Nunc quando Lutherus & Prædicantes adversùs Monachos, & Jesuitas, & ut paucis dicam, contra universos Catholicos *arma*, *arma fremunt*, & magnis vocibus omnes ad internecionem exposcunt, linguis animísque favendum est, & ne verbulo quidem contrà mutiendum; cúmque impudentissimè mentiuntur & calumniantur, cujus impudentiæ lucidissimum speculum est famosus iste libellus,

A lus, & præterea palàm omnes cohortantur, ut Jeſuitas trucident, non ſævitiam, ſed clementiam admirari & *Mitiones* iſtos ac *Clementes* velut nimiùm mites ac clementes adorare jubemur, ſi non flexis genibus, ſaltem apertis capitibus. Malè profectò, ô Logoduli Evangelio veſtro conſulitis. Quis, cui cor vel paululùm ſapiat, lecta hac adversùs Illuſtriſſimum Bellarminum calumnia, non execretur veſtrum Evangelion, ex quo non niſi mendacia & calumniæ prodiêrunt; & quidem fili tam craſſi, ut ipſos Evangelii hujus ſectatores pudeat?

B Interim non obſtantibus his criminationibus, quantumvis horribilibus, Societas noſtra in Germania creſcit ac dilatatur tam hominum, quàm domiciliorum numero. Et quò magis iſti contrà tonant, eò magis ad nos complectendos, fovendos & tuendos, Principum virorum animi excitantur. Quæ à quadraginta annis non ſunt diſſeminata de Jeſuitis in Germania? Ubi nunc ſunt illa commenta? Dormiunt in pulvere & ſitu, & in oblivionem venerunt, ut vix niſi apud pauculos calumnioſorum libellorum ſcrutatores memoria remaneat. Idem eveniet fædiſſimo & flagitioſiſſimo huic adversùs Bellarminum libello; quia impudentia ejus tanta eſt, ut terras diu perambulare minimè queat, revocandus quàm primùm ad tenebricoſum Tartarum, ad prima ſcilicet ortus ſui incunabula. *Nolite timere opprobrium hominum*, monet Deus per Iſaiam, *&* Cap. 51. & 50. *blaſphemias eorum ne metuatis: Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis; & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt, qui contemnet me? Ecce omnes* (criminatores) *quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*

CAPUT VIII.

De fabula Molsheimenſi.

C NE fabula de Bellarmino ſola in vulgus exiret, adjunxit fabulator aliam Molsheimio ex Alſatia petitam de Luthero. Quænam illa? Jeſuitæ Molsheimenſes, ſuperiore anno M. DC. XIV in Julio, (quinquageſimo quarto ejuſdem menſis die) Comœdiam in theatrum miſerunt, in qua duodecim Diabolos, quaſi totidem Apoſtolos, introduxêre, duodecima ſeſſione & ſtatione Luthero tanquam Judæ Iſcariotæ Vicario & ſuccedaneo aſſignata; quem diabolus ille, qui undecimum tenens locum Luthero â latere hærebat, in mille fruſta diſcerpere debebat.

D Sed en, ô omnibus anteactis ſæculis inauditum miraculum, dum Dæmon iſte undecimus nimis in officio ſuo cunctabundus eſt, horrifico ſonitu advolitat tertius decimus, iſque non comicus & fictus, ſed Tartareus Diabolus; & non Lutherum, Judæ Vicarium, ſed undecimum illum Diabolum, qui Luthero exitium machinabatur, in plures partes, quàm olim Mænades Penthea, dilaceravit, tota cavea inſpectante, & præ timore, obrigeſcente; quilibet enim capiti ſuo metuebat, ne fortè Alaſtor ille uno Actore non contentus, aliquem etiam ex Spectatoribus invaderet, tanquam immanis culpæ reum, qui oculos & aures ſuas tam profanæ Comœdiæ commodare voluerit. E

Hanc verò fabulam non eſſe fabulam, F ſed veram hiſtoriam, probat inde fabulator; quia à variis ad varios perſcripta eſt. Etſi autem mihi hoc commentum refellere propoſitum non erat; quia Molsheimenſes noſtri ſine dubio id facient; quia tamen cum fabula de Bellarmino jungitur, cujus fabulæ refutationem ego profeſſus ſum, non potui committere, quò minùs hoc etiam plaſma obiter perſtringerem, & ſcriptioni primariæ hanc appendiculam attexerem. Et ô miſeros Jeſuitas, qui tot cladibus edocti non ſapiunt, nec à Comœdiis, præſertim Luthero ignominioſis, abſiſtunt! Jam enim olim Monachii, Bojorum Metropoli, dum Lutheri papyraceum ſimulacrum, librósque Lutheranos & Calvinianos in ſcena exurunt, arcem Principis incenderunt. Quis hujus rei teſtis? Auctor Apiarii (der Binnenkorb) Haſenmüller, Leyſerus & alii ejuſdem prædicamenti tribules vel potiùs tribuli. Quod miror ab iſto Mythologo omiſſum. De quo vanidico commento egi in Refutatione Hiſtoriæ Jeſuiticæ. Illic Lector rei geſtæ veritatem inveniet.

G Lugduni in Galliis dum Anno M. DC. VII. in Auguſto noviſſimum Judicium in orcheſtra repræſentant, formidabilia tonitrua & fulgura extiterunt, fulmine in quandam Turrim Collegio vicinam delapſo. Quo inopinato portento multi ex Spectatoribus & Actoribus ita territi ſunt, ut partim in graviſſimos morbos inciderint, partim animas quoque exhalârint. Quis rei hujus teſtis? Quidam Genevenſis, qui Genevæ ex ſpecula quadam ad Rhodanum omnia propriis oculis vidit & audivit, & propriis auribus hauſit, & tonitruorum fragore Genevam uſque delato, penè exanimatus in Rhodanum decidit: & niſi nare didiciſſet, periiſſet. Quæ ipſe Gallico quodam ſcripto, H non abſimili huic, de quo diſceptamus, bona, hoc eſt, Calviniana fide teſtata reliquit. Sed cùm Lugdunenſes veritatem in ejus charta deſiderarent, & quidem jure optimo, repertus eſt, qui hoc ſuum deſiderium publicè explicaret, & quot mendacia, quámque immania Calviniſta Anonymus effudiſſet, ſigillatim annumeraret, & propemodum in ſtatera appenderet. Vehementer miror, fabulæ Molshemianæ fabro ignotum fuiſſe hunc Genevenſem Gallicè ſcriptum libellum; quia præ ſe fert, quaſi Gallicam linguam calleat, & calumniato-

A ribus peregrinarum linguarum gnaris hæc vel inprimis cura esse solet, ut non tantùm vernaculas, sed & exoticas criminationes convehant ac converrant.

B Hæc calumnia magis ad rhombum calumniatorium feciſſet; quia, ùt fama ferebat, inter Comicos Diabolos, ſtygius quoque, vetus ille veterator, adfuit; & cum ludentibus in theatro luſit; neminem tamen abduxit; quia multò humanior erat, quàm ille Molſheimenſis. Octodecim quoque Jeſuitæ, & in his ipſe Provincialis, Rector, & Rhetor comœdiæ Auctor & choragus fulmine horribiliter in conſpectu omnium proſtrati ſunt, qui & in veſtigio exſpirârunt. Quis vidit? Lugdunenſes, qui aderant, hoc non viderunt, ſed alius de grege Calvini, qui tum vel Genevæ ſomniabat, vel Lugduni erat; ſed non in theatro, vel ſi in theatro, oculos & aures dormi reliquerat. Et tamen Jeſuitæ necdum reſipiſcunt; ſed comœdiis theatra quotannis & ſæpius complent.

C Exemplum non ita vetus eſt in Conſtantienſibus, qui ante aliquot annos, Huſſum in proſcenio combuſſerunt: Ex qua combuſtione quid natum? Incendium ingens. ô nugaciſſime bipedum! Huſſum exurere, Conſtantienſibus noſtris nunquam in mentem venit. Et quî veniſſet? Quid opus comburere illum, quem & temporales flammæ olim in cineres verterunt; & nunc ſempiternæ illæ apud inferos ſine conſumptione perpetim comburunt, & in æternum combuſturæ ſunt? Extitit quidem Conſtantiæ incendium Anno M. DC. XIV. nocte ea, quæ S. Marci feſtum antecedit. Sed hoc incendium extitiſſe ex incendio Huſſi, tam verum eſt, quàm verum eſt, Genevam aliquando arſiſſe ex incendio Serveti; nec Conſtantienſes noſtri eo tempore plus cogitabant de Huſſo in ſcena comburendo, quàm de ignoto & anonymo iſto calumniatore in favillas redigendo, & extat jam typis deſcriptum diploma ampliſſimi Senatus Conſtantienſis, quo mendacium hoc de Huſſo exuſto, ædiúmque conflagratione inde nata graviſſimè redarguitur. Num ideo erubeſcit hæreticus? Quomodo frons triplici ære rigens erubeſceret? Quare præteriiſti Achatem Huſſi Hieronymum Pragenſem? Cur non & hunc Vulcano abſumendum objecerunt? Fortè Hieronymum iſtum reſervâſti, ut alia vice per ejus vivicomburium tragœdiam igneam excites.

D Etſi autem hoc totum nihil aliud eſt, quàm inaniſſimum mendacium, ùt omnes Conſtantienſes nôrunt; mirari tamen haud injuria poſſes, quomodo ſemper ex incendiis Comicis & ludicris, quæ Jeſuitæ inſtituiſſe finguntur, ſequantur incendia, judicio iſtorum, vera, & ut ſic loquar *realia*, lugubria & multis damnoſa: Ex incendiis E verò, quæ ſectarii excitant, nulla etiam exilis caſula conflagret. Genevenſes combuſſerunt Servetum, non comicè, ſed perquam ſeriò. Nihil damni illatum eſt urbi, & ne minimum quidem tuguriolum flamma vorax afflavit. Stutgardiani Philippum Melanchthonem & Calvinum in Comico Theatro ipſis Hilaribus ſeu Bacchanalibus, luculento rogo exuſſerunt, teſte Marco Beumlero, Sacramentario Tigurino, in Apologia contra Smidelinum. Quæ pyra neminem læſit, nec vel capillum aduſſit. Si Jeſuitæ hoc feciſſent, jam media Stutgardia, ſi non tota, in cineres tenuésque auras abiiſſet. Si Jeſuitæ in Genevenſi urbe Collegium haberent, & fortuitum aliquod incendium oriretur; in Jeſuitas culpa derivaretur, qui Servetum jam olim cinerem factum, rurſus in cinerem redigere voluiſſent, miſſa in Theatrum, Comœdia vel Tragœdia Servetica.

Incendium Collegii Viennenſis unde na- F tum eſt Anno M. DC. VII? Ex Comœdia, quia Jeſuitæ Lutherum comburere volebant, ſed Lutherus haud ſegnis, antevertit, & Collegium incendit, ſi Æſopus noſter vera nobis denarrat. Verùm aut iſte mentitur, aut alii, aut, quod verum eſt, omnes; qui cauſam hujus conflagrationis longè aliam reddiderunt, nempe repræſentationem diſputationis Gretſeri cum Hunnio, quem devictum miſſilibus ignitis appetiverint, ex quibus unum, neſcio quò delatum, Collegium accenderit. Quæ fa- G bula longè latéque diffuſa, &, ùt fieri ſolet, ſecundis auribus paſſim accepta, magnum plauſum tulit, ùt dixi in Commentario de calumnia & calumniatoribus ſuper Satyram Miſenicam. Nunc prodit iſte, & fabulâ aliter exaſciatâ, ab Hunnio & Gretſero omnia transfert ad Lutherum. Sed quàm verum primum, tam verum & alterum. Iſtis ſufficit mentiri. Quàm probabiliter & conſtanter, (ſi qua conſtantia in mendacio eſſe poteſt) ſibi non valdè laborandum eſſe exiſtimant. De quo plura non addo. Vide prædictum Commentarium meum; & tam ex illo, quàm ex jam diſputatis judica, quàm ſit iſtorum frons effrons, H & mens amens; quos Jeſuitarum Comœdiæ urunt; quia ipſi paria facere nequeunt. Sciunt, qui aliquando Comœdias à Lutheranis & Calvinianis Ludimoderatoribus daras ſpectârunt: Sciunt, inquam, quàm omnia frigeant; quàm omnia ſint exſanguia, exſucca, & exoſſa, ut ſpectatoribus dormire magis quàm ſpectare libeat; niſi ſi quando repræſentatione Monachi vel Monialis, ſcurrarum in morem, theatrum nonnihil calefaciunt.

CAPUT

A

CAPUT IX.

Stultitiæ fabulatoris commiſſæ in enarranda Molsheimenſi fabula.

PRima eáque maxima eſt, quòd credidit, ſibi quidquam humani vel divini creditum iri, poſtquam audaciſſimè mentitus fuerat, Bellarminum Laureti horrifica morte vitam finiiſſe, Anno M.DC.XIII. qui toto anno M. DC. XIV. tota Roma teſte, vixit, & etiam hoc anno M. DC. XV. feliciter vivit. In tali mendacio tam aperto & dilucido, ſi quis aliquem deprehendat, ùt iſte certè deprehenſus eſt, eíque poſtmodum narranti res peregrinas, & quaſi alibi factas, fidem habeat, is non injuria levis, parúmque circumſpectus reputari poteſt.

B Secunda ſtultitia eſt; quia undecimum illum Actorem ſub ſchemate Diaboli, ait Jeſuitam fuiſſe. ὦ πόποι. Itáne Jeſuitæ perſonas in Cœmediis agunt? Nunquam viſum, nunquam auditum. Nunquam videbitur, nunquam audietur, niſi ex mentientis ore. Adoleſcentulorum, quos Jeſuitæ inſtruunt, tota hæc exercitatio eſt, conjuncta cum nonnulla Spectatorum voluptate, imò & utilitate. Rarò enim à noſtris Dramatis, ita omnis Spectator abſcedit, ut in nullius animo aculeus vel ſcrupulus relinquatur.

C Tertia ſtultitia eſt, cùm fingit, ea in comœdia duodecimum Diabolum, hoc eſt, Lutherum diſcerpi debuiſſe ab undecimo Diabolo. Ineptus es Poëta, qui talia fingis; ineptior, cùm in publicum Germanici orbis theatrum introducis. Lupus lupum non devorat, canis caninam non comeſt. Quomodo Diabolus Diabolum diſcerperet? Scis, quid calumniantibus Phariſæis reſponderit Chriſtus, Dæmonem à Dæmone non expelli, alioqui ob diſſidia regnum ejus ſtare non poſſe. Cùm ergo Poëta in ſuis fictionibus Comicis & Tragicis debeat eſſe imitator veri, quomodo hoc ſuo officio functus fuiſſet; ſi Diabolum, Collegam ſuum, diſcerpturum introduxiſſet? Et cur huic ſoli hoc officium commiſſum? Num deni alii aſſeſſores Diaboli ſpectatores tantummodo trucidationis & eviſcerationis futuri erant? D

Quarta, eáque immenſa & nullis terminis circumſcripta ſtultitia; fingere, aliquid publicè in conſpectu totius populi geſtum eſſe, de quo tamen nemo mortalium ante hunc famoſum libellum, quidquam inaudiêrit. Quomodo fieri potuit, ut res tam nova, támque tragica non emanaret, ſaltem ad vicinæ Argentinæ, tantæ civitatis, aures, & inde ulteriùs, torrentis inſtar? Scilicet omnes hunc nugivendulum exſpectare debebant, donec tam prodigioſum eventum mundo patefaceret. An omnes ſpectatores cœci erant, qui, quid in Theatro contigerit, non viderint? An ſurdi, ut ejulatus miſeri illius Diaboli undecimum locum tenentis, dum membratim diſcerperetur, non perceperint? An muti & elingues, ut, quæ viderant, eloqui non potuerint? An arte ſcribendi, manibúsque caruêre, ut nec ſcribendo quidem tantum portentum ad aliorum notitiam transmittere valuerint? E

Senatus Molsheimenſis, inquit Impoſtor, *edicto ſtatim cavit, ne quis hac de re mutiret.* Quomodo poſſibile eſt, ut tantæ multitudinis quà incolarum, quà advenarum ora unico Senatus interdicto frænarentur, & in perpetuum clauderentur, cùm ea ſit multorum indoles, ut, quò vehementiùs aliquid vetatur, eò ad id revelandum & propalandum fauces magìs pruriant. Stultiſſimus es, ſi ſeriò cogitâſti, te hanc tuam ſtultitiam circumſpectioribus perſuadere poſſe? Jam tibi miſſionem do; quisquis es ô Tenebrio. Utinam, quam tibi do, tu dares mendaciis, calumniis, criminationibus, ſycophantiis, impudentiæ & infrunito ori ac calamo; & dabis, ſi ſalvus eſſe velis: nam niſi pœnitentia hunc famoſum libellum eluas; ad cœlum nunquam, ad Orcum autem quocunque momento admitteris. F

FINIS.

DORMI-

DORMITORIUM APOSTATARUM

NUPER

AB

IGNOTO DORMITANTIO

LÆDENDÆ

CLARISSIMI VIRI,

DOMINI

JOANNIS

PISTORII

ET

ALIORUM QUORUNDAM ETIAM

PRINCIPUM,

EXISTIMATIONI ET FAMÆ

EXSTRUCTUM.

AT

NUNC FUNDITUS DESTRUCTUM

STUDIO

JACOBI GRETSERI,

SOCIETATIS JESU

THEOLOGI.

S. Auguſtinus in Pſal. 118.

Crimen falſum, quod eſt calumnia, reum non facit hominem, niſi apud judicem hominem. Ubi autem Deus judex eſt, nullus falſo crimine læditur, quia non cui objicitur, ſed objicienti potiùs imputatur.

Luthe-

Lutherus in cap. 19. Deuteron. Tom. 3. Lat. Witeb.

Qui odio flagrante sciens aliquem occiderit, is sine misericordia occiditur. Hi sunt Hæretici, qui hoc agunt auctore Satana, ut animas seducant, in suas sectas pelliciant, à Christo & puro verbo avellant: quin delectantur & gloriantur in multitudine pereuntium; ideò nullam merentur clementiam, nec habent remissionem peccati, cùm sint suo judicio condemnati.

Palladius in Historia Lausiaca cap. 141.

Deum ad iram provocat is, qui calumniatur. Qui autem per calumniam accusatur, idque fert pio & æquo animo, & ejus in apertum prolationem permittit precibus, exspectans justum Dei judicium, is &, quoad ejus fieri potest, laudatur & in honore habetur, & æternam coronam consequitur.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Hæreticorum in novis mendaciis & calumniis perpetim confingendis & evulgandis assiduitas & alacritas.*

II. *An hujusmodi calumniis & calumniatoribus respondendum sit.*

III. *Refutatio eorum, quæ Dormitantius de morte D. Pistorii scelerate commentus est.*

IV. *De aliis, ùt Dormitantius appellat, Apostatis, horrifica morte extinctis.*

V. *Quid Sectarii spectent, quando sparsis libellis famosis tam horribiliter mentiuntur.*

DORMITORII DESTRUCTI.

CAPUT I.

Hæreticorum in novis mendaciis & calumniis perpetim confingendis & evulgandis assiduitas & alacritas.

A INquietum animal est hæreticus, præsertim Prædicans, nisi mentiatur & calumnietur, non videtur sibi vivere, vel saltem non jucundè vivere. Quare nunc hæc, nunc alia in Catholicorum contemptum & opprobrium commiscitur; & ubi unum mendacium vel sponte sua evanuit, vel veritatis clypeo disjectum atque profligatum, in nihilum recidit; mox de alio fabricando & disseminando circumspicit, non sine aperta immanis odii in orthodoxos significatione; Et ne sine causa odisse censeatur, ingentia scelera fingit & Catholicis affingit, ad exemplum & imitationem veterum hæreticorum & sycophantarum, de quibus isthæc præclarè D. Gregorius Nyssenus:

B Nyssen. ad Eustathium de sancta Trinitate.

Illi, qui odium nostri quasi aliquam bonam rem expetiverunt, erubescentes fortasse, si absque causa odisse videantur, causas adversum nos & crimina fingunt; nec in ullis suis dictis usquequaque manent, sed nunc hoc, mox illud; rursus aliud inimicitiarum adversum nos causam esse dicunt: ut nusquam firmiter consistit eorum malitia. Sed cùm ab uno aliquo crimine repulsi fuerint, alteri adhærent; & ab illo, rursus aliud arripiunt, & si omnia crimina dissoluta fuerint, odisse non desistunt.

Quos eleganter idem sanctus Pater comparat lupo Æsopico: *Visi sunt mihi*, inquit, *qui nulla de causa, nullóve prætextu adversùs nos odium susceperunt, haud diversum facere ab eo, quod est in Æsopica fabula: nam ille fingit lupum, dum puderet eum, si scilicet absque justa causa videretur occidere eum, à quo nulla unquam injuria fuerat lacessitus, crimina objicere agnello; atque illo omnem facilè calumniosè illatam criminationem diluente, nihil de impetu lupum remittere; sed jure quidem vinci; dentibus verò superare.*

C Idem prorsus mos & genius est hodiernis calumniatoribus, qui quotidie atrocissimas criminationes & famosissimas chartas in veteris fidei sectatores, præcipuè in Jesuitas cudere non cessant; & quando figmentum hoc vel illud manifestè deprehensum, & perspicuè refutatum vident, ad alia ejusdem vel crassioris fili commenta pertexenda mendacissimum animum convertunt.

Portentosissimum illud mendacium de morte Illustrissimi Cardinalis Bellarmini, déque sceleribus, quæ ei sceleratissimè imponebantur; per totam Germaniam vicinásque Provincias sparsum, vix nonnihil resederat & elanguerat; Latinis & Germanicis Apologiis irrefragabiliter disjectum ac dissipatum, cùm ecce tibi ex eodem hæreseos non typographeo; sed prostibulo, prodit alius ejusdem sortis libellus, *Dormitorium Apostatarum* inscriptus; cujus conditor totus in eo est, ut demonstret, quàm horrifico fine vitam concludant, quicunque à *Quinto Evangelio* ad avitam majorum suorum religionem transeunt; allato exemplo celeberrimi Doctoris *Joannis Pistorii Nidani*, & quorundam aliorum, etiam Jesuitarum, ne ipsi penitus indonati ab hoc Tenebrione abeant; quod pro summo piaculo habuisset, quandoquidem isti histriones vix ullam fabulam agunt, in qua Jesuitis personam aliquam non committant. Et quidem, Doctorem *Pistorium*, ita sua mentiendi prurigine calumniator iste incessit, ut jure censeri queat, existimâsse universis mortalibus judicium agnoscendi & dignoscendi mendacia ademptum esse: nam si credidisset, aliquos supersse, qui adhuc nôssent, quid *dicstent æra lupinis*, vix ipse communis humanitatis sensus permisisset, ut tot & talia, tam ab omni vero remota, tam manifestè falsa, tam mille testibus refutatu proclivia, in papyrum eructaret, palámque, ceu verè gesta venditaret; sed contigit isti *idem, quod cæcis, qui in oculis videntium crebrò indecorè sese gerunt, nam quia ipsi non vident, neque ab aliis se videri opinantur*, ùt scitè ait D. Gregorius Nyssenus. Nyss. lib. 4 contra Eunom.

D

E Quid ergo iste de Doctore Pistorio? I. Mortuum esse summa in desperatione ob relictum seu Lutheri seu Calvini, seu utriusque Evangelium.

F II. Horribiles blasphemias in Deum & Cœlites ex desperatione evomuisse, & omnes Cacodæmonas invocâsse; ut tandem veni-

venirent, séque non immerentem, sed meritissimum ad Tartara abducerent.

A III. Cùm jam vita functi cadaver ad primarium templum Friburgi Brisgoiæ, solenni pompa deportaretur, violentissimum turbinem extitisse, qui fermè ipsum feretrum unà cum bajulis abstulerit, & in loca debita avexerit.

IV. Cadaver sepultum, à terra tanti monstri impatiente, rejectum esse, cum incredibili & intolerabili fœtore.

V. Secundò sepultum, quamvis alio templi loco, secundò à terra ejectum & egestum esse.

VI. Dum secundò sepeliretur, tantum tumultum strepitúmque exortum esse, ut omnes crederent, Diabolos cadaver ex Sarcophago abrepturos, & in mille frusta discerpturos.

B VII. Tandem hoc consilii captum esse, ut cadaver Diabolo transmitteretur in vallem, quam vocant das Günthertbal, tribus horis à Friburgo distantem; in hac valle antrum esse, ad cujus ostium, si quid aversо situ collocetur, è vestigio à Dæmone introrsum rapi, & in Phlegethontem præcipitari. Huc ergo corpus Pistorii per carnificem ductum, & ad speluncæ os admotum, tanto impetu, tantáque cupiditate à stygio spiritu intrò abreptum esse, ut periculum fuerit, ne currum, equum & aurigam simul abriperet. Hæc vanissimæ hujus fabulæ summa est & perioche.

C Addit Fabulator aliorum quorundam luctuosos exitus, quòd, ùt fingit, à novo Evangelio defecissent. Nec obliviscitur Jesuitarum sumpta calumniandi materia ex Historia Jesuitica mendaciloquentissimi Hasenmülleri: quæ omnia perspicuè refellemus; ubi priùs viderimus, utrum tam perspicua mendacia ullam refutationem mereantur.

CAPUT II.

An hujusmodi calumniis & calumniatoribus respondendum sit.

D NOn esse respondendum, nisi solo silentio & contemptu, multa sunt, quæ saltem suadent, si non penitus persuadent: Nam primò tales calumniæ per se, nullius impulsu, tandem ruunt, & in fumum abeunt; sonant quidem & tonant aliquandiu; sed torrentium instar, quorum fragor & impetus vehementior est quàm diuturnior. Pulchrè S. Gregorius Nyssenus libro 1. contra Eunomium. ὅταν τι ψεῦδος ἢ πρὸ τῆς ἀληθείας τιμώμενον, κἂν πρὸς ὀλίγον διὰ τῆς ἀπάτης ἀνθήσῃ, ταχέως περὶ ἑαυτὸ καταῤῥεῖ, καὶ ταῖς ἰδίαις κατασκευαῖς διαλύεται. *Quando mendacium aliquod veritati præfertur, etiamsi modico tempore per deceptionem vigeat & floreat, citò tamen sponte sua diffluit & desinit, propriisque machinis & structuris dissolvitur.*

E

Veriſſimè profectò. Adstipulatur experientia; nam quotidie libellos famosos antea in omnium manibus versatos, oblivione & perpetuis tenebris sepeliri, & tineis, blattis ac muribus escam fieri videmus. Nec melior eventus hoc *Apostatarum Dormitorium* exspectat. In eundem sensum nescio quis vetus poëta. ἀλλ' οὐδὲν ἔρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου. *Nullum mendacium senescit & canescit.* Alius, sed Philosophus, non minùs verè. ἐκ διαβολῆς καὶ φθόνου ψεῦδος κατ' ὀλίγον ἰσχύσαν ἀπεμαράνθη. *Mendacium ex calumnia & invidia natum, licèt exiguo tempore vigeat, exstinguitur tamen.*

F

II. Ipsa hujusmodi libellorum infamium luculentissima vanitas & inanitas, sat confutationis esse videtur, ita ut omnem aliam, ceu superfluam excludat. Usurpare hîc licet illud D. Nysseni: ἔλεγχος ἱκανὸς τῆς τῶν εἰρημένων ἐστὶ ματαιότητος, αὐτὸς ὁ λόγος δι' ἑαυτοῦ βοῶν τὴν ἀσθένειαν, (τὸ ψεῦδος) τὸ δὲ τοῖς τοιούτοις ἐν ἀγωνίᾳ συμπλέκεσθαι, ἴσον ἐστὶ τὸ καὶ νεκροῖς ἐπεμβαίνειν. *Sufficiens refutatio vanitatis eorum, quæ dicuntur, est ipsemet liber iste* (famosus) *per se ipsum imbecillitatem* (falsitatem & mendaciloquentiam) *sonora quasi voce patefaciens: Et cum talibus congredi, forsitan simile est ei, quod vulgò dicitur, cum mortuis luctari:* cujus alibi hoc effatum est, μικρὸν οἶμαι καὶ ἀγεννὲς εἶναι πρὸς τὰ ψευδῆτε καὶ ἀναπόδεικτα τῶν λεγομένων ἴσασθαι. *Angusti & degeneris animi esse reor contra falsa, & nulla demonstratione firmata crimina stare,* quandoquidem ùt idem eodem libro ait, αἰσχύνη ἐστὶν ὃ τὸ λοιδορηθέντος ἀκούειν, ἀλλ' πρὸς τὸ ῥηθὲν ἐπιστρέφεσθαι. *Non est dedecus convitiantem audire; sed ad convicia commoveri.*

G Nyss. lib. 7. contra Eunom.

Nyss. lib. 5. contra Eunom.

III. Nullus, vel exiguus videtur esse fructus talium Apologeticarum scriptionum; nam vulgus avidissimè credit, quidquid sibi à Prædicantibus apponitur, licèt apertissimè falsum sit; nec id, quod semel imbibit, sibi eripi sinit, quamvis falsitas vel per se evidentissima sit, vel evidentissimè demonstretur, plerique enim quando libellus famosus prodit, *veluti quendam corni fructum vel glandem,* chartas infamatrices, *proni in terram colligunt, porcorum instar, ad humi projecta dogmata* (& opprobria) *avidis faucibus accurrentes, ad excelsa autem & cœlestia intentis oculis intueri non valentes,* ùt de Eunomianis verè dixit S. Gregorius Nyssenus: διὰ τοῦτο τὴν ἐπὶ τὰ ἐναντία τοῦ λόγου παρατροπὴν οὐχ ὁρῶσιν, ἀλλὰ τὸ ἐπ' αὐτοὺς ἐλθὸν ἀνεξετάστως ἁρπάζουσιν: *Quocirca neque quomodo, quod asserunt, everti possit,*

H

Nyss. lib. 4. contra Eunom.

A animadvertunt, & quidquid ad ipsos venerit, absque ulla inquisitione arripiunt, qui lethargo laborant respectu veritatis. *Quemadmodum ajunt corpora eorum, qui mandragoræ esu veternosi facti sunt, profundo quodam stupore & sopore corripi. Eodem modo istis affecta & disposita sunt sentiendi instrumenta; ad erroris ac deceptionis intelligentiam aliquam capiendam prorsus obstupefacta.* ùt ait idem Gregorius Nyssenus.

Nyss. loc. cit.

B Quidquid Prædicantes seu verbo seu scripto mentiuntur, quantumvis absonum, & ab omni veritatis colore alienissimum sit; avidis tamen auribus à sectariis auditur & hauritur: qui, *quemadmodum corporum umbræ*, (quod est D. Gregorii Nysseni exemplum lib. 4. contra Eunomium) *spontanea imitatione ad motum* (mentientis Logoduli) *configurantur, quocunque voluerit, ad id se contrahentes & vergentes* Κἂν ἑαυτῷ μάχηται, καὶ τοῦτο καταδεχόμενοι. *Et licèt sibi non constet atque adeò pugnantia effutiat, hoc ipsum tamen gratum ratúmque habent.*

C Quid efficias apud illos, qui sub corio humano non humanam, sed brutam animam circumferunt? olim Circæo poculo corpora in brutorum figuras transformabantur, salva & integra mente. At nunc Prædicantium herbis & verbis mentes ex humanis in brutas vertuntur, externo corporis schemate integro & inviolato: nam si quid intelligentiæ restaret, quomodo tam crassa, quæ illis abligurienda proponuntur, mendacia non sentirent? Atqui ἐπὶ τούτοις οἱ γλυκύτατοι ἀγαπῶσιν ἔτι τὸν τῆς τοιαύτης ἀλογίας ἐξηγούμενον. *Lepidissimi isti amant adhuc illos, à quibus ratione exuti sunt,* ùt inquit Gregorius Nyssenus: adeóque insaniunt, ut ad nudum quoque & nullo verisimilitudinis colore tectum & occultatum mendacium accurrant, illúdque cupidissimè vorent, piscibus hac in re multò stolidiores, qui nunquam ad nudum hamum adnatant, nec nisi esca tectum deglutiunt, quorum extremam insipientiam his verbis S. Gregorius Nyssenus depingit.

Nyss. lib. 4. contra Eunom.

D *Grave quidem est occultis dolis ex quadam fallaci argumentatione per ignorantiam deineri. Veruntamen venia dignum erratum seu infortunium est, si non sit voluntarium. Sed consultò, & data opera, & adhibito studio, ad malì experientiam pertrahì;* μὴ ἀγνοοῦντα τὴν συμφορὰν, *perfecta calamitate, quæ inde provenit, omnem infortuniorum exsuperantiam transcendit. Quis talia fando temperet à lachrymis? Quis justè non doleat? cùm audimus, quòd piscium quidam gulosi, nudum quidem propinquans ferrum fugiunt, ad escam verò decepti, spe cibi, hamum pertrahunt, & devorant. In quibus autem malum provisum est ac præcognitum, sponte ad hujus perniciem venire, piscium amentia miserabilius est. Illi enim ad interitum occultum per ingluviem illecti sunt; isti verò circum nudum impietatis & mendacii hamum hiant affectu quodam & assensu ratione carente, interitum amantes.*

E

IV. Calumniatores, & qui his faciles & patulas aures præbent, sibi obsunt potiùs, quàm illis, quos calumniis incessunt. Præclarè Maxentius contra Nestorianos. *Nihil prudentibus aufert, imò potiùs confert, mendax infamatio malevolorum: si enim veraciter quis de talibus reprehenditur, corrigendus est, ne ulterius reprehendant: si mendaciter, contemnendi sunt potiùs & dolendi.* Maxent. Dial. 1.

F Idem Auctor. *Qui se non mendacii, sed veritatis exhibet sectatorem, nullis movetur mussitationibus querulorum: cujus autem animus de sua falsitate est conscius, licèt nemo de eo queratur, suspicionum tamen stimulis inquietatur assiduè.* Maxent. loc. cit.

G Elegantissimè simul & suavissimè D. Gregorius Magnus: *Inter verba laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est; & si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum, si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudent, & conscientia accuset? Aut quæ debet esse trìstitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos esse demonstret? Habemus Paulum dicentem:* Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Job quoque dicit:* Ecce in cœlo testis meus. *Si ergo nobis est testis in cœlo, testis in corde: dimitte stultos foris loqui, quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut, unde plus detractionis perflant; inde magis nihil veritatis videant.* Excœcationem ergo calumniatores præmii loco apportant; tantum abest, ut, quos contumeliis suis exagitant, incommodo aliquo afficiant. S. Gregor. lib. 8. Epist. 45. 2. Cor. 1. Job. 16.

H Cùm impius Eunomius in S. Basilium horrificis conviciis desæviisset, propugnator & germanus Basilii D. Gregorius Nysseni conviciatori inter cætera hæc reposuit. *Non adeò humilis & demissus sol est, ut usque ad ipsum pertingant lapides, vel aliquid aliud in ipsum emissum: nam jacula recidunt in caput mittentis, & sol omni jactu manet altior. Et licèt quis criminetur, solem esse obscurum, haud tamen conviciis splendor radiorum immihil aliud est, quàm sol. Interim qui solis radios tenebricosos esse nugatur, nihil aliud lucrì facit, nisi quòd oculorum suorum cæcitatem insigniter prodit: & licèt maximè iis, qui audiunt, persuadere velit, ne communi hominum de sole existimationi assentiantur, delirare censebitur ab illis, quibus videndi sensus non est ademptus.* Nyss. lib. 1. contra Eunom.

Optimè isthæc Nyssenus fratris sui Basilii, qui in Ecclesia Dei, instar solis, fulsit, causam adversùs improbissimum sycophantam agens. Optimè & nos idem Nysseni respon-

A ſponſum occinimus, quoties iſti viros magnos, qui in Eccleſia Chriſtiana vel olim claruerunt, vel etiamnum clarent, conviciis proſcindunt; inter quos Illuſtriſſimus Cardinalis *Bellarminus*, & clariſſimus Doctor *Piſtorius*; quorum ille adhuc ſolis inſtar, toto terrarum orbe fulget; alter ad meliorem vitam translatus eò majore veſpertilionum iſtorum oculos fulgore perſtringit, quò major eſt gloria cœleſtis, quàm virtutis nitor & nominis celebritas in hac vita. Et tamen criminatores iſti, quando in hos ſimilésque ſoles ſpiculum emiſerunt, ſibi tanquam re præclarè geſta, blandiuntur & applaudunt, imitantes, ùt ſcitè ait Nyſſenus, pueros, quibus τὸ ἀτελὲς καὶ ἄωρον τῆς διανοίας, καὶ τὸ τῶν αἰσθητηρίων ἀγύμνασον ἐκ ἀκριβῆ δί-
B δωσι τῶν Φαινομένων τὴν κατανόησιν. διὰ τοῦτο πολλάκις μικρὸν ὑπὲρ κεφαλῆς εἶναι τὸς ἀστέρας νομίζοντες, βώλοις τισὶν ὑπὸ παιδικῆς ἀνοίας προφανέντας καταλιθάζουσιν. εἶτα κατὰ πεσούσης τῆς βώλου συγκρότῳ καὶ γέλωτι πρὸς τὸς ἡλικιώτας μεγαυχαλῶσι, ὡς ἐπ' αὐτὸς τὸς ἀστέρας τῆς βολῆς ἐνεχθείσης, *imperfectum & immaturum judicium, & ſenſus exercitatione deſtituti non concedunt accuratam eorum, quæ apparent, cognitionem. Quapropter ſæpius ſtellas paululùm ſupra caput ſuum poſitas exiſtimantes, ex puerili inſipientia lapidibus eas petunt. Deinde miſſili in terram delapſo, apud æquales ſuos non ſine plauſu & riſu jactitant, quaſi ipſas ſtellas tetigerint.*

C Magni viri ſtellas cœli imitantur, quas nullæ à mortalibus emiſſæ contumeliæ movent. Venuſtiſſimè S. Auguſtinus. *Quanta & de ipſis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt, quomodo juſti patienter debent ferre omnes etiam de ſe falſas criminationes. Hoc ipſum, quod jam dudum dixi, quia illa ſtella Mercurii eſt, & illa ſtella Saturni eſt, & illa ſtella Jovis eſt, convitia fiunt ſtellis. Quid illæ, cùm audiunt tanta convitia? Nunquid moventur, aut non exercent curſus ſuos? Sic & homo, qui in natione perverſa & tortuoſa habet verbum Dei, ſicut Luminare eſt ſurgens in ſæculo. Quanta, qui ſibi videntur honorare ſolem, de illo mentiuntur. Qui dicunt, Chriſtus eſt ſol, mentiuntur de ſole. Novit ſol Dominum ſuum eſſe Chriſtum & creatorem ſuum: Et ſi indignari poteſt, acerbiùs indignatur contra falsò honorantem, quàm contra contumelioſum; Servo enim bono, major contumelia eſt injuria Domini. Quanta falſa de ipſis luminaribus quidam dicunt; & ferunt, tolerant, & non moventur. Quare? Quia in cælo ſunt. Cœlum autem quid eſt? Nec hoc prætermittamus. Quædam de Luna mentiuntur homines, quando vident obſcurari Lunam, & dicunt: maleficî illam deponunt, cùm certis temporibus defectum ſuum habeat, ſecundùm DEI diſpoſitionem: Non curat tamen iſta verba hominum illa, quæ in cælo eſt. Sed quid eſt, in cælo? In firmamento cœli eſt. Cujus ergo cor in firmamento libri Dei eſt, illa non curat.*

Hæc quidem & id genus alia, quæ afferri poſſent, ſuadent, calumniatores ſilentio & contemptu vindicandos eſſe, ſed non perſuadent. I. quia ùt Felix Papa III. in Epiſtola ad Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum ait; *Error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defenſatur, opprimitur.* Et, *negligere, cùm poſſis deturbare perverſos, nihil eſt aliud, quàm fovere. Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui evidenter facinori deſinit obviare.*

II. Auctoritas S. Baſilii, qualis & quanti viri? nos calumnias propulſare & refellere jubet; cujus hæc ſunt verba: *Ad calumnias conticeſcere non oportet; non ut contradicendo nos ipſos defendamus, ſed ne mendacio progreſſum permittamus, circumventósque damno affici patiamur: calumniator enim tribus ſimul perſonis nocumento eſt; nam & eum lædit, quem calumniis onerat, & quibuſcum ſermonem habet, denique ipſe ſe ipſum.* Extat hæc ſententia in ſermone *de Invidia & Odio*, qui eſt decimus ex moralibus, quos Simeon Magiſter & Sacri Palatii Quæſtor ex operibus S. Baſilii contexuit; ubi & hæc optima ſententia, quamvis peſſimi & nefarii hominis, nempe Eunomii, legitur:

Scire vos velim, contumelias imponere, & detrahere aliquibus petulanti lingua, ac mente minimè candida, improborum, & eorum, qui hominibus odium conciliant, opus eſſe: at omni ſtudio conari mendacium refellere, virorum eſt frugi, ac eorum, qui & ſibi ipſis bene conſulunt, & multorum ſecuritati ſtudent. Maximè ſi id fiat leniter & ſine conviciis, quibus ſanè ad calumniarum redargutionem nihil opus eſt. ἐδὲ γὰρ εἴ τις ἄτοπον καὶ δυσῶδες πνέοι κατὰ σωματικὴν δυσκρασίαν, ἢ κατὰ τίνα λοιμώδη καὶ δύσροπον ἀῤῥωσίας προκαλέσαιτο ἂν τὸν ὑγιάιοντα πρὸς ζῆλον τῆ δυσυχήματος, ὡς ἐθέλεθαί τινα τῷ ἴσῳ δι' οἰκείας νόσε τὴν τῆ ὀδωδότος δυσωδίαν ἀμύνασθαι ἐλεεῖν γὰρ μὴ μιμεῖσθαι τὸς τοιότος ἡ κοινὴ συμβελεύει Φύσις. *Neque enim quis tetrum & graveolentem ſpirans odorem propter corporis intemperiem, vel propter peſtilentem & malignum morbum, inflammaret benevalentem ad infortunii æmulationem, ita ut par pari referre, ac proprio fætore fætorem ejus, qui malè olet, arcere velit: tales enim miſerari, non imitari communis natura monet,* ùt pulchrè ait D. Gregorius Nyſſenus. Nyſſ. lib. 5. contra Eunom.

III. Veteris Poëtæ vera vox eſt. *Non eſt contemnenda calumnia, etiamſi prorſus fuerit falſa; quia ſunt, qui illam augere & exaggerare nôrunt,* δεῖ ἐς Φυλάττεθαι τὰ τοιαῦτ' ὀρθῶς ἔχει. *Propter quos talia vitare convenit;* vitabuntur autem, ſi refellantur, ídque etiam in gratiam vulgi, neque enim credendum eſt, omnes adeò obbrutuiſſe, ut nullum amplius ſenſum honeſtatis & veritatis habeant,

A beant, neque calumniæ turpitudinem intueri queant, præsertim, si adsit fidelis index, & unctor, qui oculos hæretico glaucomate obductos salutari collyrio illinat, offusasque nebulas disjiciat, & ut hujusmodi Apologeticæ scriptiones nihil fructus in Sectariorum pectoribus ferrent; Catholicorum tamen interest, ut hæretici calumniatores in scenam producantur, quò, qualia monstra sint, publicè patefiat, & non tam ipsi, quàm hæresis, quæ talia portenta procreat, communi omnium detestationi & execrationi exponatur. Ego certè de me palàm & ingenuè profiteor, si quis unquam in corde meo benevolus affectus erga sectam Lutheranam & Calvinianam fuisset; is sola lectione famosi libelli non ita pridem adversùs Illustrissimum Cardinalem *Bellarminum* disseminati; & hujus *Dormitorii* contra celeberrimum virum Doctorem *Joannem Pistorium* à nescio quo nebuloso *Dormitantio* extructi, penitus evanuisset, & interiisset. Quis enim, cui vel guttula sanæ mentis supereſt, sibi persuadeat, istos à spiritu divino duci & regi, qui non quaeliacunque, sed patentissima, & ipso meridiano splendore dilucidiora mendacia procudere, & foras dare audent: quorum vanitatem non modò integræ civitates, sed & integræ nationes redarguere possunt: nam Cardinalis Bellarminus jam ante biennium, & quod excurrit, horrifica & formidabili morte Laureti periêrat; ùt mendaciissimi libelli faber finxerat. Et tamen toto anno Domini M. DCXIV. & toto anno M.DCXV. Romæ incolumis vixit, ùt non tantùm Roma, sed universus propè dixeram, Christianus orbis novit; & nunc etiam Annum Redemptoris MDCXVI. feliciter attigit, ita spero & opto: sub cujus Anni initium, quinto scilicet Mensis Januarii, hæc ipsa scribebam. Alacriter ergo respondeamus & occurramus calumniatoribus, & debeo etiam hanc opellam privato meo nomine Doct. *Pistorio*, qui me tametsi immerentem, singulari amore, cùm viveret, prosecutus est; ut taceam, per hujus *Dormitorii* destructionem non tam D. Pistorii famæ & honori, quàm Catholicæ & avitæ fidei, & existimationi Serenissimi Principis Palatini *Wolfgangi Wilhelmi*, &c. consuli, cujus ad Catholicam, Apostolicam & Romanam religionem conversione *Dormilius* nescio quis, quantus, & qualis, irritatus, apertissimis calumniis & mendaciis ex obitu Pistorii petitis, suum Evangelium stabilire voluit.

D Interim in ipsa calumniarum depulsione non obliviscemur saluberrimi cujusdam documenti, quod S. Augustinus calumniis enervandis & subruendis præscripsit. *Multæ*, inquit, *possunt intelligi calumniæ superborum, à quibus humilitas Christiana despicitur*, &c. *Habent calumnias suas etiam hæretici singulis quibusque hæresibus proprias. Habent & schismatici*, &c. *Ipsius autem Diaboli calumnia quanta vel qualis est, qui calumniatus est justo dicens:* Numquid gratis colit Job Dominum? *Quorum omnium calumniæ superborum tanquam colubrorum venena vincuntur, cùm vigilantissima & diligentissima pietate Christus crucifixus attenditur: propter quod præfigurandum Moyses, Deo miserante ac jubente, exaltavit in eremo similitudinem serpentis in ligno, ut similitudo carnis peccati crucifigenda præfiguraretur in Christo. Hanc intuentes salutiferam crucem, omne calumniantium superborum virus expellimus.*

S. August. in Psal. 118. Conc. 26.

E

CAPUT III.

Refutatio eorum, quæ Dormitantius de morte D. Pistorii scelerate commentus est.

F Quænam sint hæc commenta, recensui ex *Dormitorio* suprà capite primo, quæ penitus falsa esse, testabitur inprimis haud gravatè tota civitas Friburgensis, etiam publico & authentico instrumento, si necesse sit.

II. Idem testimonium veritati libenter perhibebit clarissima ejusdem loci Academia, quæ *Pistorium* suprema in Theologia laurea exornavit.

G III. Octavus jam agitur annus, cùm D. Pistorius ex hac vita migravit. Mortuus enim est Anno salutis M. DC. VIII. Die XIX. Junii. Quî fieri potuit, ut res tanta, tam tragica, tam terrifica, tam extraordinaria, in loco tali ac tanto, tam frequenti & celebri, peracta, huc usque occultaretur, & priùs in nullius notitiam perveniret, quàm Dormitantius iste ex profundissimo suo veterno evigilaret, cornúque Tartareum mendaciis refertissimum inflaret? Scilicet ex tanta civium multitudine nemo fuit; qui id vel coram, vel per literas exteris narraret. Omnibus adempta fuit loquendi & scribendi facultas, conticuêre omnes, & tantis miraculis attoniti, ora muta tenebant; & jam quoque, si quis Friburgum veniat, déque lamentabili hoc exitio scisciteur; nemo est, qui veritatem patefacere aut velit aut possit, aut ausit. Soli huic pestiferi *Dormitorii* architecto ea felicitas obtigit, ut rem gestam intelligeret, & intellectam propalaret; sed non antea, quàm hoc *Dormitorio* opus esse videret; quod accidit, quando Serenissimus Princeps Palatinus *Wolfgangus Wilhelmus*, &c. relicto Luthero, ad Catholicorum castra transiit. Tunc enim rumpendum silentium, & palàm omnibus nunciandum fuit, quæ pœna desertores Lutheranismi maneat.

H IV. Quando D. Pistorius obiit, degebant in Academia Friburgensi, ùt aliàs semper, ex omnibus fermè Germaniæ provinciis, & ex

A & ex multis nationibus exteris adoleſcentes literarum ſtudioſi; quos hæc tanta rés quomodo latere potuit? Et ſi latere non potuit, quomodo ad ſuos digreſſi omnes obmutuerunt, ita, ut ne unus quidem reperiretur, qui domi ſuæ popularibus ſuis exponeret, quid Friburgi in obitu Piſtorii contigiſſet, quid vel ipſe vidiſſet, vel ex fide dignis inaudiiſſet: Qui tale ſilentium poſſibile judicat, quid tandem pro impoſſibili ducet? Niſi fortè Calumniator dicat, omnes Letheam aquam bibiſſe, & oblivione tanti prodigii captos eſſe; aut Deum ſingulari cura obſtitiſſe, ne quis Dormitantium iſtum in evulgatione hujus Tragœdiæ anteverteret, eúmque debita atrociſſimis mendaciis palma privaret.

B V. Quomodo res tam mirifica Lutheranos & Calvinianos Logodulos tanto tempore fugiſſet; qui in omnes Piſtorii actiones intentiſſimos ſemper oculos figebant, ut, quod carperent, invenirent, ídque ex inſatiabili odio in Piſtorium, quem ob ſummam eruditionem & indefeſſum ſectarios oppugnandi ſtudium, magis oderant, quàm Dæmonem, quem ſi vel paululùm odiſſent, haud ei tam ſtrenuè militarent.

C VI. Quomodo res omnibus Tragœdiis τραγικωτέρα non perveniſſet ad eorum aures; quibus poſt ſalutationem dictam & acceptam prima vox in ore eſſe ſolet? *Quid novi? Quid fertur novi? Quid novi fama canit?* cujusmodi homo, ùt ſcitè ait Theophraſtus in characteribus, *amico obviam procedens vultu demiſſo atque ſubridens rogat: Unde tibi eſt iter amice? Affersne aliquid? Aut habes hac de re dicere quidpiam novi? Addit adhæc: Numquid dicitur, quod magis novum ſit? An bona ſunt, quæ feruntur? Ac priusquam reſpondeas, ſubdit. Quid dicis? Num nihil audiviſti? Ego te paſcam relationibus novis; nam huc ſcriptum & certis nunciis relatum eſt, Polyſperchum & Regem victoriam reportâſſe, Caſſandrúmque captum eſſe. Si quis ex eo quærat, num ea ſibi probabilia videantur, ait: res ipſa loquitur, ita enim tota urbe hominum ſermonibus celebrari, atque eum rumorem vehementer invaluiſſe, atque omnia convenire iis, qui de pugna loquuntur; & cædis per multum exſtitiſſe*; &c. *Heu Caſſandrum infelicem & miſerum. Vide rerum humanarum imbecillitatem & varietatem fortunæ. Quàm magnus & potens erat ille? Hoc ego te ſcire ſolum velim. Mox eadem civibus omnibus, quoscunque repererit, curſu advolans, enarrat.*

D Iſtos ergo tam curioſos rerum novarum exploratores & venatores, res tam memorabilis, ſi accidiſſet; effugere neutiquam potuiſſet; præſertim cùm genus hoc hominum ita creverit, ut nova, ſi non ſæpiùs falſa quàm vera, certè crebrò falſiſſima, literis conſignata etiam ad abſentes longè latéque tranſmittant; certò ad id conducti ſalario ab illis, quos fabellis ſuis paſcunt: qui tam ſolertes ſunt, ut ſciant, quæ neque futura neque facta ſunt; qui multis adjutoribus ſtipati incedunt: *E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures: Hi narrata ferunt aliò menſuráque ficti creſcit, & auditis aliquid novus adjicit Auctor.* Qui relationes ſuas tali condimento, quale eſt, quod *Dormitantius* in *Dormitorio* ſuo paravit, ſapidiores efficere nunquam omiſiſſent; ſi vel minimum quid hujus generis eveniſſe cognoviſſent. Quomodo autem non cognoviſſet, gens ſupra Midam aurita, eò loci habitans, *unde, quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit, Inſpicitur?* E

VII. Accedat demum teſtimonium filii, nobilis Domini *Joannis Piſtorii à Reichenweiler*, qui parentis morti interfuit; déque ea ſtatim R. P. *Conradum Vetter* Societatis noſtræ, tum Ratisbonæ commorantem, certiorem fecit. Et quia ſemper ſuſpicabar, exoriturum aliquem Tenebrionem, qui de Doctoris *Piſtorii* ex hac vita diſceſſu, fanda & infanda ſpargeret, & calumniis memoriam præſtantiſſimi viri laceraret (memineram enim, quid olim invicto Catholicæ fidei propugnatori Friderico Staphylo hac in urbe placidiſſimè & Chriſtianiſſimè defuncto evenerit) ideo literarum, quas filius ſcripſerat, apographum mihi curavi, quod huc uſque in eum finem aſſervavi, ut, ſi quando neceſſitas poſtularet, authentica hac teſtificatione linguas conviciatorum coërcerem. Sunt autem literæ, de quibus loquor, ſcriptæ 27. Junii Anno Chriſti 1608. híſque verbis conſtant. F

Ut plura ſcribam, mœror non permittit. Volui tamen ſignificare paucis, quod piè in Chriſto 19. hujus obiêrit Reverendiſſimus & Chariſſimus Dominus parens meus. Cujus animæ, & nobis omnibus Deus propitius ſit. G

Er hat ein ſeeliges End genommen, geredt biß in ſein letzten Athem: und iſt im am Verſtand, und Gedächtnuß nichts überall abgangen, iſt willig, und wohl gerüſt geweſen, extrema Unctione zeitlich, und etlich mahl auf ſein Begehren SS. Euchariſtia verſehen worden. Hat offentlich hæreſes condemnirt, fidem Catholicam publicè profitirt, ſeinen HErrn JEſum offt angeruffen, animam wohl commendirt, und ein halbe Stund vor ſeinem End jederman zu ſich geruffen, ſein Abſchied genommen, und daß nun mehr ſein Zeit zum Abſcheiden zuhanden ſey, mit Frolocken angezeigt, betten heiſſen, und ſich auf ein Seit gelegt, und ſänfftiglich, als wann einer entſchlaffen wolt, abgeſchiden. Welches uns einen Troſt gibt, daß wir ungezweiffelt bey dem Allmächtigen einen Fürbitter haben. H Welches E. E. Ihrer Fürſtlichen Gnaden, dem Herrn Biſchoffen, und andern Herrn (neben Vermeldung meiner Dienſt) nach eines jeden Gebühr, klagend anmelden woll, inmaſſen er ſelbs befohlen, von Ihrer F. G. den Herrn Patribus, und Herrn Decano, & cæteris notis Dominis Canonicis, auch von E. E.

und

932

und Herrn Scioppio neben andern ſeinetwegen Urlaub zu nehmen.

A Vertam latinè, ut & exteri intelligant. *Piè vitam concluſit, locutus uſque ad extremum ſpiritum, neque ullum vel intelligentiæ vel meminiæ defectum paſſus eſt, promptus ad mortem & benè præparatus; extrema unctione tempeſtivè delibutus, & aliquoties etiam ſuopte rogatu, Sacrâ Euchariſtia refectus. Hæreſes palàm condemnavit, publicè fidem profeſſus eſt, JEſum Chriſtum Dominum ſuum crebrò invocans, eidem animam ſuam religiosè commendavit. Media hora priusquam exſpiraret, omnibus ad ſe accerſitis valedixit, finémque ſuum jamjam inſtare nunciavit, quos ad preces fundendas cohortatus, in latus ſe vertit, & placidè, obdormiſcenti ſimilis, extinctus eſt. Quod nobis ſpem injicit, nos indubiè apud Deum patronum & deprecatorem habituros. Quod R. V. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Epiſcopo Ratisbonenſi, aliisque Dominis, cum oblatione officiorum meorum pro cujusque ſtatu & dignitate, ſignificare velit, nam ipſe etiam mandavit, ut ſuo nomine ſupremum valde diceretur Illuſtriſſimo Principi, Patribus Societatis, Domino Decano, & cæteris notis Dominis Canonicis, etiam R. Veſtræ & Domino Scioppio cum aliis.*

B I nunc Calumnia, & ore ignoti cujusdam *Dormitantii* de obitu Doctoris *Piſtorii* ea ſparge, quorum vel ipſam Impudentiam foroge, quorum vel ipſam Impudentiam ſororem tuam pudeat.

C At dices: *Eſſe teſtimonium domeſticum, & quidem maximè domeſticum, nempe filii.* Non abnuo; ſed ejusmodi tamen eſt, quod tota civitas & inclyta Academia Friburgenſis teſtimonio tuo libenter confirmabit. Deinde, num vis, ut à Jacobo Heilbrunnero, Zeæmanno, vel ſimili quopiam *Quinti verbi* tibicine teſtimonium adferam? At Heilbrunnerus non amplius noſter vicinus eſt. Aulicam ſuam cathedram alteri cuidam *Jacobo* tradidit, vel, ne fallam, invitus reliquit. Nec ſcio, ubi reperiri queat. Dicitur quidem in Ducatu Witebergico ex Antiſtite ſeu Epiſcopo Neoburgico factus Abbas. Sed ego præter auditum nihil habeo. Si Abbas eſt, non immeritò *Dormitorium* exſtruxit; quia in Monaſterio una ex præcipuis partibus eſt *Dormitorium*; & laudo Abbatis hujus diligentiam, qui primam de *Dormitorio* condendo cogitationem ſuſcepit, cùm aliquando ſoleat eſſe poſtrema, non ſine gravi incommodo. Habent ergo jam Heilbrunneriani *Conventuales*, ubi ſuaviter ſub Endymionis tutela dormiant.

D Fateor tamen, *Dormitorii* hujus ſtructorem, minùs, quàm poterat, ſi libuiſſet, mentitum eſſe. Nam ſi voluiſſet, vel ſi, ut vellet, in mentem veniſſet (ſi fortè voluntas ad quidvis facilis & parata erat) nil proclivius dictu erat, quàm corpus Piſtorii, dum ad tumulum deferretur, à Diabolo ex feretro in ſublime raptum, & in mille partes diſcerptum E eſſe, ita, ut lacerati cadaveris particulæ in omnibus biviis & triviis invenirentur; vel, carnificem, qui corpus in funeſtam illam vallem advexerat, unà cum equo & curru in antrum à Stygio Caco abreptum, & ad inferos præcipitatum eſſe: nam hæc æquè vera fuiſſent, ac priora illa, quæ nobis Dormitantius denarravit. Cùm Eunomius ſcribens adversùs S. Baſilium dixiſſet: Baſilium & alios Orthodoxos *duos Chriſtos* ſtatuere: irridens eum S. Gregorius Nyſſenus lib. 5. contra eundem Eunomium ita facetè ludit. *Quoniam in ejus poteſtate eſt, quidquid lubet, dicere, cur parcè & ſtrictè mentitur, duos ſolos Chriſtos à nobis inducì affirmans? Dicat pro ſuo jure, ſi ei videtur: nos decem Chriſtos aſſerere, & decies totidem, & ad mille numerum producat, ut juveniliùs & largiùs calumnietur. Nam blaſphemia in duobus vel pluribus Chriſtis æqualis eſt, & crimina nec probata, nec demonſtrata, æquata ſunt.* Idem ego de Dormilio noſtro dixerim: tametſi hîc non de dogmatibus, ùt Nyſſenus, ſed de particularis facti veritate diſceptamus.

Ex his vanitatem & mendacitatem *Dormitorii* hujus de morte D. Piſtorii ſatis ſupérque liquere arbitror. Ego quod capiti huic addam non habeo, niſi illud Luther: *Si decipimur, nemini quàm nobis culpa aſſignanda eſt*, &c. *Illud enim pro comperto affirmare audeo, nullum Anabaptiſtam* (tu dic, Dormitorii opificem) *venturum, qui non ejuſmodi veſtigia poſt ſe relicturus ſit, quibus manifeſtum fiat, Diabolum adfuiſſe;* clarum enim eſt, *quòd, qui libenter obloquiis & detractioni vacat, neminem rectè diligit; ſed eſt communis inimicus humanæ naturæ ad inſtar Diaboli*, ùt inquit idem Lutherus, F

Luth. in cap. 7. Matth. Tom. 7. Lat. Witeberg.

Lutherus in explicat. orat. Dominicæ. Tom. 7. Witt. lat.

CAPUT IV.

De aliis, ùt Dormitantius appellat, Apoſtatis, horrifica morte extinctis.

G DOrmitorio ſuo bonus iſte *Dormilius* ſupremam manum imponere non potuit, niſi materiam cæduam peteret ex Haſenmülleri horrida & inculiſſima ſylva, ex libro, inquam, illo, qui *Hiſtoria Jeſuitica* inſcribitur. Sed quia jam pridem verbatim refutavi, quidquid mendaciſſimus iſte hiſtrio deblateraverat, non eſt, quòd hîc me operosè occupem, cùm Apologia mea Latinè & Germanicè legatur & teratur; ubi & de his, quos *Apoſtatas* vocat, nominatim egi. H

Primus eſt Franciſcus Spiera Italus, Cittadellæ, oppidi in agro Patavino, Cauſidicus: quem veritatem Quintevangelicam agnoviſſe; ſed poſtea metu ab eadem deſciviſſe; & ideo ſub extremam horam in extremam & inconſolabilem deſperationem inci-

A incidisse memorat. Quo auctore? Joanne Schleidano, quem quidem nec Hasenmüllerus, nec Dormitantius nominat; sed is primus fuisse videtur, qui hanc fabulam in literas diffusè retulit. At quis Schleidanus? Homo scilicet veracissimus, ex cujus historia si mendacia & convicia eximas, parùm profectò restabit. At unde his constat Spieram desperâsse? Quid si delirium, quid si emotæ mentis ægritudo erat; ut ex hypothesi faciamus tale quid contigisse? Quid si non propter desertum Lutheranum Evangelium tremuit, horruit, sudavit; sed propter venditum Christum, instar Judæ, hoc est, propter Catholicam fidem contra patriæ suæ leges & instituta derelictum? Quid si hæc desperatio non fuit pœna ejurati Lutheranismi; sed potiùs antea temerè approbati?

Schleid. lib. 21. Anno 1548.

B Si Dormitantius cupit videre verè desperabundum Apostatam, & quidem verissimi nominis Apostatam, Georgium Spalatinum contempletur, cujus opera & ministerio Diabolus & Lutherus, quidquid moliebantur, in Aula Saxonica transactum dabant; absque quo si fuisset, hæresis nunquam tantoperè invaluisset. Hic ergo Spalatinus sub annum Domini M. D. XLIV. in profundissimam & desperatissimam melancholiam seu mœstitudinem animi incidit; ex qua Lutherus verbosissima epistola illum eripere tentavit; quæ extat Tomo VIII. Jen. Germ. Quid effecerit vel profecerit, nescio, nec in Operibus Lutheri quidquam invenio. Nihil promovisse, mihi valdè fit credibile: quia justo Dei judicio ob tam strenuam operam nascenti Lutherano Evangelio navatam, pœnam luisse videtur. Fingit quidem Lutherus, Spalatinum in hanc desperationem incurrisse, quòd ratum habuisset matrimonium cujusdam Prædicantis, qui prioris suæ uxoris novercam duxerat. Sed vanus est iste prætextus. Alibi urebat Spalatinum calceus, ùt libenter fatebitur, quisquis ortum ac progressum Lutherani Evangelii, Spalatino impigrè adjuvante, ipsiúsque Spalatini ingenium non adeò ab omni honestate aversum, propiùs intueri volet.

C

D Sed omisso Spalatino ad Spieram revertor, qui si ex stultitia vel amentia ob repudiatam abs se hæresin desperâsset; rectiùs haud egisset, quàm si Turca aut Judæus baptismate tinctus, postea in desperationem ageretur, quòd Turcismo aut Judaismo valedixisset. Et, ut totum, quod Schleidanus de Spiera narrat, verum esset, hæc tamen consecutio stramentitia foret: *Spiera ob hæresin relictam desperavit, ergo omnes illos, qui vel Calvinismo vel Lutheranismo nuncium remittunt, desperatio sub extremam & fatalem horam manet:* nam multa millia variis in regionibus hæresin ejerârunt, qui postea placidissimè, & cum summa animi voluptate vitam finierunt; quorum aliqui etiam pro Orthodoxa fide vitam cum sanguine fortissimè profuderunt: ex quorum numero est *Edmundus Campianus*, aliquando Calvinisticus Diaconus, ut hunc multorum vice nominem. E

Secundo loco profert Dormitantius ex Hasenmüllero Valentinum Bacæum, *Quint-Evangelicum* olim præconem, postea ad Catholicam religionem transgressum. Quid huic contigit? Dum Dilinga Lavingam petit, à quodam gutture transfixo, interemptus est in ipso itinere. Quæ interemptio nihil aliud esse potuit, quàm deserti Lutheranismi pœna à Deo inflicta. Dic, quæso, mi Dormitanti, nullúsne unquam ex iis, qui spreta Catholica fide, ad vestra castra transierunt, interfectus est, sive in privata rixa, sive in publico prælio, sive ex insidiis, sive ex latrocinio? Si talem cædem non habes pro pœna desertæ religionis, cur in Bacæo hæreseos desertæ castigatio fuisset; maximè cùm verisimile fuerit, eum, qui Bacæum confodit, conductum Sicarium, aut Zelotam nimio sui Evangelii musto madentem ultrò ad cædem inferendum impulsum, fuisse: nam de latrone, quales sunt, qui silvas & vias publicas insident, nulla poterat esse suspicio in tanta planicie, quanta est inter Dilingam, & Lavingam, & in tanta utriusque urbis vicinitate: nec abludit ab hæreseos more, ut, quos à se desciscere videt, potiùs tollat, quàm toleret, ùt jam pridem de hoc ipso Bacæo in Apologia contra Hasenmüllerum respondi: Morbo corripi, febribus, peste conflictari, aquis submergi, incendio perire, ferro trucidari, & id genus alia eventa, bonis & malis communia sunt, quæ alicujus sceleris peculiarem pœnam esse, tum demum rectè concludimus, si peculiares circumstantiæ id suadeant, & ad hujusmodi conclusionem colligendam nos quasi manu ducant. F G

Verùm iam tertius commentitius Apostata in scenam prodeat, Stephanus Agricola, qui ex navi in Adriaticum mare sese præcipitem dedit. Qui genus, & unde domo Stephanus iste, mihi incompertum est. Quisquis fuerit, hoc scio, multos, qui Lutherum vel Calvinum reliquerunt, per Adriam vela fecisse, & etiamnum facere, nec tamen in undas sese præcipitâsse, aut præcipitare, ut proinde Dormitantius, illud Stephani præcipitium, (si non est fictitium) non nisi ineptè singularem pœnam abdicatæ hæreseos interpretetur. Ex quibus enim peculiaribus circumstantiis hoc colligit? Quid si ex ægritudine, ùt ex febri calida & acuta, impos mentis erat? Cæterùm si præcipitia & præcipitationes Dormitantium adeò delectant, Stutgardiam se conferat, & ibi inquirat. Fortè non infimæ classis Prædicantem inveniet, qui ex superiore loco sese præcipitans H

A non modò crura fregit, sed & vitam perdidit.

Quartus Apostata est *Joannes quidam, Jesuita, Landspergæ defunctus.* De cujus morte Dormitantius ex suo Hasenmüllero partim ridicula, partim impia, partim vanissima affert, quæ sigillatim refutavi in Apologia contra Hasenmüllerum. Joannes iste cognomento *Trellius*, mihi & in Societate & extra familiariter notus, nunquam Lutheranus, aut Calvinianus fuit, Catholicis parentibus natus, Catholicè semper educatus, à Catholicis præceptoribus semper instructus, & in Academia Dilingana Magisterii Philosophici laurea redimitus, inde in B Societatem nostram translatus, in qua ùt piè vixit, ita etiam non diu post probationis biennium, phtisi correptus & absumptus, piè cursum vitæ absolvit. Mera sunt ergo vel potiùs putida mendacia, quæ isti de hoc Joanne fabulantur, ùt & illa, quæ de B. P. N. Ignatio, de B. P. Xaverio, de P. Nicolao Bobadilla, de P. Turriano, déque aliis adducunt. Et quis vel Hasenmüllero, vel Dormitantio ullam fidem habeat, si ad hanc, quam impudenter effutiunt, pseudologiam animum advertat? Ajunt, *Cardinalem Alexandrum Farnesium Romæ nostris ædificâsse Templum, in idque* Anno Domini 1554. *transferre voluisse ossa Ignatii Lojolæ, quæ reperta non fuerint, utpote ablata Jesuitarum quidem judicio, ab Angelis; suo, à Diabolis.* Et tamen Anno salutis 1554. adhuc superstes erat Ignatius, & toti Societati, quippe Generalis Præpositus, jura dabat; C mortuus demum biennio pòst nimirum Anno 1556. ultimo die Julii, ùt omnes nôrunt. Qua fronte igitur nisi ferrea, & qua mente, nisi desperata, scribunt isti, Cardinalem & Jesuitas lipsana ejus transferre voluisse, Anno Salutis 1554. Et quidem ad templum Farnesianum, cujus tunc ne primus quidem lapis positus erat; nam Anno Domini 1568. ab Illustrissimo illo Cardinali ædificari cœptum est. An viventis adhuc videntisque ossa transferri poterant in Templum illud, quod nondum extabat? O detestabilem mentiendi perversitatem! & tamen imperita multitudo ad hanc pseudologiarum impurissimam & sordidissimam dapem avidissimis faucibus hiat; & velut melleam offam lingit. Sed de his jam pridem in sæpius nominata Apologia contra Hasenmülleriana figmenta; ubi & alia, quæ de Ignatio aliisque hîc oggeruntur, refutata invenies.

D Dæmonem habere infestum & infensum inimicum, prout habuêre Ignatius & Xaverius, sanctum & laudabile est: Habere amicum, atque adeò in lecto *concubinum* (prout habuit Lutherus, qui expressè scribit, Dæmonem noctu propiùs ad latus suum cubare, quàm suam Catharinam) & cum eo aliquot modios salis elingere, prout, ipsomet teste, elinxit Lutherus, id verò omni execratione dignum est, utpote non obscurum pacti cum Dæmone initi argumentum. E

Insigni porro colophone exornat Dormitantius suum *Dormitorium; plerósque Jesuitas in summa desperatione mori.* Veni & vide, mi Dormitanti, nam inspectione *oculari*, ùt vocant, hîc opus est. Tam verum invenies, quàm quod paulò ante dicebas, Jesuitas Ignatii ossa Anno 1554. in templum Farnesianum transferre voluisse, cùm Ignatius adhuc viveret, Templique Farnesiani ne fundamentum quidem jactum fuisset. Cur desperemus? Bonum Dominum habemus, qui potens est depositum nostrum servare in illum diem. Illi desperandi causas habent, qui relicta majorum suorum semita desperatos Apostatas Monachos & Clericos (quorum signiferi Lutherus & Zwinglius) sibi duces in religione delegerunt.

F Quàm nostri sub fatalem horam non desperent, documento sunt illi, qui in Anglia & alibi post tot tormenta, mortem intrepido animo sustinuerunt, ùt & illi, qui in Indiam, ad extremos usque Sinas & Japponas, rei Christianæ gratia, per tot maris & prædonum pericula navigant. Quos naufragii & piratarum discrimina, & mille alia incommoda eo consilio adire, ut, cùm moriendum est, desperent; extremæ dementiæ est cogitare. Ex publicis istis judicium de privatis fieri poterit; quia unus idémque spiritus in omnibus inest, sive vita fine naturali terminanda sit, sive violenta; sive hostium gladio & laqueo, sive morbo, eóque sive lento, sive præpropero, G sive hujus, sive illius generis. *Sive inde, sive inde moriatur*, inquit D. Augustinus, *quære, qualis sit, qui moritur, quò post mortem iturus est, non unde de vita exiturus, quacunque occasione hinc exituri sumus*, &c. *Time & bonus esto. Undecunque voluerit, ut exeas, hinc paratum te inveniat. Inquilinus enim es, non possessor domus.* Hæc & alia, quæ eodem loco S. Augustinus pulcherrimè scribit, quilibet Jesuita in animum suum penitus demittit, & securus exspectat dominum domus, quando dicturus sit; *Migra, paratus esto: Expello te de hospitio, sed dabo domum. Inquilinus es in terra, eris possessor in cælo.* Præclarè Theodorus Studita. *Num bene an malè; nequaquam in hoc vertitur, sic an sic defungaris, sed an Orthodoxam fidem, & inculpatam vitam habeas. Quæ, qui teneat, quantumvis scatentibus pustulis, quantumvis alio quocunque morbo vexatus, sive in terra, sive in mari exspiret, nullam hinc contrahet infamiam. Id age, ut bonam vitam habeas*, monet S. Augustinus, *& quæcunque occasio fuerit, ut exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem, nec*

S. Augustin. in Psal. 148.

Theod. catech. 22. H

S. Augustin. lib. de Disciplina Christiana.

A *nec finem. Non potest malè mori, qui benè vixerit. Prorsus confirmo: audeo dicere: non potest malè mori, qui bene vixerit.*

CAPUT V.

Quid Sectarii spectent, quando sparsis libellis famosis tam horribiliter mentiuntur.

B GEneratim spectant propagationem & conservationem suæ hæreseos, dum enim de Catholicorum vita, moribus, & morte, nefaria quæque dissemînant, partim confirmantur in hæresi, qui jam hæresin professi sunt, partim ad eam amplectendam incitantur, qui adhuc inter Catholicos degunt, offensi tantis sceleribus, & flagitiis, quæ mendaciloqui nugatores ab orthodoxis committi calumniantur. Tametsi autem ea tam crasso filo contexuntur, ut potiùs aliquem à Secta abducere, quàm in sectàm inducere possint, non ignorant tamen isti, plerosque Sectarum discipulos & assectas, ita esse comparatos, ut quò spissius est mendacium, eò avidiùs arripiatur. Germania ampla est & lata. Quàm multi in ea, qui, quis Bellarminus sit, vel Pistorius fuerit, aut penitus nesciant, aut obscurè tantùm sciant; qui si in talem libellum incidant, proniſſimo assensu omnia approbant; ex qua approbatione nascitur postea confirmatio in hæresi, & detestatio Catholicæ fidei: & quamvis fortè aliqui non tam sint excordes, ut talia vero consonare credant; gaudent tamen vel hac etiam ratione Catholicis plagam imponi, & hæresi fulcrum subjici.

C Videntur enim isti renovâsse vel renovare velle veterum quorundam opinationem, qui mendacium, hæretici convertendi, & ad fidem, quam quis veram putat, traducendi gratia, effusum, ab omni culpa liberabant; contra quos egregiè disputat S. Augustinus in proprio libro contra mendacium ad Consentium. Nec ex Ethnicis deerant, qui palàm clamarent: *Mendacium positum in tempore, lucrum su fructum affert. Ego existimo, mendacium salutis gratia prolatum, nihil afferre mali.* Item. *Si mendacium dici opus est, dicatur.* Hæc & his similia falsa & pernicioſa effata isti pro suis dogmatibus tuendis non tantùm animis imbibunt; sed & ad rem conferunt, & opere ipso exercent; & quidem impudentiùs, quàm illi, qui apud Prophetam de se: *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Sed ô miserandam protectionem, ô præsidium infirmum, & fragilius, quàm sit *baculus arundineus, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & proforabit eam*, ad quam defensionem nemo venit, nisi desperatione adactus. Et certè Spiritu desperationis Novatores agitari, testatur ipsa inprimis immanitas & enormitas mendaciorum, quæ in libello Famoso contra Illustrissimum Bellarminum, & in *Dormitorio* contra D. Pistorium effuderunt: quia enim propiùs, quàm lubeat, intuentur, sectam suam collabi, nec communibus & ordinariis Pseudologiis ampliùs sustentari posse; extrema tentant; & ea comminiscuntur, quæ vel ipsum Cacodæmonem comminisci puderet, si aspectabilis inter homines degeret: nunc quia cum instrumentis, quibus utitur, latet, liberrimè calumniando & mentiendo grassatur. E

Eodem consilio sectæ propagandæ & comendæ commenti sunt olim Sectarii, Ferdinandum tunc Regem, postea Imperatorem Romanorum, factum esse Lutheranum, confictam Epistola ad Lutherum, Anno 1537. Quam diu sepultam, iterum in lucem extraxit in sua *Strena* Polycarpus Leyserus, præco Saxonicus. Et quamvis in *Examine Strenæ* suspicabar, Epistolam hanc vel ab ipso Leysero, vel ab aliquo ejusdem speciei criminatore fabricatam esse; postea tamen incidi in Tractatulum Joannis *Dimophanii* Germanicè Anno 1538. publicatum: & quinque Helvetiorum Catholicis pagis sive *Cantonibus* dedicatum, quo insano huic figmento larvam detrahit, ex quo comperi, immane hoc mendacium, antiquum, & ipso Luthero adhuc superstite natum esse: qui tamen, eo tanquam nimis prodigioso, non multum ad propagationem sui Evangelii usus videtur, id quod perspicuè tam altum in Lutheri operibus de hac Epistola silentium indicat. Sed ad lineam revertamur. F

Præter hanc communem causam cudendi libellos famosos adversùs Bellarminum & Pistorium, sunt duæ aliæ, quæ Sectarios magis premunt & urgent: Altera est conversio ad fidem Catholicam Serenissimi Principis ac Domini, Domini *Wolfgangi Wilhelmi*, Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, &c. quæ istos pessimè habet; quia timent, ne tanti Principis exemplum plures etiam ex Principum & procerum ordine sibi sequendum existiment. Altera est, formido; quia metuunt, ne Princeps iste suos subditos, relicto Lutheranismo, ad Catholicam Ecclesiam migrare jubeat. Ut ergo id, quod timent, quo possunt modo, impediant, útque ipsum etiam *Serenissimum Principem*, pro sua in Principes reverentia & inexplicabili observantia, ceu desertorem, traducant, suppliciisque futuris terreant & absterreant, hoc *Apostatarum Dormitorium* ex fanatico sui cerebro extruxerunt, præmisso priùs infami libello adversùs Bellarminum, ita secum, ut opinor, ratiocinantes: Si Bellarmino, tanto Pontificiæ religionis propugnatori, tantæque dignitatis viro, omnem boni viri existimationem detraxerimus, G H

D Isaiæ cap. 28.

Is. 36.

A mus, cæteri Jesuitæ in nullo precio ac numero erunt. Si enim persuadeamus, istum talem esse, qualis à libello famoso depingitur, facile dictu est, quid de cæteris homines judicaturi sint; nec doctrinæ ejus fidem habebunt, cùm viderint, eum, quæ stylo docuit, vita & moribus evertisse, nec ùt Christianum, sed ùt Sardanapalum vixisse & obiisse.

B Præterea, cùm Pistorii ad Catholica sacra transitus, multis varias cogitationes injecerit propter summam eruditionem, qua pollebat & clarebat, necesse est, ut aliquid excogitemus, quo eum invisum reddamus, & ab ejus vestigiis sectatores nostros averramus; nihil autem aptius erit, quàm ut Pistorium in pœnam Apostasiæ, desperabundum & mille blasphemias evomentem, horrifica morte extinctum, & cadaver ab ipsa terra rejectum, tandémque Cacodæmoni traditum fingamus, additis, bellariorum loco, etiam aliis nonnullis novi Evangelii desertoribus.

C Hunc istorum, præsertim Dormitantii nostri, scopum unicum esse, planum fit ex ipsa inscriptione *Dormitorii*. Vocat speculum *historicum*; Rectiùs vocâsset omnium contumeliarum & pseudologiarum nidum. Sed cujus rei speculum erit, hoc *Dormitorium*? Audi: *Speculum, quomodo Deus justus omnes Apostatas, & fædifragos Mammeluccos terribiliter, & horribiliter temporalibus & æternis pœnis punire soleat, & quomodo nullus cujuscunque status, dignitatis & auctoritatis, has pœnas potentia & eruditione sua evadere queat, prout exempla Pistorii & aliorum Apostatarum docent.*

D Necdum finis Tituli. Quid amplius? En tibi scopum editionis. *Omnibus Apostatis pro speculo, ut in eo se contemplentur, publicatum. Et afflictis Evangelicis, potissimùm illis, qui sunt Hagenovvæ, Donavverdæ, Weilerstadii & alibi locorum pro cautela emissum: ut nulla vi, nullisque blanditiis & illecebris se ad defectionem permoveri patiantur.* Quis non videt, quorsum Dormitantius iste collineet? Quis tam stupidus est, qui non intelligat, quem prædictis verbis petat, imò feriat? Mi Dormitanti, quare non nominâsti loca, quæ sunt circa Donavverdam? At videbas, credo, neminem fore usque adeò stolidum, qui tuam mentem non assequeretur, & quem in finem Dormitorium hoc extructum sit, non animadverteret? qui alius non est, quàm ut Serenissimum latinum *Wolffgangum Wilhelmum*, subditis, ceu apostasiæ reum, exosum efficias, & subditis, si fortè Catholicam religionem suscipere juberentur, intrepidè rebellandi spiritum inspiret, etiam formidine pœnarum, quas isti desertoribus Lutheranismi decretas esse perfidè & sacrilegè mentiuntur. At quem, nisi insipientissimum, tua narratio de morte Pistorii absterrebit, cùm tota, quanta quanta est, ex putidissimis mendaciis constet? Mirum dictu; quàm Lutherani, Apostatæ & apostasiæ crimen horreant. Nolunt ad Catholicam religionem regredi, quia nolunt Apostatæ fieri, nolunt in Apostasiæ culpam incidere. Si olim Germanos hæc apostasiæ formido tenuisset; nunquam à duplici, eóque turpissimo Apostata Luthero à majorum suorum tramite sese abduci sivissent. Tum tempus erat dicendi: *Nolo Apostata fieri; Nolo apostasiæ scelere me contaminare:* Quod si factum fuisset, hodie Germania Apostatis non redundaret: quia à Progenitorum religione, quam Germania primitus ab Apostolicis Ecclesiastis & concionatoribus accepit, deficere, id demum est veræ apostasiæ labem contrahere. Vocant Lutherani *Apostatas*, qui ad Catholicam fidem relicto Luthero regrediuntur. Num ideo sunt *Apostatæ?* Etiam Turcæ & Judæi Apostatas intonant, quando quis ab illorum secta ad Christum transit. An ideo furor insanientium & vociferantium facit, ut Apostatæ sint, qui in Christi disciplinam dant sua nomina?

E

F Libenter sciscitarer ex istis, num Apostata sit, qui ex Lutherista fit Calvinista: Mussant hic multi. Et fortè si *Serenissimus Princeps* Calvinismum amplexus esset, nemo ei de apostasiæ vel apostatæ probroso nomine molestus esset. Ferventiores tamen Luthericolæ, Calvinisequas ex Lutheri schola factos, ceu Apostatas & Apostasiæ reos insectantur & lacerant, ùt liquet ex variis scriptis, quæ non ità pridem adversùs Marchicos à Lutheranis prodiêrunt, nominatim à Stetinensi *Cramero* contra *Pelargum* seu *Ciconiam* Francofurti ad Oderam antea Lutherano, nunc Calviniano rostro perstrepentem.

G Sed ut ad Apostasiam & Apostatam revertamur, cùm *apostatare* sit absistere seu abscedere ab aliquo, & Apostata *abscessor*, ut ita dicam, ab aliquo; accuratè inspiciendum est, à quo ad quid aliquis abscedat & absistat: & inde de bonitate vel malitia apostasiæ, judicium faciendum erit; Etsi enim jam communi usu vocabula *Apostasiæ* & *Apostatæ*, in malam partem accipiuntur, possunt tamen in bonam quoque accipi: nam & à vitio ad virtutem; à Turcismo vel Judaismo ad Christianismum, à Calvinismo, &, velis, nolis Dormitanti, à Lutheranismo, ad Catholicam Ecclesiam apostates, bona & laudabilis defectio erit, bonúsque & laudabilis, ut ita loquar, defector: nam quòd à Lutheranismo deficere, non sit deficere à bono, sed à malo, inde constat; quia Lutheranismus ante Lutherum non fuit, novitius & nuperus est; veræ fidei multis post Christum & Apostolos sæculis oppositus, & quidem à fœdifrago Monacho contra communem tunc totius orbis consen-

H

A sionem; qualis doctrina bona esse nequit, nisi quis adeò depuduisset; ut diceret, doctrinam illam, quam solam & unicam relicto idololatrico cultu Germania amplexa fuerat, non fuisse bonam, sed malam, non veram, sed falsam.

B Quod S. Augustinus scitissimè de vocabulo Seductoris scriptum reliquit, id & ad Apostatæ nomen aptissimè accommodabimus. Audiamus verba S. Augustini: *Alii dicebant, bonus est: alii autem, non; sed, seducit turbas. Dictum enim hoc est ad eorum solatium, qui posteà prædicantes verbum Dei, futuri erant, ùt seductores & veraces. Si enim seducere, decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus. Si autem seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est; quærendum est, unde & quò? Si à malo ad bonum, bonus seductor est: Si à bono ad malum, malus seductor est. In hac ergo parte, qua seducuntur homines de malo ad bonum, utinam omnes seductores & nominemur, & simus,* Hæc S. Augustinus.

S. August. Tract. 29. in Evang. S. Joann.

C Incredibile dictu, quàm Lutherani & Calviniani sibi omnia licere velint, nihil Catholicis. Si quis *protestans* non dicam Princeps, sed ex inferiorum procerum numero quicunque, vel unicum pagum Catholicum, libero in loco, suam in ditionem accipiat, sive id fiat emptione, seu hæreditaria successione, vel alio quopiam titulo, quo hæc talia transferri solent; statim Catholicis accinitur, ἢ πίθι ἢ ἄπιθι, aut bibe Lutheranum vel Calvinianum mustum, aut abi; non datur tertium. Hîc nulla lamenta, nulli ejulatus locum inveniunt. Aut parendum, aut cedendum; quem morem habent isti à suis magistris & antesignanis, præsertim à Luthero & Melanchtone, qui, sicubi in Saxonia adhuc aliquid Catholici ritus supereresset, diligentissimam operam dabant, ut quàm primùm stirpitus eradicaretur, ùt videre est præcipuè in Latinis Epistolis Lutheri non uno loco. Certè Lutheranus Successor inclyti Principis Georgii, Saxoniæ Ducis, sine mora ad eliminandam ex provinciis illis Catholicam fidem sese accinxit, quidquid contrà à Catholicis disputaretur.

D Tom. 1. lat. Witteberg. Lutheri. Extat Disputatio Philippi Melanchthonis *de tollenda Idololatria, & erroribus manifestis per magistratum*, quæ tota partim obliquè & sinuosè, partim apertè eò tendit, ut Catholici cum suis ritibus extirpentur, quasi id muneris cuivis Magistratui ex naturali & divina lege incumbat. Accipe verba Philippi.

Lex fuit in quadam urbe Cretæ, ut Epicureus deprehensus puniretur hoc modo. Vigintì dies nudum & melle ac lacte perfusum ac vinctum collocari sub dio jubebat, expositum culicibus. Post hos viginti dies, si manebat in sententia, jubebat eum indutum veste muliebri de Saxo dejici ac interfici.

E

Hanc legem defendo justam fuisse, inquit Philippus, *præsertim ea in parte, qua jubet Epicureum interfici, quia ad officium magistratus pertinet tollere blasphemos adversus Deum, tanquam καθάρματα* (pestes) *propter quæ alioqui totæ gentes puniuntur. Sic pertinet ad officium Magistratus tollere externas idolomanias, statuas, ad quas concurritur, ut ibi fiat invocatio, magos, perjuros & hæreticos, re judicata per Ecclesiam.*

F Hæc Philippi disputatio nihil aliud est, quàm suscitabulum Magistratuum, ut Catholicos, præsertim Monachos & Clericos, quos sectarii pro *Epicureis* habent; exterminent, eorúmque ritus & instituta, quæ *idololatrica* & *manifestos errores* reputant, exturbent. Quocirca subjungit Philippus. *Manifesti errores sunt invocatio mortuorum, concursus ad statuas*, hoc est, peregrinationes ad loca pia, & id genus alia, nec ad Lutheri, nec ad Philippi palatum facientia. Quod Philippus verbis docuit, id Lutherani & alii Novatores, ubicunque possunt, impigrè, strenuè, & absque ullius respectu aut metu exequuntur: ipsi tamen idem jus Catholicis Magistratibus nullo modo concedere volunt: quasi deteriore conditione sit veritas, ejúsque defensores, quàm falsitas, ejúsque hyperaspistæ. Accipiat quis Philippi themata, eáque in Lutheranos vel Calvinianos dirigat, prout à Philippo contra Orthodoxos emissa sunt; quos clamores, quos gemitus, quas complorationes, è vestigio non audiemus? Interim Lutherus impunè grassatur & vociferatur: *Si possent Papatus & omnia Monasteria uno digito everti, propter hanc miserrimam carnificinam conscientiarum, faciendum esset*, quia scilicet Catholici de remissione peccatorum aliter sentiunt, quàm Lutherus.

G

Lutherus in cap. 3. Gen. Tom. 3. lat. Witteberg.

H Cæterùm jure quis scire desideret, quisnam sit hujus *Dormitorii* conditor. Auctor vocat se *Justum Jonam* von Warnrechtingen: Typographiæ locus nominatur Warnstatt, Typographus *Joannes* Bapstachtnicht. Quæ omnia sunt fictitia. Latet sub isto Justo tenebrio quispiam, qui pro *Serenissimi Principis Palatini*, & subditorum salute admodum sollicitè advigilat, ita ut jam non *Dormitantius* à suo *Dormitorio*, sed *Vigilantius* ab intenta vigilia appellandus videatur. Quid suspicer, scio. Scio etiam, qui jam olim clarissimum Doctorem *Pistorium* Magiæ postulaverint, à quorum ingenio planè non abludit tale *Dormitorium* ædificare, hoc præsertim tempore, quo tam insignis, omníque ævo memorabilis ad avitam, patritámque fidem reversio contigit; *nam fidem, quam primò beatus Petrus Romæ plantavit*; utar enim iisdem verbis, quibus contra

A Eckbert. serm. 3. contra Catharos.

Catharos usus est Eckbertus, eruditus Scriptor, *& quam tenuerunt successores ejus in Romana urbe & quam docuerunt in omnibus terris S. Episcopi aliique Sancti Patres, qui oberdientes erant Romanæ Ecclesiæ, & quam ab illis acceperunt Imperatores, & Reges & Principes terrarum, cum populis sibi subjectis, tenemus atque confitemur: nos videlicet Clerici, & Monachi, & Laici, qui in Ecclesia Christi baptizati sumus, & in Ecclesiis DEO sacratis convenimus ad orandum & laudandum DEUM, & ad communicandum corpori & sanguini Domini nostri JESU Christi, cum fide non ficta, & spe salutis animarum nostrarum. In eo autem certi sumus, nos habere eandem fidem, quam habuerunt sancti Patres ante nos, quoniam eadem Evangelia Christi, eandem scripturam Apostolicam, quam & illi habuerunt, & publicè in Ecclesia docuerunt, habemus, & nos credimus eis. Ipsorum quoque sancta Scripta habemus, in quibus declaraverunt, qualis esset fides eorum, & qualem intellectum haberent in libris veteris legis & Prophetarum, & in Evangeliis, & in Apostolicis scriptis, & in eadem intelligentia sequimur eos;* Et quidem per totum terrarum orbem diffusi. B

Nam Lutheranis meritissimò accinitur, quod jam olim Paulinus Aquilejensis Episcopus, accinuit Felici Urgelitano Antistiti. *Nunquid non vos in uno angulo terrarum, & in una estis gente? Quare non intelligitis, juxta vestram sententiam, in vobis non esse Ecclesiam Christi, qui in uno angulo estis terrarum & una gente? Aut si in vobis est, proferendum est vobis, in qua alia gente sit vel populo, vel regno, vel qui sint, qui vobiscum consentiant* in Augustanæ Confessionis doctrina. *Aut si non potestis in toto orbe Socios sententiæ vestræ invenire, cognoscite vos vestro judicio hæreticos esse, & placeat vobis potiùs cum pluribus salvari, quàm cum paucis perire.*

FINIS.

JA-

JACOBI GRETSERI,
SOCIETATIS JESU
THEOLOGI
CONTRA
FAMOSUM LIBELLUM,
CUJUS
INSCRIPTIO EST:
MONITA PRIVATA SOCIETATIS JESU, &c.
LIBRI TRES APOLOGETICI.

Primus, ipſa Monita examinat.

Secundus teſtimonia illuſtrium virorum contra Societatem diſcutit.

Tertius docet, quid illuſtriſſimi Præſules & Proceres de Monitis eorúmque Auctore ſentiant.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
ET
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,
DOMINO
MARTINO
SYSKOWSKI,
DEI
ET
APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPO
CRACOVIENSI,
DUCI
SEVERIENSI,
Regni Poloniæ Senatori ampliſſimo, &c.
JACOBUS GRETSERUS, SOCIETATIS JESU.

ILluſtriſſime Præſul. Notat præclarè S. Baſilius in Epiſtola ad Alexandrinos, verſutiam & aſtutiam diaboli, qui olim apertos hoſtes, & à Chriſto planè alienos, contra fideles concitavit: poſtea his relictis; alios, ſed Chriſti nomine velatos, in aciem eduxit; ne, qui perſecutiones patiebantur, pro Chriſto pati viderentur, quandoquidem ipſi etiam perſecutores nomine Chriſtiano cenſebantur. Verba S. Baſilii ſunt iſta. *Expendimus aſtutiam belli Diabolici, quomodo is, ubi Eccleſiam ex perſecutione ab inimicis illata, multiplicari magisque florere vidit, inſidias ſuas mutaverit: ut jam nos non ex aperto oppugnet, ſed occultas inſidias ſtruat, conſilium ſuum per nomen Chriſtianum, quod hæretici prætexunt, obtegens, ut & eadem cum patribus noſtris patiamur, & tamen haud videamur pro Chriſto pati, propterea quòd & ipſi perſecutores noſtri Chriſtianorum nomen præſeferant.* Epiſt. 71.

Similem luſum Cacodæmon luſiſſe videtur in Societate noſtra oppugnanda: nam principiò emiſit contra illam manifeſtos hæreticos, qui partim doctrinam, partim vitam, ipsúmque Inſtitutum pro

pro viribus convellerent, ac ſubruerent. Quod cùm minùs ex ſententia ſuccederet; (quis enim miretur, ſi publicus orthodoxæ fidei adverſarius Societatem Jeſu inſectetur?) ad alias artes ſe convertit. Nam oppugnatores Catholici nominis velamine tectos jam aliquoties cùm alibi, tum non ita pridem in potentiſſimo Regno veſtro fraudulenter extruſit, ut, cùm lectores Catholicum nomen ſonare audirent, nihil doli vel fraudis ſubeſſe ſuſpicarentur; vel ſaltem ita apud ſe ſtatuerent: cùm Catholicus ſit, qui Jeſuitas oppugnat, id haud ſine juſta cauſa fieri; quis enim Catholicus Catholicum Ordinem immeritò traducat, omnibúsque inviſum atque odioſum efficere tentet? Quaſi verò nemo Catholicorum ſit, quem odium, ira, & ſimiles ſiniſtræ affectiones concitare, & in præceps agere nequeant. Quaſi verò non ſint hac ætate multi Pſeudocatholici; vel, ùt ab aliis vocantur, Politicocatholici, qui Lutherum, vel Calvinum, vel Arium, vel Macchiavellum ſub pectore circumferunt, quamvis ore avitam fidem hiſtrionicè ſimulent. Quaſi verò non contingat aliquando, ut Auctor famoſi libelli, in titulo totiúsque operis decurſu, mentiatur ſe eſſe Catholicum, cùm ſit hæreticus, qua techna Tartareus hoſtis ſimplicioribus & minùs circumſpectis non ſemel impoſuit.

Tales igitur Catholici, ſi Sócietatem dentatis chartis lacerent, & maledictis lancinent, quid mirum? *Si improbi bonos odio proſequuntur, nòlite mirari*, inquit Iſidorus Peluſiota, *nam & Pſeudoapoſtoli, veros Apoſtolos, & Pſeudoprophetæ Prophetas odio habebant:* Sed *gratis*, hoc eſt, ſine ulla juſta cauſa; & ſine ulla occaſione data: ex ſolo amentiæ & maledicentiæ æſtuoſo impetu: cum quibus ſi Societati non benè conveniat, nec illis cum Societate; id non magis inſolens eſt, quàm quòd diei non bene convenit cum nocte, nec nocti cum die. Scitè paulò antè nominatus Iſidorus. *Si luci cum tenebris non bene convenit (neque enim poteſt hoc fieri) nihil hoc ad lucem: Si non vult impius pietatem amplecti, nihil hoc ad pium: Si non vult libidinoſus caſtitatem colere, nihil hoc ad hominem temperantem & caſtum; ſi non vult injuſtus deſiſtere ab injuſtitia, nihil hoc ad juſtum: ſed ad eos pertinet probrum, qui ſuæ improbitatis vituperationem eſſe aliorum circa ſe hominum virtutes arbitrantur.* Iſid. lib. 4. Epiſt. 220.

Ex horum hoſtium numero, qui ſub Catholiciſmi tegumento, Ordinem noſtrum petulanter & flagitiosè inceſſunt, haud poſtremus eſt Auctor ille vulpinus, qui *Monita privata Societatis Jeſu* in veſtro Regno cudit, typísque deſcripta evulgavit. Quem libellum, ut refellerem, juſſit Admodum Reverendus Pater *Mutius Vitelleſcus*, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, non ignarus, quàm bona fama Societati ſit neceſſaria; *nec audiendi ſunt*, (refero verba S. Auguſtini) *ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt, dicunt; ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam; exiſtimationem hominum non impudenter ſolùm, verùm etiam crudeliter contemnentes: cùm occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei; ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant; proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt: nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra; aliis, fama noſtra. Et utique etiam, quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem.* S. Auguſt. lib. de viduit. cap. 22.

Hanc refutationem vanidici libelli, & bonæ famæ noſtræ aſſertionem nullius alterius nomine inſignire volui, quàm tuo,

942

ILLUSTRISSIME PRÆSUL, cujus consilii mei justissimas causas habeo. Nam libellus hic famosus primitus in tua Diœcesi Cracoviensi caput extulit, auctore quidem anonymo, at nunquam ἱερωνύμῳ, quomodo enim tantus calumniator & veterator fausti & sancti nominis capax esset? Copronymum potiùs indigitaverim. Cùm igitur, ùt dixi, in tua Diœcesi, virulentissima hæc Satyra primùm apparuerit, par est, ut eò mittatur antidotum, unde venenum hoc principiò erupit.

Deinde, nondum animo excidit, quàm doctam & quàm elegantem orationem Anno Salutis M. D. XC. pro Societate nostra edideris adversùs personatum quendam Equitem Polonum, qui Actione sua in Jesuitas non modò per vestram Poloniam, sed & per vicinas, imò & per remotas Provincias seditiosissimè tumultuabatur. Sed stylo tuo, ùt & doctissimi viri *Stanislai Rescii*, ita compressus est, ut se in equile suum abdiderit, neque amplius cum ulla *Invectiva* in publicum processerit. Jure igitur tanto Societatis nostræ Apologetæ hanc ego Apologiam consecro & dedico. Quem ingenium singulare, prudentia eximia, judicium acre & perspicax, gratia verfandi & agendi hominum mentes, omnibus amabilem & admirabilem reddunt, ipsi præcipuè Sereniſſimo Regi talium ornamentorum accuratissimo æstimatori.

Quare gradatim semper ad celsiora evectus, ampliora quoque virtutis præmia retulisti: nam ex rari exempli & spectatæ vitæ Canonico Cracoviensi factus es Cancellarius Episcopi ejusdem urbis, Petri Myskovvski, & Successoris ejus Bernardi Maciejovvski, quem postea purpura Cardinalitia popularibus suis illustriorem effecit. Inde ad Luceorienſem in Volhinia Episcopatum evectus es, ubi cùm agrum tibi commissum tribulis schismaticorum, & spinis hæreticorum penitus fermè obsitum & obrutum reperisses, operæ pretium te facturum existimâsti, si Societatem JESU in Volhiniam advocares, eidémque in Episcopali civitate domicilium conderes. Itáque primus tu Collegii Luceorienſis Fundator fuisti. At quo tempore hæc consilia agitabas, & ad rem quoque conferebas? Nimirum cùm in Regno vestro omnia perturbata & impacata essent; cùm hinc Novatores grandisono strepitu, illinc Politicocatholici ingenti vociferatione postularent, ut Jesuitæ vel ex toto Regno ejicerentur; quo nihil optatius illis accidere poterat; vel si hoc nimis enorme judicaretur, saltem ex certis civitatibus migrare juberentur, & ne latiùs se diffunderent, circumscriptis finibus prohiberentur. Cæterùm quanti tu, *Illustrissime Antistes*, hostium istorum machinamenta faceres, re ipsa ostendisti, eo ipso temporis articulo, quo omnia fervebant, ferrúmque in igne erat, totúmque flammivomum in Vulcaniis incudibus tundebatur. Mirabantur procul dubio adversarii, cùm nihil aliud tanto conatu se effeciſſe cernerent, quàm ut novum Collegium Jesuitis Luceoriæ surgeret.

Altiùs ascendere jussus, & ad Plocensem in Massovia Episcopalem Sedem elevatus, nihil prius habuisti, quàm ut nostros Plociam introduceres. Introduxisti primus, &, quod ad multorum salutem bene vertat, futuri Collegii fundamenta prosperè posuisti.

Cracovienſem infulam non ita pridem adeptus, apertè declarâsti, te sedulam operam navaturum, ne, te Episcopo, libellis infamatoriis liber campus & cursus permittatur; Et quo loco *Monita*, quæ refellimus, habenda censueris, satis testatum feciſti, cùm literis ad Nuncium Apostolicum datis, tam seriò postulâsti, ut supremæ Sedis auctoritate damnarentur & proscriberentur; Illustrissimum tuum anteceſſorem Petrum Tylicki imitatus, qui odio meritissimo in tam

in tam nefarium ſcriptum concepto, Auctorem & ſocios, Juris via & indagine quærere, & ex latebris extrahere inſtitit.

Quid ego hîc commemorem liberalitatem tuam in Domum profeſſam Cracovienſem: etiam tunc, cùm adhuc inter Canonicos Cracovienſes numerabaris? Quoties jam Epiſcopi Plocenſis benignitatem rebus in arctis ſenſit Domus profeſſa Varſavienſis unà cum Collegio Pultovienſi? Neque benè merendi de noſtro Ordine ullum finem facis; quare noſtrarum quoque partium eſt, ut, quibus modis poſſumus, grati & beneficiorum memoris animi indicia edamus, inter quæ unum etiam patiaris eſſe, hanc Apologiam inclyto tuo nomini dicatam, & tot jam recenſitis titulis tibi debitam, ab homine Germano, dignitatis & amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimo, virtutúmque tuarum admiratore non exiguo elaboratam.

Multa ſunt in veſtro Regno laude cumprimis digna: ſed hoc, mea ſententiâ, præclariſſimum eſt, quòd in tiaris diſtribuendis non tam ſpectatur genus & nobilitas, quàm pietas, incenſus pro domo Dei zelus, doctrina, prudentia, rerúmque Eccleſiaſticarum tractandarum peritia. Et certè tales cultores ager ille deſiderat, quem tot zizania, tot urticæ, tot lappæ, tot filices occupant & infeſtant, ut, niſi ſedula agricolarum cura obviam iret, ipſi quoque bonæ frugi periculum oppreſſionis immineret. Vale, *Illuſtriſſime Præſul*, & velut lucerna ardens & lucens jam ſupra celeberrimæ Cracovienſis Eccleſiæ candelabrum poſitus, arde & luce: illud, ferventiſſimè, hoc, lucidiſſimè, utrumque, diutiſſimè. Ingolſtadii, Kalendis Auguſti, Anno Redemptoris M. DC. XVII.

DEXTER ET SINISTER VIRTUTIS OCULUS,

SIVE

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DOMINI MARTINI SYSKOWSKI, EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCISQUE SEVERIENSIS,

Pietas

In Deum & homines,

VERSU ADUMBRATA.

Sólane tam tenui censu, tam paupere cultu,
Orbe novo, aureolis, & Saturnalibus annis,
Errârit nostris VIRTUS ingloria terris?
Nostro pasta foco, satura ex communibus ollis,
Far tostum, & rapas toties ructârit inemptas,
Poculáque admotis attriverit aspera labris?
Igne hyemes, soles nostra defenderit umbra?
Et nulla hospitio sit gratia? rustica Virgo
Fugerit impenso non responsura favori?
Cùm caperet reliquos terrarum nausea Divos;
Sive quòd in pejus migrarent sêcla metallum,
Seu quòd primævi inciperent flaccescere mores,
Dispersere tamen donaria; turpe putabat
Abscessisse Ceres, nisi mitia semina campis,
Pro fastidita jam pridem glande, dedisset;
Ipse etiam Bacchus, quanquam fuit ebrius, uvam
Depanxit terris, & jussit crescere, & hujus
Ex dono est; tam blanda hodie quòd vina bibuntur:
Sic alii, qui vel nostram tetigêre polentam,
Plurima pro nigro numerârunt munera jure:
Et sola hîc toties cœnârit asymbola VIRTUS,
Nec tamen expensi tabulas aspexerit, albas
Vel cretæ notulas, quas cautus scripserat hospes?
Tum certè non digna suo sit nomine Virgo.
Sed frustra hic metus insontem perstringit, egena
Quantumcunque foret, cultúsque exosa superbos,
Ascîti fugitans decoris, tamen ampla supellex
Mentis erat, grandisque piis apotheca medullis,
Extra ipsam nihil hæsit opum, nihil intus egeni;
Ergo cùm tandem ad Superos invita recessit,
Non hunc deseruit, velut intestabilis, orbem,
Sed scripsit tabulas, & fidis nomina ceris
Dispositit, grandémque assem divisit amicis.
Si quem præteriit, cui nec semuncia cessit
De donativo, sese ipse excluśit, & arcam
Pectore non habuit, cui Diva infunderet aurum.
Namque nec in Samiam sudant hæc balsama testam,
Ováque non omni ponuntur gemmea nido.
Tu MARTINE sacræ decus immortale TIARÆ
In primis hæres tabulis ex asse relictus
In bona jam poteras Divæ succedere, nîte
Servâssent nostros, Fortuna, & Numen, in annos.
Non tamen ista fuit fraudi cunctatio, nulli
In tua repserunt taciti patrimonia fures,
Gemmula nulla illas corrupit adultera ceras,
Signatæ quæ Virtutis latuêre Tablino,
Quæ simul ac patuêre foro, & plaudente senatu
Effusos in te Divæ ostendêre favores,
Omnes te in populo digiti, vultúsque notârunt:
Cùm tu jam teneris, nimiùm maturus ab annis,

Ingres-

Ingreſſus Virtutis iter, veſtigia vulgi
Exoſus, clivo te nobiliore teneres;
Nempe ubi te in tantum tranſcripſit adoptio nomen,
Omnia prodebant magnum veſtigia pectus:
Sic cùm Piſæum grandi pede, paſſibus amplis,
Deſcripſit ſtadium, preſſo, Tirynthius, ore,
Nil animæ indulgens, ſed in arcto carcere ſeptam,
Tantiſper retinens, dum ſexcenteſimus omne
Pes finiret iter facerétque in pulvere metam,
Tota illum obſtupuit miratrix Græcia curſum,
Nec quisquam volucri ſic auſus credere plantæ eſt,
Tantum ut ſperaret transmittere vividus æquor,
Heroësque æquare pedes, quorum undique ſulcos
Ingentes, nimiúmque exhorruit intervallum,
Ut non interea decies, vel ſæpius altùm
Reſpirans, calidum proflaret corde vaporem.
Evomerétque animæ plenis è follibus auram.
Quanta ergo Alcidæ, ex celeri pede, gloria crevit,
Tanta tibi è primæ ſtadio eſt ſubnata Juventæ.
Tunc demum cupido prudens te Patria totum
Arbitrata oculo, & medias rimata medullas,
Majores ſuſpexit opes, quàm matris ad album
Nos plebejæ animæ, pendentes, ſugimus, uber.
Nil hîc mortale eſt, dixit, divinior iſtud
Compoſuit pectus manus, & formavit ad unguem;
Mirum, nî nymbos hîc, & Myrothecia Virtus
Exhauſit, totúmque ſuo perfudit Amomo:
Quos oculos, quas ille manus, quod denique pectus,
Et quid non iſto concluſum pectore portat!
Sic ait, & quamvis hæreret in omnibus; uni,
Uni illam magis attoniti rapuiſtis ocelli,
Atque quod interius pupillâ eſt; hiſce feneſtris,
Et ſpeculis nimiùm ſe prodidit aurea VIRTUS,
Rarum aliquid monſtrans, mortali auguſtius uſu:
Ecquid enim? quoties conſueto animalia luſtro
Sylveſtres, madidique Dii, Superique recenſent.
Quàm variis armenta vident oculata figuris?
Sed quæcunque oculis fuerit poſitura duobus,
Nulla tamen potis eſt dextrum fera figere cœlo,
Atque ſimul prono terras ſpectare ſiniſtro;
Tanta inter nitidos conſtat concordia fratres.
Sors eadem eſt hominum, neque Gymnoſophiſta volantem
Axe ſuo Solem, ſimul, & pede preſſa videbit:
Tu toto eximius numero MARTINE, perennis
Cùm, vigilante oculo, ſervares incola cælum,
Atque Atlante ipſo ſtellis vicinior eſſes,
Divinis adytis jam non incognitus hoſpes,
Inde tamen noſtri miſerans incommoda mundi,
Atque alternantes vario diſcrimine caſus,
Unum oculum noſtro donas non invidus orbi,
Quo, mixtus Superis, tamen hæc mortalia curas:
Hoc eſt ſupra homines aſſurgere, Maxime Præſul;
Quando ergo hæc omni reſonat vox Publica Circo,
Iſtos VIRTUTIS ſolúsne negabis OCELLOS?

Qualis nempe Argi morientis lumina Juno,
Quando membratim cœpit tenebreſcere Paſtor,
Tranſtulit in Pavi caudam, volucriſque ſuperbæ
Pinxit ocellato pennatam emblemate conchan;
Talis cùm reliquos in te transferret honores
Et ſupereſſe ſibi tantùm ſua lumina VIRTUS
Cerneret, his, inquit, poſthac MARTINE videbis,
Nempe oculus mihi jam debes oculiſſimus eſſe.
Hoc papillarum vivatus acumine viſus
In Lunæ ſeſe dubitet demergere currum,
Et conceſſum Aquilæ pullis invadere ſolem?
Ipſe Deus lucis fons aureus, inque Pyropis
Flammivomis reſidens ſeſe huic ſubducere frontì
Non potuit, ſed nec voluit; nam Lyncibus iſtis
Cœlum oppone; ipſum poterunt perrumpere cælum,
Extenſuræ aciem, dum fixa in numine ſiſtat;
Et quid non illa traherent ex luce? quòd inde
Exceptum in medium demittat pupula pectus.
Hoc alter monſtrat, patriæ qui ſervit, ocellus,
Ille gemellus, opum & transfuſi luminis hæres;
O Superi quantum vigilat! quàm promptus, & acer!
Sive opus eſt tacitè venienti occurrere morbo,
Seu furtim illapſam terris avertere peſtem,
Jam ſatis eſt vidiſſe; oculis medicina paratur;
Ut ſi qua interimit ſolo mala beſtia viſu,
Tu melior, vitam, ſimili de fonte, propines:
Ille ollim Ægypto nimiùm exoptatus Oſiris,
Dum felix patriæ, locupletat frugibus annos,
Et bona tot gremio Naturæ educit, & arte
Expolit, atque ipſam paſſim negat eſſe novercam
Certè auro fuerat, ſceptróque ornandus eburno,
Ille tamen quernâ detruncat ab arbore ramum,
Et geminas rami connectit culmine frondes,
In medio ſtat inane cavum; rudis iſte bacillus
Geſtamen regi eſt, ſed ne reverentia ſceptro
Deforet, hoc OCULUM VIRTUTIS dicit, & illum,
Nempe inconnivum, vigilare in commoda regni;
Quid faceret, ſi non in fronte hunc ferret ocellum,
Sed duplicem media fronte oſtentaret, amica
Luce tuis ſimiles, ô major Oſiride Præſul?
Cui neque Jane tuos auſis componere, quamvis
Bifrontem te Roma colat, vel ſæpe trifrontem,
Quando luminibus plus providet iſte duobus:
Quæ quanquam reliqui, veluti duo ſidera, Cives
Aſpiciant, & ament, tamen impia turmula, fratres
Nocturni, quibus atra oculos, mentémque, Deúmque
Hæreſis eripuit, fugiúntque horréntque, miſelli
Oedipodæ; ſive hos cupiunt jugulare nitores,
Quod canis aſpecta meditatur lurida Luna,
Sive patì lucem nequeunt, ardéntque tuendo,
Offenſi tot ſtricturis, & fulmina credunt,
Quæ reliqui radios meliori nomine dicunt:
Sed cur lucifugi non hoc ſplendore fugentur,
Ipsâ Virtutis quando offenduntur ab umbra?
Auſuri hoc etiam terris eradere nomen,
Tam procul, atque atrâ jam pridem à mente fugatum eſt;

Tu tamen ignavum pecus, assuetúmque tenebris
Ures formoso, quamvis ringantur, ocello;
Suave est tam blandis Vitium subvertere telis;
Sic stetit Hermiæ tumulo Leo saxeus, ore
Terrifico, absque animâ, nisi quam scalprúmque, manúsque
Mendacem in rigidum voluêre inducere Marmor;
Iste bonus custos, quamquam non rugiit, omnes
Vicino longè proscripsit littore thynnos,
Nec tutâ passus fuit unquam ludere ripâ:
Hoc oculis potuit; mediâ nam fronte gemelli
Squamigeram gentem sic perstrinxêre Smaragdi,
Ergo istas tua cùm vincant quoque lumina gemmas,
Sparge faces ponto, tristésque exure lacunas,
Hæreseon, si quis latet hìc ranunculus, ùt sunt,
Non tollent certè fœdum caput; hoc quoque lucrum est,
Angustis istos cantores stringere metis,
Et saltem patrium pulchrè defendere littus:
Illi iras capient, & surrectura profundo
Murmura protrudent rabidi, sed spuma furoris
Quid tandem efficiet, summâ quæ bulliet unda?
Marmoreus potuit vanas Leo spernere rixas,
Tu ridere etiam vivus potes, atque perennes,
Et partos oculis, oculis spectare triumphos:
Interea reliquis placidus, tua sidera in omnes
Partitus, diffunde pium, fax Publica lumen;
Certè OCULUS DOMINI PASCIT PECUS; aureus imber
Usque fluet, quocunque voles, & lumina figes
Ægypti in sabulo mensas quis nescit, inemptis
Extructas dapibus, non deficiente canistro?
Nempe oculus Solis Promus fuit, ille benignus
Quacunque aspiceret, poterant convivia nasci;
Sentit idem tua jam passim Polonia, & ipsi
Usque adeò abjuncti Lumen tam mite videmus,
Et frontis decus æternum, sine nube serenos
Explicitósque oculos; hæc demum REGIA LAUS est
ABSQUE SUPERCILIO talem orbi ostendere VULTUM.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

A MIrari quis posset, cur quotidie tot libelli famosi, præcipuè in utraque Germania, Gallia, Polonia, adversùs Societatem JESU spargantur. Sed mirari desinet, qui considerabit, quàm omnia nunc plena sint hæreticis; quámque longè etiam regnet invidia, quæ non tantùm heterodoxos, sed & orthodoxos, vel saltem eos, qui pro orthodoxis haberi volunt, aliquando invadit & urit. Nec desunt falsi fratres, à quibus ipse itidem Apostolus pericula sibi creata conqueritur. Et quæ hæc pericula, nisi infamationes, obtrectationes, convicia, & id genus alia malevolentiæ & maledicentiæ spicula, quæ in S. Paulum emittebant, ut illum omnibus invisum & exosum redderent?

B Quod ad hæreticos attinet, non magis mirum est, quòd nos insectantur, & insectationes suas literis mandant, quàm quòd lupus ovium custodes pessimè odit, & exterminatos cupit: Vident enim, ídque non sine gemitu, Societatem hanc, singulari Dei providentia, sectis suis oppositam esse; nec se tantum posse, quantum possent, si nova hæc Catholicæ Ecclesiæ cohors, ad veteres illas prælia Domini fortiter quoque præliantes, non accessisset. Quocirca, quando aliter nequeunt, dolorem suum traducendis & proscindendis Jesuitis nonnihil leniunt, de quibus dum fanda & infanda confinxerunt, & lectoribus suis haurienda propinârunt, tum præcordiorum angustiæ nonnihil laxantur, & stomachus quoque nimio onere onustus, parumper levatur.

Jam quòd Catholici interdum à Societate alieni sunt, nobísque obtrectant, multas ob causas contingere potest. Primò, ob ignorantiam, quia neque nos, neque res nostras propiùs nôrunt. C

Catholici, & quidem Clerici erant, qui sancto Abbati Equitio ex ignorantia obloquebantur. *Quis est iste vir rusticus*, ajebant, *qui auctoritatem prædicationis sibi arripuit, & officium Apostolici nostri Domini sibimet indoctus usurpare præsumit? Mittatur ergo, si placet, qui huc eum exhibeat, ut, quis sit Ecclesiasticus vigor, agnoscat. Suadentibus Clericis consensum præbuit Pontifex.* Sed quantis miraculis hæc citatio impedita, & Sanctitas Equitii patefacta sit; copiosè docet S. Gregorius, qui miranti Petro, quomodo fiat, ut aliquando boni de bonis malè sentiant & loquantur; respondet: *Quid miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus? An mente excidit, quod David, qui prophetiæ Spiritum habere consueverat, contra innocentem Jonathæ filium sententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audivit? &c. Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus. Multum verò est, quod unjuscujusque præsulis mentem curarum densitas vastat: cúmque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula, tantóque rei in una qualibet re surripitur, quantò latiùs multis occupatur.* D S. Gregor. lib. 2. Dial. cap. 4. 2. Reg. 69. & 1.

Prima

A Prima ergo cauſa averſionis & obtrectationis eſt ignorantia, cum qua ſociat S. Gregorius nimiam credulitatem, & ad plura diſtractionem: De nimia credulitate jam jam dicemus.

Secundò, quia interdum Catholici Sectariorum libellos famoſos legunt, & iis, quæ narrant, ſine ulla accuratiore diſquiſitione fidem habent, nec alteram aurem alteri parti integram & incorruptam ſervant. Quocirca Spiritum odii in Societatem imbibunt, & ab obtrectandi libidine occupantur.

Tertiò, quia multi ſunt nomine Catholici; re ipſa, Pſeudocatholici; quibus Catholiciſmus in labris natat: Lutheriſmus, Calviniſmus, Arianiſmus, Machiavelliſmus, vel ipſe etiam Atheiſmus ſub pectore recubat. Ab his quid exſpectet Societas? Num laudem? num approbationem? num ſtudiorum, quibus dedita eſt, commendationem?

B Quartò fieri poteſt, ut interdum aliquis vel aliqui ex noſtris imprudentia ſua, vel indebito agendi modo (homines enim ſumus) averſionis ſeu abalienationis occaſionem uni vel pluribus verè & ſincerè Catholicis præbuerint. Sed iſtos cogitare oportebat, propter unius vel alterius culpam, animum benevolum à toto Ordine non eſſe abducendum, ídque ex lege prudentiæ & æquitatis: nam imprudentis eſt propter pauculos nocentes, odiſſe innocentes; iniqui inſuper eſt culpas unius vel plurium partium, ad totum corpus transferre: Dic mihi, quiſquis ad hanc claſſem ſpectas, ubi degis? ubi vitam agis? In Regno quopiam, an in libera aliqua civitate? Si degas in regno, unúſque vel plures ex Regni incolis, te immeritò lædant, & injuria afficiant, an propterea ab omnibus aliis Regni illius indigenis alienus eris? An non modò eos nulla benevolentia dignaberis, ſed & ubicunque po-

C teris, maledico dente rodes, & omnium ludibrio expones? Idem quæro ex te, ſi in libera aliqua civitate verſeris, ubi offenſiones aliquando interponi neceſſe eſt ob diverſitatem ingeniorum. Num ideo Rempublicam totam deteſtaberis, & favore tuo ac benedicentia indignam judicabis? mitto dicere, etiam ſingulis quibusque, à quibus læſi vel verè ſumus, vel ſaltem videmur, offenſas promptè & alacriter condonandas eſſe, præſertim ſi eos facti ſeriò pæniteat, gratiámque & reconciliationem quærant, tantum abeſt, ut deceat aut liceat ad alios, quamvis eiuſdem corporis membra, vel ad ipſam univerſitatem, odium & rancorem mentis derivare.

D Quintò, ſunt Catholici, & genuinè quidem germanéque Catholici, ſi ſolùm fidei profeſſionem intueamur; vitiis tamen & flagitiis dediti, & rerum caducarum illecebris ita deliniti, ut ſpiritualia vix guſtent. His Jeſuitæ, virtutis & honeſtatis publici & privati præcones atque doctores, grati eſſe E non poſſunt. Et fortè res tanti non eſſet, ſi ſolummodo grati non eſſent: Etiam linguas ſtringunt, & ut alii ſtringant, ſæpe auctores ſunt, & ſi ſtringant, collaudant, præſertim ſi ſtricturas iſtas, ne diffluant, calamus in chartam referat. Verè Eccleſiaſticus. *Contra virum juſtum, peccator eſt.* Qua de cauſa? Quia contra peccatorem vir juſtus eſt: nam ùt idem Eccleſiaſticus ait: *Contra malum bonum eſt, & contra mortem, vita.* Hæc tanta ſtudiorum oppoſitio haud apta eſt, ut benevolentiam conciliet: imò perennis odii fomitem accendit. Eccleſiaſt. 33.

Sextò, livor nonnullos, qui de Catho- F licorum numero cenſentur, parùm propitios nobis reddit. Vident Societatem ad omnes mundi partes diffuſam eſſe, & quotidie latiùs diffundi. Dolent, & ex dolore invident, ex invidia obtrectant, & obtrectatores alios avidè audiunt; procul ab omni livore futuri, ſi vanè non timerent, hanc qualemcunque opellam, quam Eccleſiæ Dei Societas noſtra navat, ad honoris ſui & bonæ exiſtimationis imminutionem redundaturam. *Qui magnas res gerunt*, inquit Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. cap. 14. *fortunáque proſpera utuntur, invidi ſunt, quidquid enim ad alios pervenit, id ſibi eripi arbitrantur.* Quanquam invidere ſæpiùs ſit puſilli & anguſti animi, cui omnia videri ſolent magna, ùt idem Ariſtoteles docet. Vetus malum invidia, nec quamdiu homines erunt, intermoriturum.

Amabatur Joſeph à patre ſuo teneriùs cæ- G teris, quia ætate jam ſenecta eum genuerat. Gen. 37. Id in fratribus adeò invidiam accendit, ut nihil *pacificè ei loqui poſſent*, præſertim poſtquam acceſſit narratio ſomniorum, quæ dormienti objecta fuerant. Regreſſis Sauli & Davidi à cæde Goliath Philiſtæi, egreſſæ ſunt *in occurſum mulieres de univerſis urbibus Iſraël cantantes atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Quid Saul? *Diſplicuit ſermo iſte in oculis ejus: dixítque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die illa & deinceps.* Qui ſunt iſti non recti oculi, niſi limi, lividi, invidi? 1. Reg. 17.

Nec Apoſtolo Paulo deerant invidi, & H quod hinc conſequens, oblocutores, etiam tunc, cùm Romæ in vinculis attineretur, quo tempore quoſvis potiùs ad miſericordiam, quàm ad invidiam concitare poterat. Et tamen quidam *propter invidiam & contentionem* Evangelium annunciant, *exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Quid erectus & invictus Pauli animus? *Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad ſalutem.* Aliena ergo in- Philip. 1.

vidia

A vidia S. Paulo saluti fuit, quæ auctoribus suis solet esse exitio, quorum naturam & indolem præclarè depinxit S. Zeno, Episcopus Veronensis: *Nullum virtutis opus*, inquit, *apud illos habetur in laude: non sermo ullus honestus eis videtur, aut gratus, nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur. Sed sicut vultures, jucunda quæque & amœna loca transeunt: & suavissimis odoribus respirantia transvolant prata: ad fœtida verò quæque cadavera, & loca tetris repleta nidoribus convolant, & sicut muscæ omisso sano corpore, sicubi vulnus est, concitæ, præcipitésque conveniunt, ita & invidi, si quid ab aliquo in hac vitâ bene gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum est, nihil prorsus vident, nihil retractant. Sicubi autem quid aut culpabiliter gestum, aut incauto sermone prolatum, ùt accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, & notiam viri non ex bonis gestis, dictisque, sed ex minùs probabilibus fieri volunt, quo malo quid nequius? quid tetrius? quid pernicioſius dicam?*

S. Zeno serm. de Invidia: extat quoque inter Homilias S. Basilii.

B Septimò tandem sequuntur *falsi fratres*, à quibus neque Apostolus tutus fuit: Falsos fratres voco, qui nobiscum aliquandiu versati, postea aut ultrò aufugiunt, aut gravitate culparum ita exigente, dimittuntur vel ejiciuntur; qualis olim Auctor Historiæ Jesuiticæ; Lermæus; Auctor libri de modo agendi Jesuitarum, & similes, quibus difficile, ne dicam impossibile est, ut Ordini, quem flagitiosè deseruerunt, benedicant; multò proclivius est maledicere, & ne fortassis maledicta citò in auras abeant, typis frequenter mandant.

C Ab his septenis hominum generibus ferè libelli famosi, obtrectationes, detractiones, vituperationes, & id genus alia in Societatem emitti solent. Quæ nihil novi patitur. Eandem fortunam subiêrunt olim alii Ordines, nominatim duo illi in orbe Christiano clarissimi *S. Dominici*, & *S. Franciſci*, quibus longo tempore non modò cum hæreticis, sed & cum Catholicis bellandum fuit: Et fermè eadem illis objecta fuêre, quæ hodie objiciuntur nobis, ùt ostendi jam pridem in Appendice, quam ex Apologiis S. Thomæ & S. Bonaventuræ confectam adjeci ad Refutationem Historiæ Jesuiticæ. Certè S. Thomas accuratissimum illud opusculum contra oppugnantes Religionem, potiùs adversus quosdam, qui Catholici appellabantur, quàm adversùs hæreticos scripsit; quia ab istis potissimùm vexabantur & traducebantur.

D Idem dico de S. Bonaventuræ Apologeticis opusculis, quæ sunt: *Determinationes quæstionum circa Regulam S. Franciſci.* II. *Quare Fratres Minores prædicent & confessiones audiant.* III. *Liber Apologeticus in eos, qui Ordini Fratrum minorum adversantur.* E IV. *Contra calumniatorem Franciscanæ Regulæ, sive de tribus Quæstionibus.* V. *De paupertate Christi, contra Wilhelmum de S. Amore.* VI. *Apologia pauperum.* VII. *Quòd Christus & Apostoli nudis pedibus incesserint, seu de Sandaliis Apostolorum.*

His omnibus Apologeticis Syntagmatis conscribendis Catholici potissimùm S. Bonaventuræ occasionem dederunt; qui quidquid eorum desideriis in illo (ùt & in S. Dominici) Ordine adversabatur, carpebant & lacerabant, tanto odio in optimos Patres concitato, ut S. Bonaventura de Clericis palàm & intrepidè pronunciet: *Nonnullos de Clero plus odisse Religiosos, quàm Judæos Christi adversarios.* Et alibi his difertis verbis explicat quorundam in Ordinem benevolentiam. *Si*, inquit, *nunquam deberemus morari, nisi de voluntate Clericorum; vix unquam in Ecclesia possemus diu morari, dum aut per se, aut incitati per alios, ejicerent nos de parochiis suis potiùs quàm hæreticos vel Judæos.* F

S. Bonavent. in Apologet. Q. 21.

Q. 10.

Nec hæreticis, verùm Catholicis accenseri volebant illi utriusque Ordinis calumniatores, quibus compescendis Alexander IV. Pontifex Max. Bullam promulgavit Anno Redemptoris M. CC. LVII. cujus in exordio ita loquitur Pontifex: *Non sine multa amaritudine animique perturbatione audivimus, quòd nonnulli Magistri & Doctores, ac alii, acuentes ùt gladium linguas suas, & venenum aspidum gerentes sub labiis, ad infamiam & gravamen, & dispendium innocentium, videlicet in sugillatione, & lesione dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum & Minorum nequiter vomuerunt. Et licèt illos distinctè non nominaverint, nec vocabulis propriis expresserint, eos tamen quibusdam verborum involucris, & certis & cautis circumlocutionibus apertiùs innuerunt, ita quod ex talibus eorum dictis manifestè, tanquam si expresè illos nominâssent, innotuit, quòd de ipsis fratribus loquebantur. Fuderunt, inquam, virus, & contra eos in scholis, prædicationibus, & alibi asserere præsumpserunt, quòd in statu & via salvandorum non erant: nec meritoria, nec salutifera eorum existebat mendicitas: &c.* G

H Omitto alia Pontificum Diplomata pro iisdem Ordinibus non contra triviales adversarios, sed adversùs Doctores & Magistros in Academiis publicísque Scholis edita. Insuetum igitur censeri non debet, si quod aliis Religiosorum familiis evenit, id etiam eveniat huic minimæ Societati nostræ, hac tanta Sectariorum multitudine, hac morum apud multos perversitate, denique hoc ævo, quo charitas ob nivem & glaciem, ut ita dicam, hæreticam undequaque circumfusam, in multorum animis multùm refrixit. Sed bono simus animo, S. Augustinum monitorem audiamus. *Non vos terreant, fratres, quidam fluvii, qui*

S. August. in Psal. 57.

A *qui dicuntur torrentes. Hyemalibus aquis implentur, nolite timere, post paululum transit, decurrit aqua. Ad tempus perstrepit. Mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses* (linguæ calumniatrices, & chartæ infames) *jam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt, decurrerunt, siccatì sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint. Spernentur tanquam aqua decurrens:* Et cum his etiam ille Tenebrio, qui non ita pridem in Polonia famosum libellum cudit, & in vulgus sparsit: cui Titulum indidit: *Monita privata Societatis JESU.*

B Viderat & legerat Monita quædam generalia à bonæ memoriæ R. P. *Claudio Aquaviva* nobis præscripta. Ad horum imitationem confinxit iste, nobísque attribuit *Monita privata*, quæ tota sunt ironica, scoptica, plena sycophantiis, lœdoriis, pseudologiis, quæ nec agnoscimus, neque agnoscemus unquam: Aut enim vult, Monita hæc extare apud nos scripto concepta, à se autem velut ex Caci antro in lucem protracta esse: aut vult Monita hæc non quidem reperiri apud nos scripto consignata, aut typis expressa, usu tamen ipso & quotidiana praxi observari, & à majoribus ad minores quasi traditione transmitti. Sed sive hoc, sive illud, sive utrumque velit, non facit, quod bonum virum, sed quod conviciatorem decet. Tot millia in hac Societate degimus, quis unquam horum *Monitorum* exemplar seu apographum vidit?

C Sed ipsemet probè sibi conscius est, se hæc Monita demùm in chartam retulisse, quando de illo verè cantari poterat ille Psalmi versiculus. *Sedet in insidiis cum divitibus, in occultis, ut interficiat innocentem.* Et. *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas* (Monita sua) *in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Neque ullam praxin agnoscimus, qualis in his Monitis à calumniatore describitur. Sunt nobis nostræ Constitutiones, sunt Regulæ, sunt Ordinationes Superiorum, quas nostris in actionibus sequimur, & à quibus, quantum fieri potest, ne latum quidem unguem deflectimus. Quæ iste nobis apponit, inania blateramenta sunt, cusa & effusa ex odio & indignatione; nam ne lector nesciat, Auctor horum Monitorum non tam ignotus est, quàm fortè se esse arbitratur.

D Verisimiliter unus est ex illis, *qui ex nobis exiêrunt; sed non fuerunt ex nobis; si enim ex nobis fuissent, permansissent nobiscum:* quorum tamen exitus non est sine fructu. *Potuit Deus illos intus pati semper; Sed nos de illis non proficeremus. Cùm autem separati sunt, & per quæstiones malignas inquietant nos, propositum est nobis ex illis & inquisitionis studium, & timoris exemplum. Unusquisque tremit, cùm alterum videt exîsse, tanquam ex illius exitu dicatur illi: Qui se putat stare, videat, ne cadat. Prosunt ergo, quia exeunt; nam si intus essent, & tam mali essent, nihil de illis prodesset.* Hæc pulchrè S. Augustinus.

E *In omni congregatione multitudinis,* ait idem S. Augustinus, *Necesse est, ut inveniantur mali; Deus enim, qui novit exercendos nos, miscet nobis & non perseveraturos, aut certè ita simulatos, ut nec inchoaverint, in quo perseverare debeant; novit enim, necessarium esse nobis, ut feramus malos, & proficiat, quòd boni sumus.* S. Augustin. in Psal. 54.

Quid, quòd & Judas fur atque proditor *inter duodecim electus est, ne ipse duodenarius tam exiguus numerus esset sine malo: hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat, ut inter malos viveremus. Et quia necesse erat, ut malos sive scientes, sive nescientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit, ne deficias, cùm cœperis inter malos vivere,* & à malis exerceri, certus, malitiam suo Auctori priùs nocere, quàm cuiquam alteri. S. Augustin. in Psal. 34.

F *Fratres mei,* ait S. Augustinus, *ita credite, ita certi estote, ita, si est in vobis excellentior prudentiæ ratio, videte atque perspicite. Nemo malus, qui non sibi priùs noceat. Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud; illud, quod admoves, priùs ardet, nisi ardeat, non incendit. Facula est, hanc faculam apponis, ut aliquid incendat: nunquid non ipsa facula, quam apponis, prior ardet, ut aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te, & quem priùs vastat, nisi te? Quò profundit ranium, lædit, ubi radicem habet, non lædit? Et, quidem dico, quòd, malitia tua ut alteri non noceat, fieri potest; ut autem tibi non noceat, fieri non potest.* S. Augustin. loc. cit.

G Adeat conscientiæ suæ adytum Monitor noster, & dispiciat, an non in se ipso expertus fuerit, hodiéque experiatur hæc Augustiniana oracula cum veritate examussim congruere. Clamat Auctor sermonum ad Fratres in Eremo: *Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus; Servis Dei quidem merces falsis detractionibus crescit, sed crescit pœna etiam detrahentibus: Non sine causa dictum est: Gaudete & exultate, quando detrahitur de vobis, dicentes falsa, quia merces vestra magna est in cœlis. Nolumus cum detrimento vestro magnam habere mercedem. Minus ibi habeamus, & tamen vobiscum ibi regnemus.* Ser. 53.

H Quàm horribili pœna Florentius Presbyter à Deo mulctatus sit, quòd ex odio & invidia S. Benedictum insectaretur, habes apud S. Gregorium in Dialogis. Adscribam aliqua ejus verba, quia natalitiam odii & invidiæ originem pulchrè aperiunt. *Cùm jam loca eadem* (ubi S. Benedictus degebat) *in amorem Domini nostri JEsu Christi, longè latéque ferverent, & sæcularem vitam multi relinquerent* (nota Monitor) *& sub leni Redemptoris jugo cervicem cordis edomarent: Sicut mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt, vicinæ Ecclesiæ Presbyter Florentius nomine, &c. Antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studiis cæpit æmulari* (hoc est, invidere) *ejúsque conversa-* S. Gregor. lib. 1. Dial. cap. 8.

A *versationi derogare, quoſque etiam poſſet, ab illius viſitatione compeſcere.* (En præclara invidiæ effecta, ſed videamus adhuc præclariora) *Cúmque jam ſe conſpiceret, ejus profectibus obviare non poſſe, & converſationis illius opinionem creſcere, atque multos ad ſtatum vitæ melioris, ipſo quoque opinionis ejus præconio indeſinenter vocare, invidiæ facibus magis magisque ſuccenſus, deterior fiebat: quia converſationis illius appetebat habere laudem, ſed habere laudabilem vitam, nolebat.*

B Mihi hactenus S. Gregorius non tam Florentium, quàm Monitorem noſtrum depinxiſſe videtur: certè in Florentio vivis coloribus Monitorem expreſſit. Quid ampliùs molita eſt invidia? *Eiuſdem invidiæ tenebris cæcatus Florentius, ad hoc uſque perductus eſt, ut ſervo omnipotentis Dei infectum veneno panem, quaſi pro benedictione, transmitteret.* Iſte tam nobis, quàm aliis peſtilentiſſimo veneno infecta, Monita miſit; ſed mors in olla; mors in Monitis. Caveamus, fugiamus, & in ſola loca ſimul cum Auctore deportanda curemus.

C Cùm techna panis venenati non ſucceſſiſſet, ad aliam ſe invidus ille Florentius contulit. *Quia Magiſtri corpus necare non potuit, ſe ad extinguendas diſcipulorum animas accendit,* introductis laſcivis & impudicis ſpectaculis, quibus juniorum mentes ad libidinem exæſtuarent. Monitor quoque non ſemel ſuo in Theatro Venerem, ejúsque Aulicos & neſcio quos ex Pentapoli cives, repræſentat. Eodem ſcilicet fine, quo Florentius. Nollem eadem mercede. Sed tempeſtivè ſibi conſulat. Florentius unum Benedictum & pauculos ejus diſcipulos exagitabat, & perditos cupiebat. Iſte integrum Ordinem, in quo tot millia degunt, & in his Sacerdotes plurimi, qui Deo divinam hoſtiam quotidie immolant. Quis ergo exitus Florentii? Ceſſerat S. Benedictus invidiæ, mutata habitatione: quod *cùm prædictus presbyter ſtans in Solario cognoviſſet & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipſum tantùm, in quo ſtabat, ſolarium cecidit, & Benedicti hoſtem conterens extinxit.* Timeat hoc vel ſimile exitium, qui ſimilia vel potiùs longè graviora in Dei ſervos impudenter committit. D

Verùm jam ad ipſa Monita diſcutienda gradum faciamus. *Certamina igitur, Deo auſpice, adverſus mendacium inituri, ducem & magiſtrum invocabimus Deum veritatis. Ipſe enim eſt, qui à vaniſſimis mendaciis nos vindicavit: nunc quidem clamans:* Ego ſum veritas: *nunc autem cohortans; confidite, ego vici mundum.* Neque verò quidquam, quod ſit alicujus ponderis, (ſi tamen quidquam eſt in hac calumniarum farragine, quod ſit alicujus ponderis) tacitus præteribo, appoſitis plerumque ipſius criminatoris verbis. E

S. Athanaſ. adversùs eos, qui multitudine gloriantur. Tom. 2. p. 246.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

CAP. I. *Qualem ſe Societas præſtare debeat, cùm de novo accipit alicujus collegii fundationem.*

II. *Quid facto opus, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?*

III. *Quid curabunt Domini, qui nobis, dum pecunia deſtituuntur, multæ tamen ſunt auctoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt.*

IV. *Quænam commendata eſſe debeant concionatoribus & confeſſariis Principum & Magnatum.*

V. *Quid agendum cum Religioſis, qui ſymbolizando nobiſcum in multis occupationibus, nobis detrahunt?*

VI. *De Viduis.*

VII. *De augendis reditibus Collegiorum.*

VIII. *De dimiſſis vel dimittendis ex Societate.*

IX. *De delectu Juvenum pro Societate modóque eos retinendi.*

X. *De Monialibus.*

XI. *De caſibus reſervatis.*

XII. *Qui conſervari & foveri debeant ex perſonis Societatis.*

XIII. *De contemptu Divitiarum.*

XIV. *Epilogus Monitorum.*

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. *Qualia & unde hæc teſtimonia?*

II. *Diſcutitur primum falſum teſtimonium hominis ſine nomine, & colore.*

III. *Examinatur ſecundum teſtimonium absque teſte.*

IV. *Refellitur tertium teſtimonium ſine teſte.*

V. *Refutatur quartum teſtimonium ſine teſte.*

VI. *Excutitur quintum teſtimonium ſine teſte.*

VII. *De*

VII. *De ſexto teſtimonio ſine teſte.*
VIII. *Refutatio ſeptimi teſtimonii ſine teſte.*
IX. *Exploditur octavum teſtimonium ſine teſte.*
X. *Refellitur nonum teſtimonium ſine teſte.*
XI. *Examinatur primum ex Polonia Teſtimonium Bernardi Maciecovii ſeu Maciejovvski S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopi Gnesnenſis.*
XII. *Examen ſecundi Teſtis ex Polonia.*
XIII. *Auditur tertius ex Polonia teſtis.*
XIV. *Quid teſtetur quartus ex Polonis excitus teſtis.*
XV. *Refelluntur tria alia teſtimonia, ſed anonyma & amartyra.*
XVI. *De proſa Monitis & Teſtimoniis ſubnexa.*

LIBRI TERTII.

CAP. I. *Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationis Indicis contra Monita Decretum.*
II. *Quid de Monitis iſtis ſenſerit Illuſtriſſimus Cracovienſis Antiſtes Petrus Tylicki, & qua cura Auctorem indagaverit.*
III. *Judicium Illuſtriſſimi Nuncii Apoſtolici de his Monitis.*
IV. *Monita hæc proſcribuntur ab Illuſtriſſimo Epiſcopatus Cracovienſis Adminiſtratore.*
V. *Sententia de Monitis Illuſtriſſimi Domini Martini Syskovvski, Epiſcopi tunc Plocenſis, nunc Cracovienſis.*
VI. *Quo loco Monita habeat Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Joannes, Comes ab Oſtrorog, Palatinus Posnanienſis, & Regni Poloniæ Senator primarius.*
VII. *Quis de Monitis iſtis ſenſus ſit Sacerdotis cujusdam Leſcynki, & de Monitis Calviniſticis Torunienſibus.*
VIII. *Concluſio ad Patres & Fratres ex Societate JESU, qui in ampliſſimo Poloniæ Regno Deo & Eccleſiæ ſerviunt, unà cum Diplomate Auguſtiſſimi Polonorum Regis Sigismundi II.*

FACULTAS COLLEGII THEOLOGICI IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

OMnia calumniatorum plena ſunt. Quare non mirum eſt, ſi iisdem Apologiæ opponuntur, ne innocentia opprimatur. Ex quibus & hæc una eſt, contra Anonymum quendam Copronymum in Polonia mendaciis & conviciis horrificè tumultuantem. Quam typis dignam arbitror, ut obſtruat ora loquentium iniqua.

Petrus Stevartius Leodius SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Academiæ Ingolſtadienſis Procancellarius; & hoc tempore Facultatis Theologicæ Decanus.

APOLOGETICI
CONTRA
LARVATUM
MONITOREM,
LIBER PRIMUS,
QUO IPSA MONITA EXAMINANTUR.

CAPUT I.
MONITUM I.
Qualem se Societas præstare debeat, cùm de novo accipit alicujus Collegii fundationem.

A ITa titulus habet. Res titulo subjecta est. I. *Ut explicent finem Societatis, qui est incumbere in salutem propriam & proximi.* II. *Ut humilia & abjecta obsequia obeant.* III. *Ut ægros in Xenodochiis, & in fimo jacentes invisant.* IV. *Ut confessiones quorumcunque audiant.* V. *Ut hujus rei causa etiam ad loca distantia se conferant.* Quid in his omnibus mali? Quid reprehensione B dignum? Quamvis Monitor reprehensionem meretur, & quidem duplici nomine; primùm quia fingit, hæc à Superioribus quasi *Monitum* seu privatum quoddam mysterium inculcari; quod omnibus, hoc ipso, quòd in Societate degunt, à primo die, quo Societatem amplexi sunt, insitum quodammodo & intimis præcordiis insculptum est; quis enim nescit, hominibus finem Societatis explicandum esse, ut noverint, quid sibi de nobis promittere, quidve à no- C bis exspectare debeant? Quis nescit, vilia & in speciem abjecta officia suscipienda, xenodochia, orphanotrophia, nosocomia, ptochotrophia, tuguriola & mapalia æquè alacriter, imò alacriùs adeunda, quàm splendida domicilia, & magnifica Principum palatia? Quis nescit confitentibus, qualescunque illi, quamvis egeni & mendici sint, aures promptè dandas esse, nec abnuendum, quò minùs quis hujus rei causa, etiam longum iter emetiatur? Hæc apud nos sunt prima, ut ita vocem, principia & rudimenta.

Secundò, reprehensionem meretur; D quia obliquè insinuat, hæc duntaxat à nobis præstari iis locis, ubi & quando Collegia nova eriguntur. Non ita, ô Monitor, vilium & miserabilium hominum curam nunquam deponit Societas, sive hac vel illa in urbe sit recens, sive jam olim sedem posuerit. Cujus rei tot testes proferre possumus, quot nobiscum una in civitate, vel uno in oppido degunt, si tamen non sint ex eorum numero, quibus livor oculos effodit; vel qui, idolorum instar, oculos habent, & nihil vident. Carceres, triremes, domos hospitales, & id genus alia inopum & afflictorum receptacula, Societas ab incunabulis suis sibi vendicavit; neque, dum stabit, eorum curam & sollicitudinem sibi eripi sinet, quidquid Aretalogi imprudenter & impudenter ogganniant.

Scripserunt Sanctissimi Patres Gregorius E Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus, ille quidem unam, hic duas præclarissimas orationes *De pauperibus amandis*, &, quà licet, juvandis. Ausim dicere, licèt hæc cura nostris quasi originaria & hæreditaria non esset, nihilominus vix quisquam lectis his orationibus, tam frigidus esset, qui benefaciendi pauperibus igniculos non concipere: Et cùm beneficia nomino, potissimùm spiritualia intelligo: tametsi à religiosa professione nequaquam alienum sit, miseris & egenis, etiam ea procurare, quæ corpus recreant & refocillant, ùt jam Monitor nos docebit. F

Quid amplius igitur, ô Monitor? *Eleemosynæ conquirendæ sunt, dandæq; pauperibus, aliis videntibus, ut ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores.* Quid mali, debita moderatione servata, corrogare stipem, qua

A qua pauperes ſubleventur, præſertim illi, *quibus*, ùt inquit Nyſſenus, *veſtimenta ſunt lacerata, ex attritis centonibus conſuta: in manibus baculus, non ab ipſis digitis comprehenſus, ſed loris quibuſdam ad palmas alligatus. Hoc illi pro gladio, hoc pro vehiculo utuntur. Sacculus adeſt ad ſervandum panem ſitu cariéque confectus, Pera rimoſa; in hac illis & focus, & domus, & ſtragulum, & lectulus, & penu, & menſa, omnis denique ſupellex in hac pera conſiſtit:* Hæc eleganter Nyſſenus.

B Num tu ad Apoſtolum quoque cavillationem tuam porriges, qui admodum ſollicitè pro tenuioris fortunæ Chriſtianis ab opulentioribus eleemoſynas petiit & collegit? *In præſenti tempore*, inquit, *veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*, íd-que amore Chriſti, qui *propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus.* Quam rem Apoſtolus adeò curæ cordíque habuit, ut in ea Corinthiis commendanda, duo integra capitula conſumpſerit, cujus beneficentiæ commendandæ ne in prima quidem ad eoſdem Corinthios Epiſtola oblitus eſt.

2. Cor. 8. & 9.

1. Cor. 16.

C Sed ecce tibi viperinum aculeum. Jeſuitæ monentur, ut Eleemoſynas *aliis videntibus* diſtribuant. Diſtribuere eleemoſynas aliis videntibus, eo fine, ut videant *opera noſtra bona, & glorificent patrem, qui in cœlis eſt*, vituperari non poteſt, niſi quis vituperare velit Chriſtum Dominum, qui hunc in modum opera noſtra lucere, aliísque prælucere voluit. Itaque dare eleemoſynam, ut videant alii & imitentur, vel ſaltem ad laudes Deo dicendas invitentur, omni culpa vacat. At dare Eleemoſynam, ut datores videantur, *& honorificentur ab hominibus*, id verò omni deteſtatione dignum eſt. *Hoc faciunt Jeſuitæ*, inquit monitor. Unde id tibi compertum? *Reſpicta cordis eſt*, utor verbis S. Auguſtini, *judicem habere non poteſt, niſi Deum.* Num tibi tam acuta eſt acies, ut oculos in præcordia inferere queas? *Nemo enim accuſator* (veridicus) *cordis eſſe poteſt, niſi cordis inſpector:* ùt idem ſanctus Doctor & Præſul verè dicit.

Matth. 5. Matth. 6.

S. Auguſt. ſerm. 234. de temp.

D Dicet Monitor: *Colligi hanc mentem ex quibuſdam indiciis externis.* Quæ, obſecro, illa? Num noſtri in Polonia, dum eleemoſynas ab opulentioribus emendicatas, egenis dividunt, tubicines conſtituunt, qui clangore tubarum omnes ad tam memorabile ſpectaculum convocent, prout olim factitabant Phariſæi, & id genus alii hypocritæ, quos Chriſtus acriter objurgat, & objurgare jure potuiſſet, licèt hoc externum ambitionis & auræ popularis captandæ argumentum non edidiſſent; quia ipſe cordium & renum ſcrutator eſt, & quo fine quodlibet fiat, in ipſis etiam intimis animi penetralibus clariſſimè intuetur.

E Sed en alium ſerpentinum dentem, quem criminator nobis infigit. *Eleemoſynas* dari aliis videntibus, *ut ædificati facto noſtrorum, ſint in nos liberaliores.* Etiam hîc *cardiognoſtæ* officium ſibi ſumit, cùm tam cæcus ſit, ut vix videat, quæ ante oculos obverſantur. Miſericordia, cujus eleemoſyna actus eſt, finem alium non habet, quàm ut quoquo modo miſerorum miſeriam ſublevet; eum ſpectant noſtri, cùm eleemoſynas ab aliis acceptas egentibus largiuntur. Appendiculam de ſe, cur vitiosè appenderent, cùm non ignorent, veriſſimum illud cœleſtis Monitoris Monitum: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Quocirca neceſſe non eſt, ut in Eleemoſynarum diſtributione ſui curam gerant. Eſt alius, qui gerit; & quidem fideliſſimè, cui omnes fideles famuli Davidicum illud admodulantur: *Fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Quamvis has eleemoſynarum acceptiones & erogationes ſatis reſtringat Regula XXII. Sacerdotum, quæ eſt talis. *Nemini aut petere aut accipere quidquam liceat ab iis, quorum confeſſiones audiverit, ſive ab aliis, quod vel in pauperes diſtribuat, vel alteri ſatisfactionis nomine reſtituat, niſi Superior, cùm opus eſſet, ſecus faciendum judicaret.*

F

Pſal. 54.

G Sequitur ultima pars hujus Moniti. *Modeſtiam exteriorem omnes ediſcant, ut illa alios ædificent; delinquentes è noſtris vel ob id dimittantur.* Nil opus ſingulari Monito. B. P. N. Ignatius minutiſſimè & accuratiſſimè in Regulis, quas vocamus *Modeſtiæ*, nobis præſcripſit, qualis exterior hominis Religioſi compoſitio, & conſtitutio eſſe debeat. Quod olim quoque præſtitêre cùm alii, tum S. Bonaventura in *Speculo diſciplinæ ad Novitios*, *in Inſtitutione Novitiorum*, & in alio opuſculo, quod *Regulam Novitiorum* inſcripſit: nam nimis tam civilis quàm religioſæ Ethices expers fuerit, qui modeſtiam in actionibus externis inſuper habendam cenſeat, cùm ipſi etiam Ethnici τὸ πρέπον τῦτο, hoc decorum, quod in oculos incurrit, tanti fecerint, ut de ejus obſervatione non pauca præcepta tradiderint, nominatim M. Tullius Cicero in libris Officiorum, húncque ſecutus in ejusdem Tituli libris S. Ambroſius.

H At hypocritæ hoc modeſtiæ Schema etiam ſubire poſſunt. Quid tum? An ideo nos hanc tam pulchram coram Deo & hominibus veſtem exuemus, omníſque decentiæ obliti ſenſibus & exterioribus motionibus habenas liberè laxabimus, ut, quocunque lubido impellit, ruant? Etiam lupi ovium indumentis aliquando amiciuntur, & ſic lana ovilla tecti, hominum conventibus ſe ingerunt & inſerunt. Num propter hanc luporum fraudulentiam oves

A vellera ſua abjicient ? Scitè S. Auguſtinus : *Oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.*

S. Aug. lib. 2. de ſermone Domini in monte, cap. 19. Tom. 4.

Quod appingit Monitor de dimiſſione, fateor, poſſe eſſe aliquem tam incompoſitum ſermone, tam impolitum, rudem & indigeſtum in actionibus externis, ut dignior ſit, qui inter Menalcas, Melibœos & Corydonas degat, quàm inter Religioſos, apud quos exterior eutaxia præcipuè locum habere debet; juxta illud Apoſtoli : *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Verùm de dimiſſione poſtea.

1. Cor. 14.

B Nunc quoniam ad finem primi Moniti pervenimus, accipiat Monitor cum ſuis Sodalibus ſalutare monitum ex libello *de ſalutaribus documentis*, qui in operibus S. Auguſtini extat. *Non accommodes aures tuas ad percipienda verba detrahentium, ne concipias mortem in anima tua, detrahenti enim & audienti, utrique eſca mortis animæ eſt detractio & lingua. Et ut breviùs concludam, detractor & libens auditor Diabolum portant in lingua.*

Tom. 4.

CAPUT II.

MONITUM II.

Quid facto opus, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur ?

C MOnitum hoc valde dentatum eſt, quia ipſum etiam Sereniſſimum & potentiſſimum Poloniæ Regem acriter mordet, ùt paulò pòſt videbimus. Titulus Moniti & calumnias & hyperboles continet : nam Principum & Dynaſtarum *intimam familiaritatem* nec quærimus, nec appetimus ; quia non eſt neceſſaria ad id, quod quærimus & appetimus, nempe ut gloria Dei augeatur, ut cultus divinus purè conſervetur, vel redintegretur, ſicubi collapſus eſt; ut religio Catholica vigeat & floreat, útque literæ & virtutes in juventutis animis ſerantur & plantentur, & tandem in lætam meſſem adoleſcant. Ad hos & ſimiles fines obtinendos neceſſaria non eſt *intima familiaritas ;* ſufficit favor, & benevolentia Principum, partim ut nos juvent, ſi quando auxilio egemus; partim ne impediant ; ùt facilè fieri aſſolet, ubi quis ab aliquo inſtituto ejúsque exercitationibus alienior eſt. Nimia familiaritas non caret periculo, quia ſæpe vertitur in nimium odium. Sæpe itidem religioſum Spiritum extinguit, ita, ut, dum nimis familiariter Dynaſtæ alicujus ſalutem procurat, ipſe propriam perdat.

D Nec abnuimus, nos operam dare, ut debitis & legitimis modis Potentûm voluntates nobis devinciamus ; quia hoc omnes religioſæ familiæ, quibus aliquid cum proximo negotii, fecerunt, hodiéque facti-

E tant. Hinc cùm olim Fratribus Ordinis Minorum, idem quaſi grandis culpæ loco, objectum fuiſſet, reſpondit, inter cætera, S. Bonaventura. Id eam ob cauſam fieri, *quia major utilitas provenit ex correctione unius divitis, quàm pluriùm pauperum. Pauperis enim ſalus ſibimet prodeſt, dives autem emendatus multis prodeſt, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur, & provocantur ad bonum, quàm propter alia bona, quæ per eum promoventur in aliis, & mala impediuntur. Qualis Rector civitatis, tales habitantes in eâ. Converſio Conſtantini Imperatoris ad fidem plus profuit Eccleſiæ in pluribus, quàm multorum aliorum, &c. Nam qui potentem in bono promovet, multos juvat : Sic è converſo ipſius ſubverſio multorum eſt detrimentum, &c.*

S. Bonavent. Q. 2. in Regulam S. Franciſci. Vide S. Thom. contra Impugn. Relig. cap. 19.

F Ergo jus fásque eſt, fuit, & ſemper erit, ut Religioſi conveniente via & ratione Principes, & quoscunque, qui aliqua dignitate, auctoritate, eruditione vel opibus cæteros antecellunt, Deo ac ſibi conciliare ſtudeant.

G Sed audiamus, quibus mediis & modis id à nobis Monitor vel potiùs inſulſus calumniator præſtari ſcribat. I. *Ne odioſa Principum facta aſperè reprehendant, ſed in meliorem partem explicent.* Bonæ mentis eſt facta Regum, Principum & Optimatum in bonam partem interpretari, dummodo bonæ interpretationis ſint capacia, prout ſunt, quandiu dubia manent. Deinde, ut facta hæc manifeſtè mala ſint & improbanda, quo tamen fructu lacerabit ea Eccleſiaſtes ex ſuperiore loco, cùm plerúmque ex tali infectatione meliores non reddantur Magnates, & ad auditores nihil emolumenti redeat, niſi quòd, quos antea amaverant & obſervaverant : nunc ſi non odiſſe; certè minùs amare & obſervare incipiant. Quapropter concionatoribus noſtris meritò hæc hæc Regula præſcribitur. *Cùm experientia doceat, & ſanctæ memoriæ Pater Ignatius ſcriptum reliquerit, nihil utilitatis percipi ex iis concionibus, in quibus Principes & Magiſtratus Reipublicæ, Prælati, & alii Eccleſiaſtici in particulari reprehenduntur ; concionatores noſtri ab hujuſmodi reprehenſionibus abſtineant.* Nam ùt rectè dicit S. Bonaventura. *Correctioni & ædificationi tantùm debet intendere doctor fidelis, non confuſioni vel infamationi alicujus præſentis vel abſentis. Ubicunque ergo præſumitur, quòd aliquis ſpecialiter de peccato priùs incognito aliis ex prædicatione redatur notabilis, unde poteſt oriri gravamen, vel ſcandalum, melius eſt tacere, & alia ædificatoria magis loqui. Qui verò facere conſuevit contrarium ; aut contentioſum, aut invidum, aut impudentem ſe demonſtrat, aut vanæ gloriæ cupidum, qui non aliunde eſſet acceptus apud hominem, ex aliorum infamia gloriam ſibi quærit. Quem confundendo exaſperas, hunc tardiùs ædificas, & rancoris aculeo vulneras.*

H

Sed

A Sed quænam iſta facta odioſa non nimis aſperè à Jeſuitis reprehendenda? *Cernitur id*, inquit Monitor, *in matrimoniis Principum cum ſibi affinibus. Quæ matrimonia magnam habent difficultatem ob vulgi opinionem, quod tales execratur thoros.* Hæc quorſum tendunt? An non contra Sereniſſimum Poloniæ Regem SIGISMUNDUM, ob alteras nuptias contractas cum ſorore prioris conjugis, atque adeò cum affini ſua in primo affinitatis gradu? Os impudens! túne carpere audes matrimonium à ſummo Pontifice, ab Eccleſiæ Proceribus, à Principibus Chriſtiani orbis, & ab omnibus rectè ſentientibus comprobatum, & collaudatum? Os impudens! túne Jeſuitis vitio vertes, quòd conjugium hoc fauſtiſſimo ſidere initum, non reprehenderint, eíque remoram injicere non tentaverint? Frons effrons! hæccine eſt tua erga Regem tuum obſervantia? Hæccine reverentia, híccine cultus, quo illum proſequeris? Hæccine obedientia ſummo Pontifici debita? qui tanquam ſupremus Legislator juſtiſſimas ob cauſas in hoc primo affinitatis gradu diſpenſavit, & diſpenſando licitum & validum fecit, quod, ſtante legis obligatione, illicitum & invalidum erat.

B At vulgus tales tædas execratur. Num tu nos tam ſtolidos arbitraris, ut vulgo tuo plus deferamus, quàm Chriſti Vicario, Petríque in terris ſucceſſori, & maximis Chriſtiani orbis Monarchis & Principibus? Et quodnam eſt hoc tuum vulgus? Ruſſico videlicet, Moſcovitico, Moldavico & Græcanico fermento de gradibus conſanguinitatis & affinitatis contaminatum; cui fermento Græci, eorúmque ſchiſmatici aſſeclæ adeò pertinaciter inhærent, ut gratiam legis nulli facerent, etiamſi fractus illaberetur orbis; cùm interim multis fœdis tetríſque erroribus circa matrimonii contractum teneantur, ùt planum fit ex novellis Juſtiniani, ex ſcholiis Balſamonis ad Nomocanonem Photii, & ex Conſtitutionibus de rebus matrimonialibus, quæ extant in vo-
C lumine, quod Jus *Græco-Romanum* inſcribitur. Hinc olim perpetuæ apud Græcos rixæ & diſcordiæ, unoquoque vel Imperatore Conſtantinopolitano, vel Patriarcha connubii habenas laxante vel adducente. Nimirum quid iſti de matrimonio duarum ſororum ſentiant, exquirendum eſt, non quid Sedes Apoſtolica; qui adeò inepti ſunt, ut negent, ob affinitatem ſcilicet valere matrimonium, ſi duo fratres duas ſorores, vel duas conſobrinas ducant. Quo ipſo ſatis declarant, quàm in affinitatis regulis præclarè verſati ſint.

D An tu, qui Catholicus videri cupis, optabas, ut Sereniſſimus Rex tuus ſponſam aliquam Schiſmaticam ex Moldavia, Valachia, Moſchovia, aut aliquam Luthera-
nam vel Calvinianam ex Germania, Gallia E
vel Britannia in regium thalamum adſciſceret? Si verum fateri velimus, multi huic matrimonio obtrectárunt, non quòd diſpenſatione ſummi Pontificis iniri poſſe neſcirent, ſed quia pacis & tranquillitatis publicæ oſores, ægrè admodum ferebant novo vinculo potentiſſimum Poloniæ Regem cum Sereniſſima Auſtriacorum domo, regnísque eidem annexis iterum copulari. Et qui hanc conjunctionem ad gloriam Dei, ad augmentum orthodoxæ religionis, & ad communem tranquillitatem inter vicina Regna & Principatus plurimum momenti attuliſſe negat, ùt quidem Monitor noſter rectè negat, is dignus eſt, cui in Viſtula balneum præparetur, ex quo non emittatur, niſi ejectis per ſudorem his tam noxiis malè ſani & peſſimè feriati cerebri humoribus.

De bellis ſuſcipiendis Rex habet ſuos con- F
ſiliarios, ſuaſores & impulſores; Religioſis hîc nihil loci relinquitur. Si expeditionem indicat, noſtrum eſt adeſſe, non ùt milites, ſed ùt militum concionatores, exhortatores, confeſſarios & in afflictis ſolatores, aſſiduósque apud Deum pro fauſto ſucceſſu deprecatores. Legationes politicas politicis relinquimus, nihil nobis cum rebus, quæ præcisè res externas & ſeculares concernunt. Si in rebus ad religionem & conſcientiam pertinentibus, Rex aliquò legationem deſtinet, & Jeſuitæ alicujus opera uti velit, non erit neceſſe, G
niſi valdè fallor, ut priùs à, neſcio quo, ruricola *Plebano* facultatem petat; ex quo libenter cognoſcerem, an non noverit aliorum Ordinum Profeſſores, qui ſimiles legationes promptè ſuſceperint, & alacriter obiêrint? Verùm hoc facilè digerit Monitor, dummodo Jeſuitis nihil horum à Regibus & Principibus committatur. Omnes alii apti ſunt, & digni: iſti ſoli inepti & indigni, judice invidia & malitia omnis candoris vacua.

Secundum præceptum, quod præſcribit H
pro Regum & Principum familiaritate aſſequenda, eſt, *ut Jeſuitæ priùs demereantur ſibi per munuſcula illos, qui Regibus & Principibus ſunt intimi; horum enim interventu haud difficulter aditum patefactum iri.* Inter munuſcula numerat uxores, *quas talibus promitti vult, ſi uxoribus careant; ea tamen lege, ut Societati ſint addictæ, per uxores enim maritos; Et per hos, Reges ac Principes conciliari poſſe, docere id experientiam per domum Auſtriacam in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisque Ducatibus & ditionibus. Sed quia fœmina varium & mutabile ſemper eſt animal, ideo ſedulam operam adhibendam, ut in amore erga Societatem ſtabiliantur, etiam famulabus in ſubſidium accerſitis, non tamen ſine munuſculis, quæ cœleſtes, terreſtres & ſubterraneos placant.*

Quàm

956

A Quàm doleo, istum Monitorem non vixisse temporibus M. Tullii Ciceronis, quando Consulatum, hoc est, supremam in Republica Romana dignitatem ambiebat. Longè certiorem viam huc perveniendi demonstrâsset, quàm Quintus Frater in suo Commentario de petitione Consulatus. Etsi enim satis accuratè percenset, quos & quomodo sibi devincire debeat, ut optatum finem assequatur, mulierum tamen & ancillarum oblitus est, haud absque gravi oscitantia; quarum benevolentia parta, non multum operæ viris expugnandis M. Tullio capiendum fuisset. Si *nomenclationem, assiduitatem, benignitatem*, & nescio quæ alia popularis multitudinis inescandæ instrumenta, ad feminas, earúmque pedissequas transtulisset, quàm planum & expeditum iter ad Consulare fastigium iniisset. Nunc fratris sui Monita secutus, vix, nisi ex immensis salebris eluctatus, ad speratam metam

B contingere potuit. Audi Monitor. Nullus est in Catholica Ecclesia Ordo, qui non malit Regibus ac Principibus benevolis uti, quàm malevolis; imò ne ipsi quidem Hæretici Prædicantes tam sunt obtusis sensibus, ut potiùs optent Regem sibi offensum, quàm placatum. Nihil igitur à communi consuetudine abhorrens facit Societas, si & ipsa Regum ac Principum favorem sibi procuret, quandoquidem non ignorat, quanti favor Principum ad fidei orthodoxæ propagationem, conservationem, & propugnationes omnium illarum functionum, quibus unaquæque Religio ex præscripto vacat. Si igitur licitus est hic finis, licita itidem erunt media, quæ ad ejus consecutionem destinantur. Quæ illa? Arrige aures cavillator. *Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper, qui rectè facit.* Hæc est omnium certissima & securissima Principum, & eorum, qui in Principis familia degunt, conciliandorum & ad usus nostros adjungendorum ratio. Qui hac neglecta aliam tenet, is fumos captat, & ventos sequitur.

C Hac tamen, tanquam primaria supposita, jus fásque est etiam alias statui religioso non dissentaneas usurpare, quidquid linguæ maledicæ ex mera, eáque prorsus livida malevolentia contrà fremant: nam & isti ipsi, quorum partim labore, partim auctoritate Monita hæc profeminata sunt: Regum & Procerum gratiam haud aspernantur, sed anxiè quæritant, utinam non technis Machiavellicis, ex quibus una est, ut petitoris *frons & vultus, & sermo, ad eorum, quoscunque convenerit, sensum & voluntatem commutetur.*

D Sed vide & obstupesce Monitoris invereundiam. Serenissimo Regi suo iterum alapam impingit, quasi ad Jesuitas fovendos & regia benevolentia prosequendos, impulsus sit conjugis Austriacæ commendatione; cùm omnibus Polonis exploratum sit, Serenissimum Regem SIGISMUNDUM etiam ante matrimonium Austriacum, imò ab ineunte ætate, Societati addictum fuisse. Scilicet Reginam ex Austria advocavit, ut Jesuitæ haberent fidam in Aula patronam, propitiam fautricem, & negotiorum omnium promotricem, non ut his jugalibus tædis bonum commune fulciretur, & pax inter amplissima regna magis firmaretur. In Galliis si quid Serenissimæ Reginæ Medicææ erga Societatem pia voluntas apud Christianissimum Regem HENRICUM magnum valuit & effecit: Si quid alibi ad similem modum præstitum est, ito livor, in angulum te abdito, & quantum voles, ejulato & ululato, mande *vipereas carnes vitiorum alimenta tuorum*, dignus es hoc cruciatu & cibatu, quia ea es indole, ut *vix teneas lacrymas, ubi nihil lacrymabile cernis, intabescásque videndo successus hominum.* E F

Plurimum in utramque partem potest feminarum affectus, multúmque refert dextérne sit, an sinister. Id, ut alias innumeras taceam, docent duæ feminæ, ambæ à luce nomen sortitæ, *Lucilla* & *Lucina*, quarum altera potentissima inter Carthaginenses, & in legitimum Episcopum Cæcilianum pessimè animata, Donatistarum schisma conflavit, opibus suis fovit, propagavit, & cum irreparabili tot millium hominum damno ad posteros transmisit. Altera ipsorum Apostolorum discipula, de Ecclesia Christiana tam præclarè meruit, ut fortè multos viros superârit; certè cum plurimis paria fecerit, cui in Martyrologio Romano XXX. Junii hoc elogium G ponitur. *Romæ S. Lucinæ, Apostolorum discipulæ, quæ facultatibus suis Sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, ac Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos & in crypta à se constructa, sepulta est.* Ejusdem nominis, meriti, & sanctimoniæ extitit alia Imperante Diocletiano, cujus crebra fit mentio in Actis S. Sebastiani, & in Actis S. Marcelli Pontificis & Martyris.

Nónne ipsi Lutherani & Calviniani verbi H Fidicines majorem partem Septentrionis per mulieres seduxerunt? An non jam quoque ad id studiosè incumbunt, ut primarias feminas sui Ministerii studiosas habeant? Quod ergo vitium sibi sumit, ut vitia serat, hoc liceat virtuti, ut virtutes plantet; hoc liceat orthodoxæ Religionis Professoribus & defensoribus, ut fidem patritam sartam tectam præstent, & à recto tramite aberrantes in viam salutis reducant, quamvis sanniones advolitent, cavillentur, irrideant, & quod sinceriissima mente fit, odiosissimè interpretentur, & Lucianico ritu subsannent, aliisque subsannanda ridicula-

riè

A riè proponant : Non poſſunt aliud, quia aliud non didicerunt, præſertim Auctor Monitorum, cui malitia in naturam vertit, *cui nuſquam recta acies, livent rubigine dentes. Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.*

B Tertium præceptum conciliandi proceres, eſt, *ut in conſcientiis Magnatum regendis eorum Auctorum ſententias ſequamur, quæ liberiorem reddunt conſcientiam contra Monachorum opiniones.* Calumniam audio, non noſtrum documentum. Si res ita ſe haberet, non dubito ipſum Monitorem, & eum, ſub cujus umbra & approbatione Monita procudit, uſuros Jeſuitis confeſſariis, pro conſcientiæ libertate conſervanda & ampliandа per laxas & liberas ſententias, quia ſunt, ùt ex his Monitis ſatis apparet, liberrimæ & ſpatioſiſſimæ conſcientiæ. Cedo Monitor, ſi Jeſuitæ conſcientias adeò laxant, cur multi ex illis, quibus conſcientia valde laxa eſt, noſtra ſedilia fugiunt, & quidvis facere malunt, quàm ſcelera ſua ad Jeſuitæ alicujus tribunal deferre? Contrà factum oportuit, ſi Sacerdotes noſtri tam ſunt conſcientiæ ampliandæ mirifici artifices. Extant non pauca opera à Doctoribus Societatis de Theologia conſcripta. Eandem multis in locis privatim & publicè in

C ſcholis profitemur; nemo adhuc, præter iſtum Nycticoracem, extitit, qui conquereretur, conſcientiis per opiniones noſtras fræna tolli, & repagula demi. Si quando mitior ſententia eligitur, id non fit ſine ratione & auctoritate, qua ſi nitaris, ſecurus es, tam in ſpeculatione, quàm in praxi. Utinam Plebanus iſte & Sodales ejus non eſ-

Iſaiæ 3. ſent ex illis, de quibus Dominus: *Populeus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Decipiunt, quia eum, qui ligatus eſt, ſolutum; & qui ſolutus eſt, ligatum pronunciant; adeò ſunt conſcientiarum curandarum ſagaces magiſtri; *qui dicunt his, qui blaſphemant*

Hierem. 23. *me* (verba Domini ſunt apud Hieremiam) *locutus eſt Dominus, pax erit vobis: & omni, qui ambulat in pravitate cordis ſui, dixerunt: Non veniet ſuper vos malum; quis enim adfuit in conſilio Domini, & vidit & audivit ſermonem ejus?*

D Quartum præceptum. *Ad Principes & Magnates conciliandos juvabit eos facere participes meritorum noſtri Ordinis.* (An nullis aliis Ordinibus idem mos eſt, eadémque conſuetudo? An quod in aliis laudas, id in Jeſuitis vellicas & cavillaris? Ita credo; Invidia afflatus facis, quod invidia ſolet: *Quacunque ingreditur, florentia proterit arva, Exuritque herbas, & ſumma papavera carpit*) *habere amplas facultates abſolvendi à peccatis reſervatis & cenſuris, diſpenſandi in jejuniis, in debito reddendo, in matrimonii impedimentis, in votis.* Etiam aliis Religioſis fa-

miliis ſua ſunt privilegia & prærogativæ, E
quid mirum, ſi & noſtræ per totum terrarum orbem diffuſæ? Sed Livor æquiſſima mente tolerat, ut alii vel omnia habeant; dummodo Jeſuitæ nihil; quorum gratias à Sede Apoſtolica benignè conceſſas dum aſpicit, irritatur, & dolore occulto mordetur, lentáque tabe *liquitur, ùt glacies incerto ſaucia Sole.*

Quintum præceptum. *Invitentur ad* F
ſcholas noſtras, ſalutentur carminibus, inſcribantur illis theſes. Nihil hîc extra Societatem inſolitum video: nam & alii cujuscunque Ordinis literarii profeſſores amicos ſuos, vel eos, quorum amicitiam deſiderant, ad ſcholas invitant: Præſentes adventoriis verſiculis excipiunt; eísque non modò theſes, ſed & integros libros dedicant. Honeſtiſſima eſt hæc ratio parandi amicos. Cur igitur, ô Mome, lancinas? Cur in Jeſuitis improbas, quod in aliis probas? Sed iſte bonis & actis noſtris aliter non uritur, *quàm cùm ſpinoſis ignis ſupponitur herbis: quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.* Fortè etiam: *Sæpe mori voluit, ne quidquam tale videret.*

Nihil amplius ô Livor? Imò verò. *Si ex-* G
pedit, in Triclinio tractentur, & ſi qualitas perſonæ expoſcat, variis linguis ſalutetur, tempore menſæ. Inimicitias inter Magnates componant. Nihil hîc invenio, quod culpari mereatur: nam inimicitias inter primores componere, uſque adeò laudabile eſt, ut illud nemo reprehendere poſſit, niſi cui Livor pectus *manu ferrugine tincta tetigit, & hamatis præcordia ſentibus implevit.* Beati enim *pacifici*, hoc eſt, non tantùm qui pacem amant & colunt, ſed & qui pacem inter diſcordes ſerunt, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ad prandiolum vel cœnulam invitare eos, quorum amicitia appetitur vel fovetur, non noſtri Ordinis proprium eſt; ſed omnibus religioſis familiis commune; quod Monitorem minimè fugit. Cæterùm, quod aliis dat laudi, hoc nobis dat crimini; ídque ex inſatiabili in Societatem odio, qui non modò omnes univerſim cupit eſſe noſtros hoſtes, ſed & viam, eos, qui à nobis alieniores ſunt, conciliandi nobis præcluſam optat. At bene habet, ſupplicium ſuum eſt, quia *carpit & carpitur unà intabeſcítque videndo ſucceſſus* noſtros cùm alibi, tum in latiſſimo & potentiſſimo Poloniæ Regno.

Variis linguis locuti ſunt Apoſtoli *magna-* H
lia Dei die Pentecoſtes, Quis niſi invidus vetet, ea, quæ tunc geſta ſunt, aliquo modo repræſentare; & per diverſitatem linguarum in unitatem ſive fidei, ſive voluntatum congregare eos, qui vel fide, vel voluntate à nobis diſſident? Olim cùm turrim Babel Hebræi exſtruere tentarent, diverſitas linguarum & animos disjunxit, & opus inchoatum diſſipavit, ſtructorésque alios aliò

A abegit & adegit. Nunc eadem disparitas mentes disjunctas jungit; vel certè jungere apta est. Quid ni ergo adhibeatur? Tu interim rumperis invidia. Nos accinemus; *Rumpitur invidia quidam satus Hercule lævo. Quòd me Regna colunt, rumpitur invidia,* quæ est *odium alienæ felicitatis*, ùt inquit S. Augustinus; qui pulchrè eodem loco explicat, quomodo converterit Deus cor Ægyptiorum, ut odirent populum Dei, & dolum facerent in servos ejus; *Non cor illorum malum faciendo*, inquit, sed populo suo benefaciendo, *cor illorum sponte malum convertit ad odium &c.* non illos malos faciendo, *sed istis bona, quibus mali facillimè possent invidere, largiendo.* Videat Monitor, an non simile quid in se ipso experiatur. Moneat quoque Sodales suos, ut latebras animorum suorum excutiant, dispiciántque, an non inter Ægyptios prædictos, quos Psalmus psalmíque optimus Interpres Augustinus tam graphicè depingit, numerari meream̃tur.

S. August. Ps. 105.

B Illud placet, quamvis seriùs mihi incidat, quòd Monitor non est oblitus Triclinii tanquam fori, in quo amicitiæ contrahantur & coalescant; nam & Quintus Cicero inter organa prensandi animósque sibi devinciendi, ponit convivia, quæ jucundè *& passim & tributim* à candidato seu petitore Consulatus *concelebranda* docet, quia multos jungit *Liber & alma Ceres*, quos absque hoc duplici numine frustrà copulare tentes. Illud improbo, quòd Monitor nos celavit, quales dapes hujusmodi pransoribus, vel C cœnatoribus apponantur. Heliogabalicæ proculdubio, nempe de *piscibus ipsitia, de ostreis, & aliis hujusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris & scillis, calcanea camelorum ad imitationem Apitii, & Cristæ vivis gallinaceis demptæ, linguæ pavonum & luscîniarum*, & id genus aliæ dapes *extis mullorum refertæ, & cerebellis phœnicopterûm & perdicum ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum, & fasianorum & pavonum;* hæc & plura eiusdem sortis edulia tu dissimulâsti, metuens, opinor, ne si nominâsses, multi desiderio Epuli tam lauti & prorsus Apiciani ad nos accurrerent: Salísque ac mensæ consortio non modò amicitiam, sed & jus hospitii nobiscum jungerent.

D Sextum præceptum. *Si Monarchæ nobis addicto* (hoc est, Regi Poloniæ, hunc enim designat) *subserviat vir alius primarius à nobis alienus, promittatur ei favor, & honores conferendi ad nostrorum instantiam.* Quis est iste vir primarius à Societate alienus? *Da Tityre nobis*, quia nôsti, & fortè cum illo multum salis & Zythi Racovienſis elinxisti. An non unus ex illis est, quos Illustrissimus & Excellentissimus Dominus JOANNES COMES AB OSTROROG, PALATINUS POSNANIENSIS, ET REGNI POLONIÆ SENATOR PRIMARIUS, his coloribus depinxit in Epistola ad suos Filios. *Est genus* E *hominum inter nostros Catholicos, qui licet Catholicos se esse profiteantur, fidémque Catholicam præseferant, nullos tamen fructus, dignos professione suâ, faciunt. Illis præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ (imò & DEI ipsius) lusus sunt, atque jocus. Jejunia, Orationes; Eleemosynæ, puritas vitæ, usus Sacramentorum, frequentatio sacrificiorum, Festa, & alia, vel omnino non curantur, vel ita neglectim curantur, ut res viliores, quàm quæ vel ad salutem multum conferant, vel ad damnationem neglecta protrudant. Imò omnia vitia in familiaritatem ascîscunt: ebrietates, lascivias, spurcitias, obtrectationes, vanitatum omnia genera: ita ut de die in diem tantùm vivant, de Deo, de pietate, de salute animæ nil cogitantes: vitia vitiis cumulantes, dies noctibus conjungentes, de die noctem, de nocte diem facientes, atque edendo, bibendo, ludendo, Deum ventrem adorantes. Et quod pejus est, non fragilitatis humanæ vitio, eò delabuntur, sed habitu ad nequitiam contracto, ad elegantiam vitæ omninò pertinere putant, fornicationes, stupra, adulteria, incestus, omniáque libidinum genera, compotationes, pernoctes aleas, omniúmque Dei & Ecclesiæ præceptorum contemptum. Utinam verò saltem ita viverent, & peccatorum suorum indefessâ exercitatione, se solos inferno involverent, non etiam scandalo, plurimos corrumperent, irretirent, ac secum implicarent. Et hi in visceribus S. Matris Ecclesiæ comprehensi, Catholicos se vocari volunt: & sunt quidem professione, larvámque Catholicam in facie gerunt, sed mortuam fidem, ab operibus bonis segregatam, habeant, necesse est.* F

Excusa Nyssæ in Silesia, Anno 1616.

Digrediendum mihi paululum est, atque de gravi summorum totius Christianitatis virorum injuriâ conquerendum, quòd hoc perniciosum genus hominum, nescio quo authore, politicorum nobilissimo nomine nuncupetur: Cùm & politiæ nobilissimum nomen sit, administrationémque summorum Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum denotet, & politicè meritò dicantur Summi Principes, qui regnis ac rebus publicis præsident, ac eorum nobilissimi administri: adeóque omnes, qui quoquo modo ad rempublicam pertinent; non hoc genus hominum, quod non magìs salutem publicam (quod politicorum proprium est) curaverit, quàm curat suam; vel si curare videntur, omnia suis commodis metiuntur, nulla justitiæ, (cujus DEUS *Opt. Max. acerrimus vindex est) habita ratione: ita, ut, quidquid illis utile, aut jucundum videtur, id cum omni Dei, & hominum injuriâ, sibi licere putent.* G

Sed nos ad nostra. Obstare videtur præ cæteris omnibus Ecclesiasticorum Sodalitatibus istis Pseudopoliticis Societas JESU; *pungunt illos acres in vitia illorum conciones, de castibus conscientiæ disquisitiones, disputationes, exercitia spiritualia: omnium verò maximè, summa* H

A *ſumma confeſſariorum in examinandis conſcientiis ſeveritas & diligentia. Irritantur iſtis omnibus, & ut hæretici ac gentiles, ob fidei plantationem, vel reſtitutionem, graviſſimè in illos offenduntur; ſi non multò minùs iſti, ob peccatorum, in quibus volutantur, acrem reprehenſionem. In his, generis humani hoſtis illorum iracundiam & movet & exacuit; propter hæc nocendi libidinem inſpirat, & tela ſuppeditat: & licèt cum infidelibus gentibus & hæreticis (utpote qui Catholici videri volunt) eorum circa fidem graviſſimos conatus, reprehendere nolint, in mores tamen, & vitam aliquid moliendum exiſtimant. Atque hoc telum cum hæreticis commune habent. Sed & hîc* SOCIETATIS *iſtius vitæ puritate, modeſtia, eruditione, prudentia, in officiis, ad quæ à Deo & Eccleſia deſtinati ſunt, obeundis dexteritate obſtante, ad figmenta & calumnias convertere ſe non abhorrent, ut ſtimulanti ſeſe Satanæ, in propriis affectibus, aliquo modo ſatisfaciant.*

B *Infinita talium conatuum, in tot, tantisque tam hæreticorum, quàm talium pſeudopoliticorum libris in* SOCIETATEM *emiſſis, habetis exempla. Sed nullum unquam ſimile ſcriptum, majore nequitiâ conceptum extitit, quàm quod veterator quidam anonymus ſive hæreticus, ſive Pſeudopoliticus (licèt ipſe & formâ libelli & inſcriptione, quæ in manuſcriptis exemplaribus, diverſa ab hac prælo excuſa habetur, ubi in Hiſpania ortum, in Italiam deinde, ac demum in Poloniam delatum ſcribit, Catholicus haberi vult) per modum famoſi libelli, in lucem edidit, atque* Monitorum privatorum, SOCIETATIS JESU, *ficto eo quidem nomine, mendaciter inſignivit.*

C Hæc non aliquis ex trivio circulator, non aliquis ex foro rabula, non aliquis ex ſchola ſcholaſticaſter, non aliquis ex cella ſedentarius, ſed Illuſtriſſimus Regni Polonici Senator, qui ad Reipublicæ clavum excubat, cui hæc omnia cognitiſſima ſunt. Tales hoſtili in Societatem animo eſſe; non magis inſolens eſt, quàm quòd *frigida* decertant *calidis*, *humentia ſiccis*, *mollia cum duris*; *ſine pondere habentia pondus*. Abſit, ut, qui vita & moribus tales ſunt, à noſtris ad honores & dignitates adipiſcendas commendentur. Vita priùs emendanda eſt; Machiavellus, Venus, Bacchus, D procul ablegandi. Exuendum cor pravum, induendúmque rectum & ſincerum. Quanquam quod iſte de commendationibus blatit, plus vanitatis, quàm veritatis continet, ùt intelliget lector ex his, quæ ſuper hoc argumento copioſè diſputat R. P. JOANNES ARGENTUS noſter, ante paucos annos Viſitator utriusque Provinciæ, Polonicæ & Lithuanicæ, in Epiſtola ſeu Libro de ſtatu Societatis JESU in iisdem Provinciis, ad Sereniſſimum Poloniæ & Sueciæ Regem SIGISMUNDUM III.

Ultimum præceptum. *Ita Societati current affectos eſſe Principes & magnos Dominos, tum Prælatos, ut pro ea contra affines & ſibi caros agant, nec dimiſſos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores primatibus ominentur, delatos gratulentur, libellis carminum per ſtudioſos in primo ingreſſu loci, ubi exercenda erit juriſdictio.* E

Credo, Principes & Proceres Poloniæ ea mente eſſe; ut ex juſtitiæ præſcripto, ſuum cuíque tributum velint. Si ergo jus & æquitas ſtet pro Jeſuitis contra cognatos & affines; favendo noſtris, faciunt, quod viros juſtos decet: nam juſtitia non intuetur cognationem vel affinitatem; ſed æqualitatem, ut unuſquiſque id, quod ſibi debetur, vel recuperet, vel quietè poſſideat. Nam ſi Principes ita affectos exiſtimet, ut Jeſuitis, etiam reluctante juſtitia, patrocinentur, & omnia jura conſanguinitatis vel affinitatis proculcent ac proterant; tum videat, qua apologia ſe defenſurus ſit, ſi à Principibus, tanquam putidus calumniarum ſator & ſartor, in jus vocetur; neque enim credibile eſt, eos hanc inhumanæ prorſus injuſtitiæ notam ſibi inuſtam diſſimulaturos, nullásque pœnas ab infamatore iſto repetituros. De dimiſſis poſtea fusè. F

Honores ominari Principibus non eſt tutum; quia omnia iſta ſæpe falſa ſunt, & eventu ipſo vanitatis coarguuntur. Quocirca vir prudens & religioſus cautè abſtinet, ne incautè ludibrio ſe exponat. Omina optima ſunt vita inculpata, morum innocentia & integritas, eruditio, animarum zelus, devota in Rempublicam voluntas; Hæc cui ſuppetunt, ipſe ſibi Augur eſſe poterit, neque alio ominatore egebit. G

Iterum culpat in nobis, quod in aliis laudat & approbat. Et eſt hoc. *Bene meritis honores partos gratulari, etiam carminum libellis.* An ſolis Jeſuitis hic mos? An non hæc conſuetudo paſſim apud omnes, qui literas tractant, recepta eſt? Quid ex ſchola convenientius Mecœnati offeratur, quàm ſcholaſticum munus, & ex Helicone Heliconium? Id ne in poſterum fiat, nullis cavillationibus Monitor obtinebit; niſi quoties res jam inibi eſt, ut Jeſuitæ gratulatoria carmina pangant, ipſe in Parnaſſum ſe conferat, musásque & muſarum præſidem Phœbum, oret & exoret, ut Jeſuitas omni penitus ope deſtituant, licèt millies vocentur & invocentur. Nec hoc Monitori grave accidet; ſi enim Juno vindictæ cupida, non eſt dedignata adire antrum Æoli; nec Minerva, ſpecum Invidiæ; nec Iris, domum Somni, cauſæ nihil habet dicere, cur ipſe Regiam Muſarum & Apollinis petere nolit pro tanto ſtomachi ſui levamento, quantum experietur; ſi Jeſuitæ prorſus *Amuſi* efficiantur, nec ulla ampliùs verba Pieriis numeris & modulis illigare poſſint. H

A Pro clauſula hujus Moniti cape mi Monitor hæc ex Pſalmographo acroamata. *Gladium evaginaverunt peccatores : Intenderunt*
Pſal. 36. *arcum ſuum: ut decipiant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde, gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur. Deſipiunt*, inquit S. Auguſtinus, *con-*
S. Auguſt. loc. cit. *tra ſe ſæviunt, inſaniunt, non ſe vident, tanquam ſi vellet aliquis per corpus ſuum ferrum trajicere, ut concideret tunicam alterius. Attendis, quò perveniſti, & non attendis, quà trajeciſti. Illius conſcidiſti veſtem; tuam carnem. Conſtat ergo plus eſſe, quòd ſe lædunt iniqui, & quòd ſibi nocent, quàm quòd ſibi videntur nocere illis, quos oderunt. Framea ergo eorum intret in cor ipſorum.*

CAPUT III.

MONITUM III.

Quid curabunt Domini, qui nobis, dum pecunia deſtituuntur, multæ tamen ſunt auctoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt.

B ITa Titulus habet: Satis intricatè, ut vix appareat ſenſus. Videtur tamen quærere, quid petendum & exſpectandum ſit ab illis Proceribus, qui à nummis non ſatis parati, pecunia nobis ſubvenire nequeunt; Et tamen non modicam in Republica auctoritatem obtinent. Qui duplices ſunt, quidam Politici ſeu ſæculares: quidam Eccleſiaſtici. Quæ ergo curanda ſunt apud Politicos, à quibus æra fruſtrà ſperes? I. *Gratia & auxilium contra adverſarios:* (Gratiam & auxilium primariò exſpectamus
Pſal. 120. ab illo, à quo etiam Beatus David expectabat, cùm caneret: *Levavi oculos meos in*
C *montes, unde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Is enim Societatis noſtræ fideliſſimus protector eſt, prout nobis plurium annorum experientia liquidò conſtat. Poſt hunc tamen hominum quoque dignitate & potentia valentium opem adversùs adverſarios implorare; quæ lex, quæ ratio vetat? imò quæ lex hoc non jubet? quia ſæpè, niſi talis tutela ſuppeteret, juſtitia ab injuſtitia penitus opprimeretur. An non S. Paulus, cùm magno in diſcrimine verſaretur, contra adverſarios ſuos ad ipſius Cæſaris tribunal confugit?

D II. *Favor ad lites forenſes.* Neque hoc improbari poteſt, niſi ab improbo, præſertim ſi favor iſte non ambiatur, ut faveat litigantibus, ſed ut æquitati cauſæ. Quo ſolo animo is, qui jus amat, favorem tam judicis, quàm aliorum expetit. Dolet nimirum invidus iſte, ſuos eſſe fautores Jeſuitis, quos ſi omni patrocinio egenos, omnium direptioni patere cerneret, enimverò tum oculis ſuis perquam amabile ſpectaculum E cerneret.

III. *Auctoritas & potentia ad coëmptiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearúmque pro extruendis Societati noſtræ domiciliis, in iis præſertim civitatibus, quæ noſtros nolunt habere.* Tolle cavillationem ſannionis, nec erit, quod jure carpas: Munire enim ſe auctoritate & gratia Principum ad ſupradictos effectus, tam non eſt culpabile, ut, quoties Monitor illud ab aliis Religioſis fieri videt; id, ceu benefactum, laudet. Soli Jeſuitæ talia agentes caſtigabili culpa ſe obſtringunt, quia periculum evidens eſt, ne propediem F omnes Poloniæ pagos, omnes domos, omnes hortos & latomias ad ſe rapiant, cùm ſint pecunioſiſſimi; quia nullum eſt Collegium in tota Poloniæ Provincia, *quod detractis ſumptibus, qui ordinariè & neceſſariò fiunt, in cultu templi, in Bibliotheca, in viaticis, in bonis defendendis, ſartis tectis conſervandis, & aliis ſimilibus, ſexaginta perſonas alere poſſit, ſi pro ſingulis 60. annui floreni aſſignentur; pauca, triginta, vix viginti, nonnulla, ac ne vix quidem reliqua*, ùt in ſua ad Sereniſſimum Poloniæ Regem SIGISMUNDUM Epiſtola ſcribit R. P. ARGENTUS, qui nuper Polonicæ Provinciæ Viſitator ſingulorum Collegiorum rationes vidit, legit, examinavit & excuſſit, ut proinde, quidquid ſcribit, ex fide oculata ſcribat. Quare nihil eſt, quod metuat Monitor, omnes domos, omnes hortos, omnes pagos, omnésque lapicidinas & arenarias à Jeſuitis coëmptum & occupatum iri, ita, ut pro ſe & pro ſuis Sociis nihil amplius ſuperfuturum ſit; ſupererunt ſaltem Latomiæ, in quarum ergaſtulum quandocunque Monitor compingetur, non immerens cum tot ſuis cavillationibus & mendaciis compingetur, cui religio non eſt ſic fabulari & fatuari, quaſi nullus pagus, nulla domus, nullúsque hortus in Polonia ab invaſione Jeſuitarum ſatis ſecurus ſit. G

Ad civitates, quæ noſtros recipere nolunt, nihil aliud dico, quàm eſſe paucas, & fornè nulla; quia ne unam quidem numeravit aut nominavit Monitor. Secundò, ſi ſint aliquæ; eſſe hæreſi vel ſchiſmate corruptas. Tertiò, ſi Catholicam fidem amplectantur, habere tamen inquilinos vel hæreſi vel ſchiſmate vel Machiavelliſmo inquinatos, qui imperito vulgo Jeſuitas non nativis & ſinceris coloribus, ſed mendacibus & fictitiis fucis depictos repræſentant, quos, ſi tales eſſent, quales animo concipiunt; non injuriâ averſarentur, & à civitatibus ſuis procul abſiſtere juberent.

IV. *Conciliandi ſunt iidem Domini, ut mitigent, imò compeſcant furorem hominum notæ inferioris.* A Catholico Poloniæ popH pulo nihil eſt, quod formidemus. Ab hæretico, ſchiſmatico, vel etiam pſeudocatholico nobis admodum infeſto, liberabit

A bit nos ille, qui ſolet eſſe *adjutor in opportunitatibus.* Nôſti, cujus ſit hæc cantio? *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo.* Interim nemini illicitum eſt humanum quoque procurare ſubſidium, ſic tamen, ut ſpes potiùs pendeat à divino, quàm ab humano. Eum enim in finem Magiſtratus conſtituuntur, ut unicuique jus dicant & reddant, & ſceleratorum furioſos conatus coërceant.

B Nunc tranſit Monitor ad Eccleſiaſticos Principes & Præſules, tenuioris cenſus, à quibus cùm pecunias ſperare nequeamus, ſperare & petere nos jubet. I. *Ut Prælati & Parochi ipſis ſubditi noſtros revereantur, nec impediant miniſteria noſtra:* Non opus hîc multis captationibus. Virtus, eruditio, charitas erga proximos, eoſdémque juvandi indefeſſum ſtudium & zelus ardens, facilè reverentiam & honorem conciliant; Vix enim quiſquam eſt, qui neſciat illud Paulinum: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrina.* Quòd ſi quis Epiſcopus, cùm aliquem Jeſuitam per ſuam Diœceſin concionatum & Sacramenta adminiſtratum ablegat, ei hanc ad Diœceſanos commendationem det: *Excipite illum, cum omni gaudio, in Domino, & ejusmodi cum honore habetote.* An tu propterea invidia ringeris, & ea impatientia vociferando ramices rumpes, & quæ ſponte Principes tam Politici, quàm Eccleſiaſtici præſtant, ea ut præſtent, aſſiduis & hypocriticis blandimentis à nobis impetrari mentieris?

1. Tim. 5.

Philipp. 2.

C Nam ne nos Parochi, & id genus infra Epiſcopos alii, à miniſteriis noſtris impediant, volente Epiſcopo, imò ipſo ſupremo Eccleſiæ paſtore mandante, ne impediamur; id tam eſt æquum, quàm quod æquiſſimum, cùm ſemper inferior poteſtas ſuperioris poteſtatis juſſa ſequi & exequi debeat. Gratia Deo, plures longè ſunt, qui noſtram operam expetant, quàm qui reſpuant; ſive ex invidia & odio, ſive ex alia ſiniſtra affectione, ſive ex mera ignorantia reſpuant, utique non aſpernaturi, ſi mens recto in ſtatu verſaretur, nubilísque turbulentis non obfuſcaretur.

D Apponam hîc Monitori noſtro opimam dapem ex S. Bonaventura, qua & ſe, & in Monitis cudendis adjutores dapſiliter excipere poterit. Nam cùm S. Bonaventura hanc ſeu querimoniam ſeu objectionem adverſariorum commemorâſſet: *Prædicatis populo, & confeſſiones auditis, mittentes falcem in meſſem alienam, &c. injuriantes plebanis, in quorum videmini præjudicium exercere officia illis commiſſa, & decipientes illos, quos abſolvitis &c.* Reſpondet: *Nulli in hoc facimus injuriam, nec aliquem decipimus; ſed Sedes Apoſtolica, quæ immediatè curam Eccleſiæ habet, & à qua cæteri Eccleſiarum paſtores, tam majores quàm minores gubernandi ſuſcipiunt au-*

S. Bonaven. in Quæſt. circa Regulam S. Franciſci.

ctoritatem, tam mediatè, quàm immediatè; E *& à qua omnes canonum leges emanant, videns in his noviſſimis temporibus, juxta Apoſtolum, inſtare tempora periculoſa, & laxatis Evangelicæ prædicationis retibus in capturam tantos influxiſſe piſces hominum ad fidei profeſſionem, quod rete fidei ſcinditur, meſſem fidelium multam, & operarios idoneos paucos, eò quòd peccata quotidie multiplicantur in Eccleſia, & Epiſcopi negotiis exterioribus dediti, ſpiritualibus intendere nequeunt, & pauci ſunt paſtores in Eccleſiis perſonaliter reſidentes, ſed Vicariis & mercenariis committunt ovès, ſive animas regendas, in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiæ, & honeſtæ vitæ, negligentiæ & aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, & non eſſe, qui plebes erudiant, vel à peccati fœcibus extrahant; vocavit nos in adjutorium tam cleri quàm populi, ut per officium prædicationis & confeſſionis ſubveniamus animabus, & onus paſtorum ſublevando alleviemus, ſicut Petrus, & ejus ſocii non valentes ſoli rete piſcium ad littus trahere præ multitudine, annuerunt Jacobo, & Joanni ſociis ſuis in alia navi, quæ ſignat religionem, ut venirent & adjuvarent eos, ne vel ipſi mergerentur, vel piſces capti perirent.* F

Cùm ergo ex Apoſtolicæ Sedis miſſione, Epiſcoporum benevolentia, prædicationis operam G *& confeſſionis ſubditis eorum impendimus, eos ex charitate & auctoritate eorum abſolvimus, & non decipimus eos, ſed juvamus, & in illis fit non præjudicium Plebanis, ſed beneficium, dum pro eis laboramus, & ad obedientiam debitam eorum ſubditos exhortamur. Nam ſi Plebanus poteſt alteri vicem ſuam committere, multò fortiùs poteſt hoc Papa, & Epiſcopi, qui pleniorem habent in omnes ſibi commiſſos ſine differentia poteſtatem. Et ſicut ex charitate, non ex neceſſitate impendimus fidelibus ſpiritualia ſubſidia, docendo, & orando, & à peccatis in confeſſione abſolvendo: Ita ipſi non ex debito coactionis, ſed ex libertate charitatis miniſtrant nobis corporalis neceſſitatis ſubſidium; cùm Dominus ordinaverit iis, qui Evangelium nunciant, de Evangelio vivere, &c.* Hæc præclarè S. Bonaventura.

II. *Ut re cum Principe collata, Monaſteria,* H *paræcias, præpoſituras, altarium fundationes nobis attribuant, contentatione quacunque* (ita loquitur elegans noſter Monitor) *facta ſæcularibus ſacerdotibus; hoc autem totum effici poſſe per illos potiſſimùm Præſules, qui noſtris confitentur, & qui opulentiores Epiſcopatus, Jeſuitarum interventu, exſpectant.* Monita iſta, ùt video, communis ſunt ſatyra, non modò Jeſuitas, ſed & ipſum Sereniſſimum Regem SIGISMUNDUM, Principésque Regni Polonici tam Eccleſiaſticos, quàm Politicos lacerans: nemini enim parcit; quia jam Regi, jam Regni Primoribus colaphos infringit; quaſi ſint illi, qui, ut Jeſuitas locupletent, alios ſpolient, éxque poſſeſſionibus ſuis, rogatu Jeſuitarum, ejiciant.

A Hæc ſcilicet eſt reverentia illa, quam Regi ſuo & Prælatis Catholicis Monitor defert; juxta illud Paulinum monitum: *Reddite omnibus debita, &c. cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* In Pruſſia, Livonia, Ruſſia, & in ipſa etiam Polonia Hæretici Lutherani & Calviniani tot monaſteria, tot Templa, tot Sacella, tótque Deo dicata domicilia vel devaſtârunt, vel occupârunt, ut certum numerum inire admodum difficile ſit. Monitor tamen hanc defœdationem, devaſtationem, & profanationem ſúsque déque habet: nec angitur tot florentiſſimarum olim Eccleſiarum interitu; nec tot Sacrilegiis vel paululùm commovetur. Solis illis, quæ Jeſuitæ auctoritate ſummi Pontificis, Regis, & Epiſcoporum poſſident, ringitur; cùm tamen ſint admodum pauca, nec illorum meminiſſe poteſt, ſine gravi bilis exagitatione, cui jure accinas illud, quod à S. Petro Simon Magus audiit: *In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Act. 8.

B Non diſſimili furore agitatur, ob *Jus patronatus* uno vel altero loco in Eccleſiis Parochialibus nobis conceſſum; interim cùm Novatores mille locis Pruſſiæ, Ruſſiæ, Livoniæ, &c. jus patronatus in Parochias nefariè invaſerint, ne minimam quidem doloris ſignificationem edit. Egregii certè locorum ſacrorum patroni, defenſores, &, ut ita loquar, exornatores, ſunt hujus temporis ſectarii, ſimillimi Chaldæis illis, qui jus patronatus in templum Salomonis nacti, inſigniter illud & miniſtris, & ſacra ſupellectile inſtruxerunt. Audiamus ſacrum Scriptorem. 4. Reg. 25.

C *Columnas æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & ſcyphos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant, tulerunt. Nec non & thuribula & phialas: quæ aurea, aurea: & quæ argentea, argentea, tulit Princeps militiæ: id eſt, columnas duas, mare unum, & baſes, quas fecerat Salomon in templo Domini, non erat pondus æris omnium vaſorum, &c. Tulit quoque Princeps militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum, & tres janitores, &c. Quos tollens Nabuzardan Princeps militum duxit ad Regem Babylonis in Reblatha. Percuſſitque eos Rex Babylonis, & interfecit in Reblatha, &c.*

D Similis patronus ejuſdem Templi fuit Antiochus Epiphanes, qui tot pondo auri & argenti rapaciſſimis unguibus inde abſtulit. Nec ovum ovo cognatius, quàm Hæretici Patroni iſtis: ubicunque in ſuam poteſtatem templa Catholica redigunt, non injuria exclamet quis: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Non facilè, niſi mea me opinio fallit, monſtrabit Monitor aliquod Templum à legitimo Magiſtratu Societati traditum, quod poſt traditionem non evaſerit pulchrius, ornatius & inſtructius, quàm antea fuerit, cùm noſtris vel inprimis curæ ſit, ut in domo DEI omnia, quoad fieri poteſt, munda & nitida appareant, útque hoc conſequantur, impenſis nequaquam parcant. 1. Machab. 1. 2. Machab. 5.

E

F Dolet, Jeſuitis factam eſſe poteſtatem conſtituendi in ſuis parochiis Vicarios perpetuos, hoc eſt, Catholicos & orthodoxos Sacerdotes, qui parochialia munia ad ſubditorum ſalutem ſedulò obeant. Et non dolet, quando in Pruſſia, Livonia, & alibi à Novatoribus conduci, & in Catholicas olim Eccleſias immitti videt lupos teterrimos, qui gregem Dominicum diſſipant, lancinant, imò etiam mactant, & ſtygiis focis in æternum aſſandos demittunt. Nil ampliùs, ô Monitor? Num ad fundum tuarum criminationum deveniſti? Nullo modo. En tibi fæcundi pectoris aliud ſpecimen.

G III. *Per eoſdem Eccleſiaſticos Proceres, curabunt noſtri exſtructiones collegiorum, in locis, ubi ſunt Academici nobis repugnantes; vel Catholici aut Hæretici cives, fundationes nobis in ſuis civitatibus prohibentes.* Quem, quod ad Academicos attinet, obliquè tangat & perſtringat Monitor; non ſolùm Oedipus; ſed & ipſe fortaſſis Davus abſque labore conjecerit, cùm Academias Poloniæ multò proclivius ſit numerare, quàm Monitoris noſtri lœdorias & pſeudologias. Nos hæc cura minimè ſollicitos habet. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* 1. Mach. 3. Ajebat magnanimus ille Dux Judas Machabæus: & nos cum illo: quam voluntatem tu nullis tuis vociferationibus & detractionibus irritam reddes; nec alium, niſi te ipſum, à metu ejus, quod execraris, crucias, & poſtea multò magis, eventu ſubſecuto, & cruciabis; *Digna ſanè tanti mali* (invidiæ & detractionis) *retributio eſt*, inquit Salvianus Maſſilienſis, *quæ ſolum perſequitur Auctorem: illi enim nihil nocet penitus, cui detrahit, tantummodo illum punit, cujus ore procedit.* De his, qui nolunt ſuis in oppidis nos pedem figere: jam ſuprà actum eſt, & allatæ ejus rei cauſæ: quibus addes quoque odium quorundam Clericorum ſimilium huic Monitori; qui, quod dictu lepidum eſt, aliquando ſe opponunt: etiam tunc, cùm Rex mandat, fundatórque collegii de ſuo ſolo & fundo, déque ſuo ærario omnes expenſas facit abſque cujuſquam alterius moleſtia & onere. Salv. lib. 3. de Gubernat. Dei.

H Cùm olim ſub primordia ſua ſimile quid à Clericis jacturam oblationum metuentibus pateretur Ordo S. Franciſci, & injuſtiæ itidem accerſeretur, pulchrè reſpondit S. Bonaventura: *Non omnia, quæ fiunt contra voluntatem alicujus, ad injuriam ejus fiunt. Cùm ergo cives alicujus oppidi nos vocant, & locant* S. Bonav. in Apolog. pro fratribus minoribus,

A *locant nos apud se in tali loco, ubi etiam possent Judæos locare, vel aream pro ludis facere, vel horrea seu stabula, de quibus nil proveniret Plebano loci, etiamsi nos ibi non essemus, non facimus eis injuriam ullo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis, quàm alii Christiani, vel religiosi, quibus conceditur domos recipere, & loca, ubicunque dantur, ab eis, qui habent jus liberum dandi eis, maximè cùm per Sedem Apostolicam sit ordo noster approbatus, & in subsidium animarum in Ecclesia destinatus; & hoc bonum per aliorum malitiam non debeat impediri. Si enim nunquam deberemus morari, nisi de voluntate Clericorum, vix unquam in Ecclesia possemus diu morari, dum aut per se, aut incitati per alios ejicerent nos de parochiis suis potiùs, quàm hæreticos vel Judæos, &c.*

B *Domino etiam terræ, vel villæ non facimus injuriam, si eo inconsulto, quandóque vocati à civibus, mansionem recipimus in villa, ubi liberum esset eis (si vellent) theatrum facere, vel locare Judæos, vel locum relinquere vacuum, &c. Ipsum quoque oratorium nostrum non fit parochiali Ecclesiæ præjudicium, in quo nec oblationes ejus ad Missam percipimus, nec aliquos homines ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia jura sua viventes & mortui, Ecclesiæ Parochiali persolvant.*

C Cathedras concionatorias in præcipuis Templis nobiliorum civitatum multùm exambire, nihil est necesse, quia ultrò nos quærunt; tabescente licèt Monitore nostro, qui Catholicæ fidei studio tantoperè tenetur, ut proculdubio gratior ei esset aspectus Lutherani & Calviniani rabulæ & *Capribarbæ* in suggestu, quàm hominis ex Societate nostra. Torunii, Gedani, Elbingæ, Rigæ, Derpati & alibi tot præclarissimas cathedras insident seductores, errorúmque disseminatores. Patienter fert Monitor. At cùm Jesuitam in primario suggestu vel videt, vel audit, vel phantasiæ non satis illæsæ ministerio sibi imaginatur, tum patientia in furorem vertitur, & os ad maledicta resolvitur: *Prima enim semper irarum tela maledicta sunt*, inquit Salvianus, *& quidquid non possumus imbecilli; optamus irati, ac sic ex omni animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur. Unde unusquisque hominum evidentissimè probat, quidquid fieri adversariis suis optat, totum se facere velle, si possit.*

Salvian. lib. 3. de provident.

D De canonizatione B. P. N. Ignatii ponas velim omnem curam, eámque ad nos, quos propiùs attingit, transferas. Quid, miser, novam crucem tibi erigi optas? Nam *Canonismus* ille, quandocunque, te superstite, peragetur, idem tibi erit, quod Caucasus Prometheo; vultur, Tityo; rota, Ixioni; & saxum Sisypho. Doles, solemnem relationem B. P. nostri inter cœlites, expetitam esse à multis Regibus & Principibus; Etiam literis ad Summum Pontificem datis. Nimis multas dolendi occasiones arripis; parce tibi, si non nobis. Nam ante diem te conficies & exedes, nisi vel oculos, vel memoriam clauseris, ne tibi tot cruciamentorum causas ingerant. E

Cæterùm, si quando Præsules & Proceres ex Polonia legationis vel peregrinationis, vel domesticorum negotiorum gratia per Germaniam similésque Provincias iter habeant; meritò ad Collegia invitantur, præsertim si benefactis suis hoc promeruerunt, ùt sanè plurimi ex Summatibus Poloniæ promeruerunt, quorum in Societatem meritis, nunquam par reponemus, quidquid tandem reponere tentemus. Nec ideo invitantur ad Collegia, ne notitiam & familiaritatem contrahant cum aliis Religiosis, qui, ùt loquitur Monitor, *nobiscum symbolizant*, hoc est, qui eadem fermè cum nostris officia, præcipuè in juventutis institutione, obire solent; quia stultum hoc foret consilium, nec in ullius prudentis intelligentiam cadere aptum, cùm aliquibus in locis tales Religiosi degant, ubi nostri nullum domicilium habent; liberè ergo viatores exteri eos adire, & totam professionem accuratè explorare queunt. Quam libertatem etiam iis in urbibus, quas incolimus, sibi eripi non sinent. Nec nos illi sumus, qui valdè metuamus, defuturos nobis auditores, si qui alii ludum literarium aperiant. Conferant ipsi in gazophylacium Domini integra Talenta. Nos cum duobus nostris minutis nunquam, ùt confido, pudefiemus. Verùm in hac materia calumniator infrà ex instituto sese exercebit. F G H

Nunc beatum Davidem psallentem auscultet. *Avertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. Fiat via eorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos, quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui; supervacuè exprobraverunt animam meam. Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, comprehendat eum; & in laqueum cadat in ipsum. Inde decipiuntur*, inquit S. Augustinus, *unde decipere voluerunt. Inde illis nocebitur, unde nocere conati sunt. Tanquam si quisquam veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat. Et tanquam si foveam fodiat quisquam, in quam quisquam inimicus ejus in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat, ambulans eâ viâ, priùs illuc cadat.* Idem prorsus criminatoribus nostris hactenus evenit; idem quoque huic Monitori cum suo contubernio eveniet, nisi cavillationes & lœdorias, quas effudit, recantet.

CA-

CAPUT IV.

MONITUM IV.

Quænam commendata esse debeant concionatoribus & confessariis Principum & Magnatum.

HIc iterum non nostra Monita, sed sua somnia lectoribus denarrat. Ait: *Directionem conscientiæ paulatim postea dirigi ad gubernationem externam politicam.* Imò ex natura rei eò dirigitur, absque ullo alio directore: nemo enim Rempublicam meliùs & Christianiùs administrabit, quàm qui Dei & salutis suæ amans, conscientiæ sedulam curam gerit, quidquid Athei & Pseudopolitici contrà obmurmurillent.

B Distributionem honorum & dignitatum ad justitiam spectare, quis tam imperitus est, qui nesciat? Non opus hîc multa & longa inculcatione. Mirum sanè foret, si Reges & Principes professionis suæ *Alphabetum* à Jesuitis confessariis demùm discere deberent; Et ut confessarius Regi aut Principi candidè ac sincerè explicet, quidnam in divisione officiorum ac dignitatum observare oporteat, num ideo letali piaculo se adstringet, metásque sui muneris transiliet? Illud falsum, Regibus tantùm proponi & suggeri Societatis fautores & patronos, non enim adeò obtuso pectore sunt Reges ac Principes, ut hoc artificium non essent animadversuri.

C Verùm hæc toties in his Monitis de promotionibus fautorum Jesuiticorum repetita querimonia, suspicionem mihi injicit, non neminem ex Monitoris amicis & patronis sperâsse altiorem locum, nec tamen obtinuisse; & quia non obtinuit, culpam in Jesuitas conferre; cùm potiùs mores suos & ineptiam accusare deberet: eáque de causa excandescere Monitorem adversus nostros, tanquam communia obstacula ad magnas dignitates enitentium: nec tamen Societati nostræ faventium. Cedo, Monitor, an non rem si minùs acu, saltem plusquam probabili conjectura tetigi?

D Nec sinit eum livor & odium intueri, quò cum hoc suo Monito provehatur, nempe ad contemptum & dehonestamentum ipsius Regiæ Majestatis in Polonia: non sine temeraria sacræ Majestatis violatione, dum Regem illum potentissimum & prudentissimum ita describit (nam licèt Regem hunc non nominet; omnes tamen intelligunt, hoc Monitum præcipuè in gratiam Regis illius procusum fuisse) quasi in Republica nihil, inconsultis Jesuitis, aggredi audeat. Quod de tanto Rege sine summa injuria, ne cogitari quidem potest. Sed iste hæc tam absona comminiscitur, quia ringitur, cùm videt nostros in Aula Polonica concionatorum & confessariorum titulo versari. Mallet videre Quinti Evangelii buccinatores. Et tamen Catholicus haberi cupit. Nec abnuo Catholicum esse, si sola nominis sine re subjecta usurpatio Catholicum facit. E

Reges ac Principes suaviter tractandi sunt; F at non adulatoriè, sed religiosè, & ex modestiæ reverentiæque debitæ præscripto: quos in concionibus coram imperita multitudine perstringere, semper fermè plus detrimenti, quàm emolumenti parit. Nec Apostolus Paulus varia circa Reges & Principes Timotheo mandans, hoc itidem mandatum adjecit: *Palàm perstringe & insectare Reges & Principes*, nihil horum Apostolus. Quid igitur? *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Sanctus quoque Petrus non dixit: *Regem* perstringite, sed *honorificate*. 1. Tim. 2. 1. Pet. 2.

Quid in privatis colloquiis fiat, unde novit Monitor? An ipse omnibus interest? An quoties confessarius cum Rege privatim de rebus ad conscientiam spectantibus, agit, iste post carecta, vel post tapetes latitans omnia excipit, & avidis auribus imbibita sodalibus suis patefacit? G

Confectiones, inquit Monitor, *& aquas distillatas modicè acceptent.* Etiam ad Electuaria, & aquas medicatas invidia istum abripit. Si non acceptarent, acclamaret Monitor, ex Hypocrisi repudiari: nunc cùm acceptantur, & quidem *modicè*, iterum hypocrisi id adscribit. Ita calumniator semper in utrumque paratus est, dignus, cui crustula & bellaria apponantur, at non mellita, sed benè salita. Quanquam suspicor totum hoc de *Electuariis* ex cerebro Monitoris exsculptum esse, ùt pleráque alia; quia pro libidine sua, quæcunque ad cavillationem idonea videbat, confinxit, & in theatrum inducta, risui spectatorum exponere studuit. Cæterùm esto, non fabuletur Sannio; Faciamus verum esse, quod narrat, quid culpæ in facto? cujus unica causa est non voluptas & deliciarum confectatio, sed necessitas imbecillitatis corporalis, quæ aliquando his, ceu medicamentis, fulcienda & crigenda est, præsertim quando quis habitat extra Collegium, ubi pro infirmioribus hæc talia magis in promptu esse solent. Etiam ipse S. Hieronymus munuscula quædam ab Eustochio & Marcella accepit; Et utrique propriis Epistolis gratias egit, interim S. Hieronymus præceptum Nepotiano datum minimè neglexit. *Crebra munuscula & sudariola, & fasciolas, & vestes orà applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandásque* H S. Hieron. Epist. 19. 20. & 21.

dáſque ac dulces literulas ſanctus amor non habet.

A Subjungit Monitor. *Pro uſu privato modica pecunia contenti ſint.* Si multam exigerent, avaritiæ deputaretur. Si nullam, hypocriſi. Si modicam, iterum hypocriſi. Quid ergo vis Monitor, vel Jeſuitæ in Aula Regis agant? Quò ſe vertent, ut à tuis morſibus ſecuri evadant? Quanquam, quod de *privato uſu* blaterat, inſidioſum eſt, quaſi illi, qui in Regia degunt, pecunias pro ſuo privato uſu poſſideant, quod non eſt ita; nam Religioſus paupertatem profeſſus, optimè ſcit, ne ſine Superioris ſui permiſſu, ne obolum quidem accipere, retinere, vel in ſuos privatos uſus expendere poſſe.

B *In palatiis ad abjectiora cubicula ſe conferant.* Si ad ſplendidiora ſe conferrent, quos, bone Deus, clamores tolleres? Quibus mugitibus auras impleres? Sed tu malles nec ſplendidiora, nec abjectiora, ſed nulla prorſus conclavia illis obtingere; quia ùt Jeſuitas extra aulam, ita multò magis Jeſuitas Aulæ incolas perditos & exterminatos cupis, metuens, opinor, ne te à conſecutione infulæ remorentur.

C Ut Rex aut Princeps ne latum quidem unguem diſcedat à conſilio ſpiritualis patris; nullus, niſi fallor, ſpiritualis pater quærit aut petit: quia ſæpe duæ vel plures viæ ad eundem terminum ferunt & ducunt; interdum æquè commodè; Quòd ſi non æquè commodè, ſaltem non incommodè. Hoc caſu, inſtare & urgere, ut Rex potiùs ſequatur meum, quàm ſuum ſenſum, id verò non prudentis Confeſſarii, ſed imprudentis, præfracti & cedere neſcii Capitonis eſſet.

D Iterum delabitur cavillator ad commendationes: (de quibus copiosè P. ARGENTUS in ſua Epiſtola ad Sereniſſimum Regem SIGISMUNDUM) adeò moroſus, imò importunus eſt, ut nec, Rege audiente, à noſtris aliquem laudari velit, ſive à probitate morum, ſive ab ingenii excellentia, ſive à meritis in Rempublicam. Qua de cauſa? *Quia hæc præconia tendunt ad promotiones, ut Rex poſtea laudationis memor laudatos ad honores & dignitates evehat.* En viperam omnia in mortiferum virus transmutantem. An vis, ut omnes bonos & eruditos, more tuo, laceremus, & traducamus, ut nulla virtuti & doctrinæ ampliùs conſtituantur præmia? Si Monitor interfuiſſet, quando Rex Medorum & Perſarum, lectione Annalium admonitus, quæſivit, num Mardochæus pro fideli opera aliquid mercedis accepiſſet; ſiluiſſet utique, ne Mardochæus à Rege amplis honoribus afficeretur, Amanem potiùs commendâſſet, & muneribus cumulandum, tanquam fideliſſimum Regi Satrapam, judicâſſet, cujus fidelitas paulò pòſt in excelſa cruce ſeu furca apparuit. *Mors officialium Regni*, nihil ad nos. Sunt, qui Regi nuncient. Sunt, qui de ſucceſſoribus diſpiciant. Spectra, quæ iſte in perturbato ſuo capite edolat; non agnoſcimus, invidia & odium eſt, quidquid omnibus ſuorum Monitorum pagellis garrit. E

Homines ex invidia plerumque vituperant, etiam quæ honeſta ſunt, inquit S. Nilus in ſuo libello Aſcetico, *at in cæleſti theatro res incorruptè judicantur, & veritas omnium ſuffragiis comprobatur. Hoc ergo theatrum, quod delectare neceſſe eſt, bonis operibus oblectemus. Homines verò, qui nec piè viventibus præmia tribuere, nec impiè vitam traducentes ſupplicio afficere poſſunt, ſi per invidiam virtutis operibus vitiorum nomina imponentes, vitam Deo atque Angelis approbatam fictis calumniis & maledictis fuerint inſectati, non curemus; eos enim, qui bene vixerint, in tempore retributionis, non ex hominum opinione, ſed ex bonorum operum veritate, ſequentur præmia ſempiterna.* Hæc S. Nilus. F

Vin' etiam aliquid ex S. Iſidoro Peluſiota. En Laconicum ejus Epiſtolium. *Si nobis quidvis facientibus, atque omnem offendiculi materiam radicitus evellentibus, quidam deſtinata malitiâ nos maledictis lacerant, etſi hoc moleſtum eſt, tamen eo haud magnopere laborandum eſt. Nam cùm teſtimonium nobis conſcientia perhibet, & judex virtutem noſtram perſpectam habet, & boni viri laudes noſtras prædicant, ſpes quoque ſubeſt, fore, ut improborum maledicentia extinguatur.* G

CAPUT V.

MONITUM V.

Quid agendum cum Religioſis, qui ſymbolizando nobiſcum in multis occupationibus, nobis detrahunt?

H TOtum hoc Monitum cavillatorium & ſarcaſticum eſt. Quia enim extiterunt nonnulli, qui eadem fermè, quæ nos, munia in Scholis & Templis obeunt; ideo comminiſcitur Sannio, nos allaborare, ne in ea loca, quæ jam tenemus, introducantur; quaſi id notabili rerum noſtrarum decremento & detrimento futurum ſit. Mi Scoptice, ne lude, néve illude. Non ſumus adeò puſilli & anguſti animi, ut metuamus, ſedilia noſtra ſeſſoribus vacua fore, ſi qui alii in iiſdem oppidis nobiſcum in docendi palæſtra concurrant. Teſtis eſto vel unica Roma, ubi viri doctiſſimi Theologiam, Philoſophiam, & amœniores quoque literas publicè profitentur: nec tamen idcirco Gymnaſium Collegii noſtri Romani auditores oſtiatim corrogare cogitur: ultrò, Dei beneficio, accurrunt; & quidem frequentiores, quàm fortè oculus livens & limus patienter ferre queat. Idem dico de

Eſter. 6.

Mediolano, Neapoli, & id genus aliis urbibus, ubi noſtri ſimul & alii Theologicis & Philoſophicis ſtudiis juventutem informant.

A Quod calumniator fingit, nos apud Summum Pontificem inſtare, *ne talibus detur locus*; iterum, quod ab aliis fit; hoc nobis imponit. Notum enim eſt, quoſdam Doctores in non ignotis Academiis, interpoſita Pontificis Auctoritate, obſtitiſſe, ne noſtris hominibus poteſtas publicè docendi concederetur; imò non tantùm in eadem urbe, ſed ne in vicinis quidem Provinciis, licèt alterius Principis imperio ſubjectis, tolerare voluerunt, ut noſtri Philoſophiam & Theologiam publicè explicarent. De Cracovia & Poſnania nihil ſcilicet audivit Monitor, quia res nimis eſt priſca, & ab hoc ævo noſtro nimiùm remota. Si noſtris Cracoviæ vel in Academia Zamoſciana poteſtas docendi fieret; alii, credo, Profeſſores, eadem ſtudia nobiſcum tractantes, pluſquam Jeſuitæ metuerent, ne au-

B ditoribus deſtituerentur, quod ſine ullius contumelia dictum volo: nam hæc talia libenter diſſimularem, niſi cavillatoris importunitas & extrema vanitas ad ea indicanda me adigeret. In Pariſienſi Academia habebamus olim florentiſſimas & nobiliſſimas ſcholas, ſive humaniorem literaturam, ſive Philoſophiam & Theologiam ſpectemus; quas poſtea fortuna adverſa interrupit, vel potiùs penitus diſſipavit. Nec melior ſors hactenus reſtituit, obicem objicientibus illis, qui auditoriis ſuis vel ſolitudinem; vel ſaltem admodum memorabilem infrequentiam ominantur, ſi Jeſuitæ denuò in ſubſellia aſcendant. Teſtantur hoc Satyrici clamores Hardinilerii & Martilerii, contra Jeſuitas, ne illis aditus ad ſcholas iterum patefiat. Deſinant vani iſti & inanes metus, ínque fumum abeant. Nos literas ſincerè & candidè tractemus: claudatur oculus invidiæ, & omnia ſalva erunt.

C Dabimus ſedulam operam, ne apud nos locum habeat illud, quod de invidis docet Ariſtoteles lib. 2. Rhetoricorum cap. 14. *Quoniam cum eorundem ſtudiorum æmulis, & cum rivalibus, omninóque cum iis, qui eadem, quæ ipſi concupiſcunt, de honore concertant; eis maximè invideant, neceſſe eſt. Unde dictum eſt: ET FIGULUS FIGULO.* Nam ùt vir Religioſus alias animi ſiniſtras motiones, ita & invidiam domare debet: & ſi quid ad juventutis inſtitutionem ab aliis utiliter confertur, inde potiùs Dei laudandi, quàm felicibus aliorum actis invidendi anſa ſumenda eſt.

D Tradit loco jam nominato idem Ariſtoteles, *neminem invidere iis, qui ad columnas Herculis habitant.* Scitè etiam B. Zeno Epiſcopus Veronenſis: *Ægyptio non invidet Scytha: aut Britanno Indus æmulatur, ſed unusquiſque gentis ſuæ hominibus & contribulibus invidet: & non ignotis quibusque, ſed vicinis & proximis, ac familiaribus ſuis, imò verò his, qui vel artificii ejusdem, vel officii, vel operis exiſtunt.* Neſcio, num hæc hoc tempore, & apud iſtum Monitorem locum habeant; qui invidia uſque adeò in noſtros flagrat; ut eam non tantùm ad Europæos, ſed etiam ad illos, qui longè ultra columnas Herculis in Indiis, & Japponia degunt, extendat; tam enim ſincero eſt in illos animo, quàm in ſuos Polonos, & in nos Germanos. Ubíque livet, quocunque aciem oculorum mittit, ſive in noſtrum, ſive in novum orbem; ubique jacula calumniarum vibrat, ut, cùm quaſi ex noſtro ſenſu & prædicatione dicit: *Noſtrum Ordinem habere omnium Religionum perfectionem, & in quo aliæ religiones excellunt, in eo eminentiore modo lucere Societatem in Eccleſia Dei.* Thraſoniſmi iſti nihil aliud ſunt, quàm tui cerebri febrilia deliramenta: quos tu ex noſtris non audiſti, quia non ſunt conſentanei Religioſo viro; ſed ventoſo alicui jactatori congruunt. Longè aliter de Inſtituto noſtro & ſentire & loqui didicimus; & ſi uſpiam alibi, hic certè ad ſobrietatem ſapiendum & loquendum eſt.

E

F *Omnia in Societate meliùs haberi, quàm in aliis Ordinibus præter victus aſperitatem,* tua calumnia eſt, non noſtra aſſeveratio: Quod ad victum attinet, is frugalis eſt: carne obvia, bovina ſcilicet, vitulina vel ovina conſtans iis diebus, quibus carne veſci licet. Aliis, ova, piſces vulgati, olera, pultes, poma, pyra, &c. famem placant. Potus eſt modicum vini, & multis in locis, cereviſia. Quid hic, quod apud plerosque alios Religioſos non inveniatur? Certè menſas noſtras non eſſe Sybariticas, nec cœnas adjiciales, vultu & totius corporis habitu plerique ex noſtris teſtantur; ſemper enim plures macilentos, quàm corpulentos, plurésque, qui vix oſſibus hæreant; quàm qui *Gaſtrones* vel *Phyſcones*, meritò appellentur, reperies.

G Omnia reliqua, quæ Monitor effutivit, mera ſunt ſcommata, malevolentiæ & livoris toxico perſperſa: ſed ſatis ſupérque refutata manent ex his, quæ initio hujus Moniti diximus. Tantùm hoc repeto, ſi alii tam parùm impedimenti ad cathedras Scholaſticas & Eccleſiaſticas nobis objicerent; quàm parùm nos illis objicimus, multas, opinor, variis locis cathedras jam re ipſa obtineremus, ad quas jam livor, vel vana formido, vel ſiniſtra perſuaſio & affectio, vel hæc omnia ſimul, aditum nobis præcludunt.

H Coronidis loco coronemus hoc Monitum his Roſis ex S. Auguſtini horto decerptis. *Cum magno & calumnioſo* (adverſario) *habe-*

Serm. de invidia.

S. Auguſt. ſerm. 23. de temp.

A *habemus negotium, &c. Gaudeamus tamen, quia talis est judex, qui falli ab accusatore nostro non potest; nam si hominem haberemus judicem, huic, quidquid vellet, fingeret inimicus; nemo est enim Diabolo astutior ad confingendum falsa crimina; nam & nunc omnia falsa crimina* (ne his quidem Monitis exceptis) *de Sanctis ipse confingit*, (usus ore, stylo, calamo, manu Monitoris & similium) *scit suas criminationes valere non posse apud Deum; inter homines illas spargit: Et hoc ei quid prodest, cùm dicat Apostolus?* Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Putatis tamen, quia ille falsa crimina nullâ astutia confingit? Novit, quid inde mali agat, nisi ei resistat vigilantia fidei. Ideo enim & de bonis mala spargit, ut infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidinibus & dissipandos, dicentes apud se ipsos; Quis est enim, qui servet mandatum Dei, aut quis est, qui servet castitatem? Dum putat, quia nemo, ipse fit nemo. Hoc ergo agit Diabolus,* & fidus ejus administer, Monitorum architectus.

CAPUT VI.

MONITUM VI. VII. & VIII.

De Viduis.

B Conjungo hæc, quia sunt de Viduis opulentioribus earúmque filiis & filiabus. Exurge, ô Hieronyme, Bethlehemitici ruris tam pius & stabilis incola, & iterum insurge in quosdam Bonasos, qui indignissimè ferunt; si quam novam Marcellam, si Melaniam, si Asellam, si Albinam, si Marcellinam, si Felicitatem, si Paulam, si Blæsillam, si Probam, si Julianam, si Demetriadem, si Eustochium, si alias tuis cohortationibus impulsas; Virginitatem matrimonio, & viduitatem secundis nuptiis anteponere videant. Qui consilii hujus vel suasores vel adjutores, *vocant* S. Hier. Epist. 10. C *impostores; detrahunt, rumores turpissimos serunt, & quod ab ipsis egressum est, id ab aliis audîsse se simulant, iidem auctores & exaggeratores. Exit fama de mendacio, quæ cùm ad matronas pervenerit, & earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat: Videas plerásque rabido ore sævire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis carpere Christianos. Hîc aliqua, cui circa humeros hyacinthina lena est, rancidulum quiddam balba de nare locuta: perstrepit ac tenero supplantat verba palato. Junguntur nostri Ordinis, qui & roduntur & rodunt, adversùs nos loquaces, pro se muti, &c.*

D Induxerat S. Hieronymus Paulam cum Eustochio filia, & Melaniam nobilissimas Romanæ urbis fœminas, ut non tantùm rebus mortalibus sese abdicarent, & adhuc in urbe Romana vitam Monasticam ducerent; sed ut etiam Palæstinam peterent, ibíque ad loca nativitate Domini consecrata, sedem figerent. Quas ob hoc contumelias, quæ opprobria non audiit? Quid ille? *Licèt me sceleratum quidam putent, & omnibus flagitiis obrutum, & pro peccatis meis etiam hæc parva sint* (Christianæ humilitatis vocem agnosce) *tamen tu bene facis, quòd ex tua mente, etiam malos bonos putas. Periculosum quippe est de servo alterius judicare, & non facilis venia prava dixisse de rectis. Veniet, veniet illa dies, in qua & mecum dolebis ardere non paucos. Ego probrosus, ego verspellis & lubricus, ego mendax, & Satanæ arte decipiens: quid enim est tutius, hæc vel credidisse, vel finxisse de insontibus, an etiam de noxiis credere noluisse?* E S. Hier. Epist. 98.

Cæterùm hæc generatim prælocuti videamus, quid Monitor noster suo ex penu nobis depromat. Ait. *Conciliandis viduis deligendos provectæ ætatis patres, colore vivido.* Quid ad rem *color vividus*, ô calumniator? An tu censes, S. Hieronymum tot nobilissimas Matronas & Virgines Romanas, inprimis Paulam & Eustochium, & Blæsillam sibi conciliâsse *vivido vultu;* non sanctitate morum, & summa, qua pollebat, eruditione? *Bono tuo crassus sis*, inquit S. Hieronymus, alloquens obtrectatorem suum, *me macies delectat & pallor:* nisi fortè putat Monitor, S. Hieronymum, ut gratiam ab istis iniret, *purpurisso, cerussa,* & *psimmithio* faciem suam colorâsse, quam vanitatem ipse toties gravissimè in aliis reprehendit. F

De crebris visitationibus falsum est, quod Monitor garrit. Nullum habemus de hujusmodi frequentia Monitum. Imò gravissimam habemus nostri admodum R. P. Generalis CLAUDII AQUAVIVÆ, felicis memoriæ, Ordinationem; qua talis frequentia severè interdicitur; Et plerísque etiam nostrûm non tantum otii supperit, ut visitandis potiùs viduis, quàm aliis ministeriis obeundis tempus conterant. G

Ait Monitor. *Si quæ vidua benevolam affectionem ostendat, ei adsignandum confessarium, à quo in viduitatis proposito confirmetur, explicatis bonis, quæ status viduitatis parit, & ob oculos subjectis malis, quæ repetitæ nuptiæ secum apportant.* Figmentum est hoc, ùt & pleraque alia. Sed faciamus, non esse commentum, quid hac in re culpabile? Quòd siquid culpabile insit, illud nobis commune est cum sanctis Patribus, nominatim cum D. Hieronymo, D. Augustino & D. Ambrosio. An nunquam legisti aut vidisti disertissimas S. Hieronymi Epistolas; ad *Salvinam de servanda viduitate;* ad *Furiam* ejusdem argumenti, ad *Ageruchiam viduam de Monogamia, ad Demetriadem de servanda virginitate;* Denique ad *Eustochium de custodia virginitatis,* in quibus disertissimè commoda virginitatis ac viduitatis, & incommoda matrimonii tam primi, quàm H

A repetiti explanat. Nec puduit S. Augustinum, talem & tantum Doctorem, librum *de bono viduitatis* ex instituto scribere, in gratiam Julianæ viduæ, quæ id seriis precibus postulârat. Scripsit S. Ambrosius tres libros *de Virginitate: Exhortationem ad Virgines; Institutionem Virginis, Librum ad virginem devotam;* itémque alium *de Viduis.* Si quis nostrorum documenta, ex horum Patrum fontibus hausta, viduæ proponat, is scilicet capitale crimen conscíscet, ùt & tunc, si ejus suasu familia reformetur, & omnia ad decori & pietatis rationem conformentur, ablegatis illis, quorum dissolutior vita frænum non recipit. Cave Hieronyme, ne isti tibi diem dicant; quia sive viduæ, sive virgini præcepta rectè vivendi præscripseris, prima ferè semper cura fuit, monere de familia. Fuge, inquit ad Demetriadem, *lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccósque crispantes, ut sub nomine virginali vendibiliùs pereant. Mores enim & studia Dominarum plerumque ex ancillarum & comitum moribus judicantur: illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit, & quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur, &c. Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, &c. quasi quasdam pestes & venena pudicitiæ virgo devitet.* Similia in Epistola ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione. Et ad Lætam de Institutione filiæ.

B

C Sed Monitori illud intolerandum accidit, quòd nonnullæ viduæ à Jesuitis institutæ connubia, etiam magnorum & illustrium virorum, repudiant, nec vanè suspicantur nonnulli, esse Monitori quendam amicum, qui potentis viduæ viduitatis propositum amplexæ nuptias appetens, repulsam tulerit. Hinc illæ lacrymæ; quia noluit sibi accini illud ex Persio à S. Hieronymo prolatum carmen. *Optent te generum Rex & Regina, puellæ te rapiant;* Sed ego conditione tua nec utor, nec utar. Abi & procare, quantum vis, & ubicunque vis, dummodo me missam facias.

S. Hier. Epist. 100.

D Ut vidua viduitatis voluntatem, re maturè considerata, voto muniat, honestum Deóque gratum est. Ut ad hoc inducatur à nostris, impermissum est, quia Regula XXIII. Sacerdotum disertè istud vetat, quam integram adscribo. *Etsi vota ad perfectionis statum pertinentia, ùt Sancta laudari debent, & circa ea confessarii consilium, sed magna cum consideratione, dare possint: quia tamen non humanam, sed divinam vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quenquam inducat; verùm ad orationem tales hortetur, ut à Deo adjuti, vocationem suam meliùs intelligant, & exequantur.* E

Ut vidua emissum castitatis votum bis quotannis, more nostro, renovet; malum non est, posito, quòd jam sponte sua voto se se obstrinxerit; hæc enim repetitio excitat animum, ut fideliter & constanter solvere pergat, quod vovit. At viduam ad hoc induci à nostris, Monitoris commentum duco, ad invidiam concitandam excogitatum, quasi Jesuitæ sua instituta, suásque consuetudines omnibus obtrudant, & ubique ingerant. Quod secus est, ùt nôrunt, qui res nostras candido oculo aspiciunt; Ejusdem fæcis est, viduis præscribi ordinem domesticum nostræ Societatis. Ut ita esset, quæ hîc culpa esset? Ordo certè ubique laudabilis & experendus est; *nullus quippe ordo quidpiam recipit inordinatum; quod verò inordinatum est, ordo non est,* ùt scitè ait S. Bernardus in Apologia ad Wilhelmum Abbatem. Quæ itidem culpa, si vidua bene de Ordine nostro merita, meritorum Societatis particeps fiat? An solis viduis hæc gratia obtingit? An soli Jesuitæ ex omnibus religiosis familiis hunc morem habent? An non & alii Ordines præclarè de se meritos in communionem meritorum admittunt & adsciscunt, etiam scriptis instrumentis? F

Addit cavillator, an criminator? *Indici confessiones menstruas, & pro festis Christi, Deiparæ Virginis & Apostolorum.* Mirum, excidisse Monitori solennitatem S. Stanislai Episcopi, qui unus est ex præcipuis Coronæ Polonicæ Divis tutelaribus. II. *Constitui Syndicos inter mares & feminas, qui defectus notent,* & ad *Magnificam* referant. III. *Interdici susurros, motus, clandestina colloquia.* IV. *Delinquentes severè castigari.* V. *Collocandas in Aula honestas puellas, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, se in pietate exerceant.* VI. *Addendam manuductricem, quæ laborantibus attendat, & mores doceat.* Nihil in his mali video, præter malum animum Monitoris, utpote cavillatorium & calumniatorium. An non D. Hieronymus similia præcepta viduis & virginibus dedit iis in Epistolis, quas suprà commemoravimus? Salvinæ viduæ præcipit, ut, si domi suæ virorum ministerio penitus carere nequeat, eligat probos & pudicos, quibus *præficiat senem honestis moribus, cujus honor Dominæ dignitas sit, &c. Non ambulet juxta te calamistratus procurator, non histrio fractus in feminam, non cantoris Diabolici venenata dulcedo, non juvenis cultus & nitidus. Nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequiis molle jungatur. Habeto tecum viduarum & virginum choros, habeto tui sexus solatia. Ex ancillarum quoque moribus Dominæ judicantur.* G H

Paca-

A Pacatulæ etiam manuductricem assignat. *Sit ei magistra comes, pædagoga custos, non multo vino dedita, non, juxta Apostolum, otiosa, atque verbosa, sed sobria, gravis, lanifica, & ea tantùm loquens, quæ animum puellarem ad virtutem instituant.*

Crebræ visitationes viduarum sunt ex Monitoris capite, non ex nostro more; quas spiritualibus colloquiis recreare tam non est culpabile, quàm non est vituperabile factum D. Hieronymi, qui tot Epistolis & tractatibus elegantissimè scriptis complures viduas & virgines recreavit, & omnibus post se ætatibus recreat illas, quæ divini viri monumenta legere nôrunt. Quid quòd ipse de se ad Asellam liberè scribit: *Multa me virginum crebrò turba circumdedit. Divinos libros, ùt potui, nonnullis sæpe disserui: lectio assiduitatem; assiduitas familiaritatem; familiaritas fiduciam fecerant; dicant, quid unquam in me aliter senserint, quàm Christianum decebat.* Epist. 99.

B Quomodo illi, qui nostris confitentur, tractandi sint, non opus est, ut discamus ab isto Monitore; quia Regulam habemus, quæ ita nos instruit. *In audiendis confessionibus, feminarum præsertim, severos potiùs se, quàm familiares exhibeant, in universum tamen paterna quædam & spiritualis gravitas in eis eluceat.* Quapropter impudens mendacium est, illas viduas, à quibus aliquid speratur, benigniùs haberi, quàm illas, à quibus aliquid obtinendi spes nulla affulget; quia in hoc Tribunali major vel minor clementia non pendet à donis, sed à peccatis, quæ ad tribunal hoc expianda afferuntur.

C Principibus feminis aliquando concedi ingressum in ædes nostras, verum est; Sed non sine decenti comitatu; concedi ingressum frequenter & absque justa causa; Monitoris plasma est; cui hoc itidem accenseas licet; *Concedi viduis colloquia, quando & cum quibus placet, è nostris.* Memineris illius: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Et ratio religiosæ disciplinæ, & ipsa etiam civilis modestia id, quod comminisceris, refutat; nam hoc nec sine dispendio Spiritus permitti, nec sine curiositatis nota ab aliqua muliere peti posset; nec talis vidua pertineret ad classem illarum, quibus Apostolus Paulus jubet honorem deferri; sed potiùs ad illas, quæ his coloribus depinguntur: *Simul autem & otiosæ discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes, quæ non oportet.* 1. Tim. 5.

D Cæterùm, quando viduæ vel ob intensius frigus, vel ob aliquam invaletudinem se domi continere debeant, meliùs; opinor, docebit Medicus, quàm Confessarius. Ut studiosi adolescentes, qui literis apud nos excoluntur, carminibus cohonestent vel nuptias vel exequias filiarum, si quas hujusmodi viduæ habent, aut habuerunt, id ut livor non probet; probat tamen candor, & beneficiorum memor animus. S. Hieronymus, vir talis ac tantus, non tantùm quibusdam viris; sed & nonnullis mulieribus, nominatim S. Paulæ Romanæ, & S. Marcellæ viduis Epitaphia condidit. Quis hoc studium viri sancti unquam reprehendit, præter calumniatores, Monitoris hujus fratres? in quos ille intrepidè. *Maleficum quidam me garriunt: titulum fidei servus agnosco. Magum vocant & Judæi Dominum meum. Seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat, nisi humana.* Dic, quæso Monitor, nemóne degit in Polonia, qui Principum virorum aut mulierum Hymenæos, aut funera versibus celebret? Solíne Jesuitarum discipuli in toto Regno istud factitant, ut proinde non immeritò *Bonasus iste Segestanus cava verba, & in modum vesicarum tumentia buccis trutinet inflatis?* E Epist. 99. S. Hieron. Epist. 100.

Mentitur barbarè. *Omnia fieri ad viduarum sensualitatem: cautè tamen & secluso scandalo:* Tam verum hoc est, quàm verum est S. Hieronymum omnia dicta & scripta sua, & totam illam familiaritatem, quam cum nobilissimis viduis & virginibus Romæ, & in Palæstina contraxerat, eò solùm direxisse, ut earum cupiditatibus serviret, & quidquid carni asperum durúmve accidit, sedulò amoveret. Quod quàm verum sit, ostendunt nobis tot ejus Epistolæ ad virgines & viduas datæ. Et tamen tot severioris vitæ institutionibus & documentis editis, non defuerunt, qui sanctissimum virum inhonestæ cum Paula, & Melania, consuetudinis insimularent; Ex quibus unus cæteris petulantior subornatus est, qui se, nescio quid inhonesti de Sancto cum Paula, vel vidisse vel audivisse spargeret; eóque res processit, ut calumniator ille, in vincula abreptus, & quæstionibus, veritatis exprimendæ gratia, subjectus fuerit. Negavit ille, quod priùs dixerat, & insontem clamavit in tormentis, quem antea tanquam scelestum infamaverat. Hujus Tragœdiæ meminit ipsemet S. Hieronymus in Epistola ad Asellam. *Nihil mihi aliud objicitur, nisi sexus meus, & hic nunquam objicitur, nisi cùm Hierosolymam Paula & Melania proficiscuntur. Esto; crediderint mentienti, cur non credunt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat. Fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certè veritatem magis exprimunt tormenta, quàm risus, nisi quòd facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, ut fingatur, impellitur.* F G

Viduas hortari, ut sint beneficæ in egenos, in Templa, & in alia Deo dicata loca; id laudis est, non noxæ; nam inter notas germanæ viduæ hanc quoque ponit Apostolus: *Si tribulationem patientibus subministravit: Si omne opus bonum subsecuta est. At negliguntur cognati.* Sed isti aut sunt divites H 1. Tim. 5.

A vites aut inopes ; si divites , non egent hac liberalitate ; neque meritò conqueri possunt , si egenos & pia loca sibi anteferri videant. Si inopes ; partem cum cæteris egenis capient , & quidem luculentiorem ratione cognationis. Ut viduæ non dent Eleemosynas , inscio confessario , ne Religiosis quidem personis , pura puta calumnia est , conficta ab isto , ut alios Ordines in nos exasperet. Multi certè à multis matronis largas sæpe eleemosynas consecuti sunt , quas nunquam obtinuissent , nisi ope & intercessione nostrorum adjuti fuissent.

B Etiam dona templis nostris oblata carpit carptor. Vellicat etiam donaria & anathemata Romam missa, præcipuè ad monumenta B. P. Ignatii, & B. Stanislai Kostkæ. O *invidia primùm mordax tui* , exclamat S. Hieronymus , O *Satanæ calliditas, semper sancta persequens !* Si ferre non poterat, ut aliqua munera transmitterentur in honorem B. P. Ignatii , saltem hunc honorem , & hanc piam munificentiam non debebat invidere B. Stanislao populari suo , insigni totius Regni Polonici ornamento , novóque apud Deum patrono. Ferret , si Jesuita non fuisset. Sed quia Societati nostræ adscriptus fuit , supra patientiam Monitoris est , quidquid in hoc genere fieri conspicit. Quæso te , an ex Polonia nullum unquam munus missum est Romam ad alios , sive paupertatis sublevandæ , sive memoriæ alicujus cœlestis exornandæ gratia ? Loquere , Monitor , ut te videam. At siles , ne videaris.

C Dic bona fide, si quæ tamen tibi superest , quænam *Magnifica* , ùt tu appellas, in toto Poloniæ Regno tot Eleemosynas pauperibus elargita est; quæ tot Religiosos homines bene merendo sibi debitores fecit , quæ tot domicilia partim virorum, partim mulierum exstruxit , quot Paula Romana, & filia ejus Eustochium , quot Melania Senior & junior , & id genus aliæ verè *Magnificæ* , & nobilissimæ matronæ & virgines, quarum laudes toties decantat S. Hieronymus , in suis Epistolis & tractatibus , ùt & Palladius in Lausiaca Historia.

D *Quid ego referam* , inquit S. Hieronymus de S. Paula , *amplæ & nobilis domus , & quondam opulentissimæ omnes penè divitias in pauperes erogatas ? Quid in cunctos clementissimum animum , & bonitatem etiam in eos , quos nunquam viderat , evagantem ? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est ? Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est ? quos curiosissimè tota urbe perquirens , damnum putabat , si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios* (nota Monitor , nota , & fortè querelis modum pones) *& inter objurgantes propinquos , majorem se eis hæreditatem , Christi misericordiam , dimittere loquebatur , &c. Si pauperem videbat , sustentabat. Si divitem , ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum. Et usuras tribuens , versuram quoque sæpiùs faciebat , ut nulli stipem roganti um denegaret , &c. Testémque invocabat Deum , se pro illius nomine cuncta facere , & hoc habere voti , ut mendicans ipsa moreretur , ut unum nummum filiæ non dimitteret , & in funere suo aliena sindone involveretur ;* quæ Bethlehemi ad præsepe & incunabula Salvatoris quatuor Monasteria condidit , tria Virginum , unum , virorum , præter hospitia & mansiones pro peregrinis turmatim undique confluentibus. E

De Melania seniore audi Palladium. *Ea , quæ teneo memoria de ejus virtutibus , attexam oratione : nempe inenarrabilem religiosissimæ mulieris beneficentiam , per quam cùm beatum incorruptionis indumentum suis texuisset laboribus , & quæ non potest marcescere gloriæ coronam suis pecuniis , proprio suo capiti fabricata esset , & induisset , cum multa fiducia hinc excessit ad Dominum. Me ergo incipientem narrare præclara hujus beatæ facinora , si volo dicere , quæ scio , tempus deficiet. Quantam quidem opum materiam ea consumpsit in egentes , cælesti correpta desiderio , non arbitror flammam ignis , si in copiosam inciderit materiam , tantam posse exurere. Hoc autem non est meum solùm narrare , sed etiam eorum , qui Persidem & Britanniam , & omnes habitant Insulas. Beneficiorum enim & largitionum hujus immortalis fœminæ , non Occidens , non Oriens , non Septentrio fuit expers , nec meridies. Triginta enim & septem annos hospites excipiens , illis ea , quæ erant usui , suis præbuit sumptibus , Ecclesiisque & monasteriis , & hospitiis , & carceribus : & ut semel dicam , nullus ex iis , qui eam convenit , non est aliquam partem ejus opum consecutus , suppeditantibus ei consanguineis , & ipso filio , & curatoribus quotannis pecunias.* F Pallad. lib. 8. Historiæ. Lausiacæ. cap. 118. G

H De juniore Melania isthæc idem Palladius. *Vigesimo suæ ætatis anno mundo renunciat : & primùm quidem omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit altaribus , reliqua serica indumenta cùm conscidisset , res diversas fecit Ecclesiasticas. Argentum & aurum cùm credidisset cuidam Paulo Presbytero monacho , id per mare misit ad Orientem : atque Ægypto quidem , & Thebaidi decies mille nummos , Antiochiæ & ejus partibus nummos decies mille ; Palæstinæ nummos decies mille distribuit. Ecclesiis , quæ sunt in Occidente , & monasteriis & Xenodochiis , & omnibus egentibus per seipsam suppeditavit , & suppeditat his quadruplo plura. Liberavit servorum , quæ voluerunt , octo millia ; reliqui enim noluerunt , sed maluerunt manere cum fratre ejus ; omnes possessiones , quas habuit in Hispania , & in Gallia , & in aliis civitatibus , cùm vendidisset , eas ad tres usque nummos distribuit ; quæ autem* Pallad. lib. eod. cap. 119.

A *autem habebat in Sicilia, Campania & Africa, ſibi reliquit, ut ſuppeditare poſſet monaſteriis & egenis. Hæc eſt ſapientia inprimis religioſæ, & quæ mentem ſenilem ſuſceperat de pecuniæ materia, Melaniæ junioris.*

B Hæc ex plurimis Romanis Matronis, & quidem verè *Magnificis* viduis exempla proponere libuit: quarum veſtigia, ſi quæ viduæ & virgines Polonicæ ſectari aliquatenus ſtudeant, tuum non erat vituperare, ſed potiùs laudare. Sed ùt olim viduæ illæ, & præſertim S. Hieronymus, illarum inſtitutor, ſuos habebant *Grunnios* & *Bonaſos*, ita & tu novus nobis Grunnius nunc prodis, omnia lutulento tuo roſtro conſpurcans. Quanquam fortaſſis minora ſunt, quæ nunc piæ virgines & viduæ faciunt, quàm quæ factitata ſunt tempore Hieronymiano. Et tamen, ne ſic quidem invidorum dentes effugimus. Cedo Monitor, an tot Monaſteria Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, Franciſcanorum, Dominicanorum, quæ in Polonia exſtructa ſunt, nullos habuêre patronos & patronas, virgines & viduas, à quibus conderentur, ſublevarentur, ornarentur, & foverentur? An ùt arbores ſilveſtres ſine ullius hominis cultu extiterunt? At Monitor non neſcit, Polonos jam ab initio converſionis ſuæ ad Chriſtum, munificos fuiſſe in Templa, in Monaſteria, & in alia Deo dicatorum hominum domicilia. Non neſcit, aut ſi neſcit, diſcere poteſt, quid Martinus Cromerus, eximius rerum Polonicarum ſcriptor, hoc in genere ſcribat de Kunigunda Boleslai Pudici uxore, & de Eliſabetha conjuge Alexandri Regis.

Crom. lib. 10. & lib. 30.

C Verùm hæc non cruciant Monitorem. Illud dolorem ingentem creat, ſi quem viduum vel viduam; maritum vel maritatam, virginem ſacram vel ſecularem, nobilem vel plebejum liberalitatis ſuæ fontes Jeſuitis, eorúmque Eccleſiis & altaribus aperire conſpicatur. Hîc cum fratre ſuo exclamare compellitur: *Ut quid perditio hæc?* Sed quid mirum, in tam magnifica & munifica gente reperiri quoque, qui minimam noſtram Societatem ortu & ætate noviſſimam, favore & benevolentia majore complectantur & proſequantur; quàm lividi oculi tolerare queant. Nobis enitendum eſt, *ut & noſtra patientia & aliorum Zelus omnibus pateat, qui ſuum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in ſemetipſum proprio furore bacchatur.*

S. Hier. Epitaph. S. Paulæ.

D Calumnia eſt, *obſtare noſtros confeſſarios, ne viduæ ab aliis Religioſis crebrò viſitentur, ne pro inconſtantia muliebri, animum erga Societatem mutent:* nam tales Religioſi aut verè ſunt, quod appellantur, religioſi, hoc eſt, charitate imbuti in proximos ſuos, præcipuè in eos, qui ſe & omnia ſua Deo conſecrârunt; & ſub eodem ſupremo duce, tametſi ſub diverſis ſignis & ſigniferis, E militant; aut invidia ac ſiniſtris affectionibus livent & tabent; Si primum, nihil erit periculi à mutatione; quia *charitas non agit perperam, non æmulatur, non cogitat mala;* Si ſecundum, jam non tam religioſo, quàm invidiæ aliíſque vitiis aditus intercluditur. Nec ſemper prodeſt virginitatem aut viduitatem profeſſis quosvis ad colloquium vel familiaritatem admittere; ſæpe ſub pelle ovina latent lupi. Quàm felix fuiſſet Melania Senior, ſi in diſciplina S. Hieronymi, ùt cœperat, perſtitiſſet: nec Ruffino, aliíſque Origeniſtis aures præbuiſſet. Quid, quòd ex eadem Origeniſtarum ſchola quidam S. Paulam circumvenire, & in eandem cum Melania foveam præcipitare tentavit. *Quidam veterator callidus, atque, ùt ſibi videbatur, doctus & ſciolus, me neſciente,* inquit S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ, *cæpit ei proponere quæſtiones, & dicere: quid peccavit infans, ut à Dæmone corripiatur? In qua ætate reſurrecturi ſumus?* Has & ſimiles quæſtiones *nequiſſimæ viperæ ac mortiferæ beſtiæ,* ùt appellat S. Hieronymus, cùm Hieronymus rogatu Paulæ diſſolviſſet, usque adeò *illa cæpit hominem deteſtari, & omnes, qui ejusdem dogmatis erant, ut eos voce publica hoſtes Domini proclamaret.* At non omnes fœminæ ſunt Paulæ, ſive in hac, ſive in alia materia.

F

G Curare, *ut filiæ nobilium viduarum Religioſam vitam capeſſant;* laudabile eſt; ſed ut ad hoc inducantur à matre *virgis, minis, abſtinentiis, aſpera tractatione & exquiſiti muliebris mundi negatione,* id nullius ſani conſilium, ſed fabulatoris hujus fanaticum commentum eſt. S. Paula Romana Euſtochium, filiam ſuam, ad contemptum mundi, & perpetuæ virginitatis profeſſionem non induxit virgis aut minis, ſed inprimis ſuo exemplo, deinde guſtu Spiritus, rerúmque cœleſtium; nam his guſtatis deſipit omnis caro, deſipit & mundus cum omnibus ſuis vanitatibus. Nec S. Hieronymus Euſtochium in ea, quam ingreſſa fuerat, via, virgis aut minis retinuit, ſed perpetua in rebus ſpiritualibus exercitatione, ſanctarúmque Scripturarum jugi meditatione; quin & explicatione, ùt ipſe de ſe teſtatur in Epitaphio S. Paulæ, & in Epiſtola ad Aſellam; imò Blæſillæ, cùm adhuc Romæ degeret, eum in finem Eccleſiaſten Salomonis expoſuerat, ùt ipſemet ſcribit proœmio in Commentarium ſuper Eccleſiaſten.

Epiſt. 93.

H Aliquando filias & neptes, filiósque & nepotes, dum adhuc in cunis vagirent, matres viduæ, vel etiamnum conjugatæ, divino ſervitio & perpetuæ virginitati dedicabant. Habebat Paula Romana neptem ex Læta & Toxotio filio, nomine aviæ Paulam; Quanto deſiderio expetiit, ut non modò

A modò neptis, sed & parentes ejus rebus mortalibus valedicerent. *In hoc solo patriæ desiderium habuit*, ait S. Hieronymus, *ut filium, nurum, neptem, renunciâsse sæculo, & Christo servire cognosceret; quod & impetravit ex parte: nam neptis Christi flammeo reservatur, nurus æternæ se tradens pudicitiæ, socrus opera fide & eleemosynis sequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Hierosolymis illa complevit.*

B Cùm Demetrias, nobilissima virgo, matris & aviæ hortamentis irrevocabili virginitati sese devovisset, non petitæ sunt à S. Hieronymo virgæ aut minæ, quibus virginem intra sancti propositi cancellos contineret; Sed petita est institutio, quam sanctus quoque Hieronymus copiosissimam & elegantissimam dedit, ídque rogatu Probæ aviæ, & Julianæ matris, imò tanti professio hujus virginis æstimata est, ut etiam, sive Julianus Pelagii sectator, sive ipse Pelagius, prolixâ Epistolâ Demetriadem in eo, quod feliciter cœperat, confirmaret; adsperso tamen Pelagianismi veneno. Qua de causa S. Augustinus Julianam matrem monere coactus est, caveret anguem non jam sub herba latentem, sed corpore suo fermè toto promicantem, data ad Julianam propria Epistola, quæ est 143. Eidem tamen Julianæ matri, ùt & Probæ aviæ gratulatus est proprio Epistolio ob velum virginitatis à Demetriade susceptum: *Impletis gaudio cor nostrum*, inquit, *tantò jucundiùs, quantò chariùs; tantò gratiùs, quantò citiùs.*

Extat inter Epist. S. August.

Epist. 179.

C Quid Melania Senior, absque virgis tamen & minis, intentatum reliquit, ut neptem suam Juniorem Melaniam cum marito Piniano, & Albina socru Piniani ad despicientiam rerum caducarum induceret? Nec caruit successu conatus; venditis amplissimis patrimoniis Hierosolymam abiêrunt, sed per Africam, & per Africæ Tagastam, ubi Episcopus erat Alypius, S. Augustino amicissimus & familiarissimus; *Cujus templum admodùm munificè & aureis ornamentis & lucidis gemmis & plurimis ditârunt agrorum proventibus, Ab eis quoque sunt ædificata duo Monasteria, quibus satis dedit opum atque proventuum, quorum alterum quidem habebat chorum virorum numero octoginta; alterum autem habebat virgines, quæ erant numero centum & triginta*, ùt est in Actis S. Melaniæ Junioris. Quæ recitare volui, ut Monitor videat, quas olim *Magnificas* viduas & conjugatas orbis tulerit, & ne statim bacchari incipiat, si quæ jam hoc ævo in Ecclesias, & religionis professores beneficentiores sint, quàm invidentibus placeat. Jam progrediamur ulteriùs.

Tom. 1. Surii.

D Quid faciendum cum filiis viduarum, quæ Jesuitis addictæ sunt? Hoc nobis Monitor pulchrè denarrat. *Accipiantur ad Collegia:* (Nihil hîc mali; olim usitatissimum erat Nobilium filios ad Monasteria, E instructionis & pietatis gratia mittere) *Ostendantur illa, quæ moveant ad ingrediendum Societatem.* (Quænam ista, dic, quæso, Monitor?) *Horti vicini collegiis, mundities in triclinio, exterior conversatio inter nostros, munuscula; faceta colloquia, ad Spiritum tamen pertinentia.* Mi Monitor, inconsideratè moveretur, qui his moveretur, quæ planè externa sunt, & quasi accidentaria. Alius motor intus sub pectore alios stimulos vertat oportet. Alio igne animus caleat necesse est. Ni seria cura tuæ salutis, & serius contemptus rerum caducarum, ardénsque desiderium DEO serviendi te ad ingressum religionis urgeat & impellat; domum quidem ædificabis; at non super petram, sed super arenam, quæ ventis flantibus, & procellis ingruentibus horrifico cum fragore corruet.

Suadere, *ut mater filiis necessaria subtrahat, vel peregrè profectos exigua pecuniola juvet, ut tædio victi, Societatem nostram amplectantur.* F Ceriti & prorsus frenetici hominis esset; Et nisi Monitor ceritus & freneticus esset, talia non confinxisset; animadvertisset enim, neminem sanæ mentis fidem sibi habiturum. Certè omnes, qui Societatem petunt, severè examinantur, quas ob causas Societatem nostram complecti cupiant. Si quis diceret, se tædio negati largioris æris, & quasi desperatione adactum in hanc sententiam descendisse, utique voti sui nunquam compos fieret; quia per aliud ostium intrandum est ad religionis veneranda adyta.

G Hactenus de viduis, quas tamen cavillator necdum penitus deserere potest; Paulò pòst redibit ad illas, rursúsque odio & invidia tumens, scommata & mendacia largiter fundet; detractor immanis & virulentissimus; qui nequaquam ad se suósque lectores & auditores spectare arbitratur saluberrimum illud S. Hieronymi Nepotiano datum monitum: *Cave, ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes, &c. Parce à detractione linguæ: custodi* H *sermones tuos, & scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, in tua conscientia judicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Neque verò illa justa est excusatio: Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur; interdum resiliens, percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus*, ait Salomon, *ne commiscearis, quoniam repentè veniet perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? tam videlicet ejus, qui detrahit, quàm illius, qui accommodat aurem detrahenti.* Væ detractori huic & fautoribus ejus, nisi detractiones

Epist. 2.

Proverb. 24.

A ctiones ſalutifera pœnitentiæ & revocationis ſpongia eluant. *Oramus ac deprecamur Deum, quem provocare illi & exacerbare non deſinunt, ut eorum corda miteſcant, ut furore depoſito, ad ſanitatem mentis redeant, & ut pectora operta delictorum tenebris pœnitentiæ lumen agnoſcant.* S. Cyprian. Epiſt. 55.

CAPUT VII.

MONITUM IX.

B *De augendis reditibus Collegiorum.*

LIbenter utor in hoc Apologetico Tractatu, verbis & teſtimoniis S. Hieronymi. Cauſam fortaſſe juxtà mecum noverit Monitor. Verè igitur S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. *Semper virtutes ſequitur invidia. Nec mirum, ſi hoc de hominibus loquar; cùm etiam Dominus noſter Phariſæorum zelo ſit crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint; in Paradiſo quoque ſerpens fuerit; cujus invidia mors introivit in orbem terrarum.* Serviebat Deo Bethlehemi S. Paula Romana cum tribus virginum cœnobiis unóque virorum, caſtiſſimè, ſanctiſſimè, integerrimè & innocentiſſimè. Nec tamen livoris acutos dentes

C effugere potuit. *Suſcitaverat ei Dominus Adad Idumæum, qui eam colaphizaret, ne ſe extolleret, & quaſi quodam ſtimulo carnis ſæpius admonebat, ne magnitudo virtutum altiùs raperet, &c. Ego ajebam livori eſſe cedendum, & dandum inſaniæ locum, quod feciſſet Jacob in fratre ſuo Eſau, & David in pertinaciſſimo inimicorum Saul, quorum alter in Meſopotamiam fugerit, alter ſe alophylis tradiderit, malens hoſtibus, quàm invidis ſubjacere. At illa reſpondebat; Juſtè hæc diceres, ſi Diabolus contra ſervos Dei & ancillas non ubique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet, &c. Cur patientia livorem non ſuperem? Cur humilitate non frangam ſuperbiam? Secura ſcit patientia, quòd non propter peccata patiamur, & afflictio in ſæculo, materia præmiorum eſt.* 3. Reg. 11. Gen. 28.

D Quod S. Paulæ; idem accidit Societati noſtræ non tantùm in ampliſſimo Poloniæ Regno, ſed & alibi. Cæterùm quod S. Paula egit, hoc & Societati agendum eſt. Patientia & humilitate livor ſuperari & frangi debet. Ex quo proceſſerunt etiam hæc de Collegiorum reditibus augendis figmenta Monitoris: *Seriò inculcetur confeſſariis Principum, Magnatum, & matronarum, ut, dum ſpiritualia eis conferunt, temporalia pro bono communi Societatis ab iisdem recipiant.* Mendacium hoc, & omnia alia, quæ hoc nono Monito effutiuntur, redarguit hæc noſtra Regula, quam ſanctè cuſtodimus, & ut perfectè obſervetur, Superiores diligenter advigilant. *Omnes, qui ſub obedientia ſunt Societatis, meminerint ſe* E *gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium vel eleemoſynas ullas, quibus miſſæ, vel confeſſiones, vel prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur, ut ſic majori cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione in divino ſervitio procedere.*

Hactenus Regula. Quam, ùt dixi, religiosè obſervamus. Sed calumniator nos depingit, quaſi nunquam legerimus, aut ſi legimus, pro nihilo duxerimus illud Domini: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Hæc enim omnia gentes inquirunt; Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quod Salvatoris noſtri monitum, examuſſim cum veritate congruere, ipſa experientia ſæpiſſimè didicimus, & quotidie adhuc diſcimus; ùt & illud: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Non deſunt, Dei benignitate, qui Collegiis neceſſaria ſubminiſtrent: nil opus eſt his artibus; nil opus per nobilium virorum, matronarum, & clericorum ædes diſcurſationibus, ne prætereamur in teſtamentis. F Matth. 6. Pſal. 54.

Videtur Monitor Horatianum Tireſiam imitari, & Jeſuitis rationem diteſcendi præſcribere voluiſſe. Ergo tu protinus, *unde divitias ærisque ruam, dic augur, acervos. Dixi equidem & dico. Captes aſtutus ubique teſtamenta ſenum, ne ſi vafer unus & alter Inſidiatorem præroſo fugerit hamo, aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas, &c. Si cui præterea validus malè filius in re præclara ſublatus aletur, ne manifeſtum cælibis obſequium nudet te: leniter in ſpem arripere officioſus & ut ſcribâre ſecundus hæres, & ſi quis caſus puerum egerit orco in vacuum venias, perrarò hæc alea fallit.* Forſitan ex his & id genus aliis, quæ Ulyſſi Tireſias cecinit, Monitor hoc Monitum contexuit: qui Teſtamentum ſuum diligenter aſſervabit; ne quæ malè fida manus Jeſuitis portionem àliquam dandam adſcribat. Tam avidos tamen & curioſos hæredipetas fortè non inconvenienter ulciſceretur Monitor, ſi, ùt Coranus Naſicæ, ipſis Teſtamentum ſuum legendum ultrò offerret, ut *inveniant nil ſibi legatum, præter plorare, ſuisque.* G Horat. lib. 2. Satyr. 5.

Doluiſſe aliquando noſtros, quòd quædam ornamenta templis oblata non acceptaverint: fieri poteſt, ut verum ſit; ſed cur eis hic dolor vitio verti debeat, non video; quis enim eſt, qui ſemper Prometheum, non interdum quoque Epimetheum agat, ſpectandúmque in theatro exhibeat? Quis eſt, qui antè capillatam occaſionem aliquando prætervolare non ſinat, fruſtra H

poſtea calvum occiput appreĥendere tentans?

Revertitur nugator ad hortos, ad agros, ad prædia, ad Latomias ſeu lapicidinas (quibus ipſe cum ſodalibus ſuis digniſſimus eſt) etiam ad vineas, (ſic vocat prædia ſuburbana) de quibus jam alibi multa garriverat; aítque; de his omnibus ſedulò à Jeſuitis inquiri, *à quibus poſſeſſoribus teneantur, quibus contractibus, quibus gravaminibus, & num illa bona vel per contractus, vel per receptionem filiorum in Societatem, vel per donationem obtineri queant.*

Neſcio, quæ Megæra calumniatorem iſtum exagitet, ut tam improbabilia & ab omni verisimilitudinis ſpecie abhorrentia confingat; quaſi Jeſuitis nihil aliud negotii ſit, quàm ut per Poloniæ provincias vagentur, tabellísque, pittaciis, indiculis & pinacidiis inſtructi, quærant, cujus ſit hæc vel illa villa, cujus hic vel ille hortus, cujus hoc vel illud prædium? Num proprietario, an jure feudali, uſuario, vel uſufructuario poſſideatur? Num ſpes ſit vendendi? Quo pretio? Num poſſeſſor habeat filios, cum quorum uno vel altero prædium illud Societati tranſcribi poſſit; móxque ad ſingula rogata reſponſiones in tabellas referant, ne memoria excidant, & ut ſemper habeant in promptu indiculum, quo doceantur, ubi & quando venari, aucupari & piſcari debeant. O vaniſſimum Balatronem & Blateronem! qui, utar verbis S. Chryſoſtomi Homil. 31. in Acta Apoſtolorum, *Nihil ùt homo loquitur, ſed alia, ùt beſtia: alia verò, ùt furibundus, &c. Mallem aſſidere homini lutum edenti, quàm talia loquenti. Non videtis porcos ſtercora devorare, & ſuaviter glutire? Ita iſti. Quid enim fœdius, quàm verba, quæ contumelioſi conviciatores loquuntur? Nullum illis ſtudium eſt vel ſanum vel mundum aliquid dicere; ſed quidquid fœdum, quidquid turpe, hoc & facere & loqui ſodalent. hoc ſanè gravius, quòd, dum ſeipſos magis confundunt, alios ſe confundere putant.*

Mox Monitor ex intimis ſapientiæ ſuæ penetralibus novum contractum nobis depromit; nempe venditionem cum pacto redonandi; ſic enim aliquando bona Collegii illuſtribus viduis vendi ait. Huc usque nobis nota fuit venditio cum pacto revendendi; illam cum pacto redonandi ignoravimus, quæ ſi in forum introducatur, & communi uſu recipiatur, multos utique venditores promptos & alacres ad vendendum efficiet; quia & pretium habebunt, & cum pretio rem ipſam recuperabunt. Miror, iſti non veniſſe in mentem contractum donationis cum obligatione redonandi. Sed ad calumniam ſtruendam minùs accommodatus fuiſſet.

Plauſibilius fuit plaſma, prout ab ipſo productum in luminis auras proceſſit, qui denuò repetit, *illuſtrium viduarum filias ad Monaſteria dirigi, data quacunque dote; tum cimelia & pagos facilè in uſus noſtrorum converti.* Dic, quæſo, Monitor, quot ſunt in tota Polonia pagi, qui hac arte nobis ceſſerint? Potésne aliquos nominare? ut omnia tua Topica, ex quibus mendacia & calumnias extundis, obeas, forſitan ne unum quidem pagum tali modo nobis traditum invenies. Idem dico de dote, quam viduæ nobis tranſcripſerint; vel de fundis, reſervata ſibi annua penſione. Omnia hæc inania Monitoris ſcommata ſunt; Et ut non eſſent, an ſoli Jeſuitæ tam dura conditione in Polonia vivent, ut ſi quæ donaria offerantur, ea tamdiu reſpuere debeant, donec neſcio quis, qui *rure rurat*, Plebanus acceptandi poteſtatem fecerit? An nulli in tota Polonia Religioſorum vel Canonicorum cœtus reperiuntur, quibus Illuſtrium virorum & mulierum munificentia benignè faciat, donatis fundis & prædiis? An ipſemet Monitor aſpernaretur hujusmodi liberalitatem] alicujus *Magnificæ Dominæ*, licèt ſibi ex donatis prædiis annuam penſionem reſervaret?

Sed quidquid vel aliis vel ſibi donetur, id ferre poteſt; ut aliquid ad Jeſuitas veniat, hoc ſtomachus ejus digerere nequit, propterea, ut Jeſuitas communi ludibrio exponat, odiosè, contumeliosè, & prorſus ſanat, odiosè, contumeliosè, & prorſus ſanatyricè comminiſcitur, quaſi nos talia venandi & aucupandi artificium profiteamur, artísque documenta noſtris præſcribamus; quæ nihil aliud ſunt, quàm hominis furore & livore in præceps abrepti deliramenta. Sed calumniamini & cavillamini, ô ſcoptica capita, quantum lubet, *manere apud nos debet fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atque incentis fortitudine & mole, debet obſiſtere, &c. Neque ſolas Gentilium vel Judæorum* (hæreticorum) *minas* (& calumnias) *cogitare & ſpectare debemus, cùm videamus ipſum Dominum à fratribus eſſe detentum, & ab eo, quem inter Apoſtolos ipſe delegerat, proditum: inter initia quoque mundi Abel juſtum non niſi frater occiderit; & Jacob fugientem perſecutus ſit frater infeſtus, & Joſeph puer venierit venditibus fratribus; in Evangelio etiam legamus, eſſe prædictum magis domeſticos inimicos futuros, & qui priùs copulati ſacramento unanimitatis fuerint, ipſos invicem tradituros. Nec nobis ignominia eſt pati à fratribus, quod paſſus eſt Chriſtus; nec illis gloria eſt facere, quod fecit JUDAS.* S. Cypr. Epiſt. 55.

Extat apud Iſidorum Peluſiotam pulchrum Epiſtolium, ad rem noſtram valdè accommodatum, quod Monitor pro ſua facilitate legere non dedignabitur. *Perditæ ac profligatæ improbitatis eſſe mihi ille videtur, non qui eum, à quo injuriam atque contumeliam accepit, ulciſcitur, (ſæpe enim illi venia impertitur) verùm qui meliorem, atque* Lib. 2. Epiſt. 114.

A *que omnium laudibus celebratum odio & cavillis insectatur: ille enim, etsi ad philosophiæ fastigium minimè ascendit, at justam tamen odii causam habere videtur; hîc autem cùm nulla causa subsit, non tam cum homine, quàm cum virtute bellum gerit, ac bona omnia funditus evellere conatur. Quòd si Eustathius* (Copronymus Monitor) *hoc facit, aut ab hujusmodi reprimendus est, aut ùt impurus ac nefarius proscribendus. Una enim hæc virtus est, absurdæ improbitatis hominem semper fugere, præsertim cùm nihil turpe ac fœdum existimat, nisi castum ac temperantem esse.* Agnoscis Monitor iconismum tuum Isidori penicillo scitè depictum.

CAPUT VIII.

MONITUM X. XI. & XIV.

De dimissis vel dimittendis ex Societate.

B COnjungo hæc Monita, quia sunt ejusdem fili & styli: agunt enim de dimissis vel dimittendis ex Societate, quorum causam strenuè agit Monitor, ita, ut non levem suspicionem moveat, se etiam unum ex illa tribu tribulem esse. Societati nostræ, ùt & aliis Ordinibus, contingit interdum, quod ipsemet Deus sibi contigisse conqueritur per duos Prophetas, Isaiam & Hieremiam; Apud priorem hæc legimus: *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei: & sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit*
Isaiæ 5. *turrim in medio ejus, & torcular exstruxit in*
Hier. 2. *ea: & expectavit, ut faceret uvas, & fecit*
C *labruscas.* Interdum egregia indole adolescentes in Societatem cooptantur; spirituali vita, quin & omnis generis liberalibus disciplinis sedulò erudiuntur & informantur; & nihil omittitur eorum, quæ ad culturam animi necessaria sunt, cúmque jam tempus vindemiæ appropinquat, & copiosi fructus expectantur, ecce pro uvis labruscas ferunt. Pro obedientia, inobedientiam, pro humilitate, superbiam, pro contemptu mundi, amorem ejusdem; pro modestia, audaciam; pro concordia in communitate servanda, seminarium discordiæ.

D *Nunc ergo habitatores Hierusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam: non putabitur: & non fodietur; Et ascendent vepres & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Non addo commentarium; quia quid velim, & quid verba allata sibi velint, satis dilucidum est.

Quoties vidi ego, inquit S. Hieronymus E in cap. 1. Aggæi, *tam in doctrina, quàm in conversatione de quibusdam sperata plurima, & postquam ventum est, ut haberent tempus messium, id est, tempus docendi, vitámque suam in exemplum præbere populorum, de excelso præcipitatos, & minus inventum in eis, quàm opinio sibi omnium promittebat. Unde accidit, ut paulatim negligentia surrepente, parvum quoque ipsum, quod videbantur habere, perderent: hoc autem ideò perpessi sunt, quia securè fuerunt in pristinis domibus suis, nec ascenderunt scripturarum montem, ædificationis Dominicæ de eo ligna cædentes: nec extruxerunt in se quotidie domum Domini, sed despicientes ejus desolationem, etiam id perdidêre, quod se habere credebant.*

Hæc scilicet est imbecillitatis humanæ, F & ad deteriora propensionis conditio; Et malitia quoque adversarii nostri, cui nihil jucundius, quàm ut eos, qui manum jam ad aratrum admoverunt, respicere ac resilire faciat. Igitur, qui talis fit, qualis depingitur à S. Hieronymo, quid mirum, si dimittatur & ejiciatur, ne pars sincera contaminetur? Et certè omnes causæ, propter quas alicui missio datur, includi videntur in hac unica; quæ vocatur, *Amissio Spiritus:* Ex hac enim reliquæ pullulant: loquor autem de illis, qui sua culpa, & suo vitio dimittuntur: Interdum enim, absoluto probationis biennio, editísque jam votis simplicibus, quidam dimittuntur, non quia quidpiam mali aut faciant aut fecerint; sed quia prudenter judicatur, ad majorem Dei gloriam fore, si aliud vitæ genus eligant, maximè si infirma sit valetudo, neque unquam firmanda, nisi mutatione status. Quo casu ipsimet plerúmque in dimissionem consentiunt, ità, ut cum utriusque partis approbatione negotium transigatur.

Cæterùm Monitor noster si uspiam im- G pudentiæ frena laxavit, id potissimùm in hoc argumento agit primis statim verbis Moniti decimi. *Testabimur disciplinæ rigorem, ejiciendo à nobis, quandocunque videtur Societati, esto sint cujuscunque conditionis & status, senes, juvenes, consumpserint ætatem & vires, morbo calculi, & alio quocunque, postquam ingressi sunt Societatem, affecti fuerint.* Ubi veterator ita rem proponit, quasi Societas, arbitratu suo, quandocunque & ubicunque videbitur, quoscunque ex cœtu suo amandet, sinè ulla causa, nisi quia ita lubet; & quia pro ratione voluntatem habet.

Addit tamen postea causas, quas, si H sincero pectore constaret, non ex suo cerebro, sed ex p. 2. Constitutionum nostrarum cap. 2. repetivisset, lectoríque legendas proposuisset. Prima causa à Monitore allata est, *in casum reservatum incidisse.* Potest quidem fieri, ut, si casus sit publicus

A publicus, & cum gravi proximorum offendiculo, dimissionem mereatur, at præcisè propter casum reservatum alicui missionem dari, falsum est; quod non ignorat ipsemet Monitor, quia Superioribus conceditur facultas absolvendi ab his casibus; qui eandem facultatem impertiri possunt ordinariis Confessariis, si quando petant, salvo per omnia statu, & jure manendi in Societate.

B Secunda causa fabulatoris est, *si quis Societatis amicos & benefactores avertat, & ut animum benevolum ad alias Religiones transferant, efficiat.* Legi & relegi causas dimissionis in Constitutionibus nostris; hanc tamen non reperi. Nec mirum, quia non extat, nisi in chartis Monitoris. Fateor tamen, talem, nisi resipiscat, indignum esse Ordine, in quo degit; Qualis enim civis ille, qui à civitate, cujus pars est, avertit amicos, opem & subsidia? An non hoc odii indicium est, & quidem magni odii? Qualis Religiosus, qui Ordinem, quem profitetur, non amat? At hunc non amare, inde liquet, quia invidet ei amicorum benevolentiam & beneficentiam, alióque derivare studet.

C Tertia causa est, *si quis aliquem impediat, ne Societatem ingrediatur, vel si parentes aut cognatos hortetur, ut impediant.* Neque hanc causam inter causas dimissionis invenio. Quanquam qui talis est, is aliquando vel ultrò aufugiet, vel justæ dimissionis manifestas causas dabit. Laborat enim ulcere intestino, cujus purulentia tandem in apertum erumpet. Verus Religiosus adeò neminem, idoneum alioqui, impedit à suo Ordine, ut cum S. Paulo palàm dicat: *Volo omnes homines esse sicut me ipsum.* Et: *Opto apud Deum, & in modico & in magno non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie, fierì tales, qualis & ego sum.* Ne exceptis quidem vinculis, votorum scilicet obligatione. S. Paulus excepit sua vincula, quia ferrea erant: illa, quibus Religiosus tenetur, aurea sunt.

1.Cor. 7. Act. 16.

D Quarta causa dimissionis, *si quis in resignatione bonorum ostendat affectum erga consanguineos, non dando totum Societati.* Non causam dimissionis, sed luculentam pseudologiam video, quam nostræ Constitutiones evidenter refellunt; quæ permittunt quidem, ut, si quis velit, Societati aliquid relinquat; sed neminem cogunt, tantum abest, ut dimissionis pœna plectant eum, qui in alios egenos mavult esse beneficus, quàm in Societatem. Et quàm ipsi etiam Poloni Societatem amplexi hæreditatibus suis domos nostras non locupletent, ipsemet probè nôsti; vel si nescis, docebit te R. P. ARGENTUS cap. 8. suæ Epistolæ ad Sereniss imum Regem Poloniæ SIGISMUNDUM.

E Quinta causa est, *si quis vexatus insurgat in superiorem, si de eo coram fratribus conqueratur, si dicat, displicere sibi, quæ fiunt in Societate quoad viduas & Rerumpublicarum directionem, si denique laudet Venetos, à quibus pulsa Societas.* Se videtur Monitor depingere, & talia feciss e, priusquam ejiceretur. Insurgere adversùs Superiorem, dictísque & factis ejus obloqui (præsertim non ex subito motu, sed certo destinatóque consilio, ídque non semel, sed sæpius) grande nefas est, & dignum, quod dimissione expietur. Insurrexerunt Dathan, Core & Abiron cum sociis adversùs Moysen & Aaronem. Quid lucri inde reportârunt? *Dirupta est terra sub pedibus eorum, &c. Descenderúntque vivi in infernum opertì humo, & periêrunt de medio multitudinis.* Cùm iterum contra Moysen & Aaronem populus Israëliticus tumultuari inciperet, & quidem tanto furore, ut Moyses & Aaron ad tabernaculum fœderis confugere cogerentur; immisit Deus in multitudinem sævissimum incendium, cujus flammæ obvium quemque depopulabantur, multò plures absumpturæ, nisi Aaron sacro thuribulo, & thymiamate opem tulisset. Quàm graviter punita est soror Moysis ob oblocutiones contra Moysen? Nec parcitum Aaroni, quanquam propter honorem Sacerdotii, ùt opinor, lepræ pœnam non luit. Num. 12.

F

G Etiam moderatissimis Superioribus contingit interdum importunitate factiosorum *illud*, quod Moysi jam contigisse audivimus, nimirum, ut dentes maledicorum effugere nequeant, quidquid tandem agant. *Quis Moysè fuit melior pastor?* inquit S. Gregorius Nyssenus, *Quis Princeps & Rector æquè moderatus, & mitis, ut omnia fiat populo, Educator, Imperator, Sacerdos, ipse denique Pater, in bello conservans, in solitudine bona præbens, cùm terra nec arata esset, nec seminata: rectè judicans, citra errorem per viam ducens? Hæc autem quidnam est consecutum? Tanquam injuriam faciens seditionibus fuit agitatus: probris ac contumeliis affectus est tanquam lædens, murmur in eum est exortum, non secus atque in eos, qui suffurantur, & aliena sibi vendicant. Maledictis est appetitus, tanquam exercitus imperator imperitus, & qui non rectè præesset. Venit etiam in periculum, ne ab ipsò expelleretur sacerdotio; quando Dathan & Abiron & filii Core, seditiosa plebe secum à populo abrupta & abducta, contendebant esse sanctorum profani Sacerdotes, & invaserant thurìbula, & sancta exemplo trahaverunt, & ignem mysticum accenderunt, quì ante suffitum eos suffientes combussit. Et tam facilè offensionem incurrit populi administratio, ejúsque docendi munus & exercitatio, ut ne fratres quidem Moysi pepercerint: Sed & Maria detrectabat, & Aaron maledictis impetebat, gravéque ac molestum onus imperiì naturalem irritavit benevolentiam, & necessitudine*

Nyss. Orat. in eos, qui ægrè ferunt reprehensiones.

H

A *tudine conjunctissimos excitavit adversùs virum laborioſissimum. Sed vanum hoc fuit & irritum. Nam ille quidem erat Moyſes, & ſeipſo nihil evaſit deterior. DEUS autem de illis exegit, & ſumpſit ſupplicium, pro eorum in ſuum ducem delictis ac ſceleribus.*

B Jam verò non minus piaculum eſt judicium ſuum omnium aliorum judicio anteponere, & carpere, tanquam malè acta, quæ alii rectè fieri exiſtimant. Talem Capitonem duræ & inflexibilis cervicis, qui ad hoc unum vigilat, ut mordendi materiam inveniat, quis ferat? præſertim ſi eò etiam inverecundiæ progrediatur, ut laudibus celebret illos, qui Societatem, ſua ex ditione expulerunt, ea tantùm de cauſa, quia noſtros expulerunt. Húnccine tu Jeſuitam arbitraberis? niſi fortè ſola veſte & appellatione; quam tamen vel ipſe ultrò cum pudore mox exuet, vel ea per dimiſſionem exuetur. Monſtri ſimile eſt, verum & ſincerum alicujus corporis membrum gaudere, ſi alicubi ejusdem corporis membra affligantur, & in exilium ejiciantur. Non dixi fruſtrà, videri Monitorem ſe ipſum deſcripſiſſe; nam hæc talia apud nos factitare conſueverat, qui fortaſſis etiam Calviniſtis & Arianis in Tranſylvania ob Societatem inde pulſam panegyricum panget. O quàm lætus ille dies, quàm ſol candidus illuceret Monitori, quo noſtros pari modo ex ampliſſimo & potentiſſimo Poloniæ Regno proſcriptos videret. At vide, ne votum tuum in caput tuum recidat, túque priùs ſolum vertere jubearis, quàm Societas.

C Hactenus nobis denarravit Monitor cauſas dimiſſionis, quas ipſe ex ſuo cerebro exſculpſit, non quas in noſtris conſtitutionibus reperit. Meo judicio, ſcitè & verè S. Bonaventura deſcripſit in ſpeculo Novitiorum p. 2. cap. 5. indicia dimittendi; Et quamvis ipſe de ſolis tyronibus agat, accommodari tamen poſſunt perquam appoſitè ad illos, qui poſt probationis biennium in Societate ſimplicia vota emiſerunt; nec tamen eum, quem deberent, ſpiritum imbibunt, vel ſi aliquando imbibêre, retinent. Qualis igitur ille, quem ejectio manet; dic ô ſanctiſſime Doctor?

D Omiſſis multis aliis, ajo: *Talis otio gaudet, labore vel modico læditur, & facilè ſe infirmum, vel ad modicum ſe fatigatum prætendit; ſed & amore privato ſe diligens, quæ carnis ſunt, ſapit, & proſequitur ex affectu. Ficta ei & indevota confeſſio, rara & brevis compunctio, inſipida & ſine attentione oratio, incircumſpecta, & ſine ædificatione lectio: Obedientiæ moroſa, & ſine devotionis affectu vix aliqualis impletio. Multos enim remiſſa converſio in priſtinos errores reducit; ac vivendi torpore reſolvit: ut nonnunquam ex ore Domini evomantur. Curioſus non curanda curat, neceſſaria negligit: & ſui oblitus aliena conſiderat, notat & explorat. Si quod inſonuerit verbum, anhelat ſollicitus ad ſciendum: & honeſtate poſtpoſita, id ab invitis & celare forſan volentibus, inverecundè requirit. Locis ſibi non conceſſis, congregationi, & collocutionibus fratrum ſe ingerit non vocatus. Cùm eum abeſſe putaveris, adeſt impudens lateri, adeſt auri: ut nec ſecretum valeas occultare ſermonem. Obſervat angulos, vagis circumſpicit oculis, hæret ad ſingula, quæ occurrunt. Communes obſidet tranſitus. Supervenientium, & forenſium gaudet occurſu. Rumoribus & ſæcularibus verbis hauriendis & referendis intendit. Res ſibi non deputatas curiosè revolvere non quieſcit. Litteras etiam alienas, ſi caſu apertas inveniat, inſpicere non veretur: quas tamen licèt apertas, quomodolibet inventas, vix aliquis niſi Superior, licitè inſpicit, vel aliis inſpiciendas exponit, &c.*

E

Tales objurgati, aut rebellant inſolenter, aut murmurant. Simplicitatem ſpiritualium fratrum irridenter exagitant. Præferri ſe etiam melioribus impudenter affectant. Obſequia delata faſtidiunt, negata pertinaciter quærunt. Natales moribus antetponunt: juniores ſuos elati deſpiciunt, conferri ſibi aliquos, non credunt. Non ſervant in obſequio reverentiam, in ſermone modeſtiam, in moribus diſciplinam: habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in ſermocinatione jactantiam. Sunt in humilitate fallaces, in jocatione mordaces, ſubjectionis impatientes, temerarii in audiendo, clamoſi in loquendo, faſtidioſi in advertendo, præſumptuoſi in docendo, effrenati deformiter in cachinnando; Sunt ſuperbi. *Superbus autem ſe ad omnes propriæ voluntatis impulſus accommodat: nec ſe aliis, ſed alios ſibi applicare contendit: facilè ſibi fieri contumeliam judicat, ad quam irrogandam eſt validus, ad tolerandam infirmus. Et ſe grande aliquid eſſe putans, deferre ſociis dedignatur. Legibus ſubdi, & propriam recognoſcere culpam erubeſcit. Et licèt juxta Ordinis mores ſe regere neſciat, in ſuis oculis tamen ſapiens & perfectus. Ad aliorum inſtructionem, ſuæ præſertim opinioni contrariam ſtomachatur. Reprehenſus offenditur: nunc cauſam, ùt inſufficientem, vel frivolam, nunc monitoris modum calumnians: Ut ſi perſuadere aliquid velis, inſtabit, quòd modus artem, monitio ſtudium exigat: quo fit, ut hujusmodi allegationum obſitus ſpinis, ſicut Ericius, vel irrefragabili ratione, vel auctoritate capiatur. Fit igitur ad obtemperandum difficilis, & ad correctionem impatiens, adeò interdum, ut ſe diſcipulum abnuens, ipſum etiam deputatum ſibi refugiat inſtructorem, &c.*

F

Si quis verò ſufficienter exſpectatus & monitus mores corrigere ac religionis formam induere negligit, præſertim ſi rebellis aut contentioſus exſtiterit; non eſt proficientium numero aggregandus. Infidelis ſi diſcedit, diſcedat:

G

H

A *dat: ne una ovis morbida, contagione morti-fera totum gregem contaminet. Perverſus & inſolens non niſi in onus religionis, & diſſolutionem admittitur.* Hæc veriſſimè & ad noſtrum propoſitum accommodatiſſimè S. Bonaventura.

B Nam quòd Monitor calumniatur, *facillimè dari miſſionem*, & *quamcunque ob cauſam*, id verum non eſt; maxima enim cautione & circumſpectione negotium hoc agitur, prout decet, & Conſtitutiones noſtræ præcipiunt, tantúmque abeſt, ut hîc aliquid præcipitanter & inconſultò fiat, ut ego ipſe crebrò viderim, aliquot annis toleratos nonnullos, quos fortè citiùs dimittere operæ pretium fuiſſet; Et ut fatear meam impatientiam, ſi res mei arbitrii fuiſſet, eos tamdiu non tolerâſſem. Sed exauctorationi citiùs manum admoviſſem. Plus ſæpè præſtant Superiores noſtri, quàm paterfamilias ille, de quo Dominus Lucæ c. 6. *Arborem ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua; & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ, ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam, ut quid etiam terram occupat. At ille reſpondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora. Et ſi quidem fecerit fructum: Sin autem, in futurum ſuccides illam.* Patientia tam Patrisfamilias hujus, quàm cultoris vineæ, ſolemnis eſt iis, qui in Societate præſident,

C tantum abeſt, ut jam morbis & ſenio confectos ejiciant, ùt blaterat Monitor, ea ſolùm de cauſa, quòd ſunt morbidi & ſenes; hanc enim eſſe ſuam mentem, ſatis inſinuat veterator; quod tanquam falſiſſimum ab omni veritate abhorret: nimis enim dura, imò iniqua conditione degeret quis in Societate, ſi laborum ſuorum & ſenectæ non ferret aliud præmium, quàm expulſionem, jámque ipſi propemodum metæ admotus, ejiceretur. Non eſſet hæc Religioſa, ſed planè Cyclopica Respublica. Si quis autem jam ſenior, vel valetudine fractior, dimittitur; certus eſto, dimiſſionem, nec ſenectuti, nec infirmæ valetudini, ſed alicui alteri cauſæ adſcribi debere. Quot ego vidi & mediæ & ultimæ ætatis humaniſſimè uſque ad extremum Spiritum habitos tractatósque, licèt jam ad omnia miniſteria inhabiles eſſent, imò cùm in hac noſtra ſuperioris Germaniæ Provincia Sacerdos quidam in lepram; Et alius literarum ſtudioſus in Epilepſiam incidiſſet, utrumque Societas, tanquam benigna mater, uſque ad ſupremum diem, retinuit, & quibus licuit, charitatis officiis fovit.

D At diſplicet multis ipſa dimittendi conſuetudo, etiamſi legitimam ob cauſam fiat. Sed placuit Sedi Apoſtolicæ, quæ Inſtitutum noſtrum approbavit. Placuit omnibus Pontificibus, quotquot à Paulo III. uſque ad hodiernum Paulum V. Cathedram Petri tenuerunt. Placuit omnibus illis Imperatoribus, Regibus, Principibus & Rebuspublicis, quotquot Societati in ditionibus ſuis Collegia extruxerunt; quia ei Societati domicilia condiderunt, quæ Sedis Apoſtolicæ ſuffragio confirmata eſt. At hæc eſt illa Societas, cui poteſtas facta eſt dimittendi & exauctorandi illos, qui vel vocatione ſua dignè non ambulant, vel inepti cenſentur ad hujus Inſtituti labores ſubeundos & ſufferendos. E

Quare cauſæ nihil eſt, cur propter quorundam privatorum fermè & malè affectorum diſplicentiam & murmur, Societas à ſuo more deſiſtat; quia nec quies domeſtica, nec religioſa diſciplina conſervari, nec fructus ſperatus ex laboribus noſtris reportari poſſet, niſi turbatores abſcinderentur: Et cùm munia, quæ obimus, pleraque ſint publica, quid, quæſo, miniſterii ei fructuosè demandaretur, qui iis notis inſignitus incedit; quas ſuprà ex S. Bonaventura audivimus? Hîc quærere tempus eſt: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſylvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas?* Legat, qui volet, reliqua, & applicet: nihil huc obtorto collo trahendum erit. F Ezech. 15.

G At etiam Profeſſi & coadjutores formati dimittuntur ex Societate. Ita eſt: ſi cauſam dederint: An hoc ſoli Societati proprium? An non in Regula S. Auguſtini cap. 20. & in Regula S. Benedicti cap. 28. expreſsè traditur, Religioſum ejici poſſe, ſi nolit emendari: Et Regula S. Benedicti cap. 29. ſtatuit, Monachum tertiò fugientem, non eſſe ampliùs admittendum; quod perinde eſt, ac ſi reverſum expellas, inquit Leſſius noſter Lib. 2. de juſtitia cap. 40. Dubit 14. quod pluribus ille probat, etiam ex Jure Canonico. Videndus itidem S. Bonaventura Q. 2. in Regulam S. Franciſci. Ergo quælibet Religio eum, de cujus emendatione deſperat, expellere poteſt, ita, ut *incorrigibilitas* ſit cauſa univerſalis communi jure ſtatuta & expreſſa. In incorrigibiles Ordo uſurpare poteſt illud S. Ambroſii de Sarmatione & Barbatiano Monachis Apoſtatis: *Fuerunt nobiſcum, ſed non fuerunt ex nobis: neque enim pudet dicere, quod dicit Evangeliſta Joannes. Sed hîc poſiti primò jejunabant, intra Monaſterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrioſæ diſputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abiêrunt. Deinde volentes redire, non ſunt recepti: Pleráque enim audiêram, quæ deberent caveri. Monueram, nihil profeceram.* H Lib. 10. Epiſt. Epiſt. 82. 1. Joan. 2.

Alibi

A Alibi idem S. Ambrosius. *Considera aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, sedulæ observationis officium, subitóque eum esse mutatum, discessisse de Monasterio, valedixisse jejuniis, continentiæ renunciâsse, indulgere deliciis, studere luxuriæ. Dudum de Monasteriis exiêrunt, & nunc luxuriæ sunt Magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Nónne de his pulchrè dixeris? Effusi sunt gressus eorum: quos benè vixisse pœnituit. Egerunt itaque novi generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis.* Quanquam hæc potissimùm in illos quadrant, qui & ab Ordine & à Catholica fide desciscunt, quales erant suprà nominati Sarmation & Barbatianus: quorum similes hæc nostra ætas innumeros protulit.

In Psal. 36.

B Vix ullus Ordo tam sanctus, qui hujusmodi desertoribus careat, hoc præsertim ævo, in tanta omnium sectarum colluvie. Et quod magis dolendum, illi interdum in exitium ruunt, qui cæteris vitæ & doctrinæ exemplo anteire videbantur: iterúmque innovatur id, quod olim flebiliter deploravit Theodorus Studita, sanctissimus & doctissimus Scriptor, in suo Euprepiano. *Non audistis*, inquit, *quid acciderit miserabili Euprepiano? Jam jam enim nobis nunciatur defunctus & defunctus (heu meas ærumnas!) non temporali sed æterna morte, abrupta in Evæ amplexibus vita. Heu quid passus est infelix? scitis, quemadmodum priùs super capite splendebat cùm obedientiæ, tum probitatis lucerna. An non olim mecum pro confessione orthodoxæ fidei* (contra Iconomachos) *in carcerem conjectus est? An non Saccudione ad Oeconomi dignitatem provectus? An non ob præsentem confessionem in arenam descendit, bis flagris multatus, eáque fortissimè perpessus? Tum quid autem? Habens, ut Oeconomus, marsupium Monasterii, auro illectus, atque avaritia confixus, heu, Christum, Judæ instar, prodidit, virginitatis deposito voto, & Giezi in morem, agris, vineis, bobus, ovibus coëmptis. Quare non modò lepram ejus contraxit, sed, ùt arbitror, etiam tristius quiddam, &c. Digna dolore atque planctu tragœdia est. Qui stat, videat, ne cadat, & qui currit, caveat, ne prosternatur, prostratum cernens, qui priùs benè currebat. Angelum quis, opinor, faciliùs casurum, quàm fratrem eum existimâsset. Et tamen cecidit dormitans, & causa est avaritia.* Hæc Theodorus Studita. Cætera pio lectori perpendenda relinquo. Nos ad propositum revertamur.

Catech. 9

C

D Est ergo generalis causa Religiosum exauctorandi, si culturæ patientem aurem nolit ampliùs commodare, monitísque salutaribus locum nullum præbeat. Cui adde & hanc, si quis grave crimen in Ordinis infamiam redundans commisisset. Non enim tenetur Ordo talem cum damno bonæ suæ famæ retinere, licèt alioqui emendationis spes affulgeret, ùt & tunc, si initio dissimulâsset aliquod impedimentum, quod in illo Ordine censetur essentiale; quia hoc casu dolus dedisset causam admissioni, ac proinde Ordo non teneretur eum retinere. De quo videat Monitor Lessium loco citato. E

Verùm enimverò non omnes Professi, qui ex Societate discedunt, ob aliquam ex prædictis causis discedunt: possunt aliæ subesse, ùt dispensatio summi Pontificis, qua ab Ordinis legibus & obedientia eximuntur. Secundò transitus ad Ordinem Carthusianorum, qui singulis licitus est, petita facultate, tametsi non obtenta. Tertiò, transitus ad aliam strictiorem Religionem, qui jure communi omnibus permittitur, nostris solummodò cum facultate Superiorum, & hoc ex constitutione Pii V. Cùm enim Societas magnis impensis plerosque ex suis educet, & per omnia studiorum genera multis aliquando annis deducat, grave profectò Societati accideret, si à talibus postea, prætextu rigidioris status, desereretur, nec à filiis literarum cultu jam perpolitis aliam mercedem, quàm discessionem reciperet. F

Obmurmurat aliquoties Monitor, eos, qui simplicia vota apud nos Deo nuncupârunt, *obligari Societati, nec Societatem obligari illis; hoc autem prorsus iniquum esse;* requiri enim, *ut contractus sit reciprocus.* Cæterùm, ut res ita se haberet, prout non semel Monitor admodum patheticè, & emphaticè detonat, nihil tamen injuriæ cuiquam irrogaretur; nam qui in Societatem cooptatur, ille scit & acceptat tale statutum ab initio; volenti autem non fit injuria; nec de natura contractus est, ut sit mutua obligatio, sufficit nexus ex una parte, cujusmodi nonnullos contractus enumerat Lessius loc. cit. qui etiam addit; ex vi quidem contractus Societatem non obligari voventibus, obligari tamen ex vi Constitutionum, quæ præcipiunt, ut nullus sine legitima & accuratè considerata causa exauctoretur. Et quid iste querelas fundit de obligatione non reciproca? An si reciproca esset, ideo missio dari non posset, si justa causa interveniret? Omnium consensu locatio & conductio est contractus reciprocus; an ideo conductor nequit domo sua ejicere famulum, cujus operam conduxit, si non præstet ea, quæ præstanda sunt, si sit, aut fiat homo nauci, nihili, caput sine cerebro, piger, somnolentus, Cereri, Bacchóque deditus? Profectò non obstante mutua obligatione, iste quàm primùm facessere, & quò rapiunt pedes & auræ, abire jubebitur. Idem in aliis nonnullis contractibus videre licet, si pacta conventa violentur. Qui cupit Societatem quàm G H maxi-

A maximè ſibi obligari, is ſe bene gerat; & quæ vocatio exigit, ſedulò præſtet. Non eſt melior & certior obligandi ratio.

Quiritatur, *res ſuas dimiſſis non reſtitui.* Conſtitutiones noſtræ mandant, ut Superiores prudenter diſpiciant, quid & quantum dimiſſo reſtituendum ſit, ſi quid Societati donârit. Nihil illi deberi vel inde liquet, quia ſi res ſuas, ùt poterat, pauperibus viritim diſtribuiſſet, vel Xenodochio, vel alteri pio loco legâſſet, an ideò ob egreſſum ex Societate jus repetendi acquireret? An idcirco pauperes voce præconis convocabuntur, ut huic, quod acceperunt, in ſolidum reddant? An non fuit abſoluta & independens donatio, & ùt talis quoque à donatariis acceptata? An ſi culpa ſua expellatur, fructum & emolumentum ex culpa ſua capiet?

B Nihilominus Societas tam rigida non eſt, ut cum dimiſſo jure ſummo decernat, ſemper parata facere id, quod charitas & prudentia poſtulant. Cùm ante paucos annos Sacerdos quidam Polonus in Polonia exauctoratus eſſet, (poſt cujus dimiſſionem ſtatim hæc Monita primùm manu, deinde typis ſcripta apparuerunt, & per detractorum circulos circumvolârunt) ísque reſtitutionem rerum, quas Societati donaverat, urgeret, *R. P. Joannes Argentus* tunc temporis Provinciarum Poloniæ & Lithuaniæ Viſitator, hanc conditionem dimiſſo detulit, ut pro ſe duos arbitros eligeret, ſe quoque pro ſua parte duos electurum; quos etiam nominabat, nempe Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum *D. Thomam Oborski*, Illuſtriſſimi Epiſcopi Cracovienſis Suffraganeum, Epiſcopum Laodicenſem, & clariſſimum virum, Dominum *Sebaſtianum Nucerium*, SS. Theologiæ Doctorem, C Cathedralis Eccleſiæ Cracovienſis concionatorem & Scarbimirenſem Canonicum, viros omnis ſiniſtræ affectionis experres, quorum judicio & arbitrio ſtare, & quidquid reddendum pronunciâſſent, reddere, etiam uſque ad noviſſimum teruntium, volebat. Quid verò ille? Hanc æquiſſimam conditionem reſpuit, linguámque in immanitatem, & rapacitatem Jeſuitarum paſſim exercere & exerere inſtitit; cùm tamen illi, abſolutè loquendo, nihil deberetur, quippe ob culpam ſuam expulſo, nec majus jus aliquid repetendi à Societate haberet, quàm habuiſſet, ſi ſua alicui Templo aut Xenodochio Cracovienſi legâſſet. Quæſo, quænam Eccleſia, aut quænam domus hoſpitalis hac lege cum illo paciſci dignata fuiſſet, cum qua P. Argentus paciſci volebat?

D Interim cuduntur & diſſeminantur Monita, quæ nihil aliud ſunt, quàm Scoptica in Jeſuitas Satyra; quaſi non tantùm ſint inexplebiles; ſed & prorſus crudeles, omníque miſericordiæ ſenſu deſtituti: Sed tritum ac verum verbum eſt, Ordinem à deſertore ſuo non benedicta ſed maledicta, E non encomia, ſed opprobria exſpectare debere. Sæpius hoc didicit Societas, quid mirum, ſi & hîc?

Ait Monitor, *Dimittendos priùs per aliquot annos mortificari; fratres enim vilibus officiis præfici, ad ſcholas inferiorum ſubſelliorum detrudi; eísque quartum Theologiæ annum negari; Patres à confeſſionibus audiendis arceri, ùt & à colloquiis cum externis; crebrisque pœnitentiis divexari, ablatis quoque rebus charis ex cubiculis.* Quàm graphicè omnia. Quàm peritè. Experientia edoctum hæc ſcribere credas. Nec novum, nec inuſitatum eſt, ut pœnis ſubdantur, qui ſe malè gerunt; & pœnitentiis infligendis uberem materiam ſuppeditant, prout hujus farinæ homines facere ſolent; quorum nonnulli vel ideo ad ſcholas inferiores ablegantur, quia immodicè & intemperanter altiores ambiunt; neque in Superioris, ſed in ſuo judicio pertinaciter conquieſcere contendunt: quos inſcitia & proprii capitis vertigo ita aliquando circumrotat, ut & ad Philoſophiam, & ad Theologiam docendam, ſe perquam idoneos æſtiment, cùm vix Grammatices præceptis tradendis ſatis apti ſint.

Ut verò Superior ex conclavi auferat id, G quod ſubditus ſine facultate retinet; vel licèt cum facultate retineat, tamen ceu proprium ſibi vendicat; id apud Religioſos conſtituti & explorati juris eſt, cùm ne minimam quidem reculam habeat, cui licitè hunc titulum affigat: MEA. Nec obſcurum defectionis ſive futuræ dimiſſionis indicium eſt; ſi quis incipiat res aliquas ſibi proprias facere, & ſine permiſſu Præſidis uſurpare. Talem ſi paternè admoneas, ut mores ſuos ad præſcriptum Regularum conformet, vanis & vanitati ſeriò valedicat, Deóque totum ſe immolet; enimverò tunc bilis efferveſcit; & Superior nihil aliud eſt, niſi immitis tyrannus: nemini parcere, ſed omnes verbis & rebus exagitare ſolitus, licèt Superior accuratè ſervaverit omnia illa, quæ S. Gregorius Nyſſenus cum hujuſmodi hominibus, reprehenſionis impatientibus, obſervanda eſſe tradit. Nyſſ. Orat. in eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones.

H *Quæ ad docendum comparatur oratio eſt tractatu difficilis*, inquit eximius ille Pater, *& ad virtutem inſtitutio, & poſtulat variam regendi & adminiſtrandi rationem ſe ſubjectis moribus accommodans. Eſt quiſpiam pervicax, aſper, & qui non facilè morem gerit, opus habet flagris. Quidnam ergo faciemus; cùm virgas non tractemus: eúmne relinquemus, & ejus nullam curam geremus? Nequaquam; ſed eum oratione in alium traducemus habitum, uſui ſubjecto congruentem, & quo modo obſonia, ſi parùm adhibeatur condimenti, in contrarias tranſeunt qualitates, mutata ab acerbo in dulce, & à dulci in acerbum; ita etiam noſtra*

A *ſtra oratio adjectis figuris in uſus diverſos transformatur: ut excogitetur, quod eſt aptum ad unumquemque alendum. Ne ergo de me detrectes in angulis, vocans aſperum id, quod eſt ad doctrinam dandam accommodatum: neque eos, qui tuis communicant peccatis, adhibens in Societatem tuarum de me querelarum & reprehenſionum, ſedeas judicans Epiſcopum cum conſilio vanitatis. Ego autem animo non valdè conturbabor, tanquam aliquid novi mihi accidat, ſi ex meis diſcipulis mihi ſuccenſeant, qui ſunt duriores & pervicaciores. Hæc eſt enim humana affectio, quæ ab initio ad finem vitam ſequitur. Et gravis quidem eſt, ut in genere dicam, princeps & magiſtratus, iis, qui ejus reguntur imperio, ſceleratis autem & iniquis etiam habetur odio. Eis enim eſt moleſtus, ut qui peccatum prohibeat.* Hæc præclarè S. Gregorius Nyſſenus.

Tandem Monitor odioſiſſimè multa com-
B miniſcitur; *quomodo ſe noſtri cum dimiſſis gerere debeant:* Inprimis ait; *exigi ab illis promiſſionem, & promiſſionis teſtimonium ſcriptum, ne ſiniſtrè de Societate loquantur.* Commentum merum: quod prima fronte vanitatem & inanitatem ſuam præfert; Eſſet enim perinde, ac ſi à cane expulſo exigeres, ne latraret, aut ne morderet; quia iis, qui ſua culpa ejiciuntur, allatrare & mordere Societatem tam proclive eſt, quàm quadrupedi cani latrare & mordere. Nec ſuper hac re Societas ſollicita & anxia eſſe conſuevit, cùm certum ſit, quidquid dimiſſus effuſurus eſt, id aut conviciis, aut calumniis, aut mendaciis, aut his omnibus ſimul accenſendum fore. Documento ſint vel iſta Monita, quæ ab aliquo dimiſſo ſcripta vel dictata eſſe, plusquam veriſimile apparet.

C Ait, quod & ſæpius iterat: *Dimiſſis præcludi aditum ad illos Dominos ſæculares vel Eccleſiaſticos, apud quos locum invenire poſſent.* Univerſim hoc verum eſſe nego; evenire poſſe, ut id expediat facere, fateor; quid enim ſi à malæ notæ homine periculum immineat familiæ illi, in quam pedem inferet? An non tum charitatis erit, monere, ut damnum caveant, & quem hoſpitem domi ſuæ recipiant, etiam atque etiam conſiderent? Nec verum eſt à noſtris paſſim, &
D in triviis, vel etiam apud Proceres propalari *vitia malásque inclinationes dimiſſi.* Nil opus his; Nemo magis, quàm ipſemet ſe & ſua prodit & publicat, & aliquando gratiam, quam hypocriſi nactus fuerat, paulò pòſt iterum funditus effundit, ita, ut etiam illi, qui non ſunt adeò æquo in nos animo, propiùs inſpectis & compertis moribus, fateantur, talem jure ab Ordine excluſum eſſe. Quapropter neque in exhortationibus domeſticis neceſſe eſt de dimiſſi vitiis declamare; ùt iſte fingit, quia plerumque cauſæ dimiſſionis ſatis conſtant, & ſi non conſtent, ſubditi ſibi perſuadent, in tam gravi cauſa nihil ſine cauſa actum eſſe: quia omnibus ex Societate cognitum eſt, quanta E cum cautione & circumſpectione ad dimiſſionem procedatur. Quod S. Cyprianus de ſe olim ſcripſit reſpectu lapſorum; Hoc non injuria accommodes ad Superiorem, cui jus dimittendi ſuppetit; *Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi; remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino: delictis plus quàm oportet remittendis, pènè ipſe delinquo, &c.* S. Cyprianus epiſt. 55.

Ait: *Si dimiſſus ſit alicujus auctoritatis, &* F
à nonnullis libenter audiatur, tum talibus opponi Societatis exiſtimationem & auctoritatem, qua valet apud Reges & Principes tam politicos, quàm Eccleſiaſticos, ut elidatur exiſtimatio dimiſſi. Non immeritò hoc fit; quis enim non pluris faciat integrum Ordinem, toto terrarum orbe latiſſimè diffuſum, quàm unius homuncionis odio & ira æſtuantis maledicta, detractiones & obtrectationes? Expellatur quis ex civili aliqua Republica aut Regno. Obloquatur poſtea; linguam acerbiſſimè ſtringat, & mille criminationibus debacchetur. Quis adeò rerum humanarum imperitus eſt, qui non potiùs ducatur & moveatur auctoritate alicujus Reipublicæ aut Regni, quàm blateramentis Sycophantæ exulis & à patria extorris?

Oggerit, *Dimiſſos non promoveri à noſtris* G
ad aliqua beneficia Eccleſiaſtica, niſi non modicam pecuniam dederint, aut Societati bona ſua legârint, aut ſingulari modo teſtati fuerint, ſe eſſe amicos Societatis. Antea dicebat: *dimiſſis ubique à nobis obices objici, ne poſſint emergere, eorúmque fautores, etiam terrore cenſurarum, & negatione abſolutiónis à favendo abſterreri.* Quomodo hæc conſonant? Sed iſta eſt natura calumniæ & mendacii, ut ex præcipiti inconſideratione pugnantia effutiat. Si quis te compelleret, ut nominares, quinam ex dimiſſis accepta pecunia, vel ſpe hæreditatis teſtamento relinquendæ, ad beneficia Eccleſiaſtica à noſtris evecti ſint, forſan vox faucibus hæreret; nec invenires, quos nominatim exprimeres; nam cùm hæc ſcriberes, calamum potiùs odio & furori intinxiſti, quàm atramento. Quapropter mirum non eſt, ſi excæcatus videre nequiviſti, quid chartæ illineres.

Multos, qui Societatem deſeruerunt, in H
graves calamitates incidiſſe, triſtíque exitu ſuam temeritatem luiſſe, apertius eſt, quàm ut negari queat. Et poſſem tibi ipſemet narrare exemplum nobilis cujuſdam Poloni, quem anno Domini M. D. LXXVIII. Landſpergæ in Novitiatu reperi, cum quo ibidem fermè ſeſquiannum vixi. Qui cùm omnis virtutis ſpeculum videretur, & inter opera humilitatis primus compareret, poſtmodum ad deteriora lapſus, ſua in patria miſe-

A miserandum in modum periit. Caveat Monitor similem exitum & exitium; quia Dominus non irridetur, ipse potiùs irridet eos, qui clamitant, *Projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Psalm. 2.

B Et quia jam totam criminationum de dimissis sentinam exhausimus, pemmatum seu Bellariorum loco apponam tibi insigni detractori, & aliis, qui tuis detractionibus sese oblectant, morem S. Pachomii inter priscos Patres celebratissimi, de quo hæc in actis ejus feruntur. *Si quando fratrem detrahentem, cuiquam pro quolibet negotio cognovisset, non solùm non credebat ei, sed etiam avertens se mox ab eo, velut à facie serpentis concitus abscedebat, illud Psalmographi frequenter insinúans: Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar. Nullus (ajebat) bonus de ore suo profert quidquam mali, nec sanctis Patribus venenato ore prorsus obloquitur. De qua re multis quidem Scripturis Dei demonstrabat indignantis offensam, præcipuè tamen Mariæ proferebat exemplum, quæ mox ut adversus Moysen querelas obtrectationis effudit, perfusa lepra, divinum judicium vitare non potuit. Hæc docens utilitatem maximam audientibus conferebat.* Cap. 27. Utinam & ego hæc eadem docens & repetens tibi tuísque in detractionum palæstra sodalibus, aliquam utilitatem afferam.

Sed flagras invidia & odio: hinc detractio.

C Pone illam, & ab hac simul liberaberis. Quid emolumenti capis ex invidia & odio? *Quid oro te, invide, delectationis præstat invidia, quem secretis quibusdam conscientiæ unguis livor ipse decerpit, & alienam felicitatem tormentum ejus facit. Quid verò alter ab odio mercedis accipit, nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mentis horrorem, qui vultu semper animóque mœrente, voto, quo alteri vult nocere, seipsum cruciat?* Hæc tibi non inscitè canit Auctor epistolæ ad Demetriadem inter epistolas sancti Augustini.

CAPUT IX.
MONITUM XII.
De delectu Juvenum pro Societate modóque eos retinendi.

D DElectum habendum esse, ratio ipsa suadet: Ordo enim degeneraret in chaos, si cuilibet aditus pateret. Etiam Christus delectum habuit: nam ut alia hujus delectus exempla taceam, cùm quidam, quem ab immundis spiritibus expurgaverat, in Christi discipulatum se tradere vellet, rejectus est. Verba S. Marci sunt ista: *Cœpit illum deprecari, qui à Dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo; & non admisit eum, sed ait illi: vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.* Quis verus belli Dux non arbitratur vel maximè ad officium suum spectare delectum militum, quem, qui de re militari præcepta tradunt; tanquam simpliciter necessarium summopere commendant. E

Quid ergo Monitor de nostro delectu? F *Summa arte & industria opus est, ut recipiantur juvenes boni ingenii.* Non abnuo. Bona ingenia malumus, quàm mala: quia Societas literas profitetur, quibus discendis & docendis bonum ingenium aptum est; malum, ineptum. Quid amplius? *Forma non contemnenda.* Formam & corporis constitutionem eam quærimus, quæ in consortio hominum ordinariè esse solet. Ut Mopsos & Thersitas repudiamus, ita Nileos, Nisos, Euryalos, & similes Aglaiæ filios non appetimus.

Addit Monitor: *Genere nobiles & opulenti.* G Nobilitatem & opulentiam virtutis & ingenii semper pluris facit Societas, quàm nobilitatem generis & divitiarum copiam; unde ferè semper contingit, ut longè plures, quibus hæc duo desunt, quàm quibus adsunt, Societatem complectantur. Et quod attinet ad opes; Ordinis nostri candidatus vel ante vel post ingressum, eas pauperibus distribuere potest, ne obolo quidem Societati relicto, quia semper manet ei integrum illud Domini; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ possides, & da pauperibus, &c.* 1. Corinth. 1. à quo consilio Societas eum nec dehortari, nec remorari potest: *Non multi potentes, non multi nobiles*, inquit Apostolus, *sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus.* Nec Matthæus, qui opulentus fuerat, quippe publicanus; sed Petrus, qui piscatione se sustentârat; Primatum Ecclesiæ accepit.

Fingit veterator, tales juvenes, quibus Societatis ingrediendæ mens injecta est, *indulgentiùs à Præfecto Scholarum, & à Magistris haberi, crebris laudibus & munusculis afficì, invitarì nonnunquam ad vineam; & in solennitatibus ad triclinium: cæteros asperè tractari, virgisque & acerbis reprehensionibus coërceri.* H Nemini parcitur, si delinquat, vel officio suo desit; semper tamen intra limites moderationis; quia castigatio in gymnasiis nostris non solet esse despotica multóque minùs tyrannica; sed paterna, quæ interdum nimium & parùm potiùs ad hoc posterius, quàm ad illud prius declinat. Si, qui Societatem petunt, benevolentiùs aliquando habentur, id fortè accidit, quia relictis bonitate in moribus, & diligentia in literis antecedunt. Certè blandiri illis minimè decet, & si quis id faceret, funiculos ex arena necteret; quia non blandimentis, sed interno quodam spiritus calore animus ad religionem inflammari debet. Quòd si interdum domum invitantur, non est, quòd mireris. Etiam Christus Dominus, quos sibi electurus erat discipulos, domum invitavit. Sic enim illum compellârunt duo ex

A ex S. Joannis Baptiſtæ diſcipulis, quorum
Joan. 1. unus erat Andreas; *Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt, ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo:* quibus menſam à Chriſto appoſitam fuiſſe, valde credibile eſt. Neque enim magis jejunos dimiſiſſe videtur, quàm
Marci. 6. illos, de quibus ipſemet. *Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent; Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via.* Nec qui concepto Religionis propoſito alios ad idem inſtitutum inducere tentant, carent exemplo Apoſtolico: nam Andreas colloquiis Chriſti accenſus, ſtatim fratrem
B ſuum piſcatorem, piſcator ipſe piſcari inſtitit. *Invenit enim primum Simonem fratrem ſuum, & dicit ei: invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus. Et adduxit eum ad Jeſum.* En inſignem piſcatorem non jam piſcium, ſed hominum: nec dubito, Petrum eadem humanitate, & in eadem habitatione à Chriſto exceptum eſſe, qua priùs Andream & alterum Joannis diſcipulum exceperat. Philippus ſemel colloquio Chriſti dignatus, ſtatim hoc tantum bonum cum aliis communicare ſtuduit: *Invenit enim Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth:* qui & ipſe poſtea ad Chriſtum adductus eſt, ejúsque ſuaviſſima conſuetudine recreatus. De Macario Alexandrino Suidas. Hilaris
C erat. Καὶ τῷ χαριεντίζεσθαι, τὲς νέες ἦγε πρὸς ἄσκησιν, *Suavi & gratioſo agendi modo adducebat juvenes ad Monaſticam vitam.* Ait Monitor. *Juvenes, qui in Societatem cooptari cupiunt, non ſtatim voti ſui compotes effici, ſed aliquandiu differri; ut deſideria dilata creſcant.* Quid hîc habes Mome, quod meritò culpes? nam immeritò omnia vellicare potes, & in his etiam hunc ſalutarem morem non properandi; cùm ſit res magni ponderis, totum vitæ ſtatum attingens, quos etiam, ne reſiliant, ſalutaribus monitis retinere, æquiſſimum eſt, cùm liqueat, quantum apud probam & ingenuam indolem ſalutaria monita efficere
D valeant & ſoleant. Filios Senatorum Regni, ſive in ipſo Regno, ſive extra Regnum, Religionem aliquando, & noſtram quoque, ingredi non adeò inſolens tibi accideret, ſi perpenderes, omnibus ſæculis, nobiliſſimos quosque, etiam Reges & Principes, contemptis rebus humanis, ſuavi religionis jugo cervices ſubjeciſſe, licèt nonnulli ſubinde obmurmurent, & veteres illas de S. Paulino Nolano, cùm Monaſticam vitam elegiſſet, querimonias recinant. *Ex illa familia, illa proſapia, illa indole, tanta præditum eloquentia, migrâſſe à ſenatu, interceptam familiæ nobilis ſucceſſionem, ferri hoc non poſſe.*

Apud S. Ambroſium Epiſt. lib. 6. epiſt. 36.

Dolet quoque lividiſſimus Monitor, exteros quosdam, qui ſcholas noſtras in Polonia obeunt, in Societatem allegi. Clau- E
de oculos, ne videas, obſerva memoriam, ne reminiſcaris; aliud, quod ſuadeam, non occurrit. Omnia, quæ Societati proſperè eveniunt, tibi maximam crucem figunt. Cur te toties & tam acerbè crucifigis? Oblitera hæc omnia; Expunge ex mente, alioqui nullam unquam quietem capies. Nullus adhuc calumniator tantum efficere potuit, ut, qui Ordinem noſtrum peterent, nullos amplius inveniremus. Quid tu cum tuis ſtramentitiis Monitis efficeres? Sunt, erúntque ſemper, qui mundo valedicere, & religionis F
portum ſubire optent, licèt tu & tui in architectandis monitis *ſubadjuvæ* ringamini; nec ullus etiam ex noſtris abſterrebitur, quin, quos idoneos arbitratur, ad Religionem debitis modis invitet, exemplo S. Hieronymi, qui tot nobiliſſimos viros, & tot illuſtriſſimas matronas partim epiſtolis, partim familiaribus colloquiis eò adduxit, ut crucis vexillum levarent, réſque cœleſtes & permanſuras, rebus terreſtribus, & tranſituris anteponerent. Quid non tentârunt duo ſanctiſſimi, & eruditiſſimi viri Paulinus Nolanus, & Auguſtinus, ut Licentium clariſſimis ortum nata- Epiſt. 37. & 39.
libus, & omni diſciplinarum genere perpolitum juvenem, ex mundi laqueis eriperent? Lege, & erubeſce, ſi quid tamen ruboris adhuc à fronte tua impetrare potes. De qua re copioſiùs egi in *Veſpertilione Hæreticopolitico;* Sic enim inſcripſi Apologeticum contra Bononienſem epiſtolam Italolatinam, ex qua, niſi admodum animus meus me decipit, impoſtor iſte Monita ſua magna ex parte conſarcinavit; & quæ in illa fictitia epiſtola, primarius quidam Jeſuita ſcripſiſſe fingitur, hic alio orationis ſchemate per modum *Monitorum* in ſcenam induxit, & ad Poloniam ſuam præcipuè accommodavit.

Vacillantes in ſua vocatione confirmare, H
etiam triſti eorum, qui pedem retulêre, exitio, non modò licitum, ſed & valdè frugiferum eſt. Utinam tu non fias aliquando ejuſmodi exemplum, quo alterius infirmitatem fulcire neceſſe ſit. Legi olim Tractatum Dionyſii Carthuſiani de miſerabili multorum, qui ab Ordine Carthuſiano defecerant, interitu. Is certè ejuſmodi exempla profert, quæ quemlibet, cujuſcunque tandem ſit Ordinis, ad perſeverantiam incendere poſſint, quamvis mille difficultates objiciantur, quas tamen temporis progreſſu, Deus clementer aut penitus tollit, aut mollit. Nec reprehenſionem meretur; quòd illos, qui interdum vel filiorum vel cognatorum in Societatem ingreſſum moleſtè ferunt, pacare & ad æquanimitatem inducere nitimur; non prædicando Ordi-

A nis noſtri excellentiam, ùt iſte comminiſcitur, ſed proponendo veras & ſolidas rationes ex ſacra Scriptura & ex ſanctis Patribus petitas, cur potiùs ſibi gratulari, quàm ſe mœrore cruciare debeant, quantumvis Monitor cum ſuo Caco ex ſpelunca ſua ronchos trahat, & conviciorum flammas evomat. Non movemur; quia, ùt ait S. Hieronymus, *per bonam famam & malam, à dextris & à ſiniſtris, Chriſti miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit & triſtia: Per diem ſol non urit eum, neque luna per noctem.*

Epiſt. 2.

B Ad extremum, dic Monitor, an non detractis ſannis, ſcommatis & mendaciis, quibus tuam orationem infercis, quicquid nos factitare ſcribis, alii itidem Ordines faciunt, præſertim duo illi, quos tu in *proſa tua* celebras, & longè ſupra Jeſuitas extollis? Halent ſine dubio delectum juvenum, qui nomina ſua Ordini dare volunt. Malunt ſine dubio ingenioſos, quàm ſtupidos; malunt doctos, quàm indoctos; malunt ingenuè natos, quàm illegitimè procreatos. Hos ſine dubio fovent, & tam religioſis obſequiis, quàm munuſculis demerentur. Senatorum filios, ſi quis ad illos animum adjiciat, procul dubio non repudiant; ſi quis externus, puta Germanus, Gallus, Italus, in eorum cœtum adſciſci cupiat, non abnuunt, ſi è re communi videatur. Si parentes aut cognati obſtrepant, & meliora chariſmata ſectari volentibus impedimenta objiciant, operam dant procul dubio, ut, ſerenitate reducta, moti fluctus quàm primùm comprimantur. Quid ergo in nobis inſectaris, quod non invenias in illis, quorum tu maximus videri vis admirator & encomiaſtes?

C Finiam cum S. Hieronymo; *Si gentiles hanc vitam carperent, ſi Judæi, haberemus ſolatium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus. Nunc verò, prô nefas, homines Chriſtiani, prætermiſſa domorum ſuarum cura, & proprii oculi trabe neglecta in alieno oculo feſtucam quærunt, lacerant ſanctum propoſitum, & remedium pœnæ ſuæ arbitrantur, ſi nemo ſit ſanctus, ſi omnibus detrahatur, ſi turba ſit pereuntium, ſi multitudo peccatorum.*

Epiſt. 99.

CAPUT X.

MONITUM XIII.

De Monialibus.

D HOc ſcilicet reſtabat, ut poſtquam de viduis ad ſatietatem, forſan & ad nauſeam, ſi non ſuam, certè aliorum, deblateraverat, jam ad illas veniret, quæ ſegregatæ à turbis ſoli Deo ſervire & placere cupiunt. Quid ergo mones, ô Monitor? *Noſtri Confeſſarii caveant offendere Moniales, cùm tantæ ſint benefactrices, ut aliquæ fundationem juverint Collegiorum, pluriмæ mediam dotem dederint, annuente Monaſterio & Abbatiſſa.* Omnis Religioſus, imò omnis Chriſtianus operam dare debet, ne quem immeritò offendat: non opus eſt hîc multis & longis hortamentis: ipſa naturalis ratio hoc docet. Si autem nullus immeritò offendi debet, multò magis enitendum eſt; ne offendamus bene de nobis meritos, inter quos ſi etiam ſunt, ùt revera ſunt, Sanctimoniales, maximè in Polonia, tum & communi jure charitatis, & privato beneficentiæ titulo elaborare nos decet, ut ſatisfaciamus illi præcepto Apoſtolico: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Et illud: *Sine offenſione eſtote Judæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.*

E

2. Corinth. 6.

1. Corinth. 10.

F Dolet Monitor, à nonnullis Sanctimonialibus adjutas & auctas Collegiorum quorundam fundationes. Quàm primùm igitur te Culmam in Pruſſiam recipito, & virgines, quæ ſub Regula S. Benedicti ea in urbe Deo famulantur, quàm ſeveriſſimè increpato, eò quòd non parvam pecuniæ ſummam ad fundandum Collegium Torunienſe ſubminiſtrârint, præſertim cùm Collegium illud omnibus Lutheranis, Calvinianis, & Monitoris hujus amicis ſit inviſiſſimum, utpote qui mallent illud ſtare Calecutii in Indìa, quàm Torunii in Pruſſia. Impera Abbatiſſæ pro tua auctoritate, ut, quidquid æris impendit, repetat, etiam in publicis Regni comitiis, tum edictum per univerſum Regnum promulga, ne quis in poſterum ſacrarum virginum cœtus Jeſuitarum Collegiis vel fundandis vel exſtruendis ullum teruntium conferat, & ſi conferat, collationem irritam & caſſam fore; ùt & donationes dotis; quam dotem mallet Monitor in lupanariis conſumi, quàm in ſubſidium noſtrarum ædium impendi: qui ſingit, noſtros diligenter Monialium favorem fovere, ne dotes datas repetant. At non eſt periculum; quandoquidem tu ipſe dicis, hujuſmodi dotes ad Collegia noſtra translatas *conſenſu Monaſterii & Abbatiſſæ.* An tu aliquem Sanctimonialium conventum tam inſtabilem & variabilem cenſes, ut donationem, quæ maturo conſilio, omniúmque aſſenſu facta eſt, retractet? Tu veles: at virgines, mente maſcula, nolunt, quia intelligunt, ſe, ſuæ etiam ſecuritati conſulere, cùm illos opibus ſuis adjuvant, qui dies noctésque pro domo Dei in acie ſtant, & contra adverſarios rectæ fidei viriliter dimicant; qui, ſi obviam non iretur, omnia interciperent, & expilarent, inprimis Monaſteria, maximè virginum, quibus præcipuè ſolent eſſe infeſti, nec ignota cauſa eſt; Notam fecêre tot Monialium ſacrilegi inceſtatores; quibus libido dulcis non erat, niſi in virgine Deo dicata expleretur.

G

H

Ego

A Ego Moniti hujus refutationem concludam S. Cyrilli Episcopi Alexandrini verbis in epistola ad Nestorium; quæ Monitor à Societate nostra sibi itidem dicta existimet. Tom. 1. Concil. Ephes. cap. 12. *Jactant voces in me insania plenas; hic quidem, quòd cæcos egenósque per injuriam oppresserim: alius, quòd ferrum in matrem strinxerim; nonnulli, quòd ancillæ auxilio aurum alienum abstulerim; quidam denique, quòd hujusmodi improbitatis suspicione laboraverim semper, cujusmodi ne infestissimos quidem hostes laborare optaverit quispiam. Verùm istos, & si qui ejus farinæ sunt alii, non multùm moror, ne supra magistrum & Dominum, vel etiam supra majores meos tenuitatis meæ mensuram extendere videar: fieri enim vix potest, quamcunque vitæ rationem ineîris, ut pravorum maledicorúmque hominum dentes evadas. Sed illi quidem maledicentiæ & acerbitatis os plenum habentes, coram omnium judice causam olim dicturi sunt.*

B *Pessima vitii corruptela detractio, quæ animam maculat, Deum offendit, proximum scandalizat*, inquit S. Bonaventura, qui religiosæ vitæ tironibus, imò universè omnibus hominibus hoc saluberrimum præceptum dedit. S. Bon. in spec. disciplin. p. 1. cap. 31. *Si de personis absentibus, præsertim religiosis; siniştri aliquid suggeratur: Semper pro absentium parte loquentes, nullo modo ad favendum detractoribus inclinentur.* O aureum Monitum, & singulorum cordibus, hac tanta detractorum frequentia, altissimè inscribendum! Refert ibidem idem Sanctus hanc perquam festivam historiolam. *Narrabat, ùt fertur, senior quidam fide dignissimus, ad se, quandóque secularem venisse, qui adversus quosdam*
C *religiosos plurimùm invehi videbatur. Cui frater viriliter se opponens, eum, quoties advenit, eadem semper constantia repulit, & incusatos pro viribus excusavit. Miratus oblocutor benevolam senioris constantiam; aperuit tandem, se id ad probandum de mutua illorum ordinum charitate fecisse.* Ad pauci hodie sunt tales seu tentatores seu probatores, quia plerique sunt ferii obtrectatores & calumniatores. Pauci etiam præstant, quod à seniore isto erga Religiosos ex alio Ordine accusatos præstitum est: plures, præsertim quando Jesuitæ in Theatrum inducuntur, faciunt, quod idem simulatus
D detractor se expertum esse testatur: nam cùm apud alium diversi Ordinis Religiosum graviter oblocutus esset Ordini, in quo senior prædictus versabatur, *Frater ille oblocutionis verba inprimis aliquantulum, deinde remissius refellens, tandem obloquenti cessit. Super quo idem sæcularis non modicum offensus, apud illos non esse charitatis veritatem asseruit, qui ad invicem detractionem admittere non curâssent.* Et quid multis opus? *Religiosus non est, qui detractionibus pascit aut pascitur alienis.* O oraculum, vel aureis literis exarari dignum!

CAPUT XI.

MONITUM XIV.

De casibus reservatis.

E NOn casus, sed luculentissima quædam mendacia huc usque Monitor sibi reservavit, cum insigni inverecundia & verborum obscœnitate, parùm memor Apostolici illius Moniti. Ephes. 5. *Fornicatio & omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Ait: *lapsum contra castitatem, præterquam quòd in casibus reservatis numeratur, esse etiam satis idoneam causam ad dimissionem seu ejectionem.*

F Adde; si sit manifestus seu notorius; nam si occultus sit, hoc est, soli ipsi reo & confessario notus; quomodo ad dimissionem procedetur? Nec adeò insolens tibi videri debet, si expellatur, qui tali flagitio Ordinem, in quo degebat, dehonestare voluit; quia, ùt rectè ait S. Bonaventura Quæst. X. circa Regulam S. Francisci: *Minus malum est, non esse religiosos vel nomine, vel habitu, ubi non vivunt; sicut religionis eorum forma requirit, quàm ut sint, & per vitam eorum perversam alios scandalizent: sicut melius est, lucernam non esse in domo, quàm esse ibi tantùm fœtidam, & non lucentem.* Hæc scitè sanctus ille Doctor.

G Ut autem Monitor perversitatem suam denuò planam testatámque omnibus faciat; omnia, quæ in *Instructione* R. P. N. Generalis Claudii Aquavivæ circa casus reservatos legerat, fraudulenter pervertit, ita, ut præ furore ipsemet cum suis adjutoribus nesciviśe videatur, quid garriret. Id ut videas, accipe verba Monitoris. *Nec priùs absolvantur, quàm priùs extra confessionem promiserint, se id manifestaturos per se, vel per Confessarium Superiori, qui si advertet, peccatum esse cum complice, aut in grave damnum Societatis; non absolvet, nisi pœnitens promittat, aut se ipsum scripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem scribendi Confessario, aut Superiori de tali casu, aliàs nullo modo absolvet pœnitentem.* Vides, quàm in-
H tricatè Scopticus noster Monitor mentiatur. Ita loquor; quia ista omnia putida sunt mendacia, nec à P. Generali in *Instructione de casibus reservatis* tradita, sed ab isto flagitiosè conficta; nam inferior Confessarius non potest à casu reservato absolvere pœnitentem, nisi impetrata facultate à Superiore. Qua obtenta, pœnitentem absolutè absolvit, nec ad Superiorem ablegat; & si quando Confessarius prudenter judicat, pœnitentem ad Superiorem esse remittendum, ipse non absolvit, sed Superiori rem integram relinquit, ùt & tunc, quando Superior

A rior petitam facultatem absolvendi denegat, quod interdum potest ex communi Doctorum sententia accidere, *ut, exempli causa, cùm probabiliter timeri poterit scandalum aut relapsus pœnitentis, aut alterius; in hujusmodi enim, quæ inducunt necessitatem vitandi scandalum vel damnum Collegii, aut alterius ruinam, manifestum est, pœnitentem teneri per se vel per Confessarium rem ipsam Superiori manifestare, tanquam illi, qui remedium necessarium adhibere potest, salvo tamen sigillo, ùt oportet.*

B Hactenus verba Instructionis, quæ Monitor ita depravavit, ut, quando fictitia illa promissio exigatur, vix intelligas; num scilicèt in ipsa confessione, an extra confessionem; & num Superiori extra an intra confessionem casus patefaciendus sit. Quòd si, ùt nugator ait, tali promissione facta, à Confessario absolvitur, quid opus est, ut denuò à Superiore absolvatur? Ejusdem sortis est promissio de casu ad Generalem deferendo. Nihil de hoc instructio. Quid verò Generalis? *Re collata cum Secretario pœnitenti dimissionem ex Societate assignabit, quam si acceptare noluerit, nunquam validè poterit absolvi.* Meræ fabulæ ex deliro cerebro procusæ; nihil hujus vel in Ordinationibus, vel in usu Societatis extat. Quare falsum itidem est, quod dicit. *Hæc concluſa esse cum Theologis nostris, & approbatione Sedis Apostolicæ.* Itáne Sedes Apostolica & Theologi tua commenta approbârunt, priùs etiam, quàm nascerentur?

C Ex quibus hoc quoque non postremum est, *Casu reservato obstrictum non absolvi, donec delictum suum extra confessionem fateatur, & tum ex Societate ejici.* Item: *Personam externam, quæ in Confessione aperit, se cum aliquo ex nostris rem turpem habuisse; beneficio absolutionis privari, nisi hoc ipsum extra Confessionem manifestet.* Quæ omnia meræ sunt calumniæ ex Diabolica innocentes traducendi prurigine effusæ. Et quis tandem Confessario tale quid injungenti cum suo certo damno, & perspicua infamia obtemperaret?

D Tandem Monitor totam suam frontem explicat, ut omnes intueantur, quàm detrita sit & ab omni rubore & pudore absterſa: *Vineam enim Sodomorum & suburbana Gomorrhæ* ingreditur, ut vindemiet. Fac, quod facis, ô vindemiator, dignus es tali vinea, quæ non fert nisi *uvas fellis*, & *botros amarissimos*, quibus ut te saties, imò & sagines, nemo tibi impedimentum objiciet. Quàm impudenter Apostatæ aliorum animos ex suo æstimant, & lepram, qua gravissima laborant, aliis affricare tentant? Occurrit, quod S. Chrysostomus scriptum reliquit Hom. 10. in Epist. 1. ad Timotheum de Apostolis agens: *Prædicationis causa, tanquam seductores & Magi calumnias sustinebant: ipsorum verò vitam nemo ferè unquam fuit, qui vituperare præsumeret. Quocirca nullus unquam Apostolis aut fornicationis, aut impudicitiæ, aut avaritiæ crimen objecit, sed tantummodo seductores appellati sunt, quod solum ad dogma refertur: qui enim fuerit vitæ fulgore conspicuus, & illis verendus sit necesse est: quippe veritas ipsis quoque ora obstruit inimicis.* Nescio, num Apostoli, si hac ætate nobiscum in terris degerent; hanc calumniam effugerent; præsertim, si, ùt olim, mulieres sorores circumducerent; tanta enim est criminatorum hujus ævi immanitas, & tam barbara improbitas, ut ungues & dentes suos à nullo abstineant, quantumvis integerrimæ & innocentissimæ vitæ exemplo omnibus præeat, & fortè ne ipse quidem Christus Dominus à maledicto hoc tutus esset, maximè si viderent mulieres, etiam ex Galilæa profectas, ipsi ministrantes. Congesserunt in Salvatorem nostrum Judæi innumera probra & convicia: sed inter illa nullum de impudicitia reperies. Si aliquis de Calvini aut Lutheri grege, aut Ordinis sui malitiosus & flagitiosus desertor tum vixisset, & Christi actiones cum Judæis propiùs inspexisset, vix, credo, sibi temperâsset, quò minùs purissimam Christi vitam hac sorde collutulare conaretur: adeò nunc criminandi libido impotentissimè bacchatur & grassatur.

E

F

G Existimabat S. Chrysostomus, etiam alios inculpatis moribus, hoc ab Ethnicis impetrare posse, ut in nullius impuritatis suspicionem venirent. *Quemadmodum*, inquit, *nemo obscurum diceret solem, ne si cæcus quidem fuerit, erubescit quippe opinionibus omnium adversari; ita & eum, qui eximio decore fuerit conspicuus, atque morum honestate illustris, nullus profectò culpare præsumit: Sed dogmatum gratia detractionis spicula sæpe in eum Gentiles intorquent: vitæ verò munditiam nulla ex parte libare audent, sed etiam unà cum cæteris admirantur & obstupescunt.* Verùm, ô Chrysostome, ut à Gentilibus hoc impetrabile sit; non est tamen ab Hæreticis, quos hæc ætas malo sidere protulit, impetrabile: nam si vel Angelus cœlo delaberetur, & inter mortales humana sub imagine versaretur, impurissimas horum ganeonum linguas vix ac ne vix quidem evitaret, qui cœno, cui ipsi penitus immersi sunt, alios, quamvis vita & moribus integerrimos, turpiter defœdare non erubescunt; ex quibus haud infimus est hypocriticus & histrionicus iste Monitor; cui jure accinas illud Psalmi: *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sine lassitudine, sine intervallo, sine pausatione,* inquit sanctus Augustinus in eundem Psalmum, *& quando non facis, cogitas, ut, quando aliquid mali abest à manibus, à corde non absit. Aut facis malum, aut dum non potes facere, dicis malum, hoc est, maledicis: aut quando nec hoc potes, vis & cogitas malum; tota die ergo,*

H Psalm. 51.

A *go, hoc est, sine intermissione. Exspectamus huic homini pœnam? Num parva sibi pœna est? Minaris ei? Tu cùm minaris, quò eum vis mittere? In malum? Dimitte illum in se, ut multum sævias, subjecturus es bestiis; in se ipsum pejor est bestiis. Bestia enim lacerare corpus ejus potest; ipse cor suum sanum relinquere non potest: interiùs in se ipsum sævit, & tu exteriùs plagas inquiris? Ora Deum pro illo, ut liberetur à se.*

CAPUT XII.

MONITUM XV.

Qui conservari & foveri debeant ex personis Societatis.

B PUlchrè S. Bernardus initio lib. 2. de Consideratione. *Perfecta & absoluta cuique excusatio est testimonium conscientiæ suæ. Mihi pro minimo est, ut ab illis judicer, qui dicunt bonum, malum: & malum, bonum; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Et si necesse sit unum fieri è duobus; malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant.* Quanquam difficile hoc videtur; quia injuriæ & contumeliæ servis Dei illatæ, ad ipsum Deum tandem penetrant. Quilibet enim, qui Deo servit, probris & criminationibus appetitus & lacessitus, meritò usurpabit illud Moysis & Aaronis. *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Exod. 16.

C Ex illis, quos in Societate potissimùm foveri Monitor cavillatur, *sunt strenui operarii.* Nullus militiæ dux est, qui non magis diligat milites strenuos, quàm instrenuos, quibus Mars potiùs est in ventosa lingua, quàm in dextera. Sed quinam isti strenui operarii? *Qui non modò spirituale Societatis bonum, sed etiam temporale promovent, ùt sunt opulentarum viduarum confessarii.* Cavillaris Scoptice; Is nobis strenuus operarius est, qui mediis & modis Societati usitatis gloriam Dei quærit & amplificat, & proximis juvandis indefesso studio vacat: Quod dum fit, per se tam spiritualia, quàm temporalia bona ad Societatem redundant; Fidelis enim Deus est; Et vel aliquem Habacuc mittit, qui Danieli in lacu leonum prandium ferat. Nam quòd denuo ad *viduas* relabitur, id mirandum non est. Urget dolor & stimulat sub pectore loccultus quidam stimulus, quem ipse novit, fidúsque ejus Achates; cum quo, dum Monita cuderentur, aliquot salilla elinxit, fortassis non sine bono Zytho Racovia advecto.

D *Confessarios ad decrepitam ætatem perductos, removeri* ait *à viduis, iisque substitui alios viribus & ætate recentibus.* Ubique spar- E
git, si non directè, saltem obliquè, tela impudicitiæ, quæ tanquam bonus Vulcanus in impudicitiæ suæ officina elaboravit, quibus non tam nostros, quàm clarissimas nobilissimásque feminas, populares suas, ferit; quas tam stultas fingit, ut, cùm liberè secundum matrimonium contrahere possent; malint tamen cum dedecore & opprobrio stirpis suæ, perpetuóque F
animæ exitio infames scortatrices, quàm honoratæ uxores esse. Verùm *ubi Deus judex est, nullus falso crimine læditur*, inquit S. Augustinus, quia non cui objicitur, sed objicienti *potiùs imputatur.* Interim cum Beato Davide ad Deum clamare licet: *Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua:* hoc est, interprete S. Augustino, *tu age infuso spiritu tuo, ne me calumniæ hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis ad sua mala facta traducant: Si enim hoc modo mecum egeris, id est, hoc modo me ab eorum calumniis, ne criminationes eorum falsas, quas objiciunt, pertimescam, cum patientia donata redemeris, inter ipsas calumnias custodiam mandata tua.* S. August. concione 27. in Psal. 118.

G Mendacium est, talibus Confessariis *in cibo, vestitu, aliisque rebus concedi, quidquid petant; nec pœnitentiis à Ministro affici;* nam si quid peterent, quod instituto & moribus Societatis non congrueret, crede mihi, nunquam postulata impetrarent: quibus si vel nullæ vel pauciores pœnitentiæ imponantur, quàm aliis, causa fortè erit, quia nullam dant causam pœnitentiæ, utpote viri jam maturi, & disciplinæ religiosæ observatores accurati, qualis si tu fuisses, forsan Ministris Collegiorum minus negotii & molestiæ facessivisses.

H Pergit Monitor. *Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos in aliis notatos Superiori deferunt, aut positi in officio Ministri, Subministri, Bedelli, alios mortificare sciunt, non ex affectu, sed amore disciplinæ religiosæ.* Qui malè agit, odit lucem; *& non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Non venit ad lucem, inquit Christus, nimirum sponte sua. Quapropter si ab alio invitus ex tenebris extrahatur, re ad Superiorem delata, restitat & murmurat: ùt & tunc, si, ùt consuetudo Ordinum habet, jubeatur ob defectus vel excessus suos pœnam aliquam subire. Idcirco istis Ministri ingrati ac injucundi sunt, & quidquid vel statuunt vel imperant, id ex sinistra affectione profectum interpretantur, quorum perversæ persuasioni nihil habeo, quod medicaminis gratia apponam, nisi illud Paulinum. *Vis non timere potestatem* (Ministri) *bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim Minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat,* Joann. 3. Roman. 13.

A *portat*, hoc est, non frustra officio ministerii fungitur; *Dei enim Minister est*. En secundò declarat Apostolus, cujus vices Minister gerat, nempe Dei.

B Ait nugator: *Foveri etiam illos juvenes, qui sunt affines nostrorum benefactorum & fundatorum, hos Romam mitti ad studia: insuper illos, qui bona sua Societati necdum tradiderunt, denique illos, qui multos selectos juvenes ad Societatem adducunt.* Audi Scoptice. Omnes illos, qui Ordini nostro semel nomina sua dederunt, conservatos cupimus, & ut conserventur, enitimur, exemplo Christi Domini, qui de se & discipulis suis ista ad Patrem. *Quos dedisti mihi, custodivi; & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joan. 17. Si cui major interdum cura impenditur, id eò fit, quia vel majore eget, vel quia naturæ & gratiæ donis insigniter instructus est, ita ut labentibus annis multum utilitatis Catholicæ Ecclesiæ allaturus videatur. Etiam Christus Dominus omnes suos discipulos sedulò servavit, & ut servarentur, ardentissima precatione à cœlesti patre paulò ante sacratissimam suam mortem postulavit: Attamen nescio quid peculiaris curæ, amoris & favoris tribus Apostolis, Petro, Joanni & Jacobo Zebedæi impendit & ostendit, præsertim Joanni, qui se describens ait; *Hic est discipulus, quem diligebat JESUS, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.*

C Ut aliqui Romam studiorum causa mittantur, consultum & laudabile est; ut non mittantur, nisi quos Monitor selegerit vel approbaverit, id à ratione alienum est, quia Superiores meliùs nôrunt, quæ sint cujusque talenta, & quinam tempus & impensas inutiliter non sint consumpturi, quàm Monitor odio & livore cœcus.

D Ad extremum, longè gratiores nobis sunt, qui ingenuos adolescentes ad Societatem adducere, quàm qui illos etiam jam ingressos, divinóque cultui consecratos à Societate abducere student; qualis tu es, qui Monita tua ad aliam metam non direxisti, quàm ut vel omnes vel saltem aliquos ab Ordine nostro revoces, tuíque similes Apostatas efficias. Nunquam placuit Christo Domino qualiscunque etiam à se abductio. Hinc cùm multi Christo *offerrent parvulos, ut tangeret illos:* Discipuli Marc. 10. non atra, sed candida mente *comminabantur offerentibus. Quos cùm videret JESUS, indignè tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.* Quantò indigniùs ferret, quando juvenes divino servitio jam adscripti, vel propediem adscribendi, à proposito sancto maledictis & conviciis retrahuntur. Si Gentiles illi seu Judæi Hellenistæ, cupientes videre JESUM, venissent ad Joan. 12. Monitorem, ut ejus ope desiderii sui compotes fierent; quovis potiùs, quàm ad E JESUM Dux eis fuisset. Non ita Philippus & Andreas: nam cùm animum suum Philippo explicâssent: *venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt JESU.* En debitum ordinem & modum juvenes ad Societatem JESU perducendi. Si quis jam in Religionem cooptatus, ad omnia jussa & imperata oggerat illud: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire:* Joan. 6. nihil aliud exspectandum est, quàm quod ibidem subjicitur: *Ex hoc multi discipulorum ejus abiêrunt retro, & jam non cum illo ambulabant.* Si non cum illo: ergo sine illo; & eo ipso térque quatérque miseri & deplorandi. Utinam ex horum numero unus non sit noster Monitor, vel veriùs, germanissimus cavillator & mimus.

CAPUT XIII.

MONITUM XVI. F

De contemptu Divitiarum.

PRo officiis & ministeriis, quibus instituto nostro convenienter fungimur, nec parvas, nec magnas, nec modicas, nec immodicas Eleemosynas admittimus, sed simpliciter omnes respuimus; nam quòd Monitor *parvas rejici, largiores recipi*, innuit, id virulentus aculeus est, exsertus & impressus ab illo, qui nil nisi pus & virus est. G

Ut quibusvis nostris in templis sepulturam concedamus, necesse non est; quia omnes habent jam sua vel cœmeteria vel templa Parochialia. Principes benè de Societate meritos & Collegiorum Fundatores non excludendos esse, ipsa gratitudo docet.

H Iterum redit cavillator ad viduas, quæ in ejus memoria valdè tenaciter hærent: Et quod suprà evomuerat, & resorbuerat, jam denuò egerit: *Acriùs nimirum agi cum viduis, quæ se exhausérunt dando nostris.* Sed nos calumniatori opponimus illud Apostoli: *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: qui multum, non abundavit; Et, qui modicum, non minoravit.* 2. Corinth. 8. Obeas, Monitor, totam Poloniam, quanta quanta est, & dispice, num aliquam Viduam reperire queas, quæ nimia profusione in Jesuitas, ad egestatem redacta sit. Hoc scio, te nullam vidua in Polonia esset, siduam, sed calumniam tuam ubique reperturum. Si quæ vidua in Polonia esset, similis Olympiadi, quæ propter S. Joannem Chrysostomum, cui semper addictissima erat, fortunarum suarum jacturam, & exilium quoque subiit, si quæ, inquam, talia pateretur propter Jesuitas, quos mendaciorum

A ciorum folles non inflaret criminator; Quibus buccis hanc tantam rei indignitatem non debuccinaret? Et si quis Jesuita tot Epistolas ad aliquam viduam scriberet, quot scripsit S. Chrysostomus ad Olympiadem & plures alias viduas & virgines, eóque stylo & orationis tenore, quo usus est idem sanctus Pater, quid suspicionum non conciperent & disseminarent isti, qui integritatis & castimoniæ laude, qua ipsi carent, ne alios quidem præditos existimant; Et quidquid ipsi talibus occasionibus oblatis acturi erant, id ab aliis patrari comminiscuntur.

B Post viduas iterum ad dimissos transit; quorum oblivisci nequit, quia dimissum & dimissionem in sinu suo gestat. Quid ergo hîc querelæ? Novæ nihil; de veteri aliquid apponitur. *Exauctorari interdum nonnullos, quibus nihil de patrimonio restituatur, aut saltem non integrum.* Si sua donâsset alicui Xenodochio, Nosocomio, Orphanotrophio, Gerontotrophio, aut simili pio loco, ùt Ecclesiæ, Monasterio, num excedens ex Societate donaria sua repetere posset? certè non, nec quisquam vel obolum redderet, præsertim si sua culpa ex Societate ejectus fuisset, aut etiam aufugisset. Num ex sua improbitate emolumentum capere debet, & quod Deo semel consecravit, iterum sibi vendicare?

C Verùm hac de re jam alibi egimus, ubi etiam dictum, ex Constitutionum præscripto, Superiorem circumspicere debere, quid & quantum dimisso restituendum sit, præsertim quando non ob vitium aliquod dimittitur; sed quia vel ob virium imbecillitatem vel ob ingenii tenuitatem judicatur inhabilis ad Societatis functiones. Hic Societatis mos est, quem tu clamitando & invidendo nunquam demutabis, interim nos tibi tuísque Sodalibus ex D. Augustino verissimam vestri moris & genii picturam spectandam proponemus; in qua vos clariùs agnoscetis, quàm Menæchmus in Menæchmo sese agnovit. Inspice, quæso, & cedo, num vera dixerim. *Isti, qui falsi justi sunt, videri volunt justi, cùm non sint: &*

S. August. in Psal. 139.

D *necesse est, ut quem viderint verum justum, invideant illi, & hoc cum illo agant; quomodo amittat, unde gloriatur; Hoc prior ipse diabolus voluit, qui cadens stanti homini invidit, & quia ipse amisit regnum cælorum, hominem illuc pervenire noluit, & non vult: Et id agit nunc, ut homo illuc non perveniat, unde ipse ejectus est. Quia ergo superbus est ipse, & ideo invidus, quia superbus, omne corpus ipsius talium corpus est. Sed nos oremus contra illum, qui corrigi non potest, & pro ipsis, qui possunt, ut dicamus homini injusto: quare invides justo, ô homo injuste? Quia vis videri justus? citò fac, quod melius est, & facilius eris. Quod vis videri, esto rebus: ita diliges, cui invi-*

E *debas, quia quod illum doles esse, eris & tu: Et amabis in eo te; Et ipsum in te.*

CAPUT XIV.

Epilogus Monitorum.

VEl ipsa vanitate vanior est iste Epilogus. Quem obiter duntaxat percurram; quia ex instituto discussus & refutatus est ab *Illustrissimo & excellentissimo Domino* JOANNE, *Comite ab Ostrorog, Palatino Posnaniensi, & Regni Poloniæ Senatore primario, in Epistola*, quam de his Monitis dedit ad Illustres suos filios.

F Ait Monitor. *Hæc privata Monita diligenter penes se servent Superiores, & paucis idque gravibus patribus ea communicent.* Quomodo hæc Monita Superiores apud se asservare potuerunt, cùm nudius quintus demum nescio ex quo Cracovienſi latibulo processerint; Et à fabro, odio & invidia liventissimo, nuperrimè edolata fuerint? Nam quod ad hæc tua Monita, quæ protulisti, attinet, ea penitus non asservabunt, nisi fortè ad memoriam tui sceleris inter damnatæ memoriæ & notæ rabulas & tabulas. Cætera exemplaria vel Deo tardipedi, vel Cloacinæ in prædam exponentur.

G Vide autem, quàm imperitus & rudis figulus fueris. Vocas tua mendacia, *Monita privata Societatis JESU;* quasi essent totius Societatis communia; & tamen pleráque, quæ flagitiosè confinxisti, de solis Polonis confinxisti; neque ullo modo aliis extra Poloniam applicari possunt. Monita generalia, quæ R. P. Claudius Aquaviva edidit; ad quorum imitationem tu meus simiolus tua commentus es, generalia prorsus sunt, & omnes æqualiter attingunt, sive sint Poloni, sive Germani, sive Itali, sive Galli, sive Hispani, sive in Europa, sive extra degant. Cur tu tua privata Monita simili stylo generali non concepisti & conscripsisti; cùm dicas ea toti Societati esse communia? Sed calumniatorum mentes Deus justo suo judicio dementari & excæcari finit, ut non videant, quàm aptè & consonè criminationes architectentur.

H Quid verò ampliùs, ô paræneta? *Ex his Monitis instruunt alios, quomodo serviant cum fructu Societati, neque ut scripta ab altero, sed ut ex peculiari prudentia deprompta aliis communicent.* Quomodo alii ex his Monitis alios instruerent, & quomodo cum aliis communicarent, cùm ante miseri homuncionis apostasiam non exstiterint, sed nata demum fuerint, quando furor desertoris ea infeliciter concepit, & infeliciùs peperit, inque ustulandas chartas effudit? Nec traditione non scripta apud nos exstabant; nec poterant, cùm ferè omnia, quæ ex malè feriato tuo cerebro extudisti, ne cum grandissimo quidem mendacio Jesuitis extra Poloniæ Regnum affingi queant.

990

A Itaque quod ais, *Nos negaturos hæc esse nostra Monita, si in publicum efferantur;* Recte dixisti, & conjecisti; quia licèt nos evidentissimè sciamus, hæc non esse nostra Monita, tu tamen hoc, propè dixeram, evidentiùs nôsti; quia evidenter nôsti, te omnia hæc cum certis quibusdam Sodalibus & adjutoribus, ex summo in Jesuitas odio, procudisse; Itaque facilè divinare, & palàm quoque nunciare poteras, Jesuitas hæc Monita pro suis nec agnituros, nec approbaturos. Iisque tanquam vanissimorum fumivendulorum futilibus figmentis opposituros nostra monita generalia, quæ accepimus à R. P. Claudio Aquaviva felicis memoriæ; item Ordinationes tam impressas, quàm scriptas, & ante omnia Constitutiones nostras, à Summis Pontificibus approbatas, quibus quilibet prudens plus fidei commodabit, quàm insulsissimis tuis lœdoriis & pseudologiis, quas si quis ex Ordine nostro conscripsisset & evulgâsset; de expulsione meritò conqueri non posset, quia ostenderet, se Judæ personam, pectus, & animum, inter Apostolos gerere; Sed abisti, ut ullus apud nos talem libellum scribat & spargat. Judas ex cœtu Apostolorum discessit, & tum demum in omne scelus præceps Christum tradidit, tametsi detestabile proditionis scelus in ipso Apostolorum Collegio concepit. Idem hîc factum cogita ab Apostata, qui ex verissima sapientissimi Salomonis definitione; Est *vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat: huic extemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam:* quæ definitio seu descriptio examussim in Monitorem convenit.

Proverb. 6.

B

C Hactenus de Monitis; quæ variis ambagibus in lucem emersérunt; nam primùm calamo exarata per circulos & compita spargebantur. Deinde typis descripta in publicum exiêrunt; nulla mutatione, nisi quòd ad calcem Moniti quarti de Confessariis Principum hæc verba expuncta sunt. *Si rebelles Dominos contingat esse, clam per satellites, aut pharmaco tollendos suggerant Principi, scrupulique, qui hinc oriri possent, anticipentur sano consilio.* Quæ causa expungendi? Nulla alia, nisi quia ipsi calumniatores animadverterunt, calumniam hanc crassiore filo contexam esse, quàm ut ullo verisimilitudinis colore fucari posset; tametsi enim non valdè solliciti fuêre, ut suas criminationes nonnihil tegerent, ne statim in legentium oculos incurrerent; hîc tamen ipsa immanitas facinoris, aures eis vellicans insusurravit illud: *Ne quid nimis. Est modus in rebus*, etiam in calumniando; quem si transiliatis, omni fide vos exuetis.

D

Porrò ne quis suspicaretur Monita hæc Cracoviæ cusa & excusa esse; finxerunt, Viennâ Austriæ advenisse; Viennam, Patavio, & ex Hispanico sermone fideliter in Latinam linguam conversa esse. Quæ nihil aliud sunt, quàm Strophæ & Sutelæ, quibus criminatores animos legentium à natali Monitorum loco abducere studebant. Sed res non benè cessit: nam fungus, non homo sit, qui, consideratis famosi hujus libelli circumstantiis, Monita hæc primitus Hispanicè, & in Hispania seu Italia composita fuisse sibi persuaderi patiatur. Ut alibi passim, ita & hîc vulpinum dolum eorum agnosce, qui Societatem *oderunt iniquè.* Quærit S. Augustinus. *Quid est, quod oderunt me iniquè? Bona sibi volentem oderunt. Qui si redderent mala pro malis, boni non essent. Qui si non redderent bona pro bonis, ingrati essent.* Quales ergo erunt, qui mala pro bonis rependunt? Effrænati detractores: nam *qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* En quàm connexa sunt retribuere mala pro bonis, & detrahere: & unde utrique origo? Ex bonitate aliena, qua præstricti livent, & in maledicta linguas suas resolvunt.

E

S. Augustin. in Psal. 37.

F

FINIS LIBRI PRIMI.

APO-

APOLOGETICI
CONTRA
LARVATUM
MONITOREM
LIBER SECUNDUS,
QUO
DISCUTIUNTUR SUMMORUM *VIRORUM TESTIMONIA*
A
MONITORE
CONTRA
JESUITAS
PROLATA.

CAPUT I.

Qualia & unde hæc teſtimonia?

A NE editio Monitorum absque aliquo additamento sycophanticis palatis & faucibus jucundo prodiret, adjecerunt de Jesuitis testimonia, ùt ajunt, *Italorum & Hispanorum quorundam; Itémque Polonorum.* Ex Italis & Hispanis testibus planè nullum nominant. Qualia ergo hæc testimonia sinè nomine testis? Stultissimum eum esse oportet, qui testimonium admittat, cujus Auctorem penitus ignoret; nec noverit, albus sit an ater: infamis an bonæ famæ: ex jure habilis ad testificandum, an inhabilis? Ex Polonis quatuor nominant: sed qua fronte testimonia illa quatuor illis Illustrissimis Præsulibus adscribant, postea ostendemus. Hoc loco tantùm moneo, Monitorem cum suis, duplex diaboB li negotium agere; nam inprimis diabolicum est falsos testes adversùs aliquem excitare. Hinc 3. Reg. cap. 21. falsi testes, qui contra Naboth, instinctu Jezabelis, producti sunt, vocantur *filii Belial*, & *filii Diaboli*; Si ipsi falsi testes, tales sunt, cur non & illi, qui illos subornant, simili encomio ornarentur, totíque, quanti quanti sunt, falsorum testium productione causam Tartarei sui genitoris agere & promovere censerentur?

Secundò, Diabolicum est, viris illustrissimis & integerrimis falsa testimonia affingere, quasi testati essent, de quo ipsi nunquam ne somniârunt quidem. Hoc iste fecit, dum quatuor Illustrissimos Antistites Polonos in scenam inducit, quasi de Jesuitis ea testimonia perhibuerint, quæ, si viverent, non nisi ex Orco, omnis veritatis inimico, profecta affirmarent.

An non & tertium diaboli negotium C agunt isti, dum Italis & Hispanis affingunt testimonia, nullo in specie Italo & Hispano nominatim expresso? Et ne dicant, *esse testimonia totius nationis Italicæ & Hispanicæ*, ipsi sibi hoc effugium præcluserunt: nam titulum ita formârunt: *Testimonia de Jesuitis Italorum & Hispanorum quorundam. Quorundam*: ergo non omnium: Ergo non totius nationis. Quorundam? Qui sunt isti *Quidam?* Cur non nominâsti? Si quis in foro coram judice produceret tale testimonium nullius testis nomine inscriptum, dicerétque generatim: *Quendam Italum, quendam Hispanum, quendam Gallum*, hoc vel illud contra hunc vel illum testatum esse, an non exploderetur, communíque omnium clamore exsibilaretur? Obesæ naris fuerit, qui testimoniorum istorum incunabula non odoretur.

Verùm enimverò quidquid in hoc ge- D nere contingat; Exemplum Christi nos solatur, sempérque solabitur. *Quid timebis? ô homo, cujus directi sunt gressus, ut velles viam Domini? Quid timebis? Dolores? Fla-* S. August. in Psalm 36.

992

A *gellatus est Christus. Contumelias timebis? Audivit, Dæmonium habes, qui dæmonia excludebat. Fortè factionem & conspirationem malorum? Conspiratum est adversùs illum. Non potest ostendere fortè conscientiam tuam bonam in aliqua accusatione, & vim pateris, quòd adversùs te falsi testes audiuntur? Contra ipsum falsum testimonium dixerunt, non solùm ante mortem, sed etiam post resurrectionem.* Quorum pœna æquissima est cæcitas, ita, ut se ipsos potiùs, quàm in quos testantur, confundant. *Solent hoc pati falsi testes, ut excæcentur, & contra se dicant nescientes, unde appareat, quia falsi sunt testes.* Jam ipsa anonyma testimonia examinemus.

CAPUT II.

Discutitur primum falsum testimonium hominis sine nomine, & colore.

B *SAlvo judicio Summorum Pontificum, qui hoc institutum Ignatistarum approbârunt, voce communi de illis fertur, quòd sint patres arte iniqua, fraude dolosa, dolo maligno.* Nomen *Loiolitæ* à Burdone ejúsque stabulariis in Batavia si non inventum, saltem tritum, aut *Loiolani*, aut *Ignatiani*, haud ampliùs placuit huic calumniatori. Novum nova flexione excogitandum fuit, ut plus gratiæ & novitatis apud Novatores inveniret. Sed hoc leve apud levitatis Sectatores. Illud gravius: Quòd summis Pontificibus gravissimam alapam impingit, & dum impingit, se impingere negat; quia vult salvum esse judicium Summorum Pontificum, qui Societatem nostram Apostolicis Diplomatibus approbârunt. Et tamen dicit, Societatis hujus Patres, *esse arte iniqua, fraude dolosa, dolo maligno.* Ergo Pontifices approbârunt Ordinem *arte iniqua, fraude dolosa, & dolo maligno constantem?* An non est hoc una manu Pontifices demulcere, cùm eorum de Societate judicium *salvum* esse jubes, & altera manu colaphum infringere, dum quos ipsi decretis suis in Ecclesia Dei stabiliverunt, illis notis insignitos ais, quas si quæris, & propiùs intueri desideras, non Jesuitas, sed te & tuos in Racoviana cerevisia compotores aspicias.

C At inquis, *hanc esse vocem communem de Jesuitis.* Si communis est, quî fit, quòd non pervenit ad Summum Pontificem, ad Imperatorem, Reges, Principes & Respublicas, à quibus fovemur, protegimur, & prærogativis ac privilegiis indies honestamur? An vox communis est, sed inter Vulpes, hoc est, in hæreticorum conciliabulis, & in tuis tuorúmque vulpinis synedriis? Ita credo.

D Mox quiritatur dimissus de dimissis, & ejectus de ejectis; aítque, *dimissionem hanc esse contra consuetudinem omnium religiosorum.* Quælibet Religio suas habet consuetudines: nostra, inter cæteras, hanc habet, approbatam à Summis Pontificibus, quorum approbatio pluris apud omnes rectè sentientes æstimatur, quàm tua tuorúmque contrà vociferatio. Ais. *Fabius de Fabiis Neapoli ex uno Collegio dimisit undecim.* Crede mihi, si verum est, quod scribis, id à R. P. Fabio sine justissima causa factum non est; nam si ullus vitæ sanctimonia, integritatis & prudentiæ laude floruit, is P. Fabius fuit. Ut proinde aliquid ab illo temerè commissum esse, nemo, nisi temerarius blatero, affirmare queat. Apud nos nullus toleratur, qui obedientiæ se submittere renuit. Obediendum est, aut abeundum. Si obediatur, omnia salva erunt; quia tunc nulla causa dimissioni ex culpa datur. E

F Miseratur Monitor dimissum ante tot annos Blondum, concionatorem Romanum. At dimissus est Romæ, in Theatro & compendio Christiani orbis, inspectante Summo Pontifice, & tota Curia Romana. Quis R. P. Claudio Aquavivæ tunc Præposito diem dixit, aut dicam scripsit, quasi injustè egerit? An si cum Blondo præter æquitatis leges actum fuisset, Pontifex id dissimulâsset, aut alii ad Pontificem non detulissent? Quid tu demum post tot annorum intervalla ex nescio quo Cracoviensi gurgustio obmurmurillas?

G Quæ addit de duobus magni nominis fratribus, quatuor votorum Professis, *dimissis in odium Clementis Pontificis;* mera sunt mendacia, & quidem ridicula, ut quòd oblatam *Cardinalitiam dignitatem* repudiârint. Ohe jam satis est, rideo & sileo. Dignitas hæc tam decora facie sponsa est, ut non facilè rejiciatur ab illis, qui pertæsi Ordinem, in quo sunt, exemptionem ab omni obedientiæ jugo procurant.

H Occurrit, quod scribit vetus Auctor Lupus Abbas Ferrariensis in Gallia. *Mira nimiùm res contigerat, quòd scilicet in Monasterio nostro educatus, postquam divinam admonitionem assiduè audierat, nullam persecutionem passus, matura ætate, non eremum extetierat, sed proprio relicto habitu, dignitatem sæcularem, quod diu meditatus & confessus plurimis fuerat, lucraturus abierat, similia paria facturis felix iter paraturus.* Postea saniore mente recepta regredi postea lavit: nec abnuit Lupus Abbas, sed his legibus: *Temperantiæ studeat, conspirationes non repetat; murmurum auctor nec particeps existat: seditiones nec faciat, nec foveat, sed quietem & ipse habeat, & alios habere permittat, & generaliter juxta Dei præceptum; declinet à malo, & faciat bonum.* Quorsum ista? inquies. Nescio, aut si scio, non eges mea explanatione, tu ipse inquire, quorsum tendant. Epist. 105.

P. *Aquavivam* ais, rectiùs vocari posse *Aquam cruentam*, id diabolicum convicium esse,

esse, illi omnes fatebuntur, quibus Patris illius summa humanitas, & à natura insita quædam suavitas & affabilitas cognita est; quorum sunt innumerabiles non modò Romæ, & in reliqua Italia, verùm & alibi. Sed nil novi, si benignissimo nostro Patri, sui quoque succreverunt, & adhuc succrescunt calumniatores & obtrectatores. Moyses summæ mansuetudinis laudem ab ipso Deo tulerat. Et tamen castrorum Dei turbatores, & seditiosi buccinatores, impudentissimè tanto Prophetæ & Principi occinere ausi sunt. *An & oculos nostros vis eruere?* Neque mitissimus & clementissimus populi dux & moderator eximia sua moderatione efficere potuit, quò minùs non semel gravissimæ tragœdiæ ab inquietis nebulonibus excitarentur.

Num. 16.

CAPUT III.

Examinatur secundum testimonium absque teste.

Deus sit benedictus, (quàm devotus derepentè fit Monitor: hactenus semper blasphemè mentitus & calumniatus est; nunc tandem ex intimo, quis ambigat? cordis affectu canit:) *DEUS sit benedictus, qui sedavit motus Venetorum cum Paulo V. vel eo fructu, quòd sua Sanctitas vidit, quantum Jesuitis favere debeat, qui blanditiis & ementito Zelo religionis tantorum scandalorum exstitêre capita.* Audi Monitor. Si vis Deum benedicere, non debes mentiri; quia mentiendo non benedicitur, sed potiùs blasphematur Deus. Nam te mentiri cùm ais, Jesuitas fuisse *causam motuum inter Pontificem Paulum V. & Venetos*, testem tibi fero ipsum, quem appellas Paulum V. Pontificem, quem si adire & audire velis, nihil aliud audies, quàm quod jam ex me audivisti; nam totus mundus novit, quibus Pontifex Consiliariis utatur, & cum quibus pacis bellique negotia tractet; cum quibus etiam in hac ipsa Veneta controversia consilia sua contulerit.

At vide inverecundum hujus calumniatoris vultum; qui Summi Pontificis tam reverens est, ut scribat, Eum *blanditiis & ementito zelo* Jesuitarum ad sententiam contra Venetos pronunciandam impulsum esse. Ubi Pontificem partim levitatis, partim stupiditatis arguit: levem enim eum esse oportet, qui blandimentis ad opus periculosissimæ plenum aleæ impelli se patitur: Stupidum autem, qui *ementitum hunc zelum* non deprehendit. Esto enim, coloretur nonnihil; attamen quia & iste ipse color non est sincerus, sed fucatus, facilè difflari & dissipari potest, præsertim ab illo, qui sapientiæ, prudentiæ & circumspectionis laude floret; qualis inprimis est hodiernus Pontifex Paulus Quintus, à cujus facie fraus & hypocrisis ita evanuit, sicut fluit cera à facie ignis.

CAPUT IV.

Refellitur tertium testimonium sine teste.

Dolenda res est, Jesuitas habuisse fautorem sui Ordinis Gregorium XIII. à quo privilegia, quæ volebant, impetrabant. Ah nimiùm serus est tuus dolor! Cur non, vivente Gregorio, hunc tuum dolorem Romam misisti, ut fautorem in osorem transformaret? At fortassis, vivente Gregorio, tu necdum vivebas, aut in cunis vagiens pultiphagus, & lactis potor eras. Privilegia ea nobis concessit, quæ & necessitas exigebat, & quorundam inimicorum potiùs importunitas extorquebat, quàm Societas desiderabat; cujusmodi nominatim est illa Bulla, cujus exordium: *Ascendente Domino in naviculam, &c.* Nam si adversarii siluissent, pacémque contentionibus prætulissent, Bulla illa nunquam extitisset. Tritum est: *Ex malis moribus nasci bonas leges.* Pari modo, ex iniquis oppugnationibus Societatis jam olim à Sede Apostolica approbatæ, nascuntur bonæ Pontificum constitutiones, quibus æmulorum & invidorum os oppilatur.

Addit testis sine nomine. *Ego de illorum valore dubito.* Et quis es tu noster *Dubitantius?* Prodi, obsecro, in apertum, ut intueamur os & frontem tuam. *Ego dubito.* Quis es tu mi, *Ego*, nisi mavis audire, *Ægon?* Grandis profectò auctoritas personati tenebrionis, qui nescio in quo latibulo latitans & dubitans, sperat, se post tot annos effecturum, ut Bullæ Gregorianæ ruant.

Sed quare dubitat iste de valore Privilegiorum Gregorianorum? Accipe primam causam. *Quia sunt data in præjudicium Ordinariorum.* Nec tamen nominas, quænam sint illa, quæ jus Ordinariorum lædant. Cur non expressisti, ut nos divinandi & quærendi labore levares? Sed hæc tua est perennis consuetudo vagari per generalia, ne, si ad particularia descendas, statim tanquam impostor capiaris. Alibi duo capita Ordinariis noxia obscurè innuit; Primò exemptionem Societatis à jurisdictione Ordinariorum. Secundò, potestatem absolvendi à casibus, qui alioqui Episcopis reservantur. Quoad primum Societas etiam ante Gregorium XIII. à Jurisdictione Episcoporum libera fuit, imò à primo statim ortu hanc exemptionem obtinuit, & immediatè Apostolicæ Sedi subjecta fuit.

Deinde, an soli Jesuitæ in Polonia, vel universim in Ecclesia Dei hoc Privilegio gaudent? An conviciator nullas alias simili

A libertate donatas Religiosorum familias novit? Pulchrè S. Bonaventura in Apologetico in eos, *qui Ordini Minorum adversantur*, cùm hæc ipsa objectio de Exemptione tunc S. Francisci discipulis & posteris obtruderetur. *Episcopis*, inquit, *nullam facimus injuriam, cùm non gravemus eos in aliquo, sed juvemus prædicando, & consulendo eorum subditis, ut devotiùs obediant, & onus regiminis eorum tantò portabilius fiat eis, de quo in judicio extremo oportet eos reddere rationem. Si autem movet eos, quòd sumus exempti à jurisdictione ipsorum, quoad nos ipsos; tunc è converso consolentur, quòd liberiores sunt, quòd pro nobis non tenentur reddere rationem, ùt de nostra gubernatione carent honore, ita sint liberi à sollicitudine, & labore, excepta providentia pietatis, & inter nos in suæ pacis unitate servandâ.* Quæst. 10.

B Facultate absolvendi à casibus, qui Episcopis reservantur, ea moderatione utitur Societas, ut Episcopis nullam det justæ offensionis occasionem. Quid verò mirum, si Societas beneficio Sedis Apostolicæ possit pœnitentes à casibus Episcopalibus absolvere; cùm ejusdem Sedis benignitate possit itidem casibus eidem Sedi reservatis implicatos explicare, quando & ubi animarum salus exposcere videtur?

C Observa autem calumniatorem istum tacitè innovare illum quorundam errorem dicentium & docentium, *Pontificem nihil posse concedere in præjudicium Ordinariorum*; hoc est, nihil, quod eorum jus restringat vel limitet, nihil quod ipsi nolint, ratúmque esse non jubeant. Imò quidam eò amentiæ processerant, ut dictitarent, etiam Episcopum non posse Parocho præcipere, ut ad conciones, confessiones, & alias functiones spirituales Religiosorum Ordinum Professores admittat. Quorum vesaniam S. Bonaventura & S. Thomas in opusculis Apologeticis pro suis Ordinibus egregiè redarguunt & retundunt. Quò Anonymum istum ablego, ut stupidum suum errorem agnoscat, & agnoscendo detestetur.

D Tempus monet, ut jam expendamus secundam causam, qua motus iste, dubitat de valore Privilegiorum Gregorianorum. Ait ergo; *quia fuerunt data ad petitionem feminarum, quæ ob antiquas consuetudines multum apud illum Pontificem poterant, & per easdem Jesuitæ sua obtinebant Privilegia.* En flagitiosum tympanotribam, qui sanctissimo Seni, Gregorio XIII. mulierositatis vitium affricat; à quo eùm tam longè abfuisse tota Roma, imò tota Catholica Ecclesia novit, quàm longè criminator iste abest à Deo & cœlo, quamdiu in hoc maledicendi statu perseverat. Quis unquam Gregorium XIII. Pontificem Opt. Max. virum prudentissimum & cordatissimum, feminis adeò obnoxium fuisse vel tenuissimè suspicatus est, ut ad earum instantiam Bullas & Diplomata ederet ac promulgaret? Et quid tu *de antiquis consuetudinibus* cum feminis garris? Filium habuit Gregorius XIII. si intra matrimonium, juventutis tempore contractum; quid culpas? Si extra, ferventioris ætatis peccatum reputa, quod postea tot virtutum ornamentis abundantissimè expiavit. E

CAPUT V.

Refutatur quartum testimonium sine teste.

F *De bonitate Jesuitarum difficile est aliquid affirmare. Nam querelæ de ipsis, quæ veniunt ex omnibus ferè regnis & provinciis, convincunt eorum malitiam.* Respondeat pro nobis Apostolus: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, &c. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non possumus omnì ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra, quidquid rectè possumus, fecerimus, si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planéque etiam gaudium, quòd merces nostra magna est in cælis, etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen justéque viventibus; illa enim merces, tanquam stipendium est militantium, per arma justitiæ non solùm dextrâ, verùm etiam sinistra, per gloriam scilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Regna & Provinciæ, ex quibus querimoniæ de Jesuitarum malitia afferuntur, sunt, opinor, libelli famosi variis locis contra Societatem publicati, ùt sunt *Actio* larvati Equitis Poloni in Jesuitas; Scripta maledicentissima Hasenmylleri, Leiseri, Miseni, Arnaldi, Lermæi, Auctoris, qui *Catechismum Jesuiticum* conscripsit, Cambilhonis, & similium. Ex quibus hostes & criminatores nostri materiam petunt, quoties vel scripto vel verbo Jesuitas lacerare & opprobriis onerare collibet. Talia Regna talésque Provincias spernimus; quia jam vel in angulis Bibliothecarum blattas & tineas suaviter pascunt, vel piper, thus & similia aromata amiciunt. 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 1. S. August. lib. de bono viduit. cap. 22. G

CAPUT VI.

Excutitur quintum testimonium sine teste.

H Agit Auctor hujus testimonii de gradibus Societatis; quasi de re valdè occulta, cùm, ut alios libros taceam, de his in B. P. N. IGNATII vita copiosè à Ribadeneira differatur. Expositis nostris Gradibus, subjungit aliquot luculenta men-

dacia

A dacia de Professis quatuor votorum; *Habent*, inquit, *suas commoditates, quas volunt.* Scilicet propriam isti culinam habent, propriam cellam penariam & vinariam, proprium vestiarium. Et quid non? Egrediuntur & regrediuntur arbitratu suo, nec cuiquam factorum suorum rationem reddunt. Vanissime nugator, si quis Ordo est, in quo communis vivendi ratio, &, ut ita loquar, *identitas* observatur, hic noster est; nec cuiquam aliquid peculiare permittitur aut conceditur; nisi infirmitas, vel summa ætas, quæ & ipsa infirmitas est, & quidem immedicabilis, manifestè aliud suadeat: Et, tunc quoque paupertatis & religiosæ mediocritatis cura non neg-
B ligitur. Nec professio laxat habenas, sed
Tit. 2. arctè adstringit, & hoc etiam exposcit, ut Professus cæteris *præbeat exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum & irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis;* Jure nimirum ac verè; nam ut nihil mali de nobis spargant injustè & mendaciter, id hactenus vix ulli etiam sanctitatis laude admodum claro obtigit. Si quis secus agat, quàm Apostolicum Monitum Tito datum præscribat, minimè probatur, sed quàm primùm emendatur.

C Cùm S. Bonaventura proposuisset objectionem quandam contra Fratres Minores, quasi nimiùm potaces, & avaritiæ deditos: subjecit. *Vitiosos in hoc & in aliis excusare non audeo; sed rationem pro illis, qui ratione ducuntur, & pia intentione omnia faciunt, ostendere benevolis nunc intendo: quia malevoli, qui magis facta nostra calumniari desiderant, quàm agnoscere veritatem, magis dolent, si ostensa ratione, eis materia subtrahitur detrahendi; quia inimicus vult potiùs causas malignandi, contra eum, quem odit, sibi adesse, quàm abesse, ut non ex invidia, sed ex justitia eum persequi videatur.* Hæc S. Bonaventura de suis & nostris calumniatoribus.

D Quid ampliùs, ô Anonyme testis? *Professi conversantur cum viduis.* Non potest iste oblivisci viduarum. Manet alta mente repostum judicium Paridis, spretæque injuria formæ. Offendit proculdubio istum & præcipuum ejus sodalem, vidua, quæ voto non nubendi alligata, nuptias oblatas constanter renuit & respuit. Dic, Monitor, an non scopum propè tango? Conversantur cum viduis non tantùm Professi, sed & alii, si qui apti censeantur; conversantur, inquam, sed conversatione religiosa, & ad præceptum Apostolicum conformata. *Viduas honora; quæ verè viduæ sunt;* ait
1. Timoth. 5. Apostolus. Ubi etiam conversationis materiam tradit: *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est & desolata; speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die;* E *nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.* Nec est, quòd quis dubitet, à nostris accuratè itidem observari, quod eodem loco Apostolus subdit: *Adolescentiores viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, &c.*

Insaniunt isti, quoties aliquam ex illu- F
strioribus feminis vel ad virginitatis; vel ad viduitatis, vel etiam ad religiosæ professionis statum, nostrorum ductu inductam sive verè sive falsò existimant. Cur jacula sua non vibrant quoque in S. Hyacinthum, Poloniæ Divum Tutelarem; qui Boleslao Duci Cracovienſi & Sendomirienſi, & Kunegundi uxori ejus perpetuam castitatem in ipso etiam matrimonio persuasit? cujus vinculo per mortem mariti soluto, nihil antiquius habuit Kunegundis, quàm ut cum sorore sua Jolenta nobilissima itidem Ducissa, ad vexillum Crucis evolaret; & reliquum vitæ soli Deo dedicaret. Si quid simile, nostro tempore, nostrorum auspiciis, ageretur, quæ tonitrua non tonarent, & quæ fulgura non coruscarent?

Ait Monitor, *Professos esse Confessarios Prin-* G
cipum & Monarcharum. At nec soli, nec semper. Novi ego ipse Sacerdotes, quos Coadjutores spirituales appellamus, hoc munere functos. Novi alios, quibus idem ministerium commissum est aliquot annis, antequam professionem emitterent. Quod autem isti plerùnque ad hæc munia deliguntur, id eò fit, quia ordinariè sunt moribus & annis maturiores, & in scientia ad hoc tam arduum officium necessaria versatiores; nam quod insuper ait Monitor, *Professos Rerumpublicarum regimini esse intentos, & pecuniæ cogendæ ac congregandæ peritissimos*, id cæteris falsimoniis annumera. In nostris Constitutionibus, ubi traditur, quibus gratiæ & ingenii ornamentis valere debeant, qui ad professionem quatuor votorum evehendi sunt; nihil de peritia regendi Respublicas aut congregandi pecunias visitur: quia neutrum ad Societatis aut professionis finem consequendum requiritur. Multi jam sunt anni, cùm, Deo bene favente, Professionem feci. Neque tamen unquam vel de administrandis Rebuspublicis, vel de scientia eas administrandi paranda, aut de pecuniis corrogandis ullam cogitationem habui, imò ne somnium quidem. Quod haud dubiè quilibet alius memor vocationis suæ de se libenter confitebitur.

Oggerit Monitor. *Generalem, non ob-* H
stante votorum, quæ in Societate usurpantur, nexu, quemlibet ex Societate expellere posse. At non sine causa, eáque justissima, & quod

ad

A ad Professos attinet, gravissima; nec isti dimittuntur, nisi cum onere transeundi ad aliam Religionem, si non sublimior potestas dispensatione sua ab hoc transitu aliquem liberet. At hoc grave est, *confecta jam ætate, rebus suis prospicere, quando & valetudo & ætas sunt debilitata.* Recinis cantilenam jam alibi à te decantatam. Vis tutus esse à dimissione? Deum time, & mandata ejus exquire. Regulas custodi, Vota tua Deo redde. Voluntatem & judicium legibus obedientiæ subde; nec periculum erit ab expulsione.

Sed en etiam in vota precésque rapitur, B præ nimio æstu, quo pectus ejus ardet. *Exsurge Deus, & corrige has fraudes.* Exsurget, ne ambigas, & has Monitorum tuorum fraudes & impostura corriget. Utinam tibi ad pœnitentiam salubriter: nam nostrum Institutum, etiam quoad dimissionem, à Sede Apostolica sæpiùs approbatum, & iterum iterúmque repetitis calculis confirmatum est; Jam igitur vide, quorsum te furor amens abripiat. Aut Summi Pontifices approbârunt fraudes; aut non: Si non; salva res est, resorbe ergo tuum mendacium. Si te judice, fraudes approbârunt, perspicuè ostendis, quid sub pectore abscondas, nempe aliquid de Luthero vel Calvino. Si non totum Lutherum, vel Calvinum: Quis enim Catholicus unquam dicere ausit, Pontificem Maximum, Christi Vicarium, S. Petri Successorem, Decretis & Diplomatibus suis *fraudes* corroborare, &, ut quàm latissimè explicentur, vires addere?

Dices fortassis. *Pontificem nescire has fraC des.* At non evadis, ô bone; alium enim colaphum Pontifici infringis, dum eum imprudentiæ & ignorantiæ arcessis. Quid enim imprudentius, quàm publicis Diplomatis ea, quæ ignores, nec intelligas, confirmare, totámque Ecclesiam insciticæ suæ testem facere. Cave Monitor, ne hæresi sinum tui pectoris penitus pandas. Inter cæteros gradus ruendi in sectas haud minimus est maledicere Summo Pontifici, & Diplomata ejus temerariè aspernari.

CAPUT VII.

De sexto testimonio sine teste.

D ACcusat nos iste testis, *quòd funestas historias de Religiosis, præsertim de Dominicanis; curiosis scriptis nostris inseramus, non alio fine, quàm, in odium eorundem.* Nec ullum ex nostris nominat nisi Martinum Delrium; nec ullum librum profert, nisi Magicas Disquisitiones ejusdem Delrii. Quod ergo ab uno factum, id ad omnes derivat. Quanquam Delrius nihil ex odio aut alio sinistro affectu scripsit; erat enim si quis alius, moribus finceris, candidis, & à livore alienis; sed quod publicis ex monumentis acceperat, id in suum Commentarium intulit: non magis ex odio, quàm Laurentius Surius, vir optimus & religiosissimus, quando non procul ab initio Commentarii rerum in orbe gestarum exponit, quid olim Bernæ Helvetiorum quibusdam Ordinis Prædicatorum acciderit. Consulat Monitor suam conscientiam, an non & hæc & alia complura effuderit, ut Jesuitas apud Dominicanos in odium vocet, præsertim Polonos apud Polonos. E

Ais: *Nos mala nostra astutè celare.* Non est necesse, ut, cùm quis Religiosus delin- F
quit, delictum voce præconis propaletur; quia tu & tui similes satis ad hæc oculati & auriti estis; & quando vera non invenitis, falsa audacter & impudenter confingitis; quale est & hoc: *Brunnæ in Moravia sub Rectore Campano Jesuitam quendam à Dæmone cum corpore raptum fuisse, neque amplius apparuisse.* Valdè antiqua canis, plurimi enim anni jam effluxerunt, cùm P. Campanus Rectorem Brunnæ egit. Quod narras, tam verum credo, quàm verum est tres vel quatuor Jesuitas Craco-viæ, vel non procul inde, sub invictissimo Rege Stephano, in rotam actos; aut Jesuitam Diaboli Personam Molshemii in Alsatia, cùm drama quoddam in scenam mitteretur, sustinentem, à Diabolo vero frustillatim discerptum & concisum. Mirum, Brünnensibus nihil hac de re innotuisse, sed G
tibi soli; verùm in promptu causa est, quia tu vidisti; ipsi non viderunt. Quam ob rem? Quia, quando cacodæmon miserum illum abstulit, tu habebas oculos apertos, illi, clausos. Quoties jam cum similibus fabellis in proscenium progressi, nil nisi infamiam & dedecus retulistis; aliquando etiam publicis Regum, Principum, & Rerumpublicarum literis authenticis & instrumentis convicti? Cur non expressisti nomen abrepti? Cur non annum? Cur non similes peristases? Si ego dicerem: Racoviæ in Polonia sub Sozino, Arianum, & in Lithuania sub Volano Calvinistam quendam à salutis nostræ capitali hoste abductos fuisse, ita, ut eorum ne umbra quidem supereset; an hac mea affirmatione contentus esses; nec exactius aliquid à me postulares?

Ejusdem fæcis mendacium est *de vene-* H
rabili Sacramento ad cubiculum, quoties lubebat, deportato: nam omnibus notum est; sacram Eucharistiam in templis nostris sub arcta custodia custodiri, ùt præcipiunt Jura, & prout etiam ipsa huic mysterio reverentia debita efflagitat. Itáque licèt sceleris patrandi voluntas non deficeret, deficeret tamen facultas; quia omnia probè obserata sunt. Sed absit ab ullo Religioso, ut, præter morem communem, aliquid cum venerabili Sacramento agere instituat: Calvini-

A viniſtam, aut Lutheriſtam, aut Magum eſſe oportet, qui tale quid tentet. Nec abnuendum, ejusmodi impoſtores aliquando ſeſe in cœtus Sanctorum inſerere; Sed ùt Satan manſit Satan, quando & ipſe inter filios Dei ſtetit; ita iſti manent ſeductores & fraudulenti deceptores, licèt aliquandiu inter Religioſos degant, & Ordinis habitum geſtent.

B Sciebat Chriſtus, Judam furem rei familiaris & proditorem ſuum futurum; & tamen allegit eum in Collegium Apoſtolorum, ídque ad ſolatium eorum, qui cùm corda non intueantur, aliquos vel jam Judæ ſimiles, vel ſimiles futuros in Ordinem cooptant. Res plana & expedita eſſet, ſi omnes ea gratia valerent, qua valuit S. Equitius Abbas, cui cùm Baſilius quidam Magus ſiſteretur, ut Monachis accenſeretur; *Ego*, ajebat S. Equitius, *non video Monachum, ſed Diabolum.* Suſceptus tamen eſt rogatu cujusdam Epiſcopi. Sed mox, qualis eſſet, documenta dedit, faſcinata Moniali, quæ ſe morituram credebat; niſi Baſilius Monachus medicinam faceret: Intellexit Diaboli fraudem S. Equitius; addens: *Nunquid non dixi, quòd Diabolus eſt iſte, non Monachus? Ite, & eum de cella expellite.* Hac gratia introſpiciendi penetralia cordis ſi pollerent, qui tyrones legunt, & Ordini aggregant, non paucos utique repudiarent, quos nunc arcanorum pectoris & futurorum neſcii in Ordinis Album adſcribunt.

S Gregr. lib. 1. Dialog. cap. 4.

C Addit Monitor. *Multi poſt mortem ſe damnatos eſſe confitentur. Morituri maledicunt diei nativitatis ſuæ.* Agnoſco ſpicula criminatoria ex Haſenmülleriana Pharetra. Quæſo, ex multis unum tantùm nomina; qui damnationem ſuam poſt mortem annunciârit; unum, qui natalem ſuum execratus fuerit? Quinam illi? ubi? quando? nam ſi ad Haſenmüllerianam cloacam me ableges, nugas egeris. Jam pridem enim teterrimi hujus monſtri mendacia de morte Jeſuitarum refutavi & profligavi. Nec alius genius tibi hanc duplicem calumniam dictavit, quàm ille, qui tuis in maledicendi ſtadio ſympalæſtritis, non ita pridem horribilia inſpiravit, & ad pennam dictavit de Morte Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, qui Dei beneficio adhuc vivit; & Clariſſimi Doctoris Joannis Piſtorii, qui jam ante aliquot annos piè in Domino obdormivit. Utrumque ſcriptis A-

D pologeticis ab inſanis iſtis infamatoribus, pro viribus vindicavi. Tot annis verſor nunc in Societate. Præceſſerunt me ad alteram vitam non pauci, ex quibus nonnulli mihi amiciſſimi & literarum neceſſitudine conjunctiſſimi erant. Sanctè teſtor, me quid hujus nec vidiſſe unquam, nec audiviſſe. Vos, ô Apoſtatæ, quicunque & ubicunque eſtis, pernicioſum exitum & exterminium meritò formidare poteſtis, tum ob Ordines veſtris flagitiis deſertos, tum ob maledicendi & conviciandi ſummam imporentiam; qua innocentes, petulantiſſimè & injurioſiſſimè infectamini. At benè habet; *Falſus rumor facilè opprimitur*, inquit S. Hieronymus, quod creberrima experientia didicimus: *Fieri quidem non poteſt, ut absque morſu hominum vitæ hujus curricula quis pertranſeat; malorúmque ſolatium eſt bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen citò ignis ſtipulæ conquieſcit, & exundans flamma, deficientibus nutrimentis, paulatim emoritur.*

E S. Hier. Epiſt. 10. ad Furiam.

Necdum ſexti Teſtimonii, vel potiùs convicii finis. *Adeò diuturnis odiis inter ſe diſſident, ut vix morituri ſibi condonent, aut famam ablatam reſtituant.* Nimis hyperbolicus es calumniator. Cui tam ferreum, & pluſquam triplici ære rigens pectus ſit, qui ſub extremam illam horam promptiſſimè & libentiſſimè cum fratre & proximo ſuo in gratiam non redeat. Eſto, aliquæ offenſæ intervenerint, neque enim Angeli ſumus, ſed homines; quos pravi affectus interdum à recto tramite abducere poſſunt. At hujusmodi odia capitalia, diſcordias perennes, & tales animorum abalienationes in Societate vigere & tolerari, quales nobis calumniator iſte depingit; id verò intolerabile commentum eſt: Si enim apud nos ulli rei impensè ſtudetur, concordiæ & animorum conjunctioni impensè ſtudetur. Nec rixarum & diſſenſionum ſatoribus & fautoribus locus ullus conceditur; aut enim animus mutandus eſt pacísque amor colendus, aut certè vulnus inſanabile enſe reciditur.

F

G Diſſenſiones nonnullas, ſalva charitatis lege, tam in theoreticis, quàm in practicis exiſtere, ut inter homines, qui non rei evidentia, ſed conjecturis ſæpe ducuntur; quid mirum? Ea humanarum rerum conditio eſt in hac tanta circumfuſa caligine. Nec ſanctiſſimis viris ſemper inter ſe convenit. Teſtes ſunt S. Paulus & S. Barnabas, uterque plenus fide & Spiritu ſancto. Et tamen diſſenſio conjunctionem non animorum, ſed corporum abrupit. Qualia exempla poſteriores ætates non pauca ſuppeditant. Pulchrè S. Bonaventura. Q. 20. circa Regulam S. Franciſci, ſolvens illam objectionem: *Sæpe videmus inter Religioſos eſſe diſſenſiones & invidias, ſicut inter ſæculares, vel aliquando acriores;* ita ſcribit.

H *Boni ſi aliquando diſſentire videntur, hoc his de cauſis fieri conſuevit. Nam cùm non omnes agnoſcant æqualiter veritatem in omnibus, contingit, quòd aliquis intelligit illud pro alia parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens, quàm illud. Et dum uterque hoc, quod ipſe melius judicat, vult promovere, &*

A *quod nocivum credit, vult impedire, sic dissensio fit inter eos, id est diversa sensio, non perversa, cùm uterque benè intendit. Sicut*
Actor. 15. *inter Paulum & Barnabam pro Joanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ, sed Paulus prohibuit timens, ne non perseveraret in continuatione laboris, & sic per eum impediretur, & sic dissentiebant. Et Barnabas Joannem secum sumpsit, ubi minores haberet labores. Paulus verò Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum, ut diversis partibus divisi, pluribus prædicando prodessent. Sic in expositione Beati Gregorii oran-*
Dan. 10. Greg. lib. 17. Mor. cap. 8. *tè Daniele Dominum pro populi liberatione de captivitate Babylonicâ, Angelus dixit, quòd ejus oratio esset dudum exaudita, Princeps Persarum, id est, Angelus illius gentis custodiæ deputatus restitit sibi viginti uno diebus, ne statim liberarentur, sed diutiùs afflicti, pleniùs à peccato purgarentur.*

B *Quid ergo mirum, si bonì quandóque pro bono dissentire videntur, ratione diversarum considerationum, si Apostoli & Angeli eadem ratione dissentire inventi sunt? Nam juxta hunc sensum Sancti, quandóque rationabiliter à Deo dissentiunt, ùt, cùm Deus vult aliquem mori, quem ipsi diutiùs desiderant vivere pro aliorum profectu, vel cùm ipsi putant citiùs mori, quos Deus vult pro eorum salute adhuc diutiùs in*
Philipp. 1. *corpore laborare. Unde Apostolus dixit: Desiderium habens dissolvi, &c. Alia causa est, quando unus non videt intentionem alterius, quæ bona est, putat eum alia intentione aliquid facere, & displicet sibi, & dissentit ab eo, qui si sciret, non displiceret sibi, quod facit, & esset pacatus cum eo.*
Num. 32. *Sic Moyses iratus est filiis Ruben, & dimidiæ tribui Manassè, cùm peterent terram Basan & Hesebon in possessionem.*
Josue 22. *Et Josue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Jordanis, antequam agnosceretur, intentionem utrobique fuisse bonam: talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit judicium nimis præceps.*

C Nec illud novum vel inauditum inter diversos quoque Ordines interdum dissensiones, æmulationes, & invidiæ aliquid existere. Vitia hæc non cessabunt, quamdiu homines erunt pravis affectionibus obnoxii. Erunt autem semper tales, nec aliud sperandum ante consummationem sæculi. Discipuli Joannis Baptistæ sine dubio boni & sancti erant. Et tamen quædam invidiola videtur illos afflâsse, quando ad Magistrum suum hanc quasi querimoniam detulerunt.

D
Joann. 3. *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, Ecce hic baptizat, &* omnes *veniunt ad eum.* Istud *omnes*, non poterant discipuli isti æquis oculis intueri, quia nimium reputabant. Sed quid sapientissimus Magister? *Illum oportet crescere, me autem minui.* Quo dicto, livoris missile re-
Marci 9. tudit. Eadem aura afflavit quoque discipulos Christi. *Domine, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.* Quid Christus? E
Nolite prohibere eum, &c. qui non est adversum vos, pro vobis est. Prophetabant Eldad & Num. 11.
Medad in castris. *Statim Josue, filius Nun, Minister Moysi & electus è pluribus ait: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille,* optimus depellendi livoris medicus; *Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum.*

Sanctissimus & reformatissimus erat uter- F
que Ordo Cluniacensis & Cisterciensis. Et tamen, quæ utrinque spicula emissa? Quæ tela sparsa? Testatur hoc Apologia Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis ad S. Bernar-
Lib. 1. Epist. Petri Abb. Epist. 28. dum; Et Apologia S. Bernardi ad Wilhelmum Abbatem Cluniacensem, ubi singulas sive objectiones, sive detractiones ordine videre licet. Et sanctus quidem Bernardus acriter suos aliis Ordinibus obtrectantes increpat. *Nunc mihi conveniendi sunt quidam de Ordine nostro, qui contra illam*
1. Cor. 4. *sententiam.* Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, &c. *aliis Ordinibus derogare dicuntur, & suam justitiam solam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, quos profectò (si qui tamen hujuscemodi sunt) nec nostri, nec cujuspiam esse Or-*
Rom. 10. *dinis verius dixerim. Quippe, qui etsi ordinatè viventes, superbè tamen loquentes, cives se faciunt Babylonis, id est, confusionis, imò filios tenebrarum, ipsiúsque gehennæ, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vobis ergo, inquam fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo & Publicano parabolam, de vestrâ justitiâ præsumentes, cæteros aspernamini, dicitis (ùt dicitur) solos vos hominum esse justos, aut omnibus sanctiores: solos vos Monachorum regulariter vivere, cæteros verò regulæ potiùs existere transgressores. Primò quid ad vos de alienis servis? suo Domino stant aut cadunt. Quis vos constituit judices super eos? Deinde, si ita, ùt dicitur, de Ordine vestro præsumitis: qualis Ordo est, ut antequam de suo quisquam trabem ejiciat, in fratrum oculis tam curiosè festucas perquirat? Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? Cur contra Evangelium, an-* G
Matth. 7. Rom. 14. *te tempus, & contra Apostolum, alienos servos judicatis? An regula non concordat Evangelio vel Apostolo? Alioquin regula jam non est regula, quia non recta. Audite & discite ordinem, qui contra ordinem aliis Ordinibus de-*
Matth. 7. *rogatis. Hypocrita, inquit, ejice primùm trabem de oculo tuo, & sic videbis ejicere festucam, de oculo fratris tui. Quæris quam trabem? An non grandis & grossa trabes est superbia, quâ te putas esse aliquid, cùm nihil sis? Insanissimè tibi tanquam sanus exultas, & aliis vanissimè trabem portans, de festucis insultas?*
Hæc S. Bernardus.

Inter cætera, quæ Cluniacensibus objicie- H
bantur, hoc etiam unum erat, quòd essent exempti, ab Episcoporum jurisdictione,

A ne, nec proprium Episcopum haberent; de quo, ratione nostri Ordinis, non semel conqueritur Monitor. *Nos verò respondemus*, inquit Petrus Venerabilis Abbas, *istud veritati contrarium oppositа fronte existere: quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo Episcopus potest inveniri? Nónne ille est: quem cæteris præesse non humana; sed divina authoritas sanxit? Nónne ille est, cui dictum est; tu conversus confirma fratres tuos? Nónne ille est, cui dictum est, Tibi dabo Claves regni cælorum? Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis? Hunc unum solum & maximum nos habere Episcopum gloriamur. Huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo si causa (quod absit) exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc ipsius sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas: nec unius tantùm, sed multorum decreta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur, &c.*

B *Si autem adhuc perstatis, & nos malè agere jactatis, illum, quem obtendimus, impedite, & nobis dimissis cum ipso de his agite. Nos enim quia contraire non debemus, obedire volumus, nec de ejus unquam, quod nulli mortalium licitum est: judicio judicare. Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed & quàm pluribus datum cernimus, & longè ante Cluniacum conditam multis aliis Monasteriis ab eadem Apostolica Sede concessum videmus. Cujus Sedis Præsules cùm magni sapientia & religione fuerint, & quorundam ex ipsis merita miraculorum quoque fulgore solemniter in mundo claruerint, incredibile est, aut decipi in talibus potuisse, aut contra conscientiam suam talia agere voluisse. Eo namque animo, ea intentione, qua nostrorum temporum Apostolici, quieti Monachorum providentes, ea, quæ diximus, quàm pluribus Monasteriis contulerunt: antiquiores quoque Romanæ Ecclesiæ Præsules simili de causa in multis à jugo Episcoporum libera esse monasteria decreverunt, &c.*

Occinebatur iisdem Cluniacensibus: *quæ*
C *ratio vel auctoritas possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum eis contulerit, cùm hæc non ad Monachos, sed ad Clericos Canonica sanctione pertineant?*

Respondet Petrus Abbas pro sui & nostri
D Ordinis Professoribus: nam & nobis hæc seu calumnia, seu querimonia à Monitore aliisque oggeritur: *Nos sicut in supradictis, sic & in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus: atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcirco ipsarum primitias, & decimas legitimè possidere, confirmamus. Nam si tribui Levi hæreditas inter fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum, & circa divina mysteria redderentur, neque ab eis secularibus impedimentis revocarentur, atque ideò primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur: rectè eadem Monachis* E *conceduntur, qui, sicut illa tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis officiis die noctúque insistunt. Qui namque justiùs fidelium oblata suscipiunt, Monachi, qui assiduè pro peccatis offerentium intercedunt: an Clerici, qui nunc, ùt videmus, summo studio temporalia appetentes, spiritualia, & quæ ad animarum salutem pertinent, omnino postponunt? Et qui de suis non curant, quomodo aliorum animas salvare contendent? Malè quippe medebitur alteri, qui suo languori subvenire non prævalet. Et ùt Dominus ait: Cæcus cæco si ducatum præbuerit, ambo in foveam ca-* Matth. 15. *dent.*

Hoc dicimus, salvo intellectu illo, quo novi- F *mus per officium Clericorum divinis quidem mysteriis Ecclesiam salvari; sed quorundam talium parùm orationibus adjuvari. Quia ergo Monachi ex maxima parte fidelium saluti invigilant, licèt sacramenta minimè ministrent: æstimamus ipsorum primitias, decimas & oblationes, & quæque beneficia eos dignè posse suscipere, quoniam & reliqua populo Christiano necessaria à Presbyteris & Clericis faciunt exhiberi. Ista verò dicendo, nequaquam Clericos ab Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum possessionibus excludere volumus: sed Monachos hæc omnia legitimè posse obtinere, istis rationibus & auctoritatibus approbamus. Si enim ipsi pro officio baptismatis, pœnitentiæ, prædicationis, & cæterorum Sacramentorum populo exhibitorum de reditibus Ecclesiasticis vivere volunt: Cur Monachi pro orationibus, pro psalmis, pro lacrymis, pro eleemosynis ac multiplicibus bonis, ad salutem populi DEO oblatis, rebus Ecclesiasticis, & devotorum oblationibus non utantur?*

Hæc Petrus Venerabilis Abbas. Itáque G querelarum & obtrectationum finis non erit, nisi cùm omnia hujus mortalis vitæ finientur, & sub unum concordiæ & charitatis jugum redigentur. Interim unusquisque Religiosus à superbiæ & tumoris Spiritu alienus profitebitur cum S. Bernardo: *Laudo omnes* (Ordines) *& diligo, ubicunque justè & piè vivitur in Ecclesia. Unum* (Ordinem) *opere teneo, cæteros, charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor.* Idem. Quid ergo? *Cistercienses sum: damno igitur Cluniacenses? Absit: Sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum non* H *tenes, quem sic laudas? Audi. Propter hoc, quod Apostolus ait: Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat. Quòd si quæris, cur & à principio non elegerim, si talem sciebam; Respondeo, propter id, quod rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Hæc & plura hujus generis pulcherrima certè S. Bernardus; quæ si in præcordia eorum, quos livor nonnihil afflat, demitterentur, forsitan

A Monitor noſter aliquibus flabellis ad hoc Monitorum ſuorum incendium excitandum caruiſſet. Verùm nimis diu in ſexto teſtimonio immorati ſumus. Nunc progrediamur; ſed pede celeriore.

CAPUT VIII.

Refutatio ſeptimi teſtimonii ſine teſte.

B SEptimum hoc teſtimonium ſubtilitates quasdam non omnibus penetrabiles continet, ex quibus hæc familiam ducere videtur. *Veneti fruuntur pace domeſtica & externa, cum Paulo Quinto: Ergo ejectio Jeſuitarum ex ditione Veneta, eſt cauſa hujus pacis.* O lepidam conſecutionem! quaſi Jeſuitæ, ſi vellent, Pontificem, non niſi ex ditione Veneta adversùs Sereniſſimam illam Rempublicam concitare poſſent. Quaſi id illis, qui Romæ magno numero habitant, proclivius non foret. Sed abſit, ut Jeſuitæ contra Venetos Pontificem vel Romæ vel alibi ad arma vocent. Pax, pax eſt, quam poſcimus omnes; quam quærimus omnes. Quam ipſe ſupremus Eccleſiæ Præſul modis omnibus procurat, nec ſuſurrones contrarium inſuſurrantes audit. Ex quorum ſuſurronum numero Jeſuitas non eſſe, ipſe ſanctiſſimus omnium optimè perſpectum habet.

C Ais. *Germani invident hanc pacem Venetis, multóque magis Poloni.* Neſcio, quid velis. In Imperio Dei benignitate, hactenus pleraque, ſi non omnia, quieta fuêre; Etiam præſentibus Jeſuitis. Et ſi quæ turbæ extiterunt, non Jeſuitarum, ſed rebellium Lutheranorum & Calvinianorum culpa extiterunt. Sed calumniator hoc jubet: Ejice ex Germania Jeſuitas, & pax ſempiterna vigebit. Janus æternùm claudetur. Neſciebam te eſſe Prophetam. Vaticinaris, non tantùm ex tripode, ſed & ex tetrapode. Perinde eſt, ac ſi dicas. Expelle à caulis cuſtodes canes, expelle, qui juventutem pietate & literis informent; Expelle, qui populum diu noctúque in divinæ legis præceptis erudiant, & pax perpetua lupis cum ovibus coibit. Item; ſi Jeſuitæ ex Polonia excedere compellantur; jam nec rapax Tartarus impreſſionem prædæ cauſa faciet: nec Moſchi moleſti erunt: nec Moldavi: nec Valachi. Omnia pacatiſſima tranquillitate potientur. Omnia Polonis colla ſubdent. Ipſi Ariani & Anabaptiſtæ, ipſi Calviniſtæ, & neſcio quæ alia Sectarum infauſta nomina, vel potiùs portenta, ad Catholicam Eccleſiam ſturnatim convolabunt. Mox fiet paſtor unus, & unum ovile. Mi homo, tu citiùs vel ex Polonia, vel ex hac vita extruderis, quàm omnes Jeſuitæ, qui in Polonia verſantur, ex hac vel illa. Et ut id fiat, meretur impudentiſſimum tuum mendacium, cùm ais: *Regem à Jeſuitis regi*, hoc eſt, Jeſuitas eſſe Regis Reges, & ob hoc Dynaſtas Regni à Jeſuitarum nutu, tanquam ſervos, pendere, *partim amore privati commodi, partim ſpe aſſequendi honores per Jeſuitas.* Quæ contumelioſiſſima injuria, partim in Potentiſſimum Regem, partim in illuſtriſſimos Proceres vibrata, quid mereatur; Ipſi, quorum intereſt, ſtatuent. Ego Monitori nec exilium, nec aliam pœnam, ſed ſanam & veritatis ac ſinceritatis amantem mentem precor. Quò non progreditur infrunita audacia, & cæca Jeſuitis maledicendi & malefaciendi temeritas? quia per latus Jeſuitarum alios quoque confodit, nec illos de vulgo, ſed Regem, Regníque Proceres, quotquot Societatem favore & benevolentia ſua complectuntur. E

CAPUT IX.

Exploditur octavum teſtimonium ſine teſte.

F HOc nihil aliud eſt, niſi battologia & inſulſa repetitio eorum, quæ jam ſæpius decantata ſunt: ùt, quòd *Jeſuitæ regant Monarchas.* Quos & quales? Nomina. *Quòd Dominos in ſubditos concitent.* Ubi & quando? *Quòd viduas cuſtodiant, ad vota inducant, matrimonia diſſuadeant, &c.* Non poteſt homo iſte obliviſci viduarum. Perpetuò redit earum memoria, & quidem non ſine cruciatu; quia novit Illuſtriſſimas quaſdam matronas de ſecundis nuptiis appellatas conſtanter abnuiſſe, procósque repudiâſſe. Et in his etiam unum huic non incognitum. Quis hoc patienter ferat? ut dolorem ſuum nonnihil leniat, ſuadeo, quàm primùm omnes Epiſtolas ſeu paræneſes S. Hieronymi ad viduas perlegat. Item G quidquid de hoc argumento ſcriptis mandârunt S. Ambroſius, & S. Auguſtinus; qui ſub finem libri de bono viduitatis Probam & Julianam viduas, & Demetriadem Virginem ſic compellat. *Agite, curſum veſtrum & perſeveranter currite, ut comprehendatis, & exemplo vitæ exhortationisque ſermone rapite in eundem curſum veſtrum quaſcunque potueritis, &c. Securè inſtate, quibus potestis, ut fiant, quod vos eſtis: & orate vigilanter atque ferventer, ut adjutorio dexteræ Excelſi, & abundantia miſericordiſſimæ gratiæ Domini & perſeveretis in eo, quod eſtis, & proficiatis ad id, quod eritis.* Ecce tantus Doctor, tam ſanctus & H antiquus non modò viduas hortatur, ut in ſuo ſtatu perſtent, ſed jubet præterea, ut, quascunque poſſunt, ad idem vitæ genus inducant. Quomodo hoc tuo palato arridet, ô Monitor? qui tam ſollicitus es, ne qua opulenta & illuſtris femina, ſecundis nuptiis nuncium remittat, præſertim, ſi adhuc ſit ævo viridiore, & ad Hymenæum apto. Audi, quibus laudibus Clemens Romanus lib. 3. Conſtitut. Apoſtolicarum talem viduam extol-

A extollat. *Si aliqua adoleſcentior, viro ſuo, cum quo exiguo vixit tempore, aut morte, aut alio caſu orbata, cum dono ſuper ſe viduitatis maneat, beata erit, ſimilis facta illius Sidoniæ viduæ Sareptis, ad quam ſanctus DEI Propheta Elias hoſpes divertit. Hujusmodi vidua ſimilis erit Annæ filiæ Phanuelis ex tribu Aſer, quæ nunquam à templo recedebat, perſeverans nocte & die in obſecrationibus, & precibus: quæ annos quidem nata erat octoginta, vixerat verò cum viro à virginitate ſua annis ſeptem, & adventum Chriſti laudibus celebrans confitebatur Domino, & loquebatur de eo iis, qui exſpectabant redemptionem in Iſraël. Quæ talis erit, teſtimonio approbata honorabitur, gloriam habens apud homines in terra, & apud DEUM in cœlis laudem ſempiternam.*

B Convicia illa, quæ denuo evomit calumniator; jam olim in S. Hieronymum quoque jactata fuêre, ídque eandem ob cauſam, nempe propter viduas & virgines. Contempſit ille fretus innocentia ſua. Contemnimus & nos eodem fundamento nixi. Evanuerunt olim inſtar fumi. Evaneſcent & iſta. Nec abſterritus eſt S. Hieronymus, quò minùs id, quod agebat, ageret: & elata voce clamaret. *Cogita quotidie, te eſſe morituram, & nunquam de ſecundis nuptiis cogitabis.*

Epiſt. 10. ad Furiam.

CAPUT X.

Refellitur nonum teſtimonium ſine teſte.

C HOc teſtimonium ejusdem prorſus eſt farinæ, cujus octavum. Videtur hic homo inſanire; nam ſi ſanæ mentis eſſet, ut ſanus ſcriberet & loqueretur; nec eadem ſingulis propè pagellis regereret, ùt & hîc factum; ubi iterum viduæ; iterum nobiles adoleſcentuli ad Societatem illecti, poſtea ejecti; & ſimilia. Ne tamen injuriam bono Monitori irrogem; aliquid hîc novi adducit. Quid illud? *Qui Jeſuitis confitentur, aut ſunt ambitioſi & ſimoniaci, aut avari, aut ſubdoli dolisque malis quidpiam in illa Republica, ubi Jeſuitarum exſtat regimen, aſſequi volunt.* Hæc tua eſt Major. Subjungo ego Minorem. *Sed Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Poloniæ, & Sereniſſima Regina confitentur Jeſuitis.* Tu nunc infer concluſionem. Quid reſtitas? Quid pavitas? Exclude pullum, quem, ut ita loquar, in Majoris ovo poſuiſti. Aliam Minorem tuæ Majori ſubnecto. *Sed plurimi tam Eccleſiaſtici, quàm Politici Proceres Jeſuitis confitentur.* Tu nunc infer concluſionem. Quid cunctaris? Hîc nec Rex adeſt, nec Regina, nec regia ſoboles. Audacter ergo concluſionem infer. Sed non audes. Erubeſcit frons tua, quamvis fermè penitus detrita. Cur tu poſuiſti ovum, ex quo letifer Baſiliſcus naſceretur? O impudentiam! ſub velo Jeſuitarum inſtituunt iſti communem Satyram, qua omnes, quos ſibi moribus & vita diſſimiles vident, lacerant & lancinant, depoſito omni tam hominum, quàm cœlitum metu. E

Eluctati tandem ſumus ex cæno Teſtimoniorum inteſtabilium, quæ ab Italis & Hiſpanis profecta mentitus eſt, cùm luce clarius ſit prodiiſſe ex eadem officina, ex qua & Monita; nam quidquid in Monitis modo & ſchemate Monitorum effutiverat; Id in Teſtimoniis modo & ſpecie Teſtimoniorum compendiosè reponit. Sequuntur nunc aliquot *Teſtimonia Polonorum*, ùt ait; quorum nonnullos nominat; ſed jam mortuos. Qua fide & mente? Eadem ſcilicet, qua antea teſtes anonymos protulit; niſi quòd majoris ſceleris videatur, teſtimonia falſa Illuſtriſſimis viris, & quidem nominibus eorum expreſſis, affingere. F

CAPUT XI. G

Examinatur primum ex Polonia Teſtimonium Bernardi Maciecovii ſeu Maciejovvski S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopi Gneſnenſis.

QUid Illuſtriſſimus iſte Præſul? Mira, prorſus mira. I. *Agit pœnitentiam, quòd Jeſuitas ſuo favore, benevolentia & patrocinio olim dignatus ſit.* II. *Aſſerit Reipublicæ multa mala eveniſſe, quòd Rex* SIGISMUNDUS *Jeſuitarum potiùs quàm Senatorum Regni conſilia ſequi conſueverit.* III. *Epiſcopos à Jeſuitis jurisdictione ſuperari.* IV. *Privilegia ipſorum tendere in libertatem peccandi, & contemptum Cleri.* V. *Jeſuitas multiplicare Pſeudocatholicos & imminuere Catholicorum ſolidæ timoratæq; conſcientiæ numerum.*

O ſi in mea poteſtate eſſet, quod olim S. Stanislaus Martyr Epiſcopus Cracovienſis à Deo impetravit, cùm ab adverſariis ſuis, emptionem cujuſdam pagi impugnantibus, nimiùm premeretur, & tantùm non opprimeretur: nam mortuum venditorem ex tumulo excitavit, & redivivum in prætorio teſtimonii dicendi gratia ſtitit, séque & alios miraculoſo illo teſtimonio à calumniantium jaculis liberavit. Ego quoque, ſi eadem mihi potentia ſuppeteret, Illuſtriſſimum Cardinalem ex ſepulchro prodire, & num hæc de Jeſuitis ſenſerit & ſcripſerit, palàm in celeberrimo totius Cracoviæ Templo proloqui juberem. Quid aliud audiremus, quàm ſe hæc talia nec ſcripſiſſe, nec agnoſcere: ſceleratos & omni pœna dignos impoſtores eſſe, qui hæc fingant, & ſibi affingant. Hæc, inquam, & id genus alia audiremus; Et verè hæc ab Illuſtriſſimo Antiſtite non eſſe profecta luculentiſſimis documentis demonſtrabo. H

A Nam primò, unde fabulatores ista deprompserunt? Ex duabus, ùt ajunt, Epistolis Bernardi Cardinalis, altera, ad Principem Venetiarum. Altera, ad Legatum. Sed Epistolæ huic nec mensis, nec dies mensis, nec annus Christi apponitur, nec Principis Veneti, nec Legati nomen exprimitur: Qua de causa, obsecro? Fallor, an hæc causa est, ut inquisitioni via præcludatur, & fraudulentia tutiùs grassetur? Sed stipes fuerit, qui ejusmodi literis vel fragmentis literarum fidem adhibere velit, cùm sub cujusvis, præsertim jam vita functi, nomine tales Epistolæ cudi & spargi queant. Et unde ad istos hæ Epistolæ? Num autographa an apographa viderunt? Ubi & apud quos? At sine dubio viderunt autographa, & apographa; quia quod ipsi sub Illustrissimi Cardinalis nomine scribebant & chartis illinebant, & postea transcribebant, id autographum erat, quia unus ex illis sua manu scripserat; & apographum, quia alter descripserat.

B Commentitiæ istæ Epistolæ eandem omnino lucernam idémque oleum olent, quod *Monita*, ut nec lac lacti similius sit: nam & hîc resonat injuriosissima illa in Serenissimum Regem contumelia; nempe suam Majestatem *duci & regi à Jesuitis*. Hîc iterum perstrepunt maledicta de Privilegiis Jesuitarum, de casibus reservatis, & id genus aliis toties in Monitis inculcata, ita, ut ex flatu & afflatu liqueat, & Monita & hæc Testimonia ab eodem stygio Alastore processisse: nam hæc, quæ Illustrissimo Præsuli imponuntur, nec ab ejus mente, nec à manu ejus esse, testantur insuper eximia benevolentia, qua Societatem JESU usque ad extremum spiritum complexus est, & insignia beneficia, quibus illam triplici in statu cumulavit, nimirum in sæculari, Episcopali & Cardinalitio.

C Nam I. Cùm Curiæ Regiæ vexillifer esset, & Capitaneus Boleslaviensis, patrimonium suum, mediam partem oppidi Chodelinensis cum villis, prædiis, stagnis, molendinis ad fundationem Collegii Lublinensis liberalissimè contribuit.

II. Ex Luceorienſi Episcopatu ad Cracovienſem translatus, corpus innocentis pueri, Alberti Anadrinni, impiè circa festum Paschæ, à Judæis Anno 1598. interfecti, tanquam sacras reliquias secum accipiens, in Episcopatum Cracovienſem transtulit, & templo Collegii ejusdem Lublinensis (cujus ipse, unà cum Illustrissimis aliquot personis, Fundator exstiterat) donavit, sui in Societatem amoris perpetuum argumentum: & publicè in templum idem, duobus comitantibus Episcopis, & innumera nobilium multitudine, tumbâ stannea inclusum, pompa solenni manibus propriis intulit.

D. III. Eidem templo, valdè insignem Christi Domini crucifixi ex argento imaginem donavit, munus planè Episcopale.

IV. Ad Monasterium Claravallense pietatis causa profectus, ut S. Bernardi, patroni sui sepulchrum & sacros cineres coràm veneraretur, à loci illius Reverendissimo Abbate, dentem S. Joannis Baptistæ muneri accepit. Quem in Poloniam reversus, templo Collegii Lublinensis, immutabilis suæ in Societatem benevolentiæ pignus, dono dedit. Et quia peregrinationis hujus Burgundicæ mentio facta est, non possum silere, quod ipsemet vidi. Casu eram Augustæ Vindelicorum, cùm illustrissimus iste Præsul eò, ex via venit. Duos ex nostris habebat suo in comitatu; alterum R. P. JUSTUM RABB, Theologum & Confessarium suum; alterum, coadjutorem quendam Laicum. Quandiu Augustæ mansit, mansit autem aliquot diebus, quotidie ad Templum nostrum Aulicis suis stipatus ventitabat. Audito uno alteróve sacro, ipsemet rem divinam religiosissimè faciebat; quin & nobiscum prandere dignatus est; ubi mihi nihil jucundius accidit, quàm Præsulis hujus aspectus adeò venerandus, collocutio & conversatio adeò humana, ut omnes statim sui in amorem, imò & in admirationem raperet; qui nobiscum tam agebat amanter, quasi non amplissimus Antistes, sed unus ex nobis esset. E

F V. Idem Reverendissimus Antistes templum Collegii Lublinensis magno sumptu tum Regis, tum piorum hominum contributione extructum dedicavit, consecravit, & sex millia florenorum pro dote eidem assignavit.

G VI. Cracoviæ Anno Domini 1603. 18. Mensis Junii, incorporationem templi Parochialis S. Stephani, Domui Probationis Societatis, à Rege Stephano factam, authoritate suâ Episcopali confirmavit, Regis Stephani factum collaudans, verba ejus hæc sunt.

H Nos BERNARDUS MACIEJOWSKI, DEI *& Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Cracovienſis, Dux Severienſis, &c. Universis & singulis, quorum interest, præsentibus & futuris significamus tenore præsentium. Quia cùm Serenissimus olim* STEPHANUS *Rex Poloniæ, &c. Zelo pietatis commotus, ad* DEI *omnipotentis gloriam, & propagandam Catholicam fidem, Ecclesiam Parochialem S. Stephani, intra muros in hac civitate Cracovienſi consistentem, cujus jus Patronatus ad Majestatem suam Regiam semper pertinuit, Domui Probationis Societatis* JESU *Cracovienſi, unà cum domo Parochiali, nec non areis, & aliis omnibus ad eam Ecclesiam quomodolibet ex antiquo pertinentibus, certis Privilegii sui literis, manu Majestatis suæ Regiæ subscriptis attribuisset, incorporâsset, ac perpetuò donavisset; ut scilicet in illa Ecclesia Patres ipsius domus Probationis Societatis* JESU, *præsentes & pro tempore existentes, omnia sui instituti*

A *tutì munera gratis & voluntariè exercere, & quàm plures animas Chriſto lucrificare poſſint. Nos, &c.*

B VII. Idem Legatus à latere. Anno Domini 1605. eandem donationem, STEPHANI Regis, ex ſuperabundanti, de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, Cracoviæ tertio Idus Decembris, eodem Anno Diplomate dato, confirmavit. Verba ejus hæc ſunt.

C BERNARDUS *miſeratione Divinâ Tituli S. Joannis ante portam Latinam, S. R. E. Presbyter Cardinalis*, MACIEJOWSKI *nuncupatus, perpetuus adminiſtrator Epiſcopatus Cracovienſis, Dux Severienſis, ad Sereniſſimum* SIGISMUNDUM III. *Poloniæ Regem, & Sueciæ, Regnúmque Poloniæ, Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pauli, divinâ Providentiâ Papæ V. & Sedis Apoſtolicæ de latere legatus, ad perpetuam rei memoriam. Sedes Apoſtolica juſta petentium deſideria congruo favore proſequitur, & votis eorum, quæ à rationis tramite non diſcedunt, libenter annuit. Quapropter cùm pro parte dilecti in Chriſto, Superioris domus Probationis Societatis* JESU, *ad Eccleſiam Parochialem S. Stephani Cracoviæ conſiſtentis, expoſitum nobis eſſet, quomodo olim bonæ memoriæ Rex Poloniæ* STEPHANUS, *poſtquam conſiderâſſet, quàm uberes fructus Societatis* JESU *Sacerdotes, in Eccleſia DEI proferrent, & locum idoneum, tunc apud Eccleſiam S. Barbaræ in circulo Cracovienſi ſitam, in quo commodè pro ſuo inſtituto religionem plantare ex juventute de novo ad eos accedente poſſent, non haberent: Zelo pietatis avitæ in populo reſtituendæ incenſus, jus Patronatus & collationis ſuæ Regiæ, Eccleſiæ Parochialis S. Stephani Cracoviæ, eo propoſito, ut ibidem domum probationis Novitiorum eadem Societas haberet, eidem Societati dedit, donavit, & conceſſit, &c. Nos habentes perſpectum, non modò non detrahi quicquam ordinis Eccleſiaſtici bono, in dictâ Eccleſiâ Parochiali S. Stephani per donationem Juris patronatus hujusmodi, Eccleſiæque ipſius dictæ Societati incorporationem: verùm etiam omnia in eâdem congruentiori modo exequi, patentiúmque literarum ſuprà memoratarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſo habentes, ſuperioris dictæ domus ſupplicatione inclinati, donationem Juris patronatus Eccleſiæ prædictæ, &c.*

D VIII. Idem Illuſtriſſimus Cardinalis ſemper penes ſe Sacerdotes Societatis habuit, & ſecum circumduxit, id quod univerſum Regnum novit: neque unquam opera Patrum Societatis uti deſtitit, in quorum manibus creatori ſuo Spiritum reddidit. Præcipuè autem utebatur operâ P. Juſti Rabb, cujus ſuprà mentionem fecimus; quò etiam Confeſſario ad ſupremum uſque diem uſus eſt.

IX. Denique idem Illuſtriſſimus Cardinalis in domum Profeſſam Cracovienſem ſemper munificus fuit, ejuſdémque inopiam crebris & largis eleemoſynis ſublevavit. E

Hæc cùm ita ſe habeant, quis calumniatores iſtos contraria comminiſcentes non deteſtetur? Et ne effugium ſit, fuiſſe Societatis fautorem & Patronum; ſed mutâſſe ſententiam ante mortem: Ecce tibi uſque ad extremam horam noſtrorum operâ uſus eſt. Uſque ad extremam horam P. Juſto Rabb confeſſus eſt; Præſentibus & circumſtantibus, & ea, quæ fatalis hora expoſcit, exequentibus noſtris, expiravit. Et tu calumniator mentiri audes, Illuſtriſſimum Cardinalem mutâſſe ſententiam & benevolentiam; & ea Jeſuitis adſcripſiſſe, quæ tu apoſtata, cum matris Acidaliæ alumno, fermè dixeram Aſcanio, in tua Vulcania officina architectatus es. Ite ô furvi Lemures, & abdite vos in veſtra latibula. Illuſtrius eſt illuſtriſſimum Cardinalem fuiſſe Societatis noſtræ perpetuum Patronum, quàm ut ullis conviciatorum conviciis inobſcurari queat. Gratiæ tibi *Magne Cardinalis*, pro hoc in Ordinem noſtrum favore & amore. Dedecus autem & infamia omnibus illis, qui te jam in cœlo cum Superis verſantem in adverſarium noſtrum transformare nituntur. F

CAPUT XII.

Examen ſecundi Teſtis ex Polonia.

G SEcundus teſtis, quem ex patria ſua producit, eſt Illuſtriſſimus GEORGIUS RADZIVILUS. S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Cracovienſis. Quid ergo iſte teſtatur? *Jeſuitas, meâ experientiâ, ſuadeo, nemo ſibi nimiùm habeat familiares. Si Epiſcopi ſuam auctoritatem conſervare volunt, nihil per eos, ſed per ſe cum ſuis Prælatis, quæ ſpectant ad clerum, & Diœceſis gubernationem, peragant.* O teſtimonium! Quàm manifeſtè redoles oleum & lucernam, ad quam tui te teſtes elucubrârunt. Dicite, ubi, quando, & apud quos Illuſtriſſimus hoc teſtimonium depoſuit? Antea finxerant Principem Venetum, & legatum neſcio quem Anonymum. Hîc mentiendi ars illos deſtituit, ita ut nullum nominare potuerint; H ſed ſimpliciter Illuſtriſſimi Radzivili nomen præpoſuerint; Quo jure, ſeu potiùs qua injuria cujuslibet alterius nomen præfigere potuiſſent. Sed Teſtimonium hoc Illuſtriſſimo Cardinali affictum nullius valoris eſſe, &, non niſi ex peſſimè feriati Monitoris non Muſeo, ſed ſtabulo prodiiſſe, planum faciunt judicia æquiſſima Cardinalis illius de Societate; & beneficia, quæ in illam liberaliter contulit, & ſumma benevolentia, qua Societatis homines ſemper complexus eſt. Vide calumniator pauca ex pluribus ſpecimina, & erubeſce, ſi potes.

Nam

A Nam I. Anno Domini 1578. Coadjutor adhuc Episcopatus Vilnensis, singulari opera & intercessione suâ effecit, ut Collegio Vilnensi Academiæ Nomen & Privilegia concederentur à Serenissimo STEPHANO Poloniæ Rege: quod postea Anno sequenti 1579. à Gregorio XIII. Pontifice Maximo solenni diplomate confirmatum est; atque ab eo tempore Collegium illud Academiæ nomen & authoritatem obtinuit, in qua more aliarum Universitatum, in omnibus facultatibus, præterquam in Jurisprudentia & Medicina, juxta Institutum Societatis, Gradus Scholastici dignis conferuntur.

B II. Anno Domini 1581. quàm primùm Vilnam Episcopus ex Italia rediisset, in eâdem civitate Vilnensi, cujus Episcopus fuit, Collegio à Valeriano Episcopo antecessore suo fundato, plusquam octo millia florenorum in bonis *Zmodicensibus* ad augendos reditus ejusdem Collegii, donavit, & reditibus fermè mille florenorum Collegium auxit.

C III. Episcopus Cracoviensis, & S. R. E. Cardinalis, Domus Professæ Cracoviensis fundator esse volebat, cùm templum Sanctæ Barbaræ, in quo ad annum illum 1595. Patres Professi munia sua obibant, nimis angustum pro nostris ministeriis videretur; Sed cùm Pientissimus Rex SIGISMUNDUS Tertius, mentem suam declarâsset, se id præstare velle, quod & re ipsa sumptu ingenti, ad hunc usque annum 1616. templum ingens, sumptu planè Regio exædificando præstat; Eum honorem Serenissimo Regi libenter concessit, primus tamen lapis ejusdem templi ejus manibus in fundamento positus est.

D IV. Idem Episcopus Cracoviensis, pagum seu villam Jezovvo dictam ad mensam Episcopalem pertinentem, Collegio Lublinensi Societatis ad augendos reditus ejusdem liberaliter donavit. Diploma donationis est tale.

GEORGIUS miseratione Divinâ Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis, Radzavvil nuncupatus, perpetuus administrator Episcopatus Cracoviensis, & Ducatus Severiensis, Dux Olycæ & Niesvviez, &c. *significamus præsentibus literis nostris, quorum interest universis & singulis, harum notitiam habituris*, &c. Ubi post multa, hæc formalia verba habet. *Cúmque etiam certò nobis constet, à prædicti Collegii Religiosis, fidem Catholicam & pietatem Christianam, quæ in illo Palatinatu, grassante hæresi, pene collapsa erat, plurimùm promoveri, de consensu & voluntate fratrum nostrorum, Prælatorum & Canonicorum, totiúsque venerabilis Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis Cracoviensis, dictis Religiosis ejusdem Collegii Lublinensis Societatis JESU, eandem villam Jezovvo, (sub approbatione tamen Sedis Apostolicæ) damus, donamus, & concedimus, cum omnibus ejusdem villæ sylvis, pratis, molendinis, piscinis, & aliis omnibus emolumentis*, &c. Quod Diploma datum fuit Cracoviæ; die 6. Mensis Octobris. Anno Domini 1594. Præsentibus Reverendis & Nobilibus Dominis *Joanne Andrea Prochnicki*, Canonico Cracoviensi, *Nicolao Dobrocieski*, Vicecancellario Universitatis Cracoviensis. *Joanne Foxio* Canonico Scarbimirensi, causarum curiæ nostræ auditore, Juris utriusque Doctoribus, & pluribus aliis. E

V. Idem Illustrissimus semper Societatis Sacerdotes, ad suas confessiones adhibuit; & Romam ad annum sanctum Jubilæi discedens, P. Garsiam Alabianum, Domus Professæ Cracoviensis Præpositum, confessarium suum, secum duxit. F

VI. Idem in manibus Jesuitarum mortuus est Romæ, Anno Jubilæo. Testis rei hujus urbs universa; decumbenti, & animam agenti, usque ad extremum halitum, adstiterunt quatuor ex nostris P. Garsias Alabianus paulò antè nominatus, P. Petrus Paulus Rossi Romanus, P. Albertus Czierniakovvski, & P. Fridericus Schembeck, qui nunc domui Professæ Cracoviensi præest. G

VII. Idem moriens non alibi, quàm in templo domus Professæ Romanæ sepulturam elegit, quod & re ipsa factum.

VIII. Idem in domum Professam Cracoviensem perquam munificus semper fuit; & ex hac vita excedens florenos octingentos eidem domui legavit.

An hæc, & id genus alia consonant cum fabula, quam isti histriones factitant? Certè Illustrissimum Cardinalem Radzivilium non nisi summa fatuitate excæcati inter testes suos collocârunt, cùm ex his, quæ jam memoravimus, totum istud testimonium, instar nebulæ ad lucidi solis radios, dispellatur, & in tenues auras evanescat.

CAPUT XIII.

Auditur tertius ex Polonia testis.

H Tertius testis Sycophanticè productus, est Petrus Myskowski, Episcopus Cracoviensis, in Epistola, ùt ajunt, ad Sixtum V. Pontificem Maximum. Quid ergo iste? I. *Jesuitis in synodo Provinciali multa esse concessa, quæ quosvis religiosos insolescere facerent.* II. Timet, ne *Templariis sint similes, qui ad tantam potentiam excrevesint, ut ipsis Regibus essent graves.* III. *Jesuitas esse subtile malum, pietatis studiis in Orthodoxos salutare quid prætendere, eventu extremo nescio quo, utinam non ruina aut tumultu perpetuo Rerumpublicarum.*

Sed naso careat oportet, qui non odoretur in hoc quoque falso testimonio concinnando genium & ingenium Monitoris & Sociorum ejus. Similia passim Monitis in-

sperſa

A sperſa invenies, ut mihi non probabile, ſed certum ſit, teſtimonium hoc, eſſe quaſi theſin quandam confectam ex ampliore calumniarum materia, quam Monita complectuntur.

Secundò, Quis credat Antiſtitem iſtum, qui doctrinæ & prudentiæ laude inſigniter floruit, hæc talia, tam gravia, imò tam immania & truculenta ſcripſiſſe aut ſcribere auſum fuiſſe ad Summum Pontificem contra Ordinem ab ipſis Pontificibus Romanis toties approbatum, ex quo Ordine aliquot centeni Romæ in Pontificis conſpectu ſemper verſabantur. Ego non dubito, Sixtum, qua erat juſtitia, & in juſtitia adminiſtranda inflexibili conſtantia, citaturum fuiſſe Epiſcopum, ut ſua dicta legitimè probaret, alioqui pro maledictis habitum iri.

B Tertiò, Teſtimonium hoc funditus evertitur ab aliquot diplomatis, quæ Antiſtes iſte in gratiam Societatis edidit, ubi non niſi honorificus de Societate ſermo. Ecce tibi Diploma, quo Societati tradidit Parochialem Eccleſiam S. Stephani in civitate Cracovienſi.

C PETRUS MYSKOWSKI *DEI gratiâ Epiſcopus Cracovienſis, cupiens PP. Societatis JESU favoribus proſequi gratioſis, ut ipſi eo commodiùs in vineâ Domini aſſiduò laborantes gratiſſimum Altiſſimo, cum animarum ſalute exhibeant famulatum; ſponte & non vi, dolo, aut aliqua ſiniſtra machinatione circumventus, ex ſua certa ſcientia, animóque deliberato, & poſt maturam ea de re cum Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Alberto Bologneto, DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopo Maſſanenſi, & in Regno Poloniæ Nuncio Apoſtolico habitam conſultationem, declaravit & declarat, animúmque, voluntatem, & intentionem ſuam teſtatam facit, qualiter ipſemet contentus eſt, conſentítque & vult, ut Parochialis S. Stephani civitatis Cracovienſis perpetuò & irrevocabiliter applicetur Reverendis PP. Societatis JEſu, eo modo & formâ, & ſub iisdem conditionibus, quibus applicata eſt eidem Societati alia Parochialis Eccleſia, quam præfati Patres ad præſens obtinent in civitate Vilnæ, &c. Præſente eodem Illuſtriſſimo Legato ſuprà dicto, & aliis teſtibus, inter quos ſunt Reverendus Dominus Stanislaus Gomolinski, & Martinus Skarsſevvski, Canonici Cracovienſes.* Hactenus Petrus Epiſcopus.

D Nunc audiamus invictiſſimi Stephani Regis de eodem negotio Sanctionem, quam eò libentiùs adſcribo, quia non tantùm declarat, quid ipſe de Societate ſenſerit, ſed & quis Petri Epiſcopi erga eandem ſenſus fuerit, manifeſtat. Ita ergo STEPHANUS *DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Princeps Tranſylvaniæ, &c. ſignificamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis; quod cùm ab eo tempore, quo ad hunc Regni noſtri thronum Divinâ providentiâ evecti ſumus: nihil nobis antiquius fuerit, quàm ut antiqua pietas, (quæ eſt omnium regnorum ſolidiſſimum firmamentum) in omnes Provincias noſtras reſtitueretur, atque in alias quoque propagaretur, neque verò quicquam fructuoſius experti ſumus, quàm ſi multos operarios nanciſci poſſemus ex Societate JESU, qui tanquam expediti velites, quoquoverſum ad lucrandas animas excurrerent, ac propterea varia Collegia, & ſeminaria ejuſdem Societatis in Regno noſtro inſtituì curemus: Nos intelligentes hæc cuncta tum bene poſſe ſubſiſtere, ac etiam augeri, ſi quis locus idoneus eidem Societati addiceretur, in quo ſuos Tyrones & Novitios, Societas ipſa commodè poſſit excolere; primò quidem dedimus operam, ut eadem Societas Cracoviæ pedem figeret. Sed cùm re ipſa cernamus, exiguum illud S. Barbaræ templum (jam licet eidem civitati utiliſſimum) unà cum domicilio, quod ei contiguum ſuis ſumptibus emit Societas, huic tantæ rei, quanta futura erit Novitiatus, & tanquam ſeminarium dictæ Societatis, in noſtro Regno, nulla ratione poſſe ſufficere: Nec verò etiamſi plures propinquæ domus adhuc emerentur, poſſe aliquid ad eam rem commodi ibi conſtitui: tum ob anguſtiam loci; tum ob maximam pecuniæ ſummam, quâ alioquin domus & officinæ proximæ, quæ ſunt foro civitatis pernecеſſariæ, eſſent emendæ: Præterquam quòd dictæ Societatis Novitiatuum domus, ex ejus inſtituto debeant & ſoleant ab aliis Societatis domibus & templis, ubi ſpiritualia ſua pietatis opera exercet, eſſe ſejuncta; propterea divinitus factum eſſe putavimus, quòd venerabilis Thomas Plaza Parochiæ S. Stephani in eadem civitate Cracoviæ Parochus, qui per aliquot annos dictæ Societatis JESU aliquos Patres in ſua Parochia domo retinens, uberrimum per eos fructum ſpiritualem ex ſuis ovibus percepit, nobis in arce noſtra Cracovienſi (biennium ferè agitur) ſe ſtiterit, humilitérque ſupplicaverit, eandem ut Eccleſiam S. Stephani, domúmque Parochialem eidem Societati vellemus addicere; ſic enim intelligere ſe dicebat, quandocunque eidem ſua Parochia cedendum eſſet, vel ex hac vita evocaretur ad DEUM, nulla ſecuriore ratione ovibus ſuis, quàm hac ipſa poſſe conſulere. Præterea videntes etiam, ſi ita ſanctæ Sedi Apoſtolicæ viſum fuiſſet, eique rei Reverendus Dominus Petrus Miſſkovvski, Epiſcopus Cracovienſis aſſenſiſſet, in magnum ejus diœceſis beneficium id ceſſurum, audientéſque eundem Reverendum Dominum Epiſcopum Cracovienſem, optimis ejuſmodi rationibus ductum, & Zelo ſalutis animarum ſuarum impulſum, non ſolùm aſſenſiſſe, verùm etiam publico inſtrumento, coram ipſo Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinali Bologneto, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ apud nos Legato, (qui rem valde probaverat) Bozecini per ſolennem & ratam formulam, quæ extat, id teſtatum feciſſe,* &c.

Idem Epiſcopus traditionem, qua tem- H

1006

A plum S. Barbaræ Domui Profeſſæ Cracovienſi traditum eſt, tali Diplomate ratam habuit.

B *In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos* PETRUS MYSKOVVSKI *DEI gratiâ Epiſcopus Cracovienſis. Univerſis & ſingulis, tam præſentibus quàm futuris, teſtatum facimus hiſce literis noſtris. Quòd tametſi Eccleſiarum noſtrarum, quæ in hac civitate Cracovienſi ſunt, is eſt præſens (DEI beneficio) ſtatus, ut, quæ ad cultum divinum, & officia Eccleſiaſtica pertinent, in iis idoneis Sacerdotibus, & operariis non egeant; tamen pro noſtro debito paſtorali officio, eundem cultum DEI, non ſolùm tueri & retinere, verùm etiam (quantum in nobis eſt) augere, & amplificare cupientes; habentésque perſpectum, quantum pietate ſuâ, doctrinâ, & vitæ ſanctimoniâ Societas JESU, omnibus aliis in locis, ubi commoratur, fructus & adjumenti ad Gloriam DEI & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam propagandam adferat, providendum nobis eſſe exiſtimavimus, ne etiam civitas Cracovienſis hujus Regni primaria, eo fructu & adjumento careat. Itáque inprimis de conſenſu & voluntate Sereniſſimi Principis & Domini, Domini* STEPHANI, *DEI gratiâ Regis Poloniæ, &c. Domini noſtri Clementiſſimi; tum etiam Dominorum Conſulum Cracovienſium, uti Patronorum, Eccleſiam Divæ Barbaræ in Cœmeterio B. Virginis Mariæ ſitam, ipſi Societati JESU, ut in ea ſecundùm inſtitutum ſuum, officia ſua ad DEI gloriam, & Chriſti fidelium utilitatem exerceat, conceſſimus, concedimúsque præſentibus litteris noſtris, jure & titulo perpetuo, accedente etiam Reverendorum & Venerabilium, fratrum noſtrorum Prælatorum, & Canonicorum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Cracovienſis conſenſu,* &c.

C Subjungitur paulò pòſt in eodem Diplomate. *Itáque eam ipſam Divæ Barbaræ Eccleſiam Societas JESU habebit, tenebit, perpetuísque temporibus poſſidebit, in eáque omnia munera inſtituti ſui liberè, & ſine ullo impedimento exercebit, ſub Sedis tamen Apoſtolicæ approbatione. Cracoviæ die 1. Februarii, Anno Domini 1583. Præſentibus Reverendis Dominis Chriſtophoro Podoski Gnesnenſi, Præpoſito Kielcenſi, Martino & Stanislao Skarſſeroskì, Andrea Ciecklinski Canonicis noſtris, aliisque multis familiaribus noſtris ad præmiſſa teſtibus,* &c. Hoc deinde diploma Gregorius XIII. ſuo diplomate approbavit. Eodem anno, quo ſuprà, Idibus Julii.

D Cracovienſi domui, in qua tirones informantur, donatum eſt templum SS. Apoſtolorum Matthæi & Matthiæ; hanc donationem hisce literis confirmavit, jam nominatus Epiſcopus.

PETRUS MYSKOWSKI *DEI gratiâ Epiſcopus Cracovienſis*, &c, *Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, præſentibus ſignifica-*

mus. Quia conſtitutus coram nobis, & Officio noſtro, Venerabilis Dominus Simon Bylnia Wolski Canonicus Sadecenſis, Altariſta Sacelli S. Matthiæ, & Matthæi Cracoviæ in Cœmeterio S. Stephani, ſponte & ex deliberato propoſito atteſtatus eſt & recognovit; Quòd propter ampliorem divinum cultum, & animarum ſalutem augendam, prædictum Sacellum, ſeu Templum S. Matthiæ & Matthæi in cœmeterio S. Stephani Cracoviæ, Patribus Societatis JESU, domum probationis, ad S. Stephanum habendam contradit, & juri ſuo in illud cedit, ut in eo tantò liberiùs prædicti Patres divina, & miniſteria ſuo inſtituto convenientia, ad DEI gloriam, & animarum ſalutem exerceant. Hac tamen conditione, ut translato Altari, ad vicinum Templum S. Stephani, ipſe Dominus Wolski, omnibus proventibus, & reditibus hujus altaris, fruatur, ſucceſſorésque ſui fruantur. Quam quidem ſuam ceſſionem & Altaris translationem petiit à nobis confirmari, & robur illi perpetuæ firmitatis apponi. E

F *Nos itaque conſiderantes rei hujus exitum, ad cultus divini propagationem ſpectare, & ut prædicti Patres Societatis JESU, uberiorem in vinea Domini fructum, quod & alibi fieri ab eis cognovimus, afferant; ceſſionem hanc & piam voluntatem prædicti Domini Wolski, noſtrâ ordinariâ poteſtate, in DEI nomine confirmamus & approbamus; ſacellúmque ſeu templum S. Matthiæ & Matthæi in cœmeterio S. Stephani Cracoviæ intra muros, ipſis Patribus Societatis JESU attribuimus & damus perpetuis temporibus, ut eo liberè tanquam proprio utantur, ad divina, & ſui inſtituti miniſteria. Ne verò Fundatoris prædicti Sacelli pia voluntas defraudetur, Altariam ipſam S. Matthiæ & Matthæi cum omnibus oneribus & officiis divini cultus, ad vicinum templum Parochiale S. Stephani ad Altare ſanctiſſimi Sacramenti transferimus, ut in eo præſens Sacellanus ſeu Rector, S. Matthiæ & Matthæi, debitum, & ex fundatione aſſignatum Dei cultum, & ſacrificia adminiſtret & obeat, fructúsque, & reditus omnes, eidem altari ex fundatione, & quocunque jure debitos percipiat, & ſucceſſores percipiant. Præſentibus Reverendis, Generoſis, Nobilibus Martino & Stanislao Skarſſeroskì, Chriſtophoro Kraſinski, Andrea Cieklinskì, Canonicis Cracovienſibus, Sigismundo & Petro Myskovvskì, Alberto Strzemeskì, Sebaſtiano Zaczkì, & aliis. Actum & datum Cracoviæ. Die XIV. Junii, Anno Domini 1585.* G

Petrus Myskovvski Epiſcopus Cracovienſis.

H Idem Illuſtriſſimus Præſul honorificum Societati teſtimonium dedit Anno 1586. cùm Hæretici ſparſiſſent, Edito famoſo libello, tres ex noſtris extremo ſupplicio Cracoviæ affectos fuiſſe. Teſtimonium hoc publico diplomate conſignatum invenies

nies apud Serarium noſtrum lib. 5. Hiſtoriæ Moguntinæ.

A Hactenus Diplomata Petri Epiſcopi Cracovienſis, ex quibus evaneſcit putidum criminatoris teſtimonium, quod flagitiosè Illuſtriſſimo huic Præſuli affingit, quem in iſtis publicis & authenticis inſtrumentis mentitum fuiſſe dicere oporteret, ſi teſtimonium hoc veritati conſonaret. Sed abſit, ut Reverendiſſimum Antiſtitem bilinguis linguæ arguamus, calumniatoris iſta eſt calumnia. Ex ejus pharetra emiſſa eſt. Itáque Diplomata reverenter ùt teſtimonia recipimus. Teſtimonium conviciatoris, tanquam mendacium, ex ſolo odio confictum, repudiamus, imò deteſtamur.

CAPUT XIV.

Quid teſtetur quartus ex Polonis excitus teſtis.

B NUnc in Ruſſiam migrat Monitor, & inde nobis mortuum quoque teſtem excitat. Is eſt Illuſtriſſimus Demetrius Solikovius ſeu Solikovvski à Solki, Archiepiſcopus Leopolienſis. Quid iſte in Jeſuitas? Non vulgaria certè, ſed valdè grandia. I. *Jeſuitas converſatione cum principibus eſſe malorum fabricatores.* II. *Cum viduis ſanguiſugas pecuniarum.* III. *Cum pueris in ſcholis deceptores.* IV. *Solidè artes non docere.* V. *Boni ingenii pueros ad ſe allicere.* VI. *Eoſdem poſtea jam viribus & ætate fractos ex Societate ſua expellere.* VII. *Obſtare, ne quid conditionis adquirant.* Audivimus ſummam
C & medullam Teſtimonii. Juret quis, Illuſtriſſimum hunc Præſulem legiſſe *Monita*, (licèt dudum ante Monitorum editionem ex hac vita exceſſerit) & inde hoc teſtimonium confeciſſe. Quia ſpiritus Monitorum & ſpiritus Teſtimonii ita inter ſe concinunt, ut nihil videatur ſimilius. In Monitis ubíque perſtrepunt technæ & artes Jeſuitarum cum Principibus. Ubíque viduæ ſe exſpoliatas ejulant. Ubíque adoleſcentes bonæ indolis ad Societatem pelliciuntur, & inde rurſus ejiciuntur. Ejecti ubíque impediuntur, ne emergant. Quid multa? Et Monitorum & Teſtimonii hujus eundem architectum eſſe oportuit; quia utrobique eſt idem ſtylus, idémque Spiritus. Et ſi Illuſtriſſimus Demetrius fuit Auctor Monitorum, credam fuiſſe etiam Auctorem hujus Teſtimonii. Si primum incredibile eſt, etiam alterum incredibile erit.

D Verùm ùt huc uſque ex propriis Epiſcoporum Diplomatibus, Teſtimoniorum vanitatem aperuimus & redarguimus, ita idem hîc quoque præſtandum erit. Priùs tamen audiamus, quid de hoc ſtramentitio Teſti-

monio in Epiſtola ad filios ſuos ſcripſerit Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus JOANNES Comes ab Oſtrorog, Palatinus Poſnanienſis, Regni Poloniæ Senator primarius.

Quod de noſtris Cardinalibus Radzivilo & E *Maciejovvio impreſſerunt; ea falſa eſſe, etiam mihi conſtat. Ut & ea, quæ Miſcovio Epiſcopo Cracovienſi affinguntur; maximè verò, quæ conſanguineo noſtro* Solicovio *viro ſanctiſſimo, Archiepiſcopo Leopolienſi, quocum Ego familiariſſimè, annos plurimos vixi, viro Societatis JESU amantiſſimo, qui primus eos Leopolim induxit, & ad mortem uſque fovit: & quo conſcio, Ego cum matre tua Nicolae fili, ad Collegii erectionem futuram, primùm omnium, Sortium Matris tuæ feminæ lectiſſimæ Catharinæ Mieleciæ, in villis Poduſilnæ & Baczovv fundationem feci. Sanguis mihi, & vita cum optimo illo Archiepiſcopo communis erat, quomodo celâſſet, cum conſanguineo dilecto, & amico confidentiſſimo, hanc ſuam de* F *Societate, quam iſti fingunt, ſententiam, vel tunc ſaltem, cùm illi aperirem, me illis ad futuri Collegii fundationem, aliquid conferre velle? quâ ſimulatione vir ſanctus, eos Leopolim ad Cathedram ſuam induceret, de quibus tam malè ſentiret? Abhorrete à mendaciis talibus Chariſſimi Filii; ſed & tales Pſeudopoliticos, qui talia, ùt & reliqua vitæ ſuæ vitia, non coram DEO, nec coram hominibus erubeſcunt, diligenter cavete. Habetis paulò antè, in hac ipſa Epiſtolâ deſcriptos, faciles cognitu ſunt, ex fructibus eorum cognoſcetis eos, noſcite illos, & cavetote, ùt non veſtri modò, ſed generis humani perniciem. Societatem JESU, ùt fideles DEI operarios, & ejus contra Eccleſiæ, ſæculi noſtri hoſtes, emiſſarios & propugnatores, colite & diligite.* Ita Illuſtriſſimus Palatinus.

Nunc ipſius Demetrii Diploma accipe, G quo Societati certas areas Leopoli attribuit.

In nomine Domini JESU CHRISTI, Amen. Nos JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI A SOLKI DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus Leopolienſis, unà cum Reverendis ac venerabilibus Fratribus Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ noſtræ, Metropolitanæ Leopolienſis, in Generali capitulo Leopoli, in domo capitulari celebrato, capitulariter congregati, tenore præſentium ſignificamus. Quia poſtquam divinâ providentiâ H *ad Regimen Eccleſiæ Metropolitanæ Leopolienſis, vocati fuiſſemus, ſemper nobis cordi fuit, ut eandem Eccleſiam noſtram in media turba hæreticorum & ſchiſmaticorum, aliorúmque infidelium conſtitutam, huc uſque tamen per DEI Gratiam in priſtino flore illibatam inconcuſsámque manentem, piis & eruditis cooperatoribus, quibus indigere videbatur, auctiorem, firmiorem, florentiorémque redderemus. Cui noſtro deſiderio atque conatui favit omnipotens*

A gratia. *Nam cùm publico legationis munere, apud Sedem Apostolicam fungeremur, inter cætera nobis præstita à S. D. N. Sixto V. Pontifice Max. beneficia, Reverendos Patres Societatis JESU operarios in vinea Domini, multis nominibus probatos, & commendatos, ad hanc partem Stationis ac solicitudinis nostræ apud eandem sanctam Sedem, & Admodum Reverendum hujus Societatis Præpositum Generalem Claudium Aquavivam impetravimus, tandémque in civitatem Leopoliensem, DEO auspice, introductos, in eâdem civitate collocandos esse existimavimus. Quorum ope & opera, ut hæc civitas, atque etiam diœcesis, in omnibus, quæ sunt illorum instituto consentanea, ministeriis, ad DEI gloriam, animarúmque salutem in posterum perpetuò uti, frui possit:*

B *Nos cum Venerabili Capitulo nostro, præmissâ matura cumprimis deliberatione, consilio, tractatu, accedente quoque communi omnium & singulorum sensu, consensu, & concordi sententiâ, cæterisque insuper Canonicis solemnitatibus, de jure & consuetudine servatis, ut melius & efficacius potuimus & debuimus, præfatis Societatis JESU Patribus, præsentibus & futuris adscripsimus, dedimus, donavimus, & tradidimus, prout hisce præsentibus nostris literis, purè, liberè, simpliciter donationem inter vivos perpetuò & irrevocabiliter adscribimus, damus, donamus, tradimus areas seu fundos ad Ecclesiam Metropolitanam Leopoliensem jure hæreditario pertinentes, in platea, qua itur ad arcem, inter Monasterium S. Francisci ex una, & fundum in acie plateæ, ex altera sitas; cum omnibus ædificiis, in altero quidem fundo à letissimâ & piâ matronâ Sophia Handlova Civi Leopolienſi, in usum Præfatorum Patrum Societatis ab ipsis fundamentis excitatis,* &c.

C Hujus sui Præsulis benevolentiam & munificentiam imitati sunt Consules, & Senatus Leopolienſis, in Diplomate donationis cujusdam areæ, ubi præter cætera hæc leguntur.

D *Consules civitatis Leopoliensis. Notum facimus tenore præsentium, universis & singulis, quorum interest. Quia videlicet nos invitati exemplo pietatis paternæ, Christiani Pastoris plenissimo, Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris Domini Domini Joannis Demetrii Solikovvski Archiepiscopi Leopoliensis,* &c. *primi in ea civitate Patrum Societatis JESU, cultus divini amplificandi gratiâ, fundatoris, non ita pridem verò, cohortatione per litteras S. R. Majestatis Domini nostri Clementissimi admoniti, accedente ad id consensu Honoratorum & Famatorum Advocati, & Scabinorum, atque quadraginta virorum, totam communitatem civitatis Leopoliensis repræsentantium, perpetuo & irrevocabili donationis titulo donavimus, præsentisque inscriptionis vigore donamus, ob pias causas aream, ad præsens ædificiis vacuam, retro domum Famati,* &c. E

Idem benevolus ejusdem Antistitis in Societatem affectus elucet quoque ex his litteris, quibus facultatem concedit, ut Societatis homines sua munia in Sacello Archiepiscopali, & in tota diœcesi liberè obeant. F

JOANNES DEMETRIUS SOLIKOWSKI, *DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ, Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ Leopoliensis Archiepiscopus. Notum testatúmque facimus, præsentibus litteris nostris, quorum interest, universis & singulis. Quia etsi jam inde ab initio, inductis in hanc civitatem Leopoliensem Reverendis Patribus Societatis JESU, eisdem in Ecclesiâ Metropolitanâ nostrâ, Sacelli nostri proprii Archiepiscopalis, Tituli sancti Stanislai, confessionum excipiendarum & Sacrosancti Missæ Sacrificii celebrandi causa, usum concessissemus: tamen majoris certitudinis causa, speciali etiam scripto & Privilegio nostro idem confirmandum putavimus. Præsertim cùm hoc idem Sacellum, jam dilatatum nostris sumptibus, & ad formam meliorem redactum sit. Damus igitur in DEI nomine Sacelli prædicti usum, Reverendis Patribus dictæ Societatis JEsu, ad ea, quæ sunt eorum instituti propria, ad Dei honorem & fidelium spiritualem fructum exercenda. Insuper etiam ad sepulturas eorundem, qui ex eorum Societate Leopoli ex hac vitâ migraverint, quandiu præfertim templo proprio caruerint. Et quoniam experientia compertum est, necessarium esse ad rerum Sacelli custodiam, idem certis temporibus clausum teneri, licèt id superiori nostro diplomate vetueramus: Concedimus tamen, & cratibus illud ferreis muniri, & clausum custodiri, ita tamen, ut nobis ad illud aditus pateat, quotiescunque usus aliquis tulerit. Et subselliis quidem illud arctari, præsertim mulieribus, antea vetueramus, concedimus tamen in eo fieri scabella aliqua minora, transportatu facilia, quæ audituris sacra, & conciones sacras subserviant. Confessionalia etiam duo in usum Patrum Societatis in eodem Sacello, poni permittimus ad excipiendas confessiones peccatorum, extra Sacellum autem, quotquot commodè in templo poni poterunt.* G

H *Et quoniam initio introductis in hanc civitatem Reverendis Patribus Societatis JEsu illud quoque à nobis permissum, & postmodum in Synodo nostrâ diœcesanâ Anno Domini 1593. celebratâ, confirmatum & approbatum fuit, ut liceret Sacerdotibus prædictæ Societatis concionari, in omnibus Ecclesiis ipsius civitatis intra & extra muros sitis; quin etiam in*

A *totâ noſtrâ diœceſi, præſertim cum conſenſu Parochorum, aut ordinariorum concionatorum; eam quoque facultatem, hoc præſente noſtro diplomate confirmamus. Nominatim verò, ut in Eccleſiâ noſtrâ Metropolitanâ, manè quidem Dominicis diebus, & feſtis, nec non feriis, Quadrageſimæ & Adventus Domini, quibus conciones ad populum haberi conſueverunt, cum ordinario concionatore prædictæ Eccleſiæ, vel alterius, vel prout inter ipſos conventum fuerit, aliquis è Patribus Societatis concionetur. Veſpertinæ verò conciones Dominicorum dierum, & quorundam feſtorum, ita ùt cœptum eſt, de doctrinâ Chriſtianâ, vel aliâ competenti materiâ, ab iisdem Patribus Societatis Jeſu teneantur. In cujus rei fidem, & teſtimonium, præſentes literas manu noſtrâ ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro communiri fecimus. Datum Leopoli, feria ſecunda poſt Dominicam Conductus Paſchæ, proxima. Anno 1597.*

B Idem Illuſtriſſimus Epiſcopus hæc adjunxit Teſtamento ſuo, quod poſtea Anno Chriſti MDCIII. Cracoviæ vulgatum fuit typis Jacobi Sibeneicheri. *Societas nominis JEſu ſancta, ora pro me, & da veniam zelo meo, cui facultas defuit.* Hoc dicit, quia Collegium Leopolienſe annuis proventibus inſtruere & fundare non poterat, ob tenues Archiepiſcopatus reditus. Quare Domum Profeſſam non Collegium volebat. Verùm aliis ſatius videbatur Leopoli Collegium conſtitui, prout etiam conſtitutum eſt.

C Appendiculam ad teſtamentum carmine adſtrinxit vir doctus R. D. *Matthias Siſinius*, S. Th. D. Canonicus Uladislavienſis & Sadecenſis, in inclyta Cracovienſi Academia Artium Magiſter & Philoſophiæ Doctor, edidítque Cracoviæ anno ſuprà nominato,

Nominis JEſu Sacer ordo, zelo
Da meo, quæſo, veniam, probare
Quem quòd haud unquam parili valebam
Re, dolet & nunc.

D Hæc cùm ita ſe habeant, diffluat neceſſe eſt, quidquid iſte mendaciorum architectus de hoc Archipræſule non ingeniosè, ſed ſtolidiſſimè commentus eſt. *Sicut fluit cera à facie ignis*, ita à facie veritatis tàm manifeſtæ evaneſcit, quidquid impoſtor delirè finxit. Scilicet is, qui in Teſtamento ſuo, quod eſt ultima voluntas hominis, implorat preces Societatis, eámque *Sanctam* nominat, ea de Societate dixit & ſcripſit, quæ ex calumnioſo ſuo pectore figulus iſte in chartas retulit.

CAPUT XV.

Refelluntur tria alia teſtimonia, ſed anonyma & amartyra.

E ADdit conviciator tria alia teſtimonia; ſeu, ut verè & rectè loquar, mendacia. Nec tamen auctorem addit, ídque ne quis de Auctore dubitaret. Quàm certum enim eſt, à quo antecedentia prodierint, tam certum quoque eſt, à quo tria hæc poſteriora profluxerint, nempe à ter miſero & vaniſſimo Apoſtata; qui cùm odium in Ordinem, quem deſeruit, aliter ſatiare non poſſet, ad maledicta confugit, ut ſi qua fata ſinerent, aliquos ſaltem ad malefacta excitaret.

F *Mentiuntur Jeſuitæ*, inquit virulentus infectator, cùm *dicunt ſe obedientiam præſtare Summis Pontificibus.* Qua de cauſa mendacii nos poſtulas? *Quia Julius IV. & Pius V. Pontifices mandârunt, ut omnes Sacerdotes Societatis Ignatianæ fierent trium votorum Profeſſi, qui non poſſent eſſe quatuor votorum.* Et quisnam eſt iſte Julius Quartus Pontifex, necdum natus, necdum electus, necdum conſecratus & coronatus? Si forſan errore abreptus Julium Tertium nominare volebas; cedò, ubinam Julii Tertii Bulla, qua hoc decrevit? At tu Bullam hanc nuſpiam, niſi in tuo malè dolato capite, invenies: nam G Julius Tertius ampliſſima conſtitutione Societatis Inſtitutum approbavit, quæ extat apud Ribadeneiram in Hiſtoria vitæ B. P. Ignatii. Mos autem hujus Inſtituti is ſemper fuit, ut exacto probationis tempore, etiam cum ſimplicibus votis Sacerdotio initiarentur. Pius Quintus voluit quidem, ut qui in poſterum ad Sacerdotium proveherentur, priùs profeſſionem emitterent, ſed ab hoc decreto juſtas ob cauſas liberavit Societatem Gregorius XIII. & omnia ad primam originem reduxit, cujus liberationem ratam habuêre, quotquot Pontifices ad hunc uſque diem Gregorium ſecuti ſunt. Cum quibus tu, ſi placet, tumido ore delitiga, non nobiſcum, qui conceſſione iſta Apoſtolica grato animo fruimur.

H Ais, *Scire te librum edendum in lucem, in quo fraudulentum Jeſuitarum Inſtitutum depingatur.* Unde hoc, obſecro, nôſti? An ſimilis es incendiario, qui dicit, ſcire ſe, hanc domum hodie arſuram, cui ipſemet flammas ſubjecturus eſt? An ſcis talem librum editum iri, quia tu librum hunc ſcripſiſti? vel, ut ſcriberetur, amiculis tuis materiam ſuppeditâſti? Non terres nos hac denuncia-tione. Prodi, quandocunque Magiſter tuus Diabolus volet. Erit, qui fraudulentiſſimas veſtras technas disjiciat, & maledicta clypeo veritatis, in capita Auctorum retorqueat.

A Mendacium eſt, *Penes Generalem noſtrum eſſe totam poteſtatem ſtatuendi & irritandi, quidquid vult in Societate, omnibus fruſtrà reclamantibus.* Ergóne etiam conſtitutiones & decreta Congregationum generalium irrita reddere poterit? Id velle videtur impoſtor, quia habet poteſtatem *irritandi, quidquid vult;* quidquid alii omnes opponant aut objiciant. Sed quàm hoc longè avium à vero abeat, neminem fugit, qui res noſtras propiùs novit, nec fugeret iſtum, niſi ratio eum fugiſſet; nam Congregatio generalis ſupra Generalem eſt, neque ea invita & reclamante, quidquam ſtatuere poteſt, & quidquid extra illam ſtatuit aut ordinat, id conſtitutionibus noſtris non diſſentaneum, ſed conſentaneum eſſe debet. Nec quidquam ſtatuit Generalis, niſi re diligenter conſiderata, & cum illis quoque, quos in munere ſuo adminiſtrando adjutores habet, collata.

B Falſum eſt, Claudium Aquavivam primum fuiſſe, *qui hanc abſolutam poteſtatem ſibi vendicaverit.* Abſit, ut ſibi vendicaverit illam poteſtatem, quam tu comminiſceris, decernendi & abrogandi quælibet arbitratu ſuo. Nunquam viſa, nunquam audita, nunquam uſurpata eſt hæc poteſtas in Societate noſtra; nec mirum, quia nuper primùm ex inſano tuo cerebro extitit. R. P. Aquaviva nec minore nec majore poteſtate uſus eſt, quàm, qui anteceſſerunt Generales, & quàm Conſtitutiones noſtræ concedant.

C Falſum eſt, tempore Ignatii Provinciales in Hiſpania plus poteſtatis habuiſſe, quàm modò habeant; aut ſi habuerunt, Ignatii, tanquam ſupremi capitis conceſſu, habuerunt; quia Ordo noſter ab incunabulis ſuis ad Monarchiæ ſpeciem conformatus fuit: In Monarchia autem omnes ab uno capite pendent, moventur, reguntur. Et quidquid jurisdictionis vel poteſtatis habent, id ab illo uno capite habent: In cujus manu eſt omnia moderari, reſtringere, laxare, prout ad Dei gloriam, animarúmque ſalutem magis expedire videbitur. Rem ita ſe habere quilibet intelligere poterit ex Hiſtoriæ Societatis Tomo primo, in quo primordia Societatis & *Generalatus* Ignatii deſcribuntur.

D Cætera, quæ addis, nihil aliud ſunt, quàm impolitæ calumniæ, ùt, *noſtro judicio & ſermone, Sixtum V. citò eſſe mortuum*, quòd nos *flavos cucullos* geſtare juſſiſſet. (Cur potiùs *flavos*, quàm nigros, albos, cæruleos? ſed tibi bono cucullorum Sartori arriſit color flavus; quia vulgò Judæ & Judæorum cenſetur iſte color. Ut ergo Judaico maledicto, Judæ inſtar, Jeſuitas ferires, flavi coloris cucullos texuiſti.) *Clementem VIII. ea hora mortuum, qua volebat approbare ſententiam Dominicanorum de gratia.* (Erat ſine dubio hora diei undecima, quam definitioni præſtituerat; Sed ecce mors interceſſit. O amara mors, quæ tot benè cœptis peſſulum obdis.) *Nepotem ejus Petrum multis morbis tabeſcere, & Paulo V. ideo mortuum nepotem, quòd non ſtatim ad primam petitionem, canonizâſſet Ignatium.* Videor audire aniculam ſua ſomnia ſuaviter denarrantem. Nec ſcio, ubi iſte fabellulas iſtas collegerit, niſi fortè in cauponis & popinis Italicis, in itu & reditu Romano, quando Monita & Teſtimonia concepit, parturiit, & tandem peperit. Surdus non ſum, at nihil horum auditione unquam accepi, neminem vidi, qui acceperit. Et tamen ſi quid hujus generis vel famâ vel privatis ſermonibus diffuſum & circumlatum eſſet, id me, vel alios hujus Provinciæ, non præteriiſſet. Sed ùt alibi ſæpius, ita & hîc, id noſtris affingit, quod ipſe ſtolidè finxit.

E

F

G Quid enim ſtolidius illo, quod de hora obitus Clementis VIII. & de prima petitione ad Paulum V. commentus eſt? Quis primo etiam intuitu figmenti vanitatem non videt & irridet? Scilicet Clemens VIII. horam illam præfixam antevertere non poterat, ſi definiendæ controverſiæ ſententia animo ſediſſet. Scilicet negotium tanti momenti, quanti eſt alicujus in Divorum numerum relatio ſeu adſcriptio, prima ſtatim petitione impetrari & confici ſolet: Et ni impetretur & conficiatur, letum illætabile nepotum capitibus inſtat. Malo fingendi magiſtro uſus es, à quo Minerval, ſi quod pendiſti, jure tuo repetere potes, niſi te cum tempore meliùs edolare, & exaſciare cogitet.

CAPUT XVI.

De proſa Monitis & Teſtimoniis ſubnexa.

H PRoſa hæc rhythmis inconditis conſtat. Materia prorſus eadem eſt, quæ Monitorum & Teſtimoniorum. Repetuntur ad nauſeam, quæ jam ſæpiùs ab iſto inculcata, & à nobis proculcata ſunt. Hîc iterum *viduæ, Regum Confeſſarii, Concionatores; imò & Rectores; Parochiarum & Juris-patronatus occupationes, Pauli V. cum Venetis controverſia*, & id genus alia perſonant. Inconcinnum autem & planè ἄῤῥυθμον mendacium eſt, quod hoc diſticho incluſit. *Ad confeſſiones ſi eos vocant incarcerati, dicunt, condonate filioli, ſumus occupati:* nam carceres, xenodochia, orphanotrophia, & ſimilia loca obire tam Societati ſolenne eſt, ut cum illa natum ſit, creverit, & adoleverit,

A verit, neque unquam intermittatur, ubicunque ad carceres, & ſimilia miſerorum domicilia aditus patet. Nec arbitror, ullum Superiorem reperiri, qui, ſi incarcerato ſubſidium confeſſarii & conſolatoris denegaret, non crederet, ſe grave peccatum committere. Adeò miſeratio erga miſeros iſtos Societati in ipſis ſtatim incunabulis inſita eſt.

B *Plus boni*, inquit, *fecerunt faciúntque in Eccleſia Dominicani & Franciſcani, non tamen ideò ſunt jactabundi & vani.* Plus boni præſtent religioſi illi Patres, quàm nos; non invidemus, potiùs gratulamur. Aliquid tamen opellæ conferri ab his novis operariis ad vineam Domini excolendam teſtantur cùm alia, tum inexſaturabile hæreticorum & Pſeudocatholicorum in hunc Ordinem odium. Nec ſcio, in quo jactantiam & vanitatem conſtituat. Nam ſi Annales Ordinum & hiſtorias, virorúmque clarorum catalogos, & hominum ſanctitate præſtantium vitas literis mandatas, & Relationes de rebus præclarè in novo orbe geſtis intueamur, ea omnia apud Dominicanos & Franciſcanos inveniemus, nec ab uno, ſed à pluribus Auctoribus: nec una lingua, ſed pluribus. Quapropter ſi ipſi res ſuas abſque ulla thraſoniſmi & vanitatis ſuſpicione literis tradere, & ad poſteritatis notitiam tranſmittere poſſunt, cur id non poſſent Jeſuitæ? An his ſolis vetabitur, quod omnibus aliis liberum eſt? At *Jeſuitæ res ſuas parvas amplificant.* Tui ſcilicet malè feriati cerebri judicio, cui omnis narratio de rebus noſtris, auxeſis eſt; quia malles nullam, quàm aliquam, nihil, quàm aliquid. Si interfuiſſes, quando 4. Regum cap. 8. juſſu Regis, narravit Giezi, *Omnia magnalia, quæ Heliſæus fecit*, tu ſine interminſſione obſtrepuiſſes: *Amplificatio eſt, ne credas Rex. Auxeſis eſt ſupra omnem veri fidem*, cave, adhibeas fidem: quia detractor es; detractoris autem eſt detrahere, hoc eſt, etiam grandia vel ad nihilum vel ad mioſim aliquam redigere velle. C

Verùm hîc ſecundi libri finis eſto. D

FINIS LIBRI SECUNDI.

APO-

APOLOGETICI
CONTRA
LARVATUM
MONITOREM
LIBER TERTIUS,
IN
QUO DEMONSTRATUR, QUID SUMMI VIRI DE ISTIS MONITIS, EORUMQUE ARCHITECTO SENTIANT.

CAPUT I.

Illustrissimorum Cardinalium Congregationis Indicis contra Monita Decretum.

SAnctus Augustinus in illud Psalmi 49. *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos*, seu, ùt ipse legit, *lingua tua amplexa est dolositatem*: ita scribit: *Malevolentiam & dolositatem quorundam hominum dicit, qui per adulationem, quamvis sciant mala esse, quæ audiunt, ne offendant eos, à quibus audiant, non solùm non reprehendendo, sed tacendo consentiunt. Parùm est, quia non dicunt: malè feciſti; sed dicunt, & bene feciſti; & nôrunt malum esse; sed abundat os eorum malitia, & lingua eorum amplexatur dolositatem.* Non ita viri Illustrissimi, de quibus hoc libro nobis sermo erit. Qui Scoptica Monita & improbârunt & condemnârunt, & ùt pessimi ac pernicioſi exempli specimen, ab omnibus fugienda judicârunt, inter quos jure suo primas tenent Illustrissimi Cardinales, qui Indici librorum vetitorum & vetandorum præsunt: quorum hoc est decretum.

Die 10. Maij Anno 1616. in sacra Indicis Illustrissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium generali Congregatione, habita in Palatio Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Bellarmini, facta relatione cujusdam libri, cui titulus: Monita privata Societatis JEsu, Notobirgæ Anno 1612. *sine nomine authoris, Illustrissimi D. D. Cardinales decreverunt, præfatum Librum, utpote falsò Societati JEsu adscriptum, calumnioſum, & diffamationibus plenum, omnino esse prohibendum, prout de facto illum prohibuerunt, & mandârunt, ne cuiquam in posterum licitum esset eum legere, vendere, vel apud se detinere. Cujus rei hanc fidem feci, & propria manu subscripsi, hac die 28. Decembris 1616.*

Ego Fr. Franciscus Magdalenus Capiferreus, Ord. Prædic. dictæ sacræ Congreg. Secret. manu propria.

ROMÆ

Ex Typographia Cameræ Apostolicæ, M. DC. XVII.

Superiorum permissu.

Vides Monitor, quis Romæ de tuis Monitis sensus; & quæ omnibus data Monita: Vis plura, sed patria? En tibi commissionem Illustrissimi Præsulis Cracovienſis, qua jubet, ut ex latibulo tuo in apertum extraharis, & quo colore sis, omnibus palàm ostendas.

CAPUT II.

Quid de Monitis istis senserit Illustrissimus Cracovienſis Antistes Petrus Tylicki, & qua cura Auctorem indagaverit.

PEtrus Tylicki *DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Cracovienſis, Dux Severienſis, &c. Admodum Reverendis Dominis Joanni Foxio Ecclesiæ nostræ Cathedralis, Sebastiano Nucerino Scarbimirienſi, & Sadecenſi Canonicis, ac Sebastiano Krupka I. V. D. Præposito Wielicienſi, Universalis Studii Cracovienſis Rectori, Fratribus in Christo charissimis, salutem in Domino. Insigni Ordinis sacri labe, sparsus est libellus famoſus contra Augustum Societatis JEsu Ordinem, Monitorum nomine insignitus. De Authore quidem illius certo*

A *certo non constat ; famâ tamen fertur , & ex præsumptionibus conjicitur , illum esse editum à venerabili Hieronymo Zaorovvski Parocho in Gozdziec. Ne tantum facinus , quo Ordo innocens impiè traducitur , impunitum maneat , vindictámque divinam provocet , Reverendis D. D. vestris damus negotium super hujusmodi sacrilegi scripti authore , judiciariam inquisitionem , ad instantiam instigatoris nostri faciant ; inprimis verò contra prædictum Hieronymum Zaorovvski , judicialiter , instigatore instante , procedant , & quidquid juris & justitiæ fuerit ,*

B *statuant. Ad ea verò omnia , quæ hujusmodi inquisitionem , & pœnam authoris , si deprehensus fuerit , attinent , plenam potestatem Reverendis D. D. vestris damus , ut , quidquid Juris fuerit , faciant , juramenta , quæ necessaria fuerint , recipiant : Testes examinent , eósque ad perhibendum testimonium , censurâ Ecclesiasticâ excommunicationis , aliisque juris remediis adigant ; omniáque & singula faciant , quæ nos ipsi faceremus , aut possemus & deberemus facere , si ipsimet causam hanc examinaremus. In quorum fidem præsentes manu nostrâ subscriptas , sigillo nostro muniri jussimus. Datum Cracoviæ die 11. Julii , Anno 1615.*

Petrus Episcopus Cracovienſis.

* Procuratoris. INSTITUTIO * INSTIGATORIS.

C PEtrus Tylicki *DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Cracovienſis , Dux Severienſis , &c. Notum facimus , quòd , cùm nuper Reverendis Dominis Joanni Foxio Ecclesiæ nostræ Cathedralis Cracovienſis , Archidiacono , & Sebastiano Nucerino Canonico Scarbimirienſi , &c. ac Sebastiano Krupka I. V. D. Præposito Vielicienſi , Universitatis studii Cracovienſis Rectori , judicium per viam Inquisitionis , ad instantiam Instigatoris nostri faciendum commisissemus , de & super autore libelli cujusdam famosi impiè contra Ordinem Societatis JEsu sparsi , ut idem judicium celeriùs & efficaciùs procedat & finiatur , partes Instigatoris ad illud promovendum damus & demandamus Nobili Alberto Bolkovvski , eúmque Instigatorem deputamus , eidem mandantes , ut officium hoc sibi commissum , diligenter & pro conscientia faciat. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas , sigillo nostro signari fecimus. Datum Vaurincuiis , die 7. Octob. 1615.*

Petrus Episcopus Cracovienſis.

D Dedit idem Episcopus Procuratori suo instructionem seu commonitorium in certa capita distinctum , cujus hoc est initium. *Cùm nostri muneris sit , libellos famosos omnes , sed maximè eos , qui contra Personas Religiosas , malignitate aliquorum sparguntur , quantum in nobis est cohibere , & Autores illorum debitis pœnis & censuris coërcere , & punire. Autorem famosi libelli , cujus Titulus :* Monita privata Societatis JESU ; *qui in hac nostra Diœcesi , variis utriusque status hominibus , obtrusus fuit ; investigare statuimus. Ad inquisitionem hanc faciendam , Commissarios nostros constituimus universales FF. nostros Joannem Foxium Archidiaconum Ecclesiæ nostræ Cathedralis , Sebastianum Krupka Universitatis Rectorem , Sebastianum Nucerinum ejusdem nostræ Cathedralis Ecclesiæ Concionatorem ordinarium. Ad quorum præsentiam & Tribunal (postquam fecerit ea , quæ ad fundandam Jurisdictionem spectant , & reliqua , quæ Juris sunt) citari curabit , idem Instigator noster , ad indagandum Authorem prædicti Libelli , personas , quarum Catalogum postea mittemus , & eas (præmisso priùs Juramento de veritate dicenda) ab iisdem Commissariis nostris examinari postulabit. Circa hæc puncta :*

E

I. An viderint vel legerint , vel habuerint libellum : Monita privata Societatis JESU intitulatum , sive manuscriptum , sive impressum ?

F II. A quo illum habuerint ?

III. An sciant , quis illius libelli Author fuerit ? vel aliquid circa hoc , ab ullo hominum intellexerint ?

IV. An sciant , quis hunc libellum Cracoviæ disseminaverit.

V. An audiêrint qualicunque loco vel tempore , V. Hieronymum Zahorovvski , approbantem talem libellum famosum , & asserentem , contenta in eo vera esse , vel aliquid simile , ex quo illum esse Authorem , vel saltem complicem scriptionis hujus libelli , colligi possit.

Sequebantur puncta alia ipsi suspectæ personæ proponenda , quæ brevitatis causa omitto.

CAPUT III.

Judicium Illustrissimi Nuncii Apostolici de his Monitis.

G HAnc Petri Episcopi sollicitudinem famosis libellis obviam eundi , cùm intellexisset Illustrissimus Nuncius Apostolicus ad Serenissimum Poloniæ Regem , voluit & ipse operam suam conferre. Ne igitur aliqui prætextu exemptionis à potestate Ordinarii , se subducerent ab examine , & à testimonio ferendo , voluit , ut Episcopales Commissarii , sui quoque Apostolica auctoritate fungentis in hoc negotio Commissarii essent , occlusa illa per exemptionem rimula elabendi ; constituto quoque eodem Procuratore , quem Illustrissimus Episcopus constituerat. Epistola Reverendissimi Nuncii est ista.

H

FRANCISCUS DIOTALLENIUS , *DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus S. Angeli , & Bisacciarum , Sanctissimi N. D.* PAULI , *divinâ Providentiâ Papæ V. Præ-*

A *latus domesticus, ac in sanctitatis suæ Capella Assistens, nec non SS. D. N. ipsiúsque S. Sedis Apostolicæ, ad Serenissimum* SIGISMUNDUM III. *Poloniæ & Sueciæ Regem, ipsúmque Poloniæ Regnum, ac magnum Litvvaniæ Ducatum, &c. cum facultatibus Legati de latere Nuncius. Admodùm RR. DD. Joanni Foxio J. V. D. Archidiacono Cracovienſi, Sebastiano Krupka J. V. D. Præposito Wielicienſi, & Universitatis studii Cracoviæ Rectori Generali, & Sebastiano Nucerino S. Th. D. Canonico Scarbimirienſi & Sadecenſi, Concionatori ordinario Cathedralis Ecclesiæ Cracoviæ, salutem in Domino sempiternam.*

B *Cùm insigni Labe totius Ecclesiastici Ordinis, impio & sacrilego conatu sit sparsus libellus famosus contra Societatem JEsu (Monita privata ejusdem Societatis falsò inscriptus) Et Illustrissimus Petrus Tylicki Episcopus Cracovienſis, judicium, sicut accepimus, per viam Inquisitionis, de ejus authore & disseminatoribus & complicibus vobis demandaverit: ; Nos & pro singulari nostro affectu erga eundem Religiosum Ordinem, de Catholica Republica optimè meritum, & ut bonæ famæ (quæ plurimum ad propagandum Divinæ Majestatis cultum ubique valet) status Ecclesiastici Universi prospicianus, opem nostram adjungendam duximus, ut quicunque hujusmodi crimine infecti fuerint, faciliùs detegantur. Ideò Authoritate Apostolica, quâ in hoc regno fungimur, vos suprà nominatos, Admodum RR. DD. Joannem Foxium, I. V. D. Archidiaconum Cracovienſem, Sebastianum Krupium I. V. D. Præpositum Wielicienſem, &*

C *Universitatis studii Cracoviæ Rectorem Generalem, & Sebastianum Nucerinum S. Th. D. Canonicum Scarbimirienſem & Sadecenſem, Concionatorem ordinarium Cathedralis Ecclesiæ Cracoviæ, Commissarios nostros constituimus, potestatem dantes, ut quoscunque testes ad testimonium veritati dandum citatos, qui forum excipere, vel se exemptos esse à potestate ordinaria asserent; & Authoritate nostra, ad id testimonium dandum citari curetis, & recusantes debitis Juris censuris compellatis, & si aliquos ex Exemptis culpabiles reperietis, per examen, ùt præfertur, faciendum, illud ad nos quàm primùm transmittatis, ut eam sententiam, quam sacrosanctæ Justitiæ leges præscripserint, re tota diligenter perspectâ ferre possi-*

D *mus. Interim vobis Commissariis nostris facultatem concedimus, nostra Authoritate deputandi, quatenus opus fuerit, pro examinandis exemptis, Instigatorem, Nobilem Albertum Bolkovvskì, ab Illustrissimo Cracovienſi, sicut accepimus, deputatum, vel alium vestro arbitrio. Datæ Warsaviæ in Palatio nostræ solitæ Residentiæ, die 14. Novembris, Anno Domini 1615. Pontificatus S. D. N. Pauli divinâ providentiâ Papæ V. Anno ejus undecimo.*

Franciscus Diotallenius Episcopus S. Angeli & Bisaviarum, Nuncius Apostolicus.

Habes Monitor Illustrissimi Antistitis Cra- E
covienſis, & Illustrissimi Nuncii Apostolici de tuis Monitis judicium. Quid igitur judicant? Esse libellum famosum, pestilentem, pernicioſum. Sed satis est vocâsse *libellum famosum*; nam qui libellum famosum nominat, hic chartam dignam flammis nominat, ejúsque auctorem & disseminatores, ex legum civilium præscripto capitalis supplicii reos pronunciat. F

Sed quis iste Petrus Tylicki, qui de tuis Monitis tale judicium tulit? Totius Poloniæ testimonio, fuit vir eruditione ac pietate eximia, judicio maximo, prudentiæ laude inter primos conspicuus, Senator Regni graviſſimus, Sereniſſimis Poloniæ Regibus Stephano & Sigiſmundo III. chariſſimus & acceptiſſimus; ab iisdem Regibus creatus primò Magnus Regni *Secretarius*; Deinde Magnus Regni *Referendarius*, Mox Regni *Vicecancellarius*. Quatuor Episcopatibus præfuit, primùm Culmenſi, succeſſu temporis, Warmienſi. Postea Wladislavienſi; tandem Cracovienſi, ita semper virtus summi viri ad celsiora evehebatur. Cathedram Cracovienſem decennio tenuit. Anno Domini M. DC. XVI. die XIII. Julii, ætatis suæ Anno LXXIII. hinc ad meliorem & quietiorem vitam abiit. Expirans in manibus R.P. *Friderici Schembeck*, Societatis nostræ Sacerdotis & Domus Profeſſæ Cracovienſis ad S. Barbaram Præpositi; Legatis & donatis ad pias causas pluſquam sexaginta millibus florenorum. Et ut audiat Monitor, quod audire gratum erit, nec Societatem nostram suæ munificentiæ expertem esse voluit, utpote cui tria millia aureorum donavit.

Eandem Societatem introduxit Torunium, G
quæ est nobilis urbs in Prussia, sed hæresi miserabiliter defædata; introduxit, inquam, licèt Hæretici nullum non lapidem movelent, quò Episcopi cogitata impedirent. Sed constans Præsulis animus omnes difficultates feliciter perrupit. Societatis operæ variis in locis, ùt se occasio dabat, plurimùm usus est; suprema hora adventante; culpas ab ineunte ætate repetitas, magno doloris sensu, confeſſus est confeſſario P. *Casparo Savvicki*, Societatis nostræ Sacerdoti; quem, quamdiu letalis morbus duravit, nostri nec interdiu nec noctu deseruerunt; non sine mutua consolatione; quam & ægrotus ex colloquiis piis capiebat; Et qua pariter circumstantes perfundebantur, cùm viderent, quàm sollicitè tantus Antistes ad supremum tribunal adeundum, se se præpararet; & quàm imperterrito animo mortis spiculum exspectaret, tandémque exciperet.

Sarcophago stanneo, cui corpus inclu- H
sum, Epitaphia laudatio adscripta est, continens fermè ea Præsulis encomia, quæ jam recensuimus, quem meritis quoque laudibus extollit R. P. Martinus Smiglecius in præfa-

A præfatione libri, cujus titulus est; *Nova Monstra; novi Arianismi.* Præter cætera ita scribit. *Tua sanè, Illustrissime Antistes, in Ecclesia Dei gubernanda, & pestibus istis reprimendis vigilantia causa est; ut nihil majus tibi ducas, quàm ne qua boni pastoris pars in te desideretur: nihil magis doleas, quàm cùm oves tibi concreditas (quarum salus tibi vitâ ipsâ carior est) hæresum erroribus obligatas vides à Cacodæmone in certum exitium agi. Præcipuè verò zelus tuus elucet in Ariana perfidia, qua Rakovium tuum infame est, detestanda: ita ut ad ejus vel levissimam mentionem te audiente factam, exhorrescas, gravissimorum illorum in Nicæna Synodo congregatorum Patrum exemplum sequutus, qui ad similes Arii blasphemias, cùm in Concilio legerentur, aures suas obturaverunt, Athanasio teste, ne tanta fœditate tam sanctæ aures polluerentur. Quocirca in id unum incumbis, ut tum verbo veritatis, tum salutaribus monitis, tum doctorum virorum submissis præsidiis, miseri & à maligno spiritu dementati homines, lucem veritatis aspiciant, & Catholicæ fidei jugo colla submittant.*

B Hæc de tanto viro commemorare libuit, ut Monitor intelligat, quanti judicium ejus de Monitis facere debeat.

CAPUT IV.

Monita hæc proscribuntur ab Illustrissimo Episcopatus Cracoviensis Administratore.

C SEquitur Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Andreas Lipski Episcopatus Cracoviensis post obitum Illustrissimi Petri Tylicki administrator, qui *Monita* publico diplomate, tanquam famosum libellum, & ùt vocant *Pasquillum*, condemnavit, eámque damnationem ad valvas omnium Ecclesiarum urbis Cracoviensis affigi jussit. Legit sine dubio Monitor hoc Diploma. Utinam non tantùm legisset, sed & legendo erubuisset ad salutem. Verùm ut extra Cracoviæ fines etiam legi possit, adscribam ejus apographum.

D *ANDREAS LIPSKI, Custos Gnesnensis, Cracoviensis, Plocensis Scholasticus, Secretarius, S. R. M. ac sede vacante Episcopatus Cracoviensis Administrator; Notum facimus, quorum interest, universis & singulis. Cùm iniquorum hominum impietas, & hostis maligni astutia, nunquam à divexandis hominibus DEO in veritate famulantibus cesset, eósque maximè impetat, qui quotidie magis ac magis eidem Divinæ Majestati placere, cultúmque ejusdem propagare pro viribus contendant; conatibus hujusmodi impiis hominum malignorum, ut nos pro Ecclesiæ DEI communi bono opponamus, ratio officii nostri à nobis exigit. Cùm igitur libellus quidam famosus, Monita privata Societatis Jesu falsò inscriptus, primò quidem manuscriptus, ex Hispanico (uti titulus ipsius præ sese fere*

E *bat) latinus factus: pòst impressus & typis evulgatus, ante duos circiter annos in civitate hac prodiisset, & quibusdam malè (uti præsumitur) eidem Societati affectis, & famam ejusdem religiosi Ordinis denigrare conantibus, variis personis obtrusus fuisset, ac si verus & genuinus Societatis ejusdem partus esset, próque tali à quibusdam citò credulis habitus; de tam fictitii scripti, seu libelli famosi authore, & complicibus ejus, piæ memoriæ Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. Petrus Tylicki, DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Gracovienſis, Dux Severiensis, de eadem Societate optimè persuasus, ipsiúsque tam gravi injuria motus, ne tantum facinus impunitum remaneret, unáque cum eo Illustrissimus & Reverendissimus Dominus D. Franciscus Diotalenius, DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus S. Angeli & Bisaciarum, ad Serenissimum Poloniæ & Sueciæ Regem* SIGISMUNDUM III. *Dominum nostrum clementissimum & Poloniæ Regnum, Magnúmque Lituaniæ Ducatum, Sanctissimi D. nostri Papæ Pauli V. Nuncius, inquisitionem certis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, facere commiserat; Cúmque interim idem libellus famosus, seu eadem Monita privata, falsò Societati Jesu adscripta, opera quorundam iterum recusus recens in vulgus spargi cæperit; nos pro ratione officii, quo nunc fungimur, omnibus & singulis tenore præsentium notum facimus & significamus, ejusmodi libellum sive manuscriptum sive impressum, titulo Monitorum privatorum Societatis JEsu falsò insignitum, esse libellum famosum, esse scriptum injuriosum, calumniis, conviciis, & scommatibus refertum, & omnibus illud legere volentibus nocivum & perniciosum; ac proinde illud auctoritate nostra, qua fungimur, damnamus, atque pro injurioso, & à malevolis confícto, haberi volumus & mandamus.*

F

G *Insuper ejusdem libelli famosi, tam manuscripti, quàm impressi & quarumvis ejus copiarum seu exemplorum venditionem, donationem, divulgationem, authoritate Sedis ordinariæ, qua nunc fungimur, ex præscripto Concilii Tridentini concessa, sub pœnis contra legentes, vel retinentes, & publicantes famosos libellos à jure sancitis prohibemus. In quorum fidem has manu nostra subscripsimus, & sigillo munirì jussimus. Datum Cracoviæ, in domo residentiæ nostræ; die 20. mensis Augusti. Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo decimo sexto.*

H Vides Monitor, quid de te tuóque libello sentiat non aliquis ex circo maximo productus ardelio & tenebrio, sed vir zelo rerum Ecclesiasticarum inprimis succensus, immunitatis Ecclesiasticæ defensor egregius, in gravissimis Reipublicæ negotiis supra viginti annos versatus: & à Serenissimo Rege ad postrema comitia, sub invictissimo Imperatore MATHIA, coacta, Legatus, judicio, doctrina, prudentia, & ardore divini cultus propagandi commemorabilis;

1016

A jam nuper Episcopus Luceorienſis; Regníque Senator factus, & Commiſſarius in Moſcoviam adjunctus Sereniſſimo Principi ULADISLAO, unus ex quatuor Senatoribus Commiſſariis; qui non ita pridem librum valdè eruditum & fructuoſum edidit, hac Epigraphe: *Decas Quæſtionum publicarum Regni, in quibus Eccleſiaſtica jura, & immunitates Eccleſiaſtici ſtatus elucidantur*: quem dedicavit Sereniſſimis Principibus ac Fratribus JOANNI CASIMIRO SECUNDO GENITO, & JOANNI ALBERTO tertio genito Sereniſſimi Regis SIGISMUNDI filiis.

CAPUT V.

Sententia de Monitis Illuſtriſſimi Domini Martini Syskovvski, Epiſcopi tunc Plocenſis, nunc Cracovienſis.

B Placulum fuerit præterire Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum MARTINUM SYSKOWSKI, Epiſcopum Plocenſem, nunc Cracovienſem; qui ubi nuncium de his Monitis accepit, ſequentes literas ſtatim ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Nuncium Apoſtolicum dedit, quibus tam fœdi monſtri proſcriptionem & damnationem poſtulabat.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE COLENDISSIME.

C *Famoſum quendam libellum, & affictorum Monitorum privatorum Societatis JEſu titulo inſignitum, denuo in civitate Cracovienſi, uti fertur, recuſum, in lucem prodiiſſe, non ſine meo dolore intellexi. Cùm enim hæc fiant in ea Diæceſi, cui me Divina Providentia Paſtorem, licèt meritis imparem, deſignavit, meritò commoveor, eò quorundam ex illo grege progreſſam eſſe audaciam, ut etiam hominum divino cultui mancipatorum integritatem, innocentiam, & famam toti huic Regno conſpicuam, Theonino dente proſcindere non vereantur. Quod linguæ impudentis virus ne latiùs ſerpat; tametſi nondum pleno jure uti mihi liceat, vel ipſo tamen affectu exerentis ſe malitiæ fibras evulſas eſſe, & Religioſum Societatis Ordinem, ex quo tot in Eccleſiam & Rempublicam Chriſtianam commoda promanârunt, defenſum cupio. Et quidem Reverendus Dn. Epiſcopatus Cracovienſis Adminiſtrator, principiis obſtandum ratus, jam illum Libellum, tanquam perniciosum, & detractorium damnandum eſſe judicavit, publicóque inſtrumento damnavit. Quod Illuſtriſſimæ D. V. tanquam ſupremo Sacrorum Præſidi ſignificandum eſſe putavi, ab eáque obnixè petendum, ut pro munere ſuo; & ejus, cujus hîc vices gerit: prædictæ damnationi Apoſtolicæ Authoritatis robur adjiciat. Rem Eccleſiæ DEI, & ſacræ illi Religioni perutilem faciet Illuſtriſſ. D. V. cui deditiſſima obſequia mea etiam atque etiam defero.* Datum hac die 6. Septemb. 1616.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. V.
addictiſſimus

Martinus Syskowski, Epiſcopus Plocenſis.

Quis autem quantúsque ſit iſte Præſul, F docet Epiſtola dedicatoria huic opuſculo præfixa, ubi nil vanitati datum, ſed omnia veritati.

CAPUT VI.

Quo loco monita habeat Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Joannes, Comes ab Oſtrorog, Palatinus Poſnanienſis, & Regni Poloniæ Senator primarius. G

HOc nobis explicat magnus iſte Senator in Epiſtola ad Illuſtres filios ſuos. Arrige utrasque aures Monitor. *Nullum unquam ſimile ſcriptum majore nequitia conceptum exſtitit, quàm quod veterator quidam Anonymus ſive hæreticus, ſive Pſeudopoliticus per modum famoſi libelli in lucem edidit, atque Monitorum privatorum Societatis JEſu, ficto eo quidem nomine, mendaciter inſignivit. Non potuit ille in vita ſancta iſtius Societatis Sodalium quidquam impurum, quidquam injuſtum invenire, quod ipſa veritas non ſtatim refelleret, ſed cùm à cœpto (urgente ſatana, & incredibili nocendi Societati ardore occæcante, & pruritu inflammante) ruendum illi quoquo modo, ad illam ſubruendam videretur, unius hypocriſiæ reos agere, apud orbem Chriſtianum conſtituit. Ne verò fides deeſſet cœptis, non alterius alicujus nomine, hæc tanta ſcilicet ſecreta edidit, ſed tanquam ex penetralibus ipſius Societatis deprompta proſtituit. Satis ſuperque plurimi, qui jam illi ſcriptis reſponderunt, ſola mendacii juſtiſſima objectione illius, huic antehac inauditæ malitiæ, reſponſum eſſe ſtatuerunt; cùm certum ſit, talia monita, nunquam in Societate viſa, aut audita eſſe, nec palàm, (quod & ipſe innuit) nec ſecretò & inter paucos, quod mendaciter confingit. Neque ad conficta mendacia aliter unquam melius reſponderi aut poteſt, aut debet.* H

Hactenus Illuſtriſſimus Comes ab Oſtrorog, qui primus in hæc Monita inſurrexiſſe videtur, ſcriptâ ad filios Epiſtolâ, qua non ſolùm monet, ut à lectione tam pernicioſi libelli abſtineant, ſed pleráque etiam, quæ Monitor garrit, refutat.

CA-

CAPUT VII.

Quis de Monitis iſtis ſenſus ſit Sacerdotis cujusdam Leſcyncki, & de Monitis Calviniſticis Torunienſibus.

A Proceribus & primoribus veniamus ad alios inferioris gradus. Quid Sacerdos quidam LESCYNSKI vocatus, noſtris non notus, de his Monitis ſenſerit, ſatis declaravit in Apologia paucorum foliorum Illuſtriſſimo Petro Tylicki Epiſcopo Cracovienſi dedicata. In quam cùm incidiſſet Monitor, ita furere cœpit, ut nulla Furia magis videatur furere poſſe. Adſcriberem huc totam inſaniam, niſi vererer Lectores arbitraturos, me pariter cum illo inſanire, qui hujusmodi amentiam exſcribam. Bone Deus, quid conviciorum & maledictorum non exſpuit in *R. P. Fridericum Schembeck*, à quo nullo verbo unquam læſus fuit. Et tamen Sacerdos iſte interim celebrat, & Sacramenta adminiſtrat, ſecurus divinæ vindictæ, parúmque memor cœleſtis illius

B ſententiæ. *Qui non diligit, manet in morte.*
1. Joann. 3. *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt; Et ſcitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Et cap. 2. *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit, quò eat, quia tenebræ occæcaverunt oculos ejus.* Hoc evidenter in iſto Monitore eluceſcit, qui ita furit, ita blatit & blaterat, potiſſimùm in ſcripto contra R. D. Leskinki, ut planè ignoret, quò vadat, quid agat, quid lallet. Jactat librum, quem appellitat *Demonſtrationes veritatum contentarum in Monitis.* Fortè liber iſte erit, quem in *Teſtimoniis* dicebat, ſcire ſe editum iri, & quidem *de frau-*

C *dulento Inſtituto Jeſuitarum.* Miſer, quid te crucias? Nihil efficis. Nihil efficies. Pauculi eſtis luridi, lividi, in angulis muſſitantes & quiritantes. Nunquam evertetis Ordinem à Sede Apoſtolica comprobatum, toto terrarum orbe diffuſum, & in Polonia, auctoritate Regia, & tot tam Eccleſiaſticorum quàm Politicorum Procerum favore fuffultum, ut taceam innumerabiles alios omnis ordinis, ſexus, & ætatis, qui te, & quos habes in opere nefario adjutores, cum tuis *Monitis* & *Demonſtrationibus* execrantur, & omnibus diris devovent. Jam audiſti, quid Roma de tuis Monitis ſentiat. Si cum *Demonſtrationibus* in publicum proceſſeris, forſan clementia, quam hactenus, licèt immerens, expertus es, in ſeveritatem mutabitur, ut exemplo diſcas, aliósque doceas, linguam, manum, calamum regere, ne ſtatim, quidquid bilis dictat, in chartam effundat.

Occaſione horum Monitorum prodiit in

D Polonia eruditus libellus, qui inſcribitur. *Monita ſalutaria data Anonymo Auctori Scripti nuper editi, cui titulus falsò inditus: Monita privata Societatis JEſu.* Cui utinam ſecundas aures præberet Monitor, ſanaretur. Sed fortè ſanitatis tempus necdum advenit. Utinam adveniat, & quidem quàm primùm, ne nimis diuturno furore ſeſe enecet.

Sed ecce, dum Monita & Monitores paſſim per Poloniæ Provincias circumvolitant, ſectarii ſua quoque Monita & *privata & publica, generalia & ſpecialia* extrudunt: *Edita*, ùt veſtibulum libelli præfert *Hagiopoli, ubi quoque*, inquit Editor, *R. P. D. Cutſemius Ultrajectenſem Synodum Anno 1614. tum ſuis in eam eximiis & egregiis commentationibus edidit.* Sed tu pro *Hagiopoli*, *Torunium* aut *Gedanum* Pruſſiæ F ſubſtituas, nec à vero aberrabis.

In præfatione pro certo aſſerit Hæreticus, hæc eſſe Societatis Monita, & jam tandem in lucem extracta; delituiſſe hactenus, ùt & indicem expurgatorium, & neſcio quod *Speculum confeſſionum* Germanicè Olomucii publicatum. Sed hæc omnia jam profligata ſunt. Quòd ſi Auctorem Monitorum & officinam, unde prodierunt, ſcire laborat, Cracoviam ſe conferat. Sed quò? Nam Cracovia ampla eſt. Dicerem. At taceo. Sectarius iſte Monitor ipſemet noverit, quò ſe Cracoviam profectus recipere debeat; quia, ùt vetus verbum habet: pares cum paribus, & tales Monitores cum talibus Monitoribus facillimè congregantur; Et ſe mutuò inve- G niunt odore ipſo cognationis attracti.

Ad Indicem librorum prohibitorum quod attinet, res hæc jam pridem perorata eſt in opere de libris noxiis prohibendis, ubi vanitas Prædicantium manifeſtè detecta & mendacia apertè confutata ſunt. Nec opus repetere, quæ tunc ſcripſi; quia quis finis repetitionum eſſet, ſi propter quemlibet fanaticum Battum, eadem ſemper ingerenda eſſent? Speculum Germanicum confeſſionis non vidi. Cujus etiam noſter Copronymus Monitor meminit. Sed ſine dubio fœtus hæreticus fuit, noſtris ſuppoſitus, prout iſti jam nobis ſupponunt *Monita privata;* Et tum clamitant, *pudere nos noſtrorum partuum.* Reſpondeo: Non noſtrorum, ſed veſtrorum pudet, pigétque: Servate veſtros: Relinquite nobis noſtros, nec erit, quod aut iſta aut altera pars ſua jura H violata conqueratur.

Sed vide rem prorſus admirandam. Monito octavo docet, quid credant Evangelici. Summa videtur huc redire; vinum Hiſpanicum aut Gallicanum melius eſſe, quàm cereviſiam, licèt valdè annoſam & ad purum defæcatam. Inſuper talem cereviſiam præſtare aquæ, quantumvis pellucidæ & limpidæ. Quærendam & procurandam pecuniam primùm, poſtea virtutem & religionem, juxta illud Chriſti: *Quærite primùm regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* Ut cætera hujus generis novarum ſectarum placita & dogmata primaria tacitus præteream. Et quid tu Monitor garris de tuis,

A quid credant? Fortaſſis ipſemet neſcis, quid credas; niſi fortè hoc ſcis; te nihil penitus credere. Certè, quid cras vel perendie crediturus ſis, hodie exploratum non habes; cùm enim omni vento doctrinæ circumferaris, ùt ſolent illi, qui ſemel à columna & firmamento veritatis receſſerunt, ſi cras aut perendie alius doctrinæ ventus flaverit, tu inſtar ſtipulæ circumrotaberis,
B & quod antea fortitèr probabas, jam fortiter improbabis.

Monitum ſextum dicit, *in fundamento Religionis nullam debere eſſe diſſenſionem;* Nec tamen exponit nobis, quodnam ſit hoc fundamentum. Si conjectura me non fallit, arbitror, hoc commune fundamentum ab iſtis ſectariis ſtatui. *Credo unum eſſe Deum;* ut ita gremio ſuo non tantùm Arianos in Polonia, Anabaptiſtas, & reliquas Sectas, ſed & Judæos atque Turcas complectantur; omnes enim credunt, unum Deum eſſe. Quàm largiter in omnes Calviniſtarum benignitas fluit? nam Auctorem horum *Monitorum* ſub Calvino militare, apertè oſtendit Monitum ſextum, ubi iſtud virus Calvinianum invenies, ſed cave, ne imbibas. *Imagines contra præcepta Dei in Eccleſias introductas, ùt & altaria, Miſſarum olim celebrationi deſtinata, Miſſaticum ornatum, & alias*
C *Papiſticas nugas ex toto corde abominamini.* Retinebant olim Lutherani ea, quæ Monitor tangit: aliquibus ſaltem locis. Nunc Calvinianus ſpiritus longè purior, & plus de Orco trahens, hæc omnia *in ſecuri & aſcia* dejicit atque demolitur, non minùs impigrè, quàm ſpiritus Judaicus aut Turcicus, cui utique viam parat, & ne, cùm venerit, multum laboris capiendum ſit in amoliendis & confringendis iis, quorum ingratus eſt aſpectus; jam nunc antevertendum, & omnia Templorum decora & ornamenta exterminanda cenſent. Sed tempore & otio abutar, ſi plura de hoc inſulſo ex Calvini gurguſtio Monitore verba faciam. Habet jam Monitor iſte Monita Calviniſtarum *ex libris illorum, dictis, & factis collecta, in ordinem redacta & explicata*, & Cracoviæ anno Salutis MDCXVI. excuſa. Legat ea, ſuadeo, séque ſuúmque alaſtorem, à quo poſſidetur, agnoſcat, & quàm primùm ad ſtygem, unde extitit, redire jubeat.
D Ad noſtra Monita revertor, quæ quo loco viri Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Excellentiſſimi & doctiſſimi habeant, jam ſatis ſupérque vidimus. Quibus & pro Monitorum deſtructione, & pro Societatis noſtræ defenſione, quas gratias agam, niſi illas ex S. Baſilio verè Magno petitas? *Det vobis Dominus cæleſtis Hieruſalem bona pro eo, quòd falſas contra nos calumnias in capita vaniloquorum rejeciſtis, nec permiſiſtis, ut cordibus veſtris ſeſe inſinuarent. Novi autem & perſuaſum habeo in Domino, quòd merces veſtra multa, etiam ob hanc cauſam, ſit in cælis. Sapienter enim hoc apud vos ipſos conſi-* E *derâſtis, quod & verum eſt, quòd qui mala mihi reddiderunt pro bonis, & odium pro dilectione mea, qua eos proſecutus ſum, jam me calumniantur eorum gratia*, quæ ipſi in latibulis architectati ſunt.

S. Baſil. Epiſt. 72.

CAPUT VIII.

Concluſio ad Patres & Fratres ex Societate JESU, qui in ampliſſimo Poloniæ Regno Deo & Eccleſiæ ſerviunt, unà cum Diplomate Auguſtiſſimi Polonorum Regis Sigiſmundi II.

VOs verò, *Reverendi Patres & chariſſimi Fratres* mei, qui in ampliſſimis potentiſſimi Regni Polonici Provinciis verſamini, & Catholicæ fidei conſervandæ & propagandæ ſtrenuam operam navatis, agite, quod agitis, & inter media calumniatorum miſſilia, quamvis denſiſſima, *exhibete vos*, ad normam S. Pauli, *ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in auguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam; ùt ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morientes, & ecce vivimus. Ut caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* F

Præclara vobis obtigit induſtriæ veſtræ exercendæ provincia: ſed & cum illa multi & acres adverſarii, obtrectatores, calumniatores, conviciatores, qui famam & bonam exiſtimationem veſtram tam ſcriptis, quàm ſermonibus in circulis lacerant. Spernite. Evaneſcent ùt nebula, *quæ fugata eſt à radiis Solis, & à calore illius aggravata.* Didiciſtis hoc experientia. Ubi perſonatus ille Eques Polonus, qui terrifica ſua Actione Societatem ex univerſa Polonia exturbare moliebatur, cui calcaria, ne equum ſuum nimis cruentaret, detraxerunt doctiſſimi G
viri Martinus Syskovvski & Stanislaus Reſcius? ubi clamoſiſſimus ille ſycophanta, qui ante paucos annos Polonico libello ſparſo, ſumma rabie efficere tentabat, ut Jeſuitæ ex Poloniæ Regno pellerentur? Qui, ne ſolis Polonis loqueretur, mox interpretem Latinum, ſibi pariſſimum conviciatorem reperit. Utrique validiſſimis Apologiis lumbos fregerunt, & dentes excuſſerunt vi- H
ri Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimi *Nicolaus Ziernecki*, Archidiaconus Pczevenſis, & *Caſpar Cichocki* Canonicus & Parochus Sendomir-

A domirienſis. Ubi alii ſpermologi, qui partim ex Pruſſia, partim aliunde in Societatem debacchati ſunt? *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Idem continget novo huic Monitori cum ſuis ſycophantiis. Idem eveniet aliis, qui à Cacodæmone, labentibus annis, ex Tartaro ſubmittentur.

B Exaſperat iſtos avitæ fidei, quam ſuſcepiſtis, defenſio. Sed num ideo deſiſtendum? *Si te Imperator ad propugnaculum collocâſſet*, verba ſunt Iſidori Peluſiotæ, *turrisque urbis cuſtodem conſtituiſſet, ea autem ſuffoderetur atque concuteretur, ut hoſtibus ad urbem aditus pateret, an non inſtrumentis omnibus atque armis, quæ vel recondita haberes, vel excogitare poſſes, utereris, prohibens ac tela jaciens, conatúmque hujusmodi frangens, atque tum urbem ac te ipſum à periculo vindicans, tum Imperatori fidem ac benevolentiam conſervans? Nobis autem*, ſubdit Iſidorus, *quos Deus Eccleſiæ ſuæ magiſtros præfecit, eo nomine ſuccenſes, quòd Ario* (Luthero, Calvino) *qui non modò cum pio grege bellum gerit, ſed etiam permultos jam interemit, obſiſtimus: Ego verò eam ob cauſam periculum omne contemno; ac quidlibet potiùs facere deſîerim, quàm ut illum* (Arium, Lutherum, Calvinum) *ſummis viribus non oppugnem.* Fremant licèt inferorum portæ, & nunc aperta vi, nunc vulpino dolo Societati exitium parent.

Lib. 1. Epiſt. 389.

Interim Societas, Dei inprimis cœlitúmque, deinde ſummorum patronorum munimine tuta, ſtabit, florebit, creſcet, &
C ex meſſe adeò ampla ampliſſimos fructus in horrea Domini convehet. Neque ulla calumniatorum nequitia & impotentia hoc aureum verè Auguſtiſſimi Poloniæ Regis SIGISMUNDI II. Diploma evertet, quo Societatem magnis laudibus prædicat, & jure Regni donat, ínque ſuam & ſucceſſorum ſuorum tutelam ac clientelam recipit.

EXEMPLUM DIPLOMATIS REGII DE ADMISSIONE SOCIETATIS NOSTRÆ IN REGNUM POLONIÆ

Anno 1565. die 8. Octobris.

D SIGISMUNDUS AUGUSTUS, *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogotiæ, &c. Dominus & hæres. Significamus tenore præſentium, quorum expedit* E *univerſis harum notitiam habituris. Cùm ſuperiore & proximo præterito conventu Petricovienſi, ſcripſiſſet ad nos in Chriſto Reverendus Pater D. Andreas Noskovvski Epiſcopus Plocenſis, petens à nobis, ut ejus inſtitutum de accerſendis, hicque in Regno noſtro ipſius ſumptu ſuſtentandis, religioſis Fratribus ac viris doctis Societatis JEſu probaremus; feceramus non gravatè, ut hoc non tam ejus petitioni, quæ fuit honeſtiſſima, quàm præſentium temporum neceſſitati daremus. Cùm enim in veteri ſacroſancta Religione Chriſtiana,* F *quorundam phanaticorum hominum impiis conatibus, ſurſum ac deorſum in Regno noſtro propè ferantur omnia, ut periculum ſit, ne in deterius ruentibus cunctis, nulli poſthac ſuperſint, qui & hominibus audaciſſimis reſiſtere, & veterem religionem ſartam tectámque conſervare ac defendere poſſint, valdè probandum atque adeò ſummè expetendum, hoc illius conſilium atque inſtitutum nobis fuit: ſperamus enim fore, ut per DEI gratiam, iis præſidiis munita Religio Chriſtiana in Regno noſtro, antiquam authoritatem recuperet, & in poſterum retineat. Quod ut fiat, cùm ipſi in id* G *ſedulò incumbere, tum aliorum in eo conatus aſſenſu noſtro adjuvare promoveréque meritò debemus. Ac quod ad Reverendum Dominum Epiſcopum attinet, is jam non vulgare ſpecimen ſuæ egregiæ in eo voluntatis exhibuit; nam domum amplam in ſua Epiſcopali civitate Pultovvſca, ſumptibus non contemnendis exædificavit, quam domum egregiè dotatam eidem Religioni perpetuò dedicavit ac adſcripſit. Sed enim, &c.*

Paulò pòſt in eodem Diplomate. *Quæ nos authoritate noſtra, ita rata iſthic firmáque eſſe, & deinceps fore volumus, ut ea ab* H *omnibus ritè religioséque obſervari ac retineri, ceu per nos ipſos ſancita jubeamus, decernamúsque: omnibus, quicunque ſtudiorum gratia in id Collegium ſe contulerint, omnem ſecuritatem, noſtrámque protectionem Regiam largientes. Ipſam etiam Religionem iiſdem libertatibus, immunitatibus, Juribus, Prærogativis ac Privilegiis gaudere in Regno noſtro ac potiri volentes, quibus gaudent & potiuntur omnes omnium gentium ac locorum Chriſtianæ Religiones: cui patrocinium ac defenſionem omnem, cum noſtris ſucceſſoribus pollicemur, ac re ipſa præſtaturi ſumus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Vilnæ, die & anno quo ſuprà. Regni noſtri trigeſimo ſexto.*

FINIS TOMI UNDECIMI.

IN-

INDEX
IN
TOMUM UNDECIMUM.

A

ABailardus Petrus, SS. Patrum contemptor. 401. a.

Abbates à Prædicantibus infandis & atrocissimis calumniis dedecorantur. 9.

Abucara Theodorus quid de præsentia Christi in Eucharistia senserit. 452. d. & seq.

Academiæ Catholicæ quales Magistros & Doctores creent. 762. b. *Lutheranæ & Calviniànæ quales.* f.

Accusator alterius, qualis esse debeat ex mente Marci Tullii. 18. 419. g. *de inimici domo prodeunti non est credendum.* 891. c. *in manifestis mendaciis & calumniis deprehenso fides deroganda.* 892. c.

Adam à cacodæmone quomodo victus. 395. d.

Advocatus quid curare debeat. 180. e. *cujusdam dictum de Societate Jesu.* 229. c. *ei conviciari non licet.* 220. c.

Ægyptiorum cor quomodo Deus converterit, ut odirent populum Dei. 958. a.

Agrestinus Pseudomonachus quibus calumniis Regulam S. Columbani, ejusdémque discipulos in Concilio Matisconensi appetierit. 704. f. *desertor Ordinis & Monasterii Luxoviensis.* ibid.

Agricola Joannes, Præco Lutheranus, Gabrielis cum D. Virgine colloquium lascivè & blasphemè exponit. 46. d.

Agricola Stephanus an in mare Adriaticum se se præcipitem egerit ob abdicatam hæresin. 933. h.

Airaldus Renatus, cùm in Gallia rebus mortalibus valedicendi propositum exequi non posset, in Germaniam abiit. 218. c.

Alchymia, hæc vox unde derivetur. 390. a.

Alexander IV. Pontif. Max. compescendis calumniatoribus Ordinum S. Dominici & S. Francisci Bullam promulgavit. 948. g.

Alexander Magnus quid dixerit ad adolescentem, Alexandri nomen ferentem. 258. c. *in ejus aula Medius, sycophanta notissimus, quale consilium suis sodalibus dederit.* 179. e. *ejus mensæ structor Demophon.* 784.

B. Aloysius Gonzaga. 897. b. *ad ejus sepulchrum Regina Galliæ lampadem miri operis magnique pretii misit.* ibid.

Aman, Judæorum gentem exterminare cupiens, quo artificio usus. 243. c. 309. c.

Amasai Princeps interrogatus, num pacificè venisset, quid Davidi responderit. 362. b.

S. Ambrosius corripuit & correxit Theodosium Imp. 191. f. *Manichæis & aliis oppositus.* 251. h. *accusatus, quòd castitatem suaderet, quomodo se defenderit.* 685. g.

Amici Dei variis molestiis exagitati. 264. f. *& cur.* 265. f.

Amor mutuus in Societate JEsu. 706. c. *erga Superiores.* 708. f.

Anadrinnus Albertus, puer innocens, à Judæis impiè interfectus. 1002. c. *ejus corpus Templo Collegii Lublinensis S. J. donatum.* ibid.

Anastasius Sinaita quid de præsentia Christi in Eucharistia senserit. 452. d. & seq.

Andechsianus Mons sacer Bavariæ asservat Monstrantiam, in qua tres Hostiæ visuntur, & religiosè coluntur. 362. c. *in eo an fuerit Monasterium Monialium.* g.

Andronicus Imperator adversùs criminatores præclarè scripsit. a.

Angli, etiam ante adventum Jesuitarum, ob sacrificium Missæ auditum, ob sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum perceptum &c, fortunis, patria, & vita spoliati. 716. f.

Anglicana persecutio ad vivum repræsentata. 463. b. & seq. *quàm immanis fuerit.* 471. h. & seq.

Anglicani Calvinistæ quid de signo S. Crucis. 437. b. *& seq. quænam Festa religiosè observent.* 443. d. *Amanes sunt.* 463. g. *quàm clementes & benigni.* 474. a. *an nulli ad professionem Catholicæ Religionis à Jesuitis reducti.* 715. h. & seq.

Anglicani Ministri combusserunt Jus Pontificium. 191. a.

Anglicanum Collegium Romæ. 717. f. 732. f. *ei amplissima privilegia concessa.* 732. h. *eius alumni.* 758. g.

Antiochus Epiphanes qualis Patronus Templi Salomonis. 962. d.

Antisthenes quid inimicis optârit. 476. a.

Antonius Rex Lusitaniæ, an elaborantibus Jesuitis ex Lusitania ejectus. 246. g.

Apiarii sive Alvearii auctor, mendaciorum plenus. 11.

Apollo consultus, quænam rerum genera palmam inter cætera ferrent, quid responderit. 740. c.

Apostata & Apostatare quid. 134. c. 157. a. 936. g. *in bonam quoque partem accipi possunt.* 157. a. 936. g.

Apostatæ, pigri ventres & malæ bestiæ. 559. f. *cur ex familiis Religiosis profugiant.* ibid. *minùs ferendi, quàm qui semper Hæretici.* 681. f. *eorum genius.* 777. c. *si sub desertì Jesuitismì specie advolitent, Prædicantibus graitores sunt.* 793. c. *an sint, qui relicto*

lecto Luthero ad fidem Catholicam regrediuntur. 936. e.

Apostoli facultate patrandi miracula à Deo instructi, quo fine. 423. b. *iis crimen impudicitiæ aut avaritiæ nullus objecit.* 986. e.

Apparitiones variæ S. Petri Apostolorum Principis. 426. e.

Aquaviva Claudius Præpositus Generalis S. J. 15. *ei Lauserus suam pseudohistoriam innumeris mendaciis refertam inscribit.* ibid. *an Ducatum filio suo tradiderit, & ultra quinquaginta Ducatorum millia in Societatem intulerit.* 30. h. *Monita Generalia edidit, ad quorum imitationem Tenebrio quidam confinxit, nobisque attribuit Monita privata.* 949. b. 989. g. *ejus Instructio circa casus reservatos depravatur.* 985. g. & seq. *Blondum concionatorem Romanum dimisit.* 992. f. *an rectiùs vocari possit* Aqua cruenta. h. & seq. *an sibi vendicaverit potestatem decernendi & abrogandi quælibet arbitratu suo.* 1010. b.

Archiepiscopi à Prædicantibus, abjectissimo hominum genere, infandis contumeliis onerantur. 130. b.

Argentus Joannes S. J. Provinciæ Polonicæ, & Lithuanicæ Visitator. 959. d. *epistolam de statu Societatis Jesu in utraque Provincia scripsit ad Sigismundum III. Poloniæ & Sueciæ Regem.* ibid. 960. f. 976. d. *Sacerdoti Polono è Societate dimisso, rerúmque suarum restitutionem petenti, quam conditionem detulerit.* 980. b.

Ariani S. Athanasium gravissimis criminationibus incessunt, & cur. 12. & seq. *quo tempore ab Ecclesia desciverint.* 251. h. *iis oppositi S. Basilius & alii.* ibid. *impudentissimè apud Constantium Imp. traducunt S. Athanasium,* 334. h. *fraudulentas literas ad Orthodoxos mittunt.* 335. c.

Aristocratia à Calvino præfertur Monarchiæ. 200. d.

Aristoteles quænam remedia extinguendæ iræ præscribat. 357. c. *peritorum, senum ac prudentium dictis, etiam probatione destitutis, non minus fidei habendum dicit, quàm ipsis demonstrationibus.* 385. *quot habitus intellectuales statuat.* 533. b. *quid de mutatione Legum senserit.* 697. g. *quid doceat spectandum, cùm civitas ædificatur.* 763. c. & seq. *quid de invidis doceat.* 966. c.

Arnaldus & Arnaldistæ hæretici excommunicati, & infames. 259. c.

Arnaldus Antonius, Advocatus Parisiensis. 170. *ejus actio contra Jesuitas nil aliud, quàm querimonia quædam, libellúsque famosus.* 172. a. *ejus furiæ.* 174. b. *ejusdem accusationis contra Jesuitas Summa.* h. & seq. *ei cur tamdiu nullus responderit.* 178. a. *alter Medius, calumniator insignis.* 179. e. *etiam judicio cujusdam sui amici, egregius calumniator.* f. *ejus opus quale.* 180. a. *ejus Invectivæ ornamenta.* b. *est similis ineptis Jac. Gretseri Operum Tom. XI.*

pictoribus. c. *ejus Protestationes ridiculæ & mendaces.* d. *ejus mendax protestatio de lege oblivionis.* g. *publicam audientiam petivit, & cur.* 181. c. *ejus finis.* f. *ejus inepta probandi ratio.* 182. a. *quod ait nemini esse dubium, id omnes boni negant.* c. *calumnias suas accepit ab Hæreticis.* 183. g. *ejus Magistri Kemnitius, Gotuisus & alii Prædicantes.* ibid. *Hæreticus.* 185. e. *ejus injuria in Domum Austriacam.* 186. d. *calumnia in Romanam Curiam.* e. *mendacia insignia.* f. *Machiavellista.* h. 196. f. *ejus imperitia.* 187. c. *mendacia.* f. *inepta narratio.* 189. e. *dissimulat se esse hæreticum.* 190. a. *prima propositio hæretica ab eo defensa.* c. *evertit totum Jus Canonicum.* h. *ejus calumniæ in Pontificem.* 191. c. *ejus secunda propositio hæretica.* 192. b. *in Galliam introducere conatur Rempublicam Anglicanam.* 193. c. *exempla mala fide citat.* g. *ejus tertia propositio hæretica.* 195. d. *impietas.* 198. b. *omnibus indiciis lupus.* 200. h. *quid de origine Societatis nugetur.* 201. a. *calumniatur totam Rempublicam Christianam.* 202. d. *quos & quantos injuriâ afficiat.* 203. a. *impius in Sacramenta.* c. f. *neque bonus Gallus, neque bonus Catholicus.* 208. e. *paucis verbis sex mendacia profert.* g. *ejus ineptæ consequentiæ refelluntur.* 210. d. *puerilis ignorantia.* 211. d. *semper malus Logicus.* 212. d. *ejus mendacia.* e. *immania item de Jesuitarum divitiis mendacia.* 214. d. *de variorum testamentis.* 217. b. & seq. *parentes, qui filios suos Jesuitarum disciplinæ committunt, comparat cum Carthaginensibus pueros suos Saturno immolantibus.* 218. e. *ex ejus sententia, Religiosum fieri, est Dæmoni sacrificare.* 219. a. *parùm laborat de statu futuri seculi.* 229. e. *ejus mendacia refelluntur.* 231. h. 241. c. *injuriosus in Academiam Parisiensem, ejúsque Doctores.* 239. h. *ejus calumniæ magis particulares in Jesuitas.* 240. c. & seq. *ejus judicio qui sint seditiosi.* 242. c. *ejus impudens mendacium de epistola ad Regem Philippum.* e. *quommodo probet, Jesuitas esse reos læsæ Majestatis.* 243. e. 244. f. *ejus summa improbitas.* 244. a. *ejus ignorantia cum calumnia de Lusitania, ejúsque Rege Antonio.* 247. a. *immane mendacium de quingentis Franciscanis hortatu Jesuitarum occisis.* 247. d. 248. f. *ejus mendacia ex India allata refelluntur.* 249. a. *Jesuitis objicit eadem scelera, quæ olim idololatræ Christianis.* 269. a. *ejus Actio contra Jesuitas est quidam Calepinus calumniarum.* g. *quid ex sua Invectiva sit reportaturus.* 270. d.

Arnulphus Episcopus Metensis, à Rege Clothario & Regina quanti æstimatus. 771. g. *flagitii venerei accusatus.* ibid.

S. Arnulphus, Episcopus Suessionensis, jam jam moriturus, quid de se commemoraverit. 427. f. g.

Artaxerxis edictum benevolum pro Iſraëlitis. 341. d.
Arx nulla inexpugnabilis, in quam aſinus auro onuſtus introire poteſt. 553. d.
Aſinus, cui Chriſtus inſedit, hæreticis colendus relinquitur. 53. e.
Aſſaſini, clancularii olim ſicarii erant. 466. d.
Aſſiſtentes Societatis, qui. 31. f. *eorum munia.* g.
Aſtutia & Aſtutus, non eſt prudentia neque prudens. 689. c.
S. *Athanaſius, perinde ac Societas Jeſu, ab Hæreticis accuſatus de conſpirationibus, ſeditionibus.* 13. 70. a. *opulentia, dominatu, cædibus, libidine, impudicitia.* 12. 13. 55. f. *impietate &c.* 14. *occiſo Arſenio.* 36. f. *accuſatus, quaſi Magnentium tyrannum ad bellum Conſtantio inferendum exhortatus eſſet, quomodo ſe purgaverit.* 334. h. *à S. Gregorio Nazianzeno laudatus.* 499.
Athenagoras Chriſtianos defendit. 515. f. 538. a.
Athenienſes, novi, qui. 867. b. 931. c. *quanam pœna affecerint illum, qui primus per urbem Athenienſem diffuderat Cladis Siculæ nuncium.* 867. g.
Avarus quot indiciis cognoſcatur. 221. f.
Augerius Edmundus S. J. Lugdunenſibus peſte afflictis ſubvenit. 221. c.
Auguſtani Prædicantes, Millerus aliique ex urbe ejecti, non Jeſuitarum inſtinctu. 27. g. 34. a. *flagrorum ſe reos fecerunt, & cur.* 790. h. & ſeq. *eorum Furiæ ob examen Relationis Cambilhonicæ.* 823. *probant, Relationem Cambilhonicam non eſſe famoſum libellum.* 825. b. & ſeq. 827. b. & ſeq. *an Relationem Cambilhonicam evulgârint.* 829. e. & ſeq. *rei ſunt pœnarum, quas Leges Eccleſiaſticæ & Civiles famoſis libellis decernunt.* 832. a. & ſeq. 846. f. & ſeq. *eorum repetitæ Furiæ ob relationem Cambilhonicam.* 840. *quàm mites in Jeſuitas.* 842. d. & ſeq. *eorum ſordes.* 843. g. & ſeq. *cum ſtercore certârunt.* 843. h. & ſeq. *Athletæ Koddiani ſeu Kothiani; Germanicè kotig.* 844. c. *quibus excrementis Jeſuitas conſpurcent.* g. *iis quid loco Inſignium apponendum.* h. *Quartadecimani.* 845. b. *apud eos quàm prompta & expedita latinè ſcribendi facultas reperiatur.* ibid. *diverticula quæritant.* f. *eorum monitu Cambilhon inductus, ut ea, quæ voce ſtrictim coram Conſiſtorio Prædicantico de moribus Jeſuitarum mendaciſſimè deblateraverat, in literas referret.* 847. a. b. *in Cambilhonem quàm benefici.* 847. e. *eorum argumenta, quibus probare conantur, Relationem Cambilhonicam non eſſe famoſum libellum, ſolvuntur.* 850. h. & ſeq. *concionibus ſuis Lutheranos Dominos & patresfamilias excitârunt, ne ullum Catholicum famulum aut famulam conducerent.* 856. b. *ad ea argumenta, quibus probatum eſt, ipſos Relationem Cambilhonicam immediatè typis vulgâſſe, quid oggannant.* 856. f. & ſeq.

Auguſtanum Collegium S. J. Illuſtriſſ. Fuggerorum liberalitate extructum, ringentibus Prædicantibus. 55. c. *de eo erigendo diu multúmque conſultatum.* 730. g. & ſeq.
S. *Auguſtinus mulieres omnes cur domo excluſerit.* 58. c. *Manichæis & aliis oppoſitus.* 251. h. *an ſacram Scripturam ſuo ſpiritu expoſuerit.* 401. h. & ſeq. *an contemnat omnes Doctores.* 406. b. *de malo Doctore quæ ſcribat.* 414. g. *laudat Monachos ſui ævi.* 521. g. *in ea Eccleſia, in qua vixit, fuerunt Monachi & Moniales, Monaſteria & Parthenones.* 525. g. *Monachos & Moniales Eccleſiæ Catholicæ Manichæis objecit, tanquam veram notam Eccleſiæ Catholicæ.* h. & ſeq. *ejus veſtis, calceamenta & lectualia, quæ.* 531. c. *Licentium Juvenem doctum ac nobilem à ſæculi vanitate ad Deum convertere molitur.* 559. e. 871. c. *à Donatiſtis calumniis oneratus, quid pro ſe & aliis calumniam perpeſſis ſcripſerit.* 799. c. *quale documentum calumniis enervandis præſcripſerit.* 930. d.
Aures veteribus Indis quàm longæ. 248. g.

B

Bacæus Valentinus, Quintevangelicus Præco, ad Religionem Catholicam tranſgreſſus. 933. f. *an in pœnam deſerti Lutheraniſmi interemptus.* ibid.
Baptiſmus etiam infantibus neceſſarius. 125. g. *de eo in Jeſuitas calumniæ.* 126. a. & ſeq.
Barierius Meloduni capitali ſupplicio affectus, & cur. 244. f. *ejus confeſſio Jeſuitas ab omni criminis ſuſpicione abſolvit.* ibid.
Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis deſcribit quotidianum decrementum Græcorum, & incrementum Latinorum. 481. g. *Latinos & Græcos inter ſe comparat.* 482. f.
S. *Baſilius quæ à Monachis ſuis adversùs calumniatores poſtulârit.* 159. h. *oppoſitus Arianis.* 251. h. *quantum reverentiæ & honoris largiatur SS. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus.* 407. h. & ſeq. *ei quid acciderit, cùm Ariani Alexandriæ truculentiſſimè in Orthodoxos debaccharentur.* 462. a. *docuit, pueros in Monaſteria ſuſcipiendos.* 527. e. *quid de vilibus operibus à Religioſo ſuſceptis, ſenſerit.* 535. b. *quid agendum doceat omnibus Religioſam vitam jam amplexis.* 558. g. *Religioſos Ordines tutatur.* 795. c. *à Gregorio Nyſſeno adversùs Eunomium defenſus.* 928. h. *calumnias propulſare & refellere nos jubet.* 929. f.
Baſilius quidam Magus, rogatu cujuſdam Epiſcopi in Monaſterium ſuſceptus eſt. 997. b. *de eo quid S. Equitius prædixerit.* ibid. *faſcinata Moniali expulſus.* ibid.
Bazenſis Epiſcopi epiſtola pro Jeſuitis. 184. f. 244. f.
Bel idolum, hæreſis. 361. a.
Bellarminus Robertus, decantatiſſimus in tota Eccleſia Dei Cardinalis. 910. *utrum mille ſexcentas & quadraginta duas mulieres vitiave-*

tiaverit, & tam liberos quàm matres, magnam partem, gladiô, venenô, igne & aquâ peremerit. ibid & seq. *Hæreticis cur adeò exosus.* 912. d. 915. a. *num anno Redemptoris M. DC. XIII. mortuus fuerit, ut hæreticus tenebrio mentitur.* 912. h. *& quidem Laureti, quò peregrinationis & confessionis faciendæ gratia, mutato habitu, concesserat.* 913. g. *an tribus horis, brachiis in speciem crucis expansis, coram Deiparæ imagine oraverit, ut sceleribus suis veniam impetraret, at imago, facie aversa, dorsum obverterit.* h. *an leonis instar desperabundus rugierit, ac prædixerit, se tartareo hirco ad inferos avectum iri.* ibid. *utrum in palatio suo & Pontificis, & in ponte Tiberino horrificè tumultuet, ac in aëre ipso meridiano sole lucente terribili specie obequitet.* 914. c. *ejus controversiarum Tomis refutandis multi Lutherani & Calviniani frustrà insudârunt, imò impalluerunt, ac immortui sunt.* 915. a. *num sua scelera in libello descripserit.* c. *& Joannes de Montgado ejus Secretarius libellum illum evulgaverit.* d. *an Confessario hunc libellum perlegendum tradiderit.* h. *& quid eo perlecto confessarius dixerit.* 916. a. *ejus libellum confessionis an Confessarius abjecerit.* 916. e. *num in fastu instar Principum, in cibo & potu instar Epicureorum, in castitate & vita instar Sodomæorum se gesserit.* 917. b. *in eum examussim convenit elogium S. Hieronymo tributum.* c. *ejus Opera laudantur.* f. *de eo totum hoc Commentum nec ipsis adversæ partis hominibus probatur.* 918. d. & seq. *quo fine à calumniatore sparsum.* 119. f. & seq.

Bellum adversùs Turcas suscipere juri Divino repugnare Melanchthon docet. 153. c.

Benedictio Divina est causa fœcunditatis. 203. d.

Benedictiones Calvino & Wiclepho sunt incantationes & necromantiæ. 203. f.

S. Benedictus quibus hæreticis oppositus. 451. h. *eum Florentius Presbyter ex invidia insectatur.* 949. h. & seq.

Benno, omnium Sectariorum corculum, amor & deliciæ, quid de Gregorio VII. fabuletur. 803. h. & seq. 811. a.

S. Bernardus an sententiam Catholicorum de libero arbitrio damnârit ut Pelagianam. 113. c. *à Deo cur missus.* 252. a. *fugam sæculi Juvenibus suasit, ac persuasit.* 870. g. *Apologiam scripsit ad Wilhelmum Abbatem Cluniacensem.* 998. f. *suos aliis Ordinibus obtrectantes acriter increpat.* ibid.

Bernenses Ministri quàm impudentes. 200. g.

Beza cœnam Calvinianam probare volens ex Scriptura irridetur à Schmidelino, & hic ex eadem Scriptura Ubiquitatem probare tentans à Beza. 108. a. *Regem Galliæ Satanam vocat.* 200. c.

Biblia omnibus, qui latinè nôrunt, permittuntur. 92. a. *Lutheri, aliorúmque Hæreticorum ab Ecclesia meritò prohibentur.* 106. f. *non item Catholicorum.* g. Vide etiam V. *Scriptura.*

Bobadilla Nicolaus blasphemo mendacio traducitur. 69. g. *ejus jam mortui auctoritate pseudohistoricus se munire nititur.* 24. g.

Boleslaus Dux Cracovienſis & Sendomirienſis perpetuam castitatem cum uxore sua Kunegunde servavit. 995. f.

S. Bonaventura Apologiam edidit contra calumniatores sui Ordinis. 139. c. *non tantùm pro suo Ordine, sed pro nostra quoque Societate scripsisse videtur.* ibid. usque 147. *ædificia Ordinis Minorum à Calumniis vindicat.* ibid. 763. g. & seq. *Religiosos, qui suâ sorte non contenti, altiora quæritant, insigniter depingit.* 772. e. *ejus Apologeticæ opuscula.* 948. d. *nonnullos de Clero ait, plus odisse Religiosos, quàm Judæos.* f. *varias calumnias à suis depellit.* 961. d. 962. h. 994. a. 995. c. *indicia dimittendi Novitios describit.* 977. d.

Bonhomius Joannes, Episcopus Vercellensis. 764. g. *à Gregorio XIII. Pontif. Max. Nuncii Apostolici titulo ad Catholicos Helvetiæ Ordines missus.* h. *an à Jesuitis Lucernensibus hospitio non fuerit receptus.* ibid. & seq. *qualis erga Societatem.* 765. c.

Boni, de bonis aliquando malè sentiunt. 946. d. *iis quod bene fit, haud perit.* 384.

Bonifacii Papæ Extravagans est hæreticis petra scandali. 192. b.

Boquinus Biturix, scriptor infamis. 11.

Borbonius Cardinalis pro Jesuitis, ipsorúmque Collegiis Senatui Regio supplex factus. 182. d.

Borromæus, Cardinalis sanctissimus. 702. e. *an & qualem cum eo controversiam habuerint Jesuitæ Mediolanenses.* 702. e. 703. e. 745. b. *qualis erga Societatem.* 744. h. *curam Seminarii sui cur aliis tradiderit.* 757. h. 758. a. & seq.

Brentius scratatus Scripturam, reperit Ubiquitatem. 107. h. *ejus Ubiquitas non tam propter Christum, quàm* propter offam *defenditur, juxta communem ipsorum Lutheranorum sermonem.* 108. g. *ei Pontifex est Antichristus, & meretrix Babylonica.* 152. c.

S. Bruno à Deo cur excitatus. 252. a.

Bullæ Pontificiæ variis calumniis & mendaciis proscinduntur à Lausero 76. h. & seqq.

Burdegalensis Portus vocatur portus Lunæ. 263. h.

C

Cæcilius Cancellarius Anglicanus, de Catholicis pessimè meritus. 39. g. *ejus filius, licèt agnitus, Romæ benignè habetur.* ibid.

Cæcis quid nonnunquam contingat. 926. d.

Calvinistæ Lutheranos, & hi illos mutuis calumniis lacerant. 70. h. 71. a. *contra Catholicos tamen conspirant.* 70. h. 72. b. *eorum impietas.* 229. e. *sunt auctores bellorum in Gallia.* 254. g. *cun-*

g. *cudunt Aureos nomine Jesu insignitos.* 257. f. *ad eos remissus* Salvus Conductus, *quem Jesuitis ex Gallia discedentibus dederunt.* 280. c. *nomen Jesuitæ invertere & pervertere student.* 320. c. *virì labiorum.* 322. f. *de eorum libris testimonium Schlüsselburgii.* ibid. *iis quæ calumnia sit propria.* 324. g. *eorum typus Principes & Satrapæ Persarum.* 360. a. *in quanam urbe habitent.* 362. d. *eorum Ecclesia ubi fuerit ante Calvinum.* 409. c. & seq. *eorum probitas ex ipsius Calvini testimonio* 420. a. & seq. *iis miracula necessaria sunt.* 422. d. *quibusnam Iconoclastis se associent.* 434. f. 436. d. *quàm pulchrè in usu signi S. Crucis inter se concordent.* 436. g. & seq. *eorum rationes contra usum S. Crucis refelluntur.* 439. e. & seq. *quàm concorditer in observatione Festorum concinant.* 442. h. & seq. *an concordent cum Picarditis.* 446. g. & seq. *eorum confessarii quàm sanctè sigillum confessionis custodiant.* 449. a. *excommunicant, quomodo.* 460. h. & seq. *quare Jesuitas adeò oderint.* 463. h. *quid in Belgio pro amplificatione suæ perfidiæ tentârint & patrârint.* 473. a. *jure dicuntur Giezitæ à Giezi, & cur.* 503. h. & seq. *eorum Monachi qui, & quotuplicis generis.* 521. b. *quales venti sint.* 523. g. h. *Jesuitis immeritò objiciunt Monasteria occupata.* 548. h. *cur tam æquo sint animo in Patriarchas Græcos schismaticos, & tam iniqui in nostros Episcopos, præsertim in Romanum Pontificem.* 550. b. f. *odiosum hominum genus.* 563. e. *falsò referunt ad Apostolos originem suam.* f *eorum mendacia de Ordine nostro.* 565. f. & seq. *eorum viva & spirans effigies.* 866. f. g. *sibi omnia licere volunt, Catholicis nihil.* 937. c.

Calvinus quàm impudens in Reges. 199. h. & seq. 244. d. *Aristocratiam præfert Monarchiæ.* 200. d. *ei quid sint Sacramenta, Benedictiones &c.* 203. f. *in Gallia propemodum ad incitas redactus.* 351. h. & seq. *quid de suorum sanctitate scribat.* 420. a. & seq.

Calumnia præcipuum Dæmonis telum. 172. d. *de ea dictum Pii V.* 184. h. *ejus definitio.* 267. g. 480. d. *ejus origo.* 267. g. *ubi regnet.* 268. a. 484. f. *ejus imago.* 477. f. 478. a. & seq. *ejus causæ quæ.* 480. f. & seq. *ei non facilè credendum.* 484. h. *cur tam celeriter per urbes vagetur.* 488. h. *eam vitandi remedia.* 494. f. *pro eam passo pharmacum.* 496. f. *ejus germana forma.* g. h. *gravissimum malum.* 500. *pro eam perpessis quid S. Augustinus scripserit.* 799. c. 815. e. *eam à se quomodo depulerit S. Maximus.* 808. a. & seq. *an refellenda.* 927. d. 929. e. & seq. *ei subruendæ quale documentum præscripserit S. Augustinus.* 930. d.

Calumniare audacter; semper aliquid adhæret. vetus & vulgare verbum. 910.

Calumniatores & sibi, & audientibus, & calumniâ affectis nocent. 149. 160. c. *de iis gravissimè perorat Andronicus Imp. eorúmque extremam nequitiam luculentissimis coloribus depingit.* 159. a. & seq. *unde materiam criminandi petant.* 243. a. *de iis quid Socrates.* 333. b. *adversùs eos quid Lutherus scribat.* 415. f. & seq. *cur hodie tam multi sint.* 480. f. & seq. *cum cursoribus nauci ac nihili comparantur.* 483. c. *cum iis item, qui urbem quampiam occupare cogitant.* 484. b. *quibus arietibus audientis animum expugnent.* d. *quales sint, à Luthero depinguntur.* 485. e. & seq. *iis cur tam multi patulas aures præbeant.* 487. g. & seq. *sedulò observare solent, quonam maximè oblectetur animus audientis.* 490. b. *cavent, ne calumniæ suæ absurdum quid & alienum admisceant.* 491. b. *iis qui pronas aures præbent, quales sint.* 493. b. & seq. *iis remedia vitandi calumnias præscribuntur.* 494. f. *eorum item auditoribus.* 495. g. *iis an respondendum.* 927. d. & seq. 929. e. & seq. *sibi obsunt potiùs, quàm illis, quos calumniis incessunt.* 928. e. *eorum hodie improbitas ac immanitas.* 986. e.

Cambilhon Joannes, auctor famosi libelli, qui inscribitur: Relatio de studiis Jesuitarum abstrusioribus. 788. d. *Augustam Vindelicorum veniens ad Prædicantes Lutheranos, finxit se fuisse Jesuitam in Collegio Græcensi in Stiria.* e. *quid novus iste Augustanæ Confessionis Candidatus credat.* 789. c. & seq. *ejus Relatio fide indigna, & cur.* 789. h. & seq. 792. d. & seq. *ab eo Venerabili Ministerio Augustano dedicata.* 792. d. *nunquam fuit Jesuita.* 793. b. & seq. 795. f. & seq. *ejus nugæ & pseudologiæ de Jesuitarum Museo, Bibliotheca & Provincialis examine.* 795. f. & seq. *Jesuitis objicit scortationem, magiam & machinationes seditiosas, sed refellitur.* 799. b. & seq. 802. h. & seq. 807. a. & seq. *quid de Jesuitarum apparatu bellico, ingentibus thesauris & subterraneis carnificum officinis mentiatur.* 810. d. & seq. *ejus Relatio est libellus famosus.* 824. g. & seq. 846. b. & seq. 850. h. & seq. *non est Scriptum Polemicum.* 827. h. *ejus Relatio à Prædicantibus Augustanis an sit edita.* 829. e. & seq. *Prædicantium Augustanorum monitu inductus, ut ea, quæ voce strictim coram Consistorio Prædicantico de moribus Jesuitarum mendacissimè deblateraverat, in literas referret.* 847. a. b. *decantat Prædicanticam beneficentiam.* e.

Campianus Edmundus malè redarguitur à Lauseto ob mutatum habitum. 32. e. *ejus epistola ad Præpositum Generalem Societatis Jesu.* 716. b.

Canillac Franciscus, frater Domini Marchionis à Canillac, Societatem Jesu ingressus. 219. c. & seq.

Canillac Marchio, an ingressum fratris sui in Societatem ægrè tulerit. 219. e. *calumniatoribus Jesuitarum os obstruxit.* ibid.

Canones utrum observentur à Societate Jesu. 691. g. *Cano-*

Canonici à Prædicantibus infandis calumniis proscinduntur. 9.
Capraria Insula. 562. f. *ejus Monachi.* ibid.
Cappucini à calumniis hæreticorum vindicantur. 552. h.
Caraffa Petrus, Cardinalis, ex Ordine Theatinorum. 26. f. *non fuit auctor Societatis Jesu, ejusdémque Regularum.* ibid. *Pontifex Max. Paulus IV. dictus* 557. h. & seq. *de eo fabella Lermæi Calvinistæ.* ibid. *relicto Episcopatu Theatino privatam vitam egit.* 558. b.
Cardinalatus, proxima à Pontificatu dignitas. 740. f.
Cardinales à Prædicantibus quibus conviciis lacerentur. 9. 56. d. 131. e.
Carmen in Gabrielem Lermæum Calvinistam. 501. *aliud,* Locusta *seu* Jesuita *inscriptum, refutatur.* 565. e. *in calumniatorem anonymum.* 679.
Carolus V. Imp. tractatur à Luthero & Prædicantibus non secùs, ac si famulus à pedibus vel potiùs à matula fuisset. 153. d. 154. g. & seq. *non est usus operâ Jesuitarum, ùt mentitur Arnaldus.* 187. b. *vix novit Societatem Jesu.* 188. b. 189. a. *ejus colloquium cum Francisco Borgia.* 188. c. *laudat sententiam Borgiæ.* f. *ejus epistola ad Borgiam.* g. *ejus mors.* 189. b. *quid de libellis famosis faciendum admoneat.* 833. f.
Carolus IX. Galliæ Rex, usus est operâ Hispanorum, ùt & alii Reges. 187. a. *ejus opinio de Jesuitis.* 236. d. *hæreticis infensissimus, benevolè Jesuitas complexus est.* 241. h.
Cassianus quid de Religiosis, domestica & in speciem vilia ministeria obeuntibus, scribat. 535. d. & seq.
Castagneda Historicus Lusitanus, quid de Jesuitarum origine literarum monumentis consignârit. 201. e.
Castitas Sectariis servatu impossibilis. 56. f. *consectaria ex impia & spurcissima hac doctrina.* g. *eam servantes an homicidæ.* 59. a. *quæ ejus servandæ remedia.* 59. b. 60. a. 63. g. 66. a. *ab ea num Christus avocârit, ac deterruerit.* 59. d. e. *an Apostolus.* f. *ad eam vovendam nemo cogitur; cogi tamen potest post votum.* 60. b. 65. f. *an & quomodo eandem voventes ex consilio faciant præceptum.* 60. d. 65. f. *Angelicam num quis imitari possit.* 60. e. f. 111. d. *ejus conservandæ quanta sit in Societate cura.* 61. b. *conjugalis & Evangelicæ discrimen.* 66. b.
Catholici, boni, in Jesuitas bene affecti, & cur. 184. d. *in Anglia degentes quàm immanem persecutionem passi.* 472. a. & seq. *eorum interest, ut hæretici calumniatores refutentur.* 930. a. *eos cum ritibus suis Melanchthon extirpatum it.* 937. d. & seq. *quam fidem teneant & confiteantur.* 937. h. & seq. *quas ob causas à Societate nostra interdum alieni sint.* 946. c. *S. Equitio ex ignorantia obloquebantur.* d. *falsi, depinguntur.* 958. e.
Census annuus, quinque pro centum in Germania valde usitatus. 749. d. *an usurarius.* ibid.
Celsus Epicureus Christianos conviciatur. 554. b.
Chaldæi quàm egregii patroni templi Salomonis. 962. b.
Christianus ovi similis. 193. a. *eum inter & infidelem discrimen.* b.
Christiani exorta persecutione opem & misericordiam Principum & Rerumpublicarum implorârunt. 321. g. *nomen suum à Christo acceperunt.* 507. f. *Jessæi dicti, antequam Christiani appellarentur.* g. *ab Athenagora defenduntur.* 515. f. 538. a. *in prima Ecclesia fuerunt nihil habentes, & omnia possidentes.* 531. a. *à conviciis Celsi Epicurei vindicantur.* 554. b. *ab eis Orgia libidinis & infanticidia, quibus infamabantur, apologeticè depellit Tertullianus.* 801. b. f. 813. f. *primis non defuit facultas gravissimas persecutiones à se amoliendi, sed voluntas.* 809. g.
Christus an à Castitate avocârit & deterruerit. 59. d. e. *quomodo solus torcular calcaverit.* 110. b. *pro nobis ita satisfecit, ut tamen nostra cooperatione sit opus.* ibid. *non venit in mundum absque res supra naturam efficiendi adminiculo.* 423. a. *de ejus existentia in Eucharistia mendacia & inscitiæ Miseni Calvinistæ.* 449. d. & seq. *de ejus præsentia in Eucharistia quid senserint Anastasius Sinaita, & Theodorus Abucara.* 452. d. & seq. *utrum in Eucharistiæ Sacramento detur ejus corpus passibile, an impassibile.* 454. b. *delectum discipulorum habuit.* 982. d. *crimen impudicitiæ à Judæis ei nunquam objectum.* 986. f.
Cicero M. T. quæ in Accusatore exigat. 18. 419. g. *de Cneo Domitio quid narret.* 18. *post reditum ab exilio populo Romano quid pollicitus.* 354. d.
Ciliciorum usus. 875. b.
Cistercienses à Cluniacensibus dissident. 998. f. *eos, qui aliis Ordinibus obtrectant, S. Bernardus increpat.* ibid.
Civitas quomodo ex mente Aristotelis ædificanda. 763. c.
Clemens Alexandrinus in mundum & comptum muliebrem acriter invehitur. 753. b.
Clemens VIII. Papa, an causa belli in Hungaria infeliciter gesti. 152. g.
Clerici cur adeò exosi sint Sectariis. 419. c. *ex antiquo Ecclesiæ more in Ecclesiasticis conventibus Monachos antecedunt.* 518. d. e. *S. Equitio Abbati ex ignorantia obloquebantur.* 946. d. *nonnulli plus oderunt Religiosos, quàm Hæreticos vel Judæos, judice S. Bonaventura.* 948. f.
Clodovæus, primus Gallus, primus Christianus, & Primus Rex Gallorum. 194. e. *cum filiis & suc-*

& ſucceſſoribus Regibus Sedem Apoſtolicam unicè ſemper coluit. f.
Cluniacenſes à Ciſtercienſibus diſſident. 998. f. *Cluniacenſes à Ciſtercienſibus diſſident. 998. f. Petro venerabili Abbate defenduntur.* ibid.
Coadjutores Temporales Societatis, qui. 36. d. *eorum partes & munera, quæ.* g.
Collegia Societatis Jeſu. 50. c. & ſeq. *eorum ædificia, reditus.* ibid. 139. g. *à Principibus & Rebuspublicis extructa.* 733. c. Vide etiam V. *Jeſuitæ*, & V. *Societas.*
S. Columbani Regula & diſcipuli quibus calumniis ab Agreſtino Pſeudomonacho petiti. 704. f.
Concionatores Catholici an populum ad turbas & ſeditiones excitent. 72. e. *correctioni tantùm non confuſioni vel infamationi alicujus præſentis vel abſentis intendere debent.* 954. h. *Reges ac Principes in concionibus non perſtringant.* ibid. 964. f.
Concupiſcentia an ſit peccatum. 115. a. c.
Confeſſarii de vitiis carnis diſputant, ſicut Medici de veneno, Juriſperiti de furtis, rapinis &c. 60. g. *ſpirituales medici, & profeſſione ſua Therapeutæ.* 558. e. *iis à pœnitente ordinariè proprio ore peccata patefacienda, licèt ſcripto comprehenſa ſint.* 915. h. *audito peccato gravi, quomodo ſe gerere debeant.* 916. b.
Confeſſio auricularis. 446. g. *Lutherana qualis.* 447. f. *Calviniana.* 448. h. & ſeq. *Lermæo Calviniſtæ eſt machina.* 553. e. *eſt medicina.* h.
Confirmationis Sacramentum an quæſtûs gratiâ inſtitutum. 126. e.
Conſcientia in examen vocanda. 45. b. 444. b. & ſeq.
Conſtantienſe Conſilium an prohibeat hanc quæſtionem: Utrum liceat privato occidere tyrannum. 316. b. & ſeq.
Conſtantienſis Fabula de Jeſuitis. 922. c.
Conſtantinopolitanus Patriarcha ſchiſmaticus appellatur ab hæreticis omni modo ſanctiſſimus, *&* Oecumenicus, *ſeu* univerſalis Patriarcha. 33. g. 550. b. *imò* Dominus ſummoperè honorandus *&* Reverendiſſimus ; dilectiſſimus & DEI amantiſſimus. 550. b.
Conſtantius Imp. quia hæreticus, repulſus eſt à teſtimonio contra Athanaſium dicendo. 129. g.
Convivia inter organa animos ſibi devinciendi ponuntur. 958. b.
Corpora Sanctorum multis ab obitu annis integra & incorrupta ſunt inventa. 428. c. & ſeq. *pulchriora quàm ante obitum.* 428. h. & ſeq.
Cotonus Petrus, S. J. ab Henrico IV. Galliarum Rege amatus & magnì æſtimatus. 239. c. *an Magicarum artium peritus fuerit.* 803. f. & ſeq. *oſtendit, quòd communis doctrina Societatis à Decreto Concilii Conſtantienſis in quæſtione de* Tyranno *non diſcrepet.* 895. c. *explicat, quis Jeſuitarum de Regibus, & honore illis habendo ſit ſenſus.* f. *Ludovico XIII. à Regina Matre Magiſter in rebus ſpiritualibus datus.* 898. b. *confeſſarius item, concionator ordinarius & Sacellanus.* ibid. *menſæ Regiæ adeſſe juſſus.* ibid.
Cracovienſis Domus Profeſſa, à quo fundata. 1004. c. *huic, & domui Probationis quæ Templa donata fuerint.* 1005. c. 1006. a. d.
Crimen falſi. 722. c. *id qui admiſerunt, quales pœnas ſubire cogantur.* d.
Cruces an omnes adorandæ. 53. c.
Crucis inventæ & exaltatæ Feſta, Miſſa, Officium quò referantur. 53. h. & ſeq.
Crucis ſignum cur & quomodo venerandum. 53. a. *an Catholicis Sacramentum ſit.* g. *in fronte & pectore baptizati effigiari ſolitum, à Calviniſtis Embdenſibus exploditur & quare.* 436. g. *de eo quid Calviniſtæ Anglicani.* 437. b. & ſeq. *Embdenſium rationes diſſolvuntur.* 438. c. & ſeq. *ejus uſus adversùs Calviniſtas defenditur.* 439. e. & ſeq.
Culmenſes Moniales Ord. S. Benedicti, magnam pecuniæ ſummam ad fundandum Collegium Torunienſe S. J. ſubminiſtrârunt. 984. f.
Culpa paucorum non præjudicat univerſis. 185. b. 947. b.
Curatio eò facilior & felicior redditur, quò meliùs & accuratiùs æger Medico morbos ſuos exponit. 558. g. *animorum longè difficilior, quàm corporum, & cur.* h. & ſeq.
Curioſi quem morem habeant. 867. b. 931. c.

D

David arma movit adversùs Hanon Regem, & quare. 360. e.
Decalogus Prædicantibus ſervatu impoſſibilis. 77. f.
Decorum, quod in oculos incurrit, quanti ab Ethnicis æſtimatum. 953. g.
Delphinus Sereniſſimus Societati noſtræ Viennæ inſigne Collegium erexit, 354. c.
Delrius Martinus S. J. an unquam ulli Provinciæ præfuerit. 793. h. 807. b. *in quem finem opus Steganographiæ legerit.* 805. d.
Demetrias, Nobiliſſima Virgo, matris & aviæ hortamentis, virginitati ſe devovit. 272. b. *ejus profeſſio quanti æſtimata.* ibid. *ob velum virginitatis ab ea ſuſceptum Matri & Aviæ gratulatur S. Auguſtinus.* ibid.
Demetrius Argentarius graviſſimam ſeditionem commovit, & cur. 361. d. *viva Prædicantium Calvinianorum imago.* e.
Demophon, Alexandri menſæ ſtructor. 784.
Detractio vitanda, & cur. 972. g. 985. b.
Deus, primarius auctor Religioſarum familiarum. 23. c. *relucet in ſuis effectibus.* 209. b. *ad ſtatum Religioſum vocat.* 229. d. *Antitheſes & naturas oppoſitas cur condiderit.* 251. b. *ſemper oppoſuit oppugnatoribus Religionis propugnatores.* d. *ejus amici variis moleſtiis exagitati.* 264. f. *& quare.* 265. f. *quàm mirabiliter corda Regum Cyri, Darii, & Artaxerxis erga populum Dei immuta-*

mutârit. 341. c. *Hierosolymæ exprobrat commissa idololatriæ flagitia.* 394. a. d. 395. b. *Moysen instruxit facultate patrandi miracula, quo fine.* 422. e. *item Apostolos.* 423. b. *ab eo esse aliquod vitæ genus, quando satis evidens.* 548. f. *quomodo converterit cor Ægyptiorum, ut odirent populum Dei.* 958. a.

Diabolus à calumniando sic dictus. 148. 308. e. *potissimùm odit Religiosos.* 172. c. *ejus telum præcipuum, calumnia.* d. *cur ita oderit Religiosos.* 173. b. *cur Jesuitas.* ibid. *cur adeò sæviat in Jesuitas.* 238. g. *quam potissimam persecutionem contra Ecclesiam excitârit.* 243. c. *ejus pellendi remedia Lutherana efficacissima.* 370. f. & seq. *eodem modo agit per hæreticos, ut nobis lucubrationes SS. Patrum adimat, quo modo Rex Achab, ut eriperet vineam Naboth.* 407. d. *hæreses in mundum invehens, idem facit, quod Herodes.* 411. f. *S. Martino apparuit, os habitúmque Christi ferens & simulans.* 513. a. *S. Ignatio an apparuerit specie canis.* 514. b. *ejus in obsessis varii effectus.* 843. g. *ejus versutia & astutia.* 940. *quem ludum luserit in oppugnanda Societate nostra.* ibid. *de bonis mala cur spargat.* 967. a. *ejus filii, falsi testes.* 991. b.

Diligentia est Nota boni & probati Magistri. 233. h. 234. f.

Diotallenius Franciscus, Nuncius Apostolicus ad Regem Poloniæ. 1013. g. *ejus judicium de* Monitis privatis S. J. h. & seq.

Disputationes Catholicorum cum Hæreticis an fructum afferant. 564. d.

Dissidia in Societate nostra non tolerantur. 708. a. 997. f. *aliquando etiam inter sanctissimos viros extitêre.* 997. g. *inter diversos quoque Ordines Religiosos.* 998. c. f. & seq.

Docendi methodus est Nota boni & probati Magistri. 233. h. 234. b. *in scholis Jesuitarum qualis.* 234. b.

Doctores quales creentur in Academiis Catholicis. 762. b. *in Academiis Lutheranis & Calvinianis.* f.

Doëg Davidi & Achimelech perniciem struens, quo artificio usus. 243. b.

Dolor dum est recens, absque mora curandus. 344. h.

Dominicani iisdem calumniis petiti, quibus Jesuitæ. 139. c. 948. c. *à D. Thoma defensi.* 139. c. 140. g. usque 147. *multis privilegiis à Sede Apostolica adaucti.* 692. b. *eos inter & Jesuitas Toleti controversia quæ.* 738. h. *eorum calumniatoribus compescendis Alexander IV. Papa Bullam promulgavit.* 948. g.

S. Dominicus debellandis Albigensibus à Deo suscitatus. 252. a. *Ordinis sui approbationem à summo Pontifice petens, repulsam tulit.* 512. d. e.

Domitius Cn. Heri sui accusatorem comprehendi, & ad herum suum adduci jussit. 18.

Donatistæ, pervicacissimi sectarii, S. Augustinum & alios Catholicæ veritatis propugnatores multis calumniis lacerârunt. 799. c.

Dormitorium Apostatarum, libellus famosus. 924. *ejus conditor quid demonstrare conetur.* 926. d. *quas ob causas Sectarii sparserint.* 935. g. & seq. *vocatur* speculum, *quale.* 936. c. *ejus architectus, quis.* 937. h.

D. Dotaria à S. Chaumondo, Ludovica de Anceſſune quantum donaverit Jesuitis pro fundatione Domus probationis Avenione. 226. b. *quid calumniatoribus Jesuitarum responderit.* ibid.

Duo contra duo, quid. 463. h.

E

Ecclesia Catholica ab Hæreticis oppugnata, sed non expugnata, & cur. 152. d. & seq. *ejus regimen Monarchicum.* 193. c. *dicitur una ab uno capite.* f. *ejus persecutio quænam ex potissimis, quas Dæmon excitavit.* 243. c. *cur vocetur terribilis ùt castrorum acies ordinata.* 265. c. *ejus auctoritas & traditio nos certos reddit, SS. Patres in hac vel illa quæstione attigisse verum.* 402. f. *etiam primitiva habuit Doctores.* 403. e. *ejus perpetua duratio, & non interrupta Pastorum & Doctorum successio.* 409. c. *Domus magna, in qua pii & impii.* 417. e. *de ea quid S. Augustinus.* h. & seq. *non caret miraculis.* 422. d. *ejus felix progressio & adauctio est causa tot calumniarum & calumniatorum hoc tempore.* 481. a. & seq. *ejus vera nota, Monachi & Moniales.* 525. h. *ejus fundamentum.* 714. c. & seq.

Eduinus Anglorum Rex, Osvvaldi antecessor. 719. g. *primus gentis illius Regum salutari Baptismatis undâ tinctus.* ibid. *ab impiis & paganis trucidatus.* ibid.

Elbingenses in Jesuitas advenas, ab Hosio Cardinali, legitimo loci illius pastore, eò destinatos, quales sese exhibuerint. 720. f.

Eleemosynæ pro pauperibus colligendæ. 952. e. & seq. *pro iisdem ab ipso Apostolo collectæ.* 953. b. *eas distribuere, aliis videntibus, quando vituperandum, & quando non.* c.

Embdenses Calviniani, signum S. Crucis in fronte & pectore baptizati efformari solitum, explodunt. 436. g. *eorum rationes dissolvuntur.* 438. c. & seq.

Emmanuel Lusitaniæ Rex Jesuitas in Indiam misit, judice Calvinista. 565. f. *minimùm tredecim aut quatuordecim annis priùs defunctus, quàm Societas institueretur.* g.

Epicureus deprehensus, quomodo punitus. 937. d.

Episcopatus. 742. g. *de nullius persona ad eundem evehenda vel non evehenda sententiam dicebat S. Gregorius Papa, sed electionem precibus adjuvabat.* ibid

Episcopi à Prædicantibus immanibus conviciis proscinduntur. 9. 56. d. 129. b.

Epistola Bononiensis Italo-Latina de perfectione & excellentia Ordinis Jesuitici. 869. a.

est libellus famosus. b. *ejus argumentum.* 870. b. d. *refellitur.* f. & seqq.
Epistolæ Jesuiticæ, ex historia Jesuitica Hasenmilleri decerptæ, refutantur. 567. c. & seq.
Epitaphia, à S. Hieronymo viris & mulieribus condita. 969. e.
Eques Polonus Invectivam in Societatem Jesu edidit. 150. d. *à quibus refutatus.* ibid. 942.
S. Equitius Abbas. 946. d. *ei Clerici obloquebantur.* ibid. *ejus sanctitas patefacta.* ibid. *gratiâ introspiciendi cordis penetralia pollebat.* 997. b.
Erasmus Roterodamus Lutheri prodromus. 109. a. *quid de Zwinglianis & Lutheranis.* 881. e.
Essæorum, seu Jessæorum pietas. 543. d.
Ethnici examen conscientiæ probant. 45. b. 444. b. & seq. *decorum, quod in oculos incurrit, quanti fecerint.* 953. g.
Evangelici quid credant. 1017. h.
Evangelium an à Jesuitis mundo ereptum. 117. b.
Eucharistia. Vide V. *Christus.*
Eucharius Joannes, Prædicans Calvinianus Contra Jesuitas in sua Scartecka *arma fremit.* 919. h. & seq.
Eustochium, Paulæ Romanæ Filia, suasu S. Hieronymi non tantùm rebus mortalibus se abdicavit, sed & Palæstinam petiit, ibique sedem fixit. 967. d. *quàm benefica in pauperes, & Religiosos.* 970. c.
Examen Conscientiæ ab ipsis Ethnicis probatum. 45. b. 444. b. *instituendum.* 444. d. e. *quoties & quando.* f. *in eo quis judex, & quas leges sequatur.* g. h. *qua ratione instituendum.* 445. b. *ejus materiam versibus pulchrè complexus est Ausonius.* d. *ejus fructus* e. *particulare quid, à quibus usurpatum, & quo emolumento.* 446. b. & seq.
Excommunicatio, quanta pœna. 195. f.
Exemplum malum non est ad imitationem proponendum. 193. h.
Exercitia spiritualia S. P. Ignatii. 466. g. *eorum quis finis.* ibid. *à calumniis Lermæi Calvinistæ vindicantur.* 560. d. & seq. *eorum liber generatim duabus sententiis quasi periochis continetur.* 562. c.
Exorcismi à Wiclepho & Calvino appellantur incantationes & necromantiæ. 203. f.

F

Faber Jacobus Stapulensis semicatholicus & Lutheri prodromus. 109. a.
Faber Jacobus Tubingensis cum Brentio cœlum ubique ponit, etiam in inferno. 109. b.
Fabius de Fabiis, S. J. vitæ sanctimonia & prudentiæ laude floruit. 992. e. *an Neapoli ex uno Collegio undecim dimiserit.* ibid.
Fabulæ calumniosæ cur tam celeriter varias urbes & Provincias pervagentur. 488. h. & seq.
Falli primò incommodum est; secundò, stultum; tertiò, turpe. Proverbium. 384.
Famigeratores, qui. 867. b. *in eos gravissimè invehitur S. Chrysostomus.* 877. b. Vide etiam *V. Novellantes.*
Farnesius Alexander Cardinalis, à Prædicante, hominum abjectissimo maledictis incessitur. 33. c. *Templum Domus Professæ extruxit, ad quod corpus P. N. Ignatii translatum est, quo anno.* 136. h. 137. a. 934. b.
Ferdinandus Bavariæ Dux, & Electoratus Coloniensis Coadjutor. 498. *ejus effigies in S. Athanasio depicta.* 499. & seq.
Ferdinandus Rom. Rex tractatur à Luthero & Prædicantibus non secus, ac si famulus à pedibus vel potiùs à matula fuisset. 153. d. 155. g. *an Lutheranus factus* 935. f.
Festa quænam à Calvinistis observentur. 442. h. & seq.
Fides, Jesuitarum est Fides Catholica. 119. g. *non tollitur ab his, sed extollitur.* 120. d. *ejus objectum formale,* quod & quo. c. *informatur à charitate.* h. & seq. *quænam à Catholicis teneatur.* 937. h. & seq.
Fides sive fiducia Lutherana, fenestra & janua est ad omnia scelera. 119. h. *est plus quàm Luciferiana superbia, & Diabolica præsumptio.* 120. d.
Fidem qui perdit, nihil potest ultrà perdere. 532. h.
Florenius Paulus, Ordinis sui desertor. 864. h. *de eo quid gravissimus vir, qui eundem in Collegio Germanico Romæ familiariter noverat, testetur.* 865. a.
Florentius Presbyter ex odio & invidia S. Benedictum insectatur. 949. h. & seq. *à Deo horribili pœna mulctatus.* 950. d.
Fœminarum affectus plurimum in utramque partem potest. 956. f. *per eas Lutherani & Calviniani verbi fidicines majorem partem Septentrionis seduxerunt.* h.
S. Franciscus Borgia, Dux quondam Gandiæ, & Cataloniæ Prorex. 188. b. *Caroli V. cum eo Colloquium.* ibid. *ejus prudens responsum.* c. *ejus sententiam laudat Carolus V.* f. *ad eum Caroli Epistola.* g.
S. Franciscus Xaverius à Pseudohistorico dente maledico carpitur. 137. d.
S. Franciscus debellandis Albigensibus suscitatus, 252. a. *Ordinis sui approbationem à summo Pontifice petens, repulsam tulit.* 512. d. e. *ejus Ordines duos* Conventualium, *& eorum, qui* de Observantia, *Pontifex conjungere voluit.* 737. h. & seq.
Franciscani iisdem calumniis petiti, quibus Jesuitæ. 139. c. 948. c. *à S. Bonaventura defensi.* 139. c. g. usque 147. *quingenti an Jesuitarum impulsu & hortatu fuerint neci dati.* 247. d. 248. f. *multis privilegiis à Sede Apostolica adaucti.* 692. b. *eorum ædificia S. Bonaventura à calumniis malevolorum vindicat.* 763. g. & seq. *eorum calumniatoribus compescendis Alexander IV. Papa Bullam promulgavit.* 948. g. *ab iis varias calumnias* de-

dꝛpellit S. Bonaventura. 961. d. 962. h. 994. a. 995. c.
Franck Caſparus, ad Eccleſiam Catholicam revertit. 134. d. *an miſerè periêrit.* g.
Francken Chriſtianus, infamis apoſtata & ſycophanta. 11. *homo vagus, & inſtar Caini à facie Domini profugus.* 864. h.
Fridericus I. Imp. intellecta quorundam apoſtaſia, quid dixerit. 352. b.
Fridericus II. Imp. præclarè depinxit hæreticos. 783.
Fuggeri Illuſtriſſimi DD. Societati Auguſtæ Collegium exædificârunt. 55. c.
Fuldenſis Princeps an culpâ Jeſuitarum ditione ſua exciderit. 720. c.

G

Gabrielis Archangeli colloquium cum D. Virgine ab Agricola Prædicante Lutherano laſcivè & blaſphemè exponitur. 46. d.
Gabrielis Patriarchæ Alexandrini Legatio ad Clementem VIII. Pont. Max. an ſit fabula. 551. c. 552. a. b.
Galliæ Reges an Papæ reſtiterint. 193. g. *in omnibus ſuis cum Pontificibus controverſiis eos ùt Superiores agnoverunt, & ùt D. Petri ſucceſſores, Chriſtique vicarios coluerunt.* h. & ſeq. *omnes alios Reges ſuperârunt obſervantiâ & munificentiâ in Sedem Apoſtolicam.* 194. e. *Summos Pontifices appellare conſueverunt* ſuos ſanctiſſimos Patres. g. *Chriſtianiſſimi & Eccleſiæ Filii primogeniti appellati, & cur.* ibid. *iis, eorúmque Legatis quid locum primum in Conciliis comparaverit.* h. *an à Pontificibus ea immunitate fuerint donati, ùt ne excommunicari poſſint.* 196. c. *in eos impudentia Bezæ.* 200. c. *quanti fecerint Jeſuitarum laborem & operam.* 236. b.
Galliæ Regina Romam ad ſepulchrum B. Aloyſii miſit lampadem miri operis, magnique pretii. 897. b. *poſt mortem Henrici Regis quàm benefica erga Societatem.* 898. a. & ſeq.
S. Garibaldus Epiſcopus Ratisbonenſis, quo anno Pontificatum inierit. 385. *ab eo perennis ſeries Epiſcoporum Ratisbonenſium uſque ad Wolfgangum.* ibid.
Garnetus Henricus, S. J. noſtris in Anglia præerat. 459. h. *captus tanquam conſpirationis ſocius.* ibid. *ejus conſtantia in tormentis.* 460. a. *Martyrio affectus.* f. *cur.* h. *ei quænam quæſtio à Calviniſtis fuerit propoſita.* 474. b.
Generalis Præpoſitus Societatis JEſu. 30. d. *cur reſideat Romæ.* g. *eligitur iis præditus donis & virtutibus, quas Conſtitutiones exigunt, quocunque tandem genere locóque ſit natus.* 31. b. *ejus Aſſiſtentes.* f. *ad eum quæ literæ mittantur.* 32. c. *Viſitatores & Rectores creat.* g. *an quemlibet ex Societate expellere poſſit.* 995. h. *an habeat poteſtatem decernendi & abrogandi quælibet arbitratu ſuo.* 1010. a. *ſupra eum eſt Congregatio Generalis.* ibid. Vide etiam V. *Jeſuitæ*, &, *Societas JEſu.*
Genevenſes publico edicto prohibent, ne infantibus imponantur nomina Angelorum aut Claudii, quare. 257. c.
Georgius Dux Saxoniæ quàm immanibus conviciis & maledictis à Luthero oneratus. 153. e. & ſeq. *Luthero eſt porcus Dresdenſis.* 356. c.
Germanicum Collegium à ſummo Pontifice liberaliter fundatum. 732. f. *ei ampliſſima privilegia conceſſa.* g.
Gerſonis Joannis Cancellarii Pariſienſis votum quale. 255. a. *verba de recta Juventutis informatione.* 267. d.
Gerundia in do *num malè corripiantur.* 392. a.
Giezi, Heliſæi famulus. 503. a. *ab eo Hæretici jure dicuntur Giczitæ.* h. & ſeq.
Gloria vana Religioſo quàm maximè fugienda. 543. g.
De Gondy Henricus, Epiſcopus Pariſienſis. 898. e. *ejus Atteſtatio de Innocentia Patrum Societatis.* f.
Gorgonia Inſula. 562. f. *ejus Monachi.* ibid. 563. b.
Gotuiſus Donatus. Vide V. *Marbachius.*
Græcenſis Senatus teſtimonium pro Jeſuitis Viennenſibus. 491. e. & ſeq. *aliud pro Societate, nominatim pro P. Georgio Schererio contra Odonticas & Volcianas criminationes.* 838. g. & ſeq.
Græcorum religio quotidie imminuitur. 481. g. 482. a. *eorum cum Latinis comparatio.* 482. f.
Græcus ἐπιθέτης *quid ſit.* 389. h.
Gratiæmontanum Monaſterium non procul Altorfo Noricorum. 362. f. *in eo an fuerint eædem S. Hoſtiæ, quæ in Monte ſancto Bavariæ.* h.
S. Gregorius Papa, de nullius perſona ad Epiſcopatum evehenda, vel non evehenda ſententiam dicebat, ſed electionem precibus adjuvabat. 742. g. h. *in libelli famoſi opificem quid conſtituerit.* 791. c.
Gregorius IV. Papa, an Regibus Galliæ privilegium dederit, ut ne excommunicari poſſint. 196. c.
S. Gregorius VII. Papa, an ſecum ferre ſolitus ſit librum artis necromanticæ. 803. h. & ſeq.
Gregorius XIII. Papa, vindicatur. 29. d. *Jeſuitis medicinæ peritis, in regionibus Medicorum penuria laborantibus, medendi facultatem tribuit, citra tamen aduſtionem & inciſionem per ſe ipſos faciendam.* 96. d. *quas ob cauſas exemerit Jeſuitas à Proceſſionibus.* 701. b. *Jeſuitis horas privatim extra Chorum dicendi facultatem reſtituit.* 738. d. *Novellantes vivis coloribus depingit.* 868. c. *in Novellantes quas pœnas ſtatuerit.* g. *quæ Privilegia Jeſuitis conceſſerit.* 90. d. & ſeq. 993. f. *à mulieroſitatis vitio vindicatur.* 994. d.
S. Gregorius Nazianzenus pro Religioſis ſcripſit. 552. h. & ſeq. *Superiorem quomodo deſcribat*

ſcribat. 689. h. *accuſatus, quaſi Cathedram Conſtantinopolitanam ambiviſſet, quid reſponderit.* 730. e. *S. Baſilium defendit.* 880. b.

S. Gregorius Nyſſenus quid de veteribus hæreticis. 926. b. *eoſdem comparat lupo Æſopico.* ibid. *de cæcis quid.* 926. d. *calumniis non reſpondendum ait.* 927. d. & ſeq. *cauſam fratris ſui Baſilii adversùs Eunomium agit.* 928. h. *de pauperibus amandis & juvandis ſcripſit.* 953. a. *quænam cum hominibus, reprehenſionis impatientibus, obſervanda doceat.* 980. h.

S. Gregorius Thaumaturgus de flagitio venereo accuſatus. 770. b.

Gubernandi munus difficile. 689. g.

Guidiccionius Bartholomæus Cardinalis, ex improbatore approbator Societatis Jeſu effectus, quid dixerit. 26. g.

Guilielmus Bavariæ Dux atrociſſimis criminationibus inceſſitur. 79. g. & ſeq.

H

Habitus intellectûs quot ſint. 533. b.

Hæreſis eſt origo omnium calamitatum in Germania, Gallia, Belgio, aliisque Provinciis. 47. f. *non eſt corpus, ſed diſſecta, nullóque vinculo coagmentata confuſio.* 156. e. *unaquæque proprias texit calumnias.* 324. g. *Calvinianæ quænam propria.* ibid. *eſt Bel, Draco.* 361. a. *non ſolùm ex ſententia SS. Patrum, ſed ipſius etiam Lutheri eſt idolum.* 392. f. 393. b. & ſeq. *quale.* 393. f. *eſt cauſa, cur hodie tanta ſit calumniarum & calumniatorum copia.* 480. f. *eſt cauſa, cur hodie tot calumniatorum auditores numerentur.* 487. h. & ſeq.

Hæretici immanibus conviciis onerant Pontifices, Cardinales, Epiſcopos &c. 8. 9. *Imperatores, Principes &c.* 9. 11. *mentiendo & maledicendo famam ſibi conciliare ſtudent, cùm non poſſint veritate & eruditione.* 8. *quibus maledictis Societatem noſtram, & parentes, qui filios ſuos nobis inſtituendos tradunt, lacerent.* 10. *ſuis calumniis, execrationibus & diris plus hactenus Societati profuerunt, quàm obfuerunt.* 12. *cur Jeſuitas tantoperè inſectentur.* ibid. *eodem modo & ſpiritu hodie cum Jeſuitis agunt, quo olim Ariani cum S. Athanaſio.* 12. 13. 14. *mendaciorum palàm convicti, à mentiendi & calumniandi incepto non deſiſtunt.* 14. *ad teſtimonium contra Jeſuitas ferendum tam ſunt idonei, quàm illi, quos Phariſæi produxerunt in domo Caiphæ contra JEſum.* 22. *ſacris litteris non plus credunt, quàm velint.* 26. b. *ex mendaciis & ignorantia tanquam ex genere & differentia compoſiti.* 91. g. *Perſonas ſacras in Theatrum inducunt, aut in bacchanalibus per publicas plateas circumducunt, quod jure civili graviſſimè prohibitum.* 101. d. *cujuscunque dignitatis, etiam Imperatoriæ, olim non admittebantur tanquam teſtes idonei contra Orthodoxos.* 129. e. *Eccleſiam oppugnârunt, ſed non expugnârunt.* 152. d. & ſeq. *eorum aſtus.* 173. g. *quidam eodem die exuſtus, quo captus.* 181. g. *Catholicos vocant Hiſpanos.* 183. d. *propter abuſum tollunt uſum.* 185. b. *lupis ſimiles.* 186. a. *eorum modus argumentandi.* 191. g. *iis Extravagans Bonifacii Papæ eſt petra ſcandali.* 192. b. *oderunt omnem ordinem & ſubjectionem.* c. *eorum ſynagoga multiplex.* 193. e. *natura.* 199. e. *quales ſint erga Reges.* 199. g. *eorum libri, ex quibus liquet, quid de Regibus ſentiant.* 200. d. *oderunt Monarchiam.* f. *ab iis inventum nomen Conjurationis Hiſpanicæ.* 204. g. *ſeditioſi.* 216. e. *quid intelligant nomine Hiſpani.* 228. e. *cur adeò oderint Jeſuitas.* 250. h. *eorum in Jeſuitas odium, quale.* 252. h. *eorum mos in citationibus.* 260. d. *Jeſuitis objiciunt eadem ſcelera, quæ olim Idololatræ Chriſtianis.* 269. a. *Arnaldi Invectivam tranſtulerunt in Latinum, & aliquoties typis excuderunt.* 272. g. *eorum imaginem gerunt muſcæ.* 356. d. *Babylonii, hoc eſt, confuſi.* 361. a. *cur adeò inſolenter jactent, támque frequenter in ore habeant S. Scripturam.* 392. d. & ſeq. 395. h. 396. f. *ſunt idololatræ.* 392. e. & ſeq. *etiam ex ſententia ipſius Lutheri.* 393. b. *qui vitæ impuræ & improbæ, cur non ſint tam apti fallere.* 394. h. *lupi ſunt.* 396. f. *eorum in citandis & exponendis Scripturis ineptiæ exemplum.* 398. d. *aliud ex Luthero petitum.* g. *quàm impii in SS. Patres, præſertim S. Hieronymum.* 400. a. *& cur.* e. & ſeq. 401. c. *cur Clericos & Religioſos tantopere execrentur.* 419. c. *eorum odium in Catholicos eſt cauſa tot calumniarum & calumniatorum hoc tempore.* 483. b. *eorum nativa pictura.* f. *unde* Novatorum *nomen trahant.* 488. b. *homines averſi à veritate, ad fabulas autem converſi.* 488. g. *quot fabulas contra Jeſuitas divulgârint.* 488. d. 489. c. g. 490. e. 491. d. 492. d. & alibi paſſim.

Hæretici, veteri more & inſtituto, ſolent Orthodoxæ fidei propugnatores calumniis & conviciis appetere. 498. *jure dicuntur Giezitæ à Giezi, Heliſæi famulo.* 503. h. & ſeq. *eorum conciliabula ſunt foveæ diaboli, judice S. Hieronymo.* 506. g. *quales venti ſint.* 523. g. h. *ſerpentum in morem pulverem terræ eſitant.* 524. e. *utrum ſua in Eccleſia tales Monachos habeant, quales tempore S. Auguſtini vivebant in tota Eccleſia Catholica.* 525. h. & ſeq. 526. h. *cum illis quàm conſentiat Meletius.* 550. h. & ſeq. *de eorum diſputationibus & velitationibus cum Hæreticis & Catholicis quid Tertullianus ſcripſerit.* 564. d. *eorum libri prohibiti.* f. *ſunt locuſtæ.* 566. c. *cur.* d. & ſeq. *an in Anglia nulli ad profeſſionem Catholicæ Religionis à Jeſuitis reducti fuerint.* 715. h. *quàm prompti*

prompti sint ad invadenda & profananda Catholicorum templa. 720. e. *quare Religiosis flagitia Venerea tam libenter objectent.* 769. g. & seq. *à Friderico II. Imp. præclarè depicti.* 783. *qui ab eis lacerantur conviciis, quale solatium habere possint.* 815. e. *quinam contra Jesuitas scripserint, & an eisdem à Jesuitis satisfactum fuerit.* 821. a. & seq. *curiosi Ordinum observatores & infamatores.* 876. h. *controversiis Bellarmini refutandis frustrà insudârunt, imò impalluerunt, ac immortui sunt.* 915. a. *in novis mendaciis & calumniis perpetim confingendis & evulgandis assidui & alacres.* 926. a. *imitantur veteres Hæreticos & Sycophantas.* b. *à S. Gregorio Nysseno comparantur lupo Æsopico.* ibid. *quidquid Prædicantes mentiuntur, avidis auribus audiunt & hauriunt.* 928. b. *piscibus multò stolidiores.* c. d. *calumniatores in scenam producendi, & cur.* 930. a. *quot Monasteria, & templa in Prussia, Livonia, Russia & Polonia occupârint & devastârint.* 962. a. *nullum non lapidem moverunt, ne Torunium Societas introduceretur.* 1014. g. Vide etiam V. *Sectarii.*

Hallensis D. Virginis Miracula à calumniis cujusdam Sectarii vindicantur. 424. d. & seq.

Hasenmillerus Elias conscripsit historiam Ordinis Jesuitici. 7. *non fuit historicus, sed sycophanta mendacissimus, in primam historiæ legem peccans.* 16. *nulla dignus fide, utpote Apostata & transfuga infamis.* 17. 18. 23. *ejus infelix mors.* 18. *ad Collegium Ingolstadiense venit incognitus, squalore pannisque obsitus, fide Catholica instrui petens.* ibid. *causis conversionis scripto consignatis hæresin abjuravit.* ibid. *in Societatem cooptari multis precibus contendit.* 19. *facto aliquot mensibus constantiæ periculo, receptus tandem est inter Societatis tyrones Landspergæ.* ibid. *nondum exacto probationis tempore, libris & pecunia furto sublatis aufugit Augustam, ubi à Millero Prædicante humaniter acceptus & occultatus.* ibid. *non ea, quæ vidit; sed quæ ipse improbissimè confinxit, literis commendavit.* ibid. *ejus Historia, innumeris mendaciis, conviciis, calumniis & infandis scommatis plena, refutatur.* 23. a. & seqq. *ejus horribili morte quidam perterrefactus, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium revolavit.* 158. f.

Heilbrunnerus Jacobus, quinti verbi tibicen. 932. c. *ex Antistite seu Episcopo Neoburgico Abbas factus.* ibid.

Heli filii pessimi nullum præjudicium afferebant Sacerdotio. 417. f.

Helleborum, ùt consuetus aliquis potus, sumptum absque vomitu. 787. c.

Henricus III. Galliæ Rex, quàm benevolus in Jesuitas. 236. f.

Henricus IV. Galliæ Rex, Jesuitas Edicto publico in Gallias revocat. 338. b. *quàm benevolus erga Societatem.* d. & seq. *Apologetes Societatis.* 467. e. & seq. 836. a. *eximius ac singularis Patronus Societatis.* 836. a. 896. a. & seq. *ejus cædem Novellator quidam in Jesuitas confert.* 890. *ejus litteræ ad Provinciam S. J. Germaniæ Superioris.* 896. g. *erga eum quis animus, & quæ observantia Societatis.* 897. d. *cor suum sepeliri voluit Flexiæ in Templo Collegii S. J.* h.

Herculis ad columnas habitantibus nemo invidet. 966. d.

Hermannus Buschius Pasiphilus, Professor in Academia Lipsiensi. 345. b. *Misenum scitè versibus effigiavit.* e.

Hieremias Patriarcha Constantinop. ad Tubingenses scribit. 550. f. *eosdem tanquam Judæorum surculos egregiè tangit.* g.

S. Hieronymus Manichæis & aliis oppositus. 251. h. *causam reddit, cur hæretici usque adeò Scripturam intonent.* 396. b. *in eum quàm impii sint hæretici.* 400. a. & seq. *Hæreticorum genium describit.* 498. *multis Religioneni & Monasticæ vitæ ingressum suasit ac persuasit.* 559. d. *Sabiniani Diaconi scelus deplorat ac detestatur.* 711. f. & seq. *ei Venerea flagitia objecta.* 771. f. *ejus elogium.* 917. e. *munuscula quædam ab Eustochio & Marcella accepit.* 964. h. *nobilissimas Virgines & Viduas suis cohortationibus impulit, ut virginitatem matrimonio, & viduitatem secundis nuptiis anteponerent.* 967. b. *Paulam cum Eustochio filia & Melaniam induxit, ut Palæstinam peterent, ibique ad loca Nativitate Domini consecrata sedem figerent.* d. *quas ob hoc contumelias & opprobria audierit.* e. *Virginibus & Viduis præcepta rectè vivendi præscripsit.* 967. h. 968. a. b. *epistolis & tractatibus elegantissimè scriptis viduas & virgines recreavit.* 969. a. *viris & mulieribus epitaphia condidit.* e. *inhonestæ cum Paula & Melania consuetudinis insimulatus.* f. *ejus monitum Nepotiano datum de cavenda detractione.* 972. g.

Hierosolyma idololatrica. 394. a. *ei Deus per Prophetam idololatriam exprobrat.* 394. a. d. 395. b.

S. Hilarius Pictavorum Præsul ab Arianis mirum in modum divexatus, quid conquestus sit. 474. d.

Historiæ prima lex est veritas. 16.

Hoffæus Paulus S. J. à calumniis Pseudohistorici vindicatur. 57. a. 105. g.

Holinfedus Hæreticus, Angliæ Chronographus. 716. g. *perditissimus Sectarius ab Andrea Philopatro dictus.* h.

Honores à Religioso non quærendi. 539. a.

Hosiander Lucas, qualem calumniam Societati intulerit, & à quibus refutatus. 26. c.

Hosius Cardinalis Jesuitas Elbingam destinat. 720. f.

Hospitalitas. 764. d. *ab ejus onere quinam immunes.* ibid & seq.

Humiliatorum Ordo cur extinctus. 245. b.

S. Hyacinthus Poloniæ Divus Tutelaris. 995. f. *Bo-*

f. *Boleslao Duci Cracovienſi & Sendomirienſi, ejúsque uxori Kunegundi perpetuam caſtitatem perſuaſit.* ibid.
Hymnus ἐπιβατήριος quid ſit. 390. b.

I

Iconoclaſtæ triplicis generis. 434. f. *Martyrii coronam illis detrahere volebant, quos imaginum colendarum gratiâ interemerant.* 461. b. *in eos quid Theodorus Studita.* ibid. *iis quæ olim pœna impoſita.* 899. f.
Idololatria Hieroſolymæ à Deo exprobratur. 394. a. d. 395. b.
Jeſſæi, à Jeſu ſic appellati. 544. d. *eorum magnitudo animi laudata.* ibid. *eorum Semnéa & habitacula.* 561. c. Vide etiam V. *Eſſæi.*
Jeſſui filius Aſer. 505. a. *typus noſtri Jeſu.* c. *Jeſſuitæ in veteri Teſtamento à Jeſſui dicti.* 505. c.
Jeſu nomen, quale ſit nomen. 256. e. *eo inſignitos Aureos cudunt Calviniſtæ.* 257. f. *an nulli Inſtituto tribui poſſit.* 507. b. h. & ſeq.
Jeſus an Ignatio apparuerit ſpecie Monachi. 508. d. *Jeſuitas amare non poteſt, judicio cujuſdam Calviniſtæ, & quare.* 509. e. 510. b.
Jeſuatæ ſeu Jeſuati Monachi. 256. a. 504. c. *eorum Ordo quando inſtitutus.* 256. a. *ab iis an nomen Jeſuitæ acceperint.* 504. c. *eorum nomen à Jeſu deductum.* f.
Jeſuitæ à Prædicantibus Hæreticis in Theatrum producuntur, quo fine. 8. *cur odio ſint Prædicantibus.* 12. *cum iis Prædicantes hæretici eodem modo agunt, quo Ariani Prædicantes cum S. Athanaſio.* 12. 13. 14. *eorum primus Auctor à calumniis Pſeudohiſtorici vindicatur.* 24. d. & ſeq. *eorum nomen carpitur.* 27. d. 28. b. *& eorum Generalis.* 30. d. *apud eos quinam Aſſiſtentes appellentur.* 31. f. *cur interdum mutent veſtes.* 32. e. 42. f. *non fiunt Inquiſitores.* 32. g. 33. d. *de eorum Profeſſis mendacia refelluntur.* 33. a. *Devotorii ſervi apud illos ne nomine quidem noti ſunt.* 34. b. *eorum Novitii.* 35. f. *Coadjutores temporales non ſunt eorum ſervi, multò minùs* ſclavi. 36. d. *quinam apud eos appellentur Coadjutores ſpirituales.* 37. d. *eorum Præfecti ſpirituales à pſeudohiſtorico depinguntur.* 38. d. *iis quinam optimi concionatores ſint.* 38. g. *quem modum obſervent in abſolutione peccatorum.* 39. a. *quinam Pœnitentiarii appellentur.* 39. c. *eorum exhortationes Domeſticæ.* 40. b. c. *de eorum Rectoribus quid pſeudohiſtoricus narret.* e. *malè Pythagoreis, Phariſæis & Anabaptiſtis comparantur.* 41. c. 42. c. *eorum Regulæ an ſub peccato obligent.* 43. c. *tranſgreſſores Regularum quomodo puniantur.* f. 45. d. & ſeq. *eorum paupertas.* 49. b. & ſeq. *cur mendicent.* 52. f. *eorum victus & veſtitus.* 52. g. 54. b. 144. a. 261. b. 736. a. 737. a. 873. d. 966. f. *lecti ratio.* 52. g. *pilei Sacerdotales.* 52. h. 53. a. & ſeq. *quidam à muliere ad flagitium ſollicitatus, quomodo caſtitatem ſuam conſervaverit.* 58. d. *ad Angelicam puritatem eniti jubentur.* 60. e. *de iis quas fabulas impudicas hæretici confinxerint.* h. 61. f. & ſeq. *eorum Regulæ à mendaciis pſeudohiſtorici vindicantur.* 66. g. & ſeq. *eorum Inſtituti Formula.* 74. g. & ſeq. *iis à ſummis Pontificibus varia privilegia conceſſa* 76. h. & ſeqq. uſque 97. *à Pſeudohiſtorico mendaciis & calumniis oppugnantur.* ibid. *de Monacenſibus fabula.* 100. h. & ſeq. 921. f. *Landſpergenſibus quid Polycarpus affingat de quodam auriga.* 101. e. *adversùs mendacia Polycarpi & Heliæ defenditur eorum Doctrina, de Scriptura ſacra.* 103. g. & ſeq. *de Perſona & Officio Chriſti.* 108. c. *de Spiritu ſancto.* 110. c. *de Angelis.* 111. b. *de imagine Dei in homine.* g. *de Providentia Dei.* 112. d. *de libero arbitrio.* 113. c. *de peccato.* 114. a. *de Decalogo.* 116. b. *de Evangelio.* 117. b. *de Chriſti regno & Sacerdotio.* 118. a. *de Juſtificatione hominis.* f. *de fide.* 119. g. *de bonis operibus.* 121. h. *de pœnitentia.* 123. d. *de Sacramentis.* 125. g. *de Eccleſia.* 126. h. *quomodo Lutheranos ad ſe alliciant.* 133. f. g. *an plerique in ſumma deſperatione moriantur.* 136. f. 137. f. & ſeq. 138. f. 934. e. f. *an Ignatii oſſa in Templum Farneſianum transferre voluerint, & non ampliùs invenerint.* 136. h. & ſeq. 934. b. *an avariſſimi ſint & inexplebiles.* 141. e. 221. f. *an alienis inhient Monaſteriis.* 141. h. *an Parochorum & Civitatum jura imminuant.* 142. c. *an rectè contra detractores & damna inferentes ſe defendant.* f. & ſeq. *cur locum mutent.* 144. c. *an in Parochorum munia involent.* 145. g. *cur Sacerdotibus & Religioſis quibusdam ſint minùs grati.* 146. c. *an hominibus placere velint, maléque lætentur de rebus à Societate geſtis.* 147. b. 1011. b. *iis Prædicantes maledicunt, quia malefacere nequeunt.* 150. a. *an non ſatis occupati.* 151. f. g.

Jeſuitæ ex Galliâ expellendi, judice Arnaldo, & quare. 181. f. *pro iis, eorúmque Collegiis Senatui Regio ſupplices facti Cardinalis Borbonius & Dux Nivernenſis.* 182. d. *eorum cauſam quænam civitates Galliæ tueantur.* ibid. *pro ipſis Decretum Sorbonicum.* f. *eorum ex Gallia expulſionem non approbat Sorbona.* ibid. *pro iis Facultates Pariſienſes.* g. *eos quinam perſequantur.* 183. c. *pro iis Teſtimonium Stephani Paſcaſii.* 184. b. *in eos bene affecti boni Catholici, & cur.* d. *pro iis Epiſtola Epiſcopi Bazenſis.* f. *eorum operâ non eſt uſus Carolus V.* 187. b. *quo anno in Gallias venerint.* f. *ad eos dedit Epiſtolam Philippus Rex, & quare.* 189. f. *de eorum origine quid Caſtagneda Hiſtoricus Luſitanus ſcripſerit.* 201. e. *de iis Dictum*

Etum Melanchthonis. 203. e. *eorum adventus in Galliam.* h. & seq. *in eos persecutio Parisiis excitata.* 204. b. *eorum quartum Votum.* 205. b. & seq. *utrum præstare possint juramentum Regibus.* 206. f. *ab omnibus Galliæ Ordinibus recepti & admissi sunt.* h. 207. a. & seq. *per votum obedientiæ non fiunt Vasalli Pontificis & Regis Hispaniæ.* 207. f. *eorum Generales.* 208. h. *eorum prima origo Parisiis.* 211. b. *orant pro omnibus.* g. *cur nullus sit Prælatus.* 213. f. *de eorum divitiis calumniæ ac mendacia refutantur.* g. & seq. *eorum divitiæ ac reditus in Gallia.* 214. c. 215. f. *an Testamenta captent, & supponant.* 216. g. & seq. 220. f. *iis Testamento relicta & destinata varia Legata.* 217. b. *an Familiæ de Lagebaston abstulerint ditionem Fajolensem.* 218. b. *ipsorum disciplinæ qui liberos committunt, judicio Arnaldi, sunt similes Carthaginensibus, pueros suos Saturno immolantibus.* c. *ad eos epistola Marchionis de Canillac.* 219. f. *quid egerint Parisiis tempore pestis.* 220. h. *mortui & ægri ex peste.* 221. a. *quantum in pestiferos expenderint,* ibid. *munera quæ recipiant, quæ respuant.* 223. b. *Legatum pauperis cujusdam rustici accipiunt.* f. *magnum Legatum rejiciunt.* g. *quantam pecuniæ summam colligerent, si à Scholasticis & aliis mercedis loco aliquid acciperent.* 224. b. *duplo majus est, quod recusant, quàm eorum reditus.* d. *quas ob causas vulgo censeantur opulenti.* 225. c. & seq. 226. d. & seq. *iis quantum donaverit Domina de S. Chaumondo pro fundatione Domûs probationis Avenione.* 226. b. *Tolosanis quid evenerit propter donum cujusdam è Suis.* c. *ob duas causas habentur avari.* 227. c. *an Juventutem Gallicam depravent.* h. & seq. 298. g. *non seducunt Juventutem Gallicam.* 228. f. 297. f. *quo delectu & judicio Tyrones legant.* 228. h. *in perpetua probatione vivunt.* 230. h. *Professi quatuor Votorum quales.* 231. b. *cur nonnulli dimittantur, & qui.* e. *quo jure possint à votis absolvi, & dimitti.* 232. e. *an notis boni & probati Magistri sint præditi.* 234. a. & seq. *in eorum scholis ordo & ratio docendi.* 234. b. *eorum diligentia in docendo.* f. *modus docendi pietatem.* 235. c. h. 237. c. *eorum laborem & operam quanti fecerint Reges Galliæ & alii Principes.* 236. b. *in eos Decretum Parisiense.* 237. e. *an luere debeant errata suorum discipulorum.* f. *utrum doceant, posse Reges interfici.* h. *in eos cur Dæmon adeò sæviat.* 238. g. *an à juvanda Republica sint cessaturi.* 238. h. & seq. *iis proprium est Juventutem instruere.* 239. d. *in eos calumniæ Arnaldi magis particulares discutiuntur.* 240. e.

Jesuitæ nunquam fuerunt suspecti de seditionibus. 241. g. *non sunt rei læsæ Majestatis.* 242. f. 244. f. *eos Barierii confessio ab omni criminis suspicione absolvit.* 244. f. *an interfecerint Sebastianum Regem Lusitaniæ.* 245. g. & seq. *nullis Principibus plus amoris, officii, cultûs & obsequii debuerunt, quàm Regibus Lusitaniæ, & cur.* 246. b. *an elaborârint, ut Antonius Rex ex Lusitania ejiceretur.* g. & seq. *eorum suasu & hortatu an quingenti Franciscani neci fuerint dati.* 247. d. 248. f. *in Brasiliam quando venerint.* 249. d. *eorum in India labores & fructus.* g. *in eos amor Indorum.* 250. c. *eorum innocentiæ suffragatur Popilinierus.* d. *eos cur adeò oderint Arnaldus & Hæretici.* f. h. *eorum odium in Hæreticos quale.* 252. h. *eorum munera.* 253. c. *de iis aliorum opinio.* 254. f. *an sint Regulares.* 258. d. *an habeant Regulam.* 259. f. *qualis sit eorum Regula.* ibid. *à quo fuerit approbata.* 260. b. *cur non habeant Chorum.* g. *inter eos cur pauci senes.* 261. a. *eos esse veros Religiosos, disertè ostendit Navarrus.* d. *eorum Vota.* e. *ex quibus locis sint expulsi, & qua de causa.* 262. d. *ex Italia nunquam fuerunt pulsi.* h. & seq. *cur discesserint Burdegala.* 263. a. *revocati sunt in Transylvaniam.* 264. c. *de iis Dictum Pii V.* e. *quanta ubique sint passi, præsertim in Gallia.* 265. h. & seq. *de iis Dictum Ducis Nivernensis.* 267. b. *iis Arnaldus & Hæretici objiciunt eadem scelera, quæ olim Idololatræ Christianis.* 269. a. *eorum disciplina utrum execranda & abominanda, quòd ex ea prodierit Schatelius.* 275. c. & seq. *de eorum ex Galliis expulsione.* 277. g. & seq. *iis ex Gallia discedentibus Salvus Conductus à Calvinistis datus, ad eosdem Calvinistas remissus.* 280. c. *Gallicani supplicem libellum scribunt ad Henricum IV. Galliæ & Navarræ Regem, & cur.* 285. a. & seq. *an sint Hispani.* 288. h. *non sunt hostes Regni & Reipublicæ,* 289. d. 290. d. 291. f. *neque speciales hostes Christianissimi Regis Henrici IV.* 292. b. *non fuerunt Schatelio auctores, ut parricidium in Regem susciperet.* 293. d. *à Schatelio usque ad extremum spiritum innocentes pronunciati.* 295. d. 894. g. *in ipsis nullum indicium deprehensum fuit, quo, ùt facinoris illius conscii, argui potuerint.* 296. g. *non immiscent se negotiis Reipublicæ.* 301. d. *arrogantiæ, ambitionis & avaritiæ immeritò accusantur.* 302. e. *an unum ex nostro Ordine in Belgium miserint, ut consiliis suis Comiti Mauricio exitium strueret.* 306. a. *non dehortantur subditos ab obedientia Christianissimo Regi præstanda.* f. *cur tot calumniis traducantur & lacerentur,* 308. d. & seq. *an meritò dicantur hostes Regis, quia ponunt in scholis hanc quæstionem:* Utrum privato liceat interficere tyrannum. 315. d. & seq. *an non meritò se vocent subditos Regis Christianissimi.* 319. c. *Edicto Regio in Gallias revocati.* 338. b. *in eos quàm benevolus Henricus IV.* d. & seq. *de Gallicanis prophetiæ Miseni Calvinistæ.* 352. h. & seq. *Galliæ, ejúsque Regi Christianissimo Henrico IV. quid polliceantur,* 354. d.

Jesuitæ an fuerint participes & conscii conspirationis Anglicanæ. 458. f. 459. a. & seq. *eorum obedientia quæ.* 464. g. & seq. *eorum Apologetes Henricus IV. Galliarum & Navarræ Rex.* 467. d. 489. c. *contra eos quot fabulosas calumnias divulgârint hæretici.* 488. d. 489. c. g. 490. e. 491. d. 492. d. & alibi passim. *Monacenses à Sereniissimo Principe Maximiliano, utriusque Bavariæ Duce &c. defenduntur.* 488. e. *Viennenses an proprium Collegium de industria incenderint.* 490. f. *à Senatu Græcensi defenduntur.* 491. e. & seq. *& Lugdunenses ab Andrea de Gaule, aliisque.* 492. d. *iis contingit idem, quod olim Israëlitis ab exilio Babylonico in terram lacte & melle manantem reversis.* 499. *unde suum nomen acceperint.* 502. h. 503. b. & seq. *an appellari possint Giezitæ à Giezi, Helisæi famulo.* 503. a. & seq. *ad eos an nomen derivatum sit à Jesuatis Monachis.* 504. c. & seq. *eorum nomen, Hæreticorum etiam testimonio, deducitur* à Jesui *filio Aser.* 504. h. 505. a. & seq. *an rectè dicantur Jesuvitæ.* 505. f. & Ab Jesuite. 506. b. *non sunt Diaboli commentum & inventum.* 509. e. *non gloriantur, quasi aut Jesus ipsorum socius, aut ipsi socii Jesu essent.* g. *eis Lusitani accommodârunt oraculum illud:* in omnem terram exivit sonus eorum. 511. f. *cur Pontifex voluerit, ut se se intra sexagesimum numerum (quem postea refixit) continerent.* 512. d. 523. a. *sunt Clerici Regulares.* 516. h. *iis sua privilegia communicari an indignentur Monachi.* 517. g. *an Monachos in infimum ordinem amandent.* 518. b. *non sunt Episcopi aut Semiepiscopi, ùt Lermæus Calvinista mentitur.* 519. a. & seq. *quibus rebus utilitates Societatis metiantur.* 524. b. & seq. *non sunt dissimiles eorum, qui olim ad Indos navigabant.* 524. g. *nunquam ex confessionibus audiendis, uti nec ex aliis functionibus, vi-Etum quæsiverunt.* h. *quas speciatim utilitates ex suis functionibus percipiant, judice Lermæo.* 525. d. 528. a. *quare pueros in Societatem suam non suscipiant.* 527. f. *quibus in casibus Monachismum, ùt inquit Calvinista, emendârint.* 528. c. *an generatim, & sine ulla exceptione hæreditates adeant.* 528. d. & seq. *ostiatim mendicare non reputant pro turpitudine.* 530. a. *munditiem externam amant, & domi forisque curant, quare.* d. *omnes* mei & tui *appellationes supprimunt.* g. *nihil habentes, & omnia possidentes, teste Calvinista.* h. *an, quocunque gentium proficiscantur, omnem supellectilem & corporis cultum opportunum nanciscantur.* 531. b. *cur ex mente Lermæi communem formam vestis retineant.* 532. c. & seq. *artes mechanicas, judicio Calvinistæ, cur non attingant.* 537. a & seq. *eorum objectum non est otium.* 538. b. *colloquia cur certis horis instituant.* 542. g. *eorum pietatis exercitia.* 543. b. *iis immeritò objiciunt Calviniani & Lutherani occupata Monasteria.* 548. h. & seq. *confessiones, quas excipiunt, à conviciis hæreticorum vindicantur.* 553. d. & seq. 879. g. *iis quinam Pontifices concesserint potestatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis, exceptis, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur.* 558. d.

Jesuitæ, an ab Emmanuele Lusitaniæ Rege in Indiam missi, ùt Calvinistæ mentiuntur. 565. f. & seq. *eorum propagatio & prosper progressus.* 681. a. & seq. *eorum opes.* 683. c. *honores.* 685. a. *an adolescentes à Majoribus suis avocent.* f. *simplices qui vocentur.* 688. g. *quam astutiam non refugiant.* 689. c. *eorum rationes agendi in communi.* 690. e. *utrum Decretum Concilii Tridentini fallarint.* 698. d. *cur à Pontifice à supplicationibus exempti.* 701. b. *de eorum promotione ad sacros Ordines* e. *an & qualem controversiam habuerint cum Cardinali Borromæo.* 702. e. 703. e. 745. b. *utrum ordinem Judiciorum pervertant.* 705. a. *eorum cum summis Pontificibus agendi ratio.* 705. g. & seq. *eorum amor erga Superiores.* 708. f. *eorum castitas.* 711. b. 769. b. *an sibi salutem totius Italiæ, Hispaniæ, imò totius Ecclesiæ adscribant.* 714. c. *an nullos in Anglia Hæreticos ad professionem Catholicæ Religionis reduxerint.* 715. h. & seq. *an fuerint auctores Lusitanicæ cladis.* 718. f. & seq. *num eorum culpâ Princeps Fuldensis ditione sua exciderit.* 720. c. *ab Elbingensibus quomodo excepti.* d. & seq. *an summi Pontificis Constitutiones corruperint.* 722. c. & seq. *habent vivæ vocis oracula.* 725. h. *an petant à Pontificibus literas Commendatitias.* 726. b. *utrum ab iis multa Monasteria sint occupata.* f. *num per vim extorquere & occupare conati sint Monasteria Dominicanorum & S. Crucis Augustæ.* 730. b. & seq. *an Pontificem decipere, & in fraudem illicere soleant.* 733. f. & seq. *iis Gregorius XIII. Pontif. Max. horas privatim extra Chorum dicendi facultatem restituit ademptam à Pio V.* 738. d. *eos inter & Dominicanos Toleti controversia, quæ.* 738. h. & seq. *iis quæ privilegia de ædificandis domibus, Ecclesiis & Collegiis varii Pontifices concesserint.* 739. a. *eorum modus agendi cum Cardinalibus.* 740. e. *Oenipontani num obstiterint, ne F. Joannes Nasus Franciscanus, Suffraganeus Brixinensis fieret.* 742. d. *an Officialibus Curiæ Romanæ utantur & abutantur, ùt volunt.* 743. b. *eorum modus agendi cum Episcopis.* d. & seq. *cum Clero.* 745. h. *cum Principibus.* 748. a. *an à Principibus litteras Commendatitias petant ad Pontificem.* f. *eorum rationes agendi cum populo.* 751. b. *conciones.* 753. b. g. & seq. *eorum modus agendi cum Juventute.* 758. f. 759. d. & seq. *inter se.* 762. g.

762. g. & seq. *excepti sunt ab onere recipiendi hospitio Legatos & alios.* 764. d. *Lucernenses an Joannem Bonhomium Episcopum Vercellensem, Nuncium Apostolicum sub ipsam noctem excluserint.* h. & seq. *Coloniæ tres ab insano perempti.* 776. c. *de eorum studiis abstrusioribus Relatio, & quis hujus auctor.* 787. a. & seq. *de eorum Muséo, Bibliotheca & Provincialis examine nugæ & pseudologiæ Cambilhonicæ.* 795. f. & seq. *à Cambilhone trium immanium criminum postulantur: Scortationis, Magiæ & machinationum seditiosarum.* 799. b. & seq. 802. h. & seq. 807. a. & seq. *an habeant apparatum bellicum supra templi, ingentes thesauros infra templi fornicem, & subterraneas carnificum officinas.* 810. d. & seq. 834. b. & seq. 860. f. & seq. *an interfecerint Jacobum Clussæum Græcii, & Martinum Miltenburgensem Fuldæ.* 812. g. 813. b. *contra eos quinam Hæretici scripserint.* 821. a. & seq. *omnibus Scriptoribus usque ad ultimum quadrantem satisfecerunt.* 821. g. *à Rege Galliæ Constantinopolim missi, potestate à Turcarum Imperatore impetrata.* 836. b. *in eos quàm mites Prædicantes.* 842. d. & seq. *Pragenses an asservent magnum apparatum bellicum.* 862. c. *pro his Testimonium Authenticum Bohemiæ Procerum contra Criminatorum calumnias.* f. & seq.

Jesuitæ quibus modis adolescentes ad Religionem invitent. 870. c. 871. h. & seq. *iis non probrosum, quòd adolescentes ex mundi fluctibus educere, & in tutum Religionis portum subducere laborent.* 870. f. & seq. *an in otio jucundè vivant.* 872. a. *ab Hospiniano Calvinista laudantur.* ibid. *aliis Ordinibus honorem & reverentiam deferunt.* b. *eorum Gymnasia sunt Monasteriorum Seminaria.* c. *quomodo cum iis, qui de Religiosa vita amplectenda deliberant, agant.* d. *eorum disciplinæ, vigiliæ, jejunia.* 873. g. *qui sint, & quæ eorum puniendi ratio, ex Tertulliano intelligitur.* 877. g. *eorum Templa frequentantes Matronæ & Virgines defenduntur adversùs calumnias hæretici cujusdam tenebrionis.* 880. h. & seq. *eorum consilio an omnia agantur, etiam Politica & Martia, & quidem suprema inspectione.* 885. h. 886. a. & seq. 887. a. & seq. *in eos ex Novellantibus quidam eædem Henrici IV. conferens, refutatur.* 891. c. & seq. *an cor Regis Henrici à Curia Parisiensi postulârint, & quid eis Supremus Præses responderit.* 994. a. *eorum quis de Regibus, & honore istis habendo sit sensus.* 895. f. *in eos anonymi cujusdam tenebrionis calumniæ.* 919. f. *contra eos arma fremit Eucharius verbi Calviniani apud Schaffhusianos buccinator.* h. *de Molsheimensibus fabula.* 921. c. *de Lugdunensibus.* g. *de Constantiensibus.* 922. c. *eorum falsi fratres, qui.* 948. b. *apud eos quæ sint quasi prima principia.* 952. c. *an quid mali committant, si, debita moderatione servata, corrogent stipem, quâ pauperes subleventur.* f. *an moneantur, ut eleemosynas, aliis videntibus, distribuant.* 953. c. *quem finem spectent, cùm eleemosynas, ab aliis acceptas, egentibus largiuntur.* e. *Principum & Dynastarum* intimam familiaritatem *nec quærunt, nec appetunt, quare.* 954. c. *iis immeritò vitio vertitur, quòd Principum facta non reprehendant.* 954. g. 955. a. *an per opiniones suas laxent conscientias.* 957. b. *iisdem modis ac mediis Principum & Magnatum favorem sibi procurant, quibus alii Religiosi.* 957. d. & seq. 959. h. *eorum operam longè plures expetunt, quàm respuunt.* 961. c. *non obstant, si qui alii in iisdem oppidis Juventutem literis informent.* 965. h. *ne iis potestas publicè docendi concederetur, quidam Doctores obstitêre.* 966. a. *refelluntur in eos calumniæ de viduis.* 967. b. & seq. *& de reditibus augendis, in Polonia præsertim.* 974. a. & seq. *quinam & quas ob causas dimittantur.* 975. b. & seq. *dimissis an res suæ restituendæ.* 980. a. 989. b. *ob lapsum contra castitatem an dimittantur.* 985. f. *non fuerunt causa motuum inter Paulum V. & Venetos.* 993. c. 1000. b. *num à Gregorio XIII. privilegia, quæ volebant, impetrârint.* 993. f. *an ex omnibus Regnis & Provinciis querelæ de eorum malitia afferantur.* 994. f. *an quidam Brunnæ in Moravia à Dæmone cum corpore fuerit raptus.* 996. f. *in eorum Templis, non cubiculis sacra Eucharistia custoditur.* h. *iis qui confitentur, an sint aut ambitiosi, & simoniaci, aut avari, aut subdoli.* 1001. c.

Jesuitica ars Lermæo Calvinistæ quid. 516. f. *de ejus utilitatibus quid idem Calvinista cavilletur.* 524. b. & seq. *ejus objectum, finis, & præstantia, judice Lermæo.* 532. h. & seq.

Jesuitica Physiognomonia, qualis liber. 864. f. & seq.

Jesuiticæ Doctrinæ Speculum, qualis liber, & quas ob causas ab Hæretico editus. 819. c. & seq.

Jesuiticæ Epistolæ ex Historia Jesuitica Hasenmilleri decerptæ, refelluntur. 567. c. & seq.

S. Ignatius Loyolà primus Societatem Jesu fundavit. 15. *ejus vitam quinam conscripserint.* ibid. 24. d. *ei num probro sit, militem fuisse.* 24. f. *ejus mores, dum adhuc miles erat, quomodo depingat Maffeius.* g. *non fuit savus, sed paterno & humanissimo in suos animo.* 25. a. *non ex desperatione, sed Christiana humilitate indignum se honestâ sepulturâ judicavit.* b. *non instituit Ordinem; quia ad militiam ineptus.* g. *Regulas proprias, conscripsit, non à Caraffa Card. mutuatas.* 26. f. *non finxit visionem, Romam euntì sibi factam.* g. *eum Guidiccionius Card. non habuit pro milite impio & profano* ibid. *cur proprio*

proprio obedientiæ voto Christi in terris Vicario se cum suis obstrinxerit. ibid. *est* ignis à Deo illatus. 27. b. *Suos nec vocavit, nec vocari voluit Jesuitas.* 28. b. *sacrosanctum nomen Jesu Societati indidit.* ibid. 506. f. *cur S. Marthæ cœnobium Romæ ædificandum curaverit.* 64. e. *an à Dæmonibus ita exagitatus fuerit, ut frigidissimum mortis sudorem in magna copia fuderit.* 135. g. *an in summa desperatione obierit.* 136. f. *num mortuus nigerrimo vultu conspectus fuerit.* g. *ejus ossa an non amplius reperta fuerint utpote à diabolis ablata.* h. 934. b. *ejus conversionis initia.* 201. f. *ejus & Martini Lutheri antitheses.* 252. b. *ei an Jesus specie Monachi apparuerit.* 508. d. *non est lenta tabe, ùt mentitur Lermæus Calvinista, enectus.* 513. f. *ei an diabolus specie canis apparuerit.* 514. b. *cur Religionem abs se institutam* Societatem *nominârit.* 515. h. & seq. *Lermæo qualis.* 522. b. *ei Pontifex liberam potestatem quoscunque indefinitè in corpus Societatis cooptandi fecit.* 523. c. *Lermæo est Æolus.* d. & seq. *Venetiis cum Joanne Petro Caraffa Cardinali consuetudinem contraxit.* 558. a. *ejus liber spiritualium Exercitiorum à calumniis Calvinistæ vindicatur.* 560. h. & seq. *ejus orandi & meditandi præceptis qui eruditur, à Philone quasi depingitur.* 561. c. *ejus solennis relatio inter Cœlites à multis Regibus & Principibus expetita.* 963. d.

Imagines ab Iconoclastis ferocioribus absolutè omnes damnatæ, à mitioribus toleratæ, sed absque cultu. 434. f. *de iis Divinè disseruit Theodorus Studita.* 434. g. 435. d. & seq.

Imperatores à Prædicantibus immanibus conviciis onerantur. 9. *quale supplicium decreverint illis, qui libellos famosos edunt.* 16. 17. 817. h. & seq.

Imperium à Græcis ad Carolum Magnum translatum. 197. h.

Improbi sæpe inter Sanctos. 185. c.

Improbitas paucorum non præjudicat universis. 185. b. 947. b.

Indi, veteres, quàm longas aures habuerint. 248. g. *eorum amor in Jesuitas.* 250. c.

Indulgentiæ, nomen Lutheranis invisum. 32. e. *crassa de iis mendacia.* f. 47. c. 85. f. 128. c.

Infideles in quo à Christianis differant. 193. b.

Inimicitiæ capitales & indesinentes inter res in hoc Universo procreatas. 251. a.

Institutum aliquod à Deo esse, quando satis videns. 548. f.

Interrogatio nec negat, nec affirmat. 240. g.

Invidia, vitium indignum Religioso. 872. f. *ei non subjacere, non in hominis, sed in Dei manu est.* ibid. *eam nec S. Paulus, nec alii Sancti effugerunt.* ibid. 598. c. *ejus depellendæ quod remedium.* 873. a. *ejus origo.* 949. h. *ejus effecta.* 950. a. 957. d. *semper sequitur virtutes.* 973. b.

Invidi quinam sint. 947. f. g. *nec Apostolo Paulo, nec aliis deerant.* 947. g. h. *de iis quid Aristoteles doceat.* 966. c. d.

Joachimus, Marchio Brandeburgensis, à Lutheri maledico dente carpitur. 156. a.

B. Job ad contumelias tacuit, sed non perpetim. 157. g. 158. a. & seq. *quid conviciatoribus suis responderit.* 352. e.

Joannes Abbas, jussu sui Antistitis lignum aridum, advectâ aquâ, integrum annum quotidie rigavit. 535. g.

S. Joannes Apostolus Juvenem à quodam Episcopo educari & instrui jussit. 761. f.

S. Joannes Damascenus, Monasterium recèns ingressus, sordibus everrendis operam dedit. 535. h.

Ira dulcedinem adjunctam habet. 355. d. *ejus dulcedo, continuatio & assiduitas admodùm noxia.* ibid. *ejus fons & origo.* e. *pro ea pharmaca ex S. Scriptura.* 356. e. *ex Plutarcho, Seneca & Aristotele.* 357. c. & seq. *pro ea unum ex præstantioribus remedium.* 359. c.

Jucundum nihil est, nisi quod reficit varietas. 542. g.

Judæi, zelantes, S. Paulo infestissimi. 361. c. *apud eos genealogiarum magna ratio habita est.* 410. h. & seq. *eorum turpissimæ obscœnitates.* 430. h. *cum Romanis & Spartiatis societatem contraxerunt, quo fructu.* 516. b. c.

Judiciorum ordo utrum à Jesuitis pervertatur. 705. a.

Julius III. Papa, confirmat denuò Societatis Institutum, & Privilegia, additis insuper novis. 86. c. & seq.

Jus Pontificium à Luthero & Ministris Anglicanis combustum. 191. a.

Justinianus res Monachorum & Monialium ita Monasteriorum esse voluit, ut, licèt inde postea discederent, facultates tamen semel illatæ, exeuntes minimè sequerentur. 754. c.

Justitia quid intueatur. 959. f.

Juvenis, jussu S. Joannis Apostoli à quodam Episcopo optimè educatus & instructus, ab Adolescentibus seductus fuit. 761. f.

K

Kemnitius quidvis de Jesuitarum doctrina comminisci ausus. 20. *non est formidabilis Jesuitis.* 34. h. *de eo Gregorii de Valentia & Academiæ Witebergensis judicium.* ibid. & seq. *refutatus à Didaco Payva.* 103. f. *ei Christi Vicarius est Antichristus & meretrix Babylonica.* 152. c.

König Ludovicus, Basileensis Bibliopola, non typographus. 911. b. c. *an ejus typis vulgatus fuerit libellus famosus adversùs Bellarmitum S. R. E. Cardinalem.* ibid. 918. g.

Kunegundis Boleslai Ducis Cracovienſis uxor, suasu S. Hyacinthi, perpetuam castitatem in ipso matrimonio servavit. 995. f. *mortuo marito cum Jolenta Sorore sua ad crucis vexillum evolavit.* ibid.

La-

L

Lacones Regis cujusdam petitionem unico negationis verbulo, Non, *rejiciunt.* 21.
Laines Jacobus, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, à Pio IV. Pontif. Max. in Galliam miſſus. 518. d. *inde ad Concilium Tridentinum.* ibid. *in eo ultimum locum ſibi depoſcit.* e. *cum Epiſcopis ſedere juſſus, ultimus poſt ultimum Epiſcopum, & cur.* ibid.
Lambertengus Caſparus, mortua conjuge, dicavit ſe ſuásque fortunas Deo, in Societate Mediolani. 754. a. & ſeq.
Landſpergenſis Auriga. 101. e. *de eo quàm atrociter mentiatur Pſeudohiſtoricus.* ibid.
Lapides utrum dolentur. 389. c. & ſeq.
Latronis beneficium eſt non nocere. 180. f.
Legata, Jeſuitis relicta & deſtinata. 217. b. 223. f. g. *ſunt jura Collegiorum.* 225. b. *aliis quibusdam Ordinibus olim relicta.* 884. b.
Legati hoſpitio recipiendi, & num ab omnibus. 764. d.
Leges Imperatorum in libellos famoſos. 16. 817. h. & ſeq. *Francicæ.* 791. e.
Leges non facilè mutandæ. 697. g.
Leo IX. Papa, quid adversùs Pontificum Romanorum vituperatores ſcripſerit. 415. b.
Leonina pellis ſi quò penetrare non poſſit, vulpina induatur. 681. a.
Leopolienſe Collegium S. J. quorum benevolentiâ & munificentiâ erectum. 1007. e. 1008. b. & ſeq.
Lermæus Gabriel, Calviniſta, edidit librum, cui titulus: Introductio in Artem Jeſuiticam. 497. *in eum carmen.* 501. *cum Porphyrio comparatus.* 501. b. *ejus blaſphema ſententia de origine nominis Jeſuitici refutatur.* 506. f. & ſeq. *ejus nugæ de definitione artis Jeſuiticæ refelluntur.* 516. f. & ſeq. *triplex genus Monachorum ſtatuit.* 520. g. *qualis fuerit Ignatius, & qua occaſione animum ad Societatem inſtituendam adjecerit, deſcribit.* 522. b. & ſeq. *quæ de utilitatibus artis Jeſuiticæ cavillatur, refutantur.* 524. b. *qualis puer.* 527. b. *laudes Divinas pro næniis habet.* 529. f. *ejus diſputatio de objecto, fine & præſtantia artis Jeſuiticæ diſcutitur.* 532. h. & ſeq. *quæ de Confeſſione ſcribit, refelluntur.* 553. d. & ſeq. *atrociſſimis conviciis Monachos inſectatur.* 559. g. & ſeq. *calumniatur Exercitia Spiritualia S. P. N. Ignatii.* 560. h. & ſeq.
Læſcynski, Sacerdos quid de famoſo libello, Monita privata S. J. *dicto, ſenſerit.* 1017. a.
Leyſerus ſive Lauſerus Polycarpus, Prædicans Lutheranus, ſolis flagitiis notus, edidit hiſtoriam Ordinis Jeſuitici, ab Haſenmüllero olim inchoatam, ab aliis poſtea, collatis ſymbolis, auctam. 7. *conviciis onerat Romanum Pontificem.* 8. *Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes & Monachos.* 9. *Imperatorem, Principes, omnésque Ordines Catholicos.* ibid. *ei quid Societas Jeſu.* 10. *Principes S. R. I. ſtultitiæ & amentiæ condemnat.* ibid. *de iis quàm honorificè, ſcilicet, loquatur.* 11. *quo conſilio commentitiam ſuam hiſtoriam ediderit.* 15. *de doctrinæ, noſtrorúmque in rebus Theologicis ſententiis effusè cum ſociis ſuis mentitur.* 19. & ſeq. *ejus hiſtoria innumeris mendaciis & infandis conviciis ac ſcommatis referta confutatur.* 23. a. & ſeq. *ei Honorarium datum & oblatum ob Hiſtoriam Jeſuiticam denuo editam.* 148. 150. a. *inſcitiâ præ cæteris clarus.* 150. c. & ſeq. *quàm occupatum animal.* 151. c. *ejus mendacia de Jeſuitis.* f. *deliriationes de Pontifice Romano.* 152. c. g. *cur Crellianis hæredibus reſponderit.* 158. e.
Libelli famoſi ſub graviſſimis pœnis prohibiti. 16. 181. e. 709. & ſeq. 790. f. & ſeq. 817. h. & ſeq. *iis nulla fides habenda, quare.* 790. f. *de iis quid Leges Francicæ.* 791. e. *de iis Carolina Conſtitutio.* 833. f. *iis an reſpondendum.* 927. d. & ſeq. *ob quas cauſas à Sectariis cudantur & ſpargantur.* 935. b. & ſeq.
Libelli ſupplices pro inſontibus Chriſtianis tempore perſecutionis Ethnicis Imperatoribus oblati. 321. g.
Libellus famoſus quid ſit. 824. h. *ejus duæ conditiones.* 911. a. *adversùs Bellarminum ab Anonymo calumniatore compoſitus, an Baſileæ ex officina Ludovici Königs prodierit.* 911. b. & ſeq. 918. g. Vide etiam V. *Bellarminus.*
Liberalitas virtus Regia. 214. f.
Libri Hæretici meritò prohibentur. 564. f.
Licentius Juvenis doctus & nobilis. 559. e. *ei S. Auguſtinus fugam ſæculi ſuadet.* ibid. 871. c. *prolixum & eruditum carmen ad S. Auguſtinum ſcripſit.* 870. h. & ſeq. *ei proponitur exemplum S. Paulini.* 871. d. *eum ad Chriſti jugum amplectendum inducere ſtudet S. Paulinus.* e. *quo modo.* f.
Linguatus quid ſit. 390. h.
Lipski Andreas, Epiſcopatus Cracovienſis Adminiſtrator, Monita privata S. J. *publico diplomate tanquam famoſum libellum condemnavit.* 1015. c. *ejus encomia.* h.
Lithus. Vide V. *Miſenus.*
Lixivium pro abluendo malè ſano capite Novellantis *cujusdam præparatum.* 890.
Locuſta, carmen cujusdam hæretici, refutatur. 565. e.
Locuſtæ, Hæretici, & cur. 566. c. & ſeq. *animalia varacia.* e. *pœna Dei vindicantis ſcelera mortalium.* f. *in Cyrenaica regione ter in anno debellantur.* h. *gregatim ſublatæ vento in maria & ſtagna decidunt.* 567. a.
Lonnerus Andreas Zuſatenſis, Lutheriſta ſeu Calviniſta, Invectivam evulgavit, cui titulus: Relegatio Jeſuitarum ex omni bene ordinata Republica. 901. a. *per Parodiam modicè*

dicè inflexa, & ad Prædicantes translata. 903. f. & seq. *ejus carmina plena puerilibus vitiis.* 908. d. & seq.

Lublinense Collegium S. J. à Bernardo Maciejovvski, S. R. E. Cardinali, unà cum Illustrissimis aliquot Personis fundatum. 1002. c. *in idem Ejusdem beneficia.* ibid. & seq. *ei villam Jezovvo dictam donavit Card. Radzivilus.* 1004. d.

Lucilla, fœmina potentissima inter Carthaginenses, Donatistarum schisma conflavit. 956. f.

Lucina, Apostolorum discipula, de Ecclesia Christiana præclarè meruit. 956. f.

S. Ludovicus Rex Galliæ an privilegium accepit, ut ne excommunicari possit. 196. d. *geminam expeditionem instituit in Syriam & Palæstinam.* 719. d. *in suo exercitu multos Religiosos habuit.* ibid. *à Saracenis captus, & tandem etiam peste extinctus.* e.

Ludovicus XII. Rex Galliæ, an negaverit summorum Pontificum spiritualem potestatem, iisque obtemperare recusârit. 194. b. *sub eo Concilium Turonense.* ibid.

Ludovicus XIII. Rex Galliæ, à Regina Matre, P. Petro Cotono S. J. instituendus traditur. 898. b.

Ludus in Simonem Lithum Stenium Misenum, Calvinistam. 375. b. usque 381.

Lugdunensis fabula de Jesuitis. 921. g.

Lugdunenses peste afflicti. 221. c. *eis subvenit Edmundus Augerius, Jesuita.* ibid.

Lupus Abbas Ferrariensis quid de Monacho quodam scribat. 992. h.

Lusitani Patribus Societatis accommodârunt oraculum illud: in omnem terram exivit sonus eorum. 511. f. *eorum clades an ab Jesuitis initium habuerit.* 718. f.

Lusitaniæ Reges quantis beneficiis Jesuitas cumulârint. 246. b.

Lutheranæ Monstrantiæ Monstruosissimæ. 363. h. & seq.

Lutherani Calvinistas, & hi illos mutuis contumeliis lacerant. 70. h. 71. a. *contra Catholicos tamen conspirant omnes.* 70. h. 72. b. *eorum Ecclesia quorumnam Martyrum sanguine cœperit, & succreverit.* 97. e. & seq. *nomen Jesuitæ invertere & pervertere studuerint.* 320. c. *eorum mores describuntur.* 373. e. *ipsi sibi & Laici sunt & Episcopi.* 386. *eorum Ecclesia ubi fuerit immediatè ante Lutherum.* 409. c. & seq. *iis miracula necessaria sunt, & cur.* 422. d. *à miraculis cur sint tam aversi & alieni.* 423. g. *eorum confessio auricularis, & confessarii quales.* 447. f. & seq. *Concordistæ non sunt similes Catholicis amplitudine & diffusione suæ doctrinæ.* 481. b. *horum numerus in dies imminuitur per Calvinismum.* f. 482. a. *jure dicuntur Giezitæ à Giezi.* 503. h. & seq. *eorum Monachi qui, & quotuplicis generis.* 521. b. *quales venti sint.* 523. g. h. *Jesuitis immeritò objiciunt monasteria occupata.* 548. h. *cur tam æquo sint animo in Patriarchas Græcos Schismaticos, & tam iniquo in nostros Episcopos.* 550. b. f. *odiosum hominum genus.* 563. e. *originem suam falsò referunt ad Apostolos.* f. *prohibent libros Zvvinglianorum & Calvinistarum.* 565. a. *Steganographiam excuderunt.* 805. e. *de iis quid Erasmus scribat.* 881. e. *sui Lutheri honestandi & magnificandi causa, quænam commenti sint.* 914. e. & seq. *quàm horreant Apostatæ & Apostasiæ crimen.* 936. c. *Apostatas vocant, qui relicto Luthero ad Catholicam fidem regrediuntur.* 936. e. *ferventiores insectantur Calviniſequas ex Lutheri schola factos, ceu apostatas.* f. *sibi omnia licere volunt, Catholicis nihil.* 937. c. *iis meritò accinitur, quod olim Paulinus Aquilejensis Episcopus accinuit Felici Urgelitano Antistiti.* 938. b.

Lutheranus Paracletus. 368. d. & seq.

Lutherus Carolum V. Imp. & Ferdinandum Regem Romanorum non secus tractavit, quàm si ejus atrienses, aut famuli à pedibus, vel potiùs à matula fuissent. 153. d. *quibus maledictis Principem Georgium, Saxoniæ Ducem, insectatus sit.* 153. e. & seq. *ejus doctrinam esse hæreticam, totius orbis Catholici judicio judicatum, definitum, & conclusum est.* 157. f. *ejus & S. Martini Episcopi Turonensis Antitheses.* 163. & seq. *combussit jus Pontificium.* 191. a. *quanti iratum Ducem Georgium fecerit.* 356. c. *pessimis modis odit muscas, & cur.* d. *mansuetudine cum Moyse & Davide certavit.* 359. d. *de ejus mansuetudine quid Hospinianus Calvinista.* e. *ejus mansuetudo luculenter emicat ex libello adversùs Cardinalem Moguntinum Albertum.* f. *ejus Monstrantiæ Monstruosissimæ.* 363. h. & seq. *Paracletus.* 368. d. & seq. *ejus remedia pellendi Dæmonis efficacissima.* 370. f. *Evangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini sucedens, à se ipso ortus est.* 386. *nullum Clericum potuit ordinare.* ibid. *docet, hæresin esse idolum, & hæreticos esse idololatras.* 393. b. & seq. *lupus de lupina fallendi arte loquitur.* 396. f. & seq. *quid de se, suisque filiis & geniminibus scribat.* 397. d. *graphicè describit, quomodo Zvvinglius, Oecolampadius & alii Sacramentarii verba illa:* Hoc est corpus meum, *tractent.* 398. g. *quomodo occurrerit Carlstadio dicenti, se sententiam suam de Cœna hausisse ex horum verborum:* Hoc est corpus meum, *cum aliis Scripturæ locis collatione.* 399. d. *SS. Patres repudiat & contemnit, quare.* 401. c. & seq. usque ad 406. h. *postquam Patres extremè contempserat, negat, se eos contempsisse.* 406. h. *Evangelium, quod Germanis annunciavit, proximè antecedentibus annis alicubi extitisse, monstrare non potest.* 412. e. *quid adversùs aliorum vituperatores scribat.* 415. f. & seq. *signa & prodigia à recèns exortis Doctoribus, novam doctri-*

doctrinam offerentibus, & veterem auferentibus exigit, quæ & ab ipso nos exigimus. 423. c. & seq. *quantus porcus fuerit.* 429. h. 430. a. & seq. *calumniatores, quales sint, depingit.* 485. e. & seq. *quare se ipsum non depinxerit.* 487. c. *quomodo se & suam causam tutatus fuerit, cùm ab eo varii ad alias sectas desciscerent.* 795. a. *ejus olentissimum distichon.* 844. c. *ei templa Papistarum sunt scholæ Diaboli.* 902. d. *adversùs Monachos arma fremit.* 920. f. *Spalatinum ex desperatissima animi mœstitudine eripere tentat.* 933. b. *Dænionem in lecto concubinum habuit.* 934. d.

Lypsius, sempiternæ memoriæ vir. 424. d. *literis mandavit D. Virginis Halensis miracula.* ibid. & seq.

M

Macchabæi non fuerunt causa belli. 360. d.

Macedonius docuit, Spiritum S. esse creaturam. 110. d.

Machiavellismi fructus. 248. b.

Maciecovius, seu Maciejovvski Bernardus, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Gnesnensis. 1001. g. *quàm benevolus & beneficus erga Societatem Jesu.* 1002. c. & seq.

Maffeius Joan. Petrus, vitam S. Ignatii litteris mandavit. 15. 24. d. *mores Ignatii, dum adhuc miles erat, quomodo depinxerit.* 24. g.

Magister bonus & probatus quibus ornamentis præditus esse debeat. 233. h.

Magnates. vide V. *Principes.*

Mahomet Pseudopropheta quo modo non modicam orbis partem deceperit. 395. g.

Maldonatus Joannes jussu Regis Caroli concionatorem egit Parisiis in domo Regia. 241. h.

Mali in omni Congregatione. 949. e.

Malitia auctori suo priùs nocet, quàm cuiquam alteri. 949. f.

Manè surgere, & manè contrahere matrimonium neminem debet pœnitere. adagium Lutheri. 431. b.

Manichæus quidam electos Manichæos unum in locum cogere, & disciplinæ jugo adstringere voluit. 510. f. *ei quid evenerit.* ibid.

Mantuanus Baptista an Romam, Sedémque Apostolicam reprehenderit. 132. g.

Manuel Comnenus, qualis erga Monachos. 750. g.

Marbachius Argentoratensis, infamis scriptor. 11. 19. 35. d. *ex Scriptura probare nititur, omnibus, etiam voto castitatis obstrictis, fas esse inire matrimonium.* 104. d.

Mariana Joannes à mendaciis tenebrionis cujusdam hæretici vindicatur. 883. a. & seq. 895. b.

S. Martini Episcopi Turonensis, & Doctoris Martini Lutheri Antitheses. 163. & seq.

S. Martinus diabolum, specie Christi sibi apparentem, quomodo dispulerit. 513. b.

Mauricius Comes. 305. h. *de eo fabula Calvinistica.* 306. a. 336. f.

Mauritius Dux Saxoniæ à Prædicantibus maledictis incessitur. 156. a.

Maurus, jussus à S. Benedicto ex lacu eduxit eum, qui jam à fluctibus hauriebatur. 541. d.

Maxentius eleganter describit hæreticorum genium. 498.

S. Maximus quibus calumniis à Monothelitis hæreticis oneratus fuerit. 807. g. & seq. *quomodo calumniatores suos convicerit.* 808. a. & seq. 809. c.

Medici, causâ morbi inventâ, curationem esse inventam putant. 355. d.

Medius, sycophanta in aula Alexandri Magni notissimus. 179. e. *calumniatorum antesignanus, quale suis sodalibus consilium dederit.* ibid.

Melanchthon bellum adversùs Turcas suscipere juri Divino repugnare docuit. 153. c. *ejus Dictum de Jesuitis.* 203. e. *Catholicos cum suis ritibus extirpatum it.* 937. d. & seq.

Melania, nobilissima Romanæ urbis fœmina suasu S. Hieronymi non solùm rebus mortalibus se abdicavit, sed & Palæstinam petiit, ibique sedem fixit. 967. d. *in Ecclesias, monasteria &c. quàm liberalis.* 970. f. *à Ruffino, aliisque Origenistis circumventa.* 971. e. *nil intentatum reliquit, ut Neptem juniorem Melaniam cum Marito Piniano & Albina socru Piniani ad despicientiam rerum caducarum induceret.* 972. c.

Melania junior, vigesimo ætatis suæ anno mundo renunciat. 970. h. *quàm benefica in pauperes, monachos, &c.* ibid. 972. c.

Meletius quàm consentiat cum hæreticis, præsertim Calvinianis. 550. h. & seq. *Patriarcha Alexandrinus, quo modo.* 551. g.

Mendaces; ab Andronico Imp. egregiè descripti. 159. a. *faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.* 564. c.

Mendacium non communicat veritati. 788. b. *nullum senescit & canescit.* 927. f. *de eo veterum quorundam opinatio.* 935. c. *de eo falsa effata Ethnicorum.* ibid.

Meretrix pudicam. vulgatum proverbium. 690. e.

Meum & tuum, *ut Philosophus quidam ait, turbant totum mundum.* 530. g. *hæc duo vocabula ut è medio tollant, meritò advigilant Religionum Antistites.* ibid.

Minimus aliquando honoratissimus. 691. c.

Miracula Lutheranis & Calvinianis maximè necessaria sunt. 98. c. 103. b. 422. d. *ea imperitè & stolidè dividit Lauserus.* 98. d. & seq. *pro veteris & Catholicæ fidei defensione non requiruntur amplius, quare.* 422. d. *ea patrandi facultate Deus instruxit Moysen & Apostolos, quo fine.* 422. e. 423. b. *ab iis cur Lutheri posteritas tam sit aversa & aliena.* 423. g. *an sint pleraque Dæmonum præstigiæ.* h. *D. Virginis Halensis à cujusdam Sectarii calumniis vindicantur.* 424. d. & seq. *de iis Theodori Abucaræ cum Saraceno dissertatiuncula.* 425. h. & seq.

Miraculum quid sit. 424. b. *ampliore interdum notione usurpatur.* g.
Minus Calvinista, oppugnat Apologiam Societatis Jesu in Gallia, quibus spiculis. 318. a. & seq. *pro eo consolatio brevis, sed efficax, ob Jesuitas in Galliam revocatos.* 338. a. & seq. *necdum natus, in Academia Lipsiensi scitè versibus effigiatus.* 345. e. *negat, se dolore affectum; irâ potiùs percitum & timore perculsum fuisse ait, ob Jesuitas in Galliam revocatos.* 347. *in brevicula sua epistola duodecies sibi contradicit.* 348. b. & seq. *totiésque mentitur.* 349. h. & seq. *ejus convicia in consultos Parisienses & Catholicos omnes.* 352. d. *in summum Pontificem & Jesuitas.* e. *ejus prophetiæ.* h. 353. c. & seq. *ejus iræ medicina porrigitur.* 355 b. *quas causas irascendi habuerit.* e. *pro ejus metu pharmacum.* 360. b. *de ejus Monstrantia.* 362. c. & seq. *ad eum Paracletus Luthe-*
ranus allegatus. 367. 368. d. & seq. *pro eo duplex Monstrantia.* 372. f. 373. c. *in eum ludus.* 375. & seq. usque 381. *ei tanquam Triumphatori Panegyricus dictus.* 387. *est animal non risibile.* 388. b. *ejus ignorantia, etiam in Grammaticis, ostenditur.* 389. b. & seq. *ejus convicia in Romanos Pontifices.* 414. a. *calumniæ in membra Ecclesiæ, in Pastores, Doctores, Monachos &c. refelluntur.* 417. d. & seq. *ei tanquam Triumphatori corona ex quinquaginta Eucharisticis floscults nexa.* 449. d. *ejus effronti fronti stigma inustum, cur.* 456. 458. *Jesuitas, ait, fuisse socios & conscios conjurationis Anglicanæ.* 458. f. *ejus commentum evertitur.* ibid. & seq. *quibus rationibus mendacissimam suam assertionem stabilire contendat.* 464. f. & seq. *non modò Jesuitas, sed & externos Principes in suspicionem institutæ in Anglia proditionis rapit.* 469. c. *ejus Satyra illustratur.* 476. b.
Misericordia quem finem habeat. 953. e.
Missalis translatio ab una parte Altaris ad alteram. 704. b.
Modestia exterior non insuper habenda. 953. g.
Molinæi fraus. 196. c.
Molsheimensis fabula de Jesuitis. 921. c. *in ea enarranda quas stultitias fabulator commiserit.* 923. a.
Monacense incendium qua occasione extiterit. 100. h.
Monachi à Prædicantibus infandis conviciis lacerantur. 9. 56. d. 129. b. *priscis quæ pœnæ ob levia errata injunctæ.* 43. h. & seq. *cur adeò exosi & invisi Sectariis.* 419. c. *de quodam malevolorum sermonibus tracto & diffamato quid scripserit Petrus Abbas Cluniacensis.* 421. h. *num indignentur, sua Privilegia Jesuitis communicari.* 517. g. *an à Jesuitis, tanquam majorum gentium Episcopis, in infimum ordinem amandentur.* 518. b. *eorum triplex genus à Lermæo Calvinista statuitur.* 520. g. & seq. *Lutherani & Calviniani, qui & quotuplicis generis.* 521. b. & seq. *à S. Augustino laudati.* 521. g. *an obstrepuerint nascenti Societati nostræ.* 522. h. *eos, tanquam veram notam Ecclesiæ Catholicæ, Manichæis objecit S. Augustinus.* 525. h. *in quibus casibus à Jesuitis emendati, judice Lermæo.* 528. c. *non omnes ostiatim aut jam mendicant, aut olim mendicârunt.* 529. h. & seq. *Ægyptiorum vestitus.* 531. e. *veterum obedientia quàm prompta fuerit.* 541. h. *collocutioni aliquid temporis à prandio aut cœna dederunt.* 542. h. *eos conviciis insectatur Lermæus Calvinista.* 559. g. & seq. *in insula Capraria & Gorgonia commorantes.* 562. f. & seq. *in eos quales Nicephorus Phocas & Manuel Comnenus.* 570. f. g. *eorum res Justinianus ita Monasteriorum esse voluit, ut, licèt postea discederent, facultates tamen illatæ exeuntes minimè sequerentur.* 754. c. *adversùs eos Lutherus arma fremit.* 920. f. *quidam è Monasterio, sæcularem dignitatem lucraturus, abiit.* 992. h. *regredi postulans, à Lupo Abbate receptus est, quibus legibus.* ibid. Vide etiam V. *Religiosi.*
Monarchia à Calvino postponitur Aristocratiæ. 200. d. *eam Hæretici oderunt.* f.
Monasteria, fuerunt in ea Ecclesia, in qua vixit S. Augustinus. 525. g. *in ea pueros suscipiendos esse, docuit S. Basilius.* 527. e. *pleráque jus in omnia bona suorum Professorum acquirunt.* 528. e. *eorum ingressum SS. Hieronymus & Augustinus multis suaserunt, & persuaserunt.* 559. d. e. *quæ ad diversos Ordines sint translata.* 727. f. & seq. *quot in sola Bavaria ab Ordine ad Ordinem sint translata.* 728. d. *aliorum translatorum exempla ex Bruschio.* g. & seq. *Dominicanorum & S. Crucis Augustæ an Jesuitæ pervim extorquere & occupare conati sint.* 730. b. *in ea qualis Nicephorus Phocas.* 750. f. *ad ea pertinent res Monachorum & Monialium.* 754. c. & seq.
Monita Privata Societatis Jesu, libellus famosus. 939. *jussu Mutii Vitelleschi Societatis Præpositi Generalis refutata.* 941. *ubi primùm prodierint.* 942. *ad imitationem Monitorum Generalium Claudii Aquavivæ S. J. Præpositi Generalis conficta.* 949. b. *qualia sint.* ibid. *eorum auctor quis.* d. 1013. a. *variis ambagibus in lucem emerserunt.* 990. c. *à Cardinalibus Congregationis Indicis prohibita.* 1012. a. *de iis quid senserit Petrus Tylicki, Cracoviensis Antistes, & qua curâ illorum auctorem indagaverit.* d. & seq. *de iis judicium Diotallenii, Nuncii Apostolici.* 1013. g. & seq. *ea publico Diplomate tanquam famosum libellum condemnavit Andreas Lipski, Episcopatus Cracoviensis Administrator.* 1015. c. *de iis sententia Martini Syskovvski Episcopi Plocensis.* 1016. b. *ea quo*

quo loco habuerit Illustriss. Comes ab Ostrorog. g. *& Lescynski, Sacerdos.* 1017. a.
Monita privata & publica, generalia & specialia à Sectario quodam edita. 1017. e. & seq.
Monita salutaria, data Anonymo Auctori Scripti nuper editi., cui titulus: Monita privata S. J. 1017. d.
Monothelitæ hæretici atrocissimè persequebantur S. Maximum. 807. g. & seq.
Monstrantiæ in Monte Gratiæ, & Andechsiano Monte sacro Bavariæ asservatæ. 362. c. *Lutheranæ Monstruosissimæ.* 363. h. 373. c.
Montanus Franciscus Apologiam pro Societate Jesu in Gallia scripsit. 170.
Mopsvestenus Theodorus, SS. Patrum contemptor. 400. f.
Moyses, facultate patrandi miracula à Deo instructus, quo fine. 422. e. *adversùs oblocutores suos à Deo vindicatus.* 976. f. & seq.
Muliebris mundus & comptus à quibus acriter reprehensus. 753. b.
Mulieres omnes à S. Augustino cur domo exclusæ. 58. c. *iis non patet aditus ad Collegia.* 57. g. 62. a. *in iis invisendis quæ cautelæ adhibeantur.* 57. h. *quàntopere vitandæ.* 58. b. 64. c.
Munuscula modicè acceptanda. 964. h.
Muscæ imaginem gerunt Hæreticorum. 356. d.
Myskovvski Petrus, Episcopus Cracoviensis, honorificè sensit de Societate Jesu. 1005. b. *in ejusdem gratiam aliquot Diplomata edidit.* c. 1006. b. & seq.

N

Nasius Joannes, Franciscanus, Suffraganeus Brixinensis factus. 742. d. *eum an Jesuitæ impedire conati sint, quò minùs ad pedum & infulam perveniret.* ibid. & seq.
Navarrus disertè ostendit, Jesuitas esse veros Religiosos. 261. d.
Neupaur Andreas S. J. celebris Pragensis Ecclesiastes. 794. a. *supra bis denos annos ex Ecclesiastico suggestu ad populum dixit.* c.
Nivernensis Dux pro Jesuitis, ipsorúmque Collegiis Senatui Regio supplex factus. 182. d. *ejus Dictum de Jesuitis.* 267. b.
Novellantes, quinam. 867. c. 931. c. *qua pœna digni.* 867. f. *vivis coloribus depinguntur.* 868. c. *iis à summis Pontificibus quænam pœnæ decretæ.* d. & seq. *quidam eædem Henrici IV. in Jesuitas confert, sed refutatur.* 890. & seq.
Novitii, Societatis Jesu, eorúmque exercitationes. 35. f. *Angelis comparantur.* g. *mendicatum mittuntur.* 52. c. *res ab illis allatæ asservantur.* 54. c. *eos dimittendi indicia ex S. Bonaventura.* 977. d.
Nuptiæ, à legitimis personis contractæ sunt bonæ & laudabiles. 57. d. *Sacerdotum nullæ sunt, & aliqua ex parte ipsis adulteriis & scortationibus deteriores.* ibid.

O

Obedientia, Societatis nostræ, à pseudohistorico exagitatur. 29. h. *veterum Monachorum & Religiosorum, quàm prompta fuerit.* 30. a. 541. h. *erga Sedem Apostolicam quid Regibus Galliæ comparaverit.* 194. g. *regna firmat.* 195. a. *de ea Dictum Theodosii Magni Imp.* 198. h. *ejus vis.* 199. b. *à Sacerdotibus promittitur Episcopis.* 208. b. *plus valet, quàm omnes virtutes.* 540. d. *virtutes cæteras menti inserit, insertásque custodit.* ibid. *qualis debeat esse.* e. & seq. *omnia capessit, præter peccatum.* 541. c. *præstantior, Deóque gratior, quàm sacrificium.* 542. b.
Odii natalitia origo. 949. h.
Odontius Paulus, Prædicans, qua calumnia P. Georgium Scherer S. J. onerârit. 838. c. *Græcii in Stiria conjectus in carcerem, quare.* h.
Oecolampadius quomodo verba illa: Hoc est corpus meum, *tractet.* 398. g.
Olomucense Collegium Societatis Jesu. 734. c.
Olympias vidua, S. Joan. Chrysostomo additissima. 988. h. *propter eum fortunarum jacturam & exilium subiit.* ibid.
Omina, quæ optima. 959. g.
Opera, bona, nihil sunt, judicio Lutheri, nisi offendicula, quæ à Deo nos alienant. 121. h. *externa à Catholicis ad primam justificationem nulla requiruntur.* 123. a. *domestica & in speciem vilia, à Religiosis suscepta, maximi apud Deum sunt meriti.* 535. b. & seq.
Orandum est pro amicis & inimicis. 211. g. *pro Principibus.* 212. b.
Ordo nullus recipit quidpiam inordinatum. 968. f.
Ordines Religiosi primarium auctorem Deum habent. 23. c. *eorum ingressus à S. Hieronymo, S. Bernardo & aliis nominatur quasi alter Baptismus.* 110. g. *iisdem calumniis olim petiti, quibus hodie Societas nostra petitur.* 139. g. & seq. *omnes aliquando novi.* 188. d. *ad eos vocatio, est à Deo.* 229. d. *ab iis cur multi desciscant.* 230. f. *non fuerunt immunes à contradictionibus.* 273. g. *an pustiones admittant, ùt cavillatur Calvinista Lermæus.* 527. b. *eorum Antistites meritò advigilant, ut hæc duo provocabula,* Meum & tuum *è medio tollant.* 530. g. *eorum ingressum innumeri sanctitate eximii viri suaserunt.* 559. d. *non sunt instituti otiandi causa.* f. *vitiis carent, si quæ irrepunt, ea hominum sunt.* ibid. 712. g. 876. f. *sibi pernicioso expellere possunt.* 694. d. & seq. *omnes sua habent privilegia.* 699. f. 721. g. *eorum præclarè facta an liceat prædicare.* 715. a. 760. c. *pro iis ob desertores quid S. Basilius scripserit.* 795. c. *ad eos invitati adolescentes à variis viris sanctis.* 870. g. & seq. *quibus modis.* 871. f. & seq. *aliqui tunc primùm*

primùm reflorescere cæperunt, cùm Jesuitæ, scholis publicè apertis, Juventutem bonis moribus & litteris informare inceperunt. 872. c. *ab iis animus benevolus non abducendus propter unius vel alterius culpam.* 947. b. *eandem fortunam subiêrunt, quam Societas Jesu.* 948. c. *omnes, quibus aliquid cum proximo negotii, Potentum voluntates sibi devincire studuerunt.* 954. d. *eorum professores Legationes Principum susceperunt & obiêrunt.* 955. g. *Principes & Magnates, aliósque præclarè de se meritos suorum meritorum participes facere solent.* 957. d. 968. f. *eorum Professores literarii amicos ad scholas invitant, adventoriis versiculis excipiunt, eisque libros dedicant.* 957. f. 959. h. *iis interdum contingit, quod Deus sibi contigisse per Hieremiam & Isaiam conqueritur.* 975. b. *an & quosnam expellere possint.* 978. g. *ex iis vix ullus tam sanctus, qui desertoribus careat.* 979. b. *delectum Juvenum habent.* 984. b. *inter eos aliquando dissensiones extiterunt.* 998. c. f.

Origenes causam reddit, cur hæreticus impuræ & improbæ vitæ non sit tam aptus fallere. 394. h. *& cur hæretici scripturam usque adeò intonent.* 395. h. *quo consilio sacras litteras, Grammaticam & alias inferioris subsellii facultates auditoribus suis explanârit.* 525. b. *Christianos à conviciis Celsi Epicurei vindicat.* 554. b. *ejus libri, & quinam præsertim proscripti.* 564. h.

Originale peccatum est propriè peccatum. 114. b. *ab hoc immunem esse D. Virginem profitetur tota Societas.* ibid.

Ostrorog Joannes, Illustrissimus Comes, Palatinus Posnaniensis, & Regni Poloniæ Senator primarius. 958. d. *pseudocatholicos & pseudopoliticos egregiè describit.* e. *Societatem nostram defendit.* h. & seq. 1007. e. *ad Collegii Leopoliensis fundationem aliquid contulit.* 1007. e. *quo loco libellum famosum, Monita privata S. J. dictum, habuerit.* 1016. g.

Ovis maximè indiget pastore. 192. g. *ei similis Christianus.* 193. a. *non debet pellem suam deponere, si aliquando eâ lupus se contegat.* 954. a.

P

Parentes, qui filios suos Jesuitarum disciplinæ committunt, judicio Hæreticorum, sunt similes illis, qui olim filios suos Idolo Moloch sacrificârunt. 10. *&, judice Arnaldo, sunt similes Carthaginensibus pueros suos Saturno immolantibus.* 218. e. *filios suos sæpe Sanctis offerunt.* 873. b.

Pares cum Paribus facillimè congregantur. vetus verbum. 1017. f.

Parisienses peste afflicti. 220. h. *eis subveniunt Jesuitæ.* ibid.

Parisienses Facultates pro Jesuitis. 182. g. *in eos Arnaldus injuriosus.* 239. h.

Parisiensis Præsidis mirandum factum. 210. b.

Pascasii Stephani Testimonium pro Jesuitis. 184. b.

SS. Patres tradunt, hæresin esse idolum, & hæreticos esse idololatras. 392. f. & seq. *in eos quàm impii sint Hæretici.* 400. a. *& cur* 401. c. *S. Scripturam non alio spiritu interpretantur, quàm spiritu Ecclesiæ.* 401. g. 405. b. *eos non errâsse, quid nos certos reddat.* 402. f. *eorum dicta, si sibi pugnaverint, quo judice finiantur.* 403. h. *quomodo recurrant ad S. Scripturam.* 404. e & seq. *sunt tumulus testis, seu acervus testimonii inter Jacob & Laban.* 407. g. *iis quantum reverentiæ & honoris tribuat S. Basilius.* 407. h. 408. a. & seq. *& Theodoretus.* 408. f.

Paula, nobilissima Romanæ urbis fœmina, suasu S. Hieronymi non tantùm rebus mortalibus se abdicavit, sed etiam Palæstinam petiit, ibique sedem fixit. 967. d. *quàm benefica in pauperes Religiosos &c.* 970. d. *eam Origenista circumvenire tentavit.* 971. e. *Eustochium filiam suam quomodo ad contemptum mundi & professionem castitatis induxerit.* g. *quanto desiderio expetiêrit, ut filius, nurus & neptis rebus mortalibus valedicerent.* h. & seq. *serviebat Deo Bethlehemi sanctissimè, nec tamen livoris dentes acutos effugere potuit.* 973 c.

S. Paulinus nihil non molitur, ut Licentium Juvenem ad jugum Christi amplectendum inducat. 871. e. *Elegiam ad eundem pangit, quare.* f.

Paulinus Aquilejensis Episcopus quid accinuerit Felici Urgelitano Antistiti. 938. b.

S. Paulus Apostolus an à castitate avocârit & deterruerit. 59. f. *pro tenuioris fortunæ Christianis ab opulentioribus eleemosynas petiit & collegit.* 953. b.

Paulus III. Papa Institutum S. J. approbans, à Lausero maledictis oneratus, vindicatur ab Onuphrio. 77. b. *quæ Privilegia Societati concesserit.* ibid & seqq.

Paulus IV. Papa, ex Ordine Theatinorum. 737. a. *Theatinos cum Jesuitis voluit conjungere, ita, ut uterque Ordo in unum coalesceret.* f.

Pauperes amandi, &, quà licet, juvandi. 952. e & seq. *pro iis ab opulentioribus eleemosynas collegit Apostolus.* 953. b.

Paupertas Societatis Jesu. 49. b. 51. g. 55. a. Vide etiam V. *Jesuitæ.*

Payva Didacus, Lusitanus, insignis Theologus Ignatii conversionem, & Societatis initia eleganter exponit. 15.

Peccata, licèt scripto comprehensa à pœnitente tamen ordinariè proprio ore enuncianda. 915. h.

Peltanus Theodorus impudentissimè à Lausero traducitur. 88. b.

Pericles, cùm ad dicendum accederet, preces fudit. 220. b.

Pestilentia ante ostium venit, & nummum quærit. Duos illi da, & ducat se. Proverbium. 383.

Petra-

Petrarcha Franc. vitium & luxum, non ipſam Romam, Sedémque Pontificiam reprehendit. 132. g. *quanquam in inſectanda Roma nimiùm ſibi indulſerit.* 133. a. c.

S. Petri Apoſtolorum Principis variæ apparitiones. 426. e. & ſeq. *claves Romæ coluntur.* 434. h.

Petrus Abbas Cluniacenſis apologiam ſcripſit ad S. Bernardum. 998. f. *calumnias ſeu querimonias à ſui Ordinis profeſſoribus depulit.* 999. a. & ſeq.

Peuſchle Lucas horribili morte Haſenmilleri Lutherani perterrefactus ad Eccleſiæ Catholicæ gremium revolavit. 158. f.

Philippus Macedonum Rex, nullam arcem inexpugnabilem cenſebat, in quam aſinus auro onuſtus introire poſſet. 553. d.

Philippus Pulcher, agnovit ſe ſubditum Papæ in ſpiritualibus. 193. h.

Philippus Rex ſerò agnovit Societatem Jeſu. 189. c. f. *ad Jeſuitas dedit epiſtolam.* 189. f.

Philo Judæus, quantis laudibus animi magnitudinem in Jeſſæis Chriſtianis decantârit. 544. d. *quid de virtute ſcripſerit* 560. c. *de Jeſſæorum Semnéis & habitaculis.* 561. c.

Philoſophi multi ſolitudinem petiêrunt, & cur. 561. h.

Phocas Nicephorus, qualis in Monachos, & Monaſteria. 750. f.

Picarditæ in Bohemia & Moravia an ſint Calviniſtæ. 446. g.

Pietas eſt Nota boni Magiſtri. 233. h. 234. h. *in ſcholis Jeſuitarum quomodo inſtilletur Juventuti.* 235. c. h. 237. c.

D. Piſtorius Joannes. 924. *de ejus morte quæ calumniator anonymus ſceleratè commentus ſit.* 926. e. & ſeq. *ejus filii epiſtola ad P. Conradum Vetter S. J.* 931. f. & ſeq. *contra eum Sectarii cur evulgârint libellum famoſum.* 935. g. & ſeq.

Pius IV. Papa, Inſtitutum & Privilegia S. J. confirmat, novámque facultatem concedit. 88. f. 739. a. *Jacobum Laines Societatis Præpoſitum Generalem in Galliam mittit.* 518. d. *inde ad Concilium Tridentinum* ibid.

Pius V. Papa, quæ Privilegia Societati conceſſerit. 89. b. & ſeq. *ejus Dictum de calumnia.* 184. h. *ejus Dictum allato nuncio de tumultu Avenione excitato.* 264. e. *Jeſuitis ademit facultatem horas privatim extra Chorum dicendi.* 738. d. *qualis in Societatem.* 739. g. *quas pœnas in* Novellantes *ſtatuerit.* 868. d. e.

Pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula. 123. d. *eſt Sacramentum.* f. *gratis à Jeſuitis adminiſtratur.* ibid.

Pœnitentiariæ taxæ non pertinent ad forum internum. 39. f.

Pœnitentiarii S. J. Romæ nihil pecuniæ recipiunt à pœnitentibus. 39. e. *nec quemquam produnt, aut ad Inquiſitionem tradunt.* g.

Politici veri, & falſi, qui. 958. g.

Polycarpus Lauſerus. Vide V. *Leyſerus.*

Pontifex Romanus à Prædicantibus infandis conviciis proſcinditur. 8. 9. 87. f. 129. b. 152. c. *ejus poteſtas in Chriſtianos ſpiritualis eſt.* 191. d. *ei an Reges Franciæ reſtiterint.* 193. g. & ſeq. *in eum obſervantiâ & munificentiâ Reges Galliæ omnes alios ſuperârunt.* 194. d. & ſeq. *an habeat temporalem poteſtatem in Regem.* 196. e. *ejus auctoritas in Reges, valde ſalutaris eſt Regibus.* 197. d. *in eum, ejúsque Miniſtros calumniæ.* 733. f.

Pontifices Romani Regna tranſtulerunt. 197. h. *ab iis regnorum translationes factæ ſemper fuerunt utiles regno Gallicano.* ibid. *in eos convicia hæreticorum refelluntur.* 130. 131. 132. 414. a. *adversùs eorum vituperatores quid Leo IX. ſcripſerit.* 415. b. *contrarias aliquando Conſtitutiones cur edant.* 702. a. *cum iis agendi ratio Jeſuitarum.* 705. g.

Popilinierus Hiſtoricus, innocentiæ Jeſuitarum ſuffragatur. 250. d.

Porphyrogenitus Baſilius Imp. legem à Nicephoro Phoca in Monachos latam, & à Manuele Comneno renovatam, abrogavit. 750. g.

Præceptor bonus & probatus, quatuor ornamentis præditus eſſe debet. 233. h. & ſeq.

Prædicantes hæretici Jeſuitas in theatrum producunt, ut eò liberiùs & ſecuriùs in omnes Orthodoxos Proceres canina ſua maledicentia ſævire poſſint. 8. *omnes Catholicos Ordines infandis calumniis onerant.* ibid. 9. *cur adeò oderint Jeſuitas.* 12. *eodem modo agunt cum Jeſuitis, quo Ariani Præcones cum S. Athanaſio.* ibid. 13. & ſeq. *accuſatorem agere non poſſunt, quare.* 18. *ad teſtandum contra Jeſuitas tam ſunt idonei, quàm illi, quos Phariſæi contra Jeſum produxerunt.* 22. *Græcio, Viennâ & Auguſtâ ejecti, non inſtinctu Jeſuitarum.* 27. g. 34. a. *quibus armis oppugnentur à Jeſuitis.* 27. h. & ſeq. 32. b. 49. a. *pueri centum annorum, malè ſibi conſcii, ubique corycæos ſomniant.* 42. e. 97. b. *Judæorum in calumniando & mentiendo ſucceſſores.* 70. a. *iis Decalogus ſervatu impoſſibilis.* 77. f. *miraculis vel maximè indigent ad Miſſionem & vocationem ſuam extraordinariam demonſtrandam.* 98. c. 103. b. 422. d. *cur omnibus Jeſuitis maledicant.* 150. a. *quàm ſint occupati.* 151. c. *eorum obſervantia in Principes.* 154. g. & ſeq. *eos inter & viros Summates unio.* 156. f. & ſeq. *ad eorum convicia non ſemper ſilendum.* 157. g. & ſeq. *quando nullum effugium inveniunt, ad Chriſtum Judicem provocant.* 158. g. *Exorciſmos, Benedictiones, Sacramenta appellant incantationes & necromantias.* 203. f. *eorum viva imago Demetrius argentarius.* 361. e. *quàm magno apud plerosque in pretio ſint, judice Luthero.* 374. d. *Lutherani quales Confeſſarii.* 447. f. & ſeq. *frangunt ſigillum.* 448. d. *quales venti ſint.* 523. g. *iis Apoſtatæ gratiores adveniunt, ſi ſub deſerti* Jeſuitiſmi *ſpecie advolitent.* 793. c. *non aliter* vocan-

cantur, *ac lictores & carnifices.* 816. c. *eorum conſcientia qualis.* 829. f. *pueri veteres.* 843. f. *Lutherani & Calviniani ab Andrea Lonnero Lutherano-Calviniſta relegantur ex S. R. Imperio.* 903. f. & ſeq. *contra Jeſuitas arma fremunt.* 919. f. & ſeq. *eorum præconia.* 920. e. *inquieta animalia.* 926. a. *quidquid mentiuntur, avidis auribus à Sectariis auditur, & hauritur.* 928. b. *per mulieres majorem partem Septentrionis ſeduxerunt.* 956. h. vide etiam V. *Auguſtani.*

Pragenſe Collegium S. J. accuratiſſimè viſitatur, num apparatum bellicum aſſervet. 862. d. 863. h. & ſeq. *pro eo teſtimonium Bohemiæ Procerum contra Cambilhonum, & Cambilhonicos obtrectatores.* 862. f. & ſeq.

Principes S. R. I. à Prædicantibus infandis conviciis lacerantur. 9. *de iis quàm honorificè, ſcilicet, ſcribat Lauſerus, obſcurus Prædicans.* 11. *in eos obſervantia Lutheri & Lutheranorum.* 153. d. 154. g. & ſeq. *temporales habent poteſtatem temporalem.* 196. e. *in eos quales ſint hæretici.* 199. g. *pro iis Scriptura orare jubet.* 212. b. *quanti fecerint Jeſuitarum laborem & operam.* 236. b. *externi an fuerint conſcii & participes conjurationis Anglicanæ.* 469. c. & ſeq. *Societati noſtræ Collegia extruxerunt.* 733. c. *calumniatoribus ſuis veteri jam lege veniam tribuerunt.* 736. f. *cum iis agendi ratio Jeſuitarum.* 748. a. *ab iis num Jeſuitæ petant litteras commendatitias ad Pontificem.* f. *in eos calumniæ.* 750. c. *eorum nimia familiaritas Religioſo non appetenda.* 954. c. *eorum favorem ſibi procurare ſtuduerunt omnes Religioſæ familiæ, quibus modis ac mediis.* d. 957. d. & ſeq. *eorum facta an reprehendenda.* 954. g. *iis honores ominari non eſt tutum.* 959. g. *in concionibus coram imperita multitudine non perſtringendi.* 964. f.

Profeſſæ Domus S. J. precariò victitant, ſine ullis certis & ſtatis proventibus. 33. b. Vide etiam V. *Societas.*

Profeſſi quatuor Votorum S. J. mendaciter & imperitè deſcribuntur à pſeudohiſtorico. 33. a. *cur quartum votum nuncupent.* 69. f. *ſacræ Ligæ in Gallia finguntur auctores.* 70. b. *è Societate num etiam dimittantur.* 978. g. & ſeq. *an commoditates habeant, quas volunt.* 995. a. *an ipſi tantùm cum viduis verſentur.* d. *nec ſoli nec ſemper ſunt Confeſſarii Principum.* g. Vide etiam V. *Societas.* & V. *Jeſuitæ.*

Profeſſionis fidei formula à Pio IV. præſcripta, à Lauſero depravatur. 34. g. 35. c.

Prophetæ, in veteri Teſtamento à Deo miſſi ad populum, tabulas genealogiæ monſtrabant. 412. d.

Pulſatio in quo differat à verberatione. 733. f.

Pynufius Abbas munus hortulani obiit. 535. h.

Q.

Qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus 891. d.

Quintum evangelium quos fructus afferat. 373. c. & ſeq. *ejus buccinatores quàm magno apud plerosque in pretio ſint.* 374. d.

R.

Rabus, ad Eccleſiam Catholicam revertit. 134. d. *an miſerè perierit.* f.

Radzivilus Georgius, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Cracovienſis. 1003. g. *quàm benevolus & beneficus in Societatem Jeſu.* 1004. a. & ſeq. *in manibus Jeſuitarum mortuus eſt Romæ, Anno Jubilæo, & in templo Domus Profeſſæ ſepultus.* 1004. f.

Ratisbona, civitas plena magnificè extructis templis, ſacellis, Monaſteriis, altaribus, à Septingentis, octingentis, nongentis, & quod excurrit, annis. 384. *olim iiſdem, quibus Sedes Apoſtolica, Inſignibus utebatur.* ibid. 385. *à S. Ruperto uſque ad Lutherum non aliam, quàm Catholicam Romanámque fidem coluit.* ibid. *fidei pacisque corona.* 385. *fidem à nongentis & longè pluribus annis ſanctè cultam, deſerit.* ibid.

Ratisbonenſes Epiſcopi à S. Garibaldo perenni & jugi tenore nexa ſerie ſuccedentes ab Hundio LIII. enumerantur. 385. *ex iis omnibus nullus fuit Prædicans Lutheranus.* ibid.

Rechabitarum conſtantia Deo quàm grata fuerit. 738. a..

Rectores S. J. non eliguntur ex ſolis Profeſſis. 33. d. *eorum poteſtas, quæ.* 40. e. Vide etiam V. *Societas.* & V. *Jeſuitæ.*

Regere alios, quàm ſit difficile. 717. g.

Reges immanibus conviciis à Prædicantibus lacerantur. 9. 155. g. h. *in iis omnia magna & conſpicua.* 196. a. *iis valde ſalutaris eſt autoritas Pontificis.* 197. d. *ipſis non eſt indignum, ut ſe ſubjiciant.* 198. g. *in eos quales ſint hæretici.* 199. g. *in eos Calvini impudentia.* h. *eos poſſe interfici an doceant Jeſuitæ.* 237. h. *ſuaviter tractandi.* 964. f.

Regna quid firmet. 195. a. *utiliter translata.* 197. h.

Relegatio Prædicantium Lutheranorum & Calvinianorum ex Germania. 903. e.

Religiones multæ à Deo & rebus Divinis nomina acceperunt. 257. f. 508. a.

Religionis oppugnatoribus Deus ſemper oppoſuit propugnatores. 251. d.

Religioſi potiſſimùm odio ſunt Dæmoni. 172. c. *cur.* 173. b. *quidam Conventui ſuo quantum attulerit.* 225. h. *cur multi à ſtatu Religioſo deſciſcant.* 230. f. *eos non efficit vita in communi, ſi deſint alia.* 259. a. *cur adeò exoſi ſint & inviſi Sectariis.* 419. c. *eorum celeuſmata.* 462. a. *alii Clerici, alii Monachi.* 516. g. *domeſtica & viliora in ſpeciem miniſteria obeuntes an ſint miſeri homines.* 534. h. & ſeq.

seq. *veteres & recentiores non ignorârunt, quanta vilibus operibus à Deo sint constituta præmia.* 535. d. *iis nullo modo convenit honores quærere.* 539. a. *iis qualis obedientia necessaria.* 540. e. f. *Superiori, etiam absurdum & ineptum quid mandanti, parentes, omnem absurditatem & ineptiam vitant, quare.* 541. c. *eorum officium est, ut, quidquid agunt, id agant ex obedientiæ præscripto.* f. *veterum de prompto obediendi studio sententia.* h. *iis vana gloria quàm maximè fugienda.* 543. g. *ratione Ordinis justissimis & verissimis laudibus affici possunt.* 545. b. *Therapeutæ cur dicti.* 547. f. *pro iis S. Gregorius Nazianzenus.* 552. h. & seq. *quinam expelli possint.* 694. d. 978. g. *iis quas ob causas hæretici tam libenter objectent flagitia Venerea.* 769. g. & seq. *qui sua sorte non contenti, altiora quæritant, à S. Bonaventura insigniter depinguntur.* 772. e. *iis non indecorum, nec probrosum, si adolescentes ad statum Religiosum alliciant.* 870. f. *quibus modis allicere studeant.* 870. c. 871. f. & seq. *zelus & invidia, vitia iis indigna.* 872. f. *Potentes conveniente via & ratione sibi devincire meritò student.* 954. e. *invidiam domare debent.* 966. c. *ne minimam quidem reculam habent, cui licitè hunc titulum affigant:* Mea. 980. g. *quidam erga Religiosos alterius Ordinis accusatos quid præstiterit.* 985. c. Vide etiam V. *Monachi.*

Reliquiæ Christi seu res sanctissimo ejus attactu sanctificatæ, an & quomodo colendæ. 53. a.

Rescius Stanislaus, Apologetes Societatis nostræ. 942. 1018. h.

Ribadeneira Petrus, vitam S. Ignatii & primordia Societatis litteris mandavit. 15. 24. d.

Rogationum dies cur instituti. 53. g.

Roma non est talis, qualis mendacissimè describitur à Prædicantibus. 127. c. 128. d. 129. b. & seq. *nullum ibi flagitium impunitum.* 128. f. *plus ibi eleemosynæ uno mense confertur in egenos, quàm Prædicantes omnes, quot quot fuerunt in tota Germania à temporibus Lutheri ad hanc usque diem, contulerint.* g. *à S. Bernardo an reprehensa.* 132. g.

Romanum Collegium S. J. 732. b. *ei Abbatia tradita.* ibid.

Roverius Petrus S. J. Panegyricum Divione dixit. 358. g.

Rülichius, Prædicans Augustanus, quid de P. Georgio Schererio sparserit. 829. g.

Rumor falsus facilè opprimitur. 997. e.

S. Rupertus quale Evangelium annunciârit Ratisbonensibus. 386.

Rutilius Ethnicus, quid de Christianis Monachis in Insula Capraria, & Gorgonia. 562. f.

S

Sabinianus Diaconus Virginem sacram ad flagitium sollicitavit. 711. f.

Sacerdotes Catholici à Prædicantibus infandis calumniis onerantur. 9. 56. c. 66. d. e. *promittunt Episcopis obedientiam.* 208. b.

Sacramenta sunt Wiclepho, Calvino &c. incantationes & necromantiæ. 203. f. *eorum vis & veritas non pendet à Ministro bono vel malo.* g.

Sacramentarii quomodo tractent verba illa: Hoc est corpus meum. 398. g.

Salvatoris nomen certis Ordinibus & locis attributum. 508. a.

Sanctis à parentibus filii sæpe offeruntur. 873. b.

Sanctorum Corpora multis ab obitu annis integra & incorrupta sunt inventa. 428. c. *pulchriora, quàm ante obitum.* h. & seq.

Scaurus Æmylius à Vario Sucronensi, homine nihili, accusatus, qua defensione usus. 21.

Schatelius Joannes, filius cujusdam civis Parisiensis, Henricum IV. Galliæ Regem è medio tollere decrevit. 277. h. *de eo brevis relatio.* ibid. *ei Jesuitæ non fuerunt auctores, ut parricidium in Regem susciperet.* 293. d. *Jesuitas usque ad extremum spiritum innocentes pronunciavit.* 295. d. 894. g. & seq.

Schedlerus Melchior, S. J. 45. d. *de eo quam fabulam narret pseudohistoricus.* ibid.

Scherer Georgius S. J. Hosiandri impudentiam coërcuit. 26. c. *de eo quid Rülichius, Prædicans Augustanus, sparserit.* 829. g. *à Senatu Græcensi defensus contra Odonticas & Volcianas criminationes.* 838. g. & seq.

Schleidanus Joannes, quis. 933. a. *fabulam de Spiera Francisco, Italo, primus in litteras retulit.* ibid.

Schlossius Salomon Pataviensis, Apostata. 793. c. *sub deserti Jesuitismi specie ad Prædicantes Witebergenses advolitavit.* ibid.

Schlüsselburgius, Superintendens Lutheranus quo testimonio decorârit libros Calvinistarum. 322. f.

Schmidelinus à Calvinistis exagitatur. 71. d. 125. d. *& hi ab illo.* 71. h. 104. f. 108. a. *scrutans Scripturam, reperit ubiquitatem.* 107. h. *Ubiquistarum antesignanus.* 108. f.

Scholæ, Societatis Jesu. 755. e. 878. d. *quænam olim Constantinopoli docendæ Juventuti institutæ.* 878. b. c.

Scientia est Nota boni & probati Magistri. 233. h.

Scire tuum nihil est, nisi & hoc sciat alter. 912. a.

Scriptura sacra non Jesuitis, sed Prædicantibus hæreticis est cereus nasus. 104. a. *materia litium.* b. *liber hæreticorum.* c. *quàm appositè ab hæreticis adducatur.* d. *iisdem est littera muta & mortua.* f. *littera non vivificans, sed occidens.* h. *littera varia, ambigua,*

gua, mutabilis. 105. a. *obſcura.* b. *littera inſufficiens.* c. *plus nocet, quàm prodeſt, ſi legatur contemptis & neglectis Patrum & Eccleſiæ interpretationibus* 107. c. *eſt lucerna & lumen, non tamen cæcis, talpis &c.* f. *commendat inſtitutionem Juventutis in timore Domini.* 235. g. *ab ira dehortatur.* 356. c. *cur adeò inſolenter ab hæreticis jactetur, & ubique inculcetur.* 392. d. & ſeq. 395. h. 396. f. *non rectè intelligitur & explanatur ab iis, qui Spiritus ſancti ſubſidio deſtituti eam legunt.* 397. c. *quàm inepte ab hæreticis citetur & explanetur, lepidum exemplum.* 398. d. *aliud ex Luthero petitum.* g. *à Doctoribus Eccleſiæ, quà talibus, quo ſpiritu exponatur.* 401. g. *an ſit facillima & apertiſſima.* 403. h. & ſeq.

Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, an à Jeſuitis interfectus. 245. g. *quantum amaverit Jeſuitas.* 246. c. *ei, ut bellum Africanum ſuſciperet, an Jeſuitæ fuerint auctores.* 246. e. 718. g.

Sectarii ſparſis commentis & mendaciis ſuis quid ſpectent. 935. b. *renovant veterum quorundam opinationem de mendacio.* c. *commenti ſunt, Ferdinandum Regem, poſtea Imperatorem Romanorum, factum eſſe Lutheranum, quo fine.* f. *ob quas cauſas evulgârint famoſos libellos contra Bellarminum & Piſtorium* g. & ſeq. *quàm egregii locorum ſacrorum patroni.* 962. b. *Monita privata & publica, generalia & ſpecialia extrudunt.* 1017. e. & ſeq. *hoc commune fundamentum ſtatuunt:* Credo, unum eſſe Deum. 1018. b. Vide etiam V. *Hæretici.*

Sedes Apoſtolica à Clodovæo, ejúsque filiis ac ſucceſſoribus Regibus, unicè ſemper culta fuit. 194. f.

Seditioſi qui ſint, judicio Arnaldi. 242. b.

Seducere & Seductor, quid. 937. b. *in bonam quoque partem accipi poſſunt.* ibid.

Seneca quænam remedia extinguendæ iræ præſcribat. 357. f. & ſeq.

Siculi inter omnia, quæ ſunt ejuſdem generis, primum locum tenent. 740. c.

Sigiſmundus II. *Poloniæ Rex.* 1019. c. *ejus, de admiſſione Societatis Jeſu in Regnum Poloniæ, Diploma.* d. & ſeq.

Sigiſmundus III. *Poloniæ Rex, ob alteras nuptias cum ſorore prioris conjugis contractas, à calumniis anonymi cujuſdam tenebrionis vindicatur.* 955. a. & ſeq. *ad Jeſuitas fovendos an impulſus ſit conjugis Auſtriacæ commendatione.* 956. d. *Templum Domûs Profeſſæ Cracovienſis ſumptu planè Regio exædificavit.* 1004. c.

Simon Magus ex Scriptura probat, multos Deos eſſe. 394. a.

Societas Jeſu inſigni Apologia à Petro Stevartio defenſa. 7. *immanibus conviciis ab Hæreticis onerata* 10. *contra eam quinam ſcripſerint.* 11. *ei hæretici ſuis calumniis, execrationibus & diris plus hactenus profuerunt, quàm obfuerunt.* 12. *eam cur adeò oderint Prædicantes.* ibid. *ejus initia quinam litteris mandârint.* 15. 16. *Deum auctorem habet, ùt aliæ Religioſæ familiæ.* 23. c. *ejus finis quis.* 24. a. 256. c. 538. e. *ejus approbator ex improbatore effectus Cardinalis Guidiccionius.* 26. g. *cur Chriſti vicario peculiari obedientiæ voto ſe obſtringat.* 26. g. 29. c. *omnium nationum homines recipit.* 29. c. *ejus obedientia exagitatur.* h. & ſeq. *ejus Devotorii ſervi ne nomine quidem noti.* 34. b. *in ea quanta ſit cura caſtitatis conſervandæ.* 61. b. *iiſdem calumniis hodie traducitur, quibus olim alii Religioſorum hominum Ordines petiti fuerunt.* 139. g. & ſeq. *in eam Invectiva Perſonati cujuſdam Equitis Poloni à quibus refutata.* 150. d. 942. *pro ea in Gallia Franciſci Montani Apologia contra Philippicam Arnaldi Pariſienſis Advocati.* 178. *eam vix novit Carolus V. Imp.* 188. b. 189. a. *eam ſerò agnovit Philippus Rex.* 189. c. f. *à Paulo* III. *approbata.* 202. e. *ejus primi Patres & Fundatores.* 211. b. *in ea trium domiciliorum genera.* 221. h. *ejus domus Profeſſæ carent reditibus.* 222. c. *in quibus locis ſint domus Profeſſæ.* d. *ejus tria domiciliorum genera, quantum ad paupertatem, quatuor habent communia.* e. *de ea Dictum cujuſdam Advocati.* 229. c. *ex ea cur nonnulli dimittantur, & qui.* 231. e. 693. e. g. 975. b. *neminem temerè dimittit.* 232. d. 978. b. 981. c. *ejus origo.* 252. b. *ei nomen quis impoſuerit.* 256. c. *cur ſit dicta Societas.* g. *ejus Regula Paulo* III. *approbationis impetrandæ cauſa, oblata.* 260. b. *ei multos contradixiſſe, nil criminis habet.* 273. g. *ejus expulſio Lutetiâ, & ultimum adversùs eam edictum.* 286. c. & ſeq. *eam quot calumniis generatim adverſarii traduxerint, & adhuc traducant, quo modo, & fine.* 287. e. *cur nomine Jeſu inſigniatur.* 304. g. *ejus Apologia ad Galliæ Regem vindicatur à calumniis Miſeni.* 318. & ſeq. *Pariſiis nata.* 339. h. *ei à Sereniſſimo Delphino Viennæ inſigne Collegium erexit.* 354. c. *ejus Collegiorum in Gallia catalogus.* 372. f.

Societas Jeſu, à Jeſu nominata. 506. f. *non inſtituta à Diabolo, ùt calumniatur Calviniſta Lermæus.* 508. h. 510. d. *ei evenit, quod SS. Hieronymo & Athanaſio evenit.* 509. c. *ei an nomen* Societatis *à cane, ſeu à Diabolo ſpecie canis viſo, impoſitum fuerit.* 514. h. & ſeq. *pro ea Athenagoras.* 515. f. *ab Ignatio cur ita dicta.* h. *eſt Religio Clericorum.* 516. h. *ei ſub prima exordia an omnes Monachi obſtrepuerint.* 522. h. *de ea confirmanda num Pontifex titubaverit.* 523. a. *à primo ſtatim ortu ingenuarum artium diſciplinas tradendas ſibi ſumpſit, quo conſilio.* 525. b. *eſt ab incunabulis ſuis ad Monarchiæ ſpeciem conformata.* 548. c. 1010. c. *an omnibus aliis Ordinibus antiſtet.* 682. b. *num ſit omnibus inviſa.* e. *quo jure poſſideat*

deat bona Ecclesiastica. 683. h. *ejus Decimæ.* 684. c. *Hæreditates.* d. 774. h. *Donationes.* 684. f. *ex Seminariis, quibus præest, an aliquid lucri capiat.* g. 717. f. 732. f. 755. h. *ejus res quo fundamento nitantur.* 687. d. *ad ejus Congregationes qui admittantur.* 688. b. *ejus Superiores ad similitudinem ejus, quem S. Gregorius Nazianzenus describit, accedunt.* 689. h. *num faveat Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* 690. f. *utrum observet canones.* 691. g. *in ea quando emittantur vota.* 693. c. *cur non utatur Choro.* 699. h. *in ea amor mutuus.* 706. c. *ejus Superiores veri, quales.* d. *ejus Superiores communi cum subditis victu & vestitu utuntur.* g. *in ea non tolerantur dissidia.* 708. a. 997. f. *in ea num ferveat orationis studium.* 713. d. *à Sede Apostolica Privilegiis insignita.* 721. g. & seq. Vide etiam 77. b. usque 97. b. *ejus vota simplicia.* 724. c. & seq. 778. b. *ei à Principibus & Rebuspublicis Collegia extructa.* 733. c. *eam inter & Paulum IV. Papam dissensionis causa, quæ.* 737. a. f. *Pii V. Papæ præcepto de precibus Canonicis publicè & communiter persolvendi paruit, ut debuit.* 738. d. *ejus Professi* Quintini, *qui.* f. *in eam qualis Pius V.* 739. g. & seq. *in eam qualis Borromæus Cardinalis.* 744. h. *ejus obligationes.* 751. e. *non negligit egenos.* 752. b. *ejus Scholæ.* 755. e. *Collegia Convictorum.* h. *in eam quales adscribantur.* 756. h. & seq. 767. c. 982. d. *ejus ædificia.* 763. c. *Ecclesiæ.* 765. f. & seq. *Gradus.* 867. b. *ejus Tyrones quomodo instruantur.* 768. d. *ejus Professio.* 772. d. & seq. *potestas dimittendi.* 774. c. & seq. *pœnitentiæ.* 775. d. *harum finis.* 776. g. *ejus labores.* ibid. *pro ea Apologeticum instituit ipsemet Rex Galliarum ac Navarræ.* 836. a. *eam quàm paternè idem Rex foverit.* ibid. *pro ea Testimonium Senatûs Græcensis in Stiria contra Odonticas & Volcianas criminationes.* 838. g. *variæ in eam calumniæ depelluntur.* 873. d. & seq. *ejus communis doctrina in Quæstione* de Tyranno *non discrepat à Decreto Concilii Constantiensis.* 895. c. *ejus eximius ac singularis Patronus Henricus IV. Rex Galliæ.* 896. a. & seq. *ejus erga Eundem quis animus, & quæ observantia.* 897. d. *ei cor Regis Henrici creditum est, Flexiæ in Templo Societatis sepeliendum.* h. *in eam, defuncto Rege, Reginæ beneficia.* 898. a. & seq. *de ejus innocentia Attestatio Episcopi Parisiensis.* e.

Societas Jesu; promissione Dei suffulta spernit maledicta & criminationes Prædicantium. 920. c. *ejus* Monita privata, *libellus famosus.* Vide V. *Monita. In ea oppugnanda qualem lusum Diabolus luserit.* 940. & seq. *eam an, & quales Catholici petulanter & flagitiosè incessant.* 941. *ei bona fama necessaria.* ibid. *ejus Apologetes Syskowski Martinus, Episcopus Cracoviensis, & Stanislaus Rescius.* 942. *in eam benevolentia & liberalitas ejusdem Martini Syskowski.* ibid. & seq. *ab ea Catholici quas ob causas interdum alieni sint.* 946. c. 947. a. & seq. *vilium & miserabilium hominum curam nunquam deponit.* 952. d. *à communi consuetudine nihil abhorrens facit, si Regum & Principum favorem sibi procuret.* 956. b. *ejus Apologetes Joannes Comes ab Ostrorog, Palatinus Posnaniensis, & Regni Poloniæ Senator primarius.* 958. d. h. & seq. *ejus protector fidelissimus, quis.* 960. c. *ejus status in Polonia.* f. *ei contingit nonnunquam, quod Deus sibi contigisse per Isaiam & Hieremiam conqueritur.* 975. b. *dimissis, si quid donârint, quantum restituat, & num aliquid restituere teneatur.* 980. a. b. 989. b. *eam deserentes in graves calamitates inciderunt.* 981. h. *commenta circa ejus casus reservatos refelluntur.* 985. e. & seq. *in ea quinam potissimùm foveantur.* 987. c. & seq. *à primo statim ortu exemptionem à jurisdictione Episcoporum obtinuit.* 993. h. *facultate absolvendi à casibus Episcopalibus moderatè utitur.* 994. b. *Sedis Apostolicæ beneficio etiam potest à casibus eidem Sedi reservatis absolvere.* ibid. *in ea communis vivendi ratio & identitas observatur.* 995. a. *in eam benevolentia & beneficia Bernardi Maciejowski, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Gnesnensis.* 1001. g. 1002. c. & seq. *in eam quàm benevolus & beneficus Georgius Radzivilus, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Cracoviensis.* 1003. h. 1004. a. & seq. *in ejus gratiam aliquot Diplomata edidit Petrus Myskowski Episcopus Cracoviensis.* 1005. c. 1006. b. & seq. *de ea quid senserit Stephanus Poloniæ Rex.* 1005. d. *in eam benevolentia & munificentia Demetrii Solikowski Archiepiscopi Leopoliensis.* 1008. b. f. & seq. *& Consulum Senatúsque Leopoliensis.* 1008. c. *ei quàm solenne sit, carceres, xenodochia, orphanotrophia & similia loca obire.* h. & seq. *Torunium introducta ringentibus licèt Hæreticis.* 1014. g. *de ejus admissione in Regnum Poloniæ Diploma Sigismundi II. Regis Poloniæ &c.* 1019. d.

Societas quid sit. 516. a. *initæ qualis effectus & fructus.* b.

Socrates an rectè & sapienter egerit, quòd accusatus à sycophantis, capitisque etiam postulatus, nulla apologia uti voluerit. 813. g.

Solikovius seu Solikowski Demetrius, Archiepiscopus Leopoliensis, primus Patres Societatis Jesu Leopolim induxit, & ad mortem usque fovit. 1007. e. *ejus in Societatem benevolentia & munificentia.* 1008. b. f. & seq.

Solitudo à plurimis quæsita, ut eò quietiùs Divinarum rerum considerationi vacarent. 561. h.

Sorbona non approbat Jesuitarum ex Gallia expulsionem. 182. f. *ejus Decretum pro Jesuitis.* ibid. *ejus antiquum decretum abrogatum per novum.* 207. d. 262. g.

Sordes & ornatus pari modo fugienda. 530. e.

Spalatinus Georgius, Apostata. 933. b. *ejus operâ Diabolus & Lutherus, quidquid molierantur, in aula Saxonica transactum dabant.* ibid. *in profundissimam ac desperatissimam mestitudinem animi incidit, & quare.* ibid.
Spiera Franciscus, Italus, Citadellæ Causidicus. 932. h. *an ob repudiatam abs se hæresin desperaverit.* ibid. & seq.
Spiritus S. licèt unus & indivisus in se, varia tamen sortitur nomina. 110. e. *præest totì Ecclesiæ* 111. a. *ejus nomen certis Ordinibus & locis attributum.* 508. a.
S. Stanislaus Martyr, Episcopus Cracoviensis, miraculoso testimonio à calumniantium jaculis se liberavit. 1001. h.
Staphilus, ad Ecclesiam Catholicam revertit. 134. d. *an miserè perierit.* h.
Status quid sit. 253. h.
Steganographia, quid, & à quibus excusa. 805. e.
Stellæ nullis à mortalibus emissis contumeliis moventur. 129. c. *eas imitantur viri sancti.* ibid.
S. Stephanus Junior ab Iconomachis de flagitio venereo accusatus. 771. d.
Stephanus Rex Poloniæ, quid de Societate Jesu senserit. 1005. d.
Stevartius Petrus, insigni Apologia Societatem Jesu defendit. 7.
Studita Theodorus quid in veteres Iconomachos scripserit. 461. b.
Successio jure optimo magni penditur. 411. g.
Superbia, parens hæreseos. 199. d.
Superiores, si quid mandent contra legem Dei, iis non est obediendum. 209. f. *loco Christi, cujus personam gerunt, colendi.* 540. b. *veri, quales.* 706. d. *iis, etiam moderatissimis, interdum contingit importunitate factiosorum, quod Moysi contigit.* 976. e. & seq. *iis quænam observanda cum reprehensionis impatientibus.* 980. h. & seq.
Sus suillo penicillo à Luthero depingitur. 430. a.
Syllabæ sequentibus duabus consonantibus, etiam in diversis dictionibus, an malè corripiantur. 391. c. & seq.
Syskovvski Martinus Episcopus Cracoviensis. 940. *Societatis nostræ Apologetes.* 942. *gradatim ad celsiora evectus, & cur.* ibid. *ejus benevolentia & liberalitas in Societatem nostram.* ibid. 943. *ejus pietas in Deum & homines versu adumbrata.* 944. & seq. *quid senserit de libello famoso,* Monita privata S. J. *inscripto.* 1016. b.

T

Tacendum ad calumnias, sed non perpetim, exemplo B. Job. 157. g. & seq.
Tanquarellus Baccalaureus cur pœnas dederit. 194. c.
Temperantia Jessæorum. 530. f.
Tempore omnia imbecilliora fiunt. Dictum Demosthenis. 184. h.
Tempus, quietum ut habeas, perde aliquid. Proverbium. 383. *omnia revelat.* 801. h.
Tertullianus à toga ad pallium *transgressus, scribere debuit Apologeticum pro pallio.* 531. f. *libidinis Orgia, quibus Christiani infamabantur, apologeticè ab iisdem depellit.* 801. b. *item infanticidia.* f. 813. f.
Testamentum cujusdam mercatoris locupletissimi. 225. g.
Testes, de domo, num adhibendi. 16. *eorum fides diligenter examinanda.* 17. *qui adversùs fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt.* ibid.. *falsi, sunt filii Diaboli.* 991. b.
Theatinorum Ordo, à quibus institutus. 558. b. *ex eo fuit Paulus IV. Papa.* 737. a. *ejus habitus.* ibid. *eum Paulus IV. cum nostro Ordine conjungere voluit.* 737. f.
Theodoretus quantum honoris & reverentiæ SS. Patribus tribuat. 408. f.
Theodosius Imp. correptus & correctus à S. Ambrosio. 191. f.
S. Thomas de vitiis carnis disputat, sicut Medicus de veneno, Jurisperitus de furtis, rapinis &c. 60. g. *contra impugnatores Religionis Apologiam edidit.* 139. c. *non tantùm pro suo Ordine, sed pro nostra quoque Societate scripsisse videtur.* ibid. 140. g. 143. b. & seq. *varias querelas & calumnias Religiosis objectas refellit.* 140. g. & seqq. usque 147.
De Thou, supremus Præses Parisiis, qualis erga Jesuitas. 204. e.
Tigurini quid de mansuetudine Lutheri. 359. d.
Timor Domini Juventuti instillandus. 235. g.
Tiresias Horatianus quam rationem ditescendi præscribat. 973. g.
Toletus, à Pontifice motu proprio *in Cardinalium Collegium cooptatus.* 212. g.
Toruniense Collegium S. J. Lutheranis & Calvinianis invisissimum. 984. f. *ad ejus fundationem Moniales Culmenses magnam pecuniæ summam subministrârunt.* ibid.
Trellius Joannes S. J. nunquam fuit Lutheranus aut Calvinianus. 138. b. 934. a. *an sub extremam horam in desperationem inciderit.* ibid.
Tridentinum Concilium Societatem Jesu, Religionem Clericorum *nominat.* 516. h. *ei interfuit P. Jacobus Laines S. J. Præpositus Generalis.* 518. d. e. *ejus decretum an falsarint Jesuitæ.* 698. d.
SS. Trinitatis nomen certis Ordinibus & locis attributum. 508. a.
Tristitiæ medicamentum quale. 367. d. 368. a.
Tubingenses scribunt ad Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum. 550. f. *Judæorum surculi.* g.
Turcis bellum inferre juri Divino repugnare docet Melanchthon. 153. c.
Turonense Concilium sub Ludovico XII. congregatum. 194. b.
Turrianus Franc. S. J. à pseudohistorico atrocì mendacio traducitur. 105. h. 137. f. *quid*

quid ſenſerit de Eccleſiâ. 127. a. *quid de S. Ignatio.* 136. g.

Tylicki Petrus Cracovienſis Antiſtes, quid de famoſo libello, Monita privata S. J. *inſcripto, ſenſerit, & qua cura illius auctorem indagaverit.* 1012. d. & ſeq. *ejus encomia.* 1014. f. 1015. a. *Societatem introduxit Torunium.* 1014. g.

Tyranni duplicis generis. 883. e. *quî & quando illis privata manus jure inferri queat.* d. & ſeq.

Tyrannum interficere utrum privato liceat, *hæc quæſtio à quibus Doctoribus ponatur.* 315. f. *an in Concilio Conſtantienſi ſit prohibita.* 316. b. & ſeq.

V

De Valentia Gregorii S. J. de Kemnitio judicium. 34. h. *de eo mendacium pſeudohiſtorici.* 137. h.

Valerianus Epiſcopus Vilnenſis, Fundator Collegii Vilnenſis S. J. 1004. b.

Vaquetius, Præſes Pariſienſis. 210. b. *ejus mirandum factum.* ibid.

Vaſallus Ligius duorum unus eſſe non poteſt. 207. f.

Ubiquitas Brentiana. Vide V. *Brentius.*

Verberatio in quo differat à pulſatione. 733. f.

Veritas magis elucet, quò ſæpiùs ad manum venit. 325. g.

Veſpertilio hæreticus è tenebris in lucem extractus. 869. Vide V. *Epiſtola Bononienſis.*

Viciſſitudines rerum humanarum. 340. b.

Viduæ, cohortationibus S. Hieronymi impulſæ, ut viduitatem ſecundis nuptiis anteponerent. 967. b. *iis præcepta rectè vivendi præſcribere an ſit culpabile.* h. *ut viduitatis voluntatem, re maturè conſiderata, voto muniant, honeſtum, Deóque gratum eſt.* 968. d. *ut votum emiſſum renovent, malum non eſt.* f. *eas ſpiritualibus colloquiis recreare non eſt vituperabile.* 969. a. *eas hortari, ut ſint beneficæ in egenos, in templa &c. id laudis eſt.* h. *eas S. Auguſtinus hortatur, ut in ſuo ſtatu perſtent, & quaſcunque poſſint, ad idem vitæ genus inducant.* 1000. g.

Viduitas ſecundis nuptiis antepoſita, à quibus. 967. b. *de ea ſervanda quinam SS. Patres ſcripſerint.* h. & ſeq.

Vilnenſe Collegium S. J. Academiæ nomen & authoritatem obtinuit, à quibus. 1004. a. *à Valeriano Epiſcopo fundatum.* b. *à Georgio Radzivilo, Valeriani ſucceſſore, reditibus auctum.* ibid.

Virgines cohortationibus S. Hieronymi impulſæ, ut virginitatem matrimonio anteponerent. 967. b. *iis præcepta rectè vivendi præſcribere an ſit culpabile.* 968. a. *ſpiritualibus item colloquiis recreare.* 969. a.

Virginitas, matrimonio antepoſita, à quibus. 967. h. *de ea ſervanda & cuſtodienda quinam SS. Patres ſcripſerint.* ibid. 968. a. Vide etiam V. *Caſtitas.*

Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum, ſemper qui rectè facit. 884. e. 956. b.

Vita in communi non efficit Religioſum, ſi deſint alia. 259. a.

Vitia hominum nulli Statui præjudicium afferunt. 417. e. 418. d.

Unum contra unum, quid. 463. h.

Volcius, Lutherani Miniſterii Auguſtæ Antiſtes. 790. h. *unà cum ſuis Collegis flagrorum ſe reum fecit, quare.* 791. a. *quantè Cambilhonicum famoſum libellum fecerit.* 816. c. *non aliter à Magiſtratu vocatus, quàm alii Reipublicæ miniſtri, lictores, carnifices &c.* ibid. *quàm teneram conſcientiam habeat.* 829. g. *calumnias, quas de Jeſuitis diſſeminavit, à Cambilhono mutuatus.* 834. d. & ſeq. *ſe purgare nititur, ſed fruſtra.* 836. f. 860. g. & ſeq. *quàm mitis in Jeſuitas.* 843. b. *diverticula quærit.* 845. g.

Vota, in Societate Jeſu alia ſimplicia, alia ſolemnia. 43. b. *eorum obligatio pendet ex mente voventis.* 232. e. *in Societate noſtra quando emittantur.* 693. c. *ſimplicia duplicis generis.* 724. c. *ab his an liberari quis poſſit.* d. & ſeq. Vide etiam V. *Jeſuitæ*, & V. *Societas.*

Urſulæ & Diaconiſſæ Clericatæ, Hæretico quæ. 880. h. *defenduntur.* ibid.

Wicelius Georgius Lutheranorum mores, quintique Evangelii fructus deſcribit. 373. c.

Wiclephus, Sacramenta, Benedictiones &c. appellat incantationes & necromantias. 203. f.

Witebergenſis Academiæ de Kemnitio judicium. 34. h.

Vulpina pellis induatur, ſi quò leonina penetrare non poſſit. 681. a.

Wolfgangus Wilhelmus, Princeps Palatinus, relicto Luthero ad Catholicorum caſtra tranſit. 930. c. *ejus exiſtimationi conſulitur.* ibid. *ejus converſio Sectarios peſſimè habuit, & cur.* 935. g. *eum, ceu Apoſtaſiæ reum Sectarius quidam ſubditis exoſum reddere tentat.* 936. d.

Z

Zaorovvski Hieronymus, Parochus in Gozdziec edidiſſe fertur Monita privata. S. J. 536. d.

Zelus, vitium indignum Religioſo. 872. f. Vide V. *Invidia.*

Zvvingliani à Luthero vocati panivori, vinibibones, & animarum latrones. 359. e. *de iis quid Eraſmus.* 881. e.

Zvvinglius impudens in Reges. 200 c. *quomodo tractet verba illa: Hoc eſt corpus meum.* 398. g. *cur librum de ſeditionum auctoribus conſcripſerit.* 420. a.

FINIS.

	Errata	ſic corrige
Pag. 198. a.	babarorum	barbarorum
672. h.	Baſilus	Baſilius
694. f.	popiùs	propiùs
765. a.	petrexit	perrexit
808 g.	*babecis*	*babetis*
857. b.	depoſuiſſet	depoſuiſſe
926. a.	*confingendiis*	*confingendis*

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Gretser, Jacob,

Jacobi Gretseri Societatis Jesu Theologi Opera Omnia Antehac Ab Ipsomet Auctore Accurate Recognita, Opusculis Multis, Notis, Et Paralipomenis Pluribus, Propriis Locis In Hac Editione Insertis Aucta Et Illustrata Nunc Selecto Ordine Ad Certos Titulos Revocata
Bd.: 11

Ratisbonae 1738

Bamberg, Staatsbibliothek -- Op.th.f.40(11
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11757545-0
VD18 80274439-001